OF

FRC

IN S

HIST

Ex loca

Ante

Sumpt

R. P. NATALIS ALEXANDRI

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,

PROVINCIÆ PARISIENSIS EJUSDEM ORDINIS EXPROVINCIALIS,

IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS,

ET EMERITI PROFESSORIS

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS NOVIQUE TESTAMENTI

Ab orbe condito ad Annum post Christum natum millesimum sexcentesimum:


Et in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.

IN OCTO DIVISA TOMOS:

Ante quidem per partes, nunc autem conjunctim & accuratius edita:

Rerum novarum accessione, Scholiis & Indicibus locupletissimis illustrata, ornata.

TOMUS QUINTUS.



PARISIIS,

Sumptibus ANTONII DEZALLIER, in Vico San-Jacobæo, sub signo Coronæ Aureæ.

M. DCC. XIV.

Cum Privilegio Regis Christianissimi.



INDEX

CAPITUM, ARTICULORUM, Paragraphorum, Dissertationum, Quæstionum, Propositionum & Assertionum, Voluminis V. Historiam Ecclesiasticam Novi Testamenti V. VI. VII. & VIII. Sæculorum continentis.

Art. XXXV.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI QUINTI DISSERTATIONES SELECTÆ.

PANOPLIA.

ADVERSUS HÆRESES QUINTI SÆCULI.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SEXTI SÆCULI SYNOPSIS.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI SEXTI

DISSERTATIONES SELECTÆ.

PANOPLIA ADVERSUS HÆRESES SEXTI SECULI.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SÆCULI SEPTIMI SYNOPSIS.

Art. V.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI SEPTIMI.

DISSERTATIONES SELECTÆ.

I Prop. II.

PANOPLIA
ADVERSUS HÆRESES
SÆCULI SEPTIMI.

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
OCTAVI SÆCULI
SYNOPSIS.

IN HISTORIAM
ECCLESIATICAM
SÆCULI OCTAVI
DISSERTATIONES SELECTÆ.

PANOPLIA
ADVERSUS HÆRESES
OCTAVI SÆCULI.

§. VIII.

FINIS.

HISTORIÆ



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ QUINTI SÆCULI SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM.

De privatis Persecutionibus Christianorum quinto Sæculo.

Martyres Anaunenses.

ULLÆ hoc sæculo generales Ecclesiæ persecutiones ; sed privatæ nonnullæ fuerunt. Anno 400. Rustici vallis Anauniæ à Tridentina civitate spatio 25. milliarium distitæ, Ethnicis adhuc superstitionibus, implicati, & idolorum eversionem Honorii Imp. Edictis ubique factam impatienter ferentes, Sisinnium Diaconum, Martyrium Lectorem, & Alexandrum Ostiarium, crudeliter trucidarunt. Celebre est Martyrum Anaunensium in Ecclesia nomen : quorum Acta leguntur apud Surium ex veteribus MSS. excerpta, unà cum Vigilii Tridentini Episcopi Epistola ad Simplicianum de eorum martyrio scripta. Simplicianus ille, non Mediolanensis Episcopus, quod Baronius Cardinalis existimavit. Nam Gennadius *in Catalogo Virorum Illustrium*, de Vigilio ait, Ipsum Epistolam scripsisse continentem gesta Martyrum sui temporis apud Barbaros, & libellum in laudem Martyrum, *ad Simplicianum quemdam*. Quibus verbis alium à Simpliciano Episcopo Mediolanensi, cujus cap. proximè antecedenti cum laude meminerat, indicavit. Non multò post Vigilium ipsum à Gentilibus suæ Diœceseos lapidibus obrutum, ex Usuardi Martyrologio colligitur, 6. Kal. Julii.

Persecutio Persica.

Anno Christi circiter 420. gravis persecutio Christianos in Perside vexavit, ab Isdigerde Rege excitata, à Vararane, sive Gororane ejus filio crudelitate majori continuata. Excitata primùm persecutio est Abdæ Episcopi imprudenti zelo, qui Pyreum, id est Templum Igni consecratum destruxit. Quod cùm jubente Rege ædificare noluisset, trucidatus est, & Ecclesiæ solo æquatæ. Ac rectè quidem renuisse templi instaurationem pium Episcopum, ob idque Martyrii corona dignum, Theodoretus notat, quamvis illud intempestivè destruxisset : Apostolum non imitatus, qui nullam Deorum aram Athenis evertit ; sed Atheniensium errorem verbis coarguit, & veritatem demonstravit. Nobile fuit illâ in persecutione Benjamini Diaconi certamen. Confessionis etiam gloriâ illustres extiterunt Hormisda vir primariæ nobilitatis, ex Achemenidarum stirpe, patre ortus Præfecto ; & Suenes mille servorum dominus. Hac de persecutione legatur Socrates lib. 7. cap. 18. & Theodoretus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 39.

Persecutio Vvandalica.

Anno 437. Gensericus Rex Vvandalorum, Arianus, Catholicos in Africa dirâ persecutione affligere cœpit, ut Prosper in Chronico testatur. Primitiæ Martyrum hac in persecutione fuerunt Arcadius, Probus, Paschasius, & Eutychius Hispani. Paulillus puer, Paschasii & Eutychii frater, ætatem vicit confessionis constantiâ. Arcadio ad Martyrium animos addidit Honoratus Constantinæ Africæ civitatis Episcopos, data ad ipsum Epistolâ, ut Gennadius refert in Catalogo Virorum Illustriom. Istam Epistolam, in Bibliothecis Patrum, Antonini Episcopi nomine perperam inscribi, inde colligitur. Occupatâ verò Carthagine, crudeliùs sæviit in Catholicos Gensericus. Quodvultdeus Episcopus cum venerabili Clero, honoratisque civibus, fractis navibus impositi, nudi expulsi sunt, exilio damnati, vel addicti servituti. Basilicæ Arianis vindicatæ, direptæ Ecclesiarum opes : à tyranno jussum ut Catholicorum corpora defunctorum, *sine solemnitate Hymnorum, cum silentio ad sepulturam perducerentur : Nec orandi, nec immolandi concedebatur gementibus locus* (inquit Victor Vitensis lib. 1.) *ut manifestè tunc vaticinium Prophetæ compleretur : Non est in hoc tempore Princeps, aut Propheta, vel Dux, neque locus ad sacrificandum nomini tuo.* Calumniis opprimebantur Catholici Sacerdotes, & si quispiam in Sermonibus ad Fidelem plebem, Pharaonem, Nabuchodonosor, Holofernem, aut aliquem similem nominasset, reus proclamabatur Majestatis, & quasi in Regem ista dixisset, exilio mulctabatur. Hac persecutione Martinianus, Saturianus, cum duobus fratribus, & Maxima Virgine, quâ cum nobili cuidam Vvandalorum serviebant, variis affecti suppliciis, medente Christo à plagis sanari, Capsur Maurorum Regi traditi sunt, præter Maximam, quæ propriæ voluntati dimissa, adhuc supererat multa-

rum Virginum mater quo tempore scribebat Victor Vitensis, ipsique erat notissima. Qui cùm Barbaros ad Christi fidem non paucos perduxissent, ad eosque initiandos Presbyterum & Ministros obtinuissent à Romano Pontifice; id rescierite Genserico, currentium tergis quadrigarum alligati, & per diversa raptati loca, psallentes Deo, felices animas emiserunt.

Celebris fuit eadem persecutione Saturi confessio, qui uxoris, alterius Evæ, blanditiis & precibus abduci non potuit à fide. Insignes quoque fuere confessionis gloriâ Armogestas, & Sebastianus Comes. Hic urgente Genserico, ut Arianæ Sectæ nomen daret, apprehenso pane mundissimo, ait: *Hic panis ut ad tantum decorem splendoris veniffet, & mensa regia necessarius haberetur, discussâ spuriâ furfures ex massa similaginis, conspersus per aquam transivit & ignem: idcirco & aspectu clarus, & esu suavis habetur. Ita & ego molâ Catholicæ Matris commolitus, & cribro examinationis ut simila munda purgatus, rigatus sum aquâ baptismatis, & igne sancti Spiritûs coctus. Et ut hic panis de furno; ita & ego per officia Sacramentorum divinorum, artifice Deo, de Fonte mundus ascendi. Sed iste panis confringatur in frustra, madidetur aqua, & iterum conspergatur, mittatur in furnum: si melior exierit, faciam quæ hortaris.* Tam sapienti sermone obstructum est os Genserici, qui postea virum fortissimum occidens, Martyrem consecravit. Sæpe Ariani Catholicorum Ecclesias manu factâ ingressi, *Quo tempore Sacramenta Christi & Sanguinem pavimentis sparserunt, & illud pollutis pedibus calcaverunt*; teste Victore Vitensi lib. 1. *de Persecutione Vvandalica*, ex quo deprompsimus quæ diximus huc usque de persecutione à Vvandalis Africanæ Ecclesiæ illatâ.

Anno 484. Theodorico & Venantio Coss. qui annus insolitâ Solis Eclipsi à Gregorio Turonensi notatur celebris, ab Hunnerico Vvandalorum Rege Genserici filio & successore, persecutio gravior Ecclesiæ illata est Africanæ, ex Marcellino *in Chronico*, & Gregorio Turonensi lib. 2. *de Gestis Francorum cap.* 3. Regni sui initio Manichæos exagitavit: quos inter multos invenit, non absque pudore, qui Arianam externo ritu religionem profitebantur. Zenone Imperatore, & Placidia rogantibus, Ecclesiæ Carthaginensi 24. annorum intervallo viduatæ, Episcopi electionem permisit, hac conditione, ut inaugurandus Episcopus Arianis Antistitibus suis in Ecclesiis Sacra facere concederet, sicut Catholici in suis *Missas agebant*. (Edicti verba sunt à Victore Vitensi descripta.) Nisi impleretur conditio, Episcopos & Clericos omnes Africanos apud Mauros exules fore. Hoc persecutionis classicum fuit. Ordinatus est Carthaginis Episcopus S. Eugenius, omnium splendore virtutum, sed effusa præsertim in pauperes beneficentiâ venerandus Sacerdos: qui omnem, quam penes se habebat, quotidie erogabat pecuniam, nihil in crastinum servans. In suos crudelissimus Hunnericus, qui Theodorici fratris uxorem & filium perimi jussit, & Sectæ suæ Patriarcham vivum comburi, & Theodoricum ipsum fratrem in exilium relegavit, multosque occidit à Genserico patre morienti sibi interposito sacramento commendatos, quantâ putas in Catholicos sævitiâ grassatus est? Cœlestibus signis & visionibus prænuntiatam persecutionem, cœpit Edicto promulgato, quo militia, Magistratu, omnique publico munere Catholicis interdixit. Defunctorum Episcoporum Catholicorum bona fisco vindicavit. Novo ordinari vetuit Antistites, nisi qui solidos quingentos in Regium Ærarium intulissent. Virgines sacras à Vvandalis Arianisque obstetricibus inspici, tum variis suppliciis vexari jussit. Episcopos, Presbyteros, Diaconos, aliaque Ecclesiæ membra, quatuor millia, nongentos, sexaginta & unum, in Eremum exules deportari edixit. Hos inter insignis fuit Felix Abderitanus Episcopus, cui sensus sermonisque usum paralysis eripuerat. In Siccensem & Larensem civitates congregati, & in carcerem detrusi sunt Confessores, *Ubi & verbum admonitionis facere, & sacra Mysteria celebrare licuit* Catholicis Sacerdotibus, qui ipsos comitabantur: quos inter erat ipse, qui persecutionis istius Historiam literis mandavit Victor Vitensis. Cyprianus Unizibirensis Episcopus, egregius & ipse postea Confessor, designatos Martyres fovit, omniaque sua in eorum impendit refrigerium. Occurrebant ipsis undique Fidelium populorum agmina, qui cereos manibus gestantes, filiosque pedibus ipsorum provolventes, clamabant: *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ, obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est: Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus divini Sacrificii ritus exhibendus est consuetus?* In exilio plures ærumnis confecti obierunt. Hordeo namque jumentorum instar alebantur, qui cibus & ipsis paulòpost ablatus est, ut fame perirent.

Hoc ponderent Calvinistæ, & se à Christianorum Catholicorum V. sæculi religione & moribus alienos agnoscant.

Post hæc, Hunnericus dato Edicto jussit, ut Catholici Episcopi, quos Homousianos appellabat, cum Arianis de fide collaturi, Carthaginem convenirent ad diem Kalend. Februar. anni sequentis. Datum autem Edictum est anno 7. Regni ejus, Kalendis Junii. Qui annus erat Christi 483. Cùm Edictum Episcopi Catholici suscepissent, Eugenius Carthaginensis Collegarum omnium nomine communique consilio respondit: Debere etiam Transmarinarum partium Catholicos Episcopos ad eam Collationem convenire: siquidem non Africanæ duntaxat, sed totius orbis Ecclesiarum caussa agebatur. Se disputationem non declinare, sed *Sine universitatis assensu non debere asserendæ fidei caussas assumere. Si* (inquit Eugenius) *nostram fidem, quæ una & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos. Scribam & ego Fratribus meis, ut veniant Coepiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum.* Congregati sunt Catholici Antistites Carthagine, condictâ die, sed Cyrila Arianorum Patriarcha ipsos doctrinâ & facundia superiores animadvertens, suamque Sectam hoc profligandam prævidens congressu, Collationem declinavit, cujus loco gravior in Catholicos Episcopos accensa persecutio est. Viros doctissimos Africana tunc habebat Ecclesia, qui fidem ruerentur; è quibus multos sustulit impius Hunnericus, & Lætum imprimis diuturno carceris squallore afflictum igni addixit. Eugenius Africæ Prunas opere potens erat & sermone. Qui cùm Epiphaniæ Festò baptismum, pro Ecclesiæ Africanæ more, solenni ritu administraret, cæco cuidam oomine Felici, toti civitati, & Arianis ipsis notissimo, visum restituit. Catholici Antistites, ut fidei honori consulerent, cui solennis triumphi gloriam Ariani Collationem fugientes præripuerant, Libellum de fide Regi Hunnerico obtulerunt: quem ab ipso Victore Vitensi Episcopo, cujus nomen adscriptum habet, editum verisimile est. Hinc Ariani Antistites fremere, & Catholicis calumniari, quasi Collationem ipsi fugissent, factoque tumultu prohibuissent. Quam ob rem Hunnericus ferale Edictum contra Catholicos promulgavit, quo claudi jussit Ecclesias, vetuit Ordinationes Ministrorum, & omnes Catholicæ Religionis functiones; Ecclesiarum & Episcoporum bona suæ sectæ Episcopis adjudicavit; leges in Hæreticos, & præsertim in Arianos ab Imperatoribus

Victor Vitensis juramentorum Episcopis lege Evangelica prohibitum non ait, nisi quia nulla jurandi suberat necessitas. Unde Episcopos qui juraverant, nimiæ dumtaxat simplicitatis arguit, quia Hunnerici dolos non animadverterunt, non verò violatæ legis Evangelicæ.

peratoribus latas, in Catholicos convertit. Episcopos denique Orthodoxos pessimè cùm excepisset, obtulit eis chartam, vota pro Hilderici filii sui successione in regnum continentem, cui dato sacramento subscriberent, Ecclesias postea recepturi. Simpliciores quosdam jurare paratos, unà cum iis qui prudentiùs tenuerunt, in exilium detrusit: illos velut juramenti contra Legem Evangelicam præstiti, reos; istos ut Regis filio fausta quæque, & regum imprimis non optantes.

Nec in Episcopos dumtaxat, & Clerum Africanum, sed & in Catholicam plebem per universas Africæ Provincias sæviit Hunnerici furor, cujus persecutione multi Martyres consecrati sunt. Inter hos celebris Dionysia, nobilis mulier, ludibria & verbera pro Christo perpessa, aliis ad Martyrium animos addebat, ac præcipuè filio suo unico teneræ ætatis adolescenti, Majorico nomine, qui cùm esset consummatus, *Amplexam illam hostiam suam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ in suâ domo sepelire maluit, ut quoties supra sepulchrum ejus Trinitati preces effunderet, alienam se à filio nunquam esse confideret:* ut testatur Victor Vitensis. Tuburbitanæ civitatis major, Servus nomine, vir generosus & nobilis; & Matrona quædam, cujus nomen, Victoria, Martyrii omen habuit, à quo subeundo frustra ipsam abducere maritus conatus est; & Victorianus Carthaginis Proconsul, invictæ in exquisitis tormentis constantiæ specimen dederunt. Duo etiam fratres ex Aquis-regensi civitate, *Cùm super Christi Corpus & Sanguinem jurassent se pro eo passuros*, Martyrium fortiter obierunt, sese mutuò Sacramenti memoriâ in passione roborantes. Typasensem Mauritaniæ majoris civitatem deseruit major pars civium, ne Ariani Episcopi sibi præpositi communione macularentur. Qui remansere, cùm ad Arianam hæresim deficere nollent, linguis & manibus dexteris mutilati sunt, qui Spiritu sancto donante, elingues loquebantur. Clerici Carthaginenses, deportato in exilium S. Eugenio Carthaginensi Episcopo, inediâ, cæde, exilio, sublati, vel afflicti. Hos inter duodecim Lectores infantuli, quodam Lectore Apostata suadente, Carthaginem iuviti revocati sunt, qui nec blanditiis, nec verberibus à Catholica fide abduci potuere. De his ita scribit Victor Vitensis: *Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit Puerorum, unà degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur.* Septem etiam Fratrum sive Monachorum celebre certamen extitit ac Martyrium, duce Liberato Abbate: quorum Passionem libello singulari descripsit Victor Vitensis. Lege tres ejus libros *de Persecutione Vvandalica*, in quibus lugubrem Africanæ Ecclesiæ illis temporibus faciem adumbrat, vim Arianorum invitos Catholicos rebaptizare conantium, tormenta pits quibusque illata, & invictam Confessorum ac Martyrum fortitudinem. Fontem indicamus, ex quo delibavimus, quæ hoc in Capite legisti. Lege & Gregorium Turonensem lib. 2. Historiæ Francorum, ubi S. Eugenii Epistolam ad suos Carthaginenses refert integram, cujus Victor Vitensis non meminit: & ejusdem Eugenii miraculum in gratiam hominis, quem Cirola Episcopus Arianus quinquaginta aureis conduxerat ut cæcum se simularet, cuique visum se restituere, ad suæ veritatem Religionis comprobandam gloriabatur. Hunc Deus cæcitate percussit, à quâ liberatus est S. Eugenii beneficio, cùm Catholicam de Sanctissima Trinitate fidem esset professus. Felix Albium, * Galliæ civitas, quæ S. Eugenium exulem suscepit, in quâ & obiit illustris Confessor. Ad cujus sepulchrum frequentia ibi patrari miracula restatur Gregorius Turonensis. Qui in eo erravit, quod Hunnericum, seu, ut ipse vocat, Honoricum Tra-

Ejusdem miracula meminit S. Gregorius Magnus lib. 3. Dialogor. c. 32. ubi & unum ex illis, qui contrariis gloriam fortiti, miraculo privatum scribit. Testes sunt ejusdem miraculi Marcellinus Comes in Chronico, & Æneas Gazæus, in Theophrasto.

Alby.

samundi fecerit successorem: & rursùs, quòd S. Eugenii secessum in Gallias, ad tempus persecutionis sub Hunnerico excitatæ, referat, qui nonnisi sub Trasamundo contigit, teste Victore Turonensi.

CAPUT II.

De Pontificibus qui Romanam & universalem Ecclesiam rexerunt Sæculo V.

AD annum usque quadringentesimum secundum, Romæ sedit Anastasius Pontifex, qui Pontificatûs ejus quintus fuit, per mensem unum & dies tredecim inchoatus. Hunc S. Hieronymus Epistola 16. *Virum insignem* vocat, *quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali Episcopo truncaretur: immò idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur &c.*

ARTICULUS I.

De Innocentio I.

ANastasio successit Innocentius, Albanus. Quo Pontifice, Carthaginense & Milevitanum contra Pelagianos Concilia, in Africa celebrata sunt. Hic Pelagium & Cælestium damnavit, teste S. Prospero in libro contra Collatorem, & Gennadio in Catalogo Virorum Illustrium. S. Chrysostomi in Synodo ad Quercum iniquè damnati suscepit appellationem, & in ipsum malè gesta rescidit. Antiochenæ pacem communionemque reddidit Ecclesiæ, supplicante Alexandro Sedis illius Patriarcha. Qui ut id beneficii mereretur, eos, qui ab Evagrio Paulini successore ordinati fuerant, recepit: ac S. Chrysostomi nomen in sacra Diptycha restituit. (Ex Innocentio I. Epist. 17. ad Alexandrum Antiochenum) Ejusdem gratiæ particeps fuit Acacius Beroensis unus ex S. Chrysostomi hostibus & persecutoribus infensissimis: cui literas communicatorias, quas ille supplex rogaverat, Innocentius I. concessit, sed eas direxit ad Alexandrum Antiochenum, qui eas non traderet Acacio, nisi exploratum haberet, ipsum odium omne in S. Chrysostomi memoriam deposuisse, ipsiusque venerandum nomen in Ecclesiæ Tabulas restituisse. (Ex Innocentio I. Epist. 19.) Apud eumdem pro Attico Constantinopolitano Episcopo sequester accessit Maximianus in Macedonia Episcopus. Sed cùm Atticus ipse ad Pontificem nullas Epistolas, nullasve preces misisset, nihil promovit. Tandem cùm ipse Legatos misisset ad Innocentium, & S. Chrysostomi nomen Ecclesiæ Tabulis adscripsisset, in Communionem susceptus est. (Ex Innocentio I. Epist. 21. & ex Theodoreto lib. 5. cap. 34.)

Falsum est quòd Innocentius I. Arcadium & Eudoxiam excommunicaverit, ob procuratam S. Joannis Chrysostomi depositionem, & ejus exilium: quod asserit Cardinalis Historicus, * Epistolis Innocentii ad Arcadium, & Arcadii ad Innocentium fretus, quas Glicas & Nicephorus referunt. Nam harum Epistolarum suppositio inde probatur evidentissimè, quòd ante tres annos obierat Eudoxia, quò tempore grando insolitæ magnitudinis Constantinopoli decidit. (Ex Socrate, Sozomeno, Marcellino, Zosimo, & Fastis Græcis.) Hujus, aliarumque non absimilium fabularum Author Georgius Solitarius.

Innocentius I. Arcadium & Eudoxiam non excommunicavit.

Baronius.

Decretales Epistolas Innocentii I. ad Decentium Engubinum, ad Victricium Rothomagensem, ad Exuperium Tolosanum, ad Felicem Nucerianum, Ecclesiasticæ disciplinæ testes locupletissimas esse perspicuum est. In ea quam ad Decentium scripsit,

Epistolæ Innocentii I. ad Decentium Synopsis.

decernit 1. Pacem in Synaxibus dandam non esse ante confecta Mysteria. 2. Fidelium offerentium nomina non esse ad altaria recitanda, donec eorum oblationes Sacerdos precibus suis commendaverit. 3. Baptizatos à solis Episcopis consignari. 4. Sabbaticum jejunium observandum. 5. Fermentum quod per Urbis Titulos mittebatur Dominicis diebus, non esse ad Parochias agrorum mittendum; quia longè portanda non sunt Sacramenta. Quod de Eucharistia intelligendum, tum ob Sacramenti nomen, tum quòd Eulogias longè deferri nullum erat incommodum. 6. Energumenis non imponendam manum nisi à Presbytero, aut Clericis, quibus id Episcopi autoritate demandatum fuerit. 7. Pœnitentes non esse reconciliandos nisi V. Feria in Cœna Domini, nisi intervenerit ægritudo. 8. Extremæ Unctionis Presbyteros ministros esse, adeoque & Episcopos jure potiori. Oleo sancto perungi posse Fideles ægrotantes, secundùm verba S. Jacobi in Epistola sua Canonica, c. 5. Istud Sacramentum Pœnitentibus non tribui, sicut nec alia Sacramenta, secundùm Romanæ Ecclesiæ disciplinam.

Epistolæ Innocentii I. ad Victricium Synopsis.

In Epistola ad Victricium, statuit 1. ordinandum non esse Episcopum ab uno Episcopo; nec absque consensu Metropolitani. 2. Ad Clerum non esse admittendos, qui post baptismum sæcularis militiæ cingulum acceperint. 3. Caussas Clericorum, tam superioris, quàm inferioris ordinis ab Episcopis Provinciæ judicari, secundùm Nicænos Canones, *Sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus caussis debet reverentia custodiri.* 4. Viduarum maritos arcendos à Clero. Non referre an ante, vel post baptismum nupserint: *Quia in baptismo crimina dimittuntur, non accepta uxoris consortium relaxatur.* 6. Bigamos ordinandos non esse, etiam si ante baptismum uxorem duxerint. 7. Alienum Clericum non ordinandum, nec recipiendum qui ab alio Episcopo fuerit ejectus. 8. A Novatianis, vel Donatistis ad Ecclesiam redeuntes per manûs tantùm impositionem suscipiendos: subjiciendos verò Pœnitentiæ, qui ab Ecclesia Catholica ad illos deficientes, fuerint rebaptizati. 9. Legem cœlibatus Sacerdotum & Diaconorum confirmat. 10. Propositi sui tenaces, & Monasticæ disciplinæ observatores esse jubet Monachos qui ad Clerum promoventur. 11. Curiales ordinari vetat, ne revocentur ab Imperatore: indeque molestia Ecclesiæ creetur. 12. Virgines ritu solenni à Sacerdote velatas, si nupserint, vel corruptæ fuerint, non esse admittendas ad pœnitentiam, nisi is cui se junxerant, de sæculo recesserit. 13. Quæ in proposito virginali semper manere promiserant, licet velatæ non sint, initarum nuptiarum crimen eluere debere publicâ pœnitentia: quia sponsio earum à Deo tenebatur. Tunc votum solemne virginitatis, impedimentum dirimens contractum matrimonium nondum fuisse videtur: cùm Innocentius Virginum illarum nuptias irritas non decernat, nec ab iis jubeat separari, quibus nupserunt.

Synopsis Epistolæ Innocentii I. ad Exuperium.

In Epistola ad Exuperium, 1. Clericos incontinentes, Sacerdotes, inquam, & Diaconos, omni honore Ecclesiastico privandos decernit: & sanctissimam cœlibatus legem à Siricio Decessore ipsis positam confirmat. 2. Disciplinam circa eos, qui in extremo vitæ pœnitentiam simul & reconciliationem Communionis exposcunt, observandam statuit. 3. Nulli pœnitentiæ obnoxios decernit, qui post baptismum Magistratus gesserunt, publica exercuerunt judicia & capitalem dixere sententiam: quòd à Deo hæ Potestates constitutæ sint. 4. Respondet quæstioni, cur adulteræ mulieres frequentiùs addicantur pœnitentiæ, quàm viri adulteri. Ait, Christianam religionem adulterium pariter in utroque sexu condemnare, sed mulieres non facilè viros suos adulterii accusare, & non habere latentia peccata vindictam: viros autem mulieres adulteras ad Sacerdotes liberiùs deferre: ideòque ipsis, prodito earum crimine, communionem denegari. 5. Declarat eos, qui preces, id est, supplices libellos dictant in caussa criminali, quibus mors reorum postulatur, immunes esse à crimine, quia Principes hujusmodi supplicibus libellis non annuunt, nisi caussâ cognitâ, & negotii examen ad Judices remittunt, qui secundùm Leges animadvertunt in reos. 6. Viros, aut mulieres, quæ interveniente repudio aliud ineunt conjugium, reas adulterii esse docet, atque à Fidelium communione abstinendas decernit. 7. Librorum Canonicorum indicem describit, eosque ab Ecclesia receptos velut sacros & divinos testatur & pronuntiat: quem indicem cum legent Calviniani, & Lutherani, se ab Ecclesiæ veteris sensu & fide, quoad numerum librorum Canonicorum, agnoscant alienos: non enim Innocentius sententiam solùm suam exponit, sed Ecclesiæ doctrinam & traditionem ab Apostolis ad sua tempora derivatam, & in Ecclesia Romana conservatam.

Synopsis Epistolæ Innocentii I. ad Episcopos Macedoniæ.

Epistola Innocentii I. ad Macedoniæ Episcopos, numero 22. Clericos ab Hæreticis ordinatos Clericatus honore, & dignitatis suæ privilegiis frui vetat: non autem irritas ordinationes illas declarat, ut quidam inde colligunt. *Cùm nos*, inquit, *dicamus ab Hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manûs impositionem habere caput, ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, ut possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus secuta, sine cicatrice esse non poterit: atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. Nam si (ut legitur) * Quod tetigerit immundum, immundum erit: quomodo id ei tribuetur, quod munditia ac puritas consuevit accipere? Sed è contrario asseritur, eum qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quòd ille posset accipere.... Certè qui non habuit, dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manûs impositionem dedit; & qui particeps effectus est damnato, quomodò debeat honorem accipere, invenire non possum.* Quod amisit Hæreticus, dare non potest: at honorem duntaxat amisit, non caracterem. Dare igitur caracterem potest non honorem. Ad hæc, subjiciebantur pœnitentiæ, ex Ecclesiæ legibus, qui Hæreticorum se communione polluerant, & Ordines ab ipsis susceperant: at Pœnitentes à Clero arcebantur, & ad Laïcam detrudebantur Communionem, secundùm Ecclesiæ disciplinam. *Nostra verò lex est Ecclesiæ* (inquit Innocentius c. 4.) *venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manûs impositionem, laïcam tantum tribuere Communionem, nec ex his aliquem in Clericatûs honorem vel exiguum subrogare.* Cap. 5. ait, Ordinatos à Bonoso, quondam ad honores & ministeria Ordinum suorum receptos Anysii & Consacerdotum Decreto, sed dispensatione id factum, ne eum Hæretico Ordinatore remanerent, ac fieret non mediocre scandalum. *Quod autem pro remedio ac necessitate temporis statutum est, primitùs non fuisse. Et cessante necessitate, cessare pariter debere quod urgebat; quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit.* Eos itaque, qui ad Bonosum jam damnatum transierunt, atque ab eo sunt ordinati, non oportuisse Ordinationis Ecclesiasticæ suscipere dignitatem. *Ad summam, qui nihil à Bonoso acceperunt, reos esse usurpatæ dignitatis, qui conficiendorum Sacramentorum sibi vendicaverunt auctoritatem; atque id se putaverunt esse, quod de his nullâ fuerat regulari ratione concessum.*

Ordinationes ab Hæreticis factas irritas non declarat Innocentius I.

Numer. 19.

Ordinatos à Bonoso ante ejus damnationem, recu-

Epistolâ XXI. ad *Martianum* Episcopum Naissitanum, narrat se antea scripsisse ad eumdem *Martianum* & nonnullos alios Episcopos, & constituisse ut

Recipiendos cum Ordinibus suis decernit.

ut Clerici *Qui se ante damnationem Bonosi asserebant ab eodem tam Presbyteros quàm Diacones ordinatos, ut si relicto, atque damnato ejus errore vellent Ecclesiæ copulari, libenter reciperemur: ne fortè qui essent digni recuperandæ salutis, in eodem errore deperirent.* Germanus autem presbyter, & Lupentinus Diaconus, à Bonoso ante damnationem ordinati, apud Innocentium suo & aliorum nomine conquerentur se ideo Episcopo suo invisos esse, quòd vellet eos iterum ordinari, ut Rusticius quidam, qui iterata Ordinatione Presbyteratum ab eo susceperat. Pontifex præcedens Decretum suum confirmat, & eos qui ordinati fuerant à Bonoso ante ejus damnationem, recipiendos esse decernit cum Ordinibus suis, sive nova Ordinatione. *Nunc etiam admonendam duximus Fraternitatem tuam, ut si verè constat aliquos ante damnationem Bonosi ab eodem ordinatos, postea voluisse vel nunc velle reverti, eos recipiendos esse censemus*; ad functiones utique & honores Ordinum, ad quos non recipiebantur, qui à Bonoso post ejus damnationem fuerant ordinati.

Quo sensu Innocentius I. solum baptisma in Hæreticis ratum esse pronuntiat, non autem ordinationes ab iis factas?

Epistolâ XVIII. Arianorum & Hæreticorum cæterorum Ordinationes improbat, non quòd in iis non agnoscat Sacramenti veritatem, substantiam Ordinis & characterem; sed quòd nullum jus habeant ad Sacra Ministeria, & Ordinum functiones, honores, privilegia: & quòd Spiritum Sanctum & gratiam dare non possint. Solùm baptisma in iis ratum esse pronuntiat, quòd baptizati quidem ab Hæreticis ex Fidelium ordine ad Catechumenorum Classes non redigerentur, nec Fidelium communione & privilegiis privarentur: ab illis verò ordinati suorum Ordinum honoribus & privilegiis carerent, & ad Communionem Laicam dumtaxat admitterentur. *Arianos*, inquit, *cæterasque hujusmodi pestes, quia eorum Laicos conversos ad Dominum, sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate; quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illisque Mysteriis arbitramur: quoniam cùm a Catholica Fide eorum Auctores deciscerent, perfectionem Spiritûs quam acceperant, amiserunt. Nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maximè in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam amiserunt. Quomodo fieri potest ut profanos eorum Sacerdotes, dignos Christi honoribus arbitremur, quorum Laicos imperfectos, ut dixi, ad Sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus?* Scripta est Epistola ad Alexandrum Episcopum Antiochenum.

Innocentii I. Epistola ad Synodum Toletanam.

Sub Innocentii I. Pontificatu celebrata est Toleti in Hispania Synodus, ad quam Decretalem Epistolam dedit, ut collapsæ in Hispaniis disciplinæ mederetur, præsertimque vitiis Ordinationum, in quibus Canones impunè violabantur. Ex his patet, Innocentium I. ut Occidentis Patriarcham, & Ecclesiæ universæ Pastorem, executionem Canonum Hispanis Episcopis imperasse.

Collatio Carthaginensis.

Sub eodem habita est celebris illa Collatio Carthaginensis cum Donatistis, anno 411. de quâ superiori Sæculo actum à nobis est, in Historia Schismatis Donatistarum.

Innocentii I. obitus.

Obiit Innocentius I. anno Christi 417. Pontificatûs sui 17. IV. Idus Martii, non V. Kal. Augusti, ut scribit Cardinalis Baronius: qui refellitur ex Epistola Paschasini Lilybætani Episcopi ad S. Leonem ita scribentis: *Tempore recordationis Domini mei prædecessoris vestri Zosimi, anno Consulatus Honorii Augusti XI. & Constantii II. tunc enim cùm declinaretur ne 10. Kal. Maii dies Pascha teneretur, celebratum est die octavo Kal. Aprilis.* Hic character est anni 417. Eo igitur anno jam sedebat Zosimus tempore Paschatis: adeoque Innocentii sessio ad diem usque 28. Julii perperam à Baronio prorogatur. Sed & antiquissima Martyrologia S. Innocentii obitum IV. Idus Martii consignant. Martyrologium S. Hieronymi, Tomo 4. Spicilegii editum, aliud venerandæ antiquitatis editum ab Holstenio cum Actis SS. Martyrum Felicitatis & Perpetuæ: Bedæ item & Adonis Martyrologia, S. Innocentii Papæ depositionem Romæ IV. Idus Martii adscribunt. Ejus quidem memoria in Martyrologio Romano ad diem 28. Julii celebris: sed inde non sequitur quòd ea die obierit, ad quam ejus translata est festivitas, quod fortè anniversaria sit Translationis ipsius reliquiarum, à Sergio II. in titulum Equitii factæ. Liber *de Vitis Romanorum Pontificum*, Baronii Chronologiæ favet: sed postponendam illius auctoritatem censemus antiquioribus & certioribus monumentis.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 12. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant; *Falsum est Innocentium I. Arcadium & Eudoxiam excommunicasse.*

R. Hujus facti falsitatem nemo jam Eruditus non agnoscit, cùm Innocentii priores literas, quibus hujus Excommunicationis superstructum figmentum est, supposititias esse constet. Mera facti quæstio est.

ARTICULUS II.

De Zosimo.

CUm Romana Sedes quinque dumtaxat diebus post Innocentii I. mortem vacasset, electus est ejus in locum Zosimus, natione Græcus. Is Pelagianorum fraudibus initio circumventus, dolis eorum per Africanos Patres subinde patefactis, ipsos anathemate confixit, missisque ad totius orbis Ecclesias encyclicis de Hæreseos & Hæreticorum damnatione literis, ipsos penitus prostravit. Sub ejus, uti & sub successorum, scilicet Bonifacii I. & Cœlestini I. Pontificatu, controversia de Appellationibus ad Romanam Sedem, Africanam Ecclesiam cum Romana commisit. Quâ de controversia relege quæ superiori Sæculo diximus in Dissertatione de jure Appellationum, ad Canones Sardicenses. Arelatensem Ecclesiam novis auxit privilegiis Zosimus. Non solùm enim Metropoliticam Dignitatem in Viennensi Provincia, & jus Ordinationum ipsi confirmavit: verùm etiam in Narbonensem utramque, potestatem ipsi concessit amplissimam: illudque privilegium, ob S. Trophimi reverentiam, conferre se significavit, qui ab Apostolica Sede Arelatem Summus Antistes primùm directus est, ex cujus fonte Gallia deinde universa fidei rivulos accepit. Edixit etiam, ut Clericorum nemo ex quavis Galliarum Provincia, Romam absque Arelatensis Episcopi literis proficisceretur. Epist. 5. *ad universos Episcopos per Gallias & septem Provincias constitutos* data. Quam Epistolam Zosimo temerè abjudicavit Joannes Launoius: cujus objectiunculis respondimus Dissertat. 15. in Histor. Eccl. Sæculi I. Quas etiam validè exsufflavit Vir Doctissimus P. Quenellius in Dissert. Apologet. pro S. Hilario Arelatensi, cap. 6. Proculum Massiliensem, & Hilarium Narbonensem, Ordinationes Episcoporum absque Episcopi Arelatensis assensu sibi vindicantes compressit, Epistolis 6. 7. 8. & 9. Sed certior factus de Synodi Taurinensis Decreto, quo lis Viennensem inter & Arelatensem Episcopum, de Ordinationum jure, composita fuerat, suam adversùs Viennensem Ecclesiam sententiam revocavit, ac Synodi illius statutum confirmavit, scilicet ut uterque Episcopus viciniores sibi intra Provinciam civitates vendicaret; donec caussa

pleniùs ab Apostolica Sede discussa fuisset. Id constat ex Epistola ipsius ad Simplicium Viennensem Archiepiscopum, quam edidit Baronius in Appendice ad Tom. V. Annalium.

Zosimo tribuit liber Pontificalis, quòd licentiam benedicendi per singulas Parochias Cerei Paschalis concesserit. Quod non ita intelligendum monet Cardinalis Historicus, quasi Cerei Paschalis usum primus instituerit, quem antiquiorem esse ex Prudentio discimus: sed quòd antea in majoribus dumtaxat Basilicis benediceretur & accenderetur.

Constituisse etiam dicitur Zosimus, eodem in libro, ut Diaconi lævas tectas haberent de palla linostima; ubi fortè legendum, linostema, id est, ex lino & lana contexta: quæ, ut ait Isidorus *lib. 19. Originum cap. 22.* dicta est linostima, quia in stamine linum, in trama lanam habet. Nomine autem hujus pallæ intelligenda est Stola Diaconalis, quam Diaconi in humero sinistro deferunt, ad differentiam Sacerdotalis, à collo ante pectus pendentis. Sed Concilii Laodiceni tempore jam invaluerat stolæ usus, eaque Diaconi utebantur in sacris Ministeriis, ut colligitur ex cap. 22. & 23. quibus Subdiaconis & Lectoribus prohibetur, ne Orariis utantur. Obiit Zosimus die 26. Decembris anno 418. cùm annum unum, menses novem, & dies octo Pontificatûs numerasset.

ARTICULUS III.

De Bonifacio I.

Post obitum Zosimi, Eulalius Pontificiam Sedem, & Lateranensem Basilicam invasit: Bonifacius Presbyter canonicè à majori Clericorum parte Pontifex electus est. Eulalio favit impensè Symmachus, Urbis Præfectus, Honoriúmque Imperatorem falsis Relationibus decepit, quas describit Cardinalis Historicus ad annum 418. & 419. sed supplici Romani Cleri libello, de Bonifacii legitima electione certior factus Honorius, utramque partem, Ravennam, ad se vocavit, Synodum indixit Episcoporum, qui neutri suffragati fuissent, quæ de electione judicaret: Achilleum Spoletinum Episcopum, qui Pontificis vices in Sacris gereret Paschatis tempore, Romam direxit. Africanos Episcopos ad Synodum Spoletinam invitavit Honorius. Privatæ Epistolæ ad S. Augustinum & sex alios Episcopos, & ad Aurelium datæ, non sunt Honorii, ut Baronius putavit. In una quippe hæc leguntur: *Sed quamvis Sacra Domini germani mei Augusti Principis ad Italiæ Synodum evocans auctoritas non negligenda proveniret, sociandu specialiter etiam Serenitatis nostræ scripta judicamus.* Ait Baronius, Honorium, per germanum suum, Constantium intelligere, cui, ob res præclarè gestas adversùs Tyrannos, sororem suam Gallam Placidiam dedit uxorem. At lapsus est Annalium Parens. Anno enim 419. quo illa data est Epistola, Constantius nondum erat ab Honorio in consortium Imperii adscitus, & Augusti nomine exornatus. Scriptæ sunt itaque hæ Epistolæ ab ipsa Placidia Honorii sorore, atque uxore Constantii Comitis & Patricii, quæ *Germanum suum Augustum Principem* appellat, id est, Honorium Imperatorem fratrem suum, cujus erat, oborto schismate, Episcopos ad Synodum vocare, ut Ecclesiæ & Reipublicæ paci consuleretur; non verò Constantii privati adhuc Viri.

Cardinalis Baronius emendatur.

Interim dum Synodus pararetur, Eulalio pariter ac Bonifacio prohibitum est, ne Urbem ingrederentur, ad vitandos tumultus, quos ipsorum præsentia excitasset. Regis mandatis non paruit Eulalius. Urbem namque ingressus, seditioni faces subministravit. Quam ob causam Honorii Edicto Symmacho V. P. suggerente, pulsus Eulalius, & Romam Bonifacius revocatus est, ipsique confirmata Sedes Pontificia, quam legitimâ electione adeptus fuerat, & singulari moderatione fuerat prometitus. Ista patent ex Symmachi Relationibus, & Honorii Rescriptis. Statim atque sedit pacificè Bonifacius, egit apud Honorium, ut Ecclesiæ paci in futurum prospiceret, ne Schismate novo, post suum obitum, concideretur. Sanctissimi Pontificis votis annuit religiosus Imperator: edixitque, si duo per ambitum electi fuissent, nullum ex his fore Pontificem: *Sed illum solum in Sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum, novâ ordinatione, divinum judicium, & universitatis consensus elegisset.*

Schisma ob damnatam à Zosimo Pelagii ac Cœlestii Hæresim, ab ultionum Deo permissum, effutiebant Pelagiani; quam S. Augustinus refellit calumniam lib. 6. contra Julianum, cap. 12. prolato exemplo Schismatis Damasum inter & Ursicinum oborti, cùm nondum Pelagiana Hæresis erupisset. Pelagianos adversùs Bonifacium Romæ stetisse, scripsit Baronius. Nec mirum, cùm ipsum Hæresi suæ infensissimum, & Fidei propugnatorem acerrimum nossent. De quo S. Prosper in libro adversùs Collatorem scribit: *Sanctæ memoriæ Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non solum Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur Edictis. Et quamvis idem, cùm esset doctissimus, adversùs libros Pelagianorum Beati Augustini Episcopi responsa poscebat.*

Narbonensis Ecclesiæ jura, à Zosimo imminuta, restituit Bonifacius, & Patroclum Arelatensem, qui Lutubensi * Ecclesiæ, ad Narbonensem Provinciam spectanti, Episcopum ordinaverat, coërcuit, Nicænorum Canonum executionem imperans, quibus statutum erat, ut singulis Provinciis proprius Metropolitanus præesset. (Ex Epist. 3. Bonifacii I. ad Hilarium Narbonensem.) Lodev.

Maximum Valentinæ civitatis Episcopum, illius Ecclesiæ Clerici, variorum criminum, & Manichææ præsertim Hæreseos reum ad Bonifacium I. detulerunt, ad quem majores caussas ex Ecclesiæ disciplina referendas noverant. Major autem caussa erat, ubi de violata Fide agebatur. Pontifex hujus negotii cognitionem septem Provinciarum Episcopis demandavit: *Decrevimus*, inquit, *vestrum debere intra Provinciam esse judicium, & congregari Synodum ante diem Kalendarum Novembrium, &c.* (Epist. 2. ad Episcopos Galliæ.) Ex quibus perspicuum est, jam tunc Gallicanorum Episcoporum caussas, in partibus judicatas fuisse, & à Synodis Gallicanis, jure tamen Relationis ad Sedem Apostolicam servato; ad quam ab ipsis Conciliis Nationalibus poterat appellari. Obiit Bonifacius anno 423. Pontificatûs sui 5. 25. Octobris.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 23. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem velut meam notant: *Ad Papam causæ majores non pertinent jure judicis, sed Relationis.*

R. Hæc propositio non est mea. *Gallicanorum Episcoporum causas Zosimi temporibus jam tunc in partibus judicatas fuisse scripsi, & à Synodis Gallicanis; jure tamen Relationis ad Sedem Apostolicam servato, ad quam ab ipsis Conciliis Nationalibus poterat appellari.* Potestatem summam judicandi causas majores in Romano Pontifice agnosco, causas Fidei, & dubiæ Disciplinæ, causas & quæstiones difficiles. Agnosco in Christi Vicario potestatem judicandi causas Episcoporum ad Apostolicam Sedem per Appellationem delatas, secundùm Canones Sardicenses, & Ecclesiæ Disciplinam: sed primam hujusmodi causarum cognitionem ad Synodos Provinciales aut Nationales pertinere, & in partibus institui debere ac ferri judicium, non mea tantùm, sed Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia est. Inter Articulos scilicet Facultatis Theologicæ Parisiensis anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio editos quartus est: *Eam non probare, nec probasse unquam propositiones ullas Christianissimi Regis Auctoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ*

licana Libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: verbi gratiâ, quòd Summus Pontifex deponere possit Episcopos adversùs eosdem Canones. Quos Articulos *Ludovicus Magnus* Rex Christianissimus Edicto solemni inscribi jussit in Curiis omnibus Supremis Regni & Parlamentis.

ARTICULUS IV.

De Celestino I.

BOnifacio pacifica electione subrogatus fuit Celestinus, Prisci Romani Civis filius. Sub ejus Pontificatu emersit Nestorii Hæresis, cujus ad damnationem Cyrillo Alexandrino vices suas demandavit, quas etiam gessit in Synodo Ephesina Oecumenica: in quâ Celestini Epistola maximâ reverentiâ excepta est, ejusque, velut gravissimi præjudicii, in sententiâ adversùs Nestorium latâ, est habita ratio. Pelagianos etiam damnavit, & Massilienses Semipelagianos, post S. Augustini obitum Catholicis de Prædestinatione & Gratia dogmatibus, simul & S. Doctoris nomini obstrepentes compressit, quem debitis exornavit laudibus. (*Epistola 1. ad Episcopos Galliæ*)

Statuit morientibus denegandam non esse Pœnitentiam. Decrevit ut unaquæque Provincia suo contenta esset Metropolitano, Bonifacii Constitutum circa Narbonensem & Arelatensem Ecclesiam confirmans. Nullum invitis Episcopum dari, & absque Cleri, plebisque consensu consecrari. Vacantis Ecclesiæ Clericos, extraneis, in sacris electionibus, anteponi. Nullum ex Laïcis, nullum digamum, nullum viduæ maritum, ordinari præcepit, factasque hujusmodi personarum Ordinationes, illegitimas pronuntiavit. Massiliensis Episcopi, qui unius è suis Coëpiscopis interfectori gratulatus fuisse dicebatur, caussam Gallicanis Episcopis, quod juris erat, delegavit judicandam, Epistola 2. ad Episcopos Provinciæ Vinnensis, & Narbonensis. Præclaræ sunt Celestini I. regulæ Epist. 3. ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ datæ: *Nulli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare; nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Docendus est populus, non sequendus.*

Novatianis Ecclesias, quas Romæ habebant, ademit Celestinus I. & Rusticulam eorum Episcopum clam in privatis ædibus plebem colligere compulit, teste Socrate lib. 7. cap. 11. qui propterea Romanos Episcopos carpit Novatianarum partium Scriptor, & Episcopatum Romanum, perinde atque Alexandrinum, ultra Sacerdotii fines progressum, jam olim in dominationem degenerasse, falsissimè scribit. Obiit Celestinus I. anno Christi 432. v. Idus Aprilis, Pontificatûs sui 9.

ARTICULUS V.

De Sixto III.

CElestino I. successit illustris Romanæ Ecclesiæ Presbyter Sixtus, qui ante annos 14. sub Zosimo primus in Pelagianos anathema pronuntiaverat, ad quem S. Augustinus Epistolam 105. scripsit adversùs ipsorum errores. Sub ejus Pontificatu, anno Christi 433. pax Cyrillum Alexandrinum inter & Joannem Antiochenum, ac Orientales Episcopos inita est: de quâ & de Nestorii damnatione, Pontifex gratulatorias ad ipsos Epistolas dedit. Eodem anno vertente, ab Anicio Basso Exconsule, turpi calumnia exagitatus dicitur Sixtus, quòd scilicet stupro se polluisset: congregatumque fertur ab ipso Concilium, in quo se purgaverit, Clero, Senatu, Imperatore præsentibus. Quæ circumferuntur hujus Synodi Acta, styli squallore & barbarie, falsa consignatione Consulum, aliisque immanibus anachronismis, suppositionem suam satis produnt. Probus & Marinianus damnati in illa Synodo dicuntur, Valentiniano & Anatolio Coss. VI. Kal. Septemb. id est anno Christi 440. cùm Sixtus, V. Kal. Aprilis ejusdem anni, obiisset. Nec majus isti Historiæ robur accedit ex Epistola Sixti ad Orientales Episcopos, quam pariter supposititiam esse, & meram farraginem, ex sententiis Concilii Toletani VIII. Felicis III. Gregorii M. Adriani I. Codicum Theodosiani & Justinianæi, Aniani Interpretis, & Sixti Pythagoræi, constat ex ipsius hisce cum monumentis collatione. Magna pars istius Epistolæ ex III. Pseudo-Fabiani consuta est. Falsa etiam nota Consulatus. Florentius enim cum Valentiniano nullus Consul. Immanis est & styli à veris Sixti III. Epistolis, quarum una ad Cyrillum, altera ad Joannem Antiochenum data legitur, dissimilitudo. Quamobrem cùm nullum præterea sit aliud monumentum, quo hæcce Historia de Sixti III. accusatione & purgatione asseratur, nisi libri Pontificalis auctoritas, quæ magni non est ponderis, hanc valdè suspectam habeo.

Historia de accusatione & purgatione Sixti III. Synodus hac in causa habita, & ipsius Sixti Epistola ad Orientales, suppositæ sunt.

Acta *de Synodali accusatione & expurgatione Polychronii Episcopi Hierosolymitani*; quæ Romæ habita dicuntur sub Pontificatu Sixti III. pseudepigrapha sunt; quamvis à Nicolao I. in Epistola ad Michaëlem Imperatorem, & à B. Petro Damiani in Epist. ad Henricum Ravennatem laudentur. Falsa enim Consulatus nota. Nullus tunc temporis in Sede Hierosolymitana Polychronius Episcopus, sed Juvenalis. Obsessio Hierosolymorum hâc tempestate, mera fabula.

Acta de Sy[illegible] Polychronii Episcopi Hierosolymitani, pseudepigrapha.

Julianum Pelagianum, qui ad Eclanensem Episcopatum, ex quo fuerat olim dejectus, & in Romanæ Ecclesiæ communionem, simulatâ Pœnitentiâ irrepere tentabat, rejecit Sixtus, ut testatur Prosper in *Chronico* ad Consulatum Theodosii XVII. & Festi.

Basilicam S. Mariæ Majoris restauravit, exornavitque. Obiit sanctissimus Pontifex anno Christi 440. V. Kalendas Aprilis: quâ die celebris in Martyrologiis ejus recolitur memoria. Quæ sub ejus nomine circumferuntur Opuscula, nempe liber *De divitiis*, alter *De castitate*, & Epistola *De malis Doctoribus*, ipsi ab eruditis abjudicantur, & viri alicujus Pelagiani fœtus agnoscuntur. Annum, cùm ad superos abiit, numerabat Pontificatus octavum. Hunc laudat S. Leo Serm. 82. in Natali VII. Fratrum Machabæorum. *Magnificus structor parietum*, inquit, *sed magnificentior ædificator animarum, ultra avi sui terminos opera pietatis extendens: ut utilitatibus institutionum ejus, etiam in ipso frueretur devota posteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit.*

Opuscula Sixti III. supposita.

Ejus elogium.

ARTICULUS VI.

De S. Leone Magno.

SAncto Sixto in Sede Pontificia successit Leo, patriâ Romanus, Ecclesiæque Romanæ Archidiaconus, qui & Celestino, & ipsi Sixto primarius fuerat in Ecclesiæ rebus Administer. Româ aberat, cùm renuntiatus est Pontifex, ut Aëtium, Albinumque Romani exercitus Duces in Gallis dissidentes reconciliaret. Statim atque in Pontificali specula positus est, plebem sibi commissam, non vitæ solùm exemplo excitare, sed proprii etiam oris officio erudire est aggressus. Quod tamen primus è Romanis Episcopis non præstitit. Sermonem enim Liberii Papæ describit S. Ambrosius lib. 3. *De Virginibus*, habitumque esse tradit in Basilica S. Petri, die Natalis Dominici, ad ipsius Ambrosii sororem Marcellinam, quæ tunc virginitatem cum aliis nonnullis profitebatur. Adeóque falsum est quod scribit Sozomenus lib. 7. cap. 19. *In eadem urbe*

(Roma)

(Roma) *nec Episcopus, nec alius quisquam, in Ecclesia populum docet.*

Manichæos insectatus est S. Leo, habitóque Romæ Conventu, anno 443. multa eorum flagitia palam facta sunt, sacrilegæque religionis ritus, Episcopi, Sacerdotes, loca in quibus vetitos cœtus agebant, detecta. Multi hortatu S. Leonis ejuratâ hæresi, pœnitentiæ legibus subjecti sunt. Alii Principum Edictis in exilium deturbati. Epistolam etiam scripsit ad Episcopos Italiæ contra Manichæos, anno 444. quæ & per Provincias ad omnes Episcopos missa est. VIII. legitur in editione P. Quenellii. Adversùs Pelagianos decertavit, maximéque adversùs eorum hoc tempore principem Julianum, ut testatur Author libri *De Promissionibus & Prædictionibus Dei*, cap. ultimo. Cujus etiam rei testis est
Epist. 7. Epistola * S. Leonis ad Septimum Altini Episcopum. Rescripsit etiam contra Pelagianos ad Aquileiensem
Epist. 6. Metropolitanum *, eumque monuit ut Synodum Provincialem contra reviviscentem hæresim cogeret, neminemque ex Pelagianis admitteret in Ecclesiam, nisi priùs hæresim solemni subscriptione damnasset. Lege Photium in *Biblioth. Cod.* 54. Priscillianistarum Sectam in Hispania grassantem contrivit, datâ ad Turribium Asturicensem Episcopum Epistola, quæ in editione Quenellii XV. est.

Gravius fuit S. Leoni adversùs hæresim Eutychianam bellum, atque diuturnius. Asserta fuerat à Dioscoro & ejus partiariis in prædatoria Synodo Ephesina: cujus Acta S. Leo reprobavit: Flavianique, & Theodoreti, iniquè depositorum suscepit appellationem. Concilio Chalcedonensi præfuit per Legatos, in eóque summo Patrum consensu recepta est celeberrima ipsius ad Flavianum Epistola contra impiam hæresim, velut oraculum S. Petri per Leonem loquentis. Anatolii ambitui restitit, Nicænorum Canonum se professus executorem, quorum connivere violationi, summum arbitratus est nefas. Collapsam variis in locis restituit disciplinam. Datâ ad Episcopos Campaniæ, Piceni, & Tusciæ Epistola, anno 443. servos fieri vetuit Sacerdotes, aliósque promoveri, nisi qui & natalium, & morum nobilitate vigerent; nec non viduarum maritos, & digamos. Jussit demum animadverti in Clericos qui usuras exercerent. (Epist. 3.)

Cùm Dorus Beneventanus Episcopus recèns ordinato Presbytero locum superiorem iis, qui antiquitate meritisque præstabant, tribuisset; ipsum Episcopum vehementer increpuit S. Leo, arguitque prævaricationis, juvenem superbiæ, Presbyteros qui ipsi jure & loco sponte cesserant, ut Episcopo placerent, projectæ adulationis. Jussitque ut in eo quisque ordine & loco permaneret, quem ipsi Ordinationis suæ tempus adscripserat; exceptis eis qui deformi & ignavâ subjectione jure suo cesserant, quos inter omnes Presbyteros Ecclesiæ ultimos sedere jubet. Quibus & se pro Sedis Apostolicæ pietate parcere significat, quia privari Sacerdotio merentur. (Epist. 17.)

A variis consultus Episcopis, Decretales ad eorum consulta rescripsit Epistolas, sapientiâ, eruditione, & studio in disciplinam Ecclesiasticam conspicuas. Consuluit ipsum Rusticus Episcopus Narbonensis circa Sacramenta Baptismi, Ordinis, Pœnitentiæ, & Matrimonii, Clericorum continentiam, Virginum consecrationem, & alia hujusmodi ad mores & regimen Ecclesiæ pertinentia. Ad XIX. Inquisitionum ejus capita Responsa dedit, ex quibus discimus, baptizandos absque conditione parvulos, de quibus nescitur an sint baptizati: *Quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.* Eos qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, & cùm revaluerint, agere eam nolunt, deserendos non esse: *Quia nemo desperandus est dum in hoc corpore constitutus est. Nonnunquam enim, quod diffidentiâ ætatis differtur, consilio maturiore perficitur.*

Epistolæ S. Leonis ad Rusticum Narbonensem Episcopum Synopsis.

Pœnitentes in foro litigare posse: *Quia aliud est debita justè reposcere, aliud propria, perfectionis amore, contemnere.* Meliùs tamen facturos, si Ecclesiasticum præ forensi judicio expetant. *Utilius esse pœnitenti dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi: quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium, non intervenire peccatum. Puellas quæ, non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio, Virginitatis propositum atque habitum susceperunt, prævaricari; si nuptias eligant: etiamsi consecratio non accesserit.* (Epist. 21.)

Consultus etiam est à Theodoro Forojuliensi * in Galliis Episcopo, de Pœnitentiæ disciplina. Cui respondit: Indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum non posse obtineri. Peccatoribus per Pœnitentiæ actiones eluenda esse delicta, ut deinde ad Communionem admittantur. Iis verò, quos instans periculum, aut morbi vis premit, non denegandam reconciliationem, si petierint, aut petiisse antea, circumstantium Fidelium testimonio, comprobentur. Consultus etiam est à Niceta Aquileiensi, & à Neona Ravennate Episcopis, circa quædam capita Quæstionum, quas Attilana vastitas Italicis regionibus illata pepererat. Quibus respondit Epistolis 129. & 135. Mulieres quædam viris in captivitatem abductis, eos aut morte absumptos, aut in posterum à reditu prohibendos ratæ, viduitatis impatientes, aliis viris nupserant. Viris inopinatò reversis, pro thalamis certabatur, dubitabaturque uter potior maritus esset. Respondit S. Leo Nicetæ Aquileiensi, juxta Christi sententiam, *Quod Deus conjunxit, homo non separet, legitimarum fœdera nuptiarum esse redintegranda, omnique studio procurandum, ut recipiat unusquisque quod proprium est. Omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit.* Mulieres, quæ ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut ad priores redire noluerint, esse Communione privandas.

De Prius. Ejusdem Epistolæ Decretales ad Theodorum Forojuliensem, ad Nicetam Aquileiensem, & ad Neonem Ravennatem Episcopos.

Inter Sanctos Leonem, Hilariumque Arelatensem orta contentio est, anno 445. cui caussam dedit Celidonii Episcopi depositio ab Hilario facta, ejusdemque restitutio in Sedem à S. Leone. Hâc de contentione dicemus inferiùs, cùm de Synodo Romana in caussa Hilarii Arelatensis sermo erit. Iratus Hilario S. Leo, quòd judicio Romanæ Synodi non stetisset, Arelatensem Ecclesiam suis exuit privilegiis, juràque Metropolis in Viennensem transtulit; sed mortuo Hilario, extinctam cum ipso iram Pontificis rati Episcopi Provinciæ Arelatensis, libellum supplicem pro Ravennio ejus successore ad ipsum miserunt, restituique suo Metropolitano jura suæ Ecclesiæ poposcerunt. Prudenter litem composuit S. Leo, Viennensi Metropoli quatuor Ecclesias attribuens, Valentiam, Tarentasiam, Genevam, & Gratianopolim; reliquas Arelatensi subjecit Ecclesiæ, cui reddita quodammodo sua jura, nec tamen Viennensis Ecclesia omni honore privata est. Hanc autem suæ ordinationis adducit rationem S. Leo, quòd auditis allegationibus utriusque partis Clericorum, Viennensem & Arelatensem civitates ita semper intra eamdem Provinciam claras fuisse repererit, *Ut quarumdam caussarum alterna ratione, nunc illa in Ecclesiasticis privilegiis, nunc ista præcesserit; cum tamen eisdem commune jus quondam fuisse à Gentibus proderetur.*

Orta inter SS. Leonem & Hilarium Arelatensem Episcopum contentio.

Non Ecclesiæ solùm, sed Reipublicæ saluti prospexit S. Leo. Cùm enim Attila Romæ immineret, S. Pontifex à Valentiniano rogatùs, ad ipsum perrexit, verbis demulsit ferocem animum, iram fregit eloquentiâ, pacem recipere persuasit, & discedere ex Italia compulit, ut Prosper in Chronico testatur,

&

& Jornandes de rebus Geticis cap. 42. Genserico Regi Vuandalorum Urbem improvisò aggredienti, ingredientique occurrit, ipsumque pluribus allocutus, obtinuit ut igne & ferro, quo civitatem delere parabat, abstineret, solâ direptione contentus. Tres præterea primarias Basilicas à direptione defendit S. Pontifex. Nam cùm resarciendis damnis, post cladem, animum adjiceret, argentea & magni ponderis vasa olim tribus Basilicis, Constantinianæ, S. Petri, & S. Pauli, à Constantino data, conflari jussit, & per Titulos Urbis distribui, ut habet liber Pontificum. Qui & complures Basilicas ejus pietate & sollicitudine ædificatas, instauratásque memorat.

Tempus obitus S. Leonis. Diem clausit extremum S. Leo tertio Kalendas Novembris, anno Christi 461. Pontificatûs sui 21. Id contra vulgarem opinionem probat invictissimè P. Quenellius ex Hilari electione, qui Leoni subrogatus est mense Novembri istius anni, ut colligitur ex Concilio Romano anno Christi 465. celebrato, die 15. Kal. Novemb. ab Episcopis in anniversaria Assumptionis ipsius festivitate congregatis, ut scribit ille ad Ascanium. Præterea, in veteri Kalendario, quod ex Cod. MS. Corbeiensi in lucem edidit D. Lucas Dacherius Tomo decimo sui Spicilegii, quodque anno 826. exaratum gravibus conjecturis ductus existimat, ita legimus: III. Kalend. (Novembris) *Depositio Sancti Leonis Papæ.* Nullum autem Leonem alium eo tempore mortuum legimus, nec fas est de alio Leone, quàm de Primo interpretari, quæcunque sine addito dicuntur de aliquo Leone Pontifice in Tabulis Ecclesiasticis. Hanc Epocham confirmat, quòd cùm dubitare non possimus quin mense Novembri successor S. Leoni datus sit, nec probabile sit per pacatissima illa Ecclesiæ Romanæ tempora diu post mortem Pontificis dilatam fuisse electionem Successoris: penè certum eo ipso apparet, intra mensem Octobrem coercendam esse S. Leonis mortem (inquit P. Quenellius) cujus Dissertationem *de Vita & rebus gestis S. Leonis Magni*, legat qui de tanto Pontifice plura nosse cupiet.

ARTICULUS VII.

De Hilaro.

S. Leoni Successor datus est Hilarus, ejus quondam ad Synodum Ephesinam II. quæ Dioscori Tyrannide prædatoria evasit, Legatus; anno Christi 461. 2. Idus Novembris, ut scribit Marianus Scotus. Curam Apostolicam variis, quæ Gallicanos Episcopos inter emerserant, controversiis componendis impendit. Auxanius Aquensium Episcopus, & secundæ Narbonensis Metropolita, jus Metropoliticum in Provinciam Alpium Maritimarum ab Hilaro per obreptionem impetraverat, quod in suæ dignitatis imminutionem factum Ingenuus Ebredunensis Episcopus, *Alpium Maritimarum Provinciæ Metropolitani semper honore subnixus*, apud Sedem Apostolicam conquestus est. Caussæ cognitionem Leontio, Verano, & Victuro, Gallicanis Episcopis Pontifex demandavit. Statuitque interim ut Cemelenensis civitas, * & Niceense * Castellum uni Episcopo subessent, juxta Decessoris sui Decretum, misso in irritum Auxanii facto, qui in istarum civitatum altera Episcopum ordinaverat: decernensque ut Metropolitani quique finibus suis contenti essent: nulláque ratio haberetur illorum quæ ab Apostolica Sede contra Canones per obreptionem essent impetrata, *Nam licet*, inquit, *& hoc etiam quod à nobis est elicitum, censeatur infirmum, quia & ipsum insinuatum est exequi noluisse qui meruit; tamen ne odio vel gratiâ moveamur, quæ in caussarum disceptationibus esse non debet; ita vestra Caritati cognitionem adnexa querimonia delegamus, ut nihil adversùm venerandos Canones, nihil contra sancta memoria Decessoris mei judicium valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda, confundi: nec in alterius Provincia Sacerdotes, alterum jus habere permittimus: quia per hoc non minùs in sanctarum Traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur; cujus expectatio fructus nostri Ministerii, non in latitudine regionum, sed in acquisitione penitur animarum. Habeat itaque Pontificium Frater & Coepiscopus noster Ingenuus Provincia sua, de cujus dudum ab Apostolica Sede est illicitâ cessione culpatus*, &c. (Epist. 4.)

Cemelium, Nicæ.

Hilarus Papa nullam rationem haberi vult eorum quæ ab Apostolica Sede per obreptionem contra Canones impetrantur.

Hermis Episcopi Gallicani, qui Biterensibus * *Beziers.* Ordinatus Antistes, nec ab iis susceptus, in Ecclesiæ Narbonensis Episcopatum irrepserat, ambitum temerarium severâ animadversione castigavit Hilarus. Ipsum enim ita permisit Narbonensi Ecclesiæ præsidere, ut nullas Ordinationes celebrare posset in Provincia Narbonensi, earum celebrandarum jure ad Constantium Uceticæ * Ecclesiæ Episcopum *Uzès.* translato, & post mortem Constantii, ad antiquiorem Provinciæ Antistitem, donec Hermes obiisset. Post ejus enim obitum, Narbonensi Ecclesiæ jus Ordinationum restitui decrevit. Restaurandæ verò Disciplinæ cùm medium convenientius nullum intelligeret, quàm frequentium Conciliorum celebrationem, ea per annos singulos in Ecclesia Gallicana, ex quibus possent Provinciis congregari præcepit, hancque sollicitudinem demandavit Leontio Arelatensi Episcopo: ita tamen ut *In dirimendis gravioribus caussis, & quæ illic non possent terminari, Apostolicæ Sedis sententia consuleretur.* Vetuit etiam ne, absque Metropolitani literis, quisquam extra Provinciam discederet; quasi, propter simultatem, non posset impetrare, Arelatensis Episcopus cum duobus aliis Metropolitanis, repulsæ caussas expenderet. Ad Gallicanos denique Episcopos querelam Leontii Arelatensis Episcopi audiendam judicandamque remisit, quâ suæ Diœceseos Parochias quasdam ab Hilario Decessore suo in alios translatas, Ecclesiæ suæ restitui à Pontifice petierat. Hæc constant ex Epistola 8. Hilari data ad Episcopos Provinciarum Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis I. & II. & Alpium Penninarum, anno Christi 463. III. Nonas Decembris.

Per id tempus accidit, ut Mamertus Viennensis Episcopus Diensi * Ecclesiæ, quæ ad Arelatensis Episcopi Diœcesim pertinebat Episcopum ordinaret. *Dies.* Tam grave vulnus Canonibus illatum ut accepit Hilarus, Gallicanorum Episcoporum Synodo, quæ hujus caussæ examen susceperat, referente, Mamertum à Verano Venciensi * Episcopo moneri jussit, *De Vences.* ut ab Ordinationibus indebitis sub honoris sui privilegiorum periculo in posterum abstineret. Eum verò qui Diensibus fuerat à Mamerto Episcopus ordinatus, Leontii Arelatensis, à quo rite consecrari debuerat, arbitrio, præcepit confirmari. Hoc in Decreto Hilari videre est ardentissimum ejus studium vigilantiamque singularem in procurandâ per totam Ecclesiam, & maximè per Diœceses Patriarchatus suo subditas, Canonum executione, ac eorundem transgressione vindicanda. II. Eximia ejus prudentia suspicienda est ac lenitas, cujus rationem reddit his verbis: *Verùm ad Ecclesiarum quietem tanta transgressionis vulnera, memores Apostolicæ sapientia, curari volumus antè fomentis, ut corporis nostri membrum fortè sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta revocetur, nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Pravia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexploratò, vel quod facilè prodesse possit, offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc Medicinæ*

Hilari Apostolica moderatio & prudentia.

Præclara pro sacro Regimine Regula.

ipsius & modus est quærendus, & qualitas; ut omnis per sapientiam facta in vitiis reprimendis sollicitudo, curantis gaudeat reparatione quod salvat, nec careat moderatione quod rejicat. (Ex Hilaro Epist. 11.) III. Mamertum, virum alioqui sanctissimum, humani aliquid passum esse, & peccasse revera contra Canones, & contra S. Leonis Constituta, qui quatuor duntaxat civitates Viennensi Metropolitæ addixerat, cæteras verò, è quibus erat Diensis, restituerat Arelatensi.

Reformandis etiam abusibus, qui in Ecclesiis Hispaniarum irrepserant, navavit operam Hilarus Papa, illicitas & præter Canones factas Episcoporum Ordinationes improbans ac rescindens, præcipiensque ut Irenæus, quem Nundinarius Barcinonensis Episcopus successorem sibi designaverat, consentientibus Provinciæ Tarraconensis Episcopis, ab ea removeretur Ecclesia, aliusque ex Barcinonensis Ecclesiæ Clero eligeretur ac ordinaretur Antistes. Hujusmodi namque resignationes Episcopatuum, vel Successorum designationes, pessimi esse exempli noverat Pontifex oculatissimus, & *in injuriam Dei* redundare, *à quo specialiter Sacerdotalium est gratia dignitatum.* Unde quamvis Provinciæ Episcopi, & Ascanius Metropolitanus Irenæo suffragarentur, ipsumque Optimates & plebs postulassent, meritisque & morum integritate insignis esset: (ut constat ex Epistola II. Hispanorum Episcoporum ad Hilarum:) nihilominus eum ab Ecclesiæ Barcinonensis regimine excludi voluit: *Ne* (inquit) *Episcopalis honor hereditarium jus putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate confertur.* Id autem ex Romanæ Synodi Sententia rescripsit Hilarus Epistola 2. ad Ascanium.

Silvanus Calaguræ in eadem Provincia Tarraconensi Episcopus, Presbyterum alienum proprio Episcopo superordinaverat, id est, eo vivente consecraverat in eadem Ecclesia. Factum insolens ad Sedem Apostolicam detulerunt Hispani Antistites, quod Calaguræ & vicinarum civitatum Optimates apud Romanum Pontificem excusarunt. Violatorum Canonum veniam Silvano concessit Hilarus, ut & aliis Episcopis de ipso conquestis, quoniam nonnulli Episcopos absque Metropolitani consensu quibusdam civitatibus ordinaverant, *Quoniam*, inquit, *quicquid ab alterutra parte est indicatum, omni videmus perversitate confusum, temporum necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod gestum est, ut nihil deinceps contra præceptum B. Apostoli nihil contra Nicænorum Canonum constitutum tentetur.* (Epist. 11. Hilari ad Ascanium, cap. 1.)

Hispanorum Episcoporum de Romani Pontificis primatu præclara sententia, & in Sedem Apostolicam observantia.

Hispanorum Episcoporum observantia erga Sedem Apostolicam quàm religiosa fuerit, hæc eorum ad Hilarum scripta demonstrant: *Et si extaret necessitas Ecclesiastica disciplinæ, expetendum revera nobis fuerat illud Privilegium Sedis vestræ, quo susceptis regni clavibus post Resurrectionem Salvatoris, per totum orbem Beatissimi Petri singularis prædicatio universorum illuminationi prospexit; cujus Vicarii principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus.*

Sedis Apostolicæ Principatus metuendus omnibus & amandus.

Proinde Deum in vobis penitus adorantes, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsum quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Ideò autem Silvani caussam ad Romanum Pontificem detulerunt, quia Schismatis caussa erat, & Pontificii Primatus præcipua pars est, Ecclesiæ unitatem sartam tectam servare. *Proinde*, inquiunt, *Quia his præsumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ Schisma faciunt, velociter debet occurri: quæsumus Sedem vestram, ut quid super hac parte observare velitis, Apostolicis affatibus instruamur.*

Anthemio Imperatori, Hæreticorum Sectis Conventiculorum libertatem concedere volenti, Apostolicâ restitit constantiâ Hilarus, eumque compulit, ut in Basilica S. Petri, interposito juramento, id se nequaquam facturum polliceretur. (Ex Gelasii Papæ Epistola ad Dardaniæ Episcopos.)

Obiit Hilarus anno Christi 467. Pontificatus sui anno 7. quarto Idus Septembris. Quâ die ejus memoria Ecclesiæ Fastis adscripta est.

ARTICULUS VIII.

De Simplicio.

Hilaro successit Simplicius, Tiburtinus: qui Orientalibus Ecclesiis, quibus Hæretici Pseudoepiscopi per hæc tempora incubabant, auctoritate Apostolica succurrit. Timotheum Ælurum, & Petrum Moggum, Alexandrinam infestantes Ecclesiam, & Petrum Fullonem Antiochenæ Sedis invasorem, damnavit, plurimisque Epistolis Acacii vigilantiam, & Zenonis Imperatoris religionem, ad illarum Ecclesiarum liberationem, ad expulsionem hæreticorum, ad Catholicorum Antistitum patrocinium excitavit: sed irrito conatu: quia uterque Hæreticis Pseudoëpiscopis favit, Sanctissimi Pontificis admonitionibus insuperhabitis. Dispensationem concessit, seu veniam infractorum Canonum, in Ordinatione Antiocheni Episcopi Stephani Junioris, qui contra tenorem Nicænorum Canonum, & antiquos mores, Constantinopoli fuerat ordinatus, cùm Antiochiæ, ab Orientalis Diœceseos Synodo ordinari debuisset. Eam autem dispensationem concessit Pontifex, rogante Zenone Imperatore, eâ lege, ut usurpata ab Acacio Antiocheni Consecratio Antistitis, non traheretur in exemplum, & Canones in posterum servarentur, quòd effecturum se juravit Zeno Augustus. (Ex Epist. 14. Simplicii.)

Obiit Simplicius anno Christi 483. Pontificatûs sui 16. mense Martio ineunte.

Rogationum institutio seu instauratio à S. Mamerto.

Sub ejus Pontificatu institutæ sunt, vel potius instauratæ, & in religiosiorem observantiam restitutæ à S. Mamerco, sive Mamerto, Rogationes triduanæ ante Ascensionem, anno 474. quas Arverni primùm, subinde universæ Galliarum Ecclesiæ ritu solemni frequentarunt, postea tandem Ecclesia suscepit universa. De his legenda Alcimi Aviti Viennensis Episcopi Homilia, Gregorius Turonensis lib. 2. Historiæ Francorum & ante hos Sidonius Apollinaris Mamerco familiaris lib. 7. Epist. 1. his verbis ad eum scribens. *Rumor est Gethos in Romanum solum castra movisse. Huic semper irruptioni nos miseri Arverni janua sumus.... Sed animositati nostra non nos aut ambustam murorum faciem, aut putrem sudium cratem, aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulatura: solo tamen invectarum te auctore Rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis, instituendisque populus Arvernus, etsi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari; & ob hoc circumfusis necdum terga dat terroribus. Non enim latet nostram sciscitationem, primis temporibus harumce Supplicationum institutarum, Civitas cœlitus sibi credita, per cujusmodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur. Nam modò scena mœnium publicorum crebris terræ motibus concutiebantur: nunc ignes sæpè flammati caducas culminum cristas superjecto favillarum monte tumulabant: nunc stupenda foro cubilia collocabat audacium pavenda mansuetudo cervorum: cùm tu inter ista, discessu primorum, populariumque, statu Urbis exinanito, ad nova celer-veterum Ninivitarum exempla decurristi, ne divinæ admonitioni tua quoque desperatio conviciaretur. Et verè jam de Deo tu minime poteras absque peccato, post virtutum experimenta, diffidere. Nam cùm vice quadam civitas conflagrare cœpisset; fides tua in illo ardore plus caluit: & cùm in conspectu*

confpectu pavidæ plebis, objectu solo tui corporis ignis retrusus in tergum, fugitivus flexibus sinuaretur, miraculo terribili, novo, insusitato, adfuit flamma cedere per reverentiam, cui sentire defuit per naturam. Primùm igitur & his paucis nostri Ordinis viris indicis jejunia, interdicis flagitia, supplicia prædicis, remedia promittis . . . . . Cujus confestim sequax humilis turba consilii, majoribus quoque suis fuit incitamento, quos eùm non piguisset fugere, redire non puduit. Quâ devotione placatus pectorum inspector Deus, fecit esse obsecrationem vestram vobis saluti, cæteris invitationi, utrisque præsidio. Denique illic deinceps non fuere vel damna calamitati, vel ostenta formidini. Et lib. 5. Epist. 14. ad Aprum, Rogationes ante S. Mamercum fuisse indicat; sed non ita solennes, nec tanta pietate observatas. *Quidquid illud est*, inquit, *quod vel otio, vel negotio vacas, in Urbem tamen, ni fallimur, Rogationum contemplatione revocaberis:, quarum nobis solemnitatem primus Mamercus Pater & Pontifex reverentissimo exemplo, utilissimo experimento invenit, instituit, invexit. Erant quidem priùs (quod salvâ fidei pace sit dictum) vaga, tepentes, infrequentésque, utque sic dixerim, oscitabunda Supplicationes, quæ sæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ, ad quas, ut nihil ampliùs dicam, figulo pariter atque hortulano non oportuit convenire. In his autem quas suprà fatus Summus Sacerdos nobis & protulit pariter & contulit, jejunatur, oratur, psallitur, fletur. Ad hæc te Festa, cervicum humiliatarum & sternatium civium suspiriosa contubernia, peto, &c.*

De hac Rogationum observantia Concilium Aurelianense I. anno 511. celebratum, cap. 27. sic decernit: *Rogationes, id est Litanias ante Ascensionem Domini, ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari; ita ut præmissum Triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur: per quod triduum servi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat. Quò tridus omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis utantur.* Et cap. 38. *Clerici verò qui ad hoc opus sanctum adesse contempserint, secundùm arbitrium Episcopi Ecclesiæ suscipiant disciplinam.*

ARTICULUS IX.

De Felice II.

IN Simplicii locum subrogatus est Felix II. Romanus Presbyter, S. Gregorii Magni atavus, qui Synodo Romæ collecta, Petrum Moggum Alexandrinum Pseudoëpiscopum, Petrum Fullonem Antiochenæ pervasorem Ecclesiæ, & his pestibus communicantem Acacium Constantinopolitanum Episcopum, anathemate contrivit, anno Christi 484. (Ex Epistola 6. Felicis ad Acacium, nona ad Zenonem Impet. X. ad Clerum & Plebem Constantinop. XII. ad eumdem Imperatorem ex Breviculo Historiæ Eutychianæ, & ex Liberato in Breviario, cap. 18.) Vitalem & Misenum Episcopos, quos Constantinopolim ad res fidei contra Hæreticos promovendas, & ad coërcendum Acacium miserat, prævaricationis convictos, ab officio & communione suspendit. (Ex iisdem.) Zenonis rejecit Henoticon, seu Conciliatorium Edictum: parúmque religiosum Principem ad officium revocare, & ad fidei tuitionem accendere, gravissimis literis conatus est. Decretalem ad universos Episcopos, sed præcipuè ad Africanos, Epistolam dedit, Pænitentiæ, iis qui se ab Arianis rebaptizari grassante Hunnerici persecutione permiserant, imponendæ regulas continentem. (Epist. 7.) Data est ex Synodo Romana, anno Christi 487. Inter Cœlites receptus est Felix II. anno Christi 492. Pontificatûs sui 9. v. Kalend. Martias, quô die ipsius memoria in Romano Martyrologio consignatur. Tarsillæ Virgini pronepti suæ post obitum conspicuus, eam ad regnum cœleste vocavit. (Ex Gregorio M. Homilia 18. in Evangelia, & lib. 4. Dialogorum cap. 16.)

ARTICULUS X.

De Gelasio I.

SAncto Felici II. successit Gelasius I. ex Africa oriundus. Acacii à Decessore suo damnati, & extra communionem Ecclesiæ defuncti memoriam execratus est: nec Euphemium Constantinopolitanum Episcopom, virum licèt imprimis Catholicum, & alios Orientis Antistites Communionis honoribus donare voluit, nisi Acacii nomen ex Dyptichis expungerent. (Epist. 1. ad Euphemium, 14. ad Episcopos Dardaniæ, & 15. ad Episcopos Orientales.) Pelagianam Hæresim in Dalmatia & Piceno reviviscentem damnavit, confutavit, extinxit. (Ex Epist. 5. & 6. ejusdem ad Honorium Dalmatiæ Episcopum, & 7. ad omnes Episcopos per Picenum.) Edito Tractatu, quem de anathematis vinculo inscripsit, probare aggressus est Acta Chalcedonensis Concilii ea tantùm rata, quæ Sedes Apostolica probaverat: justa esse quæ in Acacium statuta erant, & Petrum Moggum à Sede tantùm Apostolicâ absolvi potuisse. Misenum Episcopum à Felice Decessore suo anathemate confixum, & Sedis Apostolicæ misericordiam, atque communionem flagitantem, caussâ ejus in Romana Synodo anno 495. discussâ, absolvit. Gentilitiam Lupercalium superstitionem Romæ sustulit, & Andromachum Senatorem, aliosque Romanos, qui superstitiosam illam observationem aboleri ægrè ferebant, edito egregio Tractatu confutavit. Objiciebant illi, Pontifices Gelasii Decessores, viros sanctissimos, istum morem non sustulisse. Respondet ille: *Multa sunt quæ à singulis Pontificibus diverso tempore sublata sunt noxia, vel abjecta. Non enim simul omnes in corpore curat medicina languores, sed quod periculosius conspicit imminere; ne aut materia corporis non sufficiat Medicinæ, aut pro conditione mortali simul omnia non possit avertere. Quare quale sit unde agis: si bonum est, si divinum, si salubre; meritò quandocumque tolli non debuit: si nec salubre, nec divinum: causandum tibi magis est cur tardiùs auferatur, quod superstitiosum constat & vanum, quod certè Christianæ professioni non convenire manifestum est.* Librorum Canonicorum, Ecclesiasticorum, & Apocryphorum Indicem in Synodo LXX. Episcoporum, anno 494. celebratâ edidisse vulgò creditur, solemnique Decreto declarasse, qui Libri ab Ecclesia ut sacri & divini, cùm Veteris, tum Novi Testamenti reciperentur: quorum Opera Patrum reciperet ad Fidem Catholicis dogmatibus faciendam: quos denique libros ut apocryphos haberet, nulliusque auctoritatis. Sed istud Decretum alteri tribuendum Viri quidam Eruditi contendunt.

Gelasius Lupercalium superstitionem sustulit.

Præclara sacri Regiminis Regula.

Non omnes simul tolli possunt abusus & pravæ consuetudines, sed sensim tollendæ sunt.

Persuasum fuit Gelasio, Romanum Pontificem Canones præ cæteris Episcopis exequi debere. Quâ de re ad Episcopos Dardaniæ ita scripsit: *Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi Constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere quàm primam, &c.* Epistolam ad Anastasium Imperatorem gravissimam & elegantissimam scripsit, quâ ipsum ad damnandum Acacii nomen, ad restituendam Ecclesiæ pacem, ad parendum Sedi Apostolicæ hortatus est, eâ quæ debetur Imperatori reverentiâ: ea quæ Pontificem decet libertate. In ea Regiæ & Pontificiæ

potestatis divisos à Deo limites egregiè explicat. Collapsam ut restauraret disciplinam, Decretalem ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos Epistolam scripsit: quâ irregulares esse pronuntiavit servos, illiteratos, aliquâ parte corporis imminutos, qui seipsos absciderunt, crimine aliquo implicatos, energumenos, aliisve passionibus obnoxios, bigamos, viduarum maritos, Curiales, Pœnitentiæ publicæ addictus: quos omnes removit à Clero. Constituta secundùm Canones interstitia in conferendis Ordinibus observari sanxit, de iis dispensans ex parte cum Monachis ad Clerum promovendis in Ecclesiis quæ Ministris erant destitutæ: diutiùs probari eorum vitam, qui ex Laïcis in Clerum adleguntur: cessante necessitate, servandos Canones; nec ullum dispensationi ampliùs esse locum. Sacras Ordinationes statis temporibus celebrandas. Superiorum Ordinum usurpare munia, Presbyteros & Diaconos non debere: illos nec Chrisma confirere, nec baptizatos consignare, nec præsente Episcopo, actionem quamvis sacram facere injussos: nec Subdiaconos, vel Acolythos ordinare: istos verò absque Episcopi, vel Presbyteri licentiâ baptizare, Corpus Christi porrigere, in Presbyterio residere non posse. Baptismum extra Pascha & Pentecostem administrari vetuit, nisi ægris. Sacris Virginibus velamen, nisi die Epiphaniæ, Dominica in Albis, aut in Apostolorum Natalitiis, dari prohibuit, iis exceptis, quæ in mortis discrimine positæ fuerint; cum quibus, si qui incesta sacrilegaque fœdera misceant, arcendos à Communione, & Pœnitentiæ addicendos. Viduas nusquam velandas edixit. In Clericos, qui propriis Ecclesiis absque causâ relictis, ad alias transierint, secundùm Canones animadvertendum. Ecclesias, vel Oratoria, absque Sedis Apostolicæ mandatis non esse memoratis in regionibus consecranda: maximè ut caveatur abusus quorumdam Episcoporum invectus audaciâ, qui sub quorumvis defunctorum nomine Basilicas dedicabant. Mulieres sacris Altaribus ministrare vetuit: Clericos negotiationibus inhonestis, turpibusque lucris vacare. Simoniacè ordinatos, & Ordinatores, à sacris ministeriis amovendos decrevit. Ecclesiasticos reditus quatuor in partes distribuendos, quarum una Episcopo, Clericis altera, tertia pauperibus, quarta templorum fabricæ cedat. (Ex Epistola 9. Gelasii.) Sub Gelasii Pontificatu contigit celebris Apparitio S. Michaëlis Archangeli in Gargano Monte, anno Christi 493. Obiit laudatissimus Pontifex anno Christi 496. Pontificatus sui 5. xi. Kalend. Decembris.

Decretalis Epistolæ Gelasii ad Episcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam constitutos, synopsis.

Celebrat Gelasii laudes Dionysius Exiguus in Epistola ad Julianum Presbyterum, in quâ ejusdem Pontificis doctrinam, pietatem, & exantlatos pro Catholica fide labores eximiè commendat. Habetur hæc Epistola in calce prioris partis Collectionis Romanæ Holstenii.

ARTICULUS XI.

De Anastasio II.

POst Gelasii obitum, Anastasius, gente Romanus, Ecclesiæ administrationem suscepit. Missis ad Anastasium Imperatorem Legatis, viam aperuit ad Orientalis Ecclesiæ cum Romana reconciliationem, si unius Acacii nomen inter Constantinopolitanos Præsules taceretur. De eo scribit Libri Pontificalis Author, multos Clericos ejus Communionem ejurasse, quòd inconsultis Episcopis & Clero, Photino Thessalonicensis Ecclesiæ Diacono communicasset, qui communionis Acacii retinentissimus erat; & quòd Acacium clandestinis conciliis revocare decrevisset. Quam ob caussam divinitus percussus est. Sed hanc fabulam disertè reffellit Annalium Ecclesiasticorum Parens. Clodoveo Christianissimorum primo Regum, susceptam recèns Christi fidem ac Baptismum, datâ ad eum Epistola Anastasius gratulatus est. (Extat Tom. v. Spicilegii.) Obiit anno 498. xvi. Kalend. Decembris, secundo Pontificatûs.

ARTICULUS XII.

De Symmachi initiis.

CUm Festus quidam Romanus Senator, Constantinopolim, ob quædam Reipublicæ negotia à Theodorico Rege missus, clam Anastasio Imperatori pollicitus esset, effecturum se, ut Henotico Zenonis Romanus Pontifex Anastasius subscriberet, & Romam redux defunctum reperisset Pontificem, curas impendit omnes ut is eligeretur, à quo Edictum illud subscribendum sperare posset. Multis igitur pecuniâ corruptis, Symmacho legitimis suffragiis electo, Laurentium opposuit Antipapam. Quo ex schismate cædes in Urbe, grassationesque factæ, Senatu, ac Civibus varia in studia distractis. Quæ perturbatio solidos tres annos duravit. (Ex Theodoro Lectore, libro 2.) Vires addidit Schismati Paschasius Diaconus Ecclesiæ Romanæ sanctissimus, quem excusavit ignorantia, ut pertinaciorem Laurentianis partibus ad obitum usque adhæsionem Purgatoriis pœnis expiaret. (Ex S. Gregorio M. lib. 4. Dialogor. cap. 4.) Electionis controversiæ disceptatio, ex Odoacris Lege, quâ Romani Pontificis electionem sine consensu Regis ratam esse vetuerat, ad Theodoricum, penes quem tunc Romæ rerum summa erat, delata est. Theodoricus Symmachum priùs ordinatum, & pluribus electum suffragiis comperiens, secundùm ipsum Sententiam dixit. Ita compressum ad tempus incendium est, quod paulò-post vehementiùs exarsit, ut sequentis initio Sæculi videbimus.

Synodus Romana sub Symmacho ad præcludendâ Schismatibus viam.

Symmachus anno Christi 499. Pontificatûs sui I. Italiæ Episcopos Romam ad Synodum convocavit, quæ Kalendis Martii, ipso Præside, in Basilica S. Petri celebrata est, ut de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis, deque præcludendâ Schismatibus viâ, ageretur. Decrevit Synodus, ut cujusvis Ordinis Clerici, qui Papa incolumi, suffragium alicui in proximè futura Romani Pontificis electione polliciti fuissent, aut subscriptione, vel sacramento se in alicujus gratiam obstrinxissent, aut factis privat.. conventiculis, hac de caussâ deliberassent, vel decrevissent, loci sui dignitate, & communione privarentur. Decrevit secundò, ut post obitum Papæ, ille Sedis Apostolicæ consecraretur Episcopus, qui consentientibus totius Ordinis Ecclesiastici suffragiis electus esset: vel, si studia essent diversa, vinceret Sententia plurimorum: sic tamen ut careret Sacerdotio, qui captus promissione, non rectô judicio, de electione decrevisset. Frequentibus acclamationibus ac gratulatoriis Synodicæ lectionem Sententiæ Patres prosecuti sunt, qui huic subscripsere Concilio LXXIII. Hoc tenore Symmachus subscripsit: *Cælius Symmachus, Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Urbis Romæ, his Synodalibus Constitutis, à me probatis, atque firmatis, consentiens subscripsi.* Ubi cùm Symmachum se Catholicæ Ecclesiæ Urbis Romæ Episcopum inscripsisse legis, ne existimes hæc verba significare, Episcopi Romani potestatem intra Romanæ Metropoleos fines coërceri: per Orbem enim funditur universum! Et rursùs, cùm Catholicæ Ecclesiæ Episcopum legis, hæc verba noli sic interpretari, quasi Catholica Ecclesia Diœcesis certa quædam esset, cujus solus Papa Episcopatum gereret: quâ ratione in Catholica

Quo sensu Symmachus se dicat Episcopum Ecclesiæ Catholicæ Urbis Romæ.

Catholica Ecclesia ubique diffusa unus esset Episcopus, & cæteri Episcopi non essent Episcopi, præter quàm nomine, & vicariam illius unius præfecturam tantùm administrarent. Hoc enim esset ponete Episcopum Universalem, vel Oecumenicum, eo sensu, quem S. Gregorius Magnus tam acriter impugnavit. Non fuit certè hæc mens Symmachi, qui ad Æonium Arelatensem scribens, dixit: *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum esse per diversos Antistites Sacerdotium.* Cæteta quæ ad Symmachum pertinent, Sæculo sequenti persequemur.

CAPUT III.

De Hæresibus, quibus infestata Ecclesia est Sæculo V.

ARTICULUS PRIMUS.

De Vigilantii Hæresi.

Vigilantius, patria Calaguritanus, Ecclesiæ Barcinonensis Presbyter, S. Paulino Episcopo Nolano familiaris, ab eoque S. Hieronymo commendatus, ejusque etiam dignatus amicitiâ, vir ignarus, & eruditionis nihilominus famam sibi conciliare cupiens, Librarios Notariosque conduxit, quibus & scriptoribus, & præconibus utebatur, ut pareret sibi nomen. S. Hieronymum aggressus est, atque ut Origenistam traduxit vecors Calumniator. Quam ipse calumniam refellit Epistola 75. Scripturam sacram, in qua peregrinus erat & hospes, cùm exponere ausus fuit, execrandam, & à nemine unquam vel Hereticorum, vel Ethnicorum excogitatam protulit blasphemiam, de quâ S. Hieronymus Epistola mox laudatâ: *Ego reor*, inquit, *& nomen tibi κατ' ἀντίφρασιν impositum. Nam totâ mente dormitas, & profundissimo non tam somno stertis, quàm lethargo. Inter cæteras quippe blasphemias, quas ore sacrilego protulisti, ausus es dicere, Montem de quo abscissus est in Daniele lapis sine manibus, esse diabolum, & lapidem Christum: qui quia assumpsit corpus ex Adam, qui diabolo ante per vitia cohæserat, natum esse de Virgine, ut à monte, hoc est à diabolo hominem separaret. O præcidendam linguam!* Verùm quòd ex ignorantiâ & stoliditate potiùs quàm ex pertinaciâ, & novandi studio, tam impia Commentatio excidisse Vigilantio videtetur, non est proptetea Hæreseos notâ ab Hieronymo inustus: sed Hæreticus tantùm audire cœpit, cùm novos, quos ante meditatus fuerat, errores evomuit ac prædicavit, anno 404. Tunc Gallis, quæ hucusque monstra non habuerat, horrendi serpentis afflata veneno est.

Palmaris Vigilantii error fuit adversùs sacrarum Reliquiarum cultum, quas nullo prosequendas honore, impius effutiit, Catholicos *Cinerarios & idololatras appellans, qui mortuorum hominum ossa venerarentur.* Fidelium pietatem, quâ cereos honoris caussa coram Reliquiis Martyrum accendebant, Gentilitiæ accusabat superstitionis, ac erroris; quasi cereorum fulgore illustrari Martyres existimarent: quos & adorari à Catholicis mentiebatur.

2. Martyres pro nobis non orare asseruit, adeoque frustra invocari. Dum enim vivimus, inquiebat, mutuò pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est oratio: præsertim cùm Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint.

3. Miracula, quæ ad sepulchra Martyrum in dies fiebant, quibus velut tot argumentis invictissimis refellebatur ejus error, cùm negare non posset, sugillabat, quòd incredulis solùm, non credentibus prodessent.

4. Vigilias & pernoctationes in Basilicis Martyrum celebrari solitas, impugnabat: imò quascunque singulis noctibus diem Dominicam præcedentibus observatas; honestatis prætextu, quòd scilicet juvenum & mulierculatum quarumdam libidini occasionem darent.

5. Nunquam, nisi in Paschate, *Alleluia* cantandum contendebat.

6. Joviniani suscitans Hæresim, virginitatem & continentiam impugnabat, Clericos cœlibes aversabatur, libidini fræna permittens. Qui & quosdam Episcopos in hunc traxit errorem, ut nullos cœlibes ordinarent. Quam tenue in se esset pudicitiæ studium ostendit, cùm in Palæstina degens, omnibus subito terræ motu media nocte excitatis, & ad orationem confugientibus, ipse tunicâ & fide nudus orabat, & aliquid habens nocturnæ crapulæ, Fidelium oculis obscœnam corporis partem ingerebat. Tales habet adversarios Ecclesia (inquit S. Hieronymus.)

7. Eleemosynas, Hierosolymam, ad Clericorum, Monachorum, Virginum, Viduarumque solatium, mittendas negabat, satius esse dicens, ut unusquisque in patria suâ eleemosynas erogaret.

8. Eos meliùs facere asserebat, qui rebus suis utuntur, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quàm illos, qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur.

9. Monastici Ordinis & propositi hostis erat, à quo deterrebat homines, dicens: Si omnes se clauserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias? Quis sæculares homines lucrifaciet? Quis peccantes ad virtutes poterit cohortari?

10. Quartum Esdræ librum, apocryphum, velut Canonicum laudabat, & testimonio petito ex 7. illius libri cap. utebatur, ad probandum Sanctos in hac tantùm mortali vita, pro nobis orare. *Proponis mihi*, inquit S. Hieronymus, *librum apocryphum, qui sub Esdræ nomine à te & similibus tui legitur: ubi scriptum est, quòd post mortem nullus pro aliis audeat deprecari. Quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit?*

De Vigilantii erroribus S. Hieronymum certiorem primùm fecit Riparius Presbyter; quos breviter S. Doctor confutavit Epistola 53. ad ipsum Riparium datâ. Deinde idem Riparius, & Desiderius etiam Presbyter, quorum Parochias Vigilantius viciniâ suâ maculaverat, ejus librum ad S. Hieronymum miserunt, per Sisinnium Monachum Gallum, qui S. Exuperii Tolosani Episcopi uberes eleemosynas ad Ægypti Monachos perferebat. Libro pestilentissimo, unius noctis lucubratione, S. Hieronymus respondit, egregiúmque illum librum edidit adversus Vigilantium: quo ejus errores confutavit, ac nostri temporis Hæreticos Hagiomachos, easdem Vigilantii blasphemias excipientes, & populis iterum propinantes. S. Hieronymi Epistola contra errores Vigilantii.

Ea in Epistola, ejus in Ecclesiam calumnias luculentissimè refellit. 1. Quòd Catholici Martyres adorarent. *Quis*, inquit, *ô insanum caput! aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* 2. Quòd cerei ad Martyres illustrandos accenderentur. *Cereos*, inquit, *non clarâ luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd si aliqui, propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* De Martyrum orationibus ad Deum pro viventibus fusis, hæc habet: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse* Martyrum orationes ad Deum pro viventibus.

 solliciti,

sollicitii; quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi condonatas animas; & postquam resolutus erit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis qui in toto Orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit?

De Vigiliarum abusibus, respondet: *Errorem & culpam juvenum, vilissimarumque mulierum, qui per noctem sæpe deprehenditur, non esse religiosis hominibus imputandum. Paucorum culpam non præjudicare religioni, qui & absque Vigiliis errare possunt, vel in suis, vel in alienis domibus.*

Pauperibus spiritu Sanctis verecundis, erogandæ inprimis eleemosynæ.

De Collectis, ostendit hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut pauperibus credentibus, Hierosolymam, & ad sacra loca, pecuniæ mittantur in refrigerium. Pauperibus spiritu præcipuè erogandas eleemosynas, de quibus dictum est: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperum, &c. In vulgi enim pauperibus sustentandis: nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus esse. In Sanctis pauperibus beatitudinem esse intelligentia, ut ei tribuat, qui erubescit accipere: & cùm acceperit, dolet; metens carnalia, & seminans spiritalia.*

S. Hieronymi religio in Basilicis Martyrum.

Hac in Epistola, suam in sacris Templis & Basilicis Martyrum religionem, suamque erga sacras ipsorum Reliquias venerationem S. Hieronymus testatur. *Ego*, inquit, *confiteor timorem meum, ne forsitan de superstitione descendat. Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit: Basilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus, & corpore, & animo contremisco.*

Quæ de Vigilantio diximus, S. Hieronymo debemus omnia, Epistolis 53. & 75. & in libro adversùs Vigilantium. Ejusdem meminit & Gennadius in *Catalogo*: ubi ipsum Gallum vocat. Quamobrem à Cardinali Baronio reprehenditur. Sed Gallus à Gennadio rectè dici potuit, ob Galliæ viciniam: & Hispanus, quia ex Celtiberis descendebat, ab aliis potuit appellari: ut colligitur ex S. Hieronymo lib. adversùs Vigilantium. *Nimirum*, inquit, *respondet generi suo, ut qui de latronum & convenarum natus est semine: quos Pompeius edomitâ Hispania, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, & in unum oppidum congregavit: unde & convenarum* * *Urbs nomen accepit. Hucusque latrocinetur contra Ecclesiam Dei: & de Vectonibus Arrebacis, Celtiberisque descendens, incurset Galliarum Ecclesias, portetque nequaquam vexillum Christi, sed insigne diaboli. Fecit hoc idem Pompeius etiam in Orientis partibus: ut Cilicibus & Isauris piratis latronibus superatis, sui nominis inter Ciliciam & Isauriam conderet civitatem. Sed hac Urbs hodie servat scita majorum: & nullus in ea ortus est Dormitantius. Gallia vernaculum hostem sustinet, & hominem moti capitis, atque Hippocratis vinculis alligandum.*

* Comenges.

ARTICULUS II.

De Hæresi Pelagiana: Et de primis Autoribus & Defensoribus istius Hæreseos.

§. I.

De Pelagii Præcursoribus, & Magistris.

ORigenem, Theodorum Mopsuestenum, & Rufinum, Pelagianam Hæresim præformasse certum est. De Origene id probavimus Dissertatione 16. in Histor. Eccles. III. Sæculi, Articulo III. De Theodoro Mopsuesteno, & Rufino testatur Marius Mercator, in Præfatione Subnotationum in Scripta Juliani. *Quæstio*, inquit, *contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipuè in Cilicia à Theodoro quondam Episcopo oppidi Mopsuesteni jam dudum mota, nunc usque penes paucos eorum admodùm occultè roditur, nec ea palam profertur; sed ab ipsis qui de ea corniicantur, velut Catholicis intra Ecclesias interim retinetur: Progenitores videlicet humani generis, Adam & Evam, mortales à Deo creatos, nec quemquam posterorum sui prævaricatione transgressi læsisse; sed sibi tantùm nocuisse, &c.* De Rufino verò subjungit: *Hanc ineptam, & non minùs inimicam rectæ fidei quæstionem, sub Sanctæ recordationis Anastasio Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifice, Rufinus quidam natione Syrus Romam primus invexit, & ut erat argutus, se quidem ab ejus invidiâ muniens, & per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, eúmque ad prædictam apprimè imbuit, atque instituit impiam vanitatem.* Lege quæ de Rufino, & ejus Operibus diximus in Synopsi Histor. Eccles. IV. Sæculi; ubi & ex S. Hieronymo probavimus ipsum Pelagianis adhæsisse, & eruditi optimíque viri Patris Garnerii S. J. Rufinum, quem Syrum vocat Marius Mercator, ab Aquileiensi distinguentis; opinionem confutavimus. De eo jam mortuo S. Hieronymus Præfatione lib. 5. in Jeremiam ita scribit: *Mutus latrat per Albinum canem grandem & corpulentum, & qui calcibus magis sævire possit, quàm dentibus: habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.* Albini canis nomine Pelagium significat genere Britannum. Britanniam enim dictam olim & Scotiam, & Albion certum est, & semper aluit molossos toto orbe notissimos: ex quibus S. Hieronymi metaphora desumpta est.

§. II.

De Pelagio, & Celestio, eorúmque patria, professione, ingenio, moribus.

EMersit Pelagiana hæresis anno Christi 404. vel 405. Istud tempus ab ipso Pelagio designatur in Epistola purgationis, quam ad Innocentium I. Pontificem Maximum direxit, quæ eo vita jam functo, Successori ejus Zosimo tradita est. Unde scripta est imminente Innocentii obitu, anno 417. In ea porrò ut se ab erroris labe immunem ostendat, alteram laudat Epistolam quam ad S. Paulinum, *ante XII. fere annos* scripserat. (Apud S. Augustinum lib. 1. de Gratia Christi, cap. 34. & 35.) Hanc Epistolam se legisse testatur S. Augustinus ibidem, & Pelagiani erroris fermento fuisse corruptam. Cùm igitur annus ille duodecimus in quadringentesimum quintum Christi incidat, constat jam tunc Pelagium de divinâ Gratiâ malè sensisse.

Fuit autem Pelagius Patria Britannus, ex Orosio in Apologetico, & ex S. Augustino Epist. 106. * ad Paulinum, ubi eum Britonem cognominatum fuisse ait, ut à Pelagio Tarenti distingueretur. Idem constat ex S. Prospero, initio Carminis de Ingratis, ubi eum *Britannum colubrum* vocat. A S. Hieronymo, Præfat. lib. 1. in Jeremiam, Scotus dicitur, & *Scotorum pultibus prægravatus*. Quòd ob gentis utriusque viciniam, Britanni etiam Scoti dicerentur. Perperam à Lamberto Danæo Ministro Genevensi in Scholiis ad librum S. Augustini de Hæresibus, Aremoricus vocatur: nondum enim Pelagii temporibus Maritima Aremoricorum in Galliis Provincia Britannis nominabatur.

* Postrema edit. 186.

Professione Monachus fuit, ex S. Augustino lib. de Gestis Pelagii cap. 35. & lib. de Hæresibus cap. 88.

non

non ex eorum genere Monachorum qui Cœnobiticam in Monasterio, vel Eremiticam in desertis locis, sed qui Religiosam suis in ædibus vitam agebant, & sæculi contemptum modestiore corporis habitu, moribusque profitebantur. Unde S. Augustinus ipsum *veluti Monachum* appellat. Sacris Ordinibus nunquam initiatus est. Unde ipsum Zosimus Pontifex, *Virum Laicum* vocat, Epist. ad Aurelium: & Presbyterum, vel Clericum fuisse negat S. Augustinus cap. laudato libri de Gestis Pelagii. Non est confundendus, ut Baronius, Vossius, & Usserius fecerunt, cum alio ejusdem nominis Monacho, cujus defectionem à fide luget, morésque pravos arguit S. Chrysostomus Epist. 4. ad Olympiadem. Ut enim observat Doctissimus Petavius lib. de Pelagianorum Dogmatum Historia, hæc Epistola scripta est à S. Chrysostomo exule, circa annum Christi 405. Quô tempore etsi concepta esset à Pelagio hæresis, nondum tamen palam innotuerat, & maximè in Oriente. Imò tunc Pelagius magnum sanctimoniæ nomen sustinebat, ut testatur S. Augustinus, eum Sanctum vocans lib. 1. de Peccatorum meritis & Remissione, cap. 1. quod Opus in ipsius Doctrinam edidit anno 413. post damnatum scilicet in Synodo Carthaginensi Celestium, anno 412.

Celestii incerta patria, nobile genus, Eunuchus à naturâ, (Ex Mario Mercatore in Præfatione Subnotationum) Monachus fuit, ex Gennadio cap. 44. cùm antea inter auditoriales Scholasticos, id est, causarum publicarum Patronos meruisset. (Ex Mario Mercatore.) Tantam Pelagianæ hæresi prædicandæ, & propugnandæ navavit operam, ut illius Sectæ homines Celestiani etiam nuncuparentur à Celestio. (Ex S. Augustino lib. de Hæresibus.) Quo nomine in sacra Synodo Ephesina damnati sunt.

De Pelagii & Celestii ingenio & peritia, inter se dissentiunt SS. Hieronymus & Augustinus. Ille Præfatione lib. 1. in Jeremiam Pelagium vocat *Indoctum calumniatorem*. Et lib. 1. Dialogi ejus *Stylum putidum & elinguem* dicit. Et in Epistola ad Ctesiphontem hoc Elogio Celestium notat: *Unus discipulorum ejus*, (nimirum Pelagii) *Imò jam Magister, & totius ductor exercitus, & contra Apostolum Vas perditionum, per solæcismorum, & non, ut sui jactant, per Syllogismorum spineta decurrens, sic philosophatur & disputat.* Hic verò Pelagii & Celestii tum ingenium, tum facundiam, plurimùm commendat lib. de Natura & Gratiâ cap. 6. Pelagium *acutissimum* vocat. & lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 3. Celestium vocat *hominem acerrimi ingenii, qui si corrigeretur, plurimis profuisset.* Et Epistola 143.* ad Julianam Demetriadis Matrem data, Pelagii scripta & Cælestii, *Propter acrimoniam atque facundiam, à pluribus legi* testatur. Sanè paulò acerbior videtur S. Hieronymus, cùm in hæreticos agit, & pro innatâ asperitate suâ sic in eos fertur, ut nihil in ipsis ferendum, nedum laudibus extollendum putet. Pelagii ingenium, eruditionem, & sermonis elegantiam à S. Augustino temerè non laudari, testatur Epistola istius Hæresiarchæ ad Demetriadem Virginem data, quæ digna quibusdam visa est, quæ S. Ambrosii, S. Hieronymi, aut S. Augustini censeretur, & inter eorum Opera extaret. Eruditionem testantur Expositiones breves in omnes S. Pauli Epistolas, S. Hieronymo quondam à nonnullis suppositæ, quas Pelagio ut legitimo parenti tribuunt S. Augustinus lib. 3. de Peccatorum Meritis cap. 1. & 12. & lib. de Gestis Pelagii, cap. 16. Marius Mercator in Præfatione Subnotationum, & Cassiodorus, Divinarum Lectionum cap. 8. Scripsit etiam librum ad Viduam, consolatorium atque exhortatorium, librum de Natura, libros quatuor de libero Arbitrio, & alia, quorum SS. Augustinus & Hieronymus, & Marius Mercator meminerunt, ex quibus ingenii ejus acies & eruditio non vulgaris comprobantur. Scripsit etiam Celestius librum adversùs peccatum Originale, alterum adversùs Gratiam, Definitiones, seu ratiocinationes de impeccantia, quas posteritati servavit Marius Mercator. De his lege Dissertationem 6. eruditi viri P. Garnerii in Marium Mercatorem, de Scriptis pro Hæresi Pelagiana.

* Post-eam edit. 168.

Non mediocri famâ sanctitatis celebratus est Pelagius, de qua S. Augustinus lib. 3. de Peccatorum Meritis & Remissione cap. 1. *Post paucos dies*, inquit, *legi Pelagii quadam scripta, viri, ut audio, sancti & non parvo provectu Christiani.* Et cap. 3. ipsum *bonum ac prædicandum virum* appellat. Non existimo eumdem illum fuisse cum Pelagio Eremita, ad quem scripsit S. Isidorus Pelusiota 314. Epistolam lib. 1. quâ illum jam senem ut liguritorem & cupediosum acriter coarguit. Quanquam Pelagium cutem suam curasse, plusquam frugi Monachum decet, balneis, epulisque; unde ipsi lati humeri cervix robusta, frons pinguis, Orosius in Apologia testatur.

A quibus poterat Episcopis amicas literas suffurabatur Pelagius, quas suis laudibus plenas, pro tempore & loco proferret. (Ex S. Augustino lib. de Gestis Pelagii, cap. 25.) Ad S. Augustinum Epistolam dedit honorificam, quâ in ejus amicitiam irreperet, eâque posset aliquando gloriari. Tempore Collationis cum Donatistis Carthagine ipsum viderat, & ex facie noverat S. Augustinus, & jam aliquid de ejus hæresi inaudiverat, ut ipse testatur lib. de Gestis Pelagii, cap. 22. Epistolam ad ipsum scripsit urbanitate Christiana, & charitate plenam, quâ, sine commotione quæstionis, de Dei gratia ipsum rectè sapere admonuit. Hanc refert & exponit lib. de Gestis Pelagii cap. 26. 27. & 28. Virorum nobilium & sanctorum, piarum & illustrium Matronarum, Virginum, & Viduarum benevolentiam, literis suis, sanctitatis specie, laudibus, assentationibus aucupabantur, cùm Pelagius tùm Celestius. Testes sunt Paulinus, Pammachius, & Oceanus, Proba, Juliana, Demetrias, Albina, Pinianus, & Melania, quorum in amicitiam irrepere tentavit Hæresiarcha versipellis, ut iis errorem afflaret. Id constat ex S. Augustino lib. de Gratia Christi, cap. 35. & Epistola 106. lib. de Peccato Originali cap. 3. Epist. 16. & Epist. 143. Marcellinum Tribunum, & Valerium Comitem, qui gratiâ apud Imperatorem Honorium plurimùm poterant, & pietate præstabant, Pelagiani tentarunt: & ita quidem ut debuerit S. Augustinus scriptis ad utrumque libris artes nefarias hæreticorum aperire. Mulieres nobiles & novitatis amantes sibi conciliarunt, quarum ope Secta propagaretur & foveretur. (Ex S. Hieronymo in Epistola ad Ctesiphontem, & Dialogo 1. adversùs Pelagianos.)

§. III.

De Juliano, & Anniano.

I. JUlianus Pelagianæ hæreseos sectator & defensor acerrimus, in Apulia natus est, ex illustri genere, patre Memore, seu Memorio, qui postea fuit Episcopus, ut creditur, Capuanus; matre Juliana. Lectoris officio in Ecclesia paterna fungebatur, cùm uxorem duxit Yam Consularem Virginem, Æmilii viri illustris, postea Beneventani Episcopi, filiam. De parentibus, & matrimonio Juliani, legendi sunt S. Augustinus Epist. 131.* ad Memorium ipsius patrem, sibi amicissimum, Marius Mercator lib. Subnotationum cap. 4. & Paulinus in Epithalamio Juliani & Yæ. Solutô matrimonio, (an morte uxoris, an communi voto, incertum est) Diaconus

* Postremæ edit. 101.

creatus

creatus est. Ipsum S. Augustinus Epist. 131. Condiaconum vocat. Tunc erat S. Augustino carissimus, ut ex eadem Epistola constat, quæ tenerrimum erga ipsum amorem, & ipsum videndi complectendique desiderium testatur. Adhuc juvenis, ordinatus est Episcopus Eclanensis, * ex Mario Mercatore in Præfatione ad Symbolum Theodori. Acer ingenio fuit, sæcularibus & sacris literis eruditus, eloquentia etiam clarus, nisi tanta facundiæ vis jactantiæ & maledicentiæ vitio, in loquacitatem degenerasset. De Juliani ingenio, & eruditione, lege Gennadium lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 45. Ipsius eximias dotes testantur & libri ab ipso adversùs S. Augustinum, & Catholicam fidem conscripti. Quo tempore Pelagio adhæserit, incertum est. Juvenis adhuc erat, cùm dogmatum Pelagianorum patrocinium suscepit, ut colligitur ex S. Augustino lib. 2. adversùs Julianum, cap. 8. Ubi eum *confidentissimum juvenem* vocat. Verè confidentissimus, qui se cum Davide, S. Augustinum cum Golia conferebat, & cum illo descendere volebat in palæstram, ut suâ disputatione controversia, quæ inter Ecclesiam Catholicam & Sectam Pelagianam movebatur, dirimeretur. *Oblato*, inquit, *placuit componi fœdere bellum, ut pugnas omnium contentio nostra dirimeret*. Cui modestissimè S. Augustinus respondet lib. 6. contra Julianum, cap. 6. *Quis tibi promisit meum singulare certamen? Ubi? Quando? Quomodo? Quibus præsentibus, quibus arbitris? Absit ut mihi apud Catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Unus sum è multis, qui profanas vestras novitates, ut possumus, refutamus.* Scripsit adversùs libros S. Augustini de Nuptiis & Concupiscentiâ, duodecim libros pro suâ hæresi; quatuor nimirum contra primum S. Augustini, octo contra secundum: quos in Cilicia apud Theodorum Mopsuestenum elaboravit, ut colligitur ex Mario Mercatore in Præfatione ad Refutationem Symboli à Theodoro conscripti, & lib. Subnotationum cap. ultimo. Ante Librorum editionem duas Epistolas ad Zosimum Romanum Pontificem scripserat, de Pelagianorum quæstionibus. Earum ipse meminit apud S. Augustinum lib. 1. Operis Imperfecti cap. 1. In libris minùs de Gratia Dei, quam de peccato originali, adversùs fidem Catholicam disputat. In iis Manichæismi notam S. Augustino, cæterisque Catholicis passim impingit. Quâ de re S. Augustinus lib. 1. cap. 2. *In quibus libris volens homines avertere à fide Catholica fundatissima, & ad novitatem vestri erroris adducere, sæpe incutis legentium sensibus Manichææ pestis errorem: quasi malum naturale cum Manichæis sapiat, qui dicit Infantes secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere* &c. Cap. 3. *Sed tu qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos fidei Catholicæ defensores tam exsecrabili criminatione impetere audeas, si evigilas, intuere.* Cap. 4. *Quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambrosium facis tacito ejus nomine Manichæum? Cernis nempe cum quibus tua maledicta sustineam, cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam nullâ consideratione sobriâ pulsare calumniis, & expugnare conaris? Cernis quàm tibi perniciosum sit, tam horribile crimen objicere talibus, & quàm mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace; Pelagianam linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus protervа ora submitte.* Cap. 5. *Tantùm ne apud te possunt Pelagius & Celestius, ut à Solis ortu usque ad occasum tot ac tantos Catholicæ fidei Doctores & defensores, antiquos, & nostræ ætati contiguos, dormientes, & manentes, non solùm deserere, verùm etiam Manichæos audeas appellare?* Alia etiam opinionum portenta Catholicis affingebat, ut videre est apud S. Augustinum ejus calumnias diluentem lib. 1. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum. Cæterùm præferebat pietatis speciem & charitatis, eleemosynas indigentibus erogans liberali manu, & hac miserationis specie multos nobiles religiososque viros partibus suis illigans: ut testatur Gennadius.

Eclanum urbs olim Episcopalis inter Campaniam & Apuliam, Beneventum distans viginti milliaribus. Frigentum nunc vocatur, unitaque Abellinensi Episcopatui.

II. Annianus Celedensis Diaconus Pelagianarum etiam partium defensionem suscepit. Ejus meminit S. Hieronymus in Epistola ad Alypium & Augustinum, quæ est inter Augustinianas 24. * Is interpres videtur quindecim Homiliarum S. Joannis Chrysostomi, octo scilicet priorum in Matthæum, quibus præfigitur Epistola Anniani ad Orontium Episcopum, testantis se illas in Latinum sermonem vertisse; & septem de laudibus S. Pauli, quibus præponitur Epistola Anniani ad Evangelum Presbyterum. His in Epistolis ad viros Pelagianos datis, studium erga Sectam suum ostendit, & odium in S. Augustinum, quem Traducianum appellat, ob traductionem peccati Originalis in omnes Adami posteros ab ipso propugnatam; vel quòd in eam propenderet opinionem, quæ animam humanam ex traduce fieri, id est, cum corpore à parentibus produci assereret. Malè confunditur Annianus ille à Sigeberto cum viro illustri ejusdem nominis, à quo breviatus est Codex Theodosianus. Vivente enim S. Augustino scribebat Annianus Celedensis, id est, ante annum Christi 430. quo S. Augustinus obiit. Annianus autem Codicis Theodosiani Breviator integro ferè post sæculo. Id enim operæ navavit in Codice, anno 22. Alarici, qui fuit Christi quingentesimus sextus. Annianum Celedensem esse Pelagium ipsum, qui nomen ementitus est, videtur Jansenio Yprensi lib. 1. de Hæresi Pelagiana. Nititur ejus conjectura his verbis S. Hieronymi in Epistola suprà laudatâ: *Egimus ut dum Epistola mea respondere conatur, apertiùs se proderet, & blasphemias suas omnibus patefaceret. Quicquid enim in illâ miserabili Synodo Diospolitanâ se dixisse denegat, in hoc Opere profitetur.* Hinc enim sequitur, Annianum eundem esse, qui Diospoli denegavit, quod in Opere adversùs Hieronymum edito professus est. Id autem alteri non convenit à Pelagio. Verùm non inaniter conjicit vir eruditus P. Garnerius Dissertatione 1. de Auctoribus & Defensoribus Hæresis Pelagianæ, emendandum esse S. Hieronymi locum, & supplendam vocem unam, quæ in vulgaris editionibus deest, sicque legendum: *Quicquid enim in illâ miserabili Synodo Diospolitanâ dixisse se* Pelagius *denegat, iste in hoc Opere profitetur.* Ita hæc Sententia cum prioribus conveniet, quâ S. Doctor Annianum in eodem luto hærere cum Pelagio significat: *In eodem luto*, inquit, *hæsitat, & exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur.* Addit etiam, *ipsum copiosissimè pasci, ut aliena blasphemia verba subministret.* Pelagii autem propria blasphemia fuit, non aliena. Itaque alium esse à Pelagio Annianum consequens est.

Celedensis civitas ex solo Hieronymo nota, qui & Epistolam 77. ad Marcum Celedensem Presbyterum scripsit.
* Posterioris edit. 202.

Annianus ille Epistolam S. Hieronymi adversùs Pelagianos ad Ctesiphontem datam, editis libris impugnavit: quos Eusebius Cremonensis Presbyter ad Sanctum Doctorem detulit. Hos verò confutare ipsi non licuit. Morte enim præventus est, antequam hoc aggrederetur Opus.

§. IV.

De Theodoro Mopsuesteno.

THeodorus Mopsuestenus Episcopus, Antiochenus patriâ, unà cum S. Joanne Chrysostomo Libanii Sophistæ, & Andragathii Philosophi auditor, ac deinde causarum Patronus, relicto forô, secessum, & sacrorum virorum conversationem adamavit. S. Joannis Chrysostomi suasione, nuptiarum, in quas propendebat, propositum, simul & facultates

facultates abdicavit, & vitam amplexus est Monasticam. Carterio, & Diodoro Magistris, sacrarum literarum scientiam singularem comparavit: ut testantur Socrates lib. 6. c. 3. & Sozomenus lib. 8. c. 2. Anno circiter 391. Mopsuestiæ nobilissimæ Ciliciæ urbis Episcopus creatus est. Vir fuit eximii ingenii & eruditionis, hæreseon etiam impugnator aliquarum, Arianæ scilicet, Eunomianæ, Apollinariæ, quas doctis Voluminibus confutavit, teste Theodoreto: aliarum defensor ac magister, Pelagianæ scilicet ac Nestorianæ. Pelagianum porrò fuisse Theodorum Mopsuestenum, discimus à Mario Mercatore in Commonitorio. *Quæstio*, inquit, *contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipuè in Cilicia à Theodoro quondam Episcopo oppidi Mopsuesteni jam dudum mota, nunc minùs quæ penes paucos eorum admodum proditur, nec ea palam profertur, sed ab ipsis, qui de ea corniçantur, velut Catholicis, intra Ecclesias interim retinetur: Progenitores videlicet humani generis Adam & Evam mortales à Deo creatos, nec quemquam posterorum sua prævaricatione transgressos læsisse, sed sibi tantùm nocuisse, se mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitus nullum.*

Idem Marius Mercator ex Theodori libris Fragmenta Latino sermone donavit, ex quibus constat ipsum peccatum originale negasse, & contra S. Augustinum Catholici dogmatis defensorem scripsisse. Fragmenta illa doctissimus Marii Mercatoris Interpres P. Garnerius, cum aliis ejusdem Operibus edidit; quæ eodem tempore eruditissimus Pater Norisius suis de Historia Pelagiana Commentariis inseruit ex Vaticano Codice exscripta.

Quæ contra S. Augustinum scripta tradit Mercator, eadem contra S. Hieronymi Dialogos adversùs Pelagianam Hæresim elucubrata, ex Photio Cod. 177. discimus. Cujus hæc sunt verba: *Lectum est Opus Theodori Antiocheni, qui Mopsuestenus Episcopus est, ut ex ejus quibusdam Epistolis colligimus. hoc titulo:* Contra asserentes, homines peccare naturâ, non voluntate. *Ea disputatio quinque libris absolvitur, quos adversùs Occidentales hâc labe infectos scripsit. Inde enim oriundum hæresis hujus Autorem, in Orientis modo regionibus versari, librosque de recènt ab se excogitata hæresi compositos ad populares suos in patriam transmittere, narrat: ut jam ibi multos per hanc artem in suam pertraxerit sententiam, integrisque adeò Ecclesias absurdis illis imbuerit opinionibus. Aram* * *verò illorum librorum Autorem (sive nomine, sive cognomine incertum) appellat. Hunc etiam quintum Evangelium fictitium adjecisse, cùm fingeret se illud in Eusebii Palæstini Bibliothecis repperisse. Rejectâ præterea divina ac veteris Testamenti Versione, quam Septuaginta Interpretes simul convenientes ediderunt, ut & Symmachi, & Aquilæ, aliorùmque interpretatione, propriam quamdam suam novámque conficere ausum: cùm neque Hebraica lingua, ut illi, à puero assuevisses, neque mentem sacræ Scripturæ didicisset; Hebræis tantummodò quibusdam abjectæ sortis in disciplinam se tradidisse, atque hinc propriam sibi Editionem conscribere aggressum.* His caracteribus S. Hieronymum describi evidens est: qui ex Evangelio juxta Hebræos, quod in Cæsariensi Bibliotheca habebatur, quô utebantur Nazareni, peccatum originale contra Pelagianos probavit Dialogo 3. qui novam Scripturæ sacræ Translationem, post LXX. Interpretes adornavit, qui Hebræos non semel conduxit ut linguam Hebraicam perfectè disceret.

* Aram, ignominiæ causâ, vocavit S. Hieronym. in Theodorus Mopsuest. id est, maledictum.

Pergit Photius, & illius Sectæ, quam Theodorus impugnat, summa capita refert. Primum est: *Homines natura, non voluntate peccare.* Alterum: *Infantes tametsi recèns natos, peccati immunes non esse, cùm ob Adæ prævaricationem, naturâ in peccatis constitutâ, ad omnes ejus posteros peccatrix natura propagetur.*

Photius perstringitur.

Tertium: *Neminem mortalium esse justum.* Quartum: *Ne Christum quidem Deum sceleris purum esse.* Quintum: *Matrimonium & ejus usum esse opera perversæ naturæ.* Evidens igitur est Theodorum peccatum originale impugnasse, & Pelagianam Hæresim propugnasse: & mirum est quod Photium fugerit Sectam illam à Theodoro impugnatam, non esse aliquam Hæreticorum factionem, sed Catholicam ipsam Ecclesiam, quæ peccati originalis propagationem in omnes Adami posteros semper professa est: & cui illa errorum monstra Theodorus cum suis Pelagianis affinxit; quòd Christum ipsum assereret peccato inquinatum, ob assumptam naturam peccato obnoxiam: & nuptias mala esse.

§. V.

De Leporio.

LEporius Vitam primùm professus Monasticam in Galliis, deinde in Africa promotus ad Sacerdotium, Pelagianorum erroribus imbutus est, ac Nestorianam etiam Hæresim prædocuit. A Cassiano admonitus, cùm adhuc in Galliis versaretur: à S. Augustino in Africa ad Catholicam fidem conversus, Libellum emendationis suæ, seu Fidei professionem edidit, quam Aurelius Carthaginensis, S. Augustinus, Florentius, & Secundus, Africani Episcopi probaverunt, & cum literis de ejusdem Leporii conversione ad Proculum Massiliensem, & Cilinium Aquensem in Galliis Episcopos miserunt. Quô præcisè anno, incertum. De Leporio ita scribit Cassianus lib. de Incarnatione Christi, c. 4. *Leporius tunc Monachus, modo Presbyter, qui ex Pelagii, ut suprà diximus, institutione, vel potius pravitate descendens, apud Gallias assertor prædictæ hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos fuit, à nobis admonitus, à Deo emendatus, ita malè conceptam persuasionem magnificè condemnavit, ut magis penè admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides: quia primum est errorem penitus non incurrere; secundum, benè repudiare. Is ergo in se reversus, non solùm in Africa, ubi tunc erat, atque nunc est, tam errorem suum cum dolore, quàm sine pudore confessus est, sed etiam ad omnes Galliæ civitates, admodum flebiles confessionis ac planctus sui Literas dedit, ut ubi deviatio ejus priùs erat cognita, illic etiam emendatio nosceretur.*

De eodem Gennadius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc habet: *Leporius adhuc Monachus, postea Presbyter præsumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantum & conatu proprio, non Dei se adjutorio obtinuisse credebat, Pelagianum dogma cœperat sequi. Sed à Gallicanis Doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum à Deo emendatus, scripsit emendationis suæ Libellum, in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione. Simul & quod de Incarnatione Christi malè senserat, corrigens, Catholicam sententiam tulit, dicens: Manentibus in Christo in suâ substantia duabus naturis, unam reddi Filii Dei personam.* Suum ille Monachus errorem Epistolâ comprehenderat, quamobrem illum publicâ Epistola ejurare opus fuit.

Pelagianorum errorem quâ ratione propugnaverit, exponit ipse in Libello. *In eadem Epistola*, inquit, *simul deviante errore, subjunxi, Christum Dominum nostrum sic omnia quæ erant Passionum implesse, ut in nullo quasi perfectus homo à divinitatis auxilio juvaretur. Volens scilicet ita in Christo assignare hominem perfectum, quò alienum & ab his Passionibus Verbum Patris assererem, & solum per se hominem egisse hæc omnia possibilitate naturæ mortalis, sine aliquo Deitatis adjutorio, probare conabar.*

Libellum Confessionis, emendationis, sive satis-

factionis Leporii laudarunt, post Gassianum & Gennadium, Joannes Papa II. Epist. 3. ad Avienum & cæteros Senatores, Vigilius Tapsensis lib. 11. de Trinitate, Facundus Hermianensis lib. 1. c. 4. & ante illos S. Leo in Collectione testimonium SS. Patrum pro asserenda veritate duarum naturarum in Christo, subnexa ipsius Epistolæ ad Leonem Imperatorem. Laudat S. Leo verba Leporianæ istius Confessionis sub nomine S. Augustini, cui etiam adscribitur in illo testimoniorum delectu quem habet Actio secunda Concilii Calchedonensis. Quare hunc Libellum à S. Augustino conscriptum asserit & probat vir eruditus P. Quenellius in Notis ad Epistolam 134. S. Leonis.

§. VI.

De Joanne Antiocheno & Orientalibus Episcopis, ipsi in Synodo Schismatica contra Ephesinam Oecumenicam adhærentibus.

Joannes Antiochenus & Orientales Episcopi, non fuere Pelagiani. Jansenius, Vossius, Usserius refelluntur.

S. Gregorius Magnus lib. 7. Epistola 48. ad Anastasium Antiochenum, de Canone quodam loquitur ab Ephesina Synodo, Schismatica utique, edito, qui puram putam Pelagii hæresim continet. *Illa enim Synodus*, inquit, *quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quædam in se oblata Capitula asserit approbata, quæ sunt Cælestii atque Pelagii prædicamenta.* Canon autem ille his verbis conceptus est apud eumdem S. Gregorium lib. 6. Epistola 31. ad Eulogium data: *De Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quòd diabolus in cor hominis non ingrediatur, & si quis hoc dixisset, anathema esset.* Hunc Canonem Baronius ad annum Christi 431. Jansenius, Vossius, Usserius, à Joanne Antiocheno & Orientalibus, in gratiam Pelagianorum, qui illorum factioni sese adjunxerant, editum contendunt. Cælestianos enim seu Pelagianos Episcopos, unà cum Joanne Antiocheno cæterisque Orientalibus, Conciliabulo Schismatico interfuisse putant: & Joannem Antiochenum in eorum gratiam Canonem Pelagianum condidisse.

Verùm secus res se habet. In Confessione enim Fidei, quam Orientales ediderunt, conciliandæ pacis causa, & quam probavit, suisque ad eos Literis inseruit S. Cyrillus, ac laudavit subinde atque defendit, ne minimum quidem verbum est quod Pelagianæ hæreseos damnationem spectet: quam tamen ab ipsis exegisset S. Cyrillus, si fuissent istius labe adspersi. Secundò, sicut S. Cyrillus & Synodi Oecumenicæ Patres Orientalibus communionem cum Cælestianis exprobrabant: ita Orientales eamdem Cyrillo impingebant calumniam, ut liquet ex eorum Literis ad Rufum Thessalonicensem datis, quæ Actis Conciliabuli Ephesini insertæ sunt. At si Pelagiani fuissent, id non objecissent per calumniam S. Cyrillo. Tertiò, Cælestinus I. ad Nestorium scribens, eum peccatum originale confiteri, adeóque non esse Pelagianum agnoscit: multò minùs ergo Joannes Antiochenus & Orientales, qui Nestorii personæ, non errori favebant, Pelagianorum errorum fuligine erant infecti. Quartò, Theodotus Antiochenus Joannis Decessor, Pelagianos in frequenti Synodo damnavit: à cujus fide recessisse Joannem verisimile non est. Quintò, Joannes Antiochenus Pelagianos Antistites in Concilium suum non admisit, Julianus enim, Florus, Persidius, Marcellinus, Orontius, & alii, inter 35. Episcopos Schismatici Concilii, in Relatione Concilii ad Theodosium, per Palladium missa, non recensentur: nec eorum nomina leguntur in Actis Conciliabuli.

Denique id colligitur evidenter ex Relatione Patrum Ephesinorum ad Cælestinum Pontificem, in qua de Joanne Antiocheno ita scribunt: *Sibi ipsi velut Collegium circiter triginta hominum nomen Episcoporum habentium collegit, &c. Sunt autem cum illis etiam Pelagiani & Cælestiani, &c.* Ubi Pelagiani inter triginta Joannis Antiocheni Assessores non censentur; sed ipsis adjunguntur ut comites. Porrò si cum Joanne Antiocheno in Conciliabulo ejus Pelagiani non sederunt, quomodò Joannes Antiochenus Pelagianum Canonem unà cum ipsis edidisse dici potest? Pelagianos quidem Nestorio adhærentes Joannes Antiochenus lubentiùs alloquebatur, & cum eis familiariter agebat, ex quo nata suspicio est, quòd eorum etiam erroribus faveret: sed reverà pravis eorum dogmatibus nusquam assensum præbuit.

Nec verò S. Gregorius locis laudatis Canonem Pelagianum ab Ephesino Joannis Antiocheni Conciliabulo editum innuit, sed à quodam Pelagiano, qui Acta Synodi Ephesinæ interpolavit, intrusum in Codicem, quem ad ipsum Joannes Constantinopolitanus Patriarcha transmiserat contra Athanasium Presbyterum. Eo in Codice habebatur primùm, *Adami animam, cùm peccavit, mortuam esse.* Hunc locum Pelagianus nescio quis Notis suis corruperat, & hanc sententiam hæreticam esse eodem in Codice scripserat: ut S. Gregorius testatur in Epistola ad Narsem Comitem, (quæ est 14. lib. 5.) *Sed is*, inquit, *qui loca aliqua esse hæretica signo contrà posito ostendit, ipse quoque in Pelagianam hæresim labitur: quia quædam loca Catholicè dicta & omnino Orthodoxa, velut hæretica annotavit.... Hunc ergo locum, qui in eo Codice, qui mihi à fratre meo Joanne Episcopo transmissus est, annotavit hæreticum, Pelagianus est, quia sententia ista evidenter Pelagii est.... Pelagius verò, qui in Ephesina Synodo damnatus est, ea intentione hoc dixit, ut ostenderet nos à Christo vacuè redemptos, &c.* Idem colligitur evidentiùs ex ejusdem sanctissimi Pontificis Epistola ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum, Episcopos data, (quæ est 31. lib. 6.) *Ante triennium*, inquit, *cogente causa Monachorum Isauriæ, qui hæreticis accusabantur, satisfaciens mihi quondam frater & Consacerdos meus Dominus Joannes, literas misit, quibus nitebatur ostendere eos Ephesinæ Synodi Definitionibus contradixisse, & velut ex eadem Synodo certa nobis, quibus ipsi obsisterent, Capitula destinavit. Inter alia autem scriptum illis continebatur de Adæ anima, Quia in peccato mortua non fuerit, &c.* Sed Capitulum illud Pelagianum, nedum Ephesinæ Synodi Oecumenicæ non esse, in qua Pelagiana hæresis cum Nestoriana damnata est: sed nec Schismaticæ Synodi à Joanne Antiocheno cum Orientalibus suis coactæ, S. Gregorius ibidem testatur. Ait enim se Acta istius Synodi in Codicibus Romanæ & Ravennatis Ecclesiæ diligentiùs perscrutatum, nihil in ejus Definitione reperisse præter damnationem 12. Capitulorum S. Cyrilli. *Quia ergo*, inquit, *perscrutantes Ephesinam Synodum, nihil in ea tale invenimus contineri, de Ravennate quoque Ecclesia vetustum valde Codicem ejusdem Synodi ad nos deferri fecimus, & Synodo quam habemus, eum ita concordare invenimus, ut in nullo discreparet, & nihil aliud contineret in Definitione anathematis & reprobationis, nisi quòd 12. Capitula B. memoriæ Cyrilli reprobant.*

Denique in Epistola ad Anastasium Antiochenum, (quæ est 48. lib. 7. Indict. 11.) cujus verbis nituntur Autores doctissimi, quos præeunte Norisio, omnium, qui de Pelagiana hæresi Commentarios ediderunt, eruditissimo & accuratissimo Scriptore, impræsentiarum refellimus, S. Gregorius solum contendit Capitula Pelagiana immeritò à quibusdam affingi Ephesinæ Synodo Oecumenicæ, in quâ Pelagiani damnati sunt: sed ne leviter quidem indicat condita fuisse in Schismatica Joannis Antiocheni

Synodo:

Synodo: sed eà tribuit Hæretico nescio cui Pelagiano, qui Codicem illum Annotationibus suis interpolaverat, quem Joannes Constantinopolitanus Romam transmisit. *Sed quia*, inquit, *ex Annotatione hæretici Codicis, qui ad me ex Regia Urbe transmissus est, agnovi per hoc quòd quædam Capitula Catholica cum hæreticis fuerant reprehensa; quia quidam illam Ephesinam primam Synodum in eadem Urbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita, omnino necesse est ut Charitas vestra eandem Synodum apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam requirat, &c. Et cùm Celestius atque Pelagius in ea Synodo sint damnati, quomodò poterant illa Capitula recipi, quorum damnabantur Autores?*

§. VII.

De Seneca Pelagiano.

ANno Christi 493. Gelasio Pontifice Maximo, miserabilis quidam Senex, Seneca nomine, *Non modo totius eruditionis alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus extraneus*, ut Gelasius loquitur, Pelagianam Hæresim in Piceno suscitavit, ejusque tria potissimum propugnavit capita. 1. Injustum esse ut creatura Dei; sine ullis propriis actionibus, cuiquam peccato gignatur obstricta; injustumque esse Deum, si infantes rei efficiantur, antequam nati. 2. Parvulos sine Baptismo decedentes, regno quidem Cœlorum excludi, sed perpetua damnatione non puniri. 3. Hominem per liberum arbitrium, bono suffragante naturæ, beatum effici. Præterea ut pessimo lenocinio Sectam promoveret, *Congregationes dedecorissimas*, (ut loquitur Gelasius) virorum cum sacris Virginibus instituerat. Eò venerat amentiæ, ut Presbyterum sibi non acquiescentem Communione privaret. Tandem SS. Hieronymum & Augustinum verbis procacissimis lacerabat. *Adhuc*, inquit Gelasius, *majus scelus accrescit, ut sub conspectu & præsentia Sacerdotum, beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum, Ecclesiasticorum lumina Magistrorum*, Musca moritura, *sicut scriptum est*, exterminans oleum suavitatis, *lacerare contenderet*. Hunc laudatus Pontifex, omnesque ipsi erroris societate conjunctos, ab Ecclesiæ Communione removit; atque ea de re gravissimam & doctissimam Epistolam ad omnes Piceni Episcopos, per Romulum Diaconum, perferendam dedit; qua eorum imprimis socordiam & negligentiam in custodia gregis, in Hæreticorum coërcitione, & in Canonum observantia coarguit.

ARTICULUS III.

De Pelagianorum erroribus.

§. I.

Eorum errores circa peccatum originale exponuntur.

1. CApitale Pelagianorum dogma, & veluti cæterorum omnium basis, istud erat: *Progenitores humani generis, Adam & Evam, mortales à Deo creatos, nec quemquam posterorum sui prævaricationis transgressos læsisse; sed sibi tantùm nocuisse, seque mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitus nullum.* In Commentariis Epistolæ S. Pauli ad Romanos, cùm ad celebrem illum locum Pelagius venisset; *Propterea, sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit*, &c. eos tantùm reos dixit; atque obnoxios illâ prævaricatione teneri, qui hunc in prævaricandis Dei mandatis voluerint imitari: non omnes, qui ex ejus sunt per successionum seriem semine generati; atque hunc latiùs de sequentibus locis hujus Epistolæ disputat, & pronuntiat, nullum hominem prorsus per generationem læsum fuisse, nec lædi Adæ peccati transgressione; sed imitatione, inquit, quia prior ille in genere humano peccavit, & illum reum & obnoxium fieri, qui hunc propriâ voluntate, non nascendo, sed peccando fuerit imitatus. Hæc totidem verbis Marius Mercator in Commonitorio. Ubi de Cælestio subjungit: Huic Pelagio adhæsit Cælestius. Ausus est palam publicèque his verborum sententiis ejusdem sensum passim disseminare per populos: id est, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus.*

Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læsit, & non genus humanum.

Quoniam infantes qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur, quia neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit.

Quoniam infantes, etiamsi non baptizentur, habent vitam æternam.

Quæ quinque Capitula unam impiissimam, & nefandam sententiam generant, inquit Marius Mercator. De eodem Pelagii errore S. Augustinus testatur lib. de Gestis Pelagii cap. 11. & ult. lib. de Peccato originali, cap. 3. 4. 13. & 15. & passim in libris contra Julianum. Quibus autem rationibus originale peccatum impugnarent, quæ absurda ex ejus propagatione inferrent, videbimus in Panoplia adversùs Hæreses. Consequenter ad hunc errorem, asserebant baptismum non esse necessarium parvulis ad peccati remissionem, sed ut sanctificarentur in Christo, ut adoptarentur in filios, ut regni cœlestis hæredes fierent: ut passim S. Augustinus significat. Legatur ejus Epistola 106. ad Sixtum, versùs finem.

* Posthrema olim num. 186.

2. Concupiscentiam & libidinem non esse malam contendebant Pelagiani. Unde ipsos Patronos, defensores, fautores, & laudatores impudentissimos libidinis passim vocat S. Augustinus in libris contra Julianum. Quem lib. 3. cap. ult. sic alloquitur: *Itane habere tecum libido & amicitiam meretur, & bellum, ut abs te & expugnetur in te, & defendatur adversus me? Bellum vestrum latet, amicitia patet. Ex hoc quod patet, suspectum facis esse quod latet... Quomodo vis ut arbitrentur adversùs aculeum te dimicare libidinis, cùm libros impleas laude libidinis?* Ex damnatione libidinis, damnationem sequi nuptiarum existimabant. Hinc Julianus S. Augustino affingebar, *Quòd diabolo conjugia transcriberet*, (Apud S. Augustinum lib. 6. contra Julianum cap. 8.)

3. *Ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia dicebant esse naturæ.* Ex S. Augustino lib. de Dono Perseverantiæ cap. 11.

4. Asserebant in adultis *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem.* Quam Sententiam de ignorantia invincibili perperam intelligit Jansenius, quam culpa vacare dici non possit, absque Pelagiana Hæresi, in Diospolitana Synodo damnatâ. Nam ratio quâ S. Augustinus, sive ex sua, sive ex Palæstinorum Antistitum mente, hunc refellit *errorem*, omnem ignorantiam spectat, pro qua tanquam pro peccato, Sacrificia in Lege offerebantur. *Cùm in Lege*, inquit, *sacrificia pro ignorantia; sicut pro peccato offerantur.* (Lib. de Gestis Pelagii cap. 18.) At pro vincibili ignorantia facti & juris positivi, Sacrificia offerebantur secundùm Legem, Levit. 5. & 22. Nec obstat, quòd Jansenius urget, quòd Pelagiani falsi sint aliquandò

Castigatur Jansenius Yprensis.

ignorantiam vincibilem vitio verti. Solemne enimverò ac familiare ipsis fuit, ut Catbolicorum oppressi rationibus, cederent nonnihil, atque ut dogmatis sui caput tuerentur, alia quædam remitterent. Sic fatebatur Pelagius, quod antea negaverat, ignorantiam facti, seu positivi juris esse culpabilem, neque id curabat, modò retineret, quod sui caput erat dogmatis, bominem ad depellendam ignorantiam divinæ lucis radio non indigere. Hinc S. Augustinus lib. de Natura & Gratia, cap. 17. cùm ejus verba citasset, quibus concedebat esse culpandam ignorantiam, quia id bomo nescit negligentiâ sua, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset, sic ea castigat: *Dum tamen omnia potius disputet, quàm ut oret & dicat: Da mihi intellectum ut discam mandata tua.* Nec etiam Jansenii causam juvant illa verba, quæ in Cælestii propositione vim rationis habent: *Quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* His enim postremis verbis illa quidem excluditur ignorantia, cujus voluntas ipsa causa est, quam Scholastici directè voluntariam appellant, quia *secundùm voluntatem evenit*, voluntate nimirum illam procurante & affectante: sed ea non excluditur, quæ ex voluntate non trahit originem, quæque idcirco tantùm indirectè volita nuncupatur, quia scilicet ad eam propulsandam voluntas non omnem diligentiam adhibet, quam tenetur & potest. Unde secundùm necessitatem dicuntur potiùs evenire, quæ ex ea fiunt, quàm secundùm voluntatem. Sed de bis aliàs.

5. Mortem, cæterasque bumanæ vitæ miserias peccati pœnam esse Pelagiani negabant, teste S. Augustino lib. 1. Operis Imperfecti contra Julianum, sic illos alloquente: *Judicia Dei vos evertitis, qui generis humani miserias, incipiente à parvulis, sine ullo peccati merito fieri dicitis.*

6. Parvulis sine baptismo morientibus vitam æternam promittebant, à regno Cœlorum distinctam, quod nonnisi baptizatis tribui fatebantur, victi Christi sententia, Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ita sensisse Pelagianos, testis est S. Augustinus lib. de Hæresibus c. 88. dicens: *Promittunt eis, extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.* Et lib. 1. de Anima & ejus Origine cap. 9. *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat, inter damnationem regnumque Cælorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum: hoc enim eis Hæresis Pelagiana promisit.*

§. II.

De Pelagianorum erroribus circa liberi arbitrii vires.

Perstringitur Jansenius reprehensus.

1. ERrasse Pelagianos in explicanda libertatis natura & potestate, cùm eam in quadam indifferentia ad plura constituerunt, falsò asseruit Jansenius lib. 2. de Hæresi Pelagiana c. 1. Nam S. Augustinus nusquam eos pro Hæreticis accusavit, vel damnavit Ecclesia, quòd in definienda libertatis naturâ errarent, aut indifferentiam libertati essentialem assererent. Imò eorum dogma de natura liberi arbitrii Catholicum esse S. Augustinus fatetur lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 3. ubi Juliano respondet, qui sic cum Catholicis expostulaverat: *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur.* Cui sic occurrit S. Augustinus: *Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum nascentium conditorem, utrique dicimus. Non hinc estis Cælestiani & Pelagiani. Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adjutorio, dicit esse in hominibus liberum arbitrium: & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget à potestate diaboli Redemptorem; ipse Cælestianus & Pelagianus vocatur.* Hinc S. Augustinus indifferentiam ad utrumlibet, essentialem esse libertati cum Pelagianis sentit: *Nemo peccat*, inquit, *in eo quod caveri nullo modo potest.* (Lib. 3. de Libero Arbitrio c. 8.) *Peccatum est voluntas amittendi, vel retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere* (inquit, lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum c. 43. & 44.) quam definitionem Julianus probat, Sententiam illam vocans, *Aurum lucens in stercore.* Et lib. 2. de Peccatorum Meritis cap. 18. vocat, *arbitrium voluntatis, quod huc atque illuc liberum flectitur.* Error igitur est asserere, quòd erraverint Pelagiani libertatem arbitrii in indifferentia ad utrumlibet constituentes.

2. Sed in eo erraverunt, quòd liberum arbitrium æquè sanum, æquè validum, æquè perfectum, æquè felix in Adami posteris admitterent atque propugnarent, ac in Adamo ipso, non verò infirmum, saucium, captivum, quâ ex infirmitate convalescere, quâ ex servitute eripi non possit, nisi gratiâ Salvatoris sanetur, & liberetur: quod S. Augustinus contra Pelagianos cum Ecclesia Catholica asserebat. Decretum erat Pelagii, *Peccatum non potuisse humanam debilitare, vel mutare naturam:* (Apud S. Augustinum lib. de Natura & Gratia, c. 19.) Dogma erat Juliani, *Ad operandam justitiam liberum arbitrium & post peccata tam plenum esse, quàm fuit ante peccata.* Contra verò S. Augustinus, proximam potestatem ad bonum amissam esse Adami peccato, & ipsi & ejus posteris, asserit, eamque non restitui, nisi gratiæ beneficio, lib. 3. ad Bonifacium cap. 8. *Liberum arbitrium captivatum, nonnisi ad peccatum valet: ad justitiam verò, nisi divinitus liberatum, adjutumque, non valet.* Lib. 1. ad eundem cap. 2. *Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana indiget gratiâ, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Utique liberi ad bene justeque vivendum.* Lib. de Correptione & Gratia, cap. 12. *Nunc posteaquàm illa magna peccati merito amissa est libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.*

3. *Ἀπάθειαν* inducebant Pelagiani, seu passionum impassibilitatem: id est, in hominis esse potestate censebant ne perturbationum motus pateretur, nec esse causam cur ad hoc Dei posceretur auxilium. (Ex S. Augustino lib. 2. contra Julianum, cap. 8. & ex S. Hieronymo in Dialog. adversus Pelagianos.) Ex hoc errore sequebatur alter, quo asserebant, sufficere liberi arbitrii vires ad non peccandum: & ad eam justitiæ perfectionem hominem pervenire posse, ut sine omni prorsus peccato vivat. Id constat ex S. Augustino lib. 2. de Peccatorum Meritis, & lib. de Perfectione Justitiæ, ubi hunc errorem refert.

Juliani Pelagiani [illegible] bus & bonis operibus ex- [illegible]

4. Virtutes esse Dei dona, Pelagiani negabant, easque naturæ & voluntati humanæ, non gratiæ tribuebant, eo freti argumento, quòd eis nonnunquam infideles sint instructi. (Ex S. Augustino lib. 4. contra Julianum, cap. 3.) *Soletis*, inquit, *negantes Dei dona esse virtutes, quibus rectè vivitur, & eas naturæ voluntatique humanæ, non Dei gratiæ tribuentes, hoc uti argumento, quòd eas nonnunquam habeant infideles: ita conantes evacuare quod dicimus, neminem rectè vivere, nisi ex fide per Jesum Christum Dominum nostrum.* Et infrà: *In quo enim vis hominem sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari, ac sic priorem dare, ut retribuatur illi; eoque modo gratia jam non sit gratia,* quia

quia non est gratuita. Et infrà ; *Sed acerbissimi gratiæ hujus inimici, exempla nobis opponitis impiorum quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum, qui solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebrò, & modesti, & casti inveniuntur.*

Propugnabat præterea Julianus, infideles his virtutibus justos evadere. Id colligitur ex S. Augustino ibidem. *Sed absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide: Justus enim ex fide vivit. Quis porro eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum, sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus?* Quo ex errore Juliani, graviorem alterum sequi S. Augustinus colligit, scilicet infideles ad gloriam pervenire posse. *Quomodo*, inquit, *est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuerimus, nihil erit causa cur eos non ad illud regnum pervenire dicamus, de quo scriptum est: Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum.* Et paulò-post: *Per quod enim vera justitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse (quod absit) erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus; cùm & ipsum ejus regnum justitia sit. Porro si veram justitiam non habent impii, profectò nec alias virtutes comites ejus & socias: quia cùm non ad suum referuntur Auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti.*

Tertiò contendebat Julianus, ad veræ germanæque virtutis rationem satis esse, quòd actio bona esset officio, quamvis fine bona non esset, id est, quòd ejus solum objectum rectum esset, pravus verò finis etiam proximus. Id colligitur ex S. Augustino, ibidem Julianum his verbis alloquente: *An placet tibi ut veras virtutes avarorum esse dicamus, cùm lucrorum vias prudenter excogitant; cùm pro acquirenda pecunia, sæva atque aspera multa fortiter tolerant; cùm varias cupiditates, quibus sumptuosè vivitur, temperanter sobriéque castigant; cùm abstinent ab alieno, & de suo sæpe amissa contemnunt, quod videtur ad justitiam pertinere, ne jurgiis & judiciis plura consumant? Cum enim aliquid agitur prudenter, fortiter, temperanter, & justè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundùm tuam disputationem, veræ virtutes sunt, si ad cognoscendum utrum veræ sint, hoc tantummodò intuendum quod agitur, nec causa quærenda est cur agatur.* Ne autem affingere Juliano putetur S. Augustinus, hoc ipsius esse dogma propriis ejus verbis comprobat: *Cunctarum*, inquis, *origo virtutum in rationali animo sita est, & affectus omnes, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus, in subjecto sunt mentis nostræ, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis, cùm insit omnibus naturaliter*, inquis, *non tamen ad unum finem in omnibus properat; sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm sit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt: sed in eo solo variant, quod merentur. Nec nominis sui igitur*, inquis, *possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius, quod appetiverunt, præmii, aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* His Juliani verbis recensitis, infert ex iis S. Augustinus, consequens esse ut sint veræ virtutes avarorum prudentia, justitia, temperantia, fortitudo, qui, ut ait Horatius:

Per Mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes.
Ergo, inquit, *virtutes istæ tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ veræque virtutes; tibi tamen ita veræ videntur & pulchræ, ut nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium, sed solius, quod appetiverunt, præmii exilitate frustrentur, id est, terrenorum commodorum fructu, non cœlestium præmiorum.* Inde rursus colligit S. Augustinus consequens esse ut sit vera justitia Catilinæ, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat.

Et infrà: *Noveris itaque, non officiis, sed finibus, à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, cujus dominam repereris avaritiam. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitia: sed cùm quæritur quare fiat, & respondetur, Ne plus pecuniæ litibus pereat: quomodo jam hoc factum vera poterit esse justitia, cùm serviat avaritiæ? Quales virtutes Epicurus induxit, voluptatis ancillas, quæ omnino quicquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam. Absit autem ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum cui dicimus, Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuslibet commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt: quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo serviunt in Angelis, a quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

Quartò censebat Julianus, non prohibere fidei absentiam in Ethnicis quo minùs absolutè sint boni, quamvis steriliter boni sint. Id constat ex S. Augustino, ibidem Julianum his verbis refellente: *Quapropter dici non potest quantùm te ista fallat opinio, quâ dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus. Fieri enim non potest ut steriliter boni simus; sed boni non sumus, quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas.*

Quintò, de Ethnicis intelligi volebat Julianus locum illum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui habent opus legis scriptum in cordibus suis.* Id testatur ibidem S. Augustinus, Julianum his verbis compellans; *Per hos enim probare conatus es, etiam alienos à fide Christi, veram posse habere justitiam, eò quod isti, teste Apostolo, naturaliter quæ legis sunt, faciunt. Ubi quidem dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tollit peccatum mundi, evidentiùs expressisti: introducentes hominum genus, quod Deo placere possit sine Christi fide, lege naturæ. Hoc est unde vos maximè Christiana detestatur Ecclesia. Sed quid vis esse istos? Utrum veras virtutes habent, & steriliter boni sunt, quia non propter Deum: an etiam Deo ex his placent, atque ab illo vitâ remunerantur æterna?* &c.

Et infrà: *Et tamen cùm sine fide impossibile sit Deo placere, tibi virtutes sine fide sic placent, ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines; & rursus, quasi te pœnituerit laudis earum, steriles pronuntiare non dubites.*

Sextò, contendebat Julianus, non obstare Ethnicorum virtuti, quòd animum gererent à fide alienum, & actus illos, quos etiam ad Idoli cultum referunt, esse bonos censebat, ex iisque bonam ipsorum evadere voluntatem. Id, quod jam innuimus, evidentiùs colligitur ex S. Augustino ibidem, ubi

Julianum

Julianum ita objicientem inducit : *Si Gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* Cui sic occurrit S. Doctor : *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est : sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.*

Et infrà : *Responde, ut hoc sine dubitatione perspicias, utrum bonam misericordiam existimes infidelem. Porrò si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est infideliter misereri. Quod si & ipsâ per se ipsam naturali compassione opus est bonum; etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit qui infideliter facit : Qui autem malè facit aliquid, profectò peccat : ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles; non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stultâ & noxiâ faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est. Et ideò Deus istas arbores non potest diligere; &, si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est placere Deo. Sed ita hic memoror, quasi istas arbores non jam tu ipse steriles pronuntiaveris Quomodo igitur, objectio, non aut jocaris in his disputationibus, aut deliras, qui sterilium fructus arborum laudas? Qui utique aut nulli sunt, aut, si mali sunt, laudandi non sunt; aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt; imò & bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere, falsùmque erit quod scriptum est, Sine fide impossibile est Deo placere. Sed responsurus es, quid nisi vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt; non ab eo vitam consequuntur æternam.* Quod refellit S. Augustinus ab absurdo : *Justus ergo Deus & bonus*, inquit, *bonus est in mortem infernam æternam?*

Et infrà : *Aut ergo intellige quod ait Dominus : Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit : Si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit : & hunc oculum agnosce intentionem, quâ facit quisque quod facit : & per hoc disce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.*

Denique ex Juliani principiis consequens erat : Ethnicis non esse denegandam vitam æternam, quam Pelagiani infantibus sine baptismo decedentibus concedebant; siquidem ejus sensu, ipsis fidei privatio non nocebat, si recta opera exercerent. Istud constat ex S. Augustino ibidem. *An fortè & istis, qui exhibuerunt terrenæ Patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili, non verâ, sed verisimili, dæmonibus, vel humanæ gloriæ servierunt, Fabriciis videlicet, & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus, & Camillis, cæterisque talibus, sicut infantibus qui sine baptismate moriuntur, provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnúmque cælorum; ubi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide placere impossibile est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt? Non opinor perditionem vestram usque ad istam posse imprudentiam prosilire. Erunt ergo, inquis, in damnatione sempiterna, in quibus erat vera justitia? O vocem impudentiâ majore præcipitem! Non erat, inquam, in eis vera justitia; quia non actibus, sed finibus pensantur officia.* Non tamen sibi constabat Julianus : asserebat enim aliunde, Ethnicos utpote steriliter bonos, non fore vitæ æternæ participes, adeòque multa in terminis pugnantia ejus error complectebatur? *Aut certè*, inquit, S. Augustinus, *Quoniam saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnúmque perducere : scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri : per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnúmque perduci.* Hanc Juliani Pelagiani de infidelium bonis operibus, & virtutibus sententiam uberiùs & accuratiùs exposui, ut videas quantum ab illa distet communis Theologorum opinio, qui aliqua opera bona fieri ab ipsis posse, & interdum elici propugnant, quamvis admodum infrequentia, & ad salutem æternam nihil conferentia : & quantùm à veritate aberraverit Jansenius Yprensis, qui illam cum errore Juliani inscitè & temerè confudit.

Notatur Jansenius Yprensis.

§. III.

De Pelagianorum erroribus circa Gratiam. Primus Pelagianæ Hæresis status.

PElagiani, *Dei gratiæ in tantum inimici fuerunt, ut sine hac posse hominem crederent facere omnia divina mandata* (inquit S. Augustinus lib. de Hæresibus cap. 88.) Non una ipsis fuit erroris istius propugnandi ratio, sed multiplex & varia, quæ variis Hæreseos Pelagianæ distinguendis statibus ansam dedit.

Cùm primùm Hæresim promulgavit Pelagius, nullam omnino gratiam admittebat, sed naturam solam, & ingenitas liberi arbitrii vires ad omne opus bonum ac meritorium sufficere propugnabat. Hinc in laudem naturæ librum conscripsit, quem ad S. Augustinum miserunt religiosi adolescentes Timasius & Jacobus, à Pelagiana hæresi recens conversi, anno 414. Quod Opus confutavit S. Augustinus libro quem inscripsit *De Natura & Gratia* In quo Pelagii nomini pepercit, ne ipsum offenderet, utque ejus errori, si fieri posset, mederetur. Mentem verò Pelagii hanc fuisse, quòd natura sola ad opera recta sufficeret, satis declarat cap. 2. ubi ait : *Si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Et cap. 40. *Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum quomodò vivere debeant, & ad bene vivendum, sufficit sibi : ergo Christus gratis mortuus est.* Et cap. 53 *Quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est : verâ confessione, non falsâ defensione opus habet. Gratia ergo Dei, non quâ instituatur, sed quâ restituatur, quæratur; quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria, cùm tacetur.* Et cap. 55. sic ad hominem argumentatur contra Pelagium. *Habet posse* (homo) *per naturale subsidium; habet velle per liberum arbitrium : cur quærit Baptismatis Sacramentum?* Idem constat ex eodem S. Doctore, Sermone 11. de Verbis Apostoli cap. 2. ubi contra Pelagianos urget hunc versum Psalmi 99. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quare enim*, inquit, *addidit, Et non ipsi nos, cùm sufficeret dicere, Ipse fecit nos? Nisi quia illam facturam voluit admonere, ubi dicunt homines; Ipsi fecimus nos; id est, ut justi essemus. Justos nos liberâ voluntate fecimus, quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus : ut ergo justi simus, libero id arbitrio agimus. Quid adhuc Deum invocamus ut justos nos faciat, quod habemus in potestate?* Et post : *Hæc vobis contra novellam Hæresim quæ tentat assurgere, sæpe disputare cogimur.... Hæc enim est disputatio eorum quando primò exoriri cœperunt, & contra gratiam disputare.*

Idem constat ex Epistola Synodica Concilii Carthaginensis ad Innocentium I. Pontificem Maximum in qua sic Pelagianorum dogma proponitur : *Isti autem asserunt in eo gratiam Dei deputandam, quòd*

talem

talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in Literis datam.

Idem constat ex Epistola Innocentii I. ad Concilium Carthaginense. *Et qui nos*, inquit, *adjutorio negas indigere divino, quasi ex nostrâ in totum possibilitate perfectos*, &c. Et post: *Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quòd liberum arbitrium, cùm nasceremur, accepimus, ultra jam à Domino nihil quæramus: id est, Autoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos abjuremus: quasi jam amplius, quod dare possit, non habeat, qui te in ortu tuo liberum fecit?*

Ethnicismus & Semi-Ethnicismus quos status Hæresis Pelagianæ malè distinguunt.

Ab hoc Pelagianæ Hæreseos statu non differt ille, quem alii Semi-Ethnicismum vocant, in quo Pelagius gratiam nomine tenus admisit, ipsam naturam, & liberum arbitrium in quo conditi sumus, gratiam appellans. Quâ de re S. Augustinus Sermone 11. de Verbis Apostoli, cap. 7. ita scribit: *Disputantes ergo contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & Catholicis offensionem. Cœperunt horreri, cœperunt ut certa pernicies devitari, cœpit de illis dici, quòd contra Gratiam disputarent: & invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum: Non, inquit, contra gratiam Dei dispute. Unde probes? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quòd liberum arbitrium defendo. Videte acumen, sed vitreum. Quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate.* Tum sic ratiocinantem inducit Pelagium. *Hominem quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum arbitrium dedit, quicquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, nisi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio?* Quod ratiocinium sic refellit S. Augustinus: *Videte quomodo generalem illam gratiam prædicent, quâ creatus est homo, quâ homines sumus: utique & cum impiis homines sumus: sed non cum impiis Christiani sumus. Hanc ergo gratiam quâ Christiani sumus, ipsi volumus prædicent*, &c. Et cap. 4. *Communis est omnibus natura, non gratia.*

Emendatur Jansenius Yprensis.

Hæc itaque loquendi ratio, quâ modò naturam tantùm profitebatur Pelagius, modò gratiæ nomen usurpabat, sed impropriè, naturæ beneficium spectans quasi gratuitum munus, perperam à Jansenio Yprensi duos in status distribuitur, quorum alter sit Ethnicismus, alter Semi-Ethnicismus. Nullum quippe inter eos discrimen est, quàm vocis, quam ne ipsi quidem Ethnici respuissent. Quis enim Philosophorum fassus non esset naturæ nostræ dotes à summâ Dei optimi in nos liberalitate proficisci? Quis gratiæ vocabulum, quo sensu illud sumebat Pelagius, amplecti dubitasset? Cùm passim, non apud Philosophos modò, & falsorum Numinum cultores paulò magis religiosos; sed & apud Poëtas omnes antiquos longè minùs pios, legamus nostra omnia gratis à Superis esse nobis concessa.

Tandem ad eumdem Pelagianæ Hæreseos statum variam illam loquendi rationem pertinere, quam in duos Jansenius distinguit lib. 5. de Hæresi Pelagiana, testis est S. Augustinus lib. de Natura & Gratia, cap. 51. *Ut autem*, inquit, *declinetur invidia, quâ Christiani etiam pro salute suâ clamant & dicunt: Quare sine adjutorio gratiæ Dei dicis hominem posse non peccare? Ipsa, inquit, non peccandi possibilitas, non tam in arbitrii potestate, quàm in naturæ necessitate est. Quicquid in naturæ necessitate positum est, ad naturæ pertinere non dubitatur Autorem, utique Deum. Quomodo ergo, inquit, absque Dei gratia dici existimatur, quod ad Deum propriè pertinere monstratur? Expressa est Sententia quæ latebat, non est quemadmodum posset abscondi. Ideo Dei gratiæ tribuis non peccandi possibilitatem, quia ejus naturæ Deus Autor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicis.*

§. IV.

Exponitur alter Hæreseos Pelagianæ status.

PRæter gratiam, quam in naturæ dono constituebat Pelagius, alteram desiderabat, in Lege scilicet ac doctrina positam, atque etiam in exemplo Christi. Nec tamen cùm hoc gratiæ genus admisit, à priori dogmate & loquendi ratione recessit, sed naturam semper ostentavit, quasi causam humani meriti sufficientem, eique parem, sicut initio suæ Hæreseos, non sic naturam commendavit, quin Legem admitteret. Unde S. Augustinus lib. de Natura & Gratia, cap. 16. contra Pelagium statuit, *Legem* quidem *imperare*, sed *fidem impetrare*.

Hunc velut alterum Hæreseos Pelagianæ statum S. Augustinus delineat, lib. de Gratia Christi cap. 2. & 3. *Quoniam*, inquit, *solent dicere nobis, in eo Christum ad non peccandum præbuisse adjutorium, quia ipse justè vivendo, justeque docendo reliquit exemplum, possunt etiam ad hoc ista verba coaptari, ut dicant, per singula momenta, per singulos actus, necessariam nobis esse hujusmodi gratiam: id est, ut in omni conversatione nostrâ intueamur Dominicæ conversationis exemplum.*

Et cap. 3. ubi præmisit Pelagium in Palæstina Synodo fictè damnasse eos qui dicerent, *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in Lege atque Doctrina*: & eos etiam qui docerent, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari*, continuò subjungit: *Tamen in Libris quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in Epistola quam Romam misit, nihil aliud sentire monstratur, quam id quod damnasse videbatur. Nam gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in naturâ & libero ponit arbitrio, aut in Lege atque doctrina: ut videlicet cùm adjuvat Deus hominem ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & ostendendo quid fieri debeat adjuvare credatur, non etiam cooperando, & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat.*

Et cap. 7. *Hinc itaque apparet, hanc eum gratiam confiteri, quâ demonstrat & revelat Deus quid agere debeamus: non quâ donat atque adjuvat ut agamus; cùm ad hoc potiùs valeat Legis agnitio, si gratia desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio.*

Et cap. 9. *Quid est ergo quod iste Legem atque Doctrinam computat gratiam, quâ juvamur ad operandam justitiam: quæ ut multum adjuvet, ad hoc adjuvat ut gratia requiratur? Nemo enim potest Legem implere per legem. Plenitudo enim legis charitas: Charitas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Proinde per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam compleatur. Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eamdem rem dicit, ut non intelligatur in Lege neque Doctrinâ gratiam constituere, quâ possibilitatem naturæ asserit adjuvari?*

Et cap. 41. expendens Pelagii Libros de libero arbitrio, ait: *In his etiam quatuor Libris, quæcunque pro gratia videtur dicere, quâ adjuvamur ut declinemus à malo bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, quâ naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in Lege atque Doctrinâ: ita ut ipsas quoque orationes, ut in Scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divinâ revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.*

De

De Christi autem exemplo, quod Legi atque Doctrinæ Pelagius adjungebat, hæc subjungit S. Doctor: *Sed hoc adjutorium Legis atque Doctrinæ etiam Propheticis fuisse temporibus: adjutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur: ut videlicet tanquam viâ demonstratâ, quâ ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via, quamvis & ipsam viam contendat etiam solâ inveniri posse naturâ, sed facilius si adjuvet gratia.*

§. V.

Gratia Legis & Doctrinæ, quam Pelagius admisit, interiorem mentis illuminationem, non motionem voluntatis complectebatur.

ID ex S. Augustino certum est, lib. de Gratia Christi, cap. 7. ubi hanc explicandæ gratiæ rationem ipsis Pelagii verbis proponit. De gratia dixerat Pelagius: *Quam nos, non ut tu putas, in Lege tantummodo, sed & in adjutorio esse confitemur.* Mox qualem gratiam intelligeret, exposuit his verbis: *Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Hanc autem illustrationem intellectus, ad Legem & Doctrinam duntaxat pertinere, Pelagii etiam sensu, notat ibidem S. Augustinus. *In his omnibus*, inquit, *non recessit à commendatione Legis atque Doctrinæ, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans: & hoc exequens quod proposuerat, cùm diceret, Sed in Dei esse adjutorio confitemur. Denique Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit, commemorandum doctrinam & revelationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminationem; ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in Lege atque Doctrina.*

Et cap. 10. eamdem gratiam à Pelagio commendari dicit, quâ *Deus operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum revelatione sapientiæ, in desiderium Dei stupentem excitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* Hanc autem suasionem boni, non ad aliquem impetum à Deo impressum voluntati, sed ad solam intellectus illuminationem, quæ voluntati extrinseca est pertinere Pelagii sensu, docet ibidem S. Augustinus. *Quid manifestius*, inquit, *nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam Legem atque Doctrinam? In Lege namque & doctrina sanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quòd sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cùm suadetur omne quod bonum est.*

Exponit denique ibi S. Augustinus, quam gratiam admittere Pelagius debeat, ut Catholicus censeatur. *Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur & speratur; nec solùm revelatur sapientia, verùm etiam & amatur: nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm & persuadetur.... Quorum autem sit fides, & quibus persuadeatur, ut ad eum veniant, satis demonstravit, ubi ait: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus.*

Et cap. 13. Gratiam Pelagianam longè alio sensu doctrinam appellari ostendit, quàm gratiam Christianam, quâ *docibiles Dei* dicuntur, qui secundùm propositum vocati sunt. *Hæc gratia*, inquit, *prædestinatos, & secundùm propositum vocatos, ad summam perfectionem glorificationemque perducit. Quâ gratiâ agitur, non solùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec solùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus.* Et cap. 13. *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere.*

§. VI.

Gratia Christi, secundùm Pelagianos, non tantùm doctrinam Evangelicam & exemplum virtutis; verùm etiam remissionem peccatorum complectebatur.

SI dogma Pelagianum specie tenus consideremus, videbuntur illi Hæretici gratiam Christi, à natura & lege distinctam admisisse. Dicunt enim (ut refert S. Augustinus lib. de Gratia & Libero Arbitrio cap. 13.) *Etiam gratiam Dei, quæ data est per Fidem Jesu Christi, quæ neque est Lex, neque Natura, ad hoc tantum valere ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.* Ne tamen putes Pelagium existimasse, fidem Christi ad salutem ita necessariam esse, tanquam vis ulla & gratia meritis illius subministraretur: sed quòd pars Legis sit divinum illud præceptum, ut in Christum credatur. Sic enim ille in Commentariis Epistolæ ad Romanos, in cap. 10. *In hoc tempore nemo perficit legem sine Christo: quia & hoc Legis est ut ipsi credatur.* Ex quibus perspicuè constat, Pelagium gratiam ad salutem necessariam, præter naturam & liberum arbitrium, solâ Lege ac Doctrina definivisse: maximè quatenus Evangelium ac Fidem Christi complectitur. Et quia hoc gratiæ genus, id est, Christi Incarnatio & Passio, & hujus prædicatio, quæ est Evangelium, nullis hominum meritis, sed gratis ac liberaliter à Deo indultum est; idcirco remissionem peccatorum sine meritis dari subdolè Pelagius asseruit, non quòd nulla eam præcederent liberi arbitrii merita: sed quòd ista ipsa merita, si deesset Fides, quam naturalibus viribus proposito sibi Evangelio præbere hominem Pelagius censebat, remissionem illam assequi non possent. Hic sensus Pelagiani illius Decreti, quod refert S. Augustinus, lib. de Gratia & Libero Arbitrio, cap. 6. *Hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur.* Alias assertionis istius Pelagianæ rationes affert Jansenius Yprensis lib. 5. de Hæresi Pelagiana, quarum confutationem videre potes apud Petavium lib. de Pelagiana & Semipelagiana Hæresi, cap. 3. Tom. 3. Theologicorum Dogmatum.

Porrò doctrinam & exemplum Christi dictæ remissioni adjungebant, ut peccata futura caverentur, ut testatur S. Augustinus lib. de Gratia Christi,

cap.

cap. 42. *Solent*, inquit, *dicere nobis, in eo Christum ad non peccandum præbuisse adjutorium, quia justè ipse vivendo, justéque docendo, reliquit exemplum.* Id ipse explicat Pelagius apud S. Augustinum cap. 38. ejusdem Libri. *Nam si ante Legem*, inquit, *ac multo ante Domini nostri & Salvatoris adventum, justè quidam & sanctè vixisse referuntur: quantò magis, post illustrationem adventus ejus, nos id posse credendum est, qui restaurati per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine ejus expiati, atque mundati, ipsiúsque exemplo ad perfectionem incitati justitia, meliores illis esse debemus qui ante Legem fuere: Meliores etiam quàm fuere sub Lege, dicente Apostolo: Peccatum vobis non dominabitur; non enim estis sub Lege, sed sub Gratia?*

Hac autem Doctrinæ & Exempli Christi commendatione Christianis auribus tantummodo ludificati sunt Pelagiani, nec aliam efficacioremve gratiam admiserunt, quàm Legem. Doctrina enim Christi, & quod in ea continetur, ipsius exemplum, forinsecus, quemadmodum & Lex, auribus insonant, cor non tangunt intrinsecùs ac immutant. Hinc S. Augustinus lib. de Gratia Christi, cap. 39. quibusdam Pelagii verbis recensitis, quibus asserebat, *Christum credentibus sibi primò omnia per Baptismum peccata dimittere, deinde imitatione sui ad perfectam incitare sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincere exemplo:* Continenter subjungit: *Ecce quomodo vult intelligi adjuvari eos qui sub Lege peccant, ut per gratiam Christi justificati liberentur, tanquam eis non sufficiat sola Lex propter nimiam peccandi consuetudinem, nisi Christi accedat, non inspiratio charitatis per Spiritum Sanctum, sed intuendum & imitandum in doctrina Evangelica virtutis ejus exemplum.* Et paulò post: *Hanc iste* (Christi gratiam) *cùm constituat, non in virtutis ejus auxilio, sed imitationis exemplo: quid ampliùs de illo sperare debemus, ubicumque gratia nomen sub ambigua generalitate commemorat?*

§. VII.

Pelagiani Gratiam Habitualem divinitus infusam agnoverunt, & prædicarunt.

OMnes enimverò effectus tribuerunt gratiæ Christi, quos in gratiam habitualem refundimus, scilicet abstersionem peccatorum. (Ex Juliano apud S. Augustinum lib. 2. Operis Imperfecti) *Gratia enim Christi*, inquit, *pro efficacissima potestate Medicina, quæ criminibus admovetur, diversas species reatuum unius vi consecrationis abstergit.* Et, *Gratia infusa semel uno virtutis suæ compendio atque impetu diversa delet crimina.* 2. Ipsam desiderabant ad innovationem. *Gratia Christi*, inquit Julianus, *quos fecerat condendo bonos, facit innovando meliores.* 3. Ad naturæ instaurationem. *Instaurati per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus* (inquit Pelagius in Epist. ad Demetriadem) 4. Ad regenerationem. *Cùm enim*, (inquit Julianus apud S. Augustinum lib. 6. c. 10.) *Deus parvulis nihil de proprio tam boni, quàm mali merentibus, gloriam regenerationis attribuit, hoc ipso eos ad suam curam, ad suum jus, ad suum dominium pertinere docet, quòd eorum voluntatem ineffabilis prævenit beneficii largitate.* 5. ad finem. *Cogebantur enim parvulos baptizatos in credentium numero deputare, & auctoritati sanctæ Ecclesiæ ubique consentire, quæ Fidelium nomine eos non censet indignos, quibus justitia Christi, etiam secundùm ipsos* (Pelagianos scilicet) *prodesse nonnisi credentibus posset.* (Ex S. Augustino lib. 3. de Peccatorum Meritis, c. 2.) 6. Ad justificationem: ut constat ex Juliano apud S. Augustinum lib. 2. Operis imperfecti dicente: *Ideò ait Apostolus, ex multis delictis in justificationem; id est, ex multis delictis liberatos homines ad gloriam perducit justificationis indulta.* 7. Ad sanctificationem in Christo. Aiebat enim Pelagius, *Non ideò parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo*; ut se Carthagine audivisse testis est S. Augustinus lib. 3. de Peccatorum Meritis, c. 6. 8. Ad unctionem Spiritûs Sancti. Scilicet Pelagiani Christum Jesum dividebant, ut majoribus Jesus esset, propter peccata à quibus salvantur; parvulis tantùm Christus, propter unctionem bonorum, quæ eis in Baptismo conferuntur. (Ex S. Augustino lib. 1. contra Julianum cap. 4.) Contra quos c. 7. ait: *Unde etiam matres quotidie toto orbe terrarum, non ad Christum tantùm, id est, ad unctum, sed ad Christum Jesum, id est, etiam Salvatorem, cum parvulis currunt.* 9. Ad adoptionem. Hinc S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium c. 6. Pelagianos sic compellat. *Regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis, imò etiam prædicatis.* 10. Ut templum Dei homines fierent, ait enim Pelagius in 2. ad Corinthios c. 5. *Tribus modis inesse Deum legimus; Secundùm infinitatem, omni creaturæ: Secundùm sanctificationem & peculiarem inhabitationem, in Sanctis: Secundùm plenitudinem divinitatis, in Christo.* 11. Ut fiant hæredes regni cælestis. Dicunt enim Pelagiani apud S. Augustinum lib. 1. de Peccatorum Meritis c. 1. ideò parvulos baptizari, *Ut spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo, & ipsius regni cælorum participes fiant eo modo filii & hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Ex quibus perspicuum est, Pelagianos gratiam habitualem divinitus infusam agnovisse, quæ tot effectus in hominum animis præstaret.

Nec est quòd quispiam objiciat, Pelagium gratiam omnem respuisse, quæ datur aliquâ *subministratione virtutis*, vel, *subministratione Spiritûs Sancti*: ut colligitur ex S. Augustino Epist. 95. & lib. de Gratia Christi c. 2. adeoque gratiam habitualem non admisisse, quæ sanè per Spiritum Sanctum subministratur. De gratia enim actuali bis in locis loquitur S. Augustinus, quæ à Pelagio posita est in Lege & doctrina, non in virtutis subministratione. En verba S. Doctoris; *Sive enim gratiam dixerit esse liberum arbitrium; sive gratiam esse remissionem peccatorum; sive gratiam esse legis præceptum; nihil eorum dicit, quod per subministrationem Spiritûs Sancti pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas.* Quibus verbis non significat S. Augustinus, gratiæ habitualis, sed actualis auxilium à Pelagianis respui: non illud quod in ipsa justificatione semel confertur, sed quod ingruentibus tentationibus quotidiè datur: Non illud quod præterita peccata expungit, sed quod futuris cavet: Non illud pro quo impetrando dicitur; *Dimitte nobis debita nostra:* sed pro quo dicitur: *Ea ne nos inducas in tentationem.* Hunc esse genuinum S. Augustini sensum perspiciet, quisquis locum paulò attentiùs intuebitur. Cùm enim dixisset, Remissionem peccatorum non esse illud quod pertinet ad tentationes vincendas: hanc illius effati subjicit probationem: *Hinc enim oramus*, inquit, *ut peccatorum tentationem superare possimus, ut Spiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet infirmitatem nostram... Qui autem orat & dicit: Ea ne nos inferas in tentationem, non utique id orat ut homo sit, quod est natura: Neque id orat ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit, cùm crearetur ipsa natura. Neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superiùs dicitur: Dimitte nobis debita nostra. Orat ergo ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali. Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio..... Hæc ille*

confiteatur, & illum gaudebimus sive rectum, sive cor rectum.

Cùm autem ait lib. de Gratia Christi c. 2. Pelagium, etsi gratiam Dei, quâ Christus venit peccatores salvos facere, in solâ remissione peccatorum constituat, posse huic sensui accommodare verba, quibus eam *per singulos actus nostros esse necessariam*, apud Albinum, Pinianum, & Melaniam, non absque fuco, professus est, & dicere: *Ideò eam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, ut semper in memoria retinentes, & reminiscentes dimissa esse nobis peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propria voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit, per singulos actus recordantes.* Cùm, inquam, hæc ait S. Augustinus, actualem virtutis subministrationem à Pelagio repudiatam pariter significat, non habitualem. Illam enim intelligit, quâ Pelagium sequenti capite refellens, ait, Deum adjuvare *cooperando, & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat.* Illam intelligit, pro quâ Apostolum orare dicit: *Oramus ad Deum ne nihil mali faciatis.* (c. 25.) Illam intelligit, quâ nisi adjutum sit liberum arbitrium, non venit ad Patrem. (c. 14.) Illam intelligit, quâ dicit Dominum respexisse S. Petrum, cùm ipsi *Misericordia latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ suâ visitavit, interioris hominis usque ad exteriores lachrymas, movit & produxit affectum.* (c. 45.) An porrò gratia illa habitualis est?

Nolim tamen contendere, Pelagianos Gratiam habitualem admisisse, qualis à Scholasticis nunc propugnatur, quæ qualitas esset, verèque & propriè dictus habitus. Sed id unum assero, & satis, ni fallor, probavi, ipsos admisisse donum interius divinitus infusum animæ, quo divini illi effectus mox recensiti præstarentur.

Fatemur etiam lubenter, Gratiam habitualem Pelagianorum ab ea, quam S. Augustinus & Catholici cæteri admittebant, in hoc discrepasse, quod illam inertem & omni operatione destitutam ipsi contenderent, quam scilicet nolebant ullo modo ad actus meritorios concurrere, quibus naturæ vim non imparem esse propugnabant. Quamobrem falsem ratione illius influxûs & efficientiæ, quam gratiæ sanctificanti subtrahebat, Catholicis non assentiebatur Pelagius. Hoc sensu S. Augustinus lib. de Gratia Christi c. 30. ait: *Istam quippe gratiam, quâ justificamur, id est, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, in Pelagii & Cælestii Scriptis, quacunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.*

Quanquam ad solutionem istius loci dici possit, S. Augustinum de gratia habituali non agere, sed de actuali & excitante, quâ quidem homo justificatur, non formaliter, sed efficienter, (ut Theologi de Schola loquuntur.)

§. VIII.

Gratiam voluntatis & actionis Pelagius nusquam admisit, sed intellectûs tantùm & possibilitatis, quod primum est gratia Pelagiana à Catholica discrimen.

PRimum istud est Gratiæ Pelagianæ à Christianâ & Catholica discrimen, quod exponit S. Augustinus lib. de Gratia Christi c. 3. *Cum*, inquit, *tria constituat, atque distinguat,* (Pelagius) *quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem: possibilitatem scilicet, quâ potest homo esse justus; voluntatem, quâ vult esse justus: actionem quâ justus est, horum trium primum, id est, possibilitatem datam confitetur à Creatore natura, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere, etiam si nolimus: duo verò reliqua, id est, voluntatem & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut nonnisi à nobis esse contendat. Denique gratiâ Dei, non ista duo, qua nostra omnino vult esse, id est, voluntatem & actionem; sed illam quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem perhibet adjuvari: tanquam illa qua nostra sunt, hoc est, voluntas & actio, tam sint valentia ad declinandum à malo & faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant: illud verò quod nobis ex Deo est, hoc est, possibilitas, tam sit invalidum, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio.*

Ipsa Pelagii verba refert cap. 4. ex lib. 3. de Libero Arbitrio. *Nos*, inquit Pelagius, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus; Secundò velle; Tertio esse. Posse in natura; velle in libero arbitrio; esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit; duo verò reliqua, hoc est, velle, & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in voluntate & opere bono, laus hominis est, imò & hominis, & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem, gratiæ suæ adjuvat semper auxilio. Quod verò homo potest perficere atque velle bonum, solius Dei est.* Et infrà: *Quòd possumus videre oculis, nostrum non est: quòd verò bene aut malè vidimus, hoc nostrum est. Et ut generaliter universa complectar, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat. Quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus.*

Ex quibus cap. 5. infert S. Augustinus, quod nemo ex illis sequi non deprehendit. *Scire*, inquit, *debemus, quòd nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solam ex his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc infirmum sit quod Deus ipse posuit in natura: cætera verò duo, qua nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus ejus auxilio: & ideò non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus.*

Hæc evidenter probant, à Pelagio solius possibilitatis gratiam esse admissam, sed & eam illius judicio in ipsâ tantum intellectûs illuminatione sitam esse, patet ex ejusdem libri c. 8. ubi S. Augustinus sic habet: *Hinc igitur apparet, hanc eum gratiam confiteri, quâ demonstrat & revelat Deus quid agere debeamus, non quâ donat, atque adjuvat ut agamus.* Et paulò post loquens de eadem gratiâ: *Jubet*, inquit, *magis quàm juvat; docet morbum esse, non sanat.* Et cap. 41. libros 4. Pelagii pro libero arbitrio expendens, ait: *Sed in his etiam quatuor libris, quacunque pro gratiâ videtur dicere, quâ juvemur ut declinemus à malo bonùmque faciamus, ita dicit, ut nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, quâ naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in Lege atque Doctrina; ita ut ipsas quoque orationes, ut in Scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis Doctrina etiam divina revelatione aperiatur; non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.* Et post: *Ipsum verò auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet, adjuvari, in Lege*

constituit

constituit atque Doctrina, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu revelari, propter quod & orandum esse concedit.

Et cap. 24. de Pelagianis ait: *Legant ergo atque intelligant, intueantur atque fateantur, non Lege atque Doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.*

Notatur Jansenius Yprensis.

Falsò itaque scripsit Jansenius lib. 6. de Hæresi Pelagiana c. 1. & 2. loquens de postrema hujus hæreseos periodo, quam Semi-Christianismum vocat, tandem aliquando Pelagium ejusque Sectatores eò adductos, ut gratiam ad operis perfectionem necessariam esse concederent. Nullibi certè apud S. Augustinum legimus, Pelagianos admisisse gratiam interiorem, quæ voluntatem moveret; imò ex allatis hîc & §. 5. locis, eos ipsam semper respuisse perspicuum est.

Accedit, quòd in libro de Hæresibus, quem imminente obitu, suorum Operum propè postremum, absolutis jam Retractationum libris, S. Augustinus conscripsit, ut ipse testis est in Epistola ad Quodvultdeum huic libro præmissa, sic Pelagii Hæresim exponit, ut ea nullam voluntatis actionisque gratiam suscipiat. *Pelagius* (inquit, c. 88.) *à Fratribus increpatus quod nihil tribueret gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens: Ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura; ad hoc tantùm ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritûs Sancti, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus dari nobis scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur; charitatem autem dari negant, quâ piè vivitur; ut scilicet, cùm sit Dei donum scientia, quæ sine charitate inflat; non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat.* Hîc certè non alia gratia ponitur juvans humanum animum, eúmque ad agendum promptiorem efficiens, quàm quæ legis est & doctrinæ, quæ nobis agenda patefaciat, & quâ fiat ut scientia sit Dei donum: negatur verò gratia operis, quâ cognita perficiamus, & quâ semel negatâ, charitas inter dona divina minimè numeretur. Gratiam itaque voluntatis & operis nusquam non respuerunt Pelagiani.

Nec est quòd objiciat Jansenius locum illum S. Augustini lib. 4. Contra Julianum c. 3. *Cùm ergo divinitus adjuvatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adjuvatur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia, &c. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari.* Ex quibus verbis colligi videtur, Julianum, Pelagianosque cæteros, gratiam tandem ad perfectionem virtutis assequendam admisisse velut necessariam, quæ sine gratia inchoari posset. Hic enimverò locus non probat Julianum gratiam voluntatis & operis admisisse, & à priori Pelagii recessisse decreto, quo gratiam Christi in lege & doctrina constituebat. Potuit ergo Julianus asserere hominem divinitus ad capessendam perfectionem adjuvari revelatione sapientiæ, & illuminatione mentis, non subministratione virtutis, sicque ipsum statuisse verisimilius est, quamvis, ut fucum faceret, non exposuerit quo de genere gratiæ loqueretur. Certè qui negabat *Dei dona esse virtutes quibus rectè vivitur, & eas naturæ, voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuebat*, Gratiam voluntatis & operis non admisit. Ea autem erat Juliani sententia, teste S. Augustino ibidem. Præterea, sibi non constabat Julianus, & bonæ voluntatis effectum, quem gratiæ Dei tribuere primùm videbatur, eidem postea subducebat, dicens Ethnicos *abundare virtutibus, in quibus, sine adjutorio gratiæ, solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum; qui solis libertatis ingenitæ viribus; & misericordes crebrò, & modesti, & casti inveniuntur, & sobrii.* Ex quibus verbis S. Augustinus colligit Julianum destruere hypothesim quam priùs adstruere visus erat. *Hæc dicens,* (inquit) *jam & illud, quod gratiæ Dei tribueras, abstulisti, ipsum scilicet voluntatis effectum. Non enim ausi volle eos esse misericordes, modestos, & castos, & sobrios, & ideò non esse, quòd nondum per gratiam fuerint consecuti bonæ hujus voluntatis effectum; sed si & esse voluerunt, & sunt, jam in eis voluntatem, & effectum voluntatis invenimus; quid remansit quod gratiæ reservemus in tam evidentibus, quibus dixisti eos abundare virtutibus?*

Denique constat Julianum à Pelagii errore non deflexisse, gratiam in lege & doctrina tantùm, imò in libero arbitrio à Deo accepto constituentis, ex ratiocinio S. Augustini adversùs ipsum, ibidem. Porrò *Sicut de lege verissimè ait Apostolus, Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est: ita verissimè dicitur; Si per naturam voluntatemque justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si per doctrinas hominum qualiscumque justitia, ergo Christus gratis mortuus est.*

Et ibidem, ubi dixit Julianum insigniter abusum esse illo Apostoli loco, ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*: ut probaret alienos à fide Christi veram posse habere justitiam, statim subjungit: *Ubi quidem dogma vestrum qui estis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tollit peccatum mundi, evidentius expressisti: introducens hominum genus quod Deo placere possit sine Christi fide, lege naturæ. Hoc est unde vos maximè Christiana detestatur Ecclesia.*

Non juvat etiam Jansenium locus alter ex libro de Gratia & Libero Arbitrio c. 14. ubi S. Augustinus de Pelagianis ait: *Sed cùm fuerint convicti, non defensores, sed inflatores, & præcipitatores liberi arbitrii; quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, peccatum non dominetur. Cùm ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocunque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Dicunt enim, etsi non datur secundùm merita bonorum operum, quia per ipsam benè operamur, tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur.* Ex quibus colligit Jansenius, Pelagianos tandem præter legem & doctrinam, veræ gratiæ adjutorium ad perficiendam conatuum nostrorum imbecillitatem admisisse. Non juvat, inquam, Jansenium iste locus. Non enim ita convictos Pelagianos ait S. Augustinus ut veram Christi gratiam admitterent, quæ non in lege & doctrina tantùm posita esset, sed in subministratione Spiritus Sancti. Nusquam enim hanc gratiam confessos ipsos fuisse, apud S. Augustinum legimus. Ait solùm S. Doctor, ipsos convictos in priori parte perversi dogmatis de legis & doctrinæ insufficientia, ad alterius defensionem se recepisse, ut Gratiam quam prædicabant

Catholici, secundùm merita bonæ voluntatis dari A dicerent. Certè priorem errorem de gratia in sola lege & doctrinâ posita non deposuisse Pelagianos, constat ex S. Augustino c. 11. ejusdem libri. *Quid est ergo*, inquit, *quod vanissimi homines, & perversissimi Pelagiani, legem dicunt esse Dei gratiam, qua juvamur ad non peccandum?* &c.

Tandem Jansenio magis non favet alter S. Augustini locus ex Sermone 13. de verbis Apostoli cap. 12. *Non sicut quidam dicere cœperunt*, inquit, *qui coarctati sunt aliquando gratiam confiteri, & benedicimus Deum quia vel hoc aliquando dixerunt. Accedendo enim proficere potuerunt, & ad id quod verè rectum est, pervenire: jam verò dicunt adjutorium esse gratiam Dei ad faciliùs facienda, &c. Velo faciliùs, remo difficiliùs, tamen & remo itur. Jumento faciliùs, pedibus difficiliùs, sed tamen &* B *pedibus pervenitur. Non est sic*, &c. Hic, inquam, locus Jansenio non favet; quia vel de Pelagianis non est accipiendus, quasi ipsi gratiam Christi amplexi sint, sed de quibusdam fortè qui Pelagii partes primùm secuti fuerant, gratiamque negaverant, quam postea non respuerint, cæteris recedentes à Pelagio, nec jam inter Pelagianos numerandi: quanquam & in eo erraverint, quòd gratiam istam necessariam tantùm dicerent ad faciliùs operandum. Et certè S. Augustinum ibi non loqui de Pelagianis, inde verisimile fit, quòd inter eorum errores insignem illum non referat, quo semper illi supposuere gratiam conferri ex meritis. Vel, si de Pelagianis, C ibi sermo sit, sensus erit, eos intelligentes errorem suum contra gratiæ Christi necessitatem inter perversæ doctrinæ suæ capita, omnium acerrimè fuisse proscriptum, & Sedis Apostolicæ repetito judicio, & crebris Africanarum Synodorum Decretis, illud jam clarè defendere destitisse, & ad alterum sese recepisse, nempe quòd gratia illa, si admitteretur, esset solummodò ad promptiùs agendum necessaria. Quæ quidem pravi pars dogmatis damnata etiam fuerat, sed minùs offendebat animos quàm prior, à quâ illi non recedebant, quamvis illam ad tempus silentio premerent. Sanè Pelagianos gratiam Christi omninò D ad bona opera necessariam cognovisse & confessos esse, S. Augustinus hîc nullâ ratione testari potest, quos libro de Hæresibus multò post scripto, eam semper constanterque repudiasse docet.

§. IX.

Pelagiani gratiam suam ad majorem duntaxat operandi facilitatem concedi contendebant: quod alterum erat Pelagianæ gratiæ à Christiana discrimen.

ITa sensisse Pelagianos testatur S. Augustinus, E non solùm in lib. de Hæresibus, cujus insignem locum superiùs descripsimus, sed alibi sæpe: præsertim lib. de Gratia Christi, cap. 26. *Gratiam Dei*, inquit, *quâ Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste, qui cùm dicit, Propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur, quid de illa sentiat, satis ostendit; scilicet quòd etiam sine illa, etsi minùs facile, fieri tamen, quod divinitus præcipitur, potest.* F

Idem constat ex cap. 27. ubi hæc verba exscribit ex Epistola Pelagii ad Demetriadem: *Divinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam spiritui, Sancti Spiritus auxilio resistamus.*

Et cap. 41. *Quamvis*, inquit, *& ipsam viam contendat etiam solâ averiri posse naturâ, sed faciliùs, si adjuvet gratia.*

§. X.

Eam tantùm gratiam concessit Pelagius, quæ humana merita sequeretur, eorùmque merces esset. Quod tertium est Pelagianæ gratiæ à Catholica discrimen.

HUnc fuisse Pelagii sensum, testis est S. Augustinus lib. de Gratia Christi, c. 31. ubi expendit litteras Pelagii ad Innocentium I. & hunc in iis errorem observat. *Quamlibet sentiat gratiam*, inquit, *ipsis Christianis secundùm merita dari dicit.* Deinde adducit verba Pelagii, ea in Epistola sic loquentis de illis qui Christiani non sunt: *Illi ideo judicandi atque damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent,* B *& Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessâ. Hi verò remunerandi sunt, qui benè libero utentes arbitrio, merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.*

Et lib. de Peccato Originali, cap. 24. opponens gratiam Christi gratiæ Pelagii, hæc habet: *Spiritus Sanctus ubi vult spirat, non merita sequens, sed merita faciens. Non enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.* Alia loca, quæ innumera sunt, prætermitto: hoc uno contentus ex lib. de Hæresibus cap. 88. ubi de Pelagianis ait: *Destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, sive* C *pro Infidelibus & Doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum; sive pro Fidelibus, ut augeatur eis fides, & perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed à se ipsis homines habere contendunt: Gratiam Dei, quâ liberamur ab impietate, dicentes secundùm merita nostra dari.*

Quænam autem sint merita illa, quæ Pelagiani gratiæ divinæ præsupponi contendebant, deprehendere facile est. Tria enim agnoscebant merè humana, quibus homo gratiam Dei mereretur, scilicet boni cupiditatem, fidem, & orationem. Unde hæ ipsorum voces apud S. Augustinum lib. de Gratia & D Libero Arbitrio, cap. 14. *Gratiam Dei secundùm merita bonæ voluntatis dari: quia bona voluntas præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundùm hæc merita, gratia sequatur exaudientis Dei.*

§. XI.

A Jansenio Yprensi, & aliis nonnullis, minùs apposite distinguuntur quatuor Pelagianæ Hæreseos status.

PElagianam Hæresim quatuor in status dividit E Jansenius Yprensis. Primum vocat Ethnicismum, in quo solam naturam & meras liberi arbitrii vires prædicavit Pelagius, ne ipsum quidem gratiæ nomen ferre valens. Secundùm vocat Semiethnicismum, in quo gratiæ nomen naturæ & libero arbitrio tribuit, quòd beneficia sint à Deo gratis concessa. Tertium vocat Judaismum, in quo gratiam in Lege ac Doctrina totam collocavit. Quartum denique vocat Semichristianismum, in quo gratiam interiorem, quæ voluntatem permoveret, & quæ actionis esset, admisit, quamvis non absque errore.

F Divisionem istam probare non possum ob rationes mox exponendas. Primò, quia non ita gradatim sensisse Pelagium, ut Jansenius, aliique fingunt, supra ostendimus; semperque Legis adminiculum ut maximè utile ad bona opera & ad salutem permisisse, nullum verò auxilium absolutè necessarium unquam voluisse præter gratiam naturæ, & liberi arbitrii.

Secundò,

Secundò, quia status illi duo, Ethnicismus, & Semiethnicismus, solâ voce differunt. Gentiles enim Philosophi gratiam hujusmodi admisere. Ita Seneca Epist. 90. *Quis dubitare potest quin Deorum immortalium munus sit quod vivimus, Philosophia quod bene vivimus? Itaque tantò plus nos debere huic quam Diis, quantò majus beneficium est bona vita, quam vita, pro certo haberetur, nisi ipsam Dii Philosophiam tribuissent.*

Tertiò, quia tertius status minùs rectè appellatur Judaïsmus, cùm Lex Judæorum, secundùm solam spectata literam, quæ occidit, solis Codicibus sacris & voluminibus Mosis & Prophetarum, aliorumque Librorum divinorum definiretur, nec exemplum Christi, seu Legem Evangelicam contineret, multò minùs gratiam illuminantem complecteretur, quam tamen voluit Pelagius. Si verò Lex antiqua secundùm Spiritum vivificantem spectetur, in ea non modò præcepta externa, non modò Christi exemplum, non modò interior mentis illustratio, quæ Pelagius admisit, includuntur: sed præterea gratia voluntatis & actionis, ratione cujus Sancti Veteris Testamenti ad Novum Testamentum pertinebant, & sine qua nemini patuit ad salutem aditus. Præterea Judæi Legem planè necessariam esse ad salutem existimabant; Pelagius verò gratiam illam, quam Legis & Doctrinæ nuncupavit, utilem, non necessariam prædicabat, ex quo patet, prope nihil affine fuisse Pelagio cum Judæis, nec esse cur Judaïsmi nomen ejus Hæresi tribuatur.

Denique quartus Pelagianæ Hæreseos status à Jansenio excogitatus, & ab aliis propugnatus, planè fictitiùs est: nusquam enim Pelagiani gratiam actionis & voluntatis admiserunt: ut superiùs demonstravimus.

§. XII.

De Gratia actuali, præsertim efficaci Pelagianos inter & S. Augustinum certatum est.

HAnc jam ex parte Propositionem probavimus §. 5. ubi Pelagianos gratiam habitualem admisisse ostendimus: quam insuper confirmamus contra nuperi Autoris novum systema, qui tres de gratia Commentarios * Gallicè edidit anno 1668. Agnovit Pelagius gratiam Fidei à natura & lege distinctam, adeòque internam & habitualem. Gratiam enim externam, ad Naturam & Legem referri, constans est S. Augustini doctrina. Quòd verò hujusmodi gratiam Pelagiani agnoverint, testatur S. Doctor lib. de Gratia & Libero Arbitrio cap. 13. *Dicunt*, inquit, *etiam gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque Lex est, neque Natura, ad hoc tantùm valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.* S. Augustinus non redarguit Pelagianos, quòd gratiam Christi ad remissionem peccatorum necessariam negaverint, sed quòd illam ad peccata duntaxat præterita remittenda valere dicerent, non autem ad præcavenda futura.

* P. Thomassin [illegible] la Grace.

Præterea S. Augustinus lib. de Gratia Christi, c. 47. profitetur nihil sibi futurum circa gratiam cùm Pelagio controversiæ, si gratiam ad bene volendum & bene agendum necessariam admiserit; supponit itaque Pelagium gratiam habitualem, intùs peccata remittentem, renovantem, & sanctificantem admisisse. Quomodo enim cum Hæretico istud Fidei dogma negante pacem inire potuisset? *Quantùm*, inquit, *attinet ad istam de divina gratia & adjutorio quæstionem, tria ista, quæ apertissimè distinxit, attendite, posse, velle, esse; id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solùm possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult & bene agit: Si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus; eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in quâ nos sua, non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Adjutorium voluntatis & actionis, quod non est in homine, nisi quando bene vult, & bene agit, ut Pelagius confiteatur, S. Augustinus postulat. Illud autem adjutorium esse gratiam actualem, evidens est: cùm gratia habitualis in homine justo sit, etiam quando non agit.

Tertiò, S. Augustino cum Pelagio controversia fuit de Gratia, quæ certam boni scientiam & victricem delectationem importat. Illam autem qui habitualem dixerit, non attendit ad S. Augustini principia. Hanc enim scientiam & delectationem * Deum Sanctis suis aliquando non tribuere, S. Doctor asserit. An verò Sancti gratia habituali sunt aliquando destituti: En ejus verba lib. 2. de Peccatorum Meritis & Remissione c. 19. *Nos autem quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis suis ad alicujus operis justitiam aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à se-ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem quâ det fructum suum terra eorum.*

* Sive gratiam efficacem.

Quartò, S. Augustinus contra Pelagianos gratiam propugnat, quâ cor tangit Deus ut homo cor præparet; illa autem non est gratia habitualis, sed ad illam dispositio. *Quod scriptum est* (inquit lib. 2. ad Bonifacium cap. 9.) *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ, non bene intelligendo falluntur, ut existiment cor præparare, hoc est, bonum inchoare, sine adjutorio gratiæ Dei ad hominem pertinere. Absit ut sic intelligant filii promissionis, tanquam cùm audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere: Convincant eum dicentes: Ecce sine te possumus cor præparare.... Absit ut sic intelligant nisi superbi sui arbitrii defensores, & Fidei Catholicæ desertores. Ideò quippe dictum est: Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: quia homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei qui tangit cor. In responsione autem linguæ, id est, in eo quòd præparato cordi lingua divina respondit, nihil operis habet homo, sed totum est à Domino Deo. Nam sicut dictum est: Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: ita etiam dictum est, Aperi os, & implebo illud. Quamvis enim, nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire: tamen nos aperimus illud adjumento & opere nostro; implet autem illud Dominus sine opere nostro.*

Quintò, S. Augustinus agit contra Pelagianos de Gratia quæ justificatis ad rectè vivendum necessaria est, sicut lux oculis sanis ad videndum: sicut ergo lux adventitium adjumentum est, non inhærens, & permanens in oculo; ita gratia & adjutorium de quo S. Augustinus loquitur, non est permanens in anima, nec est gratia habitualis, sed actualis. *Deus*, inquit lib. de Natura & Gratia c. 26. *cùm hominem ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo, etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.*

Sextò, S. Augustinus gratiam vocationis contra Pelagianos asserit, quæ etiam reluctantibus datur:

illa autem non est gratia habitualis, sed actualis. *Reluctanti*, inquit lib. 4. ad Bonifacium c. 6. *prius aditus vocationis ipsâ Dei gratiâ provocatur; ac deinde in illo jam non reluctante Spiritus veritatis accenditur. Verumtamen in omnibus quæ quisque agit secundùm Deum, misericordia ejus prævenit eum.*

Septimò, Eamdem gratiam contra Pelagianos ad singulos actus pietatis necessariam S. Augustinus tuetur, quam ad initium Fidei necessariam propugnat. Neque enim aliud gratiæ genus innuit. Hanc autem esse gratiam actualem quis inficietur? *Prævenit ergo* (inquit lib. de Dono Perseverantiæ c. 6.) *& Fidem gratia; alioquin si Fides eam prævenit, proculdubio prævenit & voluntas, quoniam Fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit Fidem, quoniam prævenit voluntatem, profectò prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, quâ unâ Deo veraciter & suaviter obeditur: & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur.*

Octavò, Gratia quâ justificatio impetratur, non est gratia habitualis, sed actualis. De hac porrò inter S. Augustinum & Pelagium disceptatio fuit. Gratiam remissionis peccatorum Fidei tribui fatebatur Pelagius, sed Fidem ex gratiâ esse negabat. *Cùm Fides impetrat justificationem*, (inquit S. Augustinus Epistola 105. ad Sixtum) *sicut unicuique Deus partitus est mensuram Fidei; non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedisequa, non prævia voluntate.* Cùm ait, Ipsa gratia meretur augeri, de gratia habituali non loquitur, quæ tum primùm infunditur ei qui Fide justificationem impetrat. Loquitur itaque de gratiâ actuali.

Nonò, Adjutorium quod ad singulos actus dari Pelagius negabat, propugnabat cum Ecclesia S. Augustinus, habitualis gratia non est, sed actualis. Præterquam quòd enim ipsum adjutorii nomen gratiam actualem potiùs indicat apud S. Augustinum, quàm habitualem; ut celeberrima divisio gratiæ in adjutorium sine quo aliquid non fit, & in adjutorium quô aliquid fit, & allata ab ipso exempla alimentorum & beatitudinis, atque doni perseverantiæ, satis ostendunt: gratiam ipsum intelligere evidens est, quæ detur identidem cum agimus, ideóque actualem. *Fateatur* (inquit Epistola 106. *) *gratiam Dei & adjutorium etiam ad singulos actus dari*, &c. Quod adjutorium Sancti identidem implorant contra concupiscentiam dimicantes, ut victoriam obtineant per Jesum Christum Dominum nostrum. At *victoriâ quâ peccatum vincitur; nihil aliud est quàm donum Dei, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium: propter quod dicit & cælestis Magister; Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.... Non autem intrat in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentiùs quàm Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur, accipitur?* Gratiam certè illam à Deo Justi rogant, quâ vincant concupiscentiam malam: & donum istud Dei, novum utique, suis orationibus impetrant. Gratiam autem habitualem non accipiunt, quâ jam sanctificati supponuntur: de actualis itaque gratiæ dono Sanctus loquitur Augustinus eò loci, scilicet lib. de Gratia & Libero Arbitrio c. 4.

* Posterma edit. 186.

Decimò, Vocatio quâ S. Paulus efficacissimè conversus est, non est gratia habitualis: vocatio enim actuale adjutorium significat. Porrò S. Augustinus in exemplum gratiæ, quam contra Pelagium propugnat, vocationem efficacissimam S. Pauli profert, cap. 5. ejusdem Libri. *Ut autem*, inquit, *de cælo vocaretur, & tam magnâ & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala.* Igitur de gratia actuali S. Augustinum inter & Pelagium erat controversia.

Undecimò, Gratia quâ fit, ut sit homo bonæ voluntatis, ut bona voluntas in ipso augeatur, & tam magna fiat, quæ possit implere divina mandata quæ voluerit; quâ sic adjuvatur voluntas, ut faciat quod jubetur: quâ voluntas cum potestate, & possibilitas cum effectu conjungitur, gratia est actualis. Hac enim completâ & cum effectu conjunctâ potestate, hâc magnâ voluntate, justi omnes donati non sunt, quamvis habituali gratiâ præditi sint, & sufficientibus auxiliis instructi. At de illâ gratia S. Augustinus agebat contra Pelagium, ut constat ex libro de Gratia & Libero Arbitrio c. 15. *Gratia Dei semper est bona; & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur: & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: Si volueris, conservabis mandata; ut homo qui voluerit & non potuerit, nondùm se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur: tunc enim utile est velle, cùm possumus: & tunc utile est posse, cùm volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus, volumus; aut si, quod possumus, nolumus?* Et cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat: Sed ideò jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.*

Eccli. 15.

Duodecimò, disputat S. Augustinus contra Pelagium de Gratia, qualis deerat S. Petro, cum tentatione pulsatus, & voce ancillæ perterritus, Christum negavit. Ait enim S. Doctor lib. de Gratia & Libero Arbitrio c. 17. *Caritatem* (magnam) *Apostolus Petrus non habuit, quando timore ter Dominum negavit. Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat ad Dominum: Animam meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Et infrà: *Talibus Dominus dixit esse suam sarcinam levem, qualis Petrus fuit, quando passus est pro Christo, non qualis fuit, quando negavit Christum.* Quæ autem S. Petro deerat gratia in tentationis discrimine, non erat habitualis, cùm tunc justus esset, nec justitiam nisi negando amiserit. Gratia igitur actualis ipsi deerat, & quidem efficax; (quamvis sufficiens illi adesset quâ poterat negationem vitare.) Igitur S. Augustinus de gratia actuali contra Pelagianos disputabat.

P. Thomassinus refellitur.

Nuperus novi systematis Autor in Commentario tertio de Gratiâ, in S. Maglorii Seminario Parisiensi, lingua vernacula dictato anno 1668. & eodem anno in lucem edito Lovanii, sexaginta rationibus ex S. Augustino depromptis probare se gloriatur, gratiam de quâ S. Augustinus contra Pelagianos semper locutus est, habitualem esse, non verò actualem. Testimonia congerit, quibus augustus Doctor asserit gratiam *sanare, reparare, & renovare naturam*: esse *bonam voluntatem, quâ justitiam diligimus: quæ bona voluntas, nihil est aliud quàm caritas*: esse *animæ vitam*, quâ *nos Deus à mortuis excitat*: efficere ut *Christi sarcina sit levis, ut mandata ejus gravia non sint*: voluntatem *liberare à peccato*, & per hanc *fieri in nobis ut non peccare delectet*: esse *victricem delectationem, & suavitatem à Spiritu Sancto donatam*; quâ *concupiscitur adversùs carnem, fortiore robore caritatis*; quâ *non cedit homo malæ concupiscentiæ, vincente dilectione justitiæ*: esse *Caritatem, quâ id, quod diligendum est, diligitur*; quæ est *affectionalis qualitas insidens*

insidens anima; quæ in terra & in cælo eadem est, sed illic tantùm *plena erit, quando videbimus Deum sicuti est.* Congerit idem Autor insignia S. Augustini loca, quibus ipsum contra Pelagianos agere probat, de gratiâ, quâ *Christus baptizatos parvulos suo inserit corpori, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt*: Ejusdem planè speciei cum illâ gratiâ, *quâ factum est ut homo Christus nullum habere possit peccatum*: (ut loquitur S. Augustinus Enchiridii c. 36.) Et lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 15. *Eâ gratiâ*, inquit, *fit ab initio Fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ ab initio suo homo ille factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus*, &c. Quæ omnia de gratia habituali esse intelligenda contendit recentior ille Autor. Addit, hanc esse gratiam, quæ, secundùm S. Augustinum, *Non omnibus hominibus datur; quæ tribuit ut mandata Dei facere valeamus: quæ non merita sequitur, sed ipsa merita facit*: quæ *bonos discernit à malis*: quæ *homines oves facit mitissimas & obedientissimas*: quæ *aufert cor lapideum, & dat cor carneum*. quâ qui instructus est, *habet aures audiendi, id est, donum obediendi*: quæ *Dei lex est in corde Fidelium scripta*: quâ fit ut non simus *sub lege, sed sub gratia*: quæ est *Spiritus, non servitutis & timoris, sed adoptionis filiorum*: quæ *Doctrina est altiùs & interiùs cum ineffabili suavitate à Deo infusa, non ostendente duntaxat veritatem, verùm etiam impertiente caritatem*: quæ *vera sapientia est*, quam S. Augustinus cum *luce*, cum *flamma*, cum *fame* & *siti* comparat: quæ *pondus* est, quò in Deum ferimur; vinculum quò *illi adhæremus*; quæ *filios Dei agit, & regit*: quæ tandem *prædestinationis effectus est*.

Verùm ne prolixiori disputatione à nostro instituto recedamus, & eadem sæpius repetere cogamur cum Lectorum fastidio, ostendere satis erit, sexaginta illas recentioris Theologi rationes mera esse sophismata. Nonne enimverò gratia etiam actualis animam sanat, renovat, liberat, merita parit, dat cor docile, Deo nos conjungit, nos efficit oves mitissimas, aliosque hujusmodi effectus divinos præstat, non ut forma, sed ut dispositio, & adjutorium aversam à Deo voluntatem convertens? Sophisticè igitur colligit nuperus Commentator, S. Augustinum contra Pelagianos agentem, gratiæ nomine habitualem semper intellexisse, quia cœlestes illos effectus ipsi tribuit. Nonne etiam actualis gratia bona voluntas est, caritas, suavitas, sapientia, delectatio victrix, facilitas ad implenda divina mandata, doctrina, robur animæ? Nonne lex Dei est in corde scripta? Legem namque habitum non esse, sed actum, Theologorum nemo diffitetur. Quis igitur tot esse sophismata non animadvertat nuperi illius Commentatoris, quot argumenta? Siquidem ut ejus ratiocinia recta essent, necesse esset ut hæc elogia, quæ S. Augustinus gratiæ Christi tribuit, uni gratiæ habituali, nequaquàm verò actuali convenirent. Gratiam etiam actualem efficacem non omnibus hominibus dari evidens est: inchoari in terrâ, in cœlo perfici actualem, sicut & habitualem caritatem, perspicuum: siquidem beati Deum actu amant: Nonne gratia actualis lux est, quæ manifestat quid agere debeamus? Nonne flamma, quæ cor succendit ut Deum diligamus? Nonne fames & sitis justitiæ, & incommutabilis boni? Hæc quippe nomina motus actuales naturæ appetentis indicant. Gratiam quâ parvulos corpori suo Christus inserit, habitualem esse certum est: sed aliam ipsis necessariam, scilicet actualem, S. Augustinus propugnat. Insignis est ea de re S. Doctoris locus lib. 1. de Peccatorum Meritis c. 39. *Parvulus, si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet concupiscentiam cum quâ pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.*

Gratia quâ homo ab initio Fidei suæ fit Christianus, in eo cum gratia hominis Christi non confertur à S. Augustino quòd habitualis sit: alioquin & gratia, *quâ homo ille factus est Christus*, accidentaria esset, quod Nestorianum dogma est: sed in eo tantùm stat Augustiniana illa comparatio, quòd absque meritis, gratuitâ Dei voluntate, homo fidelis ac justus fiat: sicut absque meritis, & ex mero Dei beneplacito natura nostra Deo Verbo unita est. Id animadvertet quisquis paulò attentiùs legerit cap. 15. libri de Prædestinatione Sanctorum. *Est etiam*, inquit, *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel Fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, quæso: Ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit?* &c. *Eâ gratiâ fit ab initio Fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quò Spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum..... Sicut ergo prædestinatus est ille unus ut caput nostrum esset: ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum..... Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit: ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu & Virgine nasceretur. Sic & nobis ut ex aquâ & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum est: & si nos ad lavacrum regenerationis Fides duxit, non ideò putare debemus, priores nos dedisse aliquid, ut retribueretur nobis regeneratio salutaris: ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit, in quem credimus, Christum: ille facit in hominibus principium Fidei, & perfectionem in Jesum, qui fecit hominem principem Fidei & perfectionem Jesum.* Ibi & gratiam Christi ab habituali distinctam S. Augustinus agnoscit, nimirum gratiam vocationis ad Fidem, quæ baptismum adultorum præcedit, & regenerationem salutarem: quâ de vocatione, non minùs quàm de gratiâ sanctificante, à S. Augustino dictum est: *Eâ gratia fit ab initiò Fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initiò suo factus est Christus.*

Denique de illa solâ gratiâ contra Pelagianos disputasse S. Augustinum falsum est, quæ est prædestinatorum propria, alioqui de solâ gratiâ perseverantiæ contra illos egisset. Effectus quidem est prædestinationis, habitualis gratia; sed non minùs illius effectus sunt actuales, in iis qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. Quamobrem Sophisticum est nuperi Commentatoris ratiocinium, qui colligit S. Augustinum de gratiâ tantùm habituali contra Pelagianos disputasse, ex eo quòd sit illa prædestinatorum propria, & prædestinationis effectus.

Ex veterum omnium Theologorum testimoniis quamdam velut aciem instituit Autor ille nuperus, ut systema suum propugnet, ac evincat illos gratiæ nomine habitualem præsertim intellexisse. In tot Autorum sententias ut inquiram, ab instituto hujus Operis alienum est: sed si eorum mentem nec meliùs assecutus est, nec fideliùs exposuit, quàm mentem Sancti Thomæ, ubique cespitavit ac lapsus est infelix. Asserit nempe Commentario 2. pag. 122.

S. Thomam

S. Thomam gratiam in habitualem & actualem nusquam dividere, & soli habituali nomen gratiæ tribuere; quod tam falsum esse, quàm quod falsissimum fatebitur qui S. Thomam legerit Prima Secundæ, Quæst. 111. Artic. 2. *Gratia*, inquit, *dupliciter potest intelligi. Uno modo, divinum auxilium, quò nos movet ad bene volendum & agendum. Alio modo, habituale donum nobis divinitus inditum. Utroque autem modo gratia dicta, convenienter dividitur per operantem & cooperantem.* Et Quæst. 112. Artic. 2. *Sicut suprà dictum est, gratia dicitur dupliciter. Quandoque quidem ipsum habituale donum Dei: quandoque autem auxilium Dei moventis ad bonum.* Innumeris aliis testimoniis nuperum illum Autorem obruere possem, sed hæc sint satis.

§. XIII.

Præcedentis Propositionis altera pars demonstratur, scilicet S. Augustinum contra Pelagianos & Semipelagianos de gratia efficaci maximè disceptasse.

SAnctus Augustinus gratiam voluntatis & actionis contra Pelagianos prædicavit, qui gratiam meræ possibilitatis admittebant, in lege & doctrinâ positam. Hanc autem esse gratiam per se efficacem, non morali tantum motione excitantem evidens est. Quâ de re augustus Doctor lib. de Gratiæ Christi, cap. 10. hæc habet: *Sed nos eam gratiam volumus esse aliquando fateatur*, (scilicet Pelagius) *quâ futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verum etiam creditur, & speratur, nec solùm revelatur sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm & persuadetur.... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus.* Gratia quâ futura gloria creditur & speratur, quâ sapientia amatur, quâ suadetur omne quod bonum est, gratia est efficax. Hanc nisi confiteatur Pelagius, Christiani nomine indignus est, ex S. Augustino.

De hac gratia cap. 12. ejusdem libri scribit: *Hac autem gratia, quâ virtus in infirmitate perficitur, Prædestinatos, & secundùm propositum vocatos, ad summam perfectionem, glorificationémque perducit. Quâ gratia agitur, non solùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus, nec solùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus.* Gratia quæ ad perfectionem & glorificationem perducit, & quæ præstat ut cognita faciamus, ut diligenda credamus, ut credita diligamus, est per se efficax. De eadem subjungit c. 13. *Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus; ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat caritatem. Sic enim docet Deus eos qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciant, agere.*

Et cap. 14. *Ac per hoc quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritûs gratiam: ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendóque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hâc gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit à Patre, & cui dederis, potest venire ad me. Non autem ita dixit: sed, Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Venire posse, in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratiâ, qualemlibet eam sentiat, quâ ipsa, ut dicit possibilitas adjuvatur; venire autem jam in voluntate & opere est. Non est autem consequens, ut, qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Gratiâ quâ Deus ita docet, ut quod homo didicerit, volendo appetat, agendóque perficiat; quâ non solùm volendi & operandi possibilitas, sed ipsa voluntas, & ipsa operatio adjuvantur; quâ omnis qui didicit à Patre, venit, in quâ & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est, gratiam actualem & efficacem fateri necesse est.

Cap. 24. *Legant ergo*, inquit, *& intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ, atque occultâ, mirabili, ac ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Gratia quæ mirabili & ineffabili potestate bonas voluntates operatur, & non solùm veras revelationes, non moraliter tantùm excitat & movet, sed per seipsam efficax est.

Cap. 45. de S. Petri conversione & pœnitentia, post divini Præceptoris negationem, sic loquitur. Quod ibi scriptum est: *Respexit eum Dominus: intus actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ suâ visitavit Petrum, interioris hominis, usque ad exteriores lachrymas, movit & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum, & velle, & operari operatur in nobis.* His characteribus gratiam per se efficacem delineari, quis inficietur?

II. Idem probatur ex Libris ad Bonifacium, Lib. 1. cap. 18. *Quid boni*, inquit, *Paulus adhuc Saulus, volebat, ac non potiùs magna mala, quando spirans cædem, pergebat ad vastandos horrenda mentis cæcitate ac furore Christianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona, mirabili & repentinâ vocatione convertit? Quid ergo dicam, quibus meritis, cùm ipse clamet, Non secundùm opera justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit? Quid illud, quod jam commemoravi dixisse Dominum; Nemo potest venire ad me, quod intelligitur, credere in me; nisi ei datum fuerit à Patre meo? Utrùm jam volenti credere, pro meritis bonæ voluntatis hoc datur? An potiùs ut credat ipsa voluntas, sicut Sauli desuper excitatur, etiam si tam sit aversus a fide, ut credentes etiam persequatur? Ut quid enim Dominus præcepit, ut oremus pro eis qui nos persequuntur? Nunquid hoc oramus, ut eis pro bona eorum voluntate gratia Dei retribuatur, ac non potiùs ut mala in bonum voluntas eorum mutetur? Sicut credimus tunc à Sanctis, quos persequebatur, non inaniter oratum esse pro Saulo, ut ad fidem, quam vastabat, voluntas ejus converteretur.... Quàm multi inimici Christi quotidiè subitò Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Christum? Quod verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset, cùm etiam nunc obluctetur, non mihi, sed illi qui clamat: * Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum? Non enim ait, Duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Hîc & de gratia actuali S. Augustinum agere evidens est, siquidem agit de vocatione, & de gratia efficaci; siquidem agit de gratia quâ Pater æternus trahit homines ad Christum, & quæ intus in ipsorum cordibus operatur ut volentes ex nolentibus fiant. Hujus gratiæ

occultissima

occultissima & efficacissima potestate Deus cor Assueri *Regis convertit & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est de voluntate lædendi ad voluntatem favendi* Judæis : ait S. Augustinus c. 20. ejusdem libri.

Lib. 2. c. 9. *Multa*, inquit, *Deus facit in homine bona quæ non facit homo : nulla verò facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset : si autem bonum est, nonnisi ab illo nobis est, qui summè atque incommutabiliter bonus est.* Sola certè gratia efficax facit ut bonum faciat homo. Ibidem : *Tunc*, inquit, *bonum concupisci incipit quando dulcescere cœperit.....Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quâ fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcepit nobis; in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* De gratia per se efficaci ut S. Augustinus agere se ostenderet, quæ alia verba adhibere potuisset ? Eamdem gratiæ victricis efficaciam commendat lib. 4. cap. 9. *Oramus ergo*, inquit, *non solùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est, Præparatur voluntas à Deo?*

III. Idem probatur ex libro de Gratia & Libero Arbitrio, cap. 16. *Certum est*, inquit, *nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino : ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est; Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum; A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. de quo dictum est : Deus est qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit; Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis. Cùm dicit, Faciam ut faciatis; quid aliud dicit, nisi, Auferam à vobis cor lapideum unde non faciebatis, & dabo cor carneum unde faciatis? Et hoc quid est, nisi, Auferam cor durum, unde non faciebatis, & dabo cor obediens unde faciatis.* Gratia quæ facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, nonne, amabo te, gratia actualis est, & quidem per se efficax ?

IV. Idem probatur ex lib. 1. ad Simplicianum Quæst. 2. *Si rectè dictum est*, inquit, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet : cur non & è contrario rectè dicitur; Non miserentis est Dei, sed volentis hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, Non miserentis est Dei, sed volentis hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat : restat ut propterea rectè dictum intelligatur; Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* In solius porrò gratiæ efficacis hypothesi totum Deo datur.

V. Idem probatur ex libro de Correptione & Gratia, cap. 2. *Non se itaque fallant*, inquit, *qui dicunt, Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur ut declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potiùs intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant : & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex caritate faciendo : orent, ut quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi sunt, aut quid habent, quod non acceperunt?* Gratia, quæ per se efficax non fuisset, non reliquisset locum huic Monachorum Adrumetinorum objectioni, qui hujus gratiæ prædicatione, adhortationum, præceptorum, correptionis necessitatem atque utilitatem tolli causabantur. Præterea gratia quâ filii Dei aguntur ut agant, per se efficax est. Tertio, gratia hæc quandoque deest filiis Dei, qui tunc orare debent, ut eam accipiant. Quod argumentum est, ipsam esse à gratia habituali distinctam. Quartò, si gratiæ istius efficacia ex consensu voluntatis penderet, aliquid haberent, quod non accepissent, ipsum scilicet consensum, quô gratia evaderet efficax. Et cap. 8. *An audebis dicere, etiam rogante Christo ut non deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset : quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset ut vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret : & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo ne deficeret fides ejus; quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potiùs libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.* Defectura fuisset fides Petri, si eam Petrus deficere voluisset, in hypothesi gratiæ moraliter tantùm excitantis, defectura non fuisset in hypothesi gratiæ per se efficacis, quia dissensurus non fuisset. 2. Gratia quæ tribuit liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem, per se efficax est. 3. Gratia quæ libertatem tollere videbatur Adrumetinis Monachis, est per se efficax. Nemini enim veniret in mentem, libertati noxiam esse gratiam, cujus efficacia ex voluntatis consensu suspenditur. 4. Gratiam, quæ tribuit delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem, per se efficacem esse, perspicuum est.

Idem probat distinctio duplicis adjutorii, sine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit; quorum primum Adamo innocenti, alterum Sanctis in hoc statu vendicat. *Primo itaque homini*, (inquit cap. 12.) *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur : non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint..... Ac per hoc nec de ipsâ perseverantiâ boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari : qui eis non solùm dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur & velle; ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas, divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, ideò sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus.....ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet; & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate,*

tate, nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur …., Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. Verbisne luculentinribus gratia per se efficax potest commendari? Non minùs egregia sunt, quæ habet augustus Doctor cap. 14. *Cum homines*, inquit, *per correptionem, in viam justitiæ, seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbustulis operante, dat incrementum Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium? Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Ratione istius gratiæ, *Deus habet humanorum cordium, quò placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem* (ut ibidem ait) &, *Magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.*

VI. Idem probatur ex Libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 8. *Hæc itaque gratia*, inquit, *quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Gratia, quæ à nullo duro corde respuitur, per se efficax est. Cap. 10. *Etsi*, inquit, *faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* At in hypothesi gratiæ moraliter tantùm excitantis, non autem per se efficacis, non facit Deus ut faciant homines quæ præcepit; imò faciunt homines ut ipse faciat quod promisit, ipsius scilicet gratiæ suæ, efficaciam, & voluntatis nostræ consensum ad bonum.

VII. Idem probatur ex libro de Dono Perseverantiæ, c. 8. *Si ergo*, inquit, *alia documenta non essent: hæc Dominica Oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret; quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur: siquidem & ut non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo….. Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem consecuti sumus*, (Christo) ….. *Ac per hoc, sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus.* Aliquid nobis relictum est, in quo tanquam in nostro gloriemur, si nostrum est, quod gratiam reddimus efficacem: Neque consensus ille noster datur à Deo, aut necesse est ut illum ab eo postulemus, gratia per se efficax illum non præstat & operatur. Dixerat antea S. Doctor cap. scilicet 6. *Tutiores vivimus, si totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Totum Deo non datur, nisi in hypothesi gratiæ per se efficacis. Videmur illi ex parte, & nobis ex parte committi, si dat ille gratiam, cujus efficacia ex nostræ voluntatis consensu suspendatur.

VIII. Idem probatur ex lib. de Gestis Pelagii, c. 3. *Procul dubio*, inquit, *plus est agi, quàm regi: qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur ut rectè agat. Qui enim agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur, & tamen tantùm præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere; Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Multum agere intelligitur, qui gratiam consensu suo reddit efficacem. Ille itaque non agitur à Deo, sed regitur duntaxat.

IX. Gratia quam S. Augustinus contra Pelagianos prædicat, *Intus in ipsis hominum cordibus operatur, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex-nolentibus fiant.* Ita scribit Epist. 107. ad Vitalem. Illa verò nonne per se efficax est?

X. Enarratione in Psalmum 34. animam nostram sic à Deo moveri asserit ad expugnandos salutis nostræ hostes, sicut ensis à bellatore movetur. Quæ comparatio probat hypothesim gratiæ per se efficacis Augustinianam penitus esse. *Apprehendis*, inquit, *animam meam, & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ aut coruscationis vibrata, nisi Deus illam teneat & pugnet de illa? Nam qualibet optimè facta framea, si non habeat bellatorem, jacet….Ergo, quicquid vult, facit de anima nostra, cum in manu ejus est, utitur ea, quemadmodum vult.*

Et Enarratione in Psalmum 126. Gratiam nos ad fidem applicare ait, quod nisi sit per se efficax, dici convenienter non potest. *Nos ergo loquimur foris*; inquit, *ille ædificat intus: quomodo audiatis, advertimus; quid cogitetis, ille solus novit: ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit; ipse ad fidem applicat sensum vestrum.*

XI. In hypothesi gratiæ, quam S. Augustinus contra Pelagianos prædicat, impenetrabilis est quæstio, cur Deus hunc trahat, illum non trahat; cur uni ita suadeatur ut persuadeatur, non alteri. Lib. 1. de Peccatorum Meritis & Remissione, c. 25. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum; illum isto, istum illo modo, penes ipsum est, & æquitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.* Lib. de Spiritu & Litera c. 33. *Si quis me interroget cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non, duo sola occurrunt, quæ respondere placeat: O altitudo divitiarum, &, Numquid iniquitas apud Deum! Cui hæc responsio non placet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores.* Tractatu 26. in Joannem. *Quare unum trahat, & alium non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* At in hypothesi gratiæ moraliter tantùm excitantis & ab eventu duntaxat efficacis, difficillima ista quæstio facilè solvi potest, dicendo; illum ita adjuvari, non istum; illi persuaderi, non isti; illum bonum operari, & in eo perseverare præ alio, quia ille gratiæ consensum præstat, eamque reddit efficacem, non alter.

XII. Gratiam quam prædicabat S. Augustinus, talem esse criminabantur Pelagiani, Semipelagiani, Adrumetini Monachi, quæ libertatem destrueret, quæ velle & operari ita in nobis operaretur, ut nos nihil ageremus, quæ invitos cogeret ad bonum, quæ homines fatali necessitate bonos faceret, quæ correptionis & exhortationis è medio tolleret utilitatem; ut constat ex omnibus S. Augustini libris de gratia, innumeris in locis: at de gratia moraliter tantùm excitante, & ex consensu voluntatis efficaci, ista non objecissent.

XIII. Ergo ne, inquies, hæretici fuere Pelagiani, quòd gratiam per se efficacem negarent? Si ita est, Molinæ Sectatores hæreseos infamiam incurrent. Respondeo, consecutionem esse falsissimam. Nec eos ferre possum, qui opiniones ab Ecclesia minimè damnatas, & in ejus sinu à Theologis impunè propugnari solitas, temerariis censuris inurunt, & malè conceptis Parallelis * Doctrinæ Molinisticæ cum Pelagianis & Semipelagianis erroribus, veritatem lædunt, violant caritatem, pacem Ecclesiæ perturbant. Duo in Augustiniana gratiæ prædicatione distinguenda non animadvertunt imprudentes: scilicet gratiæ necessitatem, & illius efficaciam, vel potiùs efficaciæ modum. Utrumque prædicavit. S. Augustinus nimirum, & gratiam Christi ad singulos actus esse necessariam, & eamdem esse per se efficacem. At utrumque caput ut fidei dogma non propugnavit; nec eos Hæreticorum numero & loco habuisset,

Jansenius Yprensis, & alii, qui Molinæ opiniones de gratia Semipelagianis cum erroribus confundunt, & cum iis damnatas effuerunt, arguuntur.

habuisset, qui gratiam Christi ad singulos actus, & ad ipsum boni cujusvis operis ac fidei initium, penitus necessariam professi essent, eàmque non secundùm opera nostra dari, nec in lege & doctrinâ esse positam, sed in subministratione Spiritûs Sancti; quamvis per se efficacem negassent. Quamobrem etsi à S. Augustini, & Discipulorum ejus sententiâ penitus alienos Molinam & Sectatores ejus certò existimem, quæ fuit Clementis VIII. & Consultorum Doctissimorum Congregationis celeberrimæ *De Auxiliis* sententia, nullum tamen Molinæ & Molinistarum opinioni inurendam censeo notam, cùm eam non damnaverit Ecclesia. Multa quidem sunt istius opinionis consectaria, propter quæ ad proscriptos errores accedere nonnullis videtur; sed illa ex opinione ista sequi negant, qui illam propugnant, imò prava illa dogmata execrantur, & gratiæ necessitatem profitentur ad singulos actus, eamque merita creare, non supponere; & verè efficacem esse: quamvis in exponendo istius efficaciæ modo, systemati proprio, & à doctrina S. Augustini & Discipulorum ipsius (ut mihi, & aliis plerisque me longè Doctioribus Theologis videtur) alieno inhæreant.

§. ULTIMUS.

De Morali Pelagiana.

Vagus & effrænis probabilitatum usus à Pelagianis suscitatus.

I. Non solùm gratiæ Christi capitales & infensissimi hostes Pelagiani; sed etiam Moralis Christianæ depravatores insignes. Ab ipsis, post Academicos, denuò suscitatus est vagus iste versatilisque probabilitatis effrænis usus. Id Cælestii temeraria vox in Synodo Carthaginensi satis probat: ubi cùm à Patribus urgeretur, ut sui Magistros erroris, si qui forent adhuc præter Ruffinum, cujus patrocinio se tuebatur, palam proderet, Paulino interroganti respondit: *Non sufficit tibi unus Sacerdos?* Audi rursus Cælestium in Synodo Carthaginensi: *De traduce*, inquit, *peccati, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios adstruere, licet quæstionis res ista sit: non hæresis.* Ita refert S. Augustinus lib. de Peccato Originali cap. 23.

Ignorantiam & oblivionem à peccato excusare, etiam quæ vinci possent, Pelagiani asserebant.

II. Ignorantiam & oblivionem excusare à peccato asserebant Pelagiani, etiam quæ vinci posset. Hic enim unus est ex Articulis Pelagii, quos Diospoli damnare coactus est: *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato*, &c. Cujus propositionis sensum jam suprà explicuimus.

Pelagius mentalium restrictionum peritus.

III. Mentalium restrictionum peritissimus artifex fuit Pelagius. Præbuit industriæ suæ specimen in Synodo Palæstina, ubi cùm varia ipsi dogmata tanquam Catholicæ contraria fidei objecta fuissent, tantâ versutiâ elusit accusantium & judicantium diligentiam, ut in errorum omnium defensione permanserit, & accusatores calumniatores, se verò Catholicum esse persuaserit. Istam calliditatem notavit Innocentius I. in Epistola ad Episcopos Africanos, quæ est 96. apud S. Augustinum. *Cùm sint aliqua*, inquit, *in ipsis posita Gestis, quæ objecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo, totâ obscuritate confudit, aliqua magis falsâ quàm verâ ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando alia, alia falsâ interpretatione vertendo.* Mendaciorum specimina in illâ Synodo à Pelagio edita manifesta sunt; quorum unum exprobrat Juliano S. Augustinus lib. 1. contra Julianum c. 5. *Sed numquid*, ait, *infantes, si non baptizentur, habere vitam æternam, ullâ calliditate in aliquid detorquere, vel ullis foliis ficulneis operire potuistis? Eos enim qui hoc dicunt, non potuit apud Catholicos Judices nisi damnare Pelagius. Sed quod negavit ore, corde servavit*; (inquit S. Augustinus) Damnavit etiam Pelagius, *Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum*: ut peccatum originale traductum in Adami posteros agnovisse videretur; sed inente subintellexit; læsisse exemplo, non propagine. Quam restringendi calliditatem Pelagianam S. Augustinus passim detestatur Lib. 1. contra Julianum c. 5. *Quid enim vobis prodest*, inquit, *quòd nescio quas ansas atque uncos arte nescio cujus perplexitatis inseritis, ne simplicia pateant, & clara luceant? Quis enim non videat, quomodo ista illi Judices accipere potuerunt? Scilicet secundùm Catholicam fidem; non sicut exponuntur, vel potius componuntur à vobis.* Et lib. 4. c. 3. *Ita sententiam temperasti, ut & vestrâ, & nostrâ posset voce defendi..... Sed qui scimus quod sentiatis, nescire non possumus quomodo esse dicatis.*

* Postremæ edit. 181.

Divitem Regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia vendiderit, Pelagiani aiebant.

IV. Tanquam Christianæ disciplinæ regulam obtrudebant Pelagiani: *Divitem manentem in divitiis suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit, nec ei prodesse, si fortè ex ipsis divitiis mandata fecerit.* (Ex S. Augustino Epist. 89.) Eò verò spectabat ista perfectionis prædicatio, ut divitibus opes excuterent, in se, velut Christi pauperes, transferendas: ut colligitur ex S. Hieronymo lib. 2. Dialogi adversus Pelagianos, *Vos*, inquit, *de crastino non cogitatis, & instar avium præsentibus contenti estis, quorum Epistolæ Bibliæ volitant trans Æthiopiam, ut inter simias & pavos nova de Ophir Salomoni dona mittantur.*

* Postremæ edit. 157.

Modestiæ in externo cultu, patientiæ, dilectionis inimicorum: vitandi juramenti præcepta ultra modum adstringebant, & ultra fines extendebant Pelagiani.

V. *Gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam*, asserebant Pelagiani contra quos S. Hieronymus lib. 1. Dialogorum. *Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem: si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus Ordo Ecclesiasticus, in administratione Sacrificiorum cum candida veste processerint? Cavete, Clerici, cavete Monachi, Viduæ, & Virgines: periclitamini, nisi sordidas vos atque pannosas vulgus aspexerit. Taceo de hominibus sæculi, quibus aperte bellum indicitur, & inimicitiæ contra Deum, si pretiosis atque nitentibus utantur exuviis.*

VI. *Christianum illius debere esse patientiæ*, asserebant Pelagiani, *ut si quis sua auferre voluerit, gratanter amittat.* Quod refert ac refellit ibidem S. Hieronymus. *Nonne nobis satis est*, inquit, *patienter perdere quod habemus, nisi violento atque raptori agamus gratias, & eum cunctis benedictionibus prosequamur? Docet Evangelium, Ei qui nobiscum velit judicio contendere, & per lites ac jurgia auferre tunicam, etiam pallium esse concedendum: Non præcipit ut agamus gratias, & læti nostra perdamus. Hoc dico, non quod aliquid sceleris in hac sententia sit, sed quod ubique mediocria ὑπερβολαῖς transeas, & magna sceleris.*

VII. *Inimicos ut proximos, diligendos*, aiebat Pelagius, & sibi contradicens addebat, *Inimico nunquam esse credendum*, (ex S. Hieronymo ibidem,) Qui & hunc errorem ita refellit. *Præceptum est mihi ut diligam inimicos, & orem pro persecutoribus. Nunquid jussum est, ut ita diligam quasi proximos, & consanguineos, & amicos; ut inter æmulum & necessarium nulla distantia sit? Si inimicos diligo quasi proximos, amicis quid amplius exhibeo?*

VIII. Asserebant Pelagiani, *Non debere jurari omninò*: ut testatur Hilarius in Epistola ad S. Augustinum, quæ est inter ejus Epistolas 220.

Pelagius Mulierum assentator, quas scientiam Legis habere debere, & publicè psallere posse, asserebat.

IX. Mulieres scientiam legis habere debere, & publicè psallere posse, Pelagius asserebat, ut sexum illum demereretur. Id ipsi exprobrat S. Hieronymus ibidem. *Tu tanta es liberalitatis*, inquit, *ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, Scientiam legis etiam feminas habere debere: cùm Apostolus doceat, Esse tacendum mulieribus in Ecclesia, & si quid ignorant, domi viros suos consulere debere. Nec sufficit tibi dedisse agmini tuo scientiam*

Scripturarum, nisi earum voce & canticis delecteris. Jungis enim, & penis in titulo, quod & femina Deo psallere debeant. Quis enim ignorat, psallendum esse feminis in cubiculis suis, & absque virorum frequentia, & congregatione turbarum? Verùm tu donas quod non licet: ut quod verecundè facere debeant, & absque ullo arbitro, Magistri autoritate proclament.

X. Asserebat Pelagius, *Servum Dei nihil amarum de ore suo, sed semper quod dulce est & suave, debere proferre.* Tum sibi ipsi contradicens, aiebat: *Sacerdotem, sive Doctorem nemini adulari debere, sed ardenter omnes corripere, ne & se & eos qui audiunt, perdat* (Ex S. Hieronymo ibidem.)

Denique, lenocinarii vitiis dogma Catholicum Pelagiani mentiebantur, seseumque exclusam de Ecclesiis censuram virtutum. Itaque Julianus apud S. Augustinum lib. 2. Operis Imperfecti cap. 2. & 3. *Eripiuntur*, inquit, *Ecclesiæ gubernacula rationis, ut erecta cornu vel ficet dogma populare. Ita cùm prudentibus parum licet, vilibus autem quodlibet etiam decet, seditionum decreto exclusa est de Ecclesiis censura virtutum; nosque hoc apud homines vulgi exosos fecit, quòd accessio erroris esse renuimus: vulgi, inquam, qui sententia meritum de prosper titibus ponderans, eam veriorem æstimat, quam pluribus placere conspexerit.*

ARTICULUS IV.

De Conciliis adversùs Pelagianam Hæresim congregatis.

§. I.

De Synodo Carthaginensi I. contra Cælestium.

PRima Synodus contra Cælestium, celebrata est Carthagine, actore Paulino S. Ambrosii Diacono, qui illum ut hæreseos authorem ad Aurelium Carthaginensem Episcopum detulit, anno Christi 412. Rationem temporis optimè colligit Vir eruditus P. Garnerius S. J. ex Epistola Synodi alterius Carthaginensis anno 416. habitæ, ad Innocentium I. & ex S. Augustino, de Gestis Pelagii cap. 11. ubi se huic Concilio non interfuisse, etiam testatur. Acta tamen istius Synodi recognovit, quorum & fragmentum refert libro de Peccato Originali, cap. 3. & 4. Præfuit Synodo Aurelius, plures adfuere Episcopi. Sex errorum capita objecta sunt Cælestio, qui convictus, anathemate confixus est, & ab Ecclesiæ communione repulsus. Quam sententiam, appellatâ Sede Apostolicâ declinavit: sed neglectâ appellatione, profugit in Asiam; ubi, per obreptionem Presbyter ordinatus est. Hujus Concilii Historia colligitur ex S. Augustino lib. de Gestis Pelagii cap. 11. & 35. ex Apologia Orosii, ex Mario Mercatore, c. 5. Commonitorii, & ex Authore Prædestinati; Hæresi 88. De appellatione Cælestii ad Romanum Pontificem agemus in Dissertationibus.

§. II.

De Synodo Hierosolymitana.

COngregata est hæc Synodus anno Christi 415. ad finem Julii, à Joanne Hierosolymitano, qui Pelagio favebat, ex solis per se Presbyteris. Interfuit Orosius, celebris ex Hispanis Presbyter, à S. Augustino missus ad S. Hieronymum, in Palæstinam, ut de origine animarum doceretur. Narravit ille hoc in Conventu, quæ Carthagine contra Pelagium gesta fuerant anno 412. seque duo à Pelagio audivisse testatus est; alterum, *Hominem posse esse sine peccato, si velit*; alterum, hunc *Mandata Dei facilè custodire*: utrumque ab Africanis damnatum. Pelagius, quem inter Presbyteros, Laïcum licet, sedere Joannes jusserat, excepit: Non dicere se id posse fieri sine adjutorio Dei. Episcopus qui Synodum coëgerat, non ut Pelagium damnaret, sed ut ejus adversariis silentium imponeret, exceptionem libenter accepit, eamque testimoniis Scripturæ confirmavit. Tum Orosium eò adducere conatus est, ut se Judice, actor in causa Pelagii esse vellet: sed altercatione factâ, multisque causantibus, eundem non posse Pelagii Patronum esse ac Judicem, causamque ortam inter Latinos à Latinis Episcopis judicandam, totius negotii judicium ad Innocentium I. Romanum Pontificem remissum est, impositumque interim utrique parti silentium. Ista constant ex Apologia Orosii cap. 3. & 4. in quibus hujus Synodi Acta prolixiùs referuntur.

Hujus Synodi meminit S. Augustinus lib. de Gestis Pelagii c. 14. *Usus est*, inquit, *hoc testimonio S. Joannes Hierosolymitanæ Antistes Ecclesiæ, sicut interrogatus, quæ apud illum ante Judicium gesta fuerint, Coëpiscopis nostris, qui simul in illo Judicio præsidebant, ipsemet narravit. Ait enim, tunc quibusdam susurrantibus & dicentibus, quod sine Dei gratia diceret Pelagius posse hoc perfici, id est, quod superius dixerat, Esse posse hominem sine peccato: Culpam*, inquit, *super hoc etiam intulit, quia & Apostolus multùm laborans, sed non secundum suam virtutem, sed secundum gratiam Dei dixit: Ampliùs omnibus illis laboravi, non ego autem; sed gratia Dei mecum.* Et iterum: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et illud: Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Et alia multa similia diximus*, inquit, *de Scripturis sanctis. Illis autem non suscipientibus quæ dicebantur à nobis de Scripturis, sed adhuc susurrantibus, dixit Pelagius: Et ego sic credo: Anathema sit, qui dicit, Absque adjutorio Dei posse hominem ad profectum omnium venire virtutum.* Quem locum de Synodo Diospolitana perperam intellexit Jansenius Yprensis lib. 1. de Hæresi Pelagiana.

Interea Pelagius & ejus asseclæ, Joannem Hierosolymitanum contra Orosium incitarunt, religiosissimo Presbytero per summam calumniam affingentes, quòd *Nec per Dei gratiam hominem esse posse sine peccato*, asseruisset, ac crederet. Hanc ut à se calumniam depelleret Orosius, Apologiam edidit, de libertate arbitrii inscriptam: de quâ dicemus inferiùs.

§. III.

De Synodo Diospolitana.

ANno Christi 415. Gallicani duo Episcopi Eros & Lazarus, Palæstinam petierunt, ut Pelagium in frequenti Concilio accusarent: sed cùm fato infelici eorum alter, priusquam eò pervenissent, in morbum incidisset, Libellum accusationis suæ misere ad Eulogium Metropolitam Cæsariensem. His absentibus, habita est Synodus Liddæ, quæ & Diospolis vocabatur, mense Decembri, quo tempore Sancti Protomartyris Stephani reliquiæ revelatæ sunt, ut constat ex Epistola Luciani Presbyteri, quæ extat in Appendice X. Tomi Operum S. Augustini. Huic Synodo præfuit Eulogius, adfuere 14. Episcopi, quorum exhibet nomina S. Augustinus lib. 5. contra Julianum c. 5.

Diospolis sive Lidda, vulgò Ramo, Sedes Episcop. sub Hierosolym. Archiepiscop.

Erotis & Lazari Libellus duo continebat objectionum capita: Unum adversùs Pelagium, alterum contra Cælestium, ex ipsorum libris excerpta, plurimisque erroribus constantia. Singulos recenset S. Augustinus lib. de Gestis Pelagii, c. 35. Sistit se Synodo Pelagius, & S. Augustini autoritate, in Epistola ad Hilarium, contra ejus errores scriptâ, constrictus

constrictus à Patribus, ejusdem Sancti Doctoris Epistolam ad se datam, velut amicitiæ ipsius & communionis tesseram jactabundus protulit. Tùm ut se Catholicum probaret, objecta sibi Capita dubiâ & ancipiti responsione exposuit: quâ in re eò faciliorem habuit exitum, quod à Græcorum, & linguæ Latinæ ignarorum Judicum nemine caperetur nisi interpretis beneficio. Ita aut favente sibi interprete; aut, quod in hujusmodi occasionibus frequens est, obscurum per se sermonem obscuriorem reddente, Patres Diospolitanos fefellit, & ab iis non probè intellectus, errore facti, Catholicus pronuntiatus est. Recitatis enim Cælestii capitulis, Synodus dixit: *Quid ad hæc, quæ lecta sunt Capitula dicit præsens Pelagius Monachus? Hæc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei Catholica Ecclesia. Pelagius respondit: Iterum dico, quia hæc, etiam secundùm ipsorum testimonium, non sunt mea: pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo. Quæ verò mea esse confessus sum, hæc vera esse affirmo: quæ autem dixi non esse mea, secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo: Anathema dicens omni contravenienti & contradicenti sanctæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secundùm doctrinam sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Si quis verò aliena ab hac sapit, anathema sit.* Synodus dixit: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consensit, contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis Ecclesiæ eum esse Catholicæ confitemur.* Hæc refert S. Augustinus lib. de Gestis Pelagii seu de Gestis Palæstinis, cap. 19. & 20.

Palæstina Synodus, licet decepta, Pelagii hæresim non approbavit, imò damnavit, ut in Dissertationibus ostendam. Falsò itaque scribebat Pelagius ad amicum, anno sequenti, sententiam suam 14. Episcoporum suffragiis fuisse comprobatum, quâ dixerat: *Posse hominem sine peccato esse, & mandata Dei facilè custodire si velit*, ut testatur ipse, lib. de Gestis Palæstinis c. 32.

Post Synodum; perdita Pelagianorum cohors, conspiratione factâ, in Monachos, & Virgines curæ sancti Hieronymi subditas sceleratissima cæde grassata est, Diaconum occidit, ignem admovit Monasteriis: vixque incolumis Hieronymus ipse evasit, in munitiorem turrim se recipiens, ut testatur S. Augustinus lib. de Gestis Palæstinis cap. ultimo.

§. IV.

De altera Synodo Carthaginensi contra Pelagianos.

MIssis ad Aurelium Carthaginensem Episcopum ab Orosio Gallicanorum Episcoporum Erotis & Lazari literis, & Palæstinorum Gestorum factâ relatione, Aurelius Synodum solemni more congregavit Carthagine, anno 416. circa tempus Autumni. Adfuerunt sexaginta & octo Episcopi Provinciæ Proconsularis. Recensita sunt quæ ante quinquennium in causa Cælestii gesta fuerant in priori Synodo Carthaginensi. In ipsum, ejusque Magistrum Pelagium lata est damnationis Sententia, quâ Patres *Communi deliberatione censuerunt, hujusmodi persuasionis Autores..... Nisi hæc apertissime anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere; ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti sunt, vel decipi possunt, cognitâ sententiâ, quæ in eos facta est, sanitas procuretur*: (inquit ipsa Synodus in Epistola ad Innocentium Pontificem Maximum.) Hunc rogarunt Patres ut Synodi Gesta autoritate Apostolica firmaret. *Hoc itaque gestum*, inquiunt, *Domine Frater Sancte, Caritati tuæ intimandum duximus, ut Statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur autoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam perversitate etiam corrigenda.* Operæ pretium esse ut hæresim anathemate configeret, quamvis Pelagius Cælestiusque correcti essent, & ille secundùm sententiam Diospolitanæ Synodi absolvendus fortè videretur. *Si ergo*, inquiunt, *Pelagius Episcopalibus Gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ Venerationi justè visus fuerit absolutus, error tamen ipse & impietas, quæ tam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam autoritate Apostolicæ Sedis anathematizanda est.*

Et infra: *Unde, etiam si Pelagius, Cælestiusque correcti sunt, vel se ista nunquam sensisse dicunt, & quæcunque Scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt, nec est quemadmodum de mendacio convincantur, generaliter tamen quicunque dogmatizat & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda sufficere posse naturam; & eo modo gratiæ Dei, quæ Sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur: Et quicunque negat parvulos per Baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.*

§. V.

De Synodo Milevitana.

EOdem anno Christi 416. Milevi Numidiæ urbe Synodus 61. Patrum contra Pelagianos celebrata est: circa finem Octobris, præside Silvano Zumnensi Episcopo, Numidiæ Primate. Nihil contra Pelagium & Cælestium ea in Synodo decretum est, quamquam eorum causa discussa, sed eos ut nefariæ hæreseos Authores ad Innocentium I. Romanum Pontificem Patres detulerunt, cujus duo præcipua capita his verbis exposuere: *Hæc duo, quibus omnino totum quod Christiani sumus molitur evertere, quæ fidelia corda sustinent, Non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam justitiam sit noster adjutor: & non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ sacramentum.* Non fuisse anathemate percussos & ab Ecclesiæ Communione eâ in Synodo segregatos, probant ista verba Patrum in Epistola Synodica: *Hujus autem perniciosissimi erroris authores esse perhibentur Pelagius & Cælestius, quos quidem in Ecclesia sanari mallemus, quàm desperatâ salute ab Ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat.*

Nulli in Concilio Milevitano editi Canones.

Nullos hoc in Concilio Milevitano Canones editos contra Pelagianam Hæresim, sicut nec in præcedenti Carthaginensi jam ferè consentiunt eruditiores. Idque satis probant illa verba Patrum in Epistola Synodica, quibus causæ totius judicium Innocentio Pontifici deferunt: *Sed arbitramur, adjuvante misericordia Domini nostri Jesu Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ, de sanctarum Scripturarum auctoritate deprompta, faciliùs eos, qui tam perversa & perniciosa sentiunt, esse cessuros; ut de correctione potiùs eorum congratulemur, quàm contristemur interitu.* Id confirmat silentium Patrum Africanorum, qui cùm utriusque Synodi Gesta ad Innocentium Papam referant, nullos in iis memorant editos Canones. Confirmat & Sancti Augustini silentium, qui ad Valentinum & Paulinum de gratia divina scribens, Relationum ab utraque Synodo ad Sedem Apostolicam factarum meminit, Canonum nullatenus, cùm tamen nihil majoris ponderis ad eos erudiendos afferri posset. Inscribitur Epistola: *Domino beatissimo, meritoque venerabili, & in Christo honorando Papæ Innocentio.* Quæ ostendunt, quanta veneratione

Africani Episcopi Apostolicam Sedem Romanam ... primatum jure divino in universa Ecclesia.

Africani Antistites Romani Pontificis Primatum prosequerentur : cujus & autoritatem *de sacrarum Scripturarum autoritate depromptam* professi sunt, quod idem est cùm eo quod asserimus, Romanum Pontificem esse *jure divino* omnium Episcoporum primum, cæterisque superiorem.

§. VI.

Quid in caussa Pelagii & Cælestii egerit Innocentius Primus?

INnocentius Papa acceptis Africanarum Synodorum Relationibus, & 5. Episcoporum Epistola, per Julium Episcopum Africanum ad eum missis, palmares duos Pelagianorum damnavit errores, duoque Catholica dogmata his opposita definivit, exposuit, propugnavit ; alterum de necessitate gratiæ, alterum de infantium baptismo, propter peccatum originale. Dixit anathema in errorum Autores ac Sectatores ; resipiscentibus Apostolicæ charitatis sinum ac brachia expandens. Ista constant ex Innocentii Rescriptis ad Africanorum Episcoporum Literas, datis 6. Cal. Februar. Honorio XI. & Constantio II. Coss. hoc est 27. Januarii, anno 417. In Rescripto ad Silvanum & cæteros Milevitanæ Synodi Patres, hæc habet : *Quare Pelagium Cælestiumque, id est, inventores vocum novarum.... Ecclesiasticâ communione privari, Apostolici vigoris autoritate censemus, donec resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem ; eosque interim Dominico ovili non recipi, quod ipsi, perversa via secuti tramitem, deserere voluerunt..... Simul autem præcipimus, ut quicumque id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat, &c. Hæc igitur in supra dictos maneat fixa sententia, &c. Jubemus tamen, quoniam Christus Dominus propriâ voluntate significavit, Nolle se mortem morientis, tantùm ut revertatur, & vivat ; si unquam sani, deposito pravi dogmatis errore, resipuerint, damnarintque ea, quorum seipsi prævaricatione damnarunt, eis medicinam solitam, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negari, &c.*

Erasmus perstringitur.

Has Innocentii Literas imperitè carpit Erasmus, cujus judicio Vossius nimiùm tribuit. Tam temerario Censori nemo subscribet, qui S. Augustini verba legerit, illas non semel commendantis, scilicet in Epistola 106. Ad Paulinum : *Scripsimus etiam*, inquit, *ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum Relationes, Literas familiares, ubi de ipsa causa aliquantò diutiùs egimus. Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.* Et lib. 1. contra Julianum c. 4. *Quid enim potuit Vir ille Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?* Et quibusdam ejus sententiis laudatis : *Huic responde*, inquit, *imò ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio.* Et lib. 2. ad Bonifacium, cap. 3. *Literis beatæ memoriæ Papæ Innocentii de hac re dubitatio tota sublata est.* Et cap. 4. Recensitis earumdem Literarum verbis exclamat : *Quid ista Sedis Apostolicæ sententia clarius atque manifestius?*

** Posterioris edit. 186.*

Ad Sententiam Innocentii I. contra Pelagianos pertinet quod scripsit S. Prosper in Carmine de Ingratis :

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri.

Pelagianis ab Innocentio I. damnatis, necessaria non erat Synodus.

Primas partes in damnatione Pelagianorum Sedi Romanæ dedit S. Prosper, quia præcedentia Concilia Pelagium & Cælestium anathemate non damnaverant, sed causæ integræ judicium detulerant ad Innocentium Papam : & licet hæresim execrata fuissent, ac damnandam judicassent, Apostolicæ tamen autoritatis sigillo sententiam toborari ac confirmari suam postulaverant.

Acceptis Innocentii Rescriptis : *Causa finita est*, inquit S. Augustinus *Sermone 2. de Verbis Apostoli.* Necessaria itaque deinceps alia Synodus non erat, ut Pelagii & Cælestii dogmata ab Innocentio proscripta, hæretica haberentur, & his opposita censerentur ad Fidem pertinere.

§. VII.

De prima Synodo Romana sub Zosimo Pontifice, contra Pelagianos, anno Christi 417.

PElagius, auditis iis, quæ tum in Africa acta erant, tum ab Innocentio rescripta, ad eumdem Pontificem Epistolam scripsit, quâ Erotem & Lazarum calumniæ accusabat, Africanas verò Synodos præcipitis judicii : missoque suæ Fidei libello, quem Symbolum inscripsit, fucum facere Pontifici, & Hæretici nominis labem à se abstergere conatus est. Adjunctæ sunt Pelagii libello Praylii Jerosolymorum Episcopi commendatitiæ literæ, *quibus causæ Pelagii enixiùs adstipulator interveniebat* : ut loquitur Zosimus ad Africanos scribens. Interim Cælestius, Constantinopoli, quò confugerat, ejectus ab Attico Constantinopolitano Antistite, *Romam tota festinatione perrexit*, ut scribit Marius Mercator in Commonitorio. Sedebat, cùm eò appulit, in S. Petri Cathedra Zosimus. Ad Pontificem querimonias detulit Cælestius contra Erotem & Lazarum, suos ac Pelagii accusatores, & contra Synodorum Africanarum judicium : ipsique fidei Libellum obtulit. Zosimus congregato in Basilica S. Clementis Concilio, Libellum Cælestii legi coram frequenti cœtu jussit. Peccatum quidem originale Cælestius eô Libello negabat, sed Hæreseos invidiam declinare conatus est, profitendo apud Summum Pontificem, se paratum emendare errorem, si quis sibi ex ignorantia obrepsisset. *Si fortè*, inquit, *ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur* Diligenter Cælestium interrogavit Zosimus, ipsique suasit ut ea quæ sibi à Paulino Diacono objecta fuerant, damnaret, ac Decretis Innocentii Decessoris sui præberet assensum. *At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed Beati Papæ Innocentii Literis non est ausus obsistere ; imò se omnia quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* ut refert S. Augustinus lib. de Peccato Originali, cap. 7. Isti tam sinceræ, ut videbatur, professioni, credens Zosimus, Libellum ejus Catholicum existimavit, ut refert S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium, cap 3. *Quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere.... Hoc in illo factum esse putabatur, quando se Literis beatæ memoriæ Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.* Verumtamen, ut (idem S. Augustinus ait, lib. de Peccato Originali, cap. 7.) *A vinculis excommunicationis nondum est creditus esse solvendus, sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, ubi ejus calliditas aliquantò evidentiùs innotuerat, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est.*

Zosimus Pontifex à Cælestio & Pelagio deceptus.

Itaque Zosimus Cælestium calumniis appetitum ac insontem esse suspicatus, literas dedit ad Aurelium, aliosque Africanos Episcopos, quibus eos de rebus cum Cælestio gestis certiores faceret. Eos insuper increpuit, quod solis Literis Erotis & Lazari facinorosorum Antistitum, exautoratorum, & absentium quidem, tantam fidem in re tanti momenti adhibuissent. Cælestium præsentem se tueri, fidem suam exponere, accusatoresque suos provocare : non esse

esse omni spiritui credendum, sed diu attentiùs examinandum, præsertim de Fide hominis, ubi status ejus & vita perpetua est. *Unde*, inquit, *in præsenti causa nihil præcox immaturumque censuimus, sed voluimus innotescere Sanctitati vestræ, super absoluta Cælestii fide nostrum examen: cui etiam prior Libellus, ab eo intra Africam datus, testimonio apud vos esse debuisset, ne inexploratis, famàque jactatis tam facilè crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire, quàm Libellis & Confessione contexuit; aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii Sanctitas vestra resedisse cognoscat.*

Post duos menses, cùm Epistolam Pelagii ad Innocentium datam, & ejus fidei professionem Zosimus recepisset, easque publicè convocato Clero legi jussisset, magnam de Pelagii ipsius & Cælestii orthodoxia concepit opinionem: & alteram ad eosdem Africanos Episcopos Epistolam dedit non minùs acrem. Ex hac Epistola dilucescit, Pelagium mirum in modum suam dissimulasse sententiam, ac hæresim occultasse, ut fucum faceret Zosimo, quod ipsi secundùm votum cessit. *Utinam*, inquit Zosimus, *ullus vestrûm recitationi Literarum interesse potuisset! Quod sanctorum Virorum qui aderant gaudium fuit! Quæ admiratio singulorum! (Vix fletu quidam & lachrymis temperabant.) Tales etiam absolutæ fidei infamari potuisse! Est ut unus locus in quo Dei gratia vel adjutorium prætermissum sit? Quid quisquis potest præterea dicere, vel mente concipere?*

Lazarus Aquensis, Eros Arelatensis Ecclesiæ invasor.

Multis deinde ostendit Zosimus, fidem non fuisse adhibendam literis Erotis & Lazari. * *Vetus*, inquit, *Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi: per multa Concilia in sanctum Britium Coepiscopum nostrum Turonicæ civitatis diabolicus accusator inventus est. A Proculo Massiliensi in Synodo Taurini oppidi sententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit post multos annos Sacerdos, tyrannici judicii defensor civitatis Aquensium; cùmque contrairet afflicta civitas, in ipsum penetrale & Sacerdotale solium sanguine innocentis penè respersum irrupit: stetitque in eo hactenus umbra Sacerdotii, donec in Tyranno* * *imago staret Imperii. Quò loco, post internecionem Patroni sponte se exuit, & propria cessione damnavit. De Erote* * *verò omnia similia, idem Tyrannus, patronus cædes, turba Presbyterorum contradicentium, vincula & custodia, & totius civitatis afflictio, similis pœnitentia de abdicatione Sacerdotii. Mirum est si isti Laicum virum ad bonam frugem longa erga Deum servitute nitentem, falsis literis percellere voluerunt, qui in fratres & Coepiscopos tanta machinati sunt, qui tot tempestates Ecclesiæ reddiderunt. Non decet Episcopalem auctoritatem, & præcipuè Prudentiam vestram, ad levium susurronum scripta pendere.* Et post: *Ecce Pelagius, Cælestiúsque Apostolicæ sedi in literis suis & Confessionibus præsto sunt. Ubi Eros, Ubi Lazarus? Erubescenda factis & damnationibus nomina.* Et ad finem Epistolæ: *Sit vobis gaudium, eos quos falsi judices criminabantur, agnoscere à nostro corpore & Catholica veritate nunquam fuisse divulsos. Certè hoc quod nostra expectatio desiderabat, eluxit, ut damnanda damnarent, & obsequerentur. Si Paterfamilias reditu filii gratulabatur, qui mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est.... Quantùm hæc uberior exultatio est fidei, non mortuos esse, nec periisse, de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad Dilectionem vestram exemplaria Scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parituram esse vobis in Domino de absolutâ ejus fide lætitiam.*

Loquitur de Constantino, qui Imperium in Galliis contra Honorium invaserat. Is Lazari patronus. Unde Constantino interempto, Lazarus Aquensi Episcopatu se abdicavit, ne quid gravius ob Tyranni amicitiam contra se ab Honorio statueretur.

Eros atque Constantino Tyranno favit: Quem ad Sacerdotium promovit, statim atque perditis desperatis rebus exutus e civitate est [illegible] Arelatensem in Erotem ordinatum, qui ipsum [illegible] Tyrannus adjutorem expulerunt.

Ex his Zosimi literis, quas adulterinas esse perperam unus asserit Cappellus Franciscanus, Mario Mercatore Commonitorii c. 1. & Facundo Hermianensi lib. 7. c. 3. & S. Augustino lib. 2. ad Bonifacium c. 3. & lib. de Peccato Originali c. 8. reclamantibus, constat Pontificem istum nimia benignitate erga Cælestium usum esse, quia ejus Libellum sive potiùs animi sensum Catholicum existimavit; errore facti deceptus. At ejus hæresim ipsum non approbasse, in Dissertationibus evincemus. Qui contra singularem M. Antonii Cappelli opinionem de literis duabus ad Africanos Zosimo suppositis plura voluerit, legat eruditum Marii Mercatoris Interpretem P. Garnerium Dissertatione 2. de Synodis in causa Pelagii habitis, in expositione IX. Synodi.

§. VIII.

De priori Synodo Africana contra Pelagianos, tempore Zosimi.

ACceptis per Basiliscum Romanæ ecclesiæ Subdiaconum Zosimi literis, Aurelius Carthaginensis Episcopus, & totius Africæ Primas Synodum coegit mense Octobri vel Novembri anni 417. ex omnibus Africæ provinciis: ex quâ Africani Patres literas ad Zosimum dederunt, quibus ipsum obtestabantur, ut nihil de sententia in Pelagium & Cælestium ab Innocentio Decessore suo ad Relationem Africanarum Synodorum latâ immutaret, sed in eodem cuncta relinqueret statu, donec è suis aliquem Romam mitterent cum idoneis causæ instrumentis, quibus hæreticorum artes aperirentur, docereturque quàm legitimè & canonicè essent damnati. Id ex Epistola Zosimi ad Africanos datâ 12. Cal. April. anni sequentis compertum est: (non extat enim Epistola Africanorum ad Zosimum.) *Ideircò*, inquit, *noverit vestra Fraternitas, nihil nos post illas, quas vel superiùs, vel nunc, literas vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cùm hoc nostris literis vestræ indicavimus Sanctitati, ut illa, quæ à vobis ad nos missa erat, obtestatio remaneret.*

Interim Africani Patres majori otio & maturâ deliberatione inquirebant inter se quid facto esset opus, ut hæreticorum artibus occurreretur, & ne Zosimus in Cælestium nimis propensus, sententiam ferret in Ecclesiæ fideique damnum pródituram. Legationem itaque decreverunt ad Zosimum, quam Marcellino Subdiacono imposuerunt, eique literas tradidere prolixas & graves Pontifici tradendas, cum plurimis instructionibus gestisque præcedentium Synodorum. His literis, quæ temporum injuria perierunt, de nimia Zosimi facilitate conquerebantur, quâ credulas aures Cælestio commodaverat. Id liquet ex Zosimi verbis in Epistola ad ipsos datâ. *Quò*, inquit, Epistolæ vestræ, *volumine ita totum literarum* mearum *comprehendistis textum, quasi nos Cælestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis ad omnem, ut ita dicam, syllabam præbuerimus assensum.* Monuerunt etiam non sufficere generalem Cælestii ad Innocentii literas consensum, nisi ea anathemate ipse percelleret, quæ in suo libello malè posuerat. Id clarum est ex S. Augustino lib. 3. ad Bonifacium, c. 3. *Romam*, inquit, *literæ venerunt ex Africa, id continentes, Non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi Literis consentire fatebatur, sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo Libello malè posuerat: ne si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in Libello ejus illa fidei venena à Sede Apostolica crederent approbata, propterea quòd ab ea dictum erat eum Libellum esse Catholicum, quàm emendata propter illud, quòd se Papa Innocentii Literis consentire ipse responderat.*

Tertio, Innocentii I. Sententiam in Pelagium atque Cælestium latam, in Synodo illâ frequentissimâ

tissimâ Africæ acceptam fuisse & confirmatam, Zosimo significarunt. Id colligitur ex S. Prospero lib. contra Collatorem, cap. 10. *Erraverunt*, inquit, *ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistola quam suis Constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem B. Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam manere Sententiam, donec apertissimâ confessione fateantur, Gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illâ, nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

Octo Canones Milevitanæ Synodo adscripti, in plenaria ista Synodo Ecclesiæ Africanæ contra Pelagianam hæresim edita sunt.

Quartò. Octo Canones de gratia Dei hâc in Synodo conditos suis ad Zosimum literis adjunxerunt. Ii ipsi sunt Canones, qui Milevitano Concilio à quibusdam tribuuntur, & ejus inscripti nomine referuntur à Conciliorum Editoribus. Hos enim 8. Canones celebratissimos Africanæ istius Synodi fœtum esse, disertè colligitur ex S. Prospero lib. contra Collatorem, cap. 10. *Erravit igitur*, inquit, *Papa Innocentius & Petri Sede dignissimus, erraverunt Orientales Episcopi, in quorum judicio Pelagius, eos qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari, ut Catholicus posset videri, anathematizare compulsus est. Erraverunt Africana Episcoporum Concilia, quæ Decretis suis constituêre, Utrumque Dei donum esse, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Quæ definitio hisce canonibus continetur.

Idem colligitur ex Responsione ipsius ad Capitula Gallorum c. 8. *Cum ducentis quatuordecim Sacerdotibus*, (inquit) *quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, Gratiam Dei per Jesum Christum Dominum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvare; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

Hos etiam Canones isti Synodo Carthaginensi tribuit Autor Collectionis Sententiarum de gratiâ & libero arbitrio, adnexæ Epistolæ Cælestini 1. ad Gallos Episcopos, c. 6. *Illud etiam*, inquit, *quod intra Carthaginensis Synodi Decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur, quod scilicet tertio Capitulo definitum est*, &c. Propter tertium, quartum, & quintum ex illis Canonibus, qui vulgò, sed malè Milevitani nuncupantur.

Denique Binius ipse, *In Notis*, testatur, in vetusto Codice Monasterii Sancti Bavonis in Gandavo, alioque antiquissimo Anglicano Monasterii Vintoniensis, tertioque excuso à centum ampliùs annis Moguntiæ, eosdem Canones hujus Synodi Carthaginensis nomine fuisse inscriptos. Eidem illos tribuit Compendium Canonum Ecclesiæ Africanæ, quod Hadrianus I. Carolo Magno dono dedit.

De numero Canonum istius Concilii controversia est Viros inter Eruditos. Quidam octo tantùm admittunt: alii novem numerant. Tertium enim contra medium beatitudinis locum infantibus sine Baptismo decedentibus à Pelagianis attributum, retinendum censent. His favet Photius in Biblioth. Cod. 53. Illis verò Codex Africanus Dionysii Exigui Collectioni insertus suffragatur. In eo enim Canon ille controversus non extat. Non minimum etiam illorum sententiæ robur accedit ex Collectione Sententiarum de gratia & libero arbitrio, quæ appendix est Epistolæ Cælestini I. ad Gallos Episcopos, in quâ tertium Capitulum, seu tertius Canon idem laudatur, quem in vulgatis editionibus legimus. Quod argumento est, controversum de beatitudine parvulorum Canonem, quem Photius tertium numerat, irreptitium esse. Eodem anno 417. Pelagius in Synodo Antiochena à Theodoro illius urbis Episcopo damnatus est: & Hierosolymis pulsus: ut testatur Marius Mercator, Commonitorii cap. 3.

§. IX.

De II. Synodo Africana sub Zosimo Anno 416.

RESCRIPTUM Zosimi ad Africanos Antistites 12. Cal. Aprilis anni 418. datum, paulò ante Calendas Maias in Africam pervenit, cùm jam Patres Carthaginem ad Synodum convenissent. Intempestiva Pontificis cunctatio, & quæ fidei pacique Ecclesiæ noxia videbatur, Patres Africanos commovit: qui in illa Synodo totius Africæ Plenaria, Pelagianam hæresim repetitis anathematibus confoderunt, Canonesque octo in priori Synodo conditos confirmarunt ac promulgarunt. Hanc Synodum à priori disertè distinguit S. Augustinus Epistola 47. ad Valentinum. *Item quod Papæ Zosimo de Africano Concilio scriptum est*, inquit, *ejusque Rescriptum ad universos totius orbis Episcopos missum: & quod posteriori Concilio Plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus . . . . Hæc omnia misimus vobis.*

Utriusque istius Africani Concilii meminit S. Prosper in Carmine de Ingratis, cap. 2.

Tu causam fidei flagrantius Africa nostra.
Exsequeris: tecúmque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenêre tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminóque Senum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, quod Regna sequantur.
Nec sola est illic Synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus: nullúmque omnino relictum
Docta fides quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt, & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxêre undante meatu.
Et ter centenis Procerum sunt edita linguis.
An aliud in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniúmque
Augustinus erat?

§. X.

De Pelagianorum damnatione à Zosimo.

ACCEPTIS à priori Synodo Africana Rescriptis, Gestisque omnibus quæ Pelagianam causam, & Pelagii Cælestiique damnationem in prioribus Synodis factam spectabant, Zosimus post diuturniorem cunctationem, Cælestium ad pleniorem audientiam vocavit, ut hæretici dogmatis capita ab Africanis missa palam & absque fuco ac tergiversatione damnare cogeretur. Sed ille hæresim suam, in eáque occultandâ artes ac dolos detectos videns, se subduxit examini, ac Româ fugit. Quamobrem Zosimus ipsum, Pelagiúmque, & hæretica ipsorum dogmata damnavit, & Tractoriam ad totius orbis Episcopos dedit Epistolam, quæ summô totius orbis excepta est consensu, & Pelagiana Hæresis ubique damnata. Id habemus ex S. Augustino lib. 2. ad Bonifacium c. 3. ubi postquam dixit, Romam venisse literas, quæ expectabantur ex Africa venturæ: ut pleniùs & manifestiùs in Cælestio fieret, quod responderat se literis beatæ memoriæ Papæ Innocentii consensurum, subjungit: *Tunc ergo cùm ejus præsentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus, vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, & nulli ambigua*

ambigua remaneret, sesubtraxit, & negavit examini. Et lib. 2. de Peccato Originali, c. 7. *Sed postquam ex Africano Episcoporum Concilio Rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum, ut in eum* (Cælestium) *Sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.* Et Epist. 47. ad Valentinum. *Item quod Papa Zosimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque Rescriptum ad universos totius orbis Episcopos missum, &c.*

* Postrema edit. 215.

Idem habetur ex Mario Mercatore in Commonitorio ad Theodosium. *Episcopis verò*, inquit, *ex Africa rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus, missis etiam Gestis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo confecta, vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiserat, festinaret implere, id est, ut damnatis prædictis Capitulis, sententiâ Afrorum Pontificum, quâ fuerat communione privatus, absolveretur, non solùm non adfuit, sed etiam ex memorata Romana urbe profugit: atque ob hoc à beatæ memoriæ prædicto Zosimo Episcopo Scriptis amplissimis, vel longissimis perdamnatus est. In quibus & ipsa Capitula, de quibus accusatus fuerat continentur, & omnis causa tam de Cælestio suprà scripto, quàm de Pelagio Magistro ejus praviore videtur esse narrata. Quorum scriptorum & nos hic habemus exemplaria, & ad Orientales Ecclesias, Ægypti Diœcesin, & Constantinopolim, & Thessalonicam, & Hierosolymas, similia eademque Scripta ad Episcopos transmissa esse suggerimus.*

Et cap. 3. *Quæ omnia suprà scripta capitula continet illa beatæ Memoriæ Episcopi Zosimi Epistola, quæ Tractoria dicitur, quâ Cælestius, Pelagiusque damnati sunt; quæ & Constantinopolim, & per totum orbem missa, subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata, &c.*

Tractoria Zosimi Epistola contra Pelagium & Cælestium.

Hujus Tractoriæ, non ut quidam perperam legerunt, & legendum esse propugnarunt, Tractatoriæ Epistolæ, non solum meminit, sed & ejus fragmenta quædam laudat S. Augustinus Epist. 157. ad Optatum. *Hæresis nova*, inquit, *vel Autores, vel certè acerrimi, notissimique Suasores cùm Pelagius & Cælestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantiâ in adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis Papa Zosimo & Papa Innocentio, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt. De quibus exempla recentium Scripturarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes Episcopos, de memorata Sede manarunt, ne fortè ad vestram Sanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti, &c.*

* Postrema edit. 190.

De hac Tractoria S. Prosper lib. contra Collatorem hæc habet: *Africanorum Conciliorum Decretis beatæ recordationis Papa Zosimus Sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem, gladiò Petri dexteras omnium armavit Antistitum.*

§. XI.

De Tertia Synodo Africana sub Zosimo.

ANno 418. Autumnali tempore, Plenaria totius Africæ Synodus Carthagine celebrata est, in quâ Zosimi Papæ Epistolæ ad Afros, & ad totius orbis Episcopos perlectæ sunt, & summa Patrum gratulatione exceptæ, qui datis ad Pontificem literis, gratias ipsi amplissimas egerunt. Id colligitur ex S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 10. *Erraverunt* (inquit ironicè) *Africani Episcopi ad eumdem Papam Zosimum rescribentes, eúmque in Sententia hujus celebritate laudantes, cùm aiunt: Illud verò quod in literis tuis, quas ad universos curasti esse mittendas, posuisti, dicens: Nos tamen instinctu Dei* (*omnia enim bona ad Autorem suum referenda sunt*) *&c.* Ejusdem Synodi meminit Autor Collectionis Capitulorum de Gratia, adnexæ Epistolæ Cælestini I. ad Gallos Episcopos c. 8.

§. XII.

De aliis Synodis contra Pelagianos celebratis.

ANno Christi 423. Synodus Episcoporum secundæ Ciliciæ, Anazarbi, à Maximiano illius urbis Episcopo, adversùs Julianum Pelagianum celebrata est, ut colligitur ex Mario Mercatore in Præfatione ad Symbolum Theodori Mopsuesteni.

Anno 424. vel 425. habita est Constantinopoli Synodus ab Attico, in qua Pelagiani damnati sunt, & post damnationem Urbe Regia ejecti. Id habemus ex S. Prospero, Carmine de Ingratis, c. 2. & ex Cælestino I. in Epistola ad Nestorium, quæ inserta est I. P. Concilii Ephesini cap. 18.

Eodem fermè tempore Cælestinus I. sive congregatâ Romæ Synodo, sive absque Synodo, Cælestii, & fautorum ejus, Synodum Oecumenicam postulantium, supplicationem rejecit, cumque Italiæ finibus curavit extrudi, firmatis Decessorum suorum, & præcedentium Synodorum contra Pelagianam Hæresim Decretis. Id testatur, S. Prosper lib. contra Collatorem, cap. 41. *Venerabilis* (inquit) *memoriæ Pontifex Cælestinus, cui ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeò & Prædecessorum suorum statuta, & Decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.*

S. Augustinus Pelagianorum querimoniam, causantium quòd sua in Concilio Oecumenico dogmata ventilata & discussa non essent, egregiè refellit lib. 4. ad Bonifacium, c. ultimo. *Aut verò*, inquit, *Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi Congregatione damnata sit; cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multòque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterant, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur; cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ Pastorali, post factum illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur.*

Synodus Oecumenica [illegible] Pontificibus.

Eodem circiter anno 425. Africana Syodus in causa Leporii Monachi, qui Pelagiani erroris contagione contaminatus erat, ab Aurelio Carthaginensi congregata est: in qua Patres, Libello emendationis, quem ipsis Monachus ille obtulerat, subscripserunt, eumque ad Gallicanos Episcopos miserunt. De Leporio superius actum. Art. 1. §. 4.

Inter annum 427. & 429. Synodus in Galliis habita est, quo in loco incertum. In ea Gallicani Episcopi auxilium rogati ab Ecclesia Anglicana adversùs Pelagianam hæresim, autore Agricola Severiani Episcopi Pelagiani filio sparsam, & mirum in modum invalescentem, sanctissimos duos Antistites Germanum Autisiodorensem, & Lupum Trecensem miserunt, ad Catholicam fidem in Anglia defendendam:

fendendum: quos etiam Apostolicâ autoritate Cælestinus I. adauxit. A Id habetur ex Prospero in Chronico, ex Constantio Presbytero in Vita S. Germani apud Surium 31. Julii, & ex Autore Vitæ S. Lupi, apud Surium 30. Julii. Sigebertus Britannicam SS. Germani & Lupi legationem refert ad annum Christi 456. & Sigeberto videtur favere Venerabilis Beda lib. 4. Historiæ Anglicanæ. At ratio temporum manifestè repugnat. Tunc enim temporis, neque Germanus ipse, neque Cælestinus I. à quo ejus confirmata legatio est, superfuit. Hic enim obiit anno 432. ille verò anno 445.

Prosper in Chronico illam refert legationem ad B Consulatum Florentii & Dionysii, id est, ad annum 429. Legatur hac de re Marii Mercatoris Interpres P. Garnerius S. J. Dissertatione 2. de Synodis in causa Pelagianorum habitis, ubi illam Synodum anno 427. vel 428. habitam, Arelate, Præside Patroclo Arelatensi Episcopo, conjecturis quibusdam ingeniosè excogitatis probare nititur. Sed incertum esse istius Synodi locum, ac Præsidem, asserere mallem, donec certis probetur monumentis.

Verolamium, Verlam, vel S. Albans.

Anno Christi 429. Conventus Verolamii * in Anglia habitus est, in quo SS. Germanus & Lupus Pelagianos convicerunt, qui ad disputandum contra C fidem convenerant. Istius Conventûs sive Collationis meminit Constantius Presbyter in Vita S. Germani. Meminit & Beda lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum c. 17. Sed in Epocha lapsus est Vir Venerabilis: ipsam enim habitam tradidit anno 446. qui tertius erat à S. Germani obitu.

Anno Christi 430. Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. Cælestinus I. in Synodo contra Nestorium & ejus hæresim Romæ congregata, Pelagianos Episcopos, qui Constantinopolim confugerant, & quos Nestorius fovebat, iterum damnavit: ut constat ex Epistola istius Pontificis ad Nestorium, D quæ extat I. P. Concilii Ephesini, cap. 18. & ex Relatione Patrum Ephesinorum ad ipsum Cælestinum, quæ habetur Actione V.

§. XIII.

De Pelagianorum damnatione in Ephesina Synodo.

ANno Christi 431. congregata est Ephesi Oecumenica Synodus contra Nestorium: in qua cùm Sedis Apostolicæ Legati Gesta Romæ adversùs Pelagianos, quos Nestorius fovebat, exposuissent, à Patribus uno ore Pelagianorum damnatio concla- E mata est, ut ex Relatione Synodi ad Cælestinum constat. Duo Canones contra Pelagianos, qui Cælestiani nuncupantur, quòd Cælestius apud Ephesum Presbyter consecratus, ibidem Pelagio notior esset, inter Ephesinos leguntur: quorum unus sic habet: *Si qui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint, vel privatim, vel publicè, Nestorii, Cælestiive sequi dogmata sancitum est à sancta Synodo istos quoque depositos esse.* Sic duo consanguinei errores uno eodemque ictu percussi, uno velut tumulo sepulti sunt, cui S. Prosper hoc appendit Epitaphium:

Nestoriana lues successi Pelagiana,
Quæ tamen est utero progenerata meo.
Infelix misera genitrix & filia nata,
Prodivi ex ipso germine quod peperi:
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
De Capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui:
Et consanguinea post tristitia vulnera fraudis,
Aspera conserui prælia sine pari.
Me tamen una dedit victam Sententia letho:
Illa volens iterum surgere, bis cecidit.
A *Mecum oritur, mecum moritur, mecùmque sepulcrum*
Intrat, & inferni carceris ima subit.

Quin istud Epitaphium à S. Prospero conscriptum sit, nullus dubito, cùm ejus stylum & acumen omnino sapiat, & planè conveniat cum Sententia ejusdem Prosperi lib. contra Collatorem, cap. 41. ubi de Cælestino Papa sic loquitur: *Per hunc virum etiam Orientales Ecclesiæ geminâ peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti, gloriosissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur.* B

Scholion.

In istius Articuli Paragrapho VII. pag. 169. Edit. primæ hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Zosimus erravit errore facti.*

R. *Zosimum* Romanum Pontificem errore facti in causa Cælestii & Pelagii errasse, nemo Historiæ Ecclesiasticæ peritus negaverit. Nonne enim erravit in facto, qui de Pelagio & Cælestio scribens, dolere se significat quòd tales absolutæ fidei velut hæretici accusati fuissent, & in Africa damnati? Qui *Erotem & Lazarum*, *Timasium & Jacobum* severè perstrinxit? Quod & ipsius Literis ad *Aurelium* & Africanos Episcopos compertum est. Idque *Facundus Hermianensis* C Lib. VII. cap. 3. confirmat. Denique & Cardinalis *Baronius* ad annum 417 & *Henricus* Cardinalis *Norisius*, Historiæ Pelagianæ lib. 1. cap. XIII. & omnis eruditorum hominum natio, *Zosimum* hac in causa errore facti deceptum fatentur.

ARTICULUS V.

De Constitutionibus Imperatorum contra Pelagianos.

NOn solùm Constitutionibus Pontificum & Synodorum Decretis prostrati sunt Pelagiani, verùm etiam Christianorum Imperatorum legibus, ut testantur Marius Mercator in Commonitorio, D cap. 3. & S. Augustinus lib. de Peccato Originali, cap. 17. *In Autores*, inquit, *nefandi erroris Episcopalia Concilia, & Apostolica Sedes, universáque Romana Ecclesia, Romanumque Imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissimè fuit commotum, donec resipiscant de diaboli laqueis.* Et lib. 3. adversùs Julianum, cap. 1. ubi sic ipsum alloquitur: *Ne argumento miserrimo utamini, quo universi utuntur Hæretici, quos à perniciosa licentia Leges Imperatorum Catholicorum premunt. Omnes quippe hujusmodi dicunt, quod ipse dixisti, laborare illam partem rationis inopia, quæ in differendo cùm terrorem subrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assen-* E *sum.* Denique S. Prosper libro contra Collatorem idem testatur. *Sanctæ*, inquit, *memoriæ Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholicâ devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non solùm Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur Edictis.*

Primam contra Pelagianos Constitutionem edidit Honorius Imperator Ravennæ anno 418. quo Honorii XII. & Theodosii VIII. consignatur Consulatus, ad Palladium PP. datam, pridie Calendas Maias. Eâ Lege statuit pientissimus Imperator Cælestium atque Pelagium hæreseos autores Roma expelli, eo- F rum verò Sectatores ubicumque, & à quocumque, sive Clerico, sive Laïco, legitimè accusatos, & convictos, exilii deportatione damnari. Hoc Edictum flagitantibus Africanis datum, antequam Zosimus Pelagianos damnaret, Viri quidam Eruditi opinantur, alii rogante Zosimo, alii proprio motu. Ut ut sit, iis assentiri non possum qui ante promulgatum asserunt, quàm Zosimus Cælestium Pelagiumque proscripsisset. Iniqua enim fuisset jussio Zosimi Cælestium *ad pleniorem audientiam* vocantis, iniqua S. Augustini de Cælestii fuga exprobratio, si tunc temporis Urbe pulsus Imperatoris Edicto fuisset.

Hoc

Hoc Edictum ediderunt Baronius ad annum Christi 418. Salmasius in Eucharistico, Usserius lib. de Britannicarum Ecclesiarum primordiis cap. 50. Labbæus Tom. 2. Conciliorum, Baluzius in Appendice ad Salvianum, Norisius lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. 13. & omnium emendatissimè Parisinus Marii Mercatoris interpres P. Garnerius Dissertat. 3. de Constitutionibus Imperatorum in causa Pelagii, cum variis Lectionibus, & eruditis Notis.

Ad Constitutionis hujusce executionem Edictum dederunt Junius Quartus Palladius Præfectus Prætorio Italiæ, Monaxius PP. Orientis, & Agricola PP. Galliarum in singulis suarum Præfecturarum Diœcesibus una cum Lege Principis promulgandum.

Anno Christi 419. quo Monaxii & Plintæ Consulatus adscribitur, Honorius Imperator ad Aurelium Carthaginensem Episcopum Rescriptum dedit 5. Idus Junii, quo priorem Constitutionem confirmans, decernit insuper ut si quis Pelagium atque Cælestium in quacumque Provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere, aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ, velut particeps subjaceret. Statuit etiam ut Pelagii & Cælestii damnationi qui subscribere recusarent Antistites, Episcopatûs amissione mulctati, communione in perpetuum privarentur. Sic Religiosissimus Princeps Pontificum & Synodorum Decreta contra Pelagianos executus est. Jussionem Imperatoris Aurelius datâ ad omnes Byzacenæ, & Arzugitanæ Provinciæ Episcopos Epistola promulgavit.

Ad hoc impetrandum ab Honorio Rescriptum; Alipium in Italiam ab Ecclesia Africana legatum scribit Cardinalis Annalista, quem eruditi Pelagianæ Historiæ Commentatores meritò refellunt. Cum enim datum est Rescriptum, Alipius Carthagine versabatur Synodi causâ, in quâ subortis gravibus dissidiis de transmarinis appellationibus, Alipius in Sessione habita 8. Cal. Junii sententiam dixit, & 3. Cal. ejusdem mensis Actis Synodi subscripsit. Alii Valerium Comitem, Alipio & S. Augustino commendantibus, hoc obtinuisse Rescriptum, non malè conjiciunt, idque colligunt ex Juliani querelis lib. 1. Operis Imperfecti S. Augustini c. 9. & lib. 3. c. 35.

Anno Christi 421. Constantius in consortium Imperii ab Honorio adscitus, Cælestium, qui Epheso ejectus, & in Italiam reversus, sese Urbi insinuaverat, aliosque Pelagianos, Roma expelli, ita ut ne intra centesimum quidem ab Urbe lapidem consistere sinerentur, dato ad Volusianum Præfectum Rescripto edixit. Hujus Rescripti meminit Photius in Bibliotheca Cod. 53. Baronius, Usserius, & alii, Prosperi Chronographi testimonio decepti, illud ad annum 420. referunt. Sed ex Olympiodoro apud Photium, Cod. 80. ex pluribus Theodosiani Codicis Legibus, seu Rescriptis datis Coss. Eustachio & Agricola, quibus Impp. Honorii, Theodosii, & Constantii nomina adscripta sunt, & ex Theophane in Chronographia, præfatum Constantii Edictum ad annum 421. referendum esse, doctissimi Historiæ Pelagianæ Commentatores Norisius & Garnerius optimè probant.

Noris. lib. 2. Histor. Pelag. cap. 10. Garner. in 1. P. Marii Mercat. Dissert. 3.

Anno 425. 7. Idus Julii, Valentinianus III. à Theodosio designatus, sed nondum inauguratus Imperator, Constitutionem contra Pelagianos edidit, sive potiùs ejus nomine Placidia Augusta ejus mater Imperium Occidentis regens, nondum enim septennis Princeps erat. Aquileiæ data est, & ad Amatium Præfectum Prætorio Galliarum directa. Ejus ferendæ Legis occasionem dedere tumultuantes *in Gallicanis regionibus* Pelagiani, sive his vocibus septem duntaxat Provinciæ significentur, quarum singulis annis apud Arelatem conventus cogebatur, vocante Præfecto P. Galliarum, sive omnes Diœceses quæ Præfecturæ suberant, ipse nempe Galliæ, Britanniæ, & Hispaniæ. Tunc certè Pelagiana pestis in Britanniis latiùs grassabatur, & Imperatoriis Legibus, non minùs quàm Apostolicorum Virorum prædicationibus & curis; ipsam cohiberi opus erat. Utut sit, Episcopos nefarium Pelagiani & Cælestiani dogmatis errorem sequentes per Patroclum Arelatensem Episcopum conveniri jubebat illa Constitutio: qui nisi intra viginti dies ex conventionis tempore errata corrigerent, Gallicanis regionibus expellerentur, atque in eorum locum Catholici subrogarentur Antistites.

Anno 430. ineunte Theodosius Junior, cui paulò ante Marius Mercator Commonitorium contra Pelagianos obtulerat, Cælestium, Julianum, cæterosque Pelagianos Regia urbe expelli jussit, ut testatur idem Mercator in Titulo Commonitorii. Has Impp. Constitutiones generatim spectabat Gelasius Papa Epist. 7. *Pelagium*, inquit, *Cælestium, Julianum, cæterosque complures Oratoria facundia Viros in hac assertione probavimus fuisse convictos, & tam Ecclesiasticis Constitutis, quàm Imperialibus percussos fuisse Præceptis.*

ARTICULUS VI.

De Pelagianæ Hæreseos Debellatoribus.

§. I.

De laboribus sancti Hieronymi contra Pelagianos.

PRimus fidei contra Pelagianos defensor laudandus venit S. Hieronymus, de quo Sanctus Prosper in Carmine de Ingratis meritò cecinit:

Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul, & Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, Mundique Magister
Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit quo turbine veram
Vellent exorta lucem obscurare tenebra.

Scripsit autem contra Pelagianos S. Hieronymus Epistolam ad Marcellinum Tribunum de origine animarum, anno 411. ut Viris Eruditis videtur. In ea quinque refert opiniones de origine animarum, nempe quòd vel in corpora labantur è cœlo ubi præextiterint, vel ex divina substantia tanquam particulæ defluant, vel ex thesauro educantur, ubi olim conditæ, vel à Deo quotidiè fiant, vel sint ex traduce. Priores duas ut Hæreticas rejicit, tertiam explodit tanquam *Ecclesiasticorum nonnullorum stultam persuasionem*, quartam amplectitur ut suam, quintam maximæ parti Occidentalium tribuit.

II. Scripsit S. Hieronymus Epistolam ad Ctesiphontem contra Pelagianos, anno circiter 413. In hac Epistola S. Doctor disputat adversùs librum Pelagii *de Natura*, & librum *Titulorum*: item adversùs librum Cælestii, cujus fit mentio in Gestis Palæstinis. Impugnat verò maximè Pelagii *ἀπάθειαν* & *ἀναμαρτησίαν*. Profert ibidem quatuor Pelagiani erroris capita. 1. *Homo potest esse sine peccato, si velit.* 2. *Gratia Dei, sine qua id homo potest, ipsum est liberum arbitrium, & lex Dei.* 3. *Unusquisque suo regitur arbitrio.* 4. *Facilia sunt Dei mandata.*

III. Cùm verò in Epistola ad Ctesiphontem plura adversùs Pelagium scripturum se pollicitus fuisset, precibus amicorum compulsus, tres Dialogorum libros adversùs Pelagium edidit anno 415. In iis Atticum & Critobulum induxit secum invicem disceptantes: ille Catholicæ fidei causam propugnat, hic Pelagiana dogmata defendit. Ante Synodum Diospolitanam S. Hieronymum Opus illud elucu-

brasse, ex Apologia Orosii colligitur, contra Baronium. In his Libris totus est in impugnatione τῆς αἱρέσεως Pelagianorum, & divinæ gratiæ necessitate commendandâ. Ad finem Libri tertii, de Peccato Originali suam dumtaxat proponit sententiam, à prolixiori hujus argumenti tractatione sibi supersedendum esse censet, de quo jam S. Augustinus scripserit, ne sibi illud Horatii objiciatur, *In sylvam ne ligna ferat*: aut enim *eadem à clarum* se ait, quæ Augustinus, *ex superfluo*: aut si nova, *à clarissimo ingenio occupata esse meliora*.

IV. Deinde in Præfationibus quatuor ad Libros suos Commentariorum in Jeremiam, Pelagianos etiam insectatur S. Hieronymus, quamquam eorum parcat nomini.

§. II.

De Orosii Presbyteri Apologia.

OROsius illustris Hispaniarum Presbyter S. Hieronymo & S. Augustino amicissimus, post Hierosolymitanam Synodum, in qua adversùs Pelagium strenuè egit, à Joanne Hierosolymitano Episcopo malè exceptus, & Ecclesia ad quam propter Encæniorum solemnitatem advenerat, velut blasphemiæ reus expulsus est, quasi asseruisset, *Hominem nequidem cum Dei adjutorio, posse esse sine peccato, & mandata Dei observare*. Quam calumniam ut repelleret, Apologiam conscripsit, non suâ tantùm causâ, sed fidei. Inscribitur, *Apologeticus contra Pelagium, de arbitrii libertate*. Hanc edidit anno Christi 415. ante Synodum Diospolitanam.

Jansenius Apologiam abjudicans Orosio confutatur.

Jansenius & Vuastelius Carmelita hanc Orosio Apologiam abjudicant his rationibus freti. Primò, quòd Historiæ veritati repugnet Apologista, cùm ait habitam fuisse Hierosolymis Synodum à Joanne Episcopo. Nam in causa Pelagii nulla legitur in Oriente congregata Synodus præter Diospolytanam, cui non Joannes Hierosolymitanus, sed Eulogius Cæsariensis præfuit. Secundò, quòd hæc Apologia Novatianum errorem contineat: sic enim habet cap. 10. Pelagium alloquens: *Scriba non intelligentes veritatem murmurant & dicunt: quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Et hic abolita esse judicat, qui Deum nesciat dimisisse*. Et iterùm: *Eum posse esse sine peccato, qui aliquando peccaverit, impossibile est absque sola gratia baptismi, ubi ex persona Domini dicitur: Remissa sunt tibi peccata*. Et rursùs: *Ego in potestate habui peccare: liberari à peccato in potestate non habeo..... Peccare, meum est; absolvi non meum*. Quibus verbis significat non aliam esse datam Ecclesiæ à Christo potestatem remittendi peccata, quàm quæ est conferendi baptismi, & à solo Deo, non à Sacerdotibus remitti posse peccata post baptismum commissa.

Objiciunt tertiò, Apologistam de Christi divinitate jejunè omninò esse locutum, & voluisse Christum Dei adjutorio indigere ut sine peccato sit. Quod his verbis significatum volunt: *Dicis posse in hoc seculo esse hominem sine peccato cum Dei adjutorio; Tu dicis, potest homo: Ego dico, Potest Deus*.

Denique objiciunt, Joannem Hierosolymorum Episcopum, quem Augustinus *Sanctum* vocat, malè excipi ab Apologista. Verbis autem acerbioribus & injuriosis Episcopum allocutus non fuisset Orosius.

Verùm illas objectiones diluere non est operosum. Primam enim jam in antecessum subvertimus, Articulo 3. §. 1. ubi ostendimus ex S. Augustino lib. de Gestis Palæstinis, Synodum Presbyterorum fuisse convocatam à Joanne Hierosolymitano ante Diospolitanam, cui præfuit Eulogios Cæsariensis. Legantur quæ S. Augustinus de Gestis Palæstinis scripsit cap. 11. 14. & 16. & cum iis conferatur Apologia quâ de agimus; & tanta inter Augustinum & Apologistam invenietur consonantia, in iis quæ Historiam spectant, ut dici non possit hunc contra fidem historiæ peccare, quin hac Objectione S. Augustinus petatur.

Novatianum autem errorem hac in Apologia nemo videbit, cui notus fuerit Novatianorum de Pœnitentia error, cui Ecclesiæ sensus de impeccantia ac possibilitate implendi mandata fuerit exploratus. Volebat Pelagius tam facilia esse mandata Dei, ut homo, si voluerit, ipsa omni ex parte impleat nativis arbitrii liberi viribus. Respondet Orosius, Posse quidem hominem divina observare mandata; sed potestatem illam divinæ gratiæ subsidio commodari. Volebat Pelagius, posse hominem in hac vita carere omni peccato, nec ad id quidquam amplius requiri, quàm ut velit. Contra quem propugnat Orosius, posse hominem carere peccato in hac vita, si Deus voluerit: Id enim homini gratiæ singularis beneficio præstare potest, etsi nemini præstiterit hactenus homini puro, præterquam Deiparæ Virgini. Absque gratiâ autem baptismi neminem esse posse sine peccato, vel dimitti peccata non posse, ait Orosius, quia baptismus fundamentum est, quod nisi supponatur, Deus non remittit peccata per pœnitentiam. Quæ Apologistæ doctrina penitus consona est S. Augustino lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 33. scribenti: Sic accipiendum esse quod ait Apostolus; * *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eum lavacro aqua in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*. Sic, inquam, accipiendum esse, *Ut eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsùs mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humanâ ignorantiâ, vel infirmitate contrahuntur; non ut baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit ut non solùm antea, verùm etiam postea, quorumlibet peccatorum venia Fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur; vel postea nisi præcederet? In ipsâ quoque Dominica Oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio, quô fructu, quô effectu diceretur: Dimitte nobis debita nostra, nisi ab iis qui baptizati sunt diceretur?* Ephes. 5.

Tertiæ objectionis nequaquam firmus est fundamentum: His enim verbis Apologistæ Pelagium alloquentis: *Dicis posse in hoc seculo esse hominem sine peccato cum Dei adjutorio; tu dicis, Potest homo; ego dico, Potest Deus*. His, inquam, verbis non significatur Christum indigere Dei adjutorio ut non peccet, ut quidam fingunt, umbram ut habeant contra quam luctentur: sed sensus est, potestatem illam, quâ homo dicitur esse posse sine peccato cum Dei adjutorio, non esse hominis quasi nativam, & solas arbitrii liberi vires à Deo Creatore acceptas, ac ordinario ipsius concursu sustentatas: sed esse Dei propriam, & singulari ejus gratiâ & misericordiâ conferendam. Nec verò de Christi divinitate jejunè locutum Apologistam consentiet, qui hæc ipsius verba cap. 21. perlegerit: *Hic ergo Christus Dominus noster, hic, inquam, Filius Dei, in virtute Patris & gloria, qua in principio condidit, redemit in medio, etiam in novissimo judicabit*. Et paulò antea: *Ipse est Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, de quo Joannes usque ad ipsum penè inaccessibilem lucem introductus exclamat: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, &c.*

Denique quarta objectio non probat Apologiam Orosio

Orosio esse abjudicandam. Quantumvis enim acerba videantur quæ de Joanne Hierosolymitano scripsit Apologista, acerbiora non sunt iis quæ adversùs errores Joannis Hierosolymitani scripsit S. Hieronymus; vel iis duriora, quæ S. Augustinus de ipso scribit eo ipso in Opere in quo eum *Sanctum* vocat, scilicet in libro de Gestis Palæstinis: ubi eum calumniam Orosio intulisse innuit, & à Latino interprete, quo Pelagius utebatur, deceptum. En S. Augustini verba: *Quidquid dixit Episcopus Joannes de absentibus fratribus nostris sive Coepiscopis Erote ac Lazaro; sive de Presbytero Orosio, sive de aliis, credo quod intelligat ad eorum præjudicium non valere. Si enim præsentes essent, possent eum fortasse, absit ut dicam, convincere de mendacio, sed fortè commemorare quid fuisset oblitus, aut in quo eum fefellerit Latinus interpres, & sine studio mentiendi, certè aliena lingua minùs intellecta nonnullà difficultate.* His autem omnino consona sunt quæ habet Orosius. Is enim de Joanne Hierosolymitano modestè loquitur, & unum in Pelagium, ejusque interpretem invehitur. *Concedendum est magis*, inquit, *ut Interpres errasse dicendo, quàm Episcopus audiendo finxisse videatur.*

Lib. de Gestis Palæst. c. 16.

Fatendum tamen est hujus Apologiæ postremam partem quæ ex libro S. Augustini *De Natura & Gratia*, excepta est, meritò ab Eruditis rescindi: siquidem in Palæstinam antè profectus erat Orosius, quàm librum De Natura & Gratia S. Augustinus absolvisset, ut colligitur ex Epistola* ipsius 10a. ad Evodium.

* Postremæ edit. 169.

§. III.

De Scriptis S. Augustini adversus Pelagianos.

Catholicum adversùs Pelagianos bellum duce potissimùm S. Augustino confectum est, teste S. Prospero initio Libri contra Collatorem. *Viginti amplius annis*, inquit, *contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat & vincit. Vincit, dico, quia non patitur respirare quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum Sacerdotum manu sententiam scripsit.* Et in Carmine de Ingratis, cap. 3.

Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum.
Insidiis aditum non reperientibus ullum.
Cùmque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes;
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Nec dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore Viri fecit Deus, istius ore
Flumina Librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, cassisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Primum autem quod contra Pelagianos exaravit Opus, fuere Libri tres ad Marcellinum, *De peccatorum Meritis & Remissionibus*, anno 412. editi, quos S. Augustinus lib. 2. Retractationum c. 33. recognoscit. In primo Adamum, nisi peccasset, non moriturum, ejusque posteros originalis peccati reos nasci, & ad ejus remissionem baptizari demonstrat. In secundo quatuor sibi proponit ac solvit quæstiones. 1. *Utrum possit homo esse sine peccato?* 2. *Utrum sit?* 3. *Si non est, cùm possit esse, cur non sit?* 4. *Utrum qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non solùm quisquam sit, verùm etiam potuerit aliquando esse, vel possit?* In 3. quibusdam Pelagii argumentationibus, quæ in ejus Commentariis super Epistolas S. Pauli legebantur, respondet. Cæterùm Pelagii parcit nomini in duobus prioribus Libris: illum non sine laude aliqua nominat in tertio, quia ejus vita prædicabatur à multis. Post Carthaginense Judicium, in quo Cælestius excommunicationem meruerat, à se compositos S. Augustinus testatur.

II. Eodem anno Honoratus vir eruditus, & S. Augustino dudum amicissimus, cui Librum *De Utilitate credendi* ipse nuncupaverat, ut eum à Manichæorum Secta converteret ad fidem, quinque solutionem quæstionum S. Doctorem rogaverat, cui S. Augustinus respondens Epistola 120.* sextam addidit quæstionem, *De gratia Novi Testamenti*, contra Pelagianorum errores, quorum venenum jam Carthagine diffundebatur. Hoc opus elaborabat S. Augustinus, cùm Epistolam 158.* ad Marcellinum scripsit, tres Libros supra dictos à mendis Notariorum purgatos ad ipsum remittens.

* Postremæ edit. 140.

* Postremæ edit. 157.

III. Marcellinus libros de Peccatorum Meritis & Remissione legens, cùm in secundo ad eum locum pervenisset, quo S. Augustinus scripserat, fieri posse ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina, quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit: eâ difficultate permotus est, quæsivitque à S. Augustino, quomodo posset fieri, cujus rei deest exemplum. Hanc solvit quæstionem S. Doctor. lib. *De Spiritu & Litera* * ad eundem Marcellinum scripto, eodem anno 412. Eo in libro, multa Deo adjuvante, ab homine fieri posse ostendit, quæ tamen à nemine mortalium facta uspiam leguntur. Tum Legem sine gratia ad peccata vitanda non sufficere demonstrat: Gratiæ denique divinæ fidem esse deputandam. Hunc librum recenset S. Augustinus lib. 2. Retractationum c. 37.

Hunc librum 3. Tom. Aug. Operum [illegible] positum, [illegible] loco [illegible] PP. Benedictini [illegible] alios contra Pelagianam Hæresim à S. Doctore editos, ordine suo ediderunt.

IV. Anno 413. S. Augustinus Carthagine ab Aurelio rogatus, in Basilica Majori adversùs Pelagianos Sermonem habuit, qui inter ipsius de Verbis Apostoli Sermones 14. numeratur. In eo de baptismo parvulorum disseruit, eosque nasci peccati originalis labe inquinatos, & regno Cœlorum excludi, si absque baptismo decedant, luculentissimè probavit ex Scriptura; & fictitium esse tertium locum, ubi in Christo non regenerati beatam vitam agere possint. Quòd verò S. Cypriani autoritate maximum orationi suæ pondus accessurum novisset, ejus Epistolam ad Fidum, *De Baptismo Infantium*, populo perlegit, eâque Pelagianorum errorem ostendit præfocari. Meminit hujus Sermonis lib. de Gestis Palæstinis, cap. 11. De eodem antea peroraverat argumento in Natali S. Joannis, ut colligitur ex ipso Sermone 14. *De Verbis Apostoli.*

V. Anno 414. cùm Syracusis Pelagii discipuli novis quæstionibus Ecclesiæ pacem turbarent, Hilarius Laicus bis de quæstionibus S. Augustinum per Literas interrogavit: cui respondit S. Doctor Epistola 89.* quam propter prolixitatem librum vocat, lib. de Gestis Palæstinis cap. 11. In ea pluribus demonstrat, 1. Neminem in hac vita ita justitiæ perfectione proficere, ut sine ullo vivat omninò peccato. 2. Damnari infantes ante susceptum baptismum morte præventos, quia originali peccato obstricti nascuntur. 3. Liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda non sufficere, sed opus esse gratia divina & Spiritûs Sancti dono, quo ad opera bona adjuvetur. 4. Divites regnum Dei ingredi posse, nec teneri ad omnia sua pauperibus eroganda. 5. Cavendum esse, quantùm fieri potest, juramentum, ne jurandi consuetudine in perjurium sæpe cadatur.

* Postremæ edit. 157.

Eodem anno Paulus & Eutropius Episcopi, Commonitorium de aliquantis Hæresibus, ut Orosius in Apologia loquitur, sive librum Cælestii sexdecim definitiones aut ratiocinationes continentem, quibus probare nitebatur hominem solis arbitrii liberi viribus esse posse sine peccato, ad S. Augustinum miserunt. Has definitiones confutavit S. Doctor edito

libro *De Perfectione Justitiæ*, cujus Possidius, S. Prosper ad finem libri contra Collatorem, & S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 2. ut verè Augustiniani meminerunt. Eo in Libro constanter docet, vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratiâ Dei: quæ in tantum sana non est, in quantum id quod faciendum est aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet. Non esse opus liberis Liberatore, sed servis, ut eis dicat gratulatio libertatis: *Salvasti de necessitatibus animam meam.* Ipsam sanitatem esse veram libertatem, quæ non periisset, si bona permansisset voluntas. Neminem eam justitiæ perfectionem in hac mortali vita consequi posse, ut non sit ei orandum & dicendum, *Dimitte nobis debita nostra.* Generalem divinæ Legis prohibitionem esse, *Non concupisces*; generalem jussionem, *Diliges.* Neutrum in hac vita omni ex parte impleri. Respondet denique Cælestii Objectis ex Scriptura sacra petitis.

VI. Anno 415. religiosi adolescentes Timasius & Jacobus, quibus hæresim suam Pelagius afflaverat, ab ea S. Augustini operâ conversi, Pelagii librum quo naturam hominis contra Dei gratiam defendebat, ad S. Augustinum transmiserunt, cui S. Doctor respondit edito libro *De Natura & Gratia.* Hujus Libri ipse meminit Augustinus lib. de Gestis Palæstinis, cap. 23. & 24. Epist. 95.* ad Innocentium I. nomine quinque Episcoporum datâ, Epist. 102.* ad Evodium, & lib. 2. Retractationum cap. 42. Eo in Libro docet S. Doctor, nec legi, nec naturæ justitiam hominis esse tribuendam. Naturam hominis primitus inculpatam, & sine ullo vitio creatam: naturam verò istam hominis, quâ unusquisque ex Adam nascitur, jam Medico indigere, quia sana non est. Gratiam Christi sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis reddi, sed gratis dari. Universam generis humani massam pœnas debere, nec Deum injustitiæ arguendum, si omnibus debitum damnationis supplicium redderet. Parvulos, quibus per Christi baptismum subveniri non potuit, non admitti in Regnum Cælorum. Orandum esse non solùm ut præterita peccata expientur, sed ut futura vitentur. Quod licet non fiat nisi voluntas adsit; tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit. Peccato, etsi substantia non sit, vitiari naturam, sicut abstinentiâ à cibo, quæ substantia non est, natura languescit. Idem esse peccatum, & pœnam peccati: prævaricatorem Legis dignè deseri luce veritatis, quâ desertus fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideò tantùm audiat vocem Legis, quâ admoneatur implorare gratiam Salvatoris. Deum tamen non deserere, nisi dignos deseri. Deum gratiâ suâ non solùm delere quod peccavimus, sed etiam præstare ne peccemus. In sanandis peccatorum morbis Deum agere judicio suo, nec ordinem sanandi accipere ab ægroto: ipsum aliquantùm hominem deserere, ut sciat illud unde superbit, non suum, sed ejus esse, & discat superbus non esse. Neminem Sanctorum, Deiparâ Virgine exceptâ, vixisse sine peccato. Possibilitatem non peccandi, non naturæ, sed gratiæ medicinali Salvatoris tribuendam: quæ possibilitas, sanatâ & adjutâ hominis voluntate, simul cum effectu in Sanctis provenit. Quòd contraria sit caro spiritui, vitium esse, non naturam: Unde, inquit, gratia medicinalis quæratur, & Controversia finiatur. Respondet etiam S. Augustinus, Doctorum Ecclesiasticorum testimoniis, quibus ad errorum suorum defensionem abutebatur Pelagius, scilicet Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, & suiipsius in libris de Libero Arbitrio. Docet tandem Deum justum & bonum non potuisse impossibilia præcipere; hinc nos admoneri & in facilibus quid agamus: & in difficilibus quid petamus: omnia esse facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est. Charitatem inchoatam, esse inchoatam justitiam; charitatem provectam, provectam justitiam; charitatem magnam, magnam justitiam; charitatem perfectam, perfectam justitiam.

* Postrema edit. 177.
* Postrema edit. 169.

VII. Anno Christi 416. Epistolam ad Joannem Hierosolymitanum dedit S. Augustinus, quâ ipsum fraternâ caritate monuit, ne sibi à Pelagio illudi sineret, rogavitque ut Gesta Diospolitanæ Synodi transmitteret in Africam. Extat inter Augustinianas Epistolas 252. Scripta est eodem anno Epistola 94.* ad Hilarium Episcopum, quâ Pelagianos errores ipsi exposuit. Scriptam esse post Concilia Carthaginense & Milevitanum, S. Augustinus ipse testatur, & ante latam ab Innocentio Papa in Pelagianos sententiam. Quô tempore Pelagiani nondum erant ab Ecclesia separati. *Nova quædam hæresis*, inquit, *inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exurgere, sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est.*

* In postrema edit. epist. 252. & 179. & 94. & 178.
* Postrema edit. 166.

VIII. Anno 417. S. Augustinus Sermonem secundum *de Verbis Apostol.* habuit, damnatâ jam ab Innocentio Hæresi Pelagiana, ut constat ex his ipsius verbis: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est; utinam aliquando finiatur error. Ergo ut advertant, monemus: ut instruantur, docemus: ut mutentur, oramus.*

Eodem anno librum *De gestis Palæstinis*, sive *De Gestis Pelagii*, S. Doctor edidit, quo Diospolitanæ Synodi Acta recenset, ac demonstrat Pelagium illusisse Patribus Græcis, ut Catholicus apud eos audiret, & dogma tamen Catholicum confiteri coactum esse, quod suis postmodum libris perfidiosè oppugnaverat.

Ad eundem annum referenda est Epistola S. Augustini & Alipii *ad Julianam* Demetriadis Virginis Matrem, quâ Matrem & filiam adversùs Pelagianam Hæresim munit.

Eo tandem anno scripsit Epistolam *ad Dardanum, De Præsentia Dei*, quâ Pelagianam Hæresim etiam impugnat, quanquam tacito nomine. Hunc librum vocat lib. 2. Retractationum cap. 49.

IX. Anno Christi 418. Alipius & Augustinus datâ *ad Paulinum* communi Epistolâ, quæ inter Augustinianas 106.* numeratur, ipsum monuerunt, ne se à Pelagio, quem olim plurimùm amaverat, falli pateretur, ipsúmque de omnibus Hæreseos ipsius capitibus docuerunt, miserúntque unà cum Epistola Relationes Conciliorum Carthaginensis & Milevitani ad Innocentium Papam, & Innocentii ipsius Rescripta, quibus Pelagiana damnata erat Hæresis. Jam ad Superos migraverat Innocentius, quem *Beatæ memoriæ* vocat. In eadem Epistola de prædestinatione & reprobatione egregiè disserit S. Doctor.

* Postrema edit. 166.

X. Eodem anno, duæ *ad Sixtum Presbyterum* Epistolæ à S. Augustino scriptæ sunt: brevior una per Albinum Acoluthum, prolixior altera per Firmum Presbyterum. Sixtum religiosissimum Sacerdotem, qui postea Summus Pontifex fuit, sibi favere gloriati fuerant Pelagiani, quam à se ut amoveret suspicionem, in frequentissimo populi conventu adversùs ipsos conclamaverat anathema. Scripserat deinde ad Aurelium Carthaginensem, & ad Augustinum & Alipium, ut eos de fidei suæ integritate, & de Catholico adversùs Pelagianos odio faceret certiores. Ipsi respondit S. Augustinus duabus Epistolis hoc anno datis, quibus & rectam de Gratia Christi sententiam, & zelum adversùs ipsius hostes ardentissimum est gratulatus. Tunc damnatâ per Zosimum Pelagianâ Hæresi, & missis per totum orbem Tractoriis de ipsius damnatione Literis, Imperatoriis etiam Constitutione adversùs eosdem promulgatâ, palam errores propugnare suos Hæretici non audebant, sed eos clam insusurrabant simplicioribus,

simplicioribus, ut S. Augustinus in priori Epistola testatur. Secunda Epistola, quæ prolixior est, & totius Catholicæ Doctrinæ adversùs Pelagianos compendium, demonstrat ex eadem massa, originali peccato infectâ, alios misericorditer liberari, aliis justè in eadem perditionis massa relictis. Nulla merita gratiam suppònere, quia meritis impii gratia non debetur, sed pœna. Fidem esse gratuitum Dei donum. Orationem ipsam inter gratiæ numera censendam. Nullam adversùs inscrutabilia Dei judicia proferri posse legitimam excusationem; quia qui malè vivunt, de suo malè vivunt, vel quod originale traxerunt, vel quod insuper addiderunt: & quia si excusatio justa esset, non jam gratia, sed justitia homines à peccatis liberaret. Eos qui Deum in gratuita gratiæ largitione acceptorem fieri personarum objiciunt, totas argumentationis humanæ vires in parvulis perdere, quorum tam multi sine ullis meritis salvantur. Jacob sine meritis electum; Esau ex originalis peccati merito reprobatum. Non damnari parvulos ob peccata, quæ commissuros ipsos prævidit Deus, si viverent, quia non commissorum peccatorum Deus non est ultor. Peccati originalis transfusionem in omnes homines probat ex baptismo & ejus ceremoniis.

Eodem tempore scripsit S. Augustinus Epistolam ad Optatum *De Origine Animæ.*

Ad hunc etiam annum referendus est Liber primus *De Nuptiis & Concupiscentia*, Valerio Comiti nuncupatus, apud quem nonnulli S. Augustino imposuerant, quòd originale peccatum asserendo, nuptias damnaret. Eo in Opere docet, Carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernendum esse à bonitate nuptiarum. Ex hac concupiscentia carnis quod nascitur, mundo, non Deo nasci. Hujus reatum regenerationem solam dimittere, quem generatio trahit. Etiam parvulos filios redemptorum sub diaboli esse potestate captivos, nisi inde lavacrò regenerationis, & Christi Sanguine redimantur. Ut quod dimissum est in parente, trahatur in prolem, miris modis fieri, sed tamen fieri. Id oleæ & oleastri exemplo aliquatenus intelligi. Concupiscentiam in regeneratis manere, sed in peccatum non imputari. Denique egregio S. Ambrosii, quem Pelagius laudaverat, testimonio librum concludens ait: *Pœniteat ergo eum quod sensit adversùs Ambrosium, ne pœniteat eum quod sic laudavit Ambrosium.*

Eodem anno 418. duos ad Albinum, Pinianum & Melaniam contra Pelagium & Cælestium libros S. Augustinus scripsit, unum *De Gratia Christi*, alterum *De Peccato Originali*, damnatâ jam à Zosimo Pelagiana hæresi, ut testatur ipse lib. 2. Retractationum cap. 50. Scribendi occasio hæc fuit. Cum Pelagio egerant nobilissimi conjuges, ut hæresim, cujus infamiâ laborabat, scripto damnaret, gratiamque Dei ac peccatum originale fateretur. Eorum votis annuere visus est Heresiarcha: siquidem de gratia coram ipsis dixit: *Anathema qui sentit, vel dicit gratiam Dei, quâ Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solùm per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam.* De peccato verò originali professus est, *Iisdem Sacramenti verbis debere baptizari parvulos, quibus & majores.* Hinc maximam concepere lætitiam Pinianus & Melania, quam in S. Augustini sinum, datis ad ipsum literis protinus effuderunt. His acceptis, Augustinus duos, de quibus agimus, libros statim conscripsit. In primo ostendit, Pelagium gratiam Christi nomine tenus adstruere, neque illam à libero arbitrio, Lege, doctrinâ Evangelicâ, aut exemplo Christi distinguere: secundùm illum, solam possibilitatem, non verò voluntatem & actionem gratiâ adjuvari, dari illam ex meritis, & ad hoc tantùm ut faciliùs diaboli tentationibus resistamus. Expendit varia Pelagii testimonia, ex ipsius libris excerpta, omnésque ejus artes & technas aperit. In secundo libro ostendit Cælestium, tum Carthagine in Episcopali Judicio, cùm Romæ in Libello quem Zosimo obtulit, peccatum originale negasse: Pelagium eadem sentire; quamvis errores suos in Palæstina Synodo anathematizaverit. Non sequi ex originali peccato, malas esse nuptias, nec eis imputandum malum libidinis, quod etsi non esset, nuptiæ tamen essent, quatum bonum non aufertur isto malo, sed ab eis hoc malum in usum vertitur bonum. Ex Baptismo, ejusque ceremoniis, exorcismo scilicet, exsufflatione, & abrenuntiatione Satanæ ostendi parvulos à captivatore pessimo ad optimum Redemptorem transire. Hunc denique librum, ut & præcedentem, insigni S. Ambrosii testimonio concludit.

Albinæ, quæ Melaniæ mater & Piniani socrus erat, Piniano ipsi & Melaniæ nobilissimis conjugibus nuncupati sunt isti libri; quos initio S. Augustinus his verbis alloquitur: *Quantùm de vestra corporali, & maximè spiritali salute gaudeamus, sincerissimi fratres, dilecti à Deo, Albine, Piniane, & Melania, quia effari non possumus, vobis cogitandum credendumque committimus.* Pro Albino, Albinam substituendam arbitratur Baronius, aut Albinum filium Melaniæ fratrem intelligendum monet. Sed ab eruditis Historiæ Pelagianæ Commentatoribus meritò emendatur, qui notant ea ætate feminas masculina nominis inflexione à Viris Doctis nominatas fuisse. Sic Paulæ filia non Eustochia, sed Eustochium dicta est. Et S. Paulinus Epistola inter Augustinianas 249. Melaniam Melanium nuncupavit.

Emendatur Baronius.

* Postremæ edit. 24.

Anno 420. S. Augustinus Juliani objecta adversùs priorem suum de Nuptiis & Concupiscentia librum, quorum excerpta quædam à Valerio Comite transmissa detulerat ad ipsum Alipius, edito altero ejusdem argumenti libro confutavit.

Per idem tempus Vincentius Victor, Juvenis, cui plus audaciæ inerat quàm doctrinæ, cùm in Mauritania Cæsarensi, apud Hispanum quemdam Presbyterum Petrum, Opusculum S. Augustini invenisset, in quo suam de origine Animæ dubitationem proponebat, duos contra S. Doctorem conscripsit libros, quos ad ipsum misit Renatus Monachus, ejus studiosissimus. Iis quatuor Libris respondit S. Augustinus, cunctationem de origine Animarum suam defendens, & multos errores Vincentii Victoris redarguens, quos tamen ipsum correxisse & emendationis suæ scripta ad se misisse, idem S. Doctor testatur lib. 2. Retractationum cap. 56. Hi autem sunt errores in quos Vincentius ille impegit. Primo scripserat, Animam non esse à Deo factam, ut eam non ex nihilo fecerit, sed ex semetipso, & eam esse particulam quamdam habitùs naturæ Dei. 2. Per infinitum tempus atque ita semper Deum animas dare, sicut semper est ipse qui dat. 3. Animam meritum aliquod perdidisse per carnem, & per eam meruisse inquinari. 4. Infantes ante baptismum morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum. 5. Quos Dominus prædestinavit ad baptismum, prædestinationi ejus eripi posse, & ante defungi, quàm in eis fuerit, quod Omnipotens prædestinavit, impletum. 6. De Infantibus, qui priusquam renascantur in Christo, morte præveniuntur, scriptum esse: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, &c. 7. Aliquas mansiones esse extra regnum Dei, quas esse Dominus dixit in domo Patris sui. 8. Sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum. 9.

Aliquos

Aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita emigraverint, interim non ire in Regnum Cœlorum, sed in Paradisum; postea verò in Resurrectione Mortuorum etiam ad Regni Cœlorum beatitudinem pervenire. Hos errores breviter S. Augustinus refellit, & ad eos corrigendos Juvenem hortatur. Discimus autem ex S. Doctore, Victorem illum Donatistam olim fuisse, sive Rogatianum, & à Vincentio Rogati successore cognominari voluisse Vincentium, illúdque cognomen etiam post conversionem suam retinuisse; imò & jactitasse quòd Vincentius ille, cujus fictitiam sanctitatem venerabatur, ipsi apparuisset, & ad libros contra ipsum Augustinum scribendos illum adjuvisset. Quamobrem S. Doctor sic illum redarguit: *Nolumus te habere tale cognomentum, tanquam sis Haretici mortui monumentum. Nolumus talem titulum habere librum tuum, qualem falsum esse diceremus, si in ejus sepulchro legeremus. Non enim Vincentium Victorem scimus esse, sed victum; & utinam fructuosè, sicut te vinci volumus veritate. Astutè autem putaris & callidè, cùm libros tuos, quos credi cupis illo tibi revelante dictatos, appellas Vincentii Victoris, non tam Vincentium te, quàm illum vocari voluisse Victorem, velut tibi revelante qua scriberes, vicisset errorem.*

Eodem anno 420. duas Juliani Pelagiani Epistolas, quarum unam Romam miserat, alteram Thessalonicam, cum aliis septemdecim Episcopis Pelagianis, S. Augustinus confutavit quatuor libris *Bonifacio* Romano Pontifici nuncupatis, & ejus examini atque judicio subjectis, ut patet ex 1. cap. lib. 1. *Cùm verò*, inquit, *non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves aditus undecumque rimari; communisque sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamvis ipse in eo præmineas celsiore fastigio, specula Pastoralis: facio quod possum pro mea particula muneris, quantùm mihi Dominus adjuvantibus orationibus tuis donare dignatur, ut pestilentibus & insidiantibus eorum Scriptis medentia & munientia Scripta prætendam.... Hac ergo, qua istis duabus Epistolis illorum ista Disputatione respondeo, ad tuam potissimùm dirigere Sanctitatem, non tam discenda, quàm examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda, constitui.*

Romani Pontificis præeminentia.

His in libris & Pelagianorum calumnias in Ecclesiæ doctrinam refellit, & Catholicam de peccato originis, & de gratia Christi veritatem propugnat. Ostendit Ecclesiam mediâ viâ incedere, Manichæos inter & Pelagianos, in laude creaturæ, in laude nuptiarum, in laude legis, in laude liberi arbitrii, in laude Sanctorum. Quæ hac de re habet S. Doctor. cap. 9. libri tertii, egregia planè sunt. *Homo*, inquit, *dum nascitur, quia bonum aliquid est in quantum homo est; Manichæum redarguit, laudatque Creatorem: In quantum verò trahit originale peccatum, Pelagium redarguit, & habet necessarium Salvatorem. Nam & quòd sananda dicitur ista natura, utrumque repercutit, quia nec medicinâ opus haberet, si sana esset, quod est contra Pelagium; nec sanari posset omnino, si æternum atque immutabile malum esset, quod est contra Manichæum. Item quòd nuptiis, quas laudamus à Domino constitutas, concupiscentiam carnis imputandam esse non dicimus, & contra Pelagianos est, qui eam in laudibus ponunt: & contra Manichæos, qui eam mala natura tribuunt, cùm sit nostra naturæ accedens malum, non Dei distinctione separandum, sed Dei miseratione sanandum. Item quòd dicimus legem sanctam, justam, & bonam, non justificandis impiis, sed convincendis superbis prævaricationis gratiâ positam; & contra Manichæos est, quia secundùm Apostolum laudatur: & contra Pelagianos, quia secundùm Apostolum, Nemo ex lege justificatur. Item, quòd arbitrium sat in malum liberum, dicimus ad agendum bonum gratia Dei esse liberandum, contra Pelagianos est: Quòd autem dicimus ab illo exortum, quod antea non erat malum, contra Manichæos est. Item, Quòd Sanctos Patriarchas & Prophetas debitis in Deo laudibus honoramus, adversum est Manichæis: quòd verò & ipsis, quamvis justis & ideò placentibus propitiationem Domini fuisse dicimus necessariam, adversum est Pelagianis. Utrosque igitur Catholica Fides, sicut & cæteros Hæreticos adversarios invenit, utrosque divinorum testimoniorum autoritate, & luce veritatis convincit.*

Epistolam ad Vitalem Carthaginensem ad hunc pariter annum Viri quidam Eruditi referunt: sed tempus illius scriptionis incertum est.

XII. Anno 421. *Enchiridion, ad Laurentium*, * in quo nonnulla contra Pelagianos luculentissima, conscripsit S. Augustinus; Necnon *sex libros adversùs Julianum*, quatuor ipsius libris respondentes, quos ad S. Doctorem Claudius Episcopus, miserat. Duobus prioribus libris, Patrum cùm Græcorum, tum Latinorum testimoniis Julianum oppugnat. Tertiò ostendit, cùm Deus, verus & bonus sit hominum conditor, bonæque sint nuptiæ ab ipso Deo institutæ, malam tamen esse concupiscentiam carnis, eo malo benè uti pudicitiam conjugalem, meliùs non uti continentiam sanctiorem. Illud malum non ex alia substantia, quam Deus non condidit, nobis permixtum esse, ut Manichæus commentus est, sed per Adami inobedientiam exortum, ac in posteros traductum, solâ baptismatis gratiâ expiari. In quarto, malam esse concupiscentiam ex peccato natam demonstrat, virtutes infidelium veras non esse; gratiam neque ex meritis dari, neque homini necessitatem inferre: Nuptiarum bonum mederi concupiscentiæ malo, &c. Libro 5. docet, Imagini Dei magnam pœnam esse excludi à Regno Dei, pudorem ortum ex primo peccato; posse peccatum esse alterius peccati pœnam; concupiscentiam, quam laudabant Pelagiani, esse malam, etiamsi ei non consentiatur. Fuisse divinitus subministratum hominibus in quocunque statu remedium ad delendum peccatum originis. In sexto ostendit nasci infantes originalis peccati labe infectos, idque ex vitæ miseriis certissimè probari. Illa Volumina tanto studio, tantáque diligentiâ S. Augustinus elucubravit, ut modestissimè vir ingenii illa recensens, lib. 2. Retractationem cap. 6. vocet *Magnum atque elaboratum Opus*.

* Hunc librum de Fide, Spe & Charitate etiam inscribit S. Augustinus.

§. IV.

De motis inter Monachos Adrumetinos Controversiis: & de Libris earum occasione scriptis à S. Augustino.

ANno 424. cùm Florus Adrumetini Cœnobii Monachus Uzalam Provinciæ Proconsularis urbem petiisset, cujus Sacris tunc præerat Evodius Episcopus: ibi celeberrimam S. Augustini Epistolam 105. ad Sixtum datam exscripsit, & Adrumetum ad Fratres suos transmisit. Hanc cùm Adrumetini Monachi perlegissent, nec ejus sensum assequerentur plerique circa profundissima divina gratiæ & prædestinationis mysteria, & varios in sensus atque ab Authoris mente prorsus alienos detorquerent, grave inter Monachos dissidium emersit. Controversiæ judicium, & Epistolæ interpretationem ab Evodio rogandam censebat Cœnobii Præpositus Valentinus. Ejusdem expositionem à Sabino Monasterii Presbytero fieri curavit: nec tamen inquietis Fratribus hac ratione factum est satis. Augustinum adire ac præsentem consulere voluerunt Cresconius & Felix Monachi, quibus Hipponem pergentibus Valentinus ob pietatem sumptus dedit, seu viaticum subministravit, ut testatur ipse in Epistola ad S. Augustinum data. In quo posita esset dissensio

* Postrema edit. 194.

dissensio Fratrum Adrumetinorum, S. Augustinus explicat ex Felicis & Cresconii relatione, in Epistola ad Valentinum. *Venerunt*, inquit, *ad nos duo juvenes, Cresconius & Felix, de vestra Congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt, Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eò quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium; & quod gravius est, dicant quòd in die judicii non sit vel redditurus Deus unicuique secundùm opera ejus. Etiam hoc tamen indicaverunt, quòd plures vestrûm non ita sentiant, sed liberum arbitrium adjuvari fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus, atque faciamus.* Hos inter Viros Religiosos recentes tumultus S. Augustinus sedaturum se ratus, & omnem compositurum controversiam, si gratiæ & liberi arbitrii concordiam ipsis exponeret, gratiámque non ex meritis dari demonstraret, librum ad illos scripsit *De Gratia & Libero Arbitrio:* Quem Cresconio & Felici unà cum Epistola ad Valentinum, & omnibus instrumentis causam Pelagianam spectantibus, tradidit perferendum. Hujus libri meminit S. Doctor lib. 2. Retractationum, cap. 66. & in altera ad Valentinum Epistola.

Istius lectio Voluminis novo dedit occasionem errori: cùm enim omnia opera bona, Dei dona esse, in eo sæpius inculcet S. Augustinus, quidam Monachorum id legens, in eum prolapsus errorem est, ut neminem corripiendum esse diceret, si Dei mandata non facit, sed pro illo ut faciat, tantummodo orandum. Id S. Augustino Valentinus nuntiavit per Florum Monachum, cujus probatâ fide, librum *De Correptione & Gratia*, quo pleniùs Adrumetinos Fratres instrueret, elucubravit. In eo necessitatem ac utilitatem correptionis exponit. Docet eos justè corripi, qui Deo non obediunt, quamvis ipsa obedientia munus Dei sit. Perseverantiam pariter esse Dei donum, neque tamen correptionem eorum qui non perseveraverint, esse negligendam. Prædestinatos & secundùm propositum vocatos, electos esse per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratiâ illis est omne meritum. Prædestinatorum perire neminem, quia non fallitur, nec vitio humano vincitur Deus. Cur uni perseverantia detur, alteri non detur, inscrutabilia esse Dei judicia. Voluntatem humanam non libertate consequi gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem. Denique prolixè, sed divino planè modo explicat discrimen quod gratiam inter Angelis & Adamo Innocenti collatam, ac gratiam Christi Medicinalem Sanctis in hoc statu concessam intercedit. Hic Liber à S. Augustino conscriptus est anno 425. Pervenerat enim in Gallias antequam Prosper & Hilarius de Massiliensium turbis ad eum scriberent. Scripserunt autem anno 426. Id colligitur ex Epistola Prosperi ad S. Augustinum.

§. V.

De Opere Imperfecto contra Julianum.

CUm Julianus octo libros adversùs alterum S. Augustini de Nuptiis & Concupiscentia, nimia loquacitate in Cilicia apud Theodorum Mopsuestenum conscripsisset, calumniis dicterisque in S. Doctorem scatentes, quinque priorum, quos Alipius Roma miserat, confutationem aggressus est Sanctus Antistes, quo tempore sua recensebat Opera & duos jam Retractationum libros absolverat, ut constat ex Epistola ad Quodvult Deum libris illis præfixa. Id referendum est ad annum 428. Duos tantùm priores libros Menardus ediderat, quibus quatuor alios ex Claravallensis Abbatiæ Bibliotheca, in qua cum blattis dimicabant, luce donavit Viguerius Oratorii Sacerdos. Quo factum est ut à multis Opus illud modò Perfectum nuncupetur. Nihil tamen obest cur Operis Imperfecti retineatur appellatio, cùm illud ita vocaverit Possidius; nec octo Juliani libris responderit S. Augustinus, sed translatus sit ad Superos, cùm hoc Opus nondùm absolvisset, ut tradit Prosper in Chronico.

§. VI.

De Sixto Presbytero Romano.

SIxtum Romanum Presbyterum, qui Cælestino I. in Sedem Apostolicam successit, inter eos numerat Marii Mercatoris Interpres Garnerius, qui adversùs hæresim Pelagianam scripserunt, ipsique Libros Hypognosticon asserit, sed rationibus quæ convincere non videntur. Prima petitur à Præfatione Operis, quia Hypognostes inde fecit initium Libri, unde S. Augustinus finem fecit Epistolæ prolixioris ad Sixtum. Sed hæc conjectura, quam Vir Eruditus plurimi facit, levis est. Potuit enim alius à Sixto aliis exprimere verbis quod scripserat S. Augustinus, *Hæreticorum inquietudine fieri ut scripturas vigilantius perscrutemur:* Imò & tam obvia cogitatio ejus mentem subire potuit, qui S. Augustini Epistolam nunquam legisset. Secunda ratio est, quòd Opus illud compositum sit anno circiter 419. Sed id conjicit solùm, non probat Vir Eruditus. Tertia quòd scriptum sit Romæ, quando quidem ea utitur Scripturæ Versione, quæ Romæ tantùm in usu tunc fuit; & iis de quæstionibus, quæ Ecclesiam Romanam exercerent. Quarta, quòd scriptum sit contra Julianum nondum depositum. Sed hæc omnia gratis excogitata sunt & asserta. Neque enim eam temporis notam Opus exhibet, aut alia monumenta probant; neque tunc S. Hieronymi Versionem Romæ passim in usu fuisse verisimile est, quod attinet ad Psalmos, qui secundùm Versionem 70. Interpretum ab Hieronymo tamen emendatam canebantur. Et licet tunc in usu fuisset Hieronymi Versio, non sequitur eo tempore conscriptum fuisse Opus, quod secundùm illam Scripturæ sacræ testimonia laudat: quasi verò sexto sæculo, aut septimo non potuerit alibi quam Romæ laudari, imò & Sixti ætate. Neque Romanam solùm Ecclesiam tunc exercebant quæstiones illæ, sed & Africanam, & alias Catholici orbis Ecclesias. Nec Sixtum peregrinis illis vocibus atque barbaris, *Protoplastus, exulatus, desolatus gratia, resilitus, repedare*, & similibus, quibus squallet Hypognosticon, usum esse sibi facilè persuaserit, qui ad Romani sermonis nitorem illis temporibus attenderit. Præterea nec S. Augustinus, nec S. Prosper, nec S. Fulgentius, qui contra Pelagianos & eorum reliquias pugnarunt, Hypognosticon citant, aut Sixtum velut ejus Autorem: nec Gennadius qui Sixti Scripta in Catalogo Virorum Illustrium memorat, illius Operis meminit.

Sixtus Romanus Presbyter, & Summus postea Pontifex, non scripsit libros *Hypognosticon*, nec fuit Pelagianus. Refellitur Vir eruditus P. Garnerius, S. J.

Tertiò, Julianus qui adversùs S. Augustinum, tot libros conscripsit, non obmutuisset, si ab Hypognoste vivens fuisset impugnatus.

Quartò, S. Prosper in fine libri contra Collatorem, ubi se de Pastorali Sixti jam Romani Pontificis zelo adversùs Pelagianos multùm confidere testatur, data occasione meminisset Hypognostici contra illorum hæresim compositi, si illud edidisset. En ejus verba: *Confidimus protectione Dei præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur in Sixto, & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.*

Quintò, libros tres *De divitiis*, *De operibus fidei, & castitate*, Pelagianis erroribus scatentes Sixto Presbytero perperam tribuit Vir Eruditus, quorumdam Codicum, & Salonii, qui ante annos ferè cen-

Tres libri Pelagianis erroribus scatentes Sixto R. E. Presbytero, Summo

tum illus è Vaticana Bibliotheca edidit, testimonio persuasus. Nam S. Augustinus in Epistola ad Sixtum eorum meminisset, illosque aliquo Opere confutasset, scripsissetque ad Virum sibi amicissimum, non satis esse quòd in frequenti cœtu anathema inclamasset adversùs Pelagianos, nisi singulos errores, quos bisce libris adstruxerat, palam distinctèque damnaret. Nec verisimile est, neminem Catholicorum negotium facessivisse Sixto ob Pelagianorum errores propugnatos, librosque in eorum exaratos defensionem; & postea fuisse summo consensu electum Pontificem, non ejuratis ac damnatis singillatim illis erroribus, eo tempore quo Pelagianam Hæresim & ejus Autores Romana & universalis Ecclesia tam acriter tamque religiosè insectabatur.

Reponit Vir Eruditus, monitum ab Augustino Sixtum, & acriter quidem, licet sub alienâ personâ, non fecere satis officio, qui cùm priùs errorem Pelagii vehementiùs defendisset, ipsum quidem postea damnaret, non tamen impenderet tantùm studii in asserenda veritate cognita, quantùm priùs in propugnandi falsitate. Id autem evincere se putat his S. Augustini verbis Epistola 104. ad Sixtum: *Nonnulli quippe eorum, antequam ista pestilentia manifestissimo etiam Sedis Apostolicæ judicio damnaretur, vobis innotescere potuerunt, quos nunc repentè reticuisse perspicitis: nec utrum sanati sint sciri potest, nisi cùm non solùm dogmata illa falsa tacuerint, verum etiam illis vera contraria, eo quo illa solent studio defensaverint.* Verùm Sixtum illa verba spectare, & ad illum sub aliena persona dirigi, commentum est. De illis enim loquitur S. Augustinus, *Qui diligentissimè cavendi sunt vigilantiâ Pastorali*, quod Pelagianos errores, quamvis *pressius ac timidius, tamen insusurrare non cessabant, penetrantes domus, sicut ait Apostolus, & cætera quæ sequuntur exercitatâ impietate facientes: qui usque ad profundum silentium supprimunt timore quod sentiunt, sed tamen eadem perversitate sentire non desinunt.* Hæc autem de Sixto intelligi non possunt, qui anathema Pelagianis palam dixerat, quique egregium se præstabat gratiæ adversùs illos defensorem. Falsum igitur est, quod asserit Vir Eruditus, Sixtum Pelagianum fuisse, & in gratiam Pelagianæ Hæresis aliqoando scripsisse. Ipsorum quidem personis favebat, antequam à Zosimo damnarentur, quia ipsos existimabat ab erroribus alienos, propter quos in Africa fuerant damnati. Quid mirum enim si Sixtum fefellerunt, qui imposuerunt Zosimo? Sed eorum erroribus nusquam favit, sicut nec Zosimus: imò gratiæ Christi causam incredibili studio propugnavit, hæresim exsecratus est, & publico anathemate confixit, Pelagianos autoritate terruit, iisdem docendis à S. Augustino judicatus est idoneus, cùm fidei suæ integritatem ipsi, & Aurelio Carthaginensi, ac per eos toti Ecclesiæ Africanæ comprobasset, falsosque esse rumores de se in Africam perlatos, quasi novis Hæreticis patrocinaretur. Hæc ex utraque S. Augustini Epistola ad Sixtum certissima sunt. *Si enim*, inquit in priori, *brevissimam Epistolam tuam, quam de hac ipsa re ad beatissimum Senem Aurelium per Leonem Acoluthum direxisti, exultanti alacritate descripsimus, & quibus poteramus, magno studio legebamus, ubi nobis exposuisti, quid de illo perniciosissimo dogmate, vel quid contra de gratia Dei, quam pusillis magnisque largitur, cui est illud inimicissimum sentias: quanta nos putas ista tua prolixiora Scripta vel exultatione legisse, vel curâ ut legantur, quibus valuimus, aliis obtulisse, atque adhuc quibus valemus offerre? Quid enim gratiùs legi vel audiri potest quàm gratia Dei tam pura defensio adversùs inimicos ejus, ex ore ejus qui eorumdem inimicorum magni momenti Patronus ante jactabatur?* Et in secunda ad eumdem Sixtum Epistola: *Tristes eramus nimis, cùm fama jactaret inimicis Christianæ gratiæ te favere: sed ut hæc tristitia de cordibus nostris tergeretur, primò te priorem anathema eis in populo frequentissimo pronuntiasse eadem fama non tacuit. Deinde cùm Literis Apostolicæ Sedis de illorum damnatione ad Africam missis, tuæ quoque Literæ ad venerabilem Senem Aurelium consecutæ sunt, quæ tametsi breves erant, tuum tamen vigorem adversùs eorum errorem satis indicabant. Nunc verò cùm apertiùs & latiùs quid de illo dogmate contráque sentires, in Literis tuis fides ipsa nobiscum Romana Ecclesia loqueretur . . . . . Non solùm illud omne tristitiæ nebulam fugis de cordibus nostris, sed etiam tantùm ibi lætitiæ lumen infulsis, ut nihil in nobis egisse videretur ille mœror & timor, nisi successurorum ampliorem flagrantiam gaudiorum.* Et infrà: *Aliquando diutiùs tecum sermocinamur, admonentes ut docendis instes, quibus terrendis satis, quantùm comperimus, institisti.*

Postea Pontificatus ... P. Garnerius.

* Postreme edit. 191.

§. VII.

De Mario Mercatore.

PAlmas etiam suas in sacro Ecclesiæ adversùs Pelagianos bello retulit Marius Mercator, qui contra ipsos *Commonitorium* Theodosio Imperatori obtulit, Florentio & Dionysio Coss. quorum Consulatus incidit in annum 429. Idem scripsit Librum *Subnotationum* in postremos Juliani Libros, Concilii Ephesini tempore. Hujus incerta patria est. Campanum fuisse, vel Apulum, vel ex parte Italiæ, quæ vergit ad Siciliam, conjicit eruditus Operum ipsius Editor & Interpres P. Garnerius; quòd res Cœlestii Campani, Julianique Apuli domesticas privatasque ita noverit, quemadmodùm vix alteri licet, quàm qui fuerit ejusdem aut Civitatis, aut saltem Provinciæ. Laïcum fuisse, ex S. Augustino *Filium* eum vocante certum est, Libro *De octo Quæstionibus ad Dulcitium, Quæst.* 3 ubi meminit Epistolæ ad ipsum datæ, cùm eum consuluisset Mercator de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, qui negant mortem esse retributam peccato.

§. VIII.

De Gelasio Pontifice Romano.

GElasius Pontifex Maximus Pelagianam Hæresim per Dalmatiam, & Picenum grassantem, non solùm gravissimis atque doctissimis Epistolis profligavit, non solùm Apostolico fulmine contrivit, verùm etiam singulari Tractatu confutavit, quô præcipuè suscepit demonstrandum, hominem non vivere sine peccato. Extat Tom. 4. Conciliorum Labbæanæ Editionis. Incipit his verbis: *De Pelagianis quidem sensibus.* Huic Pontifici Joannes Talaia Apologiam contra Pelagianam Hæresim nuncupavit, cujus meminit Photius Cod. 54.

ARTICULUS VII.

De Semipelagianorum initio & origine, primisque illius factionis Autoribus, ac errorum Sectatoribus.

§. I.

Sanctus Augustinus in eo errore aliquando versatus est.

PElagiana Hæresis infausti Cometæ instar, qui nec statim accenditur totus, nec statim extinguitur, nec tota statim formata est, nec statim prorsus occubuit. Suum cùm primùm emergeret, quasi crepusculum quoddam habuit infaustum illud sydus,

sydus, suas cùm vergeret ad occasum quasdam adhuc flammas habuit ex magno incendio superstites. S. Augustinus ipse, antequam Episcopus esset, quo tempore nondùm eruperat Pelagii hæresis, Semipelagianus fuit, ut constat ex ipsius Expositione quarumdam Propositionum Epistolæ ad Romanos, Propositione 62. utque ipse de se fatetur, lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 3. ubi adducto insigni Apostoli testimonio, ad 1. Corinthios 4. *Quid autem habes quod non accepisti? &c.* hæc habet: *Quo præcipuè testimonio etiam ipse convictus sum, cùm similiter errarem, putans Fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo. Neque enim Fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter: nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla Opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta, in quibus est illud quod commemorastis in Literis vestris, ubi est Expositio quarumdam propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos.* Ex qua Expositione loca nonnulla ibidem profert à se in Retractationibus emendata.

§. II.

De Vitali Carthaginensi.

IN eumdem lapsus errorem est Vitalis Carthaginensis, teste S. Augustino Epistola 107.* ad ipsum data, qua sic ad eum scribit: *Te audio dicere, Ut rectè credamus in Deum & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse. Et ad hoc cùm audieris: Quid est ergo quod ait Apostolus, Deus in nobis operatur & velle, & perficere? Respondes, Per Legem suam, per Scripturas suas Deum operari ut velimus, quas vel legimus, vel audimus; sed eis consentire, vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille, dicis, quantum in ipso est, ut velimus, cùm nobis nota fiunt ejus eloquia: sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit, efficimus.*

* Postremæ edit. 217.

§. III.

De Massiliensibus.

SAncti Augustini Libris, quibus gratiæ Christi necessitatem & vim invictissimam ad singulos actus ita prædicabat, liberique sic inculcabat infirmitatem arbitrii, ut totum Deo adscriberet: ac præsertim Epistolâ ad Sixtum, libro de Gratia & Libero Arbitrio, libro de Correptione & Gratia, offensi Galli quidam Episcopi & Presbyteri in Lugdunensi, & Arelatensi Provincia, præsertim Massiliæ, unde & Massilienses vulgò dicuntur, iique famæ non ignobilis, nec minùs eruditione spectabiles, quàm morum sanctimoniâ conspicui, in errores Pelagianis, quos cum Ecclesia universa exsecrabantur ac damnabant, affines impegerunt: unde Semipelagiani sunt appellati. Namque *Omnem hominem Adam peccante peccasse: & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari*, contra Pelagianos fatebantur: sed cùm de Fidei initio, tum aliis de capitibus, ab Ecclesiæ, & S. Augustini doctrina dissidebant, ut exponunt S. Prosper, & Hilarius in Epistolis ad S. Augustinum libro de Sanctorum Prædestinatione præfixis.

Insignes quippe illi S. Doctoris Discipuli, de Massiliensium turbis ad ipsum, *Velut ad specialem patronum Fidei*, ut ait S. Prosper, retulerunt. *Multi*, inquit, *Servorum Christi, qui in Massiliensi Urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ Scriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium* putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid in iis de vocatione Electorum secundùm Dei propositum disputasti. Et cùm aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare: evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cùm quosdam intra Africam similia movissent, librum de Correptione & Gratia, plenum divinæ auctoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas: quia universis quæstionibus, de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam planè illic, absolutèque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata, componeres. Recensito autem hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui Sanctam atque Apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multò, instructioresque sunt facti: ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores, quàm fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est, ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat: deinde ne simpliciores quique apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quòd audiunt eos, quorum auctoritatem sine judicio sequuntur, asserere.*

De Massiliensium Semipelagianorum erroribus, de quibus Prosper & Hilarius ad communem Doctorem referunt, Articulo sequenti agemus.

§. IV.

De Cassiano.

JOannes Cassianus Massiliensium Semipelagianorum Princeps, quâ natus sit patriâ, non omnino certum. Scythia oriundum asserit Gennadius in Catalogo Virorum Illustrium. Photius Cod. 197. gente Romanum scripsit. Visi inter recentiores Eruditi Gallum contendunt, in Provincia natum: idque ex ipsius Collatione 24. c. 1. sibi colligere videntur, ubi ait: *Ad repetendam Provinciam nostram, atque ad revisendos parentes, quotidianis animi æstibus urgebamur.* Et infrà: *Tum præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat majoribus nostris habita possessio, ipsarumque amœnitas regionum jucunda ante oculos pingebatur, quàm grata & congrua solitudinis spatiis tenderetur, ita ut non solum delectare Monachum possint secreta silvarum, sed etiam magna victus præbere compendia.* Quæ Provinciæ regioni Galliarum amœnissimæ, potiùs quàm Scythicis oris conveniunt. Ut ut sit, vitam Monasticam adolescens professus est, & Palæstinæ, ac Ægypti Cœnobiis, eremisque peragratis, inita cum Germano Monacho arctissimâ necessitudine, Constantinopolim appellens, ibique aliquandiu moratus, probatâ morum integritate ac sanctimoniâ, Diaconus à S. Joanne Chrysostomo ordinatus est. Deposito, & in exilium amandato Theophili Alexandrini malis artibus, & impotenti Eudoxiæ ira, Sanctissimo Præsule, Romam ad Innocentium I. Cleri Constantinopolitani nomine Legatus venit. Defuncto tandem S. Joanne Chrysostomo rediit in Gallias, & Massiliæ substitit.

Extructo ea in Urbe Cœnobio, maximam sibi sanctimoniâ & eruditione famam peperit, quâ excitatus Castor Aptensium Episcopus, ipsum literis rogavit,

rogavit, ut Commentarios de Institutis Monachorum Ægypti scriberet ac ad se transmitteret. Ejusdem precibus Collationes Patrum incœpit: eoque ad meliorem vitam translato, decem priores Leontio Episcopo, & Helladio Monacho nuncupavit: quibus alias postmodum 14. addidit, Honorato Lirinensis Cœnobii Fundatore & Abbate, ac subinde Arelatensi Episcopo, aliisque hujus insulæ Monachis sanctissimis flagitantibus. His in Libris Semipelagianos errores disertè docuit, præsertim Collatione 13. quæ est Abbatis Chæremonis, quam S. Prosper libro contra Collatorem, id est, contra Cassianum ipsum, suscepit refellendam. Plura Cassiani testimonia, quibus ejus error innotescet, in Dissertatione de Semipelagianorom errore proferemus. Cæterùm obiit Cassianus magnâ cum opinione sanctitatis. Unde S. Gregorius Magnus lib. 6. Epistola 12. ad Respectam Abbatissam Massiliensem data, laudat Monasterium, *Quod in honorem S. Cassiani consecratum est*. Hinc Urbanus V. Cassiani caput argentea theca inclusum, hac epigraphe ornari voluit: *Caput S. Cassiani*. Denique illius memoria Massiliæ colitur solemni ritu die 23. Julii.

§. V.

De Fausto Reiensi.

EX Cassiani Collationibus Lirinensium Monachorum nonnulli Semipelagianos errores hauserunt. Horum propugnator acerrimus fuit Faustus, qui anno 433. Lirinensis Abbas Cœnobii renuntiatus est, ac deinde ad Reiensem Episcopatum assumptus; cùm viginti & ampliùs annos Monachis præfuisset. Patria Britannum fuisse, constat ex Sidonio lib. 9. Epist. 9. & ex Avito Viennensi in Epistola ad Regem Burgundionum. Episcopus creatus est anno saltem 462. Siquidem Synodo Romæ celebratæ eo anno ipsum interfuisse, Hilarus Papa in Epistola ad Leontium & alios Galliarum Episcopos testatur. Et gravissima exortâ lite inter Leontium Arelatensem, & Mamertum Viennensem Metropolitanos de Diensis Episcopi Ordinatione, Faustus cum Auxanio à Synodo Judex electus, secundùm Leontium Sententiam tulit, quam anno 463. confirmavit Hilarus Romanus Pontifex.

Celebratis Arelate & Lugduni Conciliis duobus anno circiter 475. Leontius cæterique Patres, contra quosdam errores qui in materia Prædestinationis recèns exorti erant, scribendi Provinciam Fausto demandarunt, ut ipse in suorum Præfatione librorum testatur. Hac occasione duos de Gratia & Libero arbitrio libros edidit, in quibus mandati limites prætergressus, S. Augustini de Prædestinatione doctrinam totis viribus impugnat, multa ipsi incommoda & absurda affingit, Massiliensium dogmata & calumnias in augustum Doctorem instaurat, Fidem liberi arbitrii viribus adscribit, nos absque gratia Dei quærere, pulsare, & petere, eam ut impetremus asserit; uno verbo, totum se prodit Semipelagianum. Loca præcipua ex quibus innotescit ejus error, in Dissertatione de Semipelagianorum errore proferam. Cæterùm vel ex uno capite 4. Libri primi satis compertum est ipsum contra S. Augustini doctrinam de Prædestinatione disertè pugnasse. Ubi enim contra ipsam plura dixisset, ita concludit: *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut asserunt, est deputatus, sicut quidam Sanctorum* * *dixit, Non judicandi nascimur, sed judicati.* Scripserat antea ad Græcum Diaconum multa in S. Augustini Scriptis esse suspecta & reprehensione digna. *In Scriptis*, inquit, *S. Pontificis Augustini, etiam si quid putatur apud doctissimos viros esse suspectum, ex his quæ damnanda judicasti, nihil noveris reprehensum.* Suis tamen non obstantibus erroribus, qui eo vivente damnati non sunt ab Ecclesia, aras & sacros honores in Reiensi Ecclesia post mortem consecutus est, ejusque nomen sacris Gallicanæ Ecclesiæ Fastis est adscriptum.

* Augustinus.

§. VI.

De S. Hilario Arelatensi.

CAssiani partibus adhæsisse Hilarium Arelatensem Episcopum & Semipelagianorum errorum infectum fuisse fuligine, diffiteri nemo poterit, qui S. Prosperi ad S. Augustinum Epistolam non perfunctoriè legerit, de Massiliensium Semipelagianorum turbis & erroribus scriptam, in quâ Hilarium unum illorum esse disertè asserit. *Credimus*, inquit, *& speramus non solùm tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam: sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum præcipuæ autoritatis, & spiritualium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat Beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ: & de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per Literas velle conferre: sed quia utrum hoc facturus, aut quô fine sis facturus, incertum est, & omnium nostrûm fatigatio, providente hoc præsertim sæculo Dei gratiâ, in tuæ caritatis & scientiæ vigore sperat: adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis.* Ex quibus liquet, Hilarium Arelatensem Episcopum unum eorum fuisse, qui gratuitam Dei prædestinationem ad initium Fidei in querelam trahebant. Hunc notasse videtur Hilarius alter S. Augustini Discipulus, in Epistola ad Sanctum Doctorem datâ. *Illud*, inquit, *tacere non debeo, quòd se dicant tuam Sanctitatem, hoc exceptô, in dictis & factis omnibus admirari.* Hæc enim gemina sunt iis quæ de Hilario Arelatensi S. Prosper ad S. Augustinum scripsit.

Cum his si conferantur quæ S. Doctor lib. *De Dono Perseverantiæ*, cap. 21. respondet; compertum erit, ipsum qui præter hoc quod in quæstionem veniebat, omnia S. Augustini dicta se profitebatur amplecti, ipsum (inquam) Hilarium Arelatensem Episcopum, in quæstione de initio Fidei, & Dono Perseverantiæ, ab ejus doctrina abhorruisse, quod S. Doctor vehementer mirabatur. En ejus verba: *Videant tamen ii, quibus amantibus me ingratus esse non debeo, qui præter hoc quod in quæstionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur amplecti: videant, inquam, utrum in primi Libri posterioribus partibus eorum duorum, quos mei Episcopatûs initio, antequam Pelagiana Hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, & utrum ibi non satis egerim, etiam initium Fidei esse donum Dei: Et utrum ex iis, quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam.... Unde recolant adversùs Hæresim Pelagianam jam ante aliquot annos ista dicta esse, atque conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est.*

Cùm Prosper S. Augustinum de Massiliensium erroribus commonuit, jam Hilarius Arelatensis Episcopus erat. Honoratus enim ejus Decessor, jam Arelatensem regebat Ecclesiam anno 426. exeunte, ut testatur Prosper in Chronico. Is biennio Episcopatus exacto, ad Superos migravit, anno scilicet 429. ineunte. Statim ejus in locum suffectus est Hilarius. Cùm itaque Prosper de Massiliensium erroribus ad S. Augustinum scripserit

anno

Baronius emendatur.

anno 429. Hilarium hoc ipso anno Atelatensem Episcopum creatum fuisse certum est. Perperam igitur Baronius Hilarii dignitatem ex Epistola Prosperi censuit expungendam: quam & Hilarius alter ad S. Augustinum scribens significare non obscurè videtur his verbis: *Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine Ecclesiastica Laïcos summam reverentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante servari, ut cùm opus fuit, non taceremus, quæ ad quæstionis hujus assertionem nostrarum exiguitas virium suggerebat.*

§. VII.

De Vincentio Semipelagiano.

VIncentium quemdam Semipelagianæ factionis virum, constat S. Augustini Discipulis ac defensoribus monstra quædam errorum affinxisse, velut Augustinianæ de Prædestinatione doctrinæ, quam ipsi totis viribus propugnabant, consectaria: eorumque contexuisse indicem, qui per manus omnium longè latéque volitaret. Sexdecim Propositionibus continentur. Prima est: *Quòd Dominus noster Jesus-Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Secunda: *Quòd Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint.* Tertia: *Quòd Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.* Quarta: *Quòd major pars humani generis ad hoc creatur à Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.* Quinta: *Quòd peccatorum nostrorum Autor sit Deus, eo quòd malam faciat voluntatem hominum, plasmet substantiam, quæ naturali motu non possit nisi peccare.* Sexta: *Quòd Deus talè in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum: quod proprio motu nihil aliud possit, vel velit nisi malum.* Septima: *Quòd hæc sit voluntas Dei ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit.* Octava: *Quòd nolit Deus ut omnes Catholici in Fide Catholica perseverent, sed velit ut magna exinde pars apostatet.* Nona: *Quòd velit Deus ut magna pars Sanctorum à sanctitatis proposito ruat.* Decima: *Quòd adulteria & corruptelæ sacrarum Virginum ideò contingat, quia illas Deus ad hoc prædestinavit ut caderent.* Undecima: *Quòd quando incestant patres filias, aut matres filios, vel quando servi dominos occidunt, ideò fiat, quia ita Deus prædestinavit ut fieret.* Duodecima: *Quòd Dei Prædestinatione efficiantur de filiis Dei filii diaboli, & de templo sancti Spiritus templa dæmonum, & de membris Christi membra meretricis.* Decima-tertia: *Quòd omnes illi Fideles & Sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitiò quidem sine hoc facere videntur: sed ipsius vitii causa est divina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.* Decima-quarta: *Quòd pars magna illa Christianorum Catholicorum Fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiamsi petat à Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eò quòd mutari non potest divina prædestinatio, quæ illos præordinavit, præparavit, præaptavit ut caderent.* Decima-quinta: *Quòd omnes illi Fideles & Sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, posteaquam ceciderint, sic à Deo dispensentur, ne possint, vel velint per pœnitentiam liberari.* Decima-sexta: *Quòd magna pars illa Fidelium atque Sanctorum, quæ ad æternam mortem prædestinata est, quando dicit Deo in Oratione Dominica, Fiat voluntas tua: nihil aliud quàm contrà se petat: id est, ut cadant & ruant: quia voluntas Dei hæc est, ut æterna morte pereant.*

Hunc Indiculum confutavit S. Prosper in Responsione ad Capitula Objectionum Vincentianarum. Objectiones illæ Vincentianæ maxima ex parte cum Gallorum Objectionibus coincidunt, quas altero libro S. Prosper diluit, quem inscripsit: *Responsiones ad Capitula Gallorum.* Uterque Objectionum Indiculus doctrinam S. Augustini, libris præsertim de Correptione & Gratia, de Prædestinatione Sanctorum, & de Perseverantiæ Dono contentam impetebat: sed quæ Gallorum inscribuntur, quòd non unius hominis, sed totius Semipelagianæ factionis essent, in Galliis exortæ, S. Augustini doctrinam ac libros impugnabant apertiùs: Vincentianæ verò, S. Augustini Discipulos, Prosperum scilicet, Hilarium, & alios Augustinianæ de Gratia & Prædestinatione doctrinæ Assertores ac Defensores propiùs quàm Augustinum ipsum insectabantur: quasi singulares Sancti Doctoris opiniones temerè propugnando, absurdissimos in errores, & execrandas blasphemias laberentur.

Id ex Responsione S. Prosperi ad utrumque Objectionum Indicem compertum est. Sic enim præfatur in Responsione ad Capitula Gallorum. *Doctrinam, quam sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus contra inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrii deceptores per multos annos Apostolicè asseruit, litterisque mandavit, quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui judicio eorum ducebantur, afferre: ut quæ in libris prædicti Viri damnabilia reperisse jactabant, brevium Capitulorum Indiculis prædicarent: talique commento & detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent: & ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temerè quis recipiat, & talem putet sensum Scriptis Catholici inesse Doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur ostentant, singulis Capitulis, quæ titulo rationis prænotarunt, brevi & absoluta professione respondeo.* Ex his patet, Gallos, quos refellit S. Prosper, S. Augustini Doctrinam in seipsa directè impugnasse.

Responsioni verò ad Capitula Vincentianarum Objectionum sic præfatur: *Quidam Christianæ ac fraternæ caritatis obliti, in tantùm existimationem nostram quoque modo student lædere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate, non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt Sententiis comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia: eáque ostendenda, & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt: asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolicè continentur Indiculo.* Ex quibus liquet illum, quisquis fuerit, Vincentium, S. Augustini Discipulos, ut Prosperum ipsum, & alios, aperto marte impugnasse, erronea & blasphema ipsis affingendo dogmata, quæ consectaria esse contendebat doctrinæ de gratia & prædestinatione, quam illi velut Augustinianam & Catholicam prædicabant: S. verò Augustinum cominus, & sub proprio nomine non impetiisse.

Quis Auctor Objectionum Vincentianarum quibus respondit S. Prosper?

Quisnam fuerit ille Vincentius, quæstio est inter Eruditos. Quidam contendunt fuisse celebrem illum Vincentium Lirinensem, doctrinæ & sanctitatis famâ celebrem, qui duplicis adversùs profanas omnium hæreticorum novitates Commonitorii est autor. Id mihi persuadere non poteram hucúsque, quòd Cælestini I. Epistolam hic sub finem secundi Commonitorii laudet, quam ad Gallicanos Episcopos in Augustinianæ doctrinæ commendationem, & contra Semipelagianos dedit. *Sed & Sanctus Papa Cælestinus* (inquit) *ait in Epistola, quam ad Gallos Sacerdotes misit, arguens eorum conniventiam, quòd antiquam fidem silentiò destituentes, profanas novitates exurgere paterentur:* MERITÒ, inquit, *causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi: non sit iis liberum pro voluntate habere sermonem. Hic aliquis fortasse addubitet, quinam sint illi quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem vetustatis prædicatores, an novitatis adinventores? Ipse* dicat,

dicat, & dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim: Desinat si ita res est, id est, si ita est, ut apud me quidam urbes & Provincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam novitatibus consentire noxiâ dissimulatione faciatis: Desinat itaque, inquit, *si ita res est, incessere novitas vetustatem.*

Augurabar nusquam Semipelagianum virum, & S. Augustini hostem, laudare tam egregium Cælestini I. testimonium potuisse, ex Epistolâ quâ Semipelagianorum turbas & errores execrari se significat, & S. Augustinum commendat ut Doctorem *inter Magistros optimos à suis Decessoribus semper habitum, & quem nullus unquam sinistræ suspicionis rumor aspersit*. Quamobrem cum Eminentissimo Baronio in Notis ad Martyrologium ad diem 24. Maii, alium à Lirinensi Monacho Vincentium Semipelagianum, cujus essent Vincentianæ Objectiones à S. Prospero confutatæ, nos habere existimabam apud Gennadium in lib. de Viris Illustribus cap. 80. quem & suo tempore adhuc vixisse, & sibi familiaritate conjunctum testatur. Semipelagianæ factionis studiis, & errorum communione hanc inter illos coaluisse necessitudinem conjiciebam.

Objectionum Vincentianarum Auctor non est Vincentius Victor.

Scio hominem, cui aliquando in mentem venerit, Vincentium illum cujus nomine inscriptæ sunt Vincentianæ Objectiones, forsan esse Vincentium illum Victorem, contra quem S. Augustinus Libros de Animæ origine conscripsit. Is ut juvenis erat, cum libros illos edidit S. Doctor, facilè superstes fuit post ipsius obitum, & quo tempore scribebat S. Prosper. Is varios inter errores, de quibus fuit à S. Augustino reprehensus, unum propugnavit Semipelagianorum, scilicet *Prædestinatos divina Prædestinationi eripi posse*. Etsi Rescripta correctionis ejus se accepisse S. Augustinus lib. 2. Retractationum c. 56. testetur, non tamen constat an singulos errores ejuraverit, an eos duntaxat qui Pelagianis affines aut pejores erant. Et ut erat petulantis vir ingenii, potuit vulgatis S. Augustini libris de Correptione & Gratia, de Perseverantiæ dono, de Prædestinatione Sanctorum, ejus doctrinam, quæ tot alios modestioris indolis viros commovebat offendebatque, calumniis illis proscindere, quæ Vincentianis Objectionibus continentur, & Indiculum errorum conscribere ac vulgare, qui ex Augustiniana de Prædestinatione sententia sequi ipsi videbantur. Qui Indiculus ex Africa in Gallias missus, à S. Prospero confutatus sit. Neque enim opus fuisset ut qui Gallorum Capitulis jam responderat, in Vincentianis refellendis operam poneret, quæ penè eadem erant, si Gallorum unus fuisset Vincentius. Verùm hæc conjectatio mihi non placet: tùm quòd in Gallis illa Semipelagianorum factio orta sit, nec post S. Augustini obitum ullos in Africa Semipelagianos legamus: tum quòd huic Vincentio Victori S. Prosper objecisset petulantiam ac audaciam, cujus specimen jam dederat junior adversùs S. Augustinum scribens: objecisset errores à S. Augustino confutatos: objecisset simulationem correctionis, vel relapsum in novos errores: objecisset veterem in S. Augustinum æmulationem ex incredibili superbia profectam.

De Vincentianarum Objectionum Autore ut ingenuè dicam quod sentio, ipsum non alium existimo à Vincentio Lirinensi, autore Commonitorii.

Vincentius Lirinensis Semipelagianus.

Hunc enim Semipelagianum asserere, præconceptâ & populari opinione excussâ, vis cogit veritatis: cogunt rationes à doctissimo & accuratissimo Historiæ Pelagianæ Commentatore, Henrico Norisio adductæ, quas lecto semel & iterum Vincentii Commonitorio, & diligentiùs expenso, vidi esse invictas: quibus addam perpauca.

I. Semipelagianorum dogma fuit, communem esse hominibus universis gratiam Dei: & quærentibus, pulsantibus, petentibus viribus naturæ, conferri. De primo, Fausti diserta est Sententia lib. 1. cap. 15. *Non specialem esse circa credentes Dei misericordiam.*

Norisius lib. 1. Histor. Pelag. c. 25.

Et apud Joannem Maxentium in responsione ad Epistolam Hormisdæ; *Sed dicis quia non omnibus detur, sed donum sit personale credulitas, & illis tantum credere suppetat, quibus Deus specialiter donavit ut crederent. Non ita est.* De secundo S. Prosper ad S. Augustinum referens Massiliensium errores, scribit eos sentire; *Ad hanc gratiam quâ in Christo renascimur*, nos *pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideò* aliquis *accipiat, ideò inveniat, ideò introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Porrò Vincentius Lirinensis & gratiam personalem impugnavit: & petentibus, quærentibus, pulsantibus asseruit gratiam Christi conferri. Sic enim scribit Commonitorii I. cap. 37. *Jam verò illis, quæ sequuntur, promissionibus miro modo incautos homines Hæretici decipere consueverunt. Audent etenim polliceri & docere quòd in Ecclesia sua, id est, in communionis suæ conventiculo, magna ac specialis, ac plane personalis quædam sit Dei gratia: adeò ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria; etiamsi nec petant, nec quærant, nec pulsent, quicunque illi ad numerum suum pertinent; tamen ita divinitus dispensentur, ut Angelicis erecti manibus, id est, Angelicâ protectione servati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum; id est, nunquam scandalizari.* Quibus postremis verbis, doctrinam S. Augustini de Prædestinatione, & de Perseverantiæ dono peti, bona fide fatendum est. Et certè cùm nulla tunc esset Hæreticorum secta, quæ de gratia Dei ita sentiret: imò hæc ipsa esset S. Augustini doctrina, qui gratiam personalem passim propugnat, gratiam aliquam quæ non omnibus datur, quæ misericorditer datur iis quibus datur, quæ iis quibus negatur, justo Dei judicio non datur; quæ non datur petentibus, quærentibus, pulsantibus, sed datur ut quæramus, petamus & pulsemus; quæ facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, & ex oppugnantibus amantes: evidens est Vincentium Lirinensem finxisse Hæreticos ista asserere, ut S. Augustini Discipulos hanc doctrinam acerrimè propugnantes, ad hæreticorum sententiam imprudentes accedere ostenderet, & hoc terriculamento homines ab Augustiniana doctrina averteret.

Objiciet quispiam incredibile videri quòd Vincentius Lirinensis S. Augustinum & ejus Discipulos velut hæreticos sugillasset, cùm nec Faustus, nec Gennadius, nec Semipelagianorum Massiliensium princeps Cassianus, Augustinianam de gratia & prædestinatione doctrinam usquam hæreseos, sed erroris duntaxat nomine insectati sint. Sed advertat, quæso, qui hæc objicit, Vincentium Lirinensem S. Augustinum & ejus Discipulos, hæreticos non vocare, neque enim de illis dixisset, quòd, *In Ecclesia sua, id est in Communionis suæ conventiculo, magnam & specialem, ac planè personalem Dei gratiam pollicerentur*: Cùm Semipelagiani in ejusdem Ecclesiæ sinu illis convivêrent, essentque ipsis communione conjuncti, illosque Prosper & alii S. Augustini Discipuli ut fratres haberent, quemadmodum habuerat S. Augustinus. At fingebat Vincentius, Hæreticos gratiam illam personalem prædicare, quam Augustini Discipuli propugnabant, ut illis conflaret invidiam, & innueret eos hæreseos infamiâ laboraturos, si doctrinam illam pertinaciter defendere pergerent. Quanquam etsi S. Augustini de Prædestinatione sententiam hæreticam dixisset, nihil magis dixisset quàm Semipelagiani cæteri, qui eam erroris damnandi loco habuerunt: sed acerbiori verbo mentem suam expressisset.

II. Semipelagiani

II. Semipelagiani Augustinianæ de Prædestinatione & de Perseverantiæ dono Sententiæ novitatem objiciebant, suaque dogmata vetustatis venerando nomine tuebantur, ut testatur Prosper ad S. Augustinum scribens. *Obstinationem suam*, inquit, *vetustate defendunt, & ea quæ de Epistola Apostoli Pauli ad Romanos scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur affirmant.* At Vincentius Lirinensis in toto passim Commonitorio id unum inculcat, *Tenendam antiquitatem, vitandam novitatem*: A Doctore ea esse dicenda, quæ ab antiquis didicerit, *Ut cùm dicat novè, non dicat nova.* Patribus *Hac lege credendum, ut quidquid vel omnes, vel plures, uno eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratóque habeatur: quicquid verò quamvis ille Sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, & generalis sententiæ autoritate secretum sit, ne cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam Hæreticorum & Schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiquâ veritate dimissâ, unius Hominis novitium sequamur errorem.* Quæ contra S. Augustinum dicta videntur. Hunc enim in quæstione de Prædestinatione Sanctorum præter omnes Patres sensisse, vulgatis erat Semipelagianorum cantilena: proinde non esse propugnanda, quæ in postremis libris scripserat, sed inter privatas ejus opiniones reponenda esse, à communis & veteris Sententiæ autoritate secretas. In his igitur non sequendum, ne unius hominis novitius error universalis dogmatis antiquæ veritati præponeretur.

III. Quod de Vincentianarum Objectionum Autore superiùs observavi, ipsum non quidem aperto marte, sed tectè & per cuniculos S. Augustinum aggressum fuisse, palam verò in ejus Discipulos exercuisse stylum, de Vincentio Lirinensi compertum est. Legatur Caput 11. Commonitorii. 1. ubi postquam præmisit, mirâ rerum conversione Autores ejusdem opinionis de iterando Hæreticorum batismate Catholicos esse, nempe Agrippinum, & S. Cyprianum: Consectatores verò Hæreticos, scilicet Donatistas: absolvi Magistros, Discipulos condemnari: subjungit, id sibi videri *Divinitus promulgatum esse Judicium, propter eorum maximè fraudulentiam, qui cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri Scripta, paulò involutiùs edita, quæ pro ipsâ sui obscuritate, dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur.* *Quorum*, inquit, *nequitiam duplici odio dignam judico, vel eò quòd hæreseos venenum propinare aliis non extimescunt, vel eò etiam quòd Sancti cujusque Viri memoriam tanquam sopitos jam cineres profanâ manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, redivivâ opinione diffamant: sequentes omninò vestigia autoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modò operire neglexerit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiaverit . . . . Beatis illis fratribus longéque dissimilis, qui nuditatem ipsam reverendi Patris neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt, sed aversi, ut scribitur, texerunt eum. Quod est, erratum Sancti Viri nec approbasse, nec prodidisse.*

S. Augustinum in exponendo Prædestinationis Mysterio & Perseverantiæ dono *Necessarium modum excessisse* contendebant Semipelagiani, nonnulla ipsi æstu disputationis abrepto excidisse duriora, imò & erronea, ut colligitur ex Appendice Epistolæ Cælestini primi ad Galliarum Episcopos, & ex Epistola S. Prosperi ad S. Augustinum. *In Sanctitatis tuæ Scriptis*, inquit, *quæ adversùs Pelagianos Hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm Dei propositum disputasti.* Addebant, consultius esse circa quæstiones illas de Prædestinatione servare silentium. *De his*, inquit, *taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit.*

His planè concinere videtur Vincentius Lirinensis, & Augustini Discipulos insectari, quasi *sub alieno*, id est sub ipsius nomine, *Hæresim concinnare machinentur.* Ipsos *captare ejus Scripta involutiùs* quidem *edita*, quasi suis dogmatibus congruant, *Ut nec primi, nec soli ita sensisse videantur.* Ipsos maximè culpandos, quòd *Redivivâ opinione diffament, quæ silentio sepeliri oportebat.* Ipsos Châm imitari, qui Patris nuditatem detexerat, cùm Sem & Japhet potiùs imitari deberent, qui eam texerunt: *Sancti Viri*, id est, Augustini *erratum nec approbandum* esse, pro studio veritatis & fidei, *nec prodendum*, ob reverentiam quæ tanti nominis Doctori debetur. Fallor nisi sit hæc vera mens verusque sensus Vincentii Lirinensis cap. mox laudato.

IV. Totus orbis Christianus tres in partes circa quæstiones de Gratia & Prædestinatione, post S. Augustini obitum, scissus erat in Pelagii Sectam, in Semipelagianorum factionem, & in Augustinianæ Doctrinæ Sectatores ac defensores. Quisquis Pelagianus non erat, & S. Augustini doctrinam impugnabat, is erat Semipelagianus. Quisquis à Pelagianis & Semipelagianis dissentiebat, S. Augustinum sequebatur, colebat, prædicabat, nec usquam Hæreseos Pelagianæ meminerat, quin Augustini victorias prædicaret, ejusque auctoritate illam debellaret. Porrò Vincentius Lirinensis Pelagianus non erat, siquidem Pelagium, Cælestium, Julianum, ut cæteros hæreticos execratur, cap. 3. 13. 33. ubi ait: *Quis unquam, ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante Discipulum ejus Cælestium reatu prævaricationis Adæ omne humanum genus negavit adstrictum?* Non fuit etiam Augustinianæ doctrinæ sectator ac defensor, quem ne semel quidem in toto Commonitorio laudat, toties datâ cum commendandi occasione, quoties Pelagianorum meminit: imò ejus doctrinam tectè & per cuniculos impugnat, ut ostendimus: Semipelagianus igitur fuit Vincentius Lirinensis.

Lege & cap. Ultimum.

V. Vincentius Cælestini I. Epistolam contra Semipelagianos, & in defensionem Scriptorum S. Augustini ad Galliarum Episcopos datam ita laudat in Commonitorio, ut eam interpolatam, contra Doctrinæ Augustinianæ de Prædestinatione & Gratia singulari sectatores, detorqueat in alienum planè sensum. *Hic aliquis, fortasse addubitet* (inquit c. 43.) *quinam sint illi, quos habere prohibeat* (Cælestinus) *liberum pro voluntate sermonem: vetustatis Prædicatores, an novitatis Inventores? Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissolvat.* Prosper & Hilarius Cælestini Romani Pontificis Epistolam in Augustinianæ doctrinæ patrocinium & commendationem proferebant. Semipelagiani verò excipiebant, approbationem laudesque Augustino illa in Epistola datas, ad priores ejus libros referri, in quibus cum antiquis Ecclesiæ Doctoribus sentiebat, non ad posteriores, in quibus novam & antea inauditam propugnabat (ut ipsis quidem videbatur) de Prædestinatione Sententiam. Ita testatur S. Prosper libro contra Collatorem, cap. 32. ubi recensitis Cælestini I. verbis, ait: *Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audes quisquam malignæ interpretationis murmur emittere; & perspicuæ sincerissimæque Sententiæ nubem obliqua*

obliqua ambiguitatis obtendere? Ut scilicet, quia in Epistola Papæ, librorum pro quibus actum est, non est expressus titulus, hinc eos appareat non probatos; & istam in Sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum Scriptorum meritis fuisse collatam. Pertendit itaque Vincentius Lirinensis, hæc Cælestini verba: *Corripiantur hujusmodi; non sit his liberum habere pro voluntate sermonem*, Gallos Presbyteros, aut Episcopos non spectare, qui Augustini doctrinam non sequebantur modò, sed admirabantur, in iis libris, in quibus cum antiquis Patribus consentiebat: sed potiùs eos ferire, qui novam doctrinam de Prædestinatione & Perseverantia, deque Gratia personali & efficacissima in libris posterioribus ab ipso traditam prædicabant.

Pergit Vincentius in exponendo, sive potiùs interpolando Cælestini testimonio. Sequitur enim: *Desinat, si ita res est, id est, si ita est, ut apud me quidam urbes & Provincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam novitatibus consentire noxiâ simulatione faciatis: Desinat itaque*, inquit, *si ita est, incessere novitas vetustatem.* Quibus in verbis, prout à Vincentio Lirinensi referuntur, multa monet animadversione digna doctissimus Pelagianæ Historiæ Commentator Norisius, quorum aliqua ante illum Vossius etiam adnotavit. I. Ipsum insignes S. Augustini Discipulos Prosperum & Hilarium, ut viros nullius nominis despicere, & injurioso stylo, tacitis licet nominibus, lacessere, cùm Cælestinum quasi de illis ita scribentem laudat: *Ut apud me quidam criminantur.* At non ita scripserat Cælestinus, sed Prosperum & Hilarium honorificè & cum laude appellaverat: *Filii*, inquit, *nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum sollicitudo laudanda est.*

II. Vincentium fingere, quòd Prosper & Hilarius *Urbes & Provincias*, apud Cælestinum, perniciosæ novitatis accusarint, idque eô consiliô fingere, ut non modo Presbyteros quosdam, sed integras urbes, imò & Provincias Galliarum, S. Augustini Doctrinæ ab utroque ejus Discipulo propugnatæ adversari, simplicibus & incautis Commonitorii sui lectoribus persuaderet. Sic loquentem inducit Cælestinum: *Ut apud me quidam urbes & Provincias vestras criminantur.* At nusquam ita scripsit Cælestinus, sed Prosperum & Hilarium paucos duntaxat Presbyteros, ut violatæ veritatis, motatúmque turbarum reos ad Sedem Apostolicam detulisse. *Tantùm*, inquit, *nescio quibus Presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos professi, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati.*

III. Vincentium Lirinensem, quò Prosperum & Hilarium Episcopis invisos reddat, comminisci, quòd Episcopos apud Romanum Pontificem accusaverint, quasi Galliarum urbes & Provincias quibusdam novitatibus consentire noxiâ simulatione facerent. Sic enim Cælestini verba laudat: *Ut apud me quidam urbes & Provicias vestras criminantur, quòd eas quibusdam novitatibus consentire noxiâ simulatione faciatis.* At hæc verba nec Cælestini I. sunt, nec rei gestæ veritati consona. Quosdam enim Presbyteros detulerant Prosper & Hilarius non Gallicanos Episcopos, licet Episcoporum negligentiæ & silentio Presbyterorum istorum turbas Pontifex imputet. *Sed vestræ*, inquit, *Dilectioni justiùs imputavimus quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra Magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vindicare Doctrinam.*

IV. Vincentium trinâ repetitione illius clausulæ, *Si ita res est, Si ita est*, totta tandem sententiam, significare falsam esse Prosperi & Hilarii delationem: imò Summum Pontificem ipsorum delationi non penitus credidisse, ideòque hac cautione usum, *Si ita res est.*

Denique Vincentius ex Cælestini verbis sic colligit: *Ergo hæc fuit beati Cælestini Sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem; sed potiùs novitas desineret incessere vetustatem.* Id est, non hæc fuit mens Pontificis, nobis imponere silentium, qui antiquos Patres sequimur, & ipsum amplectimur Augustinum in iis, in quibus cum Antiquis consentit, solam verò ejus de Prædestinatione opinionis, in qua à Veteribus recedit, novitatem impugnamus: Sed voluit ac jussit, ut qui se Augustini esse discipulos in omnibus gloriantur, scilicet Prosper & Hilarius, corúmque partiarii, qui novam de initio fidei, de Prædestinatione & de Perseverantiæ dono Sententiam propugnant ac prædicant, vetustatem Sententiæ, quam Gallicani Presbyteri tuentur, incessere desinerent.

Observare præterea juvabit, Semipelagianos in errorum suorum patrocinium Scripta *S. Augustini* priora, quæ juvenis ediderat, protulisse. Ejus verò discipulos ac vindices, & præcipuè *S. Prosperum* in Responsis ad Genuensium Dubia, sic ipsorum objectionem refutasse: *Quia nec justa, nec rationabilis intelligitur eorum esse persuasio, qui hujus viri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam ad adolescentiæ rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur Hæreticis quod inter initia conversionis suæ imperitè senserat, quàm prodesset Catholicis, quod Pontificali diligentia Veritas revelarat. Meritò illos hoc præjudicio utentes, & in his quæ dudum abdicata fuerant, immorantes, pii Doctoris gravitas notat, quòd qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare, noluerunt cum ejus eruditione proficere.* Adversùs hanc *S. Prosperi*, aliorumque *S. Augustini* Defensorum Responsionem scripsisse videtur *Vincentius Lirinensis*, & profectûs exceptionem ab iis allatam propulsasse his verbis: *Sed forsitan dicet aliquis: Nullus ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis? Habeatur plane & maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui id prohibere conetur? sed tamen ut verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Si quidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, & multùm vehementerque proficiat tam singulorum, quàm omnium; tam unius hominis, quàm totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia, &c.*

Ex his evidens est, Vincentium Lirinensem Semipelagianæ factionis virum fuisse, & S. Augustinum ejusque Discipulos in Commonitorio adversùs profanas omnium hæresum novitates, tectè & per cuniculos impugnasse. Nec tamen Commonitorii auctoritatem propterea rejicere debent Heterodoxi, in iis quæ doctrinam de traditionibus & Patrum usu spectant, quia Vincentius ex regulis, principiisque in Ecclesia receptis omnes hæreses impugnat, & ipsius Augustinianæ sententiæ prætensam novitatem. Certè de Gratia tantùm & Prædestinatione inter Semipelagianos & S. Augustini Discipulos erat controversia: in aliis doctrinæ Catholicæ capitibus omninò conveniebant. Traditionem itaque fidei regulam esse cùm docet Vincentius Lirinensis, errorem non propugnat, nec à S. Augustino, aliisque Patribus, Ecclesiæ Doctrina dissentit.

§. VIII.

§. VIII.

De Severo Sulpitio.

Tom. 5. Annal Baronius emendatur.

CArdinalis Baronius Severum Sulpitium ex Gallicanis illis Presbyteris, quos Cælestinus I. Epistola sua perstrinxit, unum fuisse asserit, Gennadii testimonio fretus. Sed fallitur Eminentissimus Autor. Jam enim à duodecim saltem annis Severus Sulpitius excesserat, cùm Cælestinus Epistolam contra Semipelagianos dedit. Hanc enim scripsit anno 432. At Severus Sulpitius anno saltem 420. obierat, ut P. Labbæus vir Chronologiæ peritissimus in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis observat. Et certè si Severus Sulpitius Semipelagianus fuisset, Gennadius Semipelagianus & ipse ejus nomini Pelagianæ hæreseos notam non inussisset. Testatur autem Gennadius in Catalogo Virorum Illustrium, hunc *In senectute sua à Pelagianis deceptum*, errorem postea emendasse, *& agnitâ loquacitatis culpa, silentium usque ad mortem tenuisse: ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Quâ de re Guibertus Abbas Gemblacensis in Apologia pro Severo Sulpitio ait, *Quod autem à Pelagianis seductus, in aliquo à regula Orthodoxæ Fidei exorbitaverit, nusquam omnino, nisi in sola legi Gennadio; qui nescio utrum hoc alicubi & ipse legerit an ex sola fama, quæ falsa & infecta loquitur, didicerit.*

§. IX.

De Gennadio Massiliensi.

GEnnadium Massiliensem Presbyterum Semipelagianæ factioni addictum fuisse, liber ejus de Viris Illustribus satis probat anno circiter 490. conscriptus. Eo in libro S. Augustinum, ejúsque Discipulum ac defensorem egregium S. Prosperum, velut reos erroris insectatur; Cassianum verò & Faustum Semipelagianorum duces laudibus extollit. De S. Augustino ita scribit: *Augustinus, vir eruditione divina & humanâ orbi clarus, fide integer & vita purus, scripsit quanta nec inveniri possunt...., Unde & multa loquenti accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus Sanctus: Ex multiloquia non effugies peccatum... Error tamen illius sermone multo contractus, lucta hostium exaggeratus, nedum hæresis quæstionem dedit.*

De Sancto verò Prospero. *Prosper: homo Aquitanicæ regionis, &c. Legi & librum adversus Opuscula, suppresso nomine, Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva.* Ubi Cassiani doctrinam Semipelagianam à S. Prospero calumniandi libidine impugnatam, & ab Ecclesia velut salutarem approbatam mentitur.

De Fausto tandem Reiensi hæc habet: *Edidit Opus egregium de Gratia Dei, quâ salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio in quo salvamur.* Sic laudat Opus Semipelagianis erroribus refertum.

§. X.

De S. Honorato Massiliensi Episcopo.

HOnoratum Massiliæ Episcopum, qui in Gennadii Catalogo Scriptorum agmen claudit, in eadem cum Gennadio Sententia, id est, Semipelagianum pariter fuisse suspicatur Henricus Norisius vir doctissimus, idque colligit ex Vita S. Hilarii Arelatensis ab ipso conscripta, in qua cap. 3. nobis sexto, ita scribit: *Emenso biennio, cùm ad meriti proprii percipiendum ex merito præmium ex vitæ hujus cursu Beatus Pontifex vocaretur Honoratus.* Ut quid enim, inquit, toties meritum in eodem versu, & quidem proprium inculcat, nisi ut ex meritis prædestinatio divina suspendatur? Hinc factum esse ait, ut paulò post Cassiano ac Fausto à Gelasio Papa in Romana Synodo damnatis, Honoratus & Gennadius Libellum fidei Romam mittere coacti sint, quò à Semipelagianorum sententia procul se esse ostenderent. De Honorato scribit Gennadius: *Sanctus quoque Papa Gelasius Romanæ urbis Pontifex, per Scripturam agnoscens ejus fidei integritatem, Rescripto suo probatam indicavit.* De se verò ait Cap. ultimo: *Et Opus de Fide mea misi ad beatum Gelasium urbis Romæ Episcopum.*

P. Norisii de S. Honorato Massiliensi suspicio refellitur.

Verùm me non adducunt in Norisii sententiam hæc momenta, ut S. Honoratum Semipelagianum fuisse putem. Nam loco laudato ex Vita S. Hilarii Arelatensis, nihil habet quod Semipelagianorum errorem sapiat: propriis namque meritis beatitudinem ut præmium reddi fides docet. Nec meriti nomen in eadem sententia toties repetit Honoratus, cujus verba ex mendosis Codicibus Norisius descripsit, sic legenda ex Fide MS. Codicis Arelatensis, & ex Bollandi, & Quenelli editione: *Emenso biennio, cum ad meriti proprii percipiendum præmium ex incerto vitæ istius cursu beatus Pontifex vocaretur Honoratus, missis Epistolis, ut extremis suis interesse deberet, admonuit.* Præterea gratiam præveniэntem liberum arbitrium, animumque hominis commutantem in melius, Honoratus agnoscit, quod quam sit errori Semipelagiano contrarium, nemo non videt. *Tali definitione firmiùs occurrit* (inquit c. 4.) *aspectu sereno, animo securo, submisso colloquio, quemadmodum humanum arbitrium divina præcedens gratia commutaret in melius, dignâ conversione, sermone, mente, habituque demonstrans.* Quòd verò Gelasius Honorati Fidem per Scripturam cognitam approbaverit, non evincit quòd coactus sit libellum Fidei Romam mittere ut Semipelagiani suspicionem erroris à se abstergeret. Quâ occasione Fidei suæ integritatem Romano Pontifici probaverit Honoratus, incertum est: & licèt ideo misisset, quia in Semipelagianismi suspicionem venerat, non sequeretur ipsum dedisse hujusmodi suspicioni locum, nisi fortè Gennadii Presbyteri sui familiaritate, & aliorum Presbyterorum Massiliensium, qui Cassiani de gratia doctrinam ab Ecclesia nondum damnatam sequebantur.

ARTICULUS VIII.

De Semipelagianorum Erroribus.

I. SEmipelagiani de peccato originali, & de necessitate gratiæ Christi ad illius remissionem rectè senserunt. Capitalis ipsorum error fuit, initium aliquod justitiæ ac salutis esse à nobis, nimirum fidem & voluntatem aliquam salutis obtinendæ, quæ tamen operis nomine censenda non esset, aut justitiæ operibus annumeranda, sicut nec desiderium obtinendæ sanitatis, quod in ægroto præcedit operam Medici, inter medicinæ opera numeratur. Porrò illis fidei, bonæque voluntatis initiis promoveri homines ad Christi gratiam asserebant. Ita eorum sententiam refert Hilarius in Epistola ad S. Augustinum. *Consentiunt*, inquit: *omnem hominem in Adam periisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari: sed id convenient asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cum prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio: eo meritô, quô voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Cæterùm ad nullum opus*

Error palmaris Semipelagianorum circa Fidei & salutis initium ad quod gratiam esse necessariam negabant.

vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt; neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur: Crede, & salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit; id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate Conditoris concessum est: & nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit se velle sanari: propter quod vel sanetur quis à sua, vel, si noluerit, cum sua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantam Medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud: (Rom. 12.) *Sicut unicuique partitus est mensuram fidei: & similia, ad id volunt valere, ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit.*

Error Jansenii Yprensis.

Idem testatur S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum. Ex quibus patet, Jansenium Yprensem Episcopum falsò scripsisse lib. 8. de Hæresi Pelagiana Semipelagianos ad initium Fidei, orationem, desideria, similesque actus bonos, quos in hominis potestate remansisse sentiebant, veræ, internæ, actualisque gratiæ adjutorium statuisse necessarium. Sed de isto Semipelagianæ hæreseos capite in Dissertationibus uberiùs agem contra Jansenium, Franciscum Macedo Minorem, Gonetum nostrum & alios, qui nullâ habita ratione Propositionis quartæ in Constitutione Innocentii X. damnatæ, temerè asserunt Semipelagianos gratiam aliquam internam ad initium Fidei admisisse. Sic autem habet Propositio illa inter quinque Jansenianas numero quarta: *Semipelagiani admittebant interioris prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare.* Quam propositionem falsam & hæreticam Innocentius X. & Alexander VII. Pontifices Maximi pronuntiarunt.

II. Semipelagianorum nonnulli, propiùs ad Pelagii hæresim accedentes, asserebant hominem solâ gratiâ Creatoris, sive solis naturæ viribus, & bono libertatis usu, ad gratiam Salvatoris pervenire. Id testatur S. Prosper in laudata ad S. Augustinum Epistola. *Quidam verò horum*, inquit, *in tantùm à Pelagianis semitis non declinant, ut cùm ad confitendam tam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustrà gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec existentem liberi arbitrii & rationalem, gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando: ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introeat, quia bonò naturâ benè usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ ope, meruerit pervenire.* Quô ex loco rectè quidem colligitur, Semipelagianorum duos fuisse ordines: istos nedum ad Fidei, sed ad boni quidem cujusvis operis initium, gratiæ interioris prævenientis necessitatem admisisse, quos verbis mox laudatis describit S. Prosper: illos verò ad nullum bonum sive perficiendum; sive incipiendum, quemquam sibi sufficere posse consensisse, ut testatur Hilarius; id est, & ad initium, & ad consummationem boni operis, gratiæ Christi adjutorium esse necessarium. Sed aliquem fuisse Semipelagianorum ordinem, qui ad initium Fidei gratiam interiorem necessariam admitterent, ex hoc S. Prosperi loco perperam nonnulli colligunt. Nam paulò inferiùs, omnibus universìm hoc opinionis flagitium tribuit, quòd asserant: *Quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ meritò credulitatis acceperint.*

Semipelagiani gratiam subdebant voluntati.

III. Gratiam cujus necessitatem sive ad perfectionem, sive ad inchoationem bonorum operum necessariam fatebantur, voluntati subdebant, ipsique præviam asserebant hominis obedientiam: teste S. Prospero ibidem. *Nec considerant*, inquit, *se gratiam Dei, quam comitem, non prævìam humanorum volunt esse meritorum, etiam ipsis voluntatibus subdere, quas ab ea, secundùm suam phantasiam, non negant esse præventas... Ac sic cùm in his qui tempus acceperunt voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.*

Non est Semipelagianum asserere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut omnium velle salutem; sed dogma Catholicum, cujus sensus explicatur, ejusque discrimen à Semipelagiano errore.

IV. Asserebant Semipelagiani, omnes homines pari modo beneficii nobis à Christo moriente collati participes esse, nullos extare ad quos uberior inde quàm in cæteros, ad suæ salutis adeptionem, gratia derivetur. Deum enim æquè velle omnes salvos fieri, si ipsi velint. Id constat ex S. Prospero in eadem Epistola. *Hæc*, inquit, *ipsorum professio est*... *Universis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicunque ad Fidem & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint.* Et infra: *Pro universo autem humano genere mortuum esse Dominum nostrum Jesum-Christum, & neminem prorsus à redemptione Sanguinis ejus exceptum, etiamsi omnem hanc vitàm alienissimâ ab eo mente pertranseat: quia ad omnes homines pertineat divinæ misericordiæ Sacramentum, quô ideò plurimi non renoventur, quia quòd nec renovari velle habeant, præsciantur.* Addebant: *Non vacillare illud, quod Deus omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quandoquidem inexcusabiles sint, qui & ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentiâ naturali; & Evangelium ideò non audierint, quia nec fuerint recepturi.* Orthodoxa tamen est illa propositio, *Deus vult omnes salvos fieri, si ipsi velint*, modo hæc salutis voluntas in Dei gratiam prævenientem tota refundatur, non libero arbitrio solis naturæ viribus petenti, quærenti, pulsanti tribuatur (ut Semipelagiani tribuebant:) & cum S. Augustino dicamus: *Verum est omnes homines hoc posse si velint: sed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis ut possint.* (Lib. 1. Retract. cap. 10.)

Rursus Deum velle omnes homines salvos fieri generali voluntate, & quidem propriè dictâ, bonâ; beneplacenti, quantùm ex parte ipsius est, perfectâ, & sincerâ, Catholicum est: sed Deum singulari voluntate, consiliô, & proposito velle prædestinatorum salutem, & redemptionis suæ fructum his non magis efficaciter, quàm aliis applicare; id Semipelagianum. Quod egregiè refellit S. Prosper in Carmine de Ingratis, cap. 13.

Sed tamen hæc aliquâ si vis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis; jam pande quid hoc sit,
Quòd bonus omnipotensque Deus non omnia subdis,
Corda sibi, pariterque omnes jubet esse fideles?
Nam si nemo usquam est quem non velit esse redemptum:
Haud dubiè impletur quidquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est

Quæ

Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
An varii motus animorum talia gignunt;
Libertas, quæ facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida est?

Tandem licet Semipelagianum sit asserere pro omnibus æqualiter Christum esse mortuum, & mortis suæ pretium æquè omnibus dispensasse, nec majora ex Christi morte beneficia in vasa misericordiæ, quam in vasa iræ derivari: Catholica tamen sententia est, Christum pro omnibus hominibus sufficienter mortuum esse, non solâ pretii sufficientiâ, quòd Sanguis ejus omnibus hominibus redimendis satis esset: sed sufficientia voluntatis & intentionis; quòd illum omnibus prodesse voluerit, antecedenti licet ac generali (ut Theologi de Schola post SS. Damascenum, & Thomam vocant) piâ tamen & paternâ voluntate. Meritò igitur hanc propositionem ex Jansenio *lib. 8. de Gratia Salvatoris* excerptam cap. 20. Beatissimi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. ut hæreticam damnarunt: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse.*

Error Jansenii Yprensis.

V. Quod præcedentis dogmatis consectarium erat, gratiam Christi suppetere omnibus asserebant, & ad se omnes invitare: sed unumquemque proprio arbitrio vocanti parere, vel se ab eâ retrahere. Id constat ex S. Prospero in Epistola ad S. Augustinum. *Propositum*, inquit, *vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam Legem, sive per Evangelicam prædicationem vocari: ut & qui voluerint, fiant filii Dei, & inexcusabiles sint, qui Fideles esse noluerint; quia justitia Dei in eò sit, ut qui non crediderint, pereant: bonitas in eò appareat, si neminem repellat à vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et in Carmine de Ingratis cap. 10.

Gratiam Christi omnibus præsto esse asserebant Semipelagiani. Quo sensu id reprehensum à Patribus.

Gratia quâ Christi populus sumus; hoc cohibetur
Limite vobiscum, formamque hanc adscribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum,
Sed propriò quemque arbitriò parere vocanti:
Judicioque suo motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli.

Et infra:

Dic unde probes quòd gratia Christi
Nullum omninò hominum de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam,
Impertire velit.

Non in eo tamen Semipelagiani hæretici fuerunt, quòd gratiam generalem, quam Theologi de Schola sufficientem vocare solent, omnibus hominibus absque ullâ exceptione præsto esse assererent; sed quòd illam ad initium boni Operis vel Fidei non requiri, pugnaciter defenderent: & quòd non aliam gratiam discretivam hominum sibi asserendam esse crederent, præter quasdam integræ naturæ reliquias: in hoc, inquam, erant Hæretici, quòd discretionem hominum solâ voluntate Dei non fieri, sed naturali libertate, sub gratia tamen constituta, mentem quidem illuminante, non movente voluntatem, contenderent: & tam verè dici, *Fidelem ideò obedisse, & devotum fuisse quia voluit*, quàm verè dicitur *Prævaricatorem ideò non obedisse, quia noluit, parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere: & quantùm ad malum, tantùm habere facultatis ad bonum:* Ita ut *bona appetentem gratia Dei foveat; mala sectantem damnatio justa suscipiat.* Ita hunc Semipelagianorum errorem explicat S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum. Et in Carmine de Ingratis cap. 15. ubi Semipelagianos suam de gratia sententiam exponentes induxit, hæc habet:

Semipelagiani non in eo Hæretici, quòd gratiam sufficientem omnibus hominibus dari assererent.

Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas?
Hæc sincera fides? hæc Christi gratia tecum est;
Cujus opus fixò distinctum limite totum
Extra hominem statuis, clausâ penitus fore mentis?
Vixque Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris animus dijudicet intus,
Seque ferat quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrii: veluti cùm voce loquentis,
Aut rerum aliarum species quas vidimus, aut quas
Legimus: exoritur secretâ cordis in aulâ,
Nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira, dolorque
Nec tamen hos motus Scriptor, Narrator, & Autor
Insevêre animo: quamvis fortè hoc quoque vellent.

Et Cap. 20.

Quærere, pulsare, & petere proprium omnibus esse
Asseritis, qui se studeant aptare vocanti.

Et infrà:

An verò auxilium verbò Deus inchoat, & se
Voce Ministrorum mundo declarat in omni:
Ut pulsante aures sermone, electa voluntas
Judiciò præcurrat opem, nec gratia jam sit
Gratia; quæ Legis fungens vice, jure monentis
Solùm agat: atque agro cum Plantatore ministret;
Terrâque seminibus det, non Deus incrementum?

Ex quâ Semipelagianorum doctrinâ consequens esse ait S. Prosper, peccatum primi Parentis nullum libero arbitrio vulnus inflixisse, & tantas esse ejus vires, quantæ erant in primo Homine.

Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato geniti in corpore mortis;
Quale habuit nondum peccati Lege subactus
Primus Homo; & nullum in prolem de vulnere vulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem;
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatque suam substantia mentis
Splendorem, & nulla pœnali nocte prematur.

De gratia illa generali à Semipelagianis vindicata rursus loquitur S. Prosper cap. 34. eamque propriis caracteribus describit.

Vos soli ingrati, quos urit gratia, cujus
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro;
Et quòd non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Ut tam ex judicio constet cujusque quod intrat,
Quàm quòd non intrat: seu par in utrumque facultas
Suppetat: & tam sit proprium bona, quàm mala
velle.

VI. Nullam esse electorum vocationem secundùm propositum contendebant Semipelagiani, & prædestinationem gratuitam non esse. Præscivisse nempe Deum, quinam vocationi fidem & obsequium accommodaturi essent, & perseveraturi, & illos elegisse, alios verò reprobasse. Sic illos sensisse testatur S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum: *Qui credituri sunt, quive in ea Fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros prævidèrit.* Idem testatur Hilarius in Epistola ad S. Doctorem scripta: *De compendio*, inquit, *putant rationem reddi electorum, vel rejectorum, in eo quòd unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur.*

Semipelagianorum error circa prædestinationem.

Consequenter ad hanc assertionem statuebant, Deum in definienda hominum æternâ sorte, & aliis ad regnum prædestinandis, aliis reprobandis, agere ex notitia quadam conditionata meritorum, vel peccatorum, quæ licet nunquam extitura sint,

futura tamen auguretur aliquâ conditione positâ, cujus in electione suâ rationem habet. Caussam verò cur aliis populis Evangelium prædicaretur, alii verò prætermitterentur, ex Dei præscientiâ petendam asserebant, quâ illos credituros esse, non verò istos præviderit: idque ipsius S. Augustini testimoniis, in prioribus Operibus, probare se confidebant. Id constat ex SS. Prospero & Hilario in Epistolis laudatis. *In tantùm* (inquit S. Prosper) *quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura, quæ non sint futura, confingant, novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.*

Et infrà: *Prævisos aiunt à Domino credituros; & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora, ac Ministeria Magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum.* Hilarius verò de iisdem ita scribit: *Cùm autem dicitur eis, Quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur; vel nunc prædicetur, quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiâ esse divina, ut eô tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore sese probare testantur.... Ut est illud quod dixit Sanctitas tua in Quæstione contra Porphyrium, de tempore Christianæ Religionis: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Nitebantur etiam pluribus S. Augustini Sententiis in Expositione quarumdam Propositionum Epistolæ ad Romanos: *Non elegit Deus opera cujusquam in præscientiâ, quæ ipse donaturus est, sed Fidem elegit in præscientia: ut quem crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando, etiam æternam vitam consequeretur. Dicit enim Apostolus; Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus, nostrum est: quod autem operamur illius*, &c. (In eodem Opere.) *Quæ se acceptare & probare testantur* (inquit S. Prosper) *tanquam convenientia Evangelicæ veritati. Cæterùm præscientiam, & prædestinationem, vel propositum ad id valere contendunt, ut eos præscierit, vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri:*

Cùm verò parvulorum exemplis premebantur Semipelagiani, qui nulla merita habent, quorum intuitu prædestinentur in Regnum Dei, nulla demerita, excepto originali peccato, quibus ad mortem æternam damnentur: Deum præscire illa merita quæ habituri erant, si vixissent, eorumque rationem habere, reponebant. Hunc turpissimum Semipelagianorum errorem ita refert S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum. *Cùmque*, inquit, *inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique, excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi Hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur; ut ante discretionem boni ac mali, de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cœlestis regni assumantur hæredes: alii sine Baptismo, inter mortis perpetuæ transeant debitores; Tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit.*

Cum Semipelagianis non tenentur Theologi qui prædestinationem ad gloriam intuitu meritorum fieri docent & scientiam mediam in Deo propugnant.

Cavendum tamen ne recentioribus quibusdam Theologis, qui prædestinationem Electorum ad gloriam intuitu meritorum à Deo fieri contendunt, & scientiam quamdam mediam propugnant, Semipelagiani erroris nota inuratur, quòd imprudenter & temerè novi quidam Autores fecerunt vel Semipelagianorum dogmatum ignari, vel studio partium in transversum acti. Magnum enim est quantùm ad hoc utrumque dogma inter Semipelagianos, & Theologos illos discrimen. Nullam enim verò prædestinationem gratuitam Semipelagiani admittebant, nedum ad gloriam, sed nec ad gratiam: electionem scilicet ad gloriam meritis Operum tribuebant, electionem ad gratiam merito Fidei, de qua dici non posset: *Quid habes quod non accepisti? Utpotè quæ in eadem natura remanserit, licet vitiatâ, quâ priùs sana ac perfecta donata sit:* ut refert Hilarius ad S. Augustinum scribens. Quæ Semipelagianorum sententia erat hæretica. Theologi verò laudati, prædestinationem ad gratiam omnino gratuitam profitentur. Solam electionem ad gloriam intuitu meritorum fieri volunt. Quod mihi quidem à S. Augustini & S. Thomæ doctrinâ penitus alienum videtur: Non tamen aliquâ censura notandum. Quod spectat scientiam illam, quæ media nuncupatur, non in hoc fuerunt hæretici Semipelagiani, quòd eam admiserint ac propognaverint; sed quòd ex præscientiâ meritorum, vel peccatorum, quæ nusquam essent futura, Deum hominum sortes definire assererent, & alios prædestinare ad gloriam, alios damnare ad pœnam: idque etiam locum habere in parvulis. At recentiores illi Theologi, de quibus agimus, longè sunt ab istius erroris flagitio: quod enim propugnant scientiæ mediæ genus, circa merita vel peccata; sub conditione quæ nusquam ponenda sit futura non ita versatur, ut Deus in prædestinationis & reprobationis negotio rationem eorum aliquam habeat. Illam quidem sententiam ex Sancti Augustini doctrina non operosè refelli existimo; ipsam sentio à veritate alienam: sed quæ tamen salvâ religione in utramque partem impunè ventilari possit.

Semipelagiani asserebant prædestinationem indeficientem non esse: & quæ à S. Augustino Dis... prædicabatur, fatalem necessitatem afferre.

VII. Non esse prædestinatorum certum numerum asserebant Semipelagiani, sed in hunc ordinem quosdam in dies adlegi, quosdam ex eo expungi. Prædestinationem gratuitam, efficacem, & ineluctabilem, fato esse simillimam; negligentiæ, ac torporis, imò & desperationis præbere occasionem effutientes. Ita referunt Prosper & Hilarius in Epistola ad S. Augustinum. *Hoc autem propositum vocationis Dei* (inquit S. Prosper) *quo vel ante mundi initium, vel in ipsâ conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundùm quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre: eò quod utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere. Quoquò enim modò se gesserint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem. Cùm, si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem: aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud esse possit, quàm factus est.*

Et infra: *Divino adscribere operi Sanctorum merita formidant; nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant: ac superflua sit industria ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari, si se sciat suâ diligentiâ bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam*

juvandam, si quod Deus mandat, elegerit. Nec hoc timendum esse (inquit Hilarius) *quòd quidam eo invito perire dicantur: sed quomodo aiunt, non vult à quoquam peccari, vel deseri justitiam, & tamen jugiter illa deseritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata: ita eum salvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines salvari.*

Semipelagianorum error circa donum Perseverantiæ.

VIII. Perseverantiam singulare Dei donum ac gratiam esse negabant Semipelagiani. In potestate enim esse cujusque affirmabant, ut si velit, perseveret; talem non dari perseverantiam, à quâ deficere nemo possit: alioqui adhortationem & correptionem fore inutiles. De his ita refert Hilarius ad S. Augustinum: *Quod autem dixit Sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute perceptâ, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur: quod ad hoc tantùm liberum asserunt, ut velit, vel nolit admittere medicinam.... Nolunt autem ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis, quantùm putant, ad obtinendum, vel amittendum, evidens est qualecumque initium voluntatis.... Nec cuiquam talem dari perseverantiam, à quâ non permittatur prævaricari, sed à quâ possit suâ voluntate deficere, & infirmari. Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare.*

Hunc, circa perseverantiam, Semipelagianorum errorem ita describit S. Prosper in Carmine de Ingratis.

Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant, finem effectûmque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor, & variarum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas:
Sponte aliquos vitiis succumbere, qui potuissent
A lapsu revocare pedem, stabilésque manere.

IX. Semipelagiani in hoc naturæ nostræ statu non aliam Sanctis gratiam dari ad perseverandum statuebant, quàm quæ Adamo collata fuerit. De hac ipsorum sententiâ Hilarius ad S. Augustinum ita scribit: *Deinde molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo Homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non quâ fieret ut perseveraret, sed sine quâ per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur: sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, quamdam desperationem hominibus exhiberi...., Unde in hoc solò volunt a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine quâ perseverare non poterat: hos autem amissis & perditis viribus credentes, non solùm erigat prostratos, verùm etiam suffulciat ambulantes.*

X. S. Augustini de Prædestinatione & Perseverantiæ dono doctrinam, prædicandam non esse contendebant, quòd cederet in offensionem plurimorum. Sententiam ipsius esse novam, & vel hoc uno nomine silentio premendam. Quâ de re sic ad augustum Doctorem scribit S. Prosper: *Obstinationem suam vetustate defendunt; & ea quæ de Epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ Gratiæ præ euntis Electorum merita referuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant. Cùmque ut ipsi ea exponant, secundum quorum velint sensa deposcimus; nihil se profitentur invenisse quod placeat; & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit. Eò postremò pervicacia tota descendit, ut fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse definiant, ac sic, etiam si vera sit, non promendam: quia & perniciosè non recipienda tractantur; & nullò periculò, quæ intelligi nequeant, conticeantur.*

Denique Semipelagiani Sapientiæ librum non recipiebant ut Canonicum. Quâ de re Hilarius ad S. Augustinum ita scribit: *Illud etiam testimonium quod posuisti: Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, tanquam non Canonicum definiunt omittendum.* Hunc librum inter Canonicos numeraverant Concilii Carthaginensis III. Patres. Numeraverat & Innocentius I. in Epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum; V. Salomonis libros Canonicos esse asserentes: sed cùm eorum sententiam, qui aliquem ex his libris expungebant ex Canone, anathemate non damnassent: & S. Hieronymus librum Sapientiæ *Ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam* non valere scripsisset Præfatione in libros Salomonis, integrum sibi esse putabant Massilienses librum illum ut Canonicum non recipere.

Semipelagiani Sapientiæ librum ut Canonicum non recipiebant.

ARTICULUS IX.

De Semipelagianorum existimatione apud Patres: & de tempore quô eorum error Hæresis haberi cœpit ab Ecclesia.

INsignes illi Galliarum Presbyteri vel Antistites, qui à Sancto Augustino circa Prædestinationem, & perseverantiam, fideique initium pertinaciter dissenserunt, habiti non sunt ut hæretici: Nec eorum error ante Synodum Arausicanam II. sub Felice IV. celebratam anno 529. hæreseos nomine universim infamatus est. De ipsis honorificè locuti sunt S. Augustinus & S. Prosper. Ipsos *Fratres & Dilectores suos*, & *Pelagianæ Hæreseos impugnatores* S. Augustinus vocat Lib. de Dono Perseverantiæ, cap. ultimo. *Hoc*, inquit, *Pelagianis optamus ut habeant: istis autem nostris, ut plenius habeant.... Oremus ut Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximéque Fratribus & Dilectoribus nostris, intelligere & confiteri, post ingentem & ineffabilem ruinam, quâ in uno omnes cecidimus, neminem nisi gratiâ Dei liberari.* Et lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 1. *Consideratis literis vestris, videre mihi videor eos Fratres pro quibus geritis piam curam, ut teneant Poëticam sententiam quâ dictum est? Spes sibi quisque, &c. Adhuc quippe in quæstione caligant de Prædestinatione Sanctorum.* Et cap. 14. *Quocirca non debent Fratres nostri, qui nobiscum pro Catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantùm favere opinioni, &c.*

Sanctus verò Prosper lib. contra Collatorem, cap. 33. eosdem *Catholicos* vocat. *Quis hæc*, inquit, *prædicari a Catholicis inter Catholicos crederet, nisi ea quæ in colluctationibus domesticis sæpè defensa sunt, etiam scripta legerentur?* In Epistola ad S. Augustinum ipsos *Sanctos* appellat. *Quicquid etiam*, inquit, *in Libris contra Julianum, ab ipso sub hac quæstione objectum, potentissimè debellasti, hoc totum ab istis Sanctis intentiosissimè conclamatur.* Ibidem ipsos ob Ecclesiasticos honores, & vitæ sanctitatem maximæ auctoritatis fuisse testatur. *Possumus quidem*, inquit, *ad credendum esse constantes sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares; quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo Sacerdotii honore supereminent, nec facile quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores tantis Superiorum disputationibus ausus est contraire.*

Idem libro contra Collatorem c. 1. licet Semipelagianos calumniatores vocet, quòd S. Augustini

doctrinæ erroris notam affingerent, multa tamen in eorum laudem effundit, & inter alia, ipsos *Concorporales* suos, & *participes gratia Christi* vocat. *Gratiam Dei*, inquit, *qua Christiani sumus, quidam dicere audent à sancta memoria Augustino Episcopo non rectè esse defensam; librósque ejus contra errorem Pelagianorum conditos immoderatis calumniis impetere non quiescunt: quorum intus interstrepens domestica malignitas non minùs spernenda esset, quàm foris latrans hæretica loquacitas, nisi ejectis extra ovile Dominicum lupis sub nomine ovium suffragarentur, essentque hujusmodi ut ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda esse videantur. Siquidem habentes speciem pietatis in studio cujus virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos.*

Et infra: *Nec enim, cùm sint bonæ opinionis viri, credantur ullo modò tarditate intelligentiæ, aut temeritate judicii, in superflua querela conclamationem potuisse prorumpere, & non potiùs magno ingenio ac vehementi studio laborasse, ut subtilissimi Tractatoris disputationibus comprehensis, censura nunc districtior, & inspectio sagacior inveniret, quod antea securus favor, & benignitas incuriosa non viderat.*

Et infra: *Viginti ampliùs annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat & vincit. Vincit, dico, quia non patitur respirare quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum Sacerdotum manu sententiam scripsit. Pulsi Pontificio, & Communione privati, querantur quasi de felicitate nostra victoriæ, & arment linguas suas, quia exulare à veritate, quam cives esse Ecclesiæ maluerunt. Nobis autem Concorporales, & participes gratiæ Christi cur de his armis quibus communis fides est defensata, causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent? Tantáque insolentiâ damnati foveantur errores, ut Auctores nostri pulsentur & Judices? An verò ita se novorum Censorum norma exactior temperavit, ut nulla eorum, quæ excisa sunt, asserat, quædam ex his quæ defensa sunt, respuat? Ecce salvâ Catholicæ pacis victoriâ, salvâ indissolubilium reverentiâ Decretorum, parati sumus Patronos doctrinæ emendationis audire, & circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituatur in medio quid de novis emerserit ingeniis.*

Et in ejusdem Libri peroratione, intestinum bellum vocat, quod à Semipelagianis motum est, eosque ab Ecclesia divisos non fuisse asserit. *Sufficienter*, inquit, *demonstratum est, reprehensores S. Augustini & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere, peremptoriumque armis intestina bella moventes, divinis atque humanis Constitutionibus rebellare. Quorum tamen dum adhuc non sunt à fraternâ societate divisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio, donec Dominus per Ecclesiæ Principes & legitimos Judiciorum suorum Ministros, hæc quæ per paucorum superbiam, & quorumdam imperitiam sunt turbata, componat.*

Denique Autor Appendicis Epistolæ Cælestini I. ad Episcopos Galliarum, testatur Semipelagianos, in quos acerrimè invehitur, Pelagianam Hæresim exhorruisse, Sedis Apostolicæ contra illam, ejusque defensores Decreta suscepisse, Catholico nomine gavisos fuisse: sed S. Augustino fuisse oblocutos, quasi necessarium modum in disputationibus de Gratia & de Prædestinatione Sanctorum excessisset. *Quia*, inquit, *nonnulli qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demorantes, piissimis Disputatoribus obviare præsumunt; & cùm Pelagium atque Cælestium anathematizare non dubitent; Magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eáque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissima B. Petri Apostoli Sedes contra Inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit & docuit: &c.*

Cujus sint Collectio Auctoritatum de Gratia & Libero Arbitrio adnexa Epistolæ Cælestini I. ad Gallos Episcopos?

Appendix illa Epistolæ Cælestini inscribitur, *Præteritorum Sedis Apostolicæ Episcoporum Auctoritates de Gratia Dei & Libero voluntatis arbitrio.* Auctoritates illæ, Decreta, sive Capitula, sub Cælestini Pontificis nomine laudata sunt à Petro Diacono, & aliis qui in causa fidei ex Oriente Romam missi sunt, Libro *De Incarnatione & Gratia D. N. Jesu Christi* ad S. Fulgentium, cap. ultimo; à Cresconio Episcopo Africano in Collectione Canonum adornatâ circa Annum Christi 690. à Floro Magistro, Ecclesiæ Lugdunensis nomine scribente contra Joannem Scotum Erigenam, ab Hincmaro Remensi, lib. de Prædestinatione c. 22. à Lupo Ferrariensi in Collectaneis, Quæst. 2. Ab Ecclesia Lugdunensi, lib. de tenenda veritate Scripturæ; à Dionysio Exiguo; ab Ivone Carnotensi, & aliis. Ea tamen Capitula, tot licet contradicentibus testibus, Cælestini esse negant Viri Doctissimi Joannes Vuendelstinus, Crabbius, Surius, Nicolinus, Sirmondus, Vossius, & nuperus Operum S. Leonis Editor P. Quenellius, qui hanc sententiam non spernendis fulcit conjecturis, Dissertatione III. Gravissima omnium est, quòd si Cælestini essent, & ab eodem Epistolæ suæ ad Gallos subjecta, quomodò circumferuntur, aliquam proculdubio eorum mentionem ipse habuisset. Non etiam hanc Epistolæ apposuisset clausulam: *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi*: quæ finem Epistolæ demonstrat. Hoc autem Scriptum S. Leoni tribuit Vir Eruditus, cujus & sub nomine illud primus omnium ac solus vulgavit. Hanc singularem sententiam suam probat & rerum & vocum similitudine cum iis, quæ in libris de Vocatione Gentium occurrunt, quos pariter asserit S. Leoni. Putat ab ipso Editum hoc Opusculum, cùm Archidiaconi fungeretur officio sub Cælestino Papa, cujus mandato ex scriniis Sedis Apostolicæ hæc Capitula deprompserit, eorúmque memorialem Indiculum contexuerit, quem tradiderit Prospero in Gallias revertenti; ut illi ad refellendas Massiliensium Objectiones usui esset. Rectius de his Capitulis sensisse mihi videtur Vossius lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. 30. cùm illa partim Cælestini, partim Gallorum S. Augustini Discipulorum esse conjecit: quia videlicet ab his collecta, oblatáque Cælestino, hujus nomine & auctoritate postea vulgata sunt. Et sanè Prosperum hujus compilationis Autorem indicat affinitas illius cum libro contra Collatorem, in quô Prosper easdem penè auctoritates adducit, Innocentii scilicet, & Zosimi Pontificum, nec non Africanarum Synodorum. Aliunde Cælestino ista Capitula tribuunt Antiqui, quorum hac in re maxima est auctoritas, præsertim Petri Diaconi, Cresconii, & Dionysii Exigui. Quamobrem illa Prospero & Cælestino post Vossium tribuenda existimo, quòd ab illo collecta, ab isto verò auctoritate Apostolicâ approbata & confirmata sint. Id asserere malim quàm illa S. Leoni tribuere absque ullius Codicis MS. auctoritate, absque ullius Auctoris testimonio.

Ut ut sit, certum est Semipelagianos tunc Catholico nomine exornatos fuisse, Pelagianam illos Hæresim anathemati devovisse, Sedis Apostolicæ contra illam Decreta fuisse complexos, Romanis Pontificibus, & Ecclesiæ universæ Communione conjunctos fuisse; & Cælestini, Sixti, & Leonis tempore, imò & sequentium Pontificum usque ad Felicem IV. & Arausicanæ Synodi celebrationem, à Catholici nominis honore non excidisse, nec eorum sententiam fuisse hæreseos notâ ab Ecclesiâ inustam.

ARTICULUS

ARTICULUS X.

A quibus impugnati sint & damnati Semipelagiani?

Semipelagiani impugnati à S. Augustino.

I. Semipelagianos, de ipsorum erroribus per Prosperi & Hilarii Epistolas anno 429. certior factus S. Augustinus duobus Libris, eisdem Prospero & Hilario inscriptis confutavit, scilicet libro *De Prædestinatione Sanctorum* & *de Perseverantiæ dono*.

A Cælestino I.

II. Post S. Augustini obitum, urgentibus Prospero & Hilario, Cælestinus I. Romanus Pontifex Semipelagianorum audaciam coërcuit, & S. Augustini doctrinam adversùs eorum calumnias vindicavit, datâ ad Gallicanos Episcopos Epistolâ, anno 432.

A S. Prospero.

III. Anno Christi 433. viginti scilicet annis postquàm S. Augustinus sacrum adversùs Pelagianos bellum inceperat, S. Prosper Semipelagianos errores, quos Cassianus Collatione XIII. sub persona Cheremonis Abbatis orbi Christiano, & Gallis præsertim nostris propinaverat, edito *Contra Collatorem* libro confutavit. Duodecim Cassiani assertiones eô in Opere expenduntur, ac arguuntur; defenditur strenuè Catholica veritas, & S. Augustini doctrina, cujus *Reprehensores & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere, peremptoriisque armis intestinum bellum moventes, divinis atque humanis Constitutionibus rebellare* ostendit.

Primum istud non fuit Prosperi adversùs Semipelagianos Scriptum. Jam enim anno 429. eruditissimam contra ipsos Epistolam *ad Rufinum* scripserat, vivente adhuc S. Augustino. Rufinum illum cum Aquileiensi quidam imperitè confuderunt. Ille enim jam ante viginti annos in Sicilia obierat.

Vix Liber Prosperi *contra Collatorem* lucem aspexerat, cùm Semipelagiani quindecim Propositionum planè absurdarum & erronearum, velut à S. Augustino assertarum, Indiculum in vulgus sparserunt: *Ut tali commento & detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent: & ab his quæ infamassent, curam exterriti Lectoris averterent:* (inquit S. Prosper) Qui singulis Propositionibus calumniisque respondit, Opusculo quod inscripsit, *Responsiones ad Capitula Gallorum*.

Eodem fermè tempore contigit ut Camillus & Theodorus Genuenses Presbyteri, cùm difficultates quasdam in libris S. Augustini *de Prædestinatione Sanctorum* intelligendis paterentur, à S. Prospero Augustinianæ doctrinæ egregio Defensore insignique Interprete dubiorum suorum solutionem rogarent: quibus ille fecit satis, edito Opusculo quod inscripsit, *Ad Excerpta Genuensium Responsiones*.

Sub idem penè tempus Vincentius Lirinensis Indiculum sexdecim Propositionum blasphematum confecit, quas Augustinianæ doctrinæ Defensoribus affingebat, cùmque multis publicè privatimque legendum & cum aliis communicandum, ac in Provincias mittendum circumferebat. Hunc S. Prosper confutavit, ostenditque S. Augustini Discipulos ab impiis illis blasphemiisque opinionibus esse penitus alienos, Opusculo edito, quod inscripsit, *Ad Capitula Objectionum Vincentianarum Responsiones*.

De horum librorum Authore agemus Interiùs. cap de Scriptor. Ecclesiast.

IV. Semipelagianos impugnavit Author duorum librorum *de Vocatione Gentium*; * quem S. Prosperum plures putarunt. Alium à Prospero esse modò ferè consentiunt Viri Eruditi. S. Leoni vindicat P. Quenellius.

A Gelasio Papa.

V. Anno Christi 494. Gelasius Papa in Synodo Romana Cassiani, Faustique libros damnavit, Sanctorum verò Augustini & Prosperi Opera commendavit.

A Monachis Scythis.

VI. Anno Christi 520. Scythæ Monachi, quos inter Joannes Maxentius & Petrus Diaconus doctrinæ famâ eminebant, hanc propositionem, *Unus de Trinitate passus est carne*, acerrimè propugnaruint: quæ res maximarum turbarum sub Hormisdæ Pontificatu causa fuit: & Fausti Reiensis libros simul impugnarunt. Africanos Episcopos Trasamundi Vuandalorum Regis Ariani Edicto in Sardinia exules ut partibus suis illigarent, Libellum *De Incarnatione & Gratia* ad ipsos scripserunt, eorum suffragiis, si fidei consonus videretur, comprobandum. Cap. ultimo libros Fausti anathemate confodiunt. *Sanctorum Patrum*, inquiunt, *imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, & Cælestium, simúlque etiam Julianum Eclanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipuè libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirinensi provectus est, quos contra Prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est: in quibus non solùm contra horum omnium sanctorum Patrum, verùm etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium, atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos Sanctos non eâ gratiâ quâ & nos, secundùm quòd docet Beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate salvatos, impiè profitetur.*

Ab Africanis Episcopis in Sardinia exulibus.

Scythis Monachis Africani Præsules responderunt, eorum approbantes commendantésque fidem libro, quem *De Incarnatione & Gratia* pariter inscripserunt: In quô & Fausti errorem de initio fidei ex naturæ viribus refellunt, ipsius tamen tacito nomine.

Interim cùm Fausti libros Joannes Maxentius cum Sociis Monachis ut hæreticos damnaret, plurimi verò ipsos ut Catholicos defenderent, Possessor Africanus Episcopus, qui ex Ecclesia sua Trasamundi Edicto cum aliis Collegis expulsus, exul degebat Constantinopoli, quid illis de libris sentiret, rogatus est. Hic verò neutri parti adversùs alteram favere volens, Fausti libros nec Hæreticos, neque Catholicos asseruit, sed privatas sententias continentes, quæ tamen hæreseos notâ inurendæ non essent. Id constat ex ipsius Possessoris Epistola ad Hormisdam Pontificem.

Hormisdas Pontifex libris Fausti auctoritatem omnem in Ecclesia abrogavit.

VII. Hormisdas Fausti libros nullius in Ecclesia auctoritatis declaravit, in Epistola ad Possessorem. *Hi verò*, inquit, *quos vos de Fausti cujusdam Galli Antistitis dictis consuluisse literis indicastis, id sibi responsum habeant, neque illum, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ Fidei, aut Ecclesiasticæ Disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare.*

Perlatâ Constantinopolim Hormisdæ Epistolâ, Joannes Maxentius, tacitô Pontificis nomine, cujus & illam esse negavit, eam confutare stylo procaci aggressus est: in eáque inter alia reprehendit censuram de Fausti libris mitiorem, quòd scilicet eos auctoritate duntaxat destitueret, non ut hæreticos damnaret: quâ notâ illos esse inurendos Maxentius contendit.

Eosdem Africani Episcopi ut hæreticos damnarunt.

VIII. Anno Christi 522. libros Fausti ad Africanos Episcopos in Sardinia exules Scythæ Monachi transmiserunt, de illis ut sententiam dicerent. Hos ut hæreticos damnarunt Antistites Sanctissimi anno 523. & S. Fulgentio contra Fausti errores scribendi provinciam imposuerunt. Is Ruspensis Episcopus erat. Collegarum itaque precibus, & Synodi mandato morem gerens, libros septem *De Gratia & Libero Arbitrio*, contra duos Fausti elucubravit: quorum meminit cum laude S. Isidorus Hispalensis libro *De Illustribus Scriptoribus*, cap. 14. Eodem anno, Hilderici Regis, qui Trasamundo successerat, benignitate ab exilio revocati sunt Africani Episcopi, suásque in Ecclesias restituti. Redux in suam

Eos confutavit S. Fulgentius.

S. Fulgentius,

S. Fulgentius, tres libros *De Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, contra Fausti Sectatores conscripsit. De his S. Fulgentii lucubrationibus laudati Byzacenæ Provinciæ Episcopi, qui in Sardiniam deportati fuerant, in Synodica ad Scythas Monachos Epistola perhonorificè scribunt, his verbis: *Cæterum Unus ex nobis, in quantùm Dominus servis suis rectè gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos Fratres adversus Gratiam & Prædestinationem intimastis vel sentire, vel dicere, tribus libris vestro nomini dedicatis sufficienti disputatione respondit: Quique adversùs duos libros Fausti Galli septem libros edidit, quos cùm recensueritis, agnoscetis protinus, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit.*

Iidem impugnati à S. Cæsario.

IX. Semipelagianorum errores in Galliis impugnavit S. Cæsarius Arelatensis, qui ex Lirinensi Monasterio, in quo Vitam Religiosam sub Porchario Abbate, Fausti successore professus fuerat, ad regimen celebris Monasterii in Suburbana civitatis Arelatensis Insulâ constituti: ac deinde ad Arelatensem Episcopatum, post Æonii obitum assumptus est anno 503. & post quadraginta sacri Principatus annos diem obiit anno 543. die 27. Augusti, ut colligitur ex Messiano *, qui vitam ejus conscripsit. Edidit itaque Cæsarius librum *De Gratia & Libero Arbitrio*, quo Fausti libros egregiè confutavit, & S. Augustini doctrinam propugnavit, illustravitque. Quâ de re ipsi gratulatus est Ennodius Ticinensis his verbis: *Tibi debet quicunque ille Scriptorum Maximus, quòd eum dote elocutionis amplificas.* Lege caput 86. Catalogo Gennadii à nescio quo insertum.

* Apud Surium ad diem 27. Augusti.

Semipelagiani in Synodo Arausicana damnati.

X. Felicis III. Romani Pontificis auctoritatem contra Semipelagionos imploravit S. Cæsarius, quò eos penitus attereret. Transmisit ad ipsum Felix sententias de Gratia & Libero Arbitrio ex S. Augustini præcipuè libris collectas: quas Cæsarius in Synodo Arausicæ congregata protulit. Secundùm illas damnati sunt errores Semipelagianorum viginti quinque Canonibus. Celebrata est Arausicana * II. Synodus Decio Juniore Consule: cujus Magistratus in annum Christi 529. incidit. Errarunt proinde, qui sub Decii Importuni Consulatu, anno 509. coactam voluerunt. Congregandæ Synodo occasionem dedit solemnis Dedicatio Basilicæ Liberii V. C. Præfecti Prætorio munificentia extructæ.

* D'Orange.

Et in Valentina.

Nec Arausicanâ tantùm, sed etiam Valentinâ in Synodo Semipelagiana dogmata proscripta sunt. Hanc etiam indixit S. Cæsarius, sed ipsi interesse non potuit, adversâ valetudine prohibente. Illi verò præfuit Cyprianus Tolonensis Episcopus, ut refert Cyprianus alter S. Cæsarii Discipulus in ejus Vita.

Utraque illa Synodus à Bonifacio II. Pontif. Max. confirmata.

Utrámque Synodum Bonifacius II. Romanus Pontifex confirmavit, ut constat ex ipsius Epistola ad Cæsarium, cujus hæc sunt verba: *Indicat quòd aliqui Episcopi Galliarum, cùm cætera jam bona ex Dei acquieverint gratiâ provenire, Fidem tantum, quâ in Christum credimus, naturæ esse velint, non gratiæ, & hominibus, ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitriô remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri, postulans ut pro ambiguitate tollendâ, Confessionem vestram, quâ vos è diverso fidem rectam in Christo, totiúsque bonæ voluntatis initium, juxta Catholicam Veritatem, per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolicæ firmaremus.* Et ubi Dogma Catholicum de necessitate gratiæ ad ipsum initium fidei, à Patribus, & præsertim à S. Augustino probatum, & à Romanis Pontificibus Decessoribus suis assertum ac firmatum dixit, statim subdit: *Quod etiam Fraternitatem tuam habitâ Collatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta Fidem gaudemus sensisse Catholicam, in his scilicet, in quibus uno consensu definierunt, Fidem quâ in Christo credimus, gratiâ divinitatis præveniente conferri: adjicientes etiam, Nihil prorsus secundùm Deum boni, quod sine Dei gratiâ, aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro: Sine me nihil potestis facere.....Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam Confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum Regulis approbamus.* Data est hæc Bonifacii II. Epistola VIII. Calendas Februarii, Lampadio & Oreste Coss. id est, anno Christi 530. Scripserat ad Felicem III. S. Cæsarius, & Arausicanæ Synodi confirmationem ab eo rogaverat, sed mortuo interim Felice, Bonifacius II. Pontifex creatus, Cæsarii sibi amicissimi votis annuit, Synodum confirmavit, Semipelagianos ultimo ictu confodit.

S C H O L I O N.

In hoc Articulo, pag. 274. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Hormisdas Papa reprehensibilis est, quia mitiùs castigat hæreticum.*

R. Nequaquam ita scripsi, mea non est propositio. Sic ibi de *Joanne Maxentio* loquor: *Perlatâ Constantinopolim Hormisdæ Epistolâ, Joannes Maxentius, tacito Pontificis nomine, eam confutare Stylo procaci aggressus est: in eaque inter alia reprehendit censuram de Fausti libris mitiorem, quòd scilicet eos auctoritate duntaxat destituerет, non ut hæreticos damnaret.* Quod à *Joanne Maxentio* procaciter scriptum narro, id mihi Censores Iniquè Authores affingunt.

ARTICULUS XI.

De Prædestinatiana Hæresi.

PRædestinatianorum Hæresis anno Christi 417. emersit, si Prospero Tironi fides, in *Chronico* ad annum Honorii 23. ita scribenti: *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustini Libris malè intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa est.* Ejusdem hæreseos meminit Faustus in Præfatione librorum suorum *De Libero Arbitrio* ad Leontium Arelatensem Episcopum. *Quod pro sollicitudine*, inquit, *Pastorali, Beate Papa Leonti, in condemnando Prædestinationis errore Concilium Summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quod verò ad ordinanda ea, quæ Collatione publicâ doctissimè protulistis, operam infirmis humeris, curámque mandastis, parum ut vror tanto negotio, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis onerastis.* Ejusdem hæreseos meminerunt Author *Prædestinati* à Sirmondo editus, Arnobius Junior in expositione Psalterii, Gennadius Massiliensis in Catalogi Augustiniani de Hæresibus Appendice, Ennodius Ticinensis Epistola ad Constantium, in quâ tacito nomine quemdam refellit, qui asserebat, *Liberum Arbitrium homini deteriorem tantùm in partem datum.* (Quod unum erat ex capitibus Prædestinatianæ hæreseos) Sigebertus Gemblacensis Monachus ad annum Christi 415. ita scribens: *Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere; qui ideo Prædestinati vocantur: quia de Prædestinatione & divinâ Gratia disputantes, asserebant quòd nec piè viventibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obsit quòd improbè vivant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam: quæ assertio & bonos à bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc Hæresis ex libris Augustini malè intellectis initium sumpsisse dicitur.* Meminit ejusdem Hincmarus *Lib. de Prædestinatione cap.* 1. & deinceps,

deinceps, Hæresim illam à Gotteschalco instauratam refellens.

Lucidus Presbyter Prædestinatianus.

In Prædestinatianorum Hæresim lapsus est Lucidus Presbyter, cujus cùm errores innotuissent, Faustus Reiensis Episcopus Epistolam ad ipsum dedit, ut eum ad Catholicæ Veritatis professionem revocaret: in qua sic præfatur: *Grandis caritas est cauti fratris errorem per Dei adjutorium & gratiam magis velle curare, quàm sicut Summi Antistites meditantur, ab unitate suspendere.* Explorati utique erant Gallicanis Episcopis Lucidi errores, qui eum anathemate percellere meditabantur, sed Faustus sibi meliora de illo promittens, atque ejusdem corrigendi sibi onus assumens, Patrum sententiam suspenderat. Sex illi pravi dogmatis capita damnanda proposuit, ex quibus discimus in quo posita esset Prædestinatiana Hæresis. Proposuit, inquam, non propria auctoritate, sed ex Concilii Arelatensis à Leontio congregati Decreto, ut constat ex Libello Lucidi ad Gallicanos Antistites transmisso. *Proinde*, inquit, *juxta prædicandi Statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum qui dicit, 1. Laborem humanæ obedientiæ divinæ gratiæ non esse jungendum. 2. Qui dicit, post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. 3. Qui dicit, quòd Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit. 4. Qui dicit, quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem; vel quòd Dei pereant voluntate, qui pereunt. 5. Qui dicit, quòd post acceptum legitimè baptismum, in Adam moriatur quicunque deliquerit. 6. Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.*

Prædestinatianorum errores.

Epistola Fausti ad Lucidum, quâ damnandorum errorum formula præscribitur, à Concilio Arelatensi approbata est, ut Faustus testatur, cui deinde Leontius & Synodus Lugduoensis contra Prædestinatianos scribendi provinciam imposuerunt. *In quo quidem Opusculo* (inquit in Præfatione ad Leontium) *post Arelatensis Concilii subscriptionem novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.*

Synodus Arelatensis, & Synodus Lugdunensis contra Prædestinatianos.

Ex his liquet, duas in causa Prædestinatianorum celebratas Synodos, primam Arelate, Lugduni alteram. Circa annum 475. habitas fuisse probabilius est. Tunc enim Patiens Lugdunensis Episcopus, Mamertus Viennensis, Leontius Arelatensis, Græcus Massiliensis, aliique celebres Antistites, quorum in epigraphe Libelli Lucidi, nomina leguntur, florebant.

Quominus in Concilio Arelatensi subscripta fuerit Fausti Epistola, obesse videtur, quòd Leontius Episcopus Arelatensis totius consessûs Præses eidem non subscripserit. Sed facile fuit ut Leontii subscriptio excideret, neque hujus subscriptionis defectus præponi debet Fausti ipsius testimonio asserentis Epistolam suam in Arelatensi Concilio fuisse Episcoporum subscriptionibus munitam & comprobatam.

Prædestinatianorum errores paulò aliter Gennadius refert, quàm in Epistola Fausti ad Lucidum, & in Lucidi Libello exponantur. *Prædestinatiani sunt*, inquit, *qui dicunt, quòd Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus. 2. Quòd etsi generali prædicatione dicat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; non tamen omnes eâ voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem. 3. Sed nec omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores & justitiæ fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono. 4. Et è contrario illos, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur accepturos occasionem, quâ & credant in Deum, & secundùm Dei præceptum vivant, ut possideant societatem Justorum. 5. Tali definitione id docere student, quòd Deus personas hominum accipiat. 6. Quòd alios etiam invitos, post multa mala opera, attrahat ad salutem; alios post bona opera rejiciat, & compellat in malum, quò pereant in æternum.*

An Hæresis Prædestinatiana olim extiterit?

Prædestinatianam Hæresim sic expositam, nullam unquam fuisse, quidam propugnant, sed Prædestinatianorum nomine S. Augustini Discipulos invidiosè traductos fuisse. Ita Jansenius Yprensis Episcopus, & ejus Apologistæ, Usserius, Gilbertus Mauguinus *in Prædestinatiana Fabula confutatione*, Cabassutius *in Conciliorum Notitia*: Contensonius *in Theologia Mentis & Cordis*, *lib.* 8. Stant ex adversa parte Baronius Cardinalis, & ejus Abbreviator Spondanus, Alvares noster, doctissimus P. Sirmondus, & alii. Hæc postrema sententia videtur probabilior, quam Dissertatione singulari stabiliemus.

ARTICULUS XII.

De Nestorio, & ejus Hæresi.

§. I.

De Nestorii persona, patria, Præceptoribus, ac moribus.

NEstorius Germanicia Syriæ oppidulò oriundus, Monasticam vitam in Laura S. Euprepii, propè Antiochiam professus est: quô in genere vitæ socios habuit Joannem & Theodoretum. Antiochenæ deinde Ecclesiæ Presbyter factus; mortuo Sisinnio Constantinopolitano Episcopo, cùm Clerus divisus esset in partes, & alii Proclum, alii Philippum Presbyterum ad illius regimen Ecclesiæ promovere studiis omnibus conarentur, Theodosius Imperator ex Antiochenæ civitatis Presbyterio Nestorium evocavit, virum eloquentiæ doctrinæque opinione celebrem. Ipsum Pauli Samosateni nepotem vocat Suidas, non quòd eodem genere oriundus esset, sed ob consanguinitatem doctrinæ. Præceptorem habuit Theodorum Mopsuestenum, à quo de Incarnatione Verbi malè sentire didicit. Sanctitatis speciem affectabat, cui fidem conciliabat pallor vultûs maciesque corporis, indices abstinentiæ, cogitabunda frontis gravitas, & modesta quædam tristitia, pulla vestis, solitudinis & librorum amor. Constantinopolim advenit Tauro & Felice Coss. anno Christi 427. ibique ordinatus est 4. Idus Aprilis. Statim post inaugurationem suam, cùm orationem ad Imperatorem haberet, in eas voces erupit: *Tribue mihi, Imperator, terram Hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum tribuam. Tu mihi in profligandis Hæreticis subveni: & ego tibi in profligandis Persis subveniam.* Quibus vocibus, inquit Socrates, visus est non tam zelum fidei quàm animi intempestivam audaciam, & inanis gloriæ cupiditatem prodidisse. Arianos, Macedonianos, Quartodecimanos insectatus est, omnibusque hæresibus bellum indixit, ut uni suæ hæresi aditum patefaceret, inquit Vincentius Lirinensis. Author fuit Theodosio ferendæ adversùs omnes Hæreticos Legis, ad Florentium Præfectum Prætorio directæ. Cùm Arianorum Templum demoliendum curaret, ipseque faces præ iræ impotentiâ in tectum injecisset, ignis vicinas ædes corripuit, incendiique periculum creavit Urbi Regiæ. Unde commotus populus, ipsi incendiarii nomen indidit. Lege Theodoretum in Epistola ad Sporadium, Socratem lib. 7. cap. 29. Evagrium lib. 1. cap. 2. & Liberatum Diaconum in Breviario cap. 4. Hanc primùm famæ suæ maculam aspersit Nesto-

rius, quòd Pelagianos foverit, ut colligitur ex Epistola Cælestini Romani Pontificis ad ipsum data, qua Nestorii Epistolæ in gratiam Pelagianorum Constantinopoli degentium ad se scriptæ respondit.

§. II.

De erroribus Nestorii, & ipsius Hæreseos exordio.

IPso suæ Ordinationis anno primo, Nestorius novam hæresim molitus est, ut ex Lucentii Chronico liberatus refert. Hujus palmares errores duo. Primus, Hominem in utero Virginis formatum alium esse ab unigenito Dei Verbo, & Incarnationem esse meram inhabitationem Dei Verbi in homine velut in suo Templo, adeóque Deum non esse natum, passum & mortuum; nec Christum esse Deum, sed Templum duntaxat Dei. Alter ejus error erat, quòd Beatissimam Virginem Mariam *Θεοτόκον*, *Deiparam*, esse negaret, & *χριστοτόκον* ac *ἀνθρωποτόκον* dicendam potiùs assereret. Id constat ex Nestorii Sermonibus, Epistolis, & Anathematismis, quos S. Cyrilli Capitulis opposuit: ex Anathematismis & libris ipsius S. Cyrilli adversùs Nestorium, ex Actis Ephesinæ Synodi, ex Mario Mercatore, Theodoreto lib. 4. Hæreticarum Fabularum, Socrate, Evagrio, Liberato, Cassiano, Vincentio Lirinensi, S. Leone, Facundo Hermianensi, Leontio in libro de Sectis, &c.

Blasphemiarum præcones adhibuit Dorotheum quemdam Episcopum, & Anastasium Presbyterum, qui anathema in eos, qui Beatissimam Virginem Mariam Deiparam dicerent, in Ecclesia sedente ac probante Nestorio impudentissimè inclamaverunt, ut referunt S. Cyrillus in Epistola ad Acacium Berœensem, Socrates, Evagrius, & Liberatus locis laudatis. Omnibus ad impias voces cohorrescentibus, simplex quidam Monachus palam contradixit, & Anastasium velut hæreticum ab Ecclesiæ ingressu arcere conatus est. Sed Vir Sanctus Nestorii oppressus potentiâ, flagris publicè cæsus est, & missus in exilium, ut testantur Monachi Constantinopolitani in Supplicatione Imperatorii oblatâ, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini c. 30. Mox à Synaxibus abstinere cœperunt Monachi, Senatusque & populi Constantinopolitani maxima pars, ne se Nestorii communione polluerent, ut testatur S. Cyrillus in Epistola ad Celestinum I, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 14.

Non multò post, Nestorio nefariæ hæreseos venenum in Concionibus spargente, Eusebius causarum Patronus, eximium animosæ in defendenda fide fortitudinis specimen dedit, Contestatione in Nestorium publicè propositâ, tanquam impia Pauli Samosateni dogmata renovantem, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 13. Tunc & Presbyteri in Ecclesia quæ *Irene Maritima* dicebatur, Concionibus dogma hæreticum arguere cœperunt, sed frendentis Episcopi minis & auctoritate silere jussi. Unde accidit, ut populus usitatam fidei prædicationem requirens publicè inclamaret: *Imperatorem habemus, Episcopum non habemus.* Id referunt Basilius & Monachi, in Supplicatione, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 30.

Anno Christi 429. Proclus qui à Sisinnio Cyzicenorum Episcopus ordinatus fuerat, in Maximo omnium Ordinum cœtu, admirabilem pro Virgine Deipara Orationem habuit contra Nestorium, die 29. Martii. Cui continuo contradixit Nestorius extemporali Oratione, & tribus exinde Sermonibus.

Interim, quò latiùs spargeret hæresim, primum suum *de Incarnatione* Tractatum, aliasque Homilias, in Ægyptum misit per fidos homines: ex quo necessitas imposita est S. Cyrillo, ut obviam iret malo, scribendi Epistolam ad Monachos, ut testatur ipse ad Celestinum Papam scribens. Extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 2. Hæc Epistola Nestorii exacerbavit animum, & Photium quemdam ipsi respondere jussit. Accusatores præterea subornavit, qui oblatis Theodosio Libellis Cyrillum turbarum, & penè usurpatæ in Ægypto tyrannidis reum agerent, ut testatur S. ipse Cyrillus *in Apologia ad Theodosium.*

Eodem anno scripsit ad Nestorium S. Cyrillus, quem sibi succensere acceperat, propter Epistolam ad Ægypti Monachos datam. Ac primò aliquatenus se excusat, ut Hæresiarcham lenitate suâ ad saniorem mentem revocare possit, ipsum deinde rogat in visceribus charitatis, ut errorem incautè forsan propalatum emendet, ac Beatam Virginem Deiparam vocare non gravetur. Extat hæc Epistola 1. p. Concilii Ephesini cap. 6. Rescripsit Nestorius alteram, frigidam omnino ac jejunam, quâ conquerebatur, quòd intemperantiùs ad se prior scripsisset. Hanc deferri curavit per Lamponem Presbyterum & Monachum. Extat ibidem cap. 7.

Post hæc Anastasius, impudentissimus ille Nestorianæ hæreseos præco, sese pacis studiosum simulavit, & eadem se cum Cyrillo sentire palam mentitus est, ut testatur Cyrillus ipse *in Epistola ad Clericos Constantinopolitanos*, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 12. Tunc temporis alteram ad Nestorium Epistolam dedit S. Cyrillus, quæ ibidem extat cap. 8. In ea conqueritur primò de calumniis ab eo sibi illatis. Secundò ipsum hortatur ut sectetur sanam doctrinam, legat & sequatur Sanctos Patres, nihil inter concionandum populo proponat, quod scandalum movere possit. Tertiò, suam circa Incarnationem Verbi divini Fidem exponit. Quid ad hæc Nestorius? Alteram & ipse reposuit ad Cyrillum Epistolam, superbiam & insolentiam Authoris redolentem. In ea monet Cyrillum ut attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Scribit quòd Cyrillus obiter tantùm legens Sanctorum Traditionem, inscitiam venia dignam hauserit: quòd arbitratus perperam fuerit Verbum Dei patibile ab illis traditum esse, Addit Virginem Mariam non *Deiparam*, sed *Christ param* appellandam esse.

Inter hæc, cùm Nestorius ad Celestinum Pontificem Maximum datâ semel & iterum Epistola, ipsius animum occupare tentasset, S. Cyrillus veritus ne Romano Pontifici imponeret vafer Hæresiarcha, ipsum de illius erroribus certiorem fecit, & de iis quæ in ipsum huc usque egerat. Extat Epistola 1. p. Concilii Ephesini cap. 14. Sic inscribitur: *Beatissimo, Deóque dilectissimo Patri Celestino in Domino salutem.* Alexandrinus Antistes, secundæ Sedis Episcopus, Romanum *Patrem* vocat, ob Primatûs utique reverentiam. Duo præterea in illa Epistola notanda veniunt. Primò quòd testetur Cyrillus hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut de emergentibus ubique terrarum Hæresibus ad Sedem Apostolicam referatur. *Vetus*, inquit, *Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res Sanctitati tuæ communicentur.* Secundò, quòd ait, se ausum non fuisse inconsulto Celestino, & inexpectata Sedis Apostolicæ Sententia, se à Nestorii communione subtrahere. *Non prius autem*, inquit, *illius communionem palam, apertéque deserimus, quàm hæc ipsa Pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hîc sentias præscribere: quò liquidò nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, Neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porro tuæ Integritatis mens, & super hâc re sententia,* pissimis

S. Cyrillus Alexandrinus Romani Pontificis primatum reveretur.

Causæ Fidei in Ecclesia etiam Orientali emergentes, ad Romanum Pontificem referendæ.

piissimis Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, necnon totius Orientis Antistitibus perspicuè per Literas exponi debet. Nam cupientibus illis animos dabimus, ut omnes unô animô in una sententia persistant, rectæque fidei, quæ jam impugnatur opem ferant. His etiam temporibus, S. Cyrillus scripsit libros *De recta in Christum Fide*, partim ad Theodosium Imperatorem, partim ad Reginas: qui extant 1. p. Concil. Ephes. quorum librorum & ipse meminit in Apologia ad Theodosium. Scripsit etiam ad Acacium Beroënsem, de causa Nestorii; ac Cyrillo subdolè respondit Acacius, ipsum ita laudans propter studium fidei, ut Nestorium tamen excusaret, tanquam solo verbo lapsum. Extat utriusque Epistola 1. p. Concilii Ephesini, cap. 22. & 23.

§. III.

Quid egerit in causa Nestorii, Celestinus I. cum Romana Synodo?

ACceptis Nestorii literis, & Quaternionibus apertam continentibus blasphemiam, necnon Cyrilli Alexandrini Epistolis, Celestinus Romæ Synodum habuit, Episcoporum qui vel tunc in Urbe reperti sunt, vel ex vicinia acciti, anno 430. sub initium Augusti. In eâ lata excommunicationis & depositionis Sententia est in Nestorium, nisi intra decimum à denuntiatione diem, errores suos *Apertâ & scripta confessione* damnaret. Restituti quoque sunt in Ecclesiæ communionem, qui propter fidem à Nestorio ejecti fuerant: confirmata Pelagianorum, quos Nestorius receperat, damnatio: scriptæ tandem ex Synodo 7. Epistolæ à Celestino Pontifice, Cyrillo scilicet, ut Sedis Apostolicæ vice fungeretur in causa Nestorii, ad sententiam contra eum latam executioni mandandam, providendúmque, Apostolicâ auctoritate, Ecclesiæ Constantinopolitanæ: Nestorio, ut ad sanam mentem rediret: Clero Constantinopolitano, ut constans in fide maneret, nec cederet persecutioni quam adversùs fidei vindices movebat Nestorius: Joanni Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Juvenali Hierosolymitano, Flaviano Philippensi, majorum Sedium Orientis Episcopis, ut strenuè causam fidei agerent. Extant 1. p. Concilii Ephesini. Lege Liberatum *in Breviario cap.* 5 Pontificias literas detulit Possidonius. His suas adjunxit S. Cyrillus ad Joannem Antiochenum, & ad Juvenalem Hierosolymorum Episcopum. Iis acceptis, Joannes Antiochenus Nestorium amicè monuit, ut Ecclesiæ totius offensionem confessione θεοτόκου tolleret, errorémque retractaret.

§. IV.

De Synodo Alexandrina contra Nestorium.

EOdem anno Christi 430. S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, Pontificiâ instructus auctoritate, ad Sententiæ in Nestorium latæ, nisi resipisceret, executionem, Concilium Alexandriæ ex universa Diœcesi Ægypti coëgit, die 3. Novembris. Inde Synodica missa est ad Nestorium, cum Celestini Pontificis Literis, per Legatos quatuor, scilicet Theopemptum, Danielem, Potamonem, & Macarium Episcopos. Extat Synodica, 1. p. Concilii Ephesini. cap. 28. Ea continet primò denuntiationem Sententiæ à Romano Pontifice contra Nestorium latæ. Secundò, Cyrillus, ac cæteri Patres ipsi significant, se cum omnibus tam Clericis, quàm Laicis, quos propter fidem communione vel ordine moverat, communicare. Tertiò, ut nedum Symbolum Nicænum profiteatur jubent, sed etiam ut nefaria dogmata sua publicè & scripto damnet. Quartò, fidei Professionem & expositionem subjiciunt. Quintò, expositioni fidei subnectunt Anathematismos duodecim editos à Cyrillo, quibus subscribere debeat Nestorius. In ea Synodica velim attendere Calvinistas ad insignem locum, quo realis Christi Corporis in Eucharistia præsentia, & incruentum Missæ Sacrificium asseruntur. *Quin & illud* (inquit S. Cyrillus & tota cum eo Synodus Ægypti) *non possum hoc loco non adjicere, nempe dum Unigeniti Filii, hoc est Jesu Christi mortem, & resurrectionem ex mortuis annuntiamus, ejusdemque in cœlum Assumptionem confitemur; incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eâque ratione sanctificari, nimirùm sacra Carnis, & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrûm Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus; absit hoc: neque rursum tanquam divinam inhabitationem sortiti, aut dignitatis tantùm æqualitate Verbo consociati, sed tanquam verè vivificam, ipsiúsque Verbi propriam.*

Egregium S. Cyrilli ab Synodo Ægypti testimonium de Sacrificio Missæ, & reali Corporis Christi præsentia in Eucharistia.

Cum Synodica scripsit S. Cyrillus duas alias Epistolas, ad Clerum nempe, & Archimandritas Constantinopoleos, quibus de re tota docerentur, & ad tuendam fidem incitarentur vehementiùs, interimque monerentur communicandum esse iis, quos iniquè Nestorius à Communione removisset.

§. V.

De Concilio Ephesino.

ACceptis Celestini Pontificis Maximi Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ Literis, tantùm abfuit ut errores ejuraret Nestorius, quin potiùs XII. Anathematismos edidit, Cyrilli Capitulis è regione oppositos: in quibus singulis singulæ continentur blasphemiæ. Joannem Antiochenum præterea & Syriæ Episcopos contra Cyrilli capitula armavit, tanquam Apollinaris errore fœdata. Imperatorem verò Theodosium contra ipsius personam commovit, ipsumque apud illius Majestatem accusavit, cùm perturbatæ protervis contentionibus fidei; tùm propensioris in partes Pulcheriæ Augustæ studii. Facilioribus auribus calumniam excepit Theodosius, cui Sororis potentia cœperat esse invidiosa, & videri quasi jugum, quod excussum vellet. Suspicionem firmabat, quòd Cyrillus non contentus scripsisse librum de Recta in Christum Fide ad Theodosium, librum quoque singularem eodem argumento ad Pulcheriam scripsisset. Quô factô ejus gratiam adversùs Imperatorem fratrem velle captare videbatur. Id ipsi Theodosius exprobrat in Sacra ad eum missa, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini c. 31. Lege Liberatum cap. 4. Breviarii.

Ephesus in Asia minore, Ioniæ caput, Sedes Archiepiscop.

Oecumenicam Synodum interim, quam Cyrillus congregari postulabat, ut scribit Evagrius lib. 1. cap. 3. quam Basilius & Archimandritæ ac Monachi rogabant, ut ex eorum Supplicatione Imperatorii porrectâ constat, Theodosius indixit, & ex universis Diœcesibus Episcopos ad diem Pentecostes anni sequentis Ephesum vocavit, missis ad majorum Sedium Antistites, Celestinum Romanæ, Rufinum Thessalonicensis, Cyrillum Alexandrinæ, Joannem Antiochenæ, Juvenalem Hierosolymitanæ, Capreolum Carthaginensis literis. Sanctum etiam Augustinum Hipponensem Episcopum, missâ per Ebagrium Magistrianum Epistola perhonorificè ad Concilium invitavit: sed ubi Carthaginem advenisset, didicit à Capreolo, sanctissimum Episcopum ac Doctorem è vita migravisse. Porrò Candidianum Comitem ad Concilium misit Imperator, ut ordinem servari curaret, ut sæculares, & Monachos, qui spectandi Concilii causa Ephesum confluxerant, ex urbe

exire compelleret, ut suffragiorum consuleret libertati, ut nullum ante absolutam Synodum abire sineret Episcopum, ut nullam denique controversiam, ante quæstionem fidei, permitteret agitari. Ipsi autem prohibuit religiosissimus Imperator, ne se quæstionibus, quæ circa fidei dogmata inciderent, ullatenùs immisceret. Id patet ex Sacra per ipsum net Candidianum ad Ephesinæ Synodi Patres missa, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 35. Ephesum quoque perrexit Irenæus Comes, nullâ quidem Principis legatione, mandatis nullis instructus, sed ut Nestorium sibi amicissimum comitaretur, ut constat ex eadem Imperatoris Epistola. Convenerunt ad Concilium Episcopi ducenti septuaginta quatuor, si Mario Mercatori credimus. Præfuit S. Cyrillus jure suæ Sedis, & ut Sedis Apostolicæ Legatus ad executionem Sententiæ in Nestorium latæ, donec alii Legati à Cælestino Pontifice Maximo, & Synodo Occidentis missi, scilicet Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter, ut Dissertatione singulari ostendemus. Capreolus Carthaginensis Episcopus, cùm propter impetus Vuandalorum in Africam, adesse Concilio non posset, Epistolam misit per Bessulam Diaconum suum. Venit Ephesum & Nestorius, cum decem suarum partium Episcopis, quorum nomina subscripta sunt Relationi à Nestorio factæ de rebus Synodi ad Imperatorem. Celebrata est Synodus anno Christi 431. Theodosii Junioris 24.

§. VI.

Quid gestum singulis Actionibus Ephesini Concilii?

AD condictam diem non adfuit Ephesi Joannes Antiochenus, sed moras traxit cum suis Orientalibus, sive ex industria, & ut gratificaretur Nestorio amico suo, quod asserit Ephesina Synodus in Relatione ad Celestinum Papam; sive quòd Episcopos suos ob locorum distantiam tam citò cogere non potuisset, quod Evagrius lib. 1. cap. 3. ipsum excusans testatur. Quô solidis diebus sexdecim frustrà expectato, duo illius Metropolitæ, scilicet Alexander Apameæ, & Alexander Hierapoleos, Ephesum pervenerunt cum ipsius literis excusatoriis ad Cyrillum Alexandrinum, cùm abesset ipse itinere tantùm quinque aut sex dierum. Hi testati sunt, non semel, sed sæpius sibi datum in mandatis à Joanne, ne sacra Synodus prorogaretur, si ipsum tardare amplius contingeret, ut testantur Ephesini Patres in Relatione ad Celestinum Papam. Quamobrem ipsô diutiùs non expectato, factum est Synodi initium in Ecclesia quæ *Maria* dicebatur, die 22. Junii.

Actio 1. Actione primâ, cùm citatus legitimè fuisset Nestorius, recitata est Nicæna Fides, ut sententiis ad fidei doctrinam spectantibus cum ea Expositione collatis, consentientes quidem confirmarentur; dissentientes autem rejicerentur. Secundò, lecta est Sacra Imperatoris. Tertiò, Epistula secunda S. Cyrilli ad Nestorium, quæ communibus Patrum suffragiis probata est, ut *Nicano Fidei Symbolo per omnia consentiens*. Quartò, lecta est Nestorii Epistola ad Cyrillum, quæ incipit. *Admirabilium literarum tuarum contumelias*, &c. Quæ unanimi Patrum calculo explosa est, ob eamque Nestorius anathemate confixus, tanquam hæreticus. Quintô, lecta est Celestini Pontificis ad Nestorium Epistola, quæ incipit. *Aliquantis diebus vita nostra*. Lecta insuper Epistola Synodica Cyrilli ad Nestorium, illi tradita per Theopemptum, Danielem, Potamonum, & Macarium Episcopos, Ægyptiacæ Synodi Legatos. Excepta subinde illorum testimonia, quibus asseruerunt, Nestorium non satisfecisse, neque Celestini, neque Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ literis, sed publicè pro Concione eadem, quæ ante, & his deteriora dogmata proposuisse. Audita denique Theodoti Ancyrani, & Acacii Meliteni testimonia, juramento confirmantium, sese blasphema dogmata ex ore Nestorii audivisse.

Sexto, lecta sunt Fragmenta quædam & Sententiæ SS. Patrum, quibus error Nestorii confoditur, quæ in Acta relata sunt. Septimò, lecta sunt Excerpta quædam blasphemiarum Nestorii ex ejus Scriptis: de quibus perperam ait Liberatus cap. 5. Breviarii: *Cyrillus deflorationes quasdam librorum Nestorii faciebat, eum perturbare volens: erat enim, ut dicitur ejus inimicus*. Octavo, lecta est Epistola Capreoli Carthaginensis Episcopi. Tandem lata est in Nestorium hæreseos nefariæ convictum reum & auctorem, exauctorationis & excommunicationis Sententia. In qua maximè notandum quòd sacra Synodus ad eam ferendam *Coactam* se dicit *per sacros Canones, & Epistolam sanctissimi Patris & Comministri Celestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi*; ex quibus patet, Ephesinos Patres officii loco duxisse, recipere Celestini Epistolam, eique obsequi. Sententia Concilii postridie significata est Nestorio cum hac Inscriptione: *Nestorio Novo Judæ*. Tum scripta fuit Synodica ad Clericos & Oeconomos Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quâ ipsis nuntiabatur Nestorii depositio, & Ecclesiæ rerumque Ecclesiasticarum cura ipsis ad novi usque Episcopi consecrationem commendabatur. Missæ sunt & Relationes Gestorum Synodalium ad Celestinum Pontificem, & ad Imperatores, necnon ad Clerum, populúmque Constantinopolitanum. Scripsit etiam Sanctus Cyrillus ad Dalmatium Archimandritam sanctissimum, & ad Agentes in rebus suis, scilicet Macarium & Potamionem Episcopos, qui Constantinopoli substiterant, & Timotheum atque Eulogium Presbyteros, ut res Concilii apud Imperatorem promoverent. Interim Joannes Antiochenus congregato seorsim Conciliabulo in suis ædibus, ubi primùm curru dissiluit, depositionis sententiam dixit adversùs S. Cyrillum & Memnonem Ephesiorum Episcopum, quasi ille Arii, Apollinaris, & Eunomii hæreses suis Capitulis doceret, iste per violentiam cuncta in civitate gereret; excommunicationis verò in alios Patres, nisi post constitutam diem, relictis Cyrillo & Memnone, ad suas partes transirent. Sententiæ subscripserunt 43. Episcopi. Missæ Relationes è Schismatica Synodo ad Imperatorem & Reginas per Irenæum Comitem Nestorii amicum, quas falsis quoque Relationibus Candidianus Comes sustentavit. Datæ etiam à Schismaticis literæ ad Clerum populúmque Regiæ Urbis. Lege Acta Conciliabuli, quæ extant post Actionem primam Concilii Oecumenici. De his quoque legenda sunt, Relatio ejusdem Sancti Concilii ad Celestinum Papam, Apologeticus Cyrilli ad Theodosium Imperatorem 3. p. Concilii Ephesini c. 13. Socrates lib. 7. cap. 34. Evagrius lib. 1. cap. 3. Liberatus cap. 5. Breviarii.

Ephesini Concilii Patres officii loco duxerunt Celestino Pontifici obsequi.

Notandum tamen in duobus peccare laudatô mox locô Socratem. Primò, quod ita scribat de S. Cyrillo, ipsum *Quibusdam quasi sermonum velitationibus pugnam exorsum esse, ut Nestorium perterreret; quippe qui infenso erga illum animo esset*. Secundò, in hoc hallucinatur, quòd Conciliabuli adunationem, & Cyrilli ac Memnonis depositionem, ante Joannis adventum contigisse scribat.

Notatur Socrates.

Schismaticorum, nec non Candidiani & Irenæi Comitum Relationibus deceptus Theodosius, qui Synodi Oecumenicæ Relationes & Epistolas interceperant, ne ad Aulam perferrentur, missô per Palladium Magistrianum Rescriptô, jussit omnia

rescindi

rescindi tanquam vitiô gesta, nec aliquem Episcoporum Epheso exire, donec pietatis dogmata stabilita essent, & aliquis ex Aula destinatus, qui unà cum Candidiano Comite de gestis hucusque cognosceret. Io studia Candidiani abreptus Palladius, Nestorii & Joannis Antiocheni partibus favit. Noluit expectare donec Literæ Synodi Oecumenicæ ad Imperatorem ab omnibus Episcopis subscriberentur: sed rediit illicò, novam Relationem Joannis Antiocheni & Schismatici Conciliabuli contra Cyrillum, Memnonem, & Oecumenicæ Synodi Patres deferens. Paucos post dies Irenæum Comitem submisit in Aulam Joannes Antiochenus, qui suas Nestoriique partes coram Imperatore tueretur, ac Cyrillum, Memnonem, & Sacræ Synodi Patres, calumniis suis opprimeret.

Actio 2.

Interim die 10. Julii, Celestini Pontificis, & Occidentalis Synodi Legati, Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter Ephesum pervenerunt, & excepti sunt à Concilio, celebratáque Actio secunda Synodi Oecumenicæ, in quâ lectæ ritu solemni Celestini literæ: ipsi à Patribus acclamatum: *Novo Paulo Celestino, Celestino custodi Fidei, Celestino cum Synodo concordi: Celestino universa Synodus gratias agit.* Tum Legati Apostolici Gesta conciliis communicari secum petieront. Miserat Celestinus Epistolas duas per novos Legatos, unam ad Theodosium Imperatorem, alteram ad Cyrillum Alexandrinum. In priori notanda sunt hæc verba, quæ Christianorum Principum officium disertè explicaot. *Major vobis Fidei causa debet esse, quàm Regni, ampliúsque pro pace Ecclesiarum Clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitùs quæ sunt Deo cariara serventur.* Et infrà: *Pro vestri enim Imperii salute geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis observantiâ laboratur.*

Christiano rum Principum officium.

Actio 3.

Postridie Actio tertia celebrata est apud S. Mariam, in quâ lecta sunt Gesta Synodi in causa Nestorii, cujus damnationi & depositioni assensi sunt Legati, & Summi Pontificis, Occidentalisque Synodi nomine subscripserunt. Inde Relatio missa est à S. Synodo ad Imperatorem, quâ de Legatorum adventu, & utriusque Ecclesiæ consensu in Nestorii damnationem certior fieret. Postulata etiam ordinandi in ejus locum novi Episcopi facultas, & discedendi Epheso; *Pietate jam declaratâ, totóque terrarum orbe consonam de illâ Sententiam proferente, paucis tantùm exceptis, qui Nestorii amicitiam pietate potiorem ducebant.* Missa etiam Relatio est ad Clerum populúmque Constantinopolitanum.

Actio 4.

17. Kal. Augusti, seu 16. Julii, Cyrillus & Memnon Libellum querelarum adversùs Joannem Antiochenum & Orientales obtulerunt, quòd contra Canones & jus omne depositionis Sententiam in illos tulissent. Semel & iterum citatus est Joannes Antiochenus per tres Episcopos à S. Synodo missos: qui à Militibus ejus ædes vallantibus indignissimè sunt repulsi. Quod cùm retulissent ad Synodum, Patres irrita esse pronuntiarunt, quæ in Cyrillum & Memnonem ab ipso ejusque Symmistis decreta fuerant.

Actio 5.

Die sequenti, celebrata est actio 5. Concilii, in qua Cyrillus contra Joannem Antiochenum iterum questus est de charta quadam, seu famoso libello publicè ab ipso proposito, quô Cyrillum ipsum velut hæreseos Appollinarii Principem sugillabat. Secundô, quô pravam omnem de se suspicionem amoliretur Cyrillus, Apollinario, cæterisque Hæreticis anathema dixit. Tertiò, postulavit Joannem ultimo conveniri, ut quicquid scripto objecerat, coram Synodo probaret, vel justam sententiam exciperet. Citato itaque tertiò per tres Episcopos Joanne, lata in contumacem excommunicationis Sententia est, necnon in Episcopos cum eo in schismatica Synodo collectos & Ecclesiam turbantes. Missa rei gestæ ad Celestinum Pontificem, & ad Theodosium Imperatorem Relatio. Ex Relatione ad Celestinum factâ, constat Pelagianorum depositionem ab ipso decretam, Ephesinos Patres confirmasse. Hujus & præcedentis Actionis Historiam refert Evagrius lib. 1. cap. 5. ubi & rectè monet res aliter quàm gestæ sint à Socrate Historico narrari. Lege etiam Liberatum cap. 6. Breviarii, quamquam iniquus sit in S. Cyrillum & Memnonem, de quibus scribit: *Igitur Cyrillus cum Memnone, volentes se ulcisci, Joannem damnaverunt, & omnes qui cum eo convenerant, & multa mala pari fastu utrique Ephesi pertulerunt.* Sed non mirum quòd trium Capitulorum defensor, & Epistolæ Ibæ acerrimus vindex, de S. Cyrillo ita scribat.

Notatur Liberatus

Actio 6.

Die 22. Julii, Charisii Philadelphiensis Ecclesiæ Presbyteri atque Oeconomi causa agitata est Actione sexta Synodi. Is oblato Libello supplicavit Patribus, ut sententiam ab Episcopo suo Theophane in se latam rescinderent, à quo fuerat excommunicatus, quia Jacobo & Antonio Presbyteris obstiterat, qui ab Anastasio & Photio Presbyteris Nestorianis missi, Theodori Symbolum planè impium per Lydiam spargebant, & Quartodecimanis ad Ecclesiam redeuntibus offerebant subscribendum. Absolutus est à Sancta Synodo Charisius: damnatum Theodori Mopsuesteni impium Symbolum: prohibita alterius Fidei à Nicæna conscriptio, & novi Symboli prolatio, vel compositio.

Actio 7.

Pridie Kalendas Septembris septimus Synodi consessus habitus est, in quo Rheginus Constantiæ Cypri Episcopus, & alii ejusdem Insulæ Antistites, Libellum obtulerunt Synodo, quô adversus Antiochenum Episcopum expostulabant, Ordinationes Episcoporum illius Insulæ usurpantem, quæ secundùm Canones, ad Synodum Provinciæ spectabant. Re accuratiùs expensâ, & lectis Flavii Dionysii utriusque exercitus Magistri Literis ad Clericos Constantiæ Cypri, nec-non ad Theodorum illius regionis Præsidem, quibus novi Episcopi Ordinationem in locum Troili fieri prohibebat, donec Ephesina Synodus tunc congregata controversiam istam judicasset: pronuntiarunt Patres, jus Ordinationum Cypriis Episcopis Canonibus & consuetudine veteri quæsitum servari debere. Sed & prohibuerunt ne regionum aliarum Episcopi alienas Provincias invaderent, aut jam occupatas retinerent, insuperhabitis Canonibus; *Ne sub Sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastus irreperet*; &, *Ne clam paulatim libertas amitteretur, quam nobis dônavit Sanguine suo Dominus Jesus Christus.*

Ephesinæ Synodi decretum de Cypriorum Episcoporum Ordinatione.

In istâ etiam Actione sex Canones conditi sunt adversùs Cœlestium & Pelagianos, nec-non adversùs Nestorium, ejusque Symmistas ac Fautores. Annuit insuper sacra Synodus Eustathio Pamphiliæ Metropolitæ, qui senio confectus, sese Episcopatu abdicaverat propter exiguum rerum gerendarum usum, ut nomine, honore, & communione Episcopali frueretur. Quâ de re scriptum est ex Sententia Patrum ad Synodum Pamphiliæ.

In eadem Actione, suggerentibus Valeriano & Amphilochio in Pamphilia & Lycaonia Episcopis, damnati sunt Messaliani: confirmata fuit Schedula Synodica de illis composita Constantinopoli sub Sisinnio: Decretum denique ut isti Hæretici convenirentur, sive Clerici essent, sive Laïci, & ejuratis erroribus, in pristinos gradus, & communionem reciperentur: sin minùs, exauctorati Clerici, communione pulsi Laïci manerent: nulla verò habere Monasteria Sectæ istius homines permitterentur.

Denique in hac Actione oblatus fuit Libellus supplex ab Euprepio Episcopo Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillo Episcopo Cœlensi, quo Patres rogabant,

gabant, ut, secundùm antiquos mores, unus Episcopus duobus, jure Metropolitani, præesset Episcopis, in Ecclesiis Europæ. Quod sancta Synodus ex prisca ejus regionis consuetudine ratum habuit.

Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus ambitioni [illegible] Cyrillus Alexandrinus obstitit.

Juvenalem Hierosolymorum Episcopum in Concilio Ephesino Primatum totius Syriæ Palæstinæ usurpare voluisse, cum gravi Cæsareensis Ecclesiæ injuria, cui ex Nicænis Canonibus & veteri more debebatur, testis est S. Leo Epistola 62. vel 92. in editione P. Quenelli, ad Maximum Antiochenum Episcopum datâ. Ipsi verò obstitisse S. Cyrillum, Disciplinæ Ecclesiasticæ, sicut & Fidei strenuum defensorem. Hujus quidem rei nulla est in Actis Ephesinæ Synodi mentio, sed diserta est apud S. Leonem. *Subripiendi occasiones* inquit, *non prætermittit ambitio, & quoties ob occurrentes causas generalis Congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est ut cupiditas improborum non aliquid suprà mensuram moliatur appetere: sicut etiam in Ephesina Synodo quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ Principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia Scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens, Scriptis suis, quid prædicti cupiditas ausa esset, indicavit: & sollicitâ prece multùm poposcit, ut nulla illicita conatibus præberetur assensio. Nam cujus exemplaria Epistolæ ad nos direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro Scrinio requisitam, nos authenticam noveris reperisse.*

§. VII.

De Gestis post Synodum, vel pendente etiamnum Synodo, cùm adhuc Patres Ephesi detinerentur.

CUm ad Imperatorem variæ rerum in Synodo gestarum, contrariæque Relationes missæ essent, tum ab Oecumenici Concilii Patribus, cùm à Joanne Antiocheno, cæterisque Schismaticis, & Candidiano ipsis favente qui Theodosii animum occupaverat, & Princeps malam de sacra Synodo, & de Cyrillo & Memnone opinionem concepisset, visum erat Patribus selectos ad Aulam Episcopos mittere, qui Imperatori rerum gestarum ordinem & rationem exponerent. Sed Irenæus Comes, qui triduò post Synodi Legatos Constantinopolim appulit, malis effecit artibus ut nihil ipsi promoverent. Theodosio placuit, ut missi à Synodo una cum Irenæo Comite, litem coram se disceptarent. Scissa in partes Aula, missus ab Imperatore Joannes Sacrarum Largitionum Comes Ephesum, qui tres depositos esse juberet, Cyrillum, Memnonem, & Nestorium, omnésque in unam Synodum cogeret, & res agendas reliquas pacificè curaret. Is ubi pervenit Ephesum, Episcopis ad se vocatis legit Imperatoris literas: & post depositionis denuntiationem, Nestorium Candidiano Comiti custodiendum tradidit; Jacobo verò Comiti Cyrillum & Memnonem.

Sacra Synodus Comitis facto vehementer commota, datis ad Imperatorem Literis questa est, mendaciter ipsi fuisse suggestum, quòd Cyrilli & Memnonis depositio ab Oecumenica Synodo approbata fuisset. Significavit etiam se cum Joanne Antiocheno & Orientalibus inire non posse communionem, priusquam Nestorii damnationi & depositioni subscriberent, & objecta Synodo per calumniam revocarent. Petiit denique reddi sibi Cyrillum ac Memnonem, fidemque dilucidè expositam in Commentariis retineri: & accersiri Constantinopolim Episcopos, qui palam Imperatori de omnibus referrent. Datæ sunt etiam à Synodo Epistolæ ad Episcopos in Regia Urbe agentes, & ad Clerum. Additum est Commonitorium ad Dalmatium sanctissimum Archimandritam. Quæ omnia arundine inclusa Mendicus detulit, ut Joannis Antiocheni & Orientalium artes falleret, per amicos prohibentium, ne quid à sacra Synodo Constantinopolim afferretur, quod rebus suis nocere posset.

Interim Joannes Comes, partium concordiam frustra tentavit, propositis conditionibus, quas sine summâ sui injuriâ & dedecore, & sine proditione causæ fidei accipere sacra Synodus non poterat, ut constat ex Epistola S. Cyrilli ad Clerum, populumque Constantinopolitanum. Libellum supplicem pro sacra Synodo Imperatori porrexit Regiæ Urbis Clerus, libertate verè Ecclesiastica ipsum urgens. Quò obtinuit ut septem ex utraque parte Legati Constantinopolim mitti juberentur, qui de omnibus in Synodo gestis certiorem Principem facerent. Misit igitur utraque pars septem Episcopos cum Mandatis. Novam Relationem per suos ad Imperatorem misit sancta Synodus.

Utriusque partis Legati, ubi Chalcedonem appulerunt, jussi sunt ibidem subsistere. Hâc transiens in Villam Rufinianam Theodosius ipsos non semel audivit. Certissimam sibi victoriam pollicebantur Orientalium Legati, ut constat ex Epistola quam ad suos Ephesum miserunt: sed aliquot post dies, inanis spei lætitiæque fructu sunt frustrati. Synodi namque Oecumenicæ Legatos rediens Constantinopolim Imperator comitari jussit, ut Episcopum in locum Nestorii ordinarent, relictis Chalcedone Schismaticis, qui tumultuati sunt, oblato Libello, ut Ordinationem impedirent: sed frustrà. Nihil quippe ipsis responsi datum; sed facta est ipsis, eorúmque Symmistis, adhuc Ephesi agentibus, facultas redeundi ad suas Ecclesias. Missi quoque sunt Synodi Oecumenicæ Patres. Die 25. Octobris, Maximianus ex Monacho Presbyter, non excultissimus quidem literis, sed probatæ vir fidei ac pietatis, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus consecratus est. De ejus Ordinatione ad primas Sedes, & ad Episcopos veteris Epyri, quos Schismatici fallere tentabant, datæ Literæ. Scripsit etiam novus Episcopus ad Celestinum Papam, & ad S. Cyrillum: ad quem etiam uterque Epistolas gratulatorias dedit. Scripsit etiam ad Theodosium Augustum Celestinus, quibus illi ob præstitum causæ fidei patrocinium, ob Nestorii abdicationem illius Edictis confirmatam, ob Maximiani Ordinationem illius jussu factam gratulatus est: & Nestorii deportationem postulavit, ne plures perderet, novasque in Ecclesia turbas excitaret. Extant hæ omnes Epistolæ 3. p. Concilii Ephesini.

§. VIII.

De Pace inter Ecclesias inita.

CElestino Pontifice Maximo ad cœlestem gloriam translatò, & Sixto jam totius Ecclesiæ clavum regente, anno Christi 432. Theodosius Imperator apud Joannem Antiochenum graviter egit ut Nestorium damnaret, & cum Cyrillo Alexandrino iniret concordiam, pacemque inter omnes Orientis Ecclesias conciliaret. Itaque Aristolaum Tribunum cum potestate misit, ipsique dedit Mandata, cùm ad Joannem ipsum, tum ad Cyrillum, partis utriusque principes deferenda, quibus aut per se conspirare in conditiones pacis jubebantur, aut Nicomediam venire, nec inde discedere, donec pacem inivissent. Extant Theodosii literæ 3. p. Concil. Ephes. cap. 24. Dedit etiam literas ad Acacium Beroënsem, & ad Beatum Simeonem Stylitem, quos sequestres pacis apud Joannem Antiochenum accedere voluit. Extant ibidem cap. 25. & 26.

Accepta

Accepta Sacra Jussione, Joannes Antiochenus cum Syriæ Episcopis convenit apud Acacium Beroënsem, ibique re deliberatâ constituerunt pacis conditiones proponendas esse Cyrillo, quibus suo consultum esset honori: ut scilicet abolerentur omnia, quæ vel Epistolis, vel Tomis, vel Libris evulgaverat, & soli Fidei Nicænæ consentiret. Absurdas & iniquas adeo conditiones privatis Acacii Beroënsis literis sibi propositas, Cyrillus, ut par erat, rejecit, rescripsitque hunc in modum; *Expositioni Fidei, quam Nicæni Patres ediderant, adhæremus omnes, nihil eorum quæ in ipsâ continentur, labefactantes. Sunt enim ea omnia rectè inculpatéque tradita: neque tutum est post illam Fidei editionem, quidquam adhuc curiosiùs tractare. Quæ verò rectè contra Nestorii blasphemias scripsimus, ea ejusmodi esse, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, ut rectè scripta esse negemus. Opus proinde magis esse, ut ipsi juxta pientissimi Christique amantis Imperatoris Decretum, imò verò sanctæ Synodi Ephesinæ Sanctionem, illum qui contra Salvatoris Christi gloriam pugnavit, ejicerent, impiásque illius blasphemias anathemate insectarentur, ejusque depositioni consentirent, ac sanctissimi, piissimique Episcopi Maximiani Ordinationem approbarent.*

Spe suâ frustrati Joannes Antiochenus & Episcopi Orientales, Paulum Emissenum Episcopum Alexandriam miserunt, qui potioribus & honorificentioribus, quibus posset, conditionibus, concordiam iniret. Illuc ubi pervenit, S. Cyrillum ad præteritarum injuriarum oblivionem hortatus est, Literasque ipsi tradidit Joannis Antiocheni: quas alias ab iis fuisse, quæ in Collectionibus Conciliorum leguntur, persuasum habeo. Testatur enim S. Cyrillus duriores illas fuisse, tantúmque abfuisse ut ejus dolorem excusatione aliqua lenirent, quin potiùs Joannis Antiocheni contra ipsum Gesta, jure & fidei zelo facta propugnabant. De his ita scribit ad Acacium Melitenum. *Mox ille* (Paulus Emissenus) *Epistolam reddidit, non ea, qua debebat, habentem; sed potius, non quo conveniebat modo dictatam. Complectebatur enim irritationis vim, potiùs quàm exhortationis. Hanc itaque non acceptavi. Nam cùm meam animi ægritudinem, quâ fueram affectus, ex iis quæ præcesserant, excusatione aliquâ demulcere debuissent, tantùm abest ut id fecerint, ut se quoque propter sacrorum dogmatum zelum jure optimo mihi succensuisse dicerent.*

Verùm cùm Paulus Emissenus Joannis Antiocheni & Orientalium propositum excusasset, illosque paratos esse affirmasset ad prava Nestorii dogmata anathemate confodienda, & ad subscribendum ejus depositioni, & Maximiani Ordinationi: caritatis pacisque Ecclesiasticæ causâ purgationem admisit, Paulumque, his per se impletis conditionibus, ad Synaxim recepit S. Cyrillus, ut ipse testatur in Epistola ad Donatum Nicopolitanum. Cæterùm cum Joanne Antiocheno & Orientalibus pacem se initurum negavit, nisi scripto præstarent ipsi, quod eorum nomine se præstare Paulus asserebat. *Modis autem omnibus opus esse affirmabam*, (inquit Cyrillus ad Acacium Melitenum scribens) *ut Reverendissimus Joannes Antiochenus Episcopus scriptam his de rebus confessionem ederet.* Hæc quidem tunc Alexandriæ gesta; sed ut ad exitum perduceretur pacis negotium, duos è suis Diaconis unà cùm Aristolao Tribuno, & Paulo Emisseno Antiochiam misit, chartamque ipsis tradidit, Confessionem Fidei, pacisque conditiones continentem, quam si acciperet Joannes Antiochenus, illique subscriberet, Literas ei communionis redderent. Conditiones pacis erant, anathema in doctrinam Nestorii, assensus illius depositioni, & Ordinationis Maximiani approbatio. Ista constant ex Epistolâ S. Cyrilli ad Donatum Nicopolitanum Episcopum.

Professio Fidei S. Cyrilli literis inserta, quæ incipiunt, *Lætentur cœli*, non est edita à S. Cyrillo, sed à Joanne Antiocheno.

Consensit Joannes Antiochenus omnibus conditionibus pacis, & Confessioni Fidei à S. Cyrillo missæ subscripsit, Paulumque Emissenum Alexandriam rursus misit cum Literis ad Sanctissimum Antistitem, quæ extent 3. p. Concil. Ephes. cap. 30. Sic incipiunt: *Piissimorum Imperatorum nostrorum Edicto*, &c. Professionem Fidei continent, quam S. Cyrillus inseruit suis ad Joannem Literis, quæ incipiunt: *Lætentur cœli.* Quæ Confessio non à S. Cyrillo edita, ut Baronio Cardinali visum est, sed à Joanne Antiocheno & Orientalibus, à Cyrillo verò probata, & suis ad Joannem literis inserta. Cujus rei testem, contra Scriptorem Eminentissimum Annalium, Cyrillum ipsum Alexandrinum proferimus in Epistola ad Joannem Antiochenum. *Quod autem*, inquit, *Ecclesiarum dissensio superflua prorsus, & citra ullam justam causam accideret, id ex charta, quam Dominus meus religiosissimus Episcopus Paulus nunc attulit, evidenter cognovimus, quæ irreprehensibilem continet Fidei Confessionem; eamque cùm à tua Sanctitate, tum à cæteris quoque Religiosissimis Episcopis, qui illic degunt, compositam asserebat: quam etiam ad verbum huic nostræ Epistolæ inserere placuit.*

Emendatus Baronius.

Idem testatur in Epistola ad Eulogium, ubi hâc de Fidei Confessione ita scribit: *Expositionem, quam Orientales fecerunt, reprehendunt nonnulli.*

Idem testatur Liberatus Diaconus cap. 8. Breviarii. *Et congregant*, inquit, *iterum Joannes apud Antiochiam Concilium, dictavit Fidem ita se habentem: Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum*, &c. *In isto ergo modo hanc Fidei Regulam interponens Joannes Epistola sua, cujus est principium. Dudum per sanctionem piissimorum Principum*, &c. *quam tradidit Paulo Episcopo Emisseno, & direxit Alexandriam Cyrillo . . . Post hæc Cyrillus fidem Epistola, quam à Paulo suscepit, Epistola sua interponens, cujus principium est: Lætentur cœli, & exultet terra . . . . Subscripsit prædictam Fidem, & Orientalibus direxit Episcopis.*

S. Cyrillus Alexandr. propriam famam negligit studio Ecclesiasticæ pacis.

Idem testatur Evagrius lib. 1. Historiæ Ecclesiast. cap. 6. Circa istam Fidei Confessionem & conditiones initæ S. Cyrillum inter & Orientales pacis, duo notanda sunt. Primò altum in iis fuisse de duodecim S. Cyrilli Capitulis silentium, Cyrillo privatas injurias propriamque famam studio resarciendæ Ecclesiasticæ pacis negligente. Quâ ex Oeconomia Orientales occasionem sumpserunt spargendi in vulgus mendacii, quasi sua Capitula retractasset, ac in eorum Sententiam descendisset; hisque conditionibus conciliatam pacem.

Orientales communicationem idiomatum admittere noluerunt Quæstionem istam velut problema Theologorum ab ipsis haberi permisit S. Cyrillus, modò una in Christo persona promitterent.

Notandum secundò, Orientales admittere noluisse communicationem idiomatum, sed istud apud Theologos problema sensisse, modò una in Christo persona crederetur, cujus sive Divinitati, sive humanitati variæ voces convenirent: illudque ipsis permisit S. Cyrillus. Sic enim habent in Confessione illâ suâ: *Evangelicas autem & Apostolicas de Domino voces, scimus graves Theologos, alias quidem communes facere, tanquam ad unam personam pertinentes; alias verò propter duarum naturarum diversitatem divisim nuncupare: & illas quidem quæ Deo conveniunt, ad Christi divinitatem; humiles verò ad ejusdem humanitatem referre solere.* De his lege & S. Cyrilli Epistolam ad Acacium Militenum, & Commonitorium ad Eulogium Presbyterum, quæ extant 3. p. Concilii Ephesini cap. 35. & 37.

Dum porrò Alexandriæ adhuc degeret Paulus Emissenus, duas contra Nestorii dogmata habuit in Magnâ Ecclesiæ præsente S. Cyrillo Homilias summo cum plausu, tum ob integritatem fidei, cùm ob facundiam singularem.

Theodoretus à Nestorii partibus & amicitiâ tardius divulsus est.

Theodoretus impatientissimè tulit negotium pacis, nec à Nestorii partibus & amicitiâ tam citò divulsus est, quamvis dogmata nefaria damnaret; ejus nomini

parcens:

parcens: quòd ambiguis ipsius verbis & technis delusus, eum ab impiis dogmatibus existimaret alienū. Id patet ex ipsius Theodoreti Epistolis ad Andream Monachum Constantinopolitanum, ad Andream Samosatenum Episcopum, ad Himerium Nicomediensem, quarum Excerpta Marius Mercator descripsit. Id patet maximè ex Epistola Theodoreti ad Nestorium, in quâ ita scribit: *Hæc autem quæ contra tuam Venerationem injustè atque inique patrata sunt, nec si mihi utramque manum quis abscinderet, potero præbere consensum, divinâ procul dubio mihi cooperante gratiâ, & infirmitatem animæ sublevante.* Existimavit verò Theodoretus Palinodiam à S. Cyrillo recantatam, quòd naturas duas confiteretur in Christo, qui priùs dixerat, *Unam Verbi naturam incarnatam*; & quòd Deitatem Christi impassibilem prædicaret, & passiones ejus carni adscriberet. Id constat ex Epistolâ Theodoreti ad Andream Constantinopolitanum Monachum.

Viris quibusdam Eruditis videtur Epistolam Theodoreti ad Nestorium, cujus verba mox laudata sunt, supposititiam esse, & ab Hæreticis confictam, & Leontii antiqui & gravissimi Auctoris suffragio nituntur lib. de Sectis, Actione 4. dicentis: *Sciendum est circumferri quasdam Theodoreti ac Nestorii Epistolas, in quibus se mutuo recipiunt; sed fictitia sunt, & fingunt eas Hæretici, ut earum ope Synodum oppugnent.*

Cyrilli Scripta pacis initæ tempore, id est, Literas ad Orientales, fideique Confessionem ipsis insertam, improbare non potuit Theodoretus, & nulli obnoxia esse reprehensioni, cogente veritate fassus est, in Epistola ad Nestorium. *Nullus igitur tuæ persuadeat Sanctitati, quod ego Præsul esse desiderans, clausis oculis, velut recta dogmata, Ægyptia Scripta susceperim. Nam per ipsam fateor veritatem, sæpius ea revolvens, & diligenter examinans, ab hæreticâ pravitate libera deprehendi, & aliquam illis imponere maculam formidavi; non tamen velut is approbetur, qui toti mundo causa perturbationis extiterit.* Sanctum autem Cyrillum Ægyptii nomine passim à Theodoreto sugillari notum est.

Ex initâ pace invidiam apud nonnullos Episcopos subiit S. Cyrillus, non minùs quàm Joannes Antiochenus. Theodoretus namque & alii pauci, Joanni vitio dabant, quòd duodecim Capitulorum damnationem à Cyrillo non exegisset, iisque intactis, cum ipso rediisset in concordiam. Aliis verò, inter quos etiam Valerianus Iconii, & Acacius Melitenus Episcopi, displicebat, quòd Cyrillus duarum confessionem naturarum ab Orientalibus suscepisset, quod Nestorius dixerat & docuerat. Eo usque enim invaluerat opinio, seu potiùs error popularis, annitentibus Nestorianæ factionis hominibus, ut qui duas naturas fateretur, Nestorianus; qui unam, Cyrillianus haberetur. De his Liberatus cap. 8. Breviarii. Hinc in Orientalium, & sui ipsius, ac initæ pacis defensionem varias Epistolas scribere S. Cyrillus coactus est, scilicet ad Valerianum Iconiensem, Acacium Melitenum, & Eulogium Presbyterum Alexandrinum in Aulâ agentem. Erant enim & Constantinopoli qui nimiæ œconomiæ, vel etiam ignaviæ & levitatis Cyrillum insimularent. De his idem Liberatus cap. 9. Quin etiam Viris Sanctissimis ea de S. Cyrillo adhæsit opinio, ut S. Isidoro Pelusiotæ, qui ita ad ipsum scribebat Epistola 324. *Te oportet, Vir Admirande, firmum atque constantem semper manere, sic nempe ut nec metu cœlestia prodas, nec tecum ipse pugnare videaris. Nam si ea quæ nunc abs te scripta sunt, cum superioribus perpendas, aut adulationi obnoxius esse videberis, aut levitatis minister: ut qui inani gloriæ succumbas, non autem magnorum ac sanctorum Pugilum certamina insisteris, qui per omnem vitæ suæ cursum in extera regione premi ac vexari potiùs sibi ferendum duxerunt, quàm ut perversam ac falsam sententiam vel auribus tenus exciperent.*

Nullum ex pace inter S. Cyrillum & Orientales initâ commodum reportarunt Helladius, Himerius, Eutherius, & Dorotheus Nestoriani Episcopi, qui unà cum Auctore Sectæ depositi fuerant: neque ulla eorum in conditionibus pacis facta mentio est, quamvis, quæ decreta fuerant contra ipsos, abrogati postulassent Orientales, ubi primùm de pace Ecclesiarum agi cœpit. Id constat ex Epistola S. Cyrilli ad Donatum. Compositâ pace, S. Cyrillus & Joannes Antiochenus faustum negotii exitum ad Sixtum Pontificem maximum retulerunt, cujus Apostolicum sinum tam auspicati nuntii acceptio lætitia incredibili perfudit, quam datis ad Cyrillum Literis testatus est. Gratulatus est etiam per Literas Joanni Antiocheno. Extant illæ 3. P. Concilii Ephesini. cap. 41. & 42.

§. IX.

Qui Nestorianam Hæresim Scriptis impugnarunt, vel defenderunt?

I. INter Nestorianæ Hæreseos Impugnatores primus occurrit S. Proclus ex Constantinopolitano Presbytero Cyzicenus Episcopus. Is præsente, ut diximus, Nestorio, ejus errores ac blasphemias coarguit & confutavit præclarâ illa Homilia, *In Deiparam*, habita in Festo Annuntiationis Beatæ Virginis anno Christi 429. Idem scripsit celebrem ad Armenos de Incarnatione Epistolam, quâ Theodori Mopsuesteni, adeòque & Nestorii dogmata egregiè refellit. Scriptionis ea fuit occasio, quòd Diodori Tarsensis, & Theodori Mopsuesteni libris, aut Collectaneis, quæ Nestoriania consona erant dogmatibus, per Armeniam sparsis, Nestorianorum arte, Acacius Melitenus, & Rabulas Edessenus Episcopi, Armenos datis literis monuerant, de cavendo Nestorianæ Hæreseos veneno, quod sibi Theodori libris erat propinatum. Illi coacta Synodo, Presbyteros duos Leontium & Abeceum Constantinopolim ad Proclum misere, cum Libellis, & Theodori Volumine, doceri expetentes quæ doctrina melior, Theodori, an Acacii, atque Rabulæ. Proclus re diligenter examinata, Tomum, seu Epistolam illam de Incarnatione ad Armenos misit; quam etiam direxit ad Joannem Antiochenum, à quo probata est. Scripsit autem Theodosio XV. & Valentiniano IV. Coss. vel post ipsorum Consulatum, ut corrigendam putat notam temporis vulgatis editionibus appositam P. Garnerius S. I. *in Notis ad Liberatum.*

II. Maxima pars fuit Ecclesiasticæ de Hæresi Nestoriana victoriæ S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, qui ipsam Epistolis, Anathematismis, Homiliis, & libris quinque Contradictionum adversùs Nestorii blasphemias, quos ante Concilium Ephesinum conscripsit, anno 431. impugnavit.

III. Partes etiam suas hac in pugna pro fidei defensione fortiter obiit Marius Mercator, qui & Nestorii Capitula scripto confutavit, & luculentam de XII. ejus Anathematismo Dissertationem seorsim edidit, & Epistolam de collatione errorum ipsius cum dogmatibus Pauli Samosateni. Nestorii etiam Sermones, & alia plurima Nestorianam causam spectantia Monumenta Latinè vertit, & ad posteros transmisit, quæ Joannes Garnerius Societatis Jesu Theologus edidit, Notisque ac Dissertationibus illustravit.

IV. Joannes Cassianus operam quoque navavit suam in debellanda Nestorii Hæresi. Rogante enim S. Leone Romanæ Ecclesiæ Archidiacono, quo Celestinus Pontifex in regendâ Ecclesiâ præcipuo Administro utebatur, adversus tres Nestorii Tractatus

eximium

eximium Opus de Incarnatione Christi composuit, in septem distributum libros, quos ipsi Leoni dedicavit.

V. Claruit etiam in hac acie Theodotus Ancyranus Episcopus, qui Concilio Ephesino interfuit, ibique Orationem habuit adversùs Nestorium. Sed & singulari libro istum confutavit Hæresiarcham, *Non ex suo (ut ait) ingenio, sed partim ex sacra Scriptura, partim ex Fide à Sanctis Patribus Nicææ congregatis expositâ.* Hunc Librum Lario donavit, ac Notis illustravit Combefisius noster.

VI. In hac etiam adversùs Nestorianos Palæstra desudavit Leontius Byzantinus, cujus librum habemus insignem sic inscriptum: *De Nestorianorum impietate secreto traditâ principio, & de ejus Parentibus triumphus:* Ex quo discimus impiæ factionis mysteria. Quòd scilicet cùm Sanctos Ecclesiæ Doctores non reciperent, se non recipere Theodorum, neque Diodorum primos impietatis suæ Magistros simulabant. Quòd magnificè laudabant Synodum Chalcedonensem, licet illam animo rejicerent. Quòd ad suos Authores legendos hortarentur, & si quis laudaret alios Patres, ipsi reponerent: *Boni sunt isti Patres, non tamen meliores quàm nostrates.* Si verò simplex ille rogaret nomina, *Lege prius*, inquiebant, *& tunc cognosces, quales & quanti sint, quorum miser ne nomina quidem didicisti.*

Mores Nestorianorum à Leontio describuntur.

Libris alia munera, & promissa ipsos addidisse refert, ut incautum quemque in suas partes traherent: Pollicitos opem Aulæ, primum gradum in Magistratibus; Eruditorum, quos habebant, convictum: nec priùs illum cui virus afflare suum conabantur dimisisse, quàm succumberet, sive Inscitiæ, sive indigentiæ, sive assentationi, sive aliis, quæcunque illaqueare solent eos, qui non omni custodiâ cor suum custodiunt. Jam verò postquam captum tenebant, & suis obsequiis obnoxium, si Monachus esset, Vitæ Monasticæ fastidium injecisse, cujus irrisores erant & obtrectatores, ita ut ne nomen quidem Monachorum æquo animo pati possent. Hortabantur itaque ad mutandum habitum, quòd esset ad studium Virtutis Politicæ, id est quæ in civitate versatur, impedimentum, seque eum in Clericorum Ordinem cooptaturos spondebant. Si autem sæcularis esset, ipsi accommodata munera, & auxilium factionis pollicebantur. Refert deinde Leontius, ipsos, cùm viderent quotidie apud Fideles justum odium contra impia dogmata, Auctoremque dogmatum, augeri, ne Præsidis sui premerentur invidiâ, noluisse nomine sui Auctoris appellari, sed dixisse; *Valeat Nestorius.* Atque ut Manichæi in Electos, & Indifferentes, sic ipsos in cultores, & damnatores Nestorii divisos fuisse. Refert denique, quòd cùm ex Fidelibus nonnemo coactus esset ab ipsis, ut eorum Communionem foveret, ac Ecclesiæ Clero nihilominus ascriberetur, ubi eum inde animadverterunt pigriorem factum, his verbis ipsi animos addidisse: *Quid mæres si Ecclesia tanquam Prætorio uteris, & Clero tanquam exercitu, & fidem nostram habes, & Communionem nobiscum amplecteris?* Ille autem cùm fieri non posse diceret, ut cum Ecclesia, & cum ipsis Communionem Sacrorum Mysteriorum haberet, ipsi responderunt (ut refert Leontius) *Non oportet te molestè ferre hanc œconomiam. Panis enim in typum Corporis Christi propositus non plus benedictionis participavit, quàm panis qui in foro venditur, & quàm panes quos Philomarianitæ offerunt in nomine Mariæ.* En fontem ex quo primùm prodiit Sacramentariorum error, Eucharistiam nihil aliud esse quàm typum seu figuram Corporis Christi blasphemantium.

Sacramentariorum error à Nestorianis derivatus.

Quanquam Nestoriani illi, quorum dogmata, mores, fraudesque detegit Leontius, à Nestorio Magistro suo in dogmate de Eucharistia degeneres fuerunt. Nam realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam Nestorius cum tota Ecclesia professus est, quod maximè probant ea quæ habet Sermonibus 2. 8. & 9. Carnem scilicet Christi ait à nobis manducari, non tamen eo modo quo cibus invisibilis mentium divinitas. Interrogabat enim, cùm dictum illud Christi exponeret, *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*; Utrum divinitatem manducemus, an carnem, ut ostenderet naturas per Incarnationem non esse confusas, aut conversas, quandoquidem una manducatur, nempe caro, altera non manducatur, nimirum divinitas. Sumit ergo quasi rem concessam, Carnem Christi à nobis manducari ad Sacram Mensam: alioquin stultè collegisset, naturas in Christo per Incarnationem confusas non fuisse, ex eo quòd Caro Christi, non Divinitas manducetur. In promptu enim fuisset responsio, utramque ore solo mentis, neutram ore carnis manducari. Præterea, Nestorium de reali Corporis Christi in Eucharistia præsentia cum S. Cyrillo, & cum Ecclesia Catholica sensisse, inde patet, quòd nusquam ipsum de contrario dogmate coarguerit S. Cyrillus: imò ex manducatione Carnis Christi, & vi illius vivificatrice quam in nos exerit, cùm ejus participatione in Eucharistia fruimur, argumentum passim desumpserit contra Nestorium. Hæc notare operæ pretium fuit, ut Nestorianos, qui Leontii tempore grassabantur, id est, sexto sæculo cadente, à Nestorii doctrina circa Eucharistiam degenerasse nemo dubitet. Leontio autem eò major fides adhibenda est in his quæ de Nestorianis sui temporis scribit, quód adolescens ab ipsis deceptus sit ac in partes abductus, ac postea divino affulgente lumine, veritatem agnoverit & amplexus sit, ut ipse testatur.

Nestorius tamen realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam cum Ecclesia universa confessus est.

VII. Hæresim verò Nestorianam, præter Nestorium ipsum, qui eam Epistolis, Anathematismis, Sermonibus aliisque Tractatibus vindicavit, propugnavit acriter Eutherius Tyanensis Episcopus. Is ad Eustathium Parnassi Episcopum direxit Opus in Sermones viginti distributum, quos alii S. Athanasio, alii Maximo Martii, alii ignoto alicui tribuendos putarunt, Eutherio verò asserit P. Garnerius S. I. testimonio Marii Mercatoris, qui horum Fragmentum sub nomine Eutherii Nestorianæ partis Episcopi descripsit.

Nestorianam Hæresim Scriptis etiam suis sustentarunt Andreas Samosatensis, & Theodoretus Cyri Episcopus, qui adversùs XII. Anathematismos S. Cyrilli, quibus illa confodiebatur, scripserunt, quasi Apollinaris, Ariique hæresim continerent. De Theodoreto scripsit Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus lib. contra Felicem Urgelitanum: *Inventum medium locum inter Nestorium Hæreticum, & Cyrillum Catholicum, unde pugnans pro veritate, ageret contra veritatem.* Nestorii quoque causam juvit Theodoretus in Pentalogio, id est, in quinque libris adversùs S. Cyrillum, & Synodum Ephesinam editis post Anathematismos, quorum Fragmenta quædam Latinitate donavit Marius Mercator.

§. X.

De Imperatorum Edictis in Nestorium & Nestorianos.

Ecclesiarum pace composita, Religiosissimus Imperator Theodosius lege latâ, & directâ ad Leontium P. P. Anno 435. Nestorii Sectatoribus publicam infamiæ notam inussit, edicens ut *Simoniani*, non Christiani vocarentur: quo modo Arianos *Porphyrianos* appellari sanxerat Constantinus. Vetuit etiam lectionem librorum Nestorii,

eosque undequaque conquisitos ultricibus flammis devoveri jussit. Extat exemplar Sacræ Legis 3. p. Concilii Ephesini cap. 45. & in Codice Theodosiano *de Hæreticis L. ultima.* Cùm verò Nestorius è suo secessu Monasterii Euprepii propè Antiochiam, turbare non desineret, atque Hæresim propugnare, Joannes Antiochenus conversâ vetere erga ipsum amicitia in justam pacis fideique ultionem, ab Imperatore obtinuit, ut in exilium in Oasim deportaretur. Datum est deportationis Edictum initio anni 435. Subinde propter Barbarorum incursiones habitationem mutare coactus, variis miseriis impietatis suæ pœnas luit, quarum Historiam ex ipsius Epistolis refert Evagrius. Tandem exesâ vermibus linguâ, quæ in Christum & Deiparam Virginem Mariam tam horrendas evomuerat blasphemias, ex hac vita ad graviora & sempiterna supplicia migravit. Lege Evagrium lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. Qui tamen errat graviter, cùm scribit cap. 8. Maximianum Episcoparum Constantinopoleos non suscepisse, nisi post mortem Nestorii.

ARTICULUS XIII.

De Eutychiana Hæresi.

§ I.

Quis Eutyches? Quis ejus Error? Et quando exortus?

NOn longo temporis intervallo, Catholica Fides quæ est singularis & vera, cuique nihil addi, nihilve minui potest, à duobus est hostibus appetita: quorum prior Nestorius, Eutyches secundus emersit, qui Ecclesiæ Dei duas Hæreses sibimet contrarias inferre voluerunt, ut uterque à Prædicatoribus veritatis meritò damnaretur; inquit S. Leo Epistola 97. ad Leonem Augustum datâ.

Presbyter erat Eutyches & Archimandrita, id est, Abbas præsidens celeberrimo Constantinopolitanæ civitatis Monasterio, teste Liberato cap. 11. Breviarii. Adversùs Nestorium zelo pugnavit ardentissimo, ut constat ex Epistola VI. S. Leonis ad ipsum datâ, & ex Interlocutione Flaviani Constantinopolitani Archiepiscopi in Concilio Constantinopolitano I. in causa Eutychetis celebrato, Actione IV. Sed Eutychetis Nestorianam in Hæresim zelus secundùm scientiam non fuit. Ipsum enim extremum in errorem abripuit imperitia, quô utramque naturam in Christo miscuit, coalitámque in unam asseruit, sive Christum esse ex duabus naturis, sed non in duabus, id est, duas fuisse ante unitionem naturas, unicam postea: unde illud consectarium, Christum consubstantialem nobis non esse secundùm carnem. Ita ejus errorem exponit Liberatus. De quo in Dissertatione singulari inferiùs agendum. Eutychetis imperitiam prodit S. Leo Epistolâ 13. ad Pulcheriam Augustam datâ, ubi ejus errorem *De imperitia magis, quàm de versutia natum* asserit. Et Epistolâ 15. ait ipsum *Nullâ maturitate cordis ornasse canitiem senectutis.* Et Epistolâ 19. vocat ipsum *Indoctum antiquæ fidei Impugnatorem.*

Cùm Hæresim inter familiares Monachos, aliósque sibi amicitia conjunctos furtim docere cœpisset, Eusebius Dorylæi in Phrygia Episcopus, cui cum Eutychete amicitia intercedebat, ipsum privatis monitionibus corrigere tentavit, quòd cùm frustrà fecisset, rem detulit ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum. Id constat ex Liberato, & ex Breviculo Historiæ Eutychianistarum, quod edidit Sirmondus post appendicem Codicis Theodosiani. Exorta est Eutychetis Hæresis anno Christi 448. S. Leonis Pontificis Maximi 9. Theodosii Junioris 41. & Valentiniani 24. anno post Ephesinum Concilium, 18.

§. II.

Quomodo Eutyches ad Concilium I. Constantinopolitanum velut Hæreseos reus delatus fuerit; & quid Gestum Actione 1.?

ANno Christi 448. Flavio Zenone, & Posthumiano Coss. Synodum Constantinopoli Flavianus celebrabat ad dirimendam litem Florentii Sardorum Episcopi, Lydiæ Metropolitani, adversùs duos Episcopos suæ Provinciæ, Joannem & Cassinium; cùm Eusebius Dorylæi libellum Patribus obtulit adversùs Eutychetem Archimandritam. Id constat ex istius Concilii Actione 1. ex Evagrio lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. & ex Liberato in Breviario cap. 11. Libellus ab Eusebio datus habetur Actione I. Concilii Chalcedonensis. Incipit: *Optaveram quidem.* Ejus singularem aliquem errorem non prodit; sed vagâ quadam querimonia accusat, quòd ausus sit adversùs Salvatorem omnium nostrûm Christum blasphemam linguam movere, & SS. Patres Hæreticos nominare, & ipsum Eusebium Hæreticis semper repugnantem, Patrum Sectatorem, in Fide Nicæna permanentem, Ephesinæ Synodo & Cyrilli Anathematismis religiosè consentientem. Addit, ipsum effræni lingua negare piissimam Rectæ Religionis doctrinam. Obtestatur denique Patres per Sanctam & ὁμοούσιον Trinitatem, & per salutem & incolumitatem piissimorum Imperatorum, ut jubeant Eutychetem coram Concilio se sistere, mox enim se illum Hæreseos & impietatis convicturum.

Libelli auditâ lectione, Patres Eusebium rogarunt, ut pro jure amicitiæ adiret Eutychem, ipsique persuaderet meliora. Renuit Eusebius, se nihil neglexisse asserens, ut eum ad rectam fidem revocaret, monuisse, docuisse, increpuisse, quod multorum testimoniis se pollicitus est probaturum, & omne adversùs ipsum oleum operámque perdidisse. Quamobrem Patres Joannem Presbyterum & Defensorem & Andream Diaconum ad Eutychem miserunt, qui in ejus impietatem inquirerent, eumque ad Synodum vocarent.

§. III.

Quid gestum sequentibus Actionibus Concilii Constantinopolitani I. adversùs Eutychem usque ad VII.

ACtione II. pridie Idus Novembris habitâ, lectæ ac probatæ sunt S. Cyrilli Epistolæ duæ, una ad Nestorium, altera ad Synodum Orientalem & Joannem Antiochenum, tempore initæ pacis data: quarum approbatione, Eutychetis error anticipato judiciô proscriptus est. Notanda est inter alias Flaviani Sententia. *Lectæ sunt*, inquit, *Epistolæ sanctæ memoriæ inter Sanctos Patris nostri Cyrilli, diligenter SS. Patrum, qui in Nicæa convenerunt, sensum interpretantis, docentis ea quæ nos sapuimus semper & sapimus; quia Dominus noster Jesus Christus Filius Dei unigenitus, Deus perfectus, & homo perfectus est, ex anima rationali & corpore, ante omnia quidem sæcula ex Patre sine initio genitus secundùm deitatem: in fine autem & in novissimis temporibus idem ipse propter nos & propter nostram salutem de Matre Virgine natus secundùm humanitatem: Consubstantialis Patri secundùm deitatem, & consubstantialis Matri secundùm humanitatem. Etenim ex duabus naturis confitemur Christum esse*

post

post Incarnationem, in una subsistentia, & in una persona unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitentes. Volentes autem præter hæc sapere, abdicamus à sancta Sacerdotali Synodo, & Ecclesiæ plenitudine.

Tandem ubi Patres singuli Sententiam dixissent, intercessit Eusebius Dorilæi, ut Episcopi Constantinopoli degentes, sed absentes à Synodo, sive infirmitatis ratione, sive quòd illos convocatio Synodi lateret, per Notarios monerentur, qui perlegentes, Acta hucusque in Concilio, eorum Sententiam exciperent. Annuit Eusebio Flavianus Concilii Præses.

Actione 3. Eusebio Dorylæi intercedente, Joannes Presbyter & Andreas Diaconus, qui ad Eutychem directi fuerant à Sancta Synodo, referunt Flaviano jubente, quid responsi dederit Archimandrita: nempe quòd Libellos ei cùm legissent, dedissent exemplaria, patefecissent accusatorem, jussissent Flaviani & Patrum nomine ut Synodo se sisteret, ipsum renuisse hoc prætextu, quòd è Monasterin nunquam exire suô decrevisset, quò velut sepulcro esset inclusus. Eusebii accusationem detractionis & injuriæ loco habendam à Patribus, tanquam ab homine veteres secum inimicitias fovente fabricatam. Paratum se esse Decretis Nicænorum ac Ephesinorum Patrum subscribere; neque tamen subscribere se Patrum placitis, si in aliquo ipsos errasse contigisset: solas autem Scripturas sectari, tanquàm firmiores Patrum expositionibus. Unam se agnoscere naturam Dei incarnati, & humanati. Innoxium se esse à Valentini errore, nec dixisse usquam, Quòd Deus Verbum carnem de cælo detulisset.

His Synodo renuntiatis, placuit Patribus ut secundò vocaretur Eutyches ad Concilium per Mamam & Theophilum Presbyteros; quam citationem sicut & priorem elusit, sibi constitutum asserens, non egredi è Monasterio citra mortis necessitatem. Tertiò tandem vocatus est per Memnonem Presbyterum & sacrorum vasorum Custodem, Epiphanium item Presbyterum, & Germanum Diaconum.

Actione 4. Abraamius Presbyter & Monachus cum aliis Monachis, Eutychetis nomine ad Concilium venit, qui ægrotare Archimandritam mentiti sunt; & habere se ab ipso dixerunt in mandatis, quæ Synodo exponerent interrogati. Flavianus Concilii Præses responsum dedit charitatis plenum. *Et intermittimus nos*, inquit, *non urgemus. Dei enim est dare sanitatem; nostrum autem expectare sospitatem ipsius. Neque enim in abscissionem inspicimus, sed ad incrementum. Nec enim Deus delectatur in perditione virorum: nec sumus filii inhumanitatis, sed clementiæ Dei. Ad misericordia enim opera à Deo facti sumus.* Rursus Abraamium allocutus est Flavianus his verbis: *Quomodo, rogo te, est possibile altero accusatô, pro eo alterum dicere? Sed magis intermittimus, & non urgemus; adveniat huc, ad Patres veniat, & ad fratres. Accusator ejus instat; & debet satisfacere. Homines sumus. Multi & magni scandalizati sunt, & per imprudentiam & imperitiam decepti sunt, putantes se recta sapere. Pœnitentia non affert confusionem, sed permanere in peccato opprobrium est. Sed magis adveniat, & confitenti ei delictum, & anathemanzanti, dabimus pro præcedentibus veniam: & de futuris nos & Sanctam Synodum muniat, quòd similia expositionibus SS. Patrum sapiat, & præter has postmodum neque doceat aliquos, neque in aliquorum præsentia disputet.*

Die 17. Novembris dùm quintus ageretur Synodi consessus, Memnon, Epiphanius, & Germanus ad Concilium redierunt, quid cum Eutychete egissent, expositurí. Responderat ipsis Eutyches, missum à se Abraamium, qui ejus nomine consentiret omnibus Nicænorum Patrum & Ephesinorum Decretis, necnon S. Cyrilli Capitulis & Epistolis. Cæterùm cùm ab ipsis urgeretur, petierat septem dierum inducias ut affectam valetudinem confirmaret, pollicitus se sequentis hebdomadis Feria secunda Concilio præsto futurum. Hæc vix retulerant Deputati, cùm Eusebius Dorylæi, zelo abreptus expostular ne magnifica illa promissa Eutychetis aliquatenus derogent causæ non tam suæ, quàm religionis: non satis esse ut subscribat Eutyches veritati; damnandum, ni pro iis quorum accusatus, & mox convincendus est, satisfaciat: non dimitti furem è carcere, etsi spondeat se nusquam furta perpetraturum, sed patibulo damnari pro furtis ante admissis: ita non dimittendam Eutychetis causam, quidquid in posterum polliceatur, ni revocet prolatos & jam disseminatos errores, ac Ecclesiæ satisfaciat.

Interim eodem Eusebio intercedente, qui ad Monasteria missi fuerant Presbyteri, ut de seditiosis ausibus Eutychetis inquirerent, ad Synodum retulerunt, se didicisse ab Archimandrita Martino, perlatam fuisse ad ejus Monasterium Eutychetis nomine Carthulam à Constantino quodam Diacono, cui ut subscriberet enixè rogabat, asserens, Non aliam in ea Fidem contineri, quàm quæ in Nicæna Synodo jurata, & quæ à S. Cyrillo recepta traditaque esset, nec-non ab Ephesino Concilio approbata. Respondisse verò Archimandritam Martinum: *Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantum est.*

His & aliis testimoniis cùm Eutychetem turbas in Monasteriis excitare, ac hæreseos virus diffundere constitisset, Eusebius Dorylæi ejus accusator intercessit ut canonicæ vindictæ subjaceret, & Sacerdotio exutus, Monasterii deturbaretur principatu, ceu hæreseos, seditionis, perjuriique reus: perjurii quidem, quia venturum se ad Concilium spondebat, quamvis fidem suam (ut dixerat) obstrinxisset, quòd è Monasterio nusquam exiret. Visum est Flaviano & Patribus, ferri quidem sententiam posse adversùs Eutychetem secundùm Canones; ipsi nihilominùs concedendas, quas rogaverat inducias, propter pleniorem causæ discussionem, & accuratiùs examen. Nî verò sistat se Synodo statuta die, Sacerdotio & Monasterii Præfecturâ spoliandum.

Die 20. Novembris Patribus sextò considentibus, jussit Flavianus, postulante Eusebio Dorylæi, ut testes ad convincendum Eutychetem necessarii, statâ die, ad Synodum vocarentur. Audita est deinde Mamæ & Theophili relatio, qui ad Eutychetem nomine Concilii conveniendum perrexerant. Exposuerunt illi Patribus, quas audiverant ab errone Archimandrita blasphemias; & quòd dixisset, Nunquam duas in Christo naturas se agniturum.

§. IV.

Quid Gestum actione septimâ?

INduciis sibi à Concilio datis abusus Eutyches ad Theodosium Imperatorem confugit, eique per Chrysaphium Eunuchum, quem de sacro Fonte susceperat, commendatus, ab eo obtinuit ut cum Patricio Florentio & Magno Silentiario Concilium illud Flaviani ingrederetur. Timere enim se dicebat Flaviani calumnias. Fnit autem Chrysaphius inter Imperiales Cubicularios Primatius, apud Theodosium potentissimus, Flaviano infensissimus. Odii quô in Sanctissimum Archiepiscopum exarsit, ea fuit causa. Consecratu Flaviano, Chrysaphius munus benedictionis ab ipsô postulavit, quod Imperatori, electionis gratiâ, offerret. Flaviann panes puros misit. Aureum benedictionis donum mittendum dixit Chrysaphius. Flavianus respondit, Non esse

sibi auri copiam, nisi ad hoc sacris Templorum donariis uteretur. Ipsum verò Chrysaphium optimè, nôsse, sacra vasa Deo & pauperibus esse consecrata. Chrysaphius ob repulsam invidiâ percitus, omnem funem movit ut Flavianum Sede sua deturbaret. Hæc tot malorum origo. Eunuchus enim, cum se optatis frui non posse intelligeret, Pulcheria Theodosii sorore summam rerum administrante, Eudoxiam adversùs ipsam concitavit, eique author fuit, primò ut Præpositum omnia pro ejus nutu gerentem, illi ademptum, sibi adsciscoret. Id ut obtineret Eudoxia, frustra Theodosii tentavit animum. Id consilii cùm faustè non cessisset Chrysaphio, aliud molitus est. Suasit nimirum Eudoxiæ, ut Imperatorem instigaret, quô ille secretò Pulcheriam Diaconissam ordinaret. Inflexit Imperatoris animum importunis precibus Eudoxia. Theodosius indicavit arcanum Flaviano. Flavianus consilium omne detexit Pulcheriæ, monens ne in conspectum suum veniret, ne fortè Imperatoris mandata sibi illique parum grata exequi cogeretur. Ex Aula secessit Pulcheria, misso ad Eudoxiam Præposito, & privatam aliquandiu vitam egit. Ex hoc magìs infensus Flaviano fuit Chrysaphius, qui ipsum Theodosio & Eudoxiæ suspectum fecit ac invisum, quòd arcanum Imperatoris patefecisset. Hæc refert Nicephorus lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 46.

Chrysaphius igitur Eutychetem adversùs Flavianum tueri ac fovere aggressus, persuasit Imperatori ut Florentium Patricium, cum imperio, Synodo interesse juberet, ne quid detrimenti pateretur Ecclesia. Ea de re Mandatum Principis ad Concilium per Magnum Silentiarium perlatum est, quod incipit: *Nos pacem cogitamus sanctarum Ecclesiarum.* Theodosii Mandatum festivis acclamationibus Patres excepere: *Magna fides Imperatorum. Orthodoxis Imperatoribus multos annos. Pio & orthodoxo Imperatori: Pontifici Imperatori.* Venit ad Concilium & Euthyches cum turbulenta Monachorum phalange, Prætorianorumque Militum manu. Florentio Patritio, & Magno Silentiario præsentibus, relecta sunt Acta Concilii. Ubi ad illam partem secundæ S. Cyrilli Epistolæ ventum est, quæ duarum in Christo naturarum inconfusam unionem asserit, jussus est Eutyches exponere, an unionem ex duabus naturis confiteretur? An assensum iis præberet quæ à Sancto Cyrillo scripta erant: An post Incarnationem, Christum nobis consubstantialem agnosceret? Errorem dissimulare suum conatus est perfidus Archimandrita, cavillis interrogationes Patrum eludere. Primò, confiteri se dixit unionem ex duabus naturis. Secundò, fidem de Trinitatis Mysterio suam exposuit. Tertiò, fassus est, se huc usque Christum nobis consubstantialem non dixisse. Quartò, se consubstantialem nobis Christum dicere, jubente Synodo. Quintò, hæresim prodit duas quidem asserens naturas ante unionem: unam verò post unionem. Urget illum sancta Synodus. *Oportet*, inquit, *te clarè confiteri, & anathematizare omne dogma, quod contrarium est his, quæ modo lecta sunt.* Tergiversatur Eutyches. *Dico*, inquit, *quia jussistis, licet huc usque non dixerim: sed Patres non anathematizo. Ego legi scripta B. Cyrilli, & SS. Patrum, & S. Athanasii: Quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem: post Incarnationem autem & adunationem, non jam duas, sed unam naturam dixerunt.*

Sancta Synodus hæreticum compertiens Eutychetem, & necessitate quadam ac Patrum imperio adductum, ut consubstantialem nobis Christum fateretur, exclamavit: *Quæ ex necessitate est, fides non est.* Tum ore Flaviani Præsidis sui sententiam dixit in Eutychem hoc tenore: *Per omnia Eutyches quondam Presbyter & Archimandrita, Valentini & Apollinaris perversitatibus compertus est ægrotare, & eorum blasphemiis incommutabiliter sequi; qui nec nostram reveritus persuasionem atque doctrinam, rectis noluit consentire dogmatibus. Unde illachrymati & gementes perfectam ejus perditionem, decrevimus per Dominum nostrum Jesum-Christum, quem blasphemavit est, extraneum eum esse ab omni Officio Sacerdotali, & à nostra communione, & primatu Monasterii; scientibus hoc omnibus, qui cum eo exinde colloquentur, aut eum convenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœna excommunicationis.*

Huic Synodo subscripserunt Episcopi 32. Abbates verò 23. sed notandus est longè diversus subscribendi modus Episcoporum & Abbatum. Illi enim subscribunt hâc formulâ: *Basilius Episcopus N. judicans subscripsi.* Hi verò sic: *N. Presbyter & Archimandrita, subscripsi in depositione Eutychetis.* Quo ex discrimine colligitur, Episcopos Conciliis adesse ut Judices, Abbates verò ut honorificos spectatores: illos Sententiam dicere; istos Sententiæ ab Episcopis latæ assensum præbere.

Hujus Concilii Historia deprompta est ex Actis ipsius, Actione 1. Concilii Chalcedonensis relatis, ex Liberato *in Breviario cap.* 11. ex Evagrio *Lib.* 1. *Histor a Ecclesiastica cap.* 9. & ex *Breviculo Historia Eutychianistarum.*

§. V.

Eutyches S. Petri Chrysologi patrocinium imploravit. Quid responderit Episcopus Ravennas?

EUtychem patrocinium S. Petri Chrysologi Ravennatis Episcopi implorasse, ut ipsi faveret apud S. Leonem Romanum Pontificem, vel ut causæ ipsius etiam Judex esse vellet, constat ex Epistola S. Petri Chrysologi ad Eutychetem ipsum datâ, quæ incipit: *Tristis legi tristes literas tuas.* Ea in Epistola tria præstat Sanctus Episcopus. Primò, luget nimiam do Mysteriis Fidei disputandi pruriginem. *Triginta annis*, inquit, *humanæ leges humanas adimunt quæstiones, & Christi generatio, quæ divinâ Lege scribitur inenarrabilis, post tot sæcula disputatione temerariâ ventilatur.* Secundò scribit, se Mediatorem ipsum inter & Flavianum esse non posse, cùm nihil hacce de causa scripserit ad ipsum Flavianus. Justum quippe Mediatorem esse non posse, qui partem utramque non audit. *His omnibus respondi, Frater, Literis tuis*, inquit, *plura rescripturus, si ad me Frater & Coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset. Si enim tibi displicet, quoniam scripsisti electum judicium, nos quomodo de his judicare poterimus, quos neque vidimus propter absentiam, & quid intellexerunt eorum taciturnitate nescimus? Justus Mediator non est, qui sic unam partem audit, ut nihil alteri parti reservet.* Tertiò, Eutychetem hortatur, ut morem gerat Pontifici Romano cujus authoritatem luculenter asserit his verbis: *In omnibus autem hortamur te, ut his quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt obedienter attendas: quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & Fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas Fidei audire non possumus.* Caussas Fidei Summi Pontificis judicio peculiariter dirimendas scribit Ravennas.

Judicium caussarum Fidei Romano Pontifici reservatum. Ipse scilicet divino jure est controversiarum fidei judex.

§. VI.

§. VI.

Quid post Synodum Constantinopolitanam gestum sit in causa Eutychetis?

DAmnatus à Flaviano & Constantinopolitana Synodo Eutyches, ad Romanum Pontificem confugit, seu appellavit, ipsumque circumvenire aggressus est. Conquestus est, quòd immeritò accusatus esset hæreseos ab Eusebio; quòd nihil in ejus Fide reprehensione dignum expressè & evidenter ostendisset Accusator; quòd vocatus ad judicium, se sistere non denegasset; quòd privatus Communione esset, quamvis Nicænam Fidem profiteretur; quòd denique Libellus appellationis, quem obtulerat, non fuisset susceptus. S. Leo de his quæ Constantinopoli gerebantur, non admonitus à Flaviano, ne vel innocentem condemnaret, vel reum absolveret, ad Theodosium Flavianumque scripsit (Epistolis 7. sive 20. in editione P. Quenellii, & 21.) Protinus rescripsit ad Summum Pontificem Flavianus, & Acta Constantinopolitanæ Synodi in causa Eutychetis, simul cum Epistola, ad eum misit. Acceptis Literis Flaviani, Leo opem operamque suam adversùs Eutychen pollicetur; & per illustrem Virum Rhodanum Epistolam misit, quam ex Codice Cardinalis Grimani primum edidit P. Quenellius ordine 22. quam & alia secuta est ad Theodosium, in quâ Nicænæ Fidei se inhærere professus, Nestorii & Eutychis dogmata condemnat, postulatque Synodum intra Italiam congregari... (Epistola 23.) In ea ampliores Literas promittit, per Flaviani Nuntium perferendas: fuitque illa celebrata adeò ad Flavianum Epistola 24. sive aliàs 10. quam laudavit, probavitque Chalcedonensis Synodus.

Interea novas turbas Constantinopoli excitabat Eutyches, publicis palàmque propositis Scriptis contestatus, se injuriam passum, Actaque Concilii Constantinopolitani per Notarios diminuta falsataque arguens. Hac de causa oblatò Libello Imperatori, Acta Synodi retractari obtinuit, favente Chrysaphio Eunucho. Edixit itaque Theodosius, ut iidem Episcopi Constantinopolim convenirent, Præside Thalassio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, & Florentio Patritio præsente, Acta prioris Synodi ad amussim examinarentur. Ista patent ex Epistola Flaviani ad S. Leonem, quæ extat p. Concilii Chalcedonensis c. 4. ex Liberato cap. 11. Breviarii & ex Libello Eutychetis porrecto Imperatori, cujus exordium est: *In omnibus mihi post Deum.* Qui insertus est Actioni 1. Concilii Constantinopolitani II. relectæ Actione 1. Concilii Chalcedonensis.

§. VII.

De secundo Concilio, seu Conventu Constantinopolitano in causa Eutychetis.

ANno Christi 449. ineunte Aprili, Conventus Episcoporum Constantinopoli, eâ, quâ dixi, de causa, celebratus est. In eo ut causam per Procuratorem ageret Eutyches, ab Imperatore concessum: nec valuit Eusebii Dorylæi exceptio, Non licere in ejusmodi causis alterum pro altero decertare. Admissi sunt igitur in Concilium Constantinus, Eleusinius, & Constantius Monachi, Eutychetis Procuratores, Macedonius Tribunus & Notarius, nomine Imperatoris, ab Episcopis postulavit, ut juramenti religione confirmarent veritatem vel falsitatem Actorum ab utraque parte prolatorum. Conditionem recusarunt Episcopi, & Basilius Seleuciensis intercessione suâ obtinuit ne jurare cogerentur. *Hactenus,*

Antiqua consuetudo, ut Episcopis sine juramento crederetur.

A inquit, *juramentum Episcopis nescimus oblatum.* Recitato deinde Eutychetis Libello & Mandato Imperatoris, jussi sunt adesse Notarii Flaviani, qui Acta Synodalia exceperant, Asterius, Aëtius, Asclepiades, Nonnus atque Procopius. Hi, jubentibus Episcopis, Acta à se conscripta protulere. Ediderunt & alia Eutychetis Procuratores, sed non autographa. Examinata sunt accuratè, nec in iis immutatum aliquid, aut depravatum inventum est. Tum de Eutychetis appellatione disceptatum. Ejus mentionem ingessit Constantinus Diaconus dicens: *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellasse sanctum Concilium sanctissimi Episcopi Romani, Alexandrini, & Jerosolymitani, & Thessalonicensis:* hæcque Actis non connecti conquerebantur Eutychetis Procuratores. Id confirmabat Florentius Patricius, B dicens: *Turbâ factâ, & dissolutò Conventu, dixit ad me silenter, Appellans Romanum, & Ægyptium, & Jerosolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens esse hoc latere Sanctissimum & Reverendissimum Archiepiscopum Flavianum, abscedens dixi ei.* Basilius Episcopus dixit: *Jam in veritate dico, adhuc ipsô Conventu sedente, & proponente hoc sancta Synodo, ut diceret iste duas naturas inseparabiles & inconfusas in uno Domino, idque post adunationem, scio quia dixit Religiosus Archimandrita Eutyches. Si præceperint mihi patres Romani & Alexandrini, dico hoc ipsum: hoc autem non quasi appellans dixit, sed dicens. Non sum ausus dicere propter Patres.* Rogati C Patres de appellatione, nihil auditum omnes responderunt. *Dum esset Concilium, & interrogatio proveniret,* (inquit Seleucus Episcopus) *nihil tale cognovimus dictum ab Archimandrita Eutyche de appellatione. A Reverendissimis Episcopis dictum est, Et nos eadem confitemur.* Itaque verè scripserat Flavianus ad S. Leonem de Eutychete: *Libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate, dicens, judicii tempore Libellos se dedisse appellationis & nobis, & hic convenienti sancto Concilio, & appellasse vestram Sanctitatem, quod nequaquam ab eodem factum est.* Sed etsi judicii tempore, sive dum legeretur damna-D tio, aut ipso Conventu adhuc sedente, Romanum Pontificem non appellaverit, ex quo factum est ut Actis inserta non fuerit hujusmodi appellatio; inde tamen perperam colligitur Eutychetem dissoluto Concilio non appellasse majorum Sedium Episcopos, & Romanum præcipuè, apud cujus Apostolicam Sedem persecutus appellationem suam est, accusatorio Eusebii Dorylæi Libello, & mediis suæ defensionis ad S. Leonem transmissis, ut constat ex Epistola S. Leonis ad Flavianum. (Epistola 8.) Hinc est quòd Eutychetis causa coram Sede Apostolica pendente, Flavianus S. Leonem rogabat, ut Sententiam in ipsum latam Constantinopoli confirmaret: *Conventus* E *itaque, Sanctissime Pater, in his omnibus quæ ab eo præsumpta sunt, pro consuetâ fiduciâ fiducialiter age, secundum quòd Sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversùs eum regulariter factam per propria scripta dignare.* Id præstitit causâ cognitâ S. Leo. Unde Chalcedonenses Patres in Synodica ad ipsum ita scribunt de Dioscori Alexandrini nefariis ausibus: *Eutychen pro impietate damnatum, sua tyrannidis decretis innoxium statuis, & dignitatem quæ à vestrâ illi ablata fuerat Sanctitate, restituis.*

Eutychetis appellatio ad Romanum Episcopum, & alios majorum Sedium Episcopos.

F Quæri potest cur Eutyches appellando majorum Sedium Episcopos, aut eorum Concilia, Domni Antiocheni Episcopi non meminerit? Respondeo rationem hujus silentii multiplicem proferri posse: Præcipuæ sunt, quòd Orientalis Diœceseos Episcopi Nestorianismi apud ipsum suspecti essent: quòd Domnus contra ea sancti Cyrilli Capitula scripsisset olim, teste Liberato, cap. 12. Breviarii: quòd Joan-

Cur Eutyches appellans majorum Sedium Episcopos, Domni Antiocheni non meminerit?

nis Antiocheni ex sorore nepos esset: quòd Theodoreto Cyri Episcopo, & Flaviano Constantinopolitano, studiis & partibus conjunctus esset, adversus quos jam conspiraverant Eutyches & Dioscorus Alexandrinus: tum denique, quòd Domnus, cum sua Synodo, primus omnium Eutychem ejusque infandam Hæresim oppugnaverat, ut testatur Facundus Hermianensis lib. 12. cap. ultimo, & lib. 8 cap. 5. ubi & Synodicam ejusdem Patriarchæ ad Theodosium Augustum Epistolam contra Eutychen refert.

Cur Eutyches Thessalonicensem Episcopum inter majorum Sedium Antistites appellavit?

Quæri secundo potest, cur Thessalonicensem Episcopum inter majorum Sedium Antistites appellaverit Eutyches? Respondeo: quia etsi Diœcesis Illyrici Orientalis, cujus caput erat Thessalonicensis Episcopus, Occidentis Patriarchæ subdita esset; quia tamen iis temporibus ab Occidentali Imperio recisa erat, par erat singularem ejus mentionem fieri, cujus scilicet Episcopi Occidentalis Patriarchæ Concilio se sistere non solebant, nec poterant sine Orientalis Imperatoris Edicto. Præterea hæc Diœcesis amplissima erat, magnisque prærogativis decorata; à suo peculiari Præfecto Prætorio regebatur, Thessalonicensis Episcopus consessûs honorem præ cæteris obtinebat in Conciliis, ut patet ex Ephesino, ubi post Jerosolymitanum & Ephesinum Episcopos, & ex Chalcedonensi, ubi post Patriarchas locum suum habuit. Denique spetabat Eutyches ex Illyricianis Episcopis plurimos sibi indulgentiores futuros, ut revera fuerunt: Dioscoro enim adhærentes in Latrocinio Ephesino, Eutychetem suo suffragio absolverunt, damnarunt Flavianum, aliosque Catholicis dogmatis defensores. Unde in Concilio Chalcedonensi præ omnibus *Illyriciani, & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi, clamaverunt: Omnes peccavimus, omnium miseremini.*

Die 27. Aprilis ejusdem anni 449. habita est altera Sessio Conventûs Constantinopolitani. Lectus in eâ est alter Eutychetis Libellus supplex Imperatori porrectus, quô rogabat, ut Magnus Silentiarius scriptis profiteretur, quæ audiverat & viderat. Annuit Eutychetis supplicationi Theodosius. Testatus est Silentiarius, se accepisse à Flaviano, antequam de Eutychetis damnatione in Synodo ageretur, jam Eutychetem esse damnatum, scriptum scilicet damnationis Libellum, quem Synodo porrecturus esset. Sed & Asterii Presbyteri testimonio assertum est & monimentis commendatum, prioris Synodi Acta fuisse à Notariis immutata. His cavillis illusum est legitimo prioris Synodi de Eutychete judicio, faventibus perfido Hæresiarchæ Magistratibus, in gratiam Chrysaphii. Hæc videre est Actione 1. Concilii Chalcedonensis, & apud Liberatum cap. 11.

Postea expetivit Imperator à Flaviano Fidei Professionem manu ejus exaratam & subscriptam. Paruit sacris Mandatis Flavianus, misitque ad Theodosium Professionem illam, quæ incipit: *Nihil ita convenit Sacerdoti Dei*, &c. Extat 1. p. Concilii Chalcedonensis, & refertur à Liberato cap. 11.

§. VIII.

Indicitur à Theodosio Imperatore Ephesina II. Synodus, quæ vulgò Prædatoria dicitur.

CUm Eutyches communionem à S. Leone extorquere non potuisset inauditò Flaviano, Synodum à Theodosio impetravit, ope Chrysaphii Eunuchi, & Dioscori Alexandrini malis artibus: ac ne præsidentibus Legatis, quos à S. Leone Pontifice Maximo mittendos prævidebat, confirmaretur Sententia damnationis in se lata in Synodo Flaviani, curavit Chrysaphii operâ ut Synodi Primatus Dioscoro Alexandrino deferretur speciali Rescripto Theodosii. Edictum ad Dioscorum extat Actione 1. Concilii Chalcedonensis. Incipit. *Cunctis constitit manifestum* Alias direxit literas ad eundem Dioscorum, quæ incipiunt: *Antehac quidem.* Utrisque literis cavet, ne Theodoretus intersit Synodo; utrisque Primatum Dioscoro defert in causa Eutychetis judicanda. Nominatim rejectus est Theodoretus à Concilio, hoc quidem prætextu, quòd in Anathematismos S. Cyrilli scripserat, reipsâ verò quia Eutychianæ doctrinæ erat apertè contrarius. Quoad primatum verò & præsidendi honorem Dioscoro delatum, hæc ad ipsum Theodosius scribit: *Necessarium duximus his sacris Literis uti ad tuam Reverentiam, per quas manifestum facimus tuæ Beatitudini, & universæ Sanctæ Synodo, quòd nos regulas Sanctorum Patrum sequuti, non solum propter Theodoretum, sed etiam alios omnes qui ad congregatam Sanctam Synodum pertinent, auctoritatem & primatum tuæ præbemus Beatitudini.*

Jussit Theodosius adesse Concilio & Barsumam, è Syria Archimandritam, scelere & perfidiâ notum, & vices agere omnium Monachorum Orientales Episcopos accusantium, ut refert Liberatus cap. 12. Extant Epistolæ hac de causa scriptæ tum ad Dioscorum, tum ad Barsumam ipsum, à Theodosio, Imperatore, Actione 1. Concilii Chalcedonensis, quibus constat, facinorosissimum illum Abbatem directum fuisse ad Concilium, nedum ut accusatorem Episcoporum Orientalium, quos Nestorianæ hæreseos fuligine infuscatos calumniabantur Monachi nequissimi, Eutychetis sectatores; verùm etiam ut Judicem futurum cum Episcopis. *Placuit eum considere tam tuæ Sanctitati, quàm universis Sanctissimis Patribus ibidem convenientibus: quatenus Deo placita de omnibus sententia proferatur*; (inquit Theodosius ad Dioscorum scribens.) Et in Epistola ad ipsum Barsumam: *Justum esse duximus tuam Sanctitatem ad Ephesinam civitatem pergere, & locum tenentem omnium Religiosissimorum Archimandritarum Orientalium, considere sanctæ Synodo quæ ibidem disposita est, & cum aliis Sanctissimis Patribus & Episcopis, quæ sunt Domino placita ordinare.* Duo tentavit contra Canones Theodosius. Primò detulit præsidendi munus Dioscoro Alexandrino, quod Romani Episcopi erat singulare. Secundò, Barsumam flagitiosum Archimandritam suffragandi jure donavit, summâ in Ecclesiasticas Regulas injuriâ.

Theodosius Imp. duo contra Ecclesiæ Regulas attentavit.

Subreptum fuisse Principi quoad utrumque caput, rectè observat Illustrissimus & Doctissimus Antistes Petrus de Marca. Primò quoad munus præsidendi Dioscoro adjudicatum. Primatum enim in futura Synodo ipsi decrevit Theodosius *secundùm Canones*. Suggestum scilicet fuit Imperatori, primum à Romano Episcopo locum, juxta Nicænos Canones, Alexandrino deberi. Quare absente Leone Romano, primas deberi Dioscoro Alexandrino, præ Legatis etiam Sedis Apostolicæ. Quod præjudicio etiam Synodi Ephesinæ prioris confirmabatur, cui Cyrillus Alexandrinus præfuerat. Facile autem fuit obrepere Theodosio forsan ignoranti Cyrillum vice Romani Pontificis Celestini Ephesino Concilio præfuisse. Eadem facilitate subreptum fuit Principi quoad Barsumam; tum quia Ecclesiæ Regulas ignorabat; solis Episcopis suffragandi jus in Conciliis Oecumenicis tribuentes: tum quia ipsi fuerat à Chrysaphio Eunucho insusurratum, Barsumam puritate vitæ, & Catholica Fide esse probatissimum, & Nestorianorum Episcoporum in Orientis partibus hostem acerrimum; uti ipse ad Dioscorum scribit.

S. Leonem ad Concilium invitavit Imperator, Ephesi ad Kalendas Augusti ejusdem anni 449. celebrandum, missâ per Epiphanium Tribunum Epistola. Excusavit se apud Theodosium Pontifex, tum propter temporis angustias; tum propter imminens Romæ ab Hunnis periculum; tum quòd

consuetudo

consuetudo non esset Romanum Pontificem extra Italiam Synodo interesse; quæ tamen, si celebranda videretur, convenientius esse ut congregaretur in Italia. Hæc habentur ex Epistola 13. S. Leonis ad Pulcheriam Augustam, & ex Epistola 9. ad Theodosium Imperatorem.

§. IX.

Sanctus Leo misit Legatos ad Ephesinam Synodum II.

CUm obtinere non potuisset Sanctus Pontifex à Theodosio, ut vel Synodum omnino revocaret, vel in aliquam Italiæ Urbem transferret, decrevit Legatos mittere Ephesum, qui suo nomine Concilio interessent, & auctoritate sua cuncta peragerent. De his scribit ad Pulcheriam Augustam, Epistola quæ extat. 1. p. Concilii Chalcedonensis XII. *Quia igitur ad publicam utilitatem pertinuisse cognoscitis, ut salvâ Clementiæ vestræ venia, charitati me & precibus civium non negarem: in his Fratribus meis, quos vice mea misi, me quoque adesse cum cæteris qui adfuerint, existimate: quibus secundùm causam satis mihi & gestorum serie, & ipsius, de quo agitur, professione patefactam, evidenter & planè quid servandum esset ostendi. Non enim de portiuncula aliquâ Fidei nostræ, quæ minùs lucidè declarata sit, quæritur; sed hoc stolidissima insultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia sua neminem utriusque sexûs voluit ignorare: si quidem ipsa Catholici Symboli brevis & perfecta Confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata Sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.*

De iisdem Legatis scribit ad Theodosium, Epistola 17. *Quamvis*, inquit, *ad diem Concilii Episcopalis, quem Pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cùm nec uliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere Civitatem; præsertim cùm tam evidens fidei causa sit, ut rationalibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum; tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum studium commodavi ut Clementiæ vestræ Decretis aliquatenùs pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis pro causæ æquitate sufficiant, quique præsentiæ meæ impleant vicem: quia non talis quæstio orta est, unde aut possit, aut debeat dubitari.*

Et Epistola 19. quæ est secunda ad Ephesinam Synodum, Legatos illos nominibus suis designat; quibus & conditiones præscribit, quibus Eutychetem, si fortè resipiscat, recipere debeant. *Quia*, inquit, *piè ac religiosè Christianissimus Imperator habere voluit Episcopale Concilium, ut pleniori judicio omnis possit error aboleri: fratres meos Julium Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarum Diaconum, cùmque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei misi, qui vice mea sancto Conventui vestræ Fraternitatis intersint, & communi nobiscum Sententia, quæ Domino sint placitura constituant. Hoc est, ut primitùs pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur: si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus Hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plenè apertèque, propriâ voce, & subscriptione damnaverit.*

S. Leo vetat ne restituatur Eutyches, nisi sensus Hæreticos plenè apertè, propriâque subscriptione damnaverit.

De his etiam scribit in celebri Epistola ad Flavianum, quæ in antiquis editionibus ordine decima est, in editione verò Quenelli 24. *Ad omnem verò causam*; inquit, *piè ac fideliter exequendam, fratres nostros, Julium Episcopum, & Renatum Presbyterum Tituli S. Clementis, sed & filium meum Hilarum Diaconum vice nostra direximus. Quibus Dulcitium Notarium nostrum, cujus fides nobis est probata, sociavimus.*

Julium Episcopum Puteolanum, non Julianum Coënsem ad Synodum Ephesinam secundam, ut Apostolicæ Legationis caput missum esse, constat ex MSS. optimæ notæ Codicibus Epistolæ S. Leonis ad Flavianum, aliarumque Epistolarum, in quibus Legatos à se missos nominat. Constat etiam ex Evagrio lib. 1. cap. 10. ex Chronico Prosperi, ex Breviculo Historiæ Eutychianistarum, quem edidit P. Sirmondus, ex Nicephoro Callisto lib. 14. cap. 47. ex lib. de Romanis Pontificibus, ex Mariano Scoto, &c. Id prætereà probat Quenellius, in Notis ad Epistolam 24. S. Leonis, duplici argumento. Primum ex eo petitur, quòd Julianus Coënsis Episcopus interfuerit & subscripserit tam Concilio Constantinopolitano, in quo primùm damnatus est Eutyches à Flaviano, quàm Conventui Episcoporum, qui anno sequenti in eadem urbe jussu Imperatoris habitus est: qui cum sit habitus mense Aprili, vix sibi facilè quis persuadeat, eumdem Episcopum Roma missum esse mense Junio ejusdem anni, quô datæ leguntur laudatæ S. Leonis Epistolæ.

Julium Puteolanum, non Julianum Coënsem legatum misit S. Leo.

Secundum argumentum ex eo petitur, quòd S. Leo scripserit ad Julianum Coënsem in Oriente versantem Epistolas 11. & 19. sive 25. & 31. eodem die scriptas, quo & aliæ in quibus Legatos missos recenset. Imò in posteriore eosdem nominat, & inter eos Julium Episcopum. Caput itaque istius legationis fuit Julius Puteolanus Episcopus, non Julianus Coënsis.

Licet porrò missus fuerit à S. Leone Julius Puteolanus, qui Legationem Apostolicam in Synodo obiret, non ipse tamen interfuit Synodo, nec legationem in ea obiit, sed Julianus Coënsis: quod non levibus conjecturis asserit Quenellius. I. quia quoties de Legato Sedis Apostolicæ mentio habetur in Synodo Ephesina, Julianus appellatur; etiam in Græco textu: quod argumento est de alio sermonem esse, quàm de illo Româ misso, qui in Epistolarum S. Leonis Græca Versione, P. I. Concilii Chalcedonensis, semper Ἰούλιος dicitur. Verisimile est igitur Julium vitâ functum esse antequam Synodus inchoaretur, vel aliquo impedimento detentum ne Ephesum accederet; Julianum verò Coënsem in ejus locum substitutum esse, qui vices Romani Pontificis in Synodo gereret. Et certè Julianum S. Leonis aliquo modo personam gessisse, colligitur ex Epistola 61. in quâ eum exhortans ut *contra falsitatis astutias perseverantem diligentiam teneret*; addit: *Cùm ad hoc & tuus animus, & nostra auctoritas suffragetur.* Et postea: *Ad quam rem nostros post diem venerabilem Pascha dirigemus, qui tecum participato consilio, ea quæ a nobis constituta fuerint, exequantur.* Lege eruditas Quenellii Notas loco laudato.

Non tamen Julius Puteolanus, sed Julianus Coënsis vices S. Leonis hac in Synodo egit.

§. X.

Legati S. Leonis in Ephesini Latrocinii consessum non sunt admissi.

INtromissos in Concilium constat S. Leonis Legatos, sed ipsos consedisse Dioscoro inficiamur. Adfuere quidem ut fidei, quæ deserenda non erat, prospicerent: Non consedere, ut Sedis Apostolicæ consulerent dignitati. Id testatur Liberatus in Breviario cap. 12. *Et sedentibus*, inquit, *in Basilica Dei genitricis Mariæ illis Episcopis, Ecclesiæ Romanæ Legati, vices habentes Papæ Leonis, assidere non passi sunt, eo quòd non fuerit data præsessio Sanctæ Sedi eorum. Insuper etiam, quòd non lecta fuerat ad Flavianum Epistola in Eutychetis damnatione à Papa Leone scripta, & occultata fuerat Epistola ejus, per supra memoratos Legatos ad ipsam Synodum directa.*

Sinè

Sanè nullum poterant occupare locum Romani Legati, donec Literæ ad Syodum Ephesinam à Leone Papa directæ, quibus eorum Legatio continebatur, recitatæ essent, & in Acta relatæ. Quare in ipso Synodi ingressu recitatis Literis convocatoriis Imperatoris, Hilarus Diaconus postulavit, ut S. Leonis Literæ ad Synodum per Legatos missæ legerentur. Ac Dioscorus quidem interlocutus est, earumque lectionem se procuraturum solemni juramento spopondit: sed non stetit promissis, elusitque iteratam Legatorum petitionem. Qua de re gravitet conquesti sunt Orientales Episcopi, & Aetius Archidiaconus in Concilio Chalcedonensi Actione 1. & Magistratus severissimè expostulaverunt cum Dioscoro, & cæteris Concilii Præsidibus, Juvenali Hierosolymorum, & Thalassio Cæsareæ Episcopo, eò quòd Literæ illæ relectæ non essent. Quæ Dioscori lectionem illam prohibentis impudentia, inter præcipua crimina, ob quæ damnatos fuit, recensita est à Paschasino Legato in Concilio Chalcedoensi. *Super hac verò*, inquit, *neque Epistolam legi permisit Beatissimi Papæ Leonis, scriptam ad sanctæ memoriæ Flavianum, & hoc frequenter rogatus à portitoribus recitare eam, & cum juramento legendam promittens: quâ non lectâ, scandalum & læsionem sanctæ Dei Ecclesiæ per totum mundum pertulerunt.* Denique cur Legati S. Leonis in ipso statim Concilii Chalcedonensis exordio Dioscoro exprobrassent quòd, *Cùm judicandi personam non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet?* Falsò enim istud objecissent Dioscoro, si cum ipso Legati S. Leonis in Ephesina Synodo consedissent.

Objiciet aliquis hæc verba Prædatoriæ Synodi: *Residentibus Dioscoro Alexandrino, & Juliano Episcopo, vices agente & tenente locum sanctissimi & beatissimi Romanæ Ecclesiæ Episcopi Leonis:* Coosederunt igitur illâ in Synodo S. Leonis Legati.

Respondeo purum putumque mendacium his Synodi Prædatoriæ verbis contineri. Unde cùm relegerentur Actione 1. Concilii Chalcedonensis, Orientales Episcopi reclamarunt, & mendacii Acta illa redarguerunt, his verbis: *Ejectus est. nullus suscepit nomen Leonis.* Vidèn ut Leonem à Synodo in Legatis suis expulsum queruntur Patres? Tentavit quidem Dioscorus à Juliano suffragium extorquere; sed ipse per Florentium Lydorum Episcopum Interpretem suum respondit: *Hac ratione volumus gesta relegi, ut primò Papæ legatur Epistola.* Similiter Hilarus Diaconus S. R. E. & Legatus respondit: *Quoniam & Sanctissimus Episcopus Romanæ Ecclesiæ, relectis sibi istis monumentis, quorum nunc quæritis lectionem, transmisit Epistolam, quam scripsit, eam legi jubete.* Tum Eutyches, Legatos sibi suspectos esse contestatus est, quòd à Flaviano, & domo, & convivio lautè exceptis essent. *Directi*, inquit, *Religiosissimi Viri à Sanctissimo & Deo amantissimo Leone Archiepiscopo R. E. in sanctam vestram Synodum, suspecti mihi facti sunt. Manserunt enim apud Religiosissimum Flavianum Episcopum, & pransi sunt apud eum, & munerati sunt, & omne obsequium eis præbuit. Postulo ergo Sanctitatem vestram, si quid ab eis injustè factum fuerit contra me, id præjudicium mihi non generare.* His verbis vaferrimus Hæresiarcha ad Romanæ Sedis Legatos rejiciendos grassatus est.

§. XI.

Soli Dioscoro præsidendi jus tribuerat Imperator.

Difficultatem movet Dioscori ipsios interlocutio Actione 1. Concilii Chalcedonensis. *Comperit vestra Clementia*, inquit, *quia non mihi soli sacratissimus noster Imperator commisit judicium, sed & beatissimo Juvenali, & sanctissimo Episcopo Thalassio auctoritatem Synodi dedit.... Quare in me solùm ista extenduntur, quando auctoritas & ex æquo tribus data sit, & judicatis à nobis consensit universa Synodus?* His consona est appendix quæ Epistolæ Theodosii ad Dioscorum adjecta est, quæ sic habet: *Eodem tenore scriptum est etiam Juvenali Reverendissimo Episcopo Hierosolymorum.*

At licet hæc probare videantur præsidendi auctoritatem Sacra Jussione his tribus Episcopis commissam; Dioscoro nempe, Juvenali, & Thalassio, vix tamen adduci possum ut existimem Imperatorem tot Præsides Concilii designasse, ex quorum multitudine confusio oriri posset. Duo sunt momenta quæ id mihi persuadeant. Primum, quia Theodosius ad Dioscorum scribens de ipso quidem ait: *Auctoritatem & Primatum tuæ præbemus Beatitudini.* De aliis verò: *Scientes diligentius quòd & Reverendissimus Archiepiscopus Hierosolymorum Juvenalis, & Beatissimus Archiepiscopus Thalassius, & omnis talis fervens amator & æmulator orthodoxæ Fidei consentanei erunt tuæ Beatitudini radianti per Dei gratiam honestate vitæ, & Catholica Fide.* Ex quibus patet, soli Dioscoro à Theodosio factam præsidendi potestatem.

Unde ad interlocutionem Dioscori dicendum est, tribus ex æquo datam esse auctoritatem judicandi, non præsidendi. Itaque tres illi Episcopi velut Commissarii fuere ad cognitiooem & judicium causæ Eutychianæ à Theodosio singulariter delegati, ita tamen ut præsideret Dioscorus.

Alterum momentum eruitur ex interlocutione Judicum & Senatus Actione 1. Concilii Chalcedonensis. *Videtur nobis*, inquiunt, *justum esse, si placuerit divinissimo & piissimo Domino nostro, eidem pœnæ Dioscorum Reverendissimum Episcopum Alexandrinum & Juvenalem Reverendissimum Episcopum Hierosolymorum & Thalassium Reverendissimum Episcopum Cæsareæ, & Eusebium Reverendissimum Episcopum Ancyræ, & Eustatium Reverendissimum Episcopum Beryti, & Basilium Reverendissimum Episcopum Seleuciæ Isauriæ, qui tunc potestatem & Principatum Synodi tenuerunt, subjacere: & à Sancto Concilio secundùm Canones, ab Episcopali dignitate fieri alienos.* Vidèn ut hi omnes potestatem & Principatum Syoodi tenuisse dicuntur? Nec tamen omnes à Theodosio pari auctoritate donati sunt, cùm eorum omnium non meminerit in sua ad Dioscorum Epistola, sed trium duntaxat priorum. Unde nec hi parem censendi sunt cum Dioscoro auctoritatem habuisse, licet ad eos eodem tenore scripserit, id est, eadem de causa, ut nimirum Concilio adessent cum suis Episcopis, & causam Eutychianam judicarent.

§. XII.

Theodosius Magistratus mittit ad Concilium, ac decernit ut Flavianus, Julianus, & alii, à suffragandi jure excludantu.

ID probatur ex Commonitorio Theodosii ad Elpidium Comitem Sacri Consistorii, quod Actione 1. Concilii Chalcedonensis perlectum est. Incipit. *Sancta quidem Synodi.* Hôc auctoritatem dat omnem

tum

tum Elpidio, tum Eulogio Tribuno & Notario Prætoriano, ut tumultus prohibeant, ut autores turbarum, si qui extiterint, carceri mancipent, ut omnia ordine discuti jubeant ac decerni, ut intersint judicio, & celerem curent ac circumspectam discussionem à Synodo fieri, ac tandem omnia ad ipsum referant. Insuper ut Fidei causa ante aliud quidvis expendatur. Vult præterea Theodosius hoc Rescripto, exclusos à suffragii jure Flavianum & cæteros Antistites, quotquot Eutychetem Constantinopoli damnarunt. Scribit denique, se nominatis Magistratibus, & civile, & militare auxilium delegasse; ut sua Mandata faciliùs executioni mandarent. Extat Epistola eam ob rem data ab Imperatore ad Proculum Asiæ Proconsulem, Actione 1. Concilii Chalcedonensis, quæ incipit, *Sanctæ quidem Synodi.* Extat ibidem Epistola Theodosii ad Synodum Ephesinam, quæ incipit: *Vellemus quidem.* Illâ Flavianum notabat velut totius tumultûs autorem; Chrysaphii scilicet mendaciis deceptus.

§. XIII.

De Gestis Prædatoriæ Synodi.

COepta est illa Synodus 4. Idus Augusti anno Christi 449. Leonis Papæ X. Theodosii XLII. Valentiniani XXV. Adfuere CXXX. Episcopi. Locus Synodi fuit Basilica Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Flavianus suô locô sedere non est permissus, sed quinto loco, post Episcopum scilicet Hierosolymorum Juvenalem: quâ de injuria graviter conquesti sunt Orientales Episcopi Actione 1. Concilii Chalcedonensis. *Flavianus*, inquiunt, *in proprio loco quare non sedit? Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt?* Legati Sedis Apostolicæ legationem suam exposuere, excusaveruntque S. Leonem quòd Synodo per se non interesset, eo quòd non esset moris, nisi per Legatos, extra Urbem Romanos Pontifices Synodis interesse. Istud patet ex Hilarii Diaconi & Legati interlocutione. S. Leonis Epistolam suscipi quidem jussit vaferrimus Dioscorus, sed ejus lectionem, aliarum Literarum, ad diversos, causâ Synodi, scriptarum, lectione elusit. Priùs de Controversiis Flavianum inter & Eutychetem exortis, quàm de Fide agendum dixit ex Imperatoris Mandato. Eutyches introductus, continuò cœpit diluere labem hæreseos, Confessionemque Fidei proponere simulationis plenam, & ambage verborum perplexam. Extat Actione 1. Concilii Chalcedonensis. Incipit: *Gratias ago per omnia sancto Deo.* Profitetur eo Libello Eutyches, Nicænam Fidem, quam Ephesini Patres, & S. Cyrillus confirmarunt, cui & aliquid addere vel minuere prohibuerunt. Nicænam Fidem professus est, quæ Incarnationis mysterium non explicuit, nullis tunc Hæresibus impugnatum: prætermisit verò additiones factas Nicæno Symbolo propter hæresim Apollinaris, quòd ipse in Apollinaris errore versaretur. Id graviter urgebat Diogenes Cyzicenus Actione 1. Concilii Chalcedonensis.

Lecto Eutychetis Libello, intercessit Flavianus, ut Eusebius Dorylæi, accusator Eutychetis, in Synodum admitteretur. Id vetuit Elpidius Comes, Mandatum Imperatoris obtrudens. Relecta deinde sunt Acta Synodi Constantinopolitanæ sub Flaviano. In iis Catholicam Fidem egregiè propugnasse adversùs Eutychetem celebrabatur Basilius Seleuciensis Episcopus. Cujus gloriæ Dioscorus invidens, insigne mendacium à suis Notariis scribi jussit in Actis Latrocinii, quòd nimirum palinodiam Ephesi recantasset, duarumque naturarum vocabulum proscripsisset. Hæc enim ejus interlocutio legebatur: *Eos qui contraria sentiunt his quæ in Nicæa, vel in Epheso ordinata sunt, aversor anathematizans dividentes post unionem in duas naturas, vel subsistentias, vel personas, unum Dominum nostrum Jesum Christum, accusans & reprehendens propriam vocem, quam de duabus naturis professus sum in gestis apud Regiam Civitatem; & adoro unam naturam deitatis Unigeniti humanati & incarnati.* Dioscorum & ejus Notarios falsi postulavit Basilius in Chalcedonensi Concilio: testes appellavit Auxonium & Athanasium, quòd palam dixisset Dioscoro in Ephesino Conventu: *Noli Domine, noli solvere totius orbis opinionem.* Fassus est se dixisse quidem Eutycheti: *Confusionem inducis & commixtionem, si unam naturam dicis absolute post adunationem. Si verò dicas unam naturam incarnatam & inhumanatam, eadem cum Patribus dicis:* Seque id dixisse, ut Eutychetem blandè ad officium revocaret.

Perlectis omnibus monumentis gestorum in Constantinopolitanâ Flaviani Synodo, in Sacerdotii gradum, & Monasterii principatum restitutus est Eutyches: lata Sententia depositionis in Flavianum & Eusebium Dorylæi, cui cæteri Episcopi alioqui orthodoxi, metu fracti, vique adacti subscripsere, ut ipsi contestati sunt Actione 1. Concilii Chalcedonensis. Quidam venerabiles Episcopi, quòd in gratiam Flaviani ad pedes Dioscori accidentes, ejus iracundiam frangere tentaverint, à Militibus & Monachis Eutychetis, qui cum gladiis & fustibus ad fores adstabant, jubente Dioscoro, sunt repulsi. Plurimi cum Flaviano condemnati sunt Episcopi: quos inter Ibas Edessenus, Theodoretus Cyrensis, & Domnus Antiochenus, & quicunque jurare in verba Hæretici renuerunt. Absentes damnati sunt Ibas & Theodoretus: ille quidem propter Epistolam ad Marim Persam, & propter sacrilegas voces, quas evomuisse ab adversariis asserebatur: *Non invideo Christo facto Deo, quoniam si volo, & ego fio.* Hic verò propter Scripta contra Capitula S. Cyrilli, & propter scriptam Epistolam contra Sanctam Synodum Ephesinam ante Ecclesiæ pacem. Quamquam illud Dioscori in Theodoretum judicium, non tam nova Sententia fuit, quàm Scotentiæ in eum & alios Nestorii fautores latæ à Synodo primâ Ephesina, ni resipiscerent, quædam confirmatio. Illum itaque habens pro damnato Dioscorus, tanquam Nestorianæ Hæreseos fautorem, declaravit coram Synodo, curaturum se ut Ephesini Canones adversùs illum custodirentur, eumque velut Nestorianum ab Ecclesia sua expulit. Huc enim allusisse videntur Ægyptii Episcopi in Concilio Chalcedonensi: *Cyrillum*, inquiunt, *ejecimus, si Theodoretum acceperimus. Canones istum ejecerunt.* Unde constat verba hæc eorumdem Ægyptiorum: *Coram universâ Synodo damnatus est*, significare eum fuisse damnatum omissis judiciorum solemnibus, in consequentiam Sententiæ à Concilio 1. Ephesino in ipsum latæ: ut notat Illustrissimus & Doctissimus Dominus de Marca *Lib. 7. de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap. 9.* Lege Liberatum cap. 12. Breviarii.

§. XIV.

De tyrannica Dioscori in Flavianum & Legatos Apostolicos crudelitate.

FLavianum à judicio Prædatoriæ Synodi Sedem Apostolicam appellasse, in Dissertatione *de Jure Appellationum ad Romanum Pontificem*, superiori Sæculo probavimus, Dissertatione 27. Propositione 3. Post appellationem, indignè exceptum, ac multis injuriis verberibusque affectum, ita ut dolore plagarum efflaverit animam, atque pro Fide mortem oppetierit, testatur Liberatus cap. 12. Breviarii. Immanis adeò sceleris auctor fuit Barsumas Archimandrita. S. Flaviani cædes.

mandrita, ut plures Episcopi in Concilio Chalcedonensi affirmarunt, Actione 4. Diogenes Episcopus Cyzicenus dixit: *Barsumas qui inter alios intravit, occidit B. Flavianum. Ipse enim instabat, & dicebat, Occide.* Episcopi verò Syriæ exclamaverunt: *Omnem Syriam Barsumas evertit: duxit super nos mille Monachos. ...Homicidam Barsumam mitte foras: homicidam in arena: anathema Barsumæ: Barsumam in exilium.* Cæterùm illa cædes licet per Barsumam & Monachos ejus perpetrata, impio Dioscoro malorum omnium autori tributa est. Unde in Concilio Chalcedonensi Quintus Phocensis Episcopus ipsum vocat Interfectorem Flaviani. *Quando*, inquit, *Sanctum Virum Flavianum Catholicæ Fidei Custodem interfecit, neque Canones protulit, neque lecti sunt, neque aliquo Ecclesiastico ordine usus est, sed propriâ usus auctoritate eum damnavit.* Hinc etiam Sabas Episcopus Paltí vocavit eum *Novum Cain*, Actione 3. Concilii Chalcedonensis. Denique Evagrius lib. 2. cap. 2. scribit: Flavianum miserandum in modum à *Dioscoro interfectum, per vim ab eo Ecclesia extrusum, & calcibus verberatum.* Verùm Flaviani mortem non eodem modo narrant Autores. Prosper in Chronico prolixiori ait, quòd, *Inter manus eorum à quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transivit.* Nicephorus refert triduò post decessisse. Marcellinus Comes & Menologium Græcorum aiunt, ipsum ad Epypam Lydiæ relegatum, ibique tædio, dolore, & tormentis confectum & exanimatum: quibus similia habet Breviculus Causæ Eutychianistarum: *Ducitur*, inquit, *in exilium Flavianus, & apud Epypam, quæ est Lydiæ Civitas, seu superveniente, seu ingestâ morte defunctus est.*

In Legatos etiam Apostolicos damnationi Flaviani obfirmatè resistentes desævit impotens Dioscori furor, quos violatâ Fide publicâ in custodiam detrusit. Unus Hilarus fugâ elapsus, post varias circuitiones & fortunas Romam tandem adnavigavit, & S. Leonem de omnibus Ephesi gestis fecit certiorem, ut testantur S. Leo in Epistola ad Clerum Plebemque Constantinopolitanam, quæ extat 1. p. Concilii Chalcedonensis cap. 21. & Hilarus ipse in Epistola ad Pulcheriam Augustam.

§. XV.

Theodosius Lege latâ Ephesinum Latrocinium firmavit: quam rescidit Marcianus Imperator.

Licet Valentinianus Occidentis Imperator, Galla Placidia Valentiniani mater, & Licinia Eudoxia Theodosii filia, ad ipsum scripsissent pro causa Ecclesiæ, ac obsecrassent ut S. Leonis votis annueret, jubendo Generale Concilium in Italia celebrari, adduci tamen non potuit Theodosius ut res semel judicatas adversùs Flavianum refricari sineret. Quod patet ex ejus ad Liciniam Augustam Epistola: *Tua verò Dulcedini*, inquit, *hoc solum approbavimus intimandum, quia memoratus Flavianus sacro judicio ab Ecclesiasticis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio à sacris removeretur Ecclesiis: & nihil ulteriùs post hæc definire possibile est, cùm jam ista semel decisa sint.*

Id confirmat Liberatus in Breviario cap. 12. *Sed fortissimus Leo*, inquit, *audiens Legatorum suorum suggestionem, & Theodoreti querelas suscipiens, literis suis Theodosium Imperatorem & Pulcheriam Augustam petit, ut fieret intra Italiam Generale Concilium; & aboleretur error fidei per violentiam Dioscori factus. Valentinianum autem Imperatorem & Eudoxiam uxorem ejus, ad memoriam B. Petri, cum multis Episcoporum, genibus provolutus Romanus Pontifex deprecatus est, ut Theodosium hortarentur aliam fieri Synodum, ad retractandum illa quæ à Dioscoro malè acta atque perpetrata fuerant in damnatione Flaviani Episcopi, & Orthodoxorum depositione. Rescripsit Theodosius, Flavianum læsibilis novitatis reum, dignum mortis debitum suscepisse, & ideò omnes pax & concordia in Ecclesiis regnaret, Principe contentionis ablato, &c.*

Nec verò negavit solùm Theodosius eorum quæ in Ephesino Latrocinio gesta erant retractationem; sed etiam Lege latâ illud firmavit, quæ extat 3. p. Concilii Chalcedonensis, cap. 10. *Et nos igitur*, inquit, *ejusdem Sanctæ Synodi*, Ephesinæ scilicet, *Decreta laudamus, atque confirmamus, hanc orthodoxam fidem putantes atque nominantes, quæ à trecentis decem & octo Patribus exposita est & firmata in Sanctis Conciliis, quæ Ephesi congregata sunt.* Et post pauca: *Omnino autem nullus qui Nestorii ac Flaviani, & eorum qui ejusdem hæresis sententiâ detinentur, ullo modo Episcopus ordinetur.*

Concilii Chalcedonensis Patres, secundùm Paschasini Legati Apostolici sententiam, Marciano Imperatori supplicarunt, ut Ephesini Latrocinii vires Lege latâ infringeret. Quâ in petitione, S. Leonis exemplum secuti sunt, qui hoc à pietate Marciani beneficium expectabat, sic ad ipsum scribens Epistola 43. *Non potest vocari Concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra Clementia amore veritatis, Catholicis adfutura, aliud statuendo cassabit.*

Leonis ergo & Synodi Chalcedonensis votis annuit Marcianus Imperator, & Theodosii Constitutionem rescidit Lege latâ, his verbis: *Cùm falsâ invidiâ, & improbe concinnatâ calumniâ, Religiosæ ac venerabilis recordationis Flavianus hujus almæ Urbis Episcopatu fuisset expulsus.... Tamen ita ejus Reliquias & experta hæc Regia Civitas, & recepit, ut beatior omni vivente videretur: ut exitus ille qui putabatur acerbus, optandus credatur fuisse, quo illam immortalem mercatus est laudem, secutumque est illud quod meritis ejus divinitas præstitit, ut venerabilis Synodus innumerabilium penè Sacerdotum Chalcedonem conveniret, quæ dum fidem diligenter inquirit, auctoritate Beatissimi Leonis Episcopi æternæ Urbis Romæ & Religionis fundamenta confirmat: Flaviano & anteactæ vitæ palmam, & mortis tribuit gloriosæ. Ergo quoniam venerabilis recordationis Flavianus tanto ac tali decoratus est testimonio, aboleatur illa Constitutio, quæ sceleratorum subreptione, post obitum sanctæ memoriæ Flaviani adversùs eum lata cognoscitur, cessentque in totum ea, quorum initium fuit iniquum; & injusta Sententia nihil obsit Eusebio quoque & Theodoreto Religiosis Episcopis, qui eâdem Lege continentur: quoniam non possunt Sacerdotes Constitutione damnari, quos Synodicum ornat Decretum.*

§. XVI.

Quid actum à S. Leone cum Anatolio Constantinopolitano Archiepiscopo ante Concilii Chalcedonensis celebrationem.

Plurimis à S. Leone acceptis literis, quibus Concilii Ephesini II. veriùs Latrocinii, rescissionem postulabat, Theodosius Imperator literas ad ipsum dedit, quibus disertè professus est, se curaturum ne Fides Nicæna injuriam pateretur. Monuit insuper, Flavianum vitâ functum, eique Anatolium successisse in Ecclesiæ Constantinopolitanæ regimine; cujus Ordinationem à Dioscoro Ephesi factam, à Romano Pontifice ratam haberi cupiebat. Datâ ad Theodosium Epistolâ respondit S. Leo, sibi gratam fuisse Concilii Nicæni commendationem: de Ordinatione verò Anatolii nihil in alterutram partem à se temerè rescribendum, donec exploratum sibi sit, an sinceram fidem teneat

Anatolius;

Anatolius: se nihil ab eo vel arduum petere, vel ambiguum, sed ut relegat quæ à Patribus Incarnationis Dominicæ fides fuerit custodita; Cyrilli Alexandrini Epistolam, & quæ inserta sunt Ephesinæ I. Synodi Gestis, Catholicorum Sacerdotum testimonia recenseat; suam denique ad Flavianum Epistolam de Incarnationis Dominicæ Sacramento perspiciat; atque ad horum omnium normam edat Professionem Fidei, cui absolutissimâ subscriptione, id est, absque ulla restrictione, aut tergiversatione subscribat. *Non aspernetur etiam*, inquit, *meam Epistolam recensere, quam pietati Patrum per omnia concordare reperiet. Cùmque à se hoc quod eidem prof[...] turum sit, expeti, desiderarique cognoverit, Catholicorum sententiis toto corde consentiat: ita ut sinceram communionis Fidei Professionem absolutissimâ subscriptione, coram omni Clero & universâ plebe declaret, Apostolicæ Sedi, & universis Domini Sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam, ut pacificatò per unam Fidem mundò, possimus omnes dicere, quod Angeli nato de Maria Virgine Salvatore cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, &c. Quia verò & nos, & Beati Patres nostri, quorum doctrinam veneramur, & sequimur, in unius Fidei concordiâ sumus, sicut Provinciarum omnium protestantur Antistites: agat Clementia vestra devotissima Fides, ut quamprimùm ad nos Constantinopolitani Episcopi, qualia debent probati & Catholici Sacerdotis Scripta perveniant, apertè scilicet atque dilucidè protestantia, quod si quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat, aut asserat, quàm Catholicorum omnium & mea professio protestatur, hunc à suâ communione secernat, ut ei fraternam in Christo caritatem possimus impendere.*

Fidei professionem ab Anatolio absolutissima subscriptione S. Leo declarari jubet.

Ut autem velocior pleniorque effectus his curis præstaretur, Legatos quatuor Constantinopolim S. Leo misit, Abundium scilicet & Asterium Episcopos, Basilium & Senatorem Presbyteros, per quos veram Fidei formam Princeps edoceretur; ut si in eandem Confessionem Constantinopolitanus Antistes toto corde consentiret, pax Ecclesiæ firmaretur, omnisque de eo aboleretur suspicio. *Sin verò aliqui à puritate atque Patrum auctoritate dissentirent, Concilium Universale intra Italiam cogeretur, ut in unum convenientibus omnibus his, qui aut ignorantiâ, aut terrore prolapsi essent, correctionis remediis consuleretur.* Hæc totidem verbis excerpta sunt ex Epistola 33. S. Leonis ad Theodosium data anno Christi 450. 17. Kal. Augusti.

Ejusdem argumenti Epistolam direxit ad Pulcheriam Augustam, quæ est inter ejus Epistolas 35. In eâ exponit cur Fidei professionem, & singularem quidem exposcat. *Quia nimirum*, inquit, *in Ordinatione ejus plura præcesserint, talisque ad nos debuerit Scripta dirigere, quæ illum à contagione hujus, qui nuper emersit, erroris, alienum ostenderent.* Ordinatus scilicet à Dioscoro fuerat Anatolius, cujus & fuerat Apocrisiarius eique semper conjunctissimus, unde vir dubiæ Fidei habebatur.

Subdit deinde quid ab illo exigat, ut scilicet S. Cyrilli Epistolæ ad Nestorium acquiescat, & suæ ad Flavianum Epistolæ: *Et Epistola mea*, inquit, *quæ ad sanctæ recordationis Flavianum est directa, consentiat.* Tum denique Imperatricem rogat, ut si qui à confessione Fidei, quam ipse explicuerat, dissentiant, Synodum Generalem cogi procuret: *A quâ*, inquit, *si forsitan ab aliquibus discrepatur, Universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam, Clementiâ vestrâ annuente, jubeatur: quò remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coërceri debeat, aut sanari.*

Cùm Leonis Epistolam ad Flavianum sibi à Legatis Pontificiis oblatam legisset Anatolius, eam reverenti animo suscepit; retulitque Pontifici unà cum Legatis, plures in Oriente Episcopos Romanæ communionis cupidos dolere, quòd adversus errores Dioscori non tenuissent constantiam: quâ de re plenâ auctoritate S. Leo decernit quid agendum esset. *Sed cum Legatis nostris*, inquit, *participatâ tecum sollicitudine volumus disponatur: quatenus hi qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt quàm tueri, pacis & communionis nostræ unitate lætentur: ita ut digno priùs anathemate quæ contra Fidem Catholicam sunt recepta, damnentur... Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cùm satisfacientes recipimus, quos dolumus esse deceptos. Nec asperè igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temerè largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressis caritatem Dominicam redhiberi, ita justum est omnia perturbationis Auctoribus imputari.* Quod autem attinet ad Dioscorum, Juvenalem, & Eustathium Berytensem, Anatolio jubet S. Leo ut ea custodiat, quæ sui Legati facienda esse dixerint, nempe ut eorum nomina ad Altare non recitentur, nec Sanctorum nominibus sine discretione misceantur; cùm damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua pravitate condemnent, quos convenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.

Commendat denique Anatolio S. Leo Julianum Coënsem Episcopum, & Clericos qui S. Flaviano adhæserunt: nec non Eusebii Dorylæi secum Romæ degentis, & in sua communione persistentis Ecclesiam. Hæc excerpta sunt ex Epistola 40. S. Leonis sive 60. in P. Quenellii Editione.

§. XVII.

De Concilio Chalcedonensi.

Cum Theodosius fato functus esset, antequam Legati S. Leonis Constantinopolim pervenissent, Marcianus qui ipsi in Imperii administratione successerat, ductâ in conjugem Pulcheria, sanctissimi Pontificis Legatos benignè suscepit. Sed & existimavit se Christianæ Religioni ac Fidei Catholicæ consulturum, si generalem Synodum, quæ Imperatore Theodosio tantopere fuerat expetita, & à dicto Principe tam pertinaciter recusata, celebrari quantocyus curaret. Quâ de re literas dedit ad S. Leonem, quæ extant I. P. Concilii Chalcedonensis, cap. 34. Dedit quoque Pulcheria Augusta literas ad S. Leonem, quæ extant I. P. Concilii Chalcedonensis, cap. 35. Quibus scripsit primò. Anatolium Regiæ Urbis Episcopum in eadem Fide permansisse, & literarum Apostolicarum confessionem complexum esse: similiter ipsum sine dilatione subscripsisse Epistolæ Catholicæ Fidei, quam ad S. Flavianum ipse Leo direxerat. Secundò scribit, S. Flaviani corpus Marciani conjugis sui præcepto, & suo, Constantinopolim allatum esse, & in Basilicâ Apostolorum honorificè sepultum. Tertiò, Episcopos, qui ob fidei causam, & Flaviani defensionem in exilium erant amandati, Imperatoriâ Sanctione revocatos, quatenus per approbationem Synodi, atque sententiam omnium Episcoporum convenientium, Episcopatum & Ecclesias proprias recipere decernantur. Quartò, scribit de cogendo Concilio, secundùm Imperatoris placitum.

Chalcedon vulgo Chalcedone, in Bithynia, ad Bosphorum, Sedes Archiepiscopalis.

Acceptis per Tatianum Urbis præfectum Marciani literis, ad ipsum protinus rescripsit S. Leo, gratias egit ob illud, quô fervebat, pacis Ecclesiasticæ studium: non esse reparatâ disceptatione tractandum scripsit, utrum Eutyches impiè senserit, & utrum Dioscorus impiè judicarit, sed qualiter annuendum sit lapsorum precibus, veniam de inconstanti trepidatione poscentium. Tandem, quod Synodum spectat, ait se pleniùs ad ejus Majesta-

rem scripturum per Legatos, confestim Constantinopolim mittendos. Hæc S. Leo Epist. 45.

Misit itaque Sanctus Pontifex Legatos suos ad Marcianum cum Epistola, quâ declarat primò se annuere ejus votis de Synodo celebranda, licet ipsam in aliud tempus, ob imminentes undique hostes differri peroptasset. *Poposceram quidem*, inquit, *à gloriosissima Clementia vestra, ut Synodum, quam ad reparandam Ecclesiæ Orientalis pacem, à nobis etiam petitam, necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi quos hostilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia piò studio humanis negotiis divina præponitis*, &c. *Ego etiam vestris dispositionibus non renitor.*

Obsecrat deinde Imperatorem, ne in Synodo, quæ habenda est, fidem quam Patres ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, quasi dubiam retractari patiatur, & quæ olim Majorum sunt auctoritate damnata, redivivis excitari permittat conatibus. Tandem monet se Concilio adfuturum per Legatos, quos mittit Constantinopolim (Epistola 43. data 6. Kalend. Junii, sub Adelphii Consulatu.) Dedit etiam literas ad Pulcheriam Augustam, Idibus Junii, eodem Consule. Quibus inter alia obsecrabat, ut Eutychetem longiùs deportari, & Catholicum Abbatem ejus Monasterio præfici juberet. (Epistola 45.)

Interea Marcianus Imperator Sacra Jussione Metropolitas omnes ad Concilium proximis Kalendis Septemb. Nicææ in Bythinia celebrandum convocavit. Quin etiam spopondit se adfuturum Synodo. Quâ de re speciales direxit literas ad Anatolium Constantinopolitanum Antistitem. Extant I. P. Concilii Chalcedonensis cap. 36. & 37. Legitur ibidem cap. 38. Epistola Pulcheriæ Augustæ, sub idem tempus data ad Strategium Bythiniæ Consularem, ut Clericos, Monachos, & Laïcos, qui fortè Nicæam superventuri essent, ibidemque tumultus excitaturi, de Civitate, vicinisque locis expelleret, quos nempe nulla ratio ad Concilium vocabat.

Cùm autem inter hæc perturbari Illyricum ob metum Barbarorum imminentium Imperator ex Literis Præfectorum accepisset, neque Nicæam posset se conferre, Concilium Nicæa transtulit Chalcedonem, illucque Episcopos omnes sacris Literis convocavit. Transferendi porrò Concilii etiam occasionem dedit obsecratio Legatorum Apostolicæ Sedis, qui Imperatorem enixè rogaverant, ut adesset Sancto Concilio, protestati se ipso absente illuc non venturos. Ista patent ex Epistolis Marciani Imperatoris ad Synodum quæ Nicæam convenerat, relatis 1. p. Concilii Chalcedonensis, Num. 41. & 42. ex Liberato cap. 13. Breviarii, & ex Evagrio lib. 2. cap. 2. Fuisse autem convocatam hanc Synodum à Marciano Imperatore, Dissertatione singulari demonstrabimus.

Synodo Chalcedonensi præfuit S. Leo per Legatos, Paschasinum Lilybæi in Sicilia Episcopum, Lucentium Asculanum Episcopum, Bonifacium & Basilium Presbyteros; quibus & Julianum Coensem Episcopum adjunxit. Qua de re in Dissertatione agemus.

Incœpta est Synodus anno Christi 451. Leonis XII. Marciani Imperatoris II. Valentiniani Imperatoris XXVII. Marciano & Adelphio Coss. mense Octobri. Celebratum est in suburbiis Civitatis, in amplissima Sanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ Basilicâ, cujus extat egregia descriptio apud Evagrium lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. Episcopi interfuere fermè sexcenti, teste S. Leone, Epistola 52. Triginta supra sexcentos scribit Liberatus cap. 13. Breviarii: cui consentit Marcellinus in Chronico. Nicephorus sexcentos triginta sex fuisse scribit, ut

A major duplò fuerit numerus Chalcedonensium, quam Nicænorum Patrum. Dimidiæ partis subscriptiones in Actis, quæ extant, desiderantur. Illuc vocatum etiam Nestorium mentitur Zacharias Rhetor, quem refellit Evagrius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. ex eo quòd Nestorius in illa Synodo passim anathemate damnatus sit, ut disertè etiam testatur Eustathius Berytensis in Epistola ad Joannem Episcopum. Secundò quòd jampridem è vivis Nestorius excessisset, ut constat ex eâdem Epistola. Adfuere sæculares Magistratus, ut tumultus prohiberent, ut judiciorum
B ordinem servarent, utque secundùm Canones omnia geri curarent. Quæ octavo Idus Octobris incœperat Synodus, Kalendis Novembris est absoluta. Quô tempore Actiones fuerunt decem & octo. Liberatus *in Breviario* quindecim numerat. Sexdecim in Actis reperiuntur, pluribus sub eodem numero collocatis.

Actio 1.

Actione 1. petentibus Legatis, decernentibus Magistratibus, Dioscorus in Synodo sedere prohibitus est ut judex, jussus in medio sedere ut reus. Actorem egit Eusebius Dorylæi. Relecta sunt Acta Pseudo-Synodi Ephesinæ. Itemque Acta Synodi
C Constantinopolitanæ sub Flaviano. Flavianus, & Eusebius Dorylæi, à labe Hæreseos vindicati sunt, & præter jus æquumque exauctoratos, privatosque Communione, pronuntiatum est. Decretum, Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Hierosolymitanum, Thalassium Cæsariensem Cappadociæ, Eusebium Ancyranum, Eustathium Berytensem, Basilium Seleuciensem, Auctores Latrocinii Ephesini, eadem pœnâ plectendos, quâ immeritò Flavianum aliosque affecerant, eâ conditione: *Si placuerit divinissimo & piissimo Domino nostro*, ut habent Acta, id est, Imperatori Marciano, ad quem & totam Actionem hanc referendam censuerunt Patres.

Baronius emendatur.

D *Et omnibus*, inquiunt, *quæ consequenter Acta sunt, ad sacrum Apicem referendis.* Ex quibus manifestum est, Marcianum initio Synodi non adfuisse, ut Baronius & Bellarminus putarunt; necesse enim non fuisset ad eum referri, quæ eo præsente tractata essent. Actum quoque est de Theodoreto, quem Judices in Synodum introduci petierunt, ut esset particeps Synodi: *Quia*, inquiebant, *& restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus & piissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo.* Illyriciani, Palæstini, & præcipuè Ægyptii Episcopi intercessere, & clamoribus tu-

Theodoretus in Synodum admittendus, quia restituit ei Episcopatum S. Leo Romanus Pontifex

E multuariis petiere, ut non admitteretur: *Misereminі*, inquiebant, *Fides perit: Istum Canones ejiciunt: hunc foras mittite, Magistrum Nestorii foras mittite.* Judices hanc componendis animis viam iniere, ut interim tanquam accusator sederet, nullúmque ex ejus receptione fieret alii præjudicium. Clamarunt Orientales, *Dignus, Dignus. Orthodoxum Synodo, seditiosos foras mittite, homicidas foras mittite.* Contra Ægyptii: *Cyrillum ejicimus, si Theodoretum acceperimus, Canones istum ejiciunt.* Tumultuantes hujusmodi clamores auctoritate & prudentiâ suâ Judices compescuerunt, sic Episcopos allocuti: *Acclamatio-*
F *nes istæ populares, neque Episcopos decent, neque partes juvant.*

Actio 2.

Actione secundâ de Fide agi cœptum. Nullam aliam Regulam Fidei recipiendam à Nicæna, in secunda Synodo Oecumenica probatâ & expositâ, Patribus visum est. Cùm enim Judices interlocuti essent, ut Fidei expositio à Patriarchis, Metropolitis, & singulis, aut binis ex unaquaque Provincia Episcopis fieret, Patres responderunt: *In scriptis expositionem non facimus. Regula est quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri, Ea quæ sunt Patrum teneantur.* Spectabant prohibitionem factam in Ephesino Concilio, ne conderetur aliud Fidei Symbolum.

Lectum

Lectum deinde Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, Synodicæ Epistolæ duæ S. Cyrilli, una ad Nestorium, altera ad Joannem Antiochenum data, cùm Pax inter eos inita est, & Epistola S. Leonis ad Flavianum. Prolata etiam SS. Patrum testimonia, quibus duæ in Christo naturæ post unitionem asseruntur, Hilarii scilicet Episcopi, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Joannis Chrysostomi, Augustini, Cyrilli, quæ in Acta relata sunt. Tum probata est à Synodo S. Leonis ad Flavianum Epistola. Syriæ & Palestinæ Episcopis difficultatem aliqua illius loca facessebant, sed prolatis S. Cyrilli similibus testimoniis, omnis ambigendi sublata est occasio. Sed de his ex professo agemus in Dissertatione singulari de approbatione Epistolæ S. Leonis ad Flavianum, à Concilio Chalcedonensi. Tandem hæc Actio absoluta est Orientalium & Illyricianorum Episcoporum contrariis clamoribus. Illi Dioscorum in exilium mitti postulabant, *Ægyptium exilio, Dioscorum exilio, Hæreticum exilio. Dioscorum Christus damnavit: Qui communicat Dioscoro Judæus est.* Reclamabant isti, ut quoniam omnes peccaverant, omnibus parceretur, adeóque & ipsi Dioscoro. *Omnes peccavimus*, inquiebant, *omnibus indulgete. Dioscorum Synodo, Dioscorum Ecclesiis.*

Actio 3.

Actione 3. Dioscori causa ventilata est, jubente Paschasino S. Leonis Legato, lectus Eusebii Dorylæi in ipsum Libellus accusationis. Semel & iterum vocatus ad judicium, se sistere coram Synodo renuit, modò detentionem, nunc ægrotationem, tum absentiam Judicum causatus. Cui respondit apposité Cecropius, Episcopus: *Quando quædam regularia examinantur, neque Judices, neque aliquos Laicos interesse oportet, nisi tantummodo tuam Sanctitatem, quæ in propriâ accusatur personâ.* Lecti post hæc Libelli Ischyrionis & Theodori Diaconorum Alexandriæ, & Athanasii Presbyteri, qui S. Cyrilli nepos erat, & Sophronii Laici, in Dioscorum, quibus eum variis flagitiis accusabant coram sancta Synodo. Verùm cùm ille tertiò vocatus venire contemneret, Legati S. Leonis, consentiente Synodo, sententiam depositionis in eum tulerunt, quòd Eutychem canonicè excommunicatum à proprio Episcopo, irregulariter in communionem suscepisset, etiam ante Pseudo-Synodum Ephesinam: quòd Epistolam S. Leonis legi prohibuisset in Synodo Ephesina: quòd S. Leonem abscindere à communione ausus esset: quòd ter ad Synodum vocatus, venire contempsisset. *Unde*, inquiunt, *Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo & omni laude digno Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Secundùm sententiam Legatorum pronuntiarunt cæteri Patres: & suberiptione sua Dioscori depositionem approbarunt. Sententia Synodi Dioscoro denuntiata est, in quâ solius contumaciæ fit mentio, alia flagitia generatim significantur. Scriptum de ejus depositione ad Clericos Alexandrinos. Missa etiam ea de re Relatio ad Imperatores, & ad Pulcheriam Augustam. Et quia Dioscorus se Sedi suæ restiturum iri jactabat, Edictum à Concilio propositum est Chalcedonensibus ac Constantinopolitanis, quo Dioscorum omni spe recuperandæ Sedis ablatâ exauctoratum fuisse innotesceret.

Cùm Ecclesiasticæ causæ examinantur, Laicos Magistratus interesse nefas.

Dioscori damnatio.

S. Petrus crepido Ecclesiæ, rectæ Fidei fundamentum.

Actio 4.

Actione 4. accuratiorem de Fide inquisitionem esse faciendam, Judicibus visum est. Quinque dierum datæ induciæ, ut Anatolius cum selectis Episcopis, qui jam S. Leonis Epistolæ subscripsissent, eos, qui difficultatem circa nonnulla ejus loca patiebantur, doceret, ac communi consilio de Fide tractaretur. Tum rogati Patres quid laudatâ de Epistola censerent, suo singuli ordine responderunt, Symbolis Nicæno & Constantinopolitano consentaneam esse, nec-non Fidei à S. Cyrillo in Epistolis expositæ, ideóque se illi subscripsisse. Ex Episcopis nonnulli perplexa quædam atque dubia sibi visa esse significarunt, quod ex linguæ obscuritate ortum: sed omnem à Legatis Apostolicis difficultatem abstersam, qui nullam partitionem & separationem in Christo his Epistolæ locis indicari professi sunt: ideóque se illi ultrò subscribere.

Epistolæ dogmaticæ Sancti Leonis Patres Chalcedonenses subscribunt.

Post hæc Judices Patribus significarunt, Imperatorem ipsis permittere ut de fautoribus Dioscori statuerent quod ipsis æquum videretur, scilicet de Juvenali, Thalassio, Eusebio Ancyrano, Basilio Seleuciensi, & Eustathio Berytensi. Ii verò Epistolam S. Leonis suâ subcriptione approbantes, in Synodum sunt admissi.

Sed cùm illi subscriptione suâ promeriti fuissent inter Patres consessum, parum abfuit quin Ægyptii Episcopi subscribere recusantes, Hæreseos notam, & sententiam damnationis incurrerent. Sibi licitum non esse subscribere causabantur, nisi ex sententia Alexandrini Episcopi Patriarchæ sui, & ipso præeunte. Se statim atque ordinatus esset Alexandriæ Episcopus, ultro subscripturos. Magnis contentionibus res acta est. Synodus ipsorum dilationem contumaciæ & Hæresi tribuebat: illi contra, eamdem se Fidem profiteri, & Eutychetis doctrinam execrari contestabantur: sed vitam suam in tuto non fore, si contra consuetudinem Ægyptiacæ regionis, præter sententiam Alexandrini Archiepiscopi subscriberent. Interlocuti Judices obtinuerunt, ut eorum subcriptio post Ordinationem Episcopi Alexandrini differretur, & Fidejussoribus datis, aut præstito juramento se de civitate interim non exituros, dimitterentur.

Eadem Actione, Carosi, Dorothei, aliorúmque Archimandritarum & Monachorum Eutychianorum Libellus Marciano Imperatori oblatus, ex mandato Judicum lectus est, cùm illum ipsi recognovissent. Varia complectebatur capita. Primò obsecrabant Imperatorem, ut universalem Synodum fieri præciperet, quam sanxerat convenire. Chalcedonense enim Concilium non agnoscebant Oecumenicum, nisi ibi Dioscorus cum partium suarum Episcopis inter Patres sederet. Secundò rogabant, ne subscriptiones per vim exigerentur. Quia enim ab ipsis meritò postulabatur, ut Epistolæ S. Leonis, & Dioscori damnationi subscriberent, id contumaciter abnuentes, illam subscriptionum tam justam exactionem persecutioni, quam Clerici semper exercerent in Monachos, tribuebant. Tertiò postulabant, ut Archimandritarum & Monachorum nemo ejiceretur è Monasterio suo, Ecclesiâ, aut Basilicâ Martyris, usque ad justum ac legitimum Synodi judicium. Iniquum enim planè fuisse, quod in Dioscorum latum erat, contendebant. Invitati à Judicibus ut amplecterentur Synodi de Fide Decreta, ipsorum jussionem novâ petitione eluserunt, ut scilicet recitaretur Libellus, quem pro Dioscori restitutione in communionem & Episcopatum Synodo porrigebant. Eo Libello minabantur, se à communione Concilii discessuros, si quid petitionibus suis contrarium decerneretur, aut fieret. *Non enim patimur*, inquiebant, *Symbolo Fidei trecentorum decem & octo recusatò, communicatores fieri eorum qui hoc respuunt.* Vide insignem perfidorum Monachorum calumniam. Chalcedonenses Patres Nicænum respuere Symbolum mentiuntur; quia Constantinopolitanum etiam vindicabant. Illud verò execrabantur perduelles Monachi, quòd illo velut mucrone jugularetur Eutychiana perfidia. Unde & Symbolum Nicænum, & Decretum Ephesini Concilii, quô ipsi aliquid addi vetat, vafro & hæretico animo Libellis suis attexuerunt.

*Monachorum Eutychianorum tumultus.

Vixdum lecta erant hæc Libelli supplicis verba: *Ad hoc Concilium conveniat sanctissimus Archiepiscopus Dioscorus*, cùm una voce clamarunt omnes Episcopi: *Anathema Dioscoro. Dioscorum Christus deposuit. Istos mitte foras. Tolle injuriam à Synodo. Tolle violentiam a Synodo.* Cùmque vicissim clamarent perfidi Archimandritæ: *Tolle injuriam à Monasteriis*: Patres dixerunt: *Petitiones istas audire non licet. Illum qui damnatus est ab omni Synodo, Episcopum nominare ausi sunt. Regulæ quare calcantur?* Quia verò minati fuerant Monachi se à communione sanctissimi Concilii discessuros, Aëtius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidiaconus relegit ex Codice Ecclesiæ Canonem quintum Concilii Antiocheni, de Clericis & Monachis qui seipsos à communione suspendunt: quô sancitum est, eum qui semetipsum à communione suspenderit Ecclesiæ, & noluerit evocanti Episcopo obedire; omnino damnandum absque ullâ spe curationis, aut restitutionis. Si verò turbas aut seditiones in Ecclesia movere non destiterit; illum per extraneam, id est, sæcularem potestatem coërcendum. Quo perlecto Canone, Patres conclamarunt: *Hæc justa Regula: hæc Regula Patrum.*

Archimandritæ Catholici adversus Monachos Eutychianos expostulant.

Jubente deinde Senatu, lectus est Libellus supplex à Fausto, aliisque Archimandritis Orthodoxis Marciano Imperatori porrectus, quô adversus Monachos Eutychianos expostulabant, quòd nollent piæ & Orthodoxæ Fidei subscribere, & parere monitis Anatolii Archiepiscopi sui, aliorúmque Antistitum & Clericorum. Secundò rogabant Imperatorem, ut sibi potestas fieret Sacrô ejus Mandatô subdendi Monachos pertinaces & Hæreticos pœnis in Monasticis Constitutionibus latis: & disponendi de spelunca, in qua more bestiarum degebant. Perlectô Libellô Catholicorum Achimandritarum, Dorotheus Monachus Apologiam Eutychetis suscepit, eum integerrimæ Fidei virum esse, & calumniam pati, impudenter effutiens. Hæc vix dixerat, cùm ipsum his verbis Judices compellarunt: *Eutyches ait, quod Corpus Salvatoris nostri Jesu Christi non fuit nostræ substantiæ: Tu de hoc quomodò confiteris?* Ille Fidei professionem statim edidit multis ambagibus involutam, quâ nec Eutychianam Hæresim damnaret, nec Epistolam S. Leonis susciperet. Quâ de causa Patres acclamarunt: *Subscribis Epistolæ, an non?* Respondit pertinax Monachus: *In Baptisma credo: Epistolæ autem non subscribo.*

Interea Alexander Presbyter & Ecclesiarum Visitator, qui Monachorum Eutychianorum causâ à Sancta Synodo & clarissimis Judicibus ad Imperatorem missus fuerat, Sacra Mandata retulit, quibus ipsis jubebatur ut Synodi Decretis parerent, ac illius judicio acquiescerent. Rogantibus Magistratibus, datæ sunt pertinacibus Monachis triginta dierum induciæ, quibus elapsis, ad eos mitterentur Clerici, monituri ut rectè ambularent in veritate, cederent placitis Concilii Oecumenici ad hæreseos destructionem, alioqui omni gradu, dignitate, & communione privandos. Quòd si subterfugia solita quærerent, pœnam eamdem in illos valituram; externâ videlicet auctoritate, juxta divinas sacrasque regulas corroborante Sententiam in contumaces latam.

Huic Actioni inserta est altera, quâ dirempta est Controversia inter Photium Episcopum Tyri, & Eustathium Berytensem, intercedens de jure Metropolitico in primam Phœniciam, quô exutus est Eustathius: id verò Photio assertum & confirmatum.

Actio 5.

De Sancita Fide.

Actione 5. Constitutio seu Definitio Fidei lecta est, quæ omnibus Patribus non placuit. Legati Sedis Apostolicæ, & aliquot Orientis Episcopi, multa deesse ad profligandam hæresim Eutychianam contestati sunt. Ad id enim satis non esse, ut Christus *Ex duabus naturis* diceretur: sed necesse esse ut *In duabus naturis inconfusè, immutabiliter & indivisè* subsistere diceretur. Hinc non levis inter Patres orta est dissensio, quam Senatores compresserunt, decernentes ut ex Diœcesi Orientis sex Episcopi, ex qualibet alia tres seligerentur, qui cum Anatolio & Legatis de Definitione scribenda statuerent. Repugnantibus aliis, & tumultuatim vociferantibus, nihil Definitioni deesse, nil penitus addendum; jussu tandem Imperatoris id perfectum est; & conscripta receptaque Fidei Definitio, quæ Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, Epistolas Synodicas S. Cyrilli, & memoratam S. Leonis Epistolam, & illa verba disertè continebat, propter quæ tanta fuerat contentio: *Unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum; in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum*, &c.

Actio 6.

Actione 6. cui Marcianus Imperator interfuit, & in qua Sermonem ad Concilium habuit, relecta est definitio Fidei, & omnium subscriptione Episcoporum approbata. Gratulatoriis acclamationibus Marcianum & Pulcheriam Augustam prosecuti sunt Patres. Imperator in Clericos depositionem, ut executor Canonum, in Milites exauctorationem, in Laïcos exilium decrevit, si Ecclesiam, disputando de Fide, turbarent.

Marcianus Imperator quædam Capitula Synodo approbanda proponit.

Post hæc, Capitula quædam Synodo proposuit approbanda Marcianus. Primum interdicit Monachis, ne præter voluntatem Episcopi Monasteria ædificent, & ne servos in Monasteriis absque Dominorum consensu recipiant. Secundum Clericis prohibet ne possessiones conducant, aut procurationem suscipiant. Tertium iisdem vetat, ne ex sua Ecclesia in aliam transeant, & cùm in eos, tum in illos à quibus suscepti fuerint, excommunicationem decernit. Notanda sunt verba Marciani ista Capitula proponentis: *Quædam Capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes à vobis hæc regulariter potiùs firmari per Synodum, quàm nostrâ Lege sanciri.* Quibus verbis significavit religiosissimus Imperator, se ex reverentia in Synodum, non ex officio, hæc tria Disciplinam Ecclesiasticam spectantia capita Patribus statuenda reservasse, cùm de his Lege lata decernere posset in Ecclesiæ bonum, ut Disciplinæ conservator, maximè quia & bonum pacemque Imperii spectat, ut quisque suo se in ordine contineat, suoque officio defungatur, & ad Principis providentiam spectat prohibere ne quis alteri inferat injuriam. Fieret autem injuria Episcopis, si absque ipsorum venia Monachi condere Monasteria aggrederentur. Fieret injuria Dominis, si absque eorum consensu servi reciperentur ad Professionem Monasticam. Fieret injuria Ordini Ecclesiastico & Ecclesiis, si Clerici negotiorum sæcularium procurationem susciperent, aut proprias Ecclesias desererent, quibus sedulum & assiduum debent ministerium. Ne tamen ex hoc quis inferat Principem posse condere Canones, sed solùm urgere Legum Divinarum & Ecclesiasticarum observantiam, Canonumque executionem imperare; & eadem Legibus statuere suis, quæ divina Lex, vel Ecclesiastica jubet. Nec aliud sibi tribuit Marcianus Augustus, cui Facundus Hermianensis hoc appendit elogium, lib. 12. cap. 3. *Sciens igitur ille modestissimus Princeps Oziæ Regi non impunè cessisse, quia sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi Ordinis Sacerdoti: multò magis sibi impunè cedere non posse cognovit, vel, quæ jam de Fide Christiana ritè fuerant constituta, discutere, quod nullatenus licet: vel novos constituere Canones; quod nonnisi multis, & in unum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus Officio, Ecclesiasticorum Canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor.* Hinc Patres Chalcedonenses gratias

Jus Principum in Canonum executione jubenda.

Princeps sæcularis non potest condere Canones, sed eorum dumtaxat executionem imperare.

Marciani Imperatoris modestia & religio.

gratias agentes Marciano, acclamaverunt: *Sacerdoti Imperatori multos annos.*

Denique Marcianus Augustus in honorem S. Martyris Euphemiæ, & in S. Synodi memoriam, Chalcedonensem Civitatem Metropoleos nomine adauxit, salvâ Nicomediæ propria dignitate.

Actio 7.

Actione 7. causa Juvenalis Jerosolymitani, & Maximi Antiocheni composita est, cùm judicio Synodi, tum mutuo partium consensu. De Provinciis inter illos erat contentio: duæ Phœniciæ & Arabia attributæ Antiochenæ Ecclesiæ, tres Palæstinæ verò Jerosolymitanæ. Sed hac de controversia, ejusque judicio uberiùs agam in Dissertationibus.

Actio 8.

Actione 8. sancta Synodus Theodoretum jussit dicere in Nestorium anathema, quàm meritò, dicemus in Dissertationibus. Cùm autem Fidem antea suam exponere vellet, clamoribus Episcoporum penè oppressus est vociferantium: *Iste Hæreticus est: iste Nestorianus est: Hæreticum foras mitte.* An æquè cum Theodoreto hac in parte actum, videbimus in Dissertationibus. Satis sit impræsentiarum nosse, ipsum, dicto in Nestorium anathemate, Ecclesiæ suæ restitutum esse, ex quâ, Latrocinii Ephesini Decreto fuerat dejectus & expulsus; sive potiùs approbatam ejus restitutionem à S. Leone factam.

Theodoretus Anathema Nestorio dicere jussus.

Actio 9. & 10.

Actione 9. & 10. causa Ibæ Edesseni Episcopi acta est. Relecta sunt quæ de eo Antiochiæ, Tyri, & Beryti acta fuerunt. Is depositus à Dioscoro in Pseudo-Synodo Ephesina, Libellum Imperatori obtulerat: sed re delatâ ad Synodum Chalcedonensem, probatæ vitæ, & integræ Fidei compertus est, & dicto in Nestorium & Eutychetem anathemate, Sedi suæ restitutus. Nonni, qui in ejus locum intrusus fuerat, caussa ad Maximum Antiochenum remissa est: qui statuit ut honore Episcopatus frueretur, donec cum Episcopis suæ Diœceseos, si videretur, aliter judicaret. Abolendam esse penitus Pseudo-Synodi Ephesinæ memoriam decretum est, & pro ea re Imperatori supplicandum. Ordinationem Maximi Antiocheni Episcopi ad illius Synodi Acta non pertinere pronuntiatum est, adeòque nihil ex iis approbatum esse, quamvis Maximi Ordinatio à S. Leone fuisset approbata, & à Patribus rata haberetur. Sic Legati Apostolici censuerunt: *Si ergo & à Beatissimo & Apostolico Romanæ Urbis Episcopo, omnia quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita (clarev quia & sanctissimus Episcopus Antiochenæ Civitatis extra hæc est, quem post hæc Beatissimus Episcopus in propriâ communione suscepit.) Necessarium est ut rursus eumdem tranquillissimum & Christianissimum Principem adeamus, quatenus illud Concilium sacra & propriâ Lege neque nominari præcipiat.*

Ibas Edessenus Episcopus, dicto in Nestorium Anathemate, à Synodo Chalcedonensi receptus, ac Sedi suæ restitutus est.

Actio de Domno commentitia.

Actio de Domno Antiocheno Maximi Decessore, quæ post decimam Actionem inserta est Concilio Chalcedonensi, commentitia est: in quâ videlicet Maximus inducitur Domno quasi post exauctorationem suam superstiti alimenta de suæ Ecclesiæ redditibus impertiens, ex indulgentia Concilii. Hanc autem Actionem esse ex Concilii Chalcedonensis Actis expungendam, in Dissertationibus ostendemus.

Actio 11. & 12.

Caussa Bassiani & Stephani Episcoporum.

Actione 11. & 12. Bassiani & Stephani controversia dirempta est. Ille ex Sede Ephesina depositus, iste subrogatus. Judicatum fuit, ut neuter sederet; tertius ordinaretur, utrique sumptus ex ærario Ecclesiæ subministrarentur. Lapsus est Evagrius lib. 2. Historiæ cap. ultimo, ubi scripsit: *In altero Conventu caussa Bassiani Episcopi Ephesi examinata fuit; & decretum, ut Bassianus de eo dignitatis gradu dimoveretur, inque ejus locum sufficeretur Stephanus.* Tantùm enim abest ut Stephanus substitutus sit Bassiano, quin potiùs uterque sit abdicatus Synodicâ Sententiâ, ut ex Actis Chalcedonensibus compertum est. Rectè igitur Valesius supplendum esse monet Evagrii locum hoc modo: *Sequenti Actione, discussa est caussa Bassiani Ephesiorum Episcopi: statutumque est ut tam ille, quam Stephanus deponerentur, & alius in eorum locum substitueretur*: & Græcum textum emendandum esse ac restituendum.

Evagrius emendatur.

Actio 13.

Caussa Eunomii Nicomediensis, & Anastasii Nicæni. Episcoporum.

Actione 13. Eunomii Nicomediensis, & Anastasii Nicæni lis cognita est. Querebatur Eunomius, ex Edicto Valentiniani Nicænum Episcopum jus Metropolitani sibi tribuere, & Basilinopolitanorum Ordinationes usurpare, Nicomediamque truncare velle in duas Metropoles, quæ Canonum erat manifesta violatio. Respondit Anastasius, Nihil se contra Canones tentasse: primum & alterum Episcopum Basilinopoleos consecratos fuisse à Nicæno: extare Epistolam S. Joannis Constantinopolitani, vulgò Chrysostomi, ad Proclum Nicænum Episcopum, quâ ipsi suasit ut Nicæam se conferret, Ecclesiæ viduæ pro jure suo provisurus. Excepit Eunomius, Ordinationes Basilinopolitanorum Episcoporum à Nicænis semel aut iterum factas, sed subreptitiè, vel quòd Nicomedia Bythiniæ Metropolis Episcopum non haberet: idque ideò sibi juribusque Ecclesiæ suæ non obesse. Lectus est deinde Nicæni Concilii Canon 4. quo sancitur Ordinationum in singulis Provinciis potestatem penes Metropolitas esse. Lectæ etiam Leges Valentiniani, quibus recensitis, Illustrissimi Judices pronuntiarunt, ipsas civilibus duntaxat rebus, non Ecclesiasticis prospexisse: Metropoleos nomen & honorem Nicænæ Civitati delatum, jus verò Metropoliticum Nicæno Episcopo non concessum: imò iis Legibus cautum esse, ne aliarum Civitatum juribus detraheretur. Sancitum verò esse Canonibus, ut unicus una in Provincia Metropolita esset. Quapropter Patres à Judicibus rogati, ut Sententiam ea de Controversiâ dicerent, uno ore clamarunt: *Canones teneant; Canonibus satisfiat.*

Actio 14.

Caussa Athanasii Perrhenorum Episcopi.

Actione 14. de Perrhænorum Episcopatu contentio fuit. Athanasius Perrhenorum in Provincia Eufratesia Episcopus, apud Domnum Antiochenum Patriarcham variorum criminum accusatus, ejus Synodo sistere se renuens, ob contumaciam, è Sede suâ rejectus est: in ejusque locum à Stephano Hierapoleos Metropolita ordinatus Sabinianus. Contigit porrò ut convocatâ non longè post Ephesina Synodo secunda, Latrocinii notissimâ nomine, Dioscorus illius Synodi Præses Sabinianum non vocatum, inauditumque deponeret, legitiméque depositum Athanasium Sedi restitueret. Hac de causa Marciano Imperatori Libellum supplicem obtulit Sabinianus; & alterum Synodo Chalcedonensi, cui caussæ istius cognitio ab Imperatore permissa fuerat. Interrogatus Athanasius quid ad hæc responderet, dixit: Caussam suam à longo jam tempore agitari cœptam: innotuisse Cyrillo & Proclo persecutionem in se motam: eos ad Domnum Antiochenum eâ de re Literas dedisse ac certam formam, seu agendi modum præscripsisse: Domnum verò spretis tantorum Antistitum consiliis, quibus se adhæsurum spoponderat, ipsum vocasse ad judicium, atque è Sede deturbasse. Lectæ sunt itaque ex Decreto Judicum Literæ Cyrilli & Procli ad Domnum, quibus ipsum rogaverant ut injuriæ à Clericis Perrhensibus irrogatæ Athanasio vindex esset, & probatos quosdam Episcopos ad audiendam ipsius caussam deligeret, quia ipsi meritò suspectus erat Hierapolitanus Metropolita, ob veteres inimicitias. Post hæc, postulante Sabiniano, lecta sunt Acta Antiochenæ Synodi sub Domno in causa memorati Athanasii, ex quibus probatum est illum Panolbii Metropolitæ, amicique imprimis sui tribunal declinasse: tertiò ab illo vocatum non paruisse: BB. Cyrillo & Proclo fecisse fucum: peregrè profectum, sponte abdicatô Episcopatu: Denique canonicè vocatum à Domno Antiocheno, & Synodo illius Patriarchicâ, examen

men & judicium fugisse, ac proinde meritò Episcopatu exutum ut contumacem, & Canonum contemptorem. Quapropter Judices censuerunt, Sabinianum Episcopatu frui debere: Athanasium verò ut meritò depositum, & à Dioscoro perperam restitutum quiescere. Litem verò ipsi intentatam, examinandam esse ab Antiocheno Patriarcha Maximo, Synodóque illius, eâ tamen lege, ut infrà octo menses causa disceptaretur: utque (si criminum sibi impositorum reus probatus esset) non solùm ab Episcopatu alienus, sed publicis etiam Legibus subdendus esset. Si verò intra tempus constitutum non convinceretur Athanasius, restitueretur in Sedem Perrhensis Ecclesiæ à Maximo Antiocheno: Sabinianus verò dignitatem Episcopatûs eo casu retineret, & substitutus esset, id est, Coadjutor, Ecclesiæque Perrhensis sumptibus aleretur. Hanc judicii formam, cùm Synodo probandam, si luberet, proposuissent Illustrissimi Judices, Patres ipsam plausibus gratulatoriis exceperunt: *Nihil justius*, dixerunt, *nihil integrius. Quæ disposita sunt, effectui mancipentur, quia cum Deo vos judicatis.* Ne quis verò existimet Sæculares Magistratus aliquam sibi auctoritatem in Judiciis Episcoporum arrogasse, audi quibus verbis huic Actioni finem imponant: *Ea*, inquiunt, *quæ à nobis quidem approbata sunt, disposita verò à Sancto Concilio, firma consistunt.*

Pensionum Ecclesiasticarum origo.

Nota Pensiones ex Beneficiorum Ecclesiasticorum fructibus delibatas, nullibi in Ecclesiasticæ Antiquitatis monumentis memorari ante Concilium Chalcedonense, quod decrevit Bassianum & Stephanum post exauctorationem alendos fore Ecclesiæ Ephesinæ sumptibus, collatis ex ærario istius Ecclesiæ solidis aureis ducentis quovis anno persolvendis. Idemque statuit eadem Synodus in gratiam Sabiniani, positis conditionibus memoratis. Sed hæ Pensiones ipsis concessæ sunt ratione habitâ paupertatis, ad quam redacti erant post depositionem, & (ut loquitur Synodus) *Nutrimenti gratiâ & consolationis.*

Actio 15.

Actione 15. absentibus Sedis Apostolicæ Legatis, & Illustrissimis Judicibus, plures Canones à Patribus conditi sunt. Græci Codices habent 30. Latini 28. ex quibus vigesimus octavus Sedi Constantinopolitanæ constituit Patriarchica Privilegia, quæ centum quinquaginta Patres Constantinopoli sub Nectario congregati olim ipsi contulerant: ut scilicet primo post Romanam Ecclesiam honore frueretur, jusque & potestatem haberet in Thraciæ, Ponti, & Asiæ Diœceses, earumque Metropolitas, & Barbarorum insuper Episcopos ordinaret.

Actio 16.

Actione 16. postularunt Legati Apostolici, ut relegeretur Canon de Sede Constantinopolitanâ, ipsis absentibus constitutus: quô recensitô, cum omnium fermè Patrum subscriptionibus; Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus, Judices interpellans, dixit: *Primò Gloria vestra perpendat, qua circumventione cum Sanctis Episcopis gestum sit, ut non conscriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti.* Ultimam illam vocem excidere passi non sunt Patres. Unde conclamarunt: *Nemo coactus est.* Resumpsit Lucentius: *Accedit, ad cumulum, quòd trecentorum decem & octo Constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantùm fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta propè annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam usi sunt, quare requirunt?*

Canon 28. Concilii Chalcedonensis Summo Patrum consensu editus, absentibus tamen Sedis Apostolicæ Legatis.

Aëtius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidiaconus, Legatorum oppositiones eludere conatus, ipsos convenit, ut Synodo coram exponerent, an id accepissent in mandatis, quod tam acri pertinaciâ præstabant. Legit Bonifacius hæc verba ex Diplomate Legationis: *Sanctorum quoque Patrum Constitutionem prolatam, nullâ patiamini temeritate violari, vel imminui, servantes omnibus modis personæ nostræ in vobis, quos vice nostrâ transmisimus, dignitatem: ut si qui fortè civitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc, quâ dignum est, constantiâ retundatis.* Hæc scilicet Legatis suis præceperat S. Leo, ne Sedis Apostolicæ Majestatem ullatenus lædi, ne Canones ullatenus violari quorumdam ambitu paterentur.

Quia verò de Canonibus erat controversia, jusserunt Judices, ut Canones ab utraque parte proferrentur. Prolatus est à Paschasino Canon 6. Nicæni Concilii: ab Aëtio verò verò Canon 3. Concilii Constantinopolitani. Tum accurato examine disquisitum est, an Patres ad illius Canonis (ut Legati contendebant,) subscriptionem coacti essent. Acclamaverunt universi: *Sponte subscripsimus.*

Post hæc, Judices Illustrissimi Canonem iterum recensitum suâ firmarunt auctoritate, Patribus acclamantibus: *Hæc justa sententia. Hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent. Quæ constituta sunt, valeant, omnia ordinatè decreta sunt.* Reclamavit Lucentius Apostolicæ Sedis Legatus: *Sedes Apostolica*, inquit, *præcepit nobis præsentibus omnia fieri. & ideo quæcunque in præjudicium Canonum hesternâ die gesta sunt nobis absentibus, à Sublimitate vestrâ petimus ut circumduci jubeatis: sin aliàs, contradictio nostra his Gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico, & totius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre debeamus: ut ipse aut de Sedis suæ injuriâ, aut de Canonum eversione possit ferre Sententiam.*

Canonem 28. Concilii Chalcedonensis improbavit S. Leo, & è numero Canonum expunctus est à Græcis ipsis. Canones verò cæteros ejusdem Concilii Sanctissimus Pontifex tacito saltem consensu approbavit, eosque Ecclesia recepit universa. Sed de his fusiùs in Dissertationibus.

§. XVIII.

De Canonibus Concilii Chalcedonensis.

Synopsis Canonum Chalcedonensium.

Canone I. Chalcedonensis Concilii, Canones in præcedentibus Synodis constituti confirmantur. Secundo, simoniacæ Ordinationes damnantur, & tam ordinans, quàm ordinatus, gradu & dignitate moventur, sicut & mediatores, si sint Clerici. Nam in Laïcos decernitur excommunicatio. Eædem pœnæ in illos statuuntur, qui ad Ecclesiastica Beneficia, dignitates, aut Officia, datis aut acceptis pecuniis promovent, vel promoventur. Tertio Canone prohibetur Clericis alienarum possessionum conductio, & sæcularium negotiorum procuratio. Excipitur cura necessaria pupillorum, cùm scilicet eam Leges imponunt; Rerum Ecclesiasticarum administratio ab Episcopo concredita; Orphanorum denique & viduarum patrocinium, quarum causas à Viris Ecclesiasticis procurari ac defendi, charitas interdum exposcit. Canone 4. Monachi vagi coërcentur. Omnibus Monachis prohibetur, ne Monasteria ædificent, vel Oratoria, absque veniâ Episcopi Diœcesani: cui subjecti esse debent, & quietem diligere, & jejunio ac orationi tantùm intendere, manere in Monasteriis in quibus sæculo renuntiaverunt, nullis se negotiis sive Sæcularibus, sive Ecclesiasticis immiscere. Iisdem sub pœna excommunicationis vetat idem Canon, ne servos repugnantibus dominis recipiant. Episcopis denique Monasteriorum providentiam & curam singularem commendat.

Disciplina Monachis imposita.

Nemo sine Titulo Clericus ordinatus.

Canon 5. Canones in aliis Conciliis editos contra Episcoporum aut Clericorum ab una Civitate in

dus. Quid Titulum sit?

in aliam migrationes, confirmat. Sextus Presbyteros, Diaconos, vel quosvis Clericos *absolute ordinari* prohibet, id est, sine Titulo, aut Beneficio: quod est Ecclesia Civitatis, vel pagi; Martyrium, id est, Oratorium ubi Martyrum reliquiæ coluntur; aut Monasterium: quibus addicti in perpetuum esse debent ad ministeria sacrorum Ordinum obeunda. Suspendit verò Synodus à functionibus Ordinum eos qui *absolute*, id est, absque titulo hujusmodi fuerint ordinati. Hæc vetus disciplina. Titulorum enim patrimonialium recentior est institutio.

Canon 7. Concilii Chalcedonensis, Clericis & Monachis militiam, & dignitatum sæcularium susceptionem prohibet; transgressores hujus regulæ, nisi ad statum redeant quem propter Deum primitus elegerint, anathemate percellit. Octavus Canon Clericos Prochiis, id est, Mendicorum hospitiis; & Martyriis, id est, Oratoriis in quibus conditæ sunt reliquiæ Martyrum; & Monasteriis præfectos, aut pro iis locis ordinatos, Episcopis subjectos esse decernit, *Secundum Sanctorum Patrum Traditiones*. Qui verò Episcopalis regiminis jugum excutere ausi fuerint, Canonicis pœnis plectendi decernuntur Clerici; Laïci verò vel Monachi, à communione segregandi.

Lites Clericorum adversùs conclericos ad tribunalia sæcularia deferri, vetat Synodus Chalcedonensis.

Nonus Canon Clericis prohibet, ne lites quas adversùs Conclericos habent, ad tribunalia sæcularia deferant, sed hujusmodi causas apud proprium Episcopum priùs ventilari decernit, vel apud selectos, ex Episcopi consilio, ab utraque parte Judices. Clericorum verò causas adversùs Episcopos, in Synodis Provinciæ judicari: Episcoporum verò, vel Clericorum querelas adversùs Metropolitanos, vel ad Primatem Diœceseos, vel ad Sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ deferri. Hoc itaque Canone, sicut & 17. Archiepiscopo Constantinopolitano tribuit Chalcedonensis Synodus, ut de causis Ecclesiasticis trium Diœceseon; scilicet Ponti, Asiæ, & Thraciæ judicaret, si ad illum priùs quàm ad Diœceseos Exarchum deferrentur, si adversùs Metropolitanos motæ essent. *Quod si*, inquit, *adversùs ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ*. Et hæc quidem sanciuntur Canone 9. Canone verò 17. hæc habentur: *Quod si quisquam à suo Metropolitano læditur, ad Primatem Diœceseos, aut apud sanctam Constantinopolitanam Sedem judicetur, sicut superiùs dictum est.* Ad quem autem amborum deferrentur hujusmodi causæ, in conquerentium arbitrio positum erat.

Pluralitas Beneficiorum.

Canon 10. Clericis, sub gradus proprii periculo, prohibet, ne in duabus simul Ecclesiis conscribantur; id est, ne plura Beneficia obtineant.

Pensiones causa permutationis Beneficiorum.

Idem Canon 10. Chalcedonensis Concilii statuit, ut qui translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum quæ sub ea sunt, aut Prochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet: id est, ne pensionem aliquam ex iis percipiat. Unde pensiones causa permutationis Beneficiorum à permutantibus retentas, cùm habent ex posteriori Beneficio, vel ex patrimonio inde commodè vivant, huic repugnare Canoni evidens est, eòque cauponatiam illam Beneficiorum permutationem etiam damnari: quamvis translationem solam, non permutationem spectasse Chalcedonenses Patres videantur.

Canon 11. Pauperibus, cum peregrè proficiscuntur, pacificas tantùmmodò, non commendatitias Epistolas dari decernit, quæ personis duntaxat honoratis tribuebantur. Ita verò decreverunt Patres, ne commendatio subsidia ab extraneis extorqueret; quos sponte pauperibus subvenire conveniens est.

Canon 12. medetur abusui qui apud quosdam Episcopos invaluerat, qui ad Principes confugiebant ut Metropoleos dignitatem Civitati suæ & Ecclesiæ impetrarent, & Pragmaticas ad Provinciæ divisionem Sanctiones obtinebant. Id prohibet sancta Synodus, & unicum uni Provinciæ Metropolitanum assignat.

Canon 13. Peregrinos Clericos in aliena Civitate, sine commendatitiis proprii Episcopi Literis ministrare vetat. Canon 14. Nuptias tum minorum Clericorum, scilicet Lectorum, & Psalmistarum, iis in Provinciis in quibus conjugium ipsis permissum est; sive Laïcorum Fidelium, cum Paganis, Judæis, vel Hæreticis prohibet, nisi Fidei Orthodoxæ professionem promittant. Canon 15. Diaconissam ante annum 40. & absque maximo examine prohibet ordinari; convolantem ad nuptias post manûs impositionem, excommunicatione cum marito plectit. Canon 16. Sacris Virginibus, & Monachis nubere vetat, sub anathemate. Canon 17. Litibus quæ inter Episcopos, ob Parochias rusticanas moveri possunt, it obviam: illisque ipsas adjudicat, qui eas, absque vi, triginta annorum spatio obtinuerint, & rexerint. Canon 18. Clericos adversùs Episcopum, aut Clericos conjurantes, gradu movet. 19. Bis in anno Provincialia celebrari Concilia, secundùm Canones Nicænos, & Episcopos ad ea, absque legitima excusatione non convenientes, fraterno affectu corripi jubet.

Migratio ab una Ecclesia ad aliam Clericis prohibita.

Canon 20. Clericos ab una Ecclesia ad aliam migrantes coërcet, ipsosque unà cum Episcopis qui ipsos susceperint, privat communione. 21. Clericos, aut Laïcos passim & sine probatione ad accusationem Episcoporum, aut Conclericorum recipi vetat.

Canon 22. Canones antiquos innovat contra Clericos, qui defuncti Episcopi bona diripiunt, eosque à propriis gradibus excidere jubet. Pessimam illam consuetudinem, quâ Clerici, imò & Laïci, defunctorum Episcoporum bona occupabant, alia etiam post Chalcedonense Concilia resecarunt, scilicet Ilerdense, sub Joanne II. Pontifice Maximo anno 524. Canone 16. Valentinum in Hispania, anno 524. Canone 2. Ponrigonense anno 876. Canone 14. Trosteïanum anno 909. Canone 14. Claromontanum anno 1095. Canone 1. Lateranense II. Oëcumenicum, sub Innocentio II. Canone 5.

Canon 23. Clericos, & Monachos, quibus nullum ab Episcopo suo commissum est negotium, ad Urbem Regiam venire prohibet ac in ea diutiùs immorari: alioqui à Defensore Constantinopolitanæ Ecclesiæ moneri primùm, deinde expelli decernit. 24. Monasteria in Sæculares domos mutari vetat: qui id permiserint, Canonum correptionibus obnoxios fore statuit.

Bona Ecclesiæ per Oeconomos administranda.

Canon 25. Ordinationes Episcoporum ultra tres menses à Metropolitanis differri prohibet; Ecclesiæ verò viduatæ redditus penes Oeconomorum ejusdem Ecclesiæ integros servari præcipit. 26. Sanxit ut recipiendis, & expendendis redditibus Ecclesiasticis in unaquaque Diœcesi Oeconomus institueretur, ne adversùs Episcopum oriri posset avaritiæ suspicio. Edendo huic Canoni occasionem dedit pax inter Ibam Edessenum Episcopum, & Clericos illius accusatores facta in Synodo Berytensi, opera Photii Tyriorum, & Eustathii Berytensium Episcopi. Insimulabantur à Clericis Ibas, & Daniel Carrhorum Episcopus, ejus nepos, malæ administrationis, & dissipationis bonorum Ecclesiasticorum. Compositum negotium est eâ conditione, quam sponte subiit Ibas, ut Ecclesiæ bona per Oeconomos in posterum administrarentur. Sic namque in Synodo Berytensi interlocuti sunt Photius & Eustathius: *De Ecclesiastico reditu, & ex quacunque causa acquisitis sanctissimæ Ecclesiæ, placuit religio-*

ſſimo Epiſcopo Iba, ex propria voluntate promittere, quod de cætero, ſecundùm formam Antiochenæ maximæ Civitatis, gubernarentur res per Oeconomos ex Clero ordinatos ab ejus Religioſitate.

Synodus verò Chalcedonenſis omnium prima eligendi Oeconomi neceſſitatem Epiſcopis impoſuit. Licet enim antea in Eccleſia Antiochena Oeconomi eſſent, eos conſuetudo ſola pepererat, non inſtituerat Canon. Unde & ad ſolam conſuetudinem id refert Photii & Euſtathii in Synodo Berythenſi interlocutio. Tbtophilua Alexandrinus in Commonitorio, cap. 9. ſignificat, Eccleſiæ Alexandrinæ facultates, jam inde ante Concilii Chalcedonenſis tempora, per Oeconomos fuiſſe adminiſtratas, qui ab univerſo Cleeo eligerentur: ait enim: *Totius Ordinis Sacerdotalis ſententiâ alius renuntietur Oeconomus, in quo Apollo quoque Epiſcopus conſenſit, ut bona Eccleſiaſtica, ut debent, inſumantur.*

Canon 27. Chalcedonenſis Concilii, pœnam decernit in raptores mulierum, etiam ſub nomine conjugii, & in cooperantes atque conniventes: in Clericos quidem depoſitionis; in Laïcos verò excommunicationis.

Canon 28. de Privilegiis Sedis Conſtantioopolitanæ decernit, juſque Patriarchicum ipſi confirmat, aſſerens Regiæ Urbis Archiepiſcopo Metropolitanorum Ordinationes in Diœceſibus Pontica, Aſiana, & Thracica.

ARTICULUS XIV.

De rebus geſtis Patriarcharum Alexandrinorum, poſt Dioſcori depoſitionem.

§. I.

De Proterio Dioſcori ſucceſſore.

Dioſcoro Chalcedone depoſito, Ægyptii Epiſcopi poſt Synodum Chalcedonenſem Alexandriam redierunt, coactóque Clero, & Nobilibus civitatis, de eligendo Epiſcopo, ſecundùm Synodi, & Imperatoria mandata, ſtatuerunt. Verùm à civibus turbata eſt electio, *Volentibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur, Dioſcoro quippe vivente*, ut ait Liberatus in *Breviario*. Nefas enim putabant, Dioſcoro ſuperſtite alterum ipſi ſubrogari. In Proterium tamen omnium vota conſpirarunt, ipſumque non ægrè elegerunt Patriarcham, qui carus Dioſcoro: & ab ipſo Eccleſiæ Alexandrinæ Archipreſbyter creatus, quam & ipſi abſens commendaverat. Sed ordinato Proterio varias in factiones plebs Alexandrina rurſus ſciſſa eſt: alii quippe Dioſcorum petebant, adverſabantur Proterio: alii huic favebant, illum verò execrabantur. Inde ſeditio propè inſanabilis, de qua Evagrius *Lib.* 2. *Hiſtoria Eccleſiaſtica cap.* 5. Tot turbas inter multa pericula paſſus eſt Protesius, ita ut militari cuſtodia indigeret, ut ſe ab impetu plebis, quæ Dioſcori perditè amans erat, tueretur. Hæc ex Liberato *in Breviaro cap.* 14. & 15. Proterii Ordinatio facta eſt anno 453. Statim atque conſecratus eſt, literas dedit ad S. Leonem ad quem ſcripſit & Marcianus Auguſtus ut rectam eſſe Proterii fidem teſtaretur. Literas detulit Neſtorius Phragoneos Epiſcopus. Proterio fidei integritatem S. Leo gratulatus eſt Epiſtola 103. quam edidit cum aliis P. Quenellius, cùm antea ſolum ejus fragmentum apud Bedam lib. *de Ratione temporum cap.* 41. haberetur. Sic incipit: *Lanficaverunt me literæ Dilectionis tuæ, quas frater & Coepiſcopus noſter Neſtorius pio adportavit officio. Oportebat enim ut ab Alexandrinæ Præſule Eccleſiæ talia Scripta ad Sedem Apoſtolicam mitterentur, quæ oſtenderent, magiſterio beatiſſimi Petri Apoſtoli hoc ab initio per B. Marcum ejus Diſcipulum didiciſſe Ægyptios, quod conſtat credidiſſe Romanos.*

§. II.

Timotheus Ælurus molitur necem Proterio, & Alexandrinam Sedem invadit.

Rem geſtam ita narrat Liberatus cap. 15. *Breviarii*. Timotheus quidam cognomento Ælurus, & Petrus Moggus Diaconus, qui de Ordinatione fuerunt Dioſcori, ab Alexandrina Eccleſia ſe ſeparaverunt, nolentes communicare Proterio. Quos cùm Proterius Epiſcopus ad miniſterium proprium revocare non poſſet, utrumque damnavit. At illi auditâ morte Marciani Imperatoris, collectis turbis Hæreticorum qui Dioſcorum ſequebantur, ordinato Epiſcopo Timotheo Æluro, veniunt Alexandriam, & ante triduum Paſchæ quo Cœna Domini celebratur, ab ipſis turbis concluditur in Eccleſia ſanctæ memoriæ Proterius, quò ſe timore contulerat. Ibique eadem die in Baptiſterio occiditur, laniatur, ejicitur, & funus ejus incenditur, ſparguntur & cineres ejus in ventos. Ab iſto ergo Timotheo, duo Epiſcopi Alexandrinæ cœperunt eſſe: & dum Eccleſias tenuiſſent, ſolverunt eam, quam habebant, unitatem, expulſis ab eis plurimis Epiſcopis Orthodoxis, qui erant ſub Sede Evangeliſtæ S. Marci. Hæc Liberatus. Timotheus Ælurus, ex Monacho, Presbyter erat Alexandrinus. Ab Epiſcopis duobus, ob hæreſim abdicatis à Sacerdotio, ordinatus eſt, ſcilicet ab Euſebio Peluſii, & Petro Majumæ. Tanta fuit Hæreticorum in Proterium rabies; ut ejus viſcera more ferarum vorarent. Lege Evagrium lib. 2. cap. 8. Id contigit anno Chriſti 457.

Interea mortuo Marciano, Leo ad Imperium evectus fuerat, vir zelo Fidei, & pietate, Deceſſori ſuo non impar. Ad eum Conſtantinopolim confugerunt Epiſcopi Catholici, & Alexandrini Clerici, Libellumque ſupplicem ipſi porrexerunt, quo obſecrabant ut in Proterii parricidas animadverteret, ac Timotheum Sedis Alexandrinæ invaſorem expelleret. Extat ſupplex eorum Libellus 3. p. Concilii Chalcedonenſis cap. 22. & ex parte deſcribitur ab Evagrio. Hoc Libello conqueſti ſunt primò de impietate Timothei, qui Synodum Chalcedonenſem anathemate palam confixerat. Secundò de ambitione, quâ Sedem Alexandrinam invaſerat. Tertiò de homicidio, quod necis Proterio inferendæ author fuiſſet. Quartò de perſecutione in Chalcedonenſis Concilii & Proterii Defenſores motâ, quos anathemate percuſſerat, & Sacerdotii muniis interdixerat. Quintò de S. Proterii nomine ex ſacris Dypticbis expuncto, reſtitutóque in illa Dioſcori nomine, ac ſuo. Rogant proinde Leonem Auguſtum ut ſcribere dignetur ad Romanum Archiepiſcopum, cæteroſque Sedium præcipuarum Antiſtites, de Timothei Æluri facinoribus, ut ipſi renuntient quid SS. Patrum regulæ in hujuſmodi criminum reos decreverint. Obſecrant ſecundò, ut Timotheum recedere jubeat ab Alexandrina Sede, cui tyrannicè præſidet. Tertiò, ut jubeat Epiſcopum canonicè eligi in locum Proterii. Quartò, ut decernat Synodi celebrationem, ſi opus ſit; non quidem pro causâ Fidei, de qua non ambigunt, ſed propter nefaria Timothei facinora. Quintò, ut ab omnibus muniis Epiſcopalibus Timotheus prohibeatur. Sextò, ut ab ipſo bouorum Alexandrinæ Eccleſiæ adminiſtratio ad Clerum ejuſdem urbis transferatur. Ultimò, ut Clericos à Timotheo expulſos in ſuas Eccleſias redire præcipiat.

Miſerunt etiam Hæretici Legatos Conſtantinopolim

polim ad Leonem Augustum, & Libellos ipsi obtulerunt: Nicænam Synodum & Ephesinam se recipere sunt professi, Latrocinium Ephesinum prædicarunt, Chalcedonensem repudiavere Synodum. Timotheum in Sede Alexandrina ab Imperatore petierunt confirmari, cujus statum sub ejus regimine pacificum esse mentiebantur. Extat eorum Libellus 3. p. Concilii Chalcedonensis, Num. 24.

Supplices utriusque partis Libellos cum legisset Imperator, ratus nimis esset grave ut prolixo itinere vexarentur Sacerdotes, de cogendo Concilio Oecumenico non cogitavit, sed causam remisit ad Anatolium, ut in Synodo ex Episcopis, qui in Urbe erant, collectâ, quid statuendum de Timotheo, & de rebus Chalcedone gestis judicaret. Damnatus est eâ in Synodo Timotheus, vindicata est ab injuria Synodus Chalcedonensis. Tum Relatio ab orthodoxis Ægypti Episcopis Anatolio oblata est, quâ ipsum rogabant ut primarios Ecclesiæ Episcopos, ac præcipuè Romanum, de tumultibus & facinoribus Alexandrinorum Hæreticorum certiores faceret. Scripsit his de rebus ad S. Leonem Anatolius, scripsit etiam ad omnes Episcopos, qui Synodo Chalcedonensi interfuerant, sive ad omnes Metropolitas Orientis, ad quos unà literas dedit Imperator, quibus jussit ut suam de Ordinatione Timothei, & de Chalcedonensi Synodo sententiam. Scriptis significarent. Rescripserunt illi, *Chalcedonensem Synodum usque ad sanguinem vindicandam, eo quòd non alteram fidem teneret, quàm Nicæna Synodus constituit. Timotheum verò non solùm inter Episcopos non haberi; sed etiam Christiana appellatione privari*: ut refert Liberatus cap. 15. *Breviarii*. Epistolarum à Leone Augusto ad omnes quaquaversùm Metropolitanos scriptarum exemplar inseruit Evagrius *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9.* Scripsit etiam ad S. Simeonem Stylitem Imperator, ejusque sententiam cùm de Chalcedonensi Concilio, tùm de Timotheo Æluro rogavit. Epistolæ verò Encyclicæ Episcoporum ad Leonem Augustum his de rebus datæ, quibus & Chalcedonensem Synodum se probare, & Timotheum à Sacerdotio alienum se decernere significant, habentur 3. p. Concilii Chalcedonensis, à Numero 26. ad 60. Solus Amphilochius Episcopus Sidæ, Chalcedonensem Synodum improbavit; creationem Timothæi nihilominus execratus, teste Evagrio *lib. 2. cap. 12.* Exscribit idem Author exemplar Epistolæ à S. Simeone Stylite ad Leonem Imperatorem directæ.

Non est annuendum Hæreticis ut retractentur quæ ab Oecumenica Synodo sunt definita.

De Alexandrinæ Ecclesiæ deplorando statu certior factus ab Anatolio S. Leo, plures ad Imperatorem literas dedit, quibus ipsum hortatus est, ne ea quæ in Synodo Chalcedonensi definita essent, retractari pateretur, aut novum Concilium celebrari, quod Hæretici postulabant. *Cùm ergo*, inquit, *universalis Ecclesia per illius principalis Petræ ædificationem facta sit Petra, & primus Apostolorum Beatissimus Petrus voce Domini audierit; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: quis est, nisi aut Antichristus, aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem? Qui in malitia sua inconvertibilis perseverans, per vasa iræ & sua apta fallacia, falso diligentiæ nomine, dum veritatem se mentitur inquirere, mendacia desiderat seminare? Atque commenda & vitanda meritò sibi incontinens furor, & impietas cæca præscripsit, ut dum diabolico instinctu in sanctam Alexandrinam sævit Ecclesiam: quales essent qui Chalcedonensem Synodum retractari cupiunt, disceretur. In qua nullomodo accidere potuit, ut à nobis contra sanctam Nicænam Synodum sentiretur, quod Hæretici mentiuntur, qui se fidem Nicæni Concilii tenere confingunt*, &c. Hæc S. Leo Epistola 75. sive 125. in editione P. Quenellii. Ibidem Leonem Augustum adhortatur, ut Regia potestate, quæ ipsi ad Ecclesiæ præsidium collata est, fidem tueatur, Alexandrinæ Ecclesiæ pacem restituat, & ex ea expellat Timotheum invasorem. *Cùm enim*, inquit, *Clementiam tuam Dominus tantâ Sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas; depellendo scilicet pervasores juris alieni, & antiquæ fidei sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando*, &c.

Regia potestas non solùm ad mundi regimen; sed maximè ad Ecclesiæ præsidium Christianis Principibus collata.

Scripsit etiam bis de rebus ad Anatolium S. Leo, laudans fidem Imperatoris, *Quæ sollicitudinem penè superabat Sacerdotum*. Hortatur ipsum ut apud Augustum pro comprimendis Hæreticis strenuè agat, curetque ut Synodi Chalcedonensis Constitutiones inviolatè permaneant, & pax Alexandrinæ Ecclesiæ restituatur, Timotheo pervasore ab aliena sede depulso. Lætitiam quoque suam significat, quòd quatuor dumtaxat Episcopi Timotheo & impietate Hæreseos, & sceleris latrocinio junguntur. Monet insuper ut Episcopos Catholicos ex Ægypto profugos, omnibus humanitatis officiis prosequatur; ac Hæreticis novæ spem Synodi apud Imperatorem adimat. Denique graviter arguit Anatolium, quòd Atticum Presbyterum contra Catholicam Fidem & Chalcedonensem Synodum passus sit in Ecclesia disputare: minaturque se pro sua auctoritate acturum, nisi eum à communione abscindat. Hæc habentur Epistola 126.

Displicuerunt Anatolio S. Leonis literæ, quòd ejus oscitantiam in causa Attici arguerent. Attamen probavit eventus Atticum Eutychianum esse. Mittendo enim Scripta dubiæ Fidei & professionis incertæ ad S. Leonem confirmavit potiùs quàm diluit, quicquid de eo fama pertulerat. Eutychetem enim execrabatur, sed ejus perfidiam disertè non damnabat. Utrumque autem ut sincerè præstaret, S. Leo postulabat; utque subscriberet absque fuco & tergiversatione damnationi Eutychianæ Hæreseos, & Eutychetis; & Chalcedonensis Synodi Definitioni. *Prædictus autem Atticus*, inquit, *ut ab omni suspicione contraria liber appareat; quid in Eutyche anathematizet ac damnet, evidenter ostendat, & in damnationem erroris expressi, remotâ omni dubitatione subscribat: ita ut Chalcedonensis Synodi Definitionem de Fide, cui etiam Dilectio tua subscribendo consensit, & quam Apostolicæ Sedis firmavit auctoritas profiteatur se per omnia servaturum, adjectâ subscriptione propriæ manus*, &c. Quod si tam salubribus præceptis non pareat, sententiæ à Synodo Chalcedonensi in Hæreticos latæ ipsum subdit. Ista constant ex Epistola 128. S. Leonis.

Atticus Presbyter in damnationem erroris verbis minimè ambiguis subscribere debet.

Interea Leo Augustus, cui Synodum frustra peti ab Hæreticis visum est, postquam in Synodo Chalcedonensi finita controversia esset, quia, ut ipse dixit, *Perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit*, collationem, quam procrastinandi animô petebant, non censebat denegandam. Ideò rogabat S. Leonem ut Episcopos mitteret ex Occidente, qui quasdam quæstiones elucidarent. Agnovit prudentissimus Pontifex astutiam Hæreticorum, Imperatorique respondit his verbis: *Evidenter agnoscitis, quod magnis Hæreticorum andetur insidiis: ut inter Eutychis Dioscorique Discipulos, & eum quem Apostolica Sedes direxerit, diligentior, tanquam nihil ante fuerit definitum, Tractatus habeatur; & quod totius mundi Catholici Sacerdotes in sancta Chalcedonensi Synodo probant, gaudéntque firmatum, in injuriam etiam sacratissimi Concilii Nicæni efficiatur infirmum.* Hæc habentur Epistola 78. S. Leonis, vel 132. in editione P. Quenellii.

Ibidem Episcopos se missurum pollicetur, qui præsentiam suam suppleant, non ad pugnam cum Hæreticis instaurandam; semel enim definita Nicææ & Chalcedone, retractanda non esse. *Pranoscat*, inquit, *Pietas tua, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus Fidei, nec ad certandum contra illos, à Sede Apostolica profecturos: quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire Tractatum, tanquam dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit authoritas.* Has literas dedit S. Leo anno 458. 9. Kal. Aprilis.

Legatos non misit Constantinopolim S. Leo, nisi post quinque menses, quâ causâ eorum profectionem retardante, incertum. Hi fuere Geminianus & Domitianus Episcopi. Id constat ex Epistola 133. S. Leonis, quam ex MS. Codice Cardinalis Grimani, publici juris fecit P. Quenellius. Ejusdem Legationis occasione aliam Epistolam ad Imperatorem dedit Sanctissimus Pontifex 3. Kal. Septembris, quæ de Incarnationis Mysterio prolixiorem tractationem continet, & plurima disertissimaque SS. Patrum testimonia subjecta habet, quibus Eutychiana Hæresis jampridem in Ecclesia damnata ostenditur. Denique rogat Augustum, *Ut paci Ecclesiarum Dominus suâ Constitutione prospiciat, & in omnibus sibi subditis Dei dona defendat, neque patiatur per invidiam diaboli ministros ipsius in cujusquam sævire perniciem.*

Literis S. Leonis, Legatorumque precibus permotus Imperator, Timotheum Ælurum Alexandria ejici jussit, & alium, Synodi Chalcedonensis Vindicem, ipsi substitui. Sacra Jussio directa est ad Stylam Ducem, qui Timotheum Chersonam relegavit, & actâ custodiâ ibi detineri curavit, si Liberato credimus: nam Gangrenam in civitatem amandatum Evagrius scribit lib. 2. cap. 11. Quâ de re gratulatoriam ad Leonem Augustum Epistolam dedit S. Leo, quâ ipsi primùm gratias egit de Timothei expulsione. Secundò, obsecravit ut Catholicum Alexandriæ Episcopum ordinari curaret. Tertiò, quia Timotheus Ælurus obtinuerat ut Constantinopolim veniret, Hæresim ejuraturus, & Fidei professionem emissurus, hortatur ne ipsum Alexandriam regredi permittat, *Etiamsi in professionem Fidei nihil negligat, nihil fallat*: Quia etiamsi Fidei integritas posset in ipso qualibet conditione restitui, nequaquam tamen quæ scelestè cruentèque commissa sunt, possunt probabilium verborum protestationibus aboleri: *Quia in Pontifice Dei, & maximè in tanta Ecclesia Sacerdote, non sufficit sonus linguæ & sermo labiorum; & nihil prodest si Deus voce prædicatur, & mens in impietate convincitur.* Hæc habentur ex Epistola 99. S. Leonis, vel 137. in editione Quenellii, datâ ad Leonem Augustum 15. Kal. Jul. anno Christi 460. Scripsit etiam Sanctus Pontifex ad Gennadium, qui defuncto Anatolio in Sede Constantinopolitanâ successerat, ut Timotheum Constantinopolim, nonnullis hoc Fidei adversariis agentibus, venire permissum, Alexandrinæ Sedi restitui impediret, eâ quâ pollebat apud Principem auctoritate. *Cum illi*, inquit, *etiamsi Catholicus probaretur, hoc vehementer obsistat, quòd, vivente Episcopo, tanta Sedis invasor est & auctor apparuit inaudita crudelitatis admissa.* Cavere etiam jubet Gennadium, *Ne cum tam nefario homine sermo aliquis privatim vel publicè misceatur, neve sub specie correctionis ejus, quorumdam Conventui præbeatur occasio.* Hortatur denique ut obtineat *Alexandrinis Catholicum, ex Clero suo, Episcopum, secundum morem veterem, per Orthodoxos Episcopos consecrari.* Data est hæc Epistola 15. Kalend. Julii ejusdem anni 460. & est inter Leoninas 100. sive 138. in editione P. Quenellii.

§. III.

De Timotheo Salophaciolo, & secundâ Sedis Alexandrinæ ab Æluro invasione.

Electus est, pulsô Timotheô Æluro, Timotheus alter, cognomento Salophaciolus, id est, albus, & in Alexandrina Sede collocatus ab Ægypti Episcopis. Ut primùm ordinatus est, ad S. Leonem literas de Ordinatione suâ per Danielem Presbyterum, & Timotheum Diaconum dedit. Ad ipsum vicissim scripsit S. Leo, suámque illi gratulatus electionem est, Epistola 101. sive 139. in editione P. Quenellii. Timotheus ille pacificè Alexandrinam rexit Ecclesiam, quandiu Leo Augustus imperavit, immò & sub Imperio Zenonis, donec Basiliscus arriperet Tyrannidem, Zenone in Isauriam fugiente. Ita scribit Liberatus cap. 16. Breviarii. Verùm anno Christi 476. Zenonis Imperatoris III. Timotheus Ælurus Sedem Alexandrinam rursùs invasit, Catholicô Antistite expulsô; & Constantinopolim se contulit ad Zenonem Augustum, quasi injuriam ipse passus esset, non intulisset. Fuit in eo comprimendo segnior Imperator, nimiâque humanitate passus ipsum est; quamvis eum non revocaverit ab exilio, ut scripsit Baronius. Ejus enim revocationem Basilisco Tyranno tribuunt Liberatus cap. 16. Evagrius lib. 3. & Theodorus Lector, lib. 1.

Baronius emendatur.

De nefariis Timothei ausibus monitus à Presbyteris & Monachis Constantinopolitanis Simplicius Romanus Pontifex, ad Zenonem Augustum literas dedit, quibus primò se mirari testatur, quod tanta facinora sub Imperatoris Catholici oculis impius Timotheus perpetraverit, & Alexandrinâ Sede iterum usurpatâ, Constantinopolim venire sit permissus, ibique quasi triumphantis pompâ exceptus sit à fautoribus suis, qui eum debitis soli Christo vocibus prosecuti sunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Secundò Zenonem monet, ut Epistolas S. Leonis ad Marcianum, ad Leonem Augustum, ad Concilii Chalcedonensis Patres legat, quibus ita planè ac dilucidè Sacramentum Dominicæ Incarnationis exposuit, ut non modò Catholicus, sed nec Christianus quidem valeat nuncupari, qui illis refragetur. Tertiò obsecrat, ne retractari patiatur quæ de Fide constituta sunt: *Quia, quod Apostolicis manibus, cum Ecclesiæ universalis assensu, acie meruit Evangelicæ falcis abscindi, vigorem sumere non potest renascendi.* Quartò rogat, ut Ecclesiam Alexandrinam ab incubatione cruentissimi prædonis Timothei Æluri liberet, & Catholico restituat Antistiti, scilicet Timotheo Salophaciolo.

Scripsit etiam ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum, qui Gennadio successerat, Simplicius, cúmque Legationis Apostolicæ munere ornavit, ut apud Imperatorem Fidei negotium, Timothei Æluri expulsionem, & Catholici restitutionem Antistitis in Sedem Alexandrinam curaret, potissimúmque ipsum deterreret à cogenda Synodo, quam Hæretici postulabant. Luculenta sunt quæ scribit hoc de postremo capite: *Hortor ergo, Frater charissime, ut modis omnibus facienda Synodi, perversorum conatibus resistatur; quæ non aliàs semper indicta est, nisi cùm aliquid in pravis sensibus novum, aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: ut in commune tractantibus, si qua esset obscuritas, Sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas. sicut primùm Arii, ac deinde Nestorii, postremùm Dioscori atque Eutychetis fieri coegit impietas. Et, quod misericordia Christi Dei Salvatoris nostri*

ani nu

avertat, intimandum est abominabile esse, contra sententias totius orbis Domini Sacerdotum, & Principum utriusque Rectorum, damnatos reos restituere, reduci exules, relegatos in caussa nefariæ conjurationis absolvi.
Epist. 9 Scripsit idem Pontifex ad Clericos & Archimandritas Constantinopolitanos, eisque constantiam in Fide gratulatus est, & quòd Timotheum Ælurum ad communionem non admisissent. Alexandrinam Ecclesiam infestavit nefarius ille Invasor secunda hac vice, biennii spatiô, ex quo scilicet Basiliscus Imperium usurpavit, donec à Zenone redactus est in ordinem. Cùm enim Zeno recuperatô Imperiô omnia Basilisci Acta lege latâ rescidisset, & in Chalcedonensis Concilii defensionem evasisset adversâ fortunâ propensior, Timotheus Ælurus rebus suis
Epist. 10 desperatis, mortem sibi venenô conscivit anno 478. (ex Liberato, cap. 16. Breviarii) Inter hæc Simplicius Pontifex recuperatum Imperium gratulatus est Zenoni, ipsumque hortatus est ut Timotheum Salophaciolum Alexandrinæ Sedi restitueret, ac Synodi Chalcedonensis, Sanctique Leonis Decreta intemerata manere juberet, *Quia nullo modo retractari potest, quod illorum Definitione sopitum est*: & suscipi debet, *Quod cum egregiis orthodoxisque Pontificibus universalis Ecclesia decrevit assensu.*

§. IV.

De Petro Moggo.

EXtinctô Timotheo Æluro, ordinaverunt sibi Hæretici Episcopum Petrum Moggum, antea Archidiaconum. Quod cùm ad Zenonem Imperatorem relatum esset, scripsit Anthemio Augustali, ut Petrum invasorem Alexandrinæ Sedis ejiceret, Timotheum verò Salophaciolum legitimum Pontificem tunc in Canopo Castello degentem, Sedi restitueret, ac in Petri Promotores ut in Reipublicæ perturbatores ageret. Zenonis Edictum executioni impigrè mandavit Anthemius. De his Liberatus cap. 16. Breviarii. His de rebus Acacius Constantinopolitanus Episcopus Romanum Pontificem Simplicium certiorem fecit, datâ ad ipsum Epistola, quæ extat inter Epistolas Simplicii. In ea de Petro Moggo ita scribit: *Petrum quoque qui ab Alexandria more similiter procella surrexerat, dissipavit* (Christus) *atque in æternam fugam Sancto Spiritu flante convertit, unum & ipsum de his qui olim fuerant damnati.... Qui Petrus noctis existens filius, & operum diei lucentium alienus apparens, omninò tenebras ad Latrocinium peragendum congruas, earum cooperator inveniens, media nocte, adhuc jacente cadavere illius, qui Paternos Canones subverterat, insepultô, subrepsit in Sedem, unô & solô præsente, & eo qui consors illius insistebat insaniæ: ita ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur: nec, quod sperabat, effectum est. Sed ille quidem de se ex parte vel minima judicans, nusquam penitus omnino comparuit. Timotheus autem Paternorum Canonum Custos.... Potestati propria restitutus à Christo, propria Sedis honore lætatur.*

Gratulatorias Literas cùm ad Acacium, tum ad Zenonem Augustum dedit Simplicius, quibus etiam ipsum rogabat, ut Petrum Moggum, Alexandriæ adhuc latentem, procul relegari juberet, ne aliquos modicæ Fidei inficeret, ac ad suam traduceret impietatem. (*Epist. 9. & 10.*)

§. V.

De electione Joannis Talaia, & restitutione Petri Moggi.

ANno 482, Timotheus Salophaciolus post 23. Sedis annos, & 6. menses è vita migravit. Dum viveret nimiæ mansuetudinis erga Hæreticos accusatus est: ab ipso extorserunt, ut Dioscori nomen ad altare inter Catholicos Pontifices recitaret. Quâ de ignaviâ veniam petiit à Simplicio Romano Pontifice. (Ex Epist. 11. Simplicii ad Acacium, & ex Liberato cap. 16. Breviarii.)

Defunctô Timotheo, à Catholicis Ægypti Episcopis, Clericis etiam & Monachis Alexandrinis suffragantibus, electus & ordinatus est Joannes Talaia Presbyter & Oeconomus Ecclesiæ Alexandrinæ: sed huic Zeno Imperator adversatus est, impulsu Acacii illi succensentis, quòd Synodicas ad ipsum Literas de Ordinatione sua non direxisset. Mos erat scilicet, ut majoris cujusque Sedis, etiam Apostolicæ, Antistites, ubi primùm ordinati essent, ex suæ Ordinationis Synodo ad cæteros Patriarchas Literas darent, quæ erat communionis tessera. Datæ sunt verò à Joanne Talaia ad Simplicium Romanum Pontificem per Isidorum Presbyterum, & Petrum Diaconum: datæ pariter ad Calendionem Antiochenum Patriarcham per Magistrianum Ello: nullæ, aut præ negligentiâ, aut consiliô, ad Acacium missæ sunt: quod ipse contemptui vertens, concitavit turbas, quæ totam Ecclesiam miserè vexarunt. Alterum exturbandi ab Episcopatu Joannis prætextum arripuit Acacius: quòd nempe, vivente Timotheo Catholico, secessum ex Ecclesia meditatus esset, eique suscipiendi in Dyptichis Ecclesiæ Dioscori author fuisset. Ita Liberatus cap. 17. Breviarii. Ubi & alteram addit rationem cur eum Episcopatu indignum Acacius, & Petri Moggi fautores Zenoni Imperatori suggererent, quòd scilicet jurasset antea nunquam se Alexandrinam Sedem conscensurum, & nunc violati jurisjurandi reus esset. Addit Evagrius ex Zacharia Rhetore, Joannem non solùm contemptô jurejurando, quo se apud Principem obstrinxerat, verùm etiam datâ pecuniâ, Episcopum Alexandriæ constitutum. (Lib. 3. c. 12.) Has ob causas, Imperatoris mandatô, Alexandriâ ejectus est. Suggerente verò Acacio, Petrum Moggum plebi Alexandrinæ gratissimum, & partes obstinatè divisas ad unitatem facilè revocaturum, Imperator Sacra Jussione ad Apollonium Augustalem & Pergamium Ducem directâ, Petrum Moggum in Sedem Alexandrinam revocavit, certis conditionibus, ut nempe ipsius Zenonis Henotico jam edito ad conciliandam, ut videbatur, pacem, subscribere: Secundò, ut Proterianos, id est, eos qui in S. Proterii communione manserant, nec adhæserant unquam Timotheo Æluro, in communionem suam susciperet: Tertiò, ut Synodicas ad Simplicium Romanum, ad Acacium Constantinopolitanum, & ad cæteros Archiepiscopos Literas destinaret. Conditiones implevit Petrus Moggus. (Ex Liberato cap. 17. Breviarii, & ex Evagrio lib. 3. cap. 12. & 13.)

Nec verò Petrum Moggum in communionem, ac in Sedem Alexandrinam restitui curavit Acacius, nisi ubi duas in Christo naturas confessus est, & Synodum Chalcedonensem suscepit, ut constat ex Epistola Zenonis Augusti ad Felicem Pontificem Maximum, cujus verba refert Evagrius lib. 3. Historiæ cap. 20. & ex Epistola Petri Muggi ad Acacium, quam refert idem Evagrius cap. 17. ejusdem libri; & ex Liberato cap. 17. Breviarii.

De Alexandrinæ Ecclesiæ miserrimo statu certior factus Simplicius Romanus Pontifex, ad Aca-

cium Literas dedit, quibus suam de Catholici Episcopi in Alexandrina Ecclesia electione & Ordinatione lætitiam turbatam mox fuisse significat Imperatoris Literis, denuntiantibus Joannem Talaia, tanquam perjurii reum, Sacerdotio indignum esse: tanti pondere testimonii motum se suspendisse ipsius confirmationem, id est, Literas ad eum tanquam ad Episcopum non scripsisse: sed vehementi se fuisse stupore perculsum, quòd Petrum Moggum Hæreticorum socium & Principem ad illius Ecclesiæ regimen provexisset Imperator. Communioni restitui non posse Petrum Moggum hæreseos convictum, quantumvis rectam Fidem profiteri videatur, nisi secundùm Ecclesiasticas Regulas satisfaciat, ac proinde Pœnitentiam agat solemni ritu, non verò ad Sacerdotalis dignitatis fastigium ascendat. Restitutionem Petri Moggi in eversionem Synodi Chalcedonensis, & in Fidelium perniciem cedere. Tantò periculosiorem esse, quòd ab iis ipsis postuletur Episcopus, cum quibus olim à communione segregatus est: evidensque esse ipsos non rectam Fidem velle, sed nefarii dogmatis impunè propagandi quærere potestatem. Legatur Epistola Simplicii 17.

Anno Christi 483. Joannes Talaia Sede Alexandrina pulsus, Simplicium Romanum Pontificem appellavit, ab eoque obtinuit ut in sui gratiam scriberet ad Acacium Constantinopolitanum, quod lubentissimè præstitit Simplicius; sed incassum: nam Acacii in defendenda Petri Moggi Ordinatione pervicaciam vincere non potuit. (Ex Liberato cap. 18. Breviarii.) Interim defuncto Simplicio, Felix in Romana Sede successit eodem anno 483. qui Joanni Talaiæ Nolanum Episcopatum contulit, in quo, post multos annos, in pace defunctus est. (Ex Liberato) Sub Felicis Pontificatu, Petrus Moggus, qui se Chalcedonensem Synodum & Epistolam S. Leonis suscipere ac venerari antea professus fuerat, datis ad Simplicium & Acacium Literis, utramque anathemate confixit, Joannis Episcopi Magileos, & Archimandritarum inferioris Ægypti, qui Chalcedonensis Concilii hostes erant infensissimi, conjuratione actus in præceps. (Ex Liberato) Gravissimam in Catholicos Sacerdotes persecutionem movit Moggus, Acacii, cujus semper communione gavisus est, patrocinio. Acacium scilicet fallebat, dum apud ipsum mentiebatur se Synodum Chalcedonensem recipere: Alexandrinis Dioscori fautoribus talem se exhibebat, qualis intus erat, Synodi scilicet Chalcedonensis hostem infensissimum. (Ex Liberato c. 58. & ex Evagrio lib. 3. c. 22.) Mortuus est vaferrimus homo anno 490.

§. VI.

De Petri Moggi Successoribus Patriarchis Alexandrinis Schismaticis.

PEtro Moggo successit Athanasius, vir ejusdem furfuris, Henotici Zenonis & ipse propugnator: qui Petri Moggi nomen sacris Dyptichis adscripsit: quô factô, plebis Alexandrinæ Catholicæ graviter offendit animos. Defuncto Athanasio successit Joannes Mela, eadem Hæreseos & Schismatis fuligine maculatus, anno 497. Melæ successit Joannes Machiota, qui Zenonis quidem Henoticon, non autem Chalcedonensem Synodum suscepit, nec Epistolam S. Leonis. Cæteris Patriarchis Orientalibus Communione conjunctus non fuit, quia Henotico deesse contendebat anathema Synodi Chalcedonensis, ut veræ Fidei & unitatis tessera haberi posset. Joanne Machiota è vivis sublato, ordinatus est Dioscorus Junior anno 516. quô defunctô, substitutus est in ejus locum Timotheus pariter Hæreticus, anno 519. Ipsius temporibus natæ sunt Phantasiastarum, & Corrupticolarum hæreses: de quibus agemus Sæculo sequenti. Mortuo Timotheo, Sedem Alexandrinam, Theodoræ Augustæ favore, conscendit Theodosius: Populi verò & Monachorum factione Gaianus. Foverunt illi Schisma Phantasiastarum & Corrupticolarum, suaque partibus nomina indiderunt, *Gaianitarum* & *Theodosianorum*. Sed de his aliàs.

ARTICULUS XV.

De Synodi Chalcedonensis hostibus.

§. I.

Monachi Alexandrini, Synodi Chalcedonensis hostes.

COntra Synodum Chalcedonensem vexillum erexerunt Monachi Alexandrini, pro suo in Dioscorum studio. Hos blandioribus verbis Marcianus Imperator ad officium revocare tentavit, datis ad eos Literis per Joannem Decurionem, ad compescendos tumultus eò missum. Inculcavit illud in primis, in Synodo Chalcedonensi nihil penitus innovatum circa Fidem Apostolicam: sed omnia secundùm Nicænæ Fidei regulam, & Alexandrinorum Episcoporum Sententiam, Athanasii, Theophili, atque Cyrilli, esse decreta: adeò ut propriis Doctoribus adversarentur, si Chalcedonensi Concilio repugnarent. Ad finem verò Epistolæ, ipsos ad veritatis Catholicæ professionem graviter hortatur his verbis; *Hæc igitur & nunc cognoscentes, si qui forsitan estis adhuc falsitate decepti, ad veritatem recurrere festinate, nefandis vosmetipsos, & Canonibus contrariis Collectionibus* (id est Conventiculis) *abstinentes; ne super hoc quòd animas vestras perditis, etiam legali castigationi subdamini. Unite verò vos omnes Sanctissimæ & Catholicæ Orthodoxorum Ecclesiæ, quæ una est, sicut & venerabiles definitiones Patrum nos docent.* Data fuit hæc Epistola anno 452. extat 3. p. Concilii Chalcedonensis, Num. 8.

§. II.

De Tumultu Monachorum Palæstinæ adversùs Synodum Chalcedonensem.

PRoscriptâ in Concilio Chalcedonensi Hæresi Eutychianâ, Theodosius quidam Palæstinæ Monachus, qui Chalcedonem venerat Eutychianæ factionis promovendæ studiô, indignè ferens Archimandritam, cui devinctissimus erat, condemnatum, turbulentas Monachorum Palæstinorum mentes adversùs Sanctam Synodum excitavit, Fidem in eâ pessumdatam effutiens. In Juvenalem Jerosolymitanum Episcopum vesana hominum factio exarsit, mortémque ipsi minitata est, ni Fidem Chalcedone conditam ejuraret. Juvenali, cæterisque Catholicis Episcopis depositis; Theodosium, aliosque suæ factionis homines, in eorum Sedes intruserunt, & instar ferocium belluarum grassati sunt in omnes, qui anathema dicere in Synodum Chalcedonensem renuerent. Animos ipsis addidit Eudoxiæ, Theodosii Junioris uxoris, quæ tum Jerosolymis degebat, gratia & auctoritas. De his Marcianus Imperator in Epistola ad Monachos Alexandrinos. Theodosius ille Acephalis originem dedit, qui Eutychetem quidem anathemate damnabat, Concilium verò Chalcedonense, & duarum naturarum professionem execrabantur. Istud patet ex Epistola Marciani Augusti ad Palæstinæ Monachos datâ: *Nostra*, inquit, *Pietas admiratur, quâ causâ Eutychem*

quidem

quidem anathematizatis, benè in hac parte facientes : A *Theodosio verò qui projecta audacia est, vos ipsos contradixistis, sapientes ea quæ sunt Eutychis.* In eadem Epistola rudibus Monachis Fidem Synodi Chalcedonensis exponit sapientissimus Imperator, ostenditque ipsos absque causa offendi vocabulo duarum naturarum : non debere ipsos Definitionem Fidei Chalcedone editam ad examen vocare, cùm subtilitatem quæstionis, quæ definita est, intelligere nequeant : Catholicos naturæ nomine significare veritatem, Apostolo præeunte, qui Cap. 4. Epistolæ ad Galatas scribit : *Sed tunc quidem nescientes Deum, iis, qui natura non sunt Dii, servistis :* inanem esse & ca- B villatoriam eorum objectionem, quòd in Symbolo Nicæno de duabus naturis nihil scriptum sit : quia nulla tunc ea de re quæstio movebatur. Diluit deinde eorum calumnias in Synodum Chalcedonensem : Falsissimum esse ait, quòd ipsi in vulgus spargebant, constitutum esse à Synodo ut duo filii, & duo Christi dicerentur. Imò ipsam Conciliis Nicæno & Ephesino, & SS. Patribus penitus consentire. Denique significat Marcianus, nolle se cujusquam animis vim inferre, & consensum vel subscriptionem extorquere ab invitis, sed mansuetudine dissidentes ad Fidem & unitatem Ecclesiæ velle se revocare. *Nostra*, inquit, *Clementia nulli penitus necessitatem præcipit imponi, quatenus aut subscriberet, aut consentiret invitus. Non enim errore aut violentiâ aliquos volumus ad viam trahere veritatis.* C

Ad eosdem Monachos ejusdem argumenti Epistolam scripsit Pulcheria Augusta, ut eos ad Fidem & officium revocaret. Extat 3. p. Concilii Chalcedonensis, Num. 54. Dederant primò ad ipsam Literas ut eam suas in partes adducerent, quemadmodum Eudoxiam pertraxerant : sed irritus fuit ipsorum conatus. Hæresi namque contraria, consona Fidei rescripsit Imperatrix. Cùm porrò metueret illa, D ne Theodosius Jerosolymitanæ Sedis invasor, & Sanctæ Synodi hostis, sacras Virgines Jerosolymis degentes suis fallaciis circumveniret, & à Fidei veritate, nec-non à debitâ Sancto Concilio reverentiâ & obedientiâ abduceret, scripsit ad Bassam earum Præfectam seu Abbatissam, Fideique Professionem ad illam direxit, Sanctimonialibus suæ curæ subditis exponendam. Extat illa Epistola 3. p. Conciliis Chalcedonensis, Num. 13.

Imperatrix Talem Professionem mittit ad Bassam, Parthenonis Hierosolymitani Abbatissam, quam suis Monialibus exponat, ne ab Hæreticis decipiantur.

Marciano & Pulcheriæ studium Fidei, & compressam perduellium Monachorum audaciam atque contumaciam gratulatus est S. Leo, cùm rerum in E Palæstina gestarum seriem à Juliano Coënsi accepisset. Ita quippe scripsit ad Marcianum Epistola 59. sive 89. in Editione Quenellii : *Quamvis autem de præclaro Fidei vestræ opere nihil vestra Pietas indicarit, mihi tamen per veneratorem specialiter vestrum, fratrem meum Julianum Episcopum innotuisse significo : quàm piè dignati fueritis responsò imperitorum Monachorum animos cohibere pariter & docere : ut si illos non penitus deseruit divina misericordia, sentiant sibi & didicisse quod credant, & agnovisse quod timeant.* Ad Pulcheriam verò Augustam ea de re scribit his verbis : *De vigore autem Fidei vestræ, quo indesinenter Domino sacrificium laudis offertis, quantas Deo gra-* F *tias agam, enarrare non valeo : quoniam Principibus temporis nostri non solùm Potentiam Regnam, sed etiam Sacerdotalem cognoscimus inesse Doctrinam. Indicante enim fratre meo Juliano Episcopo, pervenerunt ad nos in exemplaribus præceptionum vestrarum saluberrima Sanctiones, quibus insanam imperitiam Monachorum dignati estis parcendo plectere, & docendo punire : ut, si eos ad Pœnitentiam miseratio divina converterit, multis lachrymis & à nefandis radibus, & ab Hæreticorum blasphemiis diluantur.* Scripsit etiam ad Eudoxiam Augustam S. Leo, non increpatorias Literas, ne ejus animum exulceraret ; sed blandas, ut demulceret. Nempe ipsam obsecrabat ut suos conatus adjuvaret in causâ Fidei, in quâ quorumdam Monachorum in Palæstina fuerant corda turbata, ut Hæreticæ perversitati omnis fiducia subtraheretur. Legatur Epistola S. Leonis 66. sive 96. in editione Quenellii. Scripsit denique Sanctissimus Pontifex ad infelices illos Monachos amantissimas Literas, quibus ipsorum errores non tribuit pertinaciæ, aut hæretico animo, sed ipsorum offensionis ex Epistola ad Flavianum suâ, quam legerant, non genuinam & sinceram, sed ab Hæreticis interpolatam. *Sollicitudini mea*, inquit, *quam universali Ecclesiæ, omnibusque ejus filiis debeo, multorum relatione patefactum est, Dilectionis vestræ animis quidam offensionis illatum ; dum aut imperiti (ut apparet) Interpretes, aut maligni, qualiam vos aliter intelligere, quàm à me sunt prædicta, fecerunt, non valentes in Græcum eloquium aptè & propriè Latina transferre, cùm in rebus subtilibus, & difficilibus explanandis, vix sibi etiam in suâ linguâ Disputator quisque sufficiat. Quod tamen apud me eo profecit, ut dum ea quæ Catholica Fides respuit, improbatis, intelligamus vos veris amiciores esse, quàm falsis ; & id meritò refutare, quod ex antiqua institutione Doctrina etiam ipse detestor*, &c. Legenda est Epistola S. Leonis 83. sive 97. in editione Quenellii, ad Monachos Palæstinos data, quæ perperam in vulgatis editionibus ad Episcopos Palæstinos inscribitur. Nulla enim Historiæ monimenta Palæstinos Antistites Eutychiana Hæresi fuisse maculatos testantur, aut ea perpetrasse facinora, propter quæ illos, ad quos scribit, increpat S. Leo. Evidens autem est ipsum cum Monachis agere, qui Caroso & Dorotheo, nec-non & Theodosio ducibus, adversùs Chalcedonensem Synodum palam dimicabant : *Exagitando* (ut ipse scribit) *seditionibus Civitates, conturbando Ecclesias, nec solùm injurias, sed etiam cædes Presbyteris atque Episcopis inferendo : ut præ furore & sævitia, propositi sui & professionis essent immemores.* Dubium autem non est quin per hæc verba propositum & professionem Monasticam intelligat, eosdemque illos alloquatur, de quibus scripsit ad Eudoxiam, & ad Julianum Coënsem, nec-non ad Marcianum & Pulcheriam, quibus de Palæstinis Monachis conversis gratias agit. Data est hæc Epistola anno Domini 453.

Observandum est, Marcianum Imperatorem contumaces illos Monachos non solùm mansuetudine mitigare conatum fuisse, verùm etiam coërcuisse imperio, datis Dorotheo Palæstinæ Præfecto mandatis, ut Theodosium factionis authorem & seditionis facem in vincula conjiceret, cæteros omnibus modis reprimeret. Et sanè coërcendos Regiâ Potestate Hæreticos & perturbatores Ecclesiæ, S. Leo sentiebat, ad Julianum Coënsem de Palæstinæ Monachis ita scribens, Epistola 91. *Si qui autem suâ obduratione cæcati, ita in reprobi sensus amentiam transierunt, ut malint furere, quam sanari, ad Imperialem pertinet Potestatem, ut perturbatores Ecclesiasticæ pacis, & Reipublicæ, quæ Christianis Principibus meritò gloriatur, inimici sollicitiùs comprimantur.*

§. III.

Basiliscus Tyrannus, Timothei Æluri consilio Synodum Chalcedonensem impugnat.

CUm Basiliscus, fugato Zenone, Imperium invasisset anno Domini 476. authore Timotheo Æluro, quem ab exilio revocaverat, Encyclicas Literas ad omnes ubique Episcopos misit, quibus & Synodum Chalcedonensem, & S. Leonis Epistolam damnabat. Extat harum Literarum exemplar apud Evagrium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4.

Decrevit

Decrevit hac Sanctione impius Tyrannus, ut Episcopi omnes anathema in sacram Synodum dicerent: ejusque exemplaria ubivis reperta flammis absumerentur: & ut omnes Episcopi Encyclicæ illi Epistolæ ipsis exhibitæ subscriberent, perspicuè declarantes, se soli trecentorum & octodecim Sanctorum Patrum divino Symbolo inhærere, quod centum & quinquaginta SS. Patres postea confirmarunt, quemadmodum Patres Ephesini Decreto suo definierunt, solum sacrum Symbolum 318. SS. Patrum, tanquam regulam Fidei sequi oportere. Eadem Sanctione renovat Basiliscus Theodosii Junioris Legem, Acta Latrocinii Ephesini confirmantem, & pœnas decernit gravissimas in eos, qui novitatem Chalcedone factam adversùs Fidem (sic sacri Concilii Definitionem vocat) aut inter disputandum, aut inter docendum, aut in Scriptis suis, quocunque demùm tempore, & modo, ac loco, proferre unquam, aut omnino nominare tentaverint: eos, inquam, tanquam tumultus & seditionum, cùm in Ecclesia, tum in Imperio authores, ut Dei ac Imperatoris hostes, juxta Leges à Theodosio latas, & huic Epistolæ Encyclicæ subjectas, deponi præcipit, si Episcopi sint, aut Clerici: si verò Monachi, aut Laici, exilio, & bonorum omnium publicationi, & extremis pœnis subjacere. Ejusdem Epistolæ Encyclicæ meminit Liberatus in Breviario, cap. 16. Impulsu Zenonidis uxoris impia illa Sanctio à Basilisco edita est, ut refert Theodorus Lector lib. 1.

Encyclicis Basilisci Literis subscripserunt Timotheus Ælurus, Petrus Cnaphæus Pseudo-Episcopus Antiochenus, Anastasius Jerosolymita, qui Juvenali successerat, & alii circiter quingenti Episcopi, maximè ex Diœcesi Asiatica, ut scribit Evagrius cap. 5. lib. 3. Encyclicis Literis promulgatis, Monachi Eutychiani, qui Constantinopoli degebant, rati se tum in Literis Basilisci, cùm in Timotheo Æluro præsentia nactos esse ad Hæresim suam propugnandam subsidia, Timotheum adierunt. At cùm ab ipso convicti essent, Verbum Dei nobis quidem consubstantiale esse secundùm carnem, Patri verò consubstantiale quoad Divinitatem, in Monasteria sua rediere; ut testantur Zacharias Rhetor, & Evagrius. Ex quibus colligo Timotheum Ælurum omnes Eutychetis errores non propugnasse. Nam cùm duplex esset ipsius hæreseos caput, unum quo duas in Christo naturas post Incarnationem explodebat: alterum quo Christi corpus nobis esse consubstantiale negabat; Timotheus adhærebat primo, refellebat postremum; unde Semi-Eutychianus erat.

Encyclicis Basilisci Literis adversùs Concilium Chalcedonense unus ex Orientalibus Patriarchis Acacius Constantinopolitanus subscribere recusavit, nec Chalcedonense Concilium ex Ecclesiasticis Tabulis expungere unquam sustinuit. Sed & Monachi Constantinopolitani Basilisco fortiter restiterunt. Denique plebs Constantinopolitana gravissimè tumultuari cœpit, Urbis ac Palatii incendium minitans, si Imperator vim inferre Acacio & Catholicis perseveraret. Quâ re territus Basiliscus ex Urbe Regia aufugit: & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Jura sua ac Privilegia ademit, Senatoribusque prohibuit, ne Acacium alloquerentur. (Ex Theodoro Lectore lib. 1.)

Cùm autem viderent Eutychiani Acacium pro Concilio Chalcedonensi tam acriter decertare, & Monachos plebemque Regiæ Urbis pro ejus defensione adversùs Basiliscum concitare; Concilium Episcoporum partis suæ Ephesum congregarunt anno Domini 477. ut probat Valesius in Notis ad Evagrium. Eâ in Synodo deposuerunt Acacium: Paulum Ephesiorum Episcopum ordinarunt: Jus Patriarchicum restituerunt Ephesinæ Sedi; id est, ipsam Constantinopolitani Archiepiscopi jurisdictioni subtraxere. Colliguntur hæc ex Evagrio cap. 5. & 6. lib. 3.

Basiliscus cùm Zenonem expeditionem ex Isauria contra se movere didicisset, & Urbi Regiæ cum copiis imminere, metu perculsus, unà cum uxore & liberis in Ecclesiam venit, se Acacio & Clero, ac Monachis excusans, prioremque adversùs Chalcedonensem Synodum latam Sanctionem rescindens, aliis Literis quas Anticyclicas vocavit. Harum exemplar apud Evagrium legitur cap. 7. libri tertii. His in Nestorium & Eutychetem, omnesque hæreses, anathema dicitur: prohibetur ulterior de Fide quæstio, aut Concilii celebratio: restituitur jus Ordinationum Sedi Constantinopolitanæ in Diœcesibus ipsi subjectis.

§. IV.

Zeno Imperator editô Henotico Synodum Chalcedonensem impugnavit: non Fidem in eâ confirmatam.

Henoticum, id est, Unitivum Edictum, suadente Acacio, imò dictante, Zeno cùm Imperium recuperasset, ac Basilisci Acta rescidisset, Sedemque Alexandrinam restitui decrevisset Petro Moggo, edidit, & ad Ægyptiacæ Diœceseos Antistites, Clericos, Monachos, plebemque Christianam direxit studio conciliandæ pacis, & procurandæ Ecclesiarum unitatis. Non aliud Symbolum admittendum sancit, quàm Nicænum, quod in Conciliis Constantinopolitano & Ephesino confirmatum est. Approbat duodecim S. Cyrilli Capitula. Nestorium & Eutychem, utpotè contraria memoratis Patribus sentientes, damnat anathemate. De Dioscoro silet, ne Alexandrinos offendat. Synodum Chalcedonensem, & Fidei Definitionem in eâ editam, nec-non Epistolam S. Leonis ad Flavianum, silentio premit: imò damnat anathemate Sanctam Synodum, si expositæ in hoc suo Edicto Fidei contraria sit. Cæterùm Fidem Concilii Chalcedonensis reipsa profitetur, siquidem Filium Dei verè hominem factum, consubstantialem Patri secundùm Deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem, profitetur: & eos qui divisionem, aut confusionem, vel phantasiam in Christo introducunt, rejicit: id est, eos qui duas personas, aut unam naturam, sive duas in unam confusas admittunt, aut Filium Dei naturæ humanæ veritatem suscepisse negant. Denique anathema repetit in Hæreticos omnes, præsertim verò in Nestorium, & Eutychetem, & eorum sectatores. *Confitemur autem*, inquit, *Unigenitum Dei Filium, & Deum vere hominem factum, Dominum nostrum Jesum Christum, consubstantialem Patri secundum Deitatem, eumdemque nobis consubstantialem secundùm humanitatem: Qui descendit, & incarnatus est ex Spiritu Sancto, de Maria Virgine ac Dei genitrice, unum esse, non duos. Unius enim esse dicimus tum miracula, tum passiones, quas sponte sua in carne sustinuit. Eos vero qui dividunt, aut confundunt, aut phantasiam introducunt, nullatenus suscipimus.* Per phantasiam autem intelligitur error Eutychetis, qui carnem Christi non veram, nec consubstantialem nobis, sed phantasticam asserebat, ut in Actis Chalcedonensis Concilii videre est. Hinc Epistolæ Aviti Viennensis Episcopi, quibus errorem Eutychis refutat, inscribuntur, *Contra Phantasma*, ut Sirmondus & Valesius observant. Addit Zeno: *Quicunque vero aliud sentit, aut sensit, vel nunc, vel quandocumque alias, sive Chalcedone, sive in aliâ qualibet Synodo, eum anathematizamus: præcipuè tamen Nestorium, & Eutychem, & eos qui idem cum illis sentiunt.*

Ex

Ex his evidens est, Henoticum Zenonis Eutychianam hæresim non adstruere, imò ipsam impugnare & damnare: nec Fidem duarum in Christo naturarum à Chalcedonensibus Patribus confirmatam concutere, sed asserere, potiùs. Unde Cardinalis Baronius Zenonem semper hæreticum & perfidum fuisse, evertisse Catholica dogmata, pessum dedisse funditus Christianam Religionem, falsò scribit, ad ann. 482. nam & ex ipsius Henotici verbis, & ex Epistola Zenonis ad Felicem Pontificem Maximum, cujus fragmentum refert Evagrius lib. 3. cap. 20. refellitur Eminentissimus Author. Verba Epistolæ Zenonis, post editum Henoticon datæ, hæc sunt: *Pro certo habere debes, & Pietatem nostram, & supra memoratum sanctissimum Petrum, & universas sacro-sanctas Ecclesias, sanctissimum Chalcedonense Concilium amplecti atque venerari, quod cum Fide Nicæni Concilii prorsus consentit.*

Emendatur Baronius.

Non diffiteor tamen, Henoticon Zenonis causæ Fidei nocuisse, & fovisse Hæresim, silendo cùm de S. Leonis Epistola, tum de Synodi Chalcedonensis Definitione, tum denique de his vocabulis; *Ex duabus, & in duabus naturis*: quæ Catholicæ Fidei contra Eutychianam perfidiam nota singularis erant.

§. V.

Acephali, & Hæsitantes, Concilii Chalcedonensis hostes infensissimi fuerunt.

CUm Petrus Moggus Alexandrinam in Sedem restitutus à Zenone Imperatore, ex Henotici, quod probaverat, præscripto, Chalcedonense Concilium minimè damnaret, id ægrè ferentes perditi quidam ac nefarii Eutychiani, quâ peste Alexandrina civitas abundabat, à Petri communione discesserunt, *Ac propterea nominati sunt Acephali, quòd à capite, id est, Patriarcha suo disjuncti, seorsim congregabantur*, ut scribit Leontius lib. de Sectis Actione 5. Perperàm Liberatus cap. 9. Breviarii, Acephalorum authores putat illos, qui concordiam S. Cyrilli cum Orientalibus, & illorum principe Joanne Antiocheno minimè probantes, *Neque Cyrillum habebant caput, neque, quem sequerentur, ostendebant.*

Liberatus emendatur.

Petrus Moggus, quò illos sibi conciliaret, pariter & Henoticon admisit, & Synodum Chalcedonensem anathemate palam damnavit: sed nihilominus ab ejus communione divisi perseverarunt Acephali, quòd ab initio Henoticon approbasset, Synodum verò Chalcedonensem anathemate non confixisset, Hæc ex Leontio.

Acephalis adjungendi sunt Hæsitantes, quos & Concilium Chalcedonense totis impugnasse viribus, & Eutychetis Hæresim amplexos esse, constat ex Leontio in lib. de Sectis eorum argumenta proponente ac refellente.

§. VI.

Anastasius Imperator Concilii Chalcedonensis hostis.

SUb Imperio Anastasii, qui Zenoni successit anno 491. pertinacissima fervebat inter Episcopos de Synodo Chalcedonensi dissensio. Quidam enim ipsius decreta ad minimum apicem propugnabant: alii eam unà cum S. Leonis Epistola damnabant anathemate, alii denique Zenonis Henotico mordicus inhærebant: tametsi de una aut de duabus naturis inter se dissiderent. Quæ cùm Anastasius Imperator videret, Episcopos qui aliquid innovarent, Ecclesiis exturbabat, si quem fortè deprehendisset aut Concilium Chalcedonense prædicantem contra insolitam locorum consuetudinem, aut idem anathemate damnantem. Id refert Evagrius lib. 3. cap. 30. Unde ex Hæsitantium numero fuisse Anastasium testatur Leontius lib. de Sectis, Actione 5. Gravem in Orthodoxos Episcopos & Monachos Synodi Chalcedonensis defensores movit persecutionem Anastasius, præcipuè in Euphemium & Macedonium Constantinopolitanos, Flavianum Antiochenum, Eliam Jerosolymitanum, Theodosium & Sabam sanctissimos Monachos. Anastasium Symmachus Romanus Pontifex, ob pertinaciam in communione Acacii servandâ, cujus nomen è Dypthchis expungi non patiebatur, excommunicavit, ut constat ex Epistola 7. ejusdem Pontificis.

§. VII.

De Severo Antiochenæ Sedis invasore.

SEverus Sozopoli in Provincia Pisidiæ oriundus, ex Causidico Monachus, à Nephalio, qui ab Eutychiana professione ad Catholicam Fidem transierat, cum aliis plerisque, ob Hæresim, ex Monasterio ejectus est. Constantinopolim profectus, in notitiam Anastasii Imperatoris pervenit: qui etiam illo agente Macedonium Constantinopolitanum Antistitem Catholicum expulit, nec-non Flavianum Antiochenum: atque ejus loco Severus ipse ordinatus est anno Christi 512. Ubi Thronum est adeptus, Henoticon Zenonis suscepit, & Chalcedonense Concilium anathemate damnavit. Unde Acephalorum dux factus est. Multos ex Orientalibus Episcopis, vel deceptos, vel necessitate compulsos, minisque insiactos adduxit ut Synodicis literis suis subscriberent, quibus anathema dicebatur tam adversùs Synodum Chalcedonensem, quàm adversùs reliquos, qui duas in Christo naturas aut proprietates dixerant, alteram carnis, alteram deitatis: ut testantur Monachi Palæstini in Epistola ad Alcysonem Episcopum Nicopolis in Illyrico, apud Evagrium lib. 3. cap. 33. Lege & Liberatum cap. 19. Breviarii.

Cosmas Epiphaniæ Episcopus, & Severianus Arethusæ, Synodicis Severi literis graviter offensi, primum ejus communionem ejurarunt: deinde Libellum depositionis ad eum miserunt Anthiochiam per Aurelianum Epiphaniensis Ecclesiæ Archidiaconum, qui Severum, & tanti Episcopatûs fastum reformidans, muliebrem vestem induit, sub qua delitescens, atque ejulatibus querulam anum mentitus, Libellum Severo tradidit; statimque saluti suæ fugâ consuluit. Id pluribus refert Evagrius cap. 34. lib. 3.

Eliam Episcopum Jerosolymorum, quòd Synodicas suas literas suscipere nollet, dirè exagitavit Severus, Imperatorem Anastasium in ipsum accendens; qui tandem Eliam è Sede suâ militari manu expulit, & exilio damnavit. Rem prolixiùs narrat Cyrillus Monachus in vita S. Sabæ. Idem Severus in Monasteria Syriæ, & in Monachos Orthodoxos, incendiis & cædibus grassatus est. Tam atrocem persecutionem describunt ipsi in sua ad Hormisdam Romanum Pontificem Relatione.

Damnatus est primò Severus in Concilio Constantinopolitano 40. Episcoporum, sub Joanne Archiepiscopo Regiæ Urbis, supplicantibus Monachis Orthodoxis Antiochenæ civitatis, anno Christi 518. & omni honore, nomine, dignitate, operatione, communione Ecclesiastica & Christiana spoliatus, ob blasphemias in sanctam Synodum Chalcedonensem effusas. Id constat ex Actione 5. Synodi alterius Constantinopolitanæ sub Menna, in qua & Orthodoxorum Monachorum Libellus, & Relatio Synodica ad Joannem Constantinopolitanum recensentur. Gratulati sunt Constantinopolitano Episcopo Palæstini Antistites cum Joanne

Jerosolymitano in Synodo congregati, Severique damnationem calculis suis comprobarunt, ut patet ex ipsorum Epistola Synodica; quæ refertur Actione 5. laudatæ Synodi Constantinopolitanæ sub Menna Patriarcha. Ejusdem Severi depositionem Decretis confirmarunt suis Tyrii Episcopi, cum Epiphanio Metropolita suo synodicè congregati; tum ob dictas rationes; tum quòd alienos Clericos canonicè ligatos à propriis Episcopis ad se convolantes, suóque adhærentes errori, ad communionem suam, & sacrum Ministerium suscepisset: tum etiam quòd Presbyteros sibi primùm repugnantes, ac demum sibi consentientes, in Diaconorum Ordinem redegisset: tum denique quòd Ordinationes in alienis Diœcesibus celebrasset. Hæc omnia patent ex ipsorum Epistola Synodica, quæ extat Actione 5. laudati sub Menna Concilii Constantinopolitani. Idipsum præstiterunt Episcopi secundæ Syriæ, ut ibidem videre est.

Anastasio mortuo, Justinus Religiosissimus Imperator, qui ipsi successerat, Vitaliani Magistri Militum, quem Severus maledictis laceraverat, impulsu, missò Ireneo Magistriano, rapi ad se jussit impium Severum, & blasphemam linguam ipsi amputari, quod ille supplicium fugâ antevertit. Ejus in locum Paulus orthodoxus, & Synodi Chalcedonensis propugnator, ordinatus est Antiochenus Episcopus, anno 518. De his Evagrius lib. 4. cap. 4. & Liberatus cap. 19. Breviarii.

Anthimum Constantinopolitanum Episcopum suum in errorem Severus pertraxit, teste Evagrio, lib. 4. cap. 11. Anthimum propterea deposuit Agapetus Pontifex Maximus, in ejusque locum Mennam Catholicum ordinavit, anno Domini 536. Eodem anno Mennas convocatâ Synodo Constantinopolim, sententiam tulit in Anthimum & Severum, præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis Pelagio & Theophane, tempore interregni Pontificii, post Agapeti obitum. Habita est Synodus in Dyrico, id est, in celebri Monasterio Dii Abbatis. Convenerunt ad illud Concilium 50. Episcopi.

§. VIII.

Vigilius Antipapa Concilii Chalcedonensis Proditor.

Synodi Chalcedonensis alter, non tam manifestus impugnator, quàm occultus Proditor fuit Vigilius, qui Silverio in Sedem Romanam, post Agapeti obitum evecto, Theodoræ Augustæ Justiniani Imperatoris uxori, quæ Acephalos fovebat, spopondit se Chalcedonense Concilium è medio sublaturum; Severum, Anthimumque, suis restituturum Sedibus, & eorum fidem probaturum, modò ejus patrocinio Pontifex Romanus crearetur, & ab Imperatrice centenaria septem, id est, septies centum pondo auri, (quæ sexcenta & amplius Librarum Francicarum millia efficiunt) acciperet. Intrusus est à Belisario Patritio, ad quem Augustæ mandata detulerat, pulso in exilium Silverio, quem Marcus quidam Scholasticus, & Julianus Prætorianus calumniis oppresserunt, confictis literis quas ad Regem Gothorum scripsisse Silverium mentiebantur, tradendæ causa civitatis. Hæc gesta anno 537. Ut Romanam Cathedram conscendit Vigilius, Theodoræ Augustæ satisfecit, scripsitque ad Theodosium, Anthimum, & Severum, communicatoriam Epistolam, qua eorum errores probavit, duarumque in Christo naturarum confessionem damnavit. Epistolam describit Liberatus cap. 22. Breviarii: & post eam hæc subjungit. *Sub hac Epistola Vigilius fidem suam scripsit, in qua duas in Christo damnavit naturas: & rejolvens Tomum Papa Leonis, sic dixit: Non duas Christum confitemur naturas, sed ex duabus naturis compositum unum Filium, unum Christum, unum Dominum.*

Doctissimus Cardinalis Baronius illam Epistolam, quam Liberatus describit, negat esse Vigilii. Prima ejus ratio petitur ex inscriptione; quòd scilicet ad *Dominos & Christos*, præter morem consuetum Romanorum Pontificum, inscribatur. Verùm inanis est hæc ratio. Non enim ad Justinianum & Theodoram data est hæc Epistola, ut credidit Baronius: neque hæc est genuina Epistolæ inscriptio, quæ in libris editis habetur, *Dominis & Christis*; sed ista, quam refert Victor Tunonensis: *Dominis, & in Christi Dei Salvatoris nostri caritate conjunctis fratribus, Theodosio, Anthemio, & Severo Episcopis, Vigilius Episcopus.* Refellitur Baronius.

Secunda Baronii ratio est, quòd eâ in Epistola dicat anathema Dioscoro cum aliis Hæreticis, atque ita contra seipsum pugnet, qui duas cum Dioscoro naturas professus sit. Verùm & ista conjectura inanis est. Qui enim verò ordinem observaverit quô illos Hæreticos anathemate percellit Vigilius, facilè animadvertet, *Diodorum*, aut *Nestorium*, restituendum esse pro *Dioscoro*.

Tertia doctissimi Cardinalis conjectura est, quòd Vigilii nomine scriptas ab Hæreticis literas certò constet ex Actione 15. Synodi Sextæ, in quâ hæc habentur: *Anathema libro qui dicitur Menna ad Vigilium, & qui eum finxerunt, sive scripserunt. Anathema Libellis, qui dicuntur facti fuisse à Vigilio ad Justinianum & Theodoram divæ memoriæ, & qui sunt demonstrat.* Verùm hæc ratio nullius roboris est. Libelli enim Vigilii nomine scripti ad Justinianum & Theodoram, non sunt iidem cum hacce Epistola, quæ ad Theodosium, Anthemium, & Severum Episcopos data est.

Quarta Baronii conjectura est, quòd nunquam Vigilio Epistolam illam improperaverint quotquot habuit hostes, & quidem variis temporibus infensissimos. Sed quid mirum? Latebat enim illa Epistola: vel noluerunt ipsi crimini vertere ejus hostes, quod Pseudo-Pontifex gesserat, & verus Pontifex creatus resciderat. Sicut enim perperam colligeretur Vigilium non fuisse Schismaticum, Antipapam, & Simoniacum, quia neque Mennas, neque Concilii Quinti Patres, neque Justinianus id ipsi objecerunt: ita inaniter conjicit Baronius memoratam Epistolam illum non scripsisse, quia hostium ipsius nemo id illi objecit. Præterea, Vigilius spopondit ablaturum se è medio Synodum Chalcedonensem: quidni ergo duas naturas in Christo negaverit perfidus? Cur denique Liberatus, qui hac ipsâ floruit tempestate, non est subodoratus imposturam? Adde, Facundum Hermianensem improperare Vigilio anathema dictum in universam Ecclesiam. Sic enim scribit lib. contra Mocianum: *Ob hoc etiam de ipsius Episcopi Romani chirographis, vel priùs ambitionis impulsa, cùm fieri arderet Episcopus; vel postea venalitate, parti alteri factis, necessarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus præjudicium fides vera sufferret. Quòd si hoc non fuisset, neque ipse priùs universam anathematizasset Ecclesiam, servare nos in illo oportuit sententiam suam, sequi quod nobis præbuit prisca integritatis exemplum.*

ARTICULUS XVI.

De Schismate Acacii.

Acacius Constantinopolitanus post Gennadium Episcopus, pro Concilii Calcedonensis defensione contra Basiliscum Tyrannum strenuè pugnavit: Petro Moggo Alexandrinæ Sedis invasori restitit, & contra eum scripsit ad Simplicium

cium Romanum Pontificem. Sed livore & ira in Joannem Talaia postea succensus, quòd Synodicas literas ad ipsum mittere contempsisset, Zenoni Augusto author fuit, ut Joanne ejecto, Petrum Moggum in Sedem Alexandrinam restitueret, Author etiam fuit Zenoni condendi Henotici, cui cùm Petrus, tùm cæteri Episcopi, ad conciliandam Ecclesiarum unitatem subscriberent. Propter initam cum Petro Moggo communionem, ipsique restitutum Episcopatum, à Romanis Pontificibus Simplicio & Felice gravissimè reprehensus est, ut ex ipsorum Epistolis ad Acacium ipsum datis compertum habemus. Nihil responsi Felix ab Acacio retulit præter Petri Moggi laudes. Spreta ab Acacio quinquennio solido sanctissima Felicis monita. Ubi se nihil Epistolis proficere Pontifex animadvertit, misit Legatos Vitalem Troëntinatem, & Misenum Cumanum, Episcopos, qui expulsionem Petri Moggi, & Joannis Talaiæ restitutionem urgerent: Acaciumque compellerent, ut Petrum Moggum anathemate configeret. Missi sunt anno 483. Ut pervenere Constantinopolim, conjecti sunt in carcerem jubente Acacio, e reptæ ipsis chartæ quæ mandata Romani Pontificis continebant, & Epistolæ, quas ea de caussa ad Catholicos scripserat. Vi subacti, Acacio consensere, cum Petro Moggo initâ communione, ipsique confirmato Episcopatu. De Legatorum prævaricatione Cyrillus Monasterii Acæmetensium Præpositus, misso Romam Symeone Monacho, Felicem Papam certiorem fecit. Accessit ad eorum convictionem Sylvani Presbyteri, qui unà cum ipsis Constantinopoli versatus fuerat, testimonium. Convocatâ Romæ Synodo die 28. Julii anni 484. auditis tam gravibus testimoniis: lectâ præterea Acacii ad Simplicium Epistolâ, in qua Petrum Moggum jampridem fuisse depositum scribebat, eúmque vocabat *Noctis filium*: Vitalis ac Misenus Sacerdotio pulsi, & à communione remoti sunt, cùm universa Synodus ita pronuntiasset: *Petrum Hæreticum, qui olim sacræ Sedis Decreto damnatus, excommunicatus, & anathematizatus est, Ecclesia Romana non recipit. Cui etiamsi nihil aliud objiceretur, vel hoc unum sufficeret, quòd ab Hæreticis ordinatus, Orthodoxis præesse non potuit.*

Contra Acacium verò ita decretum est: *Acacium Constantinopoleos Episcopum, gravissimâ reprehensione dignum res ipsa indicavit. Quippè qui cùm ad Simplicium scribens, Petrum Hæreticum vocasset, idipsum Zenoni haudquaquam significaverit: cùm tamen, siquidem Zenonem amabat, id præstare debuisset. Verùm ille, ut apparet, Zenonem magis amat, quam fidem.*

Ex hac quidem Synodo monitus est graviter ac reprehensus à Romano Pontifice Acacius; sed in Petri Moggi communione pertinax, aliâ Synodo congregata, abdicatus est Episcopatu, & à communione Fidelium segregatus. Duas illas Synodos distinguere, necesse est, secundùm Liberatum & Evagrium. Legatur Liberatus cap. 18. Breviarii, Evagrius lib. 3. cap. 18. 19. 20. & 21. & Breviculus causæ Eutychianistarum, seu Gesta de nomine Acacii, ex quibus excerpta sunt quæ hucusque diximus. Legatur etiam Epistola 6. Felicis ad Acacium scripta, quæ incipit, *Multarum transgressionum reperiris obnoxius*: In qua Sententia in Acacium lata continetur, & singula criminum ipsius capita recensentur. An autem Hæreticus fuerit Acacius, & ob hæresim damnatus, Dissertatione expendemus singulari. Delegatus est à Felice Papa Tutus Romanæ Defensor Ecclesiæ, qui depositionis & excommunicationis sententiam ad Acacium deferret, ipsique denuntiaret: sed amore pecuniæ causam Ecclesiæ prodidit, adhæsitque Acacio: quamobrem Communione & Officio à Felice privatus est, ut constat ex ipsius Pontificis Epistola 11. ad Monachos Constantinopolitanos datâ. Sententiam damnationis hoc modo significatam fuisse Acacio Liberatus refert: Dum ingrederetur ad celebranda Sacra, Monachus quidam Acæmetensis ipsam illius pallio affixit, statimque discessit. Ista peracta sunt anno Domini 484. Cæterùm Acacius Imperatoris fultus patrocinio sacris ad mortem usque Ministeriis functus est. Eò, post exauctorationem, abreptus est audaciæ, ut Felicis Romani Pontificis nomen ex sacris Dyptichis eximeret, ut ex Basilio Cilice veteri Historico refert Nicephorus lib. 16. cap. 17. Ex hoc tempore Apostolica Sedes à Constantinopolitanæ communione divulsa est: duravitque Schisma illud annis fermè triginta quinque, nempe ab anno 484. quo damnatus Acacius, ad annum 519. quo Acacii nomen è sacris Tabulis expunctum est, sicque redintegrata concordia Hormisdæ Papæ operâ, & Joannis Constantinopolitani Antistitis. Obiit Acacius anno 488.

Ipsi successit Fravitas, malis artibus Episcopatum mercatus, de quibus legendus est Nicephorus libro 16. cap. 18. Synodicas Literas scripsit ad Petrum Moggum, quibus negabat se Felici Episcopo Romano communicare. Rursus verò Synodicis ad Felicem missis, ei significavit, nullam se communionis societatem habere cum Petro Moggo, ut scribit Theophanes. De eodem Fravita, seu Flavita, scribit Liberatus cap. 18. *Ipsum non consensisse sine Romano Episcopo inthronizari, sed transmisisse Synodicam Papæ Romano Felici*: quâ & reverentiam erga Sedem Apostolicam testatus est, & eandem Fidem se profiteri; ut testatur Felix in Epistola ad ipsum data, quæ est inter ejus Epistolas 13. Nomen tamen Acacii ex Ecclesiasticis Tabulis Fravitas non expunxit. Quam ob causam Felix ejus Legatis suspendit communionem. Fravitæ tres duntaxat menses Episcopatus assignant Theophanes & Victor Tunonensis: quatuor Evagrius lib. cap. 23.

Ipsi in Sede Constantinopolitana successit Euphemius, Alexandrinus genere, anno 489. Is ut animadvertit Petrum Moggum in Synodum Chalcedonensem anathema dixisse, ab ejus communione recessit, ex Evagrio lib. 3. cap. 23. Nomen Felicis Romani Pontificis in sacra Dypticha restituit, ad eumque Literas dedit Synodicas, & mutua ab eo Scripta recepit, teste Liberato: ipsique velut Orthodoxo favit Pontifex; quamvis eum in Episcopalem communionem non admiserit, propterea quòd Acacii nomen è sacris Tabulis non expunxisset. (Ex Nicephoro lib. 16. cap. 19.)

Anastasio creato Imperatore, insigne fortitudinis Episcopalis & zeli in propugnanda Fide specimen dedit Euphemius. Ejus enim restitit inaugurationi, donec Fidei professionem edidisset, quâ Synodum Chalcedonensem susciperet: ut testatur Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum.

Cùm post obitum Felicis Gelasius creatus esset Pontifex, ad ipsum scripsit Euphemius, ut Apostolicæ communionis beneficium impetraret. Modestè conquestus est, quòd Synodicas non direxisset Literas ad Constantinopolitanam Ecclesiam, pro more Pontificum recèns inauguratorum. Respondit Gelasius: *Cùm societatem præferre malitis extraneam, quam ad B. Petri purum redire, illibatumque consortium; quomodò cantabimus Canticum Domini in terra aliena? Quomodò dispositionis Apostolicæ antiqua fœdera præbeamus hominibus communionis extranea? Quemadmodum vobis Ordinationem renuntiatura est, cui vestrò etiam testimonio Hæreticos damnatos præponitis?* Gelasium obsecraverat Euphemius, ut paulisper condescenderet, & aliquâ Oeconomiâ uteretur ad resarciendam Ecclesiarum pacem & unitatem. Respondit Gelasius: *Optima illa est Ecclesia*

Euphemius & Macedonius integerrimæ Fidei Episcopi.

Hæreticis vel Schismaticis, aut eorum fautoribus, minime consentiendum.

Catholica atque Apostolica dispositio, ad meliora proficiendo condescendere, non ad inferiora descendendo deficere. Cùm autem dicis, condescendere, nos debere vobiscum, interim jam vos aut descendere, aut descendisse monstratis. Unde, quæso, vel quò ista descensio est? Utique ex superiori quodam loco ad inferiora quæque deposit'o. A Catholica, Apostolicaque communione ad hæreticam, damnatámque prolapsos vos videtis, cognoscitis, non negatis: & non solùm vos in infimus jacere delectat, sed etiam in superiore manentes Sede, vultis impelli. Condescendere nos vobiscum invitatis ad ima de summis: Nos condescendere vos nobiscum rogamus ad summa de imis. Eò tantum se condescendere posse significat, ut suscipiat quos baptizavit, quosve ordinavit Acacius; non ipsius item Acacii nomen. Sufficere scripserat Euphemius, si Eutyches, Dioscorus, eorumque Sectatores anathemate damnarentur: Acacium verò cum Eutyche non sensisse, sed Catholicum fuisse. Respondit Gelasius: *Esse deterius non ignorasse veritatem, & tamen communicasse veritatis inimicis.* Quæsierat Euphemius, quando Acacius damnatus fuisset? Gelasius respondit, Etiamsi à nullo damnatus fuisset, debere eum damnari ob communionem cum Hæreticis initam ad mortem usque. Deinde, Acacium à Synodo Chalcedonensi consequenter damnatum, quæ non solùm Eutychetem & Dioscorum, sed & Successores eorum, hisque communicantes, anathemate confixit. Scripserat Euphemius, Plebem Constantinopolitanam propensissimè diligentem Acacium, non passuram ut ejus nomen è Dyptichis expungeretur. Quam excusationem rejicit Gelasius hac ratione: Quòd *Pastorem sequi grex debeat ad pascua salutaria revocantem, non per devia gregem Pastor errantem.* Rogaverat Pontificem Euphemius, ut aliquos mitteret Constantinopolim, qui plebem mitigarent, eòque adducerent, ut Acacii nomen expungi pateretur. Respondet Gelasius, Id frustra se facturum, cùm sit ipsi suspectus, nec suos Legatos audituram, quæ Præsules suos despicit admonentes. Ex quibus colligo, Euphemium non ægrè expuncturum fuisse ex Ecclesiæ Tabulis nomen Acacii, nisi & seditiones, & gravius Schisma in Ecclesia & Urbe Constantinopolitanâ metuisset. Quamobrem Catholicum Præsulem, Concilii Chalcedonensis defensorem acerrimum, Hæreticorum hostem, Petri Moggi insectatorem, Sedis Apostolicæ veneratorem, Schismaticis annumerari nolim. Sed de hoc fusiùs in Dissertationibus. Hæc habentur ex Epistola 1. Gelasii ad Euphemium ipsum datâ. Anastasius Imperator falsis accusationibus oppressum, ab Episcopis deponi jussit, & exilio damnavit: ut referunt Marcellinus *in Chronico*, & Theodorus Lector, lib. 2.

Calumniæ in Macedonium sparsæ.

In locum Euphemii suffectus est Macedonius, vir integerrimæ fidei, ut testatur Cyrillus Monachus coævus Auctor in Vita S. Sabæ cap. 69. quò fit ut Victori Tunonensi, & Theodoro Lectori credendum non arbitter, scribentibus Macedonium Zenonis Henotico subscripsisse. Id per calumniam in vulgus jactatum ab Anastasio Imperatore, testatur Nicephorus lib. 16. cap. 26. ne quis patientiæ ipsius causam de tolerando in Sede Constantinopolitana Macedonio, ignaviæ, vel timori adscriberet. Calumniam verò solemni Fidei Professione diluit Macedonius. Cùm enim id ad aures ipsius pervenisset, *Confestim collectâ Ecclesia, ambonem conscendens, pro Concione, se planè Orthodoxum esse coram omnibus demonstravit, editâ sinceræ Professione Fidei, ex præscripto Chalcedonensis Concilii, damnans omnes, quæ ei adversarentur hæreticas opiniones. Quæ quidem res sicut Macedonio majorem conciliavit populi gratiam, ita in eumdem perfidi Imperatoris odium magis concitavit: ut jam de eo è Sede movendo penitus stabiliret.* Aliam ab Acephalis in Macedonium concinnatam calumniam refert Liberatus cap. 19. Breviarii: interpolati scilicet Evangelii, & Nestorianæ hæreseos accusatum fuisse, ob idque exilio damnatum ab Anastasio. *Hoc tempore*, inquit, *Macedonius Constantinopolitanus Episcopus ab Imperatore Anastasio dicitur expulsus, tanquam Evangelia falsaret, & maximè illud Apostoli dictum*, (2. ad Timotheum 3.) *Quia apparuit in carne, justificatus est in Spiritu. Hunc enim mutasse, ubi habet ος, hoc est, qui, monosyllabum Græcum litera mutatâ ο in ω vertisse, & fecisse ὡς, id est, ut esset Deus: apparuit per carnem. Tanquam Nestorianus ergo culpatus, expellitur per Severum Monachum.*

Aliam in ipsum conflatam calumniam refert Evagrius lib. 3. cap. 32. rationemque simul aperit persecutionis ab Anastasio Imperatore in eum motæ. *Verùm*, inquit, *alia erant quæ animum Anastasii occultè pungerent. Nam cùm Ariadne Anastasium imperiali purpurâ vestire vellet, Euphemius Regiæ Urbis Episcopus consensum suum accommodare renuit, priusquam Anastasius cautionem propriâ manu scriptam, & jurejurando firmatam ipsi dedisset, quâ pollicebatur Fidem se illabatam servaturum, nec quidquam novi in sanctam Dei Ecclesiam invecturum esse, si imperii compos fieret. Hanc ille chartam Macedonio sacrorum vasorum Custodi commendaverat. Postquam igitur Macedonius Episcopalem Sedem adeptus esset, Anastasius cautionem suam reddi sibi voluit, asserens contumeliam fieri Imperio, si suprà memoratum chirographum in Ecclesia reconditum servaretur. Sed cùm Macedonius strenuè admodum resisteret, seque Fidem proditurum negaret, omni insidiarum genere eum appetiit Anastasius, ut Episcopatum ei adimeret. Inducti sunt igitur in judicium pueri quidam calumniatores, qui tum se, tum Macedonium turpis flagitii falsò accusarent. Verùm ubi deprehensum est Macedonio abscissa esse genitalia, ad alias artes conversi sunt: donec tandem consilio Celeris Magistri Officiorum, clam ex Episcopali Sede abscessit.*

Sæviente in Macedonium persecutione, plebs Constantinopolitana cum Archimandritis & Monachis congregata, per Civitatem clamabat: *Tempus martyrii est, ò Christiani: Patrem nemo deserat.* Imperatorem verò Manichæum, & Imperio indignum vocabat, (ex Theodore Lictore lib. 2.) Gangræ obiit exul Macedonius anno Christi 515. Pulsô in exilium Macedonio, Anastasius Imperator Timotheum quemdam Presbyterum & Custodem Ecclesiæ, Concilii Chalcedonensis hostem, in Sedem Constantinopolitanam intrusit.

De pace Ecclesiarum agitur. Varia huncin finem Legationes & literæ Hormisdæ Romani Pontificis.

Annis Christi 514. & 515. de pace inter Ecclesiam Constantinopolitanam & Romanam, & de resarciendâ unitate, agi cœptum est. Cùm enim Vitalianus Magister Militum adversùs Anastasium pro Fidei causa bellum moveret, eumque jam in extremas redegisset angustias, Imperator ad Hormisdam Pontificem Literas dedit, cunctaque se ipsi deferre professus est, quæ Fidei & exulum Episcoporum causam spectarent. Sibi esse in animo vocare Concilium, in quo, ipso auctore, concordia Ecclesiarum redintegraretur. Legatos misit Constantinopolim Hormisdas, Ennodium Ticinensem Episcopum, Fortunatum Tudertinum, Venantium Presbyterum, & Vitalem Diaconum. Ipsis dedit in mandatis Pontifex, ut Episcopos Orientales, & Anastasium Imperatorem in communionem Sedis Apostolicæ non reciperent, nisi Fidem Concilii Chalcedonensis, & Epistolas S. Leonis Papæ contra Hæreticos, Nestorium, & Eutychetem, & Dioscorum, & eorum sectatores, Timotheum Ælurum, Petrum Moggum, & alios susciperent: & in Acacium & Petrum Antiochenum, eorumque socios & fautores, anathema dicerent, subscribentes Libello, quem Legati nomine ipsius Pontificis offerebant. Episcoporum verò

exulum

exulum causas ad Sedem Apostolicam deferri jussit: orthodoxosque Antistites & Sedi Apostolicæ communione conjunctos, ante omnia, ab exilio revocari. Ista patent ex Indiculo sive Commonitorio Legatis dato ab Hormisda, & ex Capitulis ab ipso præscriptis, quæ inter istius Pontificis Epistolas leguntur. Scripsit ad Imperatorem per Legatos memoratos Romanus Pontifex; spopondit se adfuturum Concilio, quod in Oriente celebrari volebat, quamvis nulla antiquitatis monumenta vel exempla Decessores suos Orientalibus Conciliis per seipsos adfuisse probarent. Se morem illum insuperbabiturum, conciliandæ inter Ecclesias studiô pacis: modò Synodus Chalcedonensis non retractaretur, aut revocaretur in dubium, damnarenturque Dioscori, Timothei Æluri, Petri Moggi, Acacii, Petri Cnaphæi, & consortium, cum Eutychete nomina. Nullus extitit hujusce legationis fructus. Misit Anastasius Imperator ad Hormisdam per Legatos Romam redeuntes, Fidei professioonem, quâ Nestorium & Eutychetem se execrari testatur, eorumque *& personas, & dogmata*, anathemate percellere. Synodum etiam Chalcedonensem se recipere simulat, quam nec alia Synodus in irritum misit, nec ipse Lege latâ rescidit, nec illam anathemate confixit sicut nec Epistolam S. Leonis. Literas suas & sacras Jussiones hujus veritatis testes esse ait. Damnationi verò & expunctioni nominis Acacii se non posse consentire scribit, propter scandalum quod inde Ecclesiæ Orientales paterentur. Aliàs se & istud caput, propter studium unitatis, Pontifici concessurum. Omnia tamen per Concilium meliùs disponenda se sperare. *Grave esse*, inquit, *Clementiæ nostræ judicat, de Ecclesia venerabili, propter mortuos, vivos expelli, nec sine multâ effusione sanguinis humani scimus posse ea, quæ super hoc scribitis, ordinari. Omnia tamen à Deo sperantes, per Concilium meliùs agere poteritis, quàm ab his hominibus, qui propter errores suos Provincias percurrentes, inimicam Evangeliis sanctis & Ecclesiis volunt esse discordiam.*

Legatos etiam misit ad Hormisdam Anastasius Imperator Theopompum & Severianum homines Laïcos, cùm ad salutationis officium, tùm ad ea referenda, quæ de Ecclesiarum pace concilianda Imperator ipse cum suis Præsulibus contulerat. Id constat ex Epistola Anastasii ad Hormisdam per memoratos data 17. Kalendas Augustas, anno Domini 516. Scripsit per eosdem Legatos ad Senatum Romanum, ut negotium pacis apud Pontificem, & Theodoricum Regem urgeret. Studium Anastasii de pace concilianda Pontifex commendavit, datâ ad ipsum Epistola, eumque hortatus est ut damnatis Hæreticis, eorumque Sectatoribus & Communicatoribus, initum de unitate Ecclesiarum redintegrandâ Consilium ad exitum perduceretur. Ad eundem rescripsit Romanus Senatus, Pontificem pacis esse studiosissimum: eam ex Acacii damnatione pendere.

Anno sequenti de altera Constantinopolim mittenda Legatione ad urgendum pacis negotium cogitavit Hormisdas Pontifex. Hujus obeundæ munus Ennodio Ticinensi, & Peregrino Misenatensi Episcopis commissum. Literas Pontificis ad Anastasium Augustum pertulerunt, quibus ad Acacii damnationem ipsum gravissimè adhortabatur, illius æquitatem & necessitatem ostendens. Scripsit per eosdem Legatos commonitorias Epistolas ad Episcopos Schismaticos, quibus eos ad unitatem Ecclesiasticam invitabat. Ad Episcopos Romanæ communionis gratulatorias pariter, ob eorum in Fide constantiam, Epistolas dedit, ac de fine missæ à se Legationis certiores fecit. Scripsit denique ad Clerum, Monachos, plebemque Orthodoxam Regiæ Urbis, ipsos ut ad vitandam Hæreticorum communionem, & ad studium pro Fide Catholica & Synodo Chalcedonensi fervens & perpetuum hortaretur. Legendæ sunt Epistolæ Hormisdæ 11. & sequentes usque ad 17. Felicior non fuit primâ Legatione hæc altera. Libello cujus subscriptionem jubebat Hormisdas, quô nomen damnabatur Acacii, assensum præbere noluit superbus Imperator: Mandata Pontificis impatienter tulit. Remisit Legatos pace infectâ: Hormisdæ nimiam duritiam, datis ad eum Literis exprobravit: quarum postrema verba elatam Principis mentem, & Ecclesiæ subdi nesciam apertè ostendunt. *Injuriari*, inquit, *& annullari sustinere possumus: juberi non possumus.*

Anastasii Imperatoris [illegible]

Anno 518. Justino Seniore Religiosissimo Principe, post obitum Anastasii, ad Imperii fastigium evectô, de pace sinceriùs agi ab Orientalibus cœptum est. Imperator Hormisdam rogavit, ut Legatos Constantinopolim ad eam conciliandam mitteret. Joannes Constantinopolitanus Episcopus missâ Fidei Professione, quâ Synodum Chalcedonensem recipere se testabatur, & S. Leonis, Hormisdæque ipsius nominibus in sacra Dypticha restitutis, viam ad unitatem aperuit: ipsique nihil deesse ad Sedis Apostolicæ communionem promerendam Pontifex judicavit, nisi ut Acacii nomen damnaret. *Ista*, inquit, *laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus: quia recipere Chalcedonense Concilium, & sequi S. Leonis Epistolas, & adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare.* Legatur Epistola Hormisdæ 19.

Anno Domini 519. votis Justini Imperatoris & Joannis Constantinopolitani annuens Hormisdas Pontifex, Legatos misit Constantiponolim, Germanum & Joannem Episcopos, Blandum Presbyterum, Felicem & Dioscorum Diaconos, quibus Indiculum rerum agendarum dedit, & Epistolas ad Imperatorem, ad Euphemiam Augustam ejus conjugem, ad Joannem Constantinopolitanum, ad Justinianum Domesticorum Comitem, postea Justini in Imperio Collegam & Successorem perferendas. Libellum fidei edidit Hormisdas, tradiditque Legatis, cui subscribere Constantinopolitanus Episcopus, aliique Antistites deberent, antequam in communionem Sedis Apostolicæ reciperentur. Eô Libello, Acacio dicebatur anathema; non item Euphemio & Macedonio: quorum damnationem ab Episcopis non esse exigendam existimavit Romanus Pontifex: satis esse, si eorum nomina ex sacris Dyptichis expungerentur. Id constat ex Indiculo Legatis dato. *Quod si*, inquit, *de anathemate Acacii consentiens* (Episcopus Constantinopolitanus) *Successores ejus dixerit recitandos, ob hoc quòd propter defensionem Chalcedonensis Synodi aliqui eorum fuerint exilio deportati; insinuabitis nihil vos de Libelli posse formâ decerpere, in quâ sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hâc non potueritis intentione deflectere; saltem hoc acquiescite, ut anathematizato specialiter per Libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de Prædecessorum ejus nominibus taceatur, abrasis eorum de Dyptichorum inscriptione vocabulis. Quò facto, Episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem suscipite.* Ex his patet, hanc viguisse olim in Ecclesia disciplinam, ut ii, qui alicujus hæreseos essent suspecti, vel damnatorum ab Ecclesia hominum communione polluti, non reciperentur in communionem, nisi Libello, seu Formulæ Fidei ab Apostolica Sede, vel aliis Episcopis (secundùm varietatem causarum) editæ subscripsissent: quâ non solùm prava eorum dogmata, sed & personas anathemate se damnare profitebantur. Libello Fidei sibi à Legatis oblato subscripsit Joannes Constantinopolitanus Episcopus, anathema dixit in Acacium; Episcoporum qui in ejus communione perstiterant, Ephemii scilicet ac Macedonii; nec-non Anastasii & Zenonis Imperatorum nomina ex Ecclesiæ Tabulis expunxit. His conditio-

Formulæ Fidei subscribere compulsi Episcopi Orientales, quâ non solum prava dogmata, sed personas & nomen Acacii anathemate damnarent.

nibus pax constituta, & redintegrata communio est Ecclesiam Constantinopolitanam inter & Romanam, anno Domini 519. Ista patent ex Epistola, seu Libello Joannis Constantinopolitani ad Hormisdam directo, & ex Suggestione, sive Relatione Legatorum ad eumdem Pontificem.

ARTICULUS XVII.

De Petro Fullone.

PEtrus Monasticam primò Vitam professus est in Cœnobio Acœmitensium, in quo Fullonis artem exercuit; unde & Fullonis cognomen sortitus est. Ex eo Monasterio ejectus propter Eutychianum dogma, & Synodi Chalcedonensis impugnationem, Chalcedonem se contulit, ibique Presbyter fuit Ecclesiæ Sanctæ Bassæ, ut Theodorus Lector & Theophanes testantur. Hinc ob easdem rationes expulsus, venit Constantinopolim, ubi se in Zenonis Patritii & Comitis Excubitorum, cui Leo Augustus Ariadnem filiam suam desponderat, amicitiam insinuavit. Ejus gratiâ atque opibus adjutus, Martyrium Antiochenum Episcopum, virum Catholicum & Synodi Chalcedonensis Propugnatorem egregium, omnibus modis aggressus est, Nestorianæ hæreseos ipsum accusans, & tumultus ingentes excitans Antiochiæ unà cum Apollinaris Sectatoribus, qui ea in Urbe supererant. Ibi Theopaschitarum nefarium dogma palam prædicare cœpit, anathema dicens eis qui Deum crucifixum negarent, addensque Trisagio hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis.* Martyrius Antiochenus Episcopus Constantinopolim ad Imperatorem profectus est, ut Petri Fullonis audaciam ejus auctoritate coërceri obtineret. Ejus precibus annuens Leo Augustus, Constitutionem edidit, quâ prohibuit, ne quis Monachus relictô suô Monasteriô, in urbe Antiochena, vel in qualibet aliâ civitate moraretur, & de Religione disputando turbas in Ecclesia excitaret. Extat ea Constitutio lib. 1. Codicis Justiniani. Antiochiam reversus Martyrius, cùm seditiones & tumultus in dies augeri cerneret, ac Zenonem Magistrum militum Petro Fulloni semper favere, in publico Ecclesiæ conventu se Episcopatu abdicavit, dicens: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuntio, servatâ mihi interim Sacerdotii dignitate.* De his Liberatus in Breviario cap. 18. & Theodorus Lector. Hæc anno Domini 471. contigerunt.

Post Martyrii secessum, Petrus Fullo Sedem Antiochenam invasit, quod ubi cognovit Gennadius Constantinopolitanus Episcopus, Leonem Augustum de re certiorem fecit, Synodum Episcoporum Antiochiæ celebrandam indixit. In eâ depositus est ac damnatus Petrus Fullo: statimque Imperatoris Edicto Oasim in exilium deportatus. Hæc habentur ex Liberato, & ex Gestis de nomine Acacii.

Fullone damnatô, Julianus Antiochenæ Ecclesiæ regimini canonicè præfectus est. Basiliscus Tyrannus usurpato Imperio, fugatóque Zenone Imperatore, Petrum Fullonem Sedi restitui jussit. Quod ubi accepit Julianus Antiochenus Episcopus, interiit præ mœrore. Iterum in Sedem Antiochenam insiluit Petrus Fullo: statimque Joannem quendam, qui Synodali sententiâ depositus fuerat, Apamenis Episcopum ordinavit. Sed cùm Apameni Joannem Episcopum recipere noluissent, ille Antiochiam reversus, adversùs Petrum Fullonem Episcopatus sui authorem insurrexit, eumque è sede sua deturbavit, quam occupavit ipse trium circiter mensium spatio. Hæc ex Liberato, & ex Theophane in Chronico.

Joanne post trimestre spatium à Synodo Orientalium Episcoporum depositô, Stephanus Episcopus Antiochenus ordinatus est, anno Domini 478. Literas Synodicas mox dedit ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum. Qui congregatâ Synodo, Petrum Fullonem, Joannem suprà memoratum, & Paulum Ephesiorum Episcopum damnavit: deque ea re misit Relationem ad Simplicium Romanum Pontificem; petens ab Apostolicâ Sede, ut si fortè ad eam confugerent, nec visu dignos haberet: & si jam indulgentiam aliquam impetrassent, eam in irritum mittendam esse, nec eorum pœnitentiam esse recipiendam. Ista constant ex Breviculo Historiæ Eutychianistarum, seu Gestis de nomine Acacii. Acceptis Acacii literis, Simplicius Petri Fullonis, & Joannis damnationem confirmavit, ipsumque agere jussit apud Imperatorem ut in exilium amandarentur, ne aliquos ultra tumultus excitarent, & simplicioribus ore sacrilego Hæreseos virus infunderent. Id patet ex Epistolis 14. & 15. Simplicii ad Zenonem Augustum, & ad Acacium datis.

Stephanum, cùm per anni circiter spatium Antiochenæ Ecclesiæ præfuisset, Antiochensium Eutychianistarum pueri calamis telorum instar præacutis interfecerunt: ut ex Joanne Rhetore Evagrius refert lib. 3. cap. 10. Id contigit anno Domini 479. Hanc ob cædem graviter commotus Zeno, misit Antiochiam qui tam nefarium facinus vindicarent, & in sacrilegos homicidas animadverterent. Antiochenum verò Antistitem pacis gratiâ jussit ordinari Constantinopoli ab Acacio.

Electus est & consecratus Stephanus Junior, vir pietate spectatissimus. Quâ in Ordinatione vulnus Canonibus Nicænis inflictum est, decernentibus ut Antiochenus Patriarcha ab Orientali Synodo ordinetur. Verùm, Zenone rogante, Simplicius Romanus Pontifex veniam infracti Canonis concessit. Quô ex facto & Romani Pontificis Primatus supra omnes Episcopos evidenter ostenditur: quippe qui cum Patriarchis etiam Orientalibus de Canonibus Conciliorum Oecumenicorum dispenset, rogante Imperatore: & simul elucescit, antiquitus dispensationes concedi solitas de Canonibus infractis, non autem ut impunè violarentur. Verba Simplicii subjicere placet Epistola 14. ad Zenonem Augustum. *Et quoniam*, inquit, *seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedandas non aliter existimastis, nisi præter præjudicium venerandi illius Concilii Nicæni apud Constantinopolim iisdem petentibus ordinaretur Antistes; quod in ejus tantummodo persona sic memorastis assumptum, ut deinceps, secundùm definitiones Patrum, Orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis reservetur: nec haberi loco vultis injuriæ, quod dissensionis gratiâ factum est auferendæ. Tenet hanc Pietatis vestræ beatus Petrus Apostolus sponsionem, & Christianissimi fidelissimique Principis mentem in hæc verba jurasse, quod posthâc in Antiochena urbe, more veteri servato, à Comprovincialibus suis Episcopus ordinetur: ne quod nunc frater & Coepiscopus meus Acacius vobis est jubentibus executus, in usum posteritatis veniat, & statuta Patrum, quæ præcipuè præstatis illæsa, confundat. Unde, quæ à vobis amore quietis sanctè & Religiosè sunt ordinata, reprobare non possumus, ne status Antiochenæ Ecclesiæ sub nostrâ dubitatione videatur ambiguus: præcipuè cùm is, qui legitur ordinatus testimoniô Clementiæ vestræ, & tanta sit prædicatione subnixus, ut in eo præter horum vulnerum dolorem positô possimus & Ecclesiæ, quæ illum meruit, gloriari.*

Romanus Pontifex cum Patriarchis Orientalibus de Canonibus Conciliorum Oecumenicorum dispensat.

Ut verò pax Ecclesiæ Antiochenæ, cujus spem nonnullam faciebat probatissimi Antistitis electio, nullis procellis turbaretur: omnium tumultuum authorem Petrum Fullonem Zeno Augustus Pityuntha in Ponto relegavit. Stephanus Junior tertio Episcopatus

patus anno migravit è vitâ. Post ejus obitum, Acacius ex Zenonis Imperatoris mandato, Constantinopoli Calendionem ordinavit Antiochensem Episcopum. (Ex Theodoro Lectore, & Theophane.) Id factum anno Domini 482.

Canonum infractorum veniam concedit Romanus Pontifex.

Calendio Antiochiam profectus, collectâ Synodo, Ordinationem suam Orientalium Episcoporum suffragiis ratam haberi voluit: & Synodicam ad Simplicium Romanum Pontificem misit Epistolam. Synodicæ Calendionis per Anastasium Episcopum perferendæ commendatitias adjunxit Acacius. Calendionem Simplicius in communionem suscepit perlubenter, ejusque Ordinationem confirmavit. Quæ confirmatio necessaria erat ob violatos iterum in ejus electione & inauguratione Canones: ordinatus enim fuerat Constantinopoli ab Acacio, sicut ipsius Decessor Stephanus. Dispensationem autem ipsi etiam concessit Pontifex, seu veniam infractorum Canonum, ut constat ex ipsius Epistola 15. ad Acacium datâ. *Antiocheni*, inquit, *exordium Sacerdotis quâ ratione fuerit serius indicatum, quamvis minimè nos latere potuerit, tamen & ipse, vel Synodus ipsius indicavit. Quod sicut non optavimus fieri, ita facilius excusationi, quam necessitas facit, extitimus: quia quod voluntarium non est, vocari non potest in reatum.... Necessario fratris & Coepiscopi nostri Calendionis Sacerdotium gremio Apostolicæ Sedis amplexi, in consortium nostrum, per gratiam Christi Dei nostri, tantæ Urbis Antistitem collegii unione numeramus.*

Cùm biennio Antiochenam gubernasset Ecclesiam Calendion, Acacius ipsum exauctoravit, specie quidem propterea quod Illo favisset, qui tyrannidem Antiochiæ arripuerat: sed re verâ eo quòd à Felicis Papæ & à Joannis Talaiæ Episcopi Alexandrini communione discedere noluisset, ut testatur Liberatus cap. 18. Breviarii. Pulso Calendione, Petrus Fullo à Zenone Imperatore, suggerente Acacio, in Sedem Antiochenam restitutus est, ut testantur Felix II. Epistola 2. ad universos Presbyteros & Archimandritas Constantinopoli & per Bythiniam constitutos, & Gelasius in Epistola ad Orientales. Felicis verba hæc sunt de Acacio loquentis. *Qui Calendione Episcopo sancto, quemadmodum cognovimus, nuper ejecto, Petrum toties & ante à se damnatum in ejus immisit Ecclesiam*, &c. Sic verò Gelasius: *Ut taceam quod per Zenonem Imperatorem, qui utique Antiocheno Petro, quem introduxerat, & cujus Sacerdotium comprobaverat, sine dubio communione permixtus communicabat Acacius.*

Petrus Fullo & Petrus Mongus à Felice II Romano Pontifice damnati.

De his monitus à Calendione Felix Romanus Pontifex, Synodo quadraginta trium Episcoporum apud S. Petrum collectâ, Petrum Fullonem Antiochenæ pervasorem Ecclesiæ, & unà cum illo Petrum Moggum Alexandrinum Pseudo-Episcopum, & Acacium Constantinopolitanum damnavit, eosque ab Episcopatu & Christiana communione pronunciavit alienos anno Christi 484.

Emendatur Baronius.

Commentitiæ Synodi.

Cardinalis Baronius, & Conciliorum Collectores, duas alias Synodos contra Petrum Fullonem habitas memorant, unam Constantinopoli ab Acacio, alteram Romæ à Felice Papa, utramque anno Domini 483. celebratam. Utraque commentitia meritò visa est doctissimo Valesio. Petrus enim Fullo nondum Sedem Antiochenam invaserat eô, quo has Synodos referunt, anno. Siquidem Calendio per vim & calumniam depositus est anno sequente, qui fuit Christi 484. statimque in ejus locum Petrus Fullo intrusus est. Quo modo igitur anno 483. depositus dici potest ac damnatus ab Acacio & Felice Pontifice Maximo Petrus Cnaphæus? Præterea, Petrum Fullonem Simplicii Papæ temporibus in Synodo Constantinopolitanâ jam ante damnaverat Acacius, ut compertum est ex ipsius Acacii Epistola ad Simplicium, & ex Literis Felicis II. ad universos Presbyteros & Archimandritas Constantinopoli & per Bythiniam constitutos. Necesse igitur non erat ut Acacius Petrum Fullonem iterum damnaret. Id verò absque necessitate ipsum præstitisse, quis sibi persuadeat? Neque etiam Felix II. necesse habebat Petrum Cnaphæum sententiâ suâ damnare, qui jam ante fuerat à Simplicio damnatus. Novum crimen à Petro admissum esse reponet forsan aliquis, ac proinde nova damnatione fuisse opus. Sed quodnam, quæso, novum illud Fullonis facinus? An clausula, *Qui crucifixus es pro nobis*, addita Trisagio? Sed hæc adjectio ab ipso facta fuerat diu ante annum Christi 483. & 484. Cùm scilicet in Antiochenam Sedem primùm insiluit pulsô Martyrio, sub Imperio Leonis Augusti, ut colligitur ex Theodoro Lectore, lib. 1. Collectaneorum, ex Theophane in Chronico, & ex Cedreno.

Epistolæ suppositæ.

Varias etiam Epistolas exhibent Conciliorum Collectores post Eminentissimum Annalium Ecclesiasticorum Parentem, quasi à Felice Papa, ab Acacio, & aliis cùm Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ Episcopis ad Petrum Fullonem scriptas. Quas Valesius supposititias esse probat his rationibus. Primò, quia nomina Episcoporum, qui ad Petrum Fullonem scribunt, conficta sunt & commentitia. Nusquam enim in Historia illorum temporum nominatos reperies Faustum Apolloniadis, Pamphilum Abydorum, Asclepiadem Trallium, Anthæon Arsinoës, Episcopos: nullibi memoratum reperies Quintianum Asculanum, aut Justinum Siciliæ Episcopum. Secundò, quia non est verisimile istos modicarum Civitatum Antistites, longè ab Antiochena Diœcesi positos, Commonitorias ad Petrum Fullonem Antiochenæ Sedi incubantem Epistolas scripsisse: quibus satis esse debuit, si illius hæreticam novitatem ad suos Patriarchas detulerint, aut ad suos Metropolitanos. Tertiò, quia Epistolæ illæ uno eodemque stylo planè rudi ac barbaro conscriptæ sunt. Fieri autem non potest ut tam diversarum Nationum Episcopi eodem genere sermonis utantur. Quartò, quia Felici II. adscriptæ Epistolæ, Græcè scriptæ sunt, & ex Græco sermone in Latinum conversæ. Non solebant autem illis temporibus Episcopi Romani aliâ quàm Latina lingua ad Episcopos Græcos scribere, ut Romanorum Pontificum Epistolæ testantur. Quintò, prorsus inepta sunt hæc verba quæ in Epistola 3. Felicis Papæ ad Petrum Fullonem leguntur: *Etenim sit in te hæc fixa damnatio à me, & ab his qui sub me constituti, Episcopales Sedes gubernare noscuntur, & Acacio Constantinopolitanæ Ecclesiæ Pastore, & venerabilibus Episcopis ejus juri subjectis, tanquam & ipsis minimè consentientibus*, &c. Multa in his verbis notat Valesius, quæ tolerari non possunt. Primò, quòd Felix II. Episcoporum qui unà cum illo in Synodo consederant, in Sententiâ suâ mentionem faciat, præter consuetudinem Romanorum Pontificum, cui testimonium perhibet Felix ipse in Epistola ad universos Presbyteros & Archimandritas Constantinopoli & per Bythiniam constitutos. Hæc sunt ejus verba: *Quoties intra Italiam, propter Ecclesiasticas causas, præcipuè Fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur ut Successor Præsulum Sedis Apostolicæ, ex personâ cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta sollicitudinem Ecclesiarum sibi competentem, cuncta constituat.* Secundò, Acacium sibi adjungit Felix personatus, quasi ejus sententiam in damnando Petro Fullone secutus sit: omissâ mentione Simplicii Papæ, à quo idem Petrus diu ante fuerat damnatus. Non commisisset autem verus Felix ut Sententiæ à Decessore suo in Petrum Fullonem latæ nullâ mentione factâ, Acacii sententiam laudaret.

ARTICULUS

ARTICULUS XVIII.

De Acephalis, & Theopaschitis.

EUtychianæ Sectæ portio fuit Acephalorum factio, quæ Alexandriæ emersit, cùm Petrus Moggus in illius Ecclesiæ Sedem à Zenone restitutus, ex Henotici, quod admiserat, præscripto, Chalcedonense Concilium minimè damnaret. Ea enim œconomia perditis quibusdam Eutychianis displicuit, qui eâ de causâ Petri communionem ejurarunt, ac propterea nominati sunt Acephali, quod à Capite, id est, Patriarcha suo disjuncti, seorsim congregarentur. (Ex Leontio, libro de Sectis, Actione 5.) Huic Sectæ vires addidere Severus Antiochenus Pseudo-Episcopus, Petrus Apameensis, Anthimus Constantinopolitanus, Patriarcha, & Zoaras Monachus, damnati in Synodo Constantinopolitana sub Menna. Horum principem Severum fuisse, testatur Nicephorus lib. 18. Historiæ cap. 45. Unde & Severiani dicti sunt. Iisdem inditum *Acephalorum* nomen confirmat, quòd Episcopis non subessent. Defunctis autem apud illos, si qui erant, Episcopis & Sacerdotibus, neque Baptismum usitatô more in Ecclesia ab ipsis administrari solitum, neque Sacrificium ullum peractum: verùm Sacramenta ex antiquis temporibus asservasse ad communionem Fidelium è quibus abrasas perexiguas particulas, Paschatis tempore ipsis distribuebant. Facilè autem pro arbitriû ac libidine quemque sua, quicquid libitum esset, inseruisse Fidei Professioni scribit Nicephorus; ex quo Sectarum infinita penè varietas pullulavit. Hi etiam dicti sunt Hæsitantes, & Monophysitæ, quia cum Eutychianorum vulgo in eo conveniebant, quòd singularem in Christo naturam statuerent, duas negarent. Iidem dicti sunt Semi-Eutychiani, quia Eutychetis errorem aliquatenus molliebant, dicendo, *Quoniam si & una prædicetur Filii Dei natura, potest accipi eadem una natura secundum aliquid natura Patris esse consubstantialis, & item secundùm aliquid nostræ. Hoc est autem dicere, nec Patris eam natura consubstantialem esse, nec nostru:* (inquit Facundus lib. 1. cap. 5.)

Ex hâc Sectâ Jacobitæ emerserunt, à Jacobo Syro, obscuri generis homine nomen mutuati: quod nomen Eutychianis omnibus in Ægypto, & per totum Orientem commune est, sicut & *Melchitarum* appellatio Catholicis. *Melchitæ* porrò dicuntur quasi *Imperatorii*, quòd Imperatoris Fidem, & congregatæ ab eo Synodi Chalcedonensis Definitionem amplectantur.

Theopaschitæ à Petro Fullone orti, divinitatem ipsam unigeniti Filii cruci affixam, & in sepulchro collocatam effutiebant. Eorum errorem Euthymius in Panoplia, Tit. 20. sic describit. *Asserunt Christum non suscepisse consubstantiale nobis corpus, sed incorruptibile, subtile, increatum, & celeste. Idem porrò aspectari solitum, manducare, bibere, ac cætera hominum agere propria, specie tenus. Rursus affirmant prædictam carnem in divinitatis naturam conversam, & ei consubstantialem esse factam. Atque ut mellis aut aceti stilla in altum mare demersa, nec videtur ampliùs, nec subsistit: Ita corpus illud divinitatis commistum pelago, ac depressum, naturam suam non amplius retinet, nec proprietatem suam conservat. Propter hoc, inquiunt, in Christo non sunt naturæ duæ; sed una tantùm, eademque tota divinitatis. Unde & Sacrificium panis carnis Christi non corpus esse Christi, sed divinitatis corpus prædicant.*

Theopaschitarum venena Armenis Jacobus afflavit, qui hanc Hæresim omnium pertinacissimè propugnarunt. Horum dogmata, & ritus, Nicephorus refert lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 53. Testatur ipsos Annuntiationem, Nativitatem, & Baptismum Christi, unâ eademque die 15. Januarii celebrare solitos. Trisagion cum additione impiâ Petri Cnaphæi decantare. In oblatione incruenti Sacrificii vinum aquâ non temperatum adhibere, unam eô ritu in Christu naturam designantes. Pascha Judaïcô more celebrare, boves & oves immolando, & Agni sanguine postes liniendo. Crucem non colere, nisi priùs illam hominis instar baptizaverint. In medio Crucis clavô defixô, & sanguine victimæ inunctô, unam Sanctissimæ Trinitatis personam crucifixam indicare. Imagines Patris, & Spiritus Sancti effingere. Communionem nostram pro nihilo ducere. Digitô unô à lævâ dextram versùs, seipsos Crucis signô munire, ut hoc ritu se Monophysitas, sive unius in Christo naturæ assertores profiteantur. Die Parasceves, usque ad Paschatis diem, Crucem sub terrâ abscondere. Jejunia singularia observare, & inter alia jejunium Arziburi, paulò ante Quadragesimam, cujus observantiam, ob necem canis ipsum quacunque iret præcedentis, & adventum ejus velut annuntiantis, Sergius quidam ipsorum Doctor illis mandavit, jejunium ex nomine canis appellans. Illos Sabbatis & Dominicis diebus magnæ Quadragesimæ, lac, caseum, & ova comedere. Et alia id genus factitare præter Ecclesiæ mores.

ARTICULUS XIX.

De Patribus qui adversùs Eutychianos & Acephalos, Catholicam Fidem propugnarunt.

ADversùs Eutychianam Hæresim gravissimas, eruditissimasque scripsit Epistolas S. Leo, præsertim celeberrimam illam ad Flavianum, quæ in Concilio Chalcedonensi Patrum omnium suffragiis probata est. Ipsam etiam variis Sermonibus, datâ occasione, exagitavit.

II. Scripsit adversùs eamdem hæresim Theodoretus Cyri Episcopus Libros viginti septem; quorum argumenta disce ex Photio Codice 46. Scripsit & Dialogos tres, in quibus *Eranistes*, & *Orthodoxus* colloquuntur & disputant. Primus inscribitur, *Immutabilis*. alter, *Inconfusus*; tertius *Impatibilis*.

III. Eamdem hæresim Gelasius libro *de duabus in Christo Naturis* debellavit. Quis ille sit Gelasius, viri eruditi dissentiunt. Bellarminus, & Melchior Canus lucubrationem illam tribuunt Gelasio Episcopo Cæsareensi, cujus meminit S. Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*. Hunc enim ad Nestorii & Eutychetis tempora superstitem fuisse conjiciunt. Sed eorum nutat conjectura. Nam duo saltem numerantur Episcopi post Gelasium, ad Nestorii usque & Eutychetis natam hæresim; nempe Joannes, qui unà cum Porphyrio Gazensi legationem suscepit ad Arcadium Imperatorem & Eulogius, qui Diospolitanæ contra Pelagium Synodo interfuit. Gelasio itaque Palæstino vindicari illud Opus non potest.

Quis Gelasius auctor Libri de duabus in Christo Naturis? Gelasii Cyziceni, non Romani Pontificis Opus videtur.

Verum hujus Operis parentem indicasse sibi visus est Cardinalis Baronius, Gelasium Cyzicenum: quòd Gelasius iste exagitatum se esse scribit ab hæreticis Eutychianis, cùm tempore Basilisci Imperatoris invalescerent, seque eosdem disputando confutasse. Hæc sunt ejus verba in Præfatione Commentarii sui in Acta Concilii Nicæni. *Non multò tempore, cùm huc, in Provinciam dico Bythinorum, volente Deo, pervenissem, & commotio atque inquisitio plurima fieret sub impii Basilisci tyrannide adversùs Catholicam & Apostolicam Dei Ecclesiam, & Fidem Apostolicam in eâ constitutam, succendente potissimùm atque commovente Regis Aulam eorum factione qui hæretico Eutychi consentiebant: qui nobis subdolè proponebant, ut Fidem Patrum, Nicænam (inquam) retineremus. Sed convincebantur à nobis illius Fidei hostes.*

hostes. Quæ apprimè conveniunt Autori libri *de duabus in Christo naturis*, qui illud Opus se aggressum esse scribit, *Propter recentem altercationem de Incarnationis Dominicæ sacramento*.

Annalium Ecclesiasticorum Autori subscribit Doctissimus Cardinalis Perronius *lib. 2. de Eucharistia Num. 2.* & sententiam quæ hoc Opus negat Gelasio Papæ, his fulcit argumentis. Primò, quòd Gennadius lib. de Viris Illustribus, cap. 14. scribat, *Gelasius Urbis Romæ Episcopus scripsit adversùs Eutychem grande & præclarum Volumen*. Et Anastasius Bibliothecarius lib. de Romanis Pontificibus, in *Gelasio*; dicat, *Hic fecit libros adversus Nestorium & Eutychetem, qui hodie in Bibliotheca & Archivo Ecclesiæ continentur*. At Opus illud adversùs Nestorium & Eutychetem, quod extat in Bibliotheca Patrum, nec grande, nec præclarum est, nec plures in libros distributum; non est igitur Gelasii Pontificis genuinum Opus.

Secunda ratio. Autor ille, veterum Patrum de duabus in Christo naturis testimonia subjecturus, ait; id testari *Catholicorum recensita testimonia Magistrorum*; & inter Orthodoxorum Magistrorum testimonia, tria profert Eusebii Cæsariensis. Gelasius autem Romanus Pontifex Eusebium Cæsariensem inter Catholicos Magistros non agnovit, imò ejus Opera proscripsit velut apocrypha, in suo de Autoribus Ecclesiasticis Decreto.

Tertia ratio. Autor ille Veterum testimonia contra Eutychianos proferens, nec Cyprianum, nec Hilarium, nec Hieronymum, nec Leonem laudat, nec Patrum Latinorum aliquem, præter Ambrosium & Damasum, sed Græcos duntaxat Patres; quod à Gelasii Papæ ingenio planè alienum nemo nescit. Quæ ratio ex eo confirmatur, quòd testimonia, quæ ex Græcis Patribus deflorat, laudat cum indice locorum ex quibus desumpta sunt: quæ verò ex Sancto laudat Ambrosio, neque notatis locis unde illa eruit; neque ipsis Ambrosii verbis, quæ elegantia sunt, sed durioribus aliis & penè barbaris exprimit, ac Versioni Græcæ Theodoreti, quàm Latino Ambrosii contextui magis respondentibus, quod collatis locis ostendit doctissimus Cardinalis Perronius loco laudato. Genuinum itaque S. Ambrosii textum Autor libri, quô de agimus, non legerat. Quod cùm de Gelasio Romano Pontifice dici non possit, immeritò illi adscribitur istud Opus.

Quarta ratio. Autor ille S. Hippolyti Episcopi & Martyris testimonium proferens, eum vocat *Episcopum Metropolis Arabiæ*. At S. Hippolytus Episcopus in Arabia non fuit, sed Portuensis Antistes Romanæ Diœceseos, ut testatur marmorea ejus statua cum Cyclo Paschali, cujus est Autor, Romæ inventa, ut testatur etiam Sorbonicus Codex MS. laudatus à Mariano Victorio in Notis ad S. Hieronymum; atque confirmat S. Germanus Patriarcha Constantinopolit. illum vocans *Hippolytum Romanum*. Porrò id ignorum fuisse Gelasio Romano Pontifici, non est verisimile.

Spondanus, Sirmondus, Petavius, Labbæus, Librum illum Gelasio Papæ asserunt ex Fide MSS. optimæ notæ, in quibus inter indubitatas Gelasii Epistolas reperitur. Deinde quòd Gelasii Papæ nomine laudetur à S. Fulgentio in Responsione ad secundam Ferrandi Carthaginensis Diaconi Quæstionem. *Hoc etiam*, inquit, *B. Memoriæ Papa Gelasius, servato tenore doctrinæ, per viam veræ Fidei atque Apostolicæ Confessionis, paribus incedit omnino vestigiis. In eo quippe Libro, quem memoratus venerabilis conscripsit Antistes adversus eos qui in Domino Jesu Christo duarum naturarum nolunt indivisam credere veritatem, sed eas unius naturæ professione confundunt, ipso tenore Prædicationis Apostolicæ custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse confirmat, dicens: Has easdem necessarium est profiteri sub una eademque persona sic indiscretas atque inseparabiles illas unitione constare, ut permaneant esse quod sunt*, &c. Quæ in libro *de duabus in Christo naturis*, de quo agimus, reperiuntur.

Sed respondet Doctissimus Cardinalis Perronius, S. Fulgentium æquivocatione nominis deceptum, Opus istud tribuisse Gelasio Papæ, quem contra Eutychianam Hæresim scripsisse, aliunde noverat: nec animadvertisse meram se Autoris Græci versionem habere præ manibus, ab Interprete Latino editam, & quidem in Græca lingua satis rudi, ut in sua ineleganti. Quòd cùm pluribus ostendi possit, illis maximè verbis ex Severiani Gabalitani testimonio ibidem prolatô demonstratur: *Passiones naturam cognoscentes*. Quô locô homo Græcè non ignarus vertendum intellexisset: *Passiones naturam indicantes*. Vocabulum quippe Græcum γνωρίζειν non solùm significat cognoscere, sed notum facere.

Hunc librum à Joanne II. Papa in Epistola ad Avienum cæterosque Senatores sub Gelasii Romani Pontificis nomine laudari, viri eruditi objiciunt. Sed non ita se res habet. Gelasium quidem appellat hujus libri Autorem, sed Romanum Episcopum aut Decessorem suum non vocat.

IV. Vigilius quinque libros conscripsit adversùs Nestorium & Eutychetem, non S. Vigilius Tridentinus Episcopus & Martyr, cujus nomine inscribuntur in veteribus Bibliothecis Patrum. Floruit enim ille tempore S. Ambrosii, cujus & ad ipsum Epistola legitur: & tempore Passionis Martyrum Anauniensium, ut testantur ejus Acta, & Martyrium obiit sub Stilichonis Consulatu, qui sive 1. sive 2. fuerit, certum est eum Honorii Imperio non fuisse superstitem; adeoque ejus temporibus nondum emersisse Eutychianam Hæresim. Cujus igitur Vigilii est istud Opus? An Vigilii Lactorensis Episcopi, cujus nomen Agatensi Concilio, anno 506. subscriptum habetur? An Vigilii Brixiani Antistitis à Philastrio septimi, cujus meminit Romanum Martyrologium ad diem 26. Septembris? An Vigilii Diaconi, qui & Regulam Monachorum scripsit, teste Gennadio, *Lib. de Viris Illustribus cap. 51.* Nullius certè ex his Vigiliis est istud Opus: sed Vigilii Africani Episcopi, cujus meminit Cassiodorus *lib. Divinarum Lectionum cap. 9.* Fuit autem Episcopus Tapsensis in Byzacena Provincia, unus ex iis Antistitibus, qui ad Hunnericum fidei causâ venerunt. Theodulfus Aurelianensis in Tractatu *de Baptismo*, laudat Vigilium Africanum in Libris quos scripsit Constantinopoli in Defensionem Leonis (sive celeberrimæ ejus Epistolæ) contra Eutychianos. Ecclesiæ cujus Episcopus fuit, nomen discimus ex Notitia Africanorum Antistitum Regis Hunnerici jussu pro reddendâ Fidei ratione convocatorum, quam edidit Sirmondus. Lege P. Chiffletium in Vindiciis Operum Vigilii Tapsensis.

Vigilius quinque libros contra Nestorium & Eutychetem Autor est, [illegible] Africanus Episcopus.

V. Libellum scripsit adversùs Acephalos Joannes Maxentius. Eosdem exagitavit Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum. Eamdem hæresim impugnavit Rusticus R. E. Diaconus, in Dialogo adversùs Acephalos, qui extat Tom. 4. Bibliothecæ Patrum Parisiensis. Eos pariter confutarunt Eulogius Alexandrinus Patriarcha, & Ephræmius Antiochenus, ut constat ex Photio, Codice 29. & 30. Leontius lib. de Sectis, libris tribus adversùs Eutychianos & Nestorianos, libro de duplici natura in Christo, contra Hæresim Monophysitarum: & in libro qui inscribitur: *Solutiones argumentorum Severi*. Theodorus Presbyter Rhætuensis, sive celeberrimi Monasterii de Raithu, qui septimo Sæculo floruit, in Isagogico Tractatu *de Incarnatione Domini*. qui extat Tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-

Latinæ; Theotianus, qui sub Emmanuele Comneno Græcorum Imperatore floruit, in *Legatione ad Armenos*, (Tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ.)

CAPUT IV.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, qui Sæculo V. floruerunt.

ARTICULUS I.

De Synesio.

SYNESIUS Patria Cyrenensis, ab ineunte ætate Philosophiæ operam dedit Alexandriæ, Magistrâ usus Hypatia, Theonis celeberrimi Mathematici filiâ. Uxorem duxit, & quatuor ex ea filios suscepit. Legationem obiit pro patria apud Arcadium, ad quem elegantissimam illam *de Regno* orationem habuit; non ad Theodosium, ut scribit Evagrius. Anno 410. electus fuit Episcopus, non Cyrenarum, ut Evagrius, & Photius scribunt, sed Ptolemaidis, quæ Urbs est in Cyrenaica. Electionem confirmavit Theophilus Alexandrinus. Totis viribus, & omnibus machinis Episcopatûs onus declinavit, ut ipse testatur *Epistola* 11. ad Ecclesiæ suæ Presbyteros scriptâ. Causas, ob quas oblatum Episcopi munus nequaquàm sibi recipiendum judicet, aperit Evoptio fratri, Epistola 5. ad ipsum datâ. Se ante Episcopatum fuisse divinarum Scripturarum imperitum, testatur Epistola 13. ad Petrum Presbyterum, & 66. ac 67. ad Theophilum. Vigilantiâ Pastorali fuit insignis. Presbyteros suos de Eunomianis cavendis admonuit *Epistola* 5. Episcopum ab Arianis Sede suâ pulsum consolatus est, *Epistola* 128. Summa ejus fuit erga Sedem Alexandrinam observantia: animus in damnandis sceleratis intrepidus, cujus specimen in Andronici Pentapoleos Præfecti excommunicatione præbuit. Hic sceleratè multa & impiè in Deum atque homines moliebatur, & tyrannidem Ptolemaide exercebat, de qua lege Epistolas Synesii 57. 58. & 72. Hunc igitur Præfectum Synesius ex Concilii sententia excommunicavit, cùm ob alia scelera, tùm quòd crudelia Edicta Ecclesiæ foribus affixisset, nefariis suis sceleribus inviolabilis Mensæ supplicationem intercludens, ac Sacerdotibus, ipsique Synesio minas intentans. De ejus & sociorum anathemate scripsit Epistolam Encyclicam ad Episcopos, ut eum vitarent, atque ab omnibus sibi subditis vitari juberent. Ostenditque quàm religiosè observanda esset Ecclesiastica Disciplina, ut ab uno Episcopo excommunicati, ab aliis non reciperentur, quamvis mediocris Urbis Episcopus esset, qui sententiam excommunicationis tulerat. *Sin quisquam*, inquit, *velut angusta Urbis Ecclesiam contempserit, & ab ea damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necesse sit; noverit is scissam à se Ecclesiam, quam unam esse vult Christus.* Libros elegantes composuit, scilicet Orationem *de Regno*, Librum *de Insomniis*, *de Providentia*, *Dionem*, sive de instituto vitæ suæ, *Calvitii encomium*, ludicrum, sed eruditum ac venustum Opus: *varias Epistolas*, nonnullas Declamationes, & *Hymnos*, In suis Epistolis ac Libris effigiem suam adumbravit Synesius. Illustri genere ortum se testatur Epistola 57. *Ab Eurysthene*, inquit, *qui Dorienses in Spartam deduxit, ad meum usque patrem, generis successiones publicis tabulis inscripta sunt.* Antequam Sacerdos inauguraretur *honore satiatum* se scribit. Se ob filii charissimi mortem tanto dolore confectum fuisse, ut parum abfuisset, quin sibi malum aliquod conscisceret. Se & privatis, & Civitatibus operam suam commodasse, sibique hoc divinitus tributum, ut cùm auctoritate plurimùm posset, tum honestissima quæque vellet. Sibi vitam liberam, & à negotiis alienam placuisse, & ante Sacerdotium, *Oratione, & libris, & venationе*, vitam suam distinxisse. Honestis etiam ludis post studium, animum recreasse: *Mortem ipsum optasse præ Sacerdotio*, quod invitus repugnansque suscepit. Quantâ reverentiâ res divinas tractandas esse judicaret, testatur ipse his verbis: *Hoc uno magis terrebar, ne cum pœnis ipse obnoxius essem, divina Mysteria indignè tractarem.* Suas inter orandum distractiones, quamquam involuntarias, luget, animique perturbationes ex publicis ortas calamitatibus. *Superest itaque*, inquit, *ut pudore ac mœrore suffundar. Subinde in animo commotio, & curarum ac sollicitudinum varietas, & longè Deus abscedit. Nihil jam de solita in orando suavitate percepi; Sed species ipsa quidem orationis est, ego verò per omnes negotiorum partes cogitatione circumferor, irâ, dolore, omnique affectuum genere distractus. Quanquam mente ipsâ cum Deo versamur, lingua hominibus quæ ex usu hominum sunt, ministrat.*

Episcopi dotes.

Rerum divinarum contemplationi deditum esse debere Sacerdotem, persuasum habebat: unde negotia oderat quæ ipsum à suavissimo illo fine avocabant, eorumque onus excutere nitebatur. *Contemplatio*, inquit, *Sacerdoti finis est. Contemplatio vero & actio nequaquam in unum conveniunt. Voluntatis enim impetus motus est in actionem: nullus autem sine affectu aliquo esse potest. At omnium expertem affectuum animam illam esse oportet, quæ Dei receptaculum futura sit... Vocatione opus est ei, qui cum Philosophiæ studio Sacris operatur... Non est id mearum virium, duobus ut Dominis serviam. Sin aliqui reperiant, quibus ne mentis quidem ad inferiora descensus detrimentum afferat, meritò illi possunt Sacerdotes fieri, & præesse Civitatibus. Solaris radius, quamvis cœnum contingat, purus, nec inquinatus manet. Ego si idem fecero, fontibus ac mari opus habebo.* (Epistola 57.)

Episcopum oportere divinum esse hominem, asserebat, *qui ab omni ludo, peræque ac Deus ipse sit alienus, & ad nullam voluptatem confringi, atque emolliri possit. In iis autem quæ ad Deum pertinent, non sibi uni vacare, sed communissimum omnium esse, ut qui legum Doctor sit, & quæ Legibus consentanea sunt, loquatur. Episcopum nullâ omnino labe pollui debere, tanquam qui aliorum piacula ac sordes abstergat.* (Epistola 105.)

Ab imperitis Sophistis reprehensus est Synesius quòd multa passim in Scriptis suis de Poëtis, atque Oratoribus aspergeret; atque hoc veluti condimento altissimis abstrusissimisque Disputationibus conciliaret suavitatem. Hoc crimen eleganter diluit in libro quem inscripsit *Dionem*; quem ad Magistram suam charissimam Hypatiam misit, rationem ipsi reddens suscepti Operis, (Epistola 153.)

ARTICULUS II.

De Severo Sulpitio.

SEVERUS SULPITIUS apud Nitiobriges Aquitanos nobilissimâ stirpe ortus, Primuliacensis Presbyter; primùm in foro versatus est summâ cum eloquentiæ laude, uxore ductâ ex Consulari familia, quâ præmaturè orbatus, Clero nomen dedit. Hinc S. Martini discipulum professus est, austerioris vitæ studiô. S. Paulino Episcopo Nolano fuit charissimus, qui plures ad ipsum Epistolas dedit. Ejus etiam cum laude meminit S. Augustinus Epistola 25. Ejusdem meminerunt S. Hieronymus, Gennadius, Idacius, Gregorius Turonensis, Honorius Augustodunensis. Scripsit Historiæ Sacræ libros duos, quos à Mundi exordio, ad Consulatum Stiliconis & Aureliani, hoc est, ad annum Christi quadringentesimum

Postremæ edit. 193.

gentesimum perduxit. Scripsit quoque vitam S. Martini, tres Epistolas, & Dialogos duos de ejus virtutibus. Dialogum item composuit unum de conversatione & virtutibus Monachorum Orientalium. In Dialogis interlocutores sunt Gallus & Posthumianus. Millenariorum errorem in iis secutus est, teste S. Hieronymo, in cap. 36. *Ezechielis*. Quamobrem & Gelasius Papa *Posthumani & Galli Opuscula*, inter apocrypha retulit. In Dialogo 1. cap. 4. S. Hieronymum hoc elogio celebrat. *Ego apud Hieronymum sex mensibus fui, cui jugis adversus malos pugna perpetuumque certamen, conscivit odia perditorum. Oderunt eum Hæretici, quia eos impugnare non desinit: Oderunt Clerici, quia vitam eorum insectatur & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur & diligunt; nam qui eum Hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. Vere dixerim, Catholica hominis scientia, sacra doctrina est. Totus semper in lectione, totus in Libris est, non die, non nocte requiescit: aut legit semper aliquid: aut scribit.* Severum Sulpitium provectâ ætate lapsum esse in Pelagii hæresim, unus ex antiquis scripsit Gennadius, cujus fidem meritò suspectam habet Gubertus Abbas in Apologia pro Severo.

Hunc Severum Sulpitium perperam nonnulli confuderunt cum Sulpitio I. Bituricensi Archiepiscopo: cùm inter S. Martini transitum*, cujus hic fuit discipulus, & Sulpitii Bituricensis Ordinationem sub Guntramno Rege, anni circiter 190. intercesserint, & S. Martini discipulus ultra Presbyteratûs Ordinem provectus non fuerit.

Anno 397 aut 400. S. gitur S. Martinus obiisse

ARTICULUS III.

De S. Augustino, & ejus Operibus.

SANCTUS AUGUSTINUS Tagaste in Numidia natus anno Christi 355. Idibus Novembris, à S. Ambrosio ad Fidem Catholicam à Manichæorum hæresi conversus, & baptizatus est Paschali tempore, anno 388. ætatis 34. A Valerio Hipponensi Episcopo anno 391. Presbyter ordinatus; anno 396. Episcopus consecratus est. Commissam sibi Ecclesiam rexit per annos 35. usque ad diem 28. Augusti, anni 430. quô Vvandalis Hipponem Regium obsidentibus, ad vitam migravit immortalem, annum agens septuagesimum sextum. De his quæ Vitam ipsius spectant, legendi Confessionum ipsius libri, & Possidius. De illius Scriptis legendi libri Retractationum, & Indiculus ejusdem Possidii. Eadem sors Augustini fuit, quæ aliorum Patrum, ut multa ipsius nomine vulgarentur, quæ non sunt ipsius: imò tantò plura, quantò celebrius in Ecclesia nomen ejus semper fuit. Horum Criterium hîc exhibeo.

§. I.

De Pseudepigraphis S. Augustini Operibus Tomi I.

Disciplinarum Libri præter sex de Musica, non sunt S. Augustini.

I. EX disciplinarum libris, quos habemus, sex tantùm Libri *de Musica*, genuini sunt S. Augustini fœtus. Pseudepigraphi sunt, *De Grammatica*, *Principia Dialectica*, *Categoriæ decem*, *Principia Rhetorices*. Neque enim per modum Dialogorum scripti sunt, quales esse Libros his de argumentis à se editos S. Augustinus testatur; nec ad Deum animum evehunt, quod illi præstabant. *Per idem tempus*, inquit, *quo Mediolani fui, baptismum percepturus, etiam disciplinarum Libros conatus sum scribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab hujusmodi studiis non abhorrebant: per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire, vel ducere.* (Lib. 1. Retract. cap. 6.) Præterea Græcis passim vocibus infarti sunt hi Libri, contrà S. Augustini morem. 3. Vim illam & acumen Augustiniani ingenii non exhibent, quod in Libris *de Musica* agnoscitur. Denique auctor libri de decem Categoriis, cap. 10. Antipodas agnoscit, quos S. Augustinus negat lib. 16. *de Civitate Dei cap. 9.*

II. Duæ regulæ priores S. Augustini nomine scriptæ, vel potius Regularum fragmenta, meritò à Lovaniensibus Theologis in appendicem rejecta sunt, ut supposititia: quod styli diversitas, & omnium Eruditorum consensus, & Possidii, ipsiusque Augustini silentium palam convincunt.

Regula ad servos Dei, est S. Augustini, sed feminis scripta, non viris.

Tertia Regula, quæ *Ad Servos Dei* inscribitur, est S. Augustini, sed feminis data est, non viris. Est enim Epistola centesima nona. Hæc verba: *Præposito tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit*, viris non conveniunt. Idem enim S. Augustino Præpositus Monasteriorum & Presbyter, ut liquet ex Epistola laudata: *Novum*, inquit, *non accepistis nisi Præpositum*. Et Monachorum Præpositos fuisse Presbyteros, docet lib. De Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 33. *Vidi ego diversorum Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, Vir optimus, & Doctissimus.* Cujusmodi etiam fuit Presbyter Eudoxius ad quem S. Doctor Epistolam dedit octogesimam primam. Nec in Monasteriis Augustinianis id insuetum, ut colligitur ex Possidio cap. 3. *Factus ergo Presbyter, Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei Servis vivere cœpit*, utique Præpositus eorum. Sanctimonialibus verò, præter Matrem seu Abbatissam, Presbyter præerat ab Episcopo Præpositus, qui eis Sacramenta ministraret. Unde in Epistola laudatâ legitur: *Præposita tanquam Matri obediatur, honore servato, ne in illa offendatur Deus, multò magis Presbytero, qui vestrûm omnium curam gerit.* Quod in virorum regulam ab Interpolatore, genere mutato, translatum est.

Postrema edit. 211.

Postrema edit. 48.

Nullam itaque Viris, sive Clericis, sive Monachis Regulam scripsit S. Augustinus. Hic enim Sermone 50. *de Diversis*, ubi de Regula & vivendi modo suorum Clericorum prolixè disserit, *in Actis Apostolorum* descriptam ait formam, quam cum suis desiderabat implere. Et Possidius Virum Sanctum cum Servis Dei vivere cœpisse scribit, *secundum modum & Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.* Sicut igitur Ægyptii Monachi sub Antonio, & Palæstini sub Hilarione, Turonenses sub S. Martino, Mediolanenses sub Ambrosio, Bethleemitici sub Hieronymo, aliam præter Evangelium & Apostolicam illam vivendi formam, Regulam non habebant: ita Augustiniani Clerici & Monachi, imò & Sanctimoniales sine illa sua Regula viginti fermè annos vixerunt. Cùm enim à S. Augustino scripta est, jam obierat ejus soror, quæ *Vidua Deo serviens, multò tempore, usque ad diem obitûs sui, Præposita Ancillarum Dei vixit*, Possidio teste. Quæ autem huic successerat Felicitas, jam multos annos in Monasterio non solùm fuerat, sed etiam præfuerat, ut ex Epistola suprà laudata perspicuum est. *Perseverate*, inquit, *in bono proposito, & non desiderabitis mutare Præpositam, quâ in Monasterio illo per tam multos annos perseverante, & numero, & ætate crevistis, quæ vos Mater non utero, sed animò suscepit. Omnes enim quæ illuc venistis, aut sanctæ Præpositæ Sorori meæ servientem, placentem, aut etiam ipsam Præpositam, quæ vos suscepit, invenistis. Sub illa estis eruditæ, sub illâ velatæ, sub illâ multiplicatæ, & sic tumultuamini ut eam vobis mutetis, cùm lugere deberetis, si eam vobis mutare vellemus.*

Liber de Vita Eremitica S. Augustino supponitur.

III. Liber *de Vita Eremitica ad Sororem*, ab aliquo Benedictini Ordinis Asceta scriptus videtur: cùm cap. 19. cibi potûsque modum præscribat Virgini secundùm S. Benedicti Regulam, quam laudat.

Inhumana videtur primâ fronte hæc doctrina cap. 43. *Claustralibus nulla debet esse pro pauperibus sollicitudo; nulla pro hospitibus suscipiendis distentio.* Pius alioqui liber est.

§. II.

De Pseudepigraphis Tomi II.

SEcundus S. Augustini Tomus ejus Epistolas complectitur, quas meliorem in ordinem restitutas, scriptionis servata Chronologia; & à multis expurgatas mendis, ac Notis illustratas eruditis, cum variantium Lectionum accuratissimo Indice in lucem ediderunt, cum primo ejusdem Sanctissimi Doctoris Tomo, Religiosissimi & Doctissimi Ascetæ Benedictini Congregationis S. Mauri.

Epistola olim 7. quæ continet Altercationem cum Pascentio, non est S. Augustini.

* Postremæ edit. 10.

* Postremæ edit. 238. & 239.

* Postremæ edit. 24.

Inter Epistolas porro Augustinianas, centesima septuagesima octava, quæ *Altercationem continet cum Pascentio Comite Ariano*, non est S. Augustini. Constat enim ex Possidio, nonnisi semel à S. Augustino cum Pascentio collatum, idque Carthagine. Collationem hanc sine Notariis habitam, S. Doctor prolixiùs exponit Epistola 174. & 175. Convitiosè admodum respondit Pascentius. S. Augustinus datâ ad ipsum Epistola 177. illum conviciis abstinere jussit, & coram conferre, sed excipientibus Notariis. Hinc ansam arripuit aliquis fingendi hanc alteram Collationem quasi habitam Hippone, in domo Anicia. Sed fictitia est, tum propter Possidii silentium, qui unam tantùm Collationem agnoscit: tum quia verisimile non est Pascentium coram Notariis conferre voluisse, qui priùs Notarios contra pacta conventa tam pertinaciter rejecerat. Tum etiam quia sæcularem Judicem in Collatione quæ tota merum dogma Fidei spectabat, admissum, vix credibile est. Tertiò, quod in prima & vera Collatione de Auxentio quæsiverat Alypius, Pascentius hîc Augustino tribuit. 4. Multa hîc repetuntur, quæ ad priorem Disputationem pertinent. Anathema dixerat Pascentius Ario & Eunomio, vicissimque ab Augustino & Alypio postulaverat ut ὁμοούσιον anathematizaverent. Id pene totidem verbis hîc repetit Pascentius. Ex eadem Epistola 174. sumptum est, quod hîc dicitur Pascentius, *Clariori sono Symbolum recitare.* Quamquam *Fidem*, non *Symbolum* dixerat Pascentius, quæ Fides ad verbum hîc repetitur, prout Epistola 174. exposita est. Hîc etiam repetitur, quod ibidem Pascentius dixerat, si ὁμοούσιον sibi ostenderetur in Scripturis, se mox adversariorum communionem amplexurum. 5. Augustinus tertia prosecutione petit à Laurentio, ut Fidei rationem ab utroque inquirat, & Symbolum Fidei recitare jubeat, cùm Pascentium, tum seipsum. Ipse tamen nec jubetur, nec recitat: & ineptum est, quod à se exigi voluerit mandatô Comitis, quod præstare ultrò paratus erat: & quod per se non urgeret Pascentium ut fidem suam exponeret, auctoritatemque Judicis ad illud obtinendum adhiberet, quod nondum renuerat adversarius. 6. Stylus Augustiniano longè dissimilis est. 7. Eodem stylo Augustinus, Hæreticus, Judex, hac in Disputatione loquuntur. Jam ab antiquo Sancto Augustino supposita est hæc Epistola, quam ejus nomine laudat Venerabilis Beda (*in 1. ad Corinthios 16. & ad Philippenses 2.*)

Epistola ad Demetriadem non est S. Augustini, sed Pelagii.

In Tomi II. appendicem jure sunt rejectæ Epistolæ sexdecim breves Sancto Augustino & Bonifacio adscriptæ. Spurias enim clamat identitas styli, & dissimilitudo cum Augustiniano. Epistolam ad Demetriadem, Pelagii esse, & Pelagianis erroribus scatentem nullus dubitat, & ex S. Augustino in lib. *de Gratia Christi*, nec-non in Epistola ad Julianam Demetriadis Virginis matrem, in quibus plures istius Epistolæ sententias refellit, certissimum est. Imò hanc ut fœtum suum agnovit Pelagius in suis ad Innocentium I. Literis, ut refert S. Augustinus cap. XXXVII. ejusdem Libri. *Legant* (inquit Pelagius) *quam ad Sacram Christi Virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus, & invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratiæ addamus auxilium.* Eamdem Epistolam Pelagio tribuit Orosius in Apologetico. Denique Epistolæ duæ *de Laudibus S. Hieronymi* supposititiæ sunt, & tantis Patribus, quibus affinguntur, Cyrillo scilicet Hierosolymitano ac Augustino prorsus indignæ. Putido præterea anachronismo suam produnt falsitatem. Sanctus enim Cyrillus Hierosolymitanus ante S. Hieronymum obierat, vel ipso Hieronymo teste, in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*: & tamen de obitu S. Hieronymi ad S. Augustinum scripsisse fingitur ab Impostore. Præterea, duarum in Christo voluntatum assertionem hæresim faciunt, & S. Hieronymum fictæ hujus Hæreseos, id est, Catholici dogmatis Impugnatorem, & revera Monothelitam, qui errorem de unica in Christo voluntate miraculis nescio quibus confirmaverit.

§. III.

De Pseudepigraphis Tomi III.

TOmi III. jure in appendicem rejiciuntur, liber *de definitionibus Orthodoxæ Fidei, sive de Ecclesiasticis Dogmatibus*, quem Gennadii Massiliensis esse constat ex Hadriano I. in *Epistola ad Carolum Magnum*, Walafrido Strabone, Algero, Magistro Sententiarum, & S. Thoma. Item liber *de Fide, ad Petrum Diaconum*; sive *Regula veræ Fidei*: cujus Auctorem esse S. Fulgentium, Stylus, dogmatum affinitas & consonantia cum cæteris S. Fulgentii, ejusdem cum Petro Diacono amicitia: S. Isidori, Honorii Augustodunensis, Bertrami, sive potiùs Joannis Scoti Erigenæ (in lib. *de Corpore & Sanguine Domini*,) testimonia: eruditorumque omnium consensus evincunt.

Libri de Mirabilibus Scripturæ sacræ, non sunt S. Augustini.

Libri tres *de Mirabilibus sacræ Scripturæ*, nec stylum nec ingenium S. Augustini referunt, ideóque hoc Opus falsò adscriptum Sanctissimo Doctori, rectè pronuntiavit S. Thomas III. p. Q. 45. Articulo 3. Cyclorum mentio ostendit Auctorem vixisse post annum 660. aut etiam 700. Illud S. Marchiano Hiberno asserit Henricus Fitz-Simon in *Catalogo Sanctorum Hiberniæ*. Et certè horum Librorum Author se gente Anglum sive Hibernum indicare videtur lib. I. cap. VII. ubi quidpiam obiter observans de insulis, Hiberniam in omnibus unam nominat: & paulò post æstum maris *Ledonem ac Malinam* appellat, verbis apud Anglos, vicinosque accolas Britannici Maris, præsertim ævo Bedæ, usu receptis. Tum libri secundi cap. IV. Manichæum quemdam Hibernum mortuum esse narrat.

Liber *de Spiritu & Anima*, in quo citatur Boëtius, centum fermè annis S. Augustino posterior, & in quo habentur aliqua ex Gennadii libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, Auctoris incerti fœtus est.... Hugoni à S. Victore illum tribuunt Trithemius, & Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali*. S. Thomas Quæst. unica *de Anima*, Art. 12. ad 1. Anonymo cuidam Cisterciensis Ordinis.

Quæstiunculæ *De Trinitate*, excerptæ videntur ex Libris S. Augustini, ejusdem argumenti.

Interrogatio De benedictionibus filiorum Jacob, non est S. Augustini, sed Alcuini.

Interrogatio *De benedictionibus filiorum Jacob*, Magnam partem decerpta est ex Quæstionibus Hebraicis S. Hieronymi in Genesim. Ad finem multæ sunt Sententiæ ex S. Gregorio Magno defloratæ *Lib. 5. Moralium cap. 7. & lib. 3. cap.* 10 Iste etiam Tractatus ordine nonnihil diverso, atque aliquot permutatis

mutatis vocibus, insertus est Libro III. Commentariorum in Genesim, Eucherio Lugdunensi adscriptorum, & in Bibliotheca Patrum Editorum. *Alcuinum* Autorem habet hæc *Interrogatio*.

§. IV.

De Pseudepigraphis Tomi IV.

Libros De Continentia, De Patientia, De Viduitate Bono, & Augustino perperam abjudicat Rivetus.

LIbros *De Continentia*, & *de Patientia*, S. Augustini genuinos fœtus esse, absque judicio negat Rivetus, cùm eos ut suos Augustinus ipse agnoscat in *Epistola ad Darium Comitem*. Libri *De Continentia* meminit etiam *Possidius* in Indiculo, cap. x. & nonnulla ex eo excerpta profert Venerabilis *Beda*, seu potiùs *Florus* in suis Collectaneis; & qui à S. Augustini tempore propriùs distat *Eugypius*. Hunc verò Librum Sermonem esse, quem idcirco in Librorum suorum Retractatione S. Augustinus prætermiit, ipso satis exordio declaratur: sic verò appellant veteres Libri, nec-non Possidius, Eugypius, & Florus. Idem esto judicium de Libro *De Patientia*. Stylus & dictio utriusque similis est multorum S. Augustini Sermonum, eorum præcipuè quos primis annis dixit sive dictavit.

Liber *de Viduitatis Bono*, & à Possidio agnoscitur in *Indiculo*, & à Venerabili Beda non semel laudatur. Quamobrem illum Sanctissimo Doctori perperam abjudicat Rivetus. Illum ipsum suum esse S. Augustinus docet, non minùs quàm Epistolam *De orando Deum, ad Probam*, Librum *De Sancta Virginitate*, & Libros *contra Faustum Manichæum*; &, *De Bono Conjugali*. Ait enim cap. 15. *Multa alia de istis rebus dicta sunt à nobis in Libro de Bono Conjugali, & in alio Libro de Sancta Virginitate; & in Opere quod adversùs Faustum Manichæum, quantò potuimus labore conscripsimus*. Et cap. ultimo: *Ordinatissimè quippè provenit, ut matri vestræ jam grandævæ de Oratione Epistolam scriberem .... Virgo autem Sancta proles vestra, si aliquid de suâ professione desiderat, ex laboribus nostris habet grandem Librum de Sancta Virginitate, quem legat*. Ex quibus Erasmus, & Hosius refelluntur, qui eò propendent ut Librum illum Juliano potiùs, quàm S. Augustino tribuant; & Pamelius in *Annotationibus ad Librum Tertulliani contra Hermogenem*; illum ùt incerti Auctoris fœtum laudans. Pro qua opinione Lindanus in Panoplia Lib. IV. cap. XVIII. argumentum non leve sibi suppetere existimat ex Concilii Carthaginensis quarti, cui S. Augustinus subscripsisse legitur, Canone CIV. quo statutum est ut Viduæ, quæ se Domino devoverant suscepto religioso habitu, si ad nuptias sæculares sive secundas postea transierint, *Sine Christianorum communione maneant, & crimine adulterii notentur*. Contra verò Author Libri *De Bono Viduitatis* cap. x. & XI. eos redarguit, qui putant, *Lapsarum à sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia, sed adulteria, & eas volunt à maritis separatas reddere continentiæ*. Verùm S. Augustinus hîc ab illo Carthaginensi Canone non dissentit, qui talium quidem Nuptias adulteria censeri non patitur, sed ipsos tamen à Sancto proposito lapsus adulteriis pejores asserit. Itaque non prohibet quo minùs nubentes post votum excommunicatione plectantur, periode atque adulteræ, dummodo earum matrimonia non dirimantur. Nihil aliud adversùs lapsarum nuptias statutum reperitur antiquorum Conciliorum Decretis. In hanc rem celebris est Canon Concilii Chalcedonensis decimus-sextus, quod quidem Concilium annis aliquot post S. Augustini obitum celebratum est. *Si qua*, inquit, *Virgo se dedicaverit Deo, similiter & Monachus, non licere eis jungi nuptiis: si verò inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus verò posse in eis facere humanitatem, si ita probaverit loci Episcopus*. Iis ergo temporibus votum nondum erat impedimentum dirimens Matrimonium ex Ecclesiæ Disciplina. Hujus Opusculi mentionem non fecit S. Augustinus in Retractationum libris, quia in modum Epistolæ conscriptum est. Id propterea Possidius cap. VII. inter Epistolas recenset hoc titulo: *Julianæ, de Sancta Viduitate*.

Nescio an vigilaret Rivetus, cùm librum *octo Quæstionum*, sive *de octo Dulcitii Quæstionibus*, (nullus enim alius 8. Quæstionum liber extat Tom 4. S. Augustini) inter dubios ejusdem fœtus recenset, quem S. Doctor ut suum agnoscit Lib. 2. Retractationum, cap. 65. *Liber*, inquit, *quem prænotavi de octo Dulcitii Quæstionibus, non esset in hoc Opere commemorandus inter Libros meos, cùm sit confectus ex iis quæ a me in aliis antea conscripta sunt, nisi & disputationis aliquid à nobis interpositum reperiretur in eo, & uni earum Quæstionum, non ex Opusculo alio meo responsionem, sed tunc, quæ potuit occurrere, reddidissem*.

Meritò rejectus est in appendicem à Lovaniensibus, Liber *Viginti unius Sententiarum*, qui nihil habet S. Augustini, præter Caput tertium, quod est Epistola ejusdem *Ad Lampadium*. In quâ tamen Impostor verba aliqua detorsit ad usum deterioris ævi, *quàm citiùs*, pro *quantociùs*; *joculatorem*, pro *jocantem*. Ex variis Auctoribus, etiam Poëtis, congestæ sunt illæ Sententiæ. Multa in eo Libro indocta sunt, præcipuè divisio quæ habetur *Sententia* 13.

65. *Quæstionum Dialogus, sub titulo Orosii percontantis, & Augustini respondentis*, nihil nec Orosianæ, nec Augustinianæ dictionis habet. Quæstione 32. *Quatuor mortes in Scriptura sancta evidenter ostendi*, ait: Primam esse animæ in corpore peccantis: secundam corporis anima privati: tertiam animæ ad damnationem exeuntis: quartam corporis cum animâ damnatâ denuo conjuncti. Quæ divisio & notioni secundæ mortis à S. Joanne traditæ *Apocalypsis* 2. & 20. & ipsi S. Augustino repugnat Lib. 13. *de Civitate Dei, cap*, 2. & 12. Denique S. Augustinus laudatur *Quæstione ultima*, his verbis: *Namque præesse festinat, quidam Patrum eleganter expressit dicens; Sciat se non esse Episcopum, qui præesse cupit, non prodesse*. S. Augustini verba sunt Lib. 19. de Civitate Dei, cap. 19. *Intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse*.

Liber Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, quamquam sub S. Augustini nomine laudatus sit, & ab Episcopis Synodi Parisiensis anno 824. non est S. Augustini, à cujus Doctrinâ & à veritate in multis dissidet, præcipuè circa originem animæ, quam in corpore creari asserit, in honestumque putat, si animæ cum corporibus generari dicantur, ut anima nascatur ex anima. (*Quæst*. 23.) cùm circa hanc Quæstionem dubius semper & anceps hæserit S. Augustinus. Passim Angelos incorporeos supponit: quod non adeò exploratum habet S. Augustinus. Saüli non apparuisse verum Samuëlem asserit, sed diabolum assumptâ Samuelis larvâ, *Quæst*. 27. contra disertam S. Augustini Sententiam Lib. *De Cura pro Mortuis gerenda, cap*. 15. In Jephte debacchatur [a], eumque facinorosum vocat, ejusque votum nullâ ratione excusat: cùm S. Augustinus *Quæst*. 49. *in Librum Judicum*, dubitare de voto Jephte videatur, & illud humano demum errori, non facinori tribuat: & cum etiam errorem habere aliquam laudem Fidei agnoscat, nec prohibere quin inter Sanctos laudabilésque Viros ab Apostolo, *ad Hebræos* 11. recenseatur. *Quæst*. 56. Joseph filium fuisse Heli & Jacob, unius secundùm naturam, alterius secundùm Legem, improbabile esse ait: cùm S. Augustinus eam opinionem probabilem esse censeat, imò cæteris anteponat, *Lib*. 2. *Quæstionum Evange-*

[a] *Quæst* 41.

rarum Quæst. 5. Mariam Deiparam in morte Domini cum cæteris dubitasse asserit, contra S. Augustinum qui nullam de Matre Domini vult fieri mentionem, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini. *Quæst.* 106. Inter alia absurda, sex dies quibus à Deo conditus est mundus, figuram esse ait sex mille annorum, quibus duraturus sit mundus; quod tam à S. Augustino, quàm à veritate alienum est. *Quæst.* 109. Melchisedech Spiritum esse Sanctum asserit, quod S. Augustinus inter Hæreses recenset, Canonemque Missæ reprehendit: *Similiter*, inquit, *Spiritus Sanctus, quasi Antistes, Sacerdos appellatus est excelsi Dei, non summus, sicut nostri in Oblatione præsumunt.* Spectat illa verba Canonis: *Et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech.* Multos alios errores eo in Opere Lovanienses notant. Ab illis dissentimus in eo quòd *pelagianizare* illum Auctorem asserant. Quâ de re sunt relegenda quæ diximus *in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ 4. Sæculi*, cùm egimus de Hilarii Sardi Operibus, cui hasce Quæstiones vindicavimus, sicut & Commentaria in Epistolas S. Pauli quondam S. Ambrosio adscripta. Dissentimus pariter ab Erasmo & Lovaniensibus in altera ex rationibus propter quam hoc Opus S. Augustino abjudicant, quòd scilicet Quæstionem 105. *Se Romæ scripsisse dicat, quò post suum baptismum Augustinus non est reversus.* Id enim refellit Augustinus ipse Lib. 1. Retractationum cap. 7. 8. & 9. ubi Libros *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de Moribus Manichæorum, de Animæ quantitate, & de Libero Arbitrio*, se scripsisse testatur *cùm jam baptizatus Romæ esset*, quod mirum est fugisse viros doctos.

Quæst. 71.

Libri duo *de Deitate & Incarnatione Verbi*, S. Augustino indigni sunt. Cap. 3. non solùm fatetur se diaboli statum nescire, sed id etiam ab Ecclesiâ ignorari, nisi quòd *Apud plurimos ista habetur opinio, quòd Angelus fuerit iste diabolus, & apostata effectus, quamplurimos Angelorum secum declinare persuaserit, qui & nunc usque Angeli ipsius nuncupantur.* Cap. 4. non esse evidens ait Ecclesiasticâ Prædicatione, *Quid ante hunc mundum fuerit, aut quid postmodum erit.* Cap. 17. *Spiritus Dei*, inquit, *qui ferebatur super aquas, puto quòd non sit alius quam Spiritus Sanctus, secundùm quod ego intelligere possum: non tamen secundùm Historiam, sed secundùm intelligentiam spiritualem.*

Liber *De Trinitate & Unitate Dei*, incerti Auctoris est, stylo, & eruditioni Augustinianorum Operum longè dissimilis, vix boni Grammatici, ut probat illa phrasis cap. 3. *Quæ missio tamen esse opus Sanctæ Trinitatis, nulli sit Catholico dubitandum.*

Liber *de Essentiâ Divinitatis*, ex duobus primis Capitibus libri S. Eucherii *De formulis spiritualis intelligentiæ*, conflatus est.

Liber De Fide rerum invisibilium in appendicem rejici non debuit à Lovaniensibus.

Liber *De Fide rerum invisibilium*, perperam in appendicem rejectus est à Lovaniensibus, quem S. Augustinus suum agnoscit in Epistola ad Darium Comitem. *Misi*, inquit, *& alios Libros quos non petisti ... De Fide rerum quæ non videntur, de Patientia, de Continentia, de Providentia, & unum grande Volumen de Fide, Spe, & Charitate. Hos omnes, si dum es intra Africam legeris, judicium tuum mitte de illis*

Libellus *De substantia dilectionis & amoris*, à Lovaniensibus tanquam pium Opusculum commendatur; stylo tamen & dictione à genuinis S. Augustini Operibus longè discrepat. Hic Libellus Hugonis à Sancto Victore nomen in plerisque MSS. præfert. Inter Ejus Opera subnectitur libro qui inscribitur, *Institutiones Catholicæ in Decalogum*, illumque inter Hugonis Opera recenset Trithemius Abbas.

Liber De vera & falsa Pœnitentia non est S. Augustini.

Liber *De vera & falsa Pœnitentia*, non est S. Augustini, cui illum post Gratianum & S. Thomam tribuerunt Bunderus, Navarrus, & Illustrissimus Tullensium Episcopus D. du Saussay in Lib. *De Laudibus S. Andreæ Apostoli.* Mirum est illos non animadvertisse, hujus libri Auctorem cap. 17. S. Augustinum nominatim citare, ab eoque dissentire. Mirum quòd non viderint quàm barbaræ sint, & ab Augustiniana dictione alienæ istæ phrases: *Naaman per aquam perdidit lepram.* (Cap. 3.) *Petrus Dominum negavit, & à se amicos Christi excommunicavit.* (Cap. 4.) *Pœnam promittere.* (Ibidem & cap. 6. & 7.) *Ad Deum anxiari.* (Cap. 8.) *Melior quam potest confiteatur.* (Cap 10.) *Oportet peccatorem ut in Pœnitentia fructificet.* (Cap 17.) Mirùm est quòd non attenderint quàm pugnent cum S. Augustino illa verba cap. 8. *Pœnitentia baptizandis non est necessaria*, cùm S. Doctor Homilia 27. scripserit: *Neque ad baptismum quisquam bene accedit, nisi agendo Pœnitentiam de vitâ pristinâ.* Quod confirmat *Homilia* 50. Quid quòd ipse sibi repugnat libri hujus Auctor eodem in Capite scribens: *Sine pœnitentiâ nulli profuit baptismus, qui peccavit extraneus?* Mirùm est, quòd non viderint quàm alienum in sensum sacram Scripturam hic Auctor detorqueat Cap 5. *Quòd*, inquit, *omnibus promisit indulgentiam, aliis promissionibus declarat: Qui me confessus fuerit coram hominibus, id est, omnis quantuscunque & quotiescumque peccator, cujuscumque ordinis, etiamsi fuerit Sacerdos, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hanc interpretationem & ipsa loci series, & S. Augustinus subvertit, *Lib. Quæstionum Evangelicarum secundum Matthæum.* Notandum enim esse ait: *Confessionem poni in laudem Dei. Non enim peccata Dominus confitebatur, quæ nulla habebat, cùm dixit: Confiteor tibi Domine Pater cœli & terræ. Ergo confessionem vocat Scriptura generaliter, quicquid manifestè, sicut cernitur, enuntiatur. Nam & illud quod ait: Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Non utique peccata confitetur, qui Christum confitetur.* Non minus aliena sunt à Scripturæ sensu, quæ habet Auctor ille cap. 11. *In Petro, & Joanne, & Jacobo, & Patre & Matre puellæ.* (Lucæ 8.) *figuraliter continentur Sacerdotes Ecclesiæ.*

Liber *De Salutaribus Documentis*, Auctoris imperiti est. Statim initio libri nescire se ait, quod vult docere. Cap. 3. Esse ad imaginem & similitudinem Dei, nulli alteri creaturæ ab homine convenire asserit, quod falsum est, cùm id & Angelis conveniat. Cap. 7. *Charitatem quæ deseri potest nunquam fuisse veram* affirmat. *Diabolus est mendacium*, (inquit cap 60.) *sicut verissima veritas Dominus noster Jesus-Christus in Evangelio Joannis loquitur.* At diabolum mendacem quidem, & mendacii Patrem Christus dixit, non verò *mendacium*. Paulino tamen Forojuliensi Episcopo tribuitur in MS. Codice Colbertinæ Bibliothecæ, optimæ notæ, & antiquissimæ Scripturæ: sed in aliis MSS. ipsius Paulini sæculo exaratis: tribuitur S. Augustino, cujus etiam nomine citatur à Gratiano Dist. 11. *De Pœnitentia*, cap. *Si quis*, ibique, uti & apud Trithemium, nuncupatur *Augustini ad Julianum Comitem Epistola.*

Liber *De Amicitia*, ejusdem furfuris est. Cap. 8. *Stultus*, inquit, *fuit Paulus, qui voluit sine causa & sollicitudine vivere.* Cap. 23. pugnantia loquitur: *Plerosque*, inquit, *omni affectu amplectimur, quos tamen ad amicitiæ secreta non admittimus.* Et ibidem. *Nihil occultat amicus, si verus est: effundit animum suum, sicut effundebat mysteria Patris Dominus Jesus.* Opusculum *De Amicitia* in modum Dialogi conscripsit, & in tres Libros digessit *Ælredus* Rhievallensis Abbas in Anglia, quod quidem inter alia ejus Opera prælo edita sincerum exhibetur & integrum; hic verò in epitomen contractum est ab homine otioso, qui non modò stylum Authoris ac methodum non servavit, sed ejus quoque sententias mutavit passim

&

& insigniter interpolavit. Nam ea interdum quæ Ælredus ex interlocutoris persona quærenda proponit, mox à se explicanda vel refellenda, proferuntur hîc absolutè & contra ipsius mentem asseruntur. Sic illud caput IV. *Sed multi abutuntur sapientiâ*, adeò alienum est ab Ælredi doctrina, ut ipse contra disertè probat, *Nullum sapientia abuti*.

§. V.

De Tomi V. Libris.

COmplectitur Tomus V. Libros 22. S. Augustini *De Civitate Dei*: quos jam Episcopus conscripsit, post illatam ab Alarico Rege Gothorum Romæ cladem. De iis consule *Librum* 2. *Retractationum* cap. 43. Perperam Rivetus expositionem verborum Christi, *Non remittitur eis neque in hoc sæculo, neque in futuro*, quæ habetur lib. 21. cap. 24. assutam esse ait, quòd non extet in antiquis Libris Brugensibus & Coloniensibus, neque in exemplaribus Friburgi excusis, teste Ludovico Vive in Scholiis ad eum Augustini locum. Sed, si ita esset, reponimus Rivero, in aliis melioris notæ Codicibus hæc legi, quos doctissimi PP. Benedictini Congregationis S. Mauri contulerunt. Sed cur Ludovici Vivis sequentia verba prætermisit malignus Auctor? *Et tamen*, inquit, *stylus non abhorret ab Augustiniano*. Et præterea tam benè cohærent omnia, ut nullum assutum huicce capiti pannum oculatus quisquis comperiat.

Temeritas Riveti castigatur.

Non minori temeritate scripsit Rivetus, cap. 8. Libri 22. Miracula multa narrari, quæ omnia non sapiunt exactam judicii limam, quam in aliis Augustini Operibus lectores sagaces observant, citatque Ludovicum Vivem in Scholiis ad hoc caput dicentem: *In hoc capite non dubium quin multa sint addita velut declarandi gratiâ, ab iis qui omnia magnorum Auctorum scripta spurcis suis manibus contaminabant.* Sed hanc Ludovici Vivis notam non ad miracula, sed ad quædam glossemata referenda esse, compertum est ex sequentibus ipsius verbis, quæ Rivetus malignè suppressit; *Quorum*, inquit, *alia resecabo, alia more meo contentus ero velut à giro indicasse.* At miraculorum narrationem nec resecavit ille, nec leviter quidem indicavit sibi esse suspectam: imò eam suis Commentariis illustrat.

Tandem celeberrimorum narrationem illam miraculorum esse sancti Augustini, constat ex Relatione sequentis Capitis ad istud. Capite enim nono hæc habet Sanctus Doctor: *Cui nisi huic Fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in Cælum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres hujus Fidei Martyres, id est, hujus Fidei testes fuerunt.... Pro hac Fide processit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur.* Similia miracula refert ac prædicat Sermone 39. *De diversis*.

§. VI.

De Pseudepigraphis Tomi VI.

LIbri *De Hæresibus* quamvis S. Augustinus in Retractationibus non meminerit, quia absolutis Retractationum Libris conscriptus est, meminit Possidius in Indiculo, ipsumque vocat, *De Hæresibus ad Quodvultdeum, imperfectum Opus*; quia S. Augustinus in Præfatione duo promiserat. Primò se enumeraturum omnes Hæreses, quæ post Christi adventum atque Ascensum ad sua usque tempora extitissent: secundò se disputaturum quid faciat Hæreticum. Secundam verò illam promissionis suæ partem non explevit.

Concio ad Cathecumenos contra Judæos, Paganos, & Arianos, non est S. Augustini. Stylus ab Augustiniano longè discrepat, qui nec ita numerosus est quibusdam in locis, nec ita barbarus in aliis. S. Leonis, aut Gregorii Magni stylum imitatur illud exordium: *Inter pressuras atque angustias præsentis temporis, & nostra officia servitutis, cogimur, Dilectissimi, non tacere: cum potius expediat flere magis quam aliquid dicere.* At istud dictionis genus quô nomine meliùs vocem, quàm numerosam barbariem? *Cum potius expediat flere magis.* Ejusdem elegantiæ specimen in verbis sequentibus videre est: *Verumtamen ne quid minùs lucri arca Dominica accedens, dicatur nobis: Serve nequam & piger, tu erogares pecuniam meam, &c.*

Oratio contra Judæos, Paganos, & Arianos, S. Augustino indigna.

Quàm puerilis & inepta hæc apostrophe ad Apostolos: *Apud vos itaque, Petre, Paule, Joannes, cæterique Sancti consiliarii veri Judicis, amici summæ potestatis, causam exponimus, quam optimè nostis, hujus pauperis & pupilli, generis scilicet humani, qui ex paterno chirographo debitor inventus est reus.... Non est aliud quemadmodum huic subveniatur, nisi ex vestro consilio. Quid itaque in hoc negotio Serenitati vestræ videatur pro hujus miseri libertate, ex communi tractatu, utinam pro eo dignemini proferre sententiam.* Scilicet, non satis subvenerat Christus humano generi? Non media præscripserat, ac instituerat omnia ejus liberationi necessaria? Quàm bellè verò conveniet Apostolis hic titulus, *Serenitati vestræ!* Ex lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 23. Sibyllinos versus exscribit hujus Orationis Auctor; sed in eis applicandis nullius se judicii probat. Nam & illorum auctoritatem adversùs Judæos nullam esse nosse debebat: & illum Virgilii versum:

Jam nova progenies cælo demittitur alto:

à Poëta dictum esse in laudem Salonini Pollionis filii, non Christi. Unde & S. Augustinus Epistola 254. ad Nectarium vocat illam Virgilii Eclogam *Carmen adulatorium*, non Propheticum; & dictam *Viro nobili* (utique Pollioni) non Christo. Proinde falsò ait istius Orationis Auctor, Poëtam illum hoc Carmine *Testimonium Christo perhibuisse*. Hallucinatur etiam, cùm Sibyllinorum Versuum talem facie Acrostichim, Ἰησοῦς χρειστὸς υἱὸς θεοῦ σωτὴρ, Debebat enim scribere, θεοῦ υἱὸς, ut ex elementis capitalibus conficeretur ἰχθὺς, ut observavit S. Augustinus libro & cap. laudatis *de Civitate Dei*. Denique cap. 22. Synagogam ineptâ hac apostrophe compellat; *Frustra tibi Ecclesia nomen imponis. Judæa subdola, decipiens, quia decepta. Arius abstulit integritatem tuam.* Quid Ario cum Synagoga? *Frustra enim illum sponsum vocas, qui non est tuus: turpem enim viduam non accipit Christus.* Quòd Synagoga illa perduellis & cæca, Christum sponsum vocet, perabsurdum est. Subjungit: *Redi: redi, repudiata redi, confusa redi, serpentis fraudibus violata redi, non divinitate cælesti composita, sed humanis assertionibus reconventa redi.* Quàm putida phrasis! quàm boni sensûs expers! Christus Synagogam non accipit, etsi ipsum sponsum ambiat, secundùm hunc Auctorem, & tamen ipsam hortatur ut redeat. Sed quid sibi ista volunt, *Non divinitate cælesti composita, sed humanis assertionibus reconventa?* Istane S. Augustini ingenium, dictionem, eruditionem sapiunt?

Postrema edit. 104.

Perperam aliqui ad hunc librum, & sequentem *contra Judæos* Orationem, pertinere putant verba illa Possidii in Indiculo: *Adversùs Judæos Tractatus duo.* Illi enim Tractatus, seu Conciones, sunt Sermones 234. & 235. de tempore. Quæ verò inscribitur *Adversùs Judæos Oratio*, à Venerabili Beda, qui multoties eam laudat, *Liber adversùs Judæos*, nuncupatur. Et sanè stylus nequaquam Oratorius, Orationem prohibet appellare.

Liber *De Fide*, sive *de unitate Trinitatis contra Manichæos*

Manichæos, non videtur esse S. Augustini : cùm nec ipse in Retractationibus, nec Possidius in Indiculo, ejus meminerint: nec stylus cum Augustiniano prorsus conveniat : & MSS. nonnulli Codices, præsertim Corbeiensis, illum Evodio Uzalensi Episcopo tribuant, ut testatur P. Sirmondus *Historia Prædestinatiana cap.* 1.

Liber Contra Felicianum Arianum non est S. Augustini.

Liber *contra Felicianum Arianum*, quamvis S. Augustini nomine à Beda, Alcuino, & Lanfranco laudetur, non videtur esse S. Augustini : cùm nec ipse in Retractationibus, nec Possidius in Indiculo, illum agnoscant : & stylus longè discrepet ab Augustiniano, sive in libro *contra Sermonem Arianorum:* sive in lib. *contra Maximinum.* Præterea S. Augustino minimè conveniunt, quæ in exordio libri leguntur : *Extorsisti mihi, ut de unitate Trinitatis aliquid scriberem : idque à me, cum propriæ infirmitatis conscius sæpius excusarem, multis modis exegisti, &c.* At nec tortura Augustino adhibenda fuit, ut de Trinitate scriberet, nec se excusavit ab hujus tractatione argumenti, aut illum deterruit propriæ infirmitatis conscientia, cum libros 15. de Mysterio composuit, & libros contra Maximinum disertissimos, & contra Sermonem Arianorum. Tertiò totam illam disputationem esse confictam argumento est, quòd Felicianus contra morem omnium Hæreticorum disputantium, nimis tribuat, nimis concedat adversario. Cap. 2. fatetur, Augustino *Fidei scientiam non deesse.* Cap. 5. *Se concludi arte disputandi.* Cap. 7. ad Confessionem ejus, quod S. Augustinus dixerat ex Fide Catholica, *Ex substantia Patris extitisse Filium*, necessitate se compelli. Nec faciet satis, qui responderit, Felicianum S. Augustini disputatione ad Fidem Catholicam conversum. Nam si ita se res habuisset, non scripsisset contra ipsum, sed potiùs ad ipsum, vel, *De Actis cum Feliciano* librum illum inscripsisset, sicut Disputationem habitam cum Felice Manichæo in scripta redigens, librum suum inscripsit, *De Actis cum Felice*, quia ipsum ad Fidem Catholicam adduxerat. Vigilio Tapsensi hunc librum Viri Eruditi tribuunt, qui sicut S. Athanasii; ita & S. Augustini nomine, plures suos libros inscripserit : quos unius partus esse Auctoris, stylus indicat.

Dialogus de Altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ, ab omnibus Eruditis rejicitur ut spurius S. Augustini fœtus, ob styli discrepantiam, & quòd nec à S. Augustino, nec à Possidio, nec à Beda sit agnitus : quòd multa contineat S. Augustini ab ingenio & eruditione aliena : quorum ecce tibi specimen : *Mulieres quæ circumcidi non possunt, nec Judæas, nec Christianas, sed Paganas esse profiteor.* (Sic loquentem Ecclesiam inducit.) *Audi, doceo te clarissime circumcisionis insignia, quam circumcisionem si accipere potuisses, nunquam prodigium de regno perpeti cecidisses.* Et infrà : *Vides ergo te non accepisse in signum salutis circumcisionem, sed in signum potius pudoris & turpitudinis. Nam putas signum esse quod vestitu tegitur, quod præ verecundiâ non profertur, quod uxori tantummodo debitum esse cognoscitur, quia officinas & mulieres tuas depilato capite ac decalvato, in asinis sæpe vidi damnatas.* Attende verò ad elegantem parenthesim: *Et in Deuteronomio (quia Pentateucho utebaris.) Et erit*, inquit, *vita tua pendens ante oculos tuos, &c.* Expende & modum citandi Scripturam ab Augustini more alienum : *Meritò & in* βασιλειῶν, *id est, Regnorum, 4. 1., &c.* Quàm rursùs à veritate aliena illa Ecclesiæ ad Synagogam verba ! *Scio quia tibi quondam Romanus orbis intremuit... Romana tibi terra subjacuit.*

§. VII.

De Pseudepigraphis Tomi VII.

Liber Contra Fulgentium Donatistam S. Augustino suppositus.

Librum *Contra Fulgentium Donatistam*, non esse S. Augustini, jam convenit inter Eruditos. Id validis rationibus demonstrant Lovanienses, aliique Censores doctissimi. 1. Quod nullius libri à se hoc de argumento editi meminerit, quod tamen in aliis plerisque libris contra Donatistas præstare solet. 2. Quia paulò-post initium totam adversarii disputationem in tres dividit partes, quas ex ordine refellendas sibi sumit; scilicet de uno Baptismo, de unius horti fonte signato, de oleo uno, quod muscæ morituræ exterminant. Quæ divisio inepta est, & contra Dialecticæ leges peccat, quia ad unum Baptismi caput duo membra postrema revocantur. Et multa alia hoc in libro tractantur, quæ nullum hac in partitione locum habent, scilicet bonorum & malorum in Ecclesia commixtio, Codicum Sacrorum traditio, Cæciliani caussa, &c. 3. Confusa in rebus tractandis methodus. 4. Citatio Scripturæ sacræ interdum secundùm Vulgatam Versionem, plerúmque aliis verbis quàm citare soleat S. Augustinus, ipsa quæ hoc in libro proferuntur, loca; & interpretatio S. Augustini menti aliis in locis repugnans. 5. Stylus & dictio S. Augustini stylo & dictioni longè dissimilis est. Cap. 1. utitur verbo *admiror*, pro *intelligo*. Ibidem : *Tam forti*, inquit, *obice sumpsisti*. Ibidem : *In domo confugere compellamus.* Cap. 2. *Vos et per omnia similatis* pro *similamini*. Cap. 9. *Interpretes malo desuper* : id est, malim audire explicationem *aliorum*. Cap. 24. *Ut vos à suis Basilicis depulisses*, pro *depelleres*. 6. Quia Donatistis multa tribuit hic Auctor, quæ non tribuisset S. Augustinus. Cap. 2. ait, Donatistas *Deum metuere ac divinam legem servare.* Et cap. 1. Fulgentii validissima esse ait argumenta : cùm eadem S. Augustinus aliis in libris velut levissima sugillet ac explodat. Denique nonnullæ sunt eo in libro sententiæ, aut loquendi modi, S. Augustini doctrinæ, vel mori loquendi planè contrarii. Cap. 1. *Pertinaces anathemate condemnemus, ut hactenus victores esse possimus.* Cap. 2. *Donatistarum Baptisma* vocat; quod dicendum esse negat S. Augustinus *lib. 2. contra Petilianum. cap.* 37. & alibi: nec usquam sic vocat, nisi hâc aut simili additâ correctione : *Imò non vestrum, sed Christi.* Cap. 3. ait : *Multos contra regulam datæ legis baptizare.* At S. Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donatistas, cap. 26. ait *Faciliùs inveniuntur Hæretici qui omnino non baptizent, quàm qui Evangelicis verbis non baptizent.* Et ipse hujus libri Auctor pugnantia loquitur. Ait enim cap. 4. *Hæretici omnes licet in sua sibi disputatione discordent, in Baptismi tamen traditione solemni verbo concordant.* Cap. 10. ait : *Certum est quòd Sacerdotis & plebis execratur Deus ac despiciat holocausta, si bona non adfuerit conscientia.* At S. Augustinus inter sacrificium, & vitium offerentium diligenter distingueret. Cap. 12. ait Silvanum Cirtensem tradidisse Felici Curatori *Sacramenta.* At tradiderat tantummodo *Capsulam argenteam, & lucernam argenteam*, ut habet S. Augustinus lib. 4. contra Cresconium cap. 56. Cap. 22. citat *Gesta Marcellini*, pro quibus S. Augustinus semper ait : *In Collatione nostra, quam vobiscum, vel cum eis habuimus.* Cap. 23. ait, *Ananiam & Sapphiram occisos à S. Petro.* At sic locutus non esset S. Augustinus, qui Epistola 163. * scripsit, *De Novo Testamento ostendi non posse, quòd justum quisquam interfecerit aliquem.* Cap. 16. exprobrat Donatistis, quòd transgrederentur *Mandatum seniorum*, ut suas statuerent traditiones. At S. Augustinus ipsis, ut existimo, potiùs objecisset ipsa Christi verba, Matth. 15. *Quare transgredimini mandatum Dei?* propter

* Postrema edit. 44.

propter traditionem vestram? Denique Marciani Donatistæ sententiam in Concilio contra Cæcilianum refert, S. Augustino incognitam. Africanum fuisse hujus libri Auctorem, ex stylo conjiciunt Lovanienses. Vigilii Tapsensis ingenium ac venam sapit.

Libri sex Hypognosticon non sunt S. Augustini, sed incerti Auctoris. Hypomnesticon, id est, Commonitorium inscribendum potius hoc Opus ex Remigio Lugdunensi constat.

Libri sex *Hypognosticon*, non sunt S. Augustini. Id demonstrant styli dissimilitudo; Scriptura secundùm S. Hieronymi Translationem laudata: S. Augustini *in Retractationibus*, Possidii *in Indiculo*, S. Prosperi, S. Fulgentii, Bedæ silentium. Nonnulla denique à S. Augustini doctrinâ prorsùs aliena. Libro enim 4. cap. 2. ita legit ex 3. cap. Genes. v. 7. *Consuerunt folia fici, & fecerunt sibi tegumenta.* Quam versionem tanquam faventem Pelagianis impugnat S. Augustinus, & pro tegumentis, seu vestimentis, contendit legendum: *Succinctoria.* Lib. 2. De Nuptiis & Concupiscentia, cap. 30. lib. 5. contra Julianum, cap. 2. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 16. *Stimulum carnis*, ex S. Paulo (2. *Cor.* 12.) exponit *Concupiscentiam.* At S. Augustinus Enarratione in Psalmum 130. stimulum illum interpretatur *dolorem quemdam corporis*, quo Apostolus exagitabatur vehementer. Lib. 6. cap. 2. Prædestinationem ex prævisione operum esse docet: quod Augustinianæ doctrinæ repugnat, Bellarmino etiam fatente. Accedit Remigii Lugdunensis Archiepiscopi auctoritas, *lib. de tribus Epistolis, cap.* 35. ubi contra Hincmarum Archiepiscopum Remensem, qui ejus libri auctoritate utebatur, ut probaret erroneum esse asserere, impios prædestinatos esse ad interitum, sive impiis prædestinatam esse pœnam: *Ipse*, inquit, *supra memoratus Libellus manifestissimis indiciis non se S. Augustini esse apertè ostendit, quia nec præfationem aliquam in initio sui gerit, ubi se ab aliquibus rogatum, vel sibi necessario visum, ut de tali re, id est, prædestinationis verbo, in suis Libris corrigenda, sive aliter exponendo, aliquod novum Opus scriberet, & significasse invenitur, nec ulla talis necessitas extitisse cognoscitur, ut de illis quinque Quæstionibus, de quibus tam multa, & tam multipliciter in libris præcedentibus disputaverat, iterum novo Opere disputare cogeretur. Sed & ipse Sermo ab eloquio S. Augustini multùm discrepat: & sensus ab illius sensu non parùm inferior habetur; & modestia atque humilitas morum, & sermonum ejus, non ibi servatur. Et testimoniis ex Hebraica Translatione, quam B. Hieronymus edidit, præter ejus consuetudinem contra illos Hæreticos utitur; quod ille ex antiqua potius Editione facere consuevit. Et prorsus de tanto viro sentire indignum est, ut verbum & sensum Prædestinationis, quem omni tempore in suis Scriptis & Prædicationibus tenuit & commendavit, & quem in Libris Retractationum nequaquam reprehendendo utique approbavit, in hoc Libello evacuare & destruere inveniatur.... Unde magis credibile est, quòd non parvo spatio post ejus obitum, à quodam alio scriptus sit, & magnâ ex parte juxta modum & formam sensuum ejus, contra Pelagianos & Cælestianos Hæreticos de illis quinque periculosioribus eorum quæstionibus breviter collectus, atque digestus. Et quia Auctor ejus ipsius B. Augustini sensus brevi isto Opusculo velut in unum collegisse, & explicuisse videtur, ideo ipsi Opusculo nomen S. Augustini in titulo præferre voluerit: non quòd verè ab illo sit editus, sed verè, (in quantum Auctor ejus potuit) juxta formam disputationum ejus digestus atque compositus. Velut si eumdem Libellum Latinè Memoratorium sancti Augustini appellare voluisset, nihil utique aliud intelligeretur, nisi quia illud quod ab eo sparsim & multipliciter fuerat disputatum, breviter & velut sub uno aspectu positum memoriæ commendaret.* Et in Libro *De Tenenda Scripturæ Veritate*, cap. IX. de eodem libro scribit: *Manifestissimè prædicti Doctoris sensibus, immò Catholicæ sinceritati probatur adversus, nec ipso stylo ullatenus cum ejus eloquio consonat.* Iisdem argumentis utitur *Prudentius* Episcopus Trecensis contra Joannem Scotum, Lib. *De Prædestinatione*, cap. XIV. ubi librum *Hypomnesticon* non esse S. Augustini probat. Hunc Sixto Presbytero Romano, qui Celestino I. in Sedem Apostolicam successit, nonnulli tribuendum conjiciunt: alii Mario Mercatori. Cujus sit, incertum est.

Liber De Prædestinatione & Gratia, non est S. Augustini.

Librum *De Prædestinatione & Gratia*, non esse S. Augustini, cùm styli dissimilitudo probat, tum hæc sententia à S. Augustini doctrina aliena: *Si humanum genus, quod creatum primitùs constat ex nihilo, non cum debito mortis, & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum; quis omnipotenti Creatori diceret: Quare fecisti sic?* Contra verò S. Augustinus lib. 3. contra Julianum cap. 8. *Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Et Epistola 106. ad Paulinum. *Quemquam verò innocentium, & nulli peccato obnoxium, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Hunc librum S. Fulgentio asseruit Sirmondus in Editione Opusculorum ipsius Parisiis curatâ, anno 1613. Sed injuriâ, ut aliàs ostendimus.

* Posteriorum edit. 186.

Liber De Prædestinatione Dei S. Augustino prorsus indignus.

Liber *De Prædestinatione Dei*, magis indignus est S. Augustino. Ipsum exordium [illegible] argumentum est, *De Prædestinatione Dei locuturi, anxietatibus quibusdam involvimur, quia dum conscientiam nostrâ stoliditate perscrutamur, ab appetitu tam arduæ disputationis reprimimur, &c. Prædestinationum*, (sic enim in plurali loquitur) *alias esse ait ab æternitate: alias conditionis; istas justitiæ, illam potentiæ.* Primi generis esse ait, *Cœli* prædestinationem ut semper volvatur, *Terræ*, ut immobilis sit; Solis & Lunæ, ut nocti & diei præsint; diei & noctis ut sibi in invicem succedant. Secundi generis esse ait, *Prædestinationem hominis*, quem creavit Deus & prædestinavit, ut si obediens esset, in vita permaneret; si inobediens, mortis sententiam subiret. Mortem ipsam ait à Deo prædestinatam. *Prædestinationes conditionis, alias ad gloriam, alias* esse ait *ad pœnam.* Quod sic explicat. *Quos enim Deus suos fidei operæ futuros esse præscivit, hos prædestinavit ad gloriam: quos absque correctione diabolica persuasione militaturos esse præscivit, hos pro certo prædestinavit ad pœnam.* Quæ omnia quantùm à S. Augustini doctrinâ aliena sint, nemo non videt. Tandem se tenuis admodum literaturæ Auctor ostendit, cum *literaturam* pro litera, seu textu Scripturæ sacræ usurpat, & *reconciliationem* pro concordia textuum: *Opponenti; Mortem Deus non fecit unquam: Oppono, Mors & vita à Deo est. His quippe oppositionibus in literatura nulla reconciliatio est; in intelligentia nulla repugnantia.*

§. VIII.

De Pseudepigraphis Tomi VIII. & IX.

ENarrationes omnes in Psalmos sunt S. Augustini germanum Opus. Ipse namque in præfatione Psalmi 118. omnes Psalmos, sive concionando, sive dictando, se exposuisse testatur. Præfationes duas, quæ Psalmorum expositioni præponuntur, in MSS. desiderari monuerunt Lovanienses. Primam non esse S. Augustini evidens est. Idem erit judicium de secunda, quæ est ipsa S. Basilii ad ejus commentarium in Psalmos Præfatio ex interpretatione Rufini. Incipit, *Omnis Scriptura.*

Liber Meditationum, non est S. Augustini.

Liber *Meditationum* non est S. Augustini. Spurium esse probat 1. dissimilitudo styli, vocúmque S. Augustino incognitarum usus, scilicet *recuperare*, pro *repetere*: *proles, soboles, progenies*, more Poëtico,

co, pro *Filio Dei*; *Proficuum*, pro *utili*; item *tumidare*, *morbidare*, & alia id genus barbara vocabula 2. Multa ex S. Augustino *in Confeſſionibus* mutuatur & interpolat. Inter alia, quod *lib.* 1. *Confeſſionum cap.* 1. dixit S. Augustinus Deum alloquens: *Laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ*, Meditationum Autor Cap. 33. ſic interpolavit *Laudat te homo, magna portio creaturæ tuæ.* 3. Ex Officio Eccleſiaſtico multas lacinias hoc in Opere conſuit cap. 14. 15. 17. 27. 33. 35. 39. 4. Hymnus *de gloria Paradiſi* cap. 26. deſcriptus, B. Petro Damiani vulgò tribuitur. Unde Libellus iſte Meditationum collectitius videtur. 5. Fatetur pius hic Meditator cap. 31. *Fidem ſuam ab ipſis incunabulis illuminatum ſemper per illuſtrationem gratiæ divinæ.* Quod de ſe nec dixit, nec dicere potuit S. Auguſtinus; qui Manichææ tenebris Hæreſeos fuit excæcatus. Denique cap. 39. & 41. ubi ſuorum peccatorum meminit, ſolum originale commemorat, quo fuerit antè Baptiſmum inquinatus; poſt Baptiſmum verò multa & gravia: quod S. Auguſtino non convenit. Ex Orationibus ac Meditationibus *S. Anſelmi* Cantuarienſis Archiepiſcopi nomine vulgatis, ſive potiùs ex Libello Joannis Fiſcanenſis Abbatis, Agneti Imperatrici, Henrici III. Imperatoris Viduæ dicato, quem exhibet vetus Codex MS. Abbatiæ Metenſis *S. Arnulfi*, hujus libri 24. capita exſcripta ſunt, à duodecimo ſcilicet ad trigeſimum ſeptimum, excepto vigeſimo ſexto.

Expoſitio in Apocalypſim, non eſt S. Auguſtini. Tychonio Donatiſtæ nonnulli tribuunt; quod in eâ reperiantur penè omnia, quæ ex Tychonio citat Venerabilis Beda; ſed cùm nec omnia in ea legantur, quæ Beda ex Tychonio excerpſit, & nonnulla habeat quæ ipſius Bedæ ſunt, non Tychonii, argumento eſt non Tychonium, ſed recentiorem Beda Auctorem hanc Expoſitionem edidiſſe. Præterea S. Auguſtinus libro 3. *de Doctrina Christiana*, *cap.* 30. hæc de Tychonii in Apocalypſim Commentariis habet, quæ iſti minimè conveniunt: *In Apocalypſi Joannis quærit, quemadmodum intelligendi ſint Angeli Eccleſiarum ſeptem, quibus ſcribere jubetur; & ratiocinatur multipliciter, & ad hoc pervenit, ut ipſos Angelos intelligamus Eccleſias. In quâ copioſiſſimâ diſputatione, nihil eſt iſtarum Regularum.* Accedit quòd in hoc libro adversùs Donatiſtarum Hæreſim exponuntur de induſtria Sententiæ complures, & Baptiſmi repetitio, quæ Hæreticis illis in uſu erat, paſſim improbatur, velut Homilia VI. ad Apocalypſis cap. VIII. Verſ. 11. Magna pars hujus Expoſitionis ex Commentario ſub nomine Victorini Martyris edito, necnon ex Primaſii & Bedæ verbis concinnata eſt.

Libri 4. De Symbolo ad Catechumenos, non ſunt S. Auguſtini.

Quatuor libri *De Symbolo ad Catechumenos*, non videntur S. Auguſtini, ſed primus duntaxat. 1. Quia eorum non meminit in Retractationibus, ſicut meminit libri *de Fide & Symbolo*. 2. Poſſidius meminit trium S. Auguſtini Tractatuum ad Catechumenos, non quatuor. 3. Auctor libri tertii literalem rejicit expoſitionem trium dierum, & trium noctium ſepulturæ Chriſti: quæ tamen eſt vera S. Auguſtini expoſitio (*lib.* 1. *Quæſtionum Evangelicarum Quæſt.* 7.) quam ſequitur & Auctor libri quarti. 4. Horum librorum ſtylus ab Auguſtiniano longè abhorret. Lib. 2. cap. 2. nomen *Jovis* in nominativo uſurpat. *Illic fingitur*, inquit, *quòd idem Jovis Junonem habeat ſororem & conjugem.* Ibidem *ſcandaliſta* barbarum & S. Auguſtino ignotum vocabulum uſurpat. Lib. 3. cap. 2. *Limum* neutrius generis facit. 5. Ea habet libro 2. cap. 5. quæ nec S. Auguſtini ingenium, nec pietatem redolent. *Agnoſcat*, inquit, *& ejus adoleſcentiam*: (nempe Chriſti) *videat multa & magna miracula, converſionem aquarum in vinum. In quo primo miraculo tentavit illa fœmina jubere ſe Filio poſſe tanquam Mater Domina, quæ ſe agnoſcebat ancillam. Fili, ait, deficit illis vinum, fac rursùs ut aquæ convertantur in vinum.* 1. Chriſtum, qui triginta annos exceſſerat, adoleſcentem vocat. 2. Deiparæ Virgini peccatum actuale affingit, contra S. Auguſtini ſententiam. Si enim tentavit jubere ſe filio poſſe tanquam domina, muliebris vanitatis ac ſuperbiæ labem nonnullam paſſa eſt. Tertiò ſibi ipſi repugnat. Hoc enim primum Chriſti miraculum cum Evangeliſta vocat, & B. Virginem ſic loquentem nihilominus inducit: *Fac rursùs ut aquæ convertantur in vinum*: quaſi jam priùs miraculum ſimile edidiſſet. Denique Bellarminus Cardinalis hos libros inter cætera Opera poſuit, de quibus nihil certi habemus, quòd eos Poſſidius prætermiſerit, nec à Venerabili Beda laudentur. Tractatus autem tres *de Fide & Symbolo*, à Poſſidio recenſiti, inter Sermones editi ſunt.

Liber De diligendo Deo, S. Auguſtino ſuppoſitus.

Liber *De diligendo Deo*, non eſt S. Auguſtini, apud quem nec *gratioſum* pro *grato*, ſive referendarum gratiarum ſtudioſo, nec *mundialem* pro *mundano* uſquam leges, quemadmodum hîc uſurpatur: nec ſolœciſmum illi ſimilem, qui in limine Cap. 15. occurrit: *Anima mea, illa quibus tibi ſoli conſcia es, divinæ bonitatis inſpice munera.* Præterea, Cap. 12. laudat S. Hieronymum, & ejus ſententiam deſcribit: *Unde quidam Sanctus ait: Magna eſt dignitas Animarum, ut quæque habeat ab ortu nativitatis ad cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Non ſic S. Hieronymum citare ſolet S. Auguſtinus: *Quidam Sanctus*: ſed nominatim ipſum deſignat; *Presbyter Hieronymus.* 3. Angelum *creaturam incorpoream* vocat. Non ſic vocaſſet S. Auguſtinus, qui in eam magis opinionem propendet, ut corporeos Angelos aſſerat. Epiſt. 150.* ad Paulinum; in Enchiridio, cap. 59. Lib. 83. Quæſtionum, Quæſt. 47. Enarratione in Pſalmum 85. ad illa verba, *Eruiſti animam meam*, *&c.* & alibi ancipitem ea de re ſententiam ſuam teſtatur. 4. Quærit. cap. 1. qui ſint proximi quos diligamus? Et reſpondet: *Omnes homines, Chriſtiani, Judæi, Pagani, amici & inimici.* Angelos proculdubio S. Auguſtinus addidiſſet, ut conſtat ex *lib.* 1. *De Doctrina Chriſtiana cap.* 30. 5. Quærit cap. 2. quare diligendus Deus? Et reſpondet: *Pro beneficiis ſuis.* S. Auguſtinus aliquid ampliùs dixiſſet, Deumque gratis amandum aſſeruiſſet; ut Homilia 38. *Amicitiæ amor*, inquit, *debet eſſe gratuitus. Amicus gratis amandus eſt propter ſe, non propter aliud. Si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas, quàm gratis amandus eſt Deus?* Pleræque hujus libri Sententiæ ex *Hugone Victorino*, *S. Bernardo*, & *S. Anſelmo* defloratæ ſunt. Et quidem à cap. quarto ad undecimum nihil aliud nobis legendum præbet, quàm quod verbis iiſdem ac ferè totidem ſcripſit Hugo in Soliloquio *De Arca Animæ.* Alia itidem ſunt ex aliis Hugonis Opuſculis excerpta loca, plura etiam ex diverſis S. Bernardi Concionibus, & quædam ex Meditatione apud S. Anſelmum poſtremæ Editionis XVI. Denique cap. XVIII. exhibetur inſignis locus ex ipſius S. Anſelmi *Proſlogio.*

* Poſtremæ edit. 95.

Soliloquia Tomi IX. non ſunt S. Auguſtini, qui duos duntaxat Soliloquiorum libros, ante Baptiſmum compoſuit, qui habentur Tomo I. ut ipſe teſtatur *lib.* 1. *Retractationum*, *cap.* 4. Quorum & Poſſidius in *Indiculo* meminit, & à Venerabili Beda laudantur. Unde nugax eſt hæc indocti imprudentiſque Cenſoris admonitio Soliloquiis Tomi noni præfixa: *Cæterùm ſtudioſi examinent quò referenda ſint quæ ex libro Soliloquiorum Beda citat 1. Cor. 13. (ea enim in hoc Opere quærentes, non invenimus) quodque apud Poſſidium legitur in Indiculo, Soliloquiorum libri duo. Fortaſſis quædam MSS. Bedæ & Poſſidii Exemplaria aliam habent lectionem.* Ab incerto

Autore

Authore collectus est hic liber, non modò ex S. Augustini libris, præsertim Confessionum ipsius, sed etiam ex Hugone Victorino, libro* *De Arra Animæ*; habétque trigesimo-secundo capiti insertum caput. 1. Concilii Lateranensis quarti, paucis verbis prætermissis.

Manuale, ex Confessionibus S. Augustini, & ex Meditationibus Pseudo-Augustinianis magnam partem excerptum est. Cap. 15. 16. & 17. non pauca habet ex Sermone Venerabilis Bedæ *De omnibus Sanctis*. Apud Hugonem à Sancto Victore, *lib. 4. de Anima*, hujus libri plurima legemus.

Liber *De triplici habitaculo*, incerti Auctoris est, cujus ingenium & eruditionem hæc demonstrant: *Cruciat impios & peccatores visio hominum damnatorum, & dæmonum, & super omnia ipsius diaboli.* Et Cap. 2. *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis. Unde in Evangelio legitur: Illic erit fletus, & stridor dentium. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore nascitur; stridor verò dentium ex frigore nascitur.* Cap. 3. *Plaga inferni nec dici, nec cogitari possunt.* Cap. 4. *De qua urbe quidquid homo dixerit, quasi stilla de mari est, vel quasi scintilla de foco.* Cap. 6. *In Dei visione trina scientia nascitur, id est, homo qui cernit, & Deus qui cernitur, & cæteri omnes omnia videbant & intelligeat*

Scala Paradisi, est Guigonis Carthusiensis.

Scala Paradisi, nec S. Augustini est, nec S. Bernardi, cujus inter Opera etiam invenitur, sed Guigonis Carthusiensis, ut constat ex Codice MS. Carthusiæ Coloniensis, in quo præfixam habet Epistolam sic inscriptam: *Epistola Domini Guigonis Carthusiensis ad Fratrem Gervasium, de Vita Contemplativa. Dilecto Fratri suo Gervasio Frater Guigo, delectari in Domino. Amare te ex debito teneor, quia prior me amare incœpisti, & rescribere tibi compellor, quia literis tuis ad scribendum me prior invitasti. Quædam ergo quæ de spirituali exercitio Claustralium excogitaveram, transmittere proposui, ut qui talia experiendo melius quàm ego tractando, didicisti, mearum judex sis cogitationum & corrector. Et meritò hæc nostri laboris initia tibi offero, ut novella plantationis primitivos fructus colligas; quoniam de servitute Pharaonis te delicata solitudine laudabili furto surripiens, in ordinata castrorum acie collocasti, ramum de oleastro artificiosè excisum prudenter inserens in oliva.* Tum liber incipit: *Cum die quadam*, &c. Post extrema autem illa verba, *pacem in idipsum*, sic liber clauditur: *Tu ergo, Frater mi Gervasi, si quando datum tibi fuerit desuper prædicatorum graduum celsitudinem conscendere, memento mei, & ora pro me, cum bene fuerit tibi; ut sic cortina cortinam trahat, & qui audit dicat, veni.*

Liber *De duodecim Abusionum gradibus*, tam S. Augustini non est, quam S. Cypriani. Vidæ quæ de eo diximus *in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ III. sæculi*: cap. *de Auctoribus Ecclesiasticis*. Ubi de S. Cypriani Operibus egimus. Postremi duo gradus coincidunt. Idem namque est, *Plebs sine disciplina*, & *populus sine lege*.

Librum de cognitione veræ vitæ S. Anselmo tribuit Thomas Argentinas in II. Sentent. dist. 7. q. 1. art. 1.

Librum de Vita Christiana, Fastidio Britanno Episcopo quidam tribuunt.

Non sunt etiam S. Augustini, Tractatus, *De contritione cordis*, *de cognitione veræ vitæ*, * *de Speculo*, qui ex Confessionibus, Meditationibus, Manuali, magnam partem conflatus est; & Boëtii versiculos describit. In eodem censendus ordine est liber *de Vita Christiana*. * Librum *de Assumptione B. Mariæ Virginis*, S. Augustino perperam adscriptum fuisse, jam alibi monuimus. Cap. ultimo, hujus Libelli doctrinam sibi à Sancto Spiritu inspiratam asserit Auctor; & nihilominus cessurum se ait, si quis in diversum, *Se veraciter consilium Dei de his nosse manifestaverit.* Cap. 1. quæstionem de Assumptione B. Mariæ *profundissimam & altissimam* vocat. Et hæc verba, *Insufflavit Deus in faciem ejus* (Adami scilicet) *spiraculum vitæ*, docet *mysticè tantum* intelligenda. In fine hujus Libelli, ubi ait: *Si ergo dixi ut debui; approba Christe, tu & tui: si autem non ut debui, ignosce obsecro, tu & tui:* Imitatur S. Augustini verba *lib. 15. de Trinitate* in fine: *Domine Deus meus, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui: si qua de meo, & tu ignosce & tui.*

Liber *De contemptu mundi*, spurius pariter est. Cap. 1. distinguit Auctor mandata Dei in *specialia*, & *communia*. Specialia ait esse propriè Canonicorum, sive Clericorum, & Monachorum; communia, omnium Catholicorum. Specialia esse, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes*, &c. &, *omnis qui reliquerit domum*, &c. Cap. 2. damnat Clericos, qui terrena possident, & decimas recipiunt, nec inter privatas & communes possessiones distinguit. *Qui quidquam possidet in terra*, inquit, *remotus est à Christi disciplina . . . Unde ergo sibi arrogant ligandi atque solvendi potestatem, qui in terra præsumunt possidere facultatem?* In quo S. Augustino adversatur, quem cum suis Clericis possessiones habuisse, saltem nomine Ecclesiæ, constat ex Tractatu 6. in Joannem, & ex Sermone 49. & 50. *de Diversis*.

Liber *de vanitate sæculi*, S. Augustino æquè indignus. Caput tertium totum penè legitur in Tractatu *de Rectitudine Catholicæ Conversationis*, qui nec Augustinianus ipse est. Cap. 1. falsa est illa sententia, & S. Augustino, imò & Catholicæ Fidei de Purgatorio repugnans: *Scitote verò quòd cùm anima à corpore evehitur, statim aut in Paradiso pro meritis bonis collocatur, aut certè pro peccatis in inferni tartara præcipitatur.*

Sermo *De obedientia & humilitate*, est inter Sermones *ad Fratres in Eremo* 54. Eremò quàm publicò dignior. Cap. 2. ait: *Si quis superbus est, multò pejus facit quam adulterium*; quod de omni superbiæ genere & gradu falsum est. Veriùs S. Augustinus Enarratione in Psalmum 15. *Melior maritata humilis, quàm Virgo superba*

Liber *de Bono Disciplinæ*, nihil Augustinianum habet. Falsa est illa propositio, quæ cap. 1. legitur: *Non est imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum.* Hunc librum Valeriano Cemelensi Episcopo P. Sirmondus vindicavit.

Libri de Visitatione infirmorum, non S. Augustini, sed ignoti Auctoris partus.

Libri duo *de Visitatione infirmorum*, planè lutulenti, Auctoris ignoti partus: Qui cap. 5. lib. 1. de Deo minùs reverenter loquitur. *In quadam*, inquit, *ecstasis tripudio de te præsumendo dicam: Nisi quia Deus es, injustus esses.* Cap. 6. moribundum hominem his verbis ad mortem disponit: *Eia si Episcopatum, aut honorem alium, aut sanitatem infirmis optabilem tibi concessisset Deus, nonne omni gaudio illud donum Dei susciperes?* Libro secundo, præter barbaras voces, *Pigritare*, *typicalis*, *minùs scioli*, pro minùs *periti*, *deceptiosus*, *amallare*, &c. Sententiæ quædam ineptæ, vel absonæ occurrunt. Cap. 2. *Audi fili mi, de homine tuo, Deo facere quoddam participium: quia prior fecit Deus de homine tuo puro sibi participium.* Ibidem: *Plus debet mihi Christus, quàm alicui cœlestium Spirituum.* Cap. 5. in Confessione explicandum docet, *Utrùm necessitate an ex voluntate cecidisti.* Item cap. 4. *Adhibeatur Dominus Presbyter.* Denique profitetur Auctor se *Hunc Tractatum direxisse ex his, quæ ex ipsis hausimus prioribus.* Adde indigna esse S. Augustino puerilia illa carmina:

Nec Deus est, nec homo, præsens quam cerno figura,
Sed Deus est & homo, quem signat sacra figura,
Scilicet ipsius nota sunt Crux & Crucifixus.
Hæc & ego veneror, Jesum quoque semper adoro.

Ejusdem pretii est Liber *de Consolatione Mortuorum*, cujus barbariem vel inscriptio sola ostendit. Cap. 3. duriora illa sunt: *Qui mortem timet: non credit; qui non credit, peccatum contrahit insanabile.* Cap.

 ultimo

ultimo in vestes nigras & lugubres plus æquo debacchatur. *Aliena sanctista*, inquit, *extranea sunt, non licent, & si licerent, non decerent.*

Libellus *de Sobrietate, & Speculum peccatoris*, nullius sunt pretii.

Liber De conflictu virtutum & vitiorum, non est S. Augustini. Est videtur Ambrosii Autperti.

Liber *De conflictu virtutum & vitiorum*, scriptoribus quatuor nobilissimis tributus est; S. Augustino primùm in omnibus Operum illius Editionibus: S. Leoni deinde in ejus Editione Parisiensi anni millesimi quingentesimi undecimi; postea S. Ambrosio in Romana Editione anni millesimi quingentesimi octogesimi-quinti, in qua scriptus *Ad Simplicianum* prænotatur: & demum S. Isidoro Hispalensi in Editione anno millesimo quingentesimo nonagesimo-nono Madriti facta, & in Parisiensi anni millesimi sexcentesimi-primi. Sigebertus libro *De Viris Illustribus*, illum S. Isidoro tribuit. MSS. Codices alii S. Augustino, alii S. Ambrosio; alii S. Leoni, quidam & S. Isidoro assignant. Nomine S. Augustini citat Gratianus, Causa 11. Quæst. XXII. cap. *Nec artificiose*. Author hujus libelli videtur potiùs *Ambrosius Autpertus*, Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento Abbas. Author enim Vitæ ipsius editæ p. 11. Sæculi III. Benedictini testatur compositum ab ipso librum *De conflicta vitiorum.* Libellus autem ille de quo agimus maximam affinitatem habet cum Ambrosii Autperti Opere in Apocalypsim, ac virum planè sapit Monasticæ Vitæ Professorem, & in Monachorum gratiam maximè scribentem, veluti ubi ait cap. XVI. *Si igitur sæcularibus viris res est perniciosa cupiditatis industria, quantò magis illis periculosior, qui habitu & conversatione jam sæculares esse desierunt, qui totum quod vivunt Domino devoverunt?* Et cap. XVIII. *Si cuncta quæ tibi Prælatus servanda commisit, illibata consignas, & nec modicum quid reservandum existimas*, &c. Quæ postrema verba, aliaque multa de stabilitate, cap. XIV. de taciturnitate, cap. XXII. &c. ex S. Benedicti præceptionibus videntur usurpata. Denique disertis verbis Regula Benedictina in fine libri commendatur. Quamquam MSS. Codices quidam, & Editiones S. Ambrosii & S. Isidori, in quibus excusus est hic Liber, & Erasmiana S. Augustini, careant postremis duobus capitibus: & in illis finiatur hic Liber his verbis capitis XXVI. *Tu autem, homo Dei, vigilanti studio attende quæ dico.*

Liber de Rectitudine Conversationis, nec est S. Augustini, nec S. Eligii videtur.

Liber *de Rectitudine Catholicæ Conversationis*, Sirmondo Judice, in *Notis ad Concilium Autissiodorense*, est Concio S. Eligii Noviomensis Episcopi, cujus meminit S. Audoënus in ejus Vita, *Lib. 2. cap.* 16. Sed non minùs S. Eligio videtur indigna, quam S. Augustino repugnans hæc sententia: *Qui ante nuptias legitimas, habere concubinas præsumit, pejus peccat, quàm qui adulterium committit.* Contrà verò S. Augustinus Lib. *de Bono Conjugali*, cap. 8. *Pejus est alienum matrimonium violare, quàm meretrici adhærere.* Nec etiam doctrinæ S. Eligii in Homiliis, mollior illa de Pœnitentia doctrina convenit: *Si adulter quidam, aut meretrix, aut fur, aut ebriosus, aut mendax, aut filiorum necator fuerit; tantùm de cætero penitus caveat; indulgebit illi Deus.*

Tractatus *de Creatione primi Hominis: de Arbore scientiæ boni & mali, de Antichristo*, meritò S. Augustino abjudicantur. Posterior meminit Imperii translati à Græcis ad Francos. Multas de Antichristo fabulas habet. Rabano Moguntino Archiepiscopo illum tribuit Rupertus Tuitiensis in cap. 8. Apocalypsis. Scriptum esse ab Auctore qui Gallorum Regibus, iisdemque Imperatoribus pareret, hæc indicant, quæ pro suo in eorum Imperium, gloriam, & majestatem affectu ait: *Hoc autem tempus Antichristi nondùm advenit: quia licet videamus Romanum Imperium ex maxima parte destructum; tamen quamdiu Reges Francorum duraverint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romani dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit. Quidam verò Doctores nostri dicant, Quòd unus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in novissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium Regum ultimus. Qui postquam Regnum suum feliciter gubernaverit, ad ultimum Hierosolymam veniet, & in Monte Oliveti sceptrum & coronam suam deponet.*

Tractatus *Super Magnificat*, incerti Auctoris est, nec eruditi, qui ex Hugonis Victorini Tractatu in *Magnificat*, Expositionem suam decerpsit, Opus Hugonis egregium fœdissimè corrumpens, & capite ac membris truncans. Ait B. Virginem, usque ad divinam imprægnationem, *opprobrium sterilitatis apud homines portavisse.* At quâ ratione adolescens Virgo sterilis dici potest? *Arboris novellum & rude virgultum, nullo modo rectè sterile dicimus, quamvis aliquot æstates sine fructibus trajiciat, donec opportuno tempore expromat feracitatem suam* (inquit S. Augustinus lib. 3. *de Libero Arbitrio*, *cap.* 22.) Ejusdem Auctoris inscitiam probat distinctio trium modorum, quibus aliquis scribitur in Libro vitæ: *Secundùm præscientiam, secundùm causam, & secundùm operationem. Quantùm ad primum*, inquit, *prædestinati sunt scripti: non delentur unquam, licet ad tempus, quasi periturus qui à via videatur, errare permittitur. Secundùm causam scripti sunt, qui à via veritatis cœptâ ad errores declinandos recedunt. Tales autem sunt aliquando, qui digni salvatione existerent, si tales usque ad finem permanerent. Secundùm operationem, quorum opera secundùm humanum judicium talia apparent, propter quæ digni videantur scribi in Libro vitæ: qui tamen ea, quæ videbantur agere; bona deserunt, hi secundùm præscientiam nunquam fuerunt in Libro vitæ.* Mitto barbarum vocabulum *superbitas*, pro superbia.

§. IX.

De Pseudepigraphis Tomi X.

Inter Sermones de verbis Domini, quidam S. Augustino suppositi.

INter Sermones *de Verbis Domini*, Lovanienses, aliique Censores eruditi Augustinianorum Operum, prudenter in appendicem rejiciunt ut spurios, III. ob styli diversitatem. XIV. quem Codices antiqui tribuunt Eradio S. Augustini Successori designato. XIX. qui est S. Maximi Taurinensis. XX. ob styli, doctrinæque ab Augustinianis discrepantiam. Hæc enim verba: *Væ prægnantibus, & nutrientibus*, negat *de mulieribus legitimos viros habentibus esse intelligenda*, sed de illis exponit, *Qui injustè concupiscendo rem alienam, imprægnati esse videntur.* Quod & S. Augustino repugnat Epistolâ 80. *ad Hesychium* & ipsi Evangelio. XXVIII. quia pars est Libri 5. S. Ambrosii *de Sacramentis* LII. Quia & stylus, & judicium S. Augustini in eo desiderantur; sic enim Sanctas Sorores Lazarum defunctum compellantes inducit: *Tanta est Christi omnipotentia, ut etiam jam mortuus resurgeres, si veniret.* De quibus tamen postea subdit: *Fratrem suum posse resuscitari penitus non credebant.* Illud etiam exponens, *Lazare veni foras*, Lazarum à Christo nominatim vocatum ait: *Ne omnes mortui cogerentur exire.* LVI. quia fragmentum est Tractatus 71. *in Joannem.* LVII. & LVIII. cujus pars prior fragmentum est Tractatus 78. *in Joannem.*

Postrema [illegible] 99.

Inter Sermones *de Verbis Apostoli*, rejiciendi sunt ut spurii: I. Qui nec stylum S. Augustini, nec ingenium illius, & facundiam redolet. Qui etiam inseparabilem Trinitatem contra Arianos probat Scripturæ sacræ testimoniis nihil eò spectantibus; hoc scilicet loco: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Et alio: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* XXI. Augustinianus est, sed non Sermo. Est quæstio 71. ex octoginta tribus.

XXV.

xxv. Est S. Maximi. xxvi. xxxiv. & xxxv. nec stylum nec eruditionem S. Augustini referunt. In eo quem postremum nominavi, ait Concionator, in die extremo judicatum iri *remotis omnibus probationibus*. Mox tamen sibi ipsi repugnans, docet futurum *ut animum & convincat probatio, & confundat agnitio.*

Ex Homiliis quinquaginta plures S. Augustino falsò sunt adscriptæ.

Ex *Homiliis quinquaginta*, in appendicem meritò rejiciuntur: II. quæ ex Enarratione in Psalmum 49. quibusdam mutatis & additis desumpta est. III. quæ fragmentum est Epistolæ ad Probam, *de videndo Deo*; VII. quæ ex Sermone 19. *de Verbis Apostoli*, magnam partem excepta est. IX. propter eamdem rationem. X. quia est Sermo 24. *de Verbis Apostoli*, auctus ab Interpolatore. XII. quia stylum & ingenium S. Augustini non sapit. Fallor enim si S. Augustinus dixisset confitenda esse peccata *non solùm Deo, sed etiam Sanctis & Deum timentibus*, nullâ Sacerdotum factâ mentione. Id probari his Psalmistæ verbis: *Confitemini Domino quoniam bonus*, quod Sermone 3. *de Diversis*, alibique negat. Eruditis Censoribus videtur esse Eradii prior pars, altera S. Augustini. Ejusdem Auctoris fœtum esse existimo, scilicet S. Cæsarii Arelatensis. Ex Homilia 14. epilogus expungendus, quem caracteribus minusculis ediderunt Lovanienses. Mihi viderentur iisdem caracteribus edenda quæ antea leguntur, ab illis verbis: *Audiamus ergo Dominum dicentem.* Hæc enim auctoritatum nuda congeries absque expositione, absque ratiocinio, S. Augustini stylum in Concionibus, atque facundiam non sapit. XV. S. Augustini doctrinam refert, non stylum. XVI. Ab initio usque ad hæc verba: *Interim donec veniat ille dies*; excepta est ex præfatione in *Psalmum* 148. Cætera non esse S. Augustini, stylus inæqualis probat. Malè inscribitur, *de Resurrectione Domini*, de quâ præter primam vocem nihil habet. XXI. Ex Enarratione in Psalmum quinquagesimum, exordio & fine ab interpolatore adjectis, desumpta est. XXII. Augustinianam non esse fatebitur, quisquis illam cum Tractatu 21. & 22. in Joannem contulerit. In XXV. peroratio ab illis verbis: *Quod autem ad tempus salubriter dolet*; assuta videtur. Cadit enim repente stylus. XXVI A stylo & gravitate S. Augustini plurimùm dissidet. Pugnantia loquitur Concionator. Initio enim Homiliæ invehitur in mulieres quæ in terrâ jacebant dum verbum Dei prædicabatur, & se otiosis fabulis ita occupabant, ut nec ipsæ audirent, nec alios audire permitterent, & in fine eorum quæ dixerat oblitus, ait: *Fratres Charissimi, & venerabiles filiæ, non ideò diximus, quòd vos agnoverimus verbum Dei non libenter accipere.* Præterea, quàm boni sensus expers illa phrasis! *Unde rogo vos, venerabiles filiæ, & sollicitudine paternâ commoneo, ut quando aut Lectiones leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla se in terram projiciat, nisi forte quam nimium gravis infirmitatis cogit: sic tamen non jaceat, sed magis sedeat.* 3. Non increpuisset S. Augustinus auditores qui sederent, cùm Ecclesiarum transmarinarum consuetudinem magis probet, in quibus verbum Dei sedens populus audiebat. *Longe consultiùs*, inquit*, *in quibusdam Ecclesiis transmarinis, non solùm Antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus, à saluberrimâ intentione avertatur, aut etiam cogatur abscedere.* 4. Falsum est quod asserit hujus Homiliæ Auctor: *Non esse minus verbum Dei, quàm Corpus Christi.* Nam verbum Dei prolatum à Concionatoribus, vel in sacris Codicibus descriptum, nec Deus est, nec divinum aliquod, nisi significatione, inspiratione, revelatione, objectô: At Corpus Christi unione hypostaticâ divinum est, corpus namque est Verbi Incarnati. Unde non probo Concionatorum plurimorum judicium, qui hâc exaggeratione utuntur, eamque ut Catholicam urgent, quia Augustinianam putant.

Lib. de Catechiz. rudibus, cap. 13.

Homilia XXX. & XXXI. fragmenta sunt, illa 15. ista 20. Sermonis *de Diversis*. XXXIII. non videtur esse S. Augustini: cùm hæc verba Psalmi 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. alieno longè sensu uti & stylo à S. Augustino explicet, ut perspicuum erit conferenti hanc Homiliam cum Enarratione in Psalmum citatum. XXXV. fragmentum videtur S. Augustini usque ad illa verba: *Ut ergo leonem & draconem, &c.* Reliqua verò nequaquam Augustiniana videntur. Quinque Virgines interpretatur quinque sensus: longe verò aliter hanc parabolam S. Augustinus explicat Epistola 120. Sermone 23. de Verbis Domini. Lib. octoginta trium Quæstionum, Quæstione 59. & Enarratione in Psalmum 147. Præterea diligenter observandum monet, *Ne inter illas stultas inveniamur, quæ sibi de solâ corporis integritate plaudentes, virginitatem animæ per corruptionem quinque sensuum perdiderunt.* Amabo te, conciliarine potest corporis integritas cum quinque sensuum corruptione? Tandem virginitatem animæ S. Augustinus fidem perpetuò interpretatur, ut constat ex Enarratione in Psalmos 90. & 147. ex Tractatu 8. in Joannem, & ex Sermone 40. de Tempore. At fides corruptione quinque sensuum non amittitur. XXXIX. stylus ab Augustiniano totus abhorret. Hæc boni sensûs expertia sunt, ubi de eo qui eleemosynas erogat, ait: *Cui Propheta tale exhibet testimonium: Salvat eum, & vivificet eum Domine.* Istud ne testimonium? Nonne potiùs votum & oratio? Pergit: *O ampl x Prophetæ beneficium, salvat pariter, & commendat ut salvetur; quia & ipse salvavit ut vivificetur!* An Propheta qui commendat Deo salutem hominis benefici, ipse salvat? Aut si commendando salvat, istud ne duplex beneficium est? In fine Homiliæ hæc æquè absona & inepta: *Date omnibus, ne cui non dederitis, ipse sit Christus: cuive dederitis, ipse sit Christus.* Nam etsi maximè timendum sit ne Christus in illo paupere negligatur, & rejiciatur, cui non confertur eleemosyna, non tamen metuendum est, ne Christus in paupere foveatur, sive ne, cui datur eleemosina, ipse sit Christus: imò de hoc maximè gaudendum.

Homilia XLI. dubius est S. Augustini fœtus, quæ & S. Ambrosio à nonnullis tribuitur (perperam, ut existimo) & S. Cæsarii Arelatensis nomine insignita est in Bibliotheca Patrum. Initium Homiliæ usque ad illa verba: *Sed dicat aliquis, &c.* videtur Augustinianum fragmentum. Et sanè S. Augustinus sic ex abrupto Sermones suos inchoare non solet: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non irridentes, mutate vitam.* Sequentia, usque ad hæc verba: *Vis te dubio liberari? &c.* Ab indoctâ manu assuta videntur. Nam Interpolator eodem loco habet ebrietatem, concupiscentiam, furtum, maliloquium, & risum immoderatum, verbumque otiosum, quæ cùm enumerasset, subdit: *Ecce quàm levia dixi, omnia tamen gravia, & pestifera.* Oro te, si gravia & pestifera, quomodò levia?

Homiliæ XLV. & XLVI. meritò expunctæ sunt. Illa ex Sermone 26. *de Diversis* interpolata est: hæc istud Psalmi 117. *Confitemini Domino*, in sensum detorquet à S. Augustino alienum. XLVII. & XLVIII. æquè in appendicem rejiciendæ videntur. Earum stylus & dictio ab Augustinianis discrepant. In priori hæc habet Interpolator, *Deus sibi collatum conclamat, quod in corde pauperis fuerit seminatum: sicut in Evangelio dicit, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Longè aptiorem, ad probandum quod dixerat Christi sententiam imprudens prætermittit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Malè etiam citat illud Ecclesiastici; *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna resistit peccatis*, ut Salomonis oraculum: *Sicut Salomon dicit*: quod non ita S. Augustinus citasset, qui agnovit hunc Librum Salomonis, non esse, sed Jesu Sirach, quamvis obtinuisset consuetudo, ut

propter nonnullam eloquii similitudinem, Salomonis diceretur. (Lib. 17. de Civitate Dei cap. 20. Lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. & 2. Retractationum, cap. 4.) An verò hæc Augustinianæ dictionis præse ferunt venustatem? *Unde semper flagellamur in frugibus, quia bene egentibus non facimus. Revera si consideres homo, unde damna, unde calumnia, unde pericula, nisi de sterilitate nostrâ* In 48. æquè elegantia sunt ista: *Dives multum sibi nascendum videbus. Habeo filios quibus curam maximam geram. Cur providus filiorum ex stis?*

Sermones de Tempore & de Sanctis, nec ita inscripti sunt, nec ita ordinati à S. Augustino. Illa enim distinctio sacrorum dierum recentior. S. Augustino est. Præterea Festum S. Trinitatis multis sæculis post S. Augustini obitum celebrari cœptum est: unde ordo ille Dominicarum post Trinitatem est recentioris ævi.

Inter Sermones de Tempore, quinam S. Augustino sint abjudicandi?

Inter Sermones *de Tempore*, qui primus legitur *in Dominica 1. Adventûs*, longè infra S. Augustini ingenium, & stylum est. Præterea auditores adhortatur ... rate ut in die Natalis Domini *cum sincera & pia conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad Altare Domini accedere possint, & Corpus ejus ac Sanguinem accipere.* At S. Augustinus sic Fideles adhortatus non fuisset, qui illis temporibus & in Africana, & in totâ Occidentis Ecclesia, quotidie Eucharistiam sumebant: ut colligitur ex Lib. 2. ipsius *de Sermone Domini in Monte*, *cap.* 7 ubi Orientalem Ecclesiam Occidentali opponens, ait: *In Orientalibus patribus non hunc intelligi quotidianum panem, ubi plurimi non quotidie Cœna Dominica communicant.* Et Sermone 46. de Verbis Apostoli: *Per istos dies Magistri pascunt, Christus quotidie pascit: Mensa ipsius est illa in medio constituta.* Et Sermone 83. *de Diversis*, sic baptizatos compellat: *Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi.* Et Epistola 118. cap. 3. *Si peccata tanta non sint, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare.*

Sermo secundus non est etiam S. Augustini. Id sordida dictio satis probat. Ejus phrases sunt, *Suscipere solemnitatem, bonorum operum margarita, ad convivium revocare*, pro vocare, *Parentes* pro cognatis, quam significationem S. Hyeronimus militari vulgarique sermoni tribuit, *Lib.* 2 *Apologia contra Ruffinum*. Jubet imminente Natalis Dominici Solemnitate *abstineri ante plures dies ab infelici concubinarum consortio.* Cur non eas ejici præcipit; Cur non ab earum familiaritate in perpetuum abstineri? Jubet etiam ad Vigilias maturiùs surgere: quasi Christiani tunc temporis totas noctes diebus solennibus non vigilassent. Lege Sermonem 77. 78. 79. & 80. *de Diversis.*

Sermo tertius nec venam S. Augustini refert. Illud Deuteronom. 6. *Dominus Deus noster unus est*, ita solet explicare S. Doctor, ut trium personarum intelligatur una unitas: hic verò discerpsit: *Unus* inquit, *Deus est Pater, Deus unus est Filius, Deus unus est Spiritus sanctus.* Augustinus dixisset: *Deus unus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* An verò Augustinianæ illæ phrases: *Chorda cithara sonum excutit.* Sonnit *veritatem in auribus nostris.*

Sermo VI. qui secundus est *in Nativitate Domini*, nihil Augustinianum habet. Beatitudines & maledictiones, in quibus exponendis est prolixus, ex Lib. 6. *de unitâ Deitate Trinitatis*, apud S. Athanasium mutuatur: quem Librum esse Virgilii Tapsensis, aliàs monuimus.

Sermo VII. pro eodem Festo notatus, rejiciendus etiam est. Has enim phrases Augustinianas esse nemo dicet: *Aperiant medicamento Pœnitentia nares suas. Sufficiat mihi quòd fœtoribus carnis meæ satisfeci. Aliorum actiones obloqui. Si quis Seniori suo peccavit. Gaudeamus cum fletu. Doctè plangite. Vos modo satis debetis amare Deum, &c.*

Sermonis VIII. stylus Augustiniano durior eruditis Censoribus videtur. IX. plerasque Sententias ex Homiliis S. Bernardi super *Missus est*, desumptas habet, ut notarunt Lovanienses, qui & illum in appendicem rejecerunt, X. est S. Ambrosii, teste Cassiano lib. 7. *de Incarnatione cap.* 25. XI. est S. Maximi Taurinensis. XIII. ex variis S. Augustini Sermonibus consarcinatus est. Partes non cohærent. Huic totus insertus est Sermo quintus. Simeonem dicit *Innovatum in ætate*, quem S. Augustinus in Psalmum 39. dicit tantùm *Innovatum Fide.* Non videtur S. Augustini illa phrasis, *Viri nescium sermo Dei maritat.* Ut ut est, non convenit cum Sermone 15. cujus Auctor ait: *O conjunctio sine sordibus facta, ubi maritus sermo est, & uxor auricula.* Si sermo est maritus, non maritat ille, seu marito conjungit. Non convenit etiam Nativitati, de qua est Concio, ista Sententia: *Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo*, sed diei Annuntiationis. Habetur Enarratione in Psalmum 109. *Ut panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo.*

Sermo XIV. abjudicandus est S. Augustino. In Festo annuntiationis dictus videtur, si maximam partem consulas: nihilominus in fine Christum ponit in præsepi; ac postea ad Incarnationem redit, nuntiumque cœlestem dimitit. Sed & phrasis barbara, & boni interdum sensûs expers, parumque cohærens oratio, Interpolatorem demonstrat. *Lactabis infantem proprium; Creatori succum porrigis lactis, & cibis cœlestibus satiaris, Pannis involvis Puerum, qui tibi immortale condonavit indumentum. In præsepio ponis infantilia membra, qui cœlestem tibi preparavit mensam. Omnia quæ nutritiæ causâ debentur, circa Puerum celebremus, ut quod ipse promisit Sanctis suis, & tu ipsa libentiùs consequaris. Quid multa? Exulta Virgo de tanto promisso. Nuntius discessit Angelicus, ventris hospitium ingreditur Deus.*

Sermo XV. non est S. Augustini, sed Fulgentii, aut Severiani Gabalitani. In XVI expungenda est hæc clausula, *per Dominum nostrum Jesum Christum &c.* Sic enim Sermones Augustinus non finit. XVII, præter stylum à S. Augustino alienum, Evangelio repugnat, dum ait: *Concepit Virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat.* Sed quam inepta sunt ista! *Quem cùm portaret, timuit .... Quem cùm peperisset, minor erat Mater quam Filius.* Timuisse Beatam Virginem cùm portaret Christum, unde iste habuit? Conturbata quidem est ad sermonem Angeli divinum conceptum ac partum ipsi annuntiantis: sed post conceptionem Christi, exultavit spiritus ejus in Deo Salvatore. Præterea, nonne & antequam peperisset, minor erat Mater quam Filius?

Sermo XVIII. meritò rejectus est à Lovaniensibus. Ait ineptus & imperitus Auctor, Virginem à Gabriele gravidatam, eamque, ut imprægnata est, gessibus gravatam. In XX. expungenda est clausula, *Qui venis &c.* quæ Lovanienses unco comprehenderunt. XXI. multa habet ex Sermone 18. *de Sanctis.* Quædam duriùs dicta, multa à S. Augustini dictione aliena, quorum ecce specimen: *Misit Deus Filium suum, qui naturam terreat. Mundus ærumnabili servitute depressus. Cùm per plerasque gyrantium temporum rotus mundiale curriculum volveretur. Prosapies. Ista luxit*, nempe Eva: *illa reluxit*, nempe Maria. *Christus seminavit, non luxus.* Christus conceptus de Spiritu Sancto, vix sano sensu in utero Virginis seminasse dici potest. *Fidei Christus infodit.*

infedis. Genere sexuali omnes appellantur communiter mulieres. Lingua pulsabulo. Benedicibilis Salutationis. Nobis pana successit. Tradidit Christus carbunculatam sui sanguinis gemmam, & copulavit sibi perpetuo jure matronam. Ita Ecclesiam vocat.

Sermo XXII. optimus est, sed ab Augustini stylo dissidet, apud quem hujusmodi phrases non leguntur: *Deus in hominem docetur fuisse promotus. Omnis hujus nativitatis schola, humilitatis est officina, patientia massa, virtutis agonia.* Ex XXIII. resecanda videtur lacinia quæ assuta est ex Sermone S. Ambrosii, quem citat Cassianus lib. *De Incarnatione*, cap. 7. ab his verbis cap. 1. *Concepit Virgo*, usque ad initium capitis 1. hâc enim sublatâ, cætera optimè cohærent ut patet: *Probat ergo veritatem salutis, ordo nativitatis. Pramisit enim hominem Joannem, qui tunc nasceretur, cum dies inciperent minui; & natus est ipse cùm dies inciperent crescere; &c.* XXIV. meritò in appendicem à Lovaniensibus rejectus est XXVI. multa habet ex Sermone 52. *de Diversis*, & ex Lib. *de Fide & Symbolo*, cap. 4. interpolata. XXVIII. eo nomine meritò rejecerunt Lovanienses, quòd Christum sic dixisse neget: *Antequam Abraham fieret ego sum.* Quam tamen Sententiam his verbis à Christo prolatam legit & interpretatur S. Augustinus *Tractatu* 43. *in Joannem.* XXIV. qui primus est de Epiphania, non est S. Augustini. Tribus miraculis diei Epiphaniæ quartum adjungit, multiplicationis quinque panum, quibus Christus quinque millia hominum satiavit. At id in Ecclesia inauditum; & Evangelio repugnate videtur, Joannis, 6. *Erat enim proximum Pascha, dies Festus Judaorum*, cùm Christus hoc miraculum edidit. Ferri etiam non potest quod ait de Christi baptismo: *Hac Christi regeneratio nostra Fidei confirmatio est.* Contra S. Augustinus Epistola 57.* *Profectò ille singulariter natus est, cui renasci opus non fuit.* Denique S. Augustini charitatem ista non spirant: *Si quis violentus ac prapotens aliquid de facultate nostrâ ac proprietate rapuisset, nonne dignum summo odio duceremus? Nonne meritò tanquam hostem detestaremur?* XXXIII. est 8. S. Leonis *de Epiphania.*

* Posteriore edit. 187.

XXXV. Auctor & stylo, & sententiâ à S. Augustino dissidet. Stellam Magis, *Non ante paucos dies, sed ante fermè biennium* apparuisse, ex eo colligit, quòd Herodes *à bimatu & infrà occidit infantes, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Contra S. Augustinus Sermone 30. *Viderunt novam stellam in ejus Nativitate fulgentem.* Sermone 31. *Novam stellam declaravit natus.* Ibidem. *Quid erat illa stella, qua nec unquam ante inter sydera apparuit, nec postea demonstranda permansit?* Sermone 35. *Eo die quo natus est, illi stellam in Oriente viderunt.* Et Sermone 34. *Eò natò stellam Magi in Oriente viderunt. Ipse natus, novum sydus ostendit. Eo nascente, lux nova est in stellâ revelata.*

XXXVI. S. Augustino indignus est. Regenerationis vocem perperam Christi baptismo accommodat. *Vix natus est hominibus*, inquit, *& jam renascitur Sacramentis.* XXXVII. est S. Maximi. XXXVIII. est totus Liber primus Alcuini *de Trinitate*, cum parte secundi. Unde meritò uterque in appendicem rejectus est.

Sermo XLI. S. Augustino, si quisquam alius, indignissimus est. Ut enim hæc verba omittam, *Vina sublimia, princeps archiet clinus. Potum reputare*; ferri non possunt ista, quæ tam à S. Augustini doctrina, quàm à veritate aliena sunt: *Nunquid mulierem dicis Mariam, qua Virgo post partum inventa est? Sed Ecclesiam, qua non solùm mulier, sed etiam meretrix nuncupatur*, Contra S. Augustinus Sermone 67. *de Diversis*, de B. Virgine ait: *Maria mulier dicta est, non corruptâ virginitate, sed appellatione propriâ generis sua.* Sermone verò *de Symbolo*, qui est 119. *de Tempore*, virginem Ecclesiam appellandam esse docet, non meretricem. *Virgo est Ecclesia... Et virgo est, & parit. Mariam imitatur, qua Dominum peperit.* Equidem ait ibidem S. Augustinus: *Magna Sponsi & singularis dignatio! Meretricem invenit. Virginem fecit.* At longè aliud est Ecclesiam fuisse meretricem antequam congregaretur ex Gentibus, & Christi sponsa fieret: aliud meretricem etiam nunc appellari, cùm Christo desponsata est.

Sermo XLII. trigesimum nonum imitatur, sed alienô stylô spurium se prodit. Mancam affert definitionem Charitatis, in eaque solœcum facit. *Qua est vera Charitas? Qui sic diligit omnem hominem, quomodo seipsum.* XLIII. & XLIV. prudenti Lovaniensium judiciô rejecti sunt. In XLVI. aliena est à S. Augustino Methodus. Juvenem admodum se esse testatur Concionator, coram Patribus loqui, id est coram Episcopis: ab infantiâ sacras literas edoctum. Quod S. Augustino non convenit. XLVII. si cum Sermonibus 4. 5. & 6. *de Verbis Apostoli* conferatur, S. Augustini non esse, evidens est, proindeque meritò in appendicem rejectum, sicut & XLVIII. qui cento est malè consutus ex Sermonibus 8. & 9. *De Verbis Domini*, ex S. Hilario *in Matthaum*, & S. Ambrosio in X. cap. S. Lucæ. Non fuerunt iniquiores erga LI. Censores eruditi. *Per gratiam Baptismi nos omnibus peccatis, & vitiis* (ait) *vacillari.* At S. Augustinus Baptismum quidem purgare docet à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit nativitas, & contraxit iniquitas; sed solam Charitatis perfectionem, quæ erit in vitâ futurâ, purgare ab omni labe vitiorum, sine quibus humana esse non potest in hoc sæculo infirmitas. (*Lib.* 1. *Retractationum c.* 7.) LIII. pugnat cum S. Augustino & veritate. *Si forte*, inquit, *quislibet quarat, quis sit proximus, sciat omnem Christianum rectè proximum dici. Qui autem taliter intelligens proximum diligit, sine dubio Charitatem veram in semetipso tenebit.* Longè aliter S. Augustinus Enarratione in Psalmum II. *Proximum*, inquit, *omnem hominem oportet intelligi.* Et Sermone 91. de Diversis: *Ames proximum, etiam cum quo concordia non est, quia nondum in Christo frater est, quia nondum in Christo renatus est, nondum Christi Sacramenta novit. Paganus est, Judans est; est tamen proximus, quia homo est.* LIV. conferandus est cum cap. 24. libri 16. *De Civitate Dei*, & Concione 3. in Psalmum 103. Ex quibus innotescet hunc S. Augustini non esse, qui vaccam, arietem, captam trium annorum, turturem, & columbam, longè doctiùs explicat, & eloquentiùs. LV. & LVI. stylus jejunus, & adhortatio auditorum ut ad vigilias surgant, evincunt Augustinianos non esse. LVIII. adscribitur S. Cæsario, ejusque potiùs est, quàm S. Augustini. LIX. in appendicem ideo rejectus est, quòd ex libris *de Sermone Domini in Monte*, conflatus sit, & aliquid habeat ex S. Hieronymo *in cap.* 5. *Matthai.*

Sermonem LXI. Stylus S. Augustini esse negat. Præterea Christum *Omnes homines non solùm malos, sed etiam impios, & originali peccato mortuos in anima invenisse*, ait: quod falsum est, cùm ab originali peccato mundati essent, quotquot circumcisi fuerant ex Judæis, & quotquot ex eodem populo feminæ, & ex Gentibus, utriusque sexûs parvuli, Sacramento legis naturæ fuerant purgati. 3. Inter Evangelica consilia, abstinentiam à vino, & à carnibus numerat. 4. Quid sibi vult ista phrasis? *Sunt enim innumerabilia tam in novo, quàm in veteri Testamento, qua causam de quâ loquimur, validissimis testimoniis confirmare longum est, & nunc omnia Charitatis vestra auribus non intimentur.* Nec melior est istius sensus: *Nam in sanctis*

animabus

animabus etiam parva pro magnis accipiuntur, quia & revera cui paucat non sufficiunt, magna non prosunt, plura prodesse nihil poterant. Denique ait: *Omnis Lex uno sermone impletur in nobis*: id est, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Contra Christus huic præcepto præmittit *Primum & magnum mandatum* dilectionis Dei; & *ex his duobus totam legem pendere* asserit: *& Prophetas.*

LXII. & LXIII. Non sunt Augustiniani. Prior invenitur in Homilia 2. ex iis quæ S. Cæsario adscriptæ sunt. Alter est S. Leonis Papæ quintus *de Quadragesima.* LXIV. & LXV. stylo discrepant ab Augustinianis. Possidius *Tractatus quinque de Quadragesima* recenset. Sed hi sunt Sermones 68. 70. 71. 72. & 73. *de Diversis*: cum quibus si duos istos conferas, spurios statim agnosces. LXVI. conflatus est ex cap. 12. & 13. Alcuini, *De virtutibus & vitiis.* LXVII. humili exordio se nothum prodit *Rogo vos, fratres charissimi, & cum grandi humilitate admoneo, ut mihi nullus ex vobis succenseat, aut fortè incongruum me, superfluúmque judicet: quare vobis tam frequenter tremendum & utiliter expavescendum diem judicii confirmare contendo.* Longè aliena à S. Augustini animo tam ignava excusatio. *Attendite fratres mei* (inquit ille Sermon. 44. de Diversis) *dicam si possum, & non timeam. Non tacebo: urgeor enim ut dicam, & si mihi fortè aliqui succensuerint. Sed deus venium: timeo enim, ut dixi, timor deus venium. Christus neminem timuit: nos autem Christum timendo non parcimus; ne nobis duo tales nolumus consistere stari, ille non parcat.* Non sunt etiam Augustinianæ istæ phrases: *Qui ægrotare videntur*, pro ægrotis; *qui conjugia habere videntur*, pro conjugatis. *Religionis habitum assumere. Sequacitas*, pro observantia. *In remedium salutis sua tardandus*, pro *tardus ad remedium*, &c. Apostrophe Christi ad hominem circa medium Sermonis, S. Augustino indigna non videtur. LXVIII. non est S. Augustini. Lovaniensibus Censoribus Ambrosianum quid sapere visus est. LXIX. ex Augustinianorum ordine removendum suadent phrases ab ipso non usurpatæ: *Orare de culpa. Indulgentiam sperare de Judice. Delinquentia deprecatur.* Non satis etiam accuratè dictum: *Quadragesima tempus statim ab initio cæpit inter justos & injustos discernere. Per hos quadraginta dies separantur mali à bonis.* Quomodo enim separantur? Jejunio? At mali etiam jejunant, & jejunarunt olim. Moribus? At hoc fit etiam ante & post Quadragesimam. Non placet etiam quod Ecclesiam vocat *Triplicem Arcam.* Enimverò cur non *unam*?

LXX. Nequaquam Augustinianus est. Abrahami verba ad uxorem, Genes. 18. sic refert: *Festina, & consperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericios panes: quod Græcè*, inquit, *encriphias dicitur, occultos videlicet & absconditos indicant panes.* Quà in citatione, Græcè & Latinè solœcum fecit. Imitari voluit S. Ambrosium lib. 1. de Abraham cap. 5. sic legentem: *Consperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericia. Ubi subjungit, Græcè ἐγκρύφια dicuntur, hoc est, abscondita.*

LXXI. Multa habet S. Augustino indigna. *Quare*, inquit, *pueris qui figuram habuerunt Judæorum, dicitur, Sedete hic cum asina? Nonne asinam illam sedere fecit, Fratres charissimi?* O præclarum conceptum! Ibidem: *Audite aliud Sacramentum, Fratres charissimi. Hieronymus Presbyter scripsit, Ab antiquis & senioribus Judæis se certissimè cognovisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est.* Sed neque immolatus est Isaac; nec ea usquam scripsit S. Hieronymus, quæ ipsi Interpolator affingit: sed ea desumpsit ex Commentariis in S. Marcum Hieronymo falsò adscriptis. Sequitur in isto Sermone: *Etiam hoc antiquorum relatione refertur, Quòd & Adam primus homo in ipso loco ubi Crux fixa est, fuerit aliquando sepultus; & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia Caput humani generis ibi dicitur esse sepultum.* At istud posterius refellit ipse S. Hieronymus in cap. 27. S. Matthæi. Denique S. Augustinus auditores suos his verbis allocutus non esset: *Vos verò, auxiliante Domino, dum frequentius Scripturas divinas relegitis, si diligenter attenditis, credo quòd meliorem etiam expositionem invenire possitis.*

LXXV. Non videtur S. Augustini: quia Prophetas, qui ad solum Judæorum populum missi sunt, per universam terram missos esse ait, & vaticiniis suis Gentes ad Christum invitasse: *Misit ergo* (inquit) *Abraham puerum suum in regionem longinquam, ut inde acciperet uxorem filio suo: quia miserat Deus Pater propheticum verbum per universam terram, ut quæreret Ecclesiam Catholicam sponsam Unigenito suo. Et quomodo per puerum Abrahæ beato Isaac sponsa adducitur, ita per verbum propheticum Ecclesia Gentium ad verum sponsum Christum de longinquis regionibus invitatur.* Sed nec stylus Augustinianus est: quamvis non invenusta sit allegoria, quam Sermone toto persequitur Concionator. Sermo LXVI. *de eleemosynis faciendis*, proh quàm dissimilis est Sermoni 43. *de Diversis*, quò idem argumentum tractatur! LXXVII. vel est S. Ambrosii, vel S. Maximi: ideoque in appendicem jure merito rejectus. Rejiciendus erat & LXXVIII. quem nequaquam Augustinianum esse fatebitur, quisquis vel mirum legerit: *Si expositionem sanctarum Scripturarum eo ordine, & illo eloquio, quo à Sanctis Patribus sunt exposita, Charitatis vestræ auribus voluerimus intimare, nonnisi ad paucos Scholasticos doctrinæ cibus poterit pervenire... Et ideo rogo humiliter, ut contentæ sint eruditæ aures verba rustica æquanimiter sustinere, &c.* De LXIX. dubito, ubi illum confero cum Enarratione Psalmi 44. & Sermone 40. *de Verbis Domini*, in quibus lapidis, quem unxit Jacob, & scalæ quam vidit, mysteria, aliter explicantur.

LXXX. Non videtur S. Augustini, cùm ob stylum, tum quod Scripturæ sacræ figuras commodò sensu non explicet. *Lia*, inquit, *significat illam plebem, quæ de Judæis juncta est Christo. Rachel verò Ecclesia, id est omnium Gentium typum gessit.* Huc-usque non malè. Sed subdit: *Et ideo Lia non est furata idola patris sui, sed Rachel, quia post adventum Christi non usquequaque Synagoga idolis servisse cognoscitur, sicut de Ecclesia Gentium manifestissimè comprobatur.* Dic, quæso, num Ecclesia Gentium post adventum Christi idola coluit? Præterea luctam Jacob cum Angelo incongruè explicat. *Luctabatur Jacob cum Angelo*, inquit, *quia populus Judæorum luctaturus erat cum Christo. Vincebat Jacob Angelum, quia Judæorum populus Christum usque ad mortem persecuturus erat. In eo quòd vincebat Jacob, Judæos persecuturos Christum significabat: in eo quòd benedictionem petebat, illum populum figurabat, qui in Christum Dominum crediturus erat.* Multò aliter S. Augustinus in Sermone mox laudato *de Verbis Domini*, & in primo ex editis à P. Sirmondo, ubi luctam eandem Jacob cum Angelo explicat.

Sermo LXXXI. non videtur etiam S. Augustini. S. Ambrosium imitatur lib. *de Joseph Patriarcha*, ubi stantem Josephi manipulum à fratrum manipulis adoratum exponit. *Sol & Luna*, inquit, *& undecim stellæ eum adoraverunt, quando post resurrectionem Sancta Maria quasi Luna, & beatus Joseph velut Sol, cum undecim stellis, id est, beatis Apostolis, incurvati & prostrati sunt ante eum, & impleta est Prophetia quæ dixeras: Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen.* Sed S. Ambrosium imitari studens Interpolator, ejus mentem non est assecutus, nec enim Beatissimam Virginem Lunam fecit, Solem B. Josephum, cujus comparatione Deipara Sol potius dicenda erat: nec Christum post Resurrectionem suam à S. Josepho dixit adoratum, quem tunc superstitem

perstitem

perstitem non fuisse probabilius est; cùm Christus moriens Matrem suam alteri commendaverit. Verus autem Augustinus hanc figuram aliter explicat Epistola 80. quæ est ad Hesychium. *Ecclesia*, inquit, *est Sol, Luna, & stella, cui dictum est: Speciosa sicut Luna, electa sicut Sol. Ab hac adoratur Joseph noster in hoc mundo, velut in Ægypto, ex humillimo sublimatus.*

* postremæ edit. 159.

LXXXII. Periodum integram habet ex Epistola Pelagii ad Demetriadem. In cæteris humile, & barbarum plerùmque dicendi genus. Ecce specimen: *Eum recordari non potuisses. Nullà ratione parentes suos poterat oblivisci. Sed dicit aliquis quòd licentiam aut potentiam non habuerit mittendi ad patrem suum. Etiamsi hoc quasi verisimile videatur. Intolerabilem amaritudinem. Taliter indulgeamus eis qui in nobis peccaverint, qualiter volumus ut nobis indulgeat Deus, quoties in illo peccamus. Melius est hoc ut nobis in die crastina reservemus.*

LXXXIII. Farrago est ex Oratione S. Cypriani *de Zelo & Livore*, ex Pelagii Epistola *ad Demetriadem*, ex S. Ambrosio lib. *de Joseph*, cap. 5. & ex Sermone S. Augustini *de Susanna & Joseph.*

LXXXIV. Multa habet ex Homilia 1. Origenis *in Exodum*. Ait Scripturam sacram non referre quòd Filii Israël in Ægypto creverint vivente Joseph, sed post ejus mortem: *Cùm ut quæ*, inquit, *sub patrocinio vel defensione Joseph magis debuerant crescere & multiplicari.* Quæ ratio absurda est. Cùm enim Joseph cum fratribus suis in Ægypto vixerit 71. tantùm annis, Filii autem Israël post ejus mortem in Ægypto manserint annis 144. aut 145. non mirum est quòd magis multiplicati sint post Josephi mortem, quàm ante, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari. Consule S. Augustinum. *Quæst.* 47. *in Exodum.*

LXXXV. S. Augustini nomine perperam inscribitur, stylo repugnante. Indigna est tanto Doctore hæc sententia: *Qualiter autem de sinistra transeatur ad dexteram, evidens & manifesta ratio demonstrat. Qui fuit ebriosus, sit sobrius.* De LXXXVI. idem judicium ferendum est. Manum Moysis sanam & leprosam, Ecclesiæ & Synagogæ typum facit, incommodâ allegoria. Hanc manum aliter explicat S. Augustinus in Psalmum 73. & Sermone 17. de Diversis. *Quid illa manus?* inquit, *Certum est quia illa manus populum significat. Sinus hominis quid est? Sinus Moysi, secretum Dei. Cùm esset homo in secreto Dei, incolumis erat, & bono colore: exiit à secreto Dei, progressus Adam de Paradiso, offensò Deò, & factus est vitiosus. Facta est ergo manus illa alba: sed rediit ad sinum per signum Domini nostri Jesu Christi, & recepit colorem.* Virgam Moysis conversam in serpentem, crucem interpretatur conversam in sapientiam. Aliter S. Augustinus Sermone mox laudato *de Diversis*, in fragmento de Decalogo, Enarratione in Psalmum 73. lib. 12. contra Faustum, cap. 28. & lib. 3. de Trinitate. cap. 10. *Virga in serpentem*, inquit postremo illo loco, *Christus in mortem; & serpens rursus in virgam, Christus in resurrectionem.* Sed in explicatione istius Concionatoris non video quomodò serpens rursus mutetur in virgam, nisi sapientia in stultitiam iterum mutetur: quod absurdum est.

LXXXVII. Ejusdem farinæ est. Decem plagas quibus Deus Ægyptios castigavit, decem Dei Mandata interpretatur. Cynicorum & Stoïcorum dogmata confundit. Ejusdem Auctoris est LXXXVIII qui indurationem Pharaonis explicat sensu à S. Augustino prorsus alieno. *Hoc ergo*, inquit, *definitissimè credite, Fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dicit: Ego indurabo cor Pharaonis: non aliud intelligi voluit, nisi, Ego*, inquit, *suspendo plagas meas & flagella. Unde cum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto.* Non est assecutus Dei verba, Exodi 7. dicentis: *Ego indurabo cor ejus, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Ægypti.* Quæ à Deo dicta S. Augustinus interpretatur Quæst. 18. super Exodum: *Tanquam necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, ut signa Dei multiplicarentur, vel implerentur in Ægypto.*

LXXXIX. Ejusdem est pretii. De obduratione Pharaonis loquitur, quasi comminatoria tantùm fuerit, & ad ejus correctionem ordinata. *Obdurabo cor Pharaonis. Sententiam*, inquit, *protulit, quam se facturum promiserat, non quam jam fecisse monstrabat. Obdurabo*, inquit, *non obduro. Aliud est facere, aliud est quod jam fecisse promittitur, nec tamen impletur, ut metu territi corrigantur.* Omitto verborum lepores: *Populum perire quærebat. Ad pristinum statum redeat maris, quod fuerat, &c.* Omitto & phrases Poëticas: *Cùm conspiceret rapidos cursus influere litoribus mare, volveate æquora flamine collisa laxare. Non consentientibus ventis, aquarum volumina imperfectis cursibus refrænantur. Hiantibus undis freti arcana & maris secreta declarat unda. Erigitur in cumulum pelagus, & murorum instar suspensos exhibet fluctus. Fit littus ubi fuerat pelagus, & limite recto via porrigitur.*

XC. Magnam partem desumptus est ex Homiliis 3 & 5. *super Exodum*, Origeni inscriptis. XCI. Lectionem explicat ad Missas legendam: at verus Augustinus semper lectionem quæ audita est, vel cantata. Aquam amaram in quam Moyses lignum injecit, ut dulcis evaderet, interpretatur aquam Baptismatis, à quo lignum crucis tollit amaritudinem. Longè melius S. Augustinus lib. 12. *contra Faustum*, cap. 30. *Amaræ aquæ*, inquit, *ligno dulcescunt: quia inimici populi signo Crucis Christi honorificato mansuescunt.* Et Homilia 27. *Quando amaricat populus, ostendimus ei Christum, quæ pro illis tulerit, quomodò pro eis sanguinem fuderit, & mitescunt, tanquam nobis lignum in aquam mittentibus.*

XCII. Si conferas cum Quæstione 64. ex octoginta tribus, & cum Tractatu 15. *in Joannem*, S. Augustini non esse, continuò deprehendes. *Nunquid virtus Dei poterat fatigari?* inquit iste Orator: *Non utique.* Contra S. Augustinus: *Non frustra fatigatur virtus Dei.* XCIII. Origenis allegorias mutuatur Homiliâ 11. *in Exodum.* Negat Moysen extendisse manus, dum Israël in Amalecithas pugnaret: *Moyses*, inquit, *levavit manus; & licet non expandit, tamen ipsâ elevatione mysterium Crucis ostendit.* Contra S. Augustinus Homilia 27. *Tunc orabat Moyses, tunc extendebat manus. Et ubi deponebat manus, convalescebat Amalech: ubi extendebat manus, deficiebat Amalech. Ecce extensio illa manuum, Christi Crux fuit.* XCV. XCVI. & XCVII. Lovaniensium judicio sunt rejecti. Primus est fragmentum Sermonis *de Decalogo*, extremis partibus ab imperito homine affictis. Alter est Tractatus *de decem Chordis*. XCVIII. ex Homilia 9. Origenis super Numeros multa mutuatur. Historiam Nadab & Abiu, qui puniti sunt à Deo, quòd ignem alienum obtulissent, (*Numer.* 3.) cum illâ quæ refertur *cap.* 16. de Core, Datham, & Abiron, confundit. XCIX. ejusdem Homiliæ Origenianæ pars est, à Lovaniensibus propterea meritò rejectus in appendicem.

Centesimus Sermo, non est Augustinianus. *Christum in medio duorum Testamentorum*, tanquam *in medio duorum animalium*, sic esse ait, ut sit *intus in interiori & spiritali intellectu, non in littera.* Idne verum, amabo te, in hoc Oraculo, Danielis 9. *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus?* Et in hoc versu Matth. 1. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de quâ natus est Jesus qui vocatur Christus?* Nonne Christus est in litera? Beatam Mariam Virginem facit terram promissionis, quia per Isaïam

multò ante promissa est. Ipsam esse de quâ legimus : *Suxerunt mel de petra.* Et de ipsa scriptum esse : *Petra autem erat Christus.* Quâ accommodatione quid absurdius ? *Petra erat Christus*, ergo B. Virgo est illa Petra.

CI. Spurium esse, vel hæc sola verba proderent, si nulla alia ratio suppeteret. *A serpentibus regulis, id est basiliscis, in deserto populus vastabatur.* Latinam vocem *regulus*, per Græcam, S. Augustinus, (ut opinor) non exposuisset. Præterea, cum Scripturâ sacrâ pugnat, cùm ait : *Si Amalech sævus hostis occurrit, Jesus Filius Nave virgam tenere manu jubetur.* At Scriptura sacra virgam Moysi tribuit, non Josue contra Amalecithas pugnanti; Exodi 17. *Dixitque Moyses ad Josue : Elige viros, & egressus pugna contra Amalech : cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Josue ut locutus erat Moyses, & pugnavit contra Amalech.*

CII. Non malus est, sed stylo nequaquam Augustinianus : imò quandoque squallida phrasis. *Agnoscite*, inquit, *utrum velit negare misericordiam, qui de conversione nostrâ suam dixerat mutare sententiam.* Item : *Si pro unius Dei culpâ, unius anni spatium recompensandum est pœnâ; quantam curam erga salutem animæ debemus apponere ? Non expectemus mortiferâ securitate vulnera ipsa putrescere. Et ideo quomodo quando in corpore vulnus accipimus. Vitiorum pannis sordentibus involuti. Plus cogitant qualiter caro sua parvissimo tempore vivat.* Denique frequenter *Fratres charissimos* compellat, & supplicat auditoribus, præter Augustini morem. Est S. Cæsarii Arelatensis.

CIII. Ex Homiliis 13. & 14. Origenis in Numeros haustus est. CIV. in Grammaticam peccat, cùm ait : *Dominus omnia loca totius mundi divinâ potestate circumvenit.* Peccat & contra rectum ratiocinium, cùm ait : *Non enim minoris admirationis est, Lazarum ligatum pedibus ambulare potuisse, quàm à mortuis resurrexisse.* Contra S. Augustinus Tractatu 49. in Joannem : *Quomodò processerit ligatis pedibus miraris ; & non miraris quia surrexit quatriduanus ?* Confer hunc Sermonem cum illo Tractatu, & judica. CV. pars postrema fragmentum est interpolatum ex Sermone *de Susanna & Joseph*, ab illis verbis : *Si pro terrenis bonis, &c.* Prior pars coactas allegorias continet, duramque omninò sententiam, & Anabaptistis faventem. *Ita est, fratres, quia ad spiritalem terram repromissionis, id est conscientiam puram, nonnisi per Sacramentum Baptismi pervenitur.*

CVI. Scripturæ sacræ verba pervertit, dum Josue introducit his verbis populum compellantem : *Præparate vobis cibos ad diem tertium :* & subjungit : *Præparatis cibis, tertio die ventum esse ad Jordanem.* Sed non sic apud Josue habetur : *Præparate vobis cibaria*, (inquit cap. 1.) *quoniam post diem tertium transibitis Jordanem.* Quod mandatum vel in Sethim datum est, ut putat S. Augustinus, *In Josue Quæst.* 2. & tunc nonnisi ad diem septimum venie ad Jordanem : vel datum fuit, cùm jam ad Jordanem venissent, ut ex verbis Josue cap. 3. v. 1. colligit Tostatus. Utut est, falsa est sententia Interpolatoris, die tertiô à præparatione ciborum Josue & Filios Israël pervenisse ad Jordanem. Præterea narrationem Scripturæ * de duodecim lapidibus missis in Jordanem, & duodecim inde sublatis, refert ordine præpostero, & ad 12. Patriarchas, nec-non ad Apostolos 12. accommodat.

* Josue 4.

CVIII. Stylus, & sententiæ S. Augustino indignum probant. Unâ in Historiâ Gedeonis quatuor Christi typos invenit. Scilicet Gedeonem, Angelum qui venit ad eum, Petram super quam obtulit holocaustum, & Taurum quem immolavit. Quæ si ita sint, consequens est quòd Christus venerit ad Christum, quod Christus occiderit Christum, & quòd Christum obtulerit suprà Christum, quod absurdum est.

CXI. Stylus Augustiniano dissimilis. CXII. ex Alcuini Libello *de virtutibus & vitiis*; cap. 1. & 5. descriptus est. CXIII. est decimus septimus *de Verbis Domini.* CXIV. à Lovaniensibus meritò rejectum competiet, qui illum cum 76. *de Diversis* contulerit. CXV. eodem jure in appendicem detrusus. Symbolum enim ter recitat, nunquam explicat totum, singulos Articulos à singulis Apostolis dictatos fingit; jejunè exponit quidquid exponere aggreditur.

CXVI. Conferas cum octavo *de Diversis*, ad Competentes pariter habito, hunc spurium esse statim dignosces. Orationem suam humilem suggestionem vocat, præter morem S. Augustini. Ut Competentes per Baptismum *ex vasis diaboli mereantur effici vasa Christi*, totum ait *spiritaliter impleri ministeriis Angelorum. Res alienas reformare* usurpat pro *restituere.* Solœcum facit ; *Hoc etiam oportet Competentibus observare.* De crimine mulierum quæ fœtus excutiunt, & filios occidunt, jejunè loquitur ; *Satis grave*, inquit, *peccatum est.* Sic etiam de iis qui in odio proximi sunt pertinaces, dubitanter loquitur : *Si ille qui baptizandus est, iracundiam vel odium in corde reservat, nescio si in eo gratia divina proficiat.* At id nescire Christiano, nedum Concionatori, nefas.

* CXVII. Ex S. Ambrosio *in Lucam* decerptum indicant Lovanienses. CXVIII. Sancto Maximo restituunt. CXX. inter Sermones Eusebio Emisseno adscriptos recensetur. CXXI. meritò ex Augustinianorum ordine exclusus. CXXII. stylo à genuinis S. Augustini Sermonibus dissidet. CXXIII. expungendus. Conferatur cum Sermone 119. *de Tempore*, & 75. *de Diversis.* An hæc Augustiniana phrasis ? *Christus ideò mortuus est, ut nos reviviscere.* Malè etiam inscribitur Feriâ 4. post Dominicam Palmarum: siquidem quindecim diebus ante Pascha Symbolum Competentibus tradebatur. CXXIV. S. Augustini esse stylus negat. An sunt istæ Augustinianæ phrases ? *Petrum paululum Dominus subdeseruit. Puella accedens, fidem Petri discussit : & mirum si soliditatem Petri non turbo, non imber, sed roris levissima gutta transfixit. Petrus labia puellæ non sustulit. Processit sermo puellæ, & immobilis columna concussa est.* CXXV. est Symbolum Damaso Papæ falsò adscriptum, quod extat inter Opera S. Hieronymi. CXXVI. cum iis S. Augustini locis conferatur in quibus Dominicam exponit Orationem, scilicet cum *Homilia* 42. *Sermone* 135. *de Tempore, Sermone* 9. & 48. *de Diversis*, & *lib.* 2. *de Sermone Domini in Monte*, *cap.* 5. & sequentibus : & hunc S. Augustini non esse compertum erit. CXXVII: non esse Augustinianum patet ex eo quòd *non solum minuta, sed etiam capitalia peccata, humilitate quâ* peregrinorum & pauperum pedes abluuntur, *eleemosynis, & jejuniis* purgari asserit & curari ; contra S. Augustinum Homilia 50. & alibi. CXXVIII. est S. Maximi Taurinensis.

CXXIX. Fidei Libellus est, non Sermo. Insertus est Codici antiquo Canonum Ecclesiæ Romanæ, quem cum S. Leonis Operibus, publici juris fecit P. Quenellius. Sed monuit ille, in tribus Codicibus MSS. duodecim tantum haberi Anathematismos : inter S. Augustini Opera legi quatuordecim aliis Anathematismis auctiorem. In his de Spiritu Sancto dici tantùm quòd *à Patre procedat.* At verò apud S. Augustinum, quòd *à Patre & Filio.* Eumdem Libellum Actis Concilii I. Toletani insertum observat, sexto, septimo, & octavo Anathematismo detractis. Priscillianistarum potissimùm errores Libellus iste configit. Rogante forsan Orosio, nec-non Eutropio & Paulo Hispanis Episcopis, qui Commonitorium ad S. Augustinum transmiserant

transmiserat adversùs Priscillianistatum errores in Hispaniis invalescentes, ab eodem Sancto Doctore inscriptus est. Quatuordecim posteriores Anathematismi, qui nec in Codice Romano, nec in Concilio Toletano habentur, descripti sunt, & huic Libello assuti ex Confessione Fidei Catholicæ, quam Damasus Papa misit ad Paulinum Antiochenum. In Codice laudato Romanæ Ecclesiæ inscribitur, *Libellus Augustini de Fide Catholica contra omnes Hæreses.* Sub nomine etiam S. Augustini laudatur à Magistro Sententiarum, *lib.* 3. *Distinct.* 21. Estius in III. Sententiarum, Dist. 21. §. 3. editum suspicatur à Scriptore in Nestorianos propenso, quorum errori favere videatur Anathematismus 5. his verbis conceptus: *Si quis dixerit atque crediderit hominem Jesum Christum a Filio Dei assumtum non fuisse, anathema sit.* Et sextus: *Si quis dixerit Filium Dei Deum passum fuisse, anathema sit.*

CXXX. S. Chrysostomo tribuitur à Lovaniensibus ex quorumdam MSS. fide. CXXXI. Augustinianus est ab illis duntaxat verbis, *Hunc brevem Sermonem.* Quod fragmentum, ex Sermone 75. *de Diversis*, exceptum est. Prior pars affinis est Sermoni 115. *de Tempore*, pariter supposititio. Symbolum tertiâ vice reperit; *Ut ad reliqua capienda*, inquit, *facili cursu pervenire possimus.* Quale porro istud ratiocinium? *Triduana enim sepultura mora evidenter ostendit, quod dum corpus in sepulchro jacuit, anima illa de inferis triumphavit.* Omitto verborum flosculos: *Intelligentiam supercedis, in duabus personis credere*, &c. CXXXII. jure in appendicem à Lovaniensibus rejectus est. Contradicit enim Evangelio, cùm ait: *Petrus Resurrectionis Filii Dei & ante crucem conscius, quam prædixerat ipse passurus.* Contrà S. Joannes cap. 20. Evangelii sui de se & Petro post Resurrectionem ait: *Nondum enim sciebant Scripturam, Quia oportet eum à mortuis resurgere.* CXXXIII. consutus est ex duobus pannis scilicet ex fragmento Sermonis 48. & ex integro Sermone 57. ex editis sub nomine S. Ambrosii.

CXXXIV. Sylô & doctrinâ penitùs à S. Augustino alienus. Negat spiritum Dei qui ferebatur super aquas, Deum esse, contra S. Doctorem *lib.* 13. *Confessionum, cap.* 5 & sequentibus, & lib. 1. *de Genesi ad literam*, cap. 7. Asserit hunc spiritum fuisse *Seminarium animandæ conditionis*, sive *spiritum hujus mundi, quo animantur universa*: quam sententiam explodit S. Augustinus *lib.* 2. *Quæst.* 1. *ad Simplicianum.* CXXXVI. inter Eusebianos conscriptus, idcóque rejectus in appendicem, sicut & duo sequentes. CXLII. styli diversitas spurium probat. CXLIII. consutus est ex diversis pannis. Conferatur cum Enarratione in Psalmum 139. ex qua nonnulla habet. CLII. fragmentum est sexti *de Diversis.* CLIII. & CLIV. dubios stylus facit. CLVI. inter Eusebianos legitur. CLVII. magnam partem desumptus est ex Sermone 74. *de Diversis.* & ineptè inscribitur: *Dominica in Octavis Paschæ, ad Competentes.* CLVIII. fragmentum est 147. *de Tempore.* Meritò rejectus in appendicem est, cum sequenti, à Lovaniensibus. CLXI. fors eadem, & æquè justa. Nam & cum S. Augustino Sermone 33. *de Verbis Domini*, & cum ipso Evangelio pugnat, cùm ait: *Thomas cùm esset sanctus, fidelis, & justus, hæc omnia sollicitè requisivit; Non quòd ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem incredulitatis excluderet.* CLXII. dubius. In Bibliotheca Cluniacensi, adscribitur S. Odiloni. Mortem primam & secundam aliter explicat quàm S. Augustinus. CLXV. est liber *de Pastoribus*, qui habetur *Tomo* 9. CLXVI. continet caput 6. Alcuini *de virtutibus & vitiis.* CLXVII. est 57. *de Verbis Domini*: ideò à Lovaniensibus prætermissus. CLXVIII. undecimus est inter eos qui S. Cæsario tribuuntur. CLXIX. in appendicem rejectus. CLXXI. cum Sermone 29. *de Verbis Domini* si conferas, de ipso dubitabis. CLXXIII. sordida dictio, S. Augustini non esse probat. CLXXIV. fragmentum erat nonagesimi *de Diversis.* CLXXV. ex Sermone 12. *de Diversis*, magnam partem desumptus, & interpolatus. CLXXVI. meritò rejectus à Lovaniensibus, cùm inter Eusebianos legatur, & errorem Eutychetis post obitum S. Augustini exortum impugnet.

CLXXVIII. Stylus cothurnatus & Poëticus Augustini esse negat: cujus doctrina & hæc indigna est hypotyposis: *Namque in unis poli lata carminibus regia ampla Dei reseratur, undique syderei repagula cœli, atque astriferi orbis arcana solutâ penitus compage patescunt. Recessit in geminam arcem divisus aër, & latè ardua cœli latera concisis marginibus dependerunt.* Non ignorabat S. Doctor cœli corpus à Pontifice nostro penetrari potuisse, qui clausô Matris uterô exivit, & ad Discipulos januis clausis introivit. CLXXIX. ejusdem farinæ est. Christum vocat, *Protosorum æterni Consulis, nubium glacie candidatum*, qui ad futurum judicium venturus sit *in lætitia nubifera, demonstrans foraminum cruenta monilia.* CLXXX. ejusdem Auctoris est. Nedum Augustiniana lingua non loquitur, sed vix humana. *Ecce in clypeo Actuum Apostolorum prudentium virum plecta lumina piscatorum. Maris tenimine duos cælestes Præcores, ut alumnos suos securos redderet metuentes. Piscatores viri inquiunt, Galilæi, quid aspicitis in Jesum? Ascendente Angelis, & quodam digito tuba sonantis tangent sepulchra terræ trementis, ut pignora restituant throno ignee judicantis. Sic veniet quomodo eum vidistis euntem in cœlum. Ista allocutio non est linguarum septuaginta, sed patenter nubes dicuntur pluviales, ut occurrant in rore, & refrigerosa amœnitate, qui conscientia non continent quæstionem.* CLXXXI. Lovanienses rejecerunt in appendicem, quod verba S. Gregorii Magni contineat, aliaque præ se ferat signa suppositionis. CLXXXII. non est S. Augustini. Septem dona Spiritus sancti *beatitudines vocat*, eorumque ordinem confundit. CLXXXIII. prudenter à Lovaniensibus rejectus. Refert esse qui putent Christum die Pentecostes in cœlum ascendisse. Quod mirum est si cuiquam sanæ mentis Christiano venerit in mentem. CLXXXIV. obelo etiam configendus est. Idem esto de sequente judicium ob diversitatem styli ab Augustiniano: & quòd Spiritum Sanctum à Domino promissum dicat *in locum Dei.* Et de B. Petro, quòd *in Traditorem & gladiatores gladium strinxerit.* At Evangelium testatur tantùm in servum Principis Sacerdotum ipsum gladium exeruisse. Præterea milites gladiatores vocare S. Augustino insolens est. CLXXXVIII. nigrô calculô notatus à Lovaniensibus. CLXXXIX. perperam inscribitur *In Festo S. Trinitatis*, quod multis sæculis recentius est. Concionator inter scire & credere ita distinguit, ut nesciamus quod credimus; & se profitetur nescire quomodo uno nomine tres appellentur. Id S. Augustinus non dixisset, qui *nostram scientiam constare* ait *ex visis & creditis*: (Epist. 112.) Illud Christi oraculum Joannis 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, sic explicat iste Concionator: *In eo quòd Filium vides, intellige Patrem. Non enim potest appellari Filius, nisi habuerit Patrem.* Contra S. Augustinus hunc locum sic explicat Tractatu 70. in Joannem: *Sic dictum est: qui videt me, videt & Patrem, quod à Patris similitudine in nullo discrepet Filius.* Et Epist. 112. ad Paulinam: *Dicendo, Qui videt me, videt & Patrem, ostendere voluit unitatem substantiæ Patris & Filii.* Post-emn e lit 147.

CXC. Ejusdem ingenii est. *De qualitate rei*, inquit, *quærere non debens, quia Deus credi se voluit, non examinari.* Et tamen subdit: *Pro captu, pro viribus, pro Fide nostra intueamur, Deus quid sit.* Inter nomina quibus Filius Dei in Scripturis vocatus est,

recenſet *retia*, & *aratrum*. Res inaudita! cxci. totum Symbolum Pelagii Hæreſiarchæ continet, de quo diximus in Synopſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ 4. Sæculi, cùm de S. Hieronymi Operibus egimus. Mirum quòd Lovanienſes Doctores illum hoc nomine non rejecerint. Tres ſequentes ab eodem Impoſtore affictos S. Auguſtino, probant exordia, & connexio cum iſto. Non magis eſt Sancto Doctore dignus cxcv. quod vel ineptum iſtud exordium oſtendit: *Rogo & admoneo vos, Fratres chariſſimi, ut quicumque vult ſalvus eſſe, Fidem rectam ac Catholicam diſcat*. Et frequens repetitio iſtius verbi, *Credite*, & iſtarum vocum, *Qui fuit*, initio decem periodorum. Id probant & verborum floſculi: *Aſcendere in cœlis. Si quis vult Diſcipulus Chriſti eſſe, Mandata ſua cuſtodiat, à Judæis perſecutus. Ita oportet unicuique obſervare*. cxcvi. eſt Fragmentum vigeſimi octavi *de Diverſis*.

cxcvii. Dubius eſt ob coactas allegorias, in quibus variat & confundit: & in præclaram illam Regulam peccare videtur à S. Auguſtino traditam Lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 9. *Ut literam ſequi, & ſigna pro rebus, quæ iis ſignificantur, accipere, ſervilis infirmitatis eſt; ita inutiliter ſigna interpretari, vagantis erroris eſt*. Ob eandem rationem dubito de cxcviii. Eundem eſſe Auctorem exiſtimo allegoricorum hujuſmodi Sermonum, qui ſui ſemper ſimilis, ubicumque tria invenit, facit Trinitatem; ubi decem, ibi Decalogum, ubi quinquaginta ibi Spiritum Sanctum; ubi aquam, ibi baptiſmum; ubi lignum, ibi crucem; ubi mulierem, quamvis meretricem, ibi Eccleſiam, ubi Angelum, ibi Chriſtum, quamvis ſit Angelus percuſſor, ut ille qui ſtetit juxta aream Areuna Jebuſæi. Nec ad eximiam illam Regulam attendit, quam tradit S. Auguſtinus Sermone 20. de Diverſis, *Non ſemper in Scripturis eadem ſignificantur rebus certis, & quæ ponuntur allegoricè in Scripturis, non ſemper hoc ſignificant*. cxcix. erat Tractatus *De quinque Hæreſibus*, ut monent Lovanienſes.

Ducenteſimus Lectionem veſpere recitandam exponit: quod S. Auguſtino inſolitum. Ex Oratione *de quinque Hæreſibus* ſua mutuatur. Ex meretricibus, quæ coram Salomone litigarunt, alteram Eccleſiæ typum facit. cci. ob incongruas allegorias in appendicem rejiciendus. Ut baptiſmum conjungat cum cruce, fingit Viduam Sareptanam exiiſſe ut aquâ ſe lavaret, ac ligna colligeret: cùm Scriptura collectionis duntaxat lignorum, non autem balnei, aut lotionis meminerit. 2. ait Viduam illam *Eccleſiæ figuram* fuiſſe; filium viduæ *typum populi Chriſtiani*. Quaſi populus Chriſtianus ab Eccleſia diſtinguatur. 3. Ait, *Veniente Chriſto, filium Eccleſiæ, id eſt populum Chriſtianum, de carcere mortis reductum*. Quod minus accuratè dictum; cùm, veniente Chriſto, nondum eſſet populus Chriſtianus: vel mortis, id eſt, peccati carcere incluſi non eſſent, qui reipſa, licet nondum vocabulo, erant Chriſtiani, id eſt, qui in Chriſtum credebant, & ſecundùm Dei præcepta piè & juſtè vivebant: ſed Chriſti venturi meritis & ſanguine jam eſſent de carcere mortis reducti. Adde *brevia capitula, & indicula, per quæ ſancta deſideria ad perſcrutanda divina myſteria incitantur*. Quæ dictio non eſt Auguſtiniana. ccii. nec ſtylô, nec ſententiis Auguſtinianus eſt. Explicans trabem & feſtucam in oculo hærentem, ait: *Subita iracundia feſtuca eſt: ira verò quæ in longum tempus protrahitur, dum per odium falſis ſuſpicionibus nutritur, trabes efficitur*. Contra, ira inveterata ex S. Auguſtino nihil aliud eſt quàm odium, ut patet ex Homilia 42. & *cùm ira creſcit in odium, trabem facit de feſtuca*, ut habet *Epiſtolâ* 109. Quomodò itaque ira per odium nutritur, & trabes efficitur? cciii. ex Capitibus 7. & 8. Alcuini *de Virtutibus & Vitiis*, deſumptus, in appendicem rejiciatur, vel ex hoc Tomo penitus deleatur. cciv. contra Hiſtoriam graviter peccat. Everſionem Hieroſolymorum poſt quadraginta duos annos à Paſſione Chriſti conſignat: Sed anno Chriſti 71. vel 72. everſam Urbem à Tito certum eſt: adeòque annis poſt Chriſti Paſſionem triginta quinque. Duobus annis obſeſſam eandem civitatem narrat: cùm ex Hiſtoria belli Judaici conſtet quatuor tantùm menſibus obſidionem duraſſe. Ait in Hiſtoriis ſe legiſſe, quòd *Centum millia juvenum Romam perducti ſunt in triumphum*. At ex Joſepho conſtat, eo in triumpho ductos tantùm eſſe Joannem & Simonem Gioræ ſeditioſorum duces, cum ſeptingentis Judæis robore & forma præſtantibus. Præterea coacta eſt allegoria, quâ duos urſos, qui quadraginta duos pueros Eliſæum irridentes devorarunt, Veſpaſianum & Titum interpretatur.

Poſtremæ [illegible]

ccvi. Æquè incongruas allegorias habet. Vidua Sareptana typus erat Eccleſiæ. Vicini à quibus vaſa petebat, populum Gentium figurabant adeòque ipſam Eccleſiam, quæ ex Gentibus eſt collecta. Vaſa ipſa vacua ſignificabant Gentes. Itaque, ſecundùm iſtum Concionatorem, Gentium Eccleſia Gentes à Gentibus petebat. Addit Eccleſiam, ſicut illam mulierem, ſterilem fuiſſe, & filium Eccleſiæ mortuum fuiſſe peccatis, antequam Chriſtus veniret; ſicut filius illius Viduæ mortuus eſt, dum Eliſæus abſens eſſet. Itaque Eccleſia ſterilis erat, & filium habebat ante adventum Chriſti. Baculum Eliſæi, crucem interpretatur: benè eſt. Sed cur Viduæ cœnaculum iterum crucem facit? An illi non ſufficiebat una crux? Conferas quæ hîc de baculo Eliſæi, & de filio Viduæ ab eo ſuſcitato dicuntur, cùm iis quæ de eadem figura habet S. Auguſtinus lib. 12. *contra Fauſtum*, cap. 35. & Sermone 11. *de Verbis Apoſtoli*, cap. 10. & judica num ejuſdem ſint Auctoris.

ccvii. A Lovanienſibus meritò ſubmotus eſt. ccviii. ejuſdem parentis eſſe ac alios, quos ſupra notavi, allegoricos, fatebitur quiſquis legerit. Puellam quæ captiva de Judæa ducta fuerat, prophetiam interpretatur. Addit *Populum Gentium prophetiam audiviſſe, & veniſſe ad Chriſtum*. ccix. mirum eſt quod Lovanienſes non expunxerint, qui Eutychetis errorem nominatim perſtringit, de quo nihil audire potuit S. Auguſtinus, cùm poſt ejus mortem ſit exortus. Monothelitarum errorem confundit cum Eutychiano. *In hac lectione*, inquit, *ſimul conſideranda eſt in uno eodemque Redemptore noſtro disjuncta operatio divinitatis & humanitatis; atque omnimodis deteſtandus error Eutychetis, qui unam tantum in Chriſto dogmatizare præſumit operationem*. Ferri poſſet, utcumque, quòd duos piſces allegoricè interpretatur *duo teſtamenta*; ſed quòd æquè exponi poſſe putat *de uno libro omnium Prophetarum*; vel de *S. Joannis prædicatione*, quis ferat? Scilicet duo piſces ſignificant unum librum, vel ſexdecim Prophetas? & muta animalia vocem clamantis in deſerto: ô ineptias!

ccx. In allegoricorum claſſem, de quibus ſupra rejiciendus, & conferendus cum cap. 35. lib. 12. *contra Fauſtum*, ubi eandem figuram S. Auguſtinus explicat. Tunc compertum erit, hujus Sermonis Auctorem revera eſſe, qualem ſe fatetur, *Negligentem præconem veritatis*. ccxi. à Lovanienſibus non injuriâ rejectus. ccxiii. ex Capitibus decimo & decimo-quinto Alcuini, *de Virtutibus & Vitiis*, conſutus eſt. ccxv. indigniſſimus eſt S. Auguſtino, tum ob ſtylum ſqualidum; cujus ſpecimen eſt, *verboſari*, quod uſurpat pro confabulari: *præcantatores*, pro aruſpicibus, magis, vel ſortilegis, *balationes*, pro ſaltationibus. Tum ob criminum incredibilium narrationem de Hipponenſibus Chriſtianis, ſcilicet ſaltationum ante Baſilicas Sanctorum. Quintæ

tæ Feriæ in honorem Jovis observatæ, turpitudinis cum hinnicula, vel cervula perpetratæ, diabolicorum caracterum quos sibi, aut suis appenderent. Et hujusmodi reos flagitiorum S. Augustinus anathemate non contrivisset? Ipsos Christiani Magistratus tulissent? Audi tandem consilium egregii Concionatoris. *Si ad vos pertinent*, inquit, *etiam flagellis cædite*. Itane? Absque discrimine. Humanius consilium dedisset Augustinus, ut constat ex Tractatu 10. in Joannem: *Si amicus est*, inquit, *admoneatur leniter; uxor est, severissimè refrænetur; ancilla est, etiam verberibus compescatur*. Tandem de Extrema-Unctione ita loquitur, ac si ejus Minister esset ipse ægrotus: *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum suum ungat*.

ccxvi. Ejusdem pretii apud me est ac præcedens. Incredibile est quòd Christiani Hipponenses in Ecclesiis causas dicerent, aut lites & rixas suscitarent. Scilicet, Magistratus Ecclesiam convertebant in Prætorium, sub Christianis Religiosisque Principibus, Augustino vidente & ferente! Et tamen egregius iste Concionator sic declamat: *Ille Christianus qualis est, qui vix aliquando ad Ecclesiam venit; & quando venerit, non stat ut oret pro peccatis suis, sed ut causas dicat, aut lites & rixas suscitet?* ccxvii. initio & fine demptis, quæ nihil S. Augustini habent, ex Sermone 45. *de Diversis*, & quidem interpolato fabricatus est. *Photinus*, inquit, *à quo hæretici Photiniani appellantur, quasi simplex pallium fecit viro suo*. Photinus mulier est, quæ virum duxit; si verbis Declamatoris nostri credamus. Longè aliter S. Augustinus in Sermone laudato de Diversis: *Nescio qua mulier apud Photinum quemdam elegit quasi simplex pallium facere viro suo*. ccxviii. ex eodem fonte manavit ccxix. stylus, & adhortatio vehementior ad solvendas Sacerdotibus decimas, S. Augustini esse negant. Confer hunc Sermonem cum Enarratione S. Augustini in Psalmum 146. ex quâ patet Sacerdotes in Ecclesia Africana decimas non petivisse à Christiana plebe *Dominus ait, Manducate quæ ab ipsis sunt*, inquit, *& ne putarent aliquid de suo donare: Dignus est, inquit, operarius mercede sua. Talia non quærimus à vobis, ideo liberius dicimus. Sed & si quæreremus, fructum vestrum quæreremus, & non vestras opes: sed vestram justitiam. Efficite ut vos ipsos exigatis, efficimini exactores vestri. Christus tacitus exigit, & major est vox tacentis, quia in Evangelio non tacet.... Nemo enim à vobis potest exigere, nisi forte exactione opus est, ut qui vobis in Evangelio serviunt, petant à vobis. Si ad hoc ventum fuerit ut petant, videte ne quod vos à Deo petitis, frustra petatis. Ergo estote exactores vestri, ut aliquid illi, qui in Evangelio serviunt vobis, non dicam petere cogantur; sed ne silentiâ vos arguant*.

ccxxi. Ex præfatione Enarrationis secundæ in Psalmum 25. desumptus est, duabus primis periodis, & epilogo exceptis ccxxii. ex enarratione Psalmi 97. interpolatâ prodiit. Interpolatoris minervæ debetur illud exordium, quod nullius ipsum judicii fuisse probat: *Beatus Job, Fratres dilectissimi, tam Sanctus fuit, ut in illo compleretur illud, quod in Psalmo Spiritus Sanctus dixit: Psallite Domino in cithara, & voce Psalmi* Scilicet prophetia David, (si tamen hæc verba prophetiam continent) impleta fuit pluribus ante Davidem sæculis. ccxxiii. erat Liber *de Pœnitentia*. ccxxiv. à Lovaniensibus meritò rejectus. ccxxv. æquè rejiciendus erat, ob stylum repentem, & judicii defectum. De diabolo in Sanctum Job pugnante, ait: *Arborem concussit, & decutere poma non valuit. Et ramos quidem confregit, sed radici nihil nocuit*. Si ramos confregit, quomodo poma decutere non valuit? Addit *Parietem perforavit, sed thesaurum auferre non potuit*. Bonus paterfamilias non sinit à fure perfodi domum suam. Itaque sanctitati & vigilantiæ Jobi, injuriam facit.

ccxxvi. Ex S. Ambrosio haustum notarunt Lovanienses, ideoque in appendicem rejecerunt. ccxxvii. plus æquo faverunt, quem Augustino nemo tribuet, qui Augustini nomen amaverit. A solœco exorditur: *Faciendis eleemosynis, Fratres charissimi, charitatem vestram admonui, & consilium dare præsumpsi*. Divitem epulonem (de quo Lucæ 16.) sic alloquitur: *Clamavit tibi Scriptura, & non audisti. Propheta non tacuit, Apostolus prædicavit, Evangelium sonuit*. Si ita est, cur Abraham non dixit: Habent Evangelium & Apostolos; sed, *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos*. ccxxviii. & ccxxix. rejecti sunt à Lovaniensibus. ccxxx. stylus non est Augustinianus; ut nec duorum sequentium; qui *de ebrietate vitanda* inscribuntur, quorum phrasis squallida & barbara. Ineptus est Concionator, qui hanc ebriosis Hipponensibus excusationem affingit: *Persona potens me coegit ut amplius biberem, & in convivia Regis non potui aliud facere*. Quasi verò cives Hipponenses convivio excipi ab Imperatore solerent, & ad ejus mensam se vinô ingurgitare. ccxxxiii. præter styli, dictionisque discrepantiam ab Augustinianis, Sanctissimi Doctoris Theologiæ repugnat. *Mali tenent* inquit, *& ... volunt. quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non; hunc dignum habet, & illum indignum. Audi, ò homo: Hunc dignum habet pro bonis operibus suis; illum habet indignum pro operibus suis malis*, &c. Et infrà: *Quid volebat? Gratiam Dei. Ergo si gratiam Dei quæris, aufer primùm iniquitatem ab anima tua, & à conspectu oculorum meorum. Jam cessa à malo; & fac bonum. Et cùm hæc feceris, gratiam meam percipies*.

ccxxxviii. Erat Tractatus *de Bono Disciplinæ*, S. Augustino falsò inscriptus. ccxxxix. erat Tractatus S. Augustini *de Disciplina Christiana*. ccxl. non est Sermo, sed fragmentum. Duo sequentea meritò *à Lovaniensibus* sunt rejecti.

ccxliii. Non est S. Augustini, quo indigna hæc Sententia est: *Qui ante legitimas nuptias concubinam habere præsumit, pejus peccatum facit, quàm qui adulterium committit*. Addit Impostor, concubinarios publicos in Ecclesiâ Africana à communione exclusos non fuisse: *Sed fortè*, inquit, *illi qui ista peccato non sunt maculati, dicunt: Quare qui hoc agunt, à communione non suspenduntur? ideò enim tantum scelus à Sacerdotibus minimè vindicatur, quia à multis admittitur*. At ex Augustino *Homilia* 49. & *Epistola* 64.* *ad Aurelium* datâ, certum est, fornicatores non solùm *ab Ecclesiastico Ministerio*, verùm etiam *ab ipsa Sacramentorum communione*, exclusos fuisse, secundùm Africanæ Ecclesiæ disciplinam.

* Posterma edit. 82.

ccxliv. Qui legerit, mirabitur, quòd ab eruditis viris*, qui olim S. Augustini Operum editionem curarunt, sublatus non sit, ut fœtus tanto Doctore, imò quôvis homine sapiente indignissimus. Pessimè explicat hæc Psalmi 50. verba: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, &c. *Sed dicis*, inquit, *Uxorem exceptâ desideriô filiorum cognoscere, peccatum non est. In tantum peccatum est, ut Propheta pœnitens clamet, In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*. Novas uxores triginta dierum spatio arcet ab Ecclesiæ liminibus. *Denique*, inquit, mulieres, *quando maritos accipiunt, per triginta dies intrare in Ecclesiam non præsumant. Quod etiam similiter viri observare deberent*. Dignos scilicet excommunicatione faciunt novos conjuges nuptiæ, quos Ecclesia conciliavit! Denique an hæ S. Augustini ingeniô dignæ fabulæ, & ineptiæ? *Ante omnia, ut quotiescumque dies Dominicus, aut aliæ Festivitates veniunt, uxorem suam nullus agnoscat. Et quoties fluxum sanguinis mulieres patiuntur,*

similiter observandum est: Propter quod ait Propheta: *Ad mulierem menstruatam non accesseris. Nam qui uxorem suam in profluviis positam agnoverit, aut in die Dominico, aut in aliâ qualibet Solennitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascentur. Denique quicunque leprosi sunt, non de sapientibus hominibus, qui & in aliis diebus, & in Festivitatibus castitatem custodiunt, sed de rusticis maximè, qui se continere non sapiunt, nasci solent.* CCXLVI. Non malus est, sed stylò se S. Augustini esse negat. CCXLVII. S. Cyprianum, *de Habitu Virginum,* laudat ejusque verbis deinceps utitur, sed truncatis & interpolatis, contra S. Augustini morem. In CCXLVIII. dictio, & facundia Augustiniana desiderantur. Non sunt hæc S. Augustini verba, vel phrases: *Vaniloquax, risus excelsus, invidia cor perforat, Christi discipulatui condigni, superbia spiritus,* pro superbia vitæ, *Joannes persuadet nos.* CCXLIX. ex libro Alcuini *de Virtutibus & Vitiis,* cap. 18. magnam partem conflatus.

CCL. Stylo discrepat ab Augustinianis. *David enim ille sanctissimus,* inquit, *in mille passibus mulierem nudatam vidit, & statim homicidium fecit, & adulterium. Verè nimium plangenda & miseranda conditio est, ubi citò præterit quod delectat, & per diabolum in cruce manet sine fine quod cruciat. Voluntas perfecta faciendi, reputabitur pro opere facti: qui moras in suis cogitationibus habere permiseris.* Clericos & Monachos adhortatur coram plebe, ut inhonestam familiaritatem fugiant, quod S. Augustini prudentia indignum. In hoc tamen Sermone, quasi gemma in luto micat hæc Sententia: *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur.*

Nec CCLI. Augustinianus est, ut probant istæ phrases: *In Ecclesia verbosantur. In aleâ vel in tecis inutilibus insudare. In hominibus bibere.* Venationem *diabolicum officium* vocat. Denique S. Augustini ævo hi non conveniunt abusus, in quos iste Declamator invehitur.: *Adhuc quoque, quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, & maximè Potentes istius mundi, qui cùm veniunt ad Ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt Presbyterum ut abbreviet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam & avaritiam, quatenus unum punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates.*

CCLII. Non est S. Augustini. Pugnantia namque & cum Augustino, & secum loquitur. *Unusquisque* inquit, *consideret conscientiam suam; & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis, vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere. Crimen,* ex S. Augustino, *est peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum:* quòd sin minùs Pœnitentiâ publicâ, saltem Ecclesiæ clavibus purgari debet. Proinde qui criminis alicujus reus est, Eucharistiam non debet accipere, quantumvis jejuniis, orationibus & eleemosynis conscientiam suam purgare studuerit, sed necesse est ut Sacerdotes adeat, & Ecclesiæ clavibus se subjiciat. Lege Homiliam quinquagesimam. Sed audi rationem egregii Declamatoris, cur ad Eucharistiam is accedere debeat, vel possit, de quo loquitur. *Si enim,* inquit, *agnoscens reatum suum, ipse se à divino Altari subtraxerit, citò ad indulgentiam divinæ misericordiæ pervenies.* Probat eum qui divinam optat ac sperat misericordiam, ideò ad Eucharistiam debere accedere, quia debet se à divino altari subtrahere. CCLIII. ne S. Augustino tribuatur, nihil prohibet præter diversum dicendi caracterem. Inter Eusebianos conscriptus est. CCLV. S. Augustini acumen & facundiam non sapit. Boni sensûs vacua est ista periodus: *Nam quòd templa succenduntur: ita contrario qui Charitatis luce repletus est, si negligens fuerit, citò refrigescit, charitas, & cupiditas inardescit.* Templorum succensio, inaudita Dedicationis ceremonia. Si de cereorum, & lampadum incensione id intelligas, insulsus loquendi modus; nec accurata comparatio. Denique in Sermone postremo de Tempore, Caput 6. Augustinianum non videtur, cujus stylus alienus est. Videtur alterius esse Sermonis exordium. *Dum novam constructionem,* inquit, *sanctæ hujus Ecclesiæ libenter attendimus, quam divino nomini hodie dedicamus, invenimus à nobis deberi & Deo nostro maximam laudem, & Sanctitati vestræ congruum de divina domûs ædificatione sermonem.*

Inter Sermones S. Augustini De Sanctis, quinam Pseudepigraphi?

Ex Sermonibus *de Sanctis,* secundus est pannus ex Eusebio, & S. Augustino Sermone 237. *de Tempore* consutus. Tertius, magnam partem desumptus est ex Sermone 51. *de Diversis.* Quintus est S. Maximi Taurinensis. Quo nomine à Lovaniensibus rejectus est in appendicem. Sextus æquè rejiciendus erat, quòd nec stylô, nec sensu Augustinianus sit. En specimen: *Ligavimus incapabilem Filium Virginitatis, tradidimus judici Judicem æquitatis, superavimus superantem imperium vanitatis, oppressimus opprimentem imperium calamitatis, conspuimus faciem sanctitatis, & crucifiximus caci Filium Majestatis. Quare tardamus? Stephanum istum nostræ confusionis demonstratorem publicum publice rapiamus ad Concilium, in nostrum statuamus medium, Pontificali perturbemus Synodo, testimoniô opprimamus falsissimô.* Ait S. Stephanum *disputasse contra Legem:* quod solùm falsi testes dixerunt *Actor,* 6. imò S. Protomartyr legem impensè commendavit, ut *acceptam in dispositione Angelorum:* (Actor 7.) VII. fragmentum erat libri 22. *De Civitate Dei, cap.* 8. VIII. IX. X. & XI. S. Augustinum auctorem mentiuntur XIII. non est etiam S. Augustini, sed nec S. Leonis, cui illum viri eruditi tribuerunt. Neutrius esse stylus demonstrat. Hispanum fuisse ejus Auctorem colligitur ex his verbis: *Hunc ergo* (Vincentium scilicet Martyrem) *amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur,* Ex quibus manifestum est. S. Vincentium illic laudatum hoc Sermone fuisse, ubi Martyrium subierat. S. Leandrum Hispalensem Episcopum hujus Auctorem fuisse conjicit vir eruditus P. Quenellius: & primæ utriusque nominis syllabæ similitudinem, Leonem pro Leandro supponendi occasionem fortasse præbuisse, dum sola in MS. Codice remansit, cæteris apicibus vetustate excisis.

XV. Suô meritô rejectus est à Lovaniensibus, Infideles enim vocat Christianos, *Qui super tumulos defunctorum cibos & vina conferunt.* Quem morem in Africa suo tempore vigentem, & à matre suâ S. Monica etiam observatum S. Augustinus non reprehendit. Lege lib. 6. *Confessionum,* cap. 2. lib. *de Cura pro Mortuis gerenda cap.* 4. lib. 20. *contra Faustum: cap.* 21. lib. *de Moribus Ecclesiæ* cap. 34. & 8. *de Civitate Dei* cap ultimo. Gallum fuisse hujus Sermonis Auctorem verisimile est. Abusus enim in quem invehitur, Canone 23. Concilii II. Turonensis, anno Christi 570. celebrati reprehensus est. *Sunt etiam* (inquit istud Concilium) *qui in festivitate Cathedræ Domini Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores.*

XVII. Etiam apud S. Ambrosium legitur: sed S. Augustini videtur potiùs quàm S. Ambrosii. XVIII. ex variis pannis consutus est Sermonis Ambrosio olim adscripti qui est inter Augustinianos *de Tempore* X. item XX. *de Tempore,* & XXXV. *de Sanctis:* de quo postea. Errorem præterea Sabellianis tribuit toti retro antiquitati

quitati ignotum, & (secundum S. Augustinum) ipsorum errori repugnantem. *Nec fortuito*, inquit, *ut fingunt Sabelliani, Maria reperit parvulum, sed decursis novem mensibus peperit Christum*. Sabelliani, teste S. Augustino, Sermone 63. *de Verbis Domini*, docuerunt, *Ipsum Patrem natum ex femina, ipsum Patrem passum, ipsum esse Patrem qui est Filius*. Si hoc docuerunt, quomodo partum Virginis negavere, & Christum parvulum fortuitò repertum à Maria, instar infantis exposititii commenti sunt? Cæterùm hic sermo non malus est. xix. & xx. prudens Lovaniensium censura submovit. xxi. si cum xxiii. qui, omnium consensu, verè Augustinianus est, contuleris, supposititium esse tibi persuasum erit. xxii. est S. Petri Chrysologi.

xxv. Non esse S. Augustini, stylus puerilis demonstrat. S. Paulum à Matre baptizatum ait, cùm sit ab Anania baptizatus: Et quamvis Matris nomine forsan Ecclesiam intellexerit, obscurat tamen hæc locutio est, & affectata ab Auctore, ut jejunam illam faceret antithesim: *Baptizatus est à Matre, illuminatus est à Deo Patre*. xxvi. & xxvii. Lovanienses rejecerunt, quòd ille sit inter Ambrosianos sexagesimus octavus: iste verò sit S. Maximi Taurinensis. xxviii. Stylus infans & Poeticus, ab Augustiniano immensùm distans. En specimen. *Cùm Petrus linea castra laxaret in freto. Circumdat gentem squammeam. Dum insidiatur Petrus gregibus aquoreis piscium. Dum vellet Petrus inani opere quærens concludere piscem. Distendebat Petrus sinum lini. Dum insequitur gravidi semper æquoris prolem* S. Petrum vocat *Piratam reptilium*.

xxx. & xxxi. Inter Ambrosianos extant? uterque sunt in appendicem rejecti, Lovaniensium judicio. xxxii. ex S. Maximi Sermone *de Martyribus*, maximam partem desumptus est. xxxiv. est Tractatus *de Assumptione Beatissimæ Virginis Mariæ*, qui rejectus est in appendicem Tomi noni. xxxv. rejectus est à Lovaniensibus, quòd S. Isidorum libro *de vita & morte Sanctorum* laudet, ac Fulberto Carnotensi in quibusdam MSS. tribuatur. xxxvi. legitur inter Eusebianos. xxxvii. Bedæ tribuitur in Romano Breviario, ab aliis Alcuino. Utrumque Lovanienses in appendicem rejecerunt. xxxviii. ad diem Animarum absque judicio relatum est, cùm sit de ultimo judicio. A S. Augustini stylo, facundia, & eruditione totô cœlô distat. Idem de xxxix. & xl. ferendum judicium. Alter est sexagesimus tertius inter eos qui inscribuntur, *Ad Fratres in eremo*. xli. etiam S. Cæsarii nomine inscriptus legitur. In eo ferri non potest, quod maledicentiam frequentem & temerariam inter minuta peccata numerat, à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potest; & in probationem adducit locum Apostoli dicentis: *Neque maledici regnum Dei possidebunt*. Ex quibus sequeretur, secundum istius Concinnatoris ratiocinium, propter venialia peccata, nos à regno Dei excludi. In xliii. & sequentibus, frustra stylum & ingenium S. Augustini quæras, præterquam in xlviii. & l. qui gemini sunt Sanctissimi Doctoris fœtus.

Ex Sermonibus xvii. quos pridem addidere Parisienses, primus non est S. Augustini, repugnante stylo. Secundus est fragmentum Sermonis lxiii. *de Diversis* xiv. Non est habitus à S. Augustino *In Festo omnium Sanctorum*, ut præ se fert inscriptio, cùm tunc institutum non esset, sed in festo unius Sanctæ Virginis.

Inter Sermones De Diversis, quinam S. Augustinum Auctorem non agnoscunt?

Inter Sermones *de Diversis*, vii. loco movendus est, cùm sit fragmentum cxx. In viii. postremæ periodi ab illis verbis, *Dominus dives & pauper, &c.* malè assutæ sunt ex cev. *de Tempore*. xxxviii. qui secundus est *de S. Laurentio*, confer cum præcedenti de eodem Sancto, & hunc S. Augustino abjudicabis. xlv. in appendicem rejiciet, qui expenderit quàm alienus sit à stylo aliorum Sermonum *de Epiphania*. xcvi. indignus est S. Augustino. Nomen Stephani sic interpretatur: *Per linguam Græcam nomen accepit corona, quòd Latinè interpretatur vita perpetua*. Quasi nomen coronæ Græcum esset, aut Stephani nomen vitam perpetuam significaret. 2: ait S. Stephanum *adhuc incorpore positum, Trinitatem vidisse*. At S. Lucas in Actis Apostolorum ipsum *Jesum stantem à dextris Dei*, non Trinitatem ipsam conspexisse testatur. 3. ait in S. Stephano *completum illud Evangelii præconium, quod dicit de lapide qui reprobatus fuerat, Hic factus est in caput anguli*. Sed istud vaticinium quod Christus ex Psalmo 117. citavit, in ipso Servatore, non in Stephano completum esse constat ex ipsius verbis *Matth.* 21. & *Lucæ* 20. & ex *Actorum* 4 *v.* 11. ubi S. Petrus ad Judæos de Christo sic loquitur: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus* xcvii. xcviii. Et xcix. sunt pariter S. Augustino suppositi. Evangelicæ Historiæ ignarum se probat iste Declamator, cùm ait, in eo Sermone, qui postremus laudatus est: *Cùm diceret Dominus noster Jesus Christus suspensus in Cruce: Amen dico vobis, amodò videbitis cœlos apertos, & Filium hominis stantem ad dexteram Patris; clamavit Caiphas dicens: Blasphemavit. Caiphas conscidit vestes: isti ipsas clauserunt mentes.*

Sermones Ad Fratres in Eremo, non sunt S. Augustini.

Sermones septuaginta sex ad Fratres in Eremo, sub S. Augustini nomine conficti sunt ab Impostore quodam semilatino, qui SS. Augustini, Cæsarii, Gregorii, & aliorum verba identidem miscet. Ex his duos excipias *De communi vita Clericorum*, qui sunt quinquagesimus secundus, & quinquagesimus tertius *de Diversis*, verè Augustiniani. Cæterorum phrasis inepta & lutulenta, doctissimis Cardinalibus Baronio, Bellarmino, omnibusque viris eruditis judicibus. Perpetuò inculcat illorum Auctor se vixisse in solitudine cum Monachis: quod S. Augustino non convenire intelligit, quisquis Vitam ejus legit à Possidio scriptam, nec-non ipsius Confessiones, & Retractationes Vigesimus primus tria Monachorum genera ex Epistola S. Hieronymi recenset, sed Hieronymum impudenter depravat. Tertium genus vocat *Sarabaitas*, quod ille *Remoboth* dictum ait. Illos *in foraminibus petrarum* habitantes facit: S. Hieronymus *in urbibus & castellis, binos vel ternos simul habitare* scribit. Hic *indutos porcorum & boum pellibus, cinctos funibus palmarum, spinas ad calcanea portantes, discalceatos, &c.* S. Hieronymus apud hos ait *Affectata esse omnia, laxas manicas, caligas follicantes, vestem crassiorem*. Hic ipsos *ad Scenopegia festum* Hierosolyma pergere solitos & barbas in conspectu *hominum sine redemptione evellere* S. Hieronymus, inter ipsos *sæpe esse jurgia: & siquando dies festus venerit, saturari ad vomitum* Confert Eremiticam narrationem cum Epistola S. Hieronymi ad Eustochium Puridissimas fabulas de S. Hieronymi Cardinalatu, & fuga in habitu muliebri, vigesimus quartus obtrudi. De S. petro & Juda non minus prodigiosa mendacia habet vigesimus octavus; de itinere S. Augustini in Æthiopiam, & de Æthiopibus Acephalis trigesimus septimus: de Tarpeia Romana femina quadragesimus septimus: de sepulchro & cadavere Cæsaris quadragesimus octavus: de quadam anima exeunte de Ægypto sexagesimus nonus. Æmulatione & invidia in Clericos Regulares movebatur Concionator Eremiticus ut hæc S. Augustino affingeret, quæ Sermone 5. leguntur ipsorum elogia. *Eia igitur, Sacerdotes Dei, egredimini foras, pergite ad Fratres meos, & quid estis*.

estis, & quid ipsi sint, considerare vos volo. Nunquid & vos calee estis, qualee & ipsi sunt? Vos enim voratores estis, & ipsi summa sobrietatis. Vos discursores civitatis, & ipsi visus hominum fugiunt. Vos impudici, & ipse easti. Vos derisores, & ipse ferventissimi Oratores. Vos pellibus cuniculorum vel variorum ornati inceditis, & ipsi ovino colore nigerrimo asperrimòque induti sunt, prater ea qua intrinsecùs sunt. Vos delicatè pasci summè curatis, carnes varias affectantes; & ipsi postquam Eremum intrarunt, nunquam carnee sumpserunt. Vos vina electa & inebriantia quaritis, & ipsi pauxillum aqua recipiunt. Vos balteis militum mundo apparere desideratis; & ipse zonis camelorum renibus succincti, more Elia & Joannis sunt decorati. Contra S. Augustinus, Sermone 50. de Diversis *Nuntio vobis* inquit, *unde gaudeatis: quia omnes Fratres & Clericos meos qui mecum habitant, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Patritium nepotem meum, tales inveni, quales desideravi.* Rogo te, an discursores civitatis, voratores, impudicos desideraverat, quales Eremiticorum sermonum, lutulentus, nugivendus, & mendacissimus Auctor describit?

Sermones quadraginta à Jacobo Sirmondo Societatis Jesu viro doctissimo ediri ex probatissimis MSS. ac præsertim ex uno venerandæ antiquitatis exemplari in cortice scriptô, plerique à Possidio, aut à Beda laudantur: S. Augustini stylum & ingenium nullus est qui non referat.

Augustinianorum Operum censuram Erasmus, Lovanienses Theologi, Bellarminus, & Vindingus ediderunt, sed accuratissimè omnium, postremus iste; ut comperuimus lectione, & examine diligenti Librorum, Tractatuum, aut Sermonum, quos ille rejicit, vel admittit. Unde ipsius judicium ut plurimùm secuti sumus. Accuratiorem verò jam censuram habes Sermonum S. Augustini ab Ascetis Benedictinis Congregationis S. Mauri editam.

§. X.

De Nævis quos S. Augustino Heterodoxi Pseudo Critici, objiciunt.

Quæstio de origine Animæ olim obscura. Anceps ex traduce. Orta de illa plerique post S. Augustinum dubitarunt.

* P. Strome edit. 166.
* Postreme edit. 190.

S. Augustino hos nævos Dallæus objicit in *lib. de vero Patrum usu.* 1. quòd in eam propenderit opinionem, quæ animam esse aiebat ex traduce, Epistola 28. lib. 10. *de Genesi ad literam*, cap. 11. lib. *de Anima & ejus Origine*, cap. 14. & Epist. 157. *ad Optatum.* Verùm S. Augustini dubitatio circa illam quæstionem perperam ab Heterodoxo Scriptore Nævus appellatur, cùm S. Augustini tempore variæ essent Doctorum Ecclesiasticorum illa de controversia sententiæ, & frequentior illa esset in Ecclesia Occidentali, quæ traducem animarum propugnabat. Quod & S. Hieronymus agnovit, teste S. Augustino *Epistola* 157. qui & ejus dubium non improbavit, cùm eâ de re ab ipso rogatus respondit: *Unusquisque in suo sensu abundet.* S. Eucherius Lugdunensis Episcopus, seu alius Auctor in cap. 3. Genes. non minùs de Animæ origine, quam S. Augustinus dubitat. *Utrum*, inquit, *sicut caro nascentium ex carne, sic anima ex animabus procreentur, an nova semper creentur à Deo ex nihilo? Qua Quæstio in definiendo difficilis est, quia nihil à Sanctis Viris, vel Scripturarum auctoritate manifestius pronuntiatum est.* Julianus Pomerius, dubiam & obscuram suotempore illam fuisse Quæstionem satis significavit, in quarto Librorum illorum quos *de Anima* scripsit, disputans: *Utrum anima qua nascituro corpori infundenda est, nova fiat sine peccato? An ex substantia anima primi hominis, velut propago è radice producta, etiam peccatum prima anima secum originaliter retrahat?* Eamdem dubitationem amplexi sunt Catholici Episcopi in Sardinia exules 6. Sæculo, in Epistola Synodica Byzantium missa. *Quæstionem vero animarum* inquiunt, *aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare: quia sive ex propagine veniant, sive nova singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum auctoritas non manifestè pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maximè quod sine fidei detrimento potest à Fidelibus ignorari.* In eadem hæsit dubitatione S. Fulgentius lib. 3. *de Veritate Prædestinationis & Gratia*, cap. 18. 19. & 20. In eadem fuit Cassiodorus lib. *de Anima cap.* 14. Eandem approbavit dubitationem S. Gregorius Magnus lib. 7. Epistola 53. ad Secundinum. *Sed hac de re*, inquit, *dulcissima mihi tua Charitas sciat, quia de origine anima inter Sanctos Patres requisitio non parva versata est: sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit, eamque in hâc vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem: gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi.* S. Isidorus Hispalensis *Lib.* 2. *de Officiis Eccles.* cap. 23. eam de animæ origine dubitationem inter Fidei regulas reposuit. *Hac est autem*, inquit, *post Apostolorum Symbolum certissima fides, quam Doctores nostri tradiderunt.* Et inter alias Sententias, quas Fide tenendas proponit, hanc inserit, *Quòd incerta sit animæ origo.* Nono Sæculo dubia adhuc ex Ecclesiastica traditione. Partibus quibusdam visa est de animarum origine sententia, ut constat ex S. Prudentio Tricassino Episcopo lib. *de Prædestinatione* adversùs Joannem Erigenam, cap. 16. *Nascitur enim*, inquit, *de carne caro: sed utrum & anima similiter de anima nascatur, magna quæstio est, & à Patribus diu multùmque discussa, sed absque certâ definitione relicta.* Hugo à S. Victore lib. 1. *de Sacramentis*, p. 7. cap. 3. probabilius censet animas ex traduce non fieri, sed creari; eamque opinionem suo tempore magis communem esse in Ecclesia significat. Ait tamen *Nullam unquam rationem, sive auctoritatem in tantùm prævalere potuisse, ut dubietatem tolleret quæstionis.* Lege viri doctissimi Henrici Norisii Vindicias Augustinianas, §. 111. Illud tamen Antiquorum dubium non impedit, quin modò ab omnibus Catholicis asserendum sit animas à Deo creari & creando corporibus infundi: ut habetur inter Synodi Lateranensis Decreta.

Utrum Angeli incorporei essent, certum S. Augustino non fuit, sed nec aliis quibusdam patribus.

Secundum in S. Augustini doctrina nævum notat Dallæus, quod Angelis naturam corpoream tribuerit, lib. 1. *contra Academicos*, *cap.* 7. Verùm & ea de re variæ fuerunt Patrum veterum sententiæ. Io illa Quæstione sententiam suspendit suam S. Doctor, ut constat ex lib. 15. *De Civitate Dei*, cap. 23. & lib. 21. cap. 10. *Sunt quadam*, inquit, *sua etiam dæmonibus corpora, sicut Doctis Hominibus visum est .... Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re operosâ inquisitione laborandum, aut contentiosâ disputatione certandum*, &c. Sed & multis post S. Augustinum Sæculis ea in Quæstione dubius fuit S. Bernardus, lib 5. *de Consideratione*, *cap.* 4. & *Sermone* 5. *in Cantica.*

S. Augustinus in eam sententiam propensior fuit, quæ syderibus animam negat.

Tertium nævum in S. Augustini doctrina Dallæus reprehendit, quòd dubitaverit an sydera ratione & intellectu prædita sint, & ad Ecclesiæ corpus pertineant lib. 20. *de Civitate Dei*, *cap.* 25. & 26. Sed nævus inscitè vocatur S. Augustini ea de re dubitatio, cum quæstio fidei non videatur, sed Philosophiæ, utrum cœlestia corpora sint animata. Quanquam S. Augustinus in eam magis propendet sententiam, quæ syderibus animam negat. Nam cùm lib. 13. *de Civitate Dei*, *cap.* 16. sententiam Platonis retulisset, ait *Et hoc quidem utrum Plato verum de syderibus dicat, alia quæstio est. Neque enim continuò concedendum est globos istos luminum, sive orbiculos luce corporeâ super terras seu* dit,

die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere, iisque intellectualibus & beatis. Et lib. 2. Retractationum, cap. 7. recensens libros contra Faustum, ait: *In decimo quarto, de Sole & Luna talia dicta sunt, tanquam sentiant, & ideò tolerent vanos adoratores suos; quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad animale translata modò locutionis, qui vocatur Græcè metaphora.*

Subtilis S. Augustini expositio de sex diebus creationis, nævus à Dallæo imperitè dicitur.

Quartum nævum in S. Augustino Dallæus arguit, quòd universum orbem momentò creatum asserat, & sex dierum intervalla in creatione ad varios gradus Angelicæ cognitionis referat. Sed subtilem illam S. Augustini expositionem, quæ Scripturam sacram ab irrisione infidelium magis tuetur, ut ait S. Thomas *in* II. *Sentent. Dist.* 12. *Quæst.* 1. *Art.* 2. quamque sibi magis arridere testatur ibidem: Quam diligenter etiam exponit 1. p. Quæst. 73. Artic. II. nec ipsi vult *præjudicare*, ut ipse loquitur: quam Albertus Magnus, S. Bonaventura, aliaque Theologiæ lumina commendant: & quæ maximum habet in Scripturis divinis fundamentum: hanc, inquam, expositionem Dallæus velut errorem imperitè sugillat. Sed cur non animadvertit Pseudo-Criticus, S. Augustinum huic interpretationi non ita adhæsisse, ut aliam si fortè melior & Scripturæ sacræ verbis convenientior proferri posset, vellet rejici. Id compertum est ex capite 28. libri 4. ipsius de Genesi ad literam. *Quisquis ergo*, inquit, *non eam, quam pro nostro modulo vel indagare, vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in Prophetia figuratè, sed in hac creaturarum conditione propriè, meliusque possit intelligi, quærat, & divinitus adjutus, inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam: usque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam.*

Quòd S. Augustinus Antipodas esse negaverit, ejus auctoritatem non elevat.

Quintum nævum in S. Augustino Dallæus notat, quod Antipodas neget lib. 16. de Civitate Dei, cap. 9. *Nimis*, inquit, *absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immensitate trajectâ navigare, ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Sed iniquum est propter id S. Augustino errorem dicam scribere, cùm nec in sacris, nec in profanis literis aliquid certi eâ de re habeatur; sed conjecturis dumtaxat Antipodas esse quidam è veteribus adstruxerint; experimentis verò & navigationibus recentiorum ducti certiùs id asserimus. Opinione proculdubio S. Augustini adductus est Zacharias Romanus Pontifex, ut *perversam & iniquam doctrinam* vocaret asserentem, *Quod alius mundus, & alii homines sub terra sint.*

S. Augustinus non dubitavit quin Sanctorum animæ, ante diem judicii, æterna felicitate fruerentur.

Sextò S. Augustino improperat Dallæus, quòd censuerit cum Veterum plerisque, *Tempus, quod inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continere.* (Enchiridii cap. 109. de Cura pro mortuis, cap. 2. lib. 1. de Civitate Dei, cap. 12. & Tractatu 49. in Joannem.) Sed etsi S. Augustinus de loco dubitaverit aliquando, ubi Sanctorum animæ ante judicii diem excipiuntur, non tamen dubitavit quin æternâ felicitate, & Dei visione fruerentur, ut ex illis ipsis locis compertum est; nec non ex libro 9. Confessionum, cap. 3. ubi ait: *Nunc vivit Nebridius in sinu Abrahæ, quicquid illud est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit..... Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit quantùm potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix.* Et lib. 2. Quæstionum Evangelicarum cap. 38. *Sinum Abrahæ requiem esse ait beatorum pauperum, quorum est regnum cælorum, in quo post hanc vitam recipiuntur*: eumdemque esse *secretum Patris, quò post passionem suam resurgens assumptus est.....: Ubi etiam ante resurrectionem Justorum animæ vivunt cum Deo.* Et lib. 20. *de Civitate Dei*, cap. 15. Justorum animas *prorsus inferos nescire*, ait, ubi *antiqui Sancti detinebantur, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.* Ex quibus perspicuum est, S. Augustinum priorem illam dubitationem suam de sanctarum animarum post mortem receptaculo, re diligentiùs discussâ deposuisse. Non me latet, Heterodoxis Criticis nævum videri, quòd Justorum animas, quibus aliquæ peccatorum leviorum sordes in hac mortali vitâ contractæ abstergendæ supersunt; vel luendæ pœnæ, quarum sunt divinæ justitiæ debitores, abditis, receptaculis, id est, Purgatoriis locis excipi asserat, in quibus expientur. Sed tantùm abest ut nævus ille sit, quin potiùs dogma fidei est: ut in Panoplia adversùs Hæreses IV. Sæculi, Dissertatione singulari demonstravimus.

Actualem Eucharistiæ sumptionem parvulis baptizatis ad salutem esse necessariam S. Augustinus non asseruit.

Septimò adversùs S. Augustinum Dallæus objicit, quòd Eucharistiam statuat pueris necessariam, lib. 1. *de Peccatorum Meritis cap.* 20. & lib. *de Prædestinatione Sanctorum c.* 13. & lib. 2. *Operis imperfecti contra Julianum, cap.* 29. Sed nequaquam actualem Eucharistiæ sumptionem parvulis baptizatis ad salutem esse necessariam S. Augustinus asseruit. Parvulos tantùm absque Baptismo decedentes, à vita æterna alienos esse, contra Pelagianos probavit ex verbis Christi, *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vitam enim felicem hujusmodi parvulis Pelagiani spondebant, extra regnum cœlorum. Ex his autem Salvatoris verbis optimè colligebat S. Augustinus, absurdum esse illud figmentum: quia salvus esse nemo potest, nisi corporis Christi per fidem sit particeps, nisi fiat Christi membrum, nisi Ecclesiæ incorporetur, nisi in Christo maneat, & manentem illum in se habeat, nisi denique jus habeat per Baptismum ad actualem etiam Eucharistiæ sumptionem. Hanc fuisse S. Augustini mentem constat ex lib. 3. *de Peccatorum Meritis & Remissione*, ubi eodem argumento Pelagianos urget. *Quid autem apertius*, inquit, *tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissimè apparet, nec præter Christi societatem ad vitam, salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire; nec divino judicio posse aliquem injustè damnari, hoc est, ab illa vita ac salute separari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud cùm parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est; Christi corpori membrisque socientur: manifestum sit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere.* Et inferiùs: *Nunquid etiam illud ambiguum est, Quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? His atque hujusmodi aliis testimoniis divinâ luce clarissimis, divinâ auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?* Istud ergo erat S. Augustini contra Pelagianos ratiocinium; Vitam æternam consequi nemo potest, nisi manducaverit carnem Filii Hominis, & biberit ejus sanguinem, id est, nisi Christo fuerit incorporatus. *Hoc est enim manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere; & illum manentem in se habere*: ut ipse ait *Tractatu* 26. *in Joannem.* Atqui sine Baptismo nemo potest esse corporis & sanguinis Christi particeps: igitur sine Baptismo nullus potest vitam consequi.

Hunc S. Augustini sensum fuisse, persuasum habuit S. Fulgentius in Epistola ad Ferrandum Diaconum,

num, *de Baptismo Æthiopis moribundi*, cap. 11. ubi cùm docuit ex sententia Salvatoris (Joannis 6.) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. non posse inferri actualem Communionem post Baptismum necessariam esse ad salutem, quandoquidem effectum Eucharistiæ in ipsa regeneratione baptizatus suscepit, factus corporis Christi verum membrum: subdit, *Quod etiam sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus.* Tum Sermonem hac de re habitum à S. Augustino ad Infantes ante Altare profert, ac tandem sic concludit Epistolam: *Arbitror, sancte Frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini Sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur: quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, invenitur.*

Nec verò solus S. Augustinus hoc argumento adversus Pelagianos pugnavit, sed & Innocentius I. in Epistola ad Patres Milevitanæ Synodi, & Gelasius I. in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos, & Marius Mercator in lib. Subnotationum contra Julianum, & Auctor Homiliarum, quæ sub Eusebii Emisseni nomine falsò circumferuntur in Bibliotheca PP. Homilia 5. *de Paschate*. Lege lib. 2. doctissimi Cardinalis Bona, *de Rebus Liturgicis*, cap. 19. & eruditi viri Henrici Norisii, nunc S. R. E. Cardinalis, Vindicias Augustinianas, §. IV.

Si parvulos morientes sine Baptismo, pœna sensus cruciari senserit S. Augustinus, nullam propterea reprehensionem meretur.

Octavò S. Augustinum Dallæus reprehendit, quòd adversùs pueros ante Baptismum morientes immisericorditer pronuntiet, non solùm visione Dei privandos, sed etiam inferorum igne in æternum cruciandos. Verùm nec inter Eruditos convenit S. Augustinum sensisse parvulos cruciari pœnâ sensus. Et, si ita sensit, nullam ob id reprehensionem meretur. Sunt inter Eruditos plurimi, qui negent sententiam addictos pœnæ sensûs parvulos propugnantem, Augustinianam esse. Ducem habent illi S. Thomam, & his S. Augustini testimoniis nituntur, ex libro tertio scilicet *de Libero arbitrio* cap. 23. ubi pœnam parvulorum à pœna damnatorum distinguit, & sententiam in illos ferendam vult mediam esse inter sententiam ferendam pro beatis, & contra damnatos. Non esset autem Sententia media, si esset eadem pœna per hujusmodi sententiam infligenda parvulis & damnatis. En ejus verba: *Dicunt, Qualis in futuro judicio deputabitur, cui nec inter justos locus est, quoniam nihil recti fecit: nec inter malos, quoniam non peccavit?* Et respondet; *Superflue quæri de meritis ejus qui nihil meruit. Non enim timendum est; ne non potuerit esse sententia media inter præmium & supplicium; cùm sit vita media inter peccatum & rectè factum.* Et lib. 5. *contra Julianum*, cap. 8. ubi hæc habet: *Non dico parvulos sine Christi baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret: cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim id quod de Sodomitis ait, & utique id de aliis intelligi voluit, Alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui nullum habent actuale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissimâ futuros? quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret.* Atqui de omnibus in inferno damnatis, & igni perpetuo addictis, ideò dici potest, quòd illis expediat potiùs natos non esse, quàm ibi esse, sicut de Juda dicit Christus, Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset*; quia melius est non nasci, quàm ad perpetua tormenta nasci: (ut sancti Hieronymi nomine in Catena Aurea sancti Thomæ ad illum locum explicatur.) Igitur de parvulis cum originali peccato solo morientibus dici non potest, quòd eadem cum damnatis perpetua tormenta patiantur, secundùm mentem sancti Augustini, qui dicere non est ausus, quòd eis expediat non esse natos. Sed etsi in contraria Sententia fuerit sanctus Augustinus, quòd Viri plerique Eruditi contendunt, *Sermonis 14. de Verbis Apostoli* insigni loco, aliisque persuasi, non propterea est insimulandus erroris, siquidem & in Scripturis sacris non leve fundamentum habet illa opinio, & ad Pelagianum refellendum errorem aptissima est: & Patres Sancto Augustino posteriores approbatores habet: Scilicet Avitum Viennensem in Carmine ad *Fuscinam sororem*, ubi ita canit:

Omnibus id verò gravius, si fonte lavacri
Divini expertem tenerum mors invida natum
Præcipitat, durâ generatum sorte gehennæ,
Qui mox ut matris cessarit filius esse,
Perditionis erit: tristes nunc edita volvunt,
Quæ flammis tantùm genuerunt pignora matres.

S. Fulgentium lib. *de Fide ad Petrum* cap. 27. qui & eam Sententiam tanquam Fide tenendam docuit: *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenùs dubites, non solùm homines jam ratione utentes; verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive cùm de matribus nati sunt, & sine Baptismatis Sacramento de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerint, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt.* Legendus ejusdem Patris Liber *de Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, cap. 12. & 14. & Liber *de Incarnatione & Gratia*, in quo non suam tantùm, sed Byzacenorum Patrum in Sardinia exulum sententiam perscripsit, qui illud approbarunt, & ad Petrum Diaconum, aliosque Monachos, qui eorum judicium de sua Fide ac doctrina rogaverant, miserunt.

S. Gregorium Magnum lib. 9. *Moralium* cap. 12. ad illa verba Job: *Et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa*, ita scribentem: *Nonnulli prius à præsenti luce subtrahuntur, quàm ad proferenda bona, malave merita activa vita perveniant. Quos quia à culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hîc ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa, vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

S. Isidorum lib. 2. *de Differentiis Spiritualibus*, Num. 26. dicentem: *Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse adstrictas, quæ nisi percipiant Baptismatis Sacramentum, regni cœlestis participes esse non possunt, sed cum carne, & commune habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem æternum.* Et lib. 1. Sententiarum, cap. 22. *Pro solo*, inquit, *originali reatu luunt in inferno nuper nati infantuli pœnas.*

S. Prudentium Trecensem Episcopum, *lib. de Prædestinatione* cap. 16. dicentem: *Extra Baptismi gratiam morientem, non suô, sed Protoplasti peccato perpetuâ plexione damnant.* S. Anselmum lib. de Conceptu Virginali & Peccato Originali dicentem: *Post diem judicii, nullus erit Angelus aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno.*

S. Aëlredum

S. Aelredum lib. 1. *Speculi Charitatis*, cap. 15. ubi cùm hanc sibi objectionem proposuisset: *Parvulos qua ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit injustos?* respondet: *Quid enim? Injustum æstimas ut lignum inutile & infructuosum ignis depascat? Cogita quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum ab ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis infectum, justissimè addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi, &c.* Ex quibus omnibus patet quàm imprudenter & inscitè Dallæus, S. Augustinum reprehendat ob assertam parvulorum sensibilem in inferis pœnam.

Nonum S. Augustini nævum Dallæus notat, quòd Synodum Sardicensem Arianorum fuisse dicat, & contra S. Athanasium congregatam, lib. 3. *contra Cresconium*, cap. 34. Sed de Synodo Sardicensi Oecumenica non loquitur ibi S. Doctor. Loquitur de Pseudo-Sardicensi seu Philippopolitana, cujus Synodica ad Donatum Carthaginensem Schismaticæ factionis in Africa Principem missa fuerat.

Decimum nævum arguit in S. Augustino Dallæus: quòd SS. Basilium & Gregorium Nazianzenum fratres fecerit, lib. 5. contra Julianum, cap. 5. cùm Basilii frater, non Nazianzenus, sed Nyssenus Gregorius fuerit. Fateor ibi lapsum esse memoria S. Doctorem. Sed Augustinianæ doctrinæ pretium non minuit tam levis in re Historica memoriæ lapsus.

XI. Nullus est Patrum, cujus auctoritate frequentiùs abutantur hujus ætatis Hæretici, quam S. Augustini, in Controversiis de Eucharistia, de Justificatione, de Gratia & Libero Arbitrio, & cæt. Eadem insigniter abusus est Jansenius Episcopus Yprensis ad 5. Propositiones probandas, quæ Romanorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus, totius Ecclesiæ summo consensu exceptis, damnatæ sunt. Nec mirum; *Non enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Propheta, quàm Apostoli, & Evangelista, quorum mentibus similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores.* Verba sunt Facundi Hermianensis, *lib. contra Mocianum.* Examen locorum, quibus abusi sunt, instituere; non est hujus loci: in Dissertationibus adversùs Hæreses cujusque Sæculi, prout data fuerit occasio, illa suo tempore expendemus.

SCHOLION.

In hujus Articuli Paragrapho 2. pag. 560. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Papa erravit damnando sententiam eorum qui dicunt esse Antipodas.*

R. Hæc verba, *Papa erravit*, mea non sunt. Ita scripsi: *Quintum Nævum in S. Augustino Dallæus notat, quòd Antipodas neget.... Opinione procul dubio S. Augustini adductus est Zacharias Romanus Pontifex ut perversam & iniquam vocaret doctrinam asserentem, quòd alius Mundus & alii homines sub terra sint.* Quamquam etsi Zachariam hac in re errasse dixissem; non eidem propterea castigandus. Nemo enim Theologorum censet indeficiens esse Romani Pontificis judicium in rebus quæ Fidem vel Moralem Christianam nullatenus spectant, qualis est quæstio de Antipodum existentia.

§. XI.

De approbatione [illegible] commendatione Doctrinæ S. Augustini [illegible] lesia.

SAncti Augustini doctrinam approbavit, commendavit, ejusque calumniatores Semipelagianos repressit Celestinus I. Epistola ad Gallicanos Episcopos datâ. *Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis, in nostra Communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistra suspicionis saltem rumor aspersit, quem tanta scientia olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis semper Decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, utpotè qui ubique cunctis, & amori fuerit, & honori. Unde resistendum talibus, quos male crescere videmus.*

Eundem Ecclesiasticorum lumen Magistrorum Gelasius I. Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos appellat. *Adhuc*, inquit, *majus scelus accrescit, ut sub conspectu & præjudicio Sacerdotum beatæ memoriæ Hieronymum, atque Augustinum, Ecclesiasticorum lumina Magistrorum, musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitatis, lacerare præsumat.*

Hormisdas etiam Pontifex Maximus in Epistola ad Possessorem Africanum Episcopum: *De arbitrio libero*, inquit, *& gratiâ Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & servet Ecclesia, licet in variis Libris Beati Augustini, & maxime ad Prosperum, & Hilarium abundè possit cognosci, tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa Capitula continentur.*

Arausicanæ Synodi II. Canones Augustinianæ plerumque sententiæ sunt.

Joannes II. Epistola 3. ad Senatores. *S. Augustinus*, inquit, *cujus doctrinam, secundùm Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.*

Clemens VIII. universas de Auxiliis divinæ Gratiæ controversias ad S. Augustini doctrinam expendi voluit, ut constat ex Oratione quam disputationibus illis præmisit, & quæ in Actis illarum Congregationum habetur. *Quamvis*, inquit, *non nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræsentiarum rationes, propter quas adstringere statui totam hanc Disputationem ad normam doctrinæ S. Augustini de Gratia. Prima est, quòd si teste B. Prospero ferè initio libri contra Collatorem: viginti annorum spatio acies Catholica Ecclesia ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit, oportet etiam ut in causa consimili eumdem ducem agnoscamus, & sequamur. Secunda est, quòd idem Sanctus nihil videtur prætermisisse eorum quæ ad præsentes Controversias pertinent... Tertia tandem ratio est, quòd cùm multi Pontifices & Prædecessores nostri doctrinæ S. Augustini tam fuerint assertores, ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint; æquum non est ut patiar illam hac hæreditate privari.*

Alexander VII. in Brevi dato 7. Augusti 1660. ad Academiam Lovaniensem, *Præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis, inconcussa, tutissimaque dogmata* vocat.

S. Augustinum laudibus eximiis cumularunt etiam SS. Patres. S. Hieronymus in fine libri 3. Dialogorum contra Pelagianos: *Scripsit dudum Vir Sanctus, & eloquens Episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heracliana ab Hæreticis innocens cæsus est, duos Libros de infantibus baptizandis; contra hæresim vestram... Alios quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus: unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: in sylvam ne ligna feras: aut enim eadem diceremus ex superfluo; aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.* Idem in Epistola ad S. Augustinum, inter Augustinianas 25. *Macte virtute in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum Fidei venerantur, atque suspiciunt.* Idem Epistola 30. *Certè quicquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum Sanctarum hauriri fontibus, à te positum atque dissertum est. Sed quæso Reverentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium.* Idem: *Mihi decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certè & in Dialogo quem nuper edidi, tuæ Beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum.*

Postrema Edit. 198.

S. Alipius Tagastensis : *Habemus ducem* (Augustinum) *qui nos in ipsa veritatis arcana, Deo jam monstrante perducat.* (Lib. 3. S. Augustini *contra Academicos.*)

S. Paulinus Epistola 31. ad S. Augustinum : *O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, qua Catholicis urbibus de septiformi lino pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lumen veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.* Ibidem eum vocat, *Venam fontis æterni, tubam Domini.*

S. Prosper in Epistola ad Ruffinum, cap. ultimo : *Tu autem Dilectissime, si verè de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis B. Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris.*

Idem in Præfatione libri contra Collatorem : *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat & vincit : vincit, dico ; quia non patitur respirare quos vicit.* Et in Carmine contra Ingratos, cap. 3.

Istius ergo inter cunctos qui de grege sancto,
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus totum præstantius imbuit orbem.
Quaque per ambages anceps iter egit opertus,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non reperientibus ullum,
Cunque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Nec dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore Viri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Idem :

Nec sola est illic Synodorum exerta potestas,
Seu quos non possent ratione evincere nostri
Vi premerent, discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus, nullumque omninò relictum,
Docta Fides quod non dissolveret argumentum.

. . . .

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo?

B. Fortunatus in Expositione Orationis Dominicæ : *Quicunque*, inquit, *Apostolo Paulo, id est oculo Ecclesiæ, cum B. Augustino ejus sequace consonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat.*

S. Fulgentius lib. 2. de Veritate Prædestinationis & Gratiæ, cap. 18 *B. Augustinus indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus laboravit, non autem ipse, sed gratia Dei cum illo.... Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrii & officia discrevit, & merita, semper divinis humana subjicient, & veraciter docens, divinitus homini & gratuitò justificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum.* Idem : *Proinde memoratus Dei Pontifex Augustinus, turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis juvaminis virtute confringens, non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphavit ; quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit.*

Africani Episcopi in Sardinia exules, in Epistola Synodica : *Præ omnibus studium gerite, libros S. Augustini, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis Fratribus legendos ingerere.*

Cassiodorus divinarum Lectionum cap. 22. *Ipse etiam Doctor eximius Beatissimus Augustinus debellator Hæreticorum, defensor Fidelium, & famosorum palma certaminum ; in quibusdam libris nimia difficultate reconditur, in quibusdam sic est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus, cujus aperta suavia sunt, obscura verò magnis utilitatibus farcita pinguescunt.*

Eugippius Abbas in Præfatione Collectaneorum ex Libris S. Augustini. *Inter magnos Catholicæ Ecclesiæ Doctores præclarum fuisse, & esse B. Augustinum quis ignorat Episcopum? Quem divinâ eruditione mirabilem tum omnes orthodoxi in toto terrarum orbe venerantur ; præcipuè tamen Apostolicæ Sedis Antistites Scripta ejus suâ auctoritate firmantes, tantò majori studio simpliciter amplexi sunt, quantò ampliori solatio eis se usos esse testantur. Nam contra multos hostes Ecclesiæ dimicantes, & maximè contra versipelles inimicos gratiæ Dei, doctrinâ ejus instructi, vel potiùs eâdem illustrati gratiâ, semper extitere victores.*

Julianus Pomerius lib. 3. de Vita Contemplativa cap. 31. *Sanctus Augustinus Episcopus acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua Fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in revincendis Hæreticis circumspectus, & in explicandis Scripturis Canonicis cautus.*

Facundus Hermianensis lib. IX. *Audeant isti, si possunt, hæreticum dicere Augustinum, audeant sollicitâ præsumptione damnare, & tunc verè discent, quæ sit pietas & constantia Ecclesiæ Latinorum, quàm Deus magisteriô ejus instituit, atque firmavit, cùm ab omnibus confestim anathematizati fuerint, & tanquam putrida & morbida membra præcisi.*

Lupus Ferrariensis Abbas, in Collectione de tribus Quæstionibus, Quæst. 3. *Reverendissimus Papa Gelasius cum 70. Episcopis viris eruditissimis statuens qui Scriptores essent, vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini, & amplissimas laudes Hieronymi, memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit :* Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha. *Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, & Apostolicæ Sedis gravitatem suspicientes, quid aliud dicamus, nisi : Taceat Faustus, & similiter sentientes, loquantur cum suis consortibus Hieronymus & Augustinus, scilicet illius Proverbii recordantes : Conticescant ranæ, dum cœlum tonat.*

Concilium Toletanum VIII. Canone 2. *Vir quoque sanctissimus Augustinus, vestigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, asserendi copiâ profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructus fœcundus, hæc in suis narrat affatibus, &c.*

Ecclesia Lugdunensis libro *de tribus Epistolis*, cap. 35. *Augustinus nec tantâ perturbatione, & promotione Fidelium ab intentione veracissima & fidelissima doctrinæ suæ frangi potuit, aut revocari ; sed magis eos & Scriptis suis, in quantùm potuit, admonuit & instruxit, & orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent, & agnoscerent, quàm necessariò & quàm salubriter propter commendationem divinæ gratiæ, ejusdem prædestinationis veritas omninò & credenda & prædicanda esset.*

S. Amolo Archiepiscopus Lugdunensis : *Sed jam audiamus B. Augustinum, quomodò & ipse post Apostolum præcipuus prædestinationis & gratiæ Prædicator, hortetur Fideles ad studia pietatis, & instantiam orationis, ut mereantur accipere præmium vocationis.*

Idem : *Audiamus itaque fideliter & diligentissimè discamus in his brevissimis & suavissimis beatissimi Patris verbis, videlicet quid sentiendum & tenendum sit juxta certissimam Catholicæ Fidei regulam, de originali delicto, de libero arbitrio, de gratia.*

S. Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi, lib.

de

de tenenda veritate Scripturæ, cap. 4. *Graviter perculsi, & confusi animo vidimus in eis, & Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, & Beatissimorum Patrum præcipuèque S. Augustini, reverendam & in omni Ecclesia Catholica receptissimam auctoritatem, novo conatu, & ausu nimis temerario impugnari; &c.*

S. Prudentius Trecensis Episcopus in Epistola ad Hincmarum & Pardulum: *Hoc primùm præcipuèque vestram sinceritatem monens & postulans, ut doctrinam beatissimi Patris Augustini, omnium absque ullâ dubiatate undequaque doctissimi, sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe nullus Doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus, diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, ipsius diffeminaverit,) Vestri Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis: quod tanto cælestis gratiæ munere donata existit, ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possit: cùm illam & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ unitas, auctoritate concordissimâ approbarint ac roborarint: adeò ut nullus ei singulariter, verùm universitati Ecclesiæ Catholicæ, cum ea, & in ea, queat anniti.*

Idem: *Si enim* S. Augustini doctrinam, *adversam Fidei orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ Antistes venerabilis Innocentius cum totius orbis Episcopis suscepisset, neque prædictum Memorabilem suarum Epistolarum communiter privatimque officiis effecisset, neque Successor ejus Zosimus eodem tramite cucurrisset, neque Bonifacius ejusdem Apostolicæ Sedis Præsul Epistolas Pelagianorum sibi delatas ei ad respondendum misisset, aut responsionem ejus quatuor Libris editam probabiliter atque honorabiliter suscepisset. Celestinus quoque memoratæ Urbis Episcopus quid contra Gallorum infamiam super eo ejusque doctrinâ senserit, ex Auctoritate Apostolica Decretorum suorum scita declarant.*

Venerabilis Beda, *Præfatione in Cantica*, vocat S. Augustinum, *Strenuissimum gratiæ Propugnatorem.*

S. Hildephonsus Sermone 2. de Beata Virgine: *Amicant*, inquit, *B. Augustinum, cui contradicere fas non est.*

Remigius Antisiodorensis: *B. Augustinus rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter ardua sine offensione decurrens. Alii Doctores comparantur stellis: Augustinus Soli: nam sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic omnes Doctores lumen recipiunt ab Augustino.* (In Epistolam 2. ad Corinthios.)

Author Dialogi in quo Serapion & Arnobius colloquuntur, Tom. V. Bibliothecæ Patrum, sic loquentem Serapionem inducit: *Testor Deum, quia solicitudinis meæ universa ambiguitate eliminas, si de his ejus,* (scilicet S. Augustini,) *mihi definita proferas, & de omnibus quæ transacta sunt, evidentia ejus afferas documenta. Fateor enim me ejus assertiones ita probatas habere, ut seipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum in aliquo putaverit reprehendendum eloquio.* Cui respondet Arnobius: *Meo sensu locutus es; nam ea quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima Apostolorum Scripta, sic credo, & teneo, & defendo.*

S. Bernardus Epistola 77. ad Hugonem: *Ab his duabus columnis, Augustinum loquor, & Ambrosium, credite mihi, difficile avellor; cum iis me errare, aut sapere fateor.*

S. Antoninus II. P. Historiæ Tit. 8. *Quasi Sol refulgens, qui dominus dicitur Planetarum, & pater luminis, super omnia luminaria splendens, delectabilis oculis, ac per omnia respiciens: sic Augustinus Ecclesiam illustravit, gemma Doctorum, Pater Theologorum, suavis eloquio, omnes materias penetrando dilucidans.*

B. Jordanus de Saxonia, Sermone 148. *Quantùm ad dictorum sufficientiam, quia nihil deest in libris Augustini, quod pertinet ad scientiam Legis divinæ. Unde dicit Volusianus scribens ad Augustinum: Utcunque in aliis Sacerdotibus toleratur inscitia; sed cùm ad Antistitem Augustinum venitur, Legi Dei deest, quicquid Augustinum contigerit ignorare.*

ARTICULUS IV.

De Mario Mercatore.

MARIUS MERCATOR Laïcus, vir eruditus, S. Augustino familiaris, ipsum consuluit de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, ad quem S. Doctor Epistolam unam conscripsit, cujus ipse meminit lib. de octo Dulcitii Quæstionibus, Quæst. 3. Commonitorium Theodosio obtulit adversùs Celestium Pelagianum anno Christi 429. Librum *Subnotationum adversùs Julianum Pelagianum* scripsit post obitum S. Augustini, Ephesini Concilii tempore. Adversùs Nestorii impios Anathematismos *Contradictiones* scripsit anno 431. ante inchoatum Concilium Ephesinum. Nestorii Sermones, & Epistolas nonnullas, Theodori Mopsuesteni Fragmenta, S. Cyrilli Apologetica adversùs Orientales, & Theodoretum, nec-non varia ex Libris ejusdem Theodori excerpta ex Græco in Latinum transtulit. Lege eruditi viri Joannis Garnerii Societatis Jesu Professoris Præfationem in omnia Marii Mercatoris Opera, quæ ipse edidit, & Notis atque Dissertationibus illustravit.

ARTICULUS V.

De Mario Victore.

CLAUDIUS MARIUS VICTOR, Rhetor Massiliensis, Theodosio & Valentiniano regnantibus obiit, teste Gennadio, *in Catalogo Virorum Illustrium*, cap. 60. Tres libros Carminum in Genesim scripsit, ab initio Libri, ad obitum Abraham Patriarchæ. Scripsit etiam Epistolam ad Salomonem Abbatem, de perversis suæ ætatis moribus. Extant ejus Opera in Bibliotheca Patrum.

ARTICULUS VI.

De Orosio.

PAULUS OROSIUS Hispanus Presbyter, cum SS. Augustino & Hieronymo magno studio de Quæstionibus difficillimis contulit, præsertim de origine Animæ, quod eorum Epistolæ testantur. Commonitorium scripsit ad S. Augustinum contra Priscillianistas & Origenistas, quod Sancto Doctori dedit occasionem scribendi Librum adversùs illas Hæreses. Apologiam item scripsit contra Pelagianos de arbitrii libertate, quam ipsi vindicavimus, cùm egimus de Scriptoribus qui Pelagianam Hæresim impugnarunt ac debellarunt. Septem etiam Historiarum Libros composuit ab exordio mundi, usque ad annum Christi 416. quos nuncupavit S. Augustino, quo hortatore ad illorum scriptionem animum appulit. Contra Paganos propriè editum istud Opus, qui perturbata & infesta Imperii tempora, calamitatesque publicas ob Christianam Religionem à Diis iratis infligi effutiebant. Unde Orosius ex omnibus Historiis & Annalibus collegit ac uno volumine breviter enarravit quæcunque ab initio mundi, aut bellis gravia, aut corrupta morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum insolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum, plagisque grandinum sæva, vel etiam parricidiis flagitiisque misera, per transacta retro sæcula repererat. Opus absolvit hac ad S. Au-

gustinum Apostrophe: *Explevi, adjuvante Christo, secundùm tuum præceptum, beatissime Pater Augustine, ab initio Mundi usque in præsentem diem, hoc est per annos V. M. DC. XVIII. punitiones, & cupiditates hominum peccatorum, conflictationes sæculi, & judicia Dei, quàm brevissimè & quàm simplicissimè potui, Christianis tamen temporibus, propter præsentem magis Christi gratiam, ab illa incredulitatis confusione discretis. Ita jam ego certò & solò, quem concupiscere debui, obedientiæ meæ fructu fruor. De qualitate autem Opusculorum tu videris, qui præcepisti; tibi adjudicanda, si edas, per te judicata, si deleas.* Orosii cum laude meminit Auctor Libri *de Promissionibus & Prædictionibus Dei*, inter Opera Sancti Prosperi parte 2. cap. 33. & part. 3. cap. 34. Meminit & Gennadius, qui etiam testatur eum S. Stephani Proto-Martyris Reliquias recèns inventas, primum in Occidentem intulisse, cùm à Sancto Hieronymo reversus est. Meminit & Gelasius Papa in Synodo Romana, in qua Librorum Canonicorum, Ecclesiasticorum, & Apocryphorum indicem texuit, ejusque Historiam commendat ut dignam, & adversùs Paganorum calumnias valde necessariam. Meminerunt denique Cassiodorus cap. 17. Divinarum Lectionum, Honorius Augustodunensis, & Trithemius.

ARTICULUS VII.

De Possidio.

POSSIDIUS in S. Augustini Monasterio institutus, Megalio in Episcopatu Calamensi successit, anno circiter 397. Ejus contra Donatistas certamina, & præcipuè contra Crispinum Donatianæ partis Episcopum, à cujus cognomine Presbytero insidiis appetitus est; nec-non Episcopalem mansuetudinem, quâ pro ipso intercessit, ne mulctam decem librarum auri Hæreticis indictam Principis Lege, solvere cogeretur, S. Augustinus refert ac commendat lib. 3. contra Cresconium, cap. 46. & 47. Celebri Collationi Carthaginensi contra Donatistas anno 411. & Concilio Milevitano contra Pelagianos anno 416. interfuit. Scripsit Vitam S. Augustini, omniumque ejus librorum Indiculum.

ARTICULUS VIII.

De Sedulio.

CÆLIUS, aut CÆCILIUS SEDULIUS, Presbyter, Poëta eximius, anno circiter 430. floruit, Theodosio & Valentiniano imperantibus. Libros 5. scripsit Paschalis Carminis. Ejusdem argumenti libros 5. edidit solutâ oratione, suadente Macedonio Presbytero. In utroque opere Christi Domini miracula eleganter describit. Hoc opus commendavit Gelasius Papa in Decreto de libris Canonicis, Ecclesiasticis, & Apocryphis. *Venerabilis viri Sedulii Paschale Opus*, inquit, *quòd Heroicis scripsit versibus, insigni laude proferimus.* Ejusdem cum laude meminerunt Venantius Fortunatus, lib. 8. Epigrammate 1. & initio libri 1. de Vita S. Martini. S. Isidorus Hispalensis, Honorius Augustodunensis, S. Ildefonsus, Venerabilis Beda lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap. 19. & alii. Distinguendus est dulcis ille & eximius Poëta ab altero Sedulio Britanniæ Episcopo, qui Romanæ Synodo sub Gregorio II. anno Christi 721. Nonis Aprilis celebratæ, cum Fergusto Scoto Episcopo interfuisse dicitur. Corrigendus itaque Sigebertus, qui Sedulium Poëtam Episcopum facit.

Sedulius Poëta distinguitur à Sedulio Scoto

Distinguendus etiam est Sedulius Poëta à Sedulio Scoto Scripturæ sacræ Interprete, qui Collectanea, sive Explanationem omnium Epistolarum S. Pauli, ex antiquis Patribus collectam edidit. In iis Collectaneis cum S. Gregorii verba, tacito licet ipsius nomine, ex lib. 19. Moralium cap. 25. transcripta sint, Sedulii Poëtæ, qui ante medium Sæculi V. floruit, esse non possunt. Præterea Hepidamus Monachus S. Galli, in Annalibus brevibus à Duchesnio editis Tomo III. Historicorum Franciæ, Sedulium Scotum anno 818. clarum fuisse scribit: quæ cùm Sedulio Poëtæ non conveniant, de Sedulio Scripturæ sacræ Interprete intelligenda sunt. Et certè hæc interpretandi ratio, congerendo, & contexendo Patrum fragmenta, hominum Sæculi noni ingenium sapit. Tandem maximi momenti est, quod addit Labbæus in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, eumdem videri Auctorem Collectanei in Evangelium S. Matthæi, ex diversis Patribus excerpti, quod MS. habetur in Bibliotheca Collegii Claromontani S. I. Parisiis, cujus ætas Codicis 700. aut 800. annorum est, & Collectanei in S. Pauli Epistolas, quod Sedulii Scoti nomen adscriptum habet. At Collectaneum in Evangelium S. Matthæi, Sedulii Poëtæ esse non potest, cujus versus laudat, ad illa Dominicæ Orationis verba, *Et ne nos inducas in tentationem*: Necnon testimonia Eucherii, Leonis Magni, Arnobii Junioris, Fausti Regensis, Gregorii Magni, Isidori Hispalensis, & Venerabilis Bedæ, qui Sedulio Poëta juniores sunt, ac Theodosianis, quibus ille floruit, temporibus recentiores.

Scriptura sacræ Interprete.

ARTICULUS IX.

De S. Isidoro Pelusiota.

SANCTUS ISIDORUS gente Alexandrinus, Pelusiota dictus, quòd juxta Pelusium * Ægypti urbem Monasticam Vitam coluerit, Presbyter fuit, apud Episcopos ipsos venerabilis, ut ait Ephremius Episcopus Antiochenus in Epistola ad Zenobium Scholasticum: quam refert Photius in Bibliotheca. S. Joannis Chrysostomi discipulus fuit, floruitque sub Arcadio & Theodosio Juniore. Ipsum commendat Evagrius lib. 1. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 15. his verbis: *Ejusdem Theodosii Principatu clarnit Isidorus, cujus latissima est gloria, & qui cum ob res gestas, tum eloquentiæ caussa, ubique celebratur, Hic usque adeo corpus suum laboribus maceraverat, & animum arcanis ac sublimioribus doctrinis saginaverat, ut Angelorum vitam in terris duceret, & spirans quadam imago perpetuò esset, tam Vitæ Monasticæ, quam divinæ contemplationis. Scripsit autem cùm alia plurima, multiplici utilitate referta: tum ad celeberrimum Cyrillum nonnulla, ex quibus manifestè colligitur, illum iisdem temporibus, quibus admirandum Cyrillum floruisse.* De eodem Facundus Hermianensis lib. 2. *Nam vir etiam sanctissimus, & magna in Ecclesia Christi gloria, Isidorus Presbyter Ægyptius Pelusiota, quem duo millia Epistolarum ad ædificationem Ecclesiæ multi scripsisse noverunt, qui etiam pro vita ac sapientiæ suæ meritis, ut Pater ab ipso Cyrillo & honoratus est, & vocatus sic ei scribit, &c.*

Damietta

De eodem legendus Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 53. ubi testatur ipsum scripsisse *Epistolarum omnis generis, divinâ simul & humanâ gratiâ refertarum, propè Chiliades decem, in quibus Scripturam omnem clariùs exponit, & omnes omnium mores instituit: quippe qui dicendi genere ad docendum accomodato in eis utitur. Satis quoque ille declarat quo ardore erga honestatem, erga Ecclesiam, & eos qui temerè injuria afficerentur, flagravit. Multùm præterea in lucubrationibus suis invehitur in eos, qui non rectè Episcopali, Sacerdotalique muneri fungerentur. Et quòd apertè Chrysostomum defenderet, vehementer Arcadium & Cyrillum, atque hujus Patronum Theophilum perstringit, &c.*

Quantùm

Quantùm fuerit erga S. Joannis Chrysostomi memoriam affectus, quàm fervens innocentiæ ipsius defensor, constat ex Epistola 152. libri 1. ad Symmachum datâ, ex 310. & 370. ad S. Cyrillum Alexandrinum. Postrema hæc elegans est & gravis, quam Cyrillo profuisse ut hæreditariam in S. Chrysostomum offensionem deponeret, minimè dubitandum est. Sic autem habet: *Terrorem mihi Scripturæ exempla inferunt. Nam sive Pater sum, ut ipse ais, condemnationem Heli pertimesco, propterea quòd peccantes filios non castigavit: sive ut potius persuasum habeo, filius tuus sum, quippe qui magni illius Marci speciem atque habitum præferas, angorem mihi ac sollicitudinem affert Jonathæ pœna; quia patrem Pythonissam quærentem minimè prohibuerat, ob idque ante eum in bello interiit. Quamobrem ne & ego condemner, & tu divinum judicium subeas, simultates ac dissidia comprime. Ne privata ac domestica contumelia ultionem, quâ tanquam ære quodam alieno à mortalibus obstrictus es, in viventem Ecclesiam deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie atque obtentu compara.*

S. Joannis Chrysost. libros commendat S. Isidorus.

Lectionem librorum S. Chrysostomi *de Sacerdotio*, consulit iis qui ad Augustum illum venerandumque gradum promoti sunt. Quâ de re ita scribit ad Eustathium lib. 1. Epist. 156. *Sapiens ille & eruditus arcanorum Dei interpres Joannes, Byzantinæ Ecclesiæ, atque adeo Ecclesiarum omnium oculus, librum cum ita subtiliter & prudenter, atque accuratè condidit, ut omnes, tam qui, ut Deo gratum est, Sacerdotio funguntur, quàm qui negligenter & ignavè Sacerdotalem Dignitatem administrant, hic & virtutes suas, & offensiones reperiant.*

Commentarium S. Chrysostomi in Epistolam præsertim ad Romanos impensè commendat lib. 5. Epistola 32. atque; *Si divinus Paulus Attico usi Sermone voluisset, quò sui existeret interpres, non aliter interpretaturum fuisse, quam Chrysostomus vir venerandus præstitit.*

Scripturæ sacræ lectionem Christianis suadet.

Ad Scripturæ sacræ lectionem adhortatur, lib 1. Epistola 24. *Sacro-sancta volumina scalas quasdam esse* ait, *quibus ad Deum ascenditur. Sacrarum Scripturarum lectionem, salutis viaticum esse:* Lib. 2. Epistola 73. scribit gravia mala in Christiana plebe oriri, ex eo *quòd lectio sacrarum Literarum neglecta sit, & quòd unusquisque suos affectus divinis Oraculis præfert.* Lib. 4. Epistola 153. *Sacras Literas cælestem esse doctrinam sanctioremque Divinarum Scripturarum auscultationem mel merum spirare: diabolicam astutiam non permittere ut thesaurum illum contemplemur, ne divitias ejus lucremur.* Lib. 4. Epistola 208. non solùm ad contemplationem veritatis, sed ad vitam rectè instituendam Scripturas sacras esse legendas. Lib. 4. Epistola 33. *Si cordatè*, inquit, *atque prudenter in Sacris Scripturis versari volueris, non solum ad amorem divinæ sapientiæ, ac meditationis ejus omni impetu ferri debes, verùm etiam ad ipsorum dogmatum cupiditatem, à qua cælo digna atque conveniens vivendi ratio, tanquam fundamento exurgit.* Epistola 38. lib. 5. *Scripturam sacram veritatem pedestri sermone exposuisse, ut tam idiotæ, quam sapientes, quà pueri, quà fœminæ, eam cognoscerent.* Lib. 4. Epistola 67. tres Salomonis libros ordine legendos: primò Proverbia, quæ virtutem moralem docent: deinde Ecclesiastem, quo rerum terrenarum vanitas demonstratur: denique Cantica Canticorum, quibus ad rerum divinarum amorem animus evehitur. Periculosum esse, ne adolescentes in carnalis amoris laqueos incidant, si tertium illud statim attingant Opus. (Lib. 4. Epistola 40.)

De Episcoporum, Presbyterorum, Monachorum, omniúmque Fidelium officiis, multa habet notatu digna suis in Epistolis S. Isidorus. In avaritiam præcipuè Sacerdotum invehitur, & in eos qui sacrum ministerium in tyrannidem convertebant. Præcipuè verò Eusebium perstringit, Zosimum, & Martinianum, qui pravis moribus Ordini Sacerdotali dedecus, plebi Christianæ scandalum inferebant. Martinianus Pelusiensis Oeconomus Ecclesiæ, facultates ipsius dilapidaverat, & deceptum, vel furti sacrilegi participem Episcopum adduxerat, nedum ut suas rationes probaret, sed etiam ut Ecclesiam obæratam sibi atque obnoxiam subscriberet. Ea de re ad S. Cyrillum Alexandrinum scripsit S. Isidorus, ut Martinianum, qui Alexandriam ad captandum Episcopatum aliquem perrexerat, cum piis quibusdam Episcopis, ac quæstus inimicis, Pelusium mitteret, ad Ecclesiasticorum proventuum rationes reddendas, ac restituenda debita. Episcopo verò, qui vel furti socius fuerat, vel imprudenter Oeconomi rationibus subscripserat, muneris administratione interdiceret, aut concessâ veniâ, Procuratorem institueret, penes quem Ecclesiasticarum cura esset facultatum. (Epistola 127. lib. 2.) In Theodosium Pelusiotarum Antistitem invehitur, quòd templum magnificis marmoribus exornans, tyrannide sua, & scandalo veram Ecclesiam everteret, quæ est * *Sanctorum cœtus ex rectâ Fide, atque optimâ vivendi ratione collectus.* *Regnum Dei* Monasticam vitam vocat, *ut quæ nulli vitiosæ affectioni succumbat, verùm alta sapiat, ac virtutes cælo superiores præstet.* (Epistola 129. lib. 1.) Monachos increpat loca subinde mutantes, nec eruditionis comparandæ caussa, sed exquisitiorum epularum studio atque cupiditate, multas domos lustrantes. (Lib. 1. Epistola 173. & 314.)

Ecclesiæ definitio secundum S. Isidorum.

Vitam Monasticam commendat.

Declamat in Monachos vagos, & parasitos.

Proximas peccandi occasiones vitandas docet.

Proximas peccandi occasiones vitandas esse docet, eosque refellit, qui mulierum continuum aspectum aliquid detrimenti animæ importare negabant: hancque statuit Moralis Christianæ regulam: *Præstantiorem esse securitatem, quam periculosam contentionem; piumque & æquissimum esse, divinas leges propriis rationibus antiquiores habere.* Hæc habet Epistola 66. lib. 3. in qua exponit Evangelicum illud oraculum: *Si oculus tuus, aut manus tua scandalizat te, &c.* Legatur & Epistola 89. lib. 1. Ex eadem regula colligit operæ pretium esse ne mulieres, quas in Ecclesiis psallere Apostoli permiserant, in iis deinceps cantarent, quia cantûs suavitate ad irritandas hominum libidines abutebantur. (Lib. 1. Epistola 90.) Jusjurandum à proximo exigendum esse negat, idque duplici de caussa: quia aut veri studiosus est quis interrogatur, aut libenter mentitur. Si primum, etiam nullo interposito juramento vera loquetur: si secundum, jurans etiam mentietur. Quapropter duplici hoc nomine jusjurandum haudquaquam exigendum suadet.

ARTICULUS X.

De Hesychio.

Floruere V. Sæculo duo hujus nominis celebres viri, scilicet Hesychius Salonitanus in Dalmatia Episcopus, ad quem extat una Zosimi Romani Pontificis Epistolâ, S. Augustini verò duæ, & una ipsius Hesychii ad Augustinum. Alter Hesychius fuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyter, quem Euthymio Archimandritæ Sanctissimo, qui obiit anno 473. familiarem fuisse, testatur Cyrillus Monachus in ejusdem Euthymii Vita. De quo & Theophanes Chronographus ad annum Theodosii sextum, id est, Christi 412. hæc habet: *Hoc eodem anno Hesychius Hierosolymitanus Presbyter literarum doctrinâ florebat.*

Floruit sexto Sæculo alter Hesychius Hierosolymorum Episcopus, ad quem S. Gregorius scripsit Epistolam quadragesimam libri 9. Hesychii alterius Constantinopolitani Presbyteri meminit Photius Codice 51. suæ Bibliothecæ quem 4. libros,

sive

five Sermones in Serpentem æneum scripsisse memorat.

Hesychius Hierosolymitanus Presbyter Auctor Commentariorum in Leviticum, non Episcopus, ut Petronio Cardinali visum est.

Hesychio verò Hierosolymitano Presbytero tribuit Encemia in S. Thomam Apostolum, in S. Jacobum Fratrem Domini, & in Davidem Psalmographum, *Codicibus* 269. *&* 275. Quod spectat Orationem in S. Thomam, emendandus est Photius: illam enim in S. Andreæ laudem habitam fuisse constat ex ipso Fragmento quod ex ea descripsit. Idem Hesychius Historiam Ecclesiasticam edidit, cujus Fragmentum de Theodoro Mopsuesteno legitur Collatione 5. Concilii 5. Oecumenici. Sub ejusdem nomine Orationem de Resurrectione Christi edidit Combefisius noster, Tom. I. Auctarii Bibliothecæ PP. Græco-Latinæ, eamque non Gregorio Nysseno, cui antea tribuebatur, sed huic Hesychio contendit adscribendam. Hujus etiam esse videtur Commentarius in Leviticum in 7. libros distinctus, non verò Hesychii Salonitani, sive Senioris ad quem S. Augustinus scripsit, sive Junioris, ad quem S. Gregorius Magnus. Quamvis priori Opus illud tribuat doctissimus Cardinalis Petronius lib. 3. *de Eucharistia*. Auctoritate 27. Posteriori verò quidam viri eruditi, freti inscriptione veteris Codicis Regiæ Bibliothecæ, Nam scriptos Hierosolymis illos Commentarios, colligitur ex eorum Præfatione ad Eutychianum. *Deprecare*, inquit, *ut fiat oblatio verbi mei acceptabilis, non solùm in Jerusalem, sed & in omni terra.* Et ex libro 6. ubi loquens de comminationum ab Isaïa & Osee contra Jerusalem pronuntiatarum executione, ait: *Quòd manifestè Templum, & civitas hac Jerusalem antiqua, adhuc ostendens incendii reliquias.* Et ex lib. 7. ubi de Judæis sic loquitur: *Cognosces autem, si subtiliùs nosse vis, ea quæ ipsis evenerunt, ex Josephi Historia, in qua eos & filios comedisse, & reliqua præsentium comminationum sustinuisse descripsit, quorum plurima etiam nunc nostris ad cernendum adjacent visibus.*

Hierosolymitano verò Episcopo, qui tempore S. Gregorii Magni floruit, hos Commentarios tribui vetant MSS. Codices, & Præfatio ad Eutychianum, quibus Hesychii Presbyteri nomen adscriptum est. Accedit, quòd alii ab Hierosolymitano Presbytero qui Sæculo V. floruit, Hesychii, doctrina celebres fuisse non probentur ex Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis. Adeòque verisimillimum est Presbyterum Auctorem esse Encomiorum sacrorum de quibus Photius; Historiæ Ecclesiasticæ, cujus fragmentum legitur in 5. Synodo; & Commentariorum in Leviticum, nec-non etiam in 12. Prophetas Minores.

Unam difficultatem facessit, quòd scilicet Hesychius Levitici Interpres Scripturam sacram citet secundùm Versionem S. Hieronymi, quæ nondum fuisse videtur in usu initio Sæculi V. quo florebat Hesychius Hierosolymitanus Presbyter. Sed quamvis nondùm esset totius Ecclesiæ usu consecrata S. Hieronymi Versio his temporibus, ea usos esse quosdam Auctores, etiam in Oriente, est probabile, & præsertim Hesychium Hierosolymitanum Presbyterum, cùm Sophronius ejusdem Ecclesiæ Antistes Translationem S. Hieronymi totam, ut credere par est, Græcè reddidisset, siquidem Psalterii & Prophetarum Versionem jam Græco idiomate donaverat, quo tempore S. Hieronymus suum Scriptorum Ecclesiasticorum adornabat Catalogum, ut constat ex cap. 134. Vixit autem Hesychius annis 20. Hieronymo superstes. Obiit enim anno Theodosii 26. ut ex Theophane constat. Mirabitur quispiam, quòd homo Græcus de S. Hieronymi Versione dicat: *Translationem nostram, editionem nostram.* Sed Græcè scriptos ab Hesychio Commentarios, Latinitate donatos fuisse ante nonum Sæculum, & ab Amalario, à Rabano Mauro, à Strabo Monacho laudatos, qui observaverit, is profectò mirari desinet. Hæc enim verba, *secundùm Versionem nostram*, ab Interprete Latino addita fuisse, facilè sibi persuadebit.

Dices, Interpretem Levitici Hesychium, Nestorii & Eutychetis hæreses refellere: adeòque non vixisse ante Concilium Chalcedonense. Darem manus, si nominatim hæreses illas refelleret, aut contra illas datâ operâ certaret. Sed cùm neque Nestorium, neque Eutychetem nominet, sed Catholica duntaxat dogmata eorum erroribus opposita explicet occasione natâ, qui errores ab antiquioribus Hæreticis præformati ac propugnati fuerant, scilicet error Nestorii à Paulo Samosateno; error Eutychetis ab Apollinari: non sequitur scripsisse post Chalcedonensem Synodum Commentatorem, qui hæreses illas refellit. Adde, quòd non levis ponderis est, Auctorem istorum Commentatorium frequentem instituere collationem inter Versionem 70. Interpretum, & Versiones Symmachi, Theodotionis, & Aquilæ; quæ Collatio Gregorii Magni temporibus non convenit, sed ætati S. Hieronymi, & supparium Auctorum. Epitomen Evangelicæ Consonantiæ Hesychii Hierosolymorum Presbyteri edidit Clarissimus Cotelerius Tomo III. *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ.*

ARTICULUS XI.

De S. Nilo.

SANCTUS NILUS ex Præfecto urbis Constantinopolitanæ, Monachus & Abbas S. Joannis Chrysostomi discipulus, floruit sub Theodosii Junioris Imperio, circa annum 440. Ejus cum laude meminerunt Synodus 7. Generalis, quæ ejus auctoritate contra Iconomachos usa est Actione 4. Photius *Codicibus* 201. *&* 216. S. Joannes Damascenus in Parallelis, & Nicephorus Callistus *lib.* 14. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 14. *&* 53. Catalogum ejus Operum hucusque editorum, qui nosse voluerit, legat Dissertationem P. Labbæi de Scriptoribus Ecclesiasticis.

ARTICULUS XII.

De Dracontio Poëta.

DRACONTIUS Presbyter Hispanus vixit imperante Theodosio Juniore, ad quem scripsit Elegiam. Carmen Heroïcum in Hexaëmeron edidit: quod S. Eugenius II. Toletanus, Episcopus, jussu Chindasindi Vvisigothorum in Hispania Regis emendavit, auxitque, teste S. Ildephonso, lib. *de Viris Illustribus*, cap. 14. Ejusdem meminit S. Isidorus Hispalensis, cap 24.

ARTICULUS XIII.

De S. Proclo.

PROCLUS ab ineunte ætate Lector, Attici Constantinopolitani Episcopi Notarius, à quo ad Diaconatum, ad Presbyteratum, à Sisinnio promotus est: ac deinde Cyzici Episcopus ordinatus. Post Maximiani obitum in solio Constantinopolitanæ Ecclesiæ collocatus est Theodosii Imperatoris Mandato, anno 433. Ob pacificam indolem à Socrate impensè commendatur, quem de eo lege lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 39. 40. & 41. & Nicephorum lib. 14. cap. 38. Ejus auctoritate adversùs Hæreticos usa est Ecclesia in Concilio Chalcedonensi, & in Quinto Oecumenico. Eumdem laudavit S. Cyrillus in Expositione Symboli Nicæni, & Epistola 31. ad Joannem Antiochenum. Orationum ejus, & Epistolarum indicem legere potes apud

apud P. Labbæum S. I. *in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

ARTICULUS XIV.

De S. Cyrillo Alexandrino.

Carmelitarum habitû perperam induitur S. Cyrillus.

CYRILLUS ALEXANDRINUS, Theophili ex sorore, ut scribit Socrates, vel ex fratre, ut Theodoretus ait, nepos, Carmelitici Ordinis pallio ab istius Instituti Professoribus induitur. Sed hanc de Cyrillo in Carmelo Monachatu fabulam exsufflat merito Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens, ex eloquenti silentio Auctorum Cyrillo coævorum ipsam refellens, scilicet S. Hieronymi, Palladii, Evagrii, Cassiani, Theodoreti, Cyrilli Monachi, & aliorum; qui cùm frequentem de Monachis in Palæstina degentibus mentionem faciant, Carmelitarum nusquam meminerunt. Scio Carmeliticos Scriptores monumentis Annnymorum Chronicorum, & Trithemii testimonio Cyrillum sibi vendicare. Sed incerta monumenta, & nimia Tritemii credulitas fidem huic fabulæ non conciliant, nec prohibent quin cum Baronio de illis Scriptoribus verè dicamus: *Flagrans cupido nobilitatis avitæ, cogit interdum homines delirare.*

Theophilo Patruo suo in Alexandrina Sede Cyrillus successit, Honorio nonum & Theodosio quintum Coss. id est, anno Christi 413. Omnium Hæreticorum, sed Nestorianorum maximè fuit impugnator acerrimus Concilio Ephesino Oecumenico 3. contra Nestorium congregato præfuit Celestini I. Romani Pontificis nomine. Aliquos vitæ ipsius sanctissimæ nævos Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores annotarunt: scilicet pertinacem in S. Joannis Chrysostomi memoriam offensionem, quam tamen deposuit cùm S. Isidori Pelusiotæ adhortationibus tùm divinis visionibus impulsus; de quibus Nicephorus lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. Ipsum etiam reum Seditionis in Orestem Præfectum à Nitriensibus Monachis excitatæ facit Socrates. Ita se rem habuisse narrat. Judæos, quod conspiratione factâ Christianorum ingentem numerum trucidassent, Cyrillus, ademptis Synagogis Alexandriâ expulit, eorùmque bona plebis direptioni permisit. Ea res invisum Oresti Præfecto Cyrillum fecit, tum quòd ejus auctoritatem usurpare videretur, tum quòd urbem antiquis incolis viduaret. Nihil prætermisit Cyrillus quò placaret Orestis animum; porrectô ipsi Evangeliorum Codice, adjuravit ut inimicitias deponeret, sed incassùm. Dissentione Præfectum inter & Episcopum perseverante, Nitriæ Monachi circiter quingenti in urbem advolantes quasi ad Episcopi defensionem, Præfectum conviciis aggressi sunt: unus projectioris audaciæ, nomine Ammonius, ipsum jactu lapidis in capite percussit Habita de reo quæstio est, tormentis subjectus ad necem usque Ammonius. Ab Oreste, & à Cyrillo contrariæ ad Imperatorem missæ Relationes. Receptum interim à Cyrillo Ammonii corpus, & in Ecclesia honorificè depositum. Quin etiam seditiosum hunc Monachum, mutato nomine; Thaumasium, id est: admirandum appellavit, & Martyrem illum vocari jussit, magnitudinem animi illius multis laudibus in Ecclesia prosecutus, qui pro pietate certamen subiisset. Hæc ex Socrate habentur lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap: 14. Non minimam etiam labem Cyrillo intulisse narrat Hypatiæ sapientissimæ & modestissimæ mulieris, filiæ Theonis Philosophi, & Scholæ Platonicæ apud Alexandriam Magistræ atque moderatricis cædem, Petri cujusdam Alexandrinæ Lectoris Ecclesiæ conspiratione patratam. Huic occasionem conjurationi dedit Orestis cum doctissimâ fœminâ colloquium frequens. Hinc enim sparsa in vulgus calumnia est, eam Præfectum prohibere ne cum Cyrillo in gratiam rediret. Hæc refert Socrates cap. 15. libri mox laudati; quæ Nicephorus libri 14. capite 16. exscribit.

S. Cyrillus Alexandrinus à calumnia vindicatur.

Suspectæ fidei Socrates in iis quæ S. Cyrillum spectant.

Verùm suspectæ fidei debet esse Socrates in iis quæ Cyrillum spectant. Cùm enim Novatianis faverit, & Cyrillus statim atque Episcopus inauguratus est, bellum indixerit Novatianis, eorum, quotquot erant Alexandriæ clauserit Ecclesias, sacra earum vasa atque ornamenta abstulerit, & eorum Episcopum Theopemptum omnibus suis nudaverit facultatibus ut Socrates ipse testatur cap. 7. ejusdem libri verisimile est hunc Historicum, Sectæ (ut putabat) injurias iniquo in Cyrillum calamo styloque ultum fuisse. Minùs miror quod Ethnicus Scriptor Damascius in *Vita Isidori Philosophi*, cædis Hypatiæ auctorem faciat Cyrillum, cum calumniæ in nostræ Religionis homines Ethnicis Auctoribus familiares sint. Locum Damascii refert Valesius in Notis ad Socratem. Obiit S. Cyrillus, post quam Alexandrinam Ecclesiam triginta duobus annis rexisset, multisque pro Fide Catholica pertulisset labores: multis libris Hæreses debellasset, doctrinam Catholicam exposuisset atque illustrasset, anno Christi 444. quinto Idus Junii. Operum ejus nonnullorum meminerunt Gennadius, & Photius in Bibliotheca *Cod.* 49 136. & 169. Hunc Eulogius Alexandrinus Episcopus apud Photium in Bibliotheca, *Cod.* 213. vocat *Studio veritatis ardentem, doctum, pium, minimeque vacilantem Cyrillum.* Anastasius Sinaïta, in Duce Viæ, *Lumen Patrum celeberrimum & beatissimum.* Ecclesia Græca in Menologio, *Virum eruditissimum, & Catholica Fidei propugnatorem egregium.* In Menæis, *Sacerdotum omnium decus, Patrum Coryphæum: Synodi sanctissima propugnatorem.* Ecclesia Romana in Martyrologio. *Catholica Fidei praclarissimum propugnatorem, doctrinâ & sanctitate illustrem*

Doctrina S. Cyrilli de incarnatione, ab Ecclesia approbata.

Operum ejus indicem videre potes Tomo I. Parisiensis Editionis. Circa ea pauca hæc ducimus impræsentiarum annotanda. I. Cyrilli doctrinam de Incarnatione Verbi Dei ab Ecclesia fuisse in Conciliis Oecumenicis approbatam, ejus Anathematismos 12. contra Nestorium, à Theodoreti & Orientalium calumniis fuisse ab iisdem Conciliis vindicatos, ut Dissertatione singulari demonstrabitur inferiùs. Theodoretum ipsum adversùs Hæreticos auctoritatem & Doctrinam Cyrilli proferre in Dialogo *Inconfusus*, & inter *Magna Orbis lumina* laudare.

II. Commentariorum in Evangelium S. Joannis X. libros Cyrillum Alexandrinum edidisse. Olim quintum, sextum, septimum, & octavum fuisse desideratos. Jodocum Clictoveum Parisiensem Theologum illos ad Cyrilli imitationem efformasse, quod multis ansam dedit erroris, ut Clictovei lucubrationes pro Cyrilli Operibus acciperent. Nunc quintus & sextus Cyrilli habentur integri, cum septimi & octavi fragmentis, in Editione Parisiensi, cura & studio Joannis Auberti Canonici Laudunensis adornatâ.

Liber De Sacro-Sancta Trinitate, non est S. Cyrilli.

III. Librum de Sacro-sancta Trinitate, qui Tomo VI. Operum S. Cyrilli habetur, non esse genuinum ipsius fœtum, convenit inter eruditos, quòd de duabus in Christo voluntatibus & operationibus disserat: quæ controversia non pertinet ad Cyrilli Sæculum: & dogma de duabus Christi voluntatibus & operationibus cum eorum dictis non pugnare ostendat, qui Theandricam Christi operationem, aut unam naturam Verbi Incarnatam dixerunt. Opus illud ex S. Joannis Damasceni Libris excerptum est: ejusque Capita prima duodecim, sunt duodecim capiti libri 1. Damasceni.

recenset *retia*, & *aratrum*. Res inaudita! cxcv. totum Symbolum Pelagii Hæresiarchæ continet, de quo diximus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ 4. Sæculi, cùm de S. Hieronymi Operibus egimus. Mirum quòd Lovanienses Doctores illum hoc nomine non rejecerint. Tres sequentes ab eodem Impostore affictos S. Augustino, probant exordia, & connexio cum isto. Non magis est Sancto Doctore dignus cxcv. quod vel ineptum istud exordium ostendit: *Rogo & admoneo vos, Fratres charissimi, ut quicunque vult salvus esse, Fidem rectam ac Catholicam discat.* Et frequens repetitio istius verbi, *Credite*, & istarum vocum, *Qui fuit*, initio decem periodorum. Id probant & verborum flosculi: *Ascendere in cælis. Si quis vult Discipulus Christi esse, Mandata sua custodiat, à Judæis persecutus. Ita oportet unicuique observare.* cxcvi. est Fragmentum vigesimi octavi *de Diversis*.

cxcvii. Dubius est ob coactas allegorias, in quibus variat & confundit: & in præclaram illam Regulam peccare videtur à S. Augustino traditam Lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 9. *Ut literam sequi, & signa pro rebus, quæ iis significantur, accipere, servilis infirmitatis est; ita inutiliter signa interpretari, vagantis erroris est.* Ob eandem rationem dubito de cxcviii. Eundem esse Auctorem existimo allegoricorum hujusmodi Sermonum, qui sui semper similis, ubicunque tria invenit, facit Trinitatem; ubi decem, ibi Decalogum, ubi quinquaginta ibi Spiritum Sanctum; ubi aquam, ibi baptismum; ubi lignum, ibi crucem; ubi mulierem, quamvis meretricem, ibi Ecclesiam, ubi Angelum, ibi Christum, quamvis sit Angelus percussor, ut ille qui stetit juxta aream Areuna Jebusæi. Nec ad eximiam illam Regulam attendit, quam tradit S. Augustinus Sermone 20. de Diversis, *Non semper in Scripturis eadem significantur rebus certis, & quæ ponuntur allegoricè in Scripturis, non semper hoc significant.* cxcix. erat Tractatus *De quinque Hæresibus*, ut monent Lovanienses.

Ducentesimus Lectionem vespere recitandam exponit: quod S. Augustino insolitum. Ex Oratione *de quinque Hæresibus* sua mutuatur. Ex meretricibus, quæ coram Salomone litigarunt, alteram Ecclesiæ typum facit. cci. ob incongruas allegorias in appendicem rejiciendus. Ut baptismum conjungat cum cruce, fingit Viduam Sareptanam exiisse ut aquâ se lavaret, ac ligna colligeret: cùm Scriptura collectionis duntaxat lignorum, non autem balnei, aut lotionis meminerit. 2. ait Viduam illam *Ecclesiæ figuram* fuisse; filium viduæ *typum populi Christiani*. Quasi populus Christianus ab Ecclesia distinguatur. 3. Ait, *Veniente Christo, filium Ecclesiæ, id est populum Christianum, de carcere mortis reductum.* Quod minus accuratè dictum; cùm, veniente Christo, nondum esset populus Christianus: vel mortis, id est, peccati carcere inclusi non essent, qui reipsa, licet nondum vocabulo, erant Christiani, id est, qui in Christum credebant, & secundùm Dei præcepta piè & justè vivebant: sed Christi venturi meritis & sanguine jam essent de carcere mortis reducti. Adde *brevia capitula, & indicula, per quæ sancta desideria ad perscrutanda divina mysteria incitantur.* Quæ dictio non est Augustiniana. ccii. nec stylô, nec sententiis Augustinianus est. Explicans trabem & festucam in oculo hærentem, ait: *Subita iracundia festuca est: ira verò quæ in longum tempus protrahitur, dum per odium falsis suspicionibus nutritur, trabes efficitur.* Contra, ira inveterata ex S. Augustino nihil aliud est quàm odium, ut patet ex Homilia 42. & *cùm ira crescit in odium, trabem facit de festuca*, ut habet *Epistola* 109. Quomodò itaque ira per odium nutritur, & trabes efficitur? cciii. ex Capitibus 7. & 8. Alcuini *de Virtutibus & Vitiis*, desumptus, in appendicem rejiciatur, vel ex hoc Tomo penitus deleatur. cciv. contra Historiam graviter peccat. Eversionem Hierosolymorum post quadraginta duos annos à Passione Christi consignat: Sed anno Christi 71. vel 72. eversam Urbem à Tito certum est: adeòque annis post Christi Passionem triginta quinque. Duobus annis obsessam eamdem civitatem narrat: cùm ex Historia belli Judaici constet quatuor tantùm mensibus obsidionem durasse. Ait in Historiis se legisse, quòd *Centum milia juvenum Romam perducti sunt in triumphum.* At ex Josepho constat, eo in triumpho ductos tantùm esse Joannem & Simonem [illegible]oræ seditiosorum duces, cum septingentis Judæis robore & forma præstantibus. Præterea coacta est allegoria, quâ duos ursos, qui quadraginta duos pueros Elisæum irridentes devorarunt, Vespasianum & Titum interpretatur.

ccvi. Æquè incongruas allegorias habet. Vidua Sareptana typus erat Ecclesiæ. Vicini à quibus vasa petebat, populum Gentium figurabant adeòque ipsam Ecclesiam, quæ ex Gentibus est collecta. Vasa ipsa vacua significabant Gentes. Itaque, secundùm istum Concionatorem, Gentium Ecclesia Gentes à Gentibus petebat. Addit Ecclesiam, sicut illam mulierem, sterilem fuisse, & filium Ecclesiæ mortuum fuisse peccatis, antequam Christus veniret; sicut filius illius Viduæ mortuus est, dum Elisæus absens esset. Itaque Ecclesia sterilis erat, & filium habebat ante adventum Christi. Baculum Elisæi, crucem interpretatur: benè est. Sed cur Viduæ cœnaculum iterum crucem facit? An illi non sufficiebat una crux? Conferas quæ hîc de baculo Elisæi, & de filio Viduæ ab eo suscitato dicuntur, cùm iis quæ de eadem figura habet S. Augustinus lib. 12. *contra Faustum*, cap. 35. & Sermone 11. *de Verbis Apostoli*, cap. 10. & judica num ejusdem sint Auctoris.

ccvii. A Lovaniensibus meritò submotus est. ccviii. ejusdem parentis esse ac alios, quos supra notavi, allegoricos, fatebitur quisquis legerit. Puellam quæ captiva de Judæa ducta fuerat, prophetiam interpretatur. Addit *Populum Gentium prophetiam audivisse, & venisse ad Christum.* ccix. mirum est quod Lovanienses non expunxerint, qui Eutychetis errorem nominatim perstringit, de quo nihil audire potuit S. Augustinus, cùm post ejus mortem sit exortus. Monothelitarum errorem confundit cum Eutychiano. *In hac lectione*, inquit, *simul consideranda est in uno eodemque Redemptore nostro disjuncta operatio divinitatis & humanitatis; atque omnimodis detestandus error Eutychetis, qui unam tantum in Christo dogmatizare præsumit operationem.* Ferri posset, utcunque, quòd duos pisces allegoricè interpretatur *duo testamenta*; sed quòd æquè exponi posse putat *de uno libro omnium Prophetarum*; vel de *S. Joannis prædicatione*, quis ferat? Scilicet duo pisces significant unum librum, vel sexdecim Prophetas? & muta animalia vocem clamantis in deserto: ô ineptias!

ccx. In allegoricorum classem, de quibus supra rejiciendus, & conferendus cum cap. 35. lib. 12. *contra Faustum*, ubi eandem figuram S. Augustinus explicat. Tunc compertum erit, hujus Sermonis Auctorem revera esse, qualem se fatetur, *Negligentem præconem veritatis.* ccxi. à Lovaniensibus non injuriâ rejectus. ccxiii. ex Capitibus decimo & decimo-quinto Alcuini, *de Virtutibus & Vitiis*, consutus est. ccxv. indignissimus est S. Augustino, tum ob stylum squallidum; cujus specimen est, *verbosari*, quod usurpat pro confabulari: *præcantatores*, pro aruspicibus, magis, vel sortilegis, *balationes*, pro saltationibus. Tum ob criminum incredibilium narrationem de Hipponensibus Christianis, scilicet saltationum ante Basilicas Sanctorum. Quin-

Postremæ edit. ...

tæ Feriæ in honorem Jovis observatæ, turpitudinis cum hinnicula, vel cervula perpetratæ, diabolicorum caracterum quos sibi, aut suis appenderent. Et hujusmodi reos flagitiorum S. Augustinus anathemate non contrivisset? Ipsos Christiani Magistratus tulissent? Audi tandem consilium egregii Concionatoris. *Si ad vos pertinent*, inquit, *etiam flagellis cæde.* Itane? Absque discrimine. Humanius consilium dedisset Augustinus, ut constat ex Tractatu 10. in Joannem: *Si amicus est*, inquit, *admoneatur leniter; uxor est, severissimè refrenetur; ancilla est, etiam verberibus compescatur.* Tandem de Extrema-Unctione ita loquitur, ac si ejus Minister esset ipse ægrotus: *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum suum ungat.*

CCXVI. Ejusdem pretii apud me est ac præcedens. Incredibile est quòd Christiani Hipponenses in Ecclesiis causas dicerent, aut lites & rixas suscitarent. Scilicet, Magistratus Ecclesiam convertebant in Prætorium, sub Christianis Religiosisque Principibus, Augustino vidente & ferente! Et tamen egregius iste Concionator sic declamat: *Ille Christianus qualis est, qui vix aliquando ad Ecclesiam venit; & quando venerit, non stat ut oret pro peccatis suis, sed ut causas dicat, aut lites & rixas suscitet?* CCXVII. initio & fine demptis, quæ nihil S. Augustini habent, ex Sermone 45. *de Diversis*, & quidem interpolato fabricatus est. *Photinus*, inquit, *à quo hæretici Photiniani appellantur, quasi simplex pallium fecit viro suo.* Photinus mulier est, quæ virum duxit; si verbis Declamatoris nostri credamus. Longè aliter S. Augustinus in Sermone laudato de Diversis: *Nescio, qua mulier apud Photinum quemdam elegit quasi simplex pallium facere viro suo.* CCXVIII. ex eodem fonte manavit CCXIX. stylus, & adhortatio vehementior ad solvendas Sacerdotibus decimas, S. Augustini esse negant. Confer hunc Sermonem cum Enarratione S. Augustini in Psalmum 146. ex quâ patet Sacerdotes in Ecclesia Africana decimas non petivisse à Christiana plebe *Dominus ait, Manducate quæ ab ipsis sunt*, inquit, *& ne putarent aliquid de suo donare: Dignus est*, inquit, *operarius mercede sua. Talia non quærimus à vobis, ideo liberius dicimus. Sed & si quæreremus, fructum vestrum quæreremus, & non vestras opes: sed vestram justitiam. Efficite ut vos ipsos exigatis, efficimini exactores vestri. Christus tacitus exigit, & major est vox tacentis, quia in Evangelio non tacet.... Nemo enim à vobis potest exigere, nisi forte exactione opus est, ut qui vobis in Evangelio serviunt, petant à vobis. Si ad hoc ventum fuerit ut petant, videte ne quod vos à Deo petitis, frustra petatis. Ergo estote exactores vestri, ne aliquid illi, qui in Evangelio serviunt vobis, non dicam petere cogantur: sed ne silentiò vos arguant.*

CCXXI. Ex præfatione Enarrationis secundæ in Psalmum 25. desumptus est, duabus primis periodis, & epilogo exceptis CCXXII. ex enarratione Psalmi 97. interpolatâ prodit. Interpolatoris minervæ debetur illud exordium, quod nullius ipsum judicii fuisse probat: *Beatus Job, Fratres dilectissimi, tam Sanctus fuit, ut in illo compleretur illud, quod in Psalmo Spiritus Sanctus dixit;* *Psallite Domino in cithara, & voce Psalmi* Scilicet prophetia David, (si tamen hæc verba prophetiam continent) impleta fuit pluribus ante Davidem sæculis. CCXXIII.. erat Liber *de Patientia*. CCXXIV. à Lovaniensibus meritò rejectus. CCXXV. æquè rejiciendus erat, ob stylum repentem, & judicii defectum. De diabolo in Sanctum Job pugnante, ait: *Arborem concussit, & decutere poma non valuit. Et ramos quidem confregit, sed radici arboris nocuit.* Si ramos confregit, quomodo poma decutere non valuit? Addit *Parietem perforavit, sed thesaurum aufere non potuit.* Bonus paterfamilias non sinit à fure perfodi domum suam. Itaque sanctitati & vigilantiæ Jobi, injuriam facit.

CCXXVI. Ex S. Ambrosio haustum notarunt Lovanienses, ideoque in appendicem rejecerunt. CCXXVII. plus æquo favent, quem Augustino nemo tribuet, qui Augustini nomen amaverit. A solœco exorditur: *Faciendis eleemosynis, Fratres charissimi, charitatem vestram admonui, & consilium dare præsumpsi.* Divitem epulonem (de quo Lucæ 16.) sic alloquitur: *Clamavit tibi Scriptura, & non audisti. Propheta non tacuit, Apostolus prædicavit, Evangelium tonuit.* Si ita est, cur Abraham non dixit: Habent Evangelium & Apostolos; sed, *Habent Moysem & Prophetas, audiant illos.* CCXXVIII. & CCXXIX. rejecti sunt à Lovaniensibus. CCXXX. stylus non est Augustinianus; ut nec duorum sequentium; qui *de ebrietate vitanda* inscribuntur, quorum phrasis squallida & barbara. Ineptus est Concionator, qui hanc ebriosis Hipponensibus excusationem affingit: *Persona potens me coegit ut amplius biberem, & in convivio Regis non potui aliud facere.* Quasi verò cives Hipponenses convivio excipi ab Imperatore solerent, & ad ejus mensam se vinô ingurgitare. CCXXXIII. præter styli, dictionisque discrepantiam ab Augustinianis, Sanctissimi Doctoris Theologiæ repugnat. *Multi tacent* loquit, *& scire volunt, quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non; hunc dignum habet, & illum indignum. Audi, ô homo: Hunc dignum habet pro bonis operibus suis; illum habet indignum pro operibus suis malis, &c.* Et infrà: *Quid volebas? Gratiam Dei. Ergo si gratiam Dei quæris, aufer primùm nequitiam ab anima tua, & à conspectu oculorum meorum. Jam cessa à malo; & fac bonum. Et cùm hæc feceris, gratiam meam percipies.*

CCXXXVIII. Erat Tractatus *de Bono Disciplinæ*, S. Augustino falsò inscriptus. CCXXXIX. erat Tractatus S. Augustini *de Disciplina Christiana*. CCXL. non est Sermo, sed fragmentum. Duo sequentes meritò *à Lovaniensibus* sunt rejecti.

CCXLIII. Non est S. Augustini, quo indigna hæc Sententia est: *Qui ante legitimas nuptias concubinam habere præsumit, pejus peccatum facit, quàm qui adulterium committit.* Addit Impostor, concubinarios publicos in Ecclesiâ Africana à communione exclusos non fuisse: *Sed forte*, inquit, *dicunt qui isto peccato non sunt maculati, dicunt: Quare qui hoc agunt, à communione non suspenduntur? ideò enim tantum scelus à Sacerdotibus minimè vindicatur, quia à multis admittitur.* At ex Augustino *Homilia* 49 & *Epistola* 64. * *ad Aurelium* datâ, certum est, fornicatores non solùm *ab Ecclesiastico Ministerio*, verùm etiam *ab ipsa Sacramentorum communione*, exclusos fuisse, secundùm Africanæ Ecclesiæ disciplinam.

* Postrema ... 82.

CCXLIV. Qui legerit, mirabitur, quòd ab eruditis viris, qui olim S. Augustini Operum editionem curarunt, sublatus non sit, ut fœtus tanto Doctore, imò quôvis homine sapiente indignissimus. Pessimè explicat hæc Psalmi 50. verba: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c. Sed dicis*, inquit, *Uxorem exceptò desideriò filiorum cognoscere, peccatum non est. In tantum peccatum est, ut Propheta pœnitens clamet, In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Novas uxores triginta dierum spatio arcet ab Ecclesiæ liminibus. *Denique*, inquit, mulieres, *quando maritos accipiunt, per triginta dies intrare in Ecclesiam non præsumant. Quod etiam similiter viri observare deberent,* Dignos scilicet excommunicatione faciunt novos conjuges nuptiæ, quos Ecclesia conciliavit! Denique an hæ S. Augustini ingeniô dignæ fabulæ, & ineptiæ? *Ante omnia, ut quotiescumque dies Dominicus, aut alia Festivitates veniunt, uxorem suam nullus agnoscat. Et quoties fluxum sanguinis mulieres patiuntur,*

similiter observandum est: Propter quod ait Propheta: *Ad mulierem menstruatam non accesseris. Nam qui uxorem suam in profluviis positam agnoverit, aut in die Dominico, aut in aliâ qualibet Solemnitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascentur. Denique quicunque leprosi sunt, non de sapientibus hominibus, qui & in aliis diebus, & in Festivitatibus castitatem custodiunt, sed de rusticie maximè, qui se continere non sapiunt, nasci solent.* CCXLVI. Non malus est, sed stylò se S. Augustini esse negat. CCXLVII. S. Cyprianum, *de Habitu Virginum*, laudat ejusque verbis deinceps utitur, sed truncatis & interpolatis, contra S. Augustini morem. In CCXLVIII. dictio, & facundia Augustiniana desiderantur. Non sunt hæc S. Augustini verba, vel phrases: *Vaniloquax, risus excelsus, invidia cor perforat, Christi discipulatui condigni, superbia spiritus*, pro superbia vitæ, *Joannes persuadet nos*. CCXLIX. ex libro Alcuini *de Virtutibus & Vitiis*, cap. 18. magnam partem conflatus.

CCL. Stylo discrepat ab Augustinianis. *David enim ille sanctissimus*, inquit, *in mille passibus mulierem nudatam vidit, & statim homicidium fecit, & adulterium. Verè nimium plangenda & miseranda conditio est, ubi citò præterit quod delectat, & per diabolum in cruce manet sine fine quod cruciat. Voluntas perfecta faciendi, reputabitur pro opere facti: qui moras in suis cogitationibus habere permiserit.* Clericos & Monachos adhortatur coram plebe, ut inhonestam familiaritatem fugiant, quod S. Augustini prudentia indignum. In hoc tamen Sermone, quasi gemma in luto micat hæc Sententia: *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur.*

Nec CCLI. Augustinianus est, ut probant istæ phrases: *In Ecclesia verbosantur. In aleâ vel in jocis inutilibus insudare. In hominibus bibere.* Venationem *diabolicum officium* vocat. Denique S. Augustini ævo hi non conveniunt abusus, in quos iste Declamator invehitur.: *Adhuc quoque, quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, & maximè Potentes istius mundi, qui cùm veniunt ad Ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt Presbyterum ut abbreviet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam & avaritiam, quatenus unus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates.*

CCLII. Non est S. Augustini. Pugnantia namque & cum Augustino, & secum loquitur. *Unusquisque* inquit, *consideret conscientiam suam; & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis, vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere. Crimen*, ex S. Augustino, *est peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum*: quòd sin minùs Pœnitentiâ publicâ, saltem Ecclesiæ clavibus purgari debet. Proinde qui criminis alicujus reus est, Eucharistiam non debet accipere, quamvis jejuniis, orationibus & eleemosynis conscientiam suam purgare studuerit, sed necesse est ut Sacerdotes adeat, & Ecclesiæ clavibus se subjiciat. Lege Homiliam quinquagesimam. Sed audi rationem egregii Declamatoris, cur ad Eucharistiam is accedere debeat, vel possit, de quo loquitur. *Si enim*, inquit, *agnoscens reatum suum, ipse se à divino Altari subtraxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet.* Probat eum qui divinam optat ac sperat misericordiam, ideò ad Eucharistiam debere accedere, quia debet se à divino altari subtrahere. CCLIII. ne S. Augustino tribuatur, nihil prohibet præter diversum dicendi caracterem. Inter Eusebianos conscriptus est. CCLV. S. Augustini acumen & facundiam non sapit. Boni sensûs vacua est ista periodus: *Nam quòd templa succenduntur: ita contrario qui Charitatis luce repletus est, si negligens fuerit, citò refrigescit, charitas, & cupiditas inardescit.* Templorum succensio, inaudita Dedicationis cerimonia. Si de cereorum, & lampadum incensione id intelligas, insulsus loquendi modus; nec accurata comparatio. Denique in Sermone postremo de Tempore, Caput 6. Augustinianum non videtur, cujus stylus alienus est. Videtur alterius esse Sermonis exordium. *Dum novam constructionem*, inquit, *sanctæ hujus Ecclesiæ libenter attendimus, quam divino nomini hodie dedicamus, invenimus à nobis deberi & Deo nostro maximam laudem. & Sanctitati vestræ congruum de divina domûs ædificatione sermonem.*

Ex Sermonibus *de Sanctis*, secundus est pannus ex Eusebio, & S. Augustino Sermone 237. *de Tempore* consutus. Tertius, magnam partem desumptus est ex Sermone 51. *de Diversis*. Quintus est S. Maximi Taurinensis. Quo nomine à Lovaniensibus rejectus est in appendicem. Sextus æquè rejiciendus erat, quòd nec stylô, nec sensu Augustinianus sit. En specimen: *Ligavimus incapabilem Filium Virginitatis, tradidimus judici Judicem æquitatis, superavimus superantem imperium vanitatis, oppressimus opprimentem imperium calamitatis, conspuimus faciem sanctitatis, & crucifiximus cæci Filium Majestatis. Quare tardamus? Stephanum istum nostræ confusionis demonstratorem publicum publice rapiamus ad Concilium, in nostrum statuemus medium, Pontificali perturbemus Synodo, testimonio opprimamus falsissimo.* Ait S. Stephanum *disputasse contra Legem*: quod soli falsi testes dixerunt *Actor*, 6. imò S. Protomartyr legem impensè commendavit, ut *acceptam in dispositione Angelorum*: (Actor 7.) VII. fragmentum erat libri 22. *De Civitate Dei*, *cap*. 8. VIII. IX. X. & XI. S. Augustinum auctorem mentiuntur XII. non est etiam S. Augustini, sed nec S. Leonis, cui illum viri eruditi tribuerunt. Neutrius esse stylus demonstrat. Hispanum fuisse ejus Auctorem colligitur ex his verbis: *Hunc ergo* (Vincentium scilicet Martyrem) *ampliùs propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur*, Ex quibus manifestum est. S. Vincentium illic laudatum hoc Sermone fuisse, ubi Martyrium subierat. S. Leandrum Hispalensem Episcopum hujus Auctorem fuisse conjicit vir eruditus P. Quenellius: & primæ utriusque nominis syllabæ similitudinem, Leonem pro Leandro supponendi occasionem fortasse præbuisse, dum sola in MS. Codice remansit, cæteris apicibus vetustate exesis.

Inter Sermones S. Augustini De Sanctis, quinam Pseudepigraphi?

XV. Suô meritô rejectus est à Lovaniensibus, Infideles enim vocat Christianos, *Qui super tumulos defunctorum cibos & vina conferunt.* Quem morem in Africa suo tempore vigentem, & à matre suâ S. Monica etiam observatum S. Augustinus non reprehendit. Lege lib. 6. *Confessionum*, cap. 2. lib. *de Cura pro Mortuis gerenda cap*. 4. lib. 20. *contra Faustum*; *cap*. 21. lib. *de Moribus Ecclesiæ* cap. 34. & 8. *de Civitate Dei* cap ultimo. Gallum fuisse hujus Sermonis Auctorem verisimile est. Abusus enim in quem invehitur, Canone 23. Concilii II. Turonensis, anno Christi 570. celebrati reprehensus est. *Sunt etiam* (inquit istud Concilium) *qui in festivitate Cathedræ Domni Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores.*

XVII. Etiam apud S. Ambrosium legitur: sed S. Augustini videtur potiùs quàm S. Ambrosii. XVIII. ex variis pannis consutus est Sermonis Ambrosio olim adscripti qui est inter Augustinianos *de Tempore* X. item XX. *de Tempore*, & XXXV. *de Sanctis*: de quo postea. Errorem præterea Sabellianis tribuit toti retro antiquitati

quitati

quitati ignotum, & (secundum S. Augustinum) ipsorum errori repugnantem. *Nec fortuito*, inquit, *ut fingunt Sabelliani, Maria reperit parvulum, sed decursis novem mensibus peperit Christum.* Sabelliani, teste S. Augustino, Sermone 63. *de Verbis Domini*, docuerunt, *Ipsum Patrem natum ex femina, ipsum Patrem passum, ipsum esse Patrem qui est Filius.* Si hoc docuerunt, quomodo partum Virginis negavere, & Christum parvulum fortuitò repertum à Maria, instar infantis exposititii commenti sunt? Cæterùm hic sermo non malus est. XIX. & XX. prudens Lovaniensium censura submovit. XXI. si cum XXIII. qui, omnium consensu, verè Augustinianus est, contuleris, suppositirium esse tibi persuasum erit. XXIV. est S. Petri Chrysologi.

XXV. Non esse S. Augustini, stylus puerilis demonstrat. S. Paulum à Matre baptizatum ait, cùm sit ab Anania baptizatus: Et quamvis Matris nomine forsan Ecclesiam intellexerit, obscurat tamen hæc locutio est, & affectata ab Auctore, ut jejunam illam faceret antithesim: *Baptizatus est à Matre, illuminatus est à Deo Patre.* XXVI. & XXVII. Lovanienses rejecerunt, quòd ille sit inter Ambrosianos sexagesimus octavus: iste verò sit S. Maximi Taurinensis. XXVIII. Stylus infans & Poëticus, ab Augustiniano immensùm distans. En specimen. *Cùm Petrus linea castra laxaret in freto. Circundat gentem squammeam. Dum insidiatur Petrus gregibus æquoreis piscium. Dum vellet Petrus inani muro quærens concludere piscem. Distendebat Petrus sinum lini. Dum insequitur gravidi semper æquoris prolem* S. Petrum vocat *Piratam reptilium.*

XXX. & XXXI. Inter Ambrosianos extant; meritòque sunt in appendicem rejecti, Lovaniensium judicio. XXXII. ex S. Maximi Sermone *de Martyribus*, maximam partem desumptus est. XXXIV. est Tractatus *de Assumptione Beatissimæ Virginis Mariæ*, qui rejectus est in appendicem Tomi noni. XXXV. rejectus est à Lovaniensibus, quòd S. Isidorum libro *de vita & morte Sanctorum* laudet, ac Fulberto Carnotensi in quibusdam MSS. tribuatur. XXXVI. legitur inter Eusebianos. XXXVII. Bedæ tribuitor in Romano Breviario, ab aliis Alcuino. Utrumque Lovanienses in appendicem rejecerunt. XXXVIII. ad diem Animarum absque judicio relatum est, cùm sit de ultimo judicio. AS. Augustini stylo, facundia, & eruditione totò cœlò distat. Idem de XXXIX. & XL. ferendum judicium. Alter est sexagesimus tertius inter eos qui inscribuntur, *Ad Fratres in eremo.* XLI. etiam S. Cæsarii nomine inscriptus legitur. In eo ferri non potest, quod maledicentiam frequentem & temeratiam inter minuta peccata numerat, à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potest; & in probationem adducit locum Apostoli dicentis: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Ex quibus sequeretur, secundum istius Concionatoris ratiocinium, propter venialia peccata, nos à regno Dei excludi. In XLIII. & sequentibus, frustra stylum & ingenium S. Augustini quæras, præterquam in XLVIII. & L. qui gemini sunt Sanctissimi Doctoris fœtus.

Ex Sermonibus XVII. quos pridem addidere Parisienses, primus non est S. Augustini, repugnante stylo. Secundus est fragmentum Sermonis LXIII. *de Diversis* XIV. Non est habitus à S. Augustino *In Festo omnium Sanctorum*, ut præfert inscriptio, cùm tunc institutum non esset, sed in festo unius Sanctæ Virginis.

Inter Sermones de Diversis, quinam S. Augustinum Auctorem non agnoscunt?

Inter Sermones *de Diversis*, VII. loco movendus est, cùm sit fragmentum CXX. In VIII. postremæ periodi ab illis verbis, *Dominus dives & pauper, &c.* malè assutæ sunt ex CCV. *de Tempore.* XXXVIII. qui secundus est *de S. Laurentio*, confer cum præcedenti de eodem Sancto, & hunc S. Augustino abjudicabis. XLV. in appendicem rejiciet, qui expenderit quàm alienus sit à stylo aliorum Sermonum *de Epiphania.* XCVI. indignus est S. Augustino. Nomen Stephani sic interpretatur: *Per linguam Græcam nomen accepit corona, quòd Latinè interpretatur vita perpetua.* Quasi nomen coronæ Græcum esset, aut Stephani nomen vitam perpetuam significaret. 2. ait S. Stephanum *adhuc in corpore positum, Trinitatem vidisse.* At S. Lucas in Actis Apostolorum ipsum *Jesum stantem à dextris Dei*, non Trinitatem ipsam conspexisse testatur. 3. ait in S. Stephano *completum illud Evangelii præconium, quod dicit de lapide qui reprobatus fuerat, Hic factus est in caput anguli.* Sed istud vaticinium quod Christus ex Psalmo 117. citavit, in ipso Servatore, non in Stephano completum esse constat ex ipsius verbis *Matth.* 21. *& Lucæ* 20. & ex *Actorum* 4 *v.* 11. ubi S. Petrus ad Judæos de Christo sic loquitur: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus* XCVII. XCVIII. Et XCIX. sunt pariter S. Augustino suppositi. Evangelicæ Historiæ ignarum se probat iste Declamator, cùm ait, in eo Sermone, qui posttremus laudatus est: *Cum diceret Dominus noster Jesus Christus suspensus in Cruce: Amen dico vobis, amodò videbitis cælos apertos, & Filium hominis stantem ad dexteram Patris; clamavit Caiphas dicens: Blasphemavit. Caiphas conscidit vestes: isti ipsas clauserunt mentes.*

Sermones Ad Fratres in Eremo, non sunt S. Augustini.

Sermones septuaginta sex ad Fratres in Eremo, sub S. Augustini nomine conficti sunt ab Impostore quodam semilatino, qui SS. Augustini, Cæsarii, Gregorii, & aliorum verba identidem miscet. Ex his duos excipias *De communi vita Clericorum*, qui sunt quinquagesimus secundus, & quinquagesimus tertius *de Diversis*, verè Augustiniani. Cæterorum phrasis inepta & lutulenta, doctissimis Cardinalibus Baronio, Bellarmino, omnibusque viris eruditis judicibus. Perpetuò inculcat illorum Auctor se vixisse in solitudine cum Monachis: quod S. Augustino non convenire intelligit, quisquis Vitam ejus legit à Possidio scriptam, nec-non ipsius Confessiones, & Retractationes Vigesimus primus tria Monachorum genera ex Epistola S. Hieronymi recenset, sed Hieronymum impudenter depravat. Tertium genus vocat *Sarabaitas*, quod ille *Remoboth* dictum ait. Illos *in foraminibus petrarum* habitantes facit: S. Hieronymus *in urbibus & castellis, binos vel ternos simul habitare* scribit. Hic *indutos porcorum & boum pellibus, cinctos funibus palmarum, spinas ad calcanea portantes, discalceatos, &c.* S. Hieronymus apud hos ait *Affectata esse omnia, laxas manicas, caligas follicantes, vestem crassiorem.* Hic ipsos *ad Scenopegia festum* Hierosolyma pergere solitos & barbas in conspectu *hominum sine redemptione evellere* S. Hieronymus, inter ipsos *sæpe esse jurgia: & siquando dies festus venerit, saturari ad vomitum* Confert Eremiticam narrationem cum Epistola S. Hieronymi ad Eustochium Putidissimas fabulas de S. Hieronymi Cardinalatu, & fuga in habitu muliebri, vigesimus quartus obtrudi. De S. petro & Juda non minus prodigiosa mendacia habet vigesimus octavus; de itinere S. Augustini in Æthiopiam, & de Æthiopibus Acephalis trigesimus septimus: de Tarpeia Romana femina quadragesimus septimus: de sepulchro & cadavere Cæsaris quadragesimus octavus: de quadam anima exeunte de Ægypto sexagesimus nonus. Æmulatione & invidia in Clericos Regulares movebatur Concionator Eremiticus ut hæc S. Augustino affingeret, quæ Sermone 5. leguntur ipsorum elogia. *Eia igitur, Sacerdotes Dei, egredimini foras, pergite ad Fratres meos, & quid estis,*

estis, & quid ipsi sint, considerare vos volo. Nunquid & vos tales estis, quales & ipsi sunt? Vos enim voratores estis, & ipsi summa sobrietatis. Vos discursores civitatis, & ipsi visus hominum fugiunt. Vos impudici, & ipsi casti. Vos derisores, & ipsi ferventissimi Oratores. Vos pellibus cuniculorum vel variorum ornati incedistis, & ipsi ovino colore nigerrimo asperrimóque induti sunt, præter ea quæ intrinsecùs sunt. Vos delicatè pastes summè curatis, carnes varias affectantes, & ipsi postquam Eremum intrarunt, nunquam carnes sumpserunt. Vos vina electa & inebriantia quæritis, & ipsi pauxillum aquæ recipiunt. Vos balteis militum mundo apparere desideratis; & ipsi zonis camelorum renibus succincti, more Eliæ & Joannis sunt decorati. Contra S. Augustinus, Sermone 50. de Diversis *Nuntio vobis* inquit, *unde gaudeatis: quia omnes Fratres & Clericos meos qui mecum habitant, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Patritium nepotem meum, tales inveni, quales desideravi.* Rogo te, an discursores civitatis, voratores, impudicos desideraverat, quales Eremiticorum sermonum, lutulentus, nugivendus, & mendacissimus Auctor describit?

Sermones quadraginta à Jacobo Sirmondo Societatis Jesu viro doctissimo editi ex probatissimis MSS. ac præsertim ex uno venerandæ antiquitatis exemplari in cortice scriptô, plerique à Possidio, aut à Beda laudantur: S. Augustini stylum & ingenium nullus est qui non referat.

Augustinianorum Operum censuram Erasmus, Lovanienses Theologi, Bellarminus, & Vindingus ediderunt, sed accuratissimè omnium, postremus iste; ut comperuimus lectione, & examine diligenti Librorum, Tractatuum, aut Sermonum, quos ille rejicit, vel admittit. Unde ipsius judicium ut plurimùm secuti sumus. Accuratiorem verò jam censuram habes Sermonum S. Augustini ab Ascetis Benedictinis Congregationis S. Mauri editam.

§. X.

De Nævis quos S. Augustino Heterodoxi Pseudo Critici, objiciunt.

Quæstio de origine Animæ olim obscura. Auctores ex traduce, Occidentales plerique post S. Augustinum dubitarunt.

* Postremæ edit. 166.
* Postremæ edit. 590.

S. Augustino hos nævos Dallæus objicit in *lib. de vero Patrum usu.* 1. quòd in eam propenderit opinionem, quæ animam esse aiebat ex traduce, Epistola 28. lib. 10. *de Genesi ad literam*, cap. 11. lib. *de Anima & ejus Origine*, cap. 14. & Epist. 157. *ad Optatum.* Verùm S. Augustini dubitatio circa illam quæstionem perperam ab Heterodoxo Scriptore Nævus appellatur, cùm S. Augustini tempore variæ essent Doctorum Ecclesiasticorum illa de controversia sententiæ, & frequentior illa esset in Ecclesia Occidentali, quæ traducem animarum propugnabat. Quod & S. Hieronymus agnovit, teste S. Augustino *Epistola* 157. qui & ejus dubium non improbavit, cùm eâ de re ab ipso rogatus respondit: *Unusquisque in suo sensu abundet.* S. Eucherius Lugdunensis Episcopus, seu alius Auctor in cap. 3. Genes. non minùs de Animæ origine, quam S. Augustinus dubitat. *Utrum,* inquit, *sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur, an novæ semper creentur à Deo ex nihilo? Quæ Quæstio in definiendo difficilis est, quia nihil à Sanctis Viris, vel Scripturarum auctoritate manifestiùs pronuntiatum est.* Julianus Pomerius, dubiam & obscuram suo tempore illam fuisse Quæstionem satis significavit, in quatro Librorum illorum quos *de Anima* scripsit, disputans: *Utrum anima quæ nascituro corpori infundenda est, nova fiat sine peccato? An ex substantia animæ primi hominis, velut propago è radice producta, etiam peccatum primæ animæ secum originaliter retrahat?* Eamdem dubitationem amplexi sunt Catholici Episcopi in Sardinia exules 6. Sæculo, in Epistola Synodica Byzantium missa. *Quæstionem vero animarum* inquiunt, *aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare: quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum auctoritas non manifestè pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maximè quod sine fidei detrimento potest à Fidelibus ignorari.* In eadem hæsit dubitatione S. Fulgentius lib. 3. *de Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, cap. 18. 19. & 20. In eadem fuit Cassiodorus lib. *de Anima cap.* 14. Eandem approbavit dubitationem S. Gregorius Magnus lib. 7. Epistola 53. ad Secundinum. *Sed hac de re,* inquit, *dulcissima mihi tua Charitas sciat, quia de origine animæ inter Sanctos Patres requisitio non parva versata est: sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hâc vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem: gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi.* S. Isidorus Hispalensis *Lib.* 2. *de Officiis Eccles.* cap. 23. eam de animæ origine dubitationem inter Fidei regulas reposuit. *Hæc est autem,* inquit, *post Apostolorum Symbolum certissima fides, quam Doctores nostri tradiderunt.* Et inter alias Sententias, quas Fide tenendas proponit, hanc inserit, *Quòd incerta sit animæ origo.* Nono Sæculo dubia adhuc ex Ecclesiastica traditione. Patribusquibusdam visa est de animarum origine sententia, ut constat ex S. Prudentio Tricassino Episcopo lib. *de Prædestinatione* adversùs Joannem Erigenam, cap. 16. *Nascitur enim,* inquit, *de carne caro: sed utrum & anima similiter de anima nascatur, magna quæstio est, & à Patribus diu multùmque discussa, sed absque certâ definitione relictâ.* Hugo à S. Victore lib. 1. *de Sacramentis*, p. 7. cap. 3. probabilius censet animas ex traduce non fieri, sed creari; eamque opinionem suo tempore magis communem esse in Ecclesia significat. Ait tamen *Nullam unquam rationem, sive auctoritatem in tantùm prævalere potuisse, ut dubietatem tolleret quæstionis.* Lege viri doctissimi Henrici Norisii Vindicias Augustinianas, §. 111. Illud tamen Antiquorum dubium non impedit, quin modò ab omnibus Catholicis asserendum sit animas à Deo creari & creando corporibus infundi: ut habetur inter Synodi Lateranensis Decreta.

Utrum Angeli incorporei essent, certum S. Augustino non fuit; sed nec aliis quibusdam patribus.

Secundum in S. Augustini doctrina nævum notat Dallæus, quod Angelis naturam corpoream tribuerit, lib. 1. *contra Academicos*, *cap.* 7. Verùm & ea de re variæ fuerunt Patrum veterum sententiæ. In illa Quæstione sententiam suspendit suam S. Doctor, ut constat ex lib. 15. *De Civitate Dei*, cap. 23. & lib 21. cap. 10. *Sunt quædam*, inquit, *sua etiam dæmonibus corpora, sicut Doctis Hominibus visum est .... Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re operosâ inquisitione laborandum, aut contentiosâ disputatione certandum,* &c. Sed & multis post S. Augustinum Sæculis ea in Quæstione dubius fuit S. Bernardus, lib 5. *de Consideratione*, *cap.* 4. & *Sermone* 5. *in Cantica.*

S. Augustinus in eam sententiam propensior fuit, quæ syderibus animam negat.

Tertium nævum in S. Augustini doctrina Dallæus reprehendit, quòd dubitaverit an sydera ratione & intellectu prædita sint, & ad Ecclesiæ corpus pertineant lib. 20. *de Civitate Dei*, *cap.* 25. & 26. Sed nævus inscitè vocatur S. Augustini ea de re dubitatio, cum quæstio fidei non videatur, sed Philosophiæ, utrum cœlestia corpora sint animata. Quanquam S. Augustinus in eam magis propendet sententiam, quæ syderibus animam negat. Nam cùm lib. 13. *de Civitate Dei*, *cap.* 16. sententiam Platonis retulisset, ait *Et hoc quidem utrum Plato verum de syderibus dicat, alia quæstio est. Neque enim continuo concedendum est globos istos luminum, sive orbiculos luce corporeâ super terras seu*

die,

die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere, iisque intellectualibus & beatis. Et lib. 2. Retractationum, cap. 7. recensens libros contra Faustum, ait: *In decimo quarto, de Sole & Luna talia dicta sunt, tanquam sentiant, & ideò tolerent vanos adoratores suos; quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad animale translata modô locutionis, qui vocatur Græcè metaphora.*

Subtilis S. Augustini expositio de sex diebus creationis, nævus à Dallæo imperitè dicitur.

Quartum nævum in S. Augustino Dallæus arguit, quòd universum orbem momentô creatum asserat, & sex dierum intervalla in creatione ad varios gradus Angelicæ cognitionis referat. Sed subtilem illam S. Augustini expositionem, quæ Scripturam sacram ab irrisione infidelium magis tuetur, ut ait S. Thomas in 11. *Sentent. Dist.* 12. *Quæst.* 1. *Art.* 2. quamque sibi magis arridere testatur ibidem: Quam diligenter etiam exponit 1. p. Quæst. 73. Artic. 11. nec ipsi vult *præjudicare*, ut ipse loquitur: quam Albertus Magnus, S. Bonaventura, aliaque Theologiæ lumina commendant: & quæ maximum habet in Scripturis divinis fundamentum: hanc, inquam, expositionem Dallæus velut errorem imperitè sugillat. Sed cur non animadvertit Pseudo-Criticus, S. Augustinum huic interpretationi non ita adhæsisse, ut aliam si fortè melior & Scripturæ sacræ verbis convenientior proferri posset, vellet rejici. Id compertum est ex capite 28. libri 4. ipsius de Genesi ad literam. *Quisquis ergo*, inquit, *non eam, quam pro nostro modulo vel indagare, vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in Prophetia figuratè, sed in hac creaturarum conditione propriè, meliùsque possit intelligi, quærat, & divinitus adjutus, inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam: neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam.*

Quòd S. Augustinus Antipodas esse negaverit, ejus auctoritatem non elevat.

Quintum nævum in S. Augustino Dallæus notat, quod Antipodas neget lib. 16. de Civitate Dei, cap. 9. *Nimis*, inquit, *absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immensitate trajectâ navigare, ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Sed iniquum est propter id S. Augustino erroris dicam scribere, cùm nec in sacris, nec in profanis literis aliquid certi eâ de re habeatur; sed conjecturis dumtaxat Antipodas esse quidam è veteribus adstruxerint; experimentis verò & navigationibus recentiorum ducti certiùs id asseramus. Opinione proculdubio S. Augustini adductus est Zacharias Romanus Pontifex, ut *perversam & iniquam doctrinam* vocaret asserentem, *Quod alius mundus, & alii homines sub terra sint.*

S. Augustinus non dubitavit quin Sanctorum animæ, ante diem judicii, æterna felicitate fruerentur.

Sextò S. Augustino improperat Dallæus, quòd censuerit cum Veterum plerisque, *Tempus, quod inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continere.* (Enchiridii cap. 109. de Cura pro mortuis, cap. 2. lib. 1. de Civitate Dei, cap. 12. & Tractatu 49. in Joannem.) Sed etsi S. Augustinus de loco dubitaverit aliquando, ubi Sanctorum animæ ante judicii diem excipiuntur, non tamen dubitavit quin æternâ felicitate, & Dei visione fruerentur, ut ex illis ipsis locis compertum est; nec non ex libro 9. Confessionum, cap. 3. ubi ait: *Nunc vivit Nebridius in sinu Abrahæ, quicquid illud est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit..... Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, & bibit quantùm potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix.* Et lib. 2. Quæstionum Evangelicarum cap. 38. *Sinum Abrahæ requiem esse* ait *beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur*; eumdemque *esse secretum Patris, quò post passionem suam resurgens assumptus est....: Ubi etiam ante resurrectionem Justorum animæ vivunt cum Deo.* Et lib. 20. *de Civitate Dei*, cap. 15. Justorum animas *prorsus inferos nescire*, ait, ubi *antiqui Sancti detinebantur, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.* Ex quibus perspicuum est, S. Augustinum priorem illam dubitationem suam de sanctarum animarum post mortem receptaculo, re diligentiùs discussâ deposuisse. Non me latet, Heterodoxis Criticis nævum videri, quòd Justorum animas, quibus aliquæ peccatorum leviorum sordes in hac mortali vitâ contractæ abstergendæ supersunt; vel luendæ pœnæ, quarum sunt divinæ justitiæ debitores, abditis, receptaculis, id est, Purgatoriis locis excipi asserat, in quibus expientur. Sed tantùm abest ut nævus ille sit, quin potiùs dogma fidei est: ut in Panoplia adversùs Hæreses IV. Sæculi, Dissertatione singulari demonstravimus.

Actualem Eucharistiæ sumptionem parvulis baptizatis ad salutem esse necessariam S. Augustinus non asseruit.

Septimò adversùs S. Augustinum Dallæus objicit, quòd Eucharistiam statuat pueris necessariam, lib. 1. *de Peccatorum Meritis cap.* 20. & lib. *de Prædestinatione Sanctorum c.* 13. *& lib.* 2. *Operis imperfecti contra Julianum, cap.* 29. Sed nequaquam actualem Eucharistiæ sumptionem parvulus baptizatis ad salutem esse necessariam S. Augustinus asseruit. Parvulos tantùm absque Baptismo decedentes, à vita æterna alienos esse, contra Pelagianos probavit ex verbis Christi, *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vitam enim felicem hujusmodi parvulis Pelagiani spondebant, extra regnum cœlorum. Ex his autem Salvatoris verbis optimè colligebat S. Augustinus, absurdum esse illud figmentum: quia salvus esse nemo potest, nisi corporis Christi per fidem sit particeps, nisi fiat Christi membrum, nisi Ecclesiæ incorporetur, nisi in Christo maneat, & manentem illum in se habeat, nisi denique jus habeat per Baptismum ad actualem etiam Eucharistiæ sumptionem. Hanc fuisse S. Augustini mentem constat ex lib. 3. *de Peccatorum Meritis & Remissione*, ubi eodem argumento Pelagianos urget. *Quid autem apertius*, inquit, *tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissimè apparet, nec præter Christi societatem ad vitam, salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire; nec divino judicio posse aliquem injustè damnari, hoc est, ab illa vita ac salute separari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud cùm parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est; Christi corpori membrisque socientur: manifestum sit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere.* Et inferiùs: *Nunquid etiam illud ambiguum est, Quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? His atque hujusmodi aliis testimoniis divinâ luce clarissimis, divinâ auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?* Istud ergo erat S. Augustini contra Pelagianos ratiocinium; Vitam æternam consequi nemo potest, nisi manducaverit carnem Filii Hominis, & biberit ejus sanguinem, id est, nisi Christo fuerit incorporatus. *Hoc est enim manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere; & illum manentem in se habere*: ut ipse ait *Tractatu* 26. *in Joannem*. Atqui sine Baptismo nemo potest esse corporis & sanguinis Christi particeps: igitur sine Baptismo nullus potest vitam consequi.

Hunc S. Augustini sensum fuisse, persuasum habuit S, Fulgentius in Epistola ad Ferrandum Diaco-

num, *de Baptismo Æthiopis moribundi*, cap. 11. ubi cùm docuit ex sententia Salvatoris (Joannis 6.) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. non posse inferri actualem Communionem post Baptismum necessariam esse ad salutem, quandoquidem effectum Eucharistiæ in ipsa regeneratione baptizatus suscepit, factus corporis Christi verum membrum: subdit, *Quod etiam sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus.* Tum Sermonem hac de re habitum à S. Augustino ad Infantes ante Altare profert, ac tandem sic concludit Epistolam: *Arbitror, sancte Frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini Sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur: quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, invenitur.*

Nec verò solus S. Augustinus hoc argumento adversus Pelagianos pugnavit, sed & Innocentius I. in Epistola ad Patres Milevitanæ Synodi, & Gelasius I. in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos, & Marius Mercator in lib. Subnotationum contra Julianum, & Auctor Homiliarum, quæ sub Eusebii Emisseni nomine falsò circumferuntur in Bibliotheca PP. Homilia 5. *de Paschate.* Lege lib. 2. doctissimi Cardinalis Bona, *de Rebus Liturgicis*, cap. 19. & eruditi viri Henrici Norisii, nunc S. R. E. Cardinalis, Vindicias Augustinianas, §. IV.

Si parvulos morientes sine Baptismo, pœnâ sensus cruciari senserit S. Augustinus, nullam propterea reprehensionem meretur.

Octavò S. Augustinum Dallæus reprehendit, quòd adversùs pueros ante Baptismum morientes immisericorditer pronuntiet, non solùm visione Dei privandos, sed etiam inferorum igne in æternum cruciandos. Verùm nec inter Eruditos convenit S. Augustinum sensisse parvulos cruciari pœnâ sensus. Et, si ita sensit, nullam ob id reprehensionem meretur. Sunt inter Eruditos plurimi, qui negent sententiam addictos pœnæ sensûs parvulos propugnantem, Augustinianam esse. Ducem habent illi S. Thomam, & his S. Augustini testimoniis nituntur, ex libro tertio scilicet *de Libero arbitrio* cap. 23. ubi pœnam parvulorum à pœna damnatorum distinguit, & sententiam in illos ferendam vult mediam esse inter sententiam ferendam pro beatis, & contra damnatos. Non esset autem Sententia media, si esset eadem pœna per hujusmodi sententiam infligenda parvulis & damnatis. En ejus verba: *Dicunt, Quatus in futuro judicio deputabitur, cui nec inter justos locus est, quoniam nihil recti fecit; nec inter malos, quoniam non peccavit?* Et respondet; *Superflue quæri de meritis ejus qui nihil meruit. Non enim timendum est; ne non potuerit esse sententia media inter præmium & supplicium; cùm sit vita media inter peccatum & rectè factum.* Et lib. 1. *contra Julianum*, cap. 8. ubi hæc habet: *Non dico parvulos sine Christi baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret: cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim id quod de Sodomitis ait, & utique id de aliis intelligi voluit, Alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui nullum habent actuale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissimâ futuros? quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret.* Atqui de omnibus in inferno damnatis, & igni perpetuo addictis, ideò dici potest, quòd illis expediat potiùs natos non esse, quàm ibi esse, sicut de Juda dicit Christus, Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset*; quia melius est non nasci, quàm ad perpetua tormenta nasci: (ut sancti Hieronymi nomine in Catena Aurea sancti Thomæ ad illum locum explicatur.) Igitur de parvulis cum originali peccato solo morientibus dici non potest, quòd eadem cum damnatis perpetua tormenta patiantur, secundùm mentem sancti Augustini, qui dicere non est ausus, quòd eis expediat non esse natos. Sed etsi in contraria Sententia fuerit sanctus Augustinus, quòd Viri plerique Eruditi contendunt, *Sermonis* 14. *de Verbis Apostoli* insigni loco, aliisque persuasi, non propterea est insimulandus erroris, siquidem & in Scripturis sacris non leve fundamentum habet illa opinio, & ad Pelagianum refellendum errorem aptissima est: & Patres Sancto Augustino posteriores approbatores habet: Scilicet Avitum Viennensem in Carmine ad *Fuscinam sororem*, ubi ita canit:

Omnibus id verò gravius, si fonte lavacri
Divini expertem tenerum mors invida natum
Præcipitat, durâ generatum sorte gehennæ,
Qui mox ut matris cessarit filius esse,
Perditionis erit: tristes nunc edita nolunt,
Quæ flammis tantùm genuerunt pignora matres.

S. Fulgentium lib. *de Fide ad Petrum* cap. 27. qui & eam Sententiam tanquam Fide tenendam docuit: *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenùs dubites, non solùm homines jam ratione utentes; verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive cùm de matribus nati sunt, & sine Baptismatis Sacramento de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerint, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt.* Legendus ejusdem Patris Liber *de Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, cap. 12. & 14. & Liber *de Incarnatione & Gratia*, in quo non suam tantùm, sed Byzacenorum Patrum in Sardinia exulum sententiam perscripsit, qui illud approbarunt, & ad Petrum Diaconum, aliosque Monachos, qui eorum judicium de sua Fide ac doctrina rogaverant, miserunt.

S. Gregorium Magnum lib. 9. *Moralium* cap. 32. ad illa verba Job: *Et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa*, ita scribentem: *Nonnulli priùs à præsenti luce subtrahuntur, quàm ad proferenda bona, malave merita activa vita perveniant. Quos quia à culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa, vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

S. Isidorum lib. 2. *de Differentiis Spiritualibus*, Num. 26 dicentem: *Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse adstrictas, quæ nisi percipiant Baptismatis Sacramentum, regni cœlestis participes esse non possunt, sed cum carne, & commune habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem æternum.* Et lib. 1. Sententiarum, cap. 22. *Pro solo*, inquit, *originali reatu luunt in inferno nuper nati infantuli pœnas.*

S. Prudentium Trecensem Episcopum, *lib. de Prædestinatione* cap. 16. dicentem: *Extra Baptismi gratiam morientem, non suò, sed Protoplasti peccato perpetuâ plexione damnant.* S. Anselmum lib. de Conceptu Virginali & Peccato Originali dicentem: *Post diem judicii, nullus erit Angelus aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno.*

S. Aëlredum

S. Aelredum lib. 1. *Speculi Charitatis*, cap. 15. ubi cùm hanc sibi objectionem proposuisset: *Parvulos qua ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit injustos?* respondet: *Quid enim? Injustum æstimas ut lignum inutile & infructuosum ignis depascat? Cogita quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum ab ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis infectum, justissimè addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi, &c.* Ex quibus omnibus patet quàm imprudenter & inscitè Dallæus, S. Augustinum reprehendat ob assertam parvulorum sensibilem in inferis pœnam.

Nonum S. Augustini nævum Dallæus notat, quòd Synodum Sardicensem Arianorum fuisse dicat, & contra S. Athanasium congregatam, lib. 3. *contra Cresconium*, cap. 34. Sed de Synodo Sardicensi Oecumenica non loquitur ibi S. Doctor. Loquitur de Pseudo-Sardicensi seu Philippopolitana, cujus Synodica ad Donatum Carthaginensem Schismaticæ factionis in Africa Principem missa fuerat.

Decimum nævum arguit in S. Augustino Dallæus: quòd SS. Basilium & Gregorium Nazianzenum fratres fecerit, lib. 1. contra Julianum, cap. 5. cùm Basilii frater, non Nazianzenus, sed Nyssenus Gregorius fuerit. Fateor ibi lapsum esse memoria S. Doctorem. Sed Augustinianæ doctrinæ pretium non minuit tam levis in re Historica memoriæ lapsus.

XI. Nullus est Patrum, cujus auctoritate frequentiùs abutantur hujus ætatis Hæretici, quam S. Augustini, in Controversiis de Eucharistia, de Justificatione, de Gratia & Libero Arbitrio, & cæt. Eadem insigniter abusus est Jansenius Episcopus Yprensis ad 5. Propositiones probandas, quæ Romanorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus, totius Ecclesiæ summo consensu exceptis, damnatæ sunt. Nec mirum; *Non enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Propheta, quàm Apostoli, & Evangelista, quorum mentibus similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores.* Verba sunt Facundi Hermianensis, *lib. contra Mocianum*. Examen locorum, quibus abusi sunt, instituere; non est hujus loci: in Dissertationibus adversùs Hæreses cujusque Sæculi, prout data fuerit occasio, illa suo tempore expendemus.

S C H O L I O N.

In hujus Articuli Paragrapho 1. pag. 560. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Papa erravit damnando sententiam eorum qui dicunt esse Antipodas.*

R. Hæc verba, *Papa erravit*, mea non sunt. Ita scripsi: *Quintum Nævum in S. Augustino Dallæus notat, quòd Antipodas neget.... Opinione proculdubio S. Augustini adductus est Zacharias Romanus Pontifex ut perversam & iniquam vocaret doctrinam asserentem, quòd alius Mundus & alii homines sub terra sint.* Quanquam etsi Zachariam hac in re errasse dixissem; non eidem propterea castigandus. Nemo enim Theologorum censet indeficiens esse Romani Pontificis judicium in rebus quæ Fidem vel Moralem Christianam nullatenùs spectant, qualis est quæstio de Antipodum existentia.

§. XI.

De approbatione & commendatione Doctrinæ S. Augustini ab Ecclesia.

SAncti Augustini doctrinam approbavit, commendavit, ejusque calumniatores Semipelagianos repressit Celestinus I. Epistola ad Gallicanos Episcopos datâ. *Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis, in nostra Communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tanta scientia olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis semper Decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis, & amori fuerit, & honori. Unde resistendum talibus, quos male crescere videmus.*

Eundem Ecclesiasticorum lumen Magistrorum Gelasius I. Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos appellat. *Adhuc*, inquit, *majus scelus accrevit, ut sub conspectu & præsentia Sacerdotum beatæ memoriæ Hieronymum, atque Augustinum, Ecclesiasticorum lumina Magistrorum, musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitatis, lacerare præsumat.*

Hormisdas etiam Pontifex Maximus in Epistola ad Possessorem Africanum Episcopum: *De arbitrio libero*, inquit, *& gratiâ Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & servet Ecclesia, licet in variis Libris Beati Augustini, & maximè ad Prosperum, & Hilarium abundè possit cognosci, tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa Capitula continentur.*

Arausicanæ Synodi II. Canones Augustinianæ plerumque sententiæ sunt.

Joannes II. Epistola 3. ad Senatores. *S. Augustinus*, inquit, *cujus doctrinam, secundùm Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.*

Clemens VIII. universas de Auxiliis divinæ Gratiæ controversias ad S. Augustini doctrinam expendi voluit, ut constat ex Oratione quam disputationibus illis præmisit, & quæ in Actis illarum Congregationum habetur. *Quamvis*, inquit, *non nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræsentiarum rationes, propter quas adstringere statui totam hanc Disputationem ad normam doctrinæ S. Augustini de Gratia. Prima est, quòd si teste B. Prospero ferè initio libri contra Collatorem: viginti annorum spatio acies Catholica Ecclesiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit, oportet etiam ut in causa consimili eundem ducem agnoscamus, & sequamur. Secunda est, quòd idem Sanctus nihil videtur prætermisisse eorum quæ ad præsentes Controversias pertinent... Tertia tandem ratio est, quòd cùm multi Pontifices & Prædecessores nostri doctrinæ S. Augustini tam fuerint assertores, ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint; æquum non est ut patiar illam hac hæreditate privari.*

Alexander VII. in Brevi dato 7. Augusti 1660. ad Academiam Lovaniensem, *Præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis, inconcussa, tutissimaque dogmata* vocat.

S. Augustinum laudibus eximiis cumularunt etiam SS. Patres. S. Hieronymus in fine libri 3. Dialogorum contra Pelagianos: *Scripsit dudum Vir Sanctus, & eloquens Episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heracliana ab Hæreticis innocens cæsus est, duos Libros de infantibus baptizandis; contra hæresim vestram... Alios quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus: unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: in sylvam ne ligna feras: aut enim eadem diceremus ex superfluo: aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.* Idem in Epistola ad S. Augustinum, inter Augustinianas 23. *Macte virtute in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum Fidei venerantur, atque suspiciunt.* (Postrema Edit. 195.) Idem Epistola 30. *Certè quicquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum Sanctarum hauriri fontibus, à te positum atque dissertum est. Sed quæso Reverentiam tuam, parumper patiatis me tuum laudare ingenium.* Idem: *Mihi decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certè & in Dialogo quem nuper edidi, tuæ Beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum.*

S. Alipius Tagastensis : *Habemus ducem* (Augustinum) *qui nos in ipsa veritatis arcana, Deo jam monstrante perducat.* (Lib. 3. S. Augustini *contra Academicos.*)

S. Paulinus Epistola 31. ad S. Augustinum : *O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ Catholicis urbibus de septiformi lino pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lumen veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.* Ibidem eum vocat, *Venam fontis æterni, tubam Domini.*

S. Prosper in Epistola ad Ruffinum, cap. ultimo : *Tu autem Dilectissime, si verè de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis B. Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris.*

Idem in Præfatione libri contra Collatorem : *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat & vincit : vincit, dico : quia non patitur respirare quos vicit.* Et in Carmine contra Ingratos, cap. 3.

Istius ergo inter cunctos qui de grege sancto,
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus totum præstantius imbuit orbem.
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventum, ne læ viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum,
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Nec dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore Viri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Idem :

Nec sola est illic Synodorum exerta potestas,
Seu quot non possent ratione evincere nostri
Vi premerent, discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus, nullumque omninò relictum,
Docta Fides quod non dissolveret argumentum.
. . . .
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo?

B. Fortunatus in Expositione Orationis Dominicæ : *Quicunque*, inquit, *Apostolo Paulo, id est oculo Ecclesiæ, cum B. Augustino ejus sequace consonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat.*

S. Fulgentius lib. 2. de Veritate Prædestinationis & Gratiæ, cap. 18. *B. Augustinus indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus laboravit, non autem ipse, sed gratia Dei cum illo.... Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrii & officia discrevit, & merita, semper divinis humana subjiciens, & veraciter ducens, divinitus homini & gratuitò justificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum.* Idem : *Proinde memoratus Dei Pontifex Augustinus, turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis juvaminis virtute confringens, non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit.*

Africani Episcopi in Sardinia exules, in Epistola Synodica : *Præ omnibus studium gerite, libros S. Augustini, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis Fratribus legendos ingerere.*

Cassiodorus divinarum Lectionum cap. 22. *Ipse etiam Doctor eximius Beatissimus Augustinus debellator Hæreticorum, defensor Fidelium, & famosorum palma certaminum; in quibusdam libris nimia difficultate reconditur, in quibusdam sic est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus, cujus aperta suavia sunt, obscura verò magnis utilitatibus farcita pinguescunt.*

Eugippius Abbas in Præfatione Collectaneorum ex Libris S. Augustini. *Inter magnos Catholicæ Ecclesiæ Doctores præclarum fuisse, & esse B. Augustinum quis ignorat Episcopum? Quem divinâ eruditione mirabilem tum omnes orthodoxi in toto terrarum orbe venerantur, præcipuè tamen Apostolicæ Sedis Antistites Scripta ejus suâ auctoritate firmantes, tantò majori studio simpliciter amplexi sunt, quantò ampliori solatio eis se usos esse testantur. Nam contra multos hostes Ecclesiæ dimicantes, & maximè contra versipelles inimicos gratiæ Dei, doctrinâ ejus instructi, vel potiùs eâdem illustrati gratiâ, semper extitere victores.*

Julianus Pomerius lib. 3. de Vita Contemplativa cap. 31. *Sanctus Augustinus Episcopus acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua Fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in revincendis Hæreticis circumspectus, & in explicandis Scripturis Canonicis cautus.*

Facundus Hermianensis lib. IX. *Audeant isti, si possunt, hæreticum dicere Augustinum, audeant solitâ præsumptione damnare, & tunc verè discent, quæ sit pietas & constantia Ecclesiæ Latinorum, quàm Deus magisteriò ejus instituit, atque firmavit, cùm ab omnibus confestim anathematizati fuerint, & tanquam putrida & morbida membra præcisi.*

Lupus Ferrariensis Abbas, in Collectione de tribus Quæstionibus, Quæst. 3. *Reverendissimus Papa Gelasius cum 70. Episcopis viris eruditissimis statuens qui Scriptores essent, vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini, & amplissimas laudes Hieronymi, memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit :* Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha. *Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, & Apostolicæ Sedis gravitatem suspicientes, quid aliud dicimus, nisi : Taceat Faustus, & similiter sentientes, loquantur cum suis consortibus Hieronymus & Augustinus, scilicet illius Proverbii recordantes : Conticescant ranæ, dum cœlum tonat.*

Concilium Toletanum VIII. Canone 2. *Vir quoque sanctissimus Augustinus, vestigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, asserendi copiâ profusus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructus fœcundus, hæc in suis narrat affatibus, &c.*

Ecclesia Lugdunensis libro *de tribus Epistolis*, cap. 35. *Augustinus nec tantâ perturbatione, & promotione Fidelium ab intentione veracissimæ & fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit, aut revocari; sed magis eos & Scriptis suis, in quantùm potuit, admonuit & instruxit, & orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent, & agnoscerent, quàm necessario & quàm salubriter propter commendationem divinæ gratiæ, ejusdem prædestinationis veritas omninò & credenda & prædicanda esset.*

S. Amolo Archiepiscopus Lugdunensis : *Sed jam audiamus B. Augustinum, quomodò & ipse post Apostolum præcipuus prædestinationis & gratiæ Prædicator, hortetur Fideles ad studia pietatis, & instantiam orationis, ut mereantur accipere præmium vocationis.*

Idem : *Audiamus itaque fideliter & diligentissimè discamus in his brevissimis & suavissimis beatissimi Patris verbis, videlicet quid sentiendum & tenendum sit juxta certissimam Catholicæ Fidei regulam, de originali delicto, de libero arbitrio, de gratia.*

S. Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi, lib.

de

A de tenenda veritate Scripturæ, cap. 4. *Graviter perculsi, & confusi animo vidimus in eis, & Scriptura sancta certissimam veritatem, & Beatissimorum Patrum præcipuèque S. Augustini, reverendam & in omni Ecclesia Catholica receptissimam auctoritatem, novo conatu, & ausu nimis temerario impugnari; &c.*

S. Prudentius Trecensis Episcopus in Epistola ad Hincmarum & Pardulum: *Hoc primùm præcipuéque vestram sinceritatem monens & postulans, ut doctrinam beatissimi Patris Augustini, omnium absque ullâ dubietate undequaque doctissimi, sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe nullus Doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus, diligentiùs* B *exquisierit, veriùs invenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodaverit, fideliùs tenuerit, robustiùs defenderit, effusius disseminaverit,) Vestri Pontificatûs tempore, commento quolibet impugnari non permittatis: quod tanto excelsius gratia munere donata existis, ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possis: eam illam & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ unitas, auctoritate concordissimâ approbarint ac roborarint: adeò ut nullus ei singulariter, veriùm universitati Ecclesiæ Catholicæ, cum ea, & in ea, queat anniti.*

Idem: *Si enim* S. Augustini doctrinam, *adversam Fidei orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam* C *eam Romanæ Ecclesiæ Antistes venerabilis Innocentius cum totius orbis Episcopis suscepisset, neque prædictum Memorabilem suarum Epistolarum communiter privatimque officiis effecisset, neque Successor ejus Zosimus eodem tramite cucurrisset, neque Bonifacius ejusdem Apostolicæ Sedis Præsul Epistolas Pelagianorum sibi delatas ei ad respondendum misisset, aut responsionem ejus quatuor Libris editam probabiliter atque honorabiliter suscepisset. Celestinus quoque memoratæ Urbis Episcopus quid contra Gallorum infamiam super eo ejusque doctrinâ senserit, ex Auctoritate Apostolica Decretorum suorum scita declarant.*

Venerabilis Beda, *Præfatione in Cantica*, vocat S. D Augustinum, *Serenissimum gratiæ Propugnatorem.*

S. Hildephonsus Sermone 2. de Beata Virgine: *Audiant*, inquit, *B. Augustinum, cui contradicere fas non est.*

Remigius Antisiodorensis: *B. Augustinus rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter ardua sine offensione decurrens. Alii Doctores comparantur stellis: Augustinus Soli; nam sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic omnes Doctores lumen recipiunt ab Augustino.* (In Epistolam 2. ad Corinthios.)

Author Dialogi in quo Serapion & Arnobius colloquuntur, Tom. V. Bibliothecæ Patrum, sic lo- E quentem Serapionem inducit: *Testor Deum, quia sollicitudini meæ universa ambiguitate eliminat, si de his ejus,* (scilicet S. Augustini,) *mihi definita proferas, & de omnibus quæ transacta sunt, evidentia ejus afferas documenta. Fateor enim me ejus assertiones ita probatas habere, ut seipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum in aliquo putaverit reprehendendum eloquio.* Cui respondet Arnobius: *Meo sensu locutus es; nam ea quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima Apostolorum Scripta, sic credo, & teneo, & defendo.*

S. Bernardus Epistola 77. ad Hugonem: *Ab his duabus columnis, Augustinum loquor, & Ambrosium,* F *credite mihi, difficile avellor; cum iis me errare, aut sapere fateor.*

S. Antoninus II. P. Historiæ Tit. 8. *Quasi Sol refulgens, qui dominus dicitur Planetarum, & pater luminis, super omnia luminaria splendens, delectabilis oculis, ac per omnia respiciens: sic Augustinus Ecclesiam illustravit, gemma Doctorum, Pater Theologorum, suavis eloquio, omnes materias penetrando dilucidans.*

B. Jordanus de Saxonia, Sermone 148. *Quantùm ad dictorum sufficientiam, quia nihil deest in libris* A *Augustini, quod pertinet ad scientiam Legis divinæ. Unde dicit Volusianus scribens ad Augustinum: Utcunque in aliis Sacerdotibus toleratur inscitia; sed cùm ad Antistitem Augustinum venitur, Legi Dei deest, quicquid Augustinum contigerit ignorare.*

ARTICULUS IV.

De Mario Mercatore.

Marius Mercator Laïcus, vir eruditus, S. Augustino familiaris, ipsum consuluit de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, B ad quem S. Doctor Epistolam unam conscripsit, cujus ipse meminit lib. de octo Dulcitii Quæstionibus, Quæst. 3. Commonitorium Theodosio obtulit adversùs Celestium Pelagianum anno Christi 429. Librum *Subnotationum adversùs Julianum Pelagianum* scripsit post obitum S. Augustini, Ephesini Concilii tempore. Adversùs Nestorii impios Anathematismos *Contradictiones* scripsit anno 431. ante inchoatum Concilium Ephesinum. Nestorii Sermones, & Epistolas nonnullas, Theodori Mopsuesteni Fragmenta, S. Cyrilli Apologetica adversùs Orientales, & Theodoretum, nec-non varia ex Libris ejusdem C Theodori excerpta ex Græco in Latinum transtulit. Lege eruditi viri Joannis Garnerii Societatis Jesu Professoris Præfationem in omnia Marii Mercatoris Opera, quæ ipse edidit, & Notis atque Dissertationibus illustravit.

ARTICULUS V.

De Mario Victore.

Claudius Marius Victor, Rhetor Massiliensis, Theodosio & Valentiniano regnantibus obiit, teste Gennadio, *in Catalogo Virorum Il-* D *lustrium*, cap. 60. Tres libros Carminum in Genesim scripsit, ab initio Libri, ad obitum Abraham Patriarchæ. Scripsit etiam Epistolam ad Salomonem Abbatem, de perversis suæ ætatis moribus. Extant ejus Opera in Bibliotheca Patrum.

ARTICULUS VI.

De Orosio.

Paulus Orosius Hispanus Presbyter, cum SS. Augustino & Hieronymo magno studio de E Quæstionibus difficillimis contulit, præsertim de origine Animæ, quod eorum Epistolæ testantur. Commonitorium scripsit ad S. Augustinum contra Priscillianistas & Origenistas; quod Sancto Doctori dedit occasionem scribendi Librum adversùs illas Hæreses. Apologiam item scripsit contra Pelagianos de arbitrii libertate, quam ipsi vindicavimus, cùm egimus de Scriptoribus qui Pelagianam Hæresim impugnarunt ac debellarunt. Septem etiam Historiarum Libros composuit ab exordio mundi, usque ad annum Christi 416. quos nuncupavit S. Augustino, quo hortatore ad illorum scriptionem animum appulit. F Contra Paganos propriè editum istud Opus, qui perturbata & infesta Imperii tempora, calamitatesque publicas ob Christianam Religionem à Diis iratis infligi effutiebant. Unde Orosius ex omnibus Historiis & Annalibus collegit ac uno volumine breviter enarravit quæcunque ab initio mundi, aut bellis gravia, aut corrupta morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum insolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum, plagisque grandinum sæva, vel etiam parricidiis flagitiisque misera, per transacta retro sæcula reperetat. Opus absolvit hac ad S. Au-

 gustinum

gustinum Apostrophe: *Explicui, adjuvante Christo, secundùm tuum præceptum, beatissime Pater Augustine, ab initio Mundi usque in præsentem diem, hoc est per annos V. M. DC. XVIII. punitiones, & cupiditates hominum peccatorum, conflictationes sæculi, & judicia Dei, quàm brevissimè & quàm simplicissimè potui, Christianis tamen temporibus, propter præsentem magis Christi gratiam, ab illa incredulitatis confusione discretis. Ita jam ego certò & solò, quem concupiscere debui, obedientiæ meæ fructu fruor. De qualitate autem Opusculorum tu videris, qui præcepisti; tibi adjudicanda, si edas, per te judicata, si deleas.* Otosii cum laude meminit Auctor Libri *de Promissionibus & Prædictionibus Dei*, inter Opera Sancti Prosperi parte 2. cap. 33. & part. 3. cap. 34. Meminit & Gennadius, qui etiam testatur eum S. Stephani Proto-Martyris Reliquias recèns inventas, primum in Occidentem intulisse, cùm à Sancto Hieronymo reversus est. Meminit & Gelasius Papa in Synodo Romana, in qua Librorum Canonicorum, Ecclesiasticorum, & Apocryphorum indicem texuit, ejusque Historiam commendat ut dignam, & adversùs Pagsnotum calumnias valde necessariam. Meminerunt denique Cassiodorus cap. 17. Divinarum Lectionum, Honorius Augustodunensis, & Trithemius.

ARTICULUS VII.

De Possidio.

POSSIDIUS in S. Augustini Monasterio institutus, Megalio in Episcopatu Calamensi successit, anno circiter 397. Ejus contra Donatistas certamina, & præcipuè contra Crispinum Donatianæ partis Episcopum, à cujus cognomine Presbytero insidiis appetitus est; nec non Episcopalem mansuetudinem, quâ pro ipso intercessit, ne mulctam decem librarum auri Hæreticis indictam Principis Lege, solvere cogeretur. S. Augustinus refert ac commendat lib. 3. contra Cresconium, cap. 46. & 47. Celebri Collationi Carthaginensi contra Donatistas anno 411. & Concilio Milevitano contra Pelagianos anno 416. interfuit. Scripsit Vitam S. Augustini, omniumque ejus librorum Indiculum.

ARTICULUS VIII.

De Sedulio.

CÆLIUS, aut CÆCILIUS SEDULIUS, Presbyter, Poëta eximius, anno circiter 430. floruit, Theodosio & Valentiniano imperantibus. Libros 5. scripsit Paschalis Carminis. Ejusdem argumenti libros 5. edidit solutâ oratione, suadente Macedonio Presbytero. In utroque opere Christi Domini miracula eleganter describit. Hoc opus commendavit Gelasius Papa in Decreto de libris Canonicis, Ecclesiasticis, & Apocryphis. *Venerabilis viri Sedulii Paschale Opus*, inquit, *quòd Heroicis scripsit versibus, insigni laude proferimus.* Ejusdem cum laude meminerunt Venantius Fortunatus, lib. 8. Epigrammate 1. & initio libri 1. de Vita S. Martini. S. Isidorus Hispalensis, Honorius Augustodunensis, S. Ildefonsus, Venerabilis Beda lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap. 19. & alii. Distinguendus est dulcis ille & eximius Poëta ab altero Sedulio Britanniæ Episcopo, qui Romanæ Synodo sub Gregorio II. anno Christi 721. Nonis Aprilis celebratæ, cum Fergusto Scoto Episcopo interfuisse dicitur. Corrigendus itaque Sigebertus, qui Sedulium Poëtam Episcopum facit.

Sedulius Poëta distinguendus à Sedulio Scoto.

Distinguendus etiam est Sedulius Poëta à Sedulio Scoto Scripturæ sacræ Interprete, qui Collectanea, sive Explanationem omnium Epistolarum S. Pauli, ex antiquis Patribus collectam edidit. In iis Collectaneis cum S. Gregorii verba, tacito licet ipsius nomine, ex lib. 19. Moralium cap. 51. transcripta sint, Sedulii Poëtæ, qui ante medium Sæculi V. floruit, esse non possunt. Præterea Hepidamus Monachus S. Galli, in Annalibus brevibus à Duchesnio editis Tomo III. Historicorum Franciæ, Sedulium Scotum anno 818. clarum fuisse scribit: quæ cùm Sedulio Poëtæ non conveniant, de Sedulio Scripturæ sacræ Interprete intelligenda sunt. Et certè hæc interpretandi ratio, congerendo, & contexendo Patrum fragmenta, hominum Sæculi noni ingenium sapit. Tandem maximi momenti est, quod addit Labbæus in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, eumdem videri Auctorem Collectanei in Evangelium S. Matthæi, ex diversis Patribus excerpti, quod MS. habetur in Bibliotheca Collegii Claromontani S. I. Parisiis, cujus ætas Codicis 700. aut 800. annorum est, & Collectanei in S. Pauli Epistolas, quod Sedulii Scoti nomen adscriptum habet. At Collectaneum in Evangelium S. Matthæi, Sedulii Poëtæ esse non potest, cujus versus laudat, ad illa Dominicæ Orationis verba, *Et ne nos inducas in tentationem*: Nec non testimonia Eucherii, Leonis Magni, Arnobii Junioris, Fausti Regensis, Gregorii Magni, Isidori Hispalensis, & Venerabilis Bedæ, qui Sedulio Poëta juniores sunt, ac Theodosianis, quibus ille floruit, temporibus recentiores.

Scripturæ sacræ interprete.

ARTICULUS IX.

De S. Isidoro Pelusiota.

SANCTUS ISIDORUS gente Alexandrinus, Pelusiota dictus, quòd juxta Pelusium * Ægypti urbem Monasticam Vitam coluerit, Presbyter fuit, apud Episcopos ipsos venerabilis, ut ait Ephremius Episcopus Antiochenus in Epistola ad Zenobium Scholasticum: quam refert Photius in Bibliotheca. S. Joannis Chrysostomi discipulus fuit, floruitque sub Arcadio & Theodosio Juniore. Ipsum commendat Evagrius lib. 1. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 15. his verbis: *Ejusdem Theodosii Principatu clarus Isidorus, cujus latissima est gloria, & qui cum ob res gestas, tum eloquentiæ caussa, ubique celebratur. Hic usque adeo corpus suum laboribus maceraverat, & animum arcanis ac sublimioribus doctrinis saginaverat, ut Angelorum vitam in terris duceret, & spirans quædam imago perpetuò esset, tam Vitæ Monasticæ, quàm divinæ contemplationis. Scripsit autem cùm alia plurima, multiplici utilitate referta: tum ad celeberrimum Cyrillum nonnulla, ex quibus manifestè colligitur, illum iisdem temporibus, quibus admirandum Cyrillum floruisse.* De eodem Facundus Hermianensis lib. 2. *Nam vir etiam sanctissimus, & magna in Ecclesia Christi gloria, Isidorus Presbyter Ægyptius Pelusiota, quem duo millia Epistolarum ad ædificationem Ecclesiæ multi scripsisse noverunt, qui etiam pro vita ac sapientia sua meritis, ut Pater ab ipso Cyrillo & honoratus est, & vocatus sic ei scribit, &c.*

* Damietta

De eodem legendus Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 53. ubi testatur ipsum scripsisse *Epistolarum omnis generis, divinâ simul & humanâ gratiâ refertarum, propè Chiliades decem, in quibus Scripturam omnem clariùs exponit, & omnes omnium mores instituit: quippe qui dicendi genere ad docendum accommodato in eis utitur. Satis quoque ille declarat quo ardore erga honestatem, erga Ecclesiam, & eos qui temerè injuria afficerentur, flagravit. Multùm præterea in lucubrationibus suis invehitur in eos, qui non rectè Episcopali, Sacerdotalique munere fungerentur. Et quòd apertè Chrysostomum defenderet, vehementer Arcadium & Cyrillum, atque hujus Patronum Theophilum perstringit, &c.*

Quantùm

Quantùm fuerit erga S. Joannis Chrysostomi memoriam affectus, quàm fervens innocentiæ ipsius defensor, constat ex Epistola 152. libri 5. ad Symmachum datâ, ex 310. & 370. ad S. Cyrillum Alexandrinum. Postrema hæc elegans est & gravis, quam Cyrillo profuisse ut hæreditariam in S. Chrysostomum offensionem deponeret, minimè dubitandum est. Sic autem habet: *Terrorem mihi Scriptura exempla inferunt. Nam sive Pater sum, ut ipse ais, condemnationem Heli pertimesco, propterea quòd peccantes filios non castigavit: sive ut potius persuasum habeo, filius tuus sum, quippe qui magni illius Marci speciem atque habitum præferas, angorem mihi ac sollicitudinem affert Jonathæ pœna; quia patrem Pythonissam quærentem minimè prohibuerat, ob idque ante eum in bello interiit. Quamobrem ne & ego condemner, & tu divinum judicium subeas, simultates ac dissidia comprime. Ne privata ac domestica contumelia ultionem, quâ tanquam ære quodam alieno à mortalibus obstrictus es, in viventem Ecclesiam deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie atque obtentu compara.*

S. Joannis Chrysost. libros commendat S. Isidorus.

Lectionem librorum S. Chrysostomi *de Sacerdotio*, consulit iis qui ad Augustum illum venerandumque gradum promoti sunt. Quâ de re ita scribit ad Eustathium lib. 1. Epist. 156. *Sapiens ille & eruditus arcanorum Dei interpres Joannes, Byzantinæ Ecclesiæ, atque adeo Ecclesiarum omnium oculus, librum eum ita subtiliter & prudenter, atque accuratè condidit, ut omnes, tam qui, ut Deo gratum est, Sacerdotio funguntur, quàm qui negligenter & ignavè Sacerdotalem Dignitatem administrant, hic & virtutes suas, & offensiones reperiant.*

Commentarium S. Chrysostomi in Epistolam præsertim ad Romanos impensè commendat lib. 5. Epistola 32. atque; *Si divinus Paulus Attico uti Sermone voluisset, quo sui existeret interpres, non aliter interpretaturum fuisse, quam Chrysostomus vir venerandus præstitit.*

Scripturæ sacræ lectionem Christianis suadet.

Ad Scripturæ sacræ lectionem adhortatur, lib 1. Epistola 24. *Sacro-sancta volumina scalas quasdam esse ait, quibus ad Deum ascenditur. Sacrarum Scripturarum lectionem, salutis viaticum esse:* Lib. 2. Epistola 73. scribit gravia mala in Christiana plebe oriri, ex eo *quòd lectio sacrarum Literarum neglecta sit, & quod unusquisque suos affectus divinis Oraculis præfert.* Lib. 4. Epistola 153. *Sacras Literas cælestem esse doctrinam sanctioremque Divinarum Scripturarum auscultationem mel merum spirare: diabolicam astutiam non permittere ut thesaurum illum contemplemur, ne divitias ejus lucremur.* Lib. 4. Epistola 208. non solùm ad contemplationem veritatis, sed ad vitam rectè instituendam Scripturas sacras esse legendas. Lib. 4. Epistola 33. *Si cordatè*, inquit, *atque prudenter in Sacris Scripturis versari volueris, non solum ad amorem divinæ sapientiæ, ac meditationis ejus omni impetu ferri debes, verùm etiam ad ipsorum dogmatum cupiditatem, à qua cœlo digna atque conveniens vivendi ratio, tanquam fundamento exurgit.* Epistola 38. lib. 5. *Scripturam sacram veritatem pedestri sermone exposuisse, ut tam idiota, quam sapientes, quà pueri, quà fœmina, eam cognoscerent.* Lib. 4. Epistola 67. tres Salomonis libros ordine legendos: primò Proverbia, quæ virtutem moralem docent: deinde Ecclesiastem, quo rerum terrenarum vanitas demonstratur: denique Cantica Canticorum, quibus ad rerum divinarum amorem animus evehitur. Periculosum esse, ne adolescentes in carnalis amoris laqueos incidant, si tertium illud statim attingant Opus (Lib. 4. Epistola 40.)

De Episcoporum, Presbyterorum, Monachorum, omniúmque Fidelium officiis, multa habet notatu digna suis in Epistolis S. Isidorus. In avaritiam præcipuè Sacerdotum invehitur, & in eos qui sacrum ministerium in tyrannidem convertebant. Præcipuè verò Eusebium perstringit, Zosimum, & Martinianum, qui pravis moribus Ordini Sacerdotali dedecus, plebi Christianæ scandalum inferebant. Martinianus Pelusiensis Oeconomus Ecclesiæ, facultates ipsius dilapidaverat, & deceptum, vel furti sacrilegi participem Episcopum adduxerat, nedum ut suas rationes probaret, sed etiam ut Ecclesiam obæratam sibi atque obnoxiam subscriberet. Ea de re ad S. Cyrillum Alexandrinum scripsit S. Isidorus, ut Martinianum, qui Alexandriam ad captandum Episcopatum aliquem perrexerat, cum piis quibusdam Episcopis, ac quæstus inimicis, Pelusium mitteret, ad Ecclesiasticorum proventuum rationes reddendas, ac restituenda debita. Episcopo verò, qui vel furti socios fuerat, vel imprudenter Oeconomi rationibus subscripserat, muneris administratione interdiceret, aut concessâ veniâ, Procuratorem institueret, penes quem Ecclesiasticarum cura esset facultatum. (Epistola 127. lib. 2.) In Theodosium Pelusiotarum Antistitem invehitur, quòd templum magnificis marmoribus exornans, tyrannide sua, & scandalo veram Ecclesiam everteret, quæ est* *Sanctorum cœtus ex rectâ Fide, atque optimâ vivendi ratione collectus. Regnum Dei* Monasticam vitam vocat, *ut quæ nulli vitiosæ affectioni succumbat, verùm alta sapiat, ac virtutes cælo superiores præstet.* (Epistola 129. lib. 1.) Monachos increpat loca subinde mutantes, nec eruditionis comparandæ caussa, sed exquisitiorum epularum studio atque cupiditate, multas domos lustrantes. (Lib. 1. Epistola 173. & 314.)

Ecclesiæ definitio secundùm S. Isidorum.

Vitam Monasticam commendat. Declamat in Monachos vagos, & parasitos.

Proximas peccandi occasiones vitandas docet.

Proximas peccandi occasiones vitandas esse docet, eosque refellit, qui mulierum continuum aspectum aliquid detrimenti animæ importare negabant: hancque statuit Moralis Christianæ regulam: *Præstantiorem esse securitatem, quam periculosam contentionem; piumque & æquissimum esse, divinas leges propriis rationibus antiquiores habere.* Hæc habet Epistola 66. lib. 3. in qua exponit Evangelicum illud oraculum: *Si oculus tuus, aut manus tua scandalizat te, &c.* Legatur & Epistola 89. lib. 1. Ex eadem regula colligit operæ pretium esse ne mulieres, quas in Ecclesiis psallere Apostoli permiserant, in iis deinceps cantarent, quia cantûs suavitate ad irritandas hominum libidines abutebantur. (Lib. 1. Epistola 90.) Jusjurandum à proximo exigendum esse negat, idque duplici de causa: quia aut veri studiosus est qui interrogatur, aut libenter mentitur. Si primum, etiam nullo interposito juramento vera loquetur: si secundum, jurans etiam mentietur. Quapropter duplici hoc nomine jusjurandum haudquaquam exigendum suadet.

ARTICULUS X.

De Hesychio.

Floruere V. Sæculo duo hujus nominis celebres viri, scilicet Hesychius Salonitanus in Dalmatia Episcopus, ad quem extat una Zosimi Romani Pontificis Epistola, S. Augustini verò duæ, & una ipsius Hesychii ad Augustinum. Alter Hesychius fuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyter, quem Euthymio Archimandritæ Sanctissimo, qui obiit anno 473. familiarem fuisse, testatur Cyrillus Monachus in ejusdem Euthymii Vita. De quo & Theophanes Chronographus ad annum Theodosii sextum, id est, Christi 452. hæc habet: *Hoc eodem anno Hesychius Hierosolymitanus Presbyter literarum doctrinâ florebat.*

Floruit sexto Sæculo alter Hesychius Hierosolymorum Episcopus, ad quem S. Gregorius scripsit Epistolam quadragesimam libri 9. Hesychii alterius Constantinopolitani Presbyteri meminit Photius Codice 51. suæ Bibliothecæ quem 4. libros, sive

sive Sermones in Serpentem æneum scripsisse memorat.

Hesychius Hierosolymitanus Presbyter Auctor Commentariorum in Leviticum, non Episcopus, ut Baronio Cardinali visum est.

Hesychio verò Hierosolymitano Presbytero tribuit Encomia in S. Thomam Apostolum, in S. Jacobum Fratrem Domini, & in Davidem Psalmographum, *Codicibus* 269. & 275. Quod spectat Orationem in S. Thomam, emendandus est Photius; illam enim in S. Andreæ laudem habitam fuisse constat ex ipso Fragmento quod ex ea descripsit. Idem Hesychius Historiam Ecclesiasticam edidit, cujus Fragmentum de Theodoro Mopsuesteno legitur Collatione 5. Concilii 5. Oecumenici. Sub ejusdem nomine Orationem de Resurrectione Christi edidit Combefisius noster, Tom. I. Auctarii Bibliothecæ PP. Græco-Latinæ, eamque non Gregorio Nysseno, cui antea tribuebatur, sed huic Hesychio contendit adscribendam. Hujus etiam esse videtur Commentarius in Leviticum in 7. libros distinctus, non verò Hesychii Salonitani, sive Senioris ad quem S. Augustinus scripsit, sive Junioris, ad quem S. Gregorius Magnus. Quamvis priori Opus illud tribuat doctissimus Cardinalis Petronius lib. 3. *de Eucharistia*. Auctoritate 27. Posteriori verò quidam viri eruditi, freti inscriptione veteris Codicis Regiæ Bibliothecæ, Nam scriptos Hierosolymis illos Commentarios, colligitur ex eorum Præfatione ad Eutychianum. *Deprecare*, inquit, *ut fiat oblatio verbi mei acceptabilis, non solùm in Jerusalem, sed & in omni terra* Et ex libro 6. ubi loquens de comminationum ab Isaïa & Osee contra Jerusalem pronuntiatarum executione, ait: *Quòd manifestè Templum, & civitas hac Jerusalem antiqua, adhuc ostendens incendii reliquias.* Et ex lib. 7. ubi de Judæis sic loquitur: *Cognosces autem, si subtiliùs nosse vis, ea qua ipsis evenerunt, ex Josephi Historia, in qua eos & filios comedisse, & reliqua præsentium comminationum sustinuisse descripsit, quorum plurima etiam nunc nostris ad cernendum adjacent visibus.*

Hierosolymitano verò Episcopo, qui tempore S. Gregorii Magni floruit, hos Commentarios tribui vetant MSS. Codices, & Præfatio ad Eutychianum, quibus Hesychii Presbyteri nomen adscriptum est. Accedit, quòd alii ab Hierosolymitano Presbytero qui Sæculo V. floruit, Hesychii, doctrina celebres fuisse non probentur ex Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis. Adeòque verisimillimum est Presbyterum Auctorem esse Encomiorum factorum de quibus Photius; Historiæ Ecclesiasticæ, cujus fragmentum legitur in 5. Synodo; & Commentariorum in Leviticum, nec-non etiam in 12. Prophetas Minores.

Unam difficultatem facessit, quòd scilicet Hesychius Levitici Interpres Scripturam sacram citet secundùm Versionem S. Hieronymi, quæ nondum fuisse videtur in usu initio Sæculi V. quo florebat Hesychius Hierosolymitanus Presbyter. Sed quamvis nondùm esset totius Ecclesiæ usu consecrata S. Hieronymi Versio his temporibus, ea usos esse quosdam Auctores, etiam in Oriente, est probabile, & præsertim Hesychium Hierosolymitanum Presbyterum, cùm Sophronius ejusdem Ecclesiæ Antistes Translationem S. Hieronymi totam, ut credere par est, Græcè reddidisset, siquidem Psalterii & Prophetarum Versionem jam Græco idiomate donaverat, quo tempore S. Hieronymus suum Scriptorum Ecclesiasticorum adornabat Catalogum, ut constat ex cap. 134. Vixit autem Hesychius annis 20. Hieronymo superstes. Obiit enim anno Theodosii 26. ut ex Theophane constat. Mirabitur quispiam, quòd homo Græcus de S. Hieronymi Versione dicat: *Translationem nostram, editionem nostram.* Sed Græcè scriptos ab Hesychio Commentarios, Latinitate donatos fuisse ante nonum Sæculum, & ab Amalario, * à Rabano Mauro, * à Strabo Monacho laudatos, qui observaverit, is profectò mirari desinet. Hæc enim verba, *secundùm Versionem nostram*, ab Interprete Latino addita fuisse, facilè sibi persuadebit.

Dices, Interpretem Levitici Hesychium, Nestorii & Eutychetis hæreses refellere: adeòque non vixisse ante Concilium Chalcedonense. Darem manus, si nominatim hæreses illas refelleret, aut contra illas datâ operâ certaret. Sed cùm neque Nestorium, neque Eutychetem nominet, sed Catholica duntaxat dogmata eorum erroribus opposita explicet occasione natâ, qui errores ab antiquioribus Hæreticis præformati ac propugnati fuerant, scilicet error Nestorii à Paulo Samosateno; error Eutychetis ab Apollinari: non sequitur scripsisse post Chalcedonensem Synodum Commentatorem, qui hæreses illas refellit. Adde, quòd non levis ponderis est, Auctorem istorum Commentatorium frequentem instituere collationem inter Versionem 70. Interpretum, & Versiones Symmachi, Theodorionis, & Aquilæ; quæ Collatio Gregorii Magni temporibus non convenit, sed ætati S. Hieronymi, & suppariun Auctorum. Epitomen Evangelicæ Consonantiæ Hesychii Hietosolymotum Presbyteri edidit Clarissimus Coteletius Tomo III. *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ.*

ARTICULUS XI.

De S. Nilo.

SANCTUS NILUS ex Præfecto urbis Constantinopolitanæ, Monachus & Abbas S. Joannis Chrysostomi discipulus, floruit sub Theodosii Junioris Imperio, circa annum 440. Ejus cum laude meminerunt Synodus 7. Generalis, quæ ejus auctoritate contra Iconomachos usa est Actione 4. Photius *Codicibus* 201. & 216. S. Joannes Damascenus in Parallelis, & Nicephorus Callistus *lib.* 14. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 14. & 53. Catalogum ejus Operum hucusque editorum, qui nosse voluerit, legat Dissertationem P. Labbæi de Scriptoribus Ecclesiasticis.

ARTICULUS XII.

De Dracontio Poëta.

DRACONTIUS Presbyter Hispanus vixit imperante Theodosio Juniore, ad quem scripsit Elegiam. Carmen Heroicum in Hexaëmeron edidit: quod S. Eugenius II. Tolrtanus, Episcopus, jussu Chindasindi Vvisigothorum in Hispania Regis emendavit, auxitque, teste S. Ildephonso, lib. *de Viris Illustribus*, cap. 14. Ejusdem meminit S. Isidorus Hispalensis, cap 24.

ARTICULUS XIII.

De S. Proclo.

PROCLUS ab ineunte ætate Lector, Attici Constantinopolitani Episcopi Notarius, à quo ad Diaconatum, ad Presbyteratum, à Sisinnio promotus est: ac deinde Cyzici Episcopus ordinatus. Post Maximiani obitum in solio Constantinopolitanæ Ecclesiæ collocatus est Theodosii Imperatoris Mandato, anno 433. Ob pacificam indolem à Socrate impensè commendatur, quem de eo lege lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 39. 40. & 41. & Nicephorum lib. 14. cap. 38. Ejus auctoritate adversùs Hæreticos usa est Ecclesia in Concilio Chalcedonensi, & in Quinto Oecumenico. Eumdem laudavit S. Cyrillus in Expositione Symboli Nicæni, & Epistola 31. ad Joannem Antiochenum. Orationum ejus, & Epistolarum indicem legere potes apud

apud P. Labbæum S. I. *in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

ARTICULUS XIV.

De S. Cyrillo Alexandrino.

Carmelitarum habitu perperam in duitur S. Cyrillus.

CYRILLUS ALEXANDRINUS, Theophili ex sorore, ut scribit Socrates, vel ex fratre, ut Theodoretus ait, nepos, Carmelitici Ordinis pallio ab istius Instituti Professoribus induitur. Sed hanc de Cyrilli in Carmelo Monachatu fabulam exsufflat merito Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens, ex eloquenti silentio Auctorum Cyrillo coævorum ipsam refellens, scilicet S. Hieronymi, Palladii, Evagrii, Cassiani, Theodoreti, Cyrilli Monachi, & aliorum; qui cùm frequentem de Monachis in Palæstina degentibus mentionem faciant, Carmelitarum nusquam meminerunt. Scio Carmeliticos Scriptores monumentis Anonymorum Chronicorum, & Trithemii testimonio Cyrillum sibi vendicare. Sed incerta monumenta, & nimia Tritemii credulitas fidem huic fabulæ non conciliant, nec prohibent quin cum Baronio de illis Scriptoribus verè dicamus: *Flagrans cupido nobilitatis avitæ, cogit interdum homines delirare.*

Theophilo Patruo suo in Alexandrina Sede Cyrillus successit, Honorio nonum & Theodosio quintum Coss. id est, anno Christi 413. Omnium Hæreticorum, sed Nestorianorum maximè fuit impugnator acerrimus Concilio Ephesino Oecumenico 3. contra Nestorium congregato præfuit Celestini I. Romani Pontificis nomine. Aliquos vitæ ipsius sanctissimæ nævos Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores annotarunt: scilicet pertinacem in S. Joannis Chrysostomi memoriam offensionem, quam tamen deposuit cùm S. Isidori Pelusiotæ adhortationibus tùm divinis visionibus impulsus: de quibus Nicephorus lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. Ipsum etiam reum Seditionis in Orestem Præfectum à Nitriensibus Monachis excitatæ facit Socrates. Ita se rem habuisse narrat. Judæos, quod conspiratione factâ Christianorum ingentem numerum trucidassent, Cyrillus, ademptis Synagogis Alexandriâ expulit, eorùmque bona plebis direptioni permisit. Ea res invisum Oresti Præfecto Cyrillum fecit, tum quòd ejus auctoritatem usurpare videretur, tum quòd urbem antiquis incolis viduaret. Nihil prætermisit Cyrillus quò placaret Orestis animum; porrectò ipsi Evangeliorum Codice, adjuravit ut inimicitias deponeret, sed incassùm. Dissentione Præfectum inter & Episcopum perseverante, Nitriæ Monachi circiter quingenti in urbem advolantes quasi ad Episcopi defensionem, Præfectum conviciis aggressi sunt: unus projectioris audaciæ, nomine Ammonius, ipsum jactu lapidis in capite percussit. Habita de reo quæstio est, tormentis subjectus ad necem usque Ammonius. Ab Oreste, & à Cyrillo contrariæ ad Imperatorem missæ Relationes. Receptum interim à Cyrillo Ammonii corpus, & in Ecclesia honorificè depositum. Quin etiam seditiosum hunc Monachum, mutato nomine; Thaumasium, id est: admirandum appellavit, & Martyrem illum vocari jussit, magnitudinem animi illius multis laudibus in Ecclesia prosecutus, qui pro pietate certamen subiisset. Hæc ex Socrate habentur lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. Non minimam etiam labem Cyrillo intulisse narrat Hypatiæ sapientissimæ & modestissimæ mulieris, filiæ Theonis Philosophi, & Scholæ Platonicæ apud Alexandriam Magistræ atque moderatricis cædem, Petri cujusdam Alexandrinæ Lectoris Ecclesiæ conspiratione patratam. Huic occasionem conjurationi dedit Orestis cum doctissimâ fœminâ colloquium frequens. Hinc enim sparsa in vulgus calumnia est, eam Præfectum prohibere ne cum Cyrillo in gratiam rediret. Hæc refert Socrates cap. 15. libri mox laudati; quæ Nicephorus libri 14. capite 16. exscribit.

S. Cyrillus Alexandrinus à calumnia vindicatur.

Suspectæ fidei Socrates in iis quæ S. Cyrillum spectant.

Verùm suspectæ fidei debet esse Socrates in iis quæ Cyrillum spectant. Cùm enim Novatianis faverit, & Cyrillus statim atque Episcopus inauguratus est, bellum indixerit Novatianis, eorum, quotquot erant Alexandriæ clauserit Ecclesias, sacra earum vasa atque ornamenta abstulerit, & eorum Episcopum Theopemptum omnibus suis nudaverit facultatibus ut Socrates ipse testatur cap. 7. ejusdem libri verisimile est hunc Historicum, Sectæ (ut putabat) injurias iniquo in Cyrillum calamo styloque ultum fuisse. Minùs miror quod Ethnicus Scriptor Damascius in *Vita Isidori Philosophi*, cædis Hypatiæ auctorem faciat Cyrillum, cum calumniæ in nostræ Religionis homines Ethnicis Auctoribus familiares sint. Locum Damascii refert Valesius in Notis ad Socratem. Obiit S. Cyrillus, post quam Alexandrinam Ecclesiam triginta duobus annis rexisset, multosque pro Fide Catholica pertulisset labores: multis libris Hæreses debellasset, doctrinam Catholicam exposuisset atque illustrasset, anno Christi 444. quinto Idus Junii. Operum ejus nonnullorum meminerunt Gennadius, & Photius in Bibliotheca *Cod.* 49 136. & 169. Hunc Eulogius Alexandrinus Episcopus apud Photium in Bibliotheca, *Cod.* 213. vocat *Studio veritatis ardentem, doctum, pium, minimèque vacillantem Cyrillum.* Anastasius Sinaïta, in Duce Viæ, *Lumen Patrum celeberrimum & beatissimum.* Ecclesia Græca in Menologio, *Virum eruditissimum, & Catholicæ Fidei propugnatorem egregium.* In Menæis, *Sacerdotum omnium decus, Patrum Coryphæum: Synodi sanctissimæ propugnatorem.* Ecclesia Romana in Martyrologio. *Catholicæ Fidei præclarissimum propugnatorem, doctrinâ & sanctitate illustrem.*

Doctrina S. Cyrilli de incarnatione, ab Ecclesia approbata.

Operum ejus indicem videre potes Tomo I. Parisiensis Editionis. Circa ea pauca hæc ducimus impræsentiarum annotanda. I. Cyrilli doctrinam de Incarnatione Verbi Dei ab Ecclesia fuisse in Conciliis Oecumenicis approbatam, ejus Anathematismos 12. contra Nestorium, à Theodoreti & Orientalium calumniis fuisse ab iisdem Conciliis vindicatos, ut Dissertatione singulari demonstrabitur inferiùs. Theodoretum ipsum adversùs Hæreticos auctoritatem & Doctrinam Cyrilli proferre in Dialogo *Inconfusus*, & inter *Magna Orbis lumina* laudare.

II. Commentariorum in Evangelium S. Joannis X. libros Cyrillum Alexandrinum edidisse. Olim quintum, sextum, septimum, & octavum fuisse desideratos. Jodocum Clictoveum Parisiensem Theologum illos ad Cyrilli imitationem efformasse, quod multis ansam dedit erroris, ut Clictovei lucubrationes pro Cyrilli Operibus acciperent. Nunc quintus & sextus Cyrilli habentur integri, cum septimi & octavi fragmentis, in Editione Parisiensi, cura & studio Joannis Auberti Canonici Laudunensis adornatâ.

Liber De Sacro-Sancta Trinitate, non est S. Cyrilli.

III. Librum de Sacro-sancta Trinitate, qui Tomo VI. Operum S. Cyrilli habetur, non esse genuinum ipsius fœtum, convenit inter eruditos, quòd de duabus in Christo voluntatibus & operationibus disserat: quæ controversia non pertinet ad Cyrilli Sæculum: & dogma de duabus Christi voluntatibus & operationibus cum eorum dictis non pugnare ostendat, qui Theandricam Christi operationem, aut unam naturam Verbi Incarnatam dixerunt. Opus illud ex S. Joannis Damasceni Libris excerptum est: ejusque Capita prima duodecim, sunt duodecim capita libri 1. Damasceni.

Thesauri, germanum S. Cyrilli Opus.

IV. Cyrilli *Thesauros* germanum ejus Opus esse, negavit perperam Anonymus Calvinista, qui librum flagitiosissimum edidit pro Nestorio Heresiarcha contra S. Cyrillum & Synodum Ephesinam, anno 1645. Nam Opus illud ut Cyrilli Alexandrini genuinum à Veteribus laudatum, est scilicet ab Eulogio Alexandrino Patriarcha, apud Photium. *Codice* 230 & Ephremio Patriarcha Antiocheno, apud eumdem Photium, *Codice* 229. S. Martino Papa in Synodo Lateranensi, Secretario 1. Sexta Synodo, Actione 10. Agathone Papa in Epistola Synodica: Photio ipso Codice 136. *Leguntur*, inquit, *Cyrilli Thesauri. Epicherematis refertus est liber, pugnatque validè ac variè cum Arii & Eunomii furibunda rabie. Etenim & Logicis argumentis sapienter illorum destruit amentiam, quibus dum sacra Scriptura adnectit adsextque testimonia, quam sit illa doctrina futilis; omni ex parte divulgat. Adhibet idem nuda quoque S. Scriptura testimonia, ut quo se fastuosi vertant, obsepti undique atque conclusi non habeant. Est autem inter omnia ejus Scripta liber hic maximè perspicuus, eis potissimùm, qui Logicorum argumentorum sensum capere possunt.*

Nec laudatorum Auctorum fidem minuit, quod à nonnollis aliqua citantur ex Cyrilli Thesauris, quæ in vulgatis non comparent. Nam (ut optimè notat doctissimus P. Petavius *lib. 6. Theologicorum Dogmatum, cap. 13. num. 5.*) Opus illud à Cyrillo fuit eum in finem elucubratum, ut veluti promptuarium quoddam argumentorum esset ac Disputationum adversùs Hæreticos, præsertim Arianos, & Eunomianos. Ideo tum stylo, tum dispositione reliquorum est liber ille dissimilis. Atque ut in locis communibus usu venit, cujusmodi Opus istud est: multa identidem à Cyrillo vel addita, vel detracta fuisse, verisimile est; unde est orta varietas exemplarium. Ex quo illud etiam accidit, ut aliqua sint iis in libris paululum ab iis discrepantia: quæ alibi Cyrillus idem docuit: quod etiam in aliis ejus Operibus, de quibus, quin germana sint, nemo dubitat inter se comparatis animadvertit Petavius, quoad interpretationem Scripturæ sacræ. Illud namque Joannis 1. cap. *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat*; lib. 1. Commentar. in Joannem sic explicat, ut significet dignitatis, famæ, & nominis antecessionem. At in dialogo de Incarnatione, hanc interpretationem adulterinam, & imperitam nominat: ac de temporis, sive æternitatis, & originis prærogativa potiùs accipit.

S. Thomas plures locos ex S. Cyrilli Thesauris laudavit, pro Romani Pontificis auctoritate, qui in iis non leguntur: nec ideo tamen crimen falsi veracissimo Doctori atque sanctissimo, absque impietate ac temeritate summa impingi potest, ut impegerunt ex Heterodoxorum grege Rivetus, Dallæus, & alii: quia vel exciderunt aliqui hoc ex Opere libri, quod viri plerique eruditi sentiunt, in quibus extabant laudata à S. Thoma testimonia: vel (quod est verisimilius) ex fide aliorum, qui ante ipsum scripserant, ipsa laudavit S. Thomas, cum fontem ipsum adire non posset, quia libros Cyrilli præ manibus non habebat. Tanta enim erat iis temporibus librorum penuria, ut S. Doctor Homilias S. Joannis Chrysostomi in Matthæum dono sibi dari optaret, illudque Urbe Parisiensi pluris æstimaret munus. Paucos itaque veterum Patrum Codices penes se habebat, eorum testimonia excerpserat ut plurimùm ex Glossa Ordinaria, ex Gratiani Decreto, & aliis Scriptoribus, qui ea collegerant. Unde si quæ laudasset supposititia, id ipsi vitio verti non deberet, sed iis Auctoribus ex quibus illa mutuatus fuit, cùm fontes ipsos, ut dixi, ob penuriam librorum consulere non posset. Lege quæ hac de re diximus Dissertatione 16. in Historiam Ecclesiasticam 2. Sæculi pag. 1063. Editionis primæ.

Libris decem contra Julianum, primum tantùm Imperatoris Apostatæ librum refellit S. Cyrillus

V. Circa libros 10. contra Julianum Apostatam, notandum, S. Cyrillum tres Juliani libros contra Religionem Christianam, & sancta Evangelia editos hoc Opere non refellere, sed primum duntaxat, de quo hæc habet in exordio libri sui secundi. *Ad ipsum illius librum deinceps veniendum,* Et infrà *Primo quippe libro per innumeras cogitationes divagatur, quas susdeque versare ac revolvere non cessat: & quod inventus fuerit initio dixisse, hoc in medio & fine subinde repetens, facit ut minùs rectè & ordine se habere videatur oratio. Fere enim necesse est iis, qui adversùs ejus dicta contendere decreverunt; non semel, sed multoties eadem inculcare videri. Illius itaque libro decentiori ordine partito collectisque generatim sententiis non sæpius singulis, sed abundè semel & artificiosè cum illo congrediamur.*

Notandum secundò, S. Cyrillum his in libris, quos eo edebat consilio ut in manus Ethnicorum pervenirent, eos ut revocaret ab errore, de Christianæ Religionis mysteriis, quæ cum Infidelibus communicare non licebat, parcè admodum esse locutum. Hinc lib. 7. respondens Juliani objectioni contra Baptismum, ait: *Ne ergo ad profanorum aures arcana deferens, offendam Christum dicentem: Nedetis Sancta canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos: relictis iis quæ sunt altioris intelligentiæ, ad illa potiùs me convertam, per quæ temere fertur Adversarius, &c.* Istud S. Cyrilli Opus omnigena eruditione locuples est: cujus lectionem vehementer suadeo omnibus qui in veræ Theologiæ studium incumbere volunt. Hæc enim vera Theologia est, Religionis Christianæ veritatem scire, & adversùs Atheos ac impios quorum hac ætate ingens numerus, posse propugnare: eorumque argumentationes à Juliano Apostata, Celso Porphyrio; aliisque Ethnicis Philosophis eructatas, à Christianis Doctoribus convictas, dissolvere: non in Scholasticis contentionibus, plerumque inanibus, toto vitæ tempore immorari.

ARTICULUS XV.

De Theodoto Ancyrano.

THEODOTUS Ancyranus Episcopus sub Theodosii Junioris Imperio floruit. Concilio adfuit Ephesino, & pro Fidei Catholicæ causa strenuè pugnavit adversùs Nestorium. Extant Orationes illius duæ, quæ dicuntur in Synodo recitatæ, quas tamen alibi dixit: & altera adversùs Nestorium, quam habuit in ipsa Synodo. Scripsit & Symboli Nicæni expositionem, seu Nestorii confutationem ex Scripturis, & Fide Nicæ exposita. Quam Latio reddidit, Notis illustravit, & in lucem eddidit Combefisius noster. cum S. Germani Patriarchæ Constantinopolitàni Oratione Historica in Dormitionem & Translationem S. Mariæ Virginis Deiparæ.

Photius in Bibliotheca, Codice 231. recensens Patrum nomina quorum testimoniis Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus duplicem in Christo operationem confirmaverat, inter eos nominat S. Theodotum qui Ancyræ præfuit. Ipsum tres libros de Spiritu Sancto scripsisse, constat ex Nicænæ Fidei expositione contra Nestorium, ad cujus finem hæc habet: *Hæc quidem velut obiter nunc dicta sunt de Spiritu Sancto; de cujus divinâ Majestate ac dominatione pleniùs in tribus aliis Libris disputavimus; quos si legeris, Spiritum Sanctum pari cum Patre & Filio laude celebrari, ac conglorificari, ex divinis Literis doceberis.*

ARTICULUS

ARTICULUS XVI.

De Cassiano.

Cassianus Collationes scripsit S. Augustino vivente.

Jansenius Yprensis refellitur.

DE Cassiano legantur quæ diximus superius, cap. 3. art. 7. §. 4. Ejus Semipelagianismum Dissertatione 4. probatum habes. Hic de tempore quo edidit Collationes, verbo dicendum. Vossius *Lib. de Historicis Latinis* scripsit editas à Cassiano Collationes anno 452. Jansenius post mortem S. Augustini vulgatas existimavit, eo ductus argumento, quòd S. Prosper in Epistola ad Ruffinum Cassianum, ejusque partiarios his verbis perstringat: *Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam tam impii sunt, ut tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant? tam insanis prædicationibus non resistant? Nec saltem aliquibus Scriptis eum à quo talis emanat doctrina, conveniant? Magna enim gloriâ suâ humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint?* Ex quibus, vivente S. Augustino nihil à Cassiano in lucem emissum Jansenius colligit. Sed uterque refellitur ex præfatione librorum *de Incarnatione*, quos contra Nestorium Cassianus edidit anno 430. in quâ jam absolutas à se Collationes testatus. *Absolutis dudum*, inquit, *Collationum spiritualium libellis, sensu magis, quam sermone insignibus.* Præterea, Honoratus, cui 7. Collationes Cassianus dicavit, & præcipuè 13. quâ S. Augustini doctrina impugnatur, ante S. Augustinum obiit. 3. Has Collationes Honorato nuncupavit, antequam ad Arelatensem Episcopatum promotus esset, cùm adhuc Abbas erat Lirinensis, ut ex Præfatione constat: *Tamen vos, ô sancti Fratres Honorate & Eucheri.* At Patroclo successit in Sede Arelatensi Honoratus anno 426. ut ex Chronico Prosperi colligitur Ante has verò 7. jam decem priores rogante Castore Aptensium Episcopo scripserat? easque post ejus obitum absolutas dicaverat Leontio Episcopo, & Helladio Monacho. Septem verò postremas Monachis Stœchadum Insularum nuncupatas, edidit ante annum 429. Nam in Præfatione meminit Honorati Episcopi adhuc superstitis, qui illo ineunte anno migravit ad Superos.

Sanctus verò Prosper Jansenio nan favet. Solùm enim significat improbè agere Cassianum, & ejus Symmistas, quòd ad S. Augustinum de difficultatibus, quas circa ejus doctrinam patiuntur, non scribant, ut earum ab ipso accipiant solutionem, sed ipsi occultis susurrationibus obloquantur. Sed jam editas Cassiani Collationes, ex eadem Epistola S. Prosperi discere potuisset Jansenius, in qua hæc habet: *Molestè ferunt quod his quæ adversùm excellentissimæ auctoritatis Virum inter multas Collationes asseruere, resistimus.*

vii. *De Incarnatione Libros* edidit, rogatus à S. Leone Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiacono, postea Summo Pontifice, adversùs emergentem Nestorii Hæresim, ante Synodum Ephesinam anno circiter 429. aut 430. Obiit cum opinione sanctitatis, post annum 433. Theodosio & Valentiniano Imperantibus. Ejus memoria colitur Massiliæ die 23. Julii, eique precum Officia solemni ritu persolvuntur. Hujus Collationes viri sanctissimi commendantur, dempta 13. Hos inter fuit S. Fulgentius, ut ex cap. 12. Vitæ illius compertum est. Easdem S. Thomas ad componendam vitam suam assiduè pervolvebat. Decimam tertiam maximè Collationem Gelasius Pontifex Maximus spectasse censendus est, cùm Cassiani Opuscula inter apocrypha retulit. Cassiodorus ad Monasterii sui Fratres scribit, Cassianum à B. Prospero jure culpatum, quòd libero arbitrio nimis tribuisset, ideòque sub cautela legendum. Ejus dictamina emendata à Victore quodam Episcopo Afro. Berno Augiensis Abbas, in Libello ad Fridericum Capellanum de Cassiani erroribus Capita recitat ex S. Prospero.

ARTICULUS XVII.

De Vincentio Lirinensi.

Quo tempore Vincentius Lirinensis Commonitorium scripsit.

VINCENTIUS, natione Gallus Lirinensis Monachus ac Presbyter, S. Lupi Trecensis Episcopi germanus, ut constat ex Epistola S. Eucherii *de laude Eremi* ad Hilarium, Salonii præceptor: sub alieno Peregrini nomine Commonitorium edidit adversùs profanas vocum novitates, anno 434. Hoc anno scriptum illud Opus, colligitur ex cap. 42. ubi laudat *Concilium ante triennium fermè in Asia apud Ephesum à ducentis fere numero Sacerdotibus adversùs Nestorium celebratum* Synodus autem Ephesina anno 431. celebrata est. De Vincentio Lirinensi, & ejus Opere, lege Gennadium *in Catalogo Virorum illustrium cap.* 64. Semipelagianum illum fuisse probavimus superiùs: nec tamen ideò rejiciendum, aut floccifaciendum monuimus ejus Commonitorium, aut regulas, quas in eo tradit ad Catholicum dogma dignoscendum, & hæresim ab eo discernendam: quia ex principiis & regulis in Ecclesia receptis, S. Augustini & Discipulorum ejus doctrinam per cuniculos aggrediebatur. Hunc librum non soli Romanæ communionis homines, sed Centuriatores etiam Magdeburgenses magni faciunt, quorum judicium Riveto, Dallæo, aliisque Heterodoxis oppono. *Quod si quis*, inquiunt, *diligentiùs pensitabit, dicet Scriptum esse eruditum & acutum; quoque Hæreticorum fraudes clare in apertum producat, detegat, atque egregie impugnet; quin & præsens valde remedium, & antidotum, quasi contra eorumdem venena ministret: in quo ipsius Scriptoris vis ingenii elucet, & doctrinæ ipsius magnitudo. Antiquitatis enim ipsum fuisse studiosissimum, manifestè deprehenditur; & tam in Græcorum, quam in Latinorum lectione versatum, in Scripturarum tractatione argutum, facilem & perspicuum* Obiit Theodosio & Valentiniano regnantibus, ideoque ante annum 450. quo decessit Theodosius Junior. Vir Sanctus fuit, cujus nomen sacris Romanæ Ecclesiæ Fastis adscriptum est.

Centuriatorum Magdeburgensium de Vincentii Lirinensis Commonitorio judicium.

ARTICULUS XVIII.

De Socrate, & Sozomeno.

SOCRATES patria Constantinopolitanus Gramaticæ artis præceptis institutus est ab Helladio & Ammonio Gramaticis. Deinde ad forum se contulit & causas egit Constantinopoli: unde cognomentum Scholastici adeptus est. Sic enim Advocati eô tempore dicebantur. Tandem relicto foro, ad scribendam Historiam Ecclesiasticam animum applicuit. Hanc septem libris complexus est, & à Constantino Magno Imperatore inchoatam, usque ad Theodosii Junioris Imperatoris 17. Consulatum anno 439. cum Festo initum perduxit. Novatianorum partibus addictum fuisse Socratem, non solùm Nicephorus censuit in Præfatione Historiæ suæ Ecclesiasticæ & lib. 11. cap. 14. sed & ipse satis se prodit; cùm Novatianorum sectæ illius auctorem inter Martyres numerat; dum cuncta Novatianam sectam spectantia diligentiâ incredibili persequitur; dum Novatianos arctissimâ benevolentiâ fuisse conjunctos dicit Catholicis, & unà cum illis in Ecclesia Deum orasse; cùm Sisinnii orationem commendat habitam adversùs dictum illud S. Joannis Chrysostomi: *Etiam si millies*

Socrates Novatianis partibus addictus.

pœnitentiam egerit, accede; cùm Pauli Novatiani precibus miraculum quoddam patratum esse scribit Constantinopoli: &c. Socratis tamen cum laude meminerunt Cassiodorus lib. *de Divinis Lectionibus*, cap. 17. & in Præfatione Historiæ Tripartitæ: Liberatus Diaconus in Breviario Caussæ Nestorianæ & Eutychianæ cap. 2. Theodorus Lector in Epistola quam Historiæ Ecclesiasticæ præfixit; Evagrius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. Synodus VII. Actione 1. & Photius in Bibliotheca, Codice 28. ubi de ejus Opere ita censet: *Stylus illi non admodum splendidus: sed nec in dogmatibus valdè accuratus est.*

Photiana Socratis censura.

II. SOZOMENUS Palæstinus; Gaza oriundus, eodem tempore vixit quo Socrates. Constantinopoli pariter caussas egit. Historiam Ecclesiasticam pariter edidit, ab eodem tempore ducens exordium, ad easdem metas Opus perducens. A Socrate multa accepit, nonnulla ipsius emendavit, quædam addidit. Totum Opus divisit in novem libros. Illud verò Theodosio Imperatori dicavit. Sozomeni meminerunt iidem Auctores, qui Socratis. De ejus Historia ita censuit S. Gregorius Magnus Epistola 31. lib. 6. *In Historia autem Sozomeni*, inquit, *de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur: sed ipsam quoque Historiam Sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ, nimiùm laudat, atque usque ad diem obitûs sui magnum Doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet.*

Hæc porrò Theodori Mopsuesteni laudatio hodie in Historia Sozomeni non exstat; sed habetur lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Theodoreti, cap. 39. Aut igitur dicendum est, Gregorium Magnum memoriæ vitiô lapsum fuisse, qui id quod à Theodoreto dictum est, Sozomeno tribuerit. Quâ in sententia fuit noster Melchior Cano *lib.* 2. *Locorum Theologicorum*; Aut certè cum Baronio in Annotationibus ad Martyrologium Romanum, dicendum est, maximam partem libri 9. Hermiæ Sozomeni hodie desiderari: Historiam scilicet annorum circiter 18. à Consulatu Agricolæ & Eustathii, usque ad Consulatum 17. Theodosii Augusti: & in iis Capitibus quæ hominum incuriâ perierunt, Sozomenum eâ scripsisse de Theodoro Mopsuesteno, quæ à S. Gregorio Magno referuntur. Verùm hanc Baronii responsionem Valesius non probat, quia Gregorii Magni ætate integriores non erant Sozomeni Codices quàm nunc sunt. Nam Cassiodori ætate, qui S. Gregorium antecessit, nihilo auctiores erant iis quos nunc habemus: quod ex Historia Tripartita ejusdem Cassiodori perspicuum est.

ARTICULUS XIX.

De S. Hilario Arelatensi, & altero Hilario S. Augustini discipulo.

HILARIUS, Gallus origine, splendore natalium conspicuus, à S. Honorato Cœnobii Lirinensis primo Abbate ad vitam religiosam conversus; in Lirinensi Monasterio, sub ejus sanctissima disciplina institutus est. Post S. Honorati, qui ad Arelatensem Episcopatum assumptus fuerat, eamque Ecclesiam sanctissimè rexerat, obitum, Arelatensis Episcopus electus, omnium virtutum in sacro Ministerio factus est exemplar. In prædicatione verbi divini indefessus, erga pauperes & captivos beneficentissimus, ornamenta etiam Ecclesiarum, patenas & calices in eorum redemptionem, & solatium impendebat. In Seminario vixit cum Clericis, interdum etiam labori manuum vacans. Cum S. Leone Romano Pontifice commisit ipsum præceps Chelidonii depositio. Quâ de controversia inferiùs agemus. Semipelagianum fuisse suprà probatum est. Vixit usque ad diem 5. Maii, anni 449. * Vitam ejus à S. Honorato Massiliensi Episcopo scriptam edidit P. Quenellius ad calcem Operum S. Leonis. Ejus cum laude meminerunt S. Eucherius in Epistola ad Valerianum, *de Contemptu Mundi*, in Præfatione libri Instructionum ad Salonium, & initio libri *de laude Eremi*, quem ipsi Hilario inscripsit: Sidonius Apollinar. in Eucharistico ad Faustum, S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum: S. Leo Epistola 36. ad Episcopos Galliarum, Constantius Presbyter in Vita S. Germani Antisiodorensis, Gennadius in Catalogo Virorum Illustrium, S. Isidorus Hispalensis, & Honorius Augustodunensis. Livius quidam ejusdem ævi Poëta hoc eum encomio coronavit: *Si Augustinus post Hilarium fuisset, judicaretur inferior.* Quæ laus à Poëta Semipelagiano, ut credere par est, absque judicio effusa, ostendit tamen quanti fieret in Galliis Hilarius. In Epitaphio dicitur,

Gemma Sacerdotum, plebisque, orbisque Magister.

* Erravit Gennadius, qui ad Marciani Imperium, cujus exordium anno 450. figitur, obitum Hilarii Arelatensis produxit. Siquidem ex literis S. Leonis ad Episcopos Provinciæ Viennensis, datis v. Cal. Octob. Asturio & Protogene Coss. quorum Magistratus cum anno 449. concurrit, colligitur hoc anno 449 Hilarium obiisse.

Hæc ejus recenset Opera S. Honoratus Massiliensis in ejus Vita: Vitam S. Honorati Arelatensis Episcopi, Homilias pro totius anni festivitatibus, Expositionem Symboli, Epistolarum ingentem numerum, nonnulla etiam carmina. Tanta fuit ejus in dicendo vis, ut Silvius Eusebius, Domnulus Auctores coævi, admiratione succensi in hæc verba proruperint: *Non doctrinam, non eloquentiam, sed nescio quid super homines consecutum.* Prosâ versûque adeò eleganter scribebat, ut quodam ejus Opusculo suscepto, S. Eucherius ipsi gratulatus ita rescripserit: *Et tu licet sis clarus eloquio, clarus ingenio: tu licet præferas annis juvenem, moribus senem.* Ejus Epistolæ tam disertæ erant, ut Auxiliaris Præfectus, vir exquisiti ingenii, & Romanæ facundiæ, eas impensè commendaverit, sic ad ipsum rescribens *dictu difficile est quanti mihi pretii fuerint literæ Sanctitatis tuæ, in quibus ita expressam facundiam recognovi, sicut tenes in aliis modestiæ morumque operibus principatum. Ignosces de te studiosè minora dicenti, quia semper in prædicatione sui virtus erubescit; cùm hoc ipsum verecundiæ genus pars magna virtutis sit.* Vitam S. Honorati Arelatensis à S. Hilario scriptam edidit P. Quenellius ad calcem Operum S. Leonis.

Huic adjunxit *Metrum in Genesim* Leoni Papæ nuncupatum, & perbrevem Epistolam ad Eucherium Lugdunensem Episcopum scriptam. Narrationem verò de miraculis S. Genesii, quæ apud Surium Hilarii nomine decorata legitur, abhorrere monet ab ejus facundia, & stylum potiùs redolere Honorati Massiliensis, quem & testatur Gennadius plura ad Vitas SS. Patrum pertinentia scripsisse.

Inscitè quidam Hilarium Arelatensem Episcopum cum altero Hilario S. Augustini Discipulo confuderunt. Nam Hilarius Arelatensis nunquam vixit in Africa: alter autem se in Africa fuisse S. Augustini discipulum, in Epistola ad eum data testatur. 2. Hilarius S. Augustini discipulus, Laïcus erat, cùm alter jam Episcopus Arelatensis esset, ut ipse testatur in Epistola ad eundem S. Doctorem datâ. *Sunt*, inquit, *ex parte tales personæ, ut his consuetudine Ecclesiasticâ Laïcos summam reverentiam necesse sit exhibere; quod quidem ita curavimus Deo juvante servare, ut cùm opus fuit, non taceremus quæ ad quæstionis hujus assertionem nostrarum exiguitas virium suggerebat.* 3. Hilarius Arelatensis sententiam S. Augustini *in quæstionem trahebat*, ut testatur S. Prosper ad Augustinum scribens. At Hilarius alter hæc ad S. Doctorem scribebat: *Nolo autem Sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de his quæ nunc edidisti, ego dubitem.* 4. De

Hilario

Hilario Arelatensi scribit Prosper ad S. Augustinum: illum cum ejus Sanctitate *jam pridem sensum suum per literas velle conferre. Sed quia*, inquit, *utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est, &c.* At id non convenit Hilario S. Augustini discipulo, qui ad ipsum scribit, Se rogasse Prosperum ut prolixiori Epistola Semipelagianorum querelas & errores ad ipsum referret. *Egi*, inquit, *cum viro tum viribus, tum eloquio & studio claro, ut quanta posset collecta, suis literis intimaret, quas conjunctas his destinari curavi.*

ARTICULUS XX.

De S. Eucherio.

EUCHERIUS Lirinensis Monachus, ut constat ex ejus Epistola *de Laude Eremi*, in qua ait: *Equidem cunctis Eremi locis qua piorum illuminantur secessu, reverentiam debeo: præcipuè tamen Lerinam meam honore complector.* Et ex illo Sidonii in Euchatistico, ubi celebrans Lerinæ Monachos, ait:

Eucheri venientis iter, redeuntis Hilari.

Postea in proximam Leronis insulam, quæ *S. Margaretæ*, hodie nuncupatur, vitæ anachoreticæ studio secessit, ut colligitur ex Vita S. Honorati Arelatensis à S. Hilario Arelatensi scriptâ. *Splendidus mundo*, inquit, *splendidior Christo, æmulus virtutis ejus B. Eucherius, cùm ab Eremo, in tabulis, ut assolet, cerâ illitis, in proxima ab ipso degens insula, literas ejus suscepisset: Mel*, inquit, *suum ceris reddidisti.* Lugdunensis Episcopus creatus, Ecclesiam illam sanctissimè rexit ad annum usque 449. quo abiit ad Superos.

Ab hoc Eucherio distinguendus est, quem incautè cum ipso nonnulli confuderunt, Eucherius alter, qui S. Cæsario Arelatensi convixit, ut constat ex ejus Vita à Cypriano ipsius discipulo conscriptâ. Concilio 2. Arausicano subscripsit Junior ille Eucherius anno 529. adeòque integro pene sæculo ab Eucherio Seniori sejungendus est.

Duo Eucherii distinguendi. Uterque Lugdunensis Episcopus.

Duorum Eucheriorum distinctio confirmatur ex Historia de conversione S. Eucherii Episcopi, & Gallæ uxoris ejus: & Vita duarum filiarum ejus Tulliæ atque Consortiæ Virginum, quam ex Codice MS. S. Augendi Jurensis, & aliis probæ notæ Chiffletius edidit in *Paulino Illustrato*, *P. I.* Refert enim illius Auctor Historiæ, aditum fuisse Clotarium Francorum Regem à Consortia Virgine, ut Ecclesiæ S. Stephani, & Xenodochio à se fundatis Regiæ tutelæ diploma ab ejus Majestate posceret. Quod & Regis filiâ ex gravi morbo sanatâ obtinuit. Nec multò post mortuo Regi Clotario successisse Sigebertum ejus filium, cujus Procurator quidam nomine Hecca Consortiæ nuptias ambivit. Cùm igitur primus annus Sigeberti post Clotarium regnantis, sit Christi 562. centum & quinquaginta circiter annorum fuerit Consortia necesse est, cùm ab Hecca in Matrimonium expeteretur, si hæc fuit Senioris Eucherii filia.

Eucherius Junior Lugdunensis etiam Episcopus, fuit S. Viventioli successor. Ejus Ordinationem describit Ado in Martyrologio, die 16. Novembris. Contrarium probari contendit Chiffletius S.I. vir doctissimus, ex tribus Catalogis antiquis Lugdunensium Episcoporum, quorum unum descripsit ex veteri Codice MS. S. Stephani Lugdunensis, alterum ex Hugonis Flaviniacensis Chronico à Sirmondo excerptum, tertium ex Codice S. Lazari Æduensis, Caroli Magni ævo exaratum: in quibus unus legitur Eucherius. Sed mendosos esse ac mutilos Indices illos à Chiffletio laudatos excertioribus Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis probatur. Nam Eucherius Senior, qui anno 449. è vita migravit, subscribere non potuit Concilio Arelatensi IV. anno 524. Carpentoratensi: anno 527. & Arausicano II. anno 529. non fuit Cæsario Arelatensi coævus & familiaris. Itaque admittendus est Eucherius Junior Lugdunensis Episcopus.

Doctrinâ conspicuus fuit Eucherius Senior, cujus hæc habentur Opuscula: *Epistola de contemptu mundi* ad Valerianum cognatum suum: *Epistola de laude Eremi*, ad S. Hilarium Arelatensem. *Liber formularum spiritalis intelligentiæ*, cum præfatione ad Veranum filium, postea Episcopum. *Libri duo Instructionum*, ad Salonium alterum filium, postea etiam Episcopum: quorum primus Quæstiones ac Responsiones de difficilioribus Veteris ac Novi Testamenti locis: secundus Interpretationem Hebræorum nominum, quæ in sacris Libris occurrunt, complectitur. *Passio SS. Martyrum Thebæorum*, alterutrius est Eucherii. Neutrius verò *Commentarii in Genesim & libros Regum*, qui in Bibliothecis Patrum Eucherii nomen adscriptum habent. Nam eorum Auctor Angliam patriam suam, ætatemque utroque recentiorem Eucherio palàm indicat. Laudat scilicet S. Gregorium Papam, S. Augustini meminit, qui ab eodem Pontifice in Britanniam missus est. Cassiodorum etiam Senatorem citat, qui Seniore Eucherio Junior, Juniori coævus, imò & superstes fuit. Quin aliquæ ex Homiliis illis, quæ sub Eusebii Emisseni nomine circumferuntur, fœtus Eucherii Senioris, nullus dubito: & certè Homilia de S. Blandina Lugduni habita, & altera de S. Maximo Lirinensi Abbate & Rejensi Episcopo, & de SS Martyribus Epipodio & Alexandro, id satis superque innuunt. Claudianus Mamertus lib. 2. *de statu Animæ*, Eucherium cùm doctissimis Operibus editis, tum eloquentissimis ad populum habitis Concionibus celebrem fuisse testatur. *Handquaquam*, inquit, *Eucherium prætererim mihimet viventem doctrinâ & præsentaneis disputationibus cognitum, qui scilicet viridis ævi, maturi judicii, terræ despuens, cæli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ingenio subtilissimus, scientiâ plenus, eloquio profluus, magnorum sui sæculi Pontificum longè maximus, editis in re fidei multijugis variorum Operum voluminibus, ad populum quoque bis super statu Animæ concionatus est.* Salvianus Eucherii libros vocat *Stylo breves, doctrinâ uberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti ac pietati pares.* Lege de eo Gennadium in Catalogo cap. 36. Ejus quoque meminerunt Isidorus, & Honorius Augustodunensis.

Neutrius Eucherii sunt Commentarii in Genesim & libros Regum, qui nomen Eucherii adscriptum habent.

Quædam ex Homiliis quæ sub Eusebii Emisseni nomine sunt editæ, Auctorem habent Eucherium Seniorem.

ARTICULUS XXI.

De S. Petro Chrysologo.

PETRUS in Foro-Cornelii * natus illustri genere, CHRYSOLOGUS ob aureum eloquentiæ flumen dictus, à Sixto III. Romano Pontifice Ravennatum Episcopus creatus est anno circiter 435. obiit 449. aut. 450. Ejus extant Homiliæ elegantissimæ.

* Hodie *Imola*, vocatur.

ARTICULUS XXII.

De S. Basilio Seleuciensi.

BASILIUS SELEUCIENSIS in Isauria Episcopus Synodo Constantinopolitanæ adversùs Eutychetem, anno Christi 448. & Chalcedonensi Oecumenicæ anno 451. interfuit. Homiliæ illius 40. variis de argumentis, Græcè ac Latinè habentur. Ipsas novissimè interpretatus est Combefisius noster. xv. duntaxat Photius recenset, *Codice* 168. easque tropis abundare observat, qui tamen perspicuitatem

ac suavitatem non impediant. Huic etiam tribuit Metrum de Sanctæ Protomartyris Theclæ certaminibus atque victoriis, atque alia præterea ipsius scripta circumferri. Libros duos de Vita & Miraculis S. Theclæ soluta oratione, ipsius non esse monuimus, *in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ* 1. *Sæculi*, ubi de Actis S. Theclæ egimus. Ipsum provectâ admodum ætate obiisse oportet, si vera est Photii conjectura, hunc fuisse S. Chrysostomi amicum & contubernalem, ad quem etiam libros *de Sacerdotio* misit. En Photii verba. *Hic autem potiùs Basilius, quam magnus ille Cæsareæ Episcopus, videtur beatissimi Chrysostomi amicus ille, & contubernalis fuisse, ad quem etiam librum de Sacerdotio scriptum miserit. Multa enim in hujus Basilii Orationibus vestigia apparent Orationum ac sensuum illius, eorum præsertim quibus sacram explanat Scripturam. Et verò figurarum ille cum significantia tam familiaris usus, permagnum est singularis cum Joanne consuetudinis, lectorumque librorum ejus argumentum. Utitur enim iisdem & divinus ille vir, licet moderatè & opportunè, atque ita ut & tumorem qui ex illis nascitur, simplicitate temperet, ingenioseque molliat, & orationem suam universam civili sermoni persimilem efficiat.*

ARTICULUS XXIII.

De Salonio, & S. Valeriano.

I. SALONIUS S. Eucherii filius, Verani frater, à Patre in Lirinensem Insulam ductus adhuc puer, à Vincentio & Salviano eruditus, Episcopus creatus est. Hunc Salvianus in Epistola ad Eucherium inter *Magistros Ecclesiarum* cum fratre numerat: cui suos *de vero Judicio, & Providentia Dei*: item: *Ad Ecclesiam Catholicam* libros idem Salvianus nuncupavit. Scripsit Dialogos expositorios in Proverbia Salomonis & in Ecclesiastem; qui habentur in Bibliotheca Patrum.

II. Valerianus Cemelenensis in Provincia Alpium Maritimarum Episcopus, interfuit Concilio Rejensi anno 439. Memoratur in Epistola Synodica Episcoporum Galliæ ad S. Leonem Pontificem Maximum datâ anno 451. Viginti Homilias edidit elegantes: quas cum Epistola ejusdem ad Monachos *De virtutibus & ordine Doctrinæ Apostolicæ*, in lucem emisit P. Sirmondus S. I.

ARTICULUS XXIV.

De S. Prospero, & Juliano Pomerio.

SANCTUS PROSPER Aquitanus, doctrinæ S. Augustini acerrimus io Galliis defensor, pro ejus vindiciis Romam ad Celestinum I. perrexit, à quo insigne Rescriptum contra Semipelagianos Massilienses impetravit. Contra S. Augustini obtrectatores, & doctrinæ ipsius de Gratia & Prædestinatione impegnatores, egregia edidit Opera, scilicet *contra Collationes Cassiani*, *contra Capitula Gallorum*, *Responsionem ad Objectiones Vincentianas*, Poëma *de Ingratis*, &c. S. Leoni Magno ab Epistolis fuit, dictavitque celebrem ipsius ad Flavianum Epistolam contra Eutychianam Hæresim, teste Gennadio. Tres ad S. Augustinum Epistolas dedit, & unam ad Ruffinum. Item *Chronicon* à Mundi ortu ad annum 455. quod integrum edidit P. Labbæus S. I. Poëma *de Providentia*, non esse S. Prosperi, sed hominis Semipelagiani certum est.

In Auctorem librorum de Vocatione omnium Gentium, suspicatur. Non sunt S. Prosperi. Norisii Rationes.

Libri duo *de Vocatione omnium Gentium*, quamvis in plerisque omnibus Codicibus MSS. S. Prospero tribuantur, ejus non esse tota jam penè eruditorum hominum natio consentit. Vir doctissimus Henricus Norisius id probat post Vossium, ex discrepantia doctrinæ horum librorum à doctrina S. Prosperi. Nam lib. 2. plurimùm laboris insumit ut communem gratiam Dei omnibus faciat. Versans verò cap. 20. objectionem illam à parvulis ductam in qua S. Augustinus contra Pelagianos triumphum sibi cecinit, sic respondet cap. 23. *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, quâ benè utique si eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Quibus contraria scribit S. Prosper in Carmine *de Ingratis*, cap. 31. ubi urget argumentum illud de parvulis.

Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, & rursum genitos Baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum caussa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis istud poterit aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cùm videat multos sanctis genitoribus ortos
Nullo salvari studio potuisse suorum.

II. Quia horum librorum Auctor toto libro 2. probat, Deum omnibus semper hominibus gratiam largitum fuisse. At S. Prosper communem hanc gratiam rejicit Carmine *de Ingratis*, cap. 11. ubi ait:

...... *Dic unde probes quòd gratia Christi*
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit.

Auctor libri de Vocatione Gentium lib. 2. cap. 5. docet Gentes, quibus non se Deus manifestavit sicut Judæis, esse inexcusabiles. *Adhibita enim*, inquit, *semper est universis hominibus quædam supernæ mensuræ doctrina, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, suffecit tamen, sicut Dominus indicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* At S. Prosper tradit, propter meritum originalis peccati homines jure gratiâ privari: nec ideò tamen gratiæ defectum illis ad excusationem suffragari posse. Sic autem habet in Carmine *de Ingratis*, cap. 32.

Non autem rectè, nec verè dicitur illos,
Qui sunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus. Natura compede vinctos
Procubuisse negant.

III. Auctor Librorum *de Vocatione Gentium*, satis timidè de Prædestinatione loquitur. Imò scientiam illi præviam non semel admittere videtur, dum illam objectionem sibi opponens, *Frustra nos orare & laborare si ex incommutabili proposito ejus Christiana gratia subsistit electio*; ita ibi respondet: *Non intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita, & præsentia, & futura complectitur, tempore non teneri.* Et cùm id paucis explicasset, concludit: *Hæc autem æterna & semper tranquilla cognitio nullâ nos urget necessitate peccandi, &c.* Ibidem electiooem ad gratiam sine meritis adstruit: Electionem verò ad gloriam ex meritis suspendit. *Deus ergo his quos eligit sine meritis dat unde ornentur & meritis. Et frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cùm etiam ad hoc operentur ut electi sint.*

Quenellius Norisii rationes egregie refellit.

IV. Verùm P. Quenellius, Vossii & Norisii argumenta validè refellit, *Dissertat.* 2. *de Auctore Librorum de Vocatione omnium Gentium*, ac invictè probat summum esse doctrinæ consensum hunc Auctorem inter & S. Prosperum. Quod enim gratiæ omnibus communis assertionem spectat; Auctor ille à S. Prospero non dissentit, siquidem per gratiam omnibus communem intelligit exteriora & naturalis Dei dona, quæ omnibus promiscuè exposita sunt; aliquando Mosaicæ legis documenta, nonnunquam etiam Evangelii prædicationem, quæ

Auctor Librorum de Vocatione Gentium, & S. Prosper in doctrina non dissentiunt.

nulli

nulli hominum conditioni denegatur. Id constat ex cap. 4. 9. & 10. libri 2. veram autem gratiam Christi omnibus non esse communem asserit, cum S. Prospero. Hinc lib. 1. cap. 13. *Quod*, inquit, *aliquos Salvantis gratia prætereat, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum est, & agnoscendum secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse.* Et lib. 2. cap. 19. *Qui exortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur; & qui ejus lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino glorientur.* Legendum est & caput 31. ubi agnoscit quidem *bonitatem Dei super universos homines generalem*: ideóque Christum dictum ab Apostolo, *Salvatorem omnium hominum. Esse verò partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur*: ideò Christum dictum Salvatorem *maximè Fidelium.*

Nec etiam quoad alterum caput, de parvulorum scilicet electione, recedit à S. Prosperi doctrina Auctor librorum de Vocatione Gentium. Libro namque 1. cap. 16. cùm in superioribus capitibus probasset, arcanum esse ad altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei referendum, cur uni potiùs quàm alteri gratia daretur, hoc ipsum isto capite confirmat exemplo parvulorum: quod vehementiùs urget cap. 22. quâ de re legendus est & secundus liber cap. 20. 21. 22. & 23. quo postremo loco, parvulos quidem pertinere docet ad illam gratiæ partem, seu generalia Creatoris beneficia, quæ semper universis sunt impensa nationibus: quæ etsi per se percipere non potuerint, accepere tamen in parentibus, quorum pars quædam censentur, donec ab illis nondum rationalis infantiæ exordiis recesseriot: *Quâ utique*, generali gratiâ, *si benè eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur infantes.* Id autem ait ut ostendat etiam parvulos spectare Apostolicum illud oraculum: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Sed præter illam generalem gratiam, specialem postulat non minùs, quàm S. Prosper, quâ tam parvuli, quàm eorum parentes adjuventur: quæ illis ob merita parentum non datur, sicut nec istis ob propria merita confertur. Sic enim scribit cap. 23. libri 2. *Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute, vocatio specialis exercitur, ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio: quæ quidem nec illis, qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed iis qui renati sunt, præ parentibus adfuit: ita ut multis sæpe, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis providenda non erat per proximos.*

Quoad tertium caput de Prædestinatione, evidens est ex libro 2. cap. 29. & 33. nomine præscientiæ per quam prædestinationem definit, illum nihil aliud intelligere, quam scientiam rerum futurarum, quas Deus ipse facturus est; quâ & regnum Dei electis decernit, & omnia media quibus ad illud certissimè perriogete possint. Locum verò illum, ubi electionem ad gloriam ex meritis suspendere videtur, sic restituit P. Quenellius ope Codicis MS. Thuaneæ Bibliothecæ: *Deus ergo his quos eligit sine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et frustra dicitur quòd ratio operandi non sit electis, cùm ad hoc ut operentur electi sint.* Quâ lectione sic restitutâ, difficultas omnis evanescit.

V. Nihil itaque prohiberet quin S. Prospero libri de Vocatione Gentium tribuerentur, si sola spectaretur doctrina, cum in ea S. Prosper & illorum librorum Auctor non dissentiant. Sed & viri eruditi pridem observarunt multa in his esse simillima sententiis & verbis S. Prosperi in genuinis Operibus. Exempli gratia hæc subjicio.

S. Prosper in Carmine *de Ingratis*, de Sede Apostolica ita canit:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput Mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Auctor verò libri secundi de Vocatione Gentium, cap. 16. ait: *Quamvis gratia Christi non contenta sit eosdem habere limites quos Roma, multosque jam populos sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per Apostolici Sacerdotii principatum, amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.*

S. Prosper in Responsione ad Capitula Gallorum cap. 8. ait: *Ex toto mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur.*

Auctor librorum *de Vocatione Gentium* lib. 1. cap. 9. ait: *Ut de toto mundo totus mundus liberatus, & ex omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti.*

S. Prosper in Carmine *de Ingratis*, cap. 35. inter exempla judiciorum Dei inscrutabilium refert varias hominum formas, indolesque, & propensiones.

Ergo eadem natura animæ, naturaque carnis
Diversis Mundum sub conditionibus intrat;
His regnare datum est: illos servire necesse est.
Hos decor & valida viret, viridisque senectus
Suscipit, hos species inhonora, & debile corpus.

Eodem Exemplo utitur Auctor libri de Vocatione Gentium, lib. 1. cap. 14. *Neque enim si nescio cur Græcus illo creetur, hic barbarus; iste in divitiis, ille in egestate nascatur; hunc validæ proceri corporis pulchritudo sublimet: illum debilium membrorum exilitas contracta deformet*, &c.

S. Prosper ut gratiam Dei prorsus gratuitam esse probet, eorum exemplum profert, cap. 18. Poëmatis *de Ingratis*, qui

.........cæca turpiter usi
Libertate animi......
————vitam duxere nefandam:
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso
Extremi status, miserantem nocte remota
Cognovere Deum: purgatorisque Lavacri
Munere, nulla mali linquentes signa prioris,
Exempti Mundo, maturant tartara cælo.

Auctor librorum *de Vocatione Gentium*, lib. 1. cap. 17. idem exemplum urget. *Quod si*, inquit, *& ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & sceleribus ætatem, Sacramento Baptismatis Christi in ipso vitæ fine renovantur, & sine ullo suffragio bonorum operum, in regni cælestis consortium transferuntur, quo intellectu divinum judicium comprehendes? nisi ut indubitanter agnoscas gratuita esse Dei munera*, &c.

S. Prosper in Epistola ad Ruffinum, verba illa Actor. 16. *Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bythinam, & non permisit illos Spiritus Jesu*, profert ut probet inscrutabilia esse Dei circa hominum salutem judicia. Quem locum ad idem evincendum urget Auctor librorum de Vocatione Gentium, cap. 3. libri 2.

Verumtamen libri *de Vocatione omnium Gentium* non sunt S. Prosperi.

VI. Aliæ igitur proferendæ sunt rationes à diversitate, aut repugnantia doctrinæ, ob quas libri duo *de Vocatione omnium Gentium*, S. Prosperum ut parentem non agnoscant. Prima est styli disparitas, Auctoris enim librorum illorum stylus Prosperiano longè castigatior est ac nitidior, periodi magis commensuratæ, antitheses frequentiores, rithmorum affectatio major.

Secunda ratio petitur ex silentio de S. Augustino, & ejus doctrina in libris de Vocatione Gentium, cujus palam & publicè assertorem se ac vindicem præstat S. Prosper in germanis Operibus.

Tertia ex eo desumitur, quòd Auctor istorum librorum,

librorum, non tam pugnandi quàm se exercendi studio susreperit hoc Opus; nec Semipelagianos aggrediatur palàm & ex industria insectetur, sicut S. Prosper. *Dudum*, inquit, *inter defensores Liberi Arbitrii, & Prædicatores Gratiæ Dei magna & difficilis vertitur quæstio. De hac igitur compugnantiâ opinionum, quâ mensurâ & temperantiâ sentiendum sit, quantùm Dominus adjuverit, annitar inquirere: exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo sobriè: quantùm arbitror inhæserunt.*

Quarta ratio est, quòd assignari tempus non possit, quo libros illos scripserit S. Prosper. Nam illorum Auctor diù post exortas inter Prædicatores Gratiæ, & defensores Liberi Arbitrii concertationes, ad scribendum sese applicuisse asserit: & hanc primam suam esse hoc de argumento lucubrationem. At S. Prosper statim atque Semipelagiani mussitarunt, stylum acuit ad Augustinianæ doctrinæ defensionem, etiam ante S. Augustini obitum, ut ex ipsius ad Ruffinum Epistola compertum est.

Epistola ad Demetriadem non est S. Prosperi.

VII. Epistolam *ad Demetriadem Virginem*, quæ inter S. Prosperi Opera habetur, ejusdem esse Auctoris ac libros duos de Vocatione omnium Gentium, inter Eruditos convenit, ob styli, doctrinæ, conceptuúmque similitudinem, quæ inter utrumque Opus intercedit: adeòque & hanc Epistolam S. Prospero abjudicandam.

VIII. Cujus sit utrumque istud Opus, scilicet libri duo de Vocatione omnium Gentium, & Epistola ad Demetriadem, dudum quærunt ac disceptant Eruditi. Non esse S. Ambrosii, cujus inter Opera etiam inveniuntur, *in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ IV. Sæculi* probavimus, ubi egimus de Operibus S. Ambrosii. Esse S. Eucherii Lugdunensis quidam suspicati sunt. At stylus repugnat. Hilario Arelatensi adscribenda putarunt alii; * sed perperam: Semipelagianorum enim errores in libris de Vocatione Gentium profligantur, quibus vehementer infectus fuit S. Hilarius Arelatensis. Prosperum Aurelianensem Episcopum, S. Aniani successorem, librorum istorum auctorem esse conjicit Vossius: sed non tanta videtur fuisse facundia & eruditio istius Prosperi, qui Apollinaris Sidonii stylum emendicare coactus est, ut S. Aniani Decessoris sui res gestas memoriæ commendaret, ut constat ex eodem Sidonio lib. 8. Epistola 15. Nec feliciùs conjecere, qui alteri Prospero Gallicano etiam Episcopo, qui Carpentoratensi Vasensique Conciliis subscripsit, hoc Opus tribuerunt. Libros enim de Vocatione Gentium laudavit Gelasius Papa in Opusculo contra Pelagianos. *Sicut*, inquit, *quidam Magister Ecclesiæ sapienter edocuit dicens:* * *Ad magnam utilitatem Fidelium, materia est servata certaminum, ut non superbiat Sanctitas, dum pulsatur infirmitas.* Quæ verba habentur lib. 1. *de Vocatione Gentium*, cap. 8. At Gelasius obiit anno 496. Ille igitur, quem mortuum laudavit, Auctor, non est Prosper Episcopus qui Carpentoratensi Concilio anno 527. & Vasensi anno 529. subscripsit.

Latius in Histor. Pelag. & Semipelag. & Gerardus Joannes Vossius ut illistor. Pelagian.

Novissimus Operum S. Leonis Editor P. Quenellius duos illos de Vocatione omnium Gentium libros, nec-non Epistolam ad Demetriadem, edidit sub nomine Sancti illius Pontificis, easque lucubrationes ipsi vindicare conatus est duabus Dissertationibus elegantissimis. Id autem probat ex stylo, dicendique charactere planè simili: ex identitate doctrinæ circa gratiam Christi; & circa alia etiam capita; ex vocibus Auctori librorum de Vocatione Gentium & S. Leoni communibus; ex convenientia denique in citanda Scriptura sacra. Verùm nondum Viris omnibus Eruditis persuadere potuit hos libros, hancque Epistolam, esse S. Leonis fœtus, ejusque nomine in nova Operum ipsius Editione meritò inscriptos fuisse; 1. quia tanta non est similitudo doctrinæ istorum librorum cum doctrina S. Leonis, quin æqualis, & fortè major reperiatur cum doctrina S. Prosperi, ut superiùs ostendimus: nec tamen S. Prospero tribuuntur. Stylus verò non est Leonino penitus similis. Nam periodi S. Leonis sunt magis commensuratæ, nec tantæ sunt in ejus Sermonibus aut Epistolis figuræ, tot rithmi, tanta modulatæ ac tinnulæ orationis affectatio, quanta in libris de Vocatione Gentium, aut in Epistola ad Demetriadem. Uno verbo, facundior est S. Leonis citra ullam affectationem oratio.

Libri de omnium Gentium Vocatione, non sunt S. Leonis, P. Quenellio singularem fuisse, ut reputat.

Præterea S. Leonem contra Manichæos, contra Priscillianistas, contra Pelagianos, contra Nestorianos & Eutychianos pugnasse, ejus Vita & Epistolæ testantur. Contra Semipelagianos verò ipsum certasse non legimus. Amicus Cassiani erat, qui libros de Incarnatione scripsit ab eo rogatus, eosque ipsi nuncupavit: Prosperum aliunde magnifaciebat, quem ubi creatus est Pontifex sibi ab Epistolis esse voluit. Controversiis igitur illis se non videtur immiscuisse S. Leo.

Tertiò, Gelasius Papa libros de Vocatione Gentium laudat sub nomine *cujusdam Ecclesiarum Magistri*. At S. Leonem Decessorum suorum unum, tot meritis illustrem, tantâ nominis celebritate conspicuum, qui ab annis duntaxat triginta obierat, suo nomine designasset, non eo modo, quo ignoti quique notari solent. Nemo enim facilè credet ex hominum memoria deletum fuisse hujus Auctoris nomen, præsertim Romæ, si is fuisset S. Leo Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, ac paulò-post Pontifex, qui ab annis triginta è vita migraverat. Plura enim Romæ fuissent illorum librorum, & Epistolæ exemplaria; quorum aliquod adscriptum habuisset Leonis nomen; & vivebant adhuc plurimi, quibus notum fuisset S. Leonem hæc scripsisse, idque in Eruditorum omnium ore versatum esset, nec illud ignorasset Gelasius doctissimus Pontifex.

Tandem nullus Codex MS. hæc Opera S. Leoni adscribit: nec ullum talem repetiendum Codicem persuasum se habere profitetur P. Quenellius; nec in tota retrò antiquitate genuinus illorum Auctor cognitus est. Unde non molestè ferer si libros de Vocatione Gentium, & Epistolam ad Demetriadem, sub Sancti Leonis nomine, sub quo illa paulò confidentiùs vulgavit, non laudemus, nec laudanda esse putemus; sed sic illorum Operum Auctorem existimemus citandum: *Auctor librorum de Vocatione omnium Gentium, Auctor Epistolæ ad Demetriadem.*

Antelmii sententia non probatur.

Utrumque Opus S. Leoni abjudicat, S. Prospero vindicat Vir Eruditus Josephus Antelmius in Dissertationibus Criticis *de veris Operibus SS. Patrum Leonis Magni & Prosperi Aquitani*, & Paschasio Quenellio omnia causæ suæ præsidia eripit. Non tamen me movent ejus argumenta ut S. Prospero hæc Opera tribuenda censeam. Præcipuum enim quod ex styli convenientia petit argumentum, laboriosa collatione verborum & sententiarum Authoris librorum *De Vocatione Gentium*, & *Epistolæ ad Demetriadem*, cum S. Prosperi verbis & sententiis, non omnino convincit. Nam & Quenellius convenientiam styli horum librorum & Epistolæ cum S. Leonis stylo, utriusque verbis & sententiis studiosè collatis ostendit, nec tamen persuadere potuit libros illos & Epistolam esse S. Leonis. Istius igitur controversiæ ab eruditis hominibus æmulâ diligentiâ tractatæ, suspensum adhuc apud me judicium est.

Libri de Prædictionibus & Promissionibus Dei, non sunt S. Prosperi Aquitani, sed Prosperi alterius Africani.

IX. Libri *de Prædictionibus & Promissionibus Dei*, non sunt S. Prosperi Aquitani. Horum namque Librorum Auctor, *Parte 3. Promiss.* 38. Juvenem se Carthagine vixisse testatur. *Cùm sancta*, inquit, *Paschæ solennis ageretur festivitas, collecta illic & undique*

undique omni curiositate etiam advenient multitudo Sacerdotum multorum, Pater & dignæ memoriæ nominandus Antistes Aurelius, cœlestis jam patriæ civis, Cathedram illic loco Cœlestii, & habuit & sedit. Ipse tunc aderam cum sociis & amicis, atque (ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curiosi singula quaque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam & incredibile nostro se ingessit aspectui, titulus æneis grandioribusque literis in frontispicio templi conscriptus: Aurelius Pontifex dedicavit. Hoc porro templum *Cœlestis* anno 399. consecratum est, quando Honorius Imperator Edicto templa Idolorum, *cum suis adjacentibus spatiis*, Ecclesiis contulit, simulque eorum simulacra confringenda in potestatem dedit: ut ibidem Auctor ille testatur. Ex quibus colligitur, illum civem Carthaginensem fuisse. Idem colligitur ex parte 4. quæ inscribitur, *Dimidium Temporis* cap. 6. ubi narrat, Aspare 6. Consule Carthagine constituto, hoc signum diabolicum monstrosumque accidisse, quod illius patriæ civis nullus ignorat. Quamdam scilicet juvenculam Arabem natione, ancillæ Dei habitum gestantem, cùm in Balneo lavans simulacrum quoddam Veneris impudicè respiceret, & seipsam, à dæmone arreptam fuisse, & 70. pene dies ac noctes absque cibo transegisse, ave quadam circa mediam noctem nescio quid ejus ori infundente. Deinde à Sacerdote in Monasterium Puellarum perductam, & Præposito commendatam, post quindecim dies liberatam, cùm particulam Corporis Domini tinctam à Sacerdote percepisset, & Calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicuisset. Se autem tunc fuisse præsentem Auctor ille testatur. *Accidit autem*, loquit, *ut quintus decimus Dominicus illusceret dies, ascendente nobiscum Sacerdote, ut Matutinum illic Sacrificium solitò offerretur, puellam Præpositus ad altare perduxit, &c.* Id autem contigit anno 434. cùm à Tregetio contra Gensericum feliciter pugnatum est. At Prosper Aquitanus tunc temporis non degebat Carthagine, sed in Galliis contra Semipelagianos pugnabat. Imò nec unquam Carthaginem adiisse videtur S. Prosper, saltem quandiù illius Urbis Sacris præfuit Aurelius, alioqui S. Augustino Carthaginem ob Synodos frequentiores, & ob Ecclesiæ suæ negotia sæpius profecto, notus fuisset; imò & Hipponem regium illum invisisset, pro eâ quâ ipsum colebat reverentia & observantia, se contulisset. At non ita se res habuit: scripsit enim ad S. Augustinum è Galliis Prosper Aquitânus de Pelagianorum reliquiis, quâ in Epistolâ hæc habet: *Ignotus quidem tibi facie, sed jam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone compertus.*

Cassiodorus suppar Auctor, initio libri *de divinis Lectionibus*, S. Prospero tribuit istud Opus, nec ipsum deceptum facilè crediderim. Quamobrem duos Prosperos coævos distinguere satius est, Africanum unum, qui turbine Vuandalicæ persecutionis ex Africa in Italiam delatus, in Campania vixit, dum S. Leo Pontifex Maximus Manichæos subverteret, & contereret Pelagianos, & maximè Julianum, ut habet ipse, in *Dimidio Temporis, cap. 6.* id autem anno 443. & 444. contigit. Istius Prosperi sunt libri *de Prædictionibus & Promissionibus Dei*, de quibus agimus: quos Prosperi Aquitani non esse, non solùm probat stylus dicendique caracter planè dissimilis: non solùm Gennadii silentium, qui texens Catalogum librorum Prosperi, non meminit libri *de Promissionibus Dei*: sed maximè ratio mox allata, quòd illorum Auctor Africanus, non Gallus esset.

Libri de Vita Contemplativa, sunt Juliani Pomerii.

X. Libri tres *de Vita Contemplativa*, quamvis sub S. Prosperi nomine laudati sint à Chrodegango Episcopo Metensi, lib. *de Laicali Institutione*, à Synodo Aquisgranensi sub Ludovico Pio, à Theodulpho Aurelianensi, in lib. *de Spiritu Sancto*, non sunt tamen S. Prosperi, sed Juliani Pomerii, natione Mauri, qui Arelate in Galliis Rhetoricam docuit, & S. Cæsarium Arelatensem deinde Episcopum habuit auditorem: * ac postmodum Presbiter ordinatus est. Huic libros illos asserit S. Isidorus lib. *de Ecclesiasticis Scriptoribus*, cap. 12. ubi de ejusdem Pomerii Operibus agens, hæc habet: *Edidit etiam unum libellum de Virginibus instituendis: alios quoque tres de futura vita contemplatione, vel actuali conversatione, nec-non etiam de vitiis & virtutibus.* Qui certè ipsi libri sunt de quibus agimus. In primo namque agitur *de Vita Contemplativa*: in secundo, *de Actuali Vita*: in tertio, *de Virtutibus & Vitiis*; ut Auctor ipse exponit in Præfatione libri 3. In antiqua Collectione Canonom Codicis Andegavensis, Pomerio etiam tribuuntur, loco citato, qui extat cap. 7. lib. 2. Ejusdem Auctoris nomen adscriptum est Codici S. Salvatoris Vicecomitis, quos Codices laudat Sirmondus in Notis ad Tomum II. Conciliorum Galliæ.

** Vita S. Cæsarii lib. 1. cap. 5.*

Præterea, hic Auctor nuncupavit libros memoratos Juliano Episcopo, quo jubente se ad illorum scriptionem animum applicuisse testatur in Præfatione. Quo etiam Antistite rogante, & interrogante eum vero Presbytero, libros octo *de Natura Animæ & qualitate ejus composuit*, teste Gennadio, in *Catalogo Virorum Illustrium*. Quorum librorum testimonio frequenter usus est Julianus alter Toletanus Antistes, *In Prognosticis futuri sæculi*. Librorum porrò *de Vita contemplativa*, stylus & dicendi caracter satis probat illos S. Prosperi non esse. Deinde illorum Auctor lib. 2. cap. 9. de S. Hilario Arelatensi sic loquitur, ut ætate suâ superiorem fuisse significet: qui tamen æqualis fuit sancti Prosperi.

Chronicon S. Prosperi nomine inscriptum, genuinum ejus Opus.

XI. *Chronicon* S. Prosperi nomine inscriptum, genuinum ejus Opus non esse, & alteri Authori cognomini tribuendum, censuit *P. Garnerius* Societatis Jesu Theologus eruditus, in Dissertatione III. ad Opera *Marii Mercatoris*. Præcipuum ejus argumentum est, quòd in Conciliorum Africæ recensione Prosper Chronographus ab Aquitano dissideat, ad Consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. hæc de Concilio Carthagine congregato referens: *Quibus Consulibus Concilio apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim Episcoporum ad Pontificem Zosimum Synodalia Decreta perlata sunt, quibus perlatis per totum mundum Hæresis Pelagiana damnata est.* Quibus quidem ista ex cap. X. libri *adversus Collatorem* à S. Prospero Aquitano editi P. Garnerius opponi putat: *Erraverunt Africana Episcoporum Concilia, quæ Decretis suis constituerè utrumque Dei donum esse, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus. Erraverunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistola quam suis Constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem Beatum Zosimum sunt allocuti, &c.* Pugnare Chronici Scriptorem cum S. Prospero ait vir eruditus, quòd iste duorum Conciliorum meminerit, & in altero Canones conditos, in altero ducentos & quatuordecim Episcopos consedisse scribat: quod non admittit Chronographus; siquidem nomine Synodalium Decretorum, de quibus loquitur, octo Canones dogmatici in Concilio Carthaginensi editi intelliguntur.

P. Garnerius refellitur.

Verùm unum idemque Concilium fuisse, in quo ducenti quatuordecim Episcopi sederunt, & octo Canones dogmatici de gratia Dei conditi sunt, superiùs probavi Cap. III. Articulo IV. §. VIII. tum ipsius S. Prosperi, tum Photii testimonio in Bibliotheca, Cod. LIII. Quamobrem nulla est inter Prosperum Aquitanum & Chronographum hac in re dissensio. Garnerii porro conjecturam inanem esse convincunt locupletissimi testes, Chronicon Prospero Aquitano S. Augustini discipulo tribuentes,

ſcilicet Victorius Aquitanus S. Proſpero coævus, ejuſdemque conterranæus, in Præfatione Cycli Paſchalis ad Hilarum tune Romanæ Diaconum Eccleſiæ, poſtea Pontificem Maximum; Gennadius Maſſilienſis Presbiter in Catalogo Virorum Illuſtrium, Caſſiodorus lib. *de Inſtitutione divinarum Literarum*, Cap. XVII. & S. Iſidorus Hiſpalenſis libro VI, *Originum* cap. XVII. Ex hoc verò Chronico interpolatum aliud eſt, quòd è Bibliotheca Regalis Abbatiæ S. Victoris ad Muros Pariſienſes V. C. Petrus Pithoeus primùm edidit ſub Prǒſperi nomine, quod præfert MS. Codex. Sincerum verò S. Proſperi Chronicon editum eſt à P. Labbæo S. I. Tomo 1. Bibliothecæ MSS. Librorum.

S. Proſper Episcopus non fuit.

XII. Honorius Auguſtodunenſis, Martinus Polonus, & Trithemius, S. Proſperum Epiſcopum appellant, quem tamen Epiſcopum nunquam fuiſſe probabilius eſt; cùm Auctores illi ſuppares nullo ſacræ dignitatis titulo ipſum exornent. Gennadius, qui Scriptores quoſlibet Eccleſiaſticâ dignitate inſignos, ſui Ordinis nomine appellat, Epiſcopos aut Presbyteros: ubi ad Proſperum venit, ſic illum deſignat: *Proſper homo Aquitanicæ regionis.* Victorius Aquitanus, Proſpero coævus, in Epiſtola nuncupatoria ad Hilarum Papam, Proſperum Epiſcopum non appellavit. Gelaſius Pontifex in Synodo Romana, ubi Auctores Eccleſiaſticos recenſuit, eoſque Epiſcopos nominavit, qui hâc dignitate fulſerunt, & S. Hieronymum Presbyterum etiam vocavit, de Proſpero hæc habet: *Item Opuſcula Proſperi Viri Religioſiſſimi.* Nec etiam qui S. Proſperi ſæculo 6. meminerunt, ipſum Epiſcopum nuncupavere. Non Fulgentius *lib. 1. ad Monimum, cap.* 30. non Victor Tunnonenſis initio Chronicorum.* Nec etiam Ado Viennenſis, Hincmarus, Florus, Prudentius, Rabanus, aliique mediæ ætatis Auctores S. Proſperum Epiſcopum appellant. Deceptus itaque eſt Baronius, cùm S. Proſperum Reienſem in Aquitania Epiſcopum fuiſſe ſcripſit, & Eccleſiam illam annis viginti quatuor gubernaſſe. Ut enim omittam lapſum Scriptoris Eminentiſſimi, qui Reienſem Narbonenſis Provinciæ ſecundæ Epiſcopatum in Aquitania collocavit: certiſſima Eccleſiaſticæ Antiquitatis monumenta probant Fauſtum, poſt S. Maximi obitum, ex Abbatia Lirinenſi ſtatim ad Reienſem Epiſcopatum aſſumptum fuiſſe; & jam anno 462. fuiſſe Epiſcopum, cùm Synodo Romanæ eo anno celebratæ adfuerit, ut teſtatur Hilarus Papa in Epiſtola ad Leontium, alioſque Gallicanos Epiſcopos data 3. Non. Decemb. anno 462. Fauſtum fuiſſe immediatum S. Maximi in Reienſi Epiſcopatu ſucceſſorem, non obſcurè etiam indicat Sidonius in Euchariſtico, dum ſic ad eum ſcribit:

Baronius refellitur.

——— *Fuerit quis Maximus ille*
Urbem tu cujus, Monachoſque, Antiſtes & Abbas
Bis ſucceſſor agis:

Denique in Literis S. Leonis anno 452. & in Literis Hilari anno 464. in quibus Narbonenſis Galliæ Præſules nominantur, nullum Proſperum legimus, ſed in illis Maximum, in his Fauſtum Reienſes Epiſcopos. Nullus itaque S. Maximum inter ac Fauſtum S. Proſpero datur in Sede Reienſi locus: adeoque falſum eſt quod Baronius ſcripſit, ipſum annis viginti quatuor ſediſſe Epiſcopum, & anno demum 466. obiiſſe. Nec minus à veræ Chronologiæ ratione aberrat Cardinalis Hiſtoricus, cùm Proſpero ſucceſſiſſe ait in Reienſi Epiſcopatu S. Maximum anno 466. conſtat namque ex Vita S. Hilarii Arelatenſis *cap.* 5. ab Honorato Maſſilienſi Epiſcopo ſcriptâ, Maximum jam fuiſſe Epiſcopum quando S. Hilarius B. Capraſio primo Lirinenſis inſulæ Monacho morienti adeſſe voluit, quod contigit ante annum 449. quo ipſe obiit Hilarius. Præterea S. Maximus ſeptem annis Abbas Lirinenſis fuit, ut colligitur ex Homilia *de S. Maximo*, quæ inter illas extat quæ Euſebii Emiſſeni nomen falsò adſcriptum habent. Succeſſit autem S. Honorato in ſacra Lirinenſis Monaſterii Præfectura, anno 426. quo S. Honoratus creatus eſt Epiſcopus Arelatenſis. Poſt ſeptennium itaque Maximus inauguratus eſt Rejorum Epiſcopus anno ſcilicet 433. perperam itaque Epiſcopatûs ipſius exordia in annum 466. ab Annalium Eccleſiaſticorum Parente detruduntur, ut S. Proſpero commentitius aſſeratur 24. annorum Epiſcopatus Rejenſis.

De hoc Chronologiæ capite plura videre potes apud virum doctiſſimum H. Norriſium lib. 1. Hiſtor. Pelag. cap. 11.

Sunt qui S. Proſperum Regii Lepidi in Italia Epiſcopum faciant, * ejuſque ut Epiſcopi memoriam quotannis ritu ſolenni illa in Eccleſia celebrari teſtentur, ac Breviaria, & Martyrologia citent ad id comprobandum. Sed alter ille Proſper eſt ab Aquitano S. Auguſtini egregio defenſore; qui propter cognationem nominis cum eo confuſus eſt. Quam confuſionem & in aliis Sanctis nominum ſimilitudo fecit. Is forſan eſt Proſper ille Africanus, Auctor libri *de promiſſionibus & Prædictionibus Dei*, qui Vandalicæ perſecutionis turbine, ut diximus, delatus in Italiam, ad Regienſem in Æmilia Epiſcopatum promotus eſt.

Antonius Flaminius in Vita S. Proſperi, Ferrarius in Martyrol. Ughellus in Italia ſacra, qui tamen in eam magis propendet ſententiam, quæ Proſperum Aquitanum cum altero Proſpero Regii in Æmilia Epiſcopo inearè confundi aſſerit.

ARTICULUS XXV.

De S. Symeone Stylite.

SANctus Symeon, Stylites dictus à columna, in qua vitam aſceticam egit, *Magnum orbis terrarum miraculum* vocatus à Theodoreto, qui ejus Vitam ſcripſit, virtuteſque celebravit ac miracula, cùm adhuc in terris degeret, *Hiſtoria Religioſa, cap.* 26. Ex columna ſua velut ex Cathedra ſacras Conciones habebat, quibus Iſmaëlitas innumeros, Judæos, Hæreticos, Peccatores, ad veri Dei cultum, ad Chriſti Fidem, ad Catholicam doctrinam, ad ſinceram pœnitentiam convertit. Multas etiam ſcripſit Epiſtolas, ſive ad Epiſcopos, ſive ad Præfectos Civitatum & Provinciarum, ſive ad ipſos Principes, pro Dei gloria, & Eccleſiæ bono. De eo Theodoretus, ipſius vitæ oculatus teſtis, hæc habet: *Doctrinæ quoque donum a liberali Domino accepit: & bis quotidie exhortationes habens, audientium aures irrigat, ſcitè admodum diſſerens, & divini Spiritûs documenta exhibens..... Totam noctem & diem ad nonam uſque orando conſumit. Poſt nonam verò, primùm quidem divinam doctrinam præſentibus tradit; deinde admiſſâ uniuſcujuſque petitione, & curationibus aliquot peractis, litigantium controverſias dirimit. Sub Solis autem occaſum, cum Deo deinceps colloqui incipit. Cæterùm in his dum verſatur, ſanctarum ſimul Eccleſiarum providentiam non negligit: nunc pugnans contra Gentilium impietatem, nunc Judæorum frangens contumaciam, nunc Hæreticorum turmas profligans, atque interdum ad Imperatorem de his literas mittens, interdum Præſides ad divinum zelum excitans, ipſos etiam interdum Eccleſiarum Paſtores admonens, ut gregum ſuorum majorem curam gerant.* Epiſtolæ ipſius ad Leonem Auguſtum, de Concilio Chalcedonenſi meminit Evagrius *libro 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* 10. Ubi etiam deſcriptam habes ejuſdem Epiſtolam *ad Baſilium Antiochenum Epiſcopum* de eodem Concilio. Ea in Epiſtola vir humillimus *Abortivum Monachorum* ſe inſcribit. Sub ejuſdem nomine circumfertur in Bibliothecis PP. Sermo breviſſimus *de mente complectendo ſuum deceſſum*; ſive Epiſtola *de morte aſſiduè cogitanda*. Lege Bollandum Tomo I. ad diem 5. Januarii.

ARTICULUS

ARTICULUS XXVI.

De Arnobio Juniore.

ANonymus ille Auctor, qui vulgò Arnobius Junior dicitur, quarto Sæculo scripsit, ortâ jam & damnatâ Eutychetis hæresi. Commentarios edidit in Psalmos, quos laudavit Venerabilis Beda: in quibus Semipelagiani erroris fuliginem viri eruditi jam dudum observarunt. Ipsi præterea tribuuntur Annotationes ad quædam loca Evangelistarum: & *Conflictus Catholici de Deo trino & uno; de duabus in Christo substantiis, in unitate personæ; & de Gratiæ & Liberi Arbitrii concordia.* Sixto Senensi Africanus fuisse videtur: mihi Gallus, ob dicatos Leontio Arelatensi & Rustico Narbonensi in Psalterium Commentarios.

ARTICULUS XXVII.

De Fausto Reiensi: & Claudiano Mamerto

I. FAustus Monachus, & Abbas Lirinensis, deinde Reiorum Episcopus, post S. Maximum, vir magni in Ecclesia Gallicana nominis, cùm propter sanctimoniam, tum propter eruditionem, à Sidonio celebratus cùm in Epistolis, tum maximè in *Eucharistico*; obiit Anastasio Imperante, prope centenarius, ut colligitur ex Sidonio, lib. 9. Epistola 9. Ipsius gloriam nimius propriæ sententiæ amor, & doctrinæ S. Augustini impugnandæ libido infuscavit. Semipelagiani erroris virus propinavit duobus in libris *de Gratia & humanæ mentis Arbitrio*, quos edidit prætextu confutandi Prædestinarianorum errores. Opus illud quod Gennadius pariter Semipelagianus *egregium* vocat, Gelasius Papa apocryphorum notâ meritò inussit.

Immaniter erravit Trithemius, cùm scripsit Faustum à S. Fulgentio correptum, errores desertuisse pristinos, & contra eos libros edidisse de Gratia Dei cùm S. Fulgentius sæculo consequenti vixerit, & commentitia sit illa Fausti Palinodia.

In Arausicana Synodo, ejus aliorumque Semipelagianorum damnati sunt errores: at nec ipsius, nec aliorum nomina, vel libri damnati sunt. Scythæ Monachi eum impugnarunt, librosque miserunt confutandos atque damnandos ad Africanos Antistites in Sardinia exules: quos S. Fulgentius ex reliquorum mandato Patrum, libris septem impugnavit: ut suprà diximus, cap. 3. Articulo 10. Libellum adversus Arianos scripsit Faustus, Gennadio teste, quam ob lucubrationem ab Evarico Rege Gothorum Ariano missum ipsum in exilium verisimile est. Quo de exilio legenda est ejus Epistola sexta *ad Ruricium*, & altera *ad Felicem*.

Scripsit & alium Libellum, quò nihil in creaturis Incorporeum esse probavit, ut refert Gennadius. Hanc Fausti sententiam tribus libris *de statu Animæ*, confutavit Claudianus Mamertus.

II. Fuit autem Claudianus Mamertus Viennensis Ecclesiæ Presbyter, & S. Mamerti fratris sui Viennensis Episcopi, sive Chorepiscopus, sive Vicarius Generalis, ut colligitur ex Sidonio in ejus Epitaphio, quod insertum est Epistolæ ejus undecimæ libri 4.

Antistes fuit ordine in secundo.
Fratrem fasce levans Episcopali.
Nam de Pontificis tenore Summi,
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

Legatur tota illa Sidonii Epistola, quæ Claudiani virtutes, & doctrinam dignis laudibus exornat. Data est ad Petreium Claudiani ipsius nepotem. Legenda est & Epistola 2. libri 5. ad Nymphidium data, in qua librum Claudiani *de Statu Animæ* commendat, ipsumque vocat *Peritissimum Christianorum Philosophum, & quorumlibet primum Eruditorum.* Legatur maximè Epistola 3. libri 4. ad ipsum Claudianum scripta, quâ respondet ad ejus, quæ præ-

A mittitur, Epistolam, & laudatos *de Statu Animæ* libros, quos ipsi nuncupaverat Claudianus, impensè commendat. *Quantùm*, inquit, *Opus illud est materiâ clausum, declamatione conspicuum, propositione obstructum; disputatione reseratum, & quanquam propter hamata syllogismorum puncta tribulosum, vernantis tamen eloquii flore mollitum! Nova ibi verba, quia vetusta, quibusque collatus meritò etiam antiquarum literarum stylus antiquaretur: quodque pretiosius est, tota illa dictio sic cæsuratim succincta, quòd profluens: quam rebus amplam, strictamque sententiis, sentias plus docere, quàm dicere.... Sentit ut Pythagoras,* B *dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Æschines blanditur; ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, æstuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius. Jam si ad Sacrosanctos Patres pro comparatione veniatur, instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, astruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Joannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Ruffinus stringitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paulinus provocat, ut Ambrosius perseverat.*

Claudiani Mamerti eruditio & stylus.

C Hymnum etiam quendam Claudiani laudat eâdem Epistola Sidonius. Ejus nomine inscriptum Carmen *contra varios errores*, seu *vanos Poëtas*, habetur in Bibliothecis Patrum. Hymnum Claudiani à Sidonio laudatum, fuere qui censerent esse illum quem canit Ecclesia tempore Passionis:

Pange lingua gloriosi prælium certaminis.

Testatur doctissimis antiquitatis Ecclesiasticæ scrutator Sirmondus in Codice MS. Gennadii, in Cœnobio Sancti Michaëlis de Tumba, se legisse appendicem illam, ubi agit de Claudiano Mamerto: *Scripsit & alia nonnulla, inter quæ & Hymnum de Passione Domini, cujus principium est*, Pange lingua gloriosi. *Fuit autem frater Mamerti Viennensis Episcopi.* D Floruit circa annum 460. quando obierit, incertum.

ARTICULUS XXVIII.

De Theodoreto.

§. I.

THeodoretus Episcopus Cyri, quod Syriæ in Provincia Euphratesia oppidum est, sterili matre natus, & precibus Macedonii Monachi sanctissimi parentibus à Deo datus, à quo etiam ad E pietatem institutus est, ut testatur ipse in Historia Religiosa, cap. 13. Deo ante ortum consecratus, ubi adolescentiam egressus est, vitam in Monasterio egit usque ad Episcopatum. Vitæ suæ rationem descripsit ipse in Epistolis, calumniis fractum, vel potiùs Ecclesiæ hostium coactus. Legenda est Epistola 81. ad Nomum Consulem data, in qua hæc habet: *Priusquam me conciperent, oblaturos se Deo polliciti sunt parentes, atque ab incunabulis, ut promiserant, devoverunt, & hoc modo educârunt. In Monasterio tempus quod Episcopatum præcessit, cùm exegissem, invitus Episcopus ordinatus sum. Annos* F *viginti quinque ita vixi, ut neque in jus vocatus sim à quoquam, neque ipse quemquam accusârim. Nullus religiosissimorum Clericorum qui sub me fuerunt, tribunalia tot annis frequentavit. Non obolum, non vestem à quoquam accepi. Panem unum, vel ovum, nullus domesticorum meorum accepit unquam, Præter panniculos quibus amictus sum, nihil volui possidere. Publicas porticus ex reditibus Ecclesiasticis erexi, pontes duos maximos exstruxi, balneorum publicorum curam gessi; cum ex alluente flumine aquam haurientem civitatem nactus essem, aquæductum condidi, & carentem aquis civitatem aquis replevi. Atque ut ista*

Theodoreti Vita.

prætermittam, vicos octo Marcionis hæresi corruptos, unà cum vicinis locis, ad veritatem volentes perduxi, Vicum alium Eunomianis refertum, & alium Arianis, divinæ cognitionis luce illustravi, nullumque apud nos, Dei beneficio, hæresis lolium relictum est. Neque verò ista sine periculis præstiti, sed fuso plerumque sanguine, lapidatus ab eis persæpè, & ad ipsas Orci portas impulsus. Verùm insipiens factus sum dum glorior. At necessitate hæc dicta sunt, non voluntate.

Legatur & Epistola 113. ad S. Leonem, in qua ita scribit. *Sex & viginti annis commissam mihi ab universorum Deo Ecclesiam, precum vestrarum auxilio cum rexerim, neque sub beatissimo Theodoto Antistite Orientis, neque sub eis qui illi in Antiochena Sede successerunt, vel minimam reprehensionem sustinui: sed divinâ mihi cooperante gratiâ, supra mille animas Marcionis morbo liberavi, multasque alias ex Arii & Eunomii partibus ad Christum Dominum perduxi. Et octingentarum Ecclesiarum Pastoralem curam sortitus sum, tot enim Cyrus habet Parœcias, in quibus precum vestrarum auxilio lolium nullum relictum est, sed omnibus hæreticis erroribus grex noster ereptus est, &c.*

Vitæ Monasticæ, & sanctorum Monachorum amantissimus, cùm divinos illos Philosophos Cyro alitsque Syriæ urbibus adjacentes, de more inviseret, Marim qui annis 37. Divina Mysteria non viderat, magno illorum spectandorum desiderio teneri animadvertens, ut voti compotem redderet, sacra vasa afferri jussit, Diaconorumque manibus pro altari usus, Sacrificium obtulit. Varia subiit certamina, gravibusque fluctibus agitatus est. In Synodo Ephesina, orto (ut diximus) inter Joannem Antiochenum & S. Cyrillum Alexandrinum, & consequenter inter Orientales omnes & Ægyptios Antistites dissidio, cùm Theodoretus adversùs XII. S. Cyrilli Anathematismos scripsisset, atque molestissimè tulisset Nestorii damnationem, imò & conditiones pacis postmodum initæ inter Joannem Antiochenum & Cyrillum: & Cyrilli defuncti sanctis insultasset Manibus, cùm in Sermone Antiochiæ habito, tum in Epistola ad Domnum Antiochenum scriptâ, cujus inscriptio, *Ad Joannem Antiochenum*, mendosa est in Actis V. Synodi, in hæreseos Nestorianæ suspicionem venit. Hinc Dioscorus Alexandrinus, Eutychianæ patronus hæreseos, cui Theodoretum infensissimum noverat, ansam arripuit ipsum velut Nestorianum insectandi. Ipsum itaque apud Imperatorem Theodosium Juniorem per calumniatores accusatum, quòd Synodorum prætextu Antiochiam, aliasve Orientis urbes frequentans, res novas moliretur, proscriptosque Nestorii errores clam spargeret, sacrâ jussione Cyro concludi obtinuit, aditu ad alias Urbes & Ecclesias prohibito. Quâ de re legendæ sunt Epistolæ Theodoreti 79. ad Anatolium Patritium, 80. ad Eutrechium Præfectum, 81. ad Nomum Consulem, 82. ad Eusebium Ancyranum, 83. ad Dioscorum Alexandrinum. In quibus adversùs calumniatores suos graviter expostulat, Fidei suæ probat integritatem, & à Nestoriano se purgat errore. Ad Eusebium Ancyranum ita scribit: *Qui Marcionis, & Valentini, & Manetis, aliorumque Docitarum hæresim hâc nostrâ tempestate renovant, ægrè ferentes hæresim à me suam apertè confutari, Imperatoris aures circumvenire conati sunt, hæreticos nos appellantes, & unum Dominum nostrum Jesum Christum incarnatum Deum Verbum, in duos Filios dividere calumniantes..... Ego verò ab execranda hac sententia tantùm absum, ut cùm aliquos è sanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerant, adversùs Arii vesaniam in libris suis disputantes, ob susceptum contra illos certamen coactos, nimiâ usos divisione adimadverto, ægrè feram, & divisionem ejusmodi non admittam. Novi enim necessitatem divisionis excessum peperisse. Ac ne quis existimet metu perculsum me ista nunc dicere, integrum est cui animus fuerit, antiqua Opera mea evolvere, tum ea quæ ante Synodum Ephesinam, tum quæ post illam rursum ante duodecim annos scripsi. Quæ enim Dei est gratia, & Prophetas omnes Commentariis exposui, & Psalterium, & Apostolum, & adversus Arianos ac Macedonianos, & contra Apollinaris præstigias, rabiemque Marcionis, libros olim composui. Et in singulis libris Ecclesiasticum Dogma per Dei gratiam elucet. Mysticus præterea scriptus à nobis est liber, & alii de Providentia, & ad quæsita Magorum alius, & Vita Sanctorum, & præter hos alii complures. Hos autem enumeravi, non gloriæ studio ductus, sed accusatores provocans, & eos qui judicare volunt, ut Operum nostrorum quodcunque voluerint, examinent.*

Theodoretus à Nestoriana Hæresis suspicione se purgat.

In Epistola verò ad Dioscorum: *Sex continuis annis docui sub beatæ sanctæque memoriæ Theodoto Antiochensium Episcopo, vitæ claritate, & divinorum dogmatum scientiâ nobilissimo: tredecim rursus aliis sub beato Joanne, qui disserentibus nobis sic afficiebatur, ut ambas sæpe manus non teneret, & de sede sua consurgeret. Quem quidem divinis literis à puero imbutum, exactam divinorum dogmatum scientiam adeptum esse, Sanctitas tua in literis suis testata est. Ad hæc, septimus hic annus est Deo carissimi Archiepiscopi Domini Domni. Nec in hodiernum usque diem tantò temporis intervallô, ullus unquam nec Deo carissimorum Episcoporum, nec religiosissimorum Clericorum, ea quæ à nobis dicta essent, reprehendit.*

Et infrà, suæ Fidei possessionem edit, in qua hæc contra Nestorii errorem: *Propterea igitur & Deiparam appellamus Sanctam Virginem, & eos qui nomen hoc repudiant, alienos à pietate censemus. Similiter & eos qui in duas personas, vel duos filios, vel duos dominos dividunt unum Dominum nostrum Jesum Christum, non sinceros dicimus, & à Christianorum cœtu segregamus.....* Hæc enim & à divi*na Scriptura didicimus, & à Patribus qui hanc interpretati sunt, Alexandro & Athanasio, clarissimis præconibus veritatis, qui Apostolicam Sedem vestram exornârunt: Basilio item & Gregorio, alisque orbis terrarum luminibus. Quòd verò beatorum quoque Theophili & Cyrilli scriptis utamur, atque his etiam adversantium audaciam retundamus, libri ipsi testantur. Eos enim qui Dominica carnis ac deitatis differentiam negant, & nunc quidem divinam naturam in carnem aiunt esse conversam, nunc verò carnem in divinitatis naturam transiisse, admirandorum Patrum istorum medicamentis curare nitimur. Apertè si quidem & duarum naturarum discrimen nos docent, & immutabilitatem divinæ prædicant naturæ. Et Dominicum carnem divinam quidem vocant, tanquam Dei Verbi carnem factam, illam autem in divinitatis conversam fuisse naturam, velut impium rejecerunt. Beatæ porrò memoriæ Cyrillum sæpe ad nos literas dedisse, perspectum est, opinor, Sanctitati tuæ. Sed & quando suos adversùs Julianum libros misit Antiochiam, similiterque librum de Emissario, beatum Joannem rogavit Episcopum Antiochenum, ut illos spectatis per Orientem Magistris ostenderet, literisque obsequens B. Joannes nobis libros misit: quos legentes suspeximus, & beatæ memoriæ Cyrillo scripsimus, & ille ad nos rescripsit, diligentiamque ac benevolentiam nostram commendavit. Quæ litera apud nos servantur.*

Ex hac Epistola colligitur, Theodoretum tunc integerrimæ fuisse Fidei, & à Nestorii erroribus penitus alienum: cujus tamen nondum ejurasse videtur amicitiam, cùm hanc Epistolam scribit, anno Christi 445. Valentiniano VI. & Nomo Coss. sex annis ante Concilium Chalcedonense. Nam pepercit nomini Nestorii in anathemate, quo illius hæresim confixit in hac Epistola: *Si quis sanctam Virginem Deiparam non dicit, aut purum hominem vocat Dominum nostrum Jesum Christum, vel in duos filios dividit unum Unigenitum ac Primogenitum omnis creaturæ.*

tura, à spe in Christum excidat, & dicet omnis populus, Fiat, fiat.

Quanquam verò ita se purgasset ab hæreseos Nestorianæ suspicione apud Dioscorum Alexandrinum ab eo tamen magis exagitatus est: quia Eutychiani erroris, quem ipse tuebatur, impugnatorem acerrimum non odisse non poterat. Indicta itaque secunda Synodo Ephesina, convocatione Oecumenicâ, exitu Prædatoriâ, egit Dioscorus cum Theodosio Imperatore, ne Theodoretus eò veniret, sed domi consistere juberetur, quò faciliùs absentem & inauditum posset opprimere. Damnatum, & exauctoratum ab Hæreticis S. Leo absolvit, ac Sedi suæ restituit: quem deinde ut orthodoxum Episcopum admisit Chalcedonensis Synodus, cum Nestorio anathema dixisset: ut superiùs dictum est. Non multò post Concilium Chalcedonense mortuum existimavit Sirmondus: cui Gennadius in Catalogo, cap. 29. & Marcellinus Comes in Chronico, refragantur, vitam ipsius usque ad Leonis Augusti imperium, id est ad annum saltem 460. producentes. Ipsum scripsisse testatur Marcellinus adversùs Eutychetem & Dioscorum, *de Incarnatione Domini*, Leone Augusto III. solo Consule, id est, anno Christi 466.

De Theodoreto in 5. Synodo actum est, ejusque Scripta adversùs XII. Capitula S. Cyrilli damnata sunt. Hoc enim est Theodoreti crimen æternum, quod nulla delere potuit oblivio, S. Cyrilli Anathematismos reprehendisse, impugnasse sacram Synodum Ephesinam, Nestorio & ejus hæresi aliquando favisse. Attamen Theodoretum, per calumniam, Nestorianæ hæreseos, post initam cum Cyrillo pacem accusatum, testatur S. Leo in Epistola ad ipsum datâ, anno Christi 453. *Benedictus Deus noster*, inquit, *cujus invincibilis veritas, ab omni hæreseos maculâ mundum te, secundùm Sedis Apostolicæ judicium demonstravit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probavimus, ac probamus, pro universalis Ecclesiæ defensione servaveris. Nam quòd Deus omnium calumniosorum fallacias sotvit, maximam Beati Petri curam pro cunctis nobis agnoscimus: qui postquam suæ Sedis judicium in fidei definitione firmavit, nec circa cujusquam vestrûm, qui nobiscum pro Catholica Fide laborastis, personam, quidquam reprobum videri permisit: quin nec poteras, Spiritu Sancto judicante, quisquam ex eis non victor exire, quorum jam vicerat fides.* De Theodoreti Operibus, lege Gennadium, & Photium Codicibus 31. 46. 56. 204. 205. & 273. & Nicephorum lib. 14. cap. 54. Circa ea notandum:

Theodoreti p[illegible] cum S. Cyrillo pacem integerrima fides.

I. Religiosam Historiam esse indubitatum Theodoreti Opus, quod multoties laudat, ad illudque remittit Lectorem, in Historia Ecclesiastica, lib. 1. cap. 7. lib. 2. cap. 30. lib. 3. cap. 24. lib. 4. cap. 25. & cap. 27. Ejusdem Operis à se editi meminit in Epistola ad Eusebium Ancyranum. Quod verò blaterat procacissimus Calvinista Rivetus, fibellas quasdam adeò ineptas tam in Historia Ecclesiastica, quàm in Historia Patrum recitari, ut vix sibi persuadeat ejusmodi delitia vero Theodoreto placuisse, Hæretici hominis ingenio dignum est, qui vitæ austerioris admiranda exempla, & miracula patrata à viris sanctissimis, deliria, fabulasque vocat, illudque à nugatoribus additum continuò clamat Scriptor nugacissimus, quod Calvinianis erroribus incommodum est. Sed quid mirum? *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt.*

Religiosa Historia, indubitatum Theodoreti Opus.

Rivetus castigatur.

II. Librum *de curandis Græcorum affectionibus*, cui Rivetus, eâdem vertigine, nonnulla esse addita effutiit, nec probare potuit, malè à nonnullis ejusdem furfuris Scriptoribus abjudicari Theodoreto, probat non modò styli convenientia cum aliis ejusdem Operibus, sed Theodoreti ipsius testimonium in Epistola ad S. Leonem, in qua indicem texens librorum suorum, istius inter cæteros meminit. *Scripsi quædam*, inquit, *contra Arianos, & Eunomianos, quædam contra Judæos & Gentiles, quædam contra Magos qui sunt in Perside, &c.* Et Quæst. 1. in Leviticum, cui titulus est: *Quâ de causa Deus offerri sibi sacrificia præcepit?* hæc habet: *De his diximus multis in locis, tum in his quæ contra Græcos scripsimus, & adversùs Hæreses, tum in iis quæ adversùs Magos.* Et ibi legere est compendium Sermonis 8. *de Sacrificiis*, ex lib. *de curandis Græcorum affectionibus.* Item Auctor ille Sermone 5. *de Natura Hominis.* Nomades Israëlitas, id est, Arabes, vicinos suos vocat: quòd mirè convenit Theodoreto, qui Cyri Episcopus erat, in confinio Persidis, non longè ab Arabia. Denique illius Operis Auctor ait se cum illis collocutum fuisse, qui Julianum apostatam vidissent: meminit persecutionis in Perside contra Christianos excitatæ antè 30. annos, quæ conveniunt tempori quo Theodoretus floruit. Is enim & proximo post Julianum sæculo vixit. Ejusdem persecutionis ante annos 30. Christianis illatæ meminit *lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 38.*

Liber de curandis Græcorum affectionibus, Theodoreto vindicatur.

Objici potest Photii & Nicephori silentium, qui cùm Theodoreti opera recenseant, hic in Historia Ecclesiastica, ille in sua Bibliotheca, hujus tamen libri non meminerunt. Verùm facilè diluuntur objectiones illæ. Nicephorus enim indigitavit satis illud Opus *lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 54.* ubi inter Opera Theodoreti recenset *Volumen adversùs hæreses omnes, quod Mendacii & Veritatis discrimen inscripsit.* Porro lucubratio illa complecti videtur & Scripta *contra Magos*, id est, contra Persas, qui elementa inter Deos referebant: quorum meminit ipse Theodoretus *lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 38.* & Scripta *contra Gentes*; quos Auctores sacri passim hæreticos, nuncupant. Nam & S. Epiphanius *lib. 1. contra Hæreses*, Græcismum, & Gentilismum velut primas hæreses recenset. Ita quidem respondet doctissimus Cardinalis Perronius. Sed evidens est Nicephorum solos Libros Hæreticarum Fabularum; & divinorum Decretorum Epitomem his verbis designasse, quibus Theodoretus communem esse titulum voluit: *Veri falsique distinctio*: ut patet ex ejus ad Sporacium Præfatione: nec tamen colligi potest ex Nicephori silentio istud non esse genuinum Theodoreti Opus, siquidem illud agnoscit Anastasius Nicænus Nicephoro antiquior, & laudat sextum librum Theodoreti *contra Gentes*, sive, quod idem est, *de curandis Græcorum affectionibus*: ac dimidiam fermè paginam ex eo exscribit, *Quæst. 8. in Scripturam.*

Photius verò *in Bibliotheca* non omnes libros recenset, qui suo tempore vulgati erant, sed illos duntaxat quos legerat, cùm in Assyria pro Imperatore Græcorum Legationem obiret. Id testatur ipse in Epistola Operis sui nuncupatoria ad Tarasium. *Cum primùm*, inquit, *ab universo Senatu, ipsoque adeo Imperatoris suffragio, Legatus in Assyriam delectus sum, eorum tibi Codicum petivisti argumenta describi, amantissimè Frater, quorum recitationi non interfuisses.* Præterea nec Theodoreti Commentarios in omnes S. Pauli Epistolas, in Isaïam, Jeremiam, Ezechielem, nec Philotheon, seu Historiam Religiosam recenset Photius, quas tamen lucubrationes esse Theodoreti extra omnem controversiam est.

III. Observandum est Historiam Ecclesiasticam à Theodoreto scriptam esse post Socratem & Sozomenum, & post celebrationem Ephesinæ Synodi. Nam in Epistola ad Eusebium Ancyranum, quam anno Christi 445. datam diximus, omnium Opusculorum suorum indicem texens, nullam Ecclesiasticæ Historiæ mentionem facit. Quam certè nunquam omissurus erat, si tunc edita fuisset in lucem, cùm ista scribebat. Præterea in libro 5. hujus Historiæ, cap. 3. Eutychetis opinionem jam tum cùm hæc scriberet,

Historia Ecclesiast. eo quo tempore à Theodoreto scripta & [illegible] quos Libros

T iij

scriberet, turbas in Ecclesia concitasse narrat. *Ex hac radice*, inquit, scilicet Apollinaris doctrinâ, *pullulavit in Ecclesiis opinio illa, unam esse naturam carnis, ac deitatis; & illa qua Unigeniti divinitati passionem attribuit, & alia plures, qua tum inter populos, tum inter Sacerdotes aliarum Provinciarum, magnam discordiam concitarunt.* Quibus verbis Eutychianos & Theopaschitas designat.

Denique cap. 36. ejusdem libri, de S. Joannis Chrysostomi obitu scribens, ait, Ejus Reliquias diu postea in Urbem Regiam allatas fuisse jussu Theodosii Junioris, qui tum regnabat. Porro corpus S. Joannis Chrysostomi Constantinopolim relatum est Theodosio XVI. Consule, ut testatur Socrates, id est, anno Christi 438. elapsis jam ferè annis 7. à Concilio Ephesino. Nestorianæ autem caussæ, & Synodi Ephesinæ Historiam de industria declinavit, ne tumultus ac perturbationes Ecclesiæ, quarum ipse maxima pars fuerat, commemorando, aut Sanctissimos Antistites offendere, aut semetipsum reprehendere cogeretur. Ideò bonum narrationem velut scopulum vitavit, ut notat Valesius in Præfatione.

Refellitur Gennadius

Gennadius decem Historiæ Ecclesiasticæ libros à Theodoreto scriptos esse asserit, exemplo Eusebii Cæsariensis, eosque à fine librorum Eusebii, id est, à vicennalibus Constantini, usque ad Imperium Leonis Senioris continuâ serie progredi; sed refellitur Gennadius auctoritate Evagrii, Cassiodori, Photii, Nicephori, qui libros tantum 5. Historiæ Ecclesiasticæ Theodoreti agnoverunt: imò & ipsius Theodoreti testimonio, qui in fine libri quinti disertè testatur, se Historiam suam claudere in obitu Theodori Mopsuesteni & Theodoti Antiocheni: eamque complecti res annorum quinque supra centum spatio gestas. *Quinque autem ac centum annorum spatio*, inquit, *res gestas hac Historia complectitur: ab Arii quidem vesania ducens exordium, desinens verò in obitu præstantissimorum virorum, Theodori atque Theodoti.*

Laudes quibus ibi Theodorum Mopsuestenum coronat Theodoretus, multùm ejus nomini detraxerunt honoris in Ecclesia: quamvis enim ab aliis Patribus sit laudatus, censoriam propterea notam non sustinuerunt, sicut Theodoretus: quia parem non incurrerunt de Nestoriana hæresi suspicionem, eâ nondum exortâ, vel ab iis acerrimè impugnatâ: sed cùm Theodoretus Nestorianæ hæreseos suspectus fuisset, ob summam cum Nestorio etiam à Synodo Oecumenica damnatô necessitudinem, & ob impugnationem XII. Capitulorum S. Cyrilli, vitio ipsi data est effusa nimiùm Theodori Mopsuesteni laudatio; qui Nestorii Magister fuerat, ipsumque pravas de Incarnatione Domini opiniones edocuerat. Hæc porrò habet de Theodoro: *Theodorus Episcopus Mopsuestia, totius Ecclesia Doctor, & qui adversus omnes hareticorum catervas strenuè decertaverat, vivendi finem fecit. Hic præstantissimi quidem Diodori auditor: divini autem Joannis socius atque adjutor fuerat. Ambo quippe ex spiritualibus Diodori fontibus simul hauserant.*

Theodoreti testimonium à S. Thoma confictum Rivetus mentitur.

IV. Notandum in Commentariis Theodoreti in cap. 3. Epistolæ 1. ad Corinthios, non haberi nec Græcè, nec Latinè testimonium, quod ex eo loco citat S. Thomas pro Fide Purgatorii confirmanda, *In Opusculo contra errores Græcorum*, his verbis: *Dicit Apostolus, quod salvabitur sic tanquam per conflatorium ignem purgantem quicquid intervenit per incautelam præterita vita, ex pulvere saltem pedum terreni sensûs, in quo tandiu manet, quandiu quicquid corpulentia & terreni affectûs inhasit, purgetur. Pro quo mater Ecclesia hostias & dona pacifica devotè offert; & sic per hac mundus priùs inde exiens, Domini Sabaoth purissimis oculis immaculatus existit.* Hæc non tantùm non leguntur loco à S. Thoma citato, sed nec ullibi reperiuntur apud Theodoretum: nec illa fuisse à Græcis detracta, suspicor cum Sixto Senensi, & Possevino; siquidem nullus hic apparet apud Theodoretum hiatus, sed omnia optimè sunt connexa. Nec videtur cur Græci potiùs ex Theodoreto hunc locum expunxissent, quam alia multò insigniora ex S. Joanne Chrysostomo, & aliis Patribus Græcis. Adde quòd nihil intererat Græcorum, hoc Theodoreti testimonium expungere, cùm Purgatorium & ipsi credant cum Latinis, & solùm à nobis de genere pœnæ Purgatoriæ, sive de qualitate illius, (ut Scholastici loquuntur) dissentiant. Existimo ergo S. Thomam cùm Theodoreti Opera præ manibus non haberet, nec habere posset eo tempore quo maxima erat penuria librorum, Codices aliquorum Auctorum habuisse, qui ante ipsum scripserant in quibus locus ille sub Theodoreti nomine descriptus erat: ex quorum fide ipsum laudavit. Quòd autem sic decepta fuerit docta simplicitas, nihil mirum. Castiganda est itaque impudentia Riveti, qui hæc à S. Thoma fuisse conficta mentitur.

Postrema duo capita libri 4. *Hæreticarum Fabularum*, non sunt Theodoreto imposita. P. Garnerius refellitur.

V. Vir Eruditione suâ satis notus, ex celeberrima Societate Jesu, qui Editioni P. Sirmondi quintum adjunxit Operum Theodoreti Tomum, existimat postrema duo libri quarti Hæreticarum Fabularum Capita, in quibus de Nestorio, & Eutyche agitur, subdititia esse. Ipsius hâc de re conjecturæ leviores sunt, quàm ut Eruditos moveant, quibus Codicum consensus, styli unitas, duorum illorum Capitum cum reliquo libro connexio, convenientia eorum, quæ de Nestorio ibi scripsit, cum ipsius Epistola *ad Sporacium*; quæ ante libros illos data videtur, & in caput penultimum Libri quarti transcripta: Theodoreti ipsius institutum, qui in Epistola nuncupatoria istius Operis *Ad Sporacium*, pollicetur se in 4. libro recentiores hæreses demonstraturum, Aetii, Eunomii, & quotquot post illas emerserunt, *Usque ad ultimam hanc*, id est, Eutychianam, *quam Dominus derepente funditus extirpavit*: Photii denique, & Theodori Abbatis auctoritas, persuadent hæc duo postrema capita tam esse Theodoreti, quàm cætera. Sic autem habet Photius in Bibliotheca Cod. 56. *Lectus Theodoreti Episcopi Cyri liber contra Hæreses, quotquot à Simone Mago ad ipsius usque jam confirmatam ætatem germinarant. Dedicat hunc Sporacio postulanti talia audire. Pergit porro usque ad Nestorium, ejusque hæresim, cujus miram fundit reprehensionem, ad Eutychianam quoque hæresim progrediens. In quinto vero libro, divinorum rectorumque dogmatum Epitome, comparatione cum Hæreticorum fabulis facta, quàm non confusum præ illis, sed sincerum atque irreprehensibile Catholicum Dogma sit, demonstrat.*

Theodorus verò Abbas, in argumento Synodi Ephesinæ ita scribit: *Quòd si quis nosse velit exosum valde Theodoreto fuisse Nestorium, librum de Hæresibus à Theodoreto ipso scriptum legat.*

VI. In Literali Scripturæ Sacræ sensu penetrando & explicando nemine Patrum inferiorem fuisse Theodoretum, ejus Commentaria probant. In Sanctorum Patrum lectione ac doctrina versatissimus fuit, ex quorum Scriptis se antiquarum hæresum fabulas collegisse profitetur. *Antiquarum porro hæresum fabulas*, inquit, *ex antiquis Doctoribus Ecclesia collegi: Justino Philosopho & Martyre, Irenæo qui Celticas gentes excoluit & illuminavit, & Clemente qui Stromateus dictus est, & Origene, & Eusebio, tum Palæstino, tum Phœnice, & Adamantio, & Rhodone, & Tita, & Diodoro, & Georgio, & aliis qui linguas suas contra falsitatem armarunt: & quæ sparsim ab illis scripta sunt, in ordinem redigam, & quæ prolixè dicta, paucis dicam.*

Idem constat ex Eraniste seu Polymorpho, in quo

Veterum

Veterum Patrum auctoritate Eutychianos urget, scilicet Ignatii Martyris, Irenæi Lugdunensis Episcopi, Hippolyti Episcopi & Martyris, Methodii Episcopi & Martyris, Eustathii Episcopi Antiocheni & Confessoris, Athanasii Episcopi Alexandrini & Confessoris, Basilii Episcopi Cæsariensis, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Hilarii Episcopi, Flaviani Antiocheni, Amphilochii Iconiensis, Joannis Chrysostomi, Theophili Alexandrini, Severiani Gabalitani, Attici Constantinopolitani, Antiochi Ptolemaidis, Cyrilli Alexandrini, & S. Augustini: quorum insignia testimonia describit.

Complectitur autem Eranistes, seu Polymorphus Dialogos tres, quorum primus inscribitur, *immutabilis*, quia Deum Verbum immutabile esse docet: alter, *Inconfusus*, quia duarum in persona Verbi naturarum unionem inconfusam esse probat: tertius, *Impassibilis*, quia nullis passionibus obnoxium Deum Verbum demonstrat. His annexus est quartus libellus, quo syllogismis idem argumentum versat ac exponit. In his Dialogis Collocutores duo sunt, *Orthodoxus*, qui caussam agit Ecclesiæ, & *Eranistes*, hoc est *Mendicus*, qui Eutychianorum partes tuetur, quorum hæresis sic à multis emendicatur, ut videatur similis mendici vestibus, quæ ex diversis pannis consarcinantur.

§. II.

Quô expenduntur testimonia Theodoreti, quibus Hæretici contra Fidem præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistia; & Transsubstantiationis, abutuntur.

CAlvinianæ Sectæ Scriptores, Albeteinus, Claudius, & alii, contra fidem præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistia hunc Theodoreti locum ex Dialogo 1. qui *Immutabilis* inscribitur, objiciunt. Orthodoxus his verbis Jacob, Genes. 49. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, probare vult Eranisti Corpus Christi stolam & pallium; Sanguinem verò Christi, sanguinem uvæ appellatum à sanctissimo Patriarcha. *Scis*, inquit Orthodoxus, *quòd vitem Dominus seipsum appellarit?* Respondet Eranistes: *Scio eum dixisse: Ego sum vitis vera.* Orthodoxus. *Fructus verò vitis pressus quomodo appellatur?* Eranistes. *Vinum nuncupatur.* Orthodoxus. *Quando autem Salvatoris latus milites lanceâ sauciarunt, quid inde manasse dicunt Evangeliorum Scriptores?* Eranistes. *Sanguinem & aquam.* Orthodoxus. *Sanguinem igitur uvæ, Salvatoris appellavit sanguinem. Si enim Dominus vitis appellatus est, & fructus vitis vinum appellatur, sanguinis verò & aquæ rivi ex Domini latere profusi per reliquum corpus deorsùm manarunt, jure omnino & appositè vaticinatus est Patriarcha: Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Sicut enim nos mysticum vitis fructum, post sanctificationem, Sanguinem Dominicum appellamus; sic vera vitis sanguinem, uvæ sanguinem nominavit.* Et infrà, Orthodoxus ita loquitur: *Salvator autem noster nomina permutavit, & corpori quidem id quod erat symboli nomen imposuit: symbolo verò quod erat corporis. Sic vitem seipsum qui nominavit, sanguinis nomen symbolo tribuit.*

Ex quibus Calviniani Ministri sic ratiocinantur. Eodem modo vinum sanctificatum appellamus Sanguinem Christi, quo Jacob sanguinem uvæ, id est vinum, Christi sanguinem nuncupavit: (ex Theodoreto) atqui Jacob vinum Christi sanguinem dixit metaphoricè, non propriè: igitur & vinum, post sanctificationem, Sanguis Christi metaphoricè tantùm, non propriè dicendum est.

Præterea, mutua non fuisset facta nominum mutatio inter symbola & Corpus ac Sanguinem Christi, si hæc essent reipsa Corpus & Sanguis Christi. Atqui nominum mutatio facta est inter symbola & Corpus ac Sanguinem Christi, ex Theodoreto: Igitur symbola non sunt Corpus & Sanguis Christi.

Hæreticorum Objectionibus respondetur.

Respondent Catholici Theologi ad primum argumentum, distinguendo majorem. Eodem modo vinum sanctificatum appellamus Sanguinem Christi, quo Jacob sanguinem uvæ, id est vinum, Christi sanguinem nuncupavit; ita ut similes sint hæ loquendi formulæ quantùm ad aliqua, concedo: quantùm ad omnia, nego. Theodoretus itaque has loquendi formulas in eo comparavit, in quo similes sunt: sed earum non ignoravit, imò satis innuit hoc in Opere differentiam. In eo autem conveniunt, quòd sicut Christus seipsum vitem veram, & frumentum appellavit, & Propheta sanguinem ipsius vocavit sanguinem uvæ: ita Christus symbola quæ naturâ suâ panis erant & vinum, corpus & sanguinem suum nuncupavit. Sicut ergo verum est quòd frumenti, vitis, vini nomina Christo suapte naturâ non conveniunt: ita verum est quòd panis & vinum, quæ Corporis & Sanguinis sui nominibus insignivit, suapte naturâ corpus ejus & sanguis non erant: At in eo different hi loquendi modi, quòd Christus nomen vitis & panis assumens, in panem & vitem non est reipsa mutatus, adeòque non effecit ut hæc sibi ex proprietate naturæ convenirent nomina. At pani & vino corporis & sanguinis sui nomina sic tribuit, ut illa in Corpus & Sanguinem suum reipsa mutaret: adeòque effecit ut reipsa Corpus & Sanguis suus esset quod Corporis & Sanguinis sui nominibus adauxit. At discrimen agnovit Theodoretus, siquidem Eranisti caussam permutationis nominum quærenti, sic respondentem inducit Orthodoxum: *Manifestius est scopus iis qui divinis Mysteriis sunt initiati. Volebat enim eos qui divinis Mysteriis participant, non attendere naturam eorum quæ cernuntur, sed per nominum mutationem, mutationi quæ ex gratia facta est, fidem adhibere.* Igitur fundamentum hujus permutationis nominum, esse mutationem, non in Christo, sed in symbolis factam, fatetur Theodoretus.

Id *Dialogo* II. clariùs exponit: *Intelliguntur autem* inquit, *ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Dic amabo, intelliguntur-ne symbola tantùm facta esse Corporis & Sanguinis Christi? Symbola-ne tantum & figuræ creduntur, & adorantur: Minimè: nam istum loquendi modum ex Liturgiis Theodoretum hausisse compertum est, in quibus Deo supplicabatur, ut panem & vinum faceret pretiosum Corpus & Sanguinem Christi sui, transmutante ea Spiritu Sancto, non verò ut symbola duntaxat & figuras corporis sanguinisque sui faceret; ut in SS. Basilii & Chrysostomi Liturgiis videre est. Idque ex ipso Theodoreto colligitur, *Dialogo* 1. in quo sic loquitur Orthodoxus: *Quoniam igitur constat & stolam, & pallium à Patriarcha Corpus Dominicum appellari, atque in sermonem de divinis Mysteriis ingressi sumus, dic per veritatem, cujus putas symbolum & figuram esse cibum sanctissimum? Divinitatisne Christi Domini, an Corporis & Sanguinis?* Respondet Eranistes: *Non dubium quin illorum, quorum & nomina acceperunt.* Tum Orthodoxus: *Corporis & Sanguinis dicis!* Eranistes, *Ita dico*, Orthodoxus. *Ut veritatis amicum decet, locutus es. Nam Dominus accepto symbolo non dixit, Hæc est divinitas mea, sed, Hoc est Corpus meum. Et rursus, Hic est Sanguis meus. Et alibi,* * *Panis quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita.* Eranistes. *Vera sunt hæc, divina enim sunt aracula.* Et Dialogo II. Eranistes quærit, *Post sanctificationem, quomodo hæc appellas?* Respondet Orthodoxus: *Corpus & Sanguinem Christi.* Tum Eranistes: *Et credis te Corpus Christi & Sanguinem percipere?* Orthodoxus: *Ita*

* …an 6.

Ita credo. Non itaque de solo nomine loquitur Theodoretus, cùm symbola vocari Corpus & Sanguinem Christi profitetur, sed de nomine quod ipsi rei & effectui respondeat.

Has itaque propositiones Christi: *Ego sum vitis vera, & panis vitæ; & Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, non comparat inter se Theodoretus quoad veritatem, aut quoad modum significandi: sed solùm ad eumdem scopum eas refert, ut scilicet evincat per *sanguinem uvæ*, in quo Jacob Messiam pallium suum loturum prædixit, Christi Sanguinem esse intelligendum.

Neque verò ex iis verbis Theodoreti, Dialogo 1. *Qui enim corpus naturale frumentum & panem appellavit, & vitem rursus se ipsum nominavit, iis visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam addens*: colligi potest (ut perperam colligunt Heterodoxi) nullam aliam fieri in Eucharistia mutationem, quàm additionem cujusdam supernæ virtutis ad symbola. Quis enim in sacra doctrina minimè peregrinus & hospes ignorat, nomine gratiæ interdum gratiam essentialem in sacra Scriptura & apud SS. Patres intelligi, ut ex eorum Commentariis ad illum Apostoli locum: *Gratia Dei gustavit mortem*, perspicuum est? Gratiam enim Dei, Christum Dominum exponunt. Itaque & Theodoretus his verbis, *Naturæ gratiam addens*, non virtutis alicujus additionem ad symbola, sed corporis Christi realem ad ipsa accessionem & sub ipsis exstantiam intellexit. Enim verò eam gratiæ additionem profitetur, quâ panis factus sit Christi corpus, & id credatur, & adoretur. Porrò id non facit accidentariæ virtutis accessio. Quis enim aquam baptismi, aut sacrum Chrisma, quibus virtus aliqua supernaturalis additur, facta esse dixerit Corpus & Sanguinem Christi, idque credi, & ut talia adorari: Illa itaque gratiæ additio, non extrinsecam duntaxat & accidentariam virtutem significat, Theodoreti sensu, sed gratiam subsistentem, id est, Christum ipsum, ejusque Corpus & Sanguinem.

Ad secundum Ministrorum ratiocinium respondent iidem Theologi Catholici, negando majorem. Illa namque permutatio nominum inter symbola, & corpus sanguinemque Christi, fundatur in mutatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi; ut ex Theodoreto supra ostendimus.

Instant Calviniani Ministri: Christus *visibilia symbola corporis & sanguinis sui appellatione honoravit*, ut loquitur Theodoretus. At hic loquendi modus nunquam usurpatur, nisi iis in rebus, quæ aliarum appellantur nominibus absque substantiæ suæ mutatione. Hinc virgam Moysis, serpentis nomine, aut aquam in Cana, vini appellatione honoratam, nemo rectè dixerit: at Regis simulacrum Regis nomine decoratum rectè dicitur.

Respondent Catholici Theologi, Symbola dici honorata corporis & sanguinis Christi appellatione, quia sub speciebus corpus & sanguis Christi præsentia reipsa fiunt, quâ ex præsentia fit, ut sacrum illud objectum, & Sacramentum ex corpore & sanguine Christi ac speciebus coalescens, corpus & sanguis Christi verè ac propriè nuncupetur; sicut Christus verè & propriè dicitur Deus ob conjunctionem personæ divinæ cum natura humana in ipso: alteriùs licet generis utraque illa conjunctio sit. Quòd autem virga, & aqua non dicantur serpentis, & vini nominibus honoratæ, non oritur ex mutatione substantiæ, sed ex eo quòd serpens, & vinum honorifica non sint nomina.

Addunt laudati Theologi, panem imaginationi nostræ velut destructum non repræsentari, sed velut ad statum sublimiorem provectum, qui proinde hâc honoratus provectione dici possit. Hinc Hildebertus Cœnomanensis Episcopus, quem non creditæ præsentiæ realis corporis Christi in Eucharistia, nemo insimulavit hæc habet:

Nescit, homo, latet & Superos, quò provehat escas
Gratia verborum, Mysteriumque Crucis.

Et alibi:

Sub cruce, sub Verbo natura novatur, & aram
Panis honorificat carne, cruore calix.

Eodem sensu Auctor Sermonis *de Dignitate Sacerdotum*, qui inter Opera S. Bernardi reperitur, ait: *Creator vini est qui vinum provehit in sanguinem.* Mirum itaque videri non debet, quòd panis consecratus imaginationi æquè ac externis sensibus, eodem modo repræsentatus ac ante consecrationem, dicatur à Theodoreto nomine corporis Christi honoratus, quamvis corpus Christi reipsa præsens sub specie panis agnoscat.

Objiciunt Calviniani & Lutherani contra Fidem Transsubstantiationis hæc ejusdem Theodoreti verba: Christus *visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adiens.* Et hunc locum ex *Dialogo* II. ubi Eranistes ex mutatione symbolorum in corpus & sanguinem Christi, colligit mutationem corporis Christi, post Ascensionem, in divinam substantiam. *Sicut ergo*, inquit, *symbola Dominici corporis & sanguinis, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem verò mutantur, & alia fiunt: ita Dominicum corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum est.* Cui respondet Orthodoxus: *Retibus quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & priùs.*

Respondent Catholici Theologi, substantiæ & formæ nomina analoga esse, & ad rei cujuslibet significandam essentiam usurpari, sive illa propriè substantia sit, sive accidens. Nam & accidentia essentiam suam habent. Proprietates & facultates naturales rei, substantiæ nomine significari plerumque. Sic Medicos dicere, quòd herbarum substantia in pharmaco maneat. Hoc sensu S. Hilarium *cap.* 10. *in Matthæum* dixisse, *In resurrectione futurum ut caro nostra refundatur in substantiam spiritalis animæ.* Quia nimirum virtus animæ, ejusque dotes, subtilitas, agilitas, impassibilitas, cum corpore glorioso communicabuntur. Ipsum Albertinum & Claudium Ministros de hac substantiæ significatione cum Cardinali Perronio convenire. Dissentire posse neminem, qui profanæ & sacræ Eruditionis penitus expers non fuerit. Hoc sensu dixisse Sapientem, Sapientiam sibi dedisse, *Ut sciret naturas animalium, & iras bestiarum.* (Cap. 7.) Hoc sensu Scripturam alibi de aqua dixisse: *Extinguentis sua natura obliviscebatur.* Hoc sensu de malis dici in libro Esther: *Ex sua natura cæteros æstimantes.* Hoc sensu Tertullianum *lib. de Anima* dixisse: *Aliud est substantia, aliud est natura substantiæ: substantia est lapis, ferrum: duritia lapidis & ferri natura substantiæ.* (Cap. 32.) Hoc sensu S. Hilarium lib. 10. *de Trinitate* de igne & corporibus in fornace Babylonica positis dicere quòd, *Naturam suam amiserunt.* Sic Ciceronem naturæ nomen usurpasse, cùm ait de Theophrasto: *Stirpium naturas persecutus est.* (Lib. 5. de Finibus.) Et cùm dicit: *Si aliquem nacti sumus, cum cujus naturâ moribus & vita congruamus.* Sic Virgilium, cùm de terræ fœcunditate loquens, ipsam terræ naturam vocat: *Quippe solo natura subest.* Sic Horatium, cùm ait: *Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.* Sic Theodoretus naturæ & substantiæ nomen usurpavit, cùm dixit, *Symbolorum naturam non mutari, ea non recedere à sua natura, & manere in priori substantia, & forma, & figura.* Id verba immediatè subsequentia demonstrant: *Et videri, & tangi possunt sicut priùs.* Hæc enim ad qualitates relativa sunt, non ad substantiam, quæ per se & immediatè nec videri, nec tangi potest.

Id-

Id ex Theodoreti consilio ac proposito eò loci evidentiùs demonstratur. Eutychianos impugnat asserentes, *Humanitatem* in Christo *post unionem à divinitate absorptam esse, sicut mellis gutta maris aqua permixta evanescit.* Saltem post resurrectionem, carnem Christi *mutationem in divinitatis naturam sortitam esse.* Contra probat Theodoretus, corpus Christi post Resurrectionem & Ascensionem, *Corpus esse pristinam habens circumscriptionem, visibilem ejus esse naturam*, verè *Corpus esse appellatum.* Quod petito ex Eucharistia argumento etiam confirmat. *Dic ergo*, inquit Orthodoxus, *Mystica symbola quæ Deo à Sacerdotibus offeruntur, quarum rerum sunt symbola?* Eranistes respondet: *Corporis & sanguinis Dominici.* Urget Orthodoxus: *Verine corporis, an non veri?* Eranistes: *Veri.* Orthodoxus. *Optimè. Oportet enim imaginis extare archetypum. Nam & pictores naturam imitantur, & eorum quæ videntur pingunt imagines.* Eranistes. *Verum est.* Orthodoxus. *Si igitur verum corpus repræsentant divina Mysteria, corpus ergo Domini nunc quoque corpus est, non in divinitatis naturam mutatum, sed divina gloriâ repletum.*

Ex Eucharistia pariter argumentum arripit Eranistes. *Opportunè*, inquit, *de divinis Mysteriis intulisti sermonem. Nam inde tibi est ostendam corpus Domini in aliam mutari naturam. Responde igitur ad mea interrogata.* Orthodoxus. *Respondebo.* Eranistes. *Quî appellas donum quod offertur ante Sacerdotis invocationem?* Orthodoxus. *Aperte dicendum non est; verisimile est enim adesse aliquos mysteriis non initiatos.* Eranistes. *Respondeatur ænigmaticè.* Orthodoxus. *Cibum ex talibus seminibus.* Eranistes. *Alterum verò symbolum quomodo vocamus?* Orthodoxus. *Commune & hoc nomen est, poculi speciem significans.* Eranistes. *Post sanctificationem verò quomodo hæc appellas?* Orthodoxus *Corpus Christi & sanguinem Christi.* Eranistes. *Et credis te corpus Christi & sanguinem percipere?* Orthodoxus. *Ita credo.* Eranistes sic colligit: *Sicut ergo symbola Dominici corporis & sanguinis, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem verò mutantur, & alia fiunt: ita Dominicum corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum est.*

Hoc Eutychiani ratiocinium: quod non tantùm omni veri specie destitutum esse oportet, sed ab insano capite profectum, & à Theodoreto tamen non solutum, si symbola solo nomine, figurâ, virtute, non substantiâ mutari, cum Eutychiani, tum Orthodoxi, & eorum nomine disputans Theodoretus, sentiret. Hic enim sensus esset ratiocinii, quod Eranisti Theodoretus tribuit: *Symbola Eucharistica nomine, figura, & virtute per consecrationem mutantur: ergo Dominicum corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum est.* In eo igitur dogmate Catholici & Eutychiani conveniebant, quòd substantialis esset post invocationem symbolorum mutatio: & hoc principio apud utrosque confesso, Eranistis argumentatio nitebatur. Huic respondet Theodoretus Orthodoxi nomine, suis ipsum retibus implicari, & institutam ab eo comparationem contrarium ejus probare quod pretendebat: quia sicut symbola panis & vini figuram servant, omnesque panis & vini retinent proprietates: ita corpus Christi formam, figuram, proprietatesque corporis servare colligendum est, ut imago archetypo respondeat. *Retibus quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figurâ, & formâ, & videri tangique possunt sicut & priùs: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum archetypo, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram similem esse veritati. Illud enim corpus priorem habet formam, & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam: immortale autem post resurrectionem, & immune à corruptione factum est, sedemque à dextris adeptum, & ab omni creatura adoratur, quia Domini natura corpus appellatur.*

Eò minùs autem mirari subit Theodoretum dixisse manere symbolorum naturam, & essentiam, licet Transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi cum tota Ecclesia crederet: quòd Scriptores longè recentiores, quos istius propugnatores dogmatis Calviniani agnoscunt, iisdem penè loquendi modis innoxiè usi sint. Nam Cardinalis Pullus Part. 8. c. 5. de Eucharistia sic loquitur; *Transit itaque substantia, sed remanet forma. Quamobrem non est sensuum delusio, sed vera Dei comprehensio, quòd cùm in Dominica Mensa sit solum caro & sanguis, nihilominus vini natura percipiatur.* Et Innocentius III. (*Lib. 3. Mysteriorum Missæ, cap. 9.*) *Naturales proprietates manent, ut paneitas.*

Contra responsionem Catholicorum sic urgent Calviniani Ministri. Orthodoxus ex comparatione Eucharistiæ colligit, in Christo post unionem non tantùm formam & figuram, sed ipsum corporis Christi substantiam esse superstitem. Non potuisset autem illud rectè inferre, nisi supposuisset in Eucharistia non tantùm formam & figuram panis, sed etiam ipsam panis substantiam remanere. Itaque Theodoretus Orthodoxi nomine contra Eranistem disputans, sensit remanere substantiam panis; & æquè substantiam usurpavit prout ab accidentibus distinguitur, cùm dixit; Symbola manere in priori substantia, & figura, & forma, & quando dixit; Corpus Christi habere priorem formam, & corporis substantiam.

Respondent Orthodoxi Theologi, distinguendo minorem: Non potuisset illud inferre immediatè, concedo: Mediatè, nego. Explicatur responsio. Eranistes Eucharistiæ exemplo usus fuerat, ut probaret substantiam humanitatis in Christo post unionem, aut saltem post Ascensionem, in substantiam divinitatis conversam fuisse. Orthodoxus sic argumentum retorquet. In Eucharistia non est tantùm corpus Christi, sed etiam accidentia panis & vini supersunt: Igitur in Christo post unionem non tantùm est divinitas, sed etiam proprietates & accidentia humanitatis: ac proinde ipsa naturæ humanæ substantia. Ubi enim sunt proprietates & accidentia humanæ naturæ, ibi & ipsa natura humana reperiatur necesse est. Nec possunt inesse personæ, nisi naturam aliquam afficiant. Divinam afficere non possunt: humanam igitur afficiunt. Proindeque ex proprietatibus & accidentibus naturæ humanæ superstitibus, mediatè inferebat Theodoretus superstitem esse ipsam naturam humanam. Et eò magis stringebat Eutychianos hæc argumentatio, quod inter proprietates naturales & substantiam corporis Christi discrimen nullum facerent, & manentibus proprietatibus naturam ipsam manere faterentur.

Contemni non debet, quod circa hunc Theodoreti locum observat doctissimus Cardinalis Perronius, Græca Theodoreti verba μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, sic meliùs reddi, *Manent enim in prioris substantia & forma, & figura.*

Objiciunt Calviniani ministri alium Theodoreti locum ex Dialogo 3. ubi cùm Eranisti probaret, passionem Christi corpori, non divinitati tribuendam, sic opponit Eranistes: *Corpus ergo nobis salutem procuravit.* Quasi ineptum esset salutem nostram in corpus velut in causam refundere. Huic objectioni Theodoretus Orthodoxi nomine respondet: *Non nudi hominis corpus, sed Domini nostri Jesu*

Christi unigeniti Filii Dei, nobis salutem procurare. *quod si parum tibi ac vile videtur*, inquit, *quomodo ejus typum venerabilem & salutarem existimas? Cujus autem typus adorandus est & salutaris, quî potest archetypum ipsum despici & extenuari?* Theodoretus, inquiunt, Eucharistiam cum Christi corpore, ceu typum & imaginem cum archetypo & exemplari componit: corpus Christi honore dignum colligens, si honore digna sit, quæ illius typus est, Eucharistia. Sensit itaque, aiunt, corpus Christi in Eucharistia non contineri, alioqui hanc cum illo minimè composuisset.

Respondent Orthodoxi Theologi, Theodoretum Eucharistiam, quatenus Christi corpus obvelatum speciebus Sacramentalibus continet, quâ ratione typus, imago, & figura appellatur, comparare cum Christi corpore secundùm se spectato, quod archetypum & exemplar hâc ratione dicitur. Hoc nempe probandum sibi sumit contra Eutychianos, Corpus Christi nobis salutem procurasse. Id conficit hoc medio: Eucharistiam, quæ typus est corporis Christi, salutarem & adorandam existimatis: multò magis igitur corpus Christi in seipso naturali modo existens, non sacramentali. Supponit igitur Theodoretus, Eutychianos de Eucharistia fateri, quod de corpore Christi concedere nolebant; ipsam scilicet eo modo nostræ salutis caussam esse, quô Orthodoxi id Christi corpori tribuebant. At fateri Eucharistiam caussam esse salutis sicut corpus Christi, est agnoscere ipsam esse verum Christi corpus. Siquidem propriâ duntaxat Verbi Dei caro vivifica est: ut Patres passim docent. Cæterùm Eucharistiam non simplicem typum corporis Christi Domini, sed verum ipsius corpus reipsa esse, disertè docet Theodoretus in Commentario Epistolæ ad Corinthios cap. 11. *Sacram illam*, inquit, *& omni ex parte sanctam noctem in memoriam eis revocavit, in quâ & typico Paschati finem imposuit, & verum typi archetypum ostendit, & salutaris Sacramenti portus aperuit, & non solum undecim Apostolis, sed etiam Juda proditori, pretiosum corpus & sanguinem impertiit.* Et infrà: *Illud autem, Reus erit corporis & sanguinis, hoc significat, quòd quemadmodum tradidit quidem illum Judas, ipsi autem insultarunt Judæi: ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum os immittunt.* Et infrà: *Conscientiam prapurgantes, ita simus divinorum Sacramentorum participes, ut bonum Dominum in nobis habitantem recipiamus.*

Denique quantùm Lutheranorum errori contra Fidem Transsubstantiationis incommoda sit Theodoreti doctrina, quàm adversa, Centuriatores Magdeburgenses agnoverunt, Centuria 5. cap. 10. *De Cœna*, inquiunt, *periculosè dicit: Symbola corporis & sanguinis Domini, post invocationem Sacerdotis, mutari, & alia fieri.* (*Dialogo* 2.)

ARTICULUS XXIX.

De Sancti Leonis Scriptis.

Sanctus Leo, Magnus cognomine, vitæ sanctimonia, gestisque juxta & scriptis rebus maximus, Romanus Pontifex, *Vir Apostolicus*, * *Orthodoxa fidei columna, vocis Petri interpres, Apostolicorum dogmatum defensor*, * *Apostolis coæquandus*: * varios Sermones scripsit, & in Ecclesia pronuntiavit, Christiana eruditione, pietate, facundia admirandos. Plures etiam scripsit Epistolas, quibus Catholicam veritatem asseruit, Ecclesiasticam disciplinam restauravit ac propugnavit, Canonum trangressores & contemptores coërcuit. Inter omnes Operum ipsius Editiones præstat illa quam accuravit P. Quenellius Congregationis Oratorii Sacerdos. Is meritò in appendicem rejecit Sermonem in Natali S. Vincentii Martyris, cujus Auctor Hispanum se prodit: & Sermonem, qui in aliis Editionibus secundus erat, in Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli, cujus initium est: *Exultemus in Domino*: Quia præter exordium, quod procul dubio non est S. Leonis, & quinque circiter lineas, quæ desumptæ sunt ex Sermone 2. in Anniversario illius Assumtionis, reliqua ex Sermone 3. in Anniversario ejusdem transcripta sunt. Sermonem 96. in Cathedra S. Petri, quòd cæteris accensuisset, pœnituit virum doctissimum, stylo maturiùs expenso, illumque tandem sanctissimo Pontifici abjudicavit.

Facundus l. 5. c. 3. Libellus Episcoporum 2. Syriæ ad Justinianum Imper. Relatio Concilii Chalcedon. ad summ S. Leonem. Libellus Synodicus cap. 89. & 94.

Sermones S. Leoni suppositi.

Epistolam de Chorepiscoporum privilegio, quæ in prioribus Editionibus erat 88. rectè abjudicavit S. Leoni idem P. Quenellius, cui hoc in judicio præiverant Morinus & Sirmondus; ex Heterodoxis verò Blondellus in suo Pseudo-Isidoro vapulante. Primum νόθείας argumentum est, quòd in antiquis Codicibus MSS. non compareat, sed tantùm in recentioribus quibusdam post Isidorianæ collectionis tempora exaratis. 2. Quòd apud antiquos Scriptores mentio hujus Epistolæ nulla exstet: eamque nullus seu Canonum, seu Pontificiorum Decretorum Collector ante Isidorum Mercatorem, seu ante 9. Sæculum, suis Collectionibus inseruerit. 3. Quòd stylus à Leonino prorsus abhorreat. 4. Quòd titulus S. Leoni sit insolitus: & quòd nexus Episcoporum Germaniæ cum Gallicanis, ætatem S. Leonis non sapiat, sed Caroli Magni, aut posteriorem. 5. Prima hæc Epistolæ verba S. Leone indigna, quibus cùm Synodum Romæ habitam describit, *Synodum* appellat *Episcoporum, sive cæterorum Consacerdotum, Christique Fidelium coadunatam*: quasi Laica plebs in Concilium admitteretur. Adde nomen Sacerdotis, S. Leonis ævo, nunquam tribui solitum Presbyteris absque additamento hujusmodi, *secundi ordinis, secundi gradûs, &c.* Taceo de fœdo solœcismo. 6. In hac Epistola citantur Canones Neocæsarienses: cùm nec à S. Leone, nec ab ejus Decessoribus, particularium Synodorum Canones citatos legamus; & Innocentius I. alios à Nicænis recipiendos non esse professus sit. 7. Canon 13. Neocæsariensis ea in Epistola ex Dionysii Exigui versione citatur, quam Leone Magno longè posteriorem esse nemo nescit. 8. Rabanus Maurus in libro quem *de Chorepiscopis* ad Drogonem Metensem Episcopum scripsit, ejus Epistolæ non meminit, quod argumento est eam esse supposititiam. Nunquam enim ille Chorepiscoporum caussam defendendam suscepisset, si eos damnasset S. Leo, neque hæc Epistola virum tam eruditum, & in Germania, quò missa dicitur, scribentem fugisset. 9. Epistola illa nihil aliud est quàm Canon septimus Hispalensis Concilii, cui exordium insulsum præfixit Impostor, ut Epistolæ imaginem indueret. 10. Adulterinam esse Epistolam clamat silentium Synodorum Parisiensis 6. & Meldensis, Nicolai I. in Epistola ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum, Capitularium Caroli Magni, & Ludovici Pii Impp. in quibus frequens Chorepiscoporum mentio occurrit, nulla Epistolæ S. Leonis, quam certè non omisissent. 11. Sunt aliqua in ea Epistola, quæ cum Ecclesiæ Romanæ consuetudine conciliari non possunt. *Sed neque*, inquit, *coram Episcopo licet Presbyteris in Baptisterium introire.* An non potius coram Episcopo, & cum Episcopo in Baptisterium introire, & ex officio baptizanti Episcopo adesse jubebantur? Ad has non attenderunt rationes viri eruditi, qui hanc Epistolam ut genuinam S. Leonis admittendam esse senserunt, Hallerius & Cellotius, in suo uterque Opere *de Ecclesiastica Hierarchia*, Petrus Aurelius adversùs Sirmondum scribens, Dionysius Petavius,

Epistola De Chorepiscoporum privilegio, non est S. Leonis.

In

In Notis ad S. Epiphanium, & D. Marca lib. 2. *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, *cap.* 13. &c. De aliis Operibus S. Leoni assertis à Quenellio, libris nimirum duobus *De Vocatione omnium Gentium*, & *Epistola ad Demetriadem*, diximus superiùs, ubi egimus de Scriptis S. Prosperi.

ARTICULUS XXX.

De S. Maximo Taurinensi.

SAnctus Maximus Taurinensis Episcopus Honorio & Theodosio Imperantibus floruit, Gennadio teste. Perperam in quibusdam editionibus Gennadii, pro voce *floruit*, *moritur*, adscriptum monet P. Labbeus in *Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Subscripsit Epistolæ Synodicæ Concilii Mediolanensis ab Eusebio illius Ecclesiæ Episcopo & Provinciæ Metropolitano celebrati, anno 452. In quo formam Epistolæ S. Leonis ad Flavianum secutus, Eutychianam hæresim cum Coëpiscopis suis damnavit. In Romanæ etiam Synodi sub Hilaro Papa celebratæ anno 465. Actis Maximum Taurinensem primo loco inter Episcopos commemorari certum est. Ad 25. Junii inter Sanctos colitur. Ejus Homiliæ elegantes editæ sunt. Inter Sermones S. Ambrosii & S. Augustini pleræque vagantur. Omnes pene recenset Gennadius in Catalogo Illustrium Virorum. *Maximus Taurinensis Ecclesiæ Episcopus, vir in divinis Scripturis satis intentus, & ad docendam ex tempore plebem sufficiens: composuit in laudem Apostolorum Tractatus, & in Joannis Baptistæ, & generalem omnium Martyrum Homiliam. Sed & de Capitulis Evangeliorum, & Actuum Apostolorum multa sapienter exposuit. Fecit & duos de S. Eusebii Vercellensis Episcopi & Confessoris Vita Tractatus, & de S. Cypriani speciale. De Baptismi gratia librum edidit. Scripsit de avaritia, de hospitalitate, de defectu Lunæ, de eleemosynis; de eo quod scriptum est in Isaia: Caupones tui miscent vino aquam, de Passione Domini; de Jejunio servorum Dei generali; de speciali Quadragesima, & quòd non sit in ea jocandum; de Juda Traditore, de Cruce Domini, de sepulchro ejus; de Resurrectione ipsius, de accusato & judicato Domino apud Pilatum: de Calendis Januariis. Scripsit etiam Homilias de Natali Domini, Homilias de Theophania, & de Pascha, & de Pentecoste multas; de hostibus carnalibus non timendis; de gratiis post cibum Deo agendis; de Pœnitentia Ninivitarum; & multas alias ejus Homilias de diversis causis habitas legi.* Quo Gennadii testimonio obstruitur os Heterodoxorum Criticorum qui Maximi Taurinensis Homilias incertæ fidei esse effutiunt.

ARTICULUS XXXI.

De Victorio Aquitano, & Idacio.

I. VICTORIUS AQUITANUS ab Hilaro S. Leonis adhuc Archidiacono, Summo posteà Pontifice rogatus, *Canonem Paschalem* edidit, quem ad annum usque 532. perduxit. Hujus meminit Gennadius *in Catalogo*.

II. IDACIUS Lemicæ in Gallæcia natus, Aquiflaviensis in eadem Provincia Episcopus, *Chronicon* scripsit Sæculo V. quod perduxit ad annum Christi 467. Anthemii Imperatoris secundum. Sub ejusdem nomine vulgati sunt *Fasti*, ab anno Urbis Conditæ 245. primisque Consulibus Bruto & Collatino, usque ad Consulatum alterum Anthemii Augusti anno 468.

ARTICULUS XXXII.

De S. Patritio, Fastidio, & Bacciario.

I. SANCTUS PATRITIUS Scotus genere, S. Martini ex sorore nepos dicitur ab iis qui res ipsius gestas scripserunt, & ab ipso primùm, deinde à S. Germano Autisiodorensi Episcopo institutus, & sacris Literis imbutus. A Deo vocatus ad Hibernorum conversionem; eamque in regionem cum Apostolica auctoritate missus à Celestino I. Romano Pontifice, verbi potentiâ, sanctimoniâ vitæ, miraculorum virtute, Gentem ad Christum convertit; & ex dæmonum domicilio Sanctorum Insulam effecit. Anno 491. ejus obitum notat Marianus Scotus in Chronico: quem multò tardiùs contigisse oportet, si verum est quod Probus Vitæ ipsius Scriptor asserit, eum ad annum ætatis suæ 132. vitam produxisse. Multa ab eo scripta idem Probus, & Balæus * recenset: sed pleraque tam illustri & sancto nomine perperam adornata nullus dubito.

* *In Catal. Scriptor Angliæ.*

II. FASTIDIUS Britanniarum Episcopus, scripsit ad Fatalem quemdam librum unum *de Vita Christiana*, & alterum *de servanda Viduitate*. De quibus Gennadius *in Catalogo*.

III. BACCIARIUS, seu BACCHIARIUS, quem Balæus Britannum facit, & S. Patritii discipulum, ac Macceum Vatem appellatum fuisse scribit: vir Philosophiæ Christianæ, nudus & expeditus, & ad vacandum uni Deo comparatus, peregrinationem religionis ergo suscepit: Hunnis, Pictis, & Scotis in Britanniam grassantibus, ut Balæus conjicit. Quô in discrimine ipsi vitio verterunt nonnulli recessum è patria cui prodesse posset, eumque turpis fugæ & ignaviæ accusarunt. Quamobrem apud Pontificem Urbis, S. scilicet Leonem, ut Balæus conjicit, se purgavit scriptâ Apologia, indicans se non timore hominum, sed Dei caussa peregrinationem suscepisse, ut exiens de terra sua & cognatione, Abraham Patriarchæ cohæres fieret. Inserta est Bibliothecis Patrum Epistola Bacchiarii ad Januarium, *de Lapsis recipiendis*.

ARTICULUS XXXIII.

De Gelasio Cyziceno, & Gelasio Papa.

§. I.

I. GELASIUS CYZICENUS, Cæsareæ in Palæstina Episcopus, tempore Zenonis Imperatoris, & Basilisci Tyranni floruit, anno circiter 476. Scripsit Historiam Actorum Nicenæ Synodi, de qua judicium tulimus in Historia Sæculi IV. *p.* 11. *Dissert.* 13. *Edit.* 1. De eo legendi, Photius Bibliothecæ *Cod.* 19. 88. & 89 Nicetas Choniates *lib.* 5. *Orthodoxæ Fidei*, *cap.* 6. Joannes Cyparissiota, *Decadis* 3. *cap.* 4. & *Decadis* 10. *cap.* 2.

II De Gelasio Romano Pontifice, ejusque Decretis, suprà cap. *de Summis Pontificibus* actum est. An ejus sit Liber *De duabus in Christo naturis contra Nestorium & Eutychetem*, expendimus cap. 5 Articulo 19. *De Patribus qui adversus Eutychianos & Acephalos scripserunt*. Superest expendendum an hujus Operis Auctor quisquis ille sit, dogmati Catholico de Transsubstantiatione panis & vini in Eucharistia contraria doceat: & aliqua sit ratio cur Heterodoxi illius auctoritate glorientur, ac triumphum sibi canant.

§. II.

De Gelasii doctrina circa Transsubstantiationem, & realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam.

CAlviniani & Lutherani Ministri Gelasium libro *De duabus in Christo naturis*, doctrinæ Transsubstantiationis disertè repugnare contendunt: & hæc illius verba in Catholicos contorquent jactabundi. *Certè Sacramenta quæ sumimus Corporis &* B *Sanguinis Christi, divina res est; propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini. Et certè imago & similitudo Corporis & Sanguinis Christi in Actione Mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & sumimus, ut sicut in hanc, scilicet in divinam transeunt Spiritu Sancto perficiente substantiam; permanent tamen in sua proprietate naturæ: sic illud ipsum Mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repræsentant ex quibus* C *constat propriè permanentibus, unum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrant.* Censet itaque Gelasius, inquiunt, substantiam panis & vini in Eucharistia remanere: aliàs argumento ex Eucharistia ducto non evicisset contra Eutychianos, duas in Christo manere naturas post Incarnationem.

Respondent Catholici Theologi, primò Gelasium & alios veteres Scriptores substantiæ nomen strictiori illo sensu, & pressiori significatione semper non accepisse, quo hodie in Scholis usurpatur, ut scilicet rem per se subsistentem, & accidentibus oppositam significat; sed vocis illius significationem ad ipsa accidentia per analogiam quamdam D extendisse; ut Res omnis substantia dicatur, quatenus distinguitur à nihilo. Quo sensu S. Augustinus Enarratione 1. in Psalmum 68. scribit: *Quod nulla substantia est, nihil omnino est; substantia ergo aliquid esse est.* Neque verò sanctus Augustinus & alii Patres accidentium solùm abstractè inspectorum essentiam substantiæ nomine designant, & substantiam dicunt albedinis, quam Scholasticorum vulgus barbarè vocat quidditatem; verùm etiam substantiæ nomen tribuunt qualitatibus nativis, & ab origine rei insitis. Quo sensu S. Augustinus loco mox laudato ait: *Porro autem quia* E *per iniquitatem homo lapsus est à substantia in qua factus est: iniquitas quippe ipsa non est substantia, &c.* Hoc etiam sensu S. Petrus Chrysologus Sermone 82. de dotibus corporis Christi gloriosis post resurrectionem ait: *Ut hoc sit mutasse substantiam, non mutasse personam.* Hoc denique sensu Gelasius Pontifex in Epistola ad Episcopos Piceni Provinciæ scribit: *Substantiam hominis peccato originali fuisse depravatam.* Quid mirum igitur si hujus Operis Auctor, sive sit ille Gelasius Papa, sive alter ejusdem nominis, naturæ panis & vini congenitas proprietates substantiæ & naturæ nomine designaverit? Atque adeò nihil voluerit aliud, cum scripsit non desinere substantiam, vel naturam panis & vini, quàm si dixisset, non desinere nativas panis & vini qualitates? F

Respondent secundò, Morem esse solemnem veteribus Scriptoribus Latinis alimentum substantiæ nomine significare. Hoc sensu apud S. Augustinum, *Sermone 5. de Natali Domini*, hæc verba ad Deiparam Virginem diriguntur: *Lacta Maria Creatorem tuum, lacta panem cœli, pretium mundi, post eò ut Mater temporalem illi ministra substantiam.* Eodem sensu S. Ambrosius lib. *De iis qui Mysteriis initiantur, cap. 8.* De Sacramento Eucharistiæ loquens: A *Vita, inquit, æterna substantiam subministrat.* Et *lib. 3. de Fide, cap. 7. Propterea, inquit, similis panis, quòd ex Verbi substantiâ substantiam virtutis manentis cordi & animæ subministret.* Cur ergo dici jure meritò non possit, Gelasium nihil aliud voluisse, quàm non desinere alimentum & facultatem nutriendi, quæ pani & vino naturâ inerat, Sacramentis in divinam substantiam Spiritus Sancti virtute transeuntibus, id est, in divinum alimentum, quod est Corpus & Sanguis Christi?

Præterea. Alio sensu explicari citatus locus non potest, nisi pugnantia loqui supponamus Gelasium. B In divinam enim transire substantiam dona proposita non possunt, nisi panis & vini substantia esse desinant. Omnis enim transitus duos terminos inter versatur, quorum deseritur unus, alter acquiritur, secundùm rectam Philosophiam. Cùm itaque Sacramenta, seu symbola transeant in divinam substantiam, necesse est ut terrenæ desinant esse substantiæ.

Neque enim verisimilis est Heterodoxorum Ministrorum responsio; Sacramenta dici in divinam transire substantiam, quia divinæ substantiæ mysticâ significatione junguntur. Nemo enim fuit unquam tam absurdus, ut signa in eorum quæ signifi- C cant, naturam aut substantiam transire affirmaverit. Quis unquam dixit, exempli gratia, aquam Baptismatis, aut Chrisma, quæ divinam substantiam significant, ipsum nempe Spiritum Sanctum, in divinam substantiam mutari? Quis agnum Paschalem in Christum converti? Avertendum insuper est quid addat Gelasius noster: *Transeunt in divinam Spiritu Sancto perficiente substantiam.* Quæ verba mirabilem quamdam indicant mutationem, quæ absque dexterâ Excelsi fieri non possit.

Respondent tertiò Catholici Theologi, necesse non esse ut similitudo undequaque accurata sit & D perfecta, sed satis esse, si aliquâ ex parte conveniat. *Nullum enim simile est idem*, inquiunt Jureconsulti & Philosophi. At non istud erat consilium Gelasii, in omnibus conferre unionem Eucharisticam Corporis & Sanguinis Christi cum symbolis in Sacramento, cum unione hypostatica divinæ humanæque naturæ in persona Christi; neque asserere conjunctionum istarum unam esse omnino alteri similem, alias enim causam ipse suam, vel contra Nestorium, vel contra Eutychetem, quos æquè impugnabat, profligasset. Necesse enim esset, vel ut unio Sacramenti & Corporis Christi in Eu- E charistia hypostatica esset, panis & vini, sicut & sacri corporis substantia superstite: quemadmodum naturæ duæ in Christi persona conjunctæ sunt utriusque manente substantia: atque ita non duas tantùm, sed tres in Christo naturas asseruisset Gelasius: nec Verbum duntaxat Incarnatum, sed etiam impanatum agnovisset. Aut necesse esset ut substantiâ panis in substantiam Corporis Christi re vera transeunte, natura humana pariter in divinam transiret substantiam. Quod si ita esset palmam tulisset Eutyches. Aut denique colligi posset divinam humanamque naturam reale fœdus non iniisse in persona Christi, quemadmodum Sacramentum & Christi Corpus naturali nexu non uniuntur. Quâ in hypothesi triumphum egisset Nestorius. In eo igitur posi- F ta est Gelasii comparatio, quòd sicut in Eucharistia Sacramentum fit reipsâ unum cum Corpore Christi, quia natura interna Sacramenti una substantia cum illo evadit, & naturalis nihilominus diversitas manet, quia natura externa Sacramenti à substantia Corporis Christi distincta superstes est: ita in Persona Christi fit unio Physica divinæ humanæque naturæ: manet tamen naturalis inter utramque distinctio. Id unum intendit Gelasius. Unde Nestorium non minùs quam Eutychetem feliciter confodit.

Urgent

Urgent Heterodoxi Ministri. Si in Eucharistia facta unione Corporis Christi & Sacramenti, forma tantùm externa manet, scilicet accidentia, eaque Gelasii sententia fuit; sequitur ex ejus ratiocinio solam formam & speciem externam humanæ naturæ post Incarnationem remansisse à natura divina distinctam: non verò formam internam, sive ipsam naturæ nostræ substantiam.

Respondent Orthodoxi Theologi, nequaquam id sequi. Imò ex eo quòd forma externa sit superstes, rectè colligitur naturæ humanæ substantiam post suam à Verbo assumptionem manere à natura divina distinctam. Res enim erat apud Eutychianos, æquè ac apud Catholicos confessa, nihil in Christo, post naturarum unitionem manere, quod personæ divinæ hypostaticè conjunctum non esset. Accidentia verò immediatè adhærere non posse Deitati, quæ incorporea est. Ex his porro principiis appositè colligebant Doctores Catholici, naturæ humanæ substantiam à substantia Deitatis distinctam post Incarnationem manere, cui accidentia illa externa unirentur, quæ Verbum immediatè afficere non possent. Contra Eutychianos ratiocinabatur Gelasius. *Si in Deitatem*, inquit, *ut putant humanitate transfusâ, vel in omni parte translata, desiit esse humana substantia: ergo aut humanitatis forma sine sui proprietate cessavit: aut si dicunt, in nuda Deitate forma lineamenta constare, quid aliud quàm Antropomorphitas convincuntur inducere; quos dudum Catholica talia somniantes damnavit Ecclesia? Nam si & substantia, & forma hominis Jesu Christi hac transfusione consumpta est; quis est quem vidit ad dexteram virtutis stantem S. Stephanus?*

Ita Missæ sacrificium appellatum.

Objiciunt Calviniani Ministri contra fidem præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, hæc Gelasii verba: *Imago & similitudo Corporis & Sanguinis Christi in * Actione Mysteriorum celebrantur.*

Respondent Orthodoxi Theologi, Gelasium & veteres Patres, Eucharistiam non vocasse *Imaginem Corporis Christi*, ut Corporis ejusdem sacratissimi veritatem ab illa excluderent, sed nomen illud imaginis retulisse ad diversum ejusdem Corporis adorandi statum, id est, spectasse corpus natum de utero Deiparæ Virginis, vel oblatum in ara crucis. Incarnationem sanè spectavit Gelasius, *Mysterium* scilicet *illud principale, cujus nobis efficientiam & virtutem Eucharistia repræsentat*, (ut ipse loquitur.) Incarnationem enimverò multis modis Eucharistia adumbrat. Primò, quia sicut Verbum divinum panis vivus & cœlestis, factum est caro: ita panis terrenus consecratione fit caro Christi. Secundò, quia sicut purissima Virginei sanguinis portio caro & sanguis humanus sive humanum corpus evasit, non hominis operatione, sed Spiritus Sancti virtute: ita substantia panis & vini fit Caro & Sanguis Christi, non operatione naturæ, sed Spiritus Sancti hanc mutationem perficientis, ut loquitur Gelasius, & operatorio Dei verbo. Tertiò, ut in Eucharistia duæ naturæ sunt, una externa quæ sensibus percipitur, scilicet accidentia; altera interna, quæ intelligitur & creditur, scilicet Corpus & Sanguis Christi; ita in Christo duæ sunt naturæ, una visibilis & manifesta; altera invisibilis & occulta. Hinc Auctor Sermonis *de Cœna Domini*, apud S. Cyprianum, ait: *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas. ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia.*

SCHOLION.

In hujus articuli paragrapho, pag. 680. Edit. primæ Religiosi Censores titulum ipsum sibi displicere significant: *De Fide Gelasii circa Transsubstantiationem.*

R. Gelasii doctrinam circa Transsubstantiationem, & realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, Fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ non repugnare; Heterodoxos hujus Scriptoris auctoritate, sive Pontifex ille fuerit, sive alter Author Ecclesiasticus, perperam gloriari ostendo; causam ago Ecclesiæ adversus Hæreticos. Quid tibi censoria animadversione dignum?

ARTICULUS XXXIV.

De Apollinari Sidonio.

CAJUS SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS, Patre Præfecto Galliarum natus Lugduni, Rhetorica ac Poëtica insigniter excultus, Papianillam Aviti Imperatoris filiam uxorem duxit, ex qua filium, duasque filias suscepit: Ab Anthimio Imperatore Urbis Præfectus, & Patricius creatus: Cathedram deinde Episcopalem Arvernensem sive Claromontanam adeptus est, defuncto Eparchio, anno 472. Quod Sacerdotium pari sanctimoniâ ac vigilantia, difficillimis temporibus administravit. Maxima in pauperes fuit charitate conspicuus, cujus adhuc Laicus exemplar fuerat; siquidem frequentiùs, insciâ conjuge vasa argentea è domo auferebat, & in pauperes erogabat, ut refert S. Gregorius Turonensis, *lib. 2 Historia Francorum, cap.* 23 Gothis Arvernum obsidentibus, & civitate in potestatem hostium deditâ, ab iis Legationis obtentu honorifico exilio affectus est. Tandem Ecclesiæ suæ restitutus, cùm inter Barbaros omnia sanctissimi Pastoris munia impleret, æmulis duorum Presbyterorum odiis vexatus, & ad maximas redactus angustias, illustria patientiæ documenta dedit. Domesticæ illius persecutionis Historiam legere potes apud Gregorium Turonensem, qui & divinam ultionem in seditiosos illos Presbyteros commemorat, quorum unus in secessu, Arii instar, viscera effudit: alter in convivio miseram animam efflavit. Tandem Aprunculo, divinâ quadam præsensione, designato Successore, ad Christum migravit 12. Kalendas Septembris anno 482. cùm vixisset annis circiter 56. Ipsius cum laude meminerunt Claudianus Mamertus, qui eum vocat *Eruditissimum virorum, & veteris eloquentiæ reparatorem*: Ruricius senior Lemovicensis Episcopus *in Epistolis*, Avitus Viennensis, *Epist.* 38. Gennadius *in Catalogo Virorum Illustrium*, Gregorius Turonensis, *lib.* 2. *Historia, cap.* 22. 23. *&* 24. Flodoardus, Sigebertus, Hugo Floriacensis, Honorius Augustodunensis, Petrus Cluniacensis, &c. In veteri Epitaphio, quod ex Codice Cluniacensi Sirmondus, & clarissimi Sammarthani Fratres descripserunt, *Tomo II. Gallia Christiana*, dicitur, *Nulli incognitus, & legendus orbi.* Gennadius ait ipsum scripsisse *Varia & grata Volumina, & sana doctrina: & inter barbara feritatis duritiem, qua eo tempore Gallos oppresserat, Catholicum Patrem & Doctorem insignem habitum fuisse.* Ejus Opera, id est Epistolarum libros novem, & Carmina 20. post Joannem Colutium & Joannem Savaronem in lucem edidit, ac Notis exquisitis illustravit Jacobus Sirmondus S. I. Professor.

ARTICULUS XXXV.

De Ænea Gazao, Victore Vitensi, & S. Eugenio Carthaginensi Episcopo.

I. ÆNEAS GAZÆUS, Sectæ Platonicæ Philosophus doctissimus, ad Christianam Fidem conversus, cadente 5. Sæculo floruit. Se vidisse enim Sanctos illos Confessores testatur, qui in persecutione Hunnerici Vvandalorum in Africa Regis, abscissis linguis expeditè loquebantur. Insignem composuit Dialogum, qui inscribitur:

Theophrastus de Animarum immortalitate, & corporum resurrectione: qui Bibliothecis Patrum insertus est.

II. Victor Vstensss in Africa Episcopus sanctissimus, in Vvandalica Persecutione pro Fide orthodoxa gravissima incommoda passus, ejusdem Persecutionis Historiam tribus Libris scripsit. Ejus memoria sacris Ecclesiæ Fastis inter Confessores adscripta est, die 23. Augusti. Vitensem dico cum Viris doctissimis Holstenio & Chiffletin, qui ita dicendum ex MSS. Codicum fide contendunt, quibus suffragatur vir etiam doctissimus Henricus Norisius *lib. 2. Historia Pelagiana, cap.* 21. id probans ex Notitia Episcoporum Africæ, qui sub Hunnerico Genserici successore persecutionem sustinuerunt. In ea namque inter Episcopos Provinciæ Proconsularis legitur *Florentinus Uticensis*. In Catalogo verò Episcoporum Provinciæ Byzacenæ hæc verba leguntur: *Victor Vitensis non occurrit*. Uticensis igitur Ecclesia spectabat ad Provinciam Carthaginensem, Vitensis verò ad Byzacenam: illi Florentious; huic verò Victor præerat, tempore Vvandalicæ Persecutionis. Hujus etiam Victoris est, *Ratio fidei à Victore Africono Episcopo reddita exigente Rege Hunnerico*, quæ libris tribus *de Vvandalica Persecutione* adnexa est.

III. S. Eugenius Carthaginensis Episcopus in Vvandalica Persecutione confessionis gloria præ cæteris insignis, claritate virtutum, & miraculorum celebris, Filii Dei divinitatem contra Vvandalos Arianos invicto animo propugnavit. De eo plura Victor Vitensis. Extat ad calcem Librorum ipsius *Confessio Fidei, & Sanctæ Trinitatis*, Eugenii Carthaginensis Episcopi nomine insignita. Ejus quoque cohortatoriam Epistolam ad Ecclesiam suam Carthaginensem, ut eam in recta fide confirmaret, & adversùs Arianorum persecutionem muniret, describit S. Gregorius Turonensis, *lib. 2. Historiæ Francorum*, cap. 3. De eo Gennadius in Catalogo Virorum Illustrium: *Composuit*, inquit, *librum Fidei Scripturarum sanctarum Sententiis communitum, & per Collegas confessionis suæ Hunnerico Regi porrexit. Asportandus in exilium, Epistolas velut commonitorias Fidei, & undus sacri & conservandi baptismatis, ovibus suis quasi Pastor sollicitus dereliquit. Altercationes quoque, quasi cum Arianorum Præsulibus per internuntios habuit, conscripsit, & Regi legendas per Majorem Domus ejus transmisit. Similiter & preces pro quiete Christianorum, eidem velut Apologias obtulit.*

ARTICULUS XXXVI.

De Gennadio Massiliensi.

Gennadius Massiliensis Presbyter, homo Semipelagianus, doctrinæ famam tempore Gelasii I. Pontificis Maximi consecutus, librum *de Viris Illustribus, seu de Scriptoribus Ecclesiasticis*, edidit, à Cassiodoro commendatum Opus, *lib. Divinarum Institutionum, cap.* 17. Elucubratum ab ipso est ante annum Christi 495. Nam de Theodulo in Cœlesyria Presbytero ait: *Moritur hic Scriptor ante triennium regnante Zenone*. Mortuus autem Zeno est anno 491.

Scripsit etiam Gennadius librum *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, qui in appendice Tomi III. S. Augustini habetur. Hic liber sub Gennadii nomine ab Hadriano I. in Epistola ad Carolum Magnum laudatus est, qui eum & *Sanctum*, & *Episcopum Massiliensem* appellavit. Huic libro inserta sunt plura capita, in quibus maximam Concilii Arausicani, & Carthaginensis partem legere est, à Capite 22. inclusivè usque ad 55. Dubitat Cardinalis Baronius an ista capita addita fuerint à Gelasio PP. ad quem librum suum misit Gennadius, vel ejusdem jussu ab aliquo alio. At laudatus Pontifex Gennadii librum nec emendare potuit, nec alteri ejus emendationem committere, quippe qui anno 496. obierit. Additio namque 54. capitum ex Arausicana Synodo, quæ sequenti Sæculo, anno 529. celebrata est, longè post Gelasium facta fuit.

Libros etiam octo adversùs omnes hæreses, sex adversùs Nestorium, tres adversùs Pelagium, & alios se scripsisse testatur in Catalogo, cap. 100. vel alius Auctor istius & præcedentis capitis, sed libri illi perierunt, aut alicubi cum blattis dimicant. Quæ ad librum S. Augustini de Hæresibus ad Quodvult-Deum tanquam appendices adjectæ sunt Hæreses quatuor, *Prædestinatiana, Nestoriana, Eutychiana, & Timotheana*, Gennadii fragmentum esse creduntur à Viris Eruditis.

Præter Scriptores Ecclesiasticos jam laudatos floruerunt 5. Sæculo, Petrus Edessenus Presbyter, Samuel ejusdem Presbyter Ecclesiæ, Gennadius Constantinopolitanus Episcopus, Theodulus in Cœlesyria Presbyter, Syagrius; Isaac, & Mochimus Antiocheni Presbyteri, Asclepius in Baiensi territorio Episcopus, Victor Cartennæ in Mauritania Episcopus, Voconius Castellani in eadem Provincia Episcopus, Cerealis Castulensis Ecclesiæ in Africa Episcopus, Servus Dei incertæ Ecclesiæ Episcopus; Joannes ex Grammatico Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter; Cyrus Alexandrinus Monachus, Paulus Pannonius Presbyter, Pastor Astensis Episcopus, Salvianus Massiliensis Ecclesiæ Presbyter, quem Gennadius *Magistrum Episcoporum* vocat, S. Honoratus Massiliensis Episcopus, & Musæus ejusdem Ecclesiæ Presbyter, quorum nomina & Opera Gennadius in libro de Viris Illustribus cum laude commemorat.

CAPUT V.

De Conciliis Nationalibus, & Provincialibus Sæculo V. celebratis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Concilio Toletano I.

Toleti * quæ Urbs est Hispaniæ Metropolis, civium numero & opibus potens, plurimorum celebratione Conciliorum illustris, cujus Archiepiscopatus Primarus honore adauctus est, celebrata fuit Synodus I. anno Christi 400. quo tempore adhuc Romæ sedebat Anastasius I. Honorius & Arcadius Imperium moderabantur, Stilico gerebat Consulatum. Variis ex Provinciis adfuerunt 19. Episcopi, præfuit Patronus. Habita est 7. Idus Septembris. Canones condidit 20. Primus incontinentes Diaconos à Sacerdotio, Presbyteros ab Episcopatu penitus arcet. Secundus, ex iis qui publicam egerint Pœnitentiam, Lectores, aut Ostiarios ordinari indulget, si hanc dispensationem postulet Ecclesiarum necessitas, aut consuetudo ferat; ita tamen ut Evangelia, aut Apostolicas Epistolas non legant. Qui autem ex ordine Pœnitentium Diaconi fuerint ordinati; in Subdiaconorum ordinem deprimi statuit, ita ut manus non imponant, nec sacra contingant. Tertius, Lectores, qui viduis nupserint, ultra Subdiaconatum promoveri vetat. Quartus, Subdiaconos secundò nubentes in Lectorum, vel Ostiariorum gradum dejicit; tertias verò ad nuptias convolantes, ad Laïcam Communionem detrudit, post biennii abstentionem. Quintus, Presbyteros, vel cujusvis gradus Clericos in civitate, vel quovis loco, ubi

* Toledo.

Synopsis Canonum.

Sacrificium quotidianum.

ubi est Ecclesia, degentes, *Si ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserint, Clericos non habendos decernit, nisi se emendaverint, & veniam ab Episcopo fuerint promeriti.* Ubi notandum, in Hispaniarum Ecclesiis Missæ sacrificium quotidie oblatum fuisse ante 5. Sæculum: non enim illa recens institutio. Sextus Canon puellas Dei, id est, sacras Virgines, Confessoribus, aut Laïcis sanguinis alieni familiariter uti vetat, aut convivia solas adire. Confessorum nomine juniores Clericos Concilium istud intelligit. Septimus, Clericos, uxores suas, si peccaverint, severiùs castigare jubet, & cum iis cibum sumere vetat, donec ad officium, actâ pœnitentiâ, redierint. Octavus, à Diaconatu eos arcet, qui post Baptismum militaverint. Nonus, Virgines sacras, Sanctimoniales, vel Viduas, absente Episcopo, vel Presbytero, *Antiphonas*, in suis domibus *facere*, id est, Horas Canonicas ritu solenni canere *cum Confessore, aut servo* prohibet: *Lucernarium* verò *extra Ecclesiam* cantari vetat, nisi Episcopo, Presbytero, vel Diacono præsentibus. *Lucernarii* nomine Vespertinum officium significatur, quòd deficiente die, accensis lucernis persolvebant. Decimus Canon, aditum ad Clerum intercludit iis, qui sui juris non fuerint, nisi Domini, vel Patroni consenserint. Undecimus, Potentes excommunicari jubet, qui Clericos, aut alios quosvis spoliaverint, sive res usurpaverint alienas, donec restituerint. Duodecimus, Clericos propriis ab Episcopis recedere, & aliis adhærere vetat. Decimus-tertius, Fideles qui nunquam ad sacram Communionem accedunt, in ordinem Pœnitentium ablegat. Decimus-quartus, eos ab Ecclesia velut sacrilegos propellit, qui acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserint. Decimus-quintus; excommunicationem decernit in eos, qui excommunicatos denuntiatos ac notorios non vitaverint, sed eos colloquio, aut convivio fuerint dignati. Decimus-sextus, Virginem, vel Sanctimonialem peccantem decennii Pœnitentiæ addicit: corruptorem pari pœnâ constringit: eam verò quæ nupserit, non admittendam statuit ad pœnitentiam, nisi vivente viro castè vivere cœperit, aut post ejus obitum. Decimus-septimus, conjugatos concubinam habentes arcet à Communione: non conjugatos verò pro uxore concubinam habentes, id est, mulierem uxorio quidem fœdere copulatam, sed minùs solenniter ductam, à Communione non repellit. Lege quæ de istius Canonis sensu diximus Dissertatione 29. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 1. Canon 18. Viduam Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, post mariti obitum nubentem, à Communione removet, ad mortem usque. Decimus-nonus, sacras Virgines, majorum Clericorum filias, quæ contra votum peccaverint, à patre, vel matre in affectum recipi vetat, sub amittendæ periculo Communionis. Vigesimus Canon, Presbyteros Chrisma conficere vetat, qui id aliquibus in locis, vel Provinciis usurpaverant. Diaconos chrismare prohibet: quod Presbyteris licitum ait, absente Episcopo. Quod de chrismatione Baptismali intelligendum, non de Confirmatoria.

Regula Fidei his Canonibus annexa, non pertinet ad Concilium Toletanum primum, sed ad aliud tempore S. Leonis celebratum.

Regula Fidei Catholicæ, cum anathematismis 18. Canonibus memoratis annexa, non pertinet ad Toletanum I. Concilium, sed ad posterius, quod S. Leonis tempore coactum est, anno 447. vel sequenti, sive Toleti, sive in alia Hispaniarum civitate. Id ostendit Epigraphe post Concilii istius Canones Regulæ illi Fidei præfixa in Editione Garsiæ Loaysæ: *Explicit Constitutio Toletani Concilii.* Quibus verbis illius Concilii Acta à sequentibus discerni perspicuum est. Sequitur verò continuò: *Incipit Regula Fidei Catholica contra omnes hæreses, & quam maximè contra Priscillianos, quam Episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, & Bætici fecerunt,*

A *& cum Præcepto Papæ Urbis Romæ Leonis ad Balconium Episcopum Galliciæ transmiserunt. Ipsi etiam & suprascripta viginti Canonum Capitula statuerunt in Concilio Toletano.* Vel sola Leonis Pontificis Romani mentio indicat, hanc Fidei Regulam non ad 1. Concilium Toletanum pertinere, sed ad aliud, 40. & ampliùs annis posterius.

Id confirmatur ex Concilio Bracarensi anno Christi 563. celebrato, ubi Lucretius Episcopus his verbis Synodum alloquitur: *Credo autem vestræ Beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscilliana Secta venena serpebant, beatissimus Papa Urbis Romæ Leo.... ad*

B *Synodum Galliciæ scripta sua direxerit. Cujus etiam præcepto Tarraconenses & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque & Bætici, facto inter se Concilio, Regulam Fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus Capitulis conscribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt.* Verba hæc perspicuè docent illam Fidei Regulam, quæ Toletanæ Synodo 1. annexa est, non in ea conditam, sed in alia S. Leonis tempore celebrata, relectamque post centum annos in Bracarensi.

Posteriorem partem annotationis Regulæ Fidei præfixæ post Canones Concilii Toletani 1. *Ipsi etiam*

C *& suprascripta Canonum Capitula statuerunt in Concilio Toletano*; putat Cardinalis Baronius ad Episcopos Concilii 1. Toletani referendam esse, malèque hûc translatam ab imperito scriba. Sed nullum est incommodum si intelligatur de Episcopis S. Leonis tempore congregatis, qui statuta olim à priore Synodo Decreta de novo statuerint, ad id corruptela in mores & disciplinam illius temporis invectâ adducti. De hac Fidei Regula lege P. Quenellium, in Dissertatione *De Libellis in antiquo Romanæ Ecclesiæ Codice contentis.* Rectè monet, hæc verba, quibus dicitur Spiritus Sanctus *a Patre, Filioque procedens*, additiria esse, & recentiorem primo illius

D Regulæ Autore manum prodere: nec in tribus optimæ notæ MSS. Codicibus haberi, scilicet Thuaneo, Oxoniensi, & Herovalliano. Sed solùm in iis legi: *A Patre procedens.*

ARTICULUS II.

De Synodo ad Quercum, contra S. Joannem Chrysostomum habitâ.

UT S. Joannis Chrysostomi caussam hac in Synodo judicatam, & iniquè latam in illum

E sententiam accuratè noscamus, res ab origine repetenda est & excitatæ in Sanctissimum Præsulem tempestatis aperiendæ causæ.

Palladius in Dial. de vita S. Joannis Chrys.

Alexandriæ degebat venerandus Presbyter, Isidorus nomine, à S. Athanasio quondam ordinatus, octogesimum agens ætatis annum, qui Romam Ecclesiasticorum negotiorum gratiâ non semel profectus, dum Alexandriæ peregrinorum susceptor esset, magnam sibi nominis celebritatem pepererat. Huic vidua quædam illustris mille aureos credidit piè dispensandos, adjurans eum ante altare venerandum, ut inde vestes pauperculis Alexandriæ mulieribus induendis coëmeret, inscio Theophilo: ne si id

F resciret, pecuniam illam comparandis impenderet lapidibus: quippe qui ædificiorum vehementi cupiditate agebatur. Isidorus pecuniam omnem, secundùm religiosæ Viduæ votum dispensavit. Re compertâ, Theophilus Isidoro irasci, fremere, perniciem ejus moliri. Post duos menses congregatis Sacerdotibus, Chartulam protulit, quam ab annis octodecim acceptam, se ex oblivione dicebat neglexisse, & fortè fortuna in scriniis suis reperisse recèns, quâ pessimi criminis accusabatur Isidorus. Actorem postulat accusatus: navigasse in remotas regiones

regiones Theophilus respondet: urget ille, hic tergiversatur, & dilatô in alteram diem judiciô, juvenem quendam pecuniâ corrupit, Isidorum, ut accusaret. Juveni mater dissuasit facinus: remque omnem aperuit Isidoro. Spe frustratus Theophilus, mutô judiciô Isidorum Ecclesiâ ejecit, gravia illum deliquisse pronuntians, ut Palladius refert. Pulsus Alexandriâ Isidorus, ad Nitriæ montem fugit, solitariam vitam, in quâ juvenis fuerat institutus, agere incipiens. Nec tamen ipsum à Theophili persecutione eatenus tutum fecit. Quin etiam in ejus odium Monachos exagitavit; qui illum ut sodalem receperant: & præcipuè quatuor Fratres virtutibus & meritis insignes, sibique antea charos, Ammonium, Dioscorum, Eusebium, & Eutymium. Illi Theophili iram mitigare, ipsumque conciliare Isidoro frustra conati. Furibundus Patriarcha propriis manibus torquem ferream venerabilis Ammonii collo injiciens, ejusque maxillas ac nares pugnis contundens, sic ipsum fremebundâ minacique voce alloquebatur: *Hæretice, anathematiza Origenem*: cùm adversùs Origenem nihil fuisset propositum, sed unum Isidori odium ipsum ad Monachorum persecutionem accenderet. Deinde reversos in cellas suas Fratres, confictis accusationibus obruit, damnavit, ex Asceteriis suis advocatô brachiô sæculari, expulit, atque Ægypto totâ. In Palæstinam primùm, deinde Constantinopolim secessere, Joannis Chrysostomi, qui Regiæ Urbis Episcopus erat, patrocinium implorantes, rogantesque, ut pro ipsis ad Theophilum sequester accederet. Illorum sortem miseratus Sanctus Antistes, speransque se illos Theophilo facilè reconciliaturum, ipsos hospitio excepit, sed ad Communionem non admisit, Canones veritus, qui ab uno abstentos Episcopo, ab aliis recipi prohibebant. Scripsit interim ad Theophilum in eorum gratiam, semel, iterúmque: sed Chrysostomi precibus victus non est, nec mitigatus ejus animus. Suis enim devotissimos consiliis Monachos quinque misit Constantinopolim, qui Libellos contra longos Fratres porrigerent, ipsosque calumniis opprimerent. Quamobrem celebres illi Fratres virorum quorumdam potentum freti patrocinio, anathemate præmisso in Origenianam hæresim, Libellum Joanni Chrysostomo contra Theophilum porrexerunt, gravissimis refertum querimoniis. Ipsos hortatus est Sanctus Antistes, ne adversùs Patriarcham suum litem moverent: de re gesta certiorem Theophilum fecit: incassum omnia. Rescripsit ad Joannem Theophilus in hæc verba: *Arbitror te non ignorare quid præcipiant Nicæni Concilii Canones, sancientes, Episcopum non judicare caussam citra terminos suos. Si autem ignoras, disce, & Libellos contra me suscipere desine. Nam & si judicari me opus sit, ab Ægyptiis magis, quàm abs te id fieri oportet, qui septuaginta quinque dierum itinere à nobis separatus es.*

Acceptâ, & lectâ Epistolâ, Joannes Chrysostomus utriusque partis Monachos ad pacem frustra est adhortatus: quam sibi inter ipsos conciliandam proposuerat. Neque eorum Libellos querimonisque aliô susceperat animô. Theophili enim se judicem esse non posse, secundùm Nicænos Canones, probè noverat. Longi Fratres nullam à Theophilo spectantes gratiam, ad Imperatorem Arcadium, & Eudoxiam, querimonias contra illum suas detulerunt: supplicáruntque, ut Monachorum ab ipso missorum Libelli & calumniæ, ab Urbis Præfectis examinarentur, illique probarent crimina, quorum ipsos accusabant, aut talionis pœnam subirent: Theophilus verò Constantinopolim adductus, Joannis judicio sisteretur. Existimabant enim caussæ cognitionem ab Imperatore posse Constantinopolitano Antistiti demandari, cùm caussa mixta esset, unò merè criminalis: de tyrannide enim Theophili, deque calumniis ab ejus Monachis in Fratres Longos: eorumque sodales confictis agebatur. Missus est Alexandriam Elaphius, Theophilum ut adduceret. Præfecti, Monachorum caussâ discussâ, eos qui à Theophilo missi erant, reos calumniarum compererunt. Illi, ut legum vindictam vitarent, crimen rejecerunt in Theophilum, qui illis calumniæ Libellos dictasset. In carcerem ad Theophili adventum usque detrusi, ipsô moras nectente, Proconesum exules deportati sunt.

Interim Theophilus damnandorum Origenis librorum specie, S. Epiphanium traxit in partes. Is ex insula Cypro solvens, Constantinopolim appulit. Refert Socrates ipsum in Basilica S. Joannis, quæ septem passuum millibus ab Urbe distat, Collectam celebrasse, & ordinasse Diaconum. Ipsi honoris caussâ S. Chrysostomus cum Clero obviam ivit, illumque ut in Æde Episcopali maneret, invitavit. Sed Epiphanius, cujus à Theophilo delusa fuerat simplicitas, occupatam pessimis præjudiciis adversùs Chrysostomum ostendit mentem, voluntatemque jam ab eo penitùs alienam, ejus siquidem urbanitatis & charitatis nullâ habitâ ratione, neque cum ipso congredi, nec apud illum manere voluit. Privatim verò convocatis Episcopis, qui tum Constantinopoli degebant, ipsis persuadere conatus est ut damnationi librorum Origenis subscriberent. Quod ab omnibus non obtinuit. Quin & Theotimus Scythiæ Episcopus palam reprehendit Epiphanium, quòd eâdem damnatione, quæ in Origenis libris Catholica essent, & Ecclesiæ utilia, involvere videretur. Joannes Chrysostomus Epiphanium reverentiùs atque amantiùs hortabatur, ut communi secum altari, domo, atque mensâ uti vellet. Respondit ille, Se neque ejus domo usurum, nec cum oraturum, nisi Origenis libros priùs damnasset, & Dioscorum unà cum sociis expulisset. Id nequaquam justum esse, ante cognitam caussam, Chrysostomus reposuit. Suadentibus deinde Joannis inimicis, decrevit Epiphanius in Ecclesiam Apostolorum se conferre, die quô Collecta agenda erat, & palam coram populo tum Origenis libros, tum Dioscorum, cæterosque Monachos ipsius sodales, tanquam Origenistas, anathemate damnare: ipsumque Chrysostomum velut illis addictum, perstringere. Id cùm exequi properaret Epiphanius, Serapio Diaconus missus à Joanne Chrysostomo, horum consiliorum ipsi patefactâ injustitiâ, & seditionis à populo excitandæ, in ejusque caput ruituræ periculô, ipsum ab imprudenti proposito avertit.

[Margin: Socrates lib. 6. cap. 11.]

[Margin: Sozomenus lib. 8. cap. 12. 13. & 14.]

Interea contigit ut Junior Theodosius adhuc puer graviter ægrotaret. Eudoxia Imperatrix, missô ad S. Epiphanium nuntiô, filium ejus precibus commendavit. Respondit ille, Victurum Principem, si Augusta Dioscorum & Monachos ejus sodales, utpote hæreticos aversaretur. Responsô duriore & parum prudenti offensa Imperatrix, suô nomine dici jussit Epiphanio, Deum vitæ filii sui esse Dominum, cujus voluntati se subjiciebat: cæterùm si mortuos ad vitam ipse revocare posset, Crispionem ejus Archidiaconum, qui paulò ante obierat, mortuum non fore.

Placuit interim Eudoxiæ, ut Ammonius, & ejus Fratres, Epiphanium adirent, virumque sanctum, sed nimiæ simplicitatis, à Theophilo deceptum, & in ipsos quasi in hæreticos commotum, discussis ab ejus mente falsitatis nebulis sibi conciliarent. Ab Epiphanio interrogati, quinam essent, responderunt, Se Fratres Longos esse, in quos tanta tempestas erat excitata. Rogavit Ammonius; utrum aliquando ipsorum cum discipulis congressus esset, vel eorum libros legisset. Nequaquam, inquit Epiphanius. Unde ergo, inquit Ammonius, nos hæreticos judicasti?

[Margin: Sozomenus lib. 6. cap. 5.]

judicasti? Id auditu se accepisse, bonus Episcopus respondit. Nos verò, inquit Ammonius, planè contrarium fecimus. Nam & discipulos tuos sæpe numero vidimus, & libros perlegimus. Cùmque multi vituperare te, & tamquam hæreticum calumniati vellent, nos pro Patre, uti par erat, pugnavimus, & causæ tuæ defensionem suscepimus. Proinde nec tu ex solò auditu absentes damnare debuisti, quos nequaquam tu ipse certis argumentis inductus conviceras. Tum ipsos lenius allocutus Epiphanius, dimisit: nec multò post navigavit in Cyprum, itineris suscepti pœnitens, sive imminentem præsentiens obitum. Ex vagis quibusdam rumoribus refert Sozomenus, Joannem Chysostomum Epiphanio prædixisse, illum in navigatione esse moriturum, nec Cyprum unquam ingressurum esse: Epiphanium verò prænuntiasse Joanni abdicationem Episcopatûs. Hanc fabulam meritò refellit Cardinalis Historicus, ostenditque S. Hieronymum anno sequenti 403. scribentem, S. Epiphanii velut adhuc superstitis meminisse, adeòque ipsum in urbem suam esse regressum, in eaque diem extremum obiisse. Unde citra injuriam S. Chrysostomi prædictiones illæ veræ dici non possunt. Falsus enim Propheta extitisset.

Felix Ephiphaoius, quem providentia divina Constantinopoli abduxit, ne conjurationis in Chrysostomum particeps esset. Vix enim secesserat, cum Acacius Beræensis, Severianus Gabalitanus, & Antiochus Ptolemaidis, cùm Theophilo, & Isaac Monacho vago fœderati, faventibus mulieribus nobilitatis primariæ, quæ severum sui luxûs ac vanitatis Censorem ferre non poterant, & ipsâ imprimis Eudoxia, in Chrysostomi perniciem conjurarunt. Constantinopolim inter hæc Theophilus appulit, cùm devotis sibi ex Ægypto & India Episcopis: quibuscum Asiaticos à Chrysostomo depositos, aliosque ejus hostes aggregavit. A sancto Antistite honorificè invitatus ut in domum Ecclesiæ se reciperet, superbè renuit, in Imperialem domum secessit, nec alloquio, vel congressu ipsum dignatus est. Trium quibus illic moratus est, hebdomadum spatiô, diu noctuque incubuit in quærenda media quibus Chrysostomum abdicaret, expelleretque. Profligatæ vitæ Clericos duos, quos ob crimina Sanctus Antistes ex Clero expunxerat, ejeceratque ex Ecclesia, haud difficulter adduxit ut Libellum varia accusationum, seu potiùs calumniarum capita continentem, quæ ipse dictavit, contra suum Episcopum offerrent. Inito deinde cum Episcopis conjuratis consilio in domo Eugraphiæ superbæ mulieris, visum ipsis est Imperatorem adire, ab ipsóque celebrandi licentiam Concilii rogare, in quo querimoniæ contra Chrysostomum gravissimæ audirentur. Id, agentibus Aulæ mulieribus, ab Arcadio facilè impetrarunt.

> Palladius in Dialogo.

Synodum itaque ad Quercum, Suburbium Chalcedonis anno Christi 403. Theophilus congregavit, cui triginta sex Episcopi adfuerunt, Palladio teste, penè omnes S. Chrysostomi inimici. 45. numerat Photius, sed Palladio testi oculato major adhibenda fides. Joannes Constantinopolitanæ Archidiaconus Ecclesiæ, à Synodo vocatus, præsto fuit; & in sanctum Archiepiscopum suum 29. accusationis protulit capita, non minori falsitate quàm insolentia; quæ hoc ordine recenset Photius in biblioteca, Cod. 59.

> Accusationum adversùs S. Joannem Chrysostomum summa capita.

Primum, quòd cum Chrysostomus, ob domesticum puerum verberatum, ejecisset. 2. Quòd Joannes quidam Monachus, ipso jubente verberatus esset, raptatus, ferreâque catenâ, dæmoniaci instar, constrictos. 3. Quòd pretiosarum rerum magnam vim divendidisset. 4. Quòd marmora, quæ Nectarius ornandæ S. Anastasiæ Basilicæ reliquerat, vendidisset. 5. Quòd Clericos verbis contumeliosis publicè excepisset. 6. Quòd S. Epiphanium delirum, & parvulum dæmonium appellasset. 7. Quòd Severiano struxisset insidias, incitatis contra ipsum * Decanis. 8. Quòd calumniis refertum librum in Clerum scripsisset. *. 9. Quòd totius Cleri habitô conventu tres Diaconos citasset, & quasi humerale ipsius, seu Episcopale Pallium furati essent, accusasset. 10. Quòd ordinasset Antonium violati sepulchri convictum. 11. Quòd Joannem Comitem in tumultu militari prodidisset. 12. Quòd ad templum procedens, aut ingrediens, Deum non oraret. 13. Quòd absque altari Ordinationes celebrasset. 14. Quòd unâ Ordinatione quatuor simul creasset Episcopos. 15. Quòd mulieres intus susciperet, solusque cum solis loqueretur. 16. Quòd hæreditatem à Thecla relictam, per Theodulum vendidisset. 17. Quòd de redituum Ecclesiæ dispensatione cum Clericis non ageret, sciretque nemo quos in usus impenderentur. 18. Quòd Serapionem accusatum, Presbyteriô auxisset. 19. Quòd viros omnibus Ecclesiis communione conjunctos, * in carcere mortuos, in quem eo agente detrusi fuerant, ne sepelire quidem curavisset. 20. Quòd injuriâ affecisset Acacium Beræensem. 21. Quòd Eutropium Eunuchum, Patritium, & primum Imperii Administrum, Porphyrio Præfecto relegandum tradidisset. 22. Quòd Venerium Presbyterum multis etiam affectum contumeliis, prodidisset. 23. Quòd sibi soli Balneum calefieri jussisset, ejusque adi uni aliis prohibuisset Serapion. 24. Quòd multos nullo fultos de vitæ & morum integritate testimonio ordinasset. 25. Quòd solus ederet, more Cyclopum vitam agens. 26. Quòd in judiciis Ecclesiasticis idem ipse judex esset, accusator, & testis. 27. Quòd cùm pugno contudisset Memnonem in Apostolorum Ecclesia, ita ut ex ejus ore sanguis manaret, sacra mysteria nihilominus obtulisset. 28. Quòd in throno exueretur, indueretur, & pastillum comederet. 29. Quòd pecuniam ordinatis à se Episcopis largiretur, ut iis uteretur administris ad Clerum persequendum.

> * Les Doyens [illegible]
>
> * Librum intelligit scriptum in Clericos, qui [illegible] adoptivis cohabitabant.
>
> * Monachos & Theophilo [illegible] intelligit. qui calumniarum convicti, Præfectorum sententiâ in carcerem conjecti fuerant & in [illegible] obierant.

Isaac etiam Monachus ille vagus, quem hujus Synodi Acta apud Photium falsò Episcopum vocant, & quem Baronius in Acacium transformat, novum adversùs Joannem Chrysostomum Libellum 17. Capitibus constantem Pseudo Synodo obtulit. Præcipua capita erant, quòd in Ecclesia docens blasphemasset, Christum orantem ideò non esse auditum, quòd, ut oportebat, non orasset. Quòd seditionis faces apud populum accenderet, etiam adversùs Syondum. Quòd aliorum invaderet Provincias, in iisque ordinaret Espiscopos. Quòd Monachos Origenistas fovisset. Nec illud omisit, quod allegaverat Joannes Archidiaconus: Illum, contra morem cæterorum Episcoporum, solum edere, nec Hospitibus paratam habere mensam, contra Christianæ, & Sacerdotalis charitatis leges. Hoc inter cætera accusationum caput diluit Palladius Helenopolitanus Episcopus in Dialogo de ejus Vitâ, multásque rationes affert, cur S. Antistes solus comederet.

His acceptis Libellis, Theophilus Synodi nomine Joannem Chrysostomum ad judicium vocavit. Ad quem cùm perlatum esset citationis instrumentum, Episcopi qui ipsi adhærebant, Theophilum recusarunt, his verbis ad ipsum rescribentes: *Noli Ecclesiæ negotia solvere, noli confundere ordinem, & ne scindas Ecclesiam, propter quam Christus descendit ad terras. Quòd si impatiens solvis Nicæni Concilii Canones, caussásque citra terminos tuos cognoscere vis, ipse ad nos transi in benè institutam civitatem, neque instar Cain Abel in campum provoces, ut nos te primùm audiamus. Habemus enim contra te Libellos capitum 70. apertas atque nefarias actiones continentes. Pluresque per Dei gratiam sumus, quàm Synodus tua, congregati, non ad eversionem Ecclesiæ, sed pacem. Nam tua quidem Synodus*

> S. Joannes Chrysostomus Theophilum Judicem recusat.
>
> Palladius in Dialogo.

triginta & sex habet Episcopos ex unâ Provinciâ : nos autem quadraginta sumus ex variis Provinciis, in quibus & septem sunt Metropolitæ, & necessario convenit pauciores à pluribus ac præstantioribus, secundum Canones judicari. Habemus enim & Epistolam tuam, per quam admones Coepiscopum nostrum Joannem, non oportere citrà terminos suos Episcopum judicare. Quocirca Ecclesiasticis obtemperans Legibus, accusatores tuos ora, ut à tuâ accusatione desistant.

Respondit & ipse pro seipso Chrysostomus his verbis : *Si quis proposuit contra me, vultisque veniam, manifestos inimicos meos conventu vestrô primùm abjicite, &c.* Recusavit nominatim Theophilum, quòd in Alexandria & Lycia palam dixisset : *In Comitatum proficiscor ut Joannem deponam* ; & quòd Constantinopolim adveniens, secum nec congressus esset, neque communicasset : quô agendi modo odium suum demonstraverat. Acacium verò, quòd dixisset, de ipso Chrysostomo loquens : *Ego ipsi ollam condio.* Severianum, & Antiochum ob facinora, & professas inimicitias. Paratum se esse coram legitimâ, imò etiam coram universali Synodo se sistere.

Dum hæc responsa ad Theophilum per tres Episcopos perferebantur ; Notarius Mandatum Imperatoris Chrysostomo denuntiavit, ut se coram Synodo sisteret, vel ad illam traheretur invitus. Evestigio, & duo Presbyteri ex ipso Clero Constantinopolitano ipsum nomine Synodi iterum convenerunt. Citatus est tertiò : ac tandem informi sententiâ damnatus, quam Constantinopolitano Clero denuntiari curarunt. De qua & Arcadium fecere certiorem, his verbis : *Quoniam accusatus Joannes quorumdam criminum, conscius que, adesse diluenda occurrere noluit, hujusmodi verò deponunt leges, id quod & passus est : continent autem libelli & læsæ Majestatis crimen, jubeat hunc Pietas vestra expelli, vel invitum, daturum tanti criminis pœnas. Nobis enim ista non licet inquirere.* Præsumptitium illud læsæ Majestatis crimen, erat comparatio Eudoxiæ Imperatricis cum Jezabele, & Herodiade, à Joanne Chrysostomo inter concionandum * facta, ut ipsi objiciebant.

S. Joannes Chrysostomus informi sententiâ damnatus.

Sermone antequam iret in exilium.

Impetrarunt ab Arcadio, qui uxoris suæ iræ impotenti serviebat, ejusque consiliô, sive (ut veriùs dicam) imperiô ducebatur, ut Joannem Chrysostomum ex Ecclesia & Urbe Regia pelleret in exilium. Ex quô paucos post dies revocatus est, agente ipsâ Eudoxiâ, quæ partim conscientiæ stimulis, partim terrore ex terræ motu conceptô, quo concussa erat Urbs Regia, quâ nocte S. Antistes in exilium deportatus est : partim seditionis popularis metu, rogavit Arcadium ut missô Brisone ipsum ab exilio revocaret. In Ecclesiam regredi, & in solio Episcopali sedere nolebat vir Canonum observantissimus, * *Ante judicium majoris Synodi, quo palam fieret, Episcopatum ipsi injustè ademptum fuisse.* Sed coëgit ipsum populus ad seditionem paratus, ut Synodi judicium præveniret. Quanquam necesse non esset ut rescinderentur Acta Synodi Prædatoriæ ad Quercum, cujus sententia vel solo auctoritatis legitimæ defectu nulla erat.

Theodoret. lib. 5. Hist. Eccl. cap. 35.

Sozomenus lib. 8. cap. 18.

Vix duo menses effluxerant, cùm argentea Eudoxiæ statua non longè ab Ecclesia S. Sophiæ dedicata est, ludique publici circa eam pro more celebrari. Frequentes choreæ, ac spectacula populum ab Ecclesiâ abducebant, psallentem turbabant Clerum, & ob Ecclesiæ viciniam, pietatem lædebant. Unde in Ludos illos S. Chrysostomus Apostolicô zelô declamavit. Hinc majori æstu succensa est Imperatricis ira ; multisque ex Syria, Cappadocia, Ponto, & Phrygia congregatis Episcopis, alterum contra S. Antistitem Concilium Constantinopoli haberi curavit. In eô nullum crimen ipsi objectum est. Id unum crimini datum, quòd depositus, absque majoris Synodi judicio in Episcopali solio consedisset. Prolati adversùs ipsum Antiochenæ Synodi Canones quartus & duodecimus, quos ille, ut ab Arianis editos ad opprimendum Sancti Athanasii innocentiam, nullius in Ecclesia auctoritatis esse respondit. Tandem anno 404. circa festum Paschatis, Antiochus Ptolemaidis Episcopus, aliique Episcopi in Joannem Chrysostomum conjurati, ab Arcadio obtinuerunt, ut ex Ecclesia & Urbe pelleretur. Deportatus Cucusum est. In ejus locum ordinatus Arsacius. Gravis ejus amicis & communicatoribus illata persecutio, inditumque illis sectæ nomen. *Joannitæ* enim appellati sunt. Ad Sedem Apostolicam per Epistolas confugit Chrysostomus, & Innocentii I. justitiam imploravit. Litteras S. Antistitis ad Innocentium descripsit Palladius in Dialogo de ejus Vita. Gravissimis Epistolis Theophilum Alexandrinum increpuit Innocentius, ipsique denuntiavit, se illum & Joannem Chrysostomum in Communionem recipere, usque ad judicium Synodi mox ad caussæ istius cognitionem cogendæ, in quâ ad Canones Nicænos totum negotium expendendum esset. Chrysostomum verò, & Clerum Constantinopolitanum suis litteris solatus est. Egit interim quicquid valuit apud Honorium Imperatorem ut Generale Concilium ab Arcadio Fratre, ad istius caussæ judicium impetraret. Eâ de re scripsit ad Arcadium Honorius : sed promovit nihil. Trienniô jam solidô exul Cucusi egerat Chrysostomus, cùm mortuô Arsaciô, Atticus in Sedem Constantinopolitanam intrusus est. Tunc nova in Sanctum Antistitem excitata persecutio, qui duriori damnatus exiliô est, & *Arabissum* deportatus. Quo ex loco ad Innocentium Romanum Pontificem alteram Epistolam dedit. Inde Pytiuntem locum penitus desertum, ripæ Pontici Maris imminentem relegatus, multisque in itinere afflictus malis, Comanæ obiit, in Ecclesia S. Basilisci Martyris, qui ipsi nocte præcedenti obitum prænuntiaverat, immortalemque gloriam.

Alterum contra S. Joannem Chrysostomum Concilium Constantinopoli celebratur.

Mittitur in exilium.

Ad Innocentium I. Romanum Pontificem appellat.

Mortuô S. Chrysostomo, vel abrupta, vel certè suspensa communio est inter Episcopos Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ, ut testatur Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus apud Palladium in Dialogo. *Est autem hæc*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ sententia, non communicare in finem usque Orientalibus Episcopis, maximèque Theophilo, donec Dominus universalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui ista gessere. Etsi enim dormit beatus Joannes, vigilat tamen veritas, de qua est facienda defensio.* Memoriam S. Chrysostomi egregiè fortitérque defendit S. Isidorus Pelusiota, * ut testatur Epistola quam de eô scripsit ad Symmachum, & altera ad S. Cyrillum Alexandrinum, qui hæreditario Theophili avunculi in S. Antistitem Constantinopolitanum odiô, nomen ejus aversabatur, ingratamque habebat ejus restitutionem in Ecclesiæ Dypticha factam ab Attico, ut Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam suspensa plusibus annis communio redintegraretur. S. Cyrillum ad saniora consilia revocavit Isidorus, * eumque adduxit ut pacificum erga S. Chrysostomum animum induceret, ejusque memoriam veneraretur. Lege S. Cyrilli Epistolam ad Atticum, tum inter ejus Opera, cùm apud Nicephorum *lib.* 14. *Historiæ Ecclesiastic.* cap. 27.

* L. 1. Epist. 152.

* Epist. 37. lib. 1.

Circa Historiam S. Chrysostomi, multa notanda sunt. 1. Fratres Longos, quorum occasione tota illa in S. Chrysostomum excitata est tempestas, Origenis Sectatores non fuisse, sive Origenis erroribus imbutos. Nam anathema ipsos dixisse erroribus, qui Origenis dicebantur, constat ex Dialogo Palladii : constat & ex Narratione Posthumiani in primo Severi Sulpitii Dialogo. Sed Origenis tantùm Defensores erant, & prava quæ in ipsius libris notabantur dogmata, *Ab hæreticis fraudulenter*

Fratres Longi an Origenistæ ?

dulenter inserta dicebant : & ideo non propter illa quæ in reprehensionem meritò vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cùm legentium fides facilè posset habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen catholicè disputata teneret. Istos tamen Monachos, propter pertinaciam in defendendo Origine, & in retinendis ac legendis ipsius libris, contra prohibitionem Episcoporum, *quibus* hac etiam in re *parere debebant*, ut ait Posthumianus noster, Origenianorum errorum jure suspectos fuisse fatendum est.

Theophili impugnat.

Notandum secundo, laude dignissimum fuisse Theophilum quòd Origenis errores, ejusque Sectatores veros aut præsumptos impugnaverit : ut Dissertatione 17. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 3. probavimus: sed maximè reum fuisse, ob persecutionem in S. Chrysostomum excitatam, ob ejus depositionem, & exilium malis artibus procuratum, ob usurpatam extra suas Diœceses auctoritatem, conculcatosque Nicænæ Synodi Canones; ob servatum odium in virum sanctissimum etiam inter Cœlites receptum, ejusque lacessitam memoriam Libro maledicentissimo; cujus fragmentum posteritati reliquit Facundus lib. 6. cap. 5. *Fratres*, (inquit Theophilus, referente Facundo) *Joannes persequitur immundo spiritu, quò suffocabatur Saul.* Et iterum: *Sanctorum ministros necavit.* Dicit *Illum contaminatum, & in Ecclesiâ primitivorum impium, pestilentem, vesanum, & tyrannica mentis insania furibundum, atque in suâ vesaniâ gloriantem, animam suam adulterandam tradidisse diabolo.* Vocat illum etiam, *Humanitatis hostem, & qui scelere suô latronum vicisset audaciam, sacrilegorum principem, & Sacerdotium agentem impium, atque oblationes sacrilegas offerentem: procacem, & frontis durissimæ.* Hoc quoque adjiciens, *Quòd non his Joannes laqueis irretitus tenetur, qui possint aliquando dissolvi, sed qui audiret pro merito flagitii sui comminantem Deum, atque dicentem: Judicate inter me & Joannem. Expectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem, & non justitiam, sed clamorem.* Dicit etiam, *Quia sicut Satanas transfiguravit se in Angelum lucis, ita etiam Joannes non esset quod videbatur.* Nec tantùm *similem Satanæ*, sed *immundum dæmonem* eum appellat. *More torrentis trahentem verborum spurcitiam.* Quem *& in Christum perhibet impium extitisse, & Judæ traditoris esse consortem.* Addidit etiam, *Quòd arguatur in Deum manus impias extendisse*; & quod Jacobus Apostolus de quibusdam rerum mundanarum cupidis dixit *Petitis, & non accipitis eò quòd male petitis*; hoc Theophilus beatum Joannem asserit dixisse de Christo. Adjicit etiam hoc: *Ariani & Eunomiani contra Christum Joannis blasphemiis delectantur: Judæi, & Idololatræ justificati sunt tua comparatione.*

Et iterum dicit: *Non solùm non est Christianus Joannes, sed pejor est Rege Babylonio, multò sceleratior quàm Balthasar, Idololatris & Ethnicis sceleratior est Joannes. Tibi*, ait, *præsens ignominia, æterna in futuris sæculis pœna redditur.* Hoc quoque visum est Theophilo dicere, *Salvator clamavit, & dixit: Tollite Joannem, & mittite in tenebras exteriores.* Et iterum: *Largissimos fontes ante tribunal Dei suo ministravit incendio.*

Addit Facundus: *Si quis autem experiri voluerit, quod non sententias tantùm, verùm etiam ipsa verba posuimus, & nosse quoties hæc ab illo replicata sunt, legat enormem librum, non solùm contumeliis, sed ipsa quoque sæpe repetitâ maledictorum recapitulatione nimis horribilem ab Hieronymo Presbytero translatum. De quo idem beatus Theophilus expectavit, ut per ejus eloquium, qualis Joannes fuerit, Latini cognoscerent. Nos autem*, inquit, *in illo libro, non qualis Joannes, qui nihil horum merebatur, nec qualis Theophilus, cujus virtus in multis probata, non ex isto accedenti morbo judicanda est, sed potiùs qualis sit miserabilis humana vita cognoscimus, de qua scriptum est:* * *Quia tentatio est super terram.* Job. 7.

Id confirmatur ex S. Isidoro Pelusiota, *Epistolâ ad Symmachum* quæ est 152. lib 1. *Vicina Ægyptus*, inquit, *hoc semper in more habuit, ut inique ac perditè se gereret: Mosem videlicet repudians, & Pharaonem asciscens: humiles ac demissos flagris lacerans, laborantes opprimens, Urbes extruere jubens, & mercedem negans, atque ad hoc usque tempus in iisdem studiis hærens. Siquidem insano lapillorum amore flagrantem, atque aurum pro numine habentem Theophilum, quatuor sociis, imò coapostatis septum ac munitum, in medium proferens, pium Virum, ac divinarum rerum doctrinâ præditum expugnavit: odium videlicet atque inimicitiam adversùs eum, qui eodem, quo ego, nomine appellatur, improbitatis atque importunitatis suæ, velut propugnaculum nactus.*

Pallad. in Dialog. Theodoret. lib. 5. cap. 34.

Iniqua & illegitima Synodi ad Quercum sententia.

Notandum tertiò; Sententiam Synodi ad Quercum illegitimam fuisse & iniquam. Tum quia Constantinopolitanæ Sedis Episcopus ab Episcopis Ægypti judicari non poterat: cùm illorum potestas Ægypti finibus coërceretur, & Alexandrinus Episcopus extra Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, jus nullum haberet; tum quia Theophilus, Severianus Gabalitanus, Acacius Berœensis, Antiochus Ptolemaidis, conjurati S. Joannis Chrysostomi hostes, & alii ab ipsis decepti, vel corrupti, in memoratâ Synodo judices sedebant: quos ipse ob professas inimicitias jure meritòque recusaverat. Testiò, quia ejus accusatores & testes homines erant nequissimi, & à Theophilo, aliisque Episcopis conjuratis conducti & subornati. Quartò, quia calumniis oppresserunt Sanctum Episcopum. Quintò, quia inconsultâ Romanâ Sede ipsum deposuerunt, & alium in ejus locum Episcopum ordinarunt, contra veterem Ecclesiæ disciplinam & consuetudinem, cujus ob violationem in S. Athanasii caussa, Julius I. Orientales Eusebianos arguit in Epistola ad ipsos datâ.

S. Joannes Chrysostomus Romanum Pontificem appellavit.

Notandum quartò, S. Chrysostomum appellasse Innocentium I. Pontificem Maximum, ut probavimus *In Dissertatione de Jure appellationum, in Histor. Eccles. Sæculi IV.* Quamvis eam appellationem judicari decretoriô judiciô voluerit in Synodo Oecumenica prudentissimus Pontifex, omnemque dederit operam ut ea congregaretur; propter periculum schismatis imminens, si cum solis Italiæ, aut totius etiam Occidentis Episcopis caussam tam gravem judicaret. Cùm enim Orientalium maxima pars Episcoporum, Arcadius Imperator, & Eudoxia Imperatrix, Chrysostomum ut legitimè depositum haberent, Arsaciumque, ac deinde Atticum in ejus Sedem intrusos, ut legitimos Antistites Constantinopolitanos venerarentur, timendum erat, ne Orientis Ecclesia communionem cum Occidentali penitus abrumperet, si Romanus Pontifex Arsacium, ac deinde Atticum invasores Constantinopolitanæ Sedis in ordinem redegisset, ac in Theophilum, aliosque Episcopos ipsi nequitiâ & iniquitate consiliorum fœderatos, Canonum quos impunè violaverant, severitatem distrinxisset: sed provisoriô nihilominus Decreto Synodum prædatoriam ad Quercum rescidit Innocentius: Ac tandem decretoriô, cùm Oecumenicæ Synodi celebrandæ nulla spes superesset, Orientales compellens ad memoriam Joannis Chrysostomi inter Constantinopolitanos Episcopos in Ecclesiæ Dyptycha restituendam, nec priùs suspensam redintegrans cum Orientalibus communionem, quam id executioni mandassent.

Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali suspensa potiùs quàm abrupta communio.

Notandum quintò, communionem Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali suspensam potiùs fuisse quàm abruptam, nec ad Schisma usque negotium illud processisse: sed solùm Formatarum Literarum fuisse interturbatum commercium. Id multis evincitur momentis. 1. Quia id innocentiæ suæ defenso-

X ij tibus

ribus Episcopis S. Joannes Chrysostomus impensè commendaverat, ne communionem cum ejus persecutoribus abrumperent, & cum eo qui suam in Sedem intrudendus esset, ut Palladius testatur. *Communicate*, inquit, *ne scindatis Ecclesiam; verum nolite subscribere.*

Secundò, Innocentius I. Romanus Pontifex, totô illius dissensionis tempore Theophilum Alexandrinum *Fratrem* vocavit, seque communionem cum illô non abrumpere disertè significavit, ad illum scribens his verbis: *Frater Theophile, nos & te, & Fratrem nostrum Joannem, communionis nostræ esse decrevimus: sicuti & in prioribus literis satis apertè expressimus.*

Tertiò, solâ missione Legatorum, & Formatarum Literarum, redintegrata communio est Orientales inter & Occidentales; ut colligitur ex Epistola 19. Innocentii I. ad Acacium Berœensem data. *Unde has ad præstantissimum Fratrem & Coepiscopum nostrum Alexandrum reddendas tuæ transmisimus Unanimitati, videlicet ut si omnis inimicitia, omnis æmulatio, tam de nomine S. Joannis mirandi Episcopi, quàm de omnibus ejusdem communionis participibus, à tuâ animositate decessit, has nostræ societatis recipias literas, Frater charissime.* Idem colligitur ex Epistola 17. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum datâ. *Scripta*, inquit, *Attici Episcopi, quoniam cum vestris sunt porrecta, suscepimus, ne per vestram injuriam ille, qui à nobis suspensus fuerat, repudiaretur. Et tamen satis abunde, quæ in Actis statuimus, sicut dignanter relegere procurabis, quid in ejus persona debeat custodiri, ut si per omnia vestris consiliis, actibusque tam sanctis se rogaverit esse communem, præstetur Seni favore vestrô, nostrôque judiciô, communionis atque literarum à nobis gratia proroguta.*

Quartò idem colligitur ex Theodoreto lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 34. *Cæterum*, inquit, *hanc injustitiam* (in S. Chrysostomum admissam) *præcipuè detestati sunt Episcopi Europæ. A communione enim eorum qui hæc fecerant, seipsos separarunt. Illyriciani quoque omnes eorum partibus sese adjunxerunt. Orientalium verò Urbium quamplurimi communionem quidem sceleris refugerunt: corpus tamen Ecclesiæ haudquaquam disciderunt. Et post mortem magni Doctoris orbis terrarum, Occidentales Episcopi, Episcoporum Ægypti & Orientis, ac Bosphori & Thraciæ communionem non prius admiserunt, quam divini illius Viri nomen unà cum reliquis fato functis Episcopis consignassent. Et Arsacium quidem, qui post illum ordinatus est, ne salutare quidem dignati sunt. Atticum verò Arsacii successorem, qui multas ad ipsos Legationes miserat, & pacem cum ipsis habere postulaverat, tandem susceperunt, postquam is nomen illius in sacras Tabulas retulisset.* Solam igitur commercii, Legatorum, Formatarumque suspensionem dissensio illa adjunctam habuit, non anathematis inflictionem. Hinc Occidentales totô dissensionis illius tempore cum iis Communionem fovebant, qui Orientalibus erant communione conjuncti; atque ita mediatè cum ipsis communicabant Orientalibus. Hinc Theophili, Arsacii, aliorumque nomina ex sacris Dyptichis expungi non jussit Apostolica Sedes.

Ista tamen Communionis suspensio, & partialis (ut ita loquar) excommunicatio, non leve malum erat: unde tenebantur Orientales communionem Sedis Apostolicæ & Occidentalis Ecclesiæ, studiis omnibus, votis, conatibusque promereri; ne maximis ejus fructibus diutius privarentur: ut ostendunt verba illa Innocentii I. Epistola 14. ad Bonifacium Presbyterum, de pace Antiochenæ Ecclesiæ scribentis: *Cui res nos noveris tradidisse manus, & eos in nostra viscera recepisse, ne diu membra, quæ requisierant sanitatem, ab unitate corporis haberentur aliena.* Illa Communionis suspensio in Orientalibus ipsis Ecclesiis gravius malum visa est, & schismati propius, ut discimus ex Palladio. Qui enim S. Joannis Chrysostomi defensionem susceperant, ipsique ut Episcopo communicabant Antistites, & plebs Constantinopolitana, Attici communionem ita aversati sunt, ut parum abfuerit, quin dissensio in schisma erumperet. *Substituitur Arsacio Atticus*, (inquit Palladius) *totius contra Joannem machinationis archisectus. Qui cùm animadverteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius civitatis populum, propter ea quæ adeò injustè ac nefariè admissa fuerant, agit divinarum Scripturarum imperitus, ut qui non communicarent, Rescriptis conventi cogerentur. Habebat autem Rescriptum* * *adversùs Episcopos hujuscemodi minas: Si quis Episcopo Theophilo, & Porphirio, & Attico non communicat, Ecclesiâ pellatur, & à suis facultatibus projiciatur.* Nullum tamen schisma inter eos factum est.

** Ita datum Imperatoris.*

Notandum sextò, falsum esse, quod Georgius Constantinopolitanus circa medium septimi Sæculi, & post eum Glycas, Leo Augustus, & Nicephorus scripserunt, Eudoxiæ Imperatricis adversùs S. Chrysostomum iram impotentem ex eo ortam esse quòd ipsam Sanctus Archiepiscopus severiùs increpuisset ob usurpatam Viduæ cujusdam vineam, ex quâ uvam fortè decerpserat: id sibi juris lege quadam vindicans. Hujus enim falsitatem narrationis probat Palladii, Socratis, Sozomeni, & Theodoreti silentium, qui gravem adeo circumstantiam in Historia persecutionis S. Joannis Chrysostomi non omisissent. Secundò, quis legem adeo ridiculam, esse commentitiam non videat, ut scilicet vineæ ex quibus Imperatrix uvam transeundo accepisset, vel agri ex quibus evulsisset spicam, ad ipsam pertinerent? Tertiò, Sanctus ipse Chrysostomus Eudoxiam ab hac calumnia purgat, siquidem in Homilia quam habuit post suum à priori exiliô reditum, ipsam vocavit *Matrem Ecclesiarum, Monachorum altricem, auxiliatricem Sanctorum, ac pauperum quô fulcirentur, baculum.* Huic fingendæ fabulæ dedit locum invidiosa illa Jezabelis appellatio, quâ Eudoxiam perstringere visus est in Sermone quem habuit antequam iret in exilium. Hinc enim sibi persuaserunt Græci illi mediæ ætatis Historici, S. Chrysostomum ad furtum vineæ Naboth alludere.

Fabula de vinea Viduæ ab Eudoxia erepta refellitur.

S C H O L I O N.

Ad hunc Articulum pag. 714. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Cur Papa S. Joannem Chrysostomum appellantem non absolvit, sed sententiam Concilii expectavit?* Sibique displicere innuunt Historicam illam Observationem.

R. Probabilem admodùm rationem affero, cur Innocentius Primus S. Joannis Chrysostomi Appellationem judicari peremptorio judicio voluerit in Synodo œcumenica, scilicet periculum Schismatis imminens, si cum solis Italiæ aut totius etiam Occidentis Episcopis caussam tam gravem judicaret. Innocentium tamen provisorio Decreto S, nodum prædatoriam ad Quercum rescidisse observo: ac tandem Decretorio, cùm Oecumenicæ Synodi spes nulla superesset, Orientalésque compulisse ad memoriam S. Joannis Chrysostomi inter Constantinopolitanos Episcopos in sacra Ecclesiæ Dyptycha restituendam, nec prius communionem redintegrasse cum Orientalibus quàm id executioni mandassent. Hanc observationem meam, quâ nihil magnificentius ac luculentius dici potest ad Summi Pontificis Primatum confirmandum, mirum est quòd Religiosi Censores reprehenderint.

ARTICULUS III.

De Synodo Telensi, seu Zellensi, aut Teleptensi.

Concilium istud *, quod Zellense vocandum doctissimus Cardinalis Perronius ** contendebat, quod Chiffletius Telense, vel Zellense appellari

*** Perronius in Repl. ... Chiffletius in Notis ad Ferrandi Diacon.*

ni breviarionem Canonum. Baronius ad annum 419. Sirmond. in Antirrhetico adversus Petrum Aurelium.

lari posse asserit; quod Teleptense Baronius Cardinalis, Binius, Sirmondus inscribi volunt, quod ipsi Donatianus Teleptensis primæ Sedis Episcopus præfuerit, habitum dicitur post Consulatum gloriosissimorum Augustorum Honorii XI. & Constantii, 6. Kal. Martii, hoc est, anno Christi quadringentesimo decimo octavo: nec aliâ de caussâ legitur congregatum, quàm ut Epistola Siricii Romani Pontificis ad Africanos Episcopos data legeretur. Nullum enim præterea negotium illa in Synodo tractatum: nulli editi Canones memorantur. Meminit istius Concilii Ferrandus Diaconus in Breviatione Canonum, pluraque laudat ex illo, & ex Epistola Siricii Decreta. Insertum est etiam antiquo Romanæ Ecclesiæ Codici, qui S. Leonis temporibus in usu erat. Ab omnibus Conciliorum Editoribus exhibetur. Nihilominus P. Quenellius in Dissertatione 15. de Concilio Telensi, supposititium illud esse contendit: interpolatam Ferrandi Breviationem: Synodum illam, & Epistolam Siricii, Romano Codici posterioribus Sæculis insertas. Istud autem Concilium commentitium esse probat his conjecturis. Prima petitur ex nomine Concilii, quod Telense appellari debere ex omnibus Codicibus MSS. perspicuum est. At unicam Telensem Civitatem in Proconsulari Provincia sitam fuisse constat: non est porrò verisimile, Donatum Teleptensem in Byzacena Episcopum, Synodum in Proconsulari habuisse. Secundò, quòd probabile non sit Synodum habitam fuisse tunc temporis in Byzacena Provincia, 6. Kalend. Martias; cum generale totius Africæ Concilium mense Maio sequenti congregari deberet, & jam tum indictum esset. Tertiò, quòd nulla ratio esset, cur ex Provincia Proconsulari Legati adfuissent Telensi illi Synodo, cùm generalis non prædicetur. Quartò, quòd revocetur in memoriam Synodus Tusdritana, vel Tysdritana, cui dicuntur interfuisse Episcopi Telensis hujus Concilii: quasi Provinciæ unius Episcopi alterius Provinciæ Synodis interesse potuissent. Quintò, quòd ob solam Epistolæ Siricii lectionem, congregatam sub Zosimi Pontificatu Synodum sit incredibile. Quòd si alia negotia in ea Synodo tractata sunt, si conditi Canones qui à Ferrando referuntur, cur eorum nulla mentio occurrit? Sextò, quòd cùm sæpius de continentia Clericorum actum sit in Carthaginensibus Conciliis, nunquam tamen de Telensi Concilio, vel de Epistola Siricii in eo relectâ, mentio facta est: cùm tamen præcipua Epistolæ materies continentiam Sacerdotalem attineret.

Synodus Telensis, aut Teleptensis, non est supposititia. Respondetur conjecturis P. Quenellii.

Sed non tanti sunt hæ conjecturæ, ut Ferrandi & veteris Codicis Romanæ Ecclesiæ auctoritati præponderare debeant. Si enim oppidum aliquod Telense in Byzacena Provincia fuerit, in quo habita sit ista Synodus, prima conjectura difflatur. Si ex unius Scribæ errore Telense pro Teleptensi alii exscripserint; ut Baronius & Sirmondus contendunt, tunc Donatus Episcopus Teleptensis in sua Provincia Synodum habuit. Non est incredibile ante Generalem Africæ Synodum singulares habitos fuisse in singulis Provinciis conventus, ut de rebus in Concilio generali proponendis, ac decernendis deliberaretur, imò id rationi maximè consentaneum est ac disciplinæ. Hinc ruit secunda conjectura. Unius Provinciæ Synodum ad alteram misisse Legatos, ut communibus consiliis in Synodo generali pro Ecclesiæ rebus agerent, nihil incommodi. Quamobrem tertia & quarta conjectura concidunt. Non ob solam Epistolæ Siricii lectionem Synodum Teleptensem fuisse congregatam, constat ex ejus Decretis à Ferrando laudatis. Sed Canonum, & negotiorum, quæ in illa Synodo tractata sunt, Acta ipsius non meminere, quia non extant integra, sed breve duntaxat Fragmentum. Hinc quinta conjectura evanescit. Licet Concilii Teleptensis, vel Epistolæ Siricii nulla facta sit mentio, cùm de continentia Clericorum in Carthaginensibus Conciliis actum est, non inde colligitur Synodum, & Epistolam supposititias esse. Non minùs enim sanctissimos illos de sacrorum Ministrorum cœlibatu Canones ediderunt Africani Patres, habitâ ratione Epistolæ Siricii in Teleptensi Concilio recensitæ, licet illius non meminerint: non enim laudantur Decreta omnia, vel Canones priorum Synodorum, quos renovant posteriores. Vacillat igitur sexta conjectura.

ARTICULUS IV.

De Concilio VI. Carthaginensi.

ANno post Consulatum Imperatorum Honorii XII. & Theodosii celebrata est Synodus sexta Carthaginensis, 8. Kalendas Junii, in quâ de appellationibus ad Romanam Sedem actum est. Huic controversiæ occasionem dedit Apiarius Siccensis Ecclesiæ Presbyter, quem Urbanus ejusdem Ecclesiæ Episcopus quorundam criminum convictum, Synodali sententiâ curaverat amoveri. Ille verò Zosimum Pontificem appellaverat. Zosimus Legatos destinavit in Africam, ut Apiarii caussam retractarent. Id ægrè tulerunt Africani Patres. Legati Apostolici jus illud Nicænis Canonibus niti propugnavere. Quod cùm in Nicænis Canonibus, quos Africanæ habebant Ecclesiæ, non legeretur, acrior orta contentio est. Mortuo paulò post Zosimo, ac Bonifacio I. sedente, in plenaria Synodo Africæ hoc anno 419. Apiarii caussa disceptata est. Lectum imprimis fuit Commonitorium legatis Apostolicis à Zosimo datum, in quo duo Canones tanquam à Nicæna Synodo statuti laudabantur: Unus quo jus appellationum Episcopalium ad Romanam Sedem probabatur: alter, quo Presbyteros à proprio Episcopo damnatos ad finitimorum Episcoporum judicium confugere posse decernebatur. His perlectis, Alipius Numidiæ Legatus hos Canones in Synodo Nicæna haberi negavit: Cui cùm cæteri Patres concinerent, ab omnibus in hanc sententiam itum est, ut Legati ad Alexandrinum, Antiochenum, & Constantinopolitanum Episcopos mitterentur; Nicænos Canones ex sinceris Codicibus descripturi. Sedis Romanæ auctoritati debitum honorem Africani Patres hac in Synodo tribuerunt, Alipio & S. Augustino præeuntibus. De iis enim quæ in Zosimi Commonitorio continebantur, Alipius ita censuit: *Ista nos tamen tantisper servaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria veniant, profitemur.* Hinc Faustinus Sedis Apostolicæ Legatus dixit: *Nec vestra Sanctitas præjudicat Ecclesiæ Romanæ, sive de hoc Capitulo, sive de aliis.* Sic verò S. Augustinus suffragatus est. *Et hoc nos servaturos profitemur, salvâ diligentiore inquisitione Nicæni Concilii.* De his quæ ad hanc de appellationibus controversiam spectant, & ad Ecclesiæ Africanæ circa istud Caput disciplinam, lege quæ diximus in Dissertatione de Jure Appellationum ad Romanam Sedem, in Historia Ecclesiastica Sæculi IV. Quod verò spectat Apiarii caussam, ea sic finita est, ut in communionem susciperetur, servaretque sui gradûs honorem: sed ex Civitate Siccensi, cui scandalo fuerat, discedere cogeretur.

Sextum istud Carthaginense Concilium ex Legatis primum 22. id est, 19. omnium Provinciarum Africæ, & à 3. Romanæ Sedis Constitum est, deinde ex Episcopis 217. quos Legati illi ob negotii de Appellationibus transmarinis gravitatem, quod nempè omnem Ecclesiam Africanam spectabat, convocarunt. Namque simul non convenere Legati Provinciarum singularum, & earumdem Episcopi universi. Quid enim Legatis Provinciarum opus est,

ubi omnes Ecclesiæ per Episcopos suos conveniunt ? Itaque non absque fundamento Viri quidam Eruditi conjiciunt, plenariæ istius Synodi exordia seu præludia, in annum 418. esse referenda. Cùm enim plenaria Africæ Synodus eo anno in Pelagii & Cælestii caussa celebrata esset, omnibus, quæ eidem spectabant, constitutis, visum est Patribus, ne diutius ab Ecclesiis suis abessent, ternos de singulis Provinciis Judices eligi, qui omnes cum Sancto Sene Aurelio Carthaginensi Episcopo & Africæ totius Primate, minoris momenti caussas judicarent; ut constat ex ultimo Concilii Africani Canone, qui in Latina Collectione nonagesimus quartus est. Et certè ante annum 419. quo Acta Concilii VI. Carthaginensis consignantur, jam aliqua tractata fuisse ad hanc spectantia Synodum, evidenter ostendunt verba illa Aurelii, Capitulo 1. *Post diem præstitutam Concilii, ut recordamini, Fratres clarissimi, multa flagitata sunt per expectantes fratres nostros, qui nunc ad præsentem Synodum Legati advenerunt, quæ gestis necesse est consocientur. Quâ de re Domino nostro de tanta congregatione nostra gratias referimus. Superest, ut jam exemplaria Nicæni Concilii, quæ nunc habemus, & à Patribus constituta sunt... in medium proferantur.* Igitur ante hanc Actionem aliqua jam agitata fuerant à Legatis Africanarum Provinciarum, cum Legatis Apostolicis. Verbum enim illud, *superest*, initio alicujus Concilii usurpari non solet.

Idipsum ea verbis Faustini Romanæ Ecclesiæ Legati, Capit. II. confirmatur. *Injuncta nobis sunt*, inquit, *à Sede Apostolica aliqua per Scripturam, aliqua etiam in mandatis, cum vestra Beatitudine tractanda, sicut & gestis superioribus meminimus: hoc est de Nicænis Canonibus.* Igitur ante hanc Actionem, quæ in Concilio Carthaginensi VI. quale nunc extat, prima est, jam aliqua negotia gesta erant. Legati scilicet Apostolici mandata sua communicaverant cum Aurelio & Legatis Africanarum Provinciarum: & jam eorum inchoatum erat examen, convocatis interim omnibus Africæ Episcopis, propter gravitatem negotii. *De his ergo*, pergit Faustinus, *primitus, si placet Beatitudini vestræ tractemus: & postea cætera quæ acta, vel inchoata sunt, inserta firmabuntur, &c. licet & Capitula actionum jam inserta sint gestis.*

Mendum in Actis.

Notandum, initio Actorum quæ supersunt, errorem esse in his verbis: *Sed & Vincentio Culusitano, Fortunatiano, & cæteris Episcopis Provinciæ Proconsularis, ducentis decem & septem.* Ex Provincia namque Proconsulari tot Episcopos convenisse ineptum est, cùm in numerosissimis totius Africæ Conciliis haud plures essent: unde sic restituendus est iste locus: *Sed & Vincentio Culusitano, Fortunatiano, Provinciæ Proconsularis* (suppl. Legatis) *& cæteris Episcopis* (totius Africæ) ducentis decem & septem.

Quæ in Collectionibus Conciliorum inscribitur 7. Synodus Carthaginensis altera Sessio est Synodi 6.

Notandum secundò, hujus Synodi sextæ Carthaginensis Sessionem alteram esse Acta quæ Concilii VII. Carthaginensis nomen adscriptum habent. Nam iisdem Coll. consignantur 3. Kal. Julias, uno tantum mense post Acta quæ 6. Concilii inscribuntur nomine. Præterea, nondum prioris Synodi Episcopos Carthagine recessisse, cùm illa Sessio habita est, constat ex ipsius initio, quod sic habet: *Quibusdam peractis, cùm multi Episcopi cæterorum peragendorum moras se conquererentur sustinere non posse, & ad proprias Ecclesias festinarent: placuit universo Concilio, ut ab omnibus eligerentur, de singulis quibusque Provinciis, qui propter alia peragenda residerent.* Tertiò, recensitis Canonibus, qui 7. Concilii Carthaginensis nomine inscribuntur, Africanum Concilium Canone 100. Episcopos 217. illis subscripsisse testatur. Qui numerus cùm ad 6. Concilium Carthaginense pertineat, Canones illos in sextæ istius Concilii Sessione altera editos esse consequens est.

Synopsis Canonum.

Igitur Canones 5. in ista sessione sunt editi. Quatuor priores decernunt quinam ab accusatione Clericorum, vel à ferendo in eos testimonio removendi sint. Primus ab eorum accusatione arcet excommunicatos. Alter, servos, & omnes quos ad accusanda publica crimina Leges publicæ non admittunt: omnes etiam personas infames, scilicet histriones, ac turpitudinibus obnoxios quosque: item Paganos, Judæos, Hæreticos. Quibus tamen in caussis propriis accusandi licentia non denegatur. Tertius, repellendum statuit accusatorem, qui in unius criminis probatione defecerit. Quartus, eosdem à ferendo testimonio submovet, quos ab accusatione: item accusatorum domesticos: & pueros infra decimum quartum annum. Quintus vetat ne Episcopus illum arceat à Communione, qui illi soli proprium crimen confessus est, quod postea negat. Si autem sic privatum confesso, & postmodum neganti, communicare noluerit Episcopus, ipsummet Antistitem Coëpiscoporum communione privandum: *Ut magis caveat ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.* Quo Canone, quàm sacrum semper fuerit Confessionis sigillum, ostenditur.

Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ.

In hac denique Synodo sexta Carthaginensi recensiti sunt, & confirmati Canones præteritarum omnium Synodorum, quæ tempore Aurelii Primatis in Africa celebratæ sunt. Ex quibus adornatus est Codea ille celeberrimus Canonum Ecclesiæ Africanæ, à Dionysio Exiguo Codici Canonum Ecclesiæ Occidentalis insertus, & à Joanne Constantinopolitano vulgo Scholastico, Nomocanoni insertus, in Synodo Trullana, Canone II. ut pars Codicis Canonum Orientalis Ecclesiæ approbatus, à Theodoro Balsamone, Græco, & à Justello, Latino etiam sermone, cum Notis eruditis in lucem editus.

ARTICULUS V.

De Concilio Regensi.

ANno Christi 493. Regii * in Provincia Narbonensi Synodum celebravit S. Hilarius Arelatensis, in caussâ Armentarii Ebredunensis Episcopi contra Canones ordinati. Ex triplici Capite vitiosa erat ejus Ordinatio, ut indicat præfatio Concilii. Primò quòd absque trium Episcoporum præsentia. Secundò, quòd absque Comprovincialium literis. Tertiò, quòd absque Metropolitani auctoritate facta esset: id est, absque auctoritate Hilarii Arelatensis. Tunc enim Alpium Maritimarum Ecclesiæ Viennensi Provinciæ adhuc addictæ erant, & Arelatensi Episcopo hujus Provinciæ Metropolitano parebant: & Ebredunensis ipsius civitatis Episcopus, quamvis in civilem Metropolim post Narbonensis solidæ divisionem evasisset. Episcopi tredecim huic Concilio, quod Provinciale fuit, subscripserunt; octo constituti fuere Canones. Primus, duos Episcopos, qui tam infaustam Armentarii consecrationem erant aggressi, Ordinationibus, & Conciliis ordinatis interesse vetat: quæ pœna erat à Synodo Taurinensi in eos, qui Canones hoc pacto violassent, lata. Eis tamen Communionem indulget, *Quòd à primò sui lapsûs die, adhibitis passim precibus, culpam pœnitentes, aut ignorantia, aut circumscriptioni imputassent.* Secundus, irritam, secundùm Canones Armentarii Ordinationem declarat. Tertius permittit, ut Episcopus, cui lubuerit, unam illi ex Parochiis suis Ecclesiam cedat, in quâ aut Chorepiscopatum gerat, aut peregrinâ communione fruatur, id est, peregrinorum Sacerdotum ritu ac more communicet, nec sacrum ullum Ministerium obeat. Cæterum in illâ ipsa Ecclesia, cui eum fortè ut Chorepiscopum Antistitum aliquis præfecerit, solam ei permittit Neophytorum Confirmationem, & oblationem Sacrificii

Synopsis Canonum.

cii ante Presbyteros. Quartus, Clericos ab ipso ordinatos, quamvis excommunicati essent, deponit: alios verò quibus nulla conversationis macula præjudicaverit, ab Episcopo Ebredunensi in Ecclesiæ suæ Ministerio retineri, vel ad locum Armentario designandum transferri statuit. Quintus, eidem Armentario concedit licentiam consecrandi Virgines, & benedictionem solemnem impartiendi populo Christiano, in Ecclesia, quæ ipsi designata fuerit: quod tunc meris Presbyteris non licebat, qui per agros quidem, & per privatas domos, Fidelibus benedictionem dare poterant, non autem in Ecclesiis. Sextus & septimus Canon, prohibent Clericorum quempiam ad Ecclesiam recens vacantem accedere, præter viciniorem Episcopum, qui defuncti Præsulis exequias curet, qui Ecclesiæ bona recenseat, ac describat, ne quid pereat: omniáque peragat intra septimum ab ejus obitu diem: & statim redeat ad Ecclesiam suam, donec ad novi Episcopi electionem Metropolitani literis invitetur. Ideò autem quemquam absque Metropolitani licentia ad civitatem Ecclesiæ vacantis accedere vetat, *Ne a plebe decipiatur, & vim pati voluisse videatur.*

Concilia Provincialia bis in anno celebrata, secundùm Canones.

Canon octavus, bis in anno Synodos Episcoporum fieri jubet, si pacata sint tempora. Magna sanè sacrorum hujusmodi Conventuum utilitas, imò & necessitas visa est, ad restaurandam, & conservandam disciplinam. Undæ Nicænæ Synodi Canonem 5. exequi volentes Episcopi Provinciæ Viennensis, binas singulis annis Synodos celebrari sanxerunt. Id Romæ executioni mandavit S. Leo, ut constat ex ipsius Epistola 16. ad Episcopos Siciliæ, cap. 6. Id in Gallicanis Ecclesiis observari jussit Hilarus Epistola 10. ad Episcopos Gallicanos diversarum Provinciarum data. Id decreverunt Gallicanæ Ecclesiæ Concilia, Aurelianense III. Can. 2. Aurelianense IV. Can. 17. Aurelian. V. Can. 22. Turonense II. Can. 1. Suessionense, Can. 2. Parisiense VI. Can. 26. Meldense, Can. 30. Lingonense, Can. 7. Id Christianissimus Imperator in Capitulari Aquisgranensi cap. 13. edixit. Id in Hispaniarum Ecclesiis executioni mandari præcepit Hormisdas Pontifex Maximus Epistola 25. quam disciplinam Concilia, Toletanum III. Can. 18. Toletanum IV. Can. 3. Emeritense, Can 7. Toletanum XI. Can. 15. confirmarunt. Hanc in Oriente Synodus Antiochena, Can. 20. & Trullana Can 8. roboravit. Hanc post Nicænum, in toto orbe Christiano vigere voluerunt, Chalcedonense Can. 19. Septimum Oecumenicum, Can. 6. Lateranense sub Innocentio III. C 6. Tridentinum, Sessione 24. in Decreto de Reformatione cap. 2.

ARTICULUS VI.

De Concilio Arausicano I.

Arausio, vulgò Orange in Provincia, urbs Episcop. sub Archiep. Arelatensi.

ANno Christi 441. Synodus in Arausicano * territorio celebrata est, Hilario Arelatensi Præside, VI. Idus Novembris. Septemdecim adfuerunt Episcopi: triginta Canones editi sunt. Primus, hæreticos in mortis discrimine conversos, à Presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari permittit, si absint Episcopi. Quæ Chrismatio reconciliatoria tantùm, non confirmatoria erat. Secundus, Ministros Baptismi, Chrisma semper in promptu habere jubet, ut baptizatos mox liniant. Quòd si quo casu chrismatus in Baptismo quispiam non fuerit, tunc in Confirmatione commoneri Episcopum, ut si visum illi fuerit, ceremoniam illam suppleat. Quod tamen necessarium non est: quia cùm una sit Chrismatis benedictio, sufficit Chrismatio Confirmatoria, ad damnum, quod ex omissione Chrismationis in Baptismate Neophytus incurrisset, resarciendum. Hic sensus Canonis, secundum lectionem

Synopsis Canonum.

Sirmondi, qui illum cum negatione convenientius legit, quàm Petrus Aurelius absque negatione. Quâ de re acerrima fuit inter illos Authores disceptatio. Primis tribus Ecclesiæ Sæculis, cùm post Baptismum Confirmatio mox conferebatur, unica in usu erat unctio Chrismatis, quâ Episcopus baptizatos consignabat. Innocentius I * Presbyteris permisit, ut Chrismate baptizatos ungerent in vertice, non in fronte: quod & antea permisisse dicitur Silvester. Unctio itaque licita erat Presbyteris ex decreto Innocentii, sed non erat præcepta. Quare opus fuit in Galliis hoc Canone Arausicano, ut Ministri unà cùm Baptismo Chrisma adhibere in vertice ex officio tenerentur. *Placuit inter nos semel Chrismari*, inquiunt Patres: id est necessarium esse duximus ut Chrismatis delibutio non pendeat in posterum ex arbitrio Presbyterorum, sed simul & semel cum Baptismo administretur.

In Epist. ad Decentium.

Canon 3. Pœnitentes moribundos Communione donari jubet, id est, (ut ego existimo) Absolutione & Eucharistia; quod tamen absque reconciliatoria manus impositione, id est, reconciliatione solenni, quæ eos à pœnitentiæ laboribus absolvat, fieri jubet. Unde, si supervixerint, stare illos decernit in ordine Pœnitentium, *Ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem, cum reconciliatoriâ manus impositione accipiant.* Legitima non dicebatur communio, nisi quam Pœnitentes accurata satisfactione erant promeriti. Canon 4. Pœnitentiam publicam postulantibus Clericis non negandam statuit.

Canon 5. reos criminum, aut servos, qui culpâ in dominos admissâ, ad Ecclesiam confugiebant, tradi vetat. Quia verò pro servis, qui ad Ecclesiam libertatis, vel indulgentiæ caussa confugerant, domini eorum id impatienter ferentes, quandoque Ecclesiæ servos invadebant: hos excommunicatione plecti decernit Canon 6. Animadverti in eos jubet 7. Canon, qui servos in Ecclesia manumissos, vel per testamentum à dominis Ecclesiæ commendatos, ad servitutem revocare tentaverint. Octavus, nonus, decimus, & undecimus, prohibent Episcopis alienorum Clericorum Ordinationem; Ecclesiæ in alieno territorio extructæ Dedicationem; excommunicati ab alio Episcopo susceptionem.

Duodecimus, iis qui subitò obmutescunt seu vi morbi, seu alio casu, Baptismum, aut Pœnitentiam decernit esse tribuendam, *Si voluntatis aut præterita testimonium aliorum verbis habent: aut præsentis in suo nutu.* XIII. Amentibus omnia, quæ pietatis sunt, conferenda statuit, id est, Baptismum, si semper amentes fuerint, aut illum per lucida intervalla desideraxint: Eucharistiam in morte, iis qui ipsam ante amentiam postularunt; nec-non Extremam Unctionem. XIV. Energumenis baptizatis, & de purgatione sua sollicitis, sacram Communionem: XV. Catechumenis Baptismum tribui jubet, urgente necessitate, vel capta opportunitate. XVI. Eos à Clero in perpetuum arcet. Aliqua deinceps pro Cathecumenis statuuntur: ipsis nimirum Evangelia legi, ipsos ab ingressu Baptisterii arceri: & in domesticis etiam orationibus & benedictionibus à Fidelibus segregari jubent Canones 18 19. & 20.

XXI. Duos Episcopos, qui invitum Episcopum ordinaverint, damnat, & Episcopatu dejicit. XXII. & XXIII. in Diaconos incontinentes animadvertunt. Bigamos ultra Subdiaconatum promoveri vetat Canon 25. Diaconissas deinceps ordinari prohibet Canon 26. quæ antea manuum impositione, & solemni ritu ab Episcopis ordinabantur: eas verò quæ jam sunt ordinatæ, extra Clerum habendas decernit: ac proinde, ut Laïcas, benedictioni, quæ populo impenditur, subjiciendas: cui benedictioni Clerici capita non subm[…]ebant. Ordinationis Diaconissarum meminerunt Tertullianus lib. 1. *ad Uxorem*, cap. 7. S. Epiphanius

Diaconissarum Ordinatio Sacramentum non erat, sed merus Ritus. In Concilio Arausicano I. prohibita est.

phanius *Hæresi* 79. Concilium Chalcedonense *Canone* 15. Constitutionum Apostolicarum Author lib. 8. cap. 19. Antiqui Rituales Græcorum, & Ordo Romanus. Concilium Cartaginense IV. *Canone* 12. de Viduarum, vel sanctimonialium electione ad Ministerium baptizandarum mulierum decernit, sed Ordinationis earum non meminit, nec ritum præscribit quo ad hoc munus destinentur: cùm tamen Ordinationum omnium ritus accuratè tradat. Ex antiquis illis ritualibus à nobis laudatis, quos descripsit Joannes Morinus, in commentario *de sacris Ordinationibus*, constat Diaconissarum & Diaconorum Ordinationes fuisse simillimas. Utraque enim manuum impositione, & Spiritus Sancti invocatione ad ministerium rite obeundum perficiebatur. In utraque collo appunebatur Orarium, sive Stola. Ordinatus & Ordinata Communionem sacram accipiebant ad altare. Utrique Calix Sanguine Christi plenus, ut ex eo degustaret, in manus tradebatur. Sed ceremonialem fuisse, non sacramentalem illam Diaconissarum inaugurationem, disertè docet S. Epiphanius Hæresi 79. *Quanquam* (inquit) *Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotis functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexûs honestati consulatur, &c.* In Baptismo scilicet, ut exponit. Cæterùm Diaconissarum Ordinatio, quæ in Occidente longè fuit, quàm in Oriente infrequentior, in Galliis abrogari cœpta est à Synodo Arausicana I. quâ de agimus. Doctissimo enim Morino assentiri non possum, qui hæc verba: *Diaconissæ omnimodè non ordinandæ*, sic interpretatur, ut illo Canone prohibitum sit duntaxat ne sine examine, ne ante 40. annos, ne præter conditiones à Canonibus requisitas ordinentur. Hanc autem Ordinationis Diaconissarum abrogationem alia Concilia Gallicana confirmarunt, scilicet Epaonense Canone 21. & Aurelianense II. Canone 18. Canon Arausicanus 28. professæ castitatis desertores, in utroque sexu, Pœnitentiæ publicæ statuit addicendos. 29. In unaquaque Synodo proximè futuram Synodum denuntiari jubet. 30. Prohibet ne Episcopus, propter infirmitatem, aliqua munia Episcopalia Presbyteris obire permittat: sed alium Episcopum, qui vices ejus suppleat, decernit evocari.

Morinus refellitur.

ARTICULUS VII.

De Concilio Vasensi II.

Vasio.

Summa Canonum.

ANno Christi 442. quo Dioscori Consulatus consignatus est, Vasione * Concilium celebratum est, in quo 10. Canones constituti fuere. In his notandus est secundus, quô decernitur, Pœnitentium, qui subitò moriuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam. Secundus item notandus, quô statuitur ab Ecclesia ut infideles, & quasi egentium necatores, abjiciendos esse, qui oblationes defunctorum Fidelium retinent. Canone 6. laudatur Epistola supposititia Clementis ad Jacobum Fratrem Domini, quasi legitima. Canon 7. Episcopum ea moderatione in accusationibus uti jubet, ut si quem à Communione abstinendum judicat, flecti se sinat, si cæteri pro eo intercedant: si verò de crimine damnandum putet, accusatoris partes in Synodo sibi noverit sustinendas, ut quod uni probatur, probetur omnibus. Quòd si alicujus crimen solus Episcopus noverit, ab ipso proferri vetat in publicum Canon 8. quandiu probare non potest, & reum secretis correptionibus ad Pœnitentiam adducendum. Quòd si correptus pertinacior fuerit, & publicæ Communioni se ingesserit, indemnatum licet ab iis qui nihil sciunt, secedere ad tempus Synodus jubet, ut Episcopus communionem illius ferre cogatur, cujus perspectum crimen habet: Quem tamen alioqui omnium communione frui jubet, quandiu probari nihil potest. Canones 9. & 10. consulunt famæ & quieti eorum qui infantes à parentibus, vel dominis expositos colligebant, & ex misericordia educabant. Sic expositi pueri, eorum fiebant, à quibus colligebantur & educabantur, nec repeti poterant, Constantini lege 1. *Cod. Theodos. de Exposi is.* Jus illud confirmaverat Honorius, modò apud Episcopum contestatus esset qui collegerat. Verùm cùm plerique calumniatorum metu sic expositos colligere detrectarent, Vasensis Synodus ad legem Honorii hoc adjecit, ut in Ecclesia die Dominico denuntiaretur, & omnibus patefieret facta collectio: ut nisi intra decem dies ab expositionis die agnitus ac repetitus fuisset expositus, qui eum postea repeteret, Ecclesiasticis Legibus velut homicida plecteretur. Hanc liberorum expositionem Tertullianus apud Ethnicos graviter reprehendit in Apologetico. *Filios*, inquit, *exponitis suscipiendos ab aliquâ prætereunte misericordia extraneâ, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis.* In idem crimen invehitur Lactantius lib. *6. Divinarum Institutionum, cap.* 20.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Romano in Caussa Hilarii Arelatensis.

CUm Hilarius Arelatensis Celidonium in Synodo deposuisset, illeque confugisset ad Romanum Pontificem, ac manifestâ testium responsione ab iis immunem se probasset criminibus, ob quæ fuerat exauctoratus; clamque Roma secessisset Hilarius, caussa coram Synodo pendente, S. Leo in hac ipsa Synodo, anno Christi 445 Celidonium absolvit, & in Sedem suam restituit. In eadem Synodo Projecti contra Hilarium querimoniæ discussæ sunt. Scilicet Hilarius Projecto Episcopo alterius Provinciæ ægrotanti, alium superordinaverat. Ordinatum contra Canones S. Leo cum sua Synodo submoveri decrevit, & Projectum in suo Sacerdotio permanere. Hilarium verò ob violatos Canones Metropoliticâ exuit Dignitate, quam transtulit in Viennensem Episcopum. De his S. Leo Epistola 89. sive 10. secundùm editionem P. Quenellii, ad Episcopos per Provinciam Viennensem constitutos datâ De Celidonii quidem caussa hæc habet. *Quæ igitur apud nos in caussâ Celidonii Episcopi gesta confecta sint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præsente supradicto Episcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat. Ubi postquam Hilarius rationabile, quod in sanctorum Concilio Sacerdotum posset respondere, non habuit, ad ea se occulta cordis ipsius transtulerunt, quæ nullus Laicorum dicere, nullus Sacerdotum posset audire.... Absolutus est Celidonius Episcopus, quoniam se injustè Sacerdotio fuisse dejectum, manifesta testium responsione, ipso etiam præsente monstraverat, ita ut quod Hilarius nobiscum residens posset opponere, non haberet. Remotum est ergo judicium, quod prolatum in hâc sententia legebatur, quod tanquam viduæ maritus, Sacerdotium tenere non posset. Quod nos quidem servantes legalia constituta, sollicitius volumus custodiri, non solum circa Sacerdotes, sed circa Clericos quoque minoris officii: ne ad sacram militiam hi permittantur accedere, quibus sit tale conjugium... Sed sicut eos quos factum suum non potest excusare, aut non admittendos, aut si fuerint, decernimus removendos: ita quibus hoc falsò objicitur, habitâ necesse est examinatione purgemus, & suum Officium perdere non sinamus. Mansisset namque in illum prolata sententia, si objectorum veritas extitisset. Redditus itaque est Ecclesiæ suæ, & huic quam amittere non debuit Dignitati, Coepiscopus noster Celidonius.*

De

De Projecti verò caussa his verbis rescribit. *Huic negotio sic finito, Fratris & Coepiscopi nostri Projecti querela successit; cujus ad nos literæ lachrymabiles & dolendæ, de superordinato sibi Episcopo sunt directæ. Epistola quoque ingesta est civium ipsius, & numerosâ singulorum subscriptione firmata, invidiosissimis contra Hilarium plena querimoniis, quòd Projecto Episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, ejusque Sacerdotium in alium præter suam notitiam esse translatum, & tanquam in vacuam possessionem ab Hilario pervasore hæredem viventis in luctum.... Quid sibi Hilarius quærit in aliena Provincia: & id quod nullus Decessorum ipsius ante Patroclum habuit, quid usurpat? Cùm & ipsum quod Patroclo à Sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententiâ meliore sublatum? ..... Nos tamen quod vobis credimus Deo judice placiturum, in commune cunctis fratribus consulentes, & male ordinatum submoveri, & Episcopum Projectum in suo Sacerdotio permanere debere decrevimus.*

Denique de Hilario Arelatensi hæc habet. *Suis unaquæque Provincia sit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini judicia se interferendo turbare. Qui tamen noverit se, non solum ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis Provinciæ, quam malè usurpaverat, potestate privatum... Non erga intersit alli Ordinationi: non ordinet: qui meritis suis conscius, cùm quæreretur ad caussam, turpi fugâ se credidit subtrahendum, exors Apostolicæ Communionis, cujus particeps esse non meruit: Deo ut credimus, hoc agente, qui illum, inopinantibus nobis, & ad judicia nostra pertraxit & inter examinationes habitas, ne Communionis nostræ consors fieret, ut abscederet latenter, effecit.*

Celidonius Episcopus Provinciæ Viennensis. Ejus proinde legitimus judex erat S. Hilarius Arelatensis.

Cujus Provinciæ Celidonius Episcopus fuerit, contentio est inter Eruditos, & adhuc sub judice lis est. Cardinalis Baronius Viennensis Provinciæ Episcopum fuisse existimat. Joannes Franciscus Chiffletius in sua Vesontiensis seu Bizuntinæ Urbis & Ecclesiæ Historiâ, fragmentum quoddam protulit Vitæ S. Romani Abbatis, quod è Codice Monasterii Jurensis acceptum à Chiffletio fratre Societatis Jesu Presbytero transmissum fuerat, quod Fragmentum Celidonium Vesontiensem Episcopum appellat. Ad Chiffletiorum sententiam accesserunt Sirmondus Tom. I. Conciliorum Galliæ, Illustrissimus Archipræsul Petrus de Marca in Dissertatione de Primatu Lugdunensi Baluzius, & alii viri eruditi. P. Quenellius in Dissertatione Apologetica pro S. Hilario Arelatensi, p. 1. cap. 2. ad Cardinalis Baronii sententiam accedit: & Fragmentum Vitæ S. Romani, quanquam in ejus Vita, quam edidit Bollandus ad 28. Februarii, legatur, suppositionis arguit, Vitamque ipsam integram interpolationis. Non leves sunt, quibus nititur conjecturæ: sed illa, meo quidem judicio, omnium gravissima est, quæ petitur ex verbis S. Leonis, quibus declarat ad suum effectum perducendam fuisse Hilarii adversùs Celidonium sententiam, si objecta acceptæ in uxorem viduæ accusatio legitimis, ac fide dignis testibus probata fuisset: *Mansisset, namque*, inquit, *in illum prolata sententia, si objectorum veritas extitisset.* Quod nequaquam scripsisset S. Leo, si nulla fuisset Hilarii Arelatensis in Celidonium jurisdictio.

Porrò si in Provincia Viennensi Episcopatum obtinuit Celidonius, facilè demonstratur Hilarium Arelatensem legitimum ipsius judicem fuisse: Arelatensi enim Episcopo Metropolitica potestas in Provinciam Viennensem competebat ab antiquo: ut ex pluribus Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, compertum est. 1. Ex Concilio 1. Arelatensi, cujus Epistola Synodica & Breviarium Canonibus præfixum, solius Arelatensis Episcopi Marini nomen adscriptum habet: quod Metropoliticæ in eo dignitatis argumentum est. 2. ex Concilio Taurinensi Canone 2. quo controversiæ inter Episcopos Arelatensem & Viennensem dirimendæ seu utcunque sopiendæ gratiâ decretum est, ut is Metropoliticis juribus frueretur, qui comprobâret suam civitatem esse Metropolim: quod aliud non erat, quàm in gratiam Arelatensis pronuntiare. Honorius enim Augustus in Edicto ad Agricolam Præfectum Galliarum dato anno 418. (quo vix quindecim annis antiquior erat Taurinensis Synodus) Arelatem expressè appellat Metropolitanam civitatem, quod indicium est eam jamdiu tali decore ac nomine insignitam fuisse. Unde cùm in ea septem Provinciarum conventum fieri jubet, significat idipsum non de novo institui, quippe quod jam à Præfecto Petronio observari jussum erat: sed potiùs reparari, quoniam interruptum, *Vel incuriâ temporum, vel desidiâ Tyrannorum* fuerat. 3. Antiquitas Metropolitici juris Arelatensi convenientis Episcopo, probatur ex Epistola 5. Zosimi ad universos Episcopos per Gallias & septem Provincias constitutos, in qua hæc habet inter alia: *Metropolitanæ Arelatensium urbi vetus privilegium minime derogandum est, ad quam primùm ex hac Sede Trophimus summus Antistes, ex cujus fonte totæ Galliæ Fidei rivulos acceperunt, directus est* 4. ex Synodis Regensi, & Arausicana I. quibus Hilarius Arelatensis primo loco subscripsit. 5. ex verbis S. Leonis in Epistola supra laudata, de Hilario Arelatensi ita scribens: *Qui non tantùm noverit se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis Provinciæ, quam malè usurpaverat, potestate privatum.* Duplicem enim in Hilario potestatem manifestè distinguit: alienam unam, quam alieni juris nomine designat; eam scilicet quam Zosimus in utramque Narbonensem dederat; propriam alteram in Provinciam Viennensem. Denique in Epistola ad Episcopos Galliarum, post Ravennii, qui S. Hilario in Sede Arelatensi successit, electionem data, quâ jus Metropoliticum Arelatensi Ecclesiæ restituit, ait Hilarium illud *merito nimia præsumptionis amisisse.* Non igitur eâ potestate ideò privatus est Hilarius, quia aliena & per nefas arrepta. Viennensis itaque Provinciæ Metropolitanus erat ab antiquo Arelatensis Episcopus. Quamobrem Notitia Provinciarum & civitatum Galliæ, quæ passim circumferuntur, in qua Viennensis civitas Metropolis dicitur Viennensium, Honorii Augusti temporibus recentior est, qui in Constitutione datâ anno 418. Arelatem simpliciter Metropolim nominat. *In Metropolitana*, inquit, *id est, in Arelatensi civitate.* Nec tam gravis esset orta contentio in Concilio Taurinensi, si Vienna fuisset pro Metropoli tunc temporis agnita. Strabo quidem lib. 4. Viennam vocat Metropolim, non absolutè, sed *Allobrogum Metropolim.* Id est, Allobroges, qui unus erat è populis Provinciæ Narbonensis, præcipuam habuere Civitatem Viennam. Eusebius quidem Lugduni & Viennæ meminit, quasi de gemina Galliarum Metropoli. Sed primùm loquitur quasi hujus rei non admodum certus. *Cujus* (Galliæ) *insignes & suprà cæteras præstantes Metropoles esse dicuntur Lugdunum & Vienna.* Lib. 5. Histor. Eccl. cap. 1. Præterea ad mentem veterum Geographorum intelligendus est, ut Vienna scilicet Allobrogum Metropolis fuerit, idque quantum ad ordinem civilem. Nunquam enim Ecclesiastica fuit Allobrogum Provincia.

Ex his liquet S. Hilarium Arelatensem in Celidonii caussa legitimum judicem fuisse, utpote Provinciæ Viennensis Metropolitam, nihilque defuisse sententiæ quam adversùs Celidonium tulit, nisi objectorum veritatem: quia nec ipsum internuptæ maritum fuisse, nec reum morti addixisse,

cùm sæcularis judex esset, prout accusatus fuerat, certis testimoniis probatum est. Quod Projectum spectat, dubitare nos non sinit S. Leonis Epistola, quin aliena in Provincia Episcopus esset. In Narbonensi prima fuisse, probabile est: idque innuunt hæc verba Epistolæ S. Leonis ad Episcopos Viennensis Provinciæ de Hilario Arelatensi scribentis: *Id quod nullus Decessorum ejus ante Patroclum habuit, quid usurpat? Cùm & ipsum quod Patroclo à Sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententiâ meliore sublatum?* Quibus verbis alludit S. Leo ad Bonifacii I. Decretum, seu Epistolam ad Hilarium Narbonensem Episcopum, per quam eidem asseruit Narbonensis primæ Ordinationem, Arelatensemque increpavit Episcopum, quòd Lutubensis * Episcopi Ordinationem celebrare præsumpsisset in eadem Provincia: quam sententiam suâ pariter confirmavit Celestinus I. Epistola ad Episcopos Narbonensis & Viennensis Provinciarum scriptâ.

Projectus alienæ Provinciæ Episcopus erat.

* De Lodeve.

Quin humani aliquid passus sit S. Hilarius, dum variis Ecclesiarum negotiis emergentibus incumbens, aliqua paulò nimis præcipitanter executus est, ut ad alia zelo disciplinæ accensus properaret; nullus dubito. Hoc Celidonii, hoc Projecti negotia persuadent. Quin S. Hilarius Privilegia Sedi olim suæ ab Apostolica Sede concessa per Zosimum, sed à Zosimi Successoribus revocata, vel imminuta, propugnaverit pertinaciùs, non ambigo. Facilè tamen crediderim Leoni fuisse obreptum, falsisque adversariorum Hilarii delationibus circumventum, cùm ipsum velut superbiæ, præsumptionis & arrogantiæ reum insectatus est, & verbis acrioribus excepit, in Epistola ad Viennensis Provinciæ Episcopos datâ. Cardinalem Historicum de hac & simili S. Mamerti caussa loquentem audire præstat, ad annum Christi 464. *Non mireris, Lector, Romanum Pontificem adversùs Mamertum adeò vehementer insurgere, virum, ut declararunt eventa, sanctitate insignem. In his enim, quæ contentiosè fori sunt, perfacile est quemquam decipi. Persimile etiam S. Leoni accidit, qui in S. Hilarium eadem fermè ex caussa acerrimè invectus est. Quis nesciat sæpe accidere, ut falsis accusationibus, & subreptionibus aures Pontificum repleantur, & cùm putent agere quod justum appareat, exagitent innocentem?*

S. Hilarius Arelatensis aliquid humani passus.

S. Leoni fuisse obreptum probabile est.

Notanda Baronii Cardinalis verba.

Plura dicere supersedeo, ne dissidium inter Sanctissimos Pontifices celesti pace compositos redintegrare videar, Honorati Massiliensis in Vita S. Hilarii Arelatensis exemplum secutus: *Et quia*, inquit, *tantorum virorum præsertim jam ad supernam gratiam vocatorum, nec in narratione audeo judicia ventilare, hoc breviter tetigisse sufficiat.*

Omittere tamen nec possum, nec debeo, S. Hilarium Arelatensem, pro sua erga Sedem Apostolicam debitâ reverentiâ, nihil non egisse ut S. Leonem placaret, ac promereretur: ac ab omni deinceps contentione quievisse, Auxiliaris potissimùm Urbis Romæ Præfecti consiliô. Qua de re S. Honoratus in Vita Hilarii ita scribit. *In Civitatem regressus, licet corporali infirmitate fractus, tamen perfectione sanctus, & pietate promptissimus, totum se ad placandum tunc animum sancti Leonis inclinatâ humilitate convertit. Misit primitus S. Ravennium tunc Presbyterum, postmodum proprium Successorem, deinde sanctum Nectarium, sanctumque Constantium præcipuos Sacerdotes. Et quia quanta in hac caussa dictaverit, huic operi nulla possum ratione connectere, Auxiliaris tunc Præfecti quæ fuerit sententia, credidi inserendam, cujus hæc verba sunt: Sanctos Nectarium & Constantium Sacerdotes de Beatitudinis tuæ parte venientes, dignâ admiratione suscepi. Cum his sæpius sum locutus de virtute animi atque constantia, contemptuque rerum humanarum, qui inter fragilitates nostras semper beatus es. Nam quid potest in hac corporea vita esse secundum, quæ cùm sit misera, tamen non potest esse perpetua? Locutus sum etiam cum sancto Papa Leone. Hoc loco, credo, aliquantùm animo perhorrescis: sed cùm propositi tui tenax sis, & semper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris, sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego nec minimum quidem factum Beatitudinis tuæ arrogantiæ memini contagione fuscari. Sed impatienter ferunt homines si sic loquamur, quomodò nobis conscii sumus. Aures præterea Romanorum quâdam teneritudine plus trahuntur: in quam si se Sanctitas tua dimittat, plurimùm tu, nihil perditurus acquiris. Da mihi hoc, & exiguas nubes parvæ mutationis serenitate compesce.* Hac Auxiliaris Præfecti recensita Epistola, statim subjungit de Hilario suo Honoratus: *Talia percipiens, totum se orationi, prædicationi, operationi velut incipiens mancipavit.*

Se sem Apostolicam S. Hilarius Arelatensis reveritus est, & S. Leonem placare studuit.

Non multò post mortuus est Hilarius Arelatensis, quem mortuum Leo Magnus pro Viro Sancto habuit, ut constat ex ipsius Epistola 106. vel 36. secundùm Editionem P. Quenellii, ad Episcopos per Arelatensem Provinciam constitutos datâ, in quâ eum & sanctæ memoriæ, & probatum sibi virum appellat. *Quod ergo*, inquit, *in Arelatensium civitate, defuncto sanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum Fratrem Ravennium, secundùm desideria Cleri, Honoratorum, & plebis unanimiter consecrastis, bonum fraternitatis vestræ opus nostro judicio roboramus.*

S. Leo Hilarii Arelatensis defuncti, ten pro hac & sancti viri nem etiam colat.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 743. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Papa etiam Sanctus in facto decipitur, & Sanctos persequitur.*

R. Sancto Leoni fuisse obreptum, falsisque adversariorum S. Hilarii Arelatensis Episcopi delationibus circumventum, cùm ipsum velut superbiæ, præsumptionis, & arrogantiæ reum insectatus est, rectè observavi. Hæc verba, *Papa etiam Sanctus Sanctos persequitur*, mea non sunt. Cæterùm si observatio mea Religiosis Censoribus displicet, ipsis multò magis displiceat necesse est, illa Cardinalis *Baronii* ad annum Christi 464. cujus verba descripsi.

ARTICULUS IX.

De Synodo S. Patritii.

ANno circiter 450. vel 456. à S. Patritio Hiberniæ Apostolo, Auxilio, & Isseruino Episcopis Synodus in Hibernia celebrata est, in qua 34. Canones ad Ecclesiasticam Disciplinam sanciendam conditi sunt. Quos inter eos notari velim, qui Pœnitentiæ modum spectant in illis Hiberniæ Ecclesiæ initiis. Canon decimus-quartus homicidii & fornicationis reos, & qui Aruspices more Gentilium consuluerint, unius anni Pœnitentia jubet expiare scelus, quàm cùm se implevisse fide dignis testimoniis probaverint Sacerdoti, ab ipso absolventur. Ex quo liquet omnino publicam Pœnitentiam à S. Patritio impositam non fuisse Hibernis, sed quasi semipublicam, id est, sub oculis probatorum testium agendam. Decimus-quintus, dimidii anni Pœnitentiâ furti reos plectendos esse decernit, ac viginti dierum jejuniô cum solo pane, nec in Ecclesiam recipiendos, nisi factâ restitutione, si fieri potest. Canon 20. excommunicandos statuit, qui fraudant debita, more Gentilium, donec soluerint. Quâ disciplinâ hoc Sæculo maximè esset opus 21. Christianum provocantem aliquem in judicium extra Ecclesiam arcet à Communione. Decimus-tertius, eleemosynam à Gentilibus oblatam Ecclesiæ, recipi vetat. Nonus, Monachum & Virginem in uno hospitio commorari, in uno curru à villa in villam discurrere, & assiduè confabulari prohibet. Septimus Clericos, qui Collectis, id est, Officiis Matutinis & Vespertinis ex negligentia desunt, ex Ecclesiæ matricula

Canones pœnitentiales notandi.

cula statuit expungendos : sicut & illos quorum capilli Romano more tonsi non fuerint, vel qui debitam in vestibus non servaverint honestatem.

ARTICULUS X.

De Concilio Arelatensi II.

CONcilium Arelatense II. quod quidam sub Silvestri, alii sub Julii, nonnulli sub Siricii Pontificatu adscripserunt, rectiùs à Sirmondo figitur circa initium Pontificatûs S. Leonis, anno Christi circiter 452. In Canonum numero discrepant MSS. Codices. Remensis ex quo illud edidit P. Sirmondus, 56. complectitur, omnes penè ex antecedentibus Conciliis repetitos, & descriptos, scilicet ex Nicæna, Arelatensi I. Vasensi II. & Arausicana II. Synodum Provincialem ad Arelatensis Episcopi arbitrium decernit congregandam : cui si quis adesse neglexerit, aut ante Concilii finem recesserit, excommunicatione plectatur, nec eùm recipere fas sit, nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus. (Can. 18. & 19.) Pœnitentiæ publicæ addictos, cùm viros, tum fœminas ineuntes secunda conjugia, vel interdictâ aut suspecta familiaritate pollutos, aut infamatos, arcet ab Ecclesiæ liminibus. Quia verò tom Pœnitentiæ decursu à conjugibus abstinere Pœnitentes debebant, secundùm Ecclesiæ disciplinam ; ideò Pœnitentiam conjugatis, nonnisi ex consensu, dandam constituit. (Canon 21. & 22.) Episcopos, Presbyteros, aut quosvis Clericos propriam deserentes Ecclesiam, anathemate ferit. (Can. 13.) Conjugatos arcet à Sacerdotio, nisi præmissa fuerit conversio : id est, nisi separati fuerint, & continentiam ex mutuo consensu promiserint, ejusque jam dederint specimen. (Can. 2.) Reos declarat Episcopos, qui reliquias idololatriæ delere negligunt : excommunicandos verò sæculares, qui has de agris suis, admoniti, non auferunt.

Synopsis Canonum.

ARTICULUS XI.

De Concilio Andegavensi.

ANno 453. Andegavi * celebrata est Synodus in Ordinatione Talasii istius urbis Episcopi, 4. Nonas Octobris, in qua datâ occasione 12. Canones editi sunt ad Ecclesiasticam Disciplinam restaurandam. Primus in Clericos, relicto Episcopali judicio, sæcularia judicia expetentes, inconsultis Episcopis suis : vel ex uno loco ad alium absque ipsorum licentiâ migrantes, animadvertit. Canonibus 4. 5. 6. 7. 8. à Communione submoventur Clerici qui tradendis, vel capiendis Civitatibus interfuerint ; Pœnitentes, qui acceptam pœnitentiam deseruerint; Sanctimoniales lapsæ, qui uxores à maritis dimissas, ipsis superstitibus ducunt ; Clerici sacræ militiæ desertores; & ad sæcularem convolantes ; Monachi Apostatæ & vagi. Canon 12. Pœnitentiæ aditum omnibus patere decernit, *Qui conversi errorem suum voluerint confiteri. Quibus, perspecta qualitate peccati, secundùm Episcopi æstimationem, veniam* statuit *largiendam.*

Andegavum, caput Andium, [illegible] Angers, urbs Episcop. sub Turonensi Metropoli. Synopsis Canonum.

ARTICULUS XII.

De Concilio Arelatensi III.

COncilium istud, Ravennio Arelatensi præside, inter annum 449. quo ipse iniit Episcopatum, & annum 461. quo vitâ functus est, celebratum fuit : quo præcisè anno, incertum. Coactum est ad dirimendam controversiam, quæ inter Faustum Abbatem Insulæ Lirinensis, & Theodorum Forojuliensem * Episcopum versabatur. Exigebat Forojuliensis Antistes à Fausto Abbate, Monasterioque ejus nonnulla, quæ Leontius ejus Decessor sibi non vindicaverat. Ea cùm Faustus negaret, inde ortum inter illos dissidium & contentio. Hanc ut componeret Synodus, Theodorum hortata est, primùm ut obliteratâ præteritorum memoriâ, Faustum reciperet in gratiam : Deinde ut in posterum nihil ab eo amplius exigeret, quàm quod sibi vindicarat Leontius ipsius in Episcopatu Forojuliensi decessor : scilicet ut Clerici ab ipso, vel cui injunxisset ipse, ordinarentur ; ab ipso Chrisma & Confirmatio peteretur ; Clerici advenæ ad Communionem, vel ad Ministerium, absque ejus mandatis non admitterentur. Ipse vicissim Laïcæ Congregationis Monasterii curam omnem Abbati liberam relinqueret, neque ex ea quemquam, nisi Abbate petente, Clericum ordinaret. Hæc ex Actis Concilii perspicua sunt.

De Frejus.

Orta inter Episcopum Forojuliensem, & Faustum Abbatem Lirinensem controversia componitur.

ARTICULUS XIII.

*De Concilio Turonico * I.*

De Tours.

SUb Severini & Dagalaifi Consulatu, anno Christi 461. S. Perpetuus Turonensis Episcopus Concilium celebravit 14. Kal. Decemb. in quo novem cum ipso diversarum Provinciarum Episcopi sedentes, tredecim Canonibus Ecclesiasticam Disciplinam Barbarorum incursionibus in Galliis concussam reformarunt. De Sacerdotum & Diaconorum continentia decernunt. Extranearum fœminarum societate & familiaritate Clericis interdicunt omnibus. Matrimonium cum viduis prohibent minoribus Clericis. Clericos Apostatas ; Virgines & Sanctimoniales lapsas, cum earum corruptoribus : homicidas ; Clericos vagos, à communione removent. Episcopos alienarum Diœceseon pervasores, aut alienos Clericos promoventes, à Fratrum & Consacerdotum communione pronuntiant alienos. Ordinationes illicitas mittunt in irritum. Usuram Clericis negotiantibus, *Secundùm Scripturarum auctoritatem, & Patrum constitutionem, prohibent.* Ad horum denique Canonum obtinendam observantiam, S. Martini intercessionem implorant.

Canonum Synopsis.

ARTICULUS XIV.

*De Concilio * Venetico.*

Venetica, Vannes, Episcop. sub Archiepiscop. Turonensi.

NOn multò post Turonense Concilium, Perpetuus tertiæ Lugdunensis Provinciæ Metropolita Venetiæ in Aremorica * Synodum ad Ordinationem Paterni illius Civitatis Episcopi congregavit : In qua sex cum ipso istius Provinciæ Antistites sederunt. Sexdecim sanciverunt Canones ad disciplinam restaurandam. Nonnulli gemini sunt iis quibus in Turonensi Synodo condendis præfuerat antea Perpetuus. Aliorum hæc summa. Secundus eos à Communione statuit arcendos, *Qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, exceptâ causâ fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint.* Evangelium perperam sunt interpretati Præsules illi, cùm dimissis uxoribus adulteris, alias ipsis superstitibus duci posse senserunt. Sed in hoc venialiter erravere. Et in quæstione quam Fidei non censebant, disciplinam secuti sunt, (abusum veriùs dicam) eâ tempestate in Galliis vigentem, aut in hac saltem Provincia receptam consuetudinem. Septimus de Monachis statuit, *Ne eis ad solitarias cellulas liceat à Congregatione discedere, nisi fortè probatis post emeritos labores, aut*

Bretagne.

Summa Canonum.

Erravere hujus Synodi Patres, Matrimonium adulterii causâ solvi posse opinati.

propter infirmitatis necessitatem, asperior ab Abbatibus regula remittatur. Quod ita demum fiet, ut intra eadem Monasterii septa manentes, tamen sub Abbatis potestate separatas cellulas habere permittantur. Abbatibus diversas Cellas, aut plura Monasteria habere vetat Canon 8. solaque permittit ipsis hospitia intra muros, quò se ab incursu hostium recipiant. Nonus Clericos sæcularia judicia adeuntes à Communione removet; quibus ut omnem excusationis præripiat ansam, permittit ut aliorum Episcoporum audientiam petant, si suspectus ipsis fuerit proprius Episcopus, aut de proprietate aliqua adversùs ipsum contendant. Undecimus jubet ut Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, nec-non etiam Clerici minores, quibus uxores ducere non licebat, quamvis initio ante Ordinationem matrimonio uti possent, etiam alienarum nuptiarum non intersint conviviis; nec iis cœtibus admisceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choreis & saltibus efferuntur: *Ne*, inquiunt Patres, *auditus & obtutus sacris Mysteriis deputatus, turpium spectaculorum atque verborum contagiò polluatur.* 12. Clericos in ebrietatem lapsos, triginta dierum spatio à Communione submovet; aut corporali subdendos supplicio decernit, idest, carcere, jejuniis, aut verberibus etiam (si minores Clerici sint) emendari. Hoc vitium Clericis execrandum ostendit, quòd *omnium vitiorum fomes ac nutrix* sit ebrietas: & ebrius graviora possit crimina, dum nescit perpetrare. 14. Clericos intra muros civitatis suæ manentes, qui Matutinis Hymnis absque probabili excusatione ægritudinis defuerint, septem diebus à communione extraneos fore pronuntiat. 15. Unum sacrorum Officiorum Ordinem, unumque psaliendi ritum in omnibus Provinciæ Lugdunensis tertiæ Ecclesiis observari jubet. Canon 16. Clericos nonnullos coërcet, qui auguriis studebant, & quamdam speciem divinationis profitebantur, quam *Sanctorum sortes* nuncupabant, inspectione quarumcunque Scripturarum futura promittentes. In eos excommunicationis sententiam decernit Synodus. Ad Victorium Cœnomanensem, & Talasium Andegavensem ejusdem Provinciæ Episcopos, qui à Concilio aberant, missum est exemplar Canonum cum Epistola Synodica.

Quantâ vigilantiâ sensus suos ab omni immunditia servare debeant Clerici.

Ebrietas execranda, præsertim Clericis.

Scholion.

In hoc Articulo, pag. 750. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notent: *Venialiter erraverunt, qui Matrimonium causâ fornicationis solvi quoad vinculum dixerunt.*

R. Summam Canonum Concilii Venetici exhibeo. Secundus Canon eos à Communione statuit arcendos, *Qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta causâ fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint.* Verba ipsa Canonis sunt, de quo ita censeo: *Evangelium perperam sunt interpretati Præsules illi, cùm dimissis uxoribus adulteris, alias ipsis superstitibus duci posse censuerunt. Sed in hoc venialiter erravere. Et in quæstione quam fidei non esse sciebant, disciplinam secuti sunt (abusum veriùs dicam) eâ tempestate in Galliis vigentem, aut in hac saltem Provincia receptam consuetudinem.* Synodum Veneticam sic excuso, ut sacram tectam præstem Catholici Dogmatis veritatem: sic excuso, ut Præsules in ea congregatos Evangelium perperam interpretatos esse observem, cùm dimissis uxoribus adulteris, alias ipsis superstitibus duci posse senserunt. Venialem tamen illorum errorem voco, quemadmodum vocavit S. Augustinus libro *De fide & operibus*, cap. XIX. *In ipsis*, inquit, *Divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut, quantùm existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Hæc S. Augustinus.

ARTICULUS XV.

De Concilio Romano, sub Hilaro Papa.

ANno Christi 465. 15. Kal. Decembris, Hilarus Pontifex Maximus Romæ Synodum celebravit in annua Consecrationis suæ solennitate. Hujus Synodi exordio, Disciplinam Ecclesiasticam ex observantia Canonum, & maximè Nicænorum pendere totam intelligens Papa Sanctissimus, hanc observantiam edito Canone sanxit, seque reum fore contestatus est, nisi Canonum executioni invigilaret. *Nulli*, inquit, *fas sit, sine status sui periculo, vel divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis Decreta temerare: quia nos qui potissimi Sacerdotii administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in caussis Dei desides fuerimus inventi: quia meminimus quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ Sacerdotum. Siquidem reatu majore delinquit qui potiori honore perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.*

Observantia Canonum.

Proposuit subinde Pontifex alios Canones auctoritate Synodi approbandos, quibus irregulares declaravit bigamos, viduarum maritos, illiteratos, mutilatos, pœnitentes. Edixit etiam ut Episcopus, quod à se, vel decessore suo contra Canones gestum est emendet. Denique Concilio proposuit Hilarus Hispanorum Tarraconensis Provinciæ Episcoporum ad se missam Relationem, preces, & querimonias: Preces in gratiam Irenæi, quem Nundinatius Episcopus in Barcinonensi * Ecclesia successorem designaverat; ut ipsius designationem confirmaret: querimoniam contra Silvanum Calagurritanum * Episcopum, qui indebitas Ordinationes usurpaverat. Ista Successorum designatio, & Episcopatuum quasi testamentario jure dimissio, quàm grave malum esset, & quantâ vigilantiâ ac zelo ex Ecclesiis auferendum, Pontifex exposuit. Patres frequentibus acclamationibus suffragii viritim dicendi loco, propositos ab Hilaro Canones approbarunt. *Exaudi Christe, Hilaro vita. Hæc præsumptio numquam fiat. Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt. Successores Deus dat. Auctoritate vestrâ resistite huic rei per Apostolatum vestrum. Ut disciplina servetur, rogamus. Ut antiquitas servetur, rogamus. Ut Canones custodiantur, rogamus. Ut in præsumptoribus vindicetur, rogamus. Ordinatio Apostolica illibata servetur. Dignus Papa, dignus Doctor.*

* Barcelone.

* Calahorra.

ARTICULUS XVI.

De Concilio Cabilonensi.

ANno Christi circiter 470. Patiens Lugdunensis Metropolita Cabiloni * Concilium habuit Provinciale, ad electionem & ordinationem Episcopi celebrandam, vacante illius Ecclesiæ Sede. Civibus in varia studia divisis, Patiens, & Euphronius Augustodunensis, communicatô cum Coëpiscopis consiliô, Joannem quondam Archidiaconum, tunc secundi ordinis Sacerdotem, *Dissonas inter partium voces, quæ differebant laudare non ambientem, sed nec audebant culpare laudabilem, stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, Collegam sibi consecravere.* Illum, inquam, Episcopum Cabilonensem creaverunt, *Euphronius testimoniô, patiens manu, ambo judiciô.* Id habemus ex Sidonio Apollinari lib. 4. Epistola ultima, ad Domnulum datâ.

* Cabilonum, Châlons sur Saone. Urbs Episcop. sub Archiepisc. Lugdunensi.

ARTICULUS

ARTICULUS XVII.

De Concilio Bituricensi.

Avaricum Biturigum, Bourges, regionis pri, belles Archiepiscop.

ANno Christi circiter 472. Sidonius Arvernorum Episcopus, Bituricensibus Clericis & civibus de Episcopi dissidentibus electione, eam in civitatem ab utrisque rogatus se contulit, ad electionem Episcopi celebrandam. Quia verò ex Provinciæ Aquitanicæ primæ urbibus solum oppidum Arvernum seu Claromontanam civitatem Romano reliquam Imperio bella fecerant, & Provincialium Episcoporum deficiebat numerus ad Metropolitani B electionem, Sidonius Agrœcium* Metropolitanum Senonensem, & Euphronium Augustodunensem Episcopum ad Synodum invitavit, quam habuit Avarici Biturigum. Simplicium populi votis expetitum, meritis ipsius exploratis, Episcopum constituit, virum de Ecclesia & Republica optimè meritum, generis, virtutumque claritate spectatissimum: de quo Sidonius ipse in Oratione quam habuit in Ecclesia Bituricensi, cùm ipsum designavit Episcopum, hæc habet: *Respublica ineo quod admiretur, & Ecclesia potest invenire quod diligat. Si natalibus servanda reverentia est: parentes ipsius aut Cathedris, aut* C *Tribunalibus præsederunt. Illustris in utraque conversatione prosapia, aut Episcopis floruit, aut Præfectis. Ita semper hujusce majoribus aut humanum, aut divinum dictare jus usui fuit..... Si annos ipsius computemus, habet efficaciam de juventute, de senectute consilium. Si literas vel ingenium conferamus, certat natura Doctrinæ. Si humanitas requirenda est, civi, Clerico, peregrino, minimo, maximoque, etiam supra sufficientiam offertur; & suum sæpius panem ille qui non erat redditurus, agnovit. Si necessitas accipiendæ legationis incubuit: non ille semel pro hac civitate stetit ante pellitos Reges, vel ante Principes purpuratos....* D *Ille est cui in tenebris ergastularibus constituto, multiplicíter obserata barbarici carceris divinitus claustra patuerunt. Hic vobis Ecclesiam juvenis, miles, tenuis, solus adhuc filius familias, & jam Pater extruxit..... Vir est totus popularitatis alienus: gratiam non captat omnium, sed bonorum: non indiscretâ familiaritate vilescens, sed examinatâ sodalitate pretiosus: & bonovirorum amulis fuit magis prodesse cupiens, quàm placere: severis patribus comparandus, qui juvenum filiorum non tam cogitant vota, quàm commoda. In adversis constans, in dubiis fidus, in prosperis modestus, in habitu simplex, in sermone comis, in contubernio æqualis, in consilio præcellens. Amicitias probatas ni-* E *xe expetit, constanter retinet, perenniter servat. Inimicitias indictas honestè exercet, tardè credit, celeriter deponit. Maximè ambiendus, quia minimè ambitiosus: non studet suscipere Sacerdotium, sed mereri.*

Simplicii Bituricensis Archiepiscopi præclarum Elogium.

ARTICULUS XVIII.

De Concilio Romano sub Gelasio.

COncilium istud à Gelasio I. cum 70. Episcopis celebratum, anno Domini 494. Asterio & F Præsidio Coss. referunt Conciliorum Collectores. Illi Synodo tribuitur Decretum de libris Canonicis, Ecclesiasticis, & Apocryphis. Sed MSS. Codices in assignando hujus Decreti Authore non conveniunt. Vetustissimus Codex Collectionis Dionysii Exigui, quem secum communicatum à Domno Luca Dacherio eruditus Baluzius testatur, hoc Decretum Damaso Papæ adscribit. Et Cardinalis Baronius ad annum Christi 69. ex Concilio Romano sub Damaso, quod Cresconiana Collectio continet, partem hujus Decreti laudat. Codex Ecclesiæ Urgellensis, teste Baluzio, & Jurensis pervetustus, teste Chiffletio, idem A tribunt Hormisdæ. Codex antiquissimus, quo usus est Joannes Pearsonius qui in Bibliotheca Collegii SS. Trinitatis Cantabrigiæ asservatur, quem Lanfrancus ex Beccensi Cœnobio in Angliam detulit, Gelasium agnoscit Authorem. Hunc enim titulum præfixum habet: *Decreta Gelasii Papæ de recipiendis, & non recipiendis libris. Quæ scripta sunt ab eo cum 70. eruditissimis Episcopis.* Idem Decretum Gelasio tribuit Gratianus. Idem titulus huic Decreto præfigitur à Burchardo Vuormatiensi Episcopo. Idem legitur apud Lupum Ferrariensem Abbatem, Epistola 123. *Quoniam*, inquit, *docet Gelasius cum 70. Episcopis, viris eruditissimis, qui Scriptores essent, vel non* B *essent recipiendi.* Alii Codices MSS. & omnes excusi consentiunt. Viris quibusdam Eruditis videtur, primò Gelasium, deinde Hormisdam hoc Decretum edidisse. Gelasii sit, vel Hormisdæ, vel utriusque, parum interest. Venerandæ sacrum monumentum antiquitatis nemo negaverit. Illo confodiuntur Hæretici, qui numerum librorum Canonicorum pro suæ sectæ commodo, & libidine minuunt, Traditione insuper habita. Nam Job, Tobiæ, Judith, Maccabæorum libros, Epistolam ad Hebræos, Apocalypsim Joannis, Epistolam Jacobi, Petri duas, Joannis Apostoli tres, Judæ unam, conscribit in C Canone.

An Decretum de Libris Canonicis, Ecclesiasticis & Apocryphis, sit Gelasii vel Hormisdæ, incertum.

Si verè sub Asterii & Præsidii Consulatu editum est hoc Decretum, ab Hormisda, vel ab alio quopiam addita sunt, quæ in eo habentur de Sedulio. *Item venerabilis viri Sedulii Paschale Opus, quod Heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.* Nam Opus Paschale Sedulii iis Consulibus notum non fuit, sed Asterio Exconsule divulgatum est. Id ostenditur ex ipsius Asterii jam Exconsulis Epigrammate ad Macedonium, Paschali Sedulii Operi, quod ipse edidit, præfixo in duobus vetustis MSS. ut Sirmondus & Usserius testantur.

Quæ de Sedulio in hoc Decreto habentur, ad Gelasium non pertinent.

D

Sume sacer meritis veracia dicta Poëta,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio;
Quo caret alma fides, quo sanctis gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope & curâ edita sunt populis.
Quem quamvis summi celebrent per sæcula Fasti,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Id indicat vetus illa Epigraphe, quæ in Aldi Manutii Editione Paschalis Carminis præfixa est: *Hoc Opusculum non à Sedulio autore editum est, sed à Turcio Rufo Asterio V. C. Exconsule ordinario atque Patritio, qui id inter scripta Sedulii invenit.* Cùm E igitur Asterius Consul fuisset, cùm nomen ejus Fastis jam esset adscriptum, tunc primùm edidit Paschale Opus Sedulii. Non potuit igitur à Gelasio anno Christi 494. Asterio & Præsidio Coss. tantopere celebrari.

CAPUT VI.

De Politia Ecclesiastica quinti Sæculi.

ARTICULUS I.

De Primatibus.

§. I.

*De Primate Hispalensi * in Hispaniis.*

IN Hispaniis ante cæteros Primatûs jure potitus est Episcopus Hispalensis. Zenoni namque vices suas ad curandam Canonum executionem, Simplicius Romanus Pontifex concessit anno 482. sic ad ipsum scribens (Epistola 1.) *Congruum duximus, Vicariâ*

* Seville.

Vicariâ Sedis nostra te Auctoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apostolica institutionis Decreta, vel Sanctorum terminos Patrum, nullo modo transcendi permittas. Eundem Primatum Sallustio Hispalensi Episcopo detulit Hormisdas Pontifex per Bæticam, * & Lusitaniam *, anno 517. (Epist. 26.) *Vices itaque nostras*, inquit, *per Baticam * Lusitaniamque * Provincias, salvis privilegiis qua Metropolitanis Episcopis detulit antiquitas, prasenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Paternas igitur Regulas, & Decreta à Sanctis definita Conciliis, omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraterna monitu exhortationis extendimus.... Quoties universalis poscit Religionis caussa, ad Concilium te cuncti Fratres evocante conveniant: & si quos eorum specialis negotii pulsat contentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris Legibus determinando certamina. Quidquid autem illis pro Fide, & veteribus Constitutis, vel providâ dispositione pracipies, vel persona nostra auctoritate formabit, totum ad scientiam nostram instructa Relationis attestatione perveniat.*

Andalousie. Portugal.

S. Leander Hispalensis Episcopus Concilio 3. Toletano ut Sedis Apostolicæ Vicarius interfuit, teste S. Isidoro, Chronici lib. 2. *Interfuit tunc Primas ille Catholicus & Orthodoxus, Leander Hispalensis Archiepiscopus, & Romana Ecclesia Legatus, sanctitate & doctrinâ perspicuus.*

Eadem auctus erat proculdubio dignitate S. Isidorus Hispalensis, qui Concilio 4. Toletano præ. Narbonensi, Emeritensi, Toletano, Bracarensi, & Tarraconensi Metropolitanis præfuit.

Hispalensis Primatus ad Concilii Toletani XII. tempora circiter perduravit. Sed solus non fuit in Hispaniis Primas Hispalensis Episcopus à temporibus Simplicii, qui vices ei suas primus demandavit. Nam Hormisdas ejus successor Joanni Tarraconensi Episcopo vices suas commisit anno 517. (ut constat ex ipsius Epistola 24.) *Servatis*, inquit, *privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolica Sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea que à nobis sunt nuper mandata serventur, sive ea qua de Ecclesiasticis caussis tua revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur.*

§. II.

D'Arles.

*De Primate Arelatensi * in Galliis.*

Zosimus Papa Vicariatum per totam Galliam Patroclo Arelatensi Episcopo olim commiserat, ut constat ex ejus Literis ad Galliarum Episcopos universos, & ad Patroclum ipsum. Hunc imitatus Hilarus Pontifex Maximus, Leontio Arelatensi Episcopo potestatem concessit Nationales quotannis Synodos congregandi: & discutiendi caussas, ob quas quidem Metropolitani Literas Formatas Suffraganeis suis, & aliis Clericis in aliam Provinciam profecturis recusassent. Hæc autem est magnifica Primatûs inchoatio. *Per annos itaque singulos*, (inquit Epist. 8.) *ex Provinciis quibus poterit congregari, habeatur Episcopale Concilium: ita ut opportunis locis atque temporibus, secundùm dispositionem fratris & Coëpiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis Fratribus delegavimus, Metropolitanis per Literas ejus admonitis celebretur.... Ne prater Metropolitanorum suorum Literas aliqui ad quamlibet Provinciam audeant proficisci. Quibus è contrario hâc ratione prospicimus, ut si hoc impetrare per aliquam non meruerint simultatem, cum duobus Metropolitanis Provinciarum, qua congrua sunt, Arelatensis Episcopus cuncta discutiens, pro caussa qualitate observanda constituat: nec in injuriam alterius alienum*

Anno 470.

Clericum suscipi prater testimonium proprii Antistitis, secundùm Canonum statuta pracipiet. Idem constat ex Epistola 10.

Istius vi Primatûs, Mamerti Viennensis Metropolitani, qui extrà suos fines Diensibus Episcopum ordinaverat, caussam cognoscendam suscepit. Quâ de re ad ipsum scripsit Hilarus his verbis: *Memor sollicitudinis, quam dilectioni tua scis esse commissam, quicquid nunc ad notitiam nostram brevi insinuatione delatum est, in Conventu Synodali, qui secundùm statuta nostra, annis singulis, te sibi prasidente est congregandus, discutere quasi ita debebis, &c.*

Anno 514.

Symmachus Papa, postquam divisionem Provinciæ inter Viennensem & Arelatensem Ecclesias à S. Leone constitutam confirmasset, Primatum Cæsario Arelatensi per omnes Gallicanas regiones concessit, nec-non per Hispaniæ Provincias Galliis finitimas. *Manentibus his*, (inquit Epistola 10) *qua Patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus ut circa ea, qua tam in Gallia, quàm in Hispania Provinciis de caussa Religionis emerserint, solertia tua Fraternitatis invigilet: & si ratio poposcerit prasentiam Sacerdotum, servatâ consuetudine, unusquisque sua Dilectionis admonitus auctoritate conveniat. Et si Dei adjutoriò controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin existentis negotii qualitas ad Sedem Apostolicam te referente perveniat.... Si quis de Gallicana, vel Hispanâ regionibus, Ecclesiastici Ordinis atque Officii, ad nos venire compulsus fuerit, cum Fraternitatis tua notitia iter peregrinationis arripiat.* Non est expungendum ex Symmachi Literis Hispaniæ vocabulum cum Baronio & Binio, sed cum Sirmondo servandum: Constitutus namque est Arelatensis Episcopus Primas in omnibus Provinciis quas Theodoricus Ostrogothorum Rex in Gallia & in Hispania, suô vel Amalarici nepotis nomine gubernabat.

Primatus Arelatensis Episcopi per universam Galliam, ex aliis Symmachi Papæ literis ad Cæsarium datis confirmant, quas ex Arelatensi Codice descripsit Baronius ad annum 502. n. 37. *Charitati tua*, inquit, *per omnes Gallicanas regiones utendi Pallii concessimus facultatem, &c. quatenus & in Ecclesia vestra, & in supradicta Provincia, disciplina bonis actibus amica servetur.*

Anno Christi 545. Vigilius vices suas in Gallia Auxanio Arelatensi pariter delegavit, Rege Childeberto postulante, & consentiente Imperatore Justiniano. Sine Imperatoris quippe nutu Pallii usum tunc non solebat concedere Pontifex Romanus. Id constat ex Epistola 1. & 2. Vigilii, Tom. 1. Conciliorum Galliæ. *Sicut nos*, inquit, *pro tua charitatis affectu, & pro gloriosissimi filii nostri Regis Childeberti Christianâ devotione mandatis, vices nostras libentissimâ voluntate contulimus: ita Fraternitatem tuam convenit Deo placitis operibus tanta Sedis auctoritate dignâ conversatione uti.... Si qua ergo inter Fratres & Coëpiscopos nostros, in locis vestra charitati prasenti auctoritate commissis dissensiones, emerserint, adhibitis vobiscum Sacerdotibus numero competenti, caussas Canonicâ & Apostolica equitate discutite, ea modis omnibus prolatô judiciô finituri, qua Deo placitis Decessorum nostrorum possint Regulis convenire. Si quis vero certamina aut de Religione Fidei, quod Deus auferat, aut de quolibet negotiô, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussâ, Relationis ad nos seriem destinantes, Apostolica Sedi terminanda servate.... Nullus ergo de Pontificibus tua per has vices Ordinationi commissis, sicut & ad eos data loquitur nostra Praceptio, in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solenni more, sicut Decessore nostrô Decessori vestro similiter concedente consueverant,*

Formulam

Formatam vestra charitatis acceperit.... Et quia digna credimus ratione compleri : ut agenti vices nostras Pallii non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut Decessori tuo Prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, Beati Petri sanctâ auctoritate concedimus.

Post obitum Auxanii, suas Aureliano vices idem Vigilius per Gallias delegavit, Childeberto Rege Christianissimo pariter postulante. (Epistola 5.) *Administrationem vicum nostrarum Fraternitati vestræ animo libenti committimus, & credimus charitatis vestræ officiô actibus Deo placitis diligenter universa compleri; quando & Summi Sacerdotii consortiô vos dignos divina esse gratia judicavit, & gloriosissimi Childeberti Francorum Regis Christiana & Deo placita in perhibendo vobis testimonio voluntas accessit. Quapropter Vices nostras vestræ charitati hâc auctoritate committimus, ut universa quæ Decessorum nostrorum, vel Canonum statuta sanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque servando, & nostrum, & prædicti gloriosi Regis judicium circa charitatem tuam rectum fuisse possis ostendere.*

Anno 557. Pelagius I. vices suas Sapaudo Arelatensi in Galliis demandavit, usumque Pallii ipsi concessit. *Majorum nostrorum* (inquit in Epistola ad ipsum datâ) *cupientes inhærere vestigiis...., Charitati tuæ per universam Galliam, Sanctæ Sedis Apostolicæ, cui divinâ gratiâ præsidemus, Vices injungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana testantur scrinia, à Sanctis Patribus & Decessoribus nostris tuis Decessoribus esse concessum: ut illius stabilis Petræ sempiterna soliditas, suprà quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam à Solis ortu usque ad occasum, primatus sui apicem Successorum suorum auctoritate, tam per se, quam per Vicarios suos firmiter obtineret..... Fraternitati tuæ hujusmodi curas injungimus, ut Sedis nostræ Vicarius institutus, ad instar nostrum in Gallarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas; & quidquid ad gubernationem, vel dispensationem Ecclesiastici Statûs agendum est, servatis Patrum regulis, & Sedis Apostolicæ constitutis, divini judicii consideratione dispenses; talemque te in custodiendis Canonibus sanctâ conversatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.*

Anno 593. S. Gregorius Magnus eodem privilegio auxit Virgilium Arelatensem Episcopum. *Quia igitur* (inquit lib. 4. Epist. 52.) *unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri Præpositus; idcirco opportunum esse perspeximus, in Ecclesiis quæ sub regno præcellentissimi Filii nostri Childeberti Regis sunt, secundùm antiquam consuetudinem; fratri nostro Virgilio Arelatensis civitatis Episcopo vices nostras tribuere: Quatenus & Catholica Fidei integritas, id est, sanctarum quatuor Synodorum, Deo protegente, solicita devotiô servetur; & si inter fratres Consacerdotesque nostros aliqua evenerit fortè contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe Sedis Apostolicæ functus, discretâ moderatione compescat. Cui etiam injunximus, ut si quarumdam caussarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus & Coëpiscopis nostris, salubriter hoc servatâ æquitate discutiat, & Canonicâ integritate definiat. Si quam verò contentionem de fidei caussa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sua magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinatâ diligentiùs veritate, Relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem.* Legatur Epistola 50. ejusdem libri ad Virgilium ipsum, & 53. ad Childebertum Regem datâ.

Ex his constat, dignitatem illam & privilegia Primatûs personalia fuisse, quæ in gratiam novi Episcopi à Romano Pontifice renovari opus esset: non verò sedi ipsi in perpetuum collata. Secundò, concessa non fuisse nisi petentibus, & ad Regis Christianissimi commendationem. Cæterùm Gregorii VII. & Nicolai I. temporibus extinctum prorsus fuisse Primatum Arelatensem, constat ex eorum Epistolis. Quin inclinante Merovingiorum Dynastia cessaverit, nullus dubito.

Greg. 7. lib. 6. Epist. 2. Nicol. 1. Epist. 10.

ARTICULUS II.

De Episcopis.

Novorum Episcopatuum erectio.

HOc sæculô novi erigebantur Episcopatus à Synodis Provincialibus, consentiente Metropolitano; postulante Episcopo, vel annuente, ad cujus Parœciam pertinebat Ecclesia, in qua sedes Episcopalis collocabatur. Id ex Canone 15. Concilii Africani compertum est: & ex factô S. Augustini, qui in Fussalensi Castello, millibus quadraginta ab Hippone sejunctô, Episcopum ordinari curavit à Primate Numidiæ, Romano Pontifice inconsultô, ut constat ex ipsius Augustini Epistola 261.

** Postremæ edit. 209.*

II. Gentibus ad fidem recèns conversis Romanus Pontifex de Episcopis providebat. Sic Celestinus I. Palladium Scotis primum Episcopum ordinavit, teste S. Prospero in lib. adversùs Collatorem. *Ordinato Scotis Episcopo*, inquit, *dum Romanam Insulam studet servare Catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam.*

Tempus Ordinationum Episcoporum.

III. Die Sabbati vespere, vel die Dominico, fieri ordinationes debebant, ex S. Leone Epistola 81. ad Dioscorum. *Quod à Patribus novimus esse servatum, à vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica Ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejusque noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur.... Jejunis, & à jejunantibus, sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuatô Sabbati jejuniô celebretur; à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis pertinere, non dubium est.... Ut his qui consecrandi sunt, nunquam benedictio nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui à vespere Sabbati initium constat adscribi. In hac denique die promissus à Domino Apostolis Spiritus Sanctus advenit.*

Jus Metropolitani in Ordinationibus Episcoporum.

IV. Absque Metropolitani *notitiâ, consensu, & judiciô*, consecrari non poterant, ut compertum est ex Innocentio I. *Epist.* 2. ex Bonifacio I. *Epistola* 3. S. Leone *Epistola* 89. & 92. & Hilaro *Epistola* 2.

Quod jus Principum in Electionibus sacris?

V. Principes Episcoporum electioni se immiscebant, eorumque assensum, aut confirmationem quandoque rogabat Ecclesia, ut suam auctoritatem adversùs Hæreses & Schismata interponerent. Sic post Sisinnii obitum, Nestorium Antiochiâ evocavit Theodosius, ac Episcopum Constantinopolitanum designavit. *Visum est Imperatori*, inquit Socrates lib. 7. cap. 29. *propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesia ad Episcopatum illum eligere, sed advenam Antiochiâ accersere.* Post Nestorii abdicationem, sacra Synodus Ephesina his verbis scripsit ad Clerum Constantinopolitanum: *Omnia quæ ad Ecclesiam pertinent, custodite, ut & rationem redditurì ei, qui Dei voluntate, piissimorumque Imperatorum nostrorum nutu ordinandus est Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus.* Maximianus procurante Theodosio electus est: Istudque Imperatoris erga Ecclesiam beneficium commendarunt, eique propterea gratulati sunt SS. Cyrillus & Celestinus I. Bassianus de Ephesino Episcopatu cum Stephano contendens, *Actione 11. Concilii Chalcedonensis*, se Imperatoris Edicto confirmatum ait. *Multa*, inquit, *necessitate & vi inthronizaverunt*

runt me in eadem civitate Ephesi, populus, & Clerus, & Episcopi. Agnoscens autem hæc piissimus Imperator, repente hoc confirmavit, & repente per Commonitorium apertè declaravit, confirmans Episcopatum. Postea direxit iterum Sacram per Eustathium Silentiarium, quæ confirmaret Episcopatum. Theodorici, Ariani licet Principis, judicio stetit Romana Ecclesia in Schismate ortô Symmachum inter & Laurentium. Judicavit ut qui primò ordinatus esset, vel pluribus suffragiis, pro legitimo Pontifice haberetur. Visitatorem Episcopum Romam misit recrudescente discordia, Synodum indixit, Symmacho Pontificatum confirmavit.

A quibus fiebant electiones?

VI. Clericorum votis & consensu, testimonio plebis, suffragiis Episcoporum Comprovincialium eligebantur Episcopi, ex Clero Ecclesiæ vacantis. *Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, plebis, & Ordinis consensus ac desiderium requiratur:* (inquit Celestinus I. Epistola 2.) *Cum de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postularit....... Metropolitanô defunctô, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate discussâ, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus, optimus eligatur,* (inquit S. Leo Epistola 84.) *Teneatur subscriptio Clericorum, Honoratorum testimonium, Ordinis consensus & Plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* (Epistola 89.) Idem in Gallicanis Ecclesiis hoc sæculô observatum fuisse, constat ex Sidonio *lib. 4. Epistola 25.* ubi de Joannis Cabilonensis Episcopi electione scribit, *A Pontificali Provincialium Sacerdotum Collegio factâ, stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis.* Et *lib. 7. Epistola* ... ubi ad Episcopi Bituricensis electionem se à populo fuisse evocatum testatur, ad eamdem invitasse Agrœcium Metropolitanum Senonensem, populum Simplicium postulasse, sed Episcoporum judicio suum subjecisse, interpositô etiam juramentô: ut idem Sidonius testatur in Sermone habito ea in Electione. *Nec valuissemus,* inquit, *aliquid in commune consulere, nisi junicii sui faciens plebs levica jacturam, Sacerdotali se potius judicio subdidisset... Et quia sententiam parvitatis meæ in hac electione valituram esse jurastis, In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Simplicius est, quem Provinciæ nostræ Metropolitanum, civitati vestræ Summum Sacerdotem fieri debere pronuntio.*

Episcopi ex Clero Ecclesiæ vacantis eligendi erant.

Quòd verò ex Clero Ecclesiæ vacantis eligendus esset Episcopus, habemus ex Epistola 2. Celestini Papæ, cap. 5. *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri... Habet unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem... Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari; & quos sibi ingeri ex adverso agnoverint, non timeant refutare, &c.* Et ex S. Leone Epistola 84. *Ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur.*

Coadjutores.

VII. Sancti Episcopi 5. sæculo & præcedentibus, Coadjutores, & Successores sibi designarunt, Clero & plebe consentiente. Sic Valerius Hipponensis Episcopus senio & morbis confectus, obtentâ dispensatione ab Episcopo Carthaginensi, totius Africæ Primate, S. Augustinum Coadjutorem sibi assumpsit, & Hipponensem ordinari curavit Episcopum, qui unà secum Ecclesiam regeret. Episcopatum suscipere, contra morem Ecclesiæ, suô vivente Episcopo, Augustinus recusabat. At nonnullis jam exemplis præcedentibus, omnis ipsi excusatio claudebatur. Quod in se ipso postea fieri non debuisse, ut vivo suo Episcopo ordinaretur, & dixit, & scripsit, propter Concilii Nicæni Canonem, quem jam ordinatus didicit, Lege Possidium *in Vita S. Augustini cap. 8.* Augustinum ipsum *Epistola* 34. & S. Paulinum apud S. Augustinum *Epistola* 36. S. Augustinus Eradium Successorem suum designavit, Clero, populoque Hipponensi consentiente, & in ipsum negotiorum Ecclesiasticorum onera refudit, ita tamen ut nonnisi post obitum suum ordinaretur Episcopus. (Ex S. Augustino *Epistola* 110.) Severus Milevitanus Episcopus, communicatô cum Clericis consiliô, sibi delegerat Successorem, non postulatô consensu plebis. Inde orta aliqua dissentio post Severi mortem, quam S. Augustinus composuit; ut ipse testatur ibidem. Sæculo præcedente, S. Athanasius, tam Dei voluntate, quàm beati Alexandri suffragiô & mandatô, Episcopus Alexandrinus ordinatus est. (Ex S. Epiphanio *Hæresi* 68.) Alexander Constantinopolitanus Paulum & Macedonium designavit, velut dignos ob egregias dotes, qui sibi succederent. (Ex Socrate lib. 2. cap. 5.) S. Athanasius Petrum suo suffragio Alexandrina in sede Successorem suum designavit: ejusque electioni ab omnibus tam Sacerdotibus, quàm Magistratibus assensum est. Populus quoque universus acclamationibus quantum lætitiæ percepisset, demonstravit. (Ex Theodoreto lib. 4. cap. 18.) Hanc tamen Successorum designationem ab Episcopis moribundis factam, consentientibus licet Comprovincialibus Episcopis, irritam & Canonibus contrariam declaraverunt Hilarus Pontifex & Romana Synodus in caussa Irenæi, quem Nundinarius Barrinonensis Episcopus sibi Successorem designaverat: *Ne Episcopatus honor hæreditarium jus putaretur, quod solâ Dei benignitate confertur.* Sæculo 3. Narcissus Hierosolymorum Episcopus, centesimum & ampliùs annum agens, Alexandrum Coadjutorem sibi divinâ revelatione assumpserat, consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis, (ex Eusebio, lib. 6. cap. 11.) Antiochenæ Synodi Canon 23. sæculo 4. vetuit ne Episcopus Successorem sibi constitueret. Itaque & Canonibus prohibitum erat sæculo 5. ne Episcopi sibi Successores eligerent, & ab Ecclesiæ moribus id semper alienum fuerat: quamvis postulante Ecclesiæ bono, sanctissimi Antistites, Clero & plebe, vel Comprovincialibus Episcopis consentientibus, successores suos designassent, aut Coadjutores cum spe futuræ successionis assumpsissent.

** Postremæ edit. 31.*
** Postremæ edit. 32.*
** Postremæ edit. 37.*

Nulla generis sui & cognationis habita ratione SS. Episcopi Coadjutores assumebant.

VIII. SS. Antistites generis sui commodum non spectarunt, cùm sibi Coadjutores, aut Successores designavere: siquidem consanguineos suos, aut affines plerumque non eligebant, sed quos Ecclesiæ sperabant utiliores fore. Attendebant enim ad Moysis exemplum, *Qui cùm haberet filios, & fratrem, & fratris filium, nullum horum Ducem* (Israelitici populi præfecit,) *sed Deum consuluit, & quem ipse decrevit, ordinavit* (ut notat Theodoretus in *Numeros, cap.* 47.) Quod exemplum ante Theodoretum urgebat Origenes *Homil. 22. in Numeros,* hinc ita colligens: *Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit.* Hinc 76. Canonum qui Apostolici vulgò dicuntur, prohibet, *Ne Episcopus fratrem suum, vel filium, vel propinquum, in Episcopum ordinet. Hæredes enim Episcopatus facere non justum est; nec humanô affectu divina sunt tractanda. Si fiat, non valeat Ordinatio: ipse verò excommunicatione puniatur.* Hinc S. Leo *Sermone 2. in Anniversario die Assumptionis suæ ad Pontificatum,* exponens quâ ratione Sacerdotium Christi sit secundùm Ordinem Melchisedech, non secundùm Ordinem Aaron, ait: *Denique cùm hujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur,*

nec

nec quod caro & sanguis creavit, eligitur: sed cessante privilegiò Patrum, & familiarum ordine prætermissò, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit: ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas Sacerdotalis atque Regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat Antistitem.

Si tamen Episcopi nepos Ecclesiasticis virtutibus præditus esset, easque haberet dotes, quæ regendæ Ecclesiæ ipsum idoneum præstarent, non existimarunt Patres hunc à successione in Episcopatum avunculi sui rejiciendum. Sic Heliodorus Nepotianum Nepotem suum sibi successorem destinaverat: qui ante religiosissimum avunculum raptus est: Quem S. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani his verbis compellat: *Tu nepotem quærebas, Ecclesia Sacerdotem. Præcessit te Successor tuus. Quod tu eras, ille post te judiciò omnium merebatur. Atque ita ex una domo duplex Pontificatûs egressa est dignitas; dum in altero gratulatio est, quòd tenuerit; in altero mæror, quòd reptus sit, ut teneret.*

Migrationes & Translationes de uno Episcopatu ad alium, vetitæ.

IX. Migrationes, & Ttanslatione Episcoporum de uno Episcopatu ad alterum, Ecclesiæ disciplina 5. Sæculo, uti nec præcedentibus patiebatur, nisi Ecclesiæ auctoritate, & propter ejus bonum fierent. Id constat ex Concilio Chalcedonensi Canone 5. *De his*, inquit, *qui transmigrant de Civitate in Civitatem Episcopis, aut Clericis, placuit Canones, qui de hac re à sanctis Patribus constituti sunt, habeant propriam firmitatem.* Canones illi sunt Nicænus 15. Sardicenses 1. & 2. Antiochenus 21. Carthaginensis 4. Synodi 27. quibus hujusmodi migrationes prohibentur; quod eas suadeant plerumque cupiditas & ambitio; Quia *Virginalis paupercula societate contemptâ, ditioris adulteræ quærunt amplexus*: ut scribit S. Hieronymus *ad Oceanum*. In his etiam Canonibus numerandus est libellus Synodicus Damasi ad Paulinum, apud Theodoretum *Lib. 5. Historia Ecclesiastica cap. 11.* Synodus Carthaginensis 4. Clericis & plebe supplicantibus, has translationes auctoritate Synodi Provincialis faciendas, si id ex Ecclesiæ bono videretur, edixerat. Laudatus fuit à Constantino Magno Eusebius Cæsariensis, quòd Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatum repudiasset, in eo permanens, *Quem Dei mandato ab initio susceperat*; (Ex Eusebio *lib. 3. de Vita Constantini cap. 61*) Ab Episcopis Ægypti Nicomediensis Eusebius reprehensus est eo nomine, quòd à Berythensi Ecclesia ad Nicomediensem: ab hac ad Constantinopolitanam migravisset: *Non habens præ oculis illud præceptum: Alligatus es uxori? ne quære solutionem. Quod si hoc de uxore dictum est, quantò magis de Ecclesia, atque adeò de Episcopatu, cui cùm quis alligatus est, alium quærere non debet, ut adulter in sacris Literis deprehendatur?* (Apud S. Athanasium *Apologia 2.* & Theodoretum *lib. 1. Historia Ecclesiastica cap. 19.* & 21.) Hinc Julius I. ad Orientales scripsit: *Si verò parem eundemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, oportet eum cui credita est parva Civitas, in ea permanere; ne eam quæ à Deo data est, aspernari; illam quæ hominum ambitu concessa est, magnificare videatur.*

Secundùm hos Canones, & Patrum doctrinam, S. Leo *Epistola 84.* ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum datâ scripsit: *Si quis Episcopus mediocritate Civitatis suæ despectâ, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem, quacumque occasione transtulerit, non solum à Cathedra pellatur alienâ, sed carebit & propriâ: ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit.*

Gelasius I. *Epistola ad Episcopos Lucaniæ, cap. 5.* eosdem Canones executioni mandari jussit. *Quisquis*, inquit, *propriæ desertor Ecclesiæ, nullis existentibus caussis, ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit, & promotus .... Canonum constituta non effugiet.*

Socrates *lib. 7. Historia Ecclesiastica cap. 35.* Rem planè indifferentem apud veteres fuisse scribit, quoties usus poscebat, Episcopum ab unâ Civitate ad aliam transferre: multosque Episcopos recenset, qui ab una Civitate ad aliam, *propter opportunos & necessarios Ecclesiæ usus*, translati fuerunt. Persecutionum temporibus id cuique liberum fuisse scribit idem Author lib. 5. cap. cap. 8. & revera *Formidolosis temporibus summum jus prætermitti necesse est*: ut ait Synesius *Epistola 67.*

S. Gregorius Sasimorum primùm ordinatus Episcopus, ad Sedem Constantinopolitanam translatus est judiciô Synodi: sed non eo consilio Constantinopolim venerat, ut ipse ait Oratione 27. *Hæc veniendi caussa fuit, ut fidei patrocinium susciperemus, Ecclesiæque viro interim carenti, haud secus ac Tutores quidam & Curatores, operam pro virili nostrâ navaremus, ubi qui præstanti ipsius formâ dignus videretur, ac plura virtutum tanquam sponsalia regina obtulisset, eam collocaturi.* Proclum Cyzico Constantinopolim translatum, Celestino Papa, Cyrillo Alexandrino, & Joanne Antiocheno consentientibus, tradit Author Tractatûs *De Translationibus Episcoporum.* Tom. 1. Juris Orientalis. Qui & *Migrationes* solas ab uno Episcopatu ad alium, non *Translationes*, Canonibus vetitas esse docet. Illas ex cupiditate & ambitione ortum habere: istas ex Ecclesiæ mandato, aut dispensatione fieri, propter ejusdem Ecclesiæ bonum.

Episcopatus ambitus reprehensus.

X. SS. Patres qui Sæculo 5. & anterioribus floruerunt, Episcopatûs ambitum, ac desiderium, illicitum esse censebant. Ita S. Augustinus lib. 19. de Civitate Dei, cap. 19. *In actione*, inquit, *non amandus est honor in hac vita, sive potentia, quoniam omnia vana sub Sole; sed ipsum opus, quod per eumdem honorem vel potentiam fit, si rectè atque utiliter fit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est, propter quod ait Apostolus: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris: ἐπισκοπεῖν superintendere. Ut intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaque à studio cognoscenda veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipienda atque intuenda vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.*

Non alia mens fuit S. Gaudentii Brixiensis Episcopi, in Scholiis ad illum locum Apostoli: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, dicentis: *Cum Episcopatum cogitas, ne referas animum ad hæc tempora, quibus Episcopi nihil minus norunt, quàm eas partes, quæ illis à Paulo assignantur. Nec quidquam aliud nunc intelligitur appellatione Episcopi, quàm fructus, & vectigalia, & immanes honores. Sed tempora illa ante oculos propone, cùm Paulus ipse qui alios instituebat Episcopos, peragrabat orbem terrarum in fame & siti, in frigore & nuditate, in verberibus & plagis, in carceribus, atque quotidianis mortibus. Eò igitur tempore optare Episcopatum, nihil aliud erat, quàm optare quotidie millies pro Christo mori. quod sane optare nulla religio prohibet.*

Non alia mens fuit S. Ambrosii, qui crudelem se, & libidinosum, innoxiis artibus simulavit, ut Episcopatum fugeret, ut testatur Paulinus in ejus Vita. Non alia Synesii, qui incontinentem

se, & infidelem fioxit, ut tantæ vitaret dignitatis fastigiuoi, (ut constat ex ejus Epistolis 11. 47. 57.) Non alia S. Hieronymi, ad Oceanum scribentis: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, opus, non dignitatem: laborem, non delicias; opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.*

Non alia mens fuit S. Chrysostomi, quam expressit, cùm in admirabili illo opere *de Sacerdotio*, tum Homilia 34. in Epistolam ad Hebræos, *Timere*, inquit, *oportet & contremiscere, & propter conscienciam, & propter molem imperii: & neque si trahantur, semel recusare: neque si non trahantur, in ipsum irruere, imò verò etiam fugere, prævidentes magnitudinem dignitatis.* Hinc in exilium abiens, illustribus piisque mulieribus, quas in via Christianæ pietatis direxerat, suasit ut ei parerent qui ejus in locum ordinaretur, modò *Non sponte fuisset ordinatus, neque id ullô quæsisses ambitu, sed de consensu omnium*: ut Palladius refert in Dialogo de ejus Vita.

Non alia mens erat S. Isidori Pelusiotæ, quam expressit lib. 2. Epistola 125. & lib. 3. Epist. 126. *Ego*, inquit, *Episcopatus opus mirificè laudo, divinum enim est. Ipsius autem amorem minimè laudo, periculosus enim est.* Et in eos invehitur, qui Episcopatum ambientes, *Apostolum, qui exitialem eorum morbum profligare studuit, tanquam morbo suo patrocinantem testem citant.* Non alia mens erat Ammonii Monachi sanctissimi, *Qui cùm ad Episcopatum quæreretur, dexteram sibi præcidit auriculam*: ut scilicet hac irregularitate Episcopatum vitaret. (Ex Socrate lib. 4. cap. 18.) Non alia mens erat Nilammonis, qui cùm à Theophilo Alexandrino ad Episcopatum quæreretur, fusis ad Deum precibus obiit, morte sibi terribiliorem Episcopatum ostendens. (Ex Sozomeno lib. 8. cap. 19.) Non alia mens erat Origenis Homilia 6. in cap. 6. Isaïæ dicentis; *Neque ad principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult, sed ad servitutem.* Non alia mens erat S. Cornelii, qui *Vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet.* (Ex S. Cypriano, *Epistola* 52.)

Id persuasum fuit Christianis Imperatoribus Leoni & Anthemio, qui in quadam Lege sic de Episcopo loquuntur: *Tantùm ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotiò, nisi fuerit ordinatus invitus*, (L. *Si quemquam, de Episcopis & Clericis*: Cod. Theodosiani.)

Cessiones Episcopatus.

XI. Cessiones Episcopatuum permittebat quinti, præcedentiumque Sæculorum disciplina, si gravibus de caussis fierent. Sic Martyrius Antiochenus Episcopus ob Cleri inobedientiam, populique rebellionem, ac pravos mores, Antiochenum Episcopatum dimisit. (Ex Theodoro Lectore *lib.* 1.) Sic S. Gregorius Nazianzenus Sasimos reliquit ob loci intemperiem ac paupertatem, quæ tanta erat, ut ejus victui non sufficeret Episcopatus; multòminus hospitibus excipiendis: ut ipse testatur *in Carmine de Vita sua* Sic Silvanus Episcopatus cujusdam in Thracia administratione se absolvi ab Attico Constantinopolitano obtinuit, quòd regio esset ob sævitiam frigoris valetudini suæ incommoda. (Ex Socrate. lib. 7. cap. 36.) Sic ob procurandam Ecclesiæ pacem S. Gregorius Nazianzenus Constantinopolitano cessit Episcopatu, Patribus Synodi Constantinopolitanæ dicens: *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare.* Sic Africani Episcopi tempore Collationis Carthaginensis cum Donatistis, parati erant Episcopatum pro Christi unitate deponere, teste S. Augustino lib. *de Gestis cum Emerito Donatista.* Quamobrem idem S. Doctor *lib.* 2. *contra Cresconium cap.* 11. auream hanc regulam tradit: *Neque enim Episcopi propter nos sumus, sed propter eos quibus verbum & Sacramentum Dominicum ministramus: ac per hoc, ut eorum sine scandalô gubernandorum sese necessitas tulerit, ita vel esse, vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus. Denique nonnulli sanctæ humilitate præditi viri, propter quædam in se offendicula, quibus pie religioseque movebantur, Episcopatûs officium non solum sine culpâ, verum etiam cum laude posuerunt.* Hinc Maximianum Africanum Episcopum commendat, quòd *Ministerium non desidiâ, aut aliquâ sæculari cupiditate, sed pacificâ charitate deposuerit.* Et longè *gloriosius esse* ait, *Episcopatus sarcinam, propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse.* (Epistola 238. ad Castorium datâ.) * Postrema edit. 69.

Senectus ipse Augustinus de Cessione Episcopatûs cogitavit, propter scandala Antonii Fussalensis, quem ad Episcopatum promoverat, ut imprudentiam suam hac in se-ipsum animadversione castigaret. Qua de re ad Celestinum I. scripsit his verbis: *Me sanè, quod confitendum est Beatitudini tuæ, in isto utroque periculo tantus timor & mœror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi Episcopatum abscedere, si per eum, cujus Episcopatui suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, & quod ipse Deus avertat, etiam cum vastantis perditione conspexero. Recolens enim quod ait Apostolus: Si nosmetipsos judicaremus, à Domino non judicaremur, judicabo meipsum, ut parcat mihi qui judicaturus est vivos & mortuos.* (Epistola 261.)

Non tamen existimarunt Patres, Episcopatu cedendum esse ob quascumque difficultates in regimine populorum emergentes: sed permanendum in opere credito, & in labore suscepto: quia etsi periculosum est navim inter fluctus cautè non regere, multò periculosius est eam undis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere: ut docent S. Leo *in Epistola ad Rusticum Narbonensem*, & Julianus Pomerius lib. 1. *de Vita Contemplativa, cap.* 16. & 17. * Postrema edit. 209.

XII. Sibi residendi in Ecclesiis suis necessitatem incumbere, sanctissimi 5. & præcedentium Sæculorum Patres persuasum habebant. Sardicense Concilium *Canone* 14. prohibuerat ne Episcopi, ultra tres hebdomadas, ab Ecclesiis suis abessent, *Si nulla esset tam gravis necessitas, quæ detineret.* Vetuerat Carthaginensis 5. Synodus ne Episcopi, *Relictâ principali Cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferrent; vel in re propria, diutiùs quam oportet, constituti, curam vel frequentationem propriæ Cathedræ negligerent.* S. Athanasius *in Apologia ad Constantium*, scripsit certum esse *Ex lectione Scripturarum, quanti sceleris sit Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei.*

Ad hæc attendens S. Augustinus, absentiam Episcoporum ab Ecclesiis suis excusari aliâ ratione non posse existimavit, quàm necessariâ servitute, seu utilitatis ipsius Ecclesiæ procurandæ gratiâ. Quâ de re ita scribit Epistola 138. *Illud noverit Dilectio vestra, nunquam me absentem fuisse licentiosâ libertate, sed necessariâ servitute; quæ sæpe sanctos Fratres & Collegas meos, etiam labores marinos & transmarinos compulit sustinere; à quibus me semper non indevotio mentis, sed minùs idonea valetudo corporis excusavit.* * Postrema edit. 122.

De Episcopis, & Clericis non residentibus, Synesius ad Theophilum scribebat (Epistola 67.) *Vagantur apud nos vacantivi. Hi certè nullam sedem habere volunt, qui quam habebant antea, reliquerunt, non calamitate repulsi, sed sponte locum mutantes. Honoribus porrò fruuntur, eò vagantes, ubi majus compendium est. Mihi verò, Reverende Pater, ita videtur, oportere iis, qui suas Ecclesias deseruerint, omni Ecclesiâ interdici, & priusquam illùc redeantes se receperint, neminem eos ad altare admittere, neque ad primas Sedes invitare, sed vulgares illos in plebeiis subselliis relinquere, cum in Ecclesiam irruperint.*

rum. Citò enim referent se, ubi de honore periclitati fuerint, quem capere ubivis malunt, quàm ibi ubi convenit: mallent autem illic saltem, quàm nusquam omninò percipere.

Episcopi lites dirimebant.

XIII. Episcopi 5. Sæculo Fidelium caussas & lites passim cognoscebant, judicabant, dirimebant. Id de S. Augustino testatur Possidius in ejus Vita, cap. 19. & S. Augustinus ipse lib. *de Opere Monachorum*, cap. 29. ubi ait: *Dominum Jesum testem invoco in animam meam, quoniam quantùm attinet ad meum commodum, multò mallem per singulos dies certis horis, quantùm in benè moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de divinis Literis agendum liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates caussarum alienarum pati de negotiis sæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis; quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus qui in eo loquebatur arbitrio.... Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus, pro spe vitæ æternæ, ut fructum feramus cum tolerantia. Servi enim sumus ejus Ecclesiæ, & maximè infirmioribus membris.* Legatur ejusdem Patris Epistola 81. & 147. & Concio 24. in Psalmum 118. & Sermo 49. *de Diversis*.

Idem de S. Ambrosio testatur lib. 6. Confessionum, cap. 3. *Secludentibus me*, inquit, *ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat.* Narrat Ambrosius ipse, ortam litem inter Marcellum Episcopum, & fratrem illius ac sororem de fundo quodam, ex partium condicto ad suum tribunal delatam. *Tantus erat ardor Christianis viris, ne Præfectus de Episcopi judicaret negotio.* Cognitionem caussæ suscepit S. Antistes, litemque composuit. *Recepi cognitionem*, inquit, *ita tamen ut compositionis essem arbiter. Malui jurgium compositione sedare, quàm pronuntiatione acerbare. Alia enim habebant excitari jurgia: tum, quod est gravissimum, si jurgia sublata forent, erant tamen odia mansura.* Marcellum adduxit Ambrosius ut jure suo cederet, ac fratri proprietatem, sorori concederet usumfructum. Quâ de re Epistula 24. ad eumdem Marcellum ita scribit: *Apostolico igitur charactere cognitio decursa est. Dolebamus ante, quod litem haberes; profuit jurgium ut formam indueres Apostolicæ vitæ & præceptionis. Illud Sacerdotio non congruebat: hæc transactio & Apostolicam decet normam.... Nihil adimitur Ecclesiæ, quod pietati acquiritur.*

Sidonius iisdem vestigiis insistebat, ut constat ex Epistola 2. ipsius lib. 4. ad Pragmatium Episcopum data, ubi de lite inter Agrippinum Presbyterum, & Eutropiam viduam sanctissimam orta sic ad ipsum scribit: *Tentavimus inter utrumque componere nos, maximè quibus in eos novum jus professio, vetustumque faciebat amicitia, aliqua censentes, suadentes quapiam, plurima supplicantes.... Jurgium interim semisopitum vestris modò finibus infertur. Pacificate certantes, & Pontificalis auctoritate censura, suspectus sibi partibus indicite gratiam, dicite veritatem. Sancta enim Eutropia, si quid vadimonio meo creditis, victoriam computat, si vel post damna non litiget.* Lege Epistolam 4. ejusdem libri ad Lupum Trecensem Episcopum.

Synesius hoc judicandarum Fideles inter litium, quo à contemplatione avocabatur, onus excutere voluit. *Quid ea conjungere vis*, inquit, *quæ sunt à Deo separata? Patrono opus habes, vade ad eum qui Reipublicæ Legibus præest. Deo quapiam in re indiges; vade ad urbis Antistitem. Contemplatio Sacerdoti finis est, si non falsò sibi nomen usurpet. Contemplatio verò & actio nequaquam in unum conveniunt. Nec Episcopos damno, qui negotiis distinentur. Sed cùm noverim vix me horum alterutrum assequi posse, qui utrumque præstare possint, hos admirari soleo, &c.* (Epistola 57.) Legatur & ejus Epistola 105.

Illud Episcoporum in caussis civilibus tribunal Constantinus Magnus Lege latâ in Ecclesiæ gratiam erexit: Arcadius & Honorius suis etiam Legibus firmarunt. De Constantini Lege scribit Sozomenus lib. 1. cap. 9. *Illud est maximum reverentiæ Imperatoris erga Religionem argumentum, quòd Clericos ubique immunitate donari voluit; quodque illis qui erant in judicium vocati, dedit potestatem, si modò animum inducerent Magistratus civiles rejicere, ad Episcoporum judicium provocandi: atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum Judicum sententiis plus habere auctoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatam statuit. Quin etiam statuit ut Magistratus res judicatas reipsâ exequerentur, militesque eorum voluntati inservirent.* Liberum itaque erat Fidelibus civiles caussas suas ad Episcoporum tribunalia deferre. Sed & Episcopis liberum erat earum cognitionem suscipere, vel ab ea se excusare, si absque unius partium offensione dirimendam non fore litem prævidèrent. Quod ipsis consulit S. Ambrosius lib. 2. Officiorum cap. 24. *Si offensam vereris*, inquit, *non recipias judicium. Licet tibi silere in negotio duntaxat pecuniario, quanquam sit constantiæ adesse æquitati. In caussa autem Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leve.*

Silvanus sanctissimus Troadis Episcopus dirimendis Fidelium litibus per seipsum non vacabat, sed nec per Clericos, quos inde quæstum facere noverat, propriisque potiùs commodis, quàm charitati servire. Sed probum aliquem ex Laïcis Virum caussarum civilium judicio præficiebat. *Qui cùm animadverteret* (inquit Socrates lib. 7. cap. 37.) *Clericos ex litigantium controversiis quæstum captare, neminem unquam ex Clero judicem dedit. Sed acceptis litigantium libellis, advocabat unum ex Fidelibus laïcis, quem æquitatis studiosum esse noverat: eique caussæ cognitionem committens, litigantes à contentione revocabat.*

Patres indignum Clericis existimabant pro rebus temporalibus facile litigare. Imò & Christianis omnibus id indignum censebant.

Rem indignam esse Episcopis, & Clericis, pro rebus temporalibus facilè litigare, existimabant priorum Sæculorum Antistites. Hinc Canone 19. Concilii IV. Carthaginensis decretum est, *Ut Episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus.* Felix Theodoretus, qui de se, ac de Clericis suis verè scribere potuit: *Annos viginti quinque ita vixi, ut nec in jus vocatus sim à quoquam, neque ipse quemquam accusarim. Nullus religiosissimorum Clericorum, qui sub me fuerunt tribunalia frequentavit unquam.*

Imò & Christianis omnibus indignas esse lites censebant: ferendum tamen malum, si Ecclesiastico Judicio finirentur, non ad forum traherentur. Ita S. Augustinus *lib. 3. ad Bonifacium, cap. 5.* ubi Christianum imperfectum describit: *Possidet rem familiarem*, inquit, *faciens inde quidem eleemosynas; sed non tam largas. Non aufert aliena, sed quamvis Ecclesiastico Judicio, non forensi, tamen repetit sua.* Et lib. 50. Homiliarum Homilia ultima: *Hoc ipsum habere inter se judicia & lites de sæcularibus rebus, delictum esse dicit Apostolus, quod tamen ferendum esse admonet, si vel Ecclesiastico Judicio lites hujusmodi finiantur.*

Ita S. Ambrosius Christianum adumbravit lib. 2. Officiorum cap. 21. *Decet esse benignum, non alieni cupidum, imò de suo jure cedentem potius aliqua, si fuerit lacessitus, quàm aliena jura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem à jurgiis, redimentem concordiam, & tranquillitatis gratiam. Siquidem de suo jure virum bonum aliquid relaxare, non solùm liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est. Primùm dispendio litis carere, non mediocre lucrum est. Deinde accedit ad fructum, quòd augetur amicitia &c.* Et lib. 7. in Lucam, tractans locum illum quo dicitur, Christum noluisse hæreditatem dividere inter fratres, hæc habet: *Non immeritò re-*

futatur

sutatur hic frater, qui Dispensatorem cœlestium gesticas corruptibilibus occupare; cùm inter fratres patrimonium non Judex medius, sed pietas debeat sequestra dividere, quanquam immortalitatis patrimonium, non pecunia, sit hominibus expetendum.

Ita S. Chrysostomus Homilia 16. in Epistolam 1. ad Corinthios. *Duplex est crimen*, inquit, *& quòd judiciò contendit, & quòd apud infideles. Si enim per se est peccatum cum fratre judicio contendere; etiam apud externos contendere, quamnam habes veniam? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos . . . . Non enim dico*, inquit, *Aliquis injuriam facit, aut aliquis injuriam patitur. Jam eo ipso quòd judicio contenditur, uterque malè audit, & in hoc non est alius aliò melior. An autem justè aut injustè judiciò contendat, hoc est alterius disputationis. Ne dicas ergo: Quis fecit injuriam? Hinc enim te condemno, nempe ex eo quòd judiciò contendas, &c.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, Num. I. pag. 9. Edit primæ, Religiosi Censores hanc notant propositionem: *Romano Pontifice inconsulto erigebantur Episcopatus.*

R. Hanc Disciplinam quinto Sæculo viguisse probavi. Novi erigebantur Episcopatus à Synodis Provincialibus, consentiente Metropolitano, postulante vel annuente Episcopo ad cujus Parœciam sive Diœcesim pertinebat Ecclesia, in qua Sedes Episcopalis collocabatur. Disciplina mutata est. Id nunc fieri non potest absque Romani Pontificis auctoritate.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, Num. VIII. pag. 14. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Antistites agunt contra Canones, dum consanguineos promovent.*

R. Hæc propositio non est mea. Sed ita scripsi: *Sancti Antistites generis sui commodum non spectaverunt, cùm sibi Coadjutores aut successores designarent: siquidem consanguineos suos aut affines plerumque non eligebant, sed quos Ecclesiæ spectabant utiliores fore.* Quod ubi Patrum & Canonum testimonio probavi, continuò subdo quod dignis Nepotibus favet: *Si tamen Episcopi Nepos Ecclesiasticis Virtutibus præditus esset, easque haberet dotes, quæ regendæ Ecclesiæ ipsum idoneum præstarent, non existimarunt Patres hunc à successione in Episcopatum avunculi sui rejiciendum, &c.*

ARTICULUS III.

De Clericorum Congregationibus.

Clericorum Congregationes 5. Sæculo cœperunt, S. Augustino Authore. Monachorum namque primum, deinde Clericorum Regularium ipsum Patrem fuisse, colligitur ex Possidio Calamensi Episcopo in ejus Vitâ. Monasterium Monachorum Presbyter instituit in horto Ecclesiæ, quem ipsi eum in finem dederat Valerius Hipponensis Episcopus. Monasterium Clericorum jam Episcopus instituit in Domo Episcopali. De primo ita scribit Possidius cap. 5. *Factus Presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei Servis vivere cœpit secundùm modum & Regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Maximè ut nemo quidquam proprium in illa Societate haberet, sed ut eis essent omnia communia, & distribueretur unicuique prout cuique opus erat; quod jam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset.*

Monasterium duplex à S. Augustino Hippone institutum, Monachorum unum, Clericorum Regularium alterum.

De secundo ita scribit cap. 11. *Proficiente verò Doctrinâ divinâ sub sancto & cum sancto Augustino, in Monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente & clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ Prædicationis veritate, sanctorúmque servorum Dei proposito, continentia, & paupertate profundâ, ex Monasterio, quod per illum Venerabilem Virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere Episcopos & Clericos, pax Ecclesiæ atque unitas & cœpit primò; & postea consecuta est. Nam ferme decem, quos ipse novi, sanctos & Venerabiles Viros, continentes & doctissimos, Beatissimus Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similitérque & ipsi ex illorum Sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesiis propagatis, & Monasteria instituerunt, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos Fratres ad suscipiendum Sacerdotium præstiterunt.* Et cap. 25. *Cum ipso semper Clerici unâ etiam domô ac mensâ, sumptibúsque communibus alebantur & vestiebantur.*

Idem colligitur ex S. Augustino *Sermone* 49. *de Diversis*, quem Venerabilis Beda, & Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio celebrati Patres ut S. Augustini legitimum opus laudaverunt. *Nostis*, inquit, *sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum: Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Dedit mihi Valerius hortum illum, in quo nunc est Monasterium. Perveni ad Episcopatum, vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus sive transeuntibus; quod si non fecissem, Episcopus inhumanus dicerer. Si autem consuetudo ista in Monasterio permissa esset, indecens esset. Et ideò volui habere in ista domo Episcopi mecum Monasterium Clericorum.* Ibidem: *Noverit charitas vestra dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicunque habet aliquid, vendat & eroget; aut donet & commune illud faciat. Ecclesiam habet per quam Deus nos pascit.*

S. Augustinus communem & Regularem Vitam cum Clericis suis duxit.

Ibidem. *Certè ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem Clericatum, quia desereret sanctæ Societatis promissum, cœptúmque consortium.*

Ibidem. *Professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem; si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit.*

Et Sermone 50. *Modò quia placuit illis hæc socialis vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens propriam, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me quà voluerit, sit certè ubi poterit, adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, illic Clericus esse non possit.*

Ad imitationem proculdubio S. Augustini Alipius Clericorum Regularium Seminarium, & Monachorum Monasteria in Ecclesia sua habuit: de quibus ad ipsum scribens S. Paulinus, hæc habet: *Nostris salutentur invicem obsequiis, & in Clero Sanctitatis tuæ comites, & in Monasteriis fidei & virtutis tuæ æmulatores. Nam etsi in populis ac super populum agas, tamen abdicatione sæculi, ac repulsâ carnis & sanguinis, desertum tibi ipse fecisti, secretus à multis, vocatus in paucis.*

An S. Augustinus fuerit Monachus?

An Monachus fuerit aliquando S. Augustinus, non expendo. Tres tantùm illius vitæ status & Possidius, & Augustinus ipse in libris Retractationum exhibent, cùm libros ipsum recensuisse testantur: *Sive quos primò tempore conversionis suæ adhuc Laicus, sive quos Presbyter, sive quos Episcopus dictaverat.* Post baptismum quidem secessit cum amicis suis Deo pariter servientibus in Africam, & in domo agrisque propriis, alienatis jam à se curis sæcularibus vixit, jejuniis, orationibus, bonisque operibus vacans, in lege Domini meditans die ac nocte. Sed nemo secessum illum S. Augustini adhuc Laïci, & cum amicis Deo servientibus convictum, Monachatum dixerit, atque vitæ religiosæ, & votis adstrictæ professionem. Presbyter Monasterium

intra Ecclesiam instituit, & cum Dei servis vixit secundùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Mihi persuadere non possum, quod persuadere conantur nonnulli, quibus invisus est Monasticus Status, Monasterium illud absque Monachis fuisse. Societas Christianorum viventium secundùm modum & regulam sub Apostolis constitutam, & proprietatem abdicantium, nihil mihi videtur à Religiosa Vita differre. Sanctissimum hunc vivendi modum instituit, ac sectatus est S. Augustinus, teste Possidio: ita tamen ut Clericus potiùs quàm Monachus audiret, & à Monachis seipsum distingueret, iis scilicet qui in solitudine vivebant. Unde sic ipsum indutum fuisse, qualem ipsum adumbrant Sermones suppositititii ad Fratres in eremo, non ita sum imprudens ut sentiam. Nusquam eremum petiit, neque cum Eremitis vixit, ut colligitur ex lib. 10. Confessionum ipsius, cap. ultimo. *Conterritus peccatis meis, agitaveram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem: sed prohibuisti me, & confortasti me Domine, dicens, Ideo Christus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*

Factus Episcopus, in commune vixit cum suis Clericis in Monasterio, quod in Episcopali Domo instituerat. Votis adstricti erant ad Apostolicum illud vitæ genus: & iisdem votis S. Augustinum se obstrinxisse, verisimile est. Sed non aliis indutus erat vestibus, quàm quibus Clerici vulgò in Africa utebantur. Id patet ex sermone ipsius 50. *de Diversis*, in quo hæc habet. *Nemo det byrrum, vel lineam tunicam, sed ut quid usi in commune; de communi accipiam mihi ipsi; sic me cum commune me habere volo quidquid habeo. Nemo talia offerat, quibus quasi ego solus decentius utar. Offertur mihi verbi gratia byrrum pretiosum. Fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum... Qualem vestem potest habere Presbyter; qualem potest habere decenter Diaconus & Subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis sit commune.* Monachorum itaque habitum non gerebat S. Augustinus Episcopus, neque cucullatus erat; multò minus excalceatus: cùm Possidius in ejus Vita, cap. 22. de ipso ita scripserit: *Vestis ejus, & calceamenta, & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum.*

S. Augustinus nec cucullatus, nec excalceatus.

De his Clericorum Regularium Congregationibus Julianus Pomerius loquitur lib. 2. *de Vita Contemplativa*, cap. 16. *Si vestes*, inquit, *ac vasa, & cætera quæ in sacris usui ministrantibus erant, sancta vocabantur, nec in usus humanos revocari poterant divinis semel ministeriis consecrata; quomodo non ea quæ conferuntur Ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus non ut sæculi rebus luxuriosis, sed sanctè ut Deo consecratis, utuntur ad necessaria Sacerdotes: ut iis omnibus qui se perfectionis amore sub uno constituunt, & sua sibi non vindicant; Ecclesiæ facultates ad hoc ipsum collecta sufficiant: ut quidquid omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius, qui unus pro multis occupatus est, fiat: atque ita ille qui sollicitudinem omnium sub se servientium portat, in Congregatione sua proficiente proficiat: ut sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa vacatio; ita omnium discipulorum perfectio gloriosa, Magistri habeatur honor & gloria.*

S. Hilarius Arelatensis hujusmodi congregationem instituit, ut testatur S. Honoratus Massiliensis in ejus Vita. *Effectus*, inquit, *nomine Sacerdos, qui jampridem erat virtutum decoratus insignibus. Quod ita ardenter ac strenuè cœpit ac perfectissimè consummavit, ut in illius temporis incerto tumultu, quem pax longa nutrierat; Congregationem subitò instituerei secreti cupidam, continentia virtute crescentem, quam sui non minus penè imbuit exemplò, quàm formavit eloquiò.* Et infrà. *Cum primùm speculatoris suscepit officium, in seipso primum monstravit quemadmodum Congregatio mundum contemneret, manuum quoque operibus continuus vesceretur, sanctis Paginis inhæreret, jejuniis, vigiliisque studium commodaret, unius tunicæ tegmine æstatis ardorem & hyemis rigorem contenta toleraret, iter pedibus conficeret, &c.*

ARTICULUS IV.

De Monachis, & Sanctimonialibus.

MOnachorum pater in Africa fuit S. Augustinus Sæculo 5. quo vivente, plura cùm virorum, tum mulierum inibi sunt instituta Monasteria. De quibus Possidius in ejus Vita, cap. ultimo: *Clerum sufficientissimum, & Monasteria virorum ac fœminarum continentium, cum suis Præpositis, plena Ecclesia dimisit.* De his & Paulinus in Epistola ad Alypium: *Benedictos Sanctitatis tuæ comites & æmulatores, in Domino fratres nostros, tam in Ecclesiis, quàm in Monasteriis, Carthagine, Tagastæ, Hippone Regio, & totis Parochiis tuis, atque omnibus cognitis tibi per Africam locis Domino Catholicè servientes, multò affectu & obsequio salutari rogamus.*

S. Augustinus Monachorum Pater in Africa.

Regulam Monasticam S. Augustinus scripsit Monialibus, non Monachis. Regula S. Augustini Epistola ipsius 109. continetur, ad Sanctimoniales scripta, quibus præerat ejus soror. Feminis scriptam esse, non viris, ostendit tota Epistolæ series: cùm illa maximè, quæ feminas tantùm, non viros spectant: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus; nec sint vobis tam tenera capitum tegmina ut retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria.* Et illud: *Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. Nam quæ faciunt pudoris immemores etiam feminis feminæ jocando turpiter & ludendo, non solum à viduis & intactis ancillis Christi in sancto proposito constitutis; sed omnino nec à mulieribus nuptis, nec à Virginibus sunt facienda nupturis.* Propositæ, seu Abbatissæ parebant Sanctimoniales illæ, & Presbytero, quem illarum directioni & regimini præponebat Episcopus. *Præpositæ tanquam Matri obediatur, honore servatò ne in illa offendatur Deus; multò magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit. Ut ergo cuncta ista serventur, & si quid servatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum corrigendumque curetur, ad Præpositam præcipuè pertinet, ita ut ad Presbyterum qui vobis intendit, referat quod modum vel vires ejus excedit.*

II. Puellarum quæ virginitatem voverant, matrimonia, illicita quidem & sacrilega habebant Patres, non verò irrita Sæculo V. Id colligitur ex Innocentio I. in *Epistola ad Victricium Rothomagensem*, cap. 13. ex Concilio Chalcedonensi, *Canone* 16. ex S. Leone in *Epistola ad Rusticum Narbonensem*, cap. 10. & ex S. Augustino, libro de Sancta *Virginitate*, cap. 34. *Multas*, inquit, *earum revocat à nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens & ipse à superbia, quâ formidatur magis hominibus displicere, quàm Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impunè non possunt, quæ meliùs nuberent, quàm urerentur, id est, quàm occultâ flammâ concupiscentiæ in ipsa conscientia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis, nisi correctum cor dirigant, & Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt.* Qui S. Augustini locus geminus est isti S. Cypriani in Epistola ad Pomponium, in qua de Virginibus sic loquitur: *Quod si se ex Fide Christo dicaverint, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles*

Z iij *præmium*

præmium virginitatis expellent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant. Sed nihil clarius ac luculentius hoc de argumento desiderari potest iis quæ S. Augustinus habet libro *de Viduitatis bono*, cap. 9. 10. & 11. *In conjugali vinculo, si pudicitia conservatur, damnatio non timetur: sed in viduali & virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur: quâ expetitâ, & electâ, & voti debitò oblatâ, jam non solùm capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle, damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: Cùm in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed, nubere volunt: Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, sed tamen volendo: non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur; sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides; damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore. Postremò damnantur tales, non quia conjugalem fidem posteriùs inierunt; sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod ut breviter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ post amplioris sanctitatis propositum nubunt; non quia non damnentur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur... Proinde qui dicunt, talium nuptias non esse nuptias, sed potiùs adulteria, non mihi videntur satis acutè ac diligenter considerare quod dicant. Fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere, quæ Christianâ sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si viro suo vivo, quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Evangelio definivit: vivo ergo Christo, cui mors ultra non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt; acutè quidem moventur, sed parum attendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cùm enim laudabiliter, etiam vivente viro, ex ejus consensu, continentiam femina Christo voveat, jam secundùm istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente viro nubit... Quapropter non possum quidem dicere, à proposito meliore lapsas, si nupserint, feminas, adulteria esse, non conjugia: sed planè non dubitaverim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis esse pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum ejus fidem non servat marito, quantò graviùs offenditur, cùm illi ipsi non servatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegeras offerendum? Cùm enim quisque non reddit, quod non imperiò compulsus, sed consiliò commonitus vovit: tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minus habuit vovendi necessitatem.* Ex quibus patet, illicita quidem, sed non irrita Virginum sacrarum, aut Viduarum, quæ continentiam ritu solemni voverant, matrimonia S. Augustinum habuisse.

Monasteria Gallicana.

III. Plura Monasteria, eaque celeberrima, & Monachis repletâ sanctissimis in Galliis erant Sæculo V. scilicet Massiliensia à S. Cassiano instituta; Lirinense, Agaunense, Jurensia, Grimniacensia, Reomaense, &c. Monasteria Cassiani ejus Regulam profitebantur, quam S. Benedictus Anianensis Abbas in Concordia Regularum non semel laudat: cujus meminit & S. Gregorius Turonensis, *lib.* 10. *Historiæ cap.* 29. Non extat inter Opera Cassiani. Quicquid verò ex ea laudatur, totum desumptum est ex libris secundo, tertio, & quarto Cassiani *de Cœnobiorum institutis*. Et commodè referri potest ad sex præcipua Capita, quorum primum inscribatur, *de Gradibus humilitatis*: secundum, *de divinis Officiis nocturnis*: tertium, *de divinis Officiis diurnis*; quartum, *de Opere quotidiano*: quintum, *de Mensa*: sextum, *de Culpis & de Excommunicatione*.

Regula Cassiani.

Cassianus lib. 4. *de Cœnobiorum Institutis cap* 9. 37. 39. tribusque proximè sequentibus complectitur varios gradus humilitatis. De divinis Officiis agit potissimùm lib. 2. qui inscribitur, *de Canonico nocturnarum orationum & Psalmorum modo*. Monachi Cassiani ter ad divinum Officium persolvendum festis diebus, bis tantùm diebus privatis, utrisque semel noctu, interdiu verò semel his, scilicet ad Vesperam; bis illis, scilicet ad Tertiam & Vesperam convenire debebant, ut colligitur ex cap. 2. Nocturnum Officium quod hodie Matutinum vocamus, apud Cassianum constat duodecim Psalmis, duabusque Lectionibus, quarum prior Veteris est Testamenti, posterior Novi; vel utraque hujus, si dies est Sabbati, vel Dominicus, vel unus ex illis qui medii fluunt Pascha inter ac Pentecostem. Duodenarium Psalmorum numerum Ægyptios Patres ab Angelo fuisse edoctos testatur. Lectores in medio Fratrum assurgentes, clarâ sonorâque voce Psalmos decantabant; cæteris qui sedebant, silebantque, in Psallentis verba omni cordis intentione defixis, (*capp.* 10. 11. & 12.) Ad finem cujuslibet Psalmi Orationi mentali vacabant, idque brevissimè. Sacerdos Officium Oratione concludebat. Non eâdem noctis horâ, per totum anni circulum, ad preces nocturnas surgebant, sed aliquando citiùs, aliquando seriùs, pro diversis anni tempestatibus, ut noctes longiores erant, aut breviores, ut colligitur ex lib. 3. cap. 5. Post Officium nocturnum Vigiliæ usque ad lucem præscribuntur. (*Lib.* 2. *cap.* 12. & 13.) Solos Psalmos Alleluiaticos, sic dictos, quòd *Alleluia* pro titulo habeant, vult cum *Alleluia* decantari. Horam Primam Officio divino adjunxit Cassianus ex Palæstinorum Monachorum institutis. Scilicet cùm in Monasterio Bethleemitico, ex Abbatum indulgentia mos ille invaluisset, ut post Vigilias Laus Matutina statim caneretur, contra veterem morem, quo sub Auroram & ante Solis ortum cani solebat, & Monachi negligentiores inde facti ad Tertiam usque somni inducias protelarent, data est occasio instituendæ Horæ Primæ, ad Solis ortum canendæ, ut Fratres citiùs surgere cogerentur. Quod institutum Cassianus Monachis suis præscripsit, & cætera Galliæ Monasteria sectata sunt. Quâ de re legatur *lib.* 3. *cap.* 4.

Opus quotidianum Monachis præscribit Cassianus, *lib.* 2. *capp.* 12. 14. & 15. Silentium iisdem indicit ad mensam, sacrasque Lectiones vult ipsis recitari, dum cibum potumque capiunt: quod à Cappadocibus Patribus primitus institutum testatur, ut otiosas confabulationes, & maximè contentiones, quæ in conviviis solent generari, cohiberent. (*Lib.* 4. *cap.* 17.) Nulli Monacho licitum erat extra mensam canonicam & communem aliquid cibi potusve gustare. (*Lib.* 4. *cap.* 16.)

Culpas leviores à gravioribus distinguit Cassianus. Aliquot exempla utrarumque recenset, atque etiam utrisque diversam pœnam & correctionem, levioribus ominum spiritalem, corporalem gravioribus impositam commemorat. Spiritalem Pœnitentiam vocat eam, quæ corpus non tangit, sed ad compunctionem spiritûs & mentis humiliationem adhibetur. Corporalem rursus duplicem facit, alteram verberum, alteram expulsionis è Monasterio. Inter graviores culpas recenset *Aperta convitia, manifestos contemptus, contradictiones tumidas, liberam & effrenatam processionem, familiaritatem apud feminas, iram, rixas, simultates & jurgia, possessionem rerum superfluarum, extraordinariam & furtivam sibi refectionem, &c.* (*Lib.* 4. *cap.* 16.) De excommunicatione agit, *lib.* 2. *cap.* 16. & cum Monachis excommunicatis misceri colloquia prohibet.

Lirinense Monasterium, ejusque Regula.

IV. Lirinense Monasterium conditum fuit ineunte quarto Sæculo. Ut Lirinense à Lirino insula, sic & Cœnobium S. Honorati postea nuncupatum est à S. Honorato conditore. Vetustioris Regulæ, quam Lirinenses Monachi observarunt, priusquam Benedictinam

dictinam susciperent, idem Auctor fuit, qui Monasterii conditor S. Honoratus, ut colligitur ex S. Eucherio lib. *de Laud. Eremi*. & ex Concilio Arelatensi anno 455. in caussa Lirinensis Monasterii celebrato, in quo hæc habentur: *Hoc & rationis & religionis plenum, ut Clerici ad ordinationem Episcopi debitâ subjectione respiciant; Laica vero omnis Monasterii congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat, Regulâ quæ à Fundatore ipsius Monasterii dudum constituta est, in omnibus custodiâ.* Non extat Regula antiqua Monasterii Lirinensis. In eo Monachorum Ægyptiorum instituta viguisse, colligitur ex Præfatione Cassiani ante 11. Collationem, ad Honoratum & Eucherium directâ; & ex Eucherio in Opusculo *de Laude Eremi*, ubi de Lirinensi insula scribit: *Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui divisis cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt.*

Monasteria Jurensia.

V. In Episcopatu Lugdunensi condita sunt 5. Sæculo Jurensia Monasteria, duo virorum, unum puellarum, quorum origines in Vitis sanctissimorum Abbatum Romani & Lupicini Fratrum referuntur, apud Bollandum ad diem 28. Februarii.

Monasteria Grinnicensia.

VI. Cœnobiorum Grinnicensium celebris mentio fit apud Sidonium Apollinarem *lib. 7. Epistola* 17. quâ Volusianum deprecatur ut Monasterium S. Cyrici apud Arvernos regendum suscipiat, illusque loci Monachos Abbate destitutos erudiat *secundum statuta Lirinensium Patrum, vel Grinnicensium.* De his vetus Auctor Vitæ S. Clari apud Bollandum, ad diem 1. Januarii. *Grinnicensium Cœnobia a sanctis Pontificibus urbis* (nempe Viennæ) *fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli Martyris condita venerabantur. Sanctimonialium Beatæ Virginis Columba triginta Monachas habens. Nam Grinnicensium loca quadringentos Monachos alebant.* De his Avitus Viennensis Episcopus *Epistola* 65. *ad Maximum* scribit: *Monasteriis Grinnicensibus occupatus, aliquamdiu jam habitaculo civitatis abfueram.*

VII. Agaunense Monasterium, quod etiam Tarnatense dictum est, in Galliis initio sexti Sæculi celeberrimum erat. In Octodorensi Diœcesi situm erat. Nunc vulgò nuncupatur Cœnobium S. Mauritii in Vallesia, quia ibi SS. Martyrum Thebæorum, quorum Dux Mauritius, asservantur & coluntur reliquiæ. Hoc Monasterium à Sigismundo Burgundionum Rege constructum, Florentio & Anthemio Coss. Id est, anno Christi 515. Marius Aventicensis * *in Chronico* testatur. At Henricus Norisius Vir doctissimus ex Actis S. Severini Abbatis * Agaunensis colligit insigne illud Cœnobium ante annum quingentesimum extructum fuisse. Cùm enim Clodoveus Magnus Francorum Rex, qui jam per annos viginti quinque regnaverat, insanabili morbo laboraret, Tranquillinus Medicus sic Regem allocutus esse dicitur: *Est sane in sacro sancto Agaunensium Monasterio, ubi pretiosus Christi Martyr Mauritius requiescit, Abbas & Sacerdos vir quidam moribus & vitâ laudabilis, Severinus nomine, &c.* At Clodoveus circa annum 480. regnum adeptus est. Quare anno regni ipsius 25 nempe circa annum 505. florebat Agaunense Monasterium sub Severino Abbate. Præterea, cùm jussu Sigismundi Regis anno 515. S. Avitus Viennensis unà cum Coëpiscopis, Agaunensibus Monachis novam psallendi formam præscriberet, sacram Concionem ibidem habuit, cujus solus superest titulus à Sirmondo è Thuaneis Schedis editus cum ejusdem Aviti Epistolis ac Poëmatibus. His autem conceptus est verbis: *Homilia 7. dicta in Basilica Sanctorum Agaunensium, in innovatione Monasterii ipsius, &c.* Ex quibus patet, non quidem eo annô Agaunense Cœnobium primitus extructum ac institutum, sed innovatum duntaxat, novisque ædificiis auctum, novis reditibus locupletatum à Sigismundo Rege. Secundùm ejusdem Principis votum perennem Psalmodiam anno 515. in Agaunensi Monasterio ab Episcopis institutam, clarissimi Sammarthani *Tom. 4. Galliæ Christianæ*, & Bollandus *In Notis ad Vitam S. Severini*, Hoestenus *lib. 1. cap. 5. Disquisitione* 2. contendunt, validis momentis, quæ tamen refellenda sibi sumpsit *P. Carolus le Cointe* Oratorianus Presbyter *in Annalibus Ecclesiasticis Francorum*, ad annum Christi 536. Numero 225. & sequentibus.

Vixit hic Author sub Gunthramno Francorum Rege.

Apud Bollandum die 11. Februarii.

De S. Mauritio, in Fastis de Vallis.

Regula Tarnatensis.

Agaunenses * Monachi peculiarem Regulam observarunt, quæ & Tarnatensis inscribitur. Laudatur sæpius in Concordia Regularum, & cum aliis ab Holstenio edita est. Decem capita integra continet ex Regula S. Augustini. Tredecim propria complectitur. Primum est de Fratrum suscipiendorum disciplina: juxta quam Neophyti per annum in habitu laïco probandi sunt; servi non admittendi; candidato liberum relinquitur ut facultates suas, quibus exuere se debet antequam Monachus fiat, cui voluerit vendat aut donet. Si quas autem Monasterio tradere velit, earum oblationem statuere jubetur super altare, quia ex altari aliquid reposci sacrilegium judicatur. Secundo capite prohibetur Monachis electio mansionis sequestratæ, aut possessio armarioli quod peculiarius claudi possit; nec-non exitus extra Monasterium absque societate Fratris. Caput tertium vetat ne Monachi patrini fiant. Caput quartum ne soli cum solis mulieribus colloquantur; ne sine licentia Senioris aliquid faciant; ne aliqui à cellula sua, aut lectô absint, dum alii quiescant, aut tempore communis quietis cum aliis confabulentur. Caput quintum edicit ne tardè veniant *ad opus Dei*, id est ad Officium divinum, vel ad quæcunque opera, & ne correpti pro qualibet culpa, quantumvis severè, arguenti respondeant. Caput sextum confabulationes, cùm oratur, aut psallitur, prohibet, egressumque ex orationis loco absque urgente caussâ: & *non solum Fraternitati, sed etiam Divinitati reum* pronuntiant, qui aliis orantibus, vel psallentibus fabulari præsumpserit. Opera etiam in Vigiliis præscribit, Dominicæ nocte exceptâ, ne somnum otiosæ manus invitent. Caput septimum discedentes è Schola, meditationis, sive lectionis tempore, decernit excommunicatione plectendos. Cellularum etiam ingressum, nisi datô signô, aliis ab Abbate & Præposito prohibet, necnon aditum officinarum in quibus operantur artifices. Octavum, silentium indicit ad mensam, & lectionem sacram, vel ruminationem Scripturarum, deficiente Lectore. Secretò jubet emendari, quod ab aliquo absque testibus admittitur, si ad Abbatis notitiam pervenerit; si verò publicum sit peccatum, coram omnibus argui. Agaunensium plerique Monachorum Agriculturæ operam dabant, ut colligitur ex his verbis ejusdem capitis: *Arator stivam tenens Alleluia cantet, sudans messor Psalmis se avocet, & dum palmitem curvum tondet vinitor falce, aliquid Davidicum canat.* Caput nonum divini Officii, & operis quotidiani horas partitur ac præscribit. Duplicem tempore messis & vindemiæ permittit refectionem: statuit tamen ut quartâ vel sextâ Feriâ opera ita moderentur, ut (si fieri potest) statuta jejunia non omittant. Extra Monasterium præterea manducare aut bibere vetat, & vel poma vilia, vel aquam ipsam, ante refectionem legitimam degustare. Caput 10. 11. & 12. de Pistoris, Cellarii, Provisoris, & Hortulani Officiis agunt. Ex Capite decimo colligitur Agaunenses Monachos ex eleemosynis vixisse, & Fratres ad mendicandum misisse. *Provisores*, inquit, *Monasterii tales oportet eligi, vel ordinari, qui alios ædificare vitæ suæ probentur exemplô, quique eleemosynam Monasterio deputatam, vel ea quæ*

à

à Fratribus colliguntur, summâ curâ pro Domini timore conservent. Vetat etiam cap. 12. ne Monachi cum murmuratione aliquid agant: & ne ad parentes frequenter eant. Quam tamen invisendi consanguineos licentiam certis temporibus vult illi concedi, qui de proximorum salute sollicitus probarit: quem tamen cavere monet decipulam Sæculi, ne dum alios putat posse acquirere, seipsum à Domino faciat alienum. Caput decimum-tertium vetat ne Monachi convivio nuptiali intersint; præcipit ut à jocis abstineant, prohibet ne inventa celent; decernit excommunicandum, qui non prodiderit Fratrem, quem regularis impatientem disciplinæ fugam meditari novit.

Tarnadæ oppidulum, unde dicti Tarnatenses, idem cum Agauno, unde Agaunenses nuncupati. A saxis circumquaque fusis locus dictus est *Agaunum*, quod veteri lingua Gallica saxum significat. In Octodorensi* Diœcesi, situm diximus Agaunense Monasterium: cujus Cathedra Episcopalis, *Sedunum** in Vallesia, translata est.

De Martigni.

Sion, dans le Valais.

VIII. Reomaënse Monasterium anno circiter 486. à Joanne primo Abbate in Pago Tornodorensi conditum est, in loco cui nomen *Reomaus*, inter Serum* & Armantionem* fluvios, non procul ab avalone* & Semurio* oppidis, in Diœcesi Lingonensi. Sanctissimi hujus Abbatis Vitam, quam Author coævus Asceta Reomaënsis conscripsit, Jonas Abbas recognovit. Jonæ lucubrationem Roverius in sua Reomao, & Bollandus ad diem 28. Januarii ediderunt. Sub Regula S. Macarii vixisse Reomaënses Monachos, constat ex Præcepto Clodovæi Regis, quo Cœnobium illud magnis privilegiis donavit, & sub sua Regumque successorum protectione suscepit. Hujus Regulæ Author non Macarius senior qui vulgò Ægyptius appellatur; non Macarius alter qui Thebæus dicitur, & Pispiritanus; sed Macarius Alexandrinus. Illa Regula distribuitur in Articulos triginta: ex quibus plura descripsit S. Benedictus Anianensis Abbas in Concordia Regularum.

Le Tonnerois. Le Serain. L'Armançon. Avalon. Semur. Langres.

Brevia sunt, sed divinô spiritu plena Macarianæ Regulæ præcepta Familiaritatem cum sæcularibus, prohibet Monachis, ut Vitæ Asceticæ venenum. Quâ de re Articulus sextus sic statuit: *Non te familiaritas ulla sæcularis trahat, sed tota dilectio tua in cellula demoretur. Cellam ut Paradisum habeat, Fratres suos spirituales, ut æternos confidat haberi parentes.* Officium divinum his verbis commendat Articulus nonus: *Cursum Monasterii super omnia diligat. Qui verò sapiùs orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.* Cursûs nomine Officium divinum, seu Horæ Canonicæ significantur, ita dictæ quòd quotidie excurrantur seu persolvantur. Sic nomen cursûs Gregorius Turonensis accepit, qui lib. 10. cap. 31. testatur scriptum à se librum *de Cursibus Ecclesiasticis.* Opera manuum præscribit Macariana Regula Articulo 8. *Non oderis laboriosa opera*, inquit, *otium quoque ne sectteris. In vigiliis consistens, in opere justo effectus, ambulans quasi dormitans, lassus ad stratum venias, & cum Christo requiescere te credas.* Et Articulo 2. *Post horam secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam, ut quod injunctum fuerit, sine murmuratione perficiat.* Quâdam excommunicatione plectit eum qui tardiùs ad Officium venerit. (Articulo 14.) *Ad horam verò Orationis datô signô, qui non statim prætermissô omni opere quod agit, venerit, quia nihil orationi præponendum est, foris excludatur, ut erubescat.* Vetat ne quis ad mensam loquatur, præter eum qui præest, vel qui interrogatus fuerit. (Articulo 18.) Hospitalitatem commendat Articulo 20. *Hospitalitatem sectans per omnia*, inquit, *ne avertas oculos inanem relinquens pauperem, ne fortè Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, & videat te hæsitantem, & condemneris.*

Reomaënse Monasterium sub Regula S. Macarii.

Abrenuntiationem perfectam, cùm opum, tum propriæ voluntatis præscribit Articulo 24. *Nam si aliquem in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus. Quod si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa judicabit horâ. Nam si aliquid prius erogavit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum ut aliquid habeat in sua potestate.* Hujus Articuli sensus est, coram cunctis Fratribus, *in mensa*, id est, in communi possessione Monasterii, ponendas esse opes, quas in cellulam, id est, in Monasterium infert is qui Sæculo abrenuntiat. Sic accipitur *Mensæ* nomen à Gregorio Turonensi lib. 10. cap. 31. ubi scribit Baudinum Turonensem Episcopum *instituisse Mensam Canonicorum.* Et à Cypriano in Vita S. Cæsarii Arelatensis, quem scribit captivos eô redemisse argentô, *Quod venerabilis Eonius Antecessor ejus, Ecclesiæ mensæ reliquerat.* Pro qualibet caussa scandali, quod in Monasterio exortum fuerit, Monachis liberam abeundi concedit facultatem. Ne complures autem è Monasterio exire velint, statuit ut quicunque post tertium suscepti Monachatûs diem è Monasterio discedere voluerit, is nihil penitus nisi vestem in qua venit, accipiat, nec traditas Monasterio facultates repetere valeat. (*Articulo 25*) Jejunium quartâ & sextâ feriâ, sub gravi pœna Monachis indicit.

IX. Monachi tonsuram, & rasuram capillorum suis præscriptam Regulis quinto Sæculo nondum habuisse videntur; sed caput tamen totondisse, pro pœnitentium flentiumque more, ubi Laici comam nutriebant. Nam illud erat Monachorum ingenium, ut habitu, & capillitiô se deridiculos & contemptibiles hominibus sæcularibus exhiberent. Sic Africani Monachi capillos inæqualiter tondebant, ad cutem usque fronte prærasâ. De quibus S. Paulinus *Epistola 7.* ita scribit: *Conservis & compatientibus nostris, horrentibus ciliciis humiles, saguttis palliati, veste succincti, casta informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destitutâ fronte prærasi, & honorabiliter despicabiles.* Ob sanctorum illorum Monachorum contemptum, irrisionem, convitia, cladem Africæ ultore Deo contigisse scribit Salvianus lib. 8. de Gubernatione Dei. *Non sine caussa itaque istud fuit*, inquit, *quòd intra Africæ civitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & recisis comarum fluentium jubis ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quàm infidelis, sine convitio atque execratione vix poterat. Et siquando aliquis Dei Servus, aut de Ægyptiorum Cœnobiis, aut de sacris Hierosolymorum locis, aut de sanctis Eremi venerandisque secretis, ad urbem illam officiô divini operis accessit, simul ut populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit. Nec solùm hoc, sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis, quasi tauris cadebatur: verè ut ea si quis inscius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, sed novum inauditumque monstrum abigi atque exterminari arbitraretur.*

Monachorum tonsura & cæsaries.

Clades Africæ ob Monachorum contemptum.

X. Ad Sacerdotium, & ad Ecclesiasticas Præfecturas assumebantur Monachi Sæculo 5. S. Augustini Monasterium Africanis Ecclesiis plurimos Antistites dedit. Cœnobium Lirinense Episcoporum Seminarium erat, quos identidem Gallicanis subministrabat Ecclesiis, teste S. Cæsario Arelatensi,* qui de Lirinensi Insula sic loquitur: *Hæc est, quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes Provincias erogat Sacerdotes. Ac sic quos accipit filios, reddit Patres: & quos nutrit parvulos, reddit magnos; quos velut Tyrannos accipit, Reges facit.* Clericatum tamen non ambibant, nec postulabant

Monachi ad Sacerdotium, & Episcopatum assumpti.

Homil. 25.

Religiosi

Religiosi Viri, sed Ecclesiâ vacante suscipiebant. Hinc S. Augustinus in Epistola ad Eudoxium Presbyterum & Abbatem: *Unum corpus*, inquit, *sub uno capite sumus; ut & vos in nobis negotiosi, & nos in vobis otiosi simus. Exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis. Ac si qua operam vestram Ecclesia mater desideraverit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec blandiente desidiâ respuatis.*

Monachi ad Episcopatum assumpti Regulam Monasticam observabant.

XI. Qui verò ad Clericatum, & ad Episcopatum ipsum assumebantur ex Monasteriis, ad Monasticæ Regulæ observantiam tenebantur. De his Innocentius I. Epistola 2. cap. 10. *De Monachis qui diu morantes in Monasteriis, si postea ad Clericatûs ordinem pervenerint, non debere eos à priore proposito deviare ....., Quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet.* Nec vestem Monasticam mutabant Episcopi ex Monasteriis assumpti.

Nec mutabant vestem Religiosam.

De S. Jacobo Nisibitano scribit Theodoretus, *In Historia Religiosa*, cap. 1. *Montanam illam habitationem cùm mutasset, urbanamque non ex animi sententia suscepisset, nec cibum mutavit, nec vestitum, sed mutatis locis, vitæ institutio nullam cepit mutationem.*

Idem cap. 5. de S. Monacho Aphronio, qui ad Episcopatum assumptus est, scribit: *Cùm annos amplius quadraginta choro præfuisset, Sedem ascendit Pontificalem, nec pallium mutans Asceticum, nec tunicam caprarum è pilis contextam; cibisque iisdem utens, quibus ante Episcopatum vescebatur.*

De S. Martino scribit Severus Sulpitius lib. *de Vita S. Martini*, cap. 7. *Idem constantissimè perseverabat, qui prius fuerat, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat: atque ita plenus auctoritatis & gratiæ, implebat Episcopi dignitatem; ut non tamen propositum Monachi, virtutemque desereret.*

De Fausto Reiensi Episcopo ad ipsummet scribit Sidonius Apollinaris lib. 9. Epistola 3. *Nil ab Abbate mutatus per Sacerdotem; quippe cùm novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaveris.*

De S. Germano Autisiodorensi scribit Author Vitæ ipsius apud Surium, ad diem 31. Julii: *Ex eâ verò die, quâ Sacerdotii sumpsit exordium, nunquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, vel salem accepit. Indumentum cuculla & tunica indiscretis fuere temporibus. Nam neque hyeme accessit adjectio, neque æstate levamen admissum est. Quod utrumque tamdiu usui fuit, nisi forte donatum est, donec attritione nimiâ solveretur, cilicio semper interiùs inhærente.*

De S. Hilario Arelatensi scribit S. Honoratus Massiliensis in ejus Vita: *Cùm primùm Speculatoris suscepit Officium, in seipso primùm monstravit, quemadmodum Congregatio mundum contemneret, corpus despiceret, unius tegmine tunicæ æstatis ardorem, & hyemis rigorem contenta toleraret, &c.*

De S. Fulgentio scribit Ferrandus Diaconus in ejus Vita, cap. 18. & 19. *Orario quidem sicut omnes Episcopi, nullatenus utebatur. Pelliceò cingulò tanquam Monachus utebatur; Sic studio humilitatis ambitionem vestium corporalium fugiens, ut nec ipsa calceamenta suscipiens Clericorum, frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam, vel superbi coloris, nec Monachos suos habere permisit, nec ipse habuit. Subtus casulam nigellò, vel lactinò pallio circumdatus incessit. Quando temperies aëris invitabat, solò palliò intra Monasterium est coopertus. Nec depositò saltem cingulo somnum petivit. In qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat, &c.*

Inhumani parentes habiti, qui filios vitam Monasticam professos legitima hæreditatis portione fraudabant.

XII. Inhumani parentes habebantur, qui filios Monasticam Vitam professos æquâ cum fratribus in sæculo relictis patrimonii portione fraudabant, & sortitione hæreditatis, cujus adeundæ jus ipsis V. Sæculo non eripiebat Monastica Professio. Id habemus ex B. Salviano Massiliensi Presbytero, lib. 3. ad Ecclesiam Catholicam. *At verò*, inquit, *nunc diversissimè & impiissimè, nullis omnino à suis minùs relinquitur, quàm quibus ob Dei reverentiam plus debetur: nullos pietas minùs respicit, quàm quos Religio præcipuè commendat. Denique si qui à Parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis postponuntur oblati: indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerant consecratione: ac per hoc unâ tantùm re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi. Ex quô intelligi potest, quòd nullus penè apud homines vilior est quàm Deus, cujus utique fit despectione, ut eos præcipuè parentes filios spernant, qui ad Deum cœperint pertinere. Sed præclaram videlicet, qui hoc faciunt, rationem consilii sui reddunt, dicentes: Quid opus est ut filiis jam Religiosis æqua cum fratribus suis hæreditatis portio relinquatur? Nihil ergo justius, nihil dignius, quàm ut, quia cœperunt Religiosi esse, mendicent? Non quidem quòd eos hæc res mendicitate oppressura sit, quòd à terrenis facultatibus abdicantur, cœlum spe possidentes, cito etiam re possessuros, regente illos Deo suô ac protegente, qui eos cum immortali spe æternorum, etiam sufficientiâ temporalium muneratur. Sed tamen, quantùm ad inhumanitatem parentum attinet, egent, à quibus sic relicti sunt, ut egerent. Certè etiamsi qui non penitus domò eliminantur, & quibus non omnino quasi exterribus, quasi aqua & ignis interdicitur, cùm aut tenues, aut quasi usufructuarii relinquuntur; tamen tantò inferiores fratribus relinquuntur, ut, etiamsi paupertate non egeant, comparatione tamen egere videantur.*

Dicitis, Quid opus fit Religiosis unquam accipere cum fratribus patrimonii portionem? Respondeo, ut Religionis fungantur officio, ut Religiosorum rebus Religio ditetur, ut donent, ut largiantur, ut illis habentibus, cuncti habeant non habentes; immò, si tanta est eorum fides atque perfectio, ut habeant citò non habituri, beatiùs utique, postquam habuerint, non habentes. Cur eis, quæso, ò inhumanissimi parentes, necessitatem indignissimæ paupertatis imponitis? Permittite hoc Religioni ipsi cui filios tradidistis. Rectiùs pauperes à se fiunt. Si tantùm eos inopes esse cupitis, concedite id ipsorum devotioni: liceat eis, quæso, ut velint pauperes fieri: eligere inopiam debent, non sustinere. Postremò etiamsi sustineant, devotione eam tolerent, non damnatione patiantur. Cur eos velut à naturâ expellitis, & quasi è jure sanguinis abdicatis? Et ego esse eos pauperes volo; sed ut habeat tamen præmium suum ipsa paupertas, ac præclarâ demutatione, eligant inopiam ex copia, ut ex inopia electione copiam consequantur ..., Iniquum ergo arbitramini, ut sæcularibus filiis Religiosos filios substantiâ pares esse faciatis. Id ergo agitis ut pœniteat eos cœpta Religionis, quos Religio apud vos fecerit viles. Plus itaque est ac bonus Dominus, qui servet in eis propositum ac professionem suam. Cæterum, quantùm in vobis est, id agitis, ut Sæculi eos cultores esse faciatis, quibus sæculares filios antefertis.

Et infrà, contra eos parentes invehitur, qui paulò æquiores videri poterant, usumfructum paternorum bonorum filiis Religionem voventibus concedentes, quorum proprietatem filiis in sæculo manentibus ascribebant. *Potest*, inquit, *aliquatenus ferri ista conditio, si aut amicis, aut affinibus, aut propinquis, hâc lege aliquid relinquatur. Filiis verò qui proprietatem rerum non tribuit, nihil relinquit. Sed invenit iniquissima infidelitas parentum quomodo à patrimonio suo Deum penitus excludat, proprietatem rerum Religiosis filiis auferendo: usum enim his dedit, ut esset quò ipsi viverent: proprietatem his tulit, ut quod Deo relinquerent, non haberent. O novum irreligiosæ mentis ingenium! invenit quò videretur filiis suis majore erga Deum impietate consulere: fecit enim ut sancta soboles usum rerum habens, jus rerum*

non habent, quasi locuples quidem viveret, sed quasi mendica moreretur: ac sic testator infidelissimus plenâ de hoc mundo posset securitate discedere, cùm sciret de suô ad Deum pervenire penitus nihil posse.

Et infrà. *Quid agis, miserrima infidelitas, & paganica ut ita dixerim, religiositatis error? Itane tantùm odisti Deum, ut posses etiam filios tuos, ob hoc tantùm quòd ad Deum pertinent, non amare? Meliori enim conditione quidam relinquunt libertos suos, quàm tu filios tuos. In usu siquidem quotidianô est, ut servi Romanâ à Dominis libertate donentur: in qua scilicet & proprietatem peculii rapiunt, & jus testamentarium consequuntur: ita ut & viventes res suas, cui volunt, tradant; & morientes donatione transcribant. Non solùm hoc, sed & illa quæ in servitute positi conquisierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. Tantùm eis interdum gratia Patroni liberalitas impartit, ut etiam juri suo detrahat, quod libertorum dominio largiatur. Quantò, ò quisquis ille es, infidelissime pater, quantò domini illi meliùs cum libertis agunt, quàm tu cum liberis? Illi quæ donant, perpetuò jure donant; tu temporariò: illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis: illi postremò servos suos dant libertati; tu quasi addicis filios servituti. Nam quid est aliud quàm servituti addicere, quos non vis aliquid quasi ingenuos possidere? More ergo illorum ageris, qui servos suos non bene de se meritos, quia Civitate Romanâ indignos judicant, jugo Latinæ libertatis addicunt: quos scilicet jubent quidem sub libertorum titulo agere viventes: sed nolunt quidquam habere morientes. Negatò enim his ultimæ voluntatis arbitriò, etiam quæ superstites habeut, moricntes donare non possunt. Ita ergo & tu Religiosos filios tuos, quasi Latinos jubes esse libertos, ut vivant scilicet quasi ingenui, & moriantur ut servi, &. juri fratrum suorum quasi per vinculum Latinæ libertatis adstricti, etiamsi videntur arbitrii sui esse dum vivunt, quasi sub illorum tamen positi potestate moriantur.* Quintô igitur Sæculo Religiosi viri paternam hereditatem colligebant, eam ut in commune conferrent, nisi eâ à parentibus fraudarentur. Quod contingebat sæpius, cùm illi qui paulò majori pietate liberos prosequebantur, solùm ipsis usum-fructum legitimæ bonorum suorum portionis concederent. Eadem consuetudo vigebat insequente Sæculo, ut colligitur ex Canone 19 Concilii Matisconensis I. quo Agnetis Monachæ petulantia coërcetur, *Quæ agellos vel quascunque res ad se pertinentes*, potentibus viris dare decreverat, ut eorum patrocinio è Monasterii septis prosilire posset. Unde enim ipsi agelli, & res aliæ, nisi eas hæreditatis jure possideret?

Monachi Testamentû condere poterant.

XIII. Monachi Testamentum condere poterant Sæculo V. ex iis bonis, quæ ipsorum nomine Monasterium possidebat. Quòd si nullô conditô Testamentô morerentur absque parentibus, Monasterium in eorum bona quasi *ab intestato* succedebat: quæ antea mos erat Fisco cedere. Id constat ex Lege Theodosii Junioris ad Taurum Præfectum directâ, quæ refertur Cod. Theodos. lib. 5. Tit. 3. cap. 1. & Cod. Justin. lib. 1. Tit. 3. cap. 20. *Si quis Episcopus, aut Presbyter; aut Diaconus, aut Diaconissa, aut Subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier quæ Solitariæ vitæ dedita est, nullô conditô Testamentô decesserit, nec ei parentes utriusque sexûs, vel liberi, &c. bona quæ ad eum pertinuerint, sacro-sanctæ Ecclesiæ vel Monasterio, cui fuerat destinatus, omnifariam socientur.*



ARTICULUS V.

De Ecclesiæ bonis, & eorum usu Sæculo V.

Rerum Ecclesiasticarum administratio penes Episcopos.

Postrema edit. 126.

SÆculo V. penes Episcopos fuisse rerum Ecclesiasticarum administrationem, sive bonorum temporalium ad Ecclesiam pertinentium dispensationem, constat ex S. Joanne Chrysostomo *Homilia 86. in Matthæum*, ex Possidio in *Vita S. Augustini, cap.* 22. ex ipso S. Augustino, *Epistola* 225. & ex Gelasio I. *Epistola* 10. *ad Episcopos Siciliæ* data. In Ecclesia tamen Orientali, hæc procuratio penes Oeconomos fuit, ex Decreto Concilii Chalcedonensis, *Canone* 26. qui rationem administrationis Episcopis reddebant.

Bonorum Ecclesiasticorum divisio.

II. Ecclesiæ Bona quatuor in partes distribuebantur, in Ecclesia Occidentali, quarum una Episcopo, altera Clericis, tertia Templorum restaurationi, quarta sustentationi pauperum cedebat. Id patet ex Epistola 3. Simplicii Romani Pontificis, quâ Gaudentium Aufiniensis Ecclesiæ Episcopum, ob Ordinationes Simoniacas, quartam duntaxat partem redituum Ecclesiasticorum percipere jubet; tres reliquas portiones Onagri Presbyteri Oeconomiæ administrandas committit. *Sola ei*, inquit, *quarta portio remittatur; duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ, ab Onagro Presbytero, sub periculo sui Ordinis ministrentur: ultima inter se Clericis, pro singulorum meritis, dividatur. Tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodò vindicasse, restituas.*

Quælibet parochia proprias sibi servabat oblationes.

Idem habetur ex Gelasio I. *Epistola* 9. *ad Episcopos Lucaniæ* datâ *Quatuor autem tam de reditu, quàm de oblatione Fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una Pontificis, alia Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda... Ea verò quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum: quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his destinata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est, Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri.*

III. Proprias oblationes sibi quælibet Parochia servabat, cùm antea deferrentur omnes ad Matricem Ecclesiam, & prudenti Episcopi arbitriô distribuerentur. Id testatur Theodorus Lector *lib.* 1. ubi de Gennadio, qui post Anatolium Constantinopolitanus Archiepiscopus creatus est, ita scribit: *Designavit Gennadius Marcianum Oeconomum, qui mox atque Oeconomus esset factus, quæ in unaquaque Ecclesia offerebantur, ab ejus loci Clericis accipi decrevit. Ad id enim usque tempus cuncta accipiebat Ecclesia Magna.* Idem constat ex Canone Concilii Hipponensis, quem refert Ferrandus Diaconus Breviarii Canone 38. cujus hæc sunt verba: *Ut Episcopus Matricis non usurpet quicquid fuerit donatum Ecclesiis, quæ in Diœcesi constitutæ sunt.*

Clerici bonorum Ecclesiasticorum se dispensatores duntaxat non dominos existimabant.

Postrema edit. 943.

IV. Episcopos & Clericos, bonorum Ecclesiasticorum dispensatores esse, non dominos, Patres & Doctores Sæculi V. tradiderunt. Id docuit S. Augustinus Epistola 50. ad Bonifacium data. *Si autem*, inquit, *quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

Id docuit Julianus Pomerius lib. 2. *de Vita contemplativa, cap.* 9. ubi cùm exempla sanctissimorum

rum

rum Episcoporum Paulini & Hilarii Arelatensis protulit, qui bona Ecclesiæ fidelissimè dispensarunt, subdit: *Unde datur intelligi, quod tales ac tanti viri, (qui volentes esse Christi discipuli, renuntiaverunt omnibus quæ habebant) & idcirco scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas, pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere, nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare: quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere.* Quem locum transcripsit Aquisgranense Concilium anno 816. cap. 35.

Et cap. 31. *Itaque Sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis, accipit à populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta; qui omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiæ rebus adjungit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit; ita ut unde pauperibus subministrat, inde & ipse tanquam pauper voluntarius vivat.*

Et cap. 16. *Nunc autem quòd Christiani temporis Sacerdotes magis sustinent quàm curant possessiones Ecclesiæ, etiam in hoc Deo serviunt; quia si Dei sunt ea quæ conferuntur Ecclesiæ, Dei opus agit, qui res Deo consecratas, non alicujus cupiditatis, sed fidelissimæ dispensationis intentione non deserit. Quapropter possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt Sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credenda, sed Dei.*

S. Isidorus Pelusiota in Sacerdotes, qui se ut bonorum Ecclesiæ dominos, non ut dispensatores gerebant, acriter invehitur *Epistola* 21. *lib.* 5. eos cum prioris ævi sanctissimis Episcopis comparans. *Tunc*, inquit, *virtute præditi Sacerdotio admovebantur, nunc avari & pecuniæ cupidi. Tunc imperia dignitatesque ob rei magnitudinem defugiebant, ut Nazianzenus, Chrysostomus, & alii; nunc verò sponte assumunt ob deliciarum copiam, atque invadunt. Tunc voluntariâ paupertate gloriabantur, nunc habendi cupiditate spontaneâ quæstum facimus. Recidisse jam Sacerdotii dignitatem ad regnandi cupiditatem apparet; ab humilitate ad superbiam, à jejunio ad delicias prolapsam; à dispensatione denique ad dominium venisse. Non enim ut dispensatores administrare rem volunt, sed ut domini sibi propria vindicant.*

Hinc Fideles pecunias interdum suas erogandas pauperibus apud Episcopum velut Procuratorem pauperum deponebant. Sic Zeno Monachus sanctissimus accersitum Episcopum compellans: *Adesdum*, inquit, *ô venerandum urbis caput, esto istarum quoque pecuniarum optimus dispensator, eas juxta Dei voluntatem distribuens, tamquam ipsi Judici rationem redditurus. Harum te dispensatorem instituo, qui & Pontifex es, & Pontificatu dignam vitam agis.* Ac statim ipsi, *Pecunias velut divino Quæstori tradidit*, teste Theodoreto, *Historiæ Religiosæ cap.* 13.

An Clerici qui se bonorum proprietate non abdicaverant, & quibus ad victum atque vestitum patrimonium sufficiebat, Ecclesiasticos reditus ac distributiones percipere deberent?

IV. Clericos, qui se bonorum proprietate non abdicaverant, vel ea parentibus dimittendo; vel erogando in pauperes, vel conferendo Ecclesiæ, & quibus ad victum atque vestitum patrimonium sufficiebat, Ecclesiasticos reditus ac distributiones percipere non debere, sensit Julianus Pomerius, qui Sæculo quinto maximâ cum laude floruit. Sic autem scribit lib. 2. de Vita Contemplativa, cap. 10. *Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem dicit Spiritus sanctus: Peccata populi mei comedunt. Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores, non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant quod debet debilis aut infirmus accipere: ne fortè Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis quibus debet, subvenire non valeat. Qui autem Ecclesiæ serviunt, & labori suo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant quod Ecclesiæ fideliter servientes, stipendia terrena, ac non potiùs præmia æterna accipiant. Sæcularis quippe militia, quia cœlestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat. Unde satis indignum est, si fidelis & operosa devotio Clericorum, propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet Minister Ecclesiæ non habet unde vivat; non ei præmium reddit hîc, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe Dominicæ promissionis certus expectat. Illi quoque qui velut idonei, nihil quidem sibi dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant; qui Ecclesiam quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant: propter hoc fortassis in Congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant.*

Et infrà: *Quæro quid eorum sit, quæ dixi, difficile? Ut homo id quod opus non habet, ab Ecclesiâ non accipiat? An ut quod habet sine caussa, contemnat, Si propter hoc non vult sua relinquere, ut habeat unde vivat; ut quid accipit unde rationem reddat? Ut quid de peccatis alienis sua multiplicat?*

Et cap. 12. *Qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint: si ea quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua: quia & ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel Ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt. Quòd si putant ideò accipi debere eorum, quæ conferuntur Ecclesiæ, portionem, ne eam videantur abjicere; se verò non posse sua relinquere, quòd eis deforme sit inter suos pauperes reddi: noverint esse deformius, possessores de eleemosynis pauperum pasci.*

Et cap. 14. ubi commendavit S. Paulum, qui sic Evangelium prædicavit, ut nec de Evangelio viveret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, sic colligit: *Si ergo ille, qui nihil habebat, noluit de Evangelio, ubi laborabat, sed suis manibus vivere, ne gloriam suæ mercedis amitteret: quid nos, qui & propria nolumus, amore possidendi, non vivendi necessitate relinquere; & accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus:*

Clerici absque liberis, aut propinquis morientes, bona sua Ecclesiæ, vel pauperibus relinquere debebant.

V. Clericos absque filiis aut propinquis morientes, bona sua Ecclesiæ, vel pauperibus relinquere debere, Patres docuerunt Sæculo 5. Unum omnium instar profero Salvianum in Epistola ad Salonium. *Tanta*, inquit, *incredulitas est hominum, & tam gravis infidelium languor animarum; ut cùm multi maximas opes hæredibus, interdum etiam extraneis derelinquant; hoc solùm se putant perdere, quod pro spe sua dederint ac salute. Et quidem istud licet in omnibus ferè grave sit: præcipuè in his tamen quos in consimili crimine infidelitatis, etiam professio sanctitatis accusat.* Et infrà: *Quod ut ita dixerim, propè inter monstra reputandum est, ad Levitas etiam atque Presbyteros, & quod his sceleratius multò est, etiam ad Episcopos pervenisse: ex quibus multi sine affectibus, sine pignore, non familias, non filios habent, opes & substantias suas, non pauperibus,*

non Ecclesiis, non sibi ipsis, non denique, quod his omnibus majus est ac præstantius, Deo, sed sæcularibus, vel maximè & divitibus, & extraneis deputarent.

Et lib. 2. *Ad Ecclesiam Catholicam*, ubi conjugatorum, Viduarum, ac sacrarum Virginum officia, quoad piam bonorum suorum, vel in extremis dispensationem exposuit, de Clericis hæc subdit: *Licet Decretum vetus largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem, omnes tamen Levitas & Sacerdotes intra certum habendi limitem coarctavit: quos scilicet neque segetem, neque ullum omninò fundum habere permisit. Ex quo intelligi potest, an ea nunc Deus noster velit in Evangelio viventes Clericos suos, mundanis post se hæredibus derelinquere, quæ adhuc in Lege positos, ne ipsos quidem voluit possidere. Unde est quod eis Salvator ipse in Evangelio, non ut cæteris voluntarium, sed imperativum officium perfectionis indicit. Quid enim cum Laico illi adolescenti dixisse legimus? Si vis esse perfectus, vende quæ habes, & da pauperibus. Quid autem Ministris suis? Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, &c. Videte quanta sit in utroque hoc Dei sermone diversitas. Laico dixit: Si vis, vende quæ possides: Ministro autem: Nolo possideas. Quid dici ampliùs potest? Pecuniam de Apostolorum manu rapuit, & peragrantibus universum mundum Ministris suis usum unius virgulæ non reliquit. Et post hæc parum est successoribus eorum, id est, Levitis ac Sacerdotibus, tantâ divinarum rerum administratione fungentibus, si ipsi tantùm divites fuerint, nisi etiam hæredes divites derelinquant. Erubescamus, quæso, hâc infidelitate: sufficiat nobis quòd videmur usque ad vitæ terminos Dominum spernere: cur id agimus ut contemptum ipsius usque ad mortem extendamus?*

Ex lib. 3. *Sed, esto, indulgeri parentibus possit, naturæ insalubriter indulgentibus: quid quod nonnulli filios non habentes, à respectu se tamen salutis suæ, & remediò peccatorum penitus avertunt, ac licet semine sanguinis sui careant, quærunt tamen quoscumque alios, quibus substantiam propriæ facultatis addicant: id est, quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant: quos sibi quasi adoptivos imaginarii parentes filios faciant; & in locum eorum, quæ non sunt, pignorum, perfidiæ generatio succedant?*

Denique quod de Christianis omnibus libro 2. dixit, multòmagis Clericos spectat. *Quam longè ergo sunt à mandato Dei*, inquit, *quos cùm ipsos jusserit Deus viventes opibus renuntiare, illi eas cupiunt etiam in cognatis suis mortui possidere! Aut quàm longè ab ea devotione sunt, ut exhæredent ipsos se propter Deum, qui exhæredare nolunt saltem extraneos propter se, quibus libenter liberè dicerem: Quæ insania est, ô miserrimi! ut hæredes alios quoscumque faciatis, vos ipsos exhæredatis: ut alios relinquatis vel brevi divites, vos ipsos æternâ mendicitate damnatis.*

ARTICULUS VI.

De Clericorum, & bonorum Ecclesiasticorum Immunitatibus Sæculo V.

CLericorum Immunitas non eodem semper statu fuit quinto Sæculo. Arcadius Imperator * Clericos omnes ex pagis oriundos *oneri Capitationis* subditos declaravit. Capitatio tributum erat quod viritim solvebatur. Arcadius & Honorius Clericorum à publicis oneribus Immunitatem, necnon à tributo, quod ratione negotii, ex quo victum quidam lucrabantur, solvere debuissent, confirmarunt. (Lib. 16. Cod. Theod. Tit. 2. Leg. 38.) *Quicumque Catholicæ Religionis Clerici, intra eum modum unde victus emendi, vendendique usum Lege præfinitum exercent, ab auraria pensione habeantur immunes. Ab his quoque, quot à publici laboris actu, & gradus Clericatus, & quod non minus est, sanctior vita defendit, præcipimus temperari.* Idem Honorius Clericos ab extraordinariis duntaxat contributionibus immunes esse edixit, Leg. 48. *Ne prædia usibus cœlestium secretorum dicata, sordidorum munerum fasce vexentur, nullâ jugatione, quæ talium Privilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat injuria: nihil extraordinarium ab hac, superinductitiumve flagitetur; nulla Pontium instauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur: non aurum, cæterave talia poscantur: postremò nihil præter canonicam illationem, quod adventitiæ necessitatis sarcina repentina depoposcerit, ejus functionibus adscribatur.*

* Leg. 33. lib. 16. Cod. Theodos. Tit. 2.

Valentinianus III. nequidem ab extraordinariis contributionibus immunes Clericos esse voluit, quas nomine *Munerum sordidorum* perperam appellatas dixit, *Novella* 21. inter Theodosianas. *An forte contumeliosum putandum est, inventum contra rationem nomen munerum sordidorum, quò instauratio militarium virorum, quò armorum fabricatio, quò murorum refectio, quò apparatus annonæ, quò reliqua opera, per quæ ad splendorem distinctionis publicæ pervenitur, prava appellatione censentur? Quare sancimus ut antiquitatis omnibus Privilegiis, quæ aut dignitatibus delata fuerunt, aut nomine venerandæ religionis obtenta sunt, omnis ubique census, qui non personarum est, sed agrorum, ad universa munia absque ulla discretione cogatur in quarta parte.* Theodosio Juniore imperante, Ecclesiæ omnes ordinariis tributis erant obnoxiæ. à quibus Romanam duntaxat, Constantinopolitanam, Alexandrinam, & Thessalonicensem immunes fuisse, ex ipsius Legibus discimus.

SCHOLION.

In hoc Articulo pag. 65. & seq. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Immunitas Ecclesiastica dependet ab Imperatoribus.*

R. Hæc propositio non est mea. Hic duntaxat observo Arcadium Imperatorem Clericos omnes ex pagis oriundos oneri capitationis subditos declarasse. Arcadium & Honorium Clericorum à publicis oneribus immunitatem, nec-non à tributo, quod ratione negotii, ex quo victum quidam lucrabantur, solvere debuissent, confirmasse. Honorium Clericos ab extraordinariis duntaxat contributionibus immunes edixisse, Valentinianum III. nequidem ab illis immunes Clericos esse voluisse. Quæ omnia Legum ex Theodosiano Codice descriptarum verbis probavi. Hæc mera facta sunt. Juris quæstionem non attigi, an & qua ratione Clericorum immunitas pendeat ab Imperatoribus? Agnosco immunitatem Ecclesiasticam in iis quæ Sacramentorum administrationem, sacrosque Ritus, Ecclesiasticæ Disciplinæ constitutionem, spiritale Regimen populi Christiani, causarum merè Ecclesiasticarum judicium spectant, à Principibus & Imperatoribus non dependere: sed tamen plurimas alias Immunitates in iis quæ temporalia spectant onera, à Christianis Principibus Ecclesiis Clericisque concessas qui negaret, in meridiana luce cæcutiret, in Ecclesiastica Historia peregrinus & hospes, esset, Leges Principum nunquam legisse convinceretur.

CAPUT VII.

De Rebus Imperii.

ARTICULUS I.

De Arcadio.

QUæ Arcadium spectant, maximam partem jam diximus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi IV. Annum agebat ille 6. Imperii Sæculo V. ineunte. Filium ex Eudoxia Augusta suscepit anno Christi 401. quem Theodosium vocari voluit, & statim Augustum appellari. Puero Imperatori cum ex sacro fonte ad Aulam solemni pompâ portaretur, supplicem libellum porrexere sanctissimi Episcopi

Episcopi Joannes Cæsariensis, & Porphyrius Gazensis, ut templi Marnæ demolitionem impetrarent: Augusti pueri nomine piam Antistitum supplicationem impleri jussit Arcadius, Eudoxia rogante, quæ hoc negotium ad exitum perducendum ex pietate susceperat. Cynegio Viro Clarissimo dedit in mandatis Arcadius ut rem exequeretur, & diruendis Idolorum templis, ac præsertim celeberrimo templo Marnæ operam commodaret. Hujus rei historiam ex Marci Gazensis Diaconi Commentariis prolixè refert Cardinalis Historicus *Tom. V. Annalium.* Mortuus est Arcadius relicto filio Theodosio adhuc octenne Basso & Philippo Coss. Kal. Maii, anno secundo Olympiadis ducentesimæ nonagesimæ septimæ, id est anno Christi 408. Imperavit unà cum Patre Theodosio annis tredecim: post patris autem obitum annis quatuordecim. Vixit annos unum & triginta. Pietatis & mansuetudinis famam consecutus est, quam Socrates commendat *lib. 6. cap. 23.* Sed quòd uxori nimiùm addictus esset, eique impensius obsequeretur, magnâ suum nomen maculâ fœdavit. Moriens Theodosii filii tutelam Isdegirdi Persarum Regi testamento commendavit; qui eam suscipiens, pupilli curam Imperatoris commisit Antiocho Viro clarissimo & eruditissimo, denuntiavitque omnibus se hostem venturum, qui contra ipsum aliquid molirentur. Hâc occasione Romanos inter ac Persas sancitum fœdus, & Christiana Religio in Perside propagata est, Maruthæ Episcopi Mesopotamiæ zelo ac pietate: de quo lege Socratem lib. 7. cap. 8.

ARTICULUS II.

De Honorio & Constantio Imperatoribus.

Honorius Imperator.

I. SUb Honorio fœdissima fuit Romani Imperii facies, & domesticis pariter externisque motibus assiduis turbatus Occidens. Anno Christi 403. Alaricus Rex Gothorum in Italiam cum ingenti exercitu irrupit: sed à Stilichone ipsi cum Romanis copiis occurrente; Pollentiæ, quæ civitas est in Liguria, profligatus est. Quâ de victoria legendus Claudianus *lib. 4. de Bello Gothico.* Eamdem celebrat Prudentius *lib. 2. adversùs Symmachum.* Debellatum Alaricum Stilicho liberum abire, viresque resumere permisit. Saulo barbaro Ethnicoque Duci commisit exercitum: qui ipso Paschæ die Gothos aggressus, ab illis fusus est. Stilichonem proditorem Imperii, qui Eucherium filium suum, Gentilem, & Christiano infensissimum nomini, ut Imperatorem crearet, barbaros occulto fœdere fovebat, Vvandalosque, Alanos, Suevos, Burgundiones, immiserat in Gallias & Hispanias, Heraclianus Ravennæ occidit, ex Honorii mandato, cui Stilichonis proditionem Olympius vir clarissimus aperuerat. Sublatus est Stilicho anno Christi 408. Anno sequenti Eucherius ejus filius cum Serena matre peremptus est. Post necem Stilichonis, Alaricus Romam expugnavit. Aurô pax à Romanis redempta, & soluta obsidio est. Exhaustô ærariô, falsorum numinum aurea quædam ac argentea simulachra conflata, suis alia spoliata sunt ornamentis, ut promissa barbaris summa solvi posset. Interim de pace Honorium inter & Alaricum actum est. Oblatas ab Alarico pacis conditiones Honorius respuit imprudenti consiliô. Hinc iratus Alaricus, Romam cum Athaulpho uxoris fratre secundò obsedit, obtinuitque, anno Christi 410. Cujus depopulatione militibus suis permissâ, incolumes servari jussit, qui ad Basilicas, præsertim Apostolorum Petri & Pauli confugissent. In ea irruptione Placidia Theodosii Principis filia, Arcadii & Honorii Imperatorum soror, ab Athaulpho capta est, atque in uxorem ducta, quasi eam divinô judiciô velut speciale pignus obsidem Roma tradiderit: ita juncta Barbari potentissimi Regis conjugio, multò Reipublicæ commodô fuit, inquit Paulus Orosius. Ejus quippe operâ & consiliô inductus ad amorem pacis Athaulphus, de restituendo Romanis Imperio cogitavit, ac se cum Gothis suis Narbonâ pelli, & in Hispaniam relegari patienter tulit. Non dubium quin vindice Deo hæc Alarici irruptio, & Urbis vastatio contigerit. Unde venerabili cuidam Monacho ipsum adhortanti ut à tot hominum cæde abstineret, respondit se Romam sponte non proficisci, sed alicujus quotidie sollicitantis impulsu, ac interiùs dicentis: *Perge Urbem Romam vastaturus.* Attalum, ut Imperio illuderet, Senatus-consulto Imperatorem creari jussit Alaricus, qui cùm Honorium communionem Imperii per Legatos offerentem superbè respuisset, ab Alarico privatam ad sortem redactus est, ac sæpius deinde refectus & destitutus, tanquam inane Imperii simulachrum cum Gothis in Hispanias deportatus, inde navi discedens, à Constantio Comite captus, anno Christi 415. & Honorio Imperatori exhibitus, truncatâ manu, vitæ relictus est.

Varii Tyranni in Occidente.

Honorio imperante, varii etiam Tyranni alias Occidentis partes infestarunt. Apud Britannias Gratianus municeps ejusdem Insulæ Tyrannus creatus, & mox occisus. Hujus locô Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis electus, continuò ut invasit Imperium, in Gallias transiit. Misit verò in Hispanias Judices, quos cum Provinciæ suscepissent, duo fratres juvenes, nobiles, & locupletes Didymus, & Verinianus ad legitimi Imperatoris ac patriæ defensionem servulos ex propriis præsidiis colligentes, Pyrenæorum claustra tutari aggressi sunt. Contra quos Constantinus Constantem filium suum ex Monacho Cæsarem factum, cum Barbaris quibusdam, qui quondam in fœdus recepti atque in militiam adlecti, Honoriaci vocabantur, in Hispanias immisit. Qui junctis Barbararum quoque gentium, quæ per Gallias grassabantur, copiis, Hispanias depopulati sunt. Tandem Constantinus à Constantio Comite, cui summam belli adversùs Tyrannos Honorius commiserat, victus & Honorii jussu ad Ravennam jugulatus est, anno 411. cùm se Arelate ad Oratorium fugiens, Sacerdotio initiandum ante curasset. Post hunc Jovinus & Sebastianus fratres acceptâ tyrannide, ab Athaulpho Gothorum Principe Narbonæ capti & occisi sunt anno quadringentesimo decimo quarto. Heraclianus Africæ Comes, Tyrannus ibi factus, instructâ numerosissimâ & potentissimâ classe, in Italiam contra Honorium transfretavit: sed à Marino Comite ad Utriculum superatus, & in Africam reversus, Carthagine in Æde Memoriæ jugulatus est anno Christi quadringentesimo decimo tertio.

Summa Honorii pietas & in Religionem Catholicam studium, odiumque in hæreticos quos sanctissimis ac severissimis coërcuit legibus, Manichæos præcipuè, Donatistas, Pelagianos, hanc ipsi fœlicitatem à Deo obtinuit, ut tot de Tyrannis victor evaderet, Barbarasque Gentes quæ Occidentem infestabant, vel profligaret, vel in mutuum armaret excidium. Scilicet post Athaulphi Gothorum Regis necem, & breve Segerici regnum, Vvallia qui ipsi successit, pace cum Romanis factâ, Placidiam Athaulphi viduam Honorio fratri restituit, & contra Vvandalos, Alanos, Suevos aliasque gentes, quæ Hispaniam insederant, arma convertit.

Constantius Imperator.

II. Ut Constantii Comitis virtute & industriâ sublati fuerant Tyranni, ejus merita suæ affinitatis honore, & Imperii consortiô remunerare voluit Honorius. Unde illi Placidiam sororem invitam collocavit, anno 417. in Imperii verò consortium assumpsit anno Christi 420. ut Prosper in Chronico testatur,

vel 421. 6. Idus Februarias, secundùm Theophanem. septem duntaxat mensibus imperavit. Ejus ad summum fastigium promotionem ægrè tulerat Theodosius Junior Orientis Imperator: decedente enim sine mascula prole patruo, Provincias Occidentis Orientali addendas imperio sperabat. Unde tantâ spe dejectus, missam, ut moris erat, ad se novi Imperatoris effigiem rejecerat: ob idque Constantius bellum adversùs ipsum gerere decreverat. Ex Constantii & Placidiæ Matrimonio, Honoria, & Valentinianus Junior progeniti.

Honorii Imperatoris mandato, & Marcellini Tribuni in Africam ab ipso missi piis curis, celeberrima Catholicorum cum Donatistis Collatio habita est, ut Tomo superiori diximus, in Historia Schismatis Donatistarum. Lata à Marcellino sententia, cùm ob Heraclianos tumultus executioni mandari non potuisset, pacatis imperii rebus optatum exitum sortita est, & unitas per universam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita, Honorio præcipiente, & adjuvante Constantio, ut scribit Orosius *lib.* 7. *cap.* 29. Imperii minùs quàm Ecclesiæ rebus movebatur Honorius. Cùm enim captam à Gothis Romam ipsi nuntiatum esset, nuntium de ave, quam Romam vocabat, quamque habebat in deliciis, loqui putabat, illamque ereptam penè tulisset impatientiùs, quam Regiam Urbem, ut Cedrenus refert.

Mortuo Constantio, inter Honorium & Placidiam sororem summa familiaritas, & assiduis osculis testatus amor, turpis consuetudinis suspicionem adversùs ipsos multorum in animis peperit, & gravi calumniæ locum dedit. Mox Elpidia Placidiæ nutrice, & Leontio ejusdem Curatore agentibus, ferventior amicitia in odium versa, rixis, & jurgiis frequentibus ita incensum, & obfirmatum, ut Honorius Placidiam cum filiis in Orientem relegaverit, anno 423. Hoc ipso anno mortuus est Honorius aquæ intercutis morbo, anno ætatis 35. Imperii verò 29. Hæc habentur ex Orosio *lib.* 7. *cap.* 17. 18. & 19. ex Olympiodoro apud Photium *Cod.* 80. ex Prosperi, Idatii, & Marcellini Chronicis, ex Socrate *lib.* 7. *cap.* 10. Sozomeno *lib.* 9. à *cap.* 7. *ad* 27. ex Historia Miscella *lib.* 13 à *cap.* 14. ad finem, & *lib.* 14. à *cap.* 1. & Jornande lib. 1. *de Rebus Geticis.*

ARTICULUS III.

De Theodosio Juniore.

Mortuo Arcadio, Orientis Imperium sub ditione fuit Theodosii Junioris ejus filii, qui tunc temporis octo annos natus erat, ut diximus. Anthemius Præfectus Prætorio vir sui temporis prudentissimus summam rerum sub ipso administrabat. Theodosio sorores erant Flaccilla, Pulcheria, Arcadis, & Marina: è quibus Pulcheriam Augustam appellavit, cùm nondum annum 15. ageret, ut Sozomenus testatur, vel certè nondum 16. excessisset, ut colligitur ex Chronico Marcellini. Hæc virginitatem Deo consecravit, sororesque cæteras ad idem vivendi genus informavit; & sacram mensam ex auro & lapidibus pretiosis conflatam & ornatam, in Ecclesia Constantinopolitana pro virginitate sua, & pro fratris Imperio dedicavit. Ab hac institutus Theodosius, sororesque cæteræ, tantùm in virtute ac pietate profecerunt, ut in Monasterium Aula verteretur. Matutinô tempore ipse unà cum sororibus Hymnos in Dei laudem alternis recitare consueverat. Laborum erat patientissimus: jejunabat frequentissimè, ac præsertim quartâ & sextâ Feriâ. Sacræ Scripturæ libros memoriter tenebat: & cum Episcopis qui ipsum adibant, tanquam veteranus quidam Sacerdos de iisdem disserebat. Neminem unquam qui ipsum injuriâ affecisset, vexavit; immò nullus unquam eum vidit iratum. Cuidam ex familiaribus interroganti, cur neminem eorum, à quibus læsus fuerat, capitali supplicio multasset: *Utinam*, inquit, *etiam mortuos ad vitam revocare mihi liceret!* Omnes Dei Sacerdotes summoperè colebat, eos præcipuè qui vitæ sanctimoniâ insignes essent. Cùm Chebronensis Episcopus extremum diem obiisset Constantinopoli, sagum ejus cupidè petiisse dicitur, eôque licet admodum sordidô, pro pallio usus fuisse, cùm consideret se hoc modo nonnihil ex ejus viri sanctimonia percepturum. Cruenta hominum cum bestiis pugnantium spectacula sustulit, populumque instituit humanioribus spectaculis delectari. Si quando bellum commotum fuisset, Davidis exemplum imitatus, confugiebat ad Deum, quem bellorum moderatorem esse intelligebat: & precibus victoriam promerebatur. Anno ætatis 20. Athenaidem Leontii Philosophi filiam, de consilio sororis Pulcheriæ uxorem duxit, eleganti corporis specie, & doctrinâ egregiam feminam, quam ab Attico Episcopo baptismo initiatam, Eudociam nominavit. Ex hac suscepit Eudoxiam, Valentiniano III. nuptam.

Theodosii pietas.

Post obitum Isdigerdis, violatô fœdere quod ab ipso cum Romanis sancitum fuerat, a Vararane Persarum Rege, Theodosius bellum adversùs Persas suscepit, quod per Ardaburium ducem feliciter gestum est, prænuntiata per Angelos Romano exercitui victoria. Bellum istud anno Christi 424. confectum est. Eodem tempore Acacius Amidæ Episcopus, sacris Ecclesiæ vasis conflatis, septem millia Persarum, quos Romani milites captivos detinebant, quique fame consumebantur, redemit, aliquandiu aluit, ac viaticô instructos ad Regem Persarum remisit. Quô Acacii admirabili facinore Rex Persarum ingenti stupore perculsus est, quòd Romani & bello & beneficentiâ hostem vincere studerent. Legatur Socrates *Lib.* 7. à cap. 18. ad 23. & Sozomenus *Lib.* 9 *cap.* 1. Mortuo Honorio Imperatore Occidentis, Theodosius Joannem Primicerium Notariorum, qui Ravennâ occupatâ tyrannidem arripuerat, missô Ardaburio sustulit ac extinxit. Quod non sine ingenti miraculo factum est. Cùm enim Ardaburius tempestate jactatus, in Tyranni potestatem venisset, Angelus, Pastoris specie, aperto per invias paludes itinere, Asparem Ardaburii filium Ravennam deduxit, ubi Tyrannum ipsum cepit, occiditque. Legatur Socrates *Lib.* 7. *cap.* 23.

Leges tulit sanctissimas Theodosius contra Gentiles, quos à militia & ab omni Magistratu arceri voluit. (*L.* 21 *de Paganis*, *C. Theodos.*) eosque honorum proscriptione coërcuit & exiliô, si in execrandis sacrificiis fuissent deprehensi. (*L.* 52 *de Pagan.*) Item contra Judæos, quos novas ædificare vetuit Synagogas. (*L.* 27. *de Judæis*, *C. Theodos.*) Adversùs omnium sectarum Hæreticos. (*L.* 59. 60. & 61. *de Hæret. C. Theodos.*) Synodum Ephesinam contra Nestorium convocavit. Pro pace Ecclesiæ conciliandâ laboravit, cùm inter Orientales, & S. Cyrillum, aliosque Synodi Ephesinæ Patres, grave dissidium ortum esset. Damnavit Nestorii Libros, Nestorium ipsum in Oasim deportari præcepit. Adversùs lenones Rescriptum dedit, quô Florentii Præfecti Prætorio commendavit insignem probitatem; qui cùm pestiferum illud hominum genus Constantinopoli tolerari videret, ob vectigal quòd in Ærarium conferebant, latifundium donavit ex quo iidem reditus Reipublicæ solverentur, ut Regiam Civitatem his sordibus purgaret. Pelagianos sacrâ Jussione extrusit Constantinopoli. Rem litterariam promovit, viros eruditos fovit, censuitque, Comitivæ ordinis primi dignitate emeritos Professores honestans. (*L.* 1. *de Profess. C. Theodos.*) Diem Dominicam,

Sanctissimæ Theodosii Leges.

nec-non

nec-non Festos dies Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Apostolorum, spectaculorum voluptate violari vetuit, *Aliud esse supplicationum tempus* asserens, *aliud voluptatum.* (*Lib. 5. de Spectac. C. Theodos.*) De immunitate Ecclesiarum legem tulit, & quempiam armatum Ecclesiam ingredi prohibuit. (*L. 14. de his qui ad Eccles. confugiunt, C. Theodos.*) Codicis editionem clarissimis Jurisconsultis demandavit, qui ejus nomine *Codex Theodosianus* etiamnum appellatur. Hunc promulgavit Codicem 15. Kal. Mattii, anno Christi 435. Imperii sui 28. datô ad Florentium Præfectum Prætorio Orientis Rescriptô. Hoc autem in Codice quæ habentur de Episcopis & Clericis Leges, ad Canonum executionem promovendam latæ sunt, & ad Ecclesiæ decorem atque commodum.

Theodosium scripta ad S. Joannem Chrysostomum, quasi adhuc viventem Epistolâ, ipsi supplicasse ut corpus suum Constantinopolim transferri sineret, scribit Nicephorus, qui, & illius Epistolæ exemplar inserit lib. 14. Histor. Eccles. cap. 43.

Erga Sanctorum Reliquias propensâ fuit veneratione Theodosius. Corpus S. Joannis Chrysostomi * in urbem Regiam transferri curavit, & oculos ac frontem loculo admovens, Deo pro parentibus suis supplicavit, petens ut iis qui per imprudentiam peccassent, veniam concederet (ut refert Theodoretus *lib. 5. Histor. Eccles. cap. 36.*) Eodem imperante, Reliquiæ 40. Martyrum, qui olim, regnante Licinio, Sebastiæ passi fuerant, inventæ sunt in basilica S. Thyrsi Martyris prope Constantinopolim, divinâ revelatione factâ Pulcheriæ Augustæ, quæ cùm Martyres pretiosissimâ capsâ honorasset, eos juxta S. Thyrsum deposuit: publicâ festivitate, ut par erat, & solenni pompâ cum Psalmodiis & competenti cultu celebratâ; Proclo Constantinopolitanam Ecclesism tunc administrante. Hujus Inventionis & Translationis Historiam describit Sozomenus testis oculatus, *Lib. 9 cap. 1.* Inventæ sunt pariter eodem imperante Theodosio, Reliquiæ Zachariæ Prophetæ, & S. Stephani Protomartyris. (Ex Sozomeno, capite ultimo libri noni.) Refert ille, sub pedibus Prophetæ, extra arcam tamen, corpus infantis inventum fuisse Regiâ sepulturâ honotari. De quo cum curiosè ac diligenter quæreretur, cujusnam esset, Zacharias Abbas Monasterii in Geraris constituti, vetustum quemdam Hebræorum librum, non tamen Canonicum nactus est, in quo scriptum erat, Joas Regem Judæorum, cùm Zachariam Prophetam interfecisset, non multò post domi acerbissimâ calamitate percussum fuisse. Septimo scilicet die post necem Prophetæ, filium ipsi jucundissimum repentinâ morte interiisse. Cùmque eam calamitatem Dei indignatione sibi invectam esse conjiceret, puerum sub Prophetæ pedibus humari præcepit. Sancti etiam Ignatii Martyris reliquiæ, Theodosio imperatore, Roma Constantinopolim delatæ sunt, ac postmodum, eô curante, Antiochiam magnificô apparatu illatæ, ut refert Nicephorus *Lib. 14. cap. 44.* Sub idem tempus septem fratres, qui in Decii persecutione Christum confessi, in speluncam secesserant, in eaque velut in sepulchro fuerant ab Ethnicis conclusi, à somno 372 annorum feruntur excitari. Hanc Historiam referunt S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum cap. 95. Photius in Bibliotheca Cod. 253. Theophanes, Cedrenus, Constantinus Manasses, Nicephorus lib. 14 Historiæ Ecclesiasticæ cap. 45. Menæa Græcorum ad diem 4. Augusti, & 22. Octobris, Acta Metaphrasti attributa apud Surium ad diem 27. Julii. Sed ut illorum Martyrium sub Decio, & eorum Inventionem in spelunca sub Theodosio Juniore non negaverim, ita somnum tam diuturnum & expergefactionem prodigialem Fabulis annumero, persuadente Sancti Prosperi, Marcellini, & Evagrii silentio, qui res sub Theodosio gestas cùm scriptis consignaverint, tam admirabilem eventum non omisissent; ut alia sileam momenta, quæ doctissimus Cardinalis Baronius affert in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 27. Julii.

Principes, Christianosque omnes exemplo suo docuit Theodosius, timendam excommunicationem esse, quamvis injustam. Scilicet cùm quidam Monachus aliquid ab ipso postulans, repulsam non semel passus esset, ipsi Ecclesiasticâ communione temerè interdixit. Fulmen brutum non contempsit Imperator, nec priùs cibum sumere voluit, quin vinculô solutus esset. Quamobrem unum ex familiaribus ad Episcopum misit, rogans ut juberet ei qui ligaverat, ut vinculum solveret. Cùmque Episcopus respondisset, Non à quovis vinculum accipi oportere, id est, non cuilibet, sive Monacho, sive Clerico ferendæ excommunicationis convenire potestatem, solutumque eum esse renuntiasset, solutionem non admisit scrupulosioris in hoc religionis Princeps, donec is qui ligaverat, communionem restituisset. Id refert Theodoretus *Lib. 5. Historia Ecclesiastica cap. 36.*

Nimia Theodosii facilitas & credulitas.

Nimia fuit, ac incauta Theodosii facilitas credulitasque, ac Ecclesiæ etiam rebus aliquando noxia, ut ex Concilii Ephesini Oecumenici, & Latrocinii Ephesini Historia compertum est. Ejus imprudentiam jocô emendare voluit Pulcheria Augusta ejus soror, Libellum ipsi aliquando porrigens, quô Eudociam conjugem Augustam se vendidisse Pulcheriæ fatebatur. Libello minimè inspecto pro more subscripsit imprudens Princeps. Eudocia muliebri æmulatione in Pulcheriam, Chrysaphii etiam Eunuchi malis artibus incitata, Theodosium rogavit ut Augustam Virginem Diaconissam à Flaviano Constantinopolitano Episcopo creari clam juberet, ac per hoc ab Imperii administratione removeret. Quâ de re certior facta à Flaviano Pulcheria, sponte se abdicavit, recessit ab Urbe, divertit ad Septimum, privatam illic vitam actura. Ipsam tamen ante obitum revocavit ad Imperii administrationem Theodosius, anno circiter 440. quô tempore Paulinus Officiorum Magister jussu Theodosii necatus est, ob ejusque cædem, quam suâ causâ imperatam noverat, Eudocia dolore affecta, petiit à Theodosio ut Hierosolyma secundo proficiscendi facultas sibi concederetur: quòd obtinuit, ibique multis Ecclesiis ac Monasteriis ædificatis mortua est. Eâ porrò occasione Paulini cædem decrevisse dicitur Theodosius. Pomum exquisitissimum, & miræ magnitudinis conjugi dederat Imperator. Illa acceptum Paulino dedit, quo ob rei litterariæ consuetudinem familiarissimè utebatur. Paulinus, quem latebat unde illud Eudocia habuisset, obtulit Imperatori. Quo accepto, Princeps cujus animus zelotypiæ & suspicionum æstu agitabatur, Augustam de pomo dato rogatam, mendaciique convictam, haud lætis deinceps oculis aspexit: & Paulinum interim immeritum jussit occidi. Id referunt Cedrenus, Zonaras, Nicephorus *lib. 14.* Sed iste turbas illas domesticas in Aula Theodosii obortas, ovis non pomi occasione scribit.

Trisagion.

Theodosio adhuc imperante, subito, terribili, ac diuturnô terræ motu concussa Constantinopolis. Clerus, Imperator, populus iram Dei publicis supplicationibus placare nitebantur, in campo extra Urbem posito, cùm puer Angelorum ministeriô in aërem sublatus, Hymnum τρισάγιον audivit: quem ubi populum canere jussit Proclus, qui tum sacris præerat, terræ motus quievit. Hanc refert Historiam Nicephorus lib. 14. cap. 46. post Cedrenum *in Compendio Historiarum.* Obiit Theodosius die 28 Julii anno Christi 458. cùm imperasset annos 42. menses duos. Ex quibus regnavit cum patre annos septem, menses tres: solus verò, annos triginta quatuor, menses undecim, ut scribit Theodorus Lector *lib. 2. Historia Ecclesiastica.*

ARTICULUS

ARTICULUS IV.

De Valentiniano III.

SUblatô Joanne Tyranno, Theodosius Valentinianum Constantii Imperatoris & Gallæ Placidiæ filium, consobrinum suum, agentem ætatis annum 5 auctum Cæsaris dignitate in Italiam misit, matri ipsius Placidiæ, cum Augustæ titulo rerum administrationem committens. Eô imperante, Vvandali Africam occupatunt, Geiserico duce. Hunnos, Gotthos, aliosque Barbaros Gallias infestantes, Aëtii Comitis industriâ & fortitudine compressit. Attila, qui anno 444. occisô fratre Bleda, Hunnis imperare cœperat, anno Christi 451. in Gallias irrupit, oppugnavit Aureliam, quæ S. Aniani Episcopi precibus, & Aëtii copiis liberata est. Solutâ obsidione, cùm Attila fugatus rediret ad Rhenum, ab Aëtio Duce Romani exercitus, & Theodorico Rege Vvisigotthorum, commissum est cum ipso prælium in campis Catalaunicis; * magnâ utriusque partis strage. Nam 300. fermè millia hominum in eo certamine occidisse memorat Idatius *in Chronico*. Legatur ille, nec-non Gregorius Turonensis *lib. 2. Historiæ Francorum, cap. 7.* Sidonius *lib. 8. Epistolâ* 15. ad Prosperum Episcopum datâ, & *Carmine* 7. quod est panegyricum Aviti Augusti, qui privatus adhuc Aëtio adversùs Barbaros pugnanti auxilio fuit. Legatur & Jornandes, sive Jordanus (ut alii vocant) *lib. de Rebus Geticis*. Attila re malè gestâ in Galliis, per Pannonias in Italiam venit, Regiasque civitates Aquileiam, Ticinum, Mediolanumque, cœpit & diripuit. Elatus deinde rerum successu, Romam properabat: sed S. Leonis, qui ad Mincium ei amnem occurrit, legatione mitigatus, abscessit in patriam, anno Christi 452.

* Camporum Catalaunicorum initium duabus leucis ponitur à Catalauno, vulgò Chaalons sur Marne, apud Spinetum, vulgò Nostre-Dame de l'Epine.

Eudoxiam Theodosii filiam uxorem duxit Valentinianus. Leges tulit sanctissimas contra Hæreticos. Spectatæ fuit probitatis Princeps, quandiu superstes fuit mater ejus Placidia Augusta, virilis animi, & eximiæ pietatis femina, quæ Occidentis Imperium, ut Pulcheria Orientis, summâ prudentiâ & religione administravit, Ecclesiæque rebus maximè profuit. At post illius obitum, qui anno 451. contigit, Valentinianus laxatis licentiæ frænis, Imperio per libidinem & crudelitatem abusus, Maximi Senatoris uxori vim intulit: Maximi verò callidô consiliô suspectum sibi redditum Aëtium Imperii columen in Palatio trucidavit. Cum quo Occidentis Imperium cecidisse visum est, ut scribit Marcellinus in Chronico. Valentinianus fertur quemdam ex familiaribus suis interrogasse, An utilis foret mors Aëtii; ille autem respondisse: *Quod sibi dexteram alterâ manu incideret.* Id refert Procopius lib. 1. de Bello Vvandalico. Anno 454. ejusdem Maximi dolô, per Aëtii satellites, in campo Martio confossus est Valentinianus, anno ætatis 36. Imperii 31. ut referunt Idatius, & Prosper in Chronico Consulari.

ARTICULUS V.

De Marciano.

THeodosio defuncto, Pulcheria Marciano viro optimo & forti nupsit; eâ tamen lege, ut potiùs solio, quàm thoro sociaret. Sic Augusta Virgo Imperium retinuit, & virginitatem, quam Deo voverat, etiam in conjugio custodivit. Pluribus auguriis Marciano prænuntiatum fuerat Imperium, sed præsertim aquilæ advolantis, & ipsum nubis instar volatu suo refrigerantis, cum sub Sole fervente dormiret, captus à Geiserico Vvandalorum Rege, cum sub Aspare adversùs Vvandalos militaret, ut refert Evagrius *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1.* Anno 450. Imperium iniit. Huic par fortunæ virtus, pietas singularis, fides integra, justitia inconcussa. Ejus opera Chalcedonense Concilium, ut diximus convocatum est: ejus auctoritate & legibus exagitati Eutychiani: restituta Clericis & Monachis libertas colligendi legata Viduarum, & sacrarum Virginum, quam alii Imperatores ademerant. Divitias veras existimabat, non eas quæ reconditæ sunt, aut quæ ex tributis colliguntur, sed eas solùm quæ indigentium penuriam sublevare possunt. Formidabilis erat, non tam propterea quòd puniret, quàm quòd metuebatur ne puniturus esset, (inquit Evagrius) Obiit anno Christi 457. Imperii 7. cùm expeditionem in Africam pararet adversùs Vvandalos, ulturus excidium Urbis, & illatam Eudoxiæ filiabusque injuriam.

Marciani virtutes.

ARTICULUS VI.

De Leone Augusto.

POst obitum Marciani, totius exercitûs, omniumque Ordinum suffragiô, Leo, Trax genere, Imperator electus est; cujus electio Ecclesiæ pariter ac Reipublicæ lætissima fuit. Fertur olim ipsi promissum à Deipara Virgine imperium, ob officium charitatis erga cæcum, cui cœli Regina visum etiam ejus ministeriô restituit. Quô de miraculo legendus Nicephorus *lib. 19. Historiæ Ecclesiasticæ c. 15.* Uxorem habuit Verinam Basilisci sororem. *Macellus* * à nonnullis dictus est, quòd Asparem & Ardaburium Arianos obtruncasset. Quemdam sibi amicissimum Præfectum Urbis constitui ab Imperatore postulabat Aspar. Qui cùm id se facturum invitus spopondisset, noctu Senatorem hoc dignum munere ad se evocatum, Præfectum creavit. Spe dejectus Aspar, veste apprehensâ Leoni ait: *Imperator, tali purpurâ amictum non decet mentiri.* Cui respondit Princeps: *Imperatorem nemini cedere decet, aut subditum esse, maximè ubi id cum Reipublica incommodo fieret.* Classem numerosissimam potentissimamque instruxit Leo Augustus, cui Basiliscum præfecit, Verinæ Augustæ fratrem, eamque expeditionem direxit adversùs Vvandalos Africam infestantes, anno 468 Sed Basiliscus homo impius & hæreticus tem prodidit, à Genserico, ut creditum est, pretiô corruptus. Legatur Procopius *lib. 1. de Bello Vvandalico*, Theodorus Lector *lib. 1* Cedrenus *in Compendio Historiarum*, & Nicephorus *lib. 15. cap. 27.* Egregiam Ecclesiæ navavit operam Leo Augustus, fidem, & Synodum Chalcedonensem tueri, insectari Hæreticos, Catholicos Episcopos fovere, officii loco ducens. Leges tulit pietate suâ dignas, ut die Dominicâ, Festisque diebus cæteris, cuncti feriarentur, & ab omni opere servili, ac disceptatione litium, exactionibusque ac executionibus cessarent, edixit. * Spectacula etiam sacris diebus prohibuit, amissione militiæ, & proscriptione bonorum plecti decernens tam sanctæ legis violatores. Legem edidit adversùs Simoniacos, quos à Sacerdotio quod turpiter mercati sunt, retrahi, & perpetuæ infamiæ notâ inuri decrevit. Cedro digna sunt illa hujus Legis verba: *Itaque castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocumque locorum pervenerit, omnia vita propria integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Prohibuit etiam Lege latâ, ne Monachi exirent è Cœnobiis, & Antiochiæ vel in aliis Civitatibus versarentur, Apocrisiariis, sive Procuratoribus exceptis.*

* A macellando nomen deductum.

Leonis Augusti magnanimitas.

Leonis Augusti Leges sanctissimæ.

* Leg. ultima C. de Feriis. Theodorus Lector. lib. 1.

Leg. 31. C. de Episcopis & clericis.

* Leg. 29. C. de Episcopis & Clericis.

Tarasicodissæ Isauro, quem Zenonem * nominavit, Orientis præfecturâ ornato Ariadnam filiam collocavit.

* Tarasicodissæ nomen mutatum.

Candidus apud Photium Cod. 79. Evagrius verò lib. 3. cap. 15. Aricmatium a... sceleri.

collocavit Leo Augustus: ex eoque matrimonio natum Leonem Juniorem obitui proximus Cæsarem renuntiavit, anno Imperii 18. Christi 473. vergente. Decem tantùm mensibus avo supervixit Leo Junior, post quem Zeno purpuram sumpsit, Verina Leonis Augusti conjuge eum tanquam generum adjuvante: ut scribit Evagrius *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17.*

ARTICULUS VII.

De Zenone.

ZEno initiò Imperii in omnem effusus libidinem, Eutychianos fovit, Concilium Chalcedonense impugnavit, bonis omnibus execrandum edidit Henoticon, quô conciliandæ prætextu unitatis, Eutychianos absque ejuratione errorum, & Chalcedonensis Definitionis Fidei subscriptione in Ecclesiam suscipiendos, temerè & impiè edicebat. Ipsius impietatem & mores fœdissimos Deus castigavit, excitatô contra illum Basilisco Verinæ fratre: quô Imperium invadente, cessit citra pugnam tantô Principatu pusilli vir animi, & in Isauriam cum Ariadna conjuge profugit, Basilisco & Armato Coss. anno Christi 476. ut ex Epistolis Simplicii Pontificis Maximi 4. & 7. colligitur.

Verinam Patritii Magistri amoribus irretitam, ut ei in dotem Imperii nuberet, Zenonem exclusisse, scribit Candidus apud Photium, *Cod.* 79 sed contra illius spem summam rerum Basilisco esse delaram. Ut ut est, nihilo melior Zenone Basiliscus, nihilo commodior Ecclesiæ fuit, cùm Synodi Chalcedonensis & ipse hostis fuerit, & pessimos hæreticos Timotheum Ælurum, & Petrum Fullonem in eas sedes unde erant ejecti, restituerit, ut superiùs diximus, utque constat ex Evagrio. *lib.* 3. *cap.* 4. Exactô penè biennio in recuperandi spem Imperii erectus à Sancta Thecla sibi in somnis apparente Zeno Augustus, Constantinopolim versùs castra movit, Basiliscum expulit, & ab Ecclesia ad quam confugerat, detractum; Limnis inclusit Cappadociæ Castello, ibique cum uxore Zenonide mori fame coëgit, ut refert Procopius *lib.* 1. *de Bello Vvandalico.* In statione quæ Acusus dicitur, una cum uxore & liberis interfectum scribit Evsgrius *lib.* 3. *c.* 8. Suffragatur Malchus Sophista apud Photium *Cod.* 78. Patritium Magistrum, propter stupri cum Verina Augusta consuetudinem à Basilisco peremptum memorat Candidus, quæ eam ob rem odiô in fratrem conceptô, Zenonem opibus ad recuperandum adjuvit Imperium.

Restituto Zenoni quietum non fuit Imperium. Primum enim à Marciano, qui Leontiam Verinæ filiam duxerat, ob idque Imperium uxoris jure sibi arrogabat, graviter exagitatus est, deinde ab illo & Leontio: de quibus Evagrius *lib* 3. *c.* 26. *&* 27. post Eustatium Syrum, cujus Historiam laudat. Impietati, ac libidini crudelitatem addidit Zeno, illustribus optimisque Viris occisis, imprimis verò Pelagio Patritio, qui ipsum ob nefaria facinora liberiùs arguebat. Deo tandem vindice miserrimè periit, epilepsiâ correptus, quam ex ebrietate contraxerat, ut testatur Evsgrius *lib.* 3. *cap.* 19. & vivus sepultus est, ut Cedrenus & Zonaras scribunt. Absque liberis obiit anno Christi 491. anno Imperii 18. nullo sui relicto desiderio.

ARTICULUS VIII.

De Anastasio.

ZEnone mortuo, Longinus ejus frater in spem frustra venit Imperii. Nam Anastasius, necdum Senator, sed in Silentiariorum Schola adhuc militans, Imperium simul & uxorem Zenonis

A Ariadnam accepit. Ab ipso, priusquam Imperium capesseret, Euphemius Constantinopolitanus Episcopus Professionem Fidei secundùm Synodum Chalcedonensem exegit, quam in Archivis Ecclesiæ reposuit; ut hominem *Hæsitantibus* addictum, qui nec Synodum Chalcedonensem suscipiebant, nec eam anathemate damnabant, sed Zenonis Henoticon amplectebantur, istâ cautione constringeret. Sed voti compos factus Anastasius, falsæ specie pacis, aliquid ab Episcopis innovari vetuit circa Synodi Chalcedonensis susceptionem, æquè eos insectatus, qui illam prædicarent, ac qui anathemate configerent. In Euphemium & Macedonium Catholicos
B Urbis Regiæ Episcopos, in Joannem Episcopum Palti, & Flavianum Antiochenum Patriarcham præcipuè sæviit, quos sedibus extrusos amandavit in exilium. Impium verò Severum Antiochenæ Ecclesiæ sacris præfecit, cùm tamen priùs adjectâ jurisjurandi religione pollicitus esset, se nihil novi commoturum esse adversùs Synodum Chalcedonensem. Læta fuerat Manichæis & Arianis Anastasii creatio, quòd mater ejus Manichæa, Clearchus verò ejus avunculus Arianus fuisset. Illius Imperium Eutychianis & Hæsitantibus lætissimum, sinceris Catholicis infaustum & lugubre fuit. Reipublicæ commo-
C dior fuit, quàm Ecclesiæ, Princeps. Adversùs Isaurorum gentem bellum Joanne Scytha & Joanne Gibbo Ducibus feliciter confecit. Ex eo tempore munera quæ vocabantur Isaurica, in Principis ærarium inferri cœpere. Id erat aurum quoddam Barbaris quotannis pendebatur, librarum scilicet quinque millia. Eodem regnante, Saraceni, non sine suo damno Romano Imperio insultarunt, Mesopotamiam, & utramque Phœnicem, & Palæstinam Provincias depopulati. Verùm à Ducibus Romanis, qui in singulis Provinciis erant, gravi clade affecti, pacem Romanis obtulerunt. Persæ quoque limites suos prætergressi, in Armenias irruperunt, &
D Theodosiopoli occupatâ, Amidam Mesopotamiæ urbem munitissimam expugnarunt. Anastasius missô validissimô exercitu, Celeris Officiorum Magistri virtute Cabadem Persarum Regem coëgit ut pacem cum Romanis iniret, & Amidam aliaque oppida restitueret Imperio. Quod initio Sæculi sexti contigit. De his prolixè Evagrius *lib.* 3. *Historiæ Ecclesiasticæ.*

Laudatur Anastasius Imperator, quòd *Chrysargyrum* sustulerit, quarto quoque anno pendi solitum. Id erat vectigal, quod tam capitibus singulis, quàm jumentis & pecoribus; sed & canibus imposi-
E tum fuerat: imò fœdissimis ex rebus capiebatur. Quo de vectigali lege Evagrium *lib.* 3. *cap.* 39. Magistratus etiam, qui antea venales erant, gratis contulit, ut refert Theodorus Lector *Lib.* 2. *Historiæ Ecclesiasticæ* Sed non ita privatorum commodis consuluit, cùm *Chrysoteliam*, idest, auri collationem excogitavit, & militarem sumptum gravissimo pretio taxavit, in damnum Provinciarum; & tributorum exactionem ademit Curiis civitatum, institutis per singulas urbes Vindicibus: ut scribit Evagrius *lib.* 3. *cap.* 42. Hic Evagrii locus satis per se obscurus est, sed à doctissimo Valesio *in Annota-*
F *tionibus*, perspicuè admodum explicatur. *Chrysotelia* nihil aliud erat quàm præstatio auri, quod pro tributaria functione à Provincialibus exigi primus instituit Anastasius. Veteres enim Romani tributa in ipsis speciebus inferre consueverant, puta in tritico, hordeo, vino, & oleo. Ex quibus in horrea publica convectis, annona militaris & civica erogabatur. Quin etiam Imperatorum legibus vetitum erat, ne pro speciebus Exactores aurum à Provincialibus exigerent, (*l.* 4. *&* 5. *C. Theodos.*) Anastasius verò primus instituit ut pro speciebus pecunia à Provincialibus exigeretur: & militarem

sumptum, vestes scilicet, arma, & cibaria, quæ ab ipsis conferri solebant, gravissimô pretiô taxavit. Denique cùm Decuriones ex corpore suo tributorum exactores crearent, sive susceptores annonæ, & Præpositos Mansionum, atque horreorum, ut patet ex Codice Theodosiano Titul. *de Decurionibus*, & *de Susceptoribus*, Anastasius hanc illis curam ademit, & Vindices exactioni tributorum præposuit. Laudatur etiam quòd delatores, pestiferum hominum genus, exciderit ex Urbe Regia.

Vitam, Imperiumque produxit Anastasius ad annum usque 518. ætatis 88. quo, ut quidam Scriptores produnt, fulmine exanimatus est, cùm annos 27. ac tres menses imperasset. Impietatis ad finem usque vitæ specimen dedit: ipsô enim obitûs sui annô, Trisagion hymnum cum appendice nefariâ, *Qui crucifixus es pro nobis*, Constantinopoli publicè cani in Ecclesia jussit. Sed gravis ex eo populi orta seditio est, quam ægrè ipse compescuit, positis Imperii insignibus, quo facto populum mitigavit; à quo rogatus est ut ea reciperet. Ante quatuor annos, Vitalianus Thrax, per speciem Catholicarum tuendarum partium, ab Anastasio defecerat, & ad Urbem Regiam cum ingenti Hunnorum exercitu occupandam, usurpandumque irrupetat Imperium: capto primùm Hypatiu, tum Cyrillo Anastasii Ducibus, cuncta igne ac ferro devastans, ad Sycas usque pervenerat: sed à Marino Syro navalii prælio victus, pacem pepigerat eâ conditione, ut auctoritate Hormisdæ Romani Pontificis collectâ Synodo Heracleæ, rebus Ecclesiæ consuleretur, & Macedonius ac Flavianus Episcopi suis restituerentur sedibus. Sed cùm ducenti circiter Episcopi ex variis Provinciis Heracleam convenissent, impius Imperator, violatis pactis, iis illusit. Unde nullâ re confectâ discesserunt. Ista constant ex Evagrio lib. 3. c. 43. & 44 & ex Cedreno *in Compendio Historiarum*. Specie pietatis hominibus ludificabatur perfidus Princeps, ut fecerat dum privatus esset, ante galli cantum templum adire solitus, frequenter jejunare, sua pauperibus liberaliter erogare. Unde ipsi Imperium capessenti populus in circo acclamaverat: *Sicut vixisti, ita etiam impera, Domine*. Ita refert Cedrenus.

Temporibus Anastasii, Alamundarus Saracenorum Philarchus Christianam amplexus religionem est. Ad quem Severus impius Antiochiæ Episcopus duos Episcopos misit qui Eutychianorum, & Theopaschitarum erroribus ipsum inficerent. Sed Philarchus ante eorum adventum in Fide Catholica institutus, blasphemam eorum doctrinam hâc arte confutavit suggillavitque. Finxit se literas accepisse, quibus mors Archangeli Michaëlis nuntiaretur. Cùmque nuntium istud erroris & ineptiæ arguerent, dixit: *Quonam igitur modo Christus Deus tantum existens, Crucis mortem sustinuit, si duas naturas non habuit: cum ne Angelus quidem pati vel mori possit?* Id refert Theodorus *Lector lib.* 2. *Historia Ecclesiastica*.

Contigit eodem imperante & illud memorandum, quòd Deuterius Arianorum Constantinopoli Episcopus, cùm quemdam Barbam nuncupatum baptizaret, Domini traditionem respuens, ausus est hanc verborum formulam usurpare: *Baptizatur Barba in nomine Patris per Filium in sancto Spiritu*. Quibus verbis prolatis, aqua quæ in piscina erat, confestim evanuit. Id referunt Theodorus Lector & Cedrenus.



ARTICULUS IX.

De statu Occidentalis Imperii post Valentiniani III. mortem.

§. I.

De Maximo Tyranno.

PErempto Valentiniano, Maximus Imperium Occidentis occupavit, asciscitque sibi uxorem Eudoxiam. Femina magni animi, certa postmodùm insidiis & operâ Maximi Valentinianum interfectum, mariti necem ulcisci statuit; & ultra modum iræ indulgens, etiam excidiô Urbis vindictam paravit. Ideò Gensericum Vvandalorum Regem accersivit Ex Africa. Ille ingenti trajectô in Italiam exercitu, Urbem improvisô aggressus est, ingressusque anno 455. Maximus, in fuga cæsus à suis, & in Tiberim projectus est, vix altero Imperii mense confectô. Urbe captâ, S. Leo à Rege Barbaro obtinuit, ut direptione contentus, igne & cædibus abstineret. Romanas igitur opes sacras profanasque abstulit Gensericus, & multa captivorum millia in Africam abduxit, Eudoxiamque cum filiabus simul transvexit: atque ex his Eudociam Hunnerico filio copulavit; Placidiam verò unà cum matre Exdoxia, aliquantò post cum Regio cultu ac satellitio Byzantium misit, ut Marcianum Imperatorem placaret. Ista constant ex Procopio *lib.* 1. *de Bello Vvandalico*, ex Evagrio *lib.* 2. *cap.* 7. & ex Historia Miscella. De fortuna Maximi lege & Epistolam Sidonii ad Serranum, 13. lib. 2.

§. II.

De Avito Augusto.

ELapsô duodetriginta dierum à cæde Maximi intersticiô, Avitus, nobilissimo in Galliis ortus genere, domi ac militiæ spectatus, Præfectus Prætorio Galliarum à Valentiniano, Magister militum à Maximo creatus, & pro ipso Legatione functus ad Theodoricum Gothorum Regem, ab exercitu Gallicano & ab honoratis primùm Tolosæ, deinde Arelate renuntiatus Imperator, faventibus Gothis, cum quibus pacem firmavit; à Romanis paulòpost evocatus & susceptus, cum Marciano Augusto fœdus iniit per Legatos. Missa ab Avito & Theodorico Rege Gothorum communis ad Suevos Legatio, quâ ipsos de servando fœdere cum Romanis Gothisque pactô convenirent. Quâ insuperhabitâ Legatione, Suevi Tarraconensem, quæ Romano parebat Imperio, Provinciam invaserunt. Quamobrem Theodoricus, Avito rogante, Hispanias ingressus, profligatô Suevorum exercitu, captoque Rege eorum Rechiario, Regnum ipsorum funditus evertit, ac ipsum tandem Rechiarium peremit. Vix menses decem & dies octo regnaverat, ut scribit Cassiodorus, vel octo menses, ut Evagrius refert, cùm se abdicavit Imperio. Quâ de caussa, incertum. Gregorius Turonensis * à Senatoribus ejectum ait propter luxuriam, & Placentinum Episcopum factum. Consentientes habet de illius Episcopatu Victorem Tunonensem, & Marium in Chronicis. Sed quòd ob luxuriam fuerit ejectus à Senatu, non est verisimile. Nam libidini deditum hominem, S. Leo qui tunc Ecclesiæ Romanæ præerat, Episcopum in Italia creari passus non fuisset. Probabilius est modestissimum Principem, qui Imperium penè invitus susceperat, ut ait Sidonius in ejus Panegyrico, illud sponte deposuisse, cùm forsan multis se invisum animadverteret

* *Lib. 2. Histor. Francor. cap. 11.*

vetteret ob odium in Maximi Tyranni nomen, cui charus fuerat, & Militiæ Magisterio ab ipso ornatus. De Avito lege Idatium in Chronico, & Panegyticum ipsi à Sidonio dictum.

Sidonius Carm. 7.

§. III.

De Majoriano, Severo, Anthemio, Olybrio, Glycerio, Julio Nepote, Augustulo.

Majorianus.

I. POst abdicationem Aviti, Ravennæ levatus est Majorianus, anno 457. Cal. April. Recuperandæ cupidus Africæ, bellum contra Vvandalos parabat, sed ii per Imperii proditores commoniti, naves quas hanc ad expeditionem in litore Carthaginensi instruxerat, diripuerunt, & spe sua frustratum, in Italiam redire coëgerunt. Nominis tamen ipsius terror, ingentisque animi fama, Geisericum impulit, pacem ut ab ipso per Legatos postularet. Tandem Majorianum è Galliis Romam redeuntem, Ricimer Patritius, & utriusque militiæ Magister, livore percitus, & invidorum fultus consilio, apud Dertonam fraude circumventum, & comprehensum interemit, anno 461. cùm annos 4. & menses 4. imperasset. Ista constant ex Idatio in Chronico, & ex Evagrio, lib. 2. cap. 7. Legatur Sidonii Panegyricus Majoriano dictus. Constitutionem edidit Majorianus, quâ parentes vetantur Virgines ad emittendam professionem virginitatis cogere, oblatasque à parentibus, velum recipere ante quadragesimum ætatis annum. Condemnantur similiter Viduæ, quæ non amore continentiæ, sed cupiditate vitæ laxioris, alteras nuptias refugiunt.

Sidonius Carm. 5.

Severus.

II. Sublatô Majoriano, Severus, Ricimeris factione, Augustus à Senatu appellatus est: quem anno Imperii quarto, veneno extinxit, Cassiodoro teste.

Anthemius.

III. Post unius anni interregnum, quod valde exitiale Reipublicæ fuit, ut & frequens illa Imperatorum mutatio, crebris Vvandalorum incursibus pandens iter, Leonis Augusti auctoritate missus est in Occidentem Imperator Anthemius Patritius, Marciani Augusti gener: qui defunctâ priori uxore, filiam Ricimeris ex pacto uxorem duxit. Eo imperante, Arvandus Galliarum Præfectus criminis læsæ Majestatis damnatus est, quòd nimirum Galliarum partes Romano subjectas Imperio, clam prodere tentasset Evarico Gothorum Regi. De cujus caussa legi potest elegans Epistola Sidonii ad Vincentium. Arvandi accusatores fuerunt Tonantius Ferreolus Vir Præfectorius, Thaumastus, & Petronius, præcipua Galliarum decora. Perfidus Ricimer bello primis civili appetitum Anthemium Socerum suum, deinde exoratâ pace per Epiphanium sanctissimum Episcopum Ticinensem, circumventum, novis insidiis Romæ peremit anno Christi 472. cùm annos quinque ac præterea menses aliquot imperasset. Legatur Sidonii Panegyricus Anthemio dictus. (*Carm.* XI.)

Sidonius lib. 1. Epist. 7.

Olybrius.

IV. Post cædem Anthemii, Olybrius à Ricimere Imperator renuntiatus est: & eodem anno 472. septimo postquam creatus erat mense, vita functus. Mortuô Olybrio, Guodebado hortante, quem Olybrius Patritium fecerat, Glycerius Ravennæ sumpsit Imperium, anno 473. tertio Nonas Martias quod unô duntaxat anno & 4. circiter mensibus administravit. Expulso Glycerio, & apud Salonas Dalmatiæ creato Episcopo, Julius Nepos annis quinque imperavit. A quo Magister militiæ inconsultô creatus Orestes, ipso fugato, & exauctorato, Momylium* filium suum, qui & Augustulus, Imperatorem creavit: quo cum Occidentis concidit Imperium.

Glycerius.

Momilium Cassiodorus. Romulum Evagrius vocat.

§. IV.

De Odoacre, & Theodorico.

I. ANno Christi 476. Odoacer Rex Herulorum Italiam occupavit, cæsoque Oreste, nec-non ejus fratre Paulo, Augustulum relegavit in Campaniam. Summâ potestate modestissimè usus est. Nam & ab Imperatoris nomine, & à Regis insignibus abstinuit: & quamquam Arianus esset, nihil novavit in Religione. A S. Severino prædictum ipsius Regnum fuerat, teste Eugipio in ejus Vita. Rugos debellavit, eorumque Regem ac Reginam captivos in Italiam abduxit, anno 487. Regnavit annis circiter septemdecim; quorum postremi infausti ipsi fuere. Nam Theodoricus Rex Gothorum, Zenonis hortatu in Italiam irruens, ipsum triplici prælio superatum, Ravennæque triennio solido obsessum, fraudulentâ cum eo pactione factâ ut Italiam communi sorte obtinerent ac regerent, ad convivium invitatum interfecit, anno 493. Hæc ex Procopio constant *lib.* 1. *de Bello Gothico*, ex Cassiodoro in Chronico, & ex Jornande *lib. de Rebus Geticis*.

Odoacer Rex Herulorum, Italia potitur.

II. Victo cæsoque Odoacre, Theodoricus Rex Gothorum Italia potitus est. Pace ab Anastasio Orientis Imperatore quæsitâ, junctisque cum Principibus vicinis affinitatibus, Regnum suum firmare studuit. Clodovei scilicet Francorum Regis sororem Audeflendem, sive Audefledam, sibi matrimonio copulavit, ut Cassiodorus & Aimoinus *lib.* 2. *cap.* 1. referunt. Filiarum verò, quas ex concubina susceperat, alteram Alarico Vvisigothorum, Sigismundo Burgundionum Regi alteram collocavit. Arianæ licet sectæ addictus, Ecclesiæ jura sarta tecta servavit. De ipsô memorandum illud refertur: Cùm Ministrum haberet sibi charissimum, & Catholicæ Religionis professorem; isque in ejus gratiam à fide ad Arianam hæresim defecisset, Apostatam capite plecti jussit, dicens, Eum qui Deo fidem non servasset, non facilè sibi fidelem fore. Hæc refert Cedrenus. Schisma in electione Symmachi Romani Pontificis ortum auctoritate suâ compescu[illegible]c Sedis Apostolicæ dignitatem tutatus est. Vi[illegible]nctos coluit, & Cæsarium inter alios Arelatensem. Juris & æqui fuit observantissimus. Tributa Gallis remisit. Profligavit Bulgaros. Multis eum laudibus Cassiodorus in Epistolis, & Ennodius Ticinensis exornarunt. Par non fuit auspicatissimis initiis finis Theodorici. Namque omnio Arianorum suorum studiô, quos Justinus Imperator in Oriente insectabatur, in Joannem Romanum Pontificem sævit, quem conjecit in carcerem, ubi pædore fameque interiit. Boëtium deinde & Symmachum Senatores, Patritios, Exconsules, viros integerrimos & pientissimos gladiô sustulit. Obiit anno sexti Sæculi vigesimo sexto, terrificâ visione capitis Simmachi sibi minitantis, dum piscis ingentis & exquisiti caput sibi in convivio apponeretur, exanimatus; qui à Joanne Papa, & Symmacho Patritio judicari, & in inferos præcipitari visus est Monacho cuidam sanctissimo, ut refert S. Gregorius Magnus *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 30.

Theodoricus Rex Gothorum, Italiæ imperat.

CAPUT VIII.

De Regibus Francorum.

ARTICULUS I.

De exordiis Monarchiæ Francorum : & de primis eorum, ad Cledoveum usque, Regibus.

I. FRancorum origo, non ex Trojano sanguine, ut quidam fabulati sunt ; * sed ex Germania ut fœliciùs conjiciunt alii : idque non unius volunt esse populi nomen, sed plurium, qui excussò Romanorum jugò, Franci à libertate sunt nuncupati. Prima eorum mentio apud Vopiscum in Vita Aureliani Imperatoris, ob ex Theone Chio Cantilenam refert à militibus in gratiam Aureliani compositam, qua Francos à se necatos læti gloriabantur, in pugnâ ad Moguntiam initâ, in procinctu belli Persici. Quæ de Francis victoria ab Aureliano Tribuno legionis sextæ Gallicanæ, sub Alexandri Severi Imperatoris principatu reportata est. Meminit Francorum & Libanius Sophista in Panegyrico cui nomen *Basiliscus*, Constantio & Constanti Augustis dicto, ubi Constantem à rebus in Gallia præclarè gestis ita commendavit, ut tamen Provinciarum Cis Rhenensium trepidationem penè continuam imminentibus Francis non omitteret, ipsorumque bellicam fortitudinem prædicaret. Francorum nomen non à libertate, sed à robore sumptum, Libanius putat, quasi à Græcanica dictione *φρακτοὶ* (*hoc est septi munitivè*) ab imperito vulgo corruptâ. Ipsorum cis Rhenum migrationes Eumenius in Panegyrico ad Constantinum Augustum, commemorat.

Paramundus.

II. Ante annum Christi 417. Franci direptis Trevitis, subactaque Tongria, quæ Galliæ pars erat, ditiones suas cis & ultra Rhenum fœliciter propugnarunt. Primus apud ipsos regnare cœpit Faramundus anno Christi 417. quô solis defectio, & electio Zosimi Papæ à Prospero consignatur. Faramundus præter antiquam Franciam, quæ veteris Germaniæ pars erat, in[illegible] Rhenum, * Visurgim, * Mœnum, & Ocea[illegible], variosque populos, Attuarios, Bructeros, Chamavos, Salios, Frisios, Chaucos, Ansivarios, Cattos, & Sicambros amplectebatur in Gallia Belgica. Tongriam quoque cis Rhenum obtinuit. Trevitim * sub initium sui Principatus occupavit Paramundus. Tunc Transrhenanæ gentes quibus imperabat, idolis sacra faciebant: cis Rhenum verò felicior erat Tongriæ status, quæ Christianam Fidem sub Romanis Principibus dudum susceperat. Novem duntaxat annos regnavit Faramundus.

le Rhein, le Weser, le Mein.

Treves.

Clodio.

III. Successorem habuit Clodionem filium. Apud Dispargum, quod castrum est ad Rhenum in Montensi Ducatu, Regni Sedem habuit. Res Francorum in Gallia Belgica promovit, occupavit Cameracum, & ad Somonam usque penetravit. Denique Ambianum ingressus, ibidem regni Sedem statuit, teste Roricone Monacho. Tunc præerat Ambianensis Ecclesiæ sacris Leonardus Episcopus. Viginti annis regnasse Clodionem, Prosper in Chronico, antiquus Auctor qui scripsit Gesta Regum Francorum, Rorico, & Aimonius testantur.

Dispargum, Duisburg, sive, Dis-berch, dans le Duché de Bergue. Somona, la Somme, [illegible].

Meroveus.

IV. Clodioni successit Meroveus ejus filius, quem ex bestiâ Neptuni ab uxore Clodionis susceptum, Fredegarii Interpolator ineptè commentus est. Inter Meroveum & ejus fratrem gravis exarsit de Principatu dissensio, ut Priscus Rhetor Scriptor coævus testatur. Regnum suum per Germaniam primam & Belgicam secundam dilatavit Meroveus circa annum 455. ut colligitur ex Sidonio in Panegyrico quem socero Avito Augusto dixit. Obiit Meroveus anno Christi 456. cùm annos decem regnum tenuisset. Ab ipso prima Regum nostrorum Dynastia, quæ Merovingiorum dicitur, nomen accepit.

Childericus.

V. Meroveum excepit in Regno Childericus ejus filius, qui hoc ipso anno quo paternum regnum suscepit, à Francis ob stupra eorum filiabus ac uxoribus illata pulsus, in Thuringiam secessit, Viomado quodam sibi amicissimo relicto domi, qui absenti Francorum animos reconciliaret : quô cum de signo convenit, quô redeundi tempus opportunum, mitigatis animis, indicaretur. Eo ejecto, Franci se suaque tradiderunt Ægidio, qui Magisterium militum in Galliis ab Avito Romanorum Imperatore obtinuerat. In Ægidii sese amicitiam insinuans Viomadus, facile ipsum adduxit, ut quos infestiores Childerico esse cognoverat, tanquam suspectos interficeret. Ita Francis ab Ægidio abalienatis persuasit ut Childericum revocarent. Basinam Thuringorum Regis uxorem in matrimonium duxit, quæ in Franciam, fortè quod à viro malè haberetur, profugerat. Duxisse autem vel à viro repudiatam, vel mortuo viro, verisimilius esse volunt recentiores plurimi, quàm eodem superstite : nec audiendum aiunt Auctorem qui Gesta Regum Francorum scripsit, & Aimoinum lib. 1. cap. 8. qui cum Basina fœdè commixtum Childericum, dum in Thuringia versaretur, referunt. Gregorius Turonensis viro suo relicto ad Childericum venisse ipsam ait, illique matrimonio copulatam. Legatur *Lib.* 2. *Historiæ Francorum cap* 12. ubi quæ Childericum attinent, commemorat. Narrationem de animalibus à Childerico ante fores Palatii primâ nocte nuptiarum visis, quæ apud Fredegarium interpolatum legitur, ceu fabulam rident emunctæ naris Historici. Adovacrium cum Saxonibus, Andegavi Childericus vicit, Andegavosque & Aurelianos subegit, teste Gregorio Toronensi *lib.* 2. *cap.* 18. & 19. Ambianum Regiâ dudum sede nobilitatum fuerat. Ab ea civitate Andegavum usque Franciæ fines à Childerico propagatos ex Gregorio Turonensi colligitur. Obiit anno Christi 481. Regni 25. Ethnico ritu sepultus fuit Tornaci cum multis ornamentis, quæ, post annos mille centum ac septuaginta duos, illic effossa sunt, de quibus legendi Joannes Jacobus Chiffletius in libro quem inscripsit *Anastasim Childerici*, & *Carolus le Cointe*. in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, ad annum Christi 481.

ARTICULUS II.

De Clodoveo Magno Rege Francorum.

IN Francorum Regno Childerico successit filius Clodoveus : annos duntaxat quindecim natus. Hic anno Regni sui quinto Siagrium Ægidii Comitis filium, qui Suessionibus regnabat, vicit, occiditque. Quo bello potestas omnis Romanorum in Galliis defecit. Legatur Gregorius Turonensis, lib. 2. cap. 27. Anno Christi 491. Regni sui 10. Thuringis bellum intulit, eosque Francorum vectigales fecit : ut legitur apud Gregorium Turonensem, & in Gestis Regum Francorum. Chlotildem Chilperici Burgundiæ Principis filiam quæ apud Gundobadum Burgundionum Regem patruum suum educabatur, misso semel & iterum in Burgundiam Legato Aureliano, conjugem duxit. Regni sui fines à Somona ad Sequanam * propagavit. Anno Christi 496. Alemannos & Boios; invocato Christi nomine, quem Chlotildis Filium Dei vivi prædicabat, ad Tulbiacum * profligavit, Alemanniamque cum Baioaria subegit. Insignem victoriam

Insignis Clodovæi victoria.

La Seine.

Zulch.

victoriam Christo acceptam retulit, baptismo post illam expeditionem suscepto. Apud Remos à S. Remigio illius urbis Episcopo baptizatus est. Regem ad lavacrum ingredientem his verbis compellavit Sanctus Antistes: *Mitis depone colla Sicamber, Adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Cum eo Christianis sacris initiata est soror ejus Albofledis: ab Ariana hæresi conversa est Lantechildis soror ejus altera. Tria hominum millia cum Rege Baptismum susceperunt. Baptizatus est in Vigilia Natalis Domini, ut testatur Avitus Viennensis Episcopus in Epistola quam paulòpost ad ipsum Clodoveum de suscepta ab eo Christi fide atque Baptismo scripsit. Erravit itaque Fredegarius, qui in Paschate scripsit baptizatum (Histor. Epitom. cap. 21.) in eundemque errorem induxit Hincmarum in Vita S. Remigii, & Flodoardum lib. 1. cap. 13. in Clodovei Baptismo insigne illud Ampullæ Chrismatis cœlitus à columba delatæ miraculum contigit; cùm Clericus, qui ampullam ferebat in quâ Chrisma continebatur, populi multitudine interclusus esset. Cujus ex ampullulæ Chrismate, & Clodoveus inunctus, & alii Galliæ Reges apud Remos consecrantur. Hujus miraculi Hincmarus in Vita S. Remigii, Flodoardus lib. 1. cap. 13. & Aimoinus lib. 1. cap. 16. meminerunt. Mirum quòd Gregorius Turonensis in scrutandis & memoriæ prodendis miraculis tam diligens, istius non meminerit. In Clodovei Baptismo, Baptistæ simul ac Susceptoris munia explevit S. Remigius, ut constat ex Hincmaro & Flodoardo. Anastasius II. Romanus Pontifex, cùm Clodoveum Baptismo regeneratum accepit, statim gratulatorias ei literas per Eumerium Presbyterum misit, quas D. Lucas Dacherius Congregationis S. Mauri Benedictinus *Tomo 5. Spicilegii* edidit, Albofledis Clodovei soror cùm anno 497. obiisset, S. Remigius literas ad ipsum consolatorias dedit.

Clodovei Baptismus.

Ampulla Chrismatis cœlitus delata.

Anno Christi quingentesimo, bellum Burgundicum gessit, instigante Chlotilde, ut Chilperici necem ulcisceretur. Gundobadum Regem, universam Burgundiam sibi asserere volentem, aggressus est Clodoveus, parte Regni contentum esse jussit, alteram Godegesilo ejus fratri tradidit, utrique vectigal imposuit. Sed ubi discessit cum exercitu Clodoveus, Gundobadus Godegesilo interempto, delusisque Francis, Burgundiam omnem recuperavit, ac genti suæ leges constituit. Aremoricam anno 502. Clodoveus subegit. Contra Alaricum Vvisigothorum Regem Arianum, bellum suscepit, Theodorico Rege Gothorum frustra pacem suadente. Cùm per agrum Turonicum copias transmitteret, militem fœnum pauperi vi rapientem occidit, dicens: *Et ubi erit spes victoriæ, si beato Martino offendimus?* Nuncupatò votò, & missis muneribus ad S. Martini Basilicam, victoriæ divinum omen habuit. Nam ut primùm Basilicam sunt ingressi, quos ad vota persolvenda miserat, hos Regis Prophetæ versus decantari summa cum voluptate audiverunt: *Præcinxisti me virtute ad bellum & supplantasti insurgentes in me subtus me; & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.* Cùm ad Vigennam * fluvium castra posuisset, cervæ præeuntis indiciò vadum reperit, quò in ulteriorem ripam trajiceret exercitus. Pictavum * cùm esset ingressus, pharus ignea è Basilica S. Hilarii egressa, & super Regem quiescens, victoriam de Vvisigothis Arianis portendit. Commissò tandem in campo Vogladensi * certamine, Clodoveus fusâ penitus Vvisigothorum acie, Regem eorum Alaricum suapte occidit manu, & Regnum Franciæ per universam Aquitaniam à Ligeri * fluvio ad Pyrenæos montes prosperò victoriarum successu dilatavit. Vogladense prælium, commissum est anno Christi quingentesimo septimo. Captâ Burdigala, & Alarici Thesauris Tolosæ receptis, Ingolismam * obsidere paranti, Urbis illius mœnia spontè corruentis, facilem ad eam aditum aperuerunt: indeque ejectis Gothis urbem regno suo adjunxit. Anno 508. Anastasius Orientis Imperator, Consulatus & Imperii insignia misit ad Clodoveum, qui Turonibus in Basilica S. Martini purpureâ seu blateâ tunicâ, & chlamyde indutus, & diademate sive coronâ aureâ ornatus processit, & Augustus appellatus est. Deinde Parisios venit, ibique regni sedem constituit. Colonia, Morinis, Cametaco, * & Cenomano * ante obitum potitus est, commissâ pugnâ cum Ragnacario qui Cameraci regnabat, ejusque fratre Richario propinquis suis; illisque ac eorum fratri Regnomeri apud Cenomanos degenti illata nece. Viros sanctitate celebres impensè coluit, præsertim S. Remigium Episcopum Remensem, S. Eleutherium Tornacensem Episcopum, sacram Virginem Genovefam, S. Severinum Abbatem Agaunensem, cujus precibus à febre sanatus est; S. Solennium * Carnotensem Episcopum, & S. Deodatum * Eremitam. Plurima pietatis suæ monumenta edidit Clodoveus. Basilicam SS. Apostolorum Petri & Pauli Parisiis ex consilio Chlotildis conjugis sanctissimæ ædificavit, quam ipsa post Clodovei obitum absolvi curavit. Basilica illa posteris sæculis à S Genovefa Virgine ibi sepulta nomen accepit. SS. Martini, Turonibus, & Hilarii, Pictavis, Ecclesias amplissimis ditavit muneribus. Cathedralem Ecclesiam Engolismensem extruxit. Ex ejus etiam munificentia conditum est Miciacense * Monasterium in Diœcesi Aurelianensi, nec-non Molomense * in Diœcesi Lingonensi. Item Monasterium Nigellæ absconditæ * in Diœcesi Trecensi. Ex Gothico bello redux summæ erga Regni sui Episcopos observantiæ argumentum dedit, literis ad ipsos directis, quibus non solùm testatus est cautum à se diligenter in procinctu belli, ne quid detrimenti cùm Ecclesiis & eorum Ministris, tum Monialibus ac Religiosis Viduis inferretur; sed etiam scripsit captivos, tum Clericos, tum Laïcos ipsorum Episcoporum arbitrio & testimonio relaxatum iri. Harum literarum exemplar legere potes in Annalibus Ecclesiasticis Francorum *P. le Cointe*, ad annum Christi 508. Numero 45. Coronam auream gemmis ornatam Romano Pontifici Symmacho misit Clodoveus, teste Hincmaro. Recentiores volunt eam Coronam fuisse, quam ab Anastasio Augusto haud pridem acceperat. Quo facto insigne pietatis & venerationis erga S. Petri Sedem posteris exemplum dedit.

Clodovei religio erga S. Martinum reverentia.

Gregorius Turon lib. 2.

La Vienne.

Poictiers.

Vouglé.

Vogladense prælium & de Alarico victoria.

La Loire.

Engoulesme.

Terouenne. Cambray. Le Mans.

S. Soulenne.

S. Dié.

Or Mici.

Hujus primus Abbas S. Euspicius, cui successit S. Maximinus, cujus nomen hodie hoc Monasterium gerit.

S. Mesmin.

Molome

Nelle la Reposte.

Clodovei erga Romanum Pontificem reverentia & pietas.

S. Remigii monitis obtemperans, qui ad illum scripserat: *Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere*: *Episcoporum consiliis in administrendo Regno semper usus est.* Ipso rogante cùm S. Remigius Presbyterum quemdam ordinasset, eique contulisset Beneficium, sine quo nullus eâ ætate ordinabatur, secundùm Ecclesiæ disciplinam; & aliqui Præsules Archiepiscopi Sanctissimi factum imprudenti zelò carperent, Remigius respondit, Regi cui tot nominibus obstricta erat Ecclesia, id negari absque ingrati animi vitio non potuisse. *Ego, inquit, Claudium Presbyterum feci, non corruptus præmio, sed præcellentissimi Regis testimoniò, qui erat non solùm Prædicator fidei Catholicæ, sed Defensor. Scribitis canonicum non fuisse quod jussit. Summò fungamini Sacerdotiò. Regionum Præsul, Custos patriæ, Gentium Triumphator injunxit.* (Apud Duchesnium Tom. 1. Histor. Francor. pag. 850.) Quo in facto Regiæ ad Beneficia nominationis, sive Juris-Patronatûs Regii, illustre fundamentum, & præludium habemus.

Clodoveus Episcopos habuit à Consiliis.

Concilium Aurelianense I. convocavit Clodo-

Clodoveus Consultum.

 veus,

Aurelianense primum convocavit.

veus, & rerum decernendarum capita Patribus Gallicanis proposuit, ut constat ex Concilii Præfatione. *Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis, &c. Secundùm voluntatis vestræ consultationem, & titulos quos dedistis, ea quæ nobis visum est, definitione respondimus.* Suorum etiam confirmationem Decretorum ab eodem Christianissimo Rege eadem Synodus postulavit. *Ita ut si ea, quæ nos statuimus* (inquiunt Patres) *etiam vestrô rectè esse judicio comprobantur, tanti consensus Regis ac Domini majori auctoritate servandam tantorum firmet sententiam Sacerdotum.* Ex quo perspicuum est, statim atque Monarchia Gallorum Christianis Regibus paruit, Reges jus habuisse convocandi Nationalia Concilia: non quòd Ecclesiæ capita essent, aut potestatem Hierarchicam & Ecclesiasticam haberent ullam, sed jure Patrocinii & tuitionis Ecclesiæ, quam simul cum Religione Christianâ susceperant; & ut Regia auctoritate cum Sacerdotali concurrente, faciliùs feliciusque restauraretur, aut sanciretur Disciplina, & Canones executioni mandarentur.

Quo jure Concilia Nationalia convocarent olim Reges Christianissimi.

Clodovei erga Ecclesias munificentia.

Oblationibus, & prædiis Ecclesias Regni sui ditare cœpit, posterisque Regibus religiosæ munificentiæ reliquit Exemplum. Clericis etiam, & agris Ecclesiæ immunitates concessit amplissimas, ut Aurelianense Concilium Canone 5. testatur. *De oblationibus, vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus, Deo inspirante contulerit, ipsorum agrorum vel Clericorum immunitate concessâ, &c.*

Ad superos migravit Parisiis, anno Christi quingentesimo undecimo, & in Basilica SS. Apostolorum Petri & Pauli, quæ hodie Sanctæ Genovefæ nuncupatur, sepultus est. Vixit annis quadraginta quinque, regnavit triginta. Ex duabus uxoribus septem liberos suscepit; duos ex priori, cujus nomen ignoratur; quinque ex Chlotilde. Ex priori, Theodoricum, & Theudechildem, Radigeri Vvarnorum Regi Trans-Renano collocatam: ex Chlotilde, Ingomerem, Childebertum, Clotarium, & Chrotildem Amalarico Regi Vvisigothorum nuptiali fœdere conjunctam.

Ad annum usque sexti Sæculi undecimum hoc in Capite processimus, ut unâ serie, & unô quasi aspectu, quæ Clodoveum spectant, subjiceremus universa.

Scholion I.

In hoc Articulo pag. 106. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc veluti meam propositionem notant: *Dispensandum de Canonibus ad instantiam Regum.*

R. Hæc propositio, hæc verba mea non sunt. De Clodovæo I. Francorum Rege hunc in modum scripsi: *Ipso rogante cùm S. Remigius Presbyterum quemdam ordinasset, atque contulisset Beneficium... & aliqui Præsules Archiepiscopo fortè dissuasi factum imprudenti zelo carperent, Remigius respondit: Regi cui tot nominibus obstricta erat Ecclesia, id negari absque ingrati animi vitio non potuisse.* Nulla ibi dispensationum Canonumve mentio. Quamquam & ad Regum Christianorum commendationem dispensationes concedi, modò causa aliàs legitima subsit; nullum sit incommodum, & Summi Pontifices concedere soleant.

Scholion II.

In eodem Articulo, pag. 107. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Reges Galliæ, ex quo Christiani facti sunt, habuerunt potestatem convocandi Concilia Nationalia.*

R. Ex Concilio Aurelianensi primo id probatur eo loci, & aliorum Conciliorum exemplis id alibi passim confirmatur. Sed propositionem meam mutilarunt Indiculi Censorii Authores, ne innoxia videretur. En verba mea: *Statim atque Monarchia Gallorum Christianis Regibus paruit, Reges jus habuerunt convocandi Nationalia Concilia, non quòd Ecclesiæ capita essent, aut potestatem Ecclesiasticam aut Hierarchicam haberent ullam; sed jure patrocinii & tuitionis Ecclesiæ, &c.* Hanc explicationem quâ fit innoxius omninò Propositionis sensus, suppresserunt. Verùm age Concilia Galliæ pervolvamus, ut perspicuum fit Religiosis Censoribus Christianissimos Reges hanc exercuisse potestatem Gallicanâ Ecclesiâ approbante, non improbante Romanâ.

A Concilium Aurelianense I. in Epistola Synodica ad Clodoveum Regem: *Domino suo Catholicæ Ecclesiæ filio, Chlodovecho gloriosissimo Regi, omnes Sacerdotes quos ad Concilium venire jussistis. Quia tanta ad Catholicæ Religionis cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, &c.* Et in Præfatione: *Cùm auctore Deo, & evocatione gloriosissimi Regis Chlotovechi, in Aurelianensi urbe fuisset Concilium summorum Antistitum congregatum, &c.*

Concilium Aurelianense II. à Childeberto, fratribusque Regibus convocatum se esse testatur: *Cùm ex præceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem Urbem, de observatione Legis Catholicæ tractaturi, Deo auxiliante venissemus.*

B Concilium Arvernense anno quingentesimo trigesimo-quinto: *Cùm in nomine Domini, congregante Sancto Spiritu, consentiente Domino nostro gloriosissimo piissimoque Rege Theodeberto, in Arverna Urbe sancta Synodus convenisset, ibique flexis in terram genibus, pro Regno ejus, pro longævitate, pro populo Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis tribuerat potestatem, Regnum ejus Dominus noster felicitate attolleret, imperio regeret, justitiâ gubernaret, in Ecclesia ex more consedimus.*

Concilium Aurelianense V. anno Christi quingentesimum quadragesimo-nono: *Igitur cùm clementissimus Princeps, triumphorum titulis invictissimus, Dominus Childebertus Rex, pro amore sacræ Fidei & statu Religionis in Aurelianensi Urbe congregasset in unum Domini Sacerdotes, cupiens ancore Patrum audire quod sacrum est, &c.*

C Concilium Parisiense II. in causa Saffaraci Episcopi anno quingentesimo quinquagesimo-quinto congregatum: *Cùm in Urbem Parisios ad invitationem Domini Regis gloriosissimi Childeberti venissemus, &c.*

Concilium Turonense II. anno quingentesimo sexagesimo septimo: *Christo auspice, in Turonica civitate Concilio concordante, juxta conniventiam gloriosissimi Domini Chariberti Regis annuentes, condunati pro pace & instructione Ecclesiæ, &c.*

Concilium Matisconense I. anno quingentesimo octogesimo-primo: *Cùm ex evocatione gloriosissimi Domini Gunthchramni Regis, tam pro causis publicis, quàm pro necessitatibus pauperum, in Urbe Matisconensi nostra Mediocritas convenisset, &c.*

D Concilium Valentinum II. anno quingentesimo octogesimo quarto: *Cùm in Urbe Valentina, juxta imperium gloriosissimi Gunthchramni Regis, nostra Mediocritas pro diversis pauperum querimoniis convenisset, &c.*

Concilium Parisiense V. anno sexcentesimo decimo-quinto: *Cùm in Dei Nomine secundùm priscorum Sanctorum Patrum constitutionem in Urbe Parisius ex evocatione gloriosissimi Principis Domini Chlotacharii Regis in Synodali Concilio convenissemus, &c.*

Concilium Cabilonense anno sexcentesimo quinquagesimo: *Sed nunc tam ex communi omnium voluntate, quàm ex evocatione vel ordinatione gloriosissimi Domni Chlodovei Regis, pro zelo Religionis vel orthodoxæ Fidei dilectione, in Cabilonensi Urbe, in Ecclesia S. Vincentii pariter conglobati, &c.*

E Concilium Liptinense, anno septingentesimo quadragesimo-tertio: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, cum consilio servorum Dei & Optimatum meorum, Episcopos qui in Regno meo sunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregavi.*

Concilium Suessionense, anno septingentesimo quadragesimo-quarto: *In Dei nomine & Trinitatis, In anno secundo Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux & Princeps Francorum. Dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine, unà cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum vel servorum Dei Consilio, sive Comitum & Optimatum Francorum: colloquia apud Suessionis civitatem Synodum vel Concilium facere decrevimus, quod ita in Dei nomine & fecimus.*

F Concilium Francofordiense anno septingentesimo nonagesimo-quarto: *Conjungentibus Deo favente, Apostolicâ Auctoritate, atque piissimi Domini nostri Caroli Regis jussione, cunctis Regni Francorum, Italiæ, Aquitaniæ Provinciæ Episcopis ac Sacerdotibus Synodali Concilio.* Et in Epistola Synodica: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi.... Congregatis nobis in unum charitatis conventum, præcipiente & præsidente piissimo & gloriosissimo Domino nostro Carolo Rege, ad renovandum cum Concilio pacifica unanimitatis Sanctæ Dei Ecclesiæ statum.*

Concilium Arelatense sextum anno octingentesimo decimo-tertio: *Rerum omnium Domino diffusis cordibus, simulque & vocibus, precum murmura effundentes, ut Serenissimum ac Religiosissimum Dominum nostrum Carolum Imperatorem, cujus jussu Fraternitatis nostræ cœtus est adunatus, fides sua conservatione stabiliat, propagatione justitiæ muniat, &c.*

Concilium

Concilium Moguntiacum eodem anno: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Gloriosissimo & Christianissimo Imperatori Carolo Augusto, vero Religionis Rectori, & Defensori Sanctæ Dei Ecclesiæ... Venimus, secundùm jussionem vestram in Civitatem Moguntiam, ubique pariter adunati, primitùs cum Letaniis triduanum celebravimus jejunium, ut divinam suppliciter postulantes clementiam, quatenus sanctâ gratiâ sua conventum & actionem ipsius Synodi sibi acceptabilem facere dignaretur.*

Concilium Remense II. *Hic est ordo capitulorum, qua anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo tertio notata sunt in Conventu Metropolitanæ Sedis Remensis Ecclesiæ à Domino Carolo piissimo Cæsare, more priscorum imperatorum congregato.*

Concilium Turonense III. eodem anno: *Quod à tanto Principe nobis injunctum est, ad statuta loca convenimus. Siquidem Urbe Turonis congregati Episcopi, Abbates, & venerabilis Clerus, pro parvitate nostra pauca, quæ ad sanctum opus pertinere admadvertimus, & quæ secundùm canonicam regulam emendatione indigent, distinctè per Capitula adnotavimus Serenissimo Imperatori nostro ostendenda.*

Concilium Cabilonense II. eodem anno. *Auxiliante Domino nostro Jesu Christo, & imperante Serenissimo atque inclyto Augusto Carolo, convenimus Episcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunensis in Urbem Cabilonensem; & de quibusdam rebus in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quædam capitula, quæ subter inserta sunt, eidem Domino Imperatori præsentanda, & ad ejus sacratissimum judicium referenda adnotavimus: quatenus ejus prudenti examine ea quæ rationabiliter decrevimus confirmentur; sicubi minus aliquid egimus, illius sapientiâ suppleatur.*

Concilium Aquisgranense I. *Cùm in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Christianissimus ac gloriosissimus Hludovicus superno munere victor Augustus, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo decimo sexto Indictione X. anno siquidem Imperii sui tertio, Aquisgrani Palatio generalem sanctumque convocasset conventum, &c.*

Concilium Parisiense sextum. *Gloriosorum & Orthodoxorum Principum jussionibus obedientes, immo non solum nostra, sed etiam ejus totiusque populi sibi commissi salute, juxta Ministerium nobis collatum consulere cupientes, anno Incarnationis Domini octingentesimo vigesimo-nono, Imperantibus eisdem præcellentissimis ac gloriosissimis, Deoque dilectis Augustis, Hludovico videlicet, filioque ejus Hlotario, sub die VIII. Iduum Juniarum, nos indigni Episcopi, ex Diœcesi scilicet Durocortorum, necnon & Diœcesi Senonica, & Turonica, atque Rotomagensi, apud Parisiorum Urbem convenimus, & qualiter de præmissis causis, juxta admonitionem eorumdem Principum, egerimus atque statuerimus, in subsequentibus breviter capitulatim adnotare curavimus.*

Concilium Aquisgranense II. *Cùm convenissemus Episcopi, quorum nomina subter adnectuntur, Synodali evocatione convocante nos gloriosissimo & orthodoxo Imperatore Ludovico, Aquisgrani Palatii in Secretario Basilicæ Sanctæ Genitricis Dei Mariæ, quod dicitur Lateranis, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo trigesimo-sexto, & ibi de statu sanctæ Dei Ecclesiæ, admonente Serenissimo atque totius Religionis devotissimo Præfato Imperatore, tractare cœpissemus pari consensu primò visum est, &c.*

Concilium Vernense II. anno octingentesimo quadragesimo-quarto sub Carolo Calvo: *Gratias omnipotenti Deo referimus, inclyte Rex Carole, nos Episcopi & cæteri Fideles, qui ex diversis partibus ad Vernum evocati sumus... Cæterùm quia eodem Deo inspirante dignati estis jubere ut de statu Ecclesiæ, quæ vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum confusus est, tractaremus, in nomine & adjutorio ejus, quæ communi deliberatione reperimus, Celsitudini vestræ ac populo fideli devotione humiliter aperimus.*


Concilium Meldense anno octingentesimo quadragesimo-quinto. *Venerabiles Episcopi, Vvenilo videlicet Senonicæ Sedis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis.... &c. In Meldensem Ecclesiam de suis civitatibus convenerunt, ibique secundùm Synodalis ordinis censuram residentes, anno Dominicæ Incarnationis 845. ipsoque Regis Caroli succrescente feliciter 6. cujus consensu sub divino nutu illuc conventum est, &c.*

II. Concilium Suessionense: *Regnante in sempiternum Domino Deo universorum, anno Incarnationis ejusdem Domini Dei nostri Jesu Christi octingentesimo quinquagesimo-tertio, anno verò Regni gloriosi Caroli filii Ludovici religiosissimi Augusti XIII. indictione I. Episcopis juxta instituta Canonum Synodum celebrare volentibus annuit idem Rex Carolus, eosque ad Urbem Suessionum, in Monasterio S. Medardi & S. Sebastiani X. Kalendas Maias convenire præcepit. Ubi posthabitis sæcularibus curis, ipse quoque Rex adesse dignatus est: Ut non solum devotione Ecclesiæ se filium esse ostenderet, verùm etiam, sicubi opus esset, protectorem Regia potestate monstraret.*

Concilium Valentinum III. *Regnante Domino nostro Jesu Christo, anno 855. ab Incarnatione ejus gloriosissimo Lothario Imperante XV. apud Urbem Valentinam, in domo Basilicæ S. Joannis adjacente Cùm propter causam Episcopi Civitatis ipsius criminibus diffamati, ex jussione præfati pii Principis Reverentissimi etiam Provinciarum Episcopi in unum collecti resedissent, &c.*

His Gallicanorum Conciliorum testimoniis evidentissimis ac firmissimis innititur hæc propositio mea: *Statim atque Monarchiæ Gallorum Christianis Regibus paruit, Reges jus habuerunt convocandi Concilia Nationalia*, &c. Non sacri jus Regiminis, sed protectionis Ecclesiæ.

IN HISTORIAM



IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI QUINTI DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO PRIMA.

De Synodo Palæstina adversùs Pelagium.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Palæstina Synodus Pelagii hæresim damnaverit?

PROPOSITIO.



IOSPOLITANA Synodus, etsi decepta Pelagium absolverit, ejus tamen Hæresim non approbavit, sed damnavit. B

Probatur primò ex S. Augustino libro *de Gestis Palæstinis cap.* 21. ubi de Pelagii absolutione in illa Synodo sic loquitur. *Salutem quidem ejus in Christo cupimus & optamus; de ista verò ejus purgatione, quæ magis creditur, quàm liquidò demonstratur, gaudere temerè non debemus. Neque hoc dicens, Judicum arguo vel negligentiam, vel conniventiam, vel quod ab eis longè abhorrere certissimum est, impiorum dogmatum conscientiam, sed eorum judiciò pro meritò approbatò, atque laudatò, Pelagius tamen apud eos, quibus ampliùs certiùsque notus est, non mihi videtur esse purgatus. Illi enim tanquam de ignoto judicantes, his præsertim absentibus, qui contra eum libellum* C *dederant, hominem quidem diligentiùs examinare minimè potuerunt: Hæresim tamen ipsam, si eorum sequantur judicium, qui pro ejus perversitate certabat, penitus peremerunt.*

Et cap. 35. *Deinde post aliquot annos, Pelagio, qui Magister ejus* (Cælestii nimirum) *perhiberetur cùm ista hæresis fuisset objecta, ad Episcopale Judicium etiam ipse pervenit: recitatisque omnibus, quæ in Libello contra eum dato Eros & Lazarus Episcopi Galli posuerant; illis quidem absentibus; & de ægritudine unius eorum excusantibus, Pelagium ad omnia res-* A *pondentem, quatuordecim Episcopi Provinciæ Palæstinæ, secundùm responsiones ejus, alienum à perversitate hujus hæresis pronuntiarunt; eam tamen Hæresim sine ulla dubitatione damnantes.*

Et in eodem capite, ubi omnia Capitula Pelagio objecta recensuit, hæc habet. *Hæc omnia, & si quæ argumentationes ad ea confirmanda interposita sunt, sua negantem & anathematizantem Pelagium, Judices approbaverunt. Et ideò pronuntiaverunt eum contraria Ecclesiasticæ fidei, reprobando & anathematizando damnasse. Et per hoc quomodolibet ea Cælestius posuerit, an non posuerit; vel Pelagius senserit, aut non senserit, tanta mala tam nova hujus Hæresis illò Ecclesiasticò Judiciò damnata gaudeamus, & Deo gratias agamus, laudesque dicamus.*

Et in libro de Peccato Originali contra Cælestium, cap. 8. *Pelagius*, inquit, *fefellit Judicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit.*

Et cap. 16. *Tantò Judices fefellit occultiùs, quantò exposuit ista versutiùs. Episcopi quippe Catholici, quando audiebant hominem anathematizantem eos, qui dicunt Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano, nihil aliud eum sapere existimabant, quàm id quod Catholica Ecclesia prædicare consuevit. Unde veraciter parvulos in peccatorum remissionem baptizat, non quæ imitando fecerunt, propter primi peccatoris exemplum: sed quæ nascendo traxerunt, propter originis vitium. Et quando audiebant anathematizantem eos, qui dicunt, Infantes qui nascuntur, in eo statu esse in quo Adam fuit ante prævaricationem, nihil eum aliud dicere credebant, nisi eos qui parvulos putant nullum ex Adam traxisse peccatum, & secundùm hoc in eo statu esse, in quo fuit ille ante peccatum...... Proinde cùm hoc iste, sic exponit, ut dicat, Infantes ideò non in eo statu esse in quo Adam fuit ante peccatum, quia nondum sunt in eadem firmitate mentis & corporis, non quòd in eos transierit ulla culpa propaginis, respondeatur ei: quando tibi illa damnanda objiciebantur, non ita Catholici Episcopi sic intelligebant;*

bant; ideò cum illa damnares, Catholicum te esse credebant. Propterea ergo, quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit; quod verò tu sapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti: sed illud absolutum est quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, credisne es sentire laudanda, cùm te Judices non intelligerent occultare damnanda.

Et lib. 2. contra Julianum cap. 5. *Habemus alios Orientales Episcopos quatuordecim... Quos uno loco simul inventos in istum consessum introducere valeamus, illos ipsos qui Pelagio Judices præsederunt, eumque ut homines, nullò ex altera parte urgente adversario, putantes Catholicum, tanquam Catholicum pronuntiarunt. Nisi enim in eorum conspectu audituque damnasset eos, qui dicunt, Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes nuper nati in eo statu sint in quo Adam fuit ante peccatum; & Infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam, nullò modò inde nisi damnatus exisset. Quid enim vobis prodest, quòd nescio quas ansas atque uncos arte nescio cujus perplexitatis inseritis, ne simplicia pateant, & clara luceant? Quis enim non videat quomodò ista illi Judices accipere potuerunt, scilicet secundùm Catholicam Fidem, non sicut exponuntur, vel potiùs componuntur a vobis? Et tamen dicere potuistis, Adæ peccatum non propagatione, sed imitatione læsisse genus humanum, &c. His nebulis illud Judicium se putas illusisse Pelagius: usque ad hoc nefas toto capite annuitis, & tot ab illo Episcopos irrisos esse videtis: sed nunquid infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam alia calliditate in aliud detorquere, vel ullis foliis ficulneis operire potuistis? Eos enim qui hoc dicunt, non potuit apud Catholicos Judices nisi damnare Pelagius. Et quod sentiebat, damnavit coram hominibus, damnari metuens ab hominibus. &c.*

Probatur secundò ex innocentio I. in Epistola ad 5. Africanos Antistites, quam S. Augustinus laudat lib. de Peccato Originali cap. 9. *Cum sint*, inquit, *aliqua in ipsis posita, gestis, quæ objecta, partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba, retorquendo, totâ obscuritate confudit, aliqua magis falsâ quam verâ ratione ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsâ interpretatione vertendo. Sed utinam, quod optandum magis est, jam se ille ad veram Catholicæ Fidei viam ab illo suo errore convertat, & cupiat velitque purgari, considerans quotidianam Dei gratiam, adjutoriumque cognoscens, ut videatur verè & approbetur ab omnibus manifestâ ratione correctus, non Gestorum judicio, sed ad Catholicam fidem converso! Unde non possumus illorum approbare, nec culpare judicium, cùm nesciamus utrum vera sint gesta: aut si vera sint, constet magis subterfugisse, quàm se totâ veritate purgasse.* Ex quibus Innocentii I. verbis compertum est, Sanctissimum Pontificem existimasse Pelagium non aliâ ratione in Diospolitana Syoodo fuisse absolutum, quàm quia Patribus fucum fecit, & impia dogmata vel sua esse negavit, vel interpretatione fallaci mollivit, vel obscuritate & ambagibus verborum obtexit, vel malis artibus dissimulavit.

Probatur tertiò ex S. Prospero *in Carmine de Ingratis, cap.* 2. ubi de Palæstina Synodo ita canit:

...............Non segnior inde Orientis,
Rectorum cura emicuit; captiùnque nefandi
Dogmatis Autorem constrinxit lege benignâ
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abjungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiùmque malos tolerasse videtur
Judicium: sed sancta Fides examine in illo
Vicit aborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, divino & munere cautum;
Ut licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidia secum sensus tenuisset eosdem.
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Ex his S. Prosperi carminibus constat, Fidem Catholicam in Synodo Palæstina triumphum de Hæresi Pelagiana egisse, cujus impia sensa licet mente retineret Pelagius, ore tamen damnare compulsus est, ut imminens capiti suo anathematis fulmen declinaret.

Objicies, dogmata Pelagii, quæ in libris suis aut Epistolis defenderat, hæretica esse: illa verò fuisse approbata judicio Palæstinæ Synodi: adeòque ejus hæresim fuisse approbatam.

Respondeo, nego minorem: illa enim dogmata non approbarunt Palæstini Patres secundùm sensum quò in Pelagii Scriptis exprimebantur ac propugnabantur, sed secundùm sensum quù illa exponebat in Synodo. Hæc responsio est S. Augustini *lib. de Gestis Palæstinis*, cap. 1. *Responsiones ejus*, inquit, *non immeritò approbaverunt, non curantes quomodò ea quæ objiciebantur, in Opusculis suis posuerit, sed quid de eis in præsenti examinatione responderit. Alia est enim caussa Fidei non sanæ, alia locutionis incautæ.* Et infrà narrat, quòd cùm objectum esset Pelagio, quod in libro suo scripserat, *Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit*: & ille se non ita dixisse fuisset contestatus, sed *Hominem adjuvari per Legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est; Legem in adjutorium dedit illis: hoc audito, Synodus dixit; Non aliena sunt ab Ecclesia quæ dicta sunt à Pelagio.* PLANE, inquit S. Augustinus, *aliena non sunt quæ respondit: illud verò quod de Libro ejus prolatum est, aliud sonat. Sed hoc Episcopi, Græci homines, & ea verba per Interpretem audientes, discutere non curarunt: hoc tantùm intuentes, quid ille qui interrogabatur, sensisse se diceret, non quibus verbis eadem sententia in ejus Libro scripta diceretur.*

Capite verò 35. breviter exponit quô sensu Synodus singulas Pelagii propositiones apptobaverit. *Approbaverunt*, inquit, *secundùm quæ ille ad ea quæ objecta sunt respondebat, Adjuvari hominem per Legis scientiam ad non peccandum, sicut scriptum est; Legem in adjutorium dedit illis: Non tamen ex hoc eamdem Legis scientiam illam Dei gratiam esse approbarunt, de quâ scriptum est; Quis me liberabit de corpore mortis hujus: Gratia Dei per Jesum Christum. Nec ideò dixisse Pelagium omnes voluntate suâ regi, ut non eos regeret Deus: Respondit enim hoc se dixisse propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti bona; hominem verò peccantem ipsum esse in culpâ. Approbaverunt etiam, iniquis & peccatoribus in die judicii non esse parcendum, sed æternis eos ignibus puniendos, quoniam hoc se ille secundùm Evangelium dixisse respondit, ubi scriptum est, Isti ibunt in supplicium æternum. Non autem dixerat, Omnes peccatores ad æternum pertinere supplicium, ut meritò contra Apostolum dixisse videretur, qui quosdam salvos ait futuros, sic tamen quasi per ignem. Regnum cælorum ideò approbaverunt etiam in Veteri Testamento esse promissum; quoniam testimonium dedit de Propheta Daniele, ubi dictum est: Et accipiant Sancti regnum Altissimi. Hoc loco Vetus Testamentum intelligentes ab illo appellatum, non illud solùm quod factum est in monte Sina, sed Scripturas omnes Canonicas ante adventum Domini administratas. Posse autem hominem esse sine peccato, si velit, non sic approbatum esse, quomodo ab illo in libro suo positum videbatur, tanquam hoc in sola potestate esset hominis per liberum arbitrium: Hoc quippe arguebatur sensisse dicendo: Si velit; sed quomodo nunc ipse respondit: imò quomodò id breviùs & apertiùs Judices Episcopi suâ interlocutione commemoraverunt: Hominem cum adjutorio Dei & gratia posse esse sine peccato. Nec tamen definitum est, quando istam perfectionem Sancti assecuturi sint,*

utrum

utrum in corpore mortis hujus, an quando absorbebitur mors in victoriam.

Objicies secundò: Synodus Palæstina hanc Pelagii propositionem approbavit: *Donat Deus omnes gratias ei qui fuerit dignus accipere, sicut Paulo Apostolo donavit.* Hæc autem propositio est hæretica. Æquivalet enim isti: Deus confert gratiam promeritis. Quisquis enim dignus est, debitum est ei: si autem debitum est, gratia non est: gratia quippe donatur, debitum redditur. Gratia ergo donatur indignis, ut reddatur debitum dignis. Igitur Diospolitana Synodus hæresim Pelagii approbavit.

Respondeo, cùm Pelagius anathemate damnasset hanc propositionem, *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari*; Patres Palæstinos persuasum habuisse quòd intelligeret, Deum gratias omnes tribuere ei qui fuerit dignus Prædestinatione, id est, quem elegerit ac destinaverit gratiarum suarum beneficiis donandum: non autem ei qui meritis liberi arbitrii viribus partis, & ex naturæ penu prodeuntibus dignus esset. Aut ad istud verbum Patres non attenderunt. Ita respondet S. Augustinus lib. de Gestis Palæstinis cap. 17. *Aut breve dictum*, inquit, *eorum audientiam & intentionem facile subterfugit; aut aliquô modô id rectè accipi posse existimantes, cujus de hac re confessiones liquidas sibi habere videbantur, penè de uno verbo nihil ei controversiam movendam putarent; quod & nobis forsitan contigisset, si cum eis in illo judicio sedissemus. Si enim pro eo quod positum est; Dignus, positum esset, Prædestinatus, nihil certe scrupuli tangeret atque angeret animum. Et tamen si dicatur eum, qui per electionem gratiæ justificatur, nullis quidem præcedentibus meritis bonis, sed destinatione dignum vocari: sicut electus vocatur, utrum vel certè, vel minimâ offensione intelligentiæ dici possit, difficilè judicatur. Nam quantùm ad me attinet, ab hoc verbo facilè transirem, nisi me liber ille cui respondi, ubi omnino nullam dicit Dei gratiam nisi naturam nostram cum libero arbitrio, de ipsius Pelagii sensu sollicitum redderet, ne forte hoc verbum non de negligentia locutionis, sed de diligentia dogmatis curarit inserere.*

Objicies tertiò verba S. Hieronymi Synodum illam, *miserabilem* vocantis Epistola 79. ad Alypium & Augustinum. *Quidquid enim*, inquit, *in illa miserabili Synodo dixisse se denegat, in hoc Opere profitetur.*

Respondeo, *miserabilem* à S. Hieronymo vocari Diospolitanam Synodum, non quòd Pelagii prava dogmata approbaverit, sed quòd ipsum errore facti absolverit.

DISSERTATIO II.

De Appellatione Celestii ad Sedem Apostolicam.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Celestius in Synodo Carthaginensi anno 412. damnatus, ad Romanum Pontificem appellaverit?

NEgat Joannes Latius *lib.* 1. *Historiæ Pelagianæ cap.* 4. cæteri affirmant, quorum sententia certissima est. Hujus enim appellationis testis est Marius Mercator *In Commonitorio cap.* 1. ubi de Synodo Carthaginensi loquens, & de Capitulis quorum damnationem ab eo exigebant Africani Patres, ait: *De quibus omnibus Capitulis Patres & Episcopi regionis illius restiterunt Celestio, & jusserunt ut eadem condemnaret, quia essent hæretici sensus. Sed Celestius nullò modò acquiescens, quin imò resistens Actis eisdem, Ecclesiasticâ communione privatus est, A quâ sententiâ ad Romani Episcopi examen credidit appellandum: quâ mox idem ipse appellatione neglecta, Ephesum Asiæ urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem locum Presbyterii petere.*

II. Testis est ejusdem appellationis & Paulinus Diaconus *In Libello ad Zosimum*, cum rationem reddit cur Judicio non adfuerit, licet à Basilisco Subdiacono vocatus: quia scilicet Celestius appellationem persequi neglexerat & Innocentii I. judicium subterfugerat, ab eoque fuerat propter hæresim damnatus. *Apud Sedem Apostolicam*, inquit Paulinus, *nihil agere potui, quia is qui ad eam Sedem provocaverat, defuit, quem oportuerat utique sua appellationis merita prosequi: maximè cùm nihil agente appellatore, secundùm etiam humanas leges, superior sit semper ille qui semel vicit.*

III. Testis est ejusdem appellationis Zosimus Epistola 3. ad Episcopos Africanos. *Vobiscum*, inquit, *volumus habere tractatum de illo, qui apud vos sicut ipsi per literas dicitis, fuerit accusatus, & ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens judicium, ex appellatione pristina, venerit Sedem.*

IV. Testis denique est Facundus Hermianensis *lib.* 7. *cap.* 3. ubi de Celestio loquens, ait: *Quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse* (Zosimus) *gestis discusserat.*

Objicit Joannes Latius: Si Celestius à priori Synodo Carthaginensi ad Sedem Apostolicam appellasset, Africani Patres secundò non judicassent, appellatione adhuc pendente: & ad Innocentium I. aliqua ejusdem appellationis notitia pervenisset: Atqui Patres Africani de Celestio secundo judicarunt, & ad Innocentium I. toto quinquennii tempore nulla istiusmodi notitia pervenit: Igitur ad Sedem Apostolicam non appellavit Celestius.

Respondeo, Celestium appellationem, quam interposuerat, neglexisse, & ejus jure excidisse. Unde ab Africanis Patribus meritò secunda de ejus causa instituta cognitio est. Quamquam Africani Patres in secunda Synodo Carthaginensi & Milevitana integrum causæ judicium Innocentio I. ad quem priùs appellaverat Celestius, servarunt. Innocentius verò nefariam hæresim & ejus impios Autores Pelagium & Celestium duplici Constitutione damnavit. Quô judiciô *Causa finita est*, inquit S. Augustinus, *Sermone* 2. *de Verbis Apostoli.* Falsum autem est quod nulla ad Innocentium appellationis Celestii notitia toto quinquennio pervenerit. Nam Paulinus Celestii accusator, auditâ ejus appellatione, Romam se contulit, ut contra eundem coram Innocentio Judicium Carthaginense defenderet. A Paulino itaque Celestii appellationem, & ejus fugam didicit Pontifex. Id constat ex Paulini ipsius libello ad Zosimum.

Objicies. Si à Celestio interposita fuisset appellatio, ejus meminissent Orosius in Apologia sua, & S. Augustinus.

Respondeo. Satis esse quod meminerint Paullinus Diaconus, Marius Mercator, & Zosimus Pontifex. Non enim necesse est ut omnes Autores qui in hæreticos scripserunt, omnium meminerint, quæ ab ipsis, aut contra ipsos gesta sunt.



DISSERTATIO III.

De Zosimi Judicio in causâ Celestii.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Zosimus Celestii Hæresim approbaverit?

Propositio.

Zosimus benignitate erga Celestium usus est, non tamen ejus Hæresim approbavit.

Probatur 1. ex serie gestorum Zosimi hoc in negotio. Cùm enim auditâ Innocentii morte, & ejus creatione, Celestius ad ipsum confugisset, ipsique obtulisset fidei Libellum, ac Innocentii Decretis se lubenter subscribere fuisset professus, Zosimus suspicatus est præceps nimium fuisse Africanorum de Celestio ac Pelagio Judicium, ac nimiæ credulitatis erga accusatores indignos Erotem ac Lazarum ipsos accusavit, datis ad ipsos durioribus literis, quibus & Pelagii Celestiique fidem absolutissimam commendabat. Sed illos non restituit communioni, nec absolvit à notâ hæreseos, causæ judicium differendum ratus, donec Africanorum Rescriptis de totius causæ statu certior fieret. Id patet ex Epistola Zosimi ad Africanos per Basiliscum transmissa. *Unde*, inquit, *in præsenti caussa nihil præcox immaturumque consuimus, sed innotescere Sanctitati vestræ super absolutâ Celestii fide nostrum examen, cui etiam prior Libellus ab eo intra Africam testimonio apud nos esse debuisset, ne inexploratis famâque jactantibus tam facilè crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire quàm Libellis & Confessione contexuit: aut nihil post hæc tam aperta & manifesta, quæ protulit, dubii Sanctitas vestra resedisse cognoscat.* Rescripserunt Africani ad Pontificem ex Synodo anni 417. ipsumque rogarunt, ut nihil de sententia in Pelagium & Celestium ab Innocentio Decessore suo ad Relationem Africanarum Synodorum latâ immutaret, sed in eodem cuncta relinqueret statu, donec è suis aliquem Romam mitterent cum omnibus causæ Instrumentis, quibus Pelagium & Celestium justè fuisse damnatos probaretur. Ipsorum precibus annuit Zosimus, ut constat ex alterâ ejus Epistola. Prolixiores interim literas cum Gestis præcedentium Synodorum, & totius causæ instructione ac expositione plenissimâ per Marcellinum Subdiaconum ad Romanum Pontificem miserunt. Quibus acceptis, Pontifex Celestium ad Judicium vocavit. Sed ille fugit & negavit se examini: ideoque à Zosimo unà cum Pelagio damnatus est. Id constat ex Mario Mercatore *in Commonitorio*, & ex S. Augustino *lib. 2. ad Bonifacium, cap. 3.* & lib. *de Peccato Originali cap. 6.* Legantur quæ diximus in Synopsi, cap. 3. Art. 3. § 8. 9. 10. & 11.

Probatur 2. ex S. Augustino libro 2. *ad Bonifacium*, cap. 3. *Pelagiani*, inquit, *spe falsâ putaverant, novum & execrabile dogma Pelagianum vel Celestianum persuaderi quorumdam Romanorum Catholicis mentibus posse; quando illa ingenia, quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia, cùm studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquando leniùs, quam severior postulabat Ecclesiæ disciplina tractata sunt. Tot enim & tantis inter Apostolicam Sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, etiam Gestis de hac causa apud illam Sedem, Celestio præsente & respondente confectis; quænam tandem Epistola veneranda memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci?* Et infrà: *Nunc verò cum priimitùs beatissimi Papæ Innocentii literæ Episcoporum literis respondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverint; successor quoque ejus sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nusquàm dixerit, nunquam scripserit: insuper etiam Celestium se purgare molientem, ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicæ literis crebra interlocutione constrinxerit; profectò quicquid interea leniùs actum est cum Celestio, servatâ duntaxat antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissimæ pravitatis. Et quod ab eodem Sacerdote posteà Celestius & Pelagius repositâ autoritate damnati sunt, paululùm intermissa, jam necessariò proferendæ ratio severitatis fuit, non prævaricatio priùs cognita, vel nova cognitio veritatis.*

Probatur 3. ex Mario Mercatore, *Commonitorii cap. 1.* ubi testatur, Celestium Constantinopoli ab Attico ejectum, ad Urbem Romam sub sanctæ memoriæ Zosimo Episcopo totâ festinatione perrexisse, *Ubi Actis interrogatus, cùm ab illo Cognitore aliquatenùs terreretur, crebris responsionibus & prosecutionibus suis spem præseminavit, condemnare se illa Capitula, de quibus fuerat apud Carthaginem accusatus, promittens. Id enim & instantiùs jubebatur, atque ob hoc ipsum nonnullâ illius sancti Sacerdotis humanitate dignus est habitus: & sic Epistolam humanitatis plenam ad Africanos Episcopos meruit; quâ ille abusus est, vel adhuc abutitur ad multorum ignorantium deceptionem. Episcopis verò ex Africa rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus: missis etiam gestis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo confecta, vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiserat, festinaret implere; id est, ut damnatis prædictis Capitulis, sententiâ Afrorum Pontificum, quâ fuerat communione privatus, absolveretur, non solùm non adfuit, sed etiam ex memorata Romana Urbe profugit, atque ob hoc à beatæ memoriæ prædicto Zosimo Episcopo Scriptis amplissimis perdamnatus est.*

Probatur 4. ex Facundo Hermianensi *libro 7. cap. 3.* dicente, *Neque Palæstinos Episcopos, neque Zosimum hæreticos ab Ecclesia credi, quia de Hæreticis benè senserunt, sed potiùs pro merito suæ Fidei Catholicos judicari, & honorari, quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum.*

Objicies. Ille hæresim approbavit, qui Libellum, in quo continebatur hæresis, pronuntiavit Catholicum: Porrò Zosimus Libellum Celestii, quô hæresis continebatur manifesta, pronuntiavit Catholicum: igitur approbavit hæresim. Quod autem Celestii Libellus hæresim apertè contineret, patet ex ejus verbis à S. Augustino descriptis lib. de Peccato Originali cap. 6. *In remissionem autem peccatorum*, inquiebat, *baptizandos infantes, non idcircò diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico sensu alienum est, quia peccatum non cum homine nascitur, quod exercetur ab homine; quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur, &c.* Libellô itaque suô Celestius peccatum originale apertè negavit. Eodem gratiam Christi malignâ perplexitate dissimulavit. Et hunc nihilominùs Zosimus pronuntiavit Catholicum.

Respondeo, Zosimum Libellum Celestii pronuntiasse Catholicum: non quidem habitâ ratione propositionum & dogmatum quæ continebat, sed habitâ ratione mentis & affectûs quem præ se ferebat Celestius, quia nimirum sententiam suam Sedis

Sedis Apostolicæ Judicio corrigendam subjecerat, & Innocentii I. Decretis assentiri se fuerat professus. Unde non tam in ipsum Libellum, quam in ejus Authorem, Catholici nominis cadebat appellatio à Zosimo data. Hæc responsio tum ex Libello ipso Celestii, cùm ex S. Augustino deprompta est. Suam quidem, suorumque dogmatum, Romani Pontificis Judicio subjectionem his verbis indicavit Celestius: *Non ego quasi autor alicujus dogmatis definitâ hac authoritate statui; sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatus offerimus probanda judicio: ut, si fortè ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur.* Sanctus verò Augustinus lib. 2. *ad Bonifacium*, cap. 3. nostram responsionem disertè tradit. *Cùm*, inquit, *hoc Celestius* (de peccato originali) *in suo Libello posuisse, inter illa dumtaxat de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est; in homine acerrimi ingenii, qui profectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea Libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere. Non enim Hæreticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait: Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit.*

Et lib. *de Peccato Originali*, cap. 6. ubi ex Libello Celestii retulit verba quibus originale peccatum negabat, hæc subdit: *Hunc sensum suum vobis aperire Pelagius vel timuit, vel erubuit, quem Discipulus ejus palàm sine ullius obscuritatis ambagibus apud Sedem Apostolicam profiteri nec timuit, nec erubuit, sed multum misericors memoratæ Sedis Antistes, ubi eum vidit ferri tantâ præsumptione præcipitem, tanquam furentem, donec si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus & illius responsionibus colligare, quam districtâ feriendo sententiâ, in illud abruptum, quo jam propendere videbatur, impellere. Ideò autem non dixi, Apertè ceciderat, sed, propendere videbatur, quia superius in eodem Libello suo de hujusmodi quæstionibus locuturus, ante prædixerat: Si fortè ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur. Hanc ejus prælocutionem Venerabilis Papa Zosimus tenens, egit cum homine: quem falsa doctrina ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta, damnaret: utque ut Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo Prædecessore manaverant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed beati Papæ Innocentii literis non est ausus obsistere, imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit: atque ita velut phreneticus, ut requiesceret tanquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus. Sed interpositò duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est: Quoniam re verâ, si depositâ pervicaciâ vanitate, quod promiserat, vellet attendere, & easdem literas, quibus se consensurum esse responderat, diligenter legeret, sanaretur. Sed postea quàm ex Africano Episcoporum Concilio Rescripta directa sunt, quod fuerit consecutum, ut justissimè in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.*

Objicies secundò testimonium Facundi Hermianensis, *libro* 7. *cap.* 3. scribentis, Zosimum fidem Pelagii & Celestii approbasse, & tanquam Catholicam laudasse. *Invenietis etiam*, inquit, *Pelagium hæresiarcham, a quo Pelagiani dicuntur, in Judicio Palæstinorum Episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat, operientem, pravasque sententias suas versutia interpretantem, per eamdem ignorantiam absolutum, Invenietis postremò beatum quoque Zosimum Apostolicæ Sedis Antistitem, contra S. Innocentii Decessoris sui Sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, Fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Celestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse Gestis discusserat, tanquam veram & Catholicam laudantem: insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur: cùm necdum ipsi Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestius detegentibus, memoratum Pelagium & Celestium putaret Orthodoxos.*

Respondeo, Facundum Hermianensem Zosimo solum facti errorem, non juris tribuere. Ibidem enim asserit, ipsum hæresim non approbasse, quamvis Pelagii Celestiique Fidem specie tenus Catholicam, non intellectâ eorum versutiâ, approbaverit. Sicut enim S. Athanasius errore facti Timotheum Apollinaris discipulum Sedi Apostolicæ velut Orthodoxum commendavit, illumque simili errore suscepit Damasus, & sicut Palæstini Patres Pelagium errore etiam facti absolverunt; nec propterea hæreticis dogmatibus suffragati censentur: ita nec Zosimus: *Quoniam non debet crimini reputari simplicium, non intellecta versutia malignorum* (inquit Facundus) Cui S. Augustinus *lib. de Peccato Originali cap.* 8. suffragatur, ubi Zosimum à Pelagio & Celestio non usquequaque deceptum scribit. Aliquatenus enim ab iis deceptus est, quia eorum fraudem primâ fronte non detexit: sed non eo usque deceptus est, ut ipsos in communionem receperit, multò minùs ut eorum hæresim approbaverit. En S. Augustini verba. *Fefellit Judicium Palæstinum; propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit utrumque conatus; sed ut dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus Papa Zosimus, quid imitandus Prædecessor ejus de ipsis senserit Gestis. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum Fides, quorum adversùs ejus errorem pro veritate Catholica studia consonantia concorditer flagrare cernebat: inter quos ille diu vixerat, & quos ejus dogmata latere non poterant: qui Celestium ejus discipulum sic noverant, ut fidelissimum & firmissimum possent de hac re testimonium perhibere.*

Numquid, inquies, eò saltem nomine culpandus non est Zosimus, quòd Celestio audientiam indulserit, & Pelagii literas Libellumque susceperit, cùm uterque fuisset ab Innocentio I. damnatus, & Communione privatus?

Respondeo id vitio verti non debere Zosimo, quia sententiam suam ita temperaverat Decessor ejus Innocentius, ut juberet Pelagio & Celestio, *Si unquam sani, depositò pravi dogmatis errore, resipuissent, damnassentque ea, quorum se ipsi prævaricatione damnarant, eis medicina soluta, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negaretur.* Cùm igitur illi Hæretici errorem se deposuisse dicerent, & Innocentii I. literis assensum præbere, & Prayli Hierosolymitani Episcopi testimonium ipsis suffragaretur; contra justitiæ, prudentiæque leges non peccavit Zosimus, cùm Celestio audientiam indulsit, & Pelagii literas libellumque suscepit.

Dices: Zosimum violasse Canones, quibus jam tum prohibebatur Retractatio causæ fidei in Synodo judicatæ.

Respondeo, Zosimum retractare noluisse causam fidei, & quæstionem ipsam juris, quæ Innocentii judicio finita erat: sed quæstionem duntaxat facti expendere diligentiùs voluisse; utrum scilicet Celestius & Pelagius hæreseos tenerentur. Metuebat enim ne Eros & Lazarus ipsis errores affinxissent, quorum puri videbantur, secundùm Libellos recèns ab eis Sedi Apostolicæ porrectos: & ne Africani cre-

 dulitatem

dulitatem nimiam his Antistitibus, Pelagii & Celestii accusatoribus præbuissent, præcipitemque tulissent sententiam. Adde, non esse prohibitam retractationem causæ fidei in Synodo Provinciali vel Nationali judicatæ, sed solùm in Synodo Oecumenica finitæ.

Instabis, Zosimum veteris appellationis, quam Celestius à prima Synodo Carthaginensi ad Sedem Apostolicam interposuerat, perperam habuisse rationem, cùm ejus appellationis jure cecidisset, cujus merita non fuerat prosecutus.

Respondeo, supremum Judicem posse peremptam appellationem in integrum restituere: proinde B potuisse Zosimum rationem habere appellationis, quàm neglexerat Pelagius, & Paulinum, qui contra ipsum Actor fuerat Carthagine, Romam vocare, ut vocavit per Basiliscum Subdiaconum; & Celestii, Pelagiique Fidem rursus expendere, ut cognosceret an rectè de Peccato Originali, & de Gratia Christi sentirent, & Communione Ecclesiastica digni essent, quam tantopere flagitabant.

S c h o l i o n.

In hac Dissertatione Pelagiani Censores hanc propositionem notant: *Papa dum tractat de rebus quæ fiunt in aliena Provincia, facilè decipi potest.*

R. Hæc propositio, tametsi verissima, non legitur pag. 118. Edit. primæ quam indicant, nec in tota Dissertatione, sed solùm; *Zosimum hæresim non approbasse, quamvis Pelagii Celestiique Fidem specie tenus Catholicam, non intellectâ eorum versutia approbaverit. Ab istis nequaquam deceptum. Aliquamdiu enim ab iis deceptus est, quia eorum fraudem primâ fronte non detexit: sed non eò usque deceptus est, ut ipsos in communionem receperit, multò minus ut eorum hæresim approbaverit.* Hæc verba mea nulli reprehensioni obnoxia, nisi eorum qui contenderent Romanum Pontificem in Judiciis de personis & de meris facti Quæstionibus decipi non posse.

DISSERTATIO IV.

De Semipelagianorum Hæresi.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Semipelagiani admiserunt gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei?

Controversia nobis est cum Jansenio Yprensi Episcopo, *lib. 8. de Hæresi Pelagiana cap. 6.* dicente: „ Itaque Massiliensium opinionibus, & „ Augustini doctrinâ quàm diligentissimè ponderatâ, „ certum esse, & indubitatum esse debere sentio, quòd „ Massilienses, præter prædicationem atque naturam, „ veram etiam, & internam, atque actualem gratiam „ ad ipsam etiam Fidem, quam humanæ voluntatis „ adscribunt viribus, necessariam esse fateantur. Et „ infrà: In hoc ergo, inquit, propriè Massiliensium „ error situs est, quòd aliquid primævæ libertatis re- „ liquum putant; quô sicut Adam, si voluisset, pote- „ rat perseveranter operari bonum; ita lapsus homo „ saltem credere posset, si vellet: neutrum tamen absque „ interioris gratiæ adjutoriô; cujus usus vel abusus F „ relictus esset in uniuscujusque arbitriô ac potestate. Hæc Jansenius. Ut eam porrò opinionem suam stabiliat, supponit *lib. 7. cap. 1.* duas fuisse Semipelagianorum classes. „ Quidam enim, inquit solô primô, „ tenuissimôque auspicandæ vitæ initiô sibi reservatô, „ nihil prorsùs ad salutem progredi hominem posse „ sine vera Dei gratia, constanter libenterque fate- „ bantur. Alii per naturam gratuitò in creatione da- „ tam, ad bonum ac malum prorsùs indifferentem „ esse, & accedente prædicationis ac doctrinæ adju- „ toriô, perfectam justitiam assequi posse, cum Pelagio „ delirabant. Hunc Jansenii errorem jam refellemus:

A sed relegenda sunt, quæ diximus in Synopsi, C. 4. Art. 2. de erroribus Semipelagianorum.

P r o p o s i t i o.

Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium Fidei constantissimè negarunt.

Probatur 1. ex Vitalis Carthaginensis sententiâ, quam refellit S. Augustinus Epistola 107. sic ipsum conveniens; *Quomodò dicis quod te audio dicere, Ut credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex B propria voluntate; quam nobis in nostro corde non operatus est ipse?* Ad illud porrò quod non est donum Dei, sed nobis est à nobis, & ex propria voluntate, non est necessaria gratia interiùs præveniens. Postrema Edit. 217.

Probatur 2. ex sententia S. Augustini, cùm adhuc Semipelagianorum errore detineretur. Is enim *lib. de Prædestinatione Sanctorum*, perspicuè satis explicat quid alias senserit. *Errabam,* (inquit cap. 3.) *putans Fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis..... Neque Fidem putabam gratiâ Dei præveniri.... Nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicatô nobis Evangeliô consentiremus, nostrum esse pro-* C *prium, & nobis esse ex nobis arbitrabar.*

Probatur 3. ex Fausto Rejensi Episcopo, Semipelagianorum duce, lib. 1. de Libero Arbitrio, cap. 7. *Tempus*, inquit, *gratiæ, quô redempti sumus, merita hominum non expectavit, opera penitus non quæsivit, solâ Deus Fidei nostræ devotione contentus fuit.* Et cap. 17. *Ita se*, inquit, *duo ista conjungunt, attrahentis virtus, & obedientis affectus: quomodò si ager aliquis assurgere conetur, & facultas animum non sequatur, & propterea sibi porrigi dexteram deprecetur. Clamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem, attrahit desideran-* D *tem, erigit adnitentem.* Et lib. 2. cap. 6. *Vides,* inquit, *bonum credulitatis non novellum esse privilegium, sed vetustum, & inter ipsa mundi coalescentis exordia, mentem hominis, sicut intellectu atque ratione, ita etiam Fide à summo Autore dotatam? Itaque jam tum dedit animæ notitiam suam, quando ei committere dignatus est imaginem suam.* Ex quibus liquet, Faustum bonum credulitatis ad gratiam Creatoris referre, & ad divinæ Imaginis impressa humanæ animæ lineamenta.

Et cap. 9. Hominem viribus suis quærere, pulsare, & petere, ut misericordiam Dei advocet, E evidenter innuit. *Hoc solum nostrum est*, inquit, *ut qui pro fragilitate idonei non sumus, saltem quærendi & pulsandi importunitate placeamus. Ubi erit sedulitas miserentis Dei, si cùm persona nihil mereatur indigni, & ad hoc desideria accedant otiosi?* Et infrà: *Nisi fuerit obedientia præmissa devotio; gratia vilescit oblata.*

Et cap. 15. lib. 1. asserit, *Non specialem esse circa credentes Dei magnificentiam*: & ipsos infideles *copiam Fidei accepisse.*

De Fausti errore legenda est Joannis Maxentii Responsio ad Epistolam Hormisdæ Romani Pontificis, in qua Fausti sententiis S. Augustini contrarias sententias opponit. Ex ea discimus, nonnullos tunc Fausti doctrinam ab hæreseos suspicione purgare conatos, his fretos illius verbis cap. 6. libri 2. ubi Apostoli sententiam exponens, *Gratia Dei sum id quod sum*, ait: *Primas partes soli gratiæ piè subjectus adscripsit, media quæque labori Magister obedientiæ deputavit. Utrumque in consummatione moderatus, gratiam laboremque conjunxit. Non dixit: Ego sine gratia, vel gratia sine me, sed gratia Dei mecum.* Sed respondet Joannes Maxentius: *Gratiam cui hoc locô Faustus primas partes tribuit,*

tribuit, non eam quâ per Spiritum Sanctum fit, ut A *verba Dei forinsecus intonanti assensum prœbeamus, & obedientes efficiamur, sed prædicationem divinorum afferre Eloquiorum, ut videlicet gratia sit quod nobis divina Eloquia prædicantur: nostrum autem sit, ut eidem prædicationi consentiamus.* Quod confirmat ex illis verbis cap. 7. *Ita Dominus invitus volentem, attrahit desiderantem, erigit adnitentem. Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, Judicium comminari, præmium polliceri?*

4. Idem probatur ex Joanne Cassiano *Collatione* B *13. cap.* 8. ubi sub persona Cheremonis Abbatis, de Deo sic loquitur: *Qui cùm in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eum confestim atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostrô conatu viderit emersisse.* Et cap. 11. *Si gratiâ Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi Fide, quid de illius in Cruce Latronis pietate dicimus, qui desideriô suô vim quamdam regnis cælestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt?*

Et cap. 12. Liberi arbitrii non esse hominem C colligit, si Deus ei *bonum à semetipso nec velle, nec posse concessit. Inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficiô Creatoris inserta; sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum non posse pervenire. Prævenire Deum hominis voluntatem misericordiâ suâ; sed & Dominum remorantem atque utiliter quodammodo subsistentem, ut nostrum experiatur arbitrium, voluntatem nostram prævenire.*

Et cap. 14. loquens de Fide Centurionis, quam Christus laudavit his verbis, *Amen, dico vobis, non inveni tantam Fidem in Israel:* hanc assignat rationem D cur eam Deus tantoperè laudaverit: *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eô Christus, quod ipse donaverat, prætulisset. Alioquin dixisset: Non dedi tantam Fidem in Israel. Quam explorationem Fidei, etiam in illo magnificentissimo Patriarcha divinam legimus dispensasse justitiam, cum dicitur: Tentavit Deus Abraham. Non enim illam Fidem, quam ei Dominus inspirabat, sed illam quam vocatus semel atque illuminatus à Domino per arbitrii libertatem poterat exhibere, experiri voluit divina justitia.*

Et cap. 15. *Multiformis illa sapientia Dei salutem hominum multiplici atque inscrutabili pietate dispensat,* E *ac secundum capacitatem uniuscujusque, gratiam suæ largitatis impertit, ut ipsas quoque curationes non secundum uniformem Majestatis suæ potentiam, sed secundum mensuram Fidei, in qua unumquemque reperit, vel sicut unicuique ipse partitus est, maluerit exercere. Credentem namque quod ad emundationem lepræ sua voluntas Christi sola sufficeret, solô voluntatis suæ curavit assensu, dicens: Volo, mundare, &c.* Legatur liber S. Prosperi contra Collatorem ubi Cassiani errorem refellit.

Nec est quòd quis respondeat, 1. Cassianum & Faustum fuisse severiores Semipelagianos, quibus alii minùs errarent. Secundò, non esse eorum F errorem ex ipsorum Scriptis, in quibus verborum ambage & circuitu, lectorum oculis caliginem offundere volebant, dignoscendum. Neque enim alii proferri possunt Semipelagiani, qui initium Fidei à gratia interiori præveniente petendum asseruerint. Et quamvis tot nebulis mentem involvere suam satagerint: diutiùs tamen ipsos locutos fuisse nemo dixerit, quàm sensisse. Imò verò sui sensus asperitatem blandioribus verbis lenire moliti sunt. Quare si suis in Operibus gratiam prævenientem ab initio Fidei repellere non dubitaverint, eam reverà nusquam admiserunt ad illud Fidei initium necessariam. Et unde, quæso, meliùs ac certiùs, eorum opiniones, quam ex ipsorum Scriptis exploratas habebimus:

V. Id Probatur ex S. Prospero in Epistola ad S. Augustinum, in qua refert Semipelagianis hanc opinionem stare: *Universis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad Fidem, & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea Fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, &c. Ideòque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ devotioni remuneratio sit parata.*

Ex his liquet, Semipelagianos omnes initia Fidei liberi arbitrii viribus tribuisse, nec gratiâ Fidem præveniri sensisse, sed juvari. Id confirmant hæc verba S. Prosperi in eadem Epistola: *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea, secundùm suam phantasiam, non negant esse præventas.* Duo criminatur in Semipelagianis S. Prosper, nimirum quòd negarent gratiam prævenire humana merita, adeòque & fidem incipientem, quæ certè meritoria est: & quòd gratiam voluntatis arbitrio subjicerent.

Et infrà, ipsos sensisse refert; *Quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi: qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ, meritô credulitatis, acceperint.* Et infrà: *Divino adscribere operi Sanctorum merita formidant.* Non formidabant autem adscribere divinæ gratiæ fidei profectum, & bonorum operum consummationem: itaque fidei & bonæ voluntatis initium in eam refundere metuebant. Denique id confirmant hæc S. Prosperi verba: *Cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Ex quibus patet, non solùm gratiæ per se efficacis vim & imperium Semipelagianos oppugnasse; (qui in re hæretici non fuerunt, quamvis adversati sint veritati & S. Augustini doctrinæ;) sed etiam gratiæ prævenientis, ad initium Fidei, necessitatem.

VI. Idem probatur ex S. Hilario S. Augustini discipulo in Epistola ad sanctum Doctorem, in qua de Semipelagianis sic loquitur: *Id convenient asserunt veritati; vel congruum prædicationi, ut cùm prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio: eô meritô quò voluerint, & crediderint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum, &c.*

Et infrà: *Quod dicitur, Crede & salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri: ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate Conditoris concessum est.* Quibus verbis, & aliis, quæ in Synopsi relata sunt, ubi de Semipelagianorum erroribus egimus, constat Semipelagianos omnes, (neque enim aliquos Hilarius excipit) sensisse, Fidei initium & consequendæ sanitatis voluntatem, esse penes naturam nobis à Creatore concessam, quamvis vitiô jam fractam.

Accedit, quòd Semipelagiani, teste Hilario, ut suæ sententiæ autoritatem conciliarent, quasdam

sententias

sententias S. Augustini, quondam Semipelagiani, ex quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos Expositione laudabant, ubi dixerat: *Non Deus elegit opera, quæ ipse largitur... Sed tamen elegit Fidem: quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum Sanctum &c. Dicit Apostolus: Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Quòd enim credimus, nostrum est: quod autem operamur, illius.* Ex his verbis, quæ laudantes ad sui confirmationem dogmatis, sua faciebant, compertum est quàm procul à gratia interiori preveniente initium Fidei abhorrerent.

Denique id planè evincunt hæc Hilarii verba: *Nec de hac Fide posse dici* contendunt: *Quid habes, quod non accepisti? Cùm in eadem natura remanserit, licet vitiatâ, quæ priùs sana ac perfecta donata sit.*

VII. Id probatur ex S. Augustino lib. *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. 2. ubi Massilienses refellens, demonstrandum primò sibi sumit, Fidem esse donum Dei. *Prius itaque*, inquit, *Fidem quâ Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere.* Et postea: *Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse Fidei cœptum, & ex Deo esse Fidei supplementum.*

Secundò ait, prolata à se in aliis Voluminibus argumenta, quibus fidem esse donum Dei probaverat, sic à Massiliensibus detorqueri: *Ut adverimus ex nobis quidem nos habere ipsam Fidem, sed incrementum ejus ex Deo: tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis, eo meritò, quo cœpit à nobis.*

Tertiò colligit, ex eorum doctrina resurgere Pelagii errorem, quem ipsemet in Concilio Diospolitano ejuraverat: *Non ergo*, inquit, *receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino damnare compulsus est, Gratiam Dei secundùm merita nostra dari; si non pertinet ad Dei gratiam, quòd credere cœpimus; sed illud potiùs, quod propter hoc nobis additur, ut pleniùs perfectiùsque credamus.*

Quartò, sic Semipelagianos sentire docet, ut primas Fidei suæ sibi arrogent partes, quibus reliquum à Deo impetrent ac promereantur. *Ac per hoc*, inquit, *initium Fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & si quid aliud fideliter poscimus.* Et infrà; *Quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi: & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.*

Denique idem innuit libro *de Dono Perseverantiæ* cap. 17. ubi Massilienses pariter confutans, ait: *Sed ii qui solum initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei esse dona non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cætera verò ipsum dare contendunt, cùm ab illo impetrantur credentis fide: cur ad ipsa cætera exhortationem eorum cæterorumque prædicationem non metuunt impediri?*

VIII. Propositio probatur ex Concilio Arausicano II. à quo dogmata Semipelagiana damnantur, & ad hoc unum revocantur, quòd eorum defensores initium Fidei ad solas naturæ vires referrent. Canone 4. disertis verbis pronuntiat, eum qui, *Ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit: non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritûs infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistere Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Voluntas præparatur à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et Canone 5. Apostolicis dogmatibus dicitur adversari, qui *Sicut augmentum, ita etiam initium Fidei, ipsumque credulitatis affectum, non per gratiæ donum, sed nobis naturaliter inesse dicit.* Et Canone 6. resistere pariter Apostolo pronuntiant Patres eum, qui dixerit: *Sine* A *gratiâ Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, &c. nobis misericordiam conferri divinitus.* Et Canone 7. *Illum hæretico falli spiritu, qui per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti.* Qui Canones, Semipelagianos spectant, eorumque errores percellunt; adeòque evincunt, illos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium Fidei non admisisse.

Jansenii V. propositio damnata.

IX. Quarta propositio è quinque Jansenianis, quæ B his verbis concepta est: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*; hâc censurâ inusta est ab Innocentio X. *Hanc propositionem falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Quam Censuram Alexander VII. confirmavit.

Inanes exceptiones quibus aliqui censuram Pontificiam eludere conantur.

Inanis porrò exceptio est, quâ recentiores quidam hanc Censuram eludunt: primam scilicet istius Propositionis partem esse quæstionem facti, quæ C propriè fidem non spectet: quamobrem hæreseos notam in illam non cadere. Hæc, inquam, inanis est exceptio: Ita enim quæstio hæc, quid de initio fidei senserint Semipelagiani, est facti, ut jus involvat in propositione damnata; cujus duæ partes sic conjunctæ sunt, ut alterâ, quæ est facti, semel positâ, sequatur & altera quæ juris est. Si quis enim verò dicat, Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, admisisse, nec in eo constituendam ipsorum hæresim, quòd eam negaverint: Sequitur in eo tantùm illos fuisse hæreticos, quòd modum, quô gratia voluntatem ad agendum permovet, non probè caperent, D nullam gratiam per se efficacem ad credendum necessariam esse rati, & generalem tantùm illam, versatilem, & cujus efficacia ex consensu voluntatis tota pendeat, (qualem Theologi quidam recentiores propugnant) admitterent. Quòd si ita est, sequitur in eo hæreticos fuisse Semipelagianos, quòd assererent; Gratiam illam, quam admittebant, talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quæ est secunda pars Propositionis damnatæ, in quam cadit nota hæreseos.

Æquè inanis est exceptio altera, quâ Censuram illius Propositionis Jansenianæ quidam explicant: Eam scilicet jure meritoque damnatam, quia indefinita est, & de Semipelagianis omnibus loquitur; E cùm tamen aliqui gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei non admiserint. Hæc, inquam, exceptio nullius est momenti. Nam hæc propositio in sensu Jansenii damnata est: qui duos Semipelagianorum Ordines distinguit, & de altero solùm asserit, ipsos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei admisisse. Prætereà sensus Innocentianæ Constitutionis, quoad secundam partem, est, Nullos Semipelagianos in eo hæreticos fuisse, quòd gratiam talem esse vellent, cui posset humana voluntas resistere, vel F obtemperare: Sensus itaque illius, quoad priorem partem, est, Nullos Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium Fidei admisisse. Unum enim sequitur necessariò ex altero, ut mox ostendimus.

Firmior non est aliorum responsio, dicentium, Primam illam Jansenianæ Propositionis partem fuisse meritò damnatam, quamvis Semipelagiani gratiam interiorem ad initium Fidei admiserint: quia gratiam propriè & verè prævenientem non admittebant. Gratia enim ad nutum sese voluntatis accommodans, & ipsi serviens, qualis est gratia Semipelagiana, illam reipsà non prævenit. Sed istius responsionis

ponsionis vanitas indè diluceſſit, quòd Semipelagianos hoc ſenſu negaſſe gratiam prævenientem non pronuntiaverit Innocentius X. quòd gratiam per ſe efficacem negarent : cùm potiùs in eo non fuiſſe hæreticos aſſerat, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare, id eſt, conſenſu ſuô, vel diſſenſu efficacem, vel inefficacem reddere.

Jansenii & Sectatorum ejus Objectioni respondetur.

Objiciunt contrariæ ſententiæ vindices, Semipelagianos idem ſenſiſſe de initio ſalutis in Adamo innocente, & in homine lapſo : at in Adamo inſonte gratiam admiſerunt, qua ita juvaretur, ut ſtare poſſet in juſtitiâ, aut ab ea declinare, utpote æqualis ad utrumque libertatis. Cùm itaque plus virium in homine lapſo non admitterent, ſiquidem naturam originali peccato ſauciatam fatebantur; neque minùs ſubſidii divini hoc in miſero ſtatu, quàm Adamo in fœlici illo cenſerent neceſſarium; conſequens eſt ipſos gratiæ ſimilis neceſſitatem ad initium ſalutis in homine lapſo admiſiſſe.

Quòd autem gratiam hujuſmodi ad initium ſalutis in homine lapſo admiſerint Semipelagiani, probant ex Hilarii ad S. Auguſtinum Epiſtola, in qua ſic de ipſis loquitur: *Moleſtè ferunt ita dividi gratiam, qua vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet : Nunc verò Sanctis, in regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantia detur; ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, &c. His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, Quamdam deſperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adjutus eſt ut & ſtare poſſet in juſtitia & à juſtitia declinare; & nunc ita Sancti juvantur ut declinare non poſſint, &c. Ad illam voluntatem* (primi ſcilicet hominis in ſtatu Innocentiæ conſtituti) *pertinuiſſe dicunt exhortationis, vel commінationis utilitatem, quæ & perſiſtendi & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem, non ad hanc, cui velle juſtitiam inevitabili neceſſitate conjunctam eſt.*

Reſpondeo, Semipelagianos admiſiſſe quidem in Adamo gratiam quâ permanere poſſet in juſtitia, vel ab ea deficere : ita tamen ut permanendi voluntas prævenientis gratiæ partus non eſſet, imò potiùs gratiam ipſam præveniret : cujus adjutorium Deus piis conatibus ac deſideriis largiretur. Nuſquam verò admiſerunt gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad bonæ voluntatis initium in homine inſonte : neque id probat laudatus ex Epiſtola Hilarii locus : ut verba illa paulò poſt ſequentia demonſtrant. *In hoc ſolo volunt à primo homine omnium diſtare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, ſine quâ perſeverare non poterat : Hos autem amiſſis & perditis viribus credentes tantùm, non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuffulciat ambulantes.* Ex quibus liquet, ipſos gratiam quidem in Adamo inſonte admiſiſſe, quæ ipſum juvaret, ſed volentem; id eſt, quæ priùs ipſum non juvaret, quàm initium bonæ voluntatis ex ſe præbuiſſet.

Reſpondeo ſecundò, voluntatem illam, quam in Adamo admittebant Semipelagiani, quâ in juſtitia permaneret, ſi vellet, ad ſolam arbitrii liberi facultatem, nativáſque vires ipſos retuliſſe : quarum reliquias quaſdam cùm in homine lapſo ſuperſtites ſentirent, aſſerebant conſequenter, poteſtatem adhuc in natura vitiata remanere, quâ poſſit vocationem ad Fidem contemnere, vel eidem proprio motu parere : ut ex eadem Hilarii Epiſtola compertum eſt. *Unde conſequens putant*, inquit, *exhibendam ab eo Fidem, cujus natura id voluntate Conditoris conceſſum eſt : & nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat, vel poſſit ſe velle ſanari.*

Objiciunt ſecundò, S. Auguſtinum libro *de Prædeſtinatione Sanctorum*, cap. 1. Semipelagianorum Ordines duos non obſcurè inſinuare : ac illos, qui in altero iſtorum Ordinum cenſebantur, etiam ad initium ſalutis, gratiam interiùs prævenientem admiſiſſe velut neceſſariam. Sic enim ipſorum ſententiam refert : *Pervenerunt iſti Fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia Charitas veſtra, ut credant cum Eccleſia Chriſti, peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, nec ab iſto malo, niſi per juſtitiam ſecundi hominis aliquem liberari : Pervenerunt etiam ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant. Retenta ergo iſta in qua pervenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore diſcernunt.*

Id confirmant ex S. Proſpero in Epiſtola ad *S. Auguſtinum*, ſcribente : *Quidam verò horum ita tantùm à Semipelagianis ſemitis non declinant, ut cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, &c. ad conditionem hanc vel ut uniuſcujuſque hominis pertinere, &c.* Quæ in Synopſi, cap. 14. Artic. 2. de Semipelagianorum erroribus deſcripta ſunt. Itaque cùm ex S. Auguſtino, tùm ex S. Proſpero evidenter colligitur, Semipelagianos gratiam interiorem prævenientem ad ſingulos actus neceſſariam agnoviſſe.

Reſpondeo, remiſſiores illos Semipelagianos, de quibus loquuntur Sancti Auguſtinus & Proſper, etſi gratiam admiſerint interiùs prævenientem, cùm ad conſummationem, tùm ad initium boni operis; nuſquam tamen ad initium Fidei neceſſariam admiſiſſe, quia Fidem eſſe Dei donum negabant. Unde S. Auguſtinus poſt verba in argumento laudata ait : *Impendamus eis dilectionis effectum, miniſterium que ſermonis, ſicut donat ille quem rogamus, ut in his literis ea quæ illis eſſent apta & utilia diceremus. . . . Priùs itaque Fidem, quâ Chriſtiani ſumus, donum Dei eſſe debemus oſtendere, &c.* Quæ in probationibus expendimus. Ex quibus colligitur, Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium Fidei non admiſiſſe, imò quoad iſtud caput conſenſiſſe cum Pelagio : ut demonſtrant illa S. Auguſtini verba ibidem: *Non ergo receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali Judicio Palæſtino damnare compulſus eſt, Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; ſi non pertinet ad Dei gratiam quòd credere cœpimus*, &c.

Idem ad S. Proſperi teſtimonium dicendum eſt : qui in eadem Epiſtola refert, Maſſilienſes aſſerere, quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam eſſe vitam æternam, quantùm autem ad arbitrii libertatem, *Ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ, meritò credulitatis acceperint.* Unde etſi gratiam interiorem ad progreſſum boni operis, imò etiam ad initium admitterent; illam tamen *Comitem, non præviam humanorum volebant eſſe meritorum*, (ut ait S. Proſper) non aliâ planè ratione, niſi quia meritum credulitatis, ut vocabant, præceſſerat.

Reſpondeo ſecundò, Semipelagianos, licet ad quodvis opus bonum, ſive incipiendum, ſive perficiendum, neminem ſibi ſufficere faterentur, gratiam tamen interiorem prævenientem ad bonæ voluntatis initium non admiſiſſe. Quamdam enim remedii cupiditatem, quamdam operis boni faciendi voluntatem, quemdam credulitatis affectum ſeu credendi propoſitum, ex naturæ cenſu conferre unumquemque debere dicebant, ut Dei gratiam conſequeretur : nec inde conſequens eſſe, ut ſibi ad bonum opus etiam inchoandum quiſque ſufficeret : quia illud bonæ voluntatis initium non eſt propriè ſalutis opus. Quemadmodum fiducia illa quam de Medico concipit ægrotus, propter illius

testatam in morbis curandis peritiam, sive ejus accrescendi desiderium, sive quævis recuperandæ sanitatis voluntas, inter curationis opera non numerantur. Sic fucum facere nitebantur Semipelagiani, teste Hilario in Epistola ad S. Augustinum. *Conveniens, inquit, asserunt veritati, ut cùm prostratis, & nunquam propriis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Cæterùm ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt: Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterritâ & supplici voluntate, unumquemque ægrotum velle sanari... Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas quæ tantùm Medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat.*

Objiciunt tertiò verba Cassiani, Collatione tertia dicentis: *Ex Deo quidem est quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat, Deùmque sequi, & ejus inhærere præceptis, compunctione saluberrima cohortatur:* Atqui inspiratio immissa in cor, & dormientes ad æternæ vitæ desiderium exsuscitans, est vera gratia interiùs præveniens: Igitur Cassianus, qui Semipelagianorum Massiliensium Princeps fuit, gratiam interiorem prævenientem admisit.

Respondeo primò, Cassianum inspirationis nomine solam doctrinam externam intellexisse, ut constat ex exemplis quæ ibidem adducit, & quæ suppressit Jansenius. Primò enim profert exemplum Abrahæ, quem voce Dominica de genitali solo, & totius cognationis affectibus, patrisque domo legimus evocatum, dicente Domino: *Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui.* Secundò, exemplum profert S. Antonii. *Quo etiam modo, inquit, B. Antonium accitum esse cognovimus, qui occasionem suæ conversionis à sola divinitate percepit. Ingressus namque Ecclesiam, ibique audiens in Evangelio Dominum prædicantem:* « Qui non odit patrem & matrem, & filios, & uxorem, & agros, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. *Et:* Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me: *Præceptum Domini velut specialiter ad se dictum, cum summa cordis compunctione suscepit, confestimque renuntians cunctis secutus est Christum, nullâ exhortatione, atque doctrinâ hominum provocatus.* Vides inspirationem à Cassiano admissam nihil aliud esse quàm gratiam exteriorem legis & doctrinæ, quæ conversionis quidem sit occasio, non autem in conversionis ipsius initium verè influat.

Respondeo secundò, Cassianum illam quidem inspirationem aliquando immitti à Deo fateri, non autem semper. Quod evidentissimum indicium est, ipsum inspirationis nomine gratiam prævenientem interiorem non intellexisse, quam necessariam semper ad ipsum etiam salutis initium Fides orthodoxa profitetur. Unde cap. 19. ait: *In his omnibus & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrii, & quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper verò indigeat adjuvari: nec enim, cùm voluerit, quis sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concepisse, nisi Dominus qui vitæ ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impertiat? Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens: Velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.*

A Et cap. 13. *Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet; ne penitus dormienti, vel inani otio dissoluto sua dona conferre videatur, occasiones quodammodo quærens, quibus humanæ segnitiei torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cujusdam desiderii ac laboris impertit: & nihilominus gratia Dei semper gratuita perseveret, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tanta perennitatis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate. Nec enim quia illius in Cruce Latronis præcesserat* B *Fides, idcircò pronuntiandum est, non ei beatam commorationem Paradisi gratuitò esse promissam.*

Id confirmat exemplum Nutricis ab ipso allatum cap. 14. quæ infantem ambulantem ita dirigit ac sustentat, ut quosdam interdum ab ipso exigat conatus, quibus vel reptet, si non ambulet. *Si Nutrix pia atque sollicita diu sinu parvulum gestat, ut quandoque ingredi doceat, & primùm quidem eum reptare permittit, dehinc erectum ut alternis passibus innitatur, dextera sua virtute sustentat: mox paululum derelictum, si titubantem viderit, protinus apprehendit, nutantem sistit, lapsum erigit, & vel arcet à casu, vel decidere leniter sinens elevat post ruinam: cùm autem* C *eum ad pueritiam, vel adolescentiæ ac juventutis perduxerit robur, quædam etiam pondera vel labores, quibus non opprimatur, sed exerceatur, injungit, & cum æmulis decertare permittit: quantò magis cœlestis ille omnium pater novit, quem sinu gratiæ suæ gestet, quem libera voluntatis arbitrio in conspectu suo exerceat ad virtutem: & tamen adjuvat laborantem, exaudit vocantem, non relinquit quærentem, eripit de periculo interdum etiam nescientem?*

Objiciunt quartò hæc ejusdem Cassiani verba, cap. 3. Collationis decimæ-tertiæ: *Quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitatio-* D *num bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, qui incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis.* Admisit itaque Cassianus gratiam interiorem ad singulos actus, etiam ad initia sanctæ voluntatis necessariam.

Respondeo, Cassiani sententiam ex his verbis non esse colligendam, quæ Catholica sunt, cùm in eadem Collatione ipsa tractaverit, errorémque huic professioni contrarium adstruxerit. Id animadvertit S. Prosper in lib. *contra Collatorem*, ubi Collationem 13. ex- E pendens, de ipsa sic loquitur: *Quæ tamen inter initia disputationis, à veritatis pietate non dissonat, & justo honorari præconio mereretur, nisi præcipiti lævóque progressu ab inchoata rectitudine deviaret. Nam post comparationem agricolæ, cui formam sub gratia ac fide viventis aptavit: & cujus infructuosum esse dixit laborem, nisi per omnia Dei auxilio juvaretur, intulit definitionem Catholicissimam dicens: Quibus manifestè colligitur non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, &c.* Sed Cassianum in hac sententiâ non fuisse constantem, ostendit S. Pros- F per cap. 9. ejusdem Collationis, ubi ait: *Unde non facile humanâ ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, à quærentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus: & rursus inveniatur à non quærentibus se, &c.* Ex quibus sic contra Cassianum colligit: *Citò ergo hic Disputator præmissæ definitionis oblitus est. Citò à sententiâ suâ instabilitate & levitate discessit. Dixerat enim regulariter, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium. Et ne hoc in doctrina extrinsecùs adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat, Qui nobis & initium S. voluntatis inspirat,*

rat, &c. Et relatâ Cassiani sententiâ, quæ in obje- A ne laudata est, sic ipsum compellat: *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem, relicta serenissima veritatis luce devolveris? Quod in quærentibus, petentibus, pulsantibusque miraris, cur non eidem gratiæ, qua desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia, & dubitas esse Dei dona? Latuerit apud gratia, donec Fides infusa cogitationis claudebatur arcanô; at ubi supplex oratio, ubi diligens inquisitio, ubi apparet crebra pulsatio, quare non ex qualitate operis subministrationem intelligis incitantis? Et satis te contra Pelagianorum calumnias præcavere existimas, si quod universitate vocatorum* B *sentiendum est, id nobis in portione concedas? Sed nec cum Hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus libera voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium; & neutrique parti inconveniens reperisti, quô nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentiâ permaneres. Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere: Gratiam Dei secundum merita nostra dari: cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti* C *haberi potest petentis Fides, quærentis pietas, pulsantis instantia.*

Et infrà: *Doces ergo, non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum à semetipso desiderium sanitatis. Et suâ tantùm sponte venire ad Medicum: non etiam hoc ipsum Medici esse quod veniat.*

Objiciunt quintò verba Gennadii Massiliensis Presbyteri, fidelissimi Semipelagianæ sententiæ Interpretis, siquidem Semipelagianus & ipse fuit. Is autem lib. *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, c. 19. gratiam interiùs prævenientem ad initium salutis D admittit. *Manet itaque*, inquit, *ad quærendam salutem, arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione... Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris: ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adjutorii: ut labamur, potestatis nostræ & ignaviæ.* Sed inspirationis nomine gratia interior præveniens significatur. E Hanc enim vocem Africani Episcopi usurparunt tanquam indubitatam gratiæ indicem, quando Zosimum Papam qui in literis suis *Dei instinctum* nominaverat, veram internamque gratiam agnovisse probaverunt: *Ideò utique*, inquiunt, *quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda Fidelium.* Hanc Synodus Arausicana contra Semipelagianos sæpius, hanc Tridentina ad internum Dei tactum exprimendum adhibuit. Cùm itaque Gennadius inspirationem admittat, quâ invitemur ad salutem, gratiam interiorem prævenientem necessariam agnoscit vel ad ipsum initium salutis.

Respondeo primo, Gennadium nomine inspirationis gratiam interiorem prævenientem nullate- F nus agnovisse. Eam enim tantùm inspirationem admisisse videtur, quæ salutis occasio est. Ea autem motio quædam est duntaxat moralis in suasione & admonitione posita, qualis ab Angelo immitti potest. Illa enim Gennadii verba: (*Admonente priùs Deo & invitante*) quid aliud quam solum adjutorium in lege & doctrinâ positum significant? Deinde cùm ait: *Ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur quod cupimus, divini est muneris*: significare videtur potestatem hanc acquiescendi nobis à Deo non tribui, nec divini muneris esse; quod prorsùs Semipelagianum est. Id attendit Ecclesia Lugdunensis, cùm de isto Gennadii libro ita censuit: *Hominem absque labore sui studio ad Deum pervenire non posse; non est Catholicum, sed Pelagianum. Invenitur in Libello cui titulus est, Dogmatum Ecclesiasticorum, quædam talis definitio, sed omninò, ut alia nonnulla in eodem Libello, Pelagiani erroris est.*

Respondeo secundò, & ut mihi quidem videtur, probabilibus, librum illum *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, à Gennadio jam ex hæresi Semipelagiana resipiscente fuisse editum. Misit enim ille librum de Fide sua ad Gelasium Romanum Pontificem, ut ipsemet asserit, quem illum ipsum esse verisimile est, quem de Ecclesiasticis Dogmatibus inscripsit. An verò Semipelagianis erroribus malè olentem librum ad Gelasium misisset, quem noverat Fausti & Cassiani libros censoriô stigmate inussisse, quod initium salutis humanis viribus tribuissent? Ex hoc igitur Gennadii libro colligi non potest quænam fuerit Semipelagianorum sententia, cùm in eo nequaquam Semipelagianus sit. Quòd enim libertatem arbitrii, laborem, & sollicitudinem nostram cœlesti adjutorio conjunxit, Catholicum est, & ab Arausicana Synodo, quæ Semipelagianos damnavit, traditum, Canone 25. *Hoc etiam*, inquit, *secundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quod etiam dixit Gennadius, *Nostræ potestatis esse ut acquiescamus salutiferæ inspirationi*, nullatenus Semipelagianum est. Nemo enim credit verbo veritatis, nemo divinæ inspirationi consensum præstat, nisi volens, quamvis, ut velit, præparetur voluntas à Domino. Denique cùm post Arausicanam Synodum interpolatus fuerit, vel emendatus hic Gennadii liber, ex qua nec-non ex Carthaginensi, multa capita inserta habet à cap. 22. ad 51. istius libri Emendator tam diligens Semipelagianos, si qui fuissent, errores expunxisset. Adde librum illum ab Hadriano I. in Epistola ad Carolum Magnum cum ipsius Gennadii elogio laudari, quem *Sanctum* appellat.

DISSERTATIO V.

De Prædestinatiana Hæresi.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum revera fuerit Prædestinatiana Hæresis, an merum sit Semipelagianorum commentum?

NOnnulla statuit doctissimus Sirmondus in Prædestinatiana Historia, quæ examine indigeant accuratiori. Primò asserit hæresim Prædestinatianam in Africa cœpisse, & in Monachis Adrumetinis à Sancto Augustino deprehensam atque confutatam. Secundò asserit, eadem hæresi apud Gallos emergente, Prosperum & Hilarium S. Augustini opem per literas adversùs illam implorasse. Tertiò, Prædestinatianos à Celestino I. Romano Pontifice, Prospero & Hilario suggerentibus, repressos fuisse, per Epistolam ad Episcopos Galliæ. His præmissis, Prædestinatianam hæresim re ipsa fuisse V. Sæculo probat ex Autore Prædestinati, ex Prosperi Chronico, ex Fausto, ex Gennadio, ex Synodis Arelatensi & Lugdunensi in quibus proscripta est.

Propositio I.

IN Adrumetino Monasterio nulli fuere Prædestinatiani.

Probatur, exponendo statum contentionis quæ inter Adrumetinos Monachos de Gratia orta est. Acceptâ S. Augustini Epistolâ ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, duas in partes Monasterium scissum est. Quibusdam imperitis visum est gratiæ illius victricis necessitatem, & vocationem secundùm propositum, quam S. Augustinus propugnabat, liberum arbitrium evertere: cùm ipsi contra sic liberum arbitrium defenderent, ut negarent Dei gratiam, Alii, quos inter Valentinus Abbas & Florus eminebant, sanam de Christi gratiâ doctrinam à S. Augustino assertam tuebantur. Id constat ex S. Augustino lib. 2. Retractionum cap. 66. *Propter eos*, inquit, *qui, cùm defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundùm merita nostra dari, scripsi librum cui titulus est:* De gratia et libero arbitrio. *Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum Monasterio de hac re cœperat esse contentio.*

Ille itaque liber contra Prædestinatianos scriptus non fuit, qui libero arbitrio sublato, omnia gratiæ tribuebant, sed contra Pelagianorum reliquias, asserentes liberum arbitrium pessumdari, si nulla hominis merita divinam gratiam antecedant. Hinc S. Augustinus eo in libro totus est ut probet gratiam nulla hominum merita supponere, & liberum non perimere arbitrium: quod à Cresconio & Felice Monachis accepisset quosdam ex Adrumetinis Fratribus oppositum docentes, suam ad Sixtum Epistolam, quâ errorem illum confutaverat, impugnare. Nulli itaque in Adrumetino Monastario erant Prædestinatiani, sed Semipelagiani quidam, quos S. Augustinus libris suis correxit & docuit.

Confirmatur. Duo illi Monachi, qui ad S Augustinum profecti, Adrumetini Monasterii dissidis eidem significarunt, Floro Monacho eam affixerant opinionem, quæ non Prædestinatianorum, sed Semipelagianorum fuit, ut ex Epistola Valentini Abbatis ad S. Augustinum constat: *Servi tui Flori hæc Fides est, Pater*, (inquit ille) *non sicut Fratres illi sunt locuti: imprasentiarum audierunt ab eo dictum, Non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris.* Itaque Prædestinatianæ hæresi initium dedisse Adrumetinos Monachos falsum est.

Confirmatur secundò. Iidem fuere Monachorum Adrumetinorum in Africa tumultus, qui Massiliensium Semipelagianorum in Galliis; iidem utrisque confutandis utiles S. Augustini libri: at Massilienses nemo Prædestinatianos dixerit, nec itaque Adrumetini Prædestinatiani fuerunt.

Major perspicua est ex Epistola S. Prosperi ad S. Augustinum, in qua de Massiliensibus ita scribit: *Cum aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare; evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum* De correptione et Gratia *plenum divinæ autoritatis emitteres.*

Probatur secundò, quidam Adrumetini Cœnobii Monachi doctrinam S. Augustini de gratia reprehenderunt, ut constat ex Fragmento Evodii, quod P. Sirmondus descripsit: *Legant ergo*, inquit, *Sancti Dei Majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum, & quando non intelligunt, non citò reprehendant, sed orent ut intelligant.* Atqui Prædestinatiani S. Augustini sententiam non reprehendebant: imò eam se sequi gloriabantur, & dura illa dogmata velut Augustiniana propugnabant. Itaque Adrumentini Monachi Prædestinatiani non fuere.

Objicies verba S. Augustini Epistola 46. ad Valentinum Adrumetini Monasterii Abbatem scribentis de Cresconio & Felice Monachis: *Nobis retulerunt, Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eò quòd quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium.* Sed qui sic gratiam prædicabant, ut liberum arbitrium negarent, erant Prædestinatiani: itaque Prædestinatiana hæresi infecti fuerunt, imò ipsi initium dederunt Adrumetini Monachi.

* Postrema edit. 214.

Respondeo, S. Augustinum falsam Cresconii & Felicis relationem spectare, cùm hæc scribit. Illi namque Monachi præ simplicitate & imperitiâ statum contentionis, quæ Adrumetum turbabat, exponere congruè non poterant: sed specie rerum inversâ, gratiam à quibusdam sui Monasterii Fratribus ita prædicari narraverant, ut liberum arbitrium ab iisdem vi gratiæ victricis perimi diceretur. Accuratam non esse relationem illam Cresconii & Felicis S. Augustinus suspicatus est, ut colligitur ex ipsius libro *de Gratia & Libero Arbitrio*, cap. 1. ubi cùm præmisisset, se pluribus impugnasse, atque confutasse liberi arbitrii adversùs gratiam divinam defensores, addit: *Sed quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, & cæteri qui simul Deo servitis, compellente mutua charitate curavi.* Disjunctim & sub dubio loquitur S. Augustinus, quia Cresconium & Felix satis accuratè & dilucidè ipsi non exposuerant quinam esset Sodalium suorum circa gratiam error. Sed ipsis diligentiùs interrogatis, comperit Adrumetinos Fratres in eum non impegisse errorem, qui Prædestinatianis tribuitur, ut scilicet liberum arbitrium negarent propugnando gratiam victricem. Id perspicuum est ex Epistola 46. S. Augustini ad Valentinum, & ejus Monachos data, in qua hæc habet: *Proinde librum, vel Epistolam meam, quam secum ad nos suprà dicti attulerunt, secundùm hanc, Fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut à Dei gratia separetis, tanquam sine illa vel cogitare aliquid, vel agere secundum Deum ulla ratione possimus, quod omnino non possumus.* Non addit S. Augustinus: *Ut neque negetis liberum arbitrium:* Quod necessarium tamen fuisset, si liberum illi arbitrium negassent cum gratiâ cohærere, quam pariter cum S. Augustino prædicasse ipsos supponunt Sirmondus & Sirmondi sectatores.

Denique Valentini literis, Florique præsentis verbis certior factus S. Augustinus de summa Adrumetini dissidii, dixit in Retractationibus se librum *de Gratia & Libero Arbitrio scripsisse, propter eos, qui cùm defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium: sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundùm merita nostra dari.*

Propositio II.

PRædestinatiana hæresis Cœlestino I. Pontifice in Galliis non emersit, neque adversùs eam S. Augustini, aut Cœlestini opem Prosper & Hilarius implorarunt.

Probatur ex Prosperi ipsius Epistola ad S. Augustinum, in quâ contra Massilienses Semipelagianos, non contra Prædestinatianos, ipsius opem implorare se significat. *Multi ergo*, inquit, *servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ*

tua scriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Et infrà: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quò vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre..... Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc Prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* At Prædestinatiani sententiam S. Augustini de vocatione electorum secundùm propositum, non impugnabant, sed eamdem totis ingenii viribus tuebantur: non igitur adversùs Prædestinatianos, sed adversùs Pelagianorum reliquias S. Augustini opem S. Prosper implorabat.

Confirmatur. Nam S. Prosper ubique in Opusculis suis eos impugnat, qui S. Augustino obloquebantur, qui immania errorum portenta ipsi affingebant, qui divina ejus Scripta infamabant, effutientes ipsum sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem, & in Manichæorum errorem impegisse. Sed qui sic S. Augustini nomen & doctrinam proscindebant, non erant Prædestinatiani, sed ea ipsa blasphemiarum portenta S. Augustino & ejus Discipulis affingebant, quæ Prædestinatianorum dogmata fuerunt. Illi igitur contra quos agebat S. Prosper, non erant Prædestinatiani, sed Pelagianorum reliquiæ.

Major perspicua est ex verbis S. Prosperi *In Epistola ad Ruffinum*, in qua de S. Augustino sic loquitur: *Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Ecclesiæ, & ad gloriam Christi, quâ ipse illustratus est præfulgenti, quidam nostrorum oculis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur, & prout sibi noxias aliquorum aures, opportunasque repererint, Scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes, Eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam, Duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturas, ut scilicet tantæ pietatis Viro Paganorum & Manichæorum adscribatur impietas.* Et in Præfatione Responsionis ad Capitula Gallorum, eos se refellere monet, quibus doctrinam S. Augustini contra Pelagianos *Visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere.*

Denique in Præfatione Responsionis ad Vincentianas Objectiones, de iisdem Augustinianæ doctrinæ circa Prædestinationem & Gratiam hostibus ita scribit: *Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur Indiculo*, &c.

Respondet P. Sirmondus, quòd etsi Massilienses Prædestinatiani non fuerint, hi tamen propter oppositam Prædestinatianorum hæresim, à quibus vexabantur, sese S. Augustini de absoluta Dei Prædestinatione sententiæ opposuerunt. Sed non ita est. Si enim Prosperi & Hilarii Epistolæ ad S. Augustinum legantur, Massilienses ex una librorum ipsius lectione fuisse turbatos compertum erit, non ex aliqua Prædestinatianorum disputatione & importuna contentione. *Atque ut breviùs ac pleniùs, quid opinantur, exponam* (inquit S. Prosper) *quicquid in libro hoc* (de Correptione & Gratia) *ex contradicentium sensu Sanctitas tua sibi opposuit: quidquid etiam in libris contra Julianum, ab ipso sub hac quæstione objectum potentissimè debellasti, hoc totum ab istis Sanctis intentiosissimè conclamatur. Et cùm contra conscripta Beatitudinis tuæ validissimis & innumeris testimoniis divinarum Scripturarum instructa proferimus, ac secundùm formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsi quâ concludantur adstruimus, obstinationem suam vetustate defendunt.*

Hilarius verò de iisdem ita scribit: *Molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non quâ fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis in Regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. Hic verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam desperationem hominibus exhiberi.* Ex quibus liquet, Massilienses S. Augustini scriptis fuisse turbatos, nec ipsius doctrinam impugnasse propter Prædestinatianorum, qui nondum orti erant, errores, sed quòd eam non intelligentes, *Contrariam putarent Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui*; ut ait idem S. Prosper.

Accedit, quòd S. Augustinus in libris *de Prædestinatione Sanctorum*, & *de Perseverantiæ Dono*, ad Prosperum & Hilarium scriptis, nullos Prædestinatianos refellit, sed solos Massilienses, de quibus ad ipsum retulerant insignes illi duo ejus Discipuli.

Objicies testimonium Hincmari *In Epistola ad Nicolaum Papam*, dicentis: *Ex veteri hæresi Prædestinatiana, quæ primùm in Africa, & postea in Gallia per idem tempus quando & Nestoriana hæresis est exorta, & tempore Celestini Papæ, ipsius auctoritate & instinctu est revincta.*

Objicies secundò testimonium Prædestinati, qui de Pseudonymo libro, quem S. Augustino Prædestinatiani affinxerunt, sic loquitur: *Tandem aliquando ad manus nostras pervenit Liber, qui Augustinum mentitur titulò, cum se hæreticum ostendit in textu. Hunc librum aliquando sibi oblatum S. Pontifex Celestinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuo damnari juberet silentiò.* Cur porrò librum exhorruit Celestinus? Cur S. Augustino indignum judicavit, nisi ob hæresim quam continebat?

Respondeo, Hincmarum Semipelagianos interdum cum Prædestinatianis confudisse: quorum primum istud dogma refert *lib. de Prædestinatione cap.* 15. quod Prosper Massiliensibus tribuit in Epistola ad S. Augustinum. *Quorum unum est*, inquit Hincmarus, *quia secundùm præscientiam Deus homines damnet pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, sed habituri essent, si viverent.* S. Prosper verò: *Cumque*, inquit, *inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum*, &c. *tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam salvarentur ætatem, scientia divina præviderit.* Sed & ex ipsa Celestini Epistola refellitur Hincmarus. Eos enim compescit Pontifex, *Qui nitantur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare*: Et imprimis S. Augustini doctrinam impetere calumniis; quem hâc occasione, meritis laudibus coronat. At tantùm abest ut Prædestinatiani S. Augustini scripta maledictis incesserent, quin imò S. Augustinum auctorem & ducem habere se gloriabantur, & ejus testimoniò dogmata sua confirmabant. Non Prædestinatianos itaque, qui nondum tunc erant exorti, sed Pelagianorum reliquias Celestinus I. auctoritate suâ compescuit. Quod ex S. Prospero confirmatur *lib. contra Collatorem*, scribente de Celestino: *Per hunc Virum intra Gallias, istis ipsis, qui Sancti memoria Augustini scripta reprehendunt, maleloquentia est adempta libertas, quando consultantium actione susceptâ, & librorum qui erranti-*

bus displicebant, pietate laudatâ, quid oporteret decorum auctoritate sentiri, sanctò manifestavit eloquiò, evidenter pronuntians quantùm sibi præsumptionis istius novitas displiceret, quâ auderent quidam adversùs antiquos Magistros insolenter insurgere, & indisciplinata calumnia Prædicatori veritatis obstrepere.

Alteri objectioni respondeo, Autori Prædestinati fidem non esse in omnibus adhibendam. Enimverò librum hujusmodi sub sancti Augustini nomine confictum, & Celestino Papæ oblatum, cujus errores totum mundum, ut ait vulnerarent; & hujus libri nec Celestinum ipsum in suis Decretalibus, meminisse, nec S. Prosperum & reliquos S. Augustini Discipulos & Fidei Catholicæ vindices illum scriptis impugnasse, aut illam confutasse hæresim quæ sub S. Augustini nomine suppositis libris totum mundum vulneraret, prorsùs incredibile est. Deinde Autor ille Prædestinati puros putos Pelagianorum errores tuetur, & Catholicos etiam sub Prædestinatianorum nomine insectatur, à quibus inventam infelicem illam, quam vocat, impietatem asserit, ut ex Adami prævaricatione dicatur processisse hominis concupiscentia. *O quam infelix*, inquit, *impietas est à Prædestinatis inventa, ut ex prævaricatione dicatur evenisse hominis, quod est ex benedictione Creatoris insertum: hanc vos dicitis esse legem peccati, sed hanc nos legem generis comprobavimus, quam vos criminis accusatis.* Hoc fuisse Pelagianorum dogma demonstrant libri S. Augustini contra Julianum: adeòque perspicuum est doctissimi Sirmondi Prædestinatum S. Augustinum & Catholicos omnes sub Prædestinatianorum nomine, per calumniam, infelicis impietatis accusare. In eodem Opere asserit hominem baptizatum non videre etiam *Legem in membris suis repugnantem legi mentis. Solam enim*, inquit, *legem Christi in se habet, quæ non repugnat legi mentis ejus, & non eum ducit captivum in lege peccati.* Et rursus: *Hanc concupiscentia motum, sicut cætera alia membra a Creatore suscepimus... Vultis nosse bonam hanc esse concupiscentiam? Mysteriis eam comparabo divinis.* Et rursus: *Unum vobis eligite, Aut bona est generatio hominis, & bona est concupiscentia, Aut mala sunt nuptiæ, & iniqua concupiscentia.* Quæ dogmata & argumenta penitus Pelagiana sunt, à Juliano decantata, multis libris à S. Augustino confutata. Hunc itaque Autorem Pelagianum fuisse certum est, & sub Prædestinatianorum nomine S. Augustinum Catholicosque omnes traduxisse, librumque confinxisse, quem velut S. Augustino suppositum refellerer, quasi erroribus Prædestinatianorum scatentem.

Prædestinatus [illegible]

Objicies verba Photii in Bibliotheca, Cod. 54. *Post S. Augustini mortem*, inquit, *cœperunt quidam in Clero impium illud dogma asserere, malè etiam loqui de Augustino, atque adeò conviciis incessere, tanquam arbitrii libertatem tollendam docuisset. Verùm Celestinus Pontifex Romanus de sancto viro, & contra eos qui hanc hæresim resuscitarent, ejus ore Episcopis scribens, errorem nuper revocatum cohibuit.* Hæc autem de Pelagianis intelligi non posse planum est, quorum novus error hoc tempore non erat. Prædestinatianorum autem adversùs Augustinum propria fuit calumnia: *Liberum in homine arbitrium ab illo penitus summoveri.*

Respondeo, hunc Photii locum perperam ad Prædestinatianos detorqueri. Nam toto capite laudatô de Pelagianorum & Nestorianorum hæresi agit Photius, recensens *Exemplar Actorum ab Occidentis Episcopis contra Nestorianos & Pelagianos.* Pelagianæ hæreseos ortum & condemnationem vivente S. Augustino exponit. Deinde quid post ejus obitum gestum sit contra istius hæresis instauratores, & S. Augustini obtrectatores sub Celestino Romano Pontifice. Tum quid postea contra eosdem egerint SS. Leo, & Prosper libellis adversùs eos editis. Tandem hanc eamdem hæresim damnatam in Concilio Ephesino memorat, & à Joanne Alexandrino Episcopo in Apologia ad Gelasium Romanum Episcopum. Hæc totius capitis series: ex qua patet nihil ex hoc Photii loco extundi posse, quô probetur Prædestinatianos à Celestino Papa repressos. Deinde illos compescuit Celestinus, Photio teste, qui S. Augustino obloquebantur, & ejus doctrinam insectabantur, tanquam liberi arbitrii interitum induxisset. At Prædestinatiani S. Augustini doctrinam conviciis eam ob rem non proscidissent, imò laudassent impensiùs, cùm ejus autoritate feralia illa dogmata sua tuerentur: non itaque cum Prædestinatianis sed cum Pelagianorum reliquiis res fuit Celestino. Quorum etsi novus error non esset, novæ tamen erant querelæ, nova Pelagianæ hæreseos lenimenta, novæ latebræ, novæ occultorum luporum insidiæ, novus explicandi modus, nova ratio proponendi objectiones & calumnias à Juliano contra S. Augustini de gratia doctrinam olim vulgatas, ut testatur S. Prosper lib. *contra Collatorem*, cap. 41. *Nec enim*, inquit, *alia possunt dicere, quàm quæ damnatorum querelis, & procacissimis Juliani sunt vulgata conviciis: paria sunt unius seminis germina, & quod latebat in radicibus, manifestatur in fructibus: non ergo cum istis nova acie dimicandum est, nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina.*

PROPOSITIO III.

DOgmata Prædestinatianorum conveniunt cum objectionibus & calumniis quibus Massilienses S. Augustini, & Discipulorum ejus doctrinam diffamarunt.

Probatur accuratâ collatione eorum dogmatum; sive prout in Lucidi Presbyteri Libello damnantur, sive prout referuntur à Gennadio, ab Authore Prædestinati, & ab Hincmaro. Et ut à Lucido incipiamus, omnes ejus propositiones, præter primam, apud S. Prosperum inter Objectiones Gallorum, & Vincentianas legimus. Secunda namque ejus propositio hæc est: *Post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* Huic gemina est sexta Gallorum Objectio: *Quòd liberum arbitrium in homine nihil est.* Tertia Lucidi propositio est: *Quòd Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.* Huic gemina est Objectio prima Vincentiana his concepta verbis: *Quòd Dominus noster Jesus-Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Et Capitulum nonum Gallorum: *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Quarta Lucidi propositio est: *Quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem*; vel, *Quòd Dei pereant voluntate, qui pereunt.* Huic geminum est Capitulum I. Gallorum. *Quòd ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi cogantur in mortem.* Et Capit. IX. *Quòd per potentiam Deus homines ad peccata compellat.* Quinta Lucidi propositio est: *Quòd, post acceptum legitimè Baptismum, in Adam moriatur quicunque deliquerit.* Cui geminum est Capitulum secundum Gallorum: *Quòd ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta Baptismi gratia originale peccatum.* Sexta Lucidi propositio est: *Alii deputati sunt ad mortem, alii ad vitam prædestinati.* Huic gemina est Fausti Objectio lib. 1. cap. 4. *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut asserunt, est deputatus, sicut * quidam Sanctorum dixit, non judicandi nascimur, sed judicati.* Id à Massiliensibus S. Augustino objectum, testatur etiam S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30. *Non autem ignoras*, inquit, *etiam præterito tempore illi luculentissimo S. Augustini Operi, quod scripsit de Prædestinatione Sanctorum,*

* S. Augustinum intelligit.

ctorum, à quibusdam Gallis objectum, quòd B. Augustinus in assertione prædestinationis divinæ peccatores non ad solum prædestinatos diceret judicium, sed etiam ad peccatum, cujus dicta, quia ipse celeri prævenitus est obitu, Prosper vir eruditus & sanctus rectà defendit Fide, & copioso sermone. A

Jam ad Gennadium veniamus. Primum dogma Prædestinatianorum, secundùm ipsum, est: *Quòd Deus non omnes homines ad hoc creaverit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus.* Huic geminum est Capitulum decimum-tertium Gallorum: *Quòd quidam homines non ad hoc creati sunt ut vitam adipiscerentur æternam, sed ut habitum tantummodo sæculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum.* B Alterum dogma Prædestinatianorum, secundùm Gennadium, est: *Quòd etsi generali prædicatione dicat Christus: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, non tamen omnes eâ voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem.* Huic geminum est Capitulum quintum Gallorum: *Quòd qui vocati sunt, non æqualiter sint vocati: sed alii ut crederent, alii ut non crederent.* Tertium dogma Prædestinatianorum, secundùm Gennadium est: *Quòd non omnes qui Deo aspirante obediunt vocationi, dicantur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores & justitiæ fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono.* C Huic geminæ sunt objectio duodecima Gallorum: *Quòd quibusdam vocatis, & piè justéque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.* Et objectio Vincentiana decima-tertia his concepta verbis: *Quòd omnes illi Fideles & Sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: sed ipsius vitii causa est divina Prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.* Quartum Prædestinatianorum dogma, secundùm Gennadium est: *Illos qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidiâ, vel in omni* D *genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, quâ & credant in Deum, & secundùm Dei præceptum vivant, ut possideant societatem Justorum.* Cui gemina est Massiliensium querela apud S. Augustinum libro *de Dono Perseverantiæ*, cap. 15. *Si qui estis necdum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam, quâ velitis, & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* Quintum Prædestinatianorum dogma, secundùm Gennadium est, ex doctrina gratuitæ prædestinationis sequi: *Quòd Deus personas hominum accipiat.* E Huic gemina est objectio Capituli IV. Gallorum: *Quòd non omnes homines vocentur ad gratiam.* Antiqua etiam hæc erat Pelagianorum calumnia, quam refellit S. Augustinus in *Epistola ad Sixtum* his verbis: *Quòd personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quòd sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quem vult religiosum facit, parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato.* Sextum dogma Prædestinatianorum, secundùm Gennadium, est: *Quòd alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem; alios post bona opera rejiciat, & compellat in malum, quò pereant in æternum.* F Huic gemina est Objectio Vincentiana decima quarta: *Quòd pars magna illa Christi morum Catholicorum Fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiamsi petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eò quod mutari non potest divina prædestinatio, quæ illos preordinavit, præparavit, præaptavit ut caderent.*

Conferenda modò sunt Prædestinatianorum dogmata, prout ab Authore Prædestinati referuntur. Secundùm hunc, illi Hæretici *Electionem bonorum & malorum Deo decernente definiunt, non homine vel studente, vel negligente: Nolunt Dei jura vel à studentibus custodiri, vel à negligentibus violari.* Ipsæ Gallorum Objectiones sunt Capitulis primo, sexto, & decimo quarto. Prædestinatiani, secundùm eumdem Authorem, dicunt: *Etiamsi volueris bonum facere qui ad malum prædestinatus es, ad bonum pervenire non poteris: nam qui ad bonum prædestinatus est, etiamsi negligat, ad bonum perducetur invitus.* Hoc idem est cum Objectione decima quarta Vincentiana, & cum Massiliensium querelâ de qua S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum: *Hoc autem propositum*, inquit, *vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut, secundùm quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre, eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si nec quæ rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere: quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm quòd Deus definivit, accidere... Removeri itaque omnium industriam, tollique virtutes si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc Prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.*

Tertius error Prædestinatianorum, secundùm Prædestinatum, est quòd dicerent: *Baptismatis unda non universa peccata mundare.* Hæc vetus est Pelagianorum in S. Augustinum objectio, ut ipse testatur libro 3. ad Bonifacium capite 3. ubi refert hanc Pelagianorum adversùs Catholicos objectionem: *Baptisma quoque non verè homines novos facere asserunt, id est, non plenam dare remissionem peccatorum; sed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios sæculi, id est, diaboli remanere contendunt.*

Quartò, Prædestinatiani, secundùm Authorem laudatum, dicebant: *Ita antecedit gratia liberum arbitrium, ut ante accipiat homo, quàm petat, ante inveniat quàm quærat, ante ei aperiatur quàm pulset.* Dogma Catholicum velut Caput Prædestinatianæ hæreseos refert: quòd Semipelagiani totis viribus impugnarunt, teste Prospero in Epistola ad S. Augustinum. *Ad hanc gratiam*, inquit, *quâ in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, (nos asserunt) petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bonò naturæ bonò usus, ad istam salvantem gratiam initiali gratiæ ope meruerit pervenire.*

Quintò, Prædestinatiani, secundùm eumdem Authorem dicebant, *Nullum ad Christi Fidem accedere, nisi fuerit à Patre tractos invitus: illud attendentes: Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit.* Sed hæc Juliani Pelagianorúmque cæterorum calumnia, etiam est in gratiæ victricis Defensores, teste S. Augustino lib. 1. ad Bonifacium, cap. 19. *Quàm multi*, inquit, *inimici Christi quotidie subitò Dei occultâ gratiâ rapiuntur ad Christum! Quod verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset? Cum etiam nunc obloquitur non mihi, sed illi qui clamat: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: Non enim ait, Duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur si jam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quòd fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Sextò, Prædestinatiani, secundùm hunc Authorem,

tem, aiunt, *Omnia non ia rt, sed in spe fi ri, ut quod dicis Apostolus, Spes quæ videtur, non est spes: etiam hoc mysteriis applicent, & dicant: Ea quæ percipiuntur, videntur quidem esse, sed non sunt.* Hæc rursus Pelagianorum objectio fuit, qui concoquere non poterant quòd S. Augustinus pro caussa Fidei Catholicæ ipsis respondebat, Baptismum omnia quidem peccata delere, sed omnem non sanare infirmitatem, nec perimere concupiscentiam. Id autem spe consequi homines in Baptismo. Id colligitur ex Sancto Augustino lib. 3. ad Bonifacium, cap. 3. *Quisquis igitur,* inquit, *baptismati derogat quodmodo per illud percipimus, corrumpit Fidem. Quisquis autem jam nunc ei tribuit, quod quidem per ipsum, sed tamen postea accepturi sumus, amputat spem. Nam si à me quisquam quæsierit, utrum per Baptismum salvi facti fuerimus, negare non potero, dicente Apostolo: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti. Sed si quæsierit, utrum per idem lavacrum omni prorsus modo jam nos fecerit salvos: respondebo: Non ita est. Idem quippe dicit Apostolus: Spe enim salvi facti sumus. Spes enim quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.*

Ultimò, Prædestinatiani, secundùm hunc Authorem, dicebant, *Plus Adamum generi humano obfuisse ad nocendum, quam Christus ad subveniendum profuerit: quia quod Adam nocuit, ita manet, ut hoc nec Passio Christi, nec Baptismatis sanctificatio possit auferre.* Sed hoc ipsum à Pelagianis in S. Augustinum objectum est, velut consectarium Catholici dogmatis de peccato originali in omnes Adami posteros transfuso, & de concupiscentia post Baptismum permanente ad agonem, ut ex locis innumeris probari potest.

Unus discutiendus superest Hincmarus, qui hæc Prædestinatianorum dogmata fuisse refert *In Epistola ad Nicolaum Papam.* Primum, *Quòd sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem.* Coincidit cum Objectionibus Vincentianis 13. 14. 15. & 16. Secundùm Prædestinatianorum dogma, secundùm Hincmarum, est, *Quòd non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed eos tantùm qui salvantur.* Quod cum octava Gallorum objectione coincidit his verbis conceptâ: *Quòd non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.* Tertium Prædestinatianorum dogma, secundùm Hincmarum est, *Quod non pro totius mundi redemptione, id est, pro omnium hominum salute, Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantùm pro iis qui salvantur.* Quod coincidit cum objectione nona Gallorum his verbis conceptâ: *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Itaque ex Articulis etiam Hincmari demonstratur, Prædestinatianorum hæresim, cum calumniis Massiliensium adversùs S. Augustini & Ecclesiæ doctrinam, quam hæresis nomine traducebant, convenire.

Propositio IV.

Lucidus Presbyter illis adhæsit erroribus, quos ipsi Faustus tribuit, & Prædestinationis errores vocat. Unde non fuit imaginaria Prædestinatianorum hæresis, quamvis plurimos non habuerit Sectatores.

Probatur ex Epistola Fausti ad Lucidum, in quâ ses dogmata ipsi damnanda proponit, quæ in Synopsi recensuimus, quæ nisi ipse anathemate confixerit, atque subscripserit Epistolæ, ipsum ad Synodum se delaturum comminatur. *Hujus autem* inquit, *Epistolæ Exemplar mecum retineo in Conventu Sanctorum Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum.... Quod si eam subscriptam, ut dixi, transmittere nolueris, apertè adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis, ac proinde jam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis Conventibus exponendam.*

Probatur secundò, ex Libello Emendationis Lucidi ad Episcopos Gallicanos, quô prava illa dogmata ejurat, damnàtque juxta Concilii Arelatensis Decretum. *Correctio vestra*, inquit, *salus publica, & sententia vestra medicina est: unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera professione me diluam. Proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum, qui dicit, Humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum: qui dicit, Post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum: qui dicit, Quòd Christus Dominus & Salvator noster mortem pro omnium salute susceperit: qui dicit Quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel Quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt: qui dicit, Quòd post acceptum legitimè Baptismum, in Adam moriatur quicunque deliquerit: qui dicit, Alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos: qui dicit, Ab Adam usque ad Christum, nullos ex Gentibus per primam Dei gratiam: id est, per Legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatos, & quòd liberum arbitrium in primo parente perdiderint: qui dicit, Patriarchas ac Prophetas, vel summos quosque Sanctorum, etiam ante Redemptionis tempora, intra Paradisum degisse. Hæc omnia quasi impia & sacrilegiis repleta condemno.*

Probatur tertiò ex Conciliis duobus Gallicanis, Arelatensi tertio, & Lugdunensi, in quibus Lucidi errores damnati sunt; & Patrum suffragiis ac subscriptionibus approbata Fausti ad ipsum Epistola; ipsique Fausto hos errores confutandi provincia demandata est; ut constat ex Præfatione Librorum Fausti ad Leonem Arelatensem Episcopum. *Quòd pro sollicitudine,* inquit, *Pastorali, Beatæ Papa Leoni, in condemnando Prædestinationis errore Concilium Summorum Antistitum congregatis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis: quòd verò ad ordinanda quæ collatione publicâ doctissimè protulistis, operam infirmis humeris, curámque mandastis, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis onerastis.* Et infrà: *In quo quidem Opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.*

Maugnini Præsidis, & Apologistarum Jansenii Objectionibus respondetur.

Objiciunt Gilbertus Mauguinus, & Jansenii Apologistæ, hæc omnia mera esse Fausti commenta, cui ut Semipelagianorum Antistiti nulla sit adhibenda fides.

Respondeo, nos solius Fausti auctoritate non niti, sed Concilii Arelatensis, quod Fausti Epistolam approbando, suam fecit; in veteribus namque Codicibus non ipsius tantùm Fausti, sed insignium aliorum Galliæ Episcoporum subscriptionibus munita legitur, nempe, Auxanis, Pauli, Eutropii, Pragmatii, Patientis, Euphronii, Megetii, Claudii, Leucadii, & Juliani. Nitimur etiam Lucidi Libello, qui se iis erroribus, quos ejurat, adhæsisse testatur.

Objiciunt: Inde constare Fausti Epistolam approbatam non fuisse in Concilio Arelatensi, quod Henricus Canisius * asserat, in MS. Codice non reperiri subscriptiones illas Episcoporum, quæ in vulgaris Editionibus leguntur, sed unius Fausti subscriptionem. Nec ipsas in Hincmari Codice legi Sirmondus fatetur.

* *Tom. 5. Antiq. Lect.*

Respondeo, asserere quidem Canisium illas subscriptiones desiderari in MS. Codice quem habuit ex Bibliotheca Monasterii celeberrimi S. Galli *; sed inde perperam infertur, nullas in aliis extare Codicibus. Neque enim unus in toto terrarum orbe extitit illius Epistolæ MS. Codex, vel ex hoc

* *S. Gal.*

uno

uno edita fuit in lucem Fausti ad Lucidum Epistola. Id disertè significat Canisius. Nam cùm præmisisset, se aliquot Fausti Epistolas nunc primùm ex membranis MSS. celeberrimi Monasterii S. Galli edere, ubi ad hanc Epistolam venit, descriptô tantùm illius initiô hæc subjungit: *Quia extat hæc Epistola, ideò eam non edimus, sed varias lectiones notamus.* Extabat verò, ut paulò post testatur, in vulgata Editione Bibliothecæ Patrum: In quam profectò ex hoc S. Galli Codice non fuerat transcripta; cæteræ namque Fausti Epistolæ simul editæ fuissent. Secundò, constat ex ipso Canisio perturbatissimum esse Codicem illum ad cujus fidem Authores laudati provocant: cùm ne Fausti quidem subscriptionem adnexat, sed alia quædam inserat aliena, ac tandem post paginas circiter centum & viginti Fausti subscriptionem alienô prorsus locô recitet. *Hæ subscriptiones*, inquit Canisius, *non sunt in MS. Codice, sed sequuntur quædam aliena. Primò Fragmentum quoddam breve Authoris incerti. Deinde Fragmentum ex Proœmio S. Hieronymi, &c. Tertiò Fragmentum cujusdam Epistolæ, quæ à viro, an à femina sit conscripta, nescitur. Quartò ponitur Epistola titulo sancti Hieronymi, & sequuntur postea Epistolæ Fausti, Ruricii, Desiderii, aliorumque, prout hìc fideliter damus. In fine autem, post Epistolam 21. quæ est Felicis ad Desiderium, sequuntur hæc verba: Item aliâ manu, Faustus exemplar Epistolæ meæ relegi, ac subscripsi.* Sicut ergo ex Codice MS. S. Galli ineptè inferretur, Faustum illa omnia, quæ à suo aliena prorsus erant instituto, subscriptioni suæ præmisisse: quia in illo Codice hoc modo inseruntur; ita ineptum est ex eo colligere, laudatos Episcopos non subscripsisse Epistolæ Fausti, quia illorum subscriptiones non habet MS. S. Galli Codex. Neque refert, quòd Fausti Epistolæ subscriptum non legatur Leontii nomen. Eodem enim fato, quo ex illo MS. aliorum Episcoporum nomina exciderunt, ex aliis excidit Leontii nomen. Quid si memorata illa undecim Episcoporum subscriptio, non in Synodo ipsa Arelatensi facta est, sed in privato eorumdem pro dedicanda Basilica, vel alio expediendo negotio simul coactorum congressu; ut conjicit doctissimus Norisius: Qui & Canisii Codicem cum aliis hâc ratione conciliari putat; quòd initio quidem Faustus Epistolam, à se tantùm subscriptam, ad Lucidum misit: cui cùm Lucidus se eamdem Epistolam approbare rescripsisset, quò ejusdem celebrior evaderet emendatio, curavit ut in illorum Patrum Conventu unà cum illis Epistolæ memoratæ subscriberet: hincque factum esse, ut in quibusdam exemplaribus post undecim illos Episcopos Lucidi nomen subscriptum legatur.

Objiciunt secundò, quod suprà diximus, Dogmata illa ad quæ anathemate configenda Faustus Lucidum compulit, ipsa esse, quæ Semipelagiani tanquam à S. Augustino tradita carpebant, & ejus doctrinæ Defensoribus objiciebant: quorum invidiam à S. Doctore S. Prosper amolitur, omnesque ingenii nervos contendit ut evincat, *Talem sensum Scriptis Catholici non inesse Doctoris, qualem eum, qui frustrà calumniantur, ostentant.*

Respondeo, id iterum perlubenter fateor: sed hinc liquet, propositiones illas hæreticas esse. Si enim Catholicus fuisset illorum Capitulorum sensus, non desudasset S. Prosper ut abstergeret illam à S. Augustini Scriptis calumniam. Non inficiandum ergo quin dogmata illa sint hæretica, quamvis S. Augustini doctrinæ, *Non ex veritate, sed ex livore objicerentur*, ut ait S. Fulgentius, *lib.* 1. *ad Monimum*, *cap.* 30. Unde si qui fuerint qui illa propugnarent, illi meritò ad ea damnanda compulsi sunt, nisi vellent ipsi damnari, & meritò illa fuerunt anathemate confixa. Cùm itaque certum sit, Lucidum Presbyterum hos errores aliquando propugnasse, non est cur fictitii Prædestinatiani asserantur. Certè Lucidi propositiones bono ac malo sensui obnoxias fuisse intelliget, qui eas accuratiùs expenderit. Prima enimverò quæ dicit, *Laborem humanum gratiæ non jungendum*: eô intellecta sensu, quòd homo naturæ & liberi arbitrii viribus quærere, petere, & pulsare non possit, ut gratiam promereatur, vel ad eam se disponat, dogma Catholicum est, & oppositum est Semipelagianus error in Synodo Arausicana damnatus. Eô autem sensu intellecta, quòd homo acceptâ gratiâ sanctificante, orare, & rectè agere non debeat, ac gratiæ fideliter cooperari, error est, quem & Tridentina Synodus damnavit *Sess.* 6. *cap.* 5. & *Can.* 4. Secunda propositio, quâ dicitur, *Post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum*; eô intellecta sensu, quod ad bonum supernaturale faciendum sine gratia, penitus extinctum sit, Catholica est: eô verò sensu accepta ut liberum arbitrium, nequidem adjuvante gratiâ, ullum bonum opus exercere usquam possit; quòd non sit aliquâ ex parte vitiatum; vel, quòd merum sit, nudumque nomen; vel, quòd in justificatione merè passivè se habeat & velut inanime quoddam, & gratiæ excitanti nihil cooperari, neque posse dissentire si velit, error est, quem & Tridentina Synodus anathemate multiplici confodit *Sess.* 6. Tertia propositio, quâ dicitur, *Christum non esse mortuum pro omnibus*, eô intellecta sensu quòd omnes mortis Christi beneficium non recipiant, & à captivitate non omnes sint eruti, scilicet illi qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, Catholica est, à S. Prospero defensa in Responsione ad Objectionem 9. Gallorum, & ad 1. Vincentianam, & à Tridentina Synodo, *Sess.* 6. Eô verò accepta sensu, quòd propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, Salvator non rectè dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus, & quòd sanguis ejus pro omnibus sufficienter non sit effusus, non solùm quantùm ad potentiam pretii; sed quantùm ad sufficientiam voluntatis, quâ vult omnes salvare, hæretica est, à S. Prospero confutata, & ab Ecclesia damnata. Quarta propositio, quâ dicitur, *Præscientiam Dei homines violenter compellere ad mortem, & cum ejus voluntate perire, qui pereunt*: eô intellecta sensu, quòd Deus impios propter peccata prædestinet ad mortem secundam, id est, ad æternam damnationem, ita ut meritum malum præcedat justum Dei judicium, Catholica est, à S. Fulgentio lib. 1. *ad Monimum*, à Synodo 3. Valentina *Canone* 3. & à celeberrima Ecclesia Lugdunensi libro *de Tribus Epistolis*, asserta & propugnata. Eô verò accepta sensu, quòd homines compellat Deus ad peccatum, hæretica est, quam S. Prosper in Responsione ad Objectionem 11. Gallorum execratur, quam & Tridentina Synodus *Sessione* 6. *Canone* 17. damnavit. Quinta propositio, quâ dicitur, *Post acceptum legitimè Baptismum, in Adam mori quicunque deliquerit*, eô intellecta sensu, quòd in renatis maneat concupiscentia, ejus reatu solutò, & hujus illecebris ac pondere homines ad peccatum alliciantur & abstrahantur, dogma Catholicum est. Eô verò sensu accepta, quòd in baptizatis aliquid originalis peccati maneat, & quòd in iis concupiscentia sit peccatum, proscriptus error est. Sexta demùm propositio, quâ dicuntur *Alii deputati ad mortem, alii ad vitam prædestinati*: eô intellecta sensu, ut alii ad æternam damnationem propter mala merita prædestinati sint; alii ad vitam ita prædesti-

nati, ut in eorum electione misericordia Dei bona merita præcedat, Catholica est, à Concilio Valentino secundùm S. Augustini, & S. Fulgentii doctrinam asserta, & ab Ecclesia Lugdunensi defensa. Eô verò accepta sensu, quòd Deus reprobos ad peccatum propellat, vel quòd generali Creatoris intentione & bonitate conditi non sint omnes ut vitam æternam consequerentur, sed conditi sint aliqui ut damnarentur, hæretica est. Lucidus porrò Presbyter propositiones illas pravô sensu, quem in singulis indicavimus, propugnabat. Quamobrem meritò ex sententia Synodi compulsus est ad eas anathemate damnandas.

Ut nostra responsio magis illustretur, observare operæ pretium est, triplex fuisse hominum genus, quos quæstiones de Gratia & Prædestinatione post S. Augustini obitum conturbârunt; eosque diversis longè modis affectos fuisse erga sanctum Doctorem. Primi fuere Semipelagiani, quos adhuc viventis sententia commoverat, & in transversum egerat. Hi doctrinam sancti Præsulis, *Aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo*, reprehenderunt. *Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui judicio eorum ducebantur, tentabant afferre*, inquit S. Prosper, *ut quæ in Libris prædicti sanctissimi Viri damnabilia se reperisse jactabant, breviùm Capitulorum indiculis prædicarent, talique commentô & detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent, & ab his quæ infamassent, curam externi Lectoris averterent.* Hos refellit S. Prosper in Responsionibus ad Capitula Gallorum, & ad Objectiones Vincentianas. Alii subtilibus Semipelagianorum argumentis contra S. Augustini doctrinam oppressi, quòd eâ ingenii vi ac eruditione prædiri non essent, quâ se ab eorum expedirent Sophismatibus, ea potiùs fatebantur paradoxa & absurda dogmata, quæ illi S. Augustini sententiæ affingebant, quàm ut ab ea se deduci paterentur, in quam erant impensè affecti. Hi pauci admodùm fuere, & obscuri nominis, neque sectæ condendæ pares: & solus fortè Lucidus tempore Conciliorum Arelatensis 3. & Lugdunensis in hoc luto hærebat. Alii denique doctrinæ etiam S. Augustini studiosissimi, in Libris illius *de Prædestinatione Sanctorum* quædam, *vel insolita, vel minùs clara* invenere, quæ ipsos movérunt. Nihil tamen temerè circa tanti viri doctrinam definire volentes, nec proprio sensui fidentes plurimùm, Excerpta quædam ad sanctum Prosperum miserunt, ut ab iis omnem dubiorum caliginem abstergere vellet, ac germanum S. Augustini sensum aperire. Hi fuere Theodorus & Camillus Presbyteri Genuenses, quibus fecit satis S. Prosper in Responsione *Ad Excerpta Genuensium.*

Objiciunt Viri Eruditi, in Fausti Epistola, & Lucidi Libello Semipelagianos errores adstrui, adeòque nec ullius esse auctoritatis, nec fidem Conciliis adhibendam quæ ipsa probaverunt; cùm nihil aliud fuerint, quàm Semipelagianorum conventicula. Et primò quidem in Epistola Fausti Anathema illud vellicant: *Anathema illi, qui hominem cum fideli confessione solenniter baptizatum, & asserentem Catholicam Fidem, & postmodùm per diversa hujus mundi oblectamenta prolapsum, in Adam & originale peccatum periisse asseruerit.* Scilicet volunt hisce verbis sententiam S. Augustini de gratuita Prædestinatione peti: atque id inde probant, quòd inane esset illud Anathema, si hoc unum statueret, peccatum originale in Baptismo verè remitti, quod Lucidus non inficiabatur.

Respondeo, Lucidum asseruisse, quod modò Calviniani asserunt, & quod Sæculo nono sensit Gotescalchus, teste Amolone Archiepiscopo Lugdunensi in Epistola ad ipsum data, Sectione 5. *Verissima & sacratissima Ecclesiæ Sacramenta, videlicet Baptismi, Chrismatis, Eucharistiæ, &c. perfunctoriè & frustratoriè dari omnibus, qui post perceptionem eorum pereunt, quòd eos sanguine Christi, sine quo ipsa Mysteria jam non Mysteria, sed quædam velut vacua & inania ludibria sunt habenda, redemptos negaret.* Sensus itaque anathematis à Fausto propositi non alius est, quàm Tridentini illius, Sessione 6. Canone 17. *Si quis justificationis gratiam nonnisi Prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere... Anathema sit.*

Iterùm ex Lucidi Libello hunc articulum criminantur: *Damno sensum illum, qui dicit, Ab Adam usque ad Christum, nullos ex Gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ, in adventum Christi fuisse salvatos, eò quòd liberum arbitrium in primo homine perdiderint.* Hæc Pelagiana esse proclamant, quippe qui per primam Dei gratiam intelligi velint naturæ legem præcisè sumptam, & ab omni Christi Salvatoris gratia separatam. Unde post has voces, *Per legem naturæ*, virgulam interserunt.

Sed facilè hanc objectionem diluimus cum aliis Viris Eruditis, qui primam Dei gratiam legem naturæ vocari intelligunt, spectatam cum gratia, quæ ex futuro Christi adventu in eam redundabat. Unde expunctâ virgulâ, hæc verba jungenda esse meritò contendunt: *Per legem naturæ in adventum Christi.* Quod omninò consonum est sensui Lucidi paulòpost affirmantis: *Per rationem & ordinem sæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysis, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventûs Christi fuisse salvatos: tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri Sanguinis non absolutos.* Quòd verò in Arelatensis & Lugdunensis Synodi injuriam effutiunt, ipsas Semipelagianorum Conventicula fuisse: calumniæ postulamus, quæ celeberrimis Episcopis, quorum aliqui sanctitate etiam insignes fuerunt, absque fundamento inuritur.

Objiciunt, Fausti libros Semipelagianis erroribus scatentes, ab Episcopis Arelatensis Concilii fuisse probatos: quod argumento est ipsos Semipelagianos fuisse, aut saltem à Fausto Semipelagiano deceptos. Id autem probare se præsumunt ex Epistolæ nuncupatoriæ ad Leontium, posterioribus verbis: *In quo quidem Opusculo, post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.*

At negamus illam Arelatensis Concilii subscriptionem, de qua loquitur Faustus, ad ejus libros pertinere; sed ad Epistolam tantùm ad Lucidum scriptam referri contendimus. Idque ex illa ipsa Fausti ad Leontium Epistola evidenter colligitur. *Quod pro sollicitudine Pastorali*, inquit, *beato Papa Leonti, in condemnando Prædestinationis errore Concilium Summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quòd verò ad ordinanda ea quæ collatione publicâ doctissimè protulistis, operam infirmis humeris, curamque mandastis, parum, ut reor, tanto negotio, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis.* Ex quibus perspicuum est, Faustum libros suos *De Gratia & Libero Arbitrio*, post Arelatensem Synodum elucubrasse, postulante Leontio, adeòque non potuisse istius Synodi subscriptione libros memoratos comprobari. Cæterùm mandati à Leontio, & à Synodo postea Lugdunensi sibi impositi limites excessit Faustus, dum non modò Lucidi, & quorumdam fortassis aliorum circa Prædestinationem errores, ut injunctum fuerat, confutavit; verùmetiam occasione datâ S. Augustini doctrinam de gratuita Prædestinatione impugnavit, & Semipelagianum virus totô illô Opere passim evomuit. Hâc responsione pleraque Viri Clarissimi Gilberti Mauguini subruuntur argumenta, quibus Synodos laudatas Arelatensem

tentem & Lugdunensem, nihil aliud quàm Fausti A Reiensis profundæ calliditatis viri commenta fuisse ostendere conatur. Supponit enim Fausti libros ab illis Synodis approbatos fuisse & ab Episcopis subscriptos, quod tam falsum est, quàm quod falsissimum. Quod addit præterea, Conciliorum illorum nullum Authorem nec Sæculo illo, nec sequentibus usque ad Hincmarum ullo modo meminisse, fictitias esse non probat; satis enim est quod illatum Faustus meminerit ad Leontium scribens, quem tam illustri tamque sapienti Metropolitano, & universis Galliarum Episcopis imponere ausum fuisse, & Synodos in duabus nobilissimis urbibus nuper habitas comminisci, incredibile est. Equidem si de B remotissimis Asiæ vel Africæ rebus ad Leontium Faustus scripsisset, aliqua ab ipso conficta fuisse non adeo repugnarem: sed quod Concilia Arelate & Lugduni celebrata supposuerit ad Leontium Arelatensem scribens, & quidem ab ipso Leontio nudius-tertius congregata, nemo cordatus sibi persuaserit.

Præterea, certum est Leontium Arelatensem Gallicanas Synodos quotannis congregasse ex Hilari Pontificis Romani Decreto, quarum tamen nulla extat apud Authores Ecclesiasticos memoria. Verba Hilari in Epistola ad Episcopos Provincia- C rum Viennensis, Lugdunensis, utriusque Narbonensis, & Alpium Penninatum hæc sunt: *Per annos itaque singulos ex Provinciis, quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Concilium, ita ut opportunis locis atque temporibus, secundum dispositionem Fratris & Coëpiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis Fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur.* Cùm itaque Epistola Fausti ad Lucidum, & Lucidi Libellus, nec-non Arelatensis III. Synodus & Lugdunensis, admittendæ sint ut genuina venerandæ antiquitatis monumenta, negari non potest citra ve- D ritatis injuriam, Lucidum Presbyterum illis erroribus adhæsisse, quos ipsi tribuit Faustus, & quos Prædestinationis errores vocat.

Pauci tamen fuerunt Hæreseos Prædestinatianæ sectatores, & obscuri admodum nominis. Id colligitur ex Arausicana Synodo II. Canone 25. *Aliquos verò*, inquit, *ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam, si qui sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis Anathema dicimus.* Usi sunt Patres hâc loquendi formulâ, *Si qui sunt, qui tantum malum credere velint*, quia paucos & obscuri admodum nominis, vel socios, vel discipulos Luci- E dus habuerat. Ideo etiam Auctores quidam Ecclesiastici Hincmaro coævi in illum facti errorem abducti sunt, ut nullam fuisse hæresim Prædestinatianam assererent. Ita S. Prudentius Trecensis Episcopus in libro *contra Joannem Erigenam*, cap. 4. *Tertiam verò hæresim*, inquit, *quam Pelagianis contrariam asseris, quâ ita donum gratiæ prædicetur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus.... Nescio quem elogio tertiæ tuæ hæreseos denotare volueris, nisi B. Augustini dictorum, quæ premimus, imò Catholicorum omnium fideliter veraciterque sequaces.*

F Ita Florus Magister, Ecclesiæ Lugdunensis nomine scribens adversùs eundem Joannem Scotum Erigenam, cap. 4. *Secunda hæresis*, inquit, *quam dicit ipse gratiæ solius, quæ sit, vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædicaverit solâ Dei gratiâ hominem salvari, ut liberum hominis negaret vel destrueret arbitrium, nobis minimè compertum est. Nam antiquissimi, & impiissimi illi Hæretici Marcion, & Valentinus, & Manichæus, qui vel duo, vel tria principia introduxerunt .... nihil omnino de gratia Dei dixerunt, sed solam naturam naturaliter vel bonam esse vel malam, stultissimè defendere conati sunt.* Et infrà: *Quæ est ista secunda hæresis tam incognita, tam nova & inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix? Nisi quia (ut nobis videtur) Disputator iste, vel Beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat, eò quòd manifestè juxta veritatem Scripturarum solâ Dei gratiâ ostendat & doceat hominem posse salvari, nec ad ipsam salutem æternam aliquid humanum arbitrium posse, nisi per eandem gratiam fuerit reformatum, sanatum, illuminatum, ac roboratum: Aut certè eos qui secundum ejus venerabilem & Catholicam doctrinam nunc de gratia Dei sentiunt & docent, quasi minùs illius dicta intelligentes, hæreticos vocat.* Sed illis Auctoribus repugnant Synodi Moguntina & Carisiaca, quæ redivivam in Gotescalcho Prædestinatianorum hæresim damnarunt, Rabanus Maurus, Hincmarus, &c. De gyrovago illo, turbulento & Novatore Monacho, qui veterum Prædestinatianorum Hæresim suscitavit, Sæculo 9. agemus.

DISSERTATIO VI.

Dissertatio de Hæresi Nestorii.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Nestorius purus Hæreseos asseri jure meritò possit?

Albertinus Calvinista, aliique ex Heterodoxorum castris temerarii homines, Nestorii patrocinium susceperunt, eumque hæreseos absolvere sunt conati; quamvis eum partim ignorantiæ, partim inconstantiæ accusent. Ignorantiæ quidem, quia in quibusdam Fidei consectariis, sive subtilioribus quæstionibus, qualis est idiomatum communicatio, caligavit, ideòque abhorruit à nonnullis vocibus in Ecclesia receptis, cujusmodi sunt, *Deus natus, passus, crucifixus, mortuus, Virgo Deipara, &c.* Inconstantiæ verò, quia in explicandâ mentis suæ sententiâ, alia aliis temporibus verba adhibuit, quæ ancipites haberent ac perplexos sensus. Quin etiam ipsum pertinaciæ reum quidam ejus defensores fatentur, quòd inconsideratè dicta noluerit corrigere. Contra temerarios nefarii istius Hæresiarchæ defensores, sit

PROPOSITIO.

Nestorius & ex propriis scriptis atque vocibus, & Veterum testimonio, Ecclesiæque judiciô, hæreseos convincitur.

Probatur prima pars. Qui Deum natum esse & passum negavit, & vicissim eum qui in Virginis utero formatus est, per se esse Deum; ille convincitur hæreseos, sed Nestorius Deum esse natum & passum negavit, & vicissim eum qui in Virginis utero formatus est, per se esse Deum: itaque ex propriis scriptis atque vocibus convincitur hæreseos. Major perspicua est. Qui enim hæc negat dogmata, duas consequenter in Christo personas introducit ac propugnat.

Probatur minor ex tertio ipsius Sermone, in quo de Nicænis Patribus sic loquitur: *Quoniam verò si dixissent: Credimus in unum Deum Verbum; futurum erat ut mors divinæ naturæ tribueretur: ideò nomen accipiunt commune, nempe Jesus Christus, ut & mortuum illum significarent, & illum non mortuum. Itaque perinde ac si quis dicat: Ille homo est mortuus, quamvis anima sit immortalis; tamen quia nomen dixit quod significat duas naturas, & corpus quod moritur, & animam immortalem, ideò nihil est periculi*

in ea voce: utrumque enim vocatur homo, & corpus, & anima. Ita igitur etiam magnus ille Chorus de Christo dixit.

Et rursùs: *Verbum ergo Deus non est natus ex Maria, sed in illo, qui ex ea natus est, mansit. Non ex Virgine initium habuit, sed illi qui crescendo per menses paulatim compositus in utero Virginis est, inseparabiliter omni tempore sociatus est. Aliud est autem dicere: Cum illo qui natus est, manet; & aliud: Illum qui cum nato manet, hunc esse cui ut nasceretur, mensium opus fuisset curriculo.*

Et Sermone: 7. *Non per seipsum Deus est quod in utero figuratum est; non per se Deus est, quod creatum est à Spiritu Sancto.*

Ibidem. *Mortalem enim vivificatricem Deitatem appellant, & in theatricas fabulas Deum Verbum audent deducere, tanquam idem sit pannis involutus & mortuus. Proh nefas! Ut Dominus Christus in nos benignitatem suam extenderet, periclitatur apud eos de deitatis dignitate decidere.* Et infrà: *Quid Dei nomen deputas morti, quod à divina Scriptura nusquam in mortis commemoratione profertur? Quid Paulo clamante cùm audias. In viro in quo definivit Deus, suscitans eum à mortuis; tu natum & mortuum inani imaginatione judicas Deitatem?.... Si hæreticus tibi ex persona Ecclesiastica mortuum Deum tuum exprobraverit, iratus ad dictum reclama; Deus est qui suscitavit de mortuis Pastorem ovium magnum; non ipse mortificatus est & sublevatus.*

Idem constat ex libro Nestorii prolato Actione 1. Concilii Ephesini in quo hæc habet Quaternione 25. *Divina proinde Scriptura Deum ex Christipara Virgine genitum esse nusquam affirmat, sed Jesum Christum, & Filium: & Dominum.... Angelorum vox est: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus. Atqui certum est Archangelos nativitatis mysterium te longè exactiùs cognovisse, neque tamen dicunt: Surge & accipe Deum, & Matrem ejus; sed, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus.*

Et Quaternione 26. *Hic est qui dicebat: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Hic est qui triduò mortuus fuit. Hunc autem tanquam divinæ Majestatis cooperatorem unà cum divinitate adoro.... Non per se & secundùm se Deus est, quod in utero formatum est: non per se, & secundùm se Deus est, quod Spiritûs Sancti operâ effectum est non per se & secundùm se Deus est: quod in monumento conditum est: sic enim hominum mortuorumque manifesti cultores essemus. At verò quia Deus in homine assumptò existit, assumptus ut assumenti conjunctus, propter assumentem, Deus appellatur.*

Et Quaternione 27. *Ut rerum omnium opificem Deum appellamus, & Moysen rursùm Deum: Ait enim: Constitui te Deum Pharaonis. Et Israël Filium Dei: Nam Filius*, inquit, *meus primogenitus Israel est.... Ita quoque Christum Dominum, & Deum, & Filium, & Sanctum, & Christum appellamus.*

Idem constat ex impiis ejus vocibus à Theodoto Ancyrano, & Acacio Melitinensi relatis Actione 1. Ephesinæ Synodi, *Deum bimestrem, aut trimestrem non adoro.* Idem, ne infinita loca congeram, evidenter ostenditur ex Epistola Nestorii ad S. Cyrillum, quæ extat 1. p. *Concilii Ephesini cap.* 9. & ex ejusdem Heresiarchæ Epistolis ad Celestinum I. quæ ibidem habentur descriptæ *cap.* 16. & 17.

Probatur secundò. Qui hominem in utero Virginis formatum, alium esse effutiit ab Unigenitô qui ex Dei utero ante Luciferum natus est, & Incarnationem esse meram inhabitationem Dei Verbi in homine, velut in suo templo, duas disertè personas in Christo asserit; adeóque non est hæreseos purus. Atqui Nestorius hominem in utero Virginis formatum, alium esse effutiit ab Unigenito Dei; & Incarnationem esse meram inhabitationem Dei Verbi in homine velut in suo templo. Non fuit itaque hæreseos purus Nestorius.

Probatur minor ex ejus Anathematismis, quos S. Cyrilli Capitulis sive Anathematismis opposuit. Sic enim scribit Anathematismo 1. *Si quis eum qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potiùs nobiscum Deum; hoc est, inhabitasse eam, quæ secundùm nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potiùs ejus qui Emmanuel est, nuncupaverit, &c. Anathema sit.* Et Anathematismo 5. *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere: cum sit Emmanuel, Anathema sit.* Et Anathematismo 7. *Si quis hominem qui in Virgine creatus est, hunc esse Unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus est, & non magis, propter unitionem, eum, qui est naturaliter Unigenitus, Patris Unigeniti appellationis confitetur participem factum, &c. Anathema sit.* Denique Anathematismo 10. *Si quis illum in principio Verbum, Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse, seque ipsum obtulisse pro nobis dicat, & non Emmanuelis esse Apostolum dixeris, oblationemque secundùm eamdem rationem ei tribuat qui univit, &c. Anathema sit.*

Eòdem spectant quæ ex ejus libro, Quaternione 16. referuntur Actione 1. Concilii Ephesini. *Propter gestantem, gestatum veneror: propter latentem, adoro apparentem. Inseparabilis à visibili Deus: atque ideò ejus qui non separatur, honorem non separo. Naturas separo, sed adorationem conjungo.*

Probatur tertiò. Qui disertè Beatissimam Virginem Mariam Deiparam negavit, hæreticus est: sed Nestorius Beatissimam Virginem Mariam disertè negavit Deiparam: Hæreticus itaque censendus est.

Probatur minor ex Sermone 1. ipsius Nestorii. *Audiant hæc*, inquit, *qui in dispensatione Dominica Innovationis cæcati, non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Qui, sicut modo cognovimus, à nobis invicem frequenter sciscitantur, an Θεοτόκος dicenda sit Maria, an autem ἀνθρωποτόκος. Habet matrem Deus? Ergo excusabilis Gentilitas matres Diis subintroducens. Paulus ergo mendax, de Christi deitate dicens: Sine patre, sine matre, sine generationis narratione. Non, vir optime, Maria peperit Deum. Quod enim de carne natum est, caro est; & quod de Spiritu, spiritus est. Non peperit creatura eum qui est increabilis, nec recentem de Virgine Deum Verbum genuit Pater: In principio enim erat Verbum, sicut Joannes ait. Non peperit creatura Creatorem; sed peperit hominem deitatis instrumentum.*

Et Sermone 5. *Formatur in utero infans: sed quoad figuram acceperit, nondùm habet animam: at ubi figuratus fuerit, jam anima informatur à Deo. Ut igitur mulier corpus parit, sed Deus animam tribuit; atque ideò mulier dicitur animæ genitrix, quia peperit animatum; sed potiùs hominis genitrix: sic quoque Beata Virgo etsi peperit hominem, simul cum illo pertranseunte Dei Verbo, non ideò est Dei genitrix. Non enim Verbi divinitas à Beata Virgine initium cepit, sed erat naturâ Deus. De Beato Joanne Baptista prædicatur à sanctis Angelis, implendum esse infantem Spiritu sanctô, adhuc ex utero matris suæ; atque ita B. Joannes Baptista Spiritum Sanctum habens editus est. Quid igitur? Appellabisne ipsam Elisabeth Spiritûs genitricem? Huc animum referte, ac si qui in nobis fuerint, qui ad ea quæ dicuntur, tanquam ad inaudita & insolita moveantur, veniam date illorum imperitiæ.*

Et in Epistola ad Celestinum, negat Beatam Virginem dicendam esse Deiparam, tum quia Nicæni Patres ab hoc vocabulo abstinuerunt: tum quia Scripturæ ubique Virginem Matrem Christi, non Dei Verbi, & per Angelos, & per Apostolos prædicarunt; tum etiam quia debet esse parienti ὁμοούσιος nativitas,

tivitas, Dei autem Verbi commixtura nulla est cum homine. Tum addit: *Si quis autem hoc nomen* Θεοτόκον, *propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parientem proponat: dicimus quidem, hoc vocabulum in eam quæ peperit, non esse conveniens. Oportet enim veram Matrem de eadem esse essentia, quâ est ex se natum; ferri tamen posse propter ipsam considerationem, & quod solum nominetur de Virgine hoc Verbum, propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa: non quia ipsa sit Mater Dei Verbi: Nemo enim antiquiorem se parit.* Eumdem errorem propugnat in Epistola 2. ad S. Cyrillum.

Probatur secunda pars ex Epistola S. Cyrilli Alexandrini ad S. Celestinum Romanum Pontificem, in qua inter alia testatur, Dorotheum quemdam Episcopum, Nestorio perversi dogmatis communione conjunctum, ipso in Cathedra Constantinopolitanæ Ecclesiæ sedente dum frequens esset in Ecclesia populus, surrexisse, & magnâ voce inclamasse: *Si quis Mariam Deiparam dixerit, Anathema sit.* Idem quoque constat ex omnibus ejusdem Sancti Cyrilli Scriptis adversùs Nestorium, & maximè ex ipsius Anathematismis, & illorum expositione. Cùm enim Anathematismos illos ad Nestorii configendos errores, & eorum consectaria penitus evertenda ediderit, & de Nestorii doctrina cùm ex ejus Epistolis, tum ex ipsius Homiliis, tum denique ex fidelissimis relationibus certior factus fuerit; summæ temeritatis est asserere Nestorium eorum errorum purum fuisse, quos suis Anathematismis Cyrillus configit. Porrò Anathematismo primo statuit S. Cyrillus, Emmanuelem verè Deum esse: Matremque Emmanuelis verè Deiparam. Anathematismo 2. Naturas esse secundùm hypostasim unitas, Christumque esse unum, eumdemque Deum & hominem. Anathematismo 3. Naturas non esse conjunctas solâ unione morali, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem quamdam, sed unione naturali. Hinc colligit Anathematismo 4. Ea quæ de Christo dicuntur, non ita esse partienda, ut alia soli homini, alia soli Deo, & non omnia uni eidemque tribuantur. Anathematismo 5. Christum esse verum Deum, non autem hominem Deiferum. Anathematismo 6. Verbum non esse Christi Deum aut Dominum, sed unum eumdemque Deum simul & hominem. Anathematismo 7. Christum non esse hominem Verbi divini vi actum, velut ejus organum ac instrumentum. Anathematismo 8. rejicit has propositiones, *Homo assumptus, unà cum ipso Dei Verbo adorandus est, unà cum ipso glorificandus, unà cum ipso Deus appellandus*: unâque adoratione Emmanuelem adorandum esse statuit, quatenùs Verbum factum est caro. Anathematismo 9. docet Christum vim faciendi miracula non accepisse à Spiritu Sancto, tanquam ab aliena virtute, sed eâdem virtute operatum miracula, quâ Deus. Anathematismo 10. Pontificem confessionis nostræ verè esse Verbum, & pro nobis sacrificium obtulisse. Anathematismo 11. carnem Domini vivificam esse, ipsiusque Verbi qui ex Patre est propriam, non autem alterius cujuspiam ipsi Verbo secùndùm dignitatem tantùm conjuncti. Anathematismo 12. statuit, Verbum verè passum esse suâ carne, & suâ virtute surrexisse à mortuis. Cùm igitur hi Anathematismi sint oppositi Nestorii dogmatibus, argumento est in illis erroribus versatum fuisse Nestorium, qui hisce S. Cyrilli Capitulis confodiuntur.

Idem probatur ex S. Leone Magno *Epistola* 97. vel 154. novæ Editionis ad Leonem Augustum datâ: *Anathematizetur ergo Nestorius*, inquit, *qui Beatam Virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodò credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec unum Christum in Verbo Dei, & carne sentiret, sed separatim atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicaret.* Et *Epistola* 23. in nova Editione P. Quenellii 46. ad Clerum & plebem Constantinopolitanam datâ, cap. 5. *Nec dicimus quod Beata Virgo Maria hominem sine deitate conceperit, qui creatus à Spiritu Sancto, postea sit susceptus à Verbo, quod Nestorium prædicantem meritò justeque damnavimus.*

Idem probatur ex Theodoreto lib. 4. *Hæreticarum Fabularum cap.* 12. ubi de Nestorio sic loquitur. *Super candelabrum divini Pontificatus suggestus, non lucernam veritatis, sed tenebras posuit impietatis. Primus autem initium novitatis gradus fuit, non oportere Sanctam Virginem, quæ Dei Verbum peperit, quod ex ea carnem suscepit, Deiparam confiteri, sed Christiparam duntaxat: cum tamen antiquissimi Orthodoxæ Fidei Prædicatores, juxta Traditionem Apostolicam, Deiparam docuerint nominare & credere Domini matrem... Christi appellatio*, inquit, *duas naturas significat, divinitatem Unigeniti, & humanitatem: Dei autem vox absolutè prolata, simplicem & incorpoream Dei Verbi substantiam repræsentat. Hominis verò, solam humanam naturam ostendit. Propterea Christiparam*, inquit, *& non Deiparam Virginem fateri necesse esse, ne imprudentes dicamus Deum Verbum initium ex Sancta Virgine sumpsisse, atque ita antiquiorem matrem eò qui ex ea natus est, ex consequenti confiteri cogamur. Ne videar autem inanibus conviciis hæc in illum jactare, illum ipsum suis verbis testem producam. Apostolicorum enim documentorum, & Sanctorum quorumcunque memoriam ex cogitatione sua exterminans; in Orthodoxorum Ecclesia multas istiusmodi voces edidit: Non peperit, optimi viri, Maria Deum, sed hominem peperit divinitatis instrumentum. Et in aliis rursum ait: Culpâ vacat Gentilis, qui Diis matrem inducit.... Unde quoniam horrendâ morte peribunt impii, Pontificatu per Sanctos Episcopos congregatos divinò suffragiò dejectus est, & jussu Imperatoris Oasim habitare jussus, futuri impiorum supplicii illinc sumpsit exordium.*

Idem probatur ex Vincentio Lirinensi in Commonitorio 1. cap. 17. *Nestorius*, inquit, *contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repentè personas, & inaudito scelere duos esse vult Filios Dei, duos Christos; unum Deum, alterum hominem; unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex Matre. Atque ideò asserit Sanctam Mariam non* Θεοτόκον, *sed* Χριστοτόκον *esse dicendam; quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus sed ille qui erat homo natus sit.*

Idem probatur ex Cassiano lib. 5. de Incarnatione Domini contra Nestorium, cap. 1. ubi ait: *Hæresim illam Pelagianæ hæreseos discipulam atque imitatricem, id omnibus modis tentasse atque pugnasse, ut Dei Filius Dominus Jesus Christus, natus ex Virgine homo tantùm solitarius crederetur; & arreptâ postmodum virtutis viâ, id eum piè religiosèque vivendo obtinuisse, ut dignus per hanc vitæ sanctimoniam fieret, cui se Majestas divina sociaret: ac sic exclusâ ab eo penitus sacræ originis dignitate, sola ei tantummodò meritorum relinqueretur electio.* Et infrà: *Solitarium quippe hominem natum esse asserit Dominum Jesum Christum: & ideò Mariam Christotocon, non Theotocon esse appellandam, quia Christi Mater, non Dei. Addit præterea sacrilegæ assertioni quàm prava argumenta, tam frivola, dicens: Nemo anteriorem se parit*, &c.

Idem probatur ex Evagrio, (lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2.) *Nestorius vocem quidem Deipara, quæ à multis probatissimis Patribus, Sancti Spiritûs afflatu fabricata fuerat, rejecit ac repudiavit: Christiparæ autem vocabulum tanquam adulterinam monetam à se cusum atque efformatum, vice illius supposuit.* Et infrà: *Anastasius cùm in Ecclesia Constantinopolitana Sermonem haberet ad populum Christi amantem, ausus est palàm ac disertè dicere: Mariam nemo*

 Deiparam

Deiparam vocet. Nam Maria homo fuit. Fieri autem non potest, ut ex homine nascatur Deus. Iis auditis, cum populus Dei graviter commotus esset, & sermonem illum, uti parerat, blasphemiam duceret, Nestorius auctor illius blasphemiæ, non modo Anastasium non prohibuit, nec rectæ sanæque doctrinæ patrocinium suscepit: Verùm iis quæ ab Anastasio dicta erant, apertè robur addidit, in hujusmodi disceptationibus pervicaciter insistens. Interdùm etiam propria interserens atque intexens dogmata, & reconditum mentis suæ virus effundens, adhuc pejora & magis impia docere conatus est. Adeò ut in suam ipsius perniciem hæc diceret; Ego illum qui bimestris ac trimestris factus est, nunquam Deum appellaverim.

Idem probatur ex Liberato in Breviario causæ Nestorianæ & Eutychianæ, cap. 4 *Ordinatò*, inquit, *Nestorio, die t. mensis Aprilis, Consulatu Felicis & Tauri, Anastasius coram Ecclesia docens: Dei*, inquit, *genitricem Mariam nullus dicere præsumat: quoniam Maria homo fuit, & Deum ab homine generari, nimis est impossibile. Quòd cùm pariter audisset plurima Clericorum & Laicorum, multùm conturbati sunt. Didicerant enim antiquitùs Deum confiteri Christum, & nullatenùs per dispensationem hominem à Deo separatam credebant. Tumultu ergo factò in Ecclesia, Nestorius volens firmare Anastasii sermonem, eo quòd eum honoraret, tanquam blasphemum noluit arguere, sed frequenter hoc coram Ecclesia docebat, & agitabat hanc quæstionem cum contentionibus, abnegans Dei Genitricis confessionem. Unde divisio nata est in Ecclesia, & concussionem magnam orbi terrarum tepidissimi Tractatus Nestorii concitaverunt. Sed eò non emendante, Constantinopolitana Ecclesia erat in scandalo.... Quoniam Nestorius in ea erat opinione, quod omninò purum hominem diceret Christum, introducens in Ecclesiam Pauli Samosatei, & Photini doctrinam.* Idem constat ex Leontio lib. *de Sectis*, *actione* 4. dicente, *Duas à Nestorio hypostases positas esse*. Et ex Vigilio lib. 2. contra Eutychem, dicente: *Nestorius duas inducendo naturas, duas putavit esse personas, & ob hoc arbitratus est eò ut sacrilego dogmate duos Christos induci.... Et subinde: Nestorius proprietatem attendendo personarum, à persona excidit unione, & duos putavit Christos, unum passibilem, alterum impassibilem esse.*

Idem probatur ex Facundo Hermianensi lib. 1. *Quid ergo Nestoriani*, inquit, *quasi cautiores & diligentiores ipso Joanne Apostolo, immò ipso Deo Verbo, qui sic de se in Joanne loquebatur Apostolo, refugiunt quæ sunt humanitatis Deo tribuere, & Beatam Mariam dicere verè & propriè Matrem Dei, quam non refugiunt dicere verè & propriè hominis Matrem, nisi quia non eandem credentes esse Deum, quem hominem, duos nobis Filios, licet non verbis, rebus tamen volunt inducere?*

Et lib. 6. *Beatus Cyrillus contra Nestorium quamdam nefandam dualitatem conantem inducere, ne quam occasionem daret errori, sermonem suum magis ad ea quæ unitatis sunt coarctabat.* Et loquens de Concilio Chalcedonensi, ait: *Si Chalcedonensis Synodus velut Nestorianam hanc Epistolam* (Ibæ) *improbaret, hinc potiùs excusasse Nestorium videretur. Non autem ita debuit religiosa illa Synodus gravissimum crimen levigare Nestorii, quæ benè cognoverat, quod longè alia blasphemia sit, quæ hujus hæresis nomen accepit. Illa mysterium divinæ Incarnationis evacuat, in qua salus nostra consistit: illa aliam hominis, aliam Dei subsistentiam dicit, ut humanam naturam alienet à Deo, quæ in suis primitiis Verbo assumente sancta est.*

Probatur tertia pars ex Ecclesiæ judiciis contra Nestorium, scilicet Romana sub Celestino Pontifice Maximo habitâ Synodo anno 430. in qua S. Cyrilli fides approbata est, & errori Nestorii dictum anathema. Ea quoquè in Nestorium ipsum dicta sententia est, ut nisi intra decimum diem à denuntiatione, errorem ejuraret, excommunicationis & exauctorationis subiret sententiam. 2. Ex universali Synodo totius Ægypti, in qua Synodica Celestini Pontificis & Romanæ Synodi suscepta est, missique Legati Constantinopolim, qui illam Nestorio significarent. 3. Ex Synodo Romana, è qua Legati missi sunt Ephesum, qui executionem Sententiæ in Nestorium à Celestino latæ urgerent in Concilio Oecumenico 4. Ex Ephesina Synodo Oecumenica, in qua Nestorius anathemate confixus est & exauctoratus: *Deprehendentes* (inquiunt Patres Ephesini) *partim ex literis commentariisque ipsius, partim è Sermonibus, quos nuperrimè in hac Ephesiorum Metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum impiè sentire ac prædicare: coacti per sacros Canones, & Epistolam sanctissimi Patris nostri & comministri Celestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lachrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessariò venimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio alienum esse definit.* Ephesini Concilii contra Nestorium judicium, aliæ Synodi, aliique Patres veriti sunt; infandum hunc Hæresiarcham velut impiæ doctrinæ ducem legibus suis insectati sunt Christiani Imperatores, ejusdemque hæreseos Sectatores coercuerunt; totus orbis Christianus Christi & Deiparæ hostem abominatus est. Natura cum filii Dei, tum Matris ejus sanctissimæ vindex, volente Deo, linguam ejus depascendam vermibus ante mortem dedit. Summæ igitur imprudentiæ est, & malè feriati ingenii, ipsum hæreseos absolvere.

Objicitur primò Qui asseruit Christum non esse hominem solum; non esse duos Filios, aut Dominos, aut Christos: naturas ambas in unam Verbi hypostasim convenisse: & Beatam Virginem rectè dici posse Deiparam, is purus censendus est oppositorum errorum qui ipsi tribuuntur. Atqui Nestorius singula hæc asseruit capita. Igitur purus est errorum quorum damnatus est.

Probatur minor quoad singulas partes. Quoad primam, ex Sermone illius 12. ubi ait: *In stupore dentium remaneat Paulus Samosatenus, qui nobis Dominicum humanitatem nudam à Deitate delirat, qui solam, præter divinitatem, fabulatur hanc, quæ semper conjuncta est, atque connexa, quæ eadem ac pariter potest, quæ Deus. Donavit enim illi Deus nomen quod est super omne nomen.*

Quoad secundam, probatur ex Sermone 11. *Divisio non est, neque conjunctionis, neque potentiæ, neque filiationis, neque hujus quod est Christus. In his divisio non est; in deitate verò & humanitate divisio est. Christus, secundùm quod est Christus, indivisus est; & Filius, secundùm quòd est Filius, indivisus est. Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios; neque est apud nos primus Christus & secundus; neque alter & alter; neque iterùm alter filius, & iterùm alter filius: sed idem ipse est duplex, non dignitate, sed naturâ.*

Quoad tertiam partem, probatur ex Epistola 2. Nestorii ad Celestinum I. quâ invehitur in eos qui pessimam opinionem Apollinaris & Arii secuti, *Quamdam contemperationis imaginem ex deitate & humanitate Unigeniti concipiunt: & corporis passiones audent superfundere deitati Unigeniti, & immutabilitatem deitatis ad naturam corporis transisse confingunt, & utramque naturam, quæ propter conjunctionem summam & inconfusam in una persona Unigeniti adoratur, contemperationis mutabilitate confundunt.*

Quoad postremam denique partem, probatur ex ipsius

ipsius Sermone 6. *Dixi jam sæpiùs*, inquit, *Si quis inter vos simplicior, sive inter quoscunque alios, voce hâc* Θεοτόκῳ *gaudet, apud me nulla est de voce invidia; tantùm ne Virginem faciat Deum*, &c. Et Sermone 12. *Damna eos qui dicunt, secundùm Apollinaris & Arii sensum, Dei genitricem; & ego unà tecum clamo* Θεοτόκον, Et postea: *Filius Dei natus est Deus Verbum & homo: ergo quæ peperit, propter unitatem dicatur Dei genitrix, id est*, Θεοτόκος. Idem constat ex Sermone 13. & ex Epistola 3. ad Celestinum.

Respondeo, distinguendo majorem: Qui hæc asseruit sine fuco, & in sensu Ecclesiæ, concedo: B qui hæc asseruit verbis tenus, & quidem ambiguis, hæreticum sensum tegentibus, nego. Nestorius porrò & Christum non esse hominem solum, & non esse duos Filios Dei, & unicam esse in Christo personam, & B. Virginem dici posse Deiparam, asseruit verbis tenus, & quidem ambiguis, quibus Catholicis insidiaretur & fucum faceret: non autem ea dogmata propugnavit, vel propositiones illas admisit Catholicô sensu.

Et quidem quòd primam spectat, Christum solum hominem eô duntaxat sensu negavit, quasi extitisset aliquando sine Verbo: naturas enim ambas in C ipso Virginis utero, imò & in ipso conceptu copulatas esse fatebatur. Sed in eo tamen Paulo Samosateno assensus est, quòd has naturas copulatas diceret solô nexu morali: quô fiebat ut Deus esset quidem hominis, & homo Dei; non tamen Deus homo, & homo Deus; ex quo etiam sequebatur, Verbum non esse factum carnem, sed carnis tantùm inhabitatorem. Id autem asserere, quid erat nisi Christum asserere hominem solum? Quemadmodùm Moyses, in quo Deus inhabitabat, ita ut Pharaonis Deus etiam diceretur, solus homo reipsâ erat. Hinc S. Cyrillus in Expositione Anathematismi 5. de D Nestorio & ejus Sectatoribus, ait: *Simulant se Incarnationis vocem admittere: verùm incarnatum esse revera Dei Verbum non putant; hoc est, hominem esse factum nostri similem: ita ut quod erat maneret. Verùm asserunt sic tanquam in uno quopiam homine ex Sanctorum numero, de Maria Virgine natum, habitasse unigenitum Verbum.* Id declarat falsum illud Symbolum à Nestorio, vel Theodoro Mopsuesteno conditum, quòd Charisius Presbyter Ephesinis Patribus obtulit, in quo legitur: *Verbum divinum hominem assumpsisse perfectum: quem quidem hominem natura nostri similem, Spiritus Sancti virtute in E Virginis utero formatum, factum ex muliere, factum sub lege, arcanô quôdam modô sibi conjunxit.* Ac subinde hominem illum, quòd cum Deo conjunctus sit, ejusdem cum ipso honoris ait esse participem. Denique id perspicuum est ex Contestatione publicè proposita à Clericis Constantinopolitanis, & promulgatâ in Ecclesia, quâ Nestorium ejusdem esse sententiæ cum Paulo Samosateno ostenderunt. Extat illa 1. p. Concilii Ephesini cap. 13. Sic autem habet: *Paulus Samosatenus ait: Maria Verbum non peperit. Nestorius ab hujus sensu non recedens: Heu tu*, inquit, *bone vir, Maria divinitatem non edidit, Addit Paulus: Neque enim erat ante sæcula.* F *Nestorius ait: Divinitati, quæ tempora condidit, matrem temporaneam assignant. Rursùm Paulus: Maria Verbum suscepit, neque est antiquior Verbo. Nestorius ait: Quî fieri queat, ut Maria ex se genuerit antiquiorem se? Paulus ait: Maria edidit hominem nobis assimilem. Nestorius dicit: Qui ex Virgine natus est, homo est. Paulus ait: Atqui per omnia nobis præstantior est? Num de Spiritu Sancto est, divinisque editus promissis, & juxta Scripturam gratia illi data est. Nestorius ait: Vidi Spiritum descendentem quasi columbam, & manentem super illum, nec non ascensionis vim illi impertientem: quandoquidem præcipiens* A *Apostolis quos elegerat, per Spiritum Sanctum assumptus est. Hic igitur ille est, qui hanc tantam gloriam Christo impertitus est. Paulus ait: Ut neque is qui genere ex David ductus est, à sapientia alienus sit; neque tantum sapientiam in alio quopiam, quanta in ipso, extitisse putemus. Sanè fuit illa in Prophetis, sed amplior in Moyse: fuit in multis Sanctis; at verò in Christo, tanquam in Dei templo amplissima extitit. Idem in alio loco alium docet esse Jesum Christum, alium rursus Deum Verbum. Nestorius ait, Fieri nequit, eum qui ante omnia sæcula natus est, denuò nasci, idque secundùm divinitatem. En manifestiùs legis transgres-* B *sor deprehenditur Nestorius, ut qui eum qui ex Patre genitus est, natum ex sacra Virgine neges. En Paulo Samosateno hæretico, qui alium asseris esse Verbum, & alium Jesum Christum, neque unum esse, ut Orthodoxa profitetur Ecclesia, plenissimè adstipulatur.* His gemina sunt, quæ scribit Marius Mercator in Epistola de discrimine inter hæresim Nestorii, & dogmata Pauli Samosateni.

Quoad secundam partem; Nestorius non minori fraude Christum esse unum Filium ac Dominum prædicabat, *Duos namque filios, licet non verbis, rebus tamen volebat inducere*, ut ait Facundus Hermianensis. Et Christum esse unum asseverabat, non hypostasi, sed merâ conjunctione, quia Unigenito Dei conjungebatur ut templum inhabitatori. Sic etiam dicebat unam personam, unitate morali, non naturali: quòd nimirùm Incarnatione Verbi facta esset una & eadem Dei & hominis dignitas, auctoritas & potestas. Nomen enim personæ sumpsit ut est vox juris, quâ ratione conjuges una sunt persona: cùm tamen sumere debuisset, si bonâ fide ageret, prout est naturæ quiddam, atque ipsa hypostasis, quâ ratione conjugum duæ sunt reipsâ personæ, duæque hypostases. Hinc S. Cyrillus Epistola 8. ad Clerum Constantinopolitanum scopum hunc habere scribit Nestorianos, *Duos prædicare Christos, ac duos Filios; & hominem seorsim, ac Deum seorsim constituere; eòque stabilitò, solarum personarum unitionem asserunt, ideò versutè, agunt, & excusationes in peccatis fingunt.* Et certè Nestorius ipse ad Cyrillum, *lib. 2. contra Nestorium p.* 44. apertè profitetur quemadmodùm unitas in Christo, ac divisio, vel duplicitas spectanda sit. Ait enim: *Nullam esse divisionem copulationis illius, quæ in dignitate consistit, neque filietatis; sed neque quà Christus est, ullam esse divisionem: verùm divinitatis & humanitatis duntaxat.* Quare nec *Duos habere nos Christos, nec Filios duos: sed unum & eundem esse dignitate, non naturâ.*

Hinc Synodus Quinta Oecumenica, Anathemate 4. unionem naturarum duarum, ex Nestorii sententia, *Secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm auctoritatem, aut relationem, aut effectum, aut virtutem* esse demonstrat, *vel secundùm bonam voluntatem.* Additque, *Nestorianos Deum Verbum Filium, & Christum vocantes, & hominem separatim Christum & Filium nominantes, & duas personas evidenter dicentes per solam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam personam, & unum Filium, & unum Christum confingere.*

Hinc denique Vincentius Lirinensis *Commonitorio* 1. *cap.* 17. ait: *Nestorius contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repentè personas, & inauditô scelere, duos esse vult Filios Dei, duos Christos*, &c. *Quòd si quis eum putat literis suis unum Christum dicere, & unam Christi prædicare personam, non temerè credat: aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona faciliùs suaderet & mala, sicut ait Apostolus: Per bonum mihi operatus est mortem. Aut ergo, ut diximus, fraudulentiæ causâ quibusdam in locis*

Scriptorum

Scripterum suorum unum Christum, & unam Christi personam credere se jactitas. Aut certè post partum jam Virginis ita in unum Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptûs, seu partûs Virginei tempore, & aliquantò post duos Christos fuisse contendat; ut cùm scilicet Christus homo communis primùm & solitarius natus sit, & necdum Dei Verbo personæ unitate sociatus, postea in eum assumentis Verbi persona descenderit: & licet nunc in Dei gloria maneat assumptus, aliquandiu tamen inter illum & cæteros homines nihil interfuisse videatur. Quamquam non ita senserit Nestorius, quemadmodùm in postrema hujus disjunctivæ parte Vincentius Lirinensis asserit. Hinc patet responsio ad tertiam partem minoris.

Ad quartam respondeo, Nestorium pariter B. Virginem dici Deiparam permisisse subdolô & perfidiosô sensu, quòd scilicet hominem genuisset Deo unitum, & templum Verbi Dei; non Deum ipsum. Suam ipse mentem exposuit Hæresiarcha vaferrimus Epist. 1. ad Celestinum Pontificem Maximum, his verbis: *Si quis autem hoc nomen Θεοτόκος, propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parentem proponat, dicimus quidem hoc vocabulum in eam, quæ peperit, non esse conveniens: oportet enim veram matrem de eadem esse essentia, quâ est ex se natum; ferri tamen posse propter ipsam considerationem, & quòd solùm nominetur de Virgine hoc verbum, propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa; non quia ipsa sit Mater Dei Verbi: Nemo enim antiquiorem se parit.*

Præterea, in primo Sermone hæc effutiit, ut apud Marium Mercatorem legere est: *Non, vir optime, Maria peperit Deum, non peperit creatura Creatorem: sed peperit hominem Deitatis instrumentum.* Ibidem Catholicum Dogma quo Beatam Mariam Virginem Deiparam profitemur, Gentilium fabulas sapere blasphemat. *Habet*, inquit, *Matrem Deus? Ergo excusabilis Gentilitas Matres Diis subintroducens.* Et Sermone XV. *Aliud est dicere*, inquit, *quia nato de Maria conjunctus erat Deus ille qui est Verbum Patris, quod est liquidissimum & firmum atque irreprehensibile Gentilibus; & aliud, quia Divinitas indiguit nativitate in mensibus decurrente.*

Objicies secundò testimonium Joannis Antiocheni, cui notissima fuit Nestorii fides, cùm ipsi amicitiâ conjunctissimus esset. Is enim in Epistola ad ipsum Nestorium, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 25 testatur ipsum solas voces respuere quibus Patres usi sunt, eamdem autem sententiam tenere. *Si enim*, inquit, *mens tua eadem sapit, & sentit, quæ Sancti Patres, Ecclesiæque Doctores (nam hoc, Domine mi, & ex multis, & ex communibus amicis de te accepimus) quorsum vereris pium sensum convenienti voce publicare? Quis quæso reprehendat, si ea quæ sentit, liberè exponat? Imò verò quis non laudet, si nomen cujus sensum Pietas tua, ut cognovimus, possidet, propter publicam quietem, communemque orbis pacem admittat?* Et rursus: *Multi, ut intelligo, non infrequenter ex te audierunt, quòd ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem averseris: Si qui vero celebriori fama Ecclesiastici auctores tibi fuerint, ut ipsô quoque nomine admissô, sacram Virginem Mariam Deiparam appellet, te istud neutiquam recusaturum esse.*

Confirmatur ex Theodoreto in *Epistola ad Alexandrum Hierapolitanum* significante, se Joanni Antiocheno vehementer succensere, quòd initâ pace cum Cyrillo, Nestorii abdicationi unà cum Orientalibus suis consensisset, ejusque sanam doctrinam indiscretè damnasset. *Idipsum sentiens*, inquit, *indiscretè, atque iniquè damnavit eum, qui nihil præter doctrinam sanam novit aliquid & docuit. Sed Anathematismus, licet idoneus sit amplius quàm consensus damnationis ejus, turbare lectorum: tamen quia non indiscretè, sed sub quadam consideratione positus est, solatium præstitit: nec enim dixit: Anathematizamus doctrinam ejus, sed, Quæcunque aliter dixit, aut sensit, quam doctrina Apostolica continet.* Pergit Theodoretus Alexandrum alloquens: *Jam tuæ Sanctitati prædixi, quia si Domini mei venerabilis, & sanctissimi Episcopi Nestorii fuerit dogma damnatum, nec ego cum his, qui hoc faciunt, communicabo.* Et in Epistola ad Andream Samosatenum: *Exigit autem Aristolaus subscriptionem factæ dudum damnationis, & ut anathematizetur sancti Episcopi dogma Nestorii. Scit autem vestra Sanctitas, quod si quis indiscretè doctrinam anathematizet ejusdem sanctissimi & venerabilis Episcopi, idem est, ac si pietatem anathematizare videatur.*

Confirmatur secundò testimonio Acacii Beroensis Episcopi in Epistola ad S. Cyrillum, quæ extat 1. *p. Concilii Ephesini cap.* 53. in qua Nestorio vocem quidem malè elapsam esse fatetur, & quæ emendatione indigeat: ipsum tamen excusat ab errore, ipsique aliquid simile contigisse ait ei quod accidit Paulino Antiochiæ Episcopo: qui etsi tres hypostases palàm dicere recusaret, re tamen & virtute ab illorum sententia & fide qui hoc profitebantur, non recedebat. Addit, multos Constantinopoli venientes asseruisse, nihil à Nestorio dictum, quod in sensu contineret aliquid Apostolicæ Doctrinæ, aut Nicææ Fidei contrarium.

Respondeo primò, Joannem Antiochenum exprobratione hæreseos noluisse Nestorii animum jam exacerbatum agere in furias, sed œconomicâ potiùs velut adulatione delinire, ut eum ad fidem & officium revocaret. Secundò, tunc temporis non fuisse adhuc palàm omnibusque cognitos Nestorii errores, nec unam, constantemque fuisse omnium de ipsius fide opinionem. Verbis enim ambiguis perversæ sententiæ virus tegebat, quæ alii in pravum sensum, qui sub eis, secundùm Hæresiarchæ mentem, latebat, interpretabantur; alii in benigniorem partem flectebant, propensione singularis amicitiæ, quâ ipsi erant conjuncti: quod de Joanne Antiocheno, Acacio Beroensi, & Theodoreto dicendum est: qui Nestorii sin minùs errori, personæ tamen impensè studuerunt ac faverunt. Et maximè omnium Theodoretus, qui nequidem cùm pax iniretur inter Orientales & S. Cyrillum, æquo animo passus est ut Joannes Antiochenus damnationi & abdicationi Nestorii assensum præberet. Sed is in Theodoreto facti merus error fuit, quia studio partium excæcatus, sibi persuadere non potuit Nestorium esse dogmatum adeò impiorum auctorem: quamvis eos ipsos fuerit execratus errores, quorum damnatus est Nestorius. Unde in laudata ad Andream Samosatenum Epistola, ait: *Oportet ergo, si omninò compellimur, eos anathematizare, qui purum dicunt hominem Christum, aut qui in duos Filios unum Dominum nostrum Jesum Christum dividunt, & qui ejus abnegant deitatem.* Sed tandem eruditior factus in causa Nestorii, & de ejus hæresi & impietate certior factus, palàm dixit anathema Nestorio in Concilio Chalcedonensi, & lib. 4. Hæreticarum Fabularum ipsum nefariæ hæreseos authorem esse probat. Ex quibus patet responsio ad utramque confirmationem.

Objicies tertiò testimonium Socratis *lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 32. ita scribentis: *Nestorius apud complures venit in opinionem, quòd Dominum simplicem hominem esse diceret, quòdque Pauli Samosateni & Photini dogma in Ecclesiam introduceret; atque de hac re tanta concertatio, tantaque tempestas commota est, ut Oecumenicô Conciliô opus fuerit. Ego verò dum ejus libros lustro, hominem imperitum reperio &c. Nec tamen mihi videtur imitari Paulum Samosatenum: aut Photinum, & Dominum omninò simplicem hominem dicere; sed solam Deipara vocem tamquam*

larvam reformidare. Et postea: *Videtur Veterum lucubrationes ignorare, adeòque, ut dixi, vocem hanc insectari: nec enim Christum simplicem hominem dicit, ut Photinus & Paulus Samosatenus. Et Homiliæ ab eo editæ docent, eum nullo modo divini Verbi personam abstulisse, sed ubique illud fateri subsistens & existens, &c. Sic eum sentientem reperio, tum ex ejus libris quos legi; tum ex his qui amatores ipsius dicunt.*

Respondeo, quòd etsi Nestorius à Paulo Samosateno & Photino in aliquibus dissenserit, nimirum in hoc quòd hominem cum Verbo per se hypostatico, & Patri consubstantiali unitum assereret, quod illi negabant; quodque Verbum Deum ante Mariam fuisse personam subsistentem assereret, quod illi fuerant inficiati: nihilominus in eo cum ipsis conveniebat, quòd & Christum verè Deum esse, & Mariam Virginem Deiparam, negaret. Deinde non tanti est Socratis, qui aut Scholasticus de foro, aut de Aula Scriptor fuit, auctoritas, ut Veterum omnium testimoniis præponi debeat, ac præsertim Marii Mercatoris locupletissimo testimonio in Epistola de discrimine inter hæresim Nestorii & Pauli Samosateni.

Objicitur quartò. Eadem fuit Nestorii, quæ Diodori Tarsensis, & Theodori Mopsuesteni de Incarnatione sententia & fides. Nam Theodorum Nestorius, Diodorum verò Theodorus Præceptorem habuit. At uterque Christum Dominum Deum æternum, non *hominem purum* esse credidit, ut probat Facundus Hermianensis *lib.* 3. *& lib.* 4. ubi & plurimorum Patrum testimoniis utrumque rectæ fidei fuisse demonstrat. Igitur & Nestorius rectè sensit.

Respondeo, nego minorem. Nam & S. Cyrillus impia ipsorum dogmata prodidit, & Theodori doctrinam damnavit Ecclesia in Quinta Synodo Oecumenica: & ipsi suis se verbis ac Scriptis satis prodiderunt. Nonne enimverò planè hæretica est hæc Diodori sententia lib. 1. contra Synusiatas? *Ne Filius Mariæ putetur Deus Verbum: mortalis enim mortalem generat secundùm naturam: & corpus generat consubstantiale; & duas generationes Deus Verbum non sustinet, unam ante sæcula, alteram posterioribus temporibus.* Et ibidem: *Perfectus ante sæcula Filius; perfectum, quod ex David assumpsit; Filius Dei, Filius David. Dices mihi: Duos igitur filios prædicas? Duos filios David non dico: Non enim dixi Deum Verbum filium David; sed neque duos filios Dei secundùm substantiam: nec enim dico duos ex substantia Dei, cum dico Deum Verbum ante sæcula, habitasse in genito ex semine David.*

Has Præceptoris sui erroneas sententias exscripsit, probavitque Theodorus in libris suis *de Incarnatione*, quibus addidit: *Non sic in eo, qui est ex semine David, sicut in Prophetis habitavit Deus Verbum. Illi enim peculiari, & modicâ quadam quantitate, Sancti Spiritus gratiâ fruebantur; hic autem in his, in quibus interdum erant illi, jugiter permanebat. Gloriâ Verbi ac sapientiâ replebatur, alter procul dubio præter Verbum, & subsistens propriè Filius, ac seorsum: non enim Verbum semetipsum sapientiâ replebat & gloriâ, sed alteri potius hæc, quæ sunt insignia conferebat.*

Nec refert quòd Diodorus Tarsensis à pluribus Patribus laudatus sit, quorum testimonia in ipsius gratiam & commendationem refert Facundus, & quòd Sanctorum Athanasii, Basilii, & Epiphanii amicitiâ & usu dignatus sit. Nam ob integram de Trinitate fidem laudatus est à Sanctis Patribus Diodorus, & jure meritò, utpote qui rem Catholicam adversùs Arianos strenuè tutatus est, ob idque à Magno Meletio Antiocheno Episcopo Tarsensium Episcopus creatus. At ejus de Incarnatione dogmata non excusserunt veteres illi Patres: nec ad ea forsan attenderunt. Aut certè, antequam hæ quæstiones agitarentur, putarunt hæc ab eo innocenter dicta; qui nec sententias illas prædicabat, propugnabatve pertinaciùs, nec ab Ecclesiæ communione recedebat, imò ejus fidem ac unitatem tuebatur. Unde & Synodus Oecumenica Secunda in constituenda gubernatione Ecclesiasticarum Diœceseon, inter Catholicos Episcopos, Diodorum Tarsensem recenset. Cujus Decretum secutus Theodosius, latâ lege tradi jussit Ecclesias Catholicis Episcopis, & nominatim designavit aliquos qui capita communionis essent; quos inter adscripsit Diodorum. Extat in Cod. Theodos. Leg. 5. *de Fide Catholica.*

De Theodoro Mopsuesteno dicemus uberiùs in Dissertationibus sequentis Sæculi, ubi de Trium Capitulorum damnatione agemus. Satis sit hîc monere, quòd cùm Nestorii partiarii, Theodori Mopsuesteni libros, post Ephesinam Synodum, in Syriacam, Armeniacam, & Persicam linguam transferendos curassent, Acacius Melitinensis, & Rabula Edessenus, Episcopi, ad Armenos scripserunt, ipsos à lectione librorum Theodori deterrentes, quòd in iis Nestorianam hæresim præformasset. Proclus ab Armeniæ Episcopis consultus per Legatos, Tomum sive Epistolam scripsit ad Armenos, in quo suppresso Theodori nomine, impium, quod ei tribuebatur, dogma, contrariâ professione damnavit. Procli transmissum ad se Tomum approbavit Joannes Antiochenus. Deinde S. Cyrillus, instigante Basilio quodam Diacono, tres contra Diodorum & Theodorum libros conscripsit, & quartum de Incarnatione. Atque eo ferè statu fuit Theodori Mopsuesteni doctrina ad tempora usque Quintæ Synodi, in qua libri ejus damnati sunt. Non mirum autem quòd non fuerit hæreseos, quoad vixit, accusatus: siquidem tunc ad examen vocati non sunt ejus libri, quoad doctrinam de Incarnatione: & quæ ab illo scripta sunt contra cæteras hæreses, vitaque in communione Ecclesiæ acta, in quâ & diem obiit, magnam ipsi famam peperere Orthodoxiæ: & tandem quæ ab ipso perperam scripta proferebantur, initio ambigua visa sunt, & in bonam partem flecti posse: ac similia pleraque istorum ab antiquis usurpata esse Patribus, ut scribebat Joannes Antiochenus ad S. Cyrillum.

DISSERTATIO VII.

De Concilii Ephesini, quod est tertium Oecumenicum, Convocatione, & Præside.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis Concilium Ephesinum convocaverit Theodosius, an Celestinus Primus?

PROPOSITIO.

Sacra Synodus Oecumenica Ephesina convocata est à Theodosio Juniore Imperatore, non à Celestino I. Pontifice Maximo.

Probatur 1. ipsius Theodosii testimonio, qui in Sacris, sive quas Metropolitis in Provincias misit, sive quas ad Synodum direxit, suum ubique memorat de Concilii convocatione mandatum; Pontificii verò nusquam meminit. Unius verba proferre sufficit quæ ad S. Cyrillum & Metropolitanos missa est, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 31. *Sæpenumerò*, inquit, *jam ante ob ea quæ acciderunt, religiosam sanctissimorum Episcoporum undequaque in unum coactorum Synodum necessariam judicavimus. Hactenus tamen ne eorum Pietati molestiam exhiberemus, cunctatiores hâc in re fuimus.*

Nunc verò tam Ecclesiasticarum, quàm quæ hisce cohærent, publicarum rerum controversia eam usque adeò utilem & necessariam declarat, ut refutari nullo modò queat. Quamobrem ne illa quæ ad præsentem rerum tantoperè utilium inquisitionem spectant, si negligentius curentur, in pejus incrementa sumant, tua Pietas, Deo benè propitiò, operam dabit, ut Sacrosancto proximo Paschate elapsò, sub sacra Pentecostes diem, ad Ephesiorum Asiæ civitatem accurras; nonnullosque, quos nimirum idoneos judicabit, sanctissimos Provinciæ suæ Episcopos simul eodem secum adducat: ita ut neque necessariis sanctissimis ejusdem Provinciæ Ecclesiis desint, neque ii rursum, qui ad eam rem apti censebuntur, in sacra Synodo desiderentur. De indictâ autem sanctissima Synodo nostra Serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scripsit, quò nimirum hac tandem ratione turbæ quæ ex multis dissidiis & concertationibus hinc inde enatæ sunt, ritè secundùm Ecclesiasticos Canones consopiantur; & illa præterea, quæ parùm decenter admissa sunt hactenus, corrigantur; & pietati denique quæ in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur. Cæterùm ante sanctissimam coactam Synodum, communemque ejusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam, nihil quidquam in illa prorsùs re privatim à quoquam innovetur.

Respondent aliqui, priùs indictam à Celestino Summo Pontifice Synodum Oecumenicam, literasque Imperiales fuisse Mandati Apostolici merè executorias. Sed validè refelluntur ex Epistola 3. Nestorii ad Celestinum, ex qua constat, decretam prius Oecumenici Concilii indictionem à Theodosio, quàm Pontifici innotesceret. Nam de indicta Synodo monet Celestinum Nestorius. *Placuit verò*, inquit, *piissimis Imperatoribus, Domino adjuvante, etiam Synodum inexcusabiliter totius orbis terrarum indicere, propter inquisitionem aliarum rerum Ecclesiasticarum. Nam dubitationem verborum non æstimo habituram inquisitionem difficilem, nec impedimento esse futuram ad Tractatum divinitatis Domini Jesu.* Certè si Oecumenicam Synodum indixisset Celestinus ad cognoscendam Nestorii causam, provinciam exequendæ sententiæ in ipsum latæ Cyrillo Alexandrino non imposuisset, sed negotii totius cognitionem servasset Synodo à se propè diem convocandæ.

Probatur secundò ex tota serie Actorum Concilii Ephesini, quibus Patres se convenisse jussu Imperatoris sæpius testantur, nec mandati Apostolici vel semel meminerunt. Actione 1. *Synodo*, inquiunt, *congregatâ in Ephesiorum Metropoli, ex Decreto Religiosissimorum & Christianissimorum Imperatorum.* Et in sententia contra Nestorium: *Sancta Synodus juxta Religiosissimorum & Christianissimorum Imperatorum nostrorum præscriptum in Ephesiorum Metropoli congregata: Nestorio Novo Juda*, &c. Et Actione 3. Legati Apostolici dicunt: *Synodo in Ephesiorum Metropoli congregatâ ex Decreto amabilissimorum Deo, & Christi amantium Imperatorum, Sanctus Papa noster Celestinus Episcopus nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc Synodum misit, quam quidem Synodum convenire jusserunt humanissimi Christianissimique Imperatores.* Et in Synodi Relatione ad Imperatores sic inscriptâ: *Piissimis, Deoque devotissimis Theodosio & Valentiniano Victoribus, triumphatoribus semper Augustis, sancta Synodus, quæ per Dei gratiam, vestraque Majestatis nutum in Ephesiorum Metropoli convenit.* Quin etiam in ipsâ Synodi ad Celestinum Relatione, dicunt Episcopi se convenisse secundùm Imperatorum sanctionem, non secundùm Romani Pontificis nutum. *Quia vero necesse est*, inquiunt, *ut omnia quæ consecuta sunt, Sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere, secundùm omnium nostrûm Salvatoris Christi voluntatem, piissimorumque ac Christi amantium Imperatorum nostrorum sanctionem, ex multis variisque Provinciis Episcopos supra ducentos in Ephesiorum Metropoli nos convenisse.*

Probatur tertiò, Patrum qui Concilio interfuerunt, vel Ephesi præsentes fuerunt, dum celebraretur, testimoniis, scilicet S. Cyrilli in Apologetico ad Theodosium: *Etenim*, inquit, *cùm sancta nostra Synodus, in Ephesiorum Metropoli, juxta Majestatis vestræ Decretum undique convenisset, venit eò tum ipse quoque*, nempe Nestorius. Et Joannis Antiocheni in Epistola ad Sixtum Celestini successorem: *Anno*, inquit, *proximè lapsò, sacra Deo dilectissimorum Episcoporum Synodus, juxta Religiosissimorum Imperatorum Decretum in Ephesiorum Metropoli profligandæ Nestorianæ hæreseos causâ convenit.*

Probatur quartò ex Celestino I. Pontifice Maximo in Epistola ad Theodosium. *Huic celesti curæ vel gloriæ*, inquit, *unusquisque nostrûm pro Sacerdotali officio, operam nostram; in quantum valemus, impendimus: & huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus.*

Probatur denique omnium Historicorum istius ætatis, sive consequentium testimoniô, qui communiter silent de Sedis Apostolicæ jussu; de Imperatorio apertè loquuntur. Sic enim Socrates lib. 7. cap. 34. *Quippe haud multò post Imperator, Edicto proposito, omnes undique Episcopos ad civitatem Ephesiorum convocavit.* Sic Evagrius lib. 1. c. 3. *Meritò Cyrillus petiit à Theodosio, qui tunc Orientis Imperium administrabat, ut ejus mandatô prima Synodus Ephesi congregaretur, Imperialibus literis, tum ad Cyrillum ipsum, tum ad omnes ubique sanctissimarum Ecclesiarum Episcopos missis. Igitur Theodosius Synodum indixit die Sancta Pentecostes, quò die vivificus Dei Spiritus in nos descendit.*

His suffragatur Justinianus Imperator in Collatione 1. Quintæ Synodi Oecumenicæ: *Theodosius Junior*, inquit, *congregavit priorem Ephesinam sanctam Synodum, cui præsidebant Celestinus & Cyrillus Sancti Patres.*

Sic Liberatus cap. 5. Breviarii, ubi de Theodosio hæc habet: *Et post hæc scripsit aliam Sacram ad universos Episcopos, ut Ephesum convenirent, & conferrent de Nestorii libris, & Cyrilli judiciô.* His adde Nicephorum *lib.* 14. *Historiæ cap.* 34.

Lupi Christiani argumentis respondetur.

Objicit Lupus Christianus, Gelasium Pontificem in prima sua Synodo Romana testari, Synodum Ephesinam fuisse de consensu Celestini Pontificis indictam. Secundò, ipsam Synodum in variis ad varios Relationibus assiduè dicere, se convenisse, *secundùm Canones*: utique Apostolicos & divinos, à quibus nulla sine Pontificis assensu permittitur generalis Synodus. Tertiò, Hincmarum Episcopum Remensem, *Epistola* 33. *cap.* 20. asserere: Generales Synodos, *Apostolicæ Sedis jussione, & Imperiali convocatione semper olim fieri consuetas.*

Respondeo ad primum, Gelasium I. non asserere indictam Synodum Ephesinam à Celestino Pontifice, sed solùm, *Damnatum Nestorium consensu Beatissimi Celestini, mediante Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antistite.*

Ad secundum respondeo, convenisse Synodum juxta Canones, quia secundùm Ecclesiæ morem convenit, qui in Concilio Ephesino perinde ac in Nicæno atque Constantinopolitano servatus est, Theodosio Juniore, Constantini Synodum Nicænam, & Theodosii Senioris Constantinopolitanam cogentis, exemplum sequente, & causæ Fidei, negotiorumque Ecclesiasticorum cognitionem ac judicium solis Episcopis asserente, sibique solam Canonum executionem vindicante.

Ad tertium Respondeo, Hincmarum, quid suâ ætate, vicinisque temporibus, id est, nono & octavo Sæculo fieret, scriptum reliquisse, non verò quid

quid quinto & quarto Sæculo in more Ecclesiæ positum esset.

Bellarmini Cardinalis objectiones diluuntur.

Objicit Bellarminus lib. 1. *de Conciliis*, cap. 13. Prosperum in Chronico indicare, Ephesinam Synodum factam esse Cyrilli industriâ, & Celestini auctoritate. 2. Idem constare ex Evagrio *lib. 1. cap.* 4. Tertiò ex Epistola Celestini ad Cyrillum, quæ habetur inter Opera Cyrilli. 4. ex Photio in lib. *de septem Synodis* asserente, Cyrillum profectum esse ad Concilium, tanquam Sedis Apostolicæ Legatum: quod argumento est eam Synodum absque Pontificis mandato coactam non fuisse.

Respondeo ad primum, Prosperum in Chronico scribere quidem, *Nestorii impietati novum errorem Ecclesiis inducere molientis, præcipuam Cyrilli Alexandrini Episcopi industriam, & Papæ Celestini repugnasse auctoritatem.* Sed non scribit Celestinum convocasse Synodum Ephesinam. Hîc scilicet Nestorianæ hæreseos refert exordia, Tauro & Felice Coss. id est, anno Christi 428. quô tempore indicta non est Ephesina Synodus, quæ Basso & Antiocho Coss. coacta est anno 431. Cùm primum natam esse impiam hæresim accepit Celestinus, eam comprimere conatus est, datis ad Nestorium literis, deinde coacta Romæ Synodo, hæresi damnatâ, lataque sententia in Auctorem, nisi tempore condicto resipisceret, executione denique sententiæ Cyrillo Alexandrino demandatâ: sed Ephesinam Synodum non convocavit. Nec Prosper in Chronico indicat à quo fuerit convocata. Sic enim solum habet ad annum 431. *Congregatâ apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo juvabant dogma, damnatur.*

Ad secundum respondeo, Evagrium disertè asserere Synodum à Theodosio indictam, ut ex ipsius verbis in probatione ultima laudatis compertum est. Celestini non meminit Evagrius loco quem Bellarminus appellat, ut vel leviter innuat ipsius mandato convocatam esse Oecumenicam Synodum, sed solùm ut dicat, *Nestorium iis, quæ à Celestino scripta erant, non acquievisse.*

Ad tertium respondeo, ex Epistola Celestini ad S. Cyrillum, quam laudat Bellarminus, nihil ampliùs haberi, quam Pontificem vices suas Cyrillo demandasse ad executionem Sententiæ contra Nestorium latæ in Romana Synodo: sed ea in Epistola quæ data est 3. Idus Augusti, Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. id est anno Christi 430. frustra se videre putavit doctissimus Cardinalis convocationem Ephesinæ Synodi, quæ anno duntaxat 431. & post Consulatum illum congregata est 10 Kal. Julii. Denique Celestinus ipse ad Theodosium scribens, non ait, *Huic Synodo quam esse jussimus*: sed, *Huic Synodo quam esse jussistis, nostram præsentiam, in iis quos misimus, exhibemus.*

Ad quartum respondeo, Photium locô laudatô solùm asserere S. Cyrillum ad Ephesinam Synodum profectum esse *tanquam Sedis Apostolicæ Legatum*, de quo impræsentiarum controversiam non movemus: sed non scribit Ephesinum Concilium Celestini auctoritate convocatum. Synodum quidem absque Pontificis subsequente consensu convocatam non fuisse, Bellarmino damus: quia cùm Imperatoris mandatis Religionis bonum, & Ecclesiæ universæ quietem ac pacem spectantibus repugnare non posset, nec deberet, gratissimam habuit convocationem Synodi à pientissimo Principe factam: sed negamus eam fuisse præcedente Romani Pontificis consensu convocatam, aut Theodosium consuluisse Celestinum, ejusque consensum rogasse, vel mandatum expectasse, ut Concilium Oecumenicum indiceret.

Objici potest tertiò Romanæ Ecclesiæ Diurnum in Allocutione Romani Pontificis ad Episcopos, Presbyteros, & universam plebem Dei, in qua præmissa mentione duorum priorum Conciliorum Oecumenicorum addit: *Quibus duobus universalibus, venerandisque Conciliis, tertium Generale ducentorum Sanctorum Patrum accessit Concilium, quod sub principalis quidem memoriæ Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Celestini Apostolicæ Sedis Antistitis, cum beato Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule.* Igitur indicta est Ephesina Synodus auctoritate Celestini Pontificis Maximi.

Respondeo primò, satis esse quòd præfuerit Ephesino Concilio Celestinus per Legatos, & quòd maxima ratio habita sit Literarum ipsius, & Sententiæ ab eo contra Nestorium latæ, ad eamque Patres Decretum ac Sententiam suam exegerint, ut ex illius auctoritate sacrum illud Concilium factum intelligatur ac dicatur.

Respondeo secundò, Allocutionem laudatam ex Diurno Romanorum Pontificum, fuisse compositam post Sextam Syoodum Oecumenicam, id est, post annos ab Ephesina Synodo ducentos plus minùs: adeoque minorem ipsi fidem adhibendam esse, quàm Authoribus coævis, aut supparibus, ipsisque Actis Concilii Ephesini, quæ illud à Theodosio Imperatore convocatum tam disertè testantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quis Ephesino Concilio præfuerit?

PROPOSITIO

Ephesino Concilio Oecumenico præfuerunt S. Cyrillus Alexandrinus, Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter: Sanctus quidem Cyrillus usque ad adventum Apostolicorum Legatorum, cùm suo jure, tum Celestini Romani Pontificis nomine: Arcadius verò, Projectus & Philippus, ut Legati Celestini, & Synodi Occidentalis.

Probatur prima pars quæ πρωτεῖαν S. Cyrillo asserit, ex Actione 1. Concilii Ephesini, quæ dicitur habita *Consedentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis & sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Celestini quoque sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Juvenali Hierosolymorum*, &c. Scilicet cùm Celestinus I. vices suas Cyrillo commisisset ad executionem sententiæ in Nestorium latæ, & Nestorii causa in Ephesino Concilio disceptanda esset, ac ad exitum promovenda, vicariam Cyrillus Romanæ Sedis potestatem servabat, & exercere jure poterat, donec depositus esset Nestorius, & confixa hæresis, nisi Pontifex aliis vices suas demandaret. Quod ipsum fecisse cùm non innotuerit ante Arcadii, Projecti, & Philippi adventum; eò usque Synodo Sanctus Cyrillus præfuit Celestini nomine & auctoritate, qui his verbis ad illum scripserat, cùm de Nestorii hæresi ad ipsum relatum esset: *Quamobrem nostræ Sedis auctoritate adscita, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris; nempe ut nisi decem dierum intervallô, ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Domini nostri generatione fidem in posterum se confessurum spondeat, quam & Romana; & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & universa denique Religio Christiana prædicat, illicò Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.*

Idem in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum scripserat: *Et quia nostra in tanto urgente propemodùm præsentia necessaria videbatur, vicem nostram, propter marina & terrena spatia, ipsi sancto*

Fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iste longitudinis occasione grassetur.

Idem ex Synodo Chalcedonensi in Definitione Fidei, Actione 5. confirmatur, in qua *Sanctæ Synodi quondam in Epheso factæ Præsides fuisse* dicuntur, *beatissimæ memoriæ Cœlestinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum Episcopus.* Idem asserit Marcianus Imperator in Lege quam pro confirmanda Synodo Chalcedonensi tulit, & quæ extat p. 3. istius Concilii. Et in Sacra ad Archimandritas missa, quæ ibidem cap. 9. inserta est. Et in Edicto ad Palladium P. P. ibidem, cap. 52.

Idem constat ex S. Leone Magno, Epistola 47. *Pri… autem Ephesinæ Synodi*, loquit, *cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit, contra Nestorium specialiter statuta permaneant.*

Cyrillum & Celestinum Ephesini Concilii pariter Præsides vocant, Pulcheria Augusta in Sacra Archimandritis missa, 3. p. Concilii cap. 14. Julianus Coënsis in Epistola ad Leonem Imperatorem, ibidem, cap. 47. Episcopi Armeniæ in Epistola ad eundem Principem, ibidem, cap. 48. Joannes Neapolitanus Episcopus in Relatione ad Hormisdam; Petrus Diaconus lib. *de Incarnatione & Gratia*, *cap.* 5. Justinianus Imperator in 5. Synodo *Collatione* 1. & in Confessione Fidei adversùs tria Capitula. Pelagius II. in *Epistola ad Episcopos Istriæ.* Sermo Prosphoneticus ad Imperatorem habitus in Sexta Synodo, Constantinus Pogonatus in Edicto, quod pro Sexta Synodo fecit; Diurnum Romanorum Pontificum, in Fidei Professione, quam olim, dum inaugurabantur, emittebant.

Nomine verò Celestini S. Cyrillum Ephesino Concilio præfuisse, disertiùs asserit Mennas Constantinopolitanus Episcopus, in Professione Fidei, quæ inserta est Vigilii Papæ Constituto. Ibi de Synodo Ephesina sic loquitur: *In qua, in Legatis suis atque Vicariis, id est, beatissimo Cyrillo Alexandrinæ urbis Episcopo, Arcadio & Projecto Episcopis, & Philippo Presbytero, Beatissimus Celestinus Papa Senioris Romæ noscitur præsedisse.*

Idem asserit Liberatus cap. 5. Breviarii. *Porrò*, inquit, *Cyrillus cum suis habens vices Sedis Apostolicæ, evocatô Conciliô* 200. *Episcoporum, Nestorium vocaverunt.*

Idem asserit Marcellinus Comes in Chronico: *Nestorius*, inquit, *apud Ephesum* 200. *Patrum sententiâ in Synodo damnatus est, Celestino Cyrillum Alexandrinæ civitatis Episcopum pro tempore Vicarium denuntiante.*

Sic Evagrius *lib.* 1. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 4. Ephesinam Synodum celebratam ait, *Divino Cyrillo, Celestini Romanæ Urbis Episcopi vices gerente.*

Sic Nicolaus I. Epistola 9. ad Michaëlem Imperatorem: *Cyrillus*, inquit, *idcircò in Ephesina Synodo ante omnes sedit, quia ipse locum memorati Papæ,* (Celestini) *sicut Gesta ejusdem Synodi testantur, obtinuit.*

Photius in lib. *de Synodis*, Concilii Ephesini Præsidem fuisse scribit *Cyrillum celeberrimum inter Patres: qui propter virtutum sapientiæque divitias, magnæ civitatis Alexandrinæ Sedem obtinebat, & Celestini Romani Pontificis implebat Sedem, atque personam gerebat.* Sed Cyrillo Mennonem Ephesiorum, & Juvenalem Hierosolymorum Episcopum addit.

Sic Gregorius VII. Apologetici cap. 3. *Temporibus Theodosii Junioris Augusti, S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus & Arcadius Episcopus ex Italia, vice beati Papæ Celestini. Ephesino Concilio præfuerunt.* Suffragantur Zonaras *Tom.* 4. *Annalium*, Cedrenus *in Compendio Historiarum*, qui tamen Cyrillo Celestini locum tenenti Juvenalem Hierosolymorum Episcopum adjungit: Nilus Metropolita Rhodius in lib. *de Synodis*, ubi tamen parum accuratè de istius Synodi Præsidibus scribit, Celestinum, Cyrillum, Juvenalem, & Memnonem præfuisse dicens.

Ad istos accedit Nicephorus Callistus *lib.* 14. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 34. scribens: *Celestinus autem Romæ Episcopus propter navigationis pericula ipse Synodo adesse detrectavit. Ad Cyrillum tamen, ut locum illic suum obtineret, scripsit; ex quo tempore fama est, mitram illum, & Papæ appellationem, atque ut orbis universi judex appellaretur, accepisse.* Sed etsi verum sit S. Cyrillum Celestini locum in Synodo tenuisse, quod Nicephorus asserit, falsa tamen sunt & inepta cætera quæ subjungit.

Falsum est, inquam, ex eo tempore Cyrillum & Successores ejus Alexandrinos Episcopos, mitram sumpsisse, & Papæ nomen sibi vindicasse, orbisque totius Judices esse appellatos. Diu enim ante S. Cyrillum Alexandrini Episcopi Papæ vocabantur. Siquidem Dionysius Alexandrinus in Epistola 3. ad Philemonem, Heraclam beatissimum Papam appellat, ut legitur apud Eusebium *lib.* 7. *Historiæ Ecclesiasticæ* & S. Athanasius *Apologia.* 2. refert Epistolam Ischyræ ad se scriptam hoc titulo: *Beatissimo Papæ Athanasio, Ischyras in Domino salutem.* Denique Celestinus Cyrillum Vicarium suum constituit in Nestorii duntaxat causa, non in reliquis omnibus: isque honos Cyrilli personæ privatim concessus est, non autem Sedi Alexandrinæ. Itaque S. Cyrilli Successores eum honorem postea sibi vendicare minimè potuerunt, qui Cyrillo ad tempus duntaxat indultus fuerat. Tandem Florentia Synodus *Sessione* 5. nostræ sententiæ suffragatur. *In hoc*, inquit (libro Actorum 3. Synodi) *variæ B. Cyrilli habentur Epistolæ, qui Princeps erat Synodi illius, locumque obtinebat Celestini Papæ.*

Ex his testimoniis conficitur, Cyrillum Præsidem fuisse Concilii, cùm suo, tum Celestini nomine, ante adventum Legatorum. Suô quidem, quia primæ Sedis à Romana Episcopus erat, adeóque Romano Pontifice nec per se, nec per Legatos præsente, primas obtinere debebat in Synodo: etiamsi nulla ipsi à Summo Pontifice potestas commissa fuisset. Nomine verò Celestini, quia adhuc de Nestorii judicio & depositione agebatur: Sententiæ porrò in illum latæ à Celestino & Occidentalibus Episcopis executor delegatus erat S. Cyrillus, donec delegatio illa novô Mandatô rescissa est, & ad Arcadium, Philippum, & Projectum translata. His enim præsentibus, non ampliùs Cyrillus, sed solus Celestinus per suos Legatos Synodi Præses erat. Quorsum enim alios Legatos misisset, ut præsentiam supplerent suam, quam supplevisse S. Cyrillus supponitur? Quorsum ut executores essent sententiæ, cujus jamdudum S. Cyrillus executor constitutus erat; nisi ea fuisset Celestini mens, ut ipsis præsentibus desineret Cyrilli auctoritas & Legatio?

Probatur secunda pars primò ex Epistola Celestini Pontificis Maximi ad Ephesinam Synodum: *Direximus*, inquit, *pro nostra solicitudine sanctos Fratres & Consacerdotes nostros unanimes nobis, & probatissimos viros, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui iis, quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur, quibus præstandum à nobis non dubitamus assensum, quando id quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum.* Idem constat ex ejusdem Pontificis Epistola ad Theodosium Imperatorem: *Huic Synodo*, inquit, *quam esse jussistis, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus.* Idem ex Epistola ipsius ad S. Cyrillum compertum est, quam scripsit jam indictâ Synodo Ephesina, & quæ Actione 2. lecta est; in qua se vices suas illi committere in sacro illo conventu, aut antea commissas prorogare, ne leviter quidem innuit.

Idem

Idem probatur ex Interlocutionibus, sive sententiis Legatorum Apostolicorum, Actione 3. *Propterea*, inquit Projectus Episcopus, *& ego quoque auctoritate Legationis Apostolicæ Sedis, una cum fratribus sententiæ executor existens, definio memoratum Nestorium, veritatis inimicum, fideique corruptorem, tanquam iis, de quibus accusatus est, obnoxium, à gradu Episcopalis honoris, & ab omnium præterea Sacerdotum Orthodoxorum communione remotum esse.* Ibidem Philippus Presbyter Sedis Apostolicæ Legatus ait: *Sanctus beatissimusque Papa noster Cælestinus Episcopus nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc Synodum misit.*

Probatur insuper ex Interlocutione S. Cyrilli ibidem: *Quæ Arcadius*, inquit, *& Projectus sanctissimi piissimique Episcopi, nec non Philippus religiosissimus Romanæ Ecclesiæ Presbyter deposuerunt, perspicuè sancta Synodus percepit. Deposuerunt enim, supplentes locum Apostolicæ Sedis, totiusque Synodi sanctissimorum Deoque dilectissimorum Occidentalium Episcoporum. Quare cùm ea quæ à Celestino sanctissimo Deoque dilectissimo Episcopo decreta jam fuerant, executi sint, consequens est ut eorum, quæ hesterno hodiernoque die acta sunt, commentariis superioribus Actibus attexantur.* Ibi S. Cyrillus Legatis Celestini & Occidentalium Episcoporum se non connumerat, quibus se connumerare oblitus non esset, si adhuc Celestini vices atque Legationem gessisset.

Idem rursus probatur ex Relatione Concilii ad Imperatorem post Actionem 3. in qua Patres de Occidentalibus Episcopis sic loquuntur: *Nam licet maximum itineris spatium universam illam sanctissimorum Episcoporum multitudinem ad nos pervenire prohibuerit: attamen illis in locis simul congregati, Celestino sanctissimo piissimoque Magnæ Romæ Episcopo etiam præsente, & nunc nostram de Fide sententiam magno consensu prædicârunt, eosque qui diversa sentiunt, ab omni prorsus Sacerdotii sorte graduque alienos esse definierunt. Et hæc quidem etiam antequam sanctissima hæc Synodus conveniret, Celestinus sanctissimus Magnæ Romæ Episcopus per literas suas indicaverat. Cyrilloque sanctissimo, Deoque dilectissimo Magnæ Civitatis Alexandrinæ Episcopo, ut suas vices subiret, commiserat. Sed & nunc denuò aliis etiam literis sanctæ Synodo quam vestra Majestas in Ephesiorum Metropoli convenire præcepit, significavit. Misit autem has literas per Arcadium & Projectum sanctissimos Episcopos, & Philippum religiosissimum Presbyterum Magnæ Romæ, qui Celestini sanctissimi Deoque dilectissimi Episcopi præsentiam supplent. Quia ergo viri isti qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sensumque de fide & pietate nobis consonum declararunt, & eadem quæ nos decreverunt, necessariò, quod officii ratio postulabat, de consensu illorum nobiscum ad vestram Majestatem retulimus.* Ex quibus patet, S. Cyrillo ante Synodum Ephesinam commissas fuisse Celestini vices, & sententiæ in Nestorium à Celestino & Occidentalibus latæ executionem. Quâ auctoritate, usque ad adventum Legatorum, summo jure functus est. At verò missis aliis Legatis, qui Celestini præsentiam supplerent, ac locum, & executores essent sententiæ antea in Nestorium latæ, Apostolicâ auctoritate, quâ fungebantur; nulla ampliùs penes S. Cyrillum mansit auctoritas Apostolicæ Sedis. Hæc enim Juris regula est, *Posteriorem Procuratorem dando, priorem prohiberi.* (L. 31. *Si quis* §. ult. *de Procurat.*)

Id præterea confirmatur ex Relatione Concilii Ephesini ad Celestinum Pontificem Maximum quæ extat post Actionem 5. *Fuerunt enim*, inquit, *& in consensu nostro & illi quoque, qui à Sanctitate tua missi sunt, piissimi Episcopi Arcadius & Projectus, & cum ipsis Reverendissimus Presbyter Philippus, qui suâ præsentiâ tuam nobis exhibuerunt, Apostolicæque Sedis locum suppleverunt.*

Respondet nonnemo, Celestinum, nec sibi, nec Legatis suis Ephesinæ Synodo præsidendi jus vindicare; nec misisse Arcadium, Projectum, & Philippum ad Synodum, ut ei præessent, sed ut interessent. Discrimen autem ingens esse inter præsidere Synodo, & interesse. Non enim omnis qui Synodo interest, Synodo præsidet: alioquin Episcopi omnes, qui Synodo intersunt, Synodo præsiderent; atque ita tot Præsides essent, quot Episcopi. Addit, Celestini locum tenere, non esse præsidere nomine Celestini: alioqui S. Cyrillus, qui Africanorum Episcoporum locum tenebat, eosque repræsentabat, (ut constat ex Relatione ad Imperatores missa per Palladium Magistrianum) Africanorum nomine Synodo præfuisset.

Verùm inepta est ista responsio, & boni sensus expers. Qui enim locum alicujus Episcopi in Concilio tenet, sive ejus nomine præsens est, ejus honorem, potestatem, juraque omnia sibi vendicat, muniaque implet in Concilio. At Celestinum, si adfuisset, Ephesinæ Synodo præfuturum nemo negaverit. Præfuerunt itaque & ejus Legati, hoc ipso quòd ejus præsentiam suppleverunt, ejusque locum tenuerunt. Nec verò par ratio est de Africanis Episcopis quos repræsentabat Cyrillus, & de Celestino Pontifice, cujus præsentiam supplebant Arcadius, Projectus, & Philippus. Africani enim Antistites solum in Concilio suffragandi jus habebant, non præsidendi: unde non sequitur Cyrillum eorum nomine Synodo præfuisse, quia eos repræsentavit. Celestinus verò prærogativam habebat suffragii, & auctoritatem præsidendi Synodo Oecumenicæ. Unde consequens est missos ab eo Legatos, Ephesino Concilio præfuisse, hôc ipsô quòd ejus præsentiam suppleverunt, & locum tenuerunt. Et certè quod in Concilio statim ab eorum adventu actum est, illos à Patribus sacri Conventûs Præsides agnitos fuisse probat. Sibi enim rationem reddi eorum, quæ hucusque in Concilio gesta fuerant, postularunt, & Acta in Nestorium relegi. Quod ubi factum est, illi Sedis Apostolicæ auctoritate, Nestorianæ hæreseos damnationem, depositionemque Nestorii confirmarunt.

Objices primò, S. Cyrillum Actione 3. Synodi Ephesinæ, jam præsentibus Arcadio, Projecto, & Philippo, adhuc dici tenere locum Celestini, adeòque adhuc fuisse Præsidem Concilii post adventum Legatorum dicitur enim illa Actio habita *Considentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, piissimis Deoque dilectissimis Episcopis, Cyrillo Alexandrino, qui & Celestini quoque sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Arcadio Episcopo, Romanæque Sedis Legato, & Projecto Episcopo, qui & ipse quoque Romanæ Ecclesiæ Legatus erat, & Philippo Presbytero & Legato, & Juvenale Hierosolymorum, & Memnone Ephesiorum.*

Respondeo, locutionem hanc, *Qui & Celestini locum obtinebat*, hâc in Actione tempus præsens non importare, quasi tunc Celestini vices adhuc ageret; sed præteritum etiamsi minùs perfectum, quô res ante Synodum, & in ipsa etiam Synodo usque ad Legatorum adventum peracta, commodè significatur. Probavimus autem S. Cyrillo ante indictionem Synodi, Celestinum commisisse vices suas in causa Nestorii, easque ipsum adhuc egisse Actione 1. & 2. Concilii, donec innotuit novorum potestas Legatorum. Hæc itaque verba, *Qui & Celestini locum obtinebat*, præteritæ sunt titulus dignitatis, non præsentis. Confirmatur hæc responsio ex Relatione Concilii ad Imperatorem post Actionem tertiam, cujus verba superiùs descripta sunt.

Objicies secundò, S. Cyrillum primò locô subscripsisse, ante Arcadium, Projectum & Philippum,

pum, cùm in Decreto de Fide, quod habetur Actione sextâ, tum in Sydonica de Charisio Presbytero Sanctione: adeòque ipsum, præsentibus etiam aliis Legatis, Præsidem fuisse.

Respondeo, licet primô locô ibi legatur subscriptio S. Cyrilli, non sequi quòd Concilii Præses etiamnum extiterit. Perturbatum enim verò esse subscriptionum ordinem certò certiùs constat: siquidem Juvenalis Hierosolymorum Episcopus interdum ante Arcadium, Projectum, & Philippum, interdum inter Arcadium & Projectum subscriptus legitur: & Flavianus Philippensium Episcopus legitur subscriptus ante Philippum Presbyterum Sedis Apostolicæ Legatum.

Objicies tertiò, Ephesinos Patres in Relatione ad Imperatores missâ per septem Legatos, quos inter erant Arcadius & Philippus, à Celestino Romano Pontifice missi, cùm Imperatores obsecrant pro restitutione & libertate S. Cyrilli, ipsum vocare Concilii Caput: *Ne*, inquit, *sancta nostra Synodus suo destituatur Capite*. Et Actione sextâ, Synodi *Præses*, & *Princeps* appellatur. Igitur S. Cyrillus caput fuit & Præses Concilii, etiam post adventum Legatorum.

Respondeo, Patres Ephesinos vocasse S. Cyrillum *Caput suum*, quia plus omnibus contra Nestorium laboravit; quia ejus impietatem confutavit luculentiùs; quia suis hæresis Capitulis confixit, quia doctrinæ suæ splendore Concilio præluxit. Unde in supplici Libello quem Clerus Constantinopolitanus Imperatori pro Synodo Ephesina obtulit, qui legitur Actione sextâ, vocatur S. Cyrillus *Oecumenicæ Synodi Præceptor*. Sed ipsi *Capitis* nomen non detulerunt, quòd Synodo, etiam post adventum Legatorum præesset. Nam & Memnonem ex æquo *Præsidem suum* cum Cyrillo vocant: *Ne Præsidum nostrorum*, inquiunt, *causa conteramur*. Et rursus: *Contra sanctæ & Oecumenicæ Synodi Præsides dispositionis sententiam scribere, eamque veluti ab universa Synodo profectam, ad vestram pietatem deferre ausi sunt.* Et tamen Memnonem Concilio Ephesino præfuisse nemo dixerit. Præsides igitur vocavit Synodus, id est, primarios Episcopos, & in promovenda Fidei causa suô zelô cæteris quodammodo præeuntes.

Cur alios à S. Cyrillo Legatos ad Concilium Ephesinum miserit Celestinus I. [illegible]

Cur autem alios à S. Cyrillo Legatos ad Ephesinum Concilium miserit Celestinus Pontifex, ratio multiplex fuit. Prima, quòd mittendi essent qui Occidentalem Ecclesiam repræsentarent, insuper & suam Sanctitatem, ac utriusque essent Legati. Eos autem quibus hæc provincia & Legatio imponebatur, ex Ecclesiæ Occidentalis gremio esse conveniens erat. Quæ agendi ratio in Concilio Nicæno servata fuerat, & in cæteris deinceps Oecumenicis Synodis religiosè servata est. Secundò, quia Theodosio Imperatori, Nestorianorum dolis & mendaciis decepto, suspectus erat Cyrillus, tanquam qui invidia & odio adversùs Nestorium accensus, & contentionis æstu abreptus, Ecclesiæ pacem turbasset. Ad hæc, & Apollinarismi ejus Capitula insimulabantur. Unde necesse erat ut coram Synodo se purgaret. Opportunè igitur Legatos misit Celestinus, qui nullatenùs suspecti essent, nullisque partibus addicti viderentur. Tantùm autem abest ut post illorum adventum Synodi Præses fuerit Cyrillus, quin potiùs Libellum supplicem cum Memnone Ephesiorum Episcopo sacræ Synodo porrexit contra Joannem Antiochenum & ejus Conciliabulum, à quo fuerant depositi. Actorem autem fuisse in sua causa & Præsidem quis credat?

S C H O L I O N I.

In Dissertationis hujus quæstione prima, pag. 218. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Sacra Synodus Oecumenica Ephesina convocata est à Theodosio Juniore Imperatore, non à Celestino I. Pontifice Maximo.* Tota Dissertatio, inquiunt, expungenda.

R. Eadem ratione tota hæc Dissertatio expungenda, quo Acta ipsa Ephesinæ Synodi, Celestini I. Epistola ad Theodosium, S. Cyrilli Alexandrini Apologeticus ad eumdem Imperatorem, Joannis Antiocheni Epistola ad Sixtum S. Celestini in Sede Apostolica Successorem, Socratis, Evagrii, Liberati expressa testimonia, quæ hanc Synodum à Theodosio Juniore Imperatore convocatam probant, nullâ Celestini I. factâ mentione.

S C H O L S O N II.

In eadem Quæstione, pag. 225. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Satis est Papa quòd Concilio præsideat per Legatos, & quòd maxima ratio habeatur Literarum ipsius, & quòd ejus sententiam Concilium exegerit.*

R. Responsionem meam truncatam & interpolatam exhibent Indiculi Censorii Authores. Sic ego: *Respondeo primò, satis esse quòd præfuerit Ephesino Concilio Celestinus per Legatos, & quòd maxima ratio habita sit Literarum ipsius, & Sententiæ ab eo contra Nestorium latæ, ad eamque Patres Decretum ac Sententiam suam exegerint, ut ex illius Auctoritate sacrum illud Concilium factum intelligatur ac probetur.* Hæc conferantur cum propositione ab Indiculi Censorii Authoribus fabricata.

S C H O L I O N. III.

Ad ejusdem paginæ initium hanc notam apponunt Religiosi Censores: *Dubitat an Cyrillus fuerit Legatus Papæ in Ephesino.*

R. Vim horum verborum, non intellexerunt Censorii Indiculi Authores, *De quo impræsentiarum controversiam non movemus*: Quæ non sunt dubitantis, sed ea de quæstione hîc non agi significantis. De convocatione scilicet, non de Præside Concilii Ephesini hîc agebatur: sed quæstione sequenti hanc difficultatem tractans, assero & probo, *S. Cyrillum Ephesino Concilio Celestini I. Pontificis Maximi nomine præfuisse.*

S C H O L I O N IV.

In eadem Quæstione, pag. 222. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Secundùm Canones Concilia Generalia indicebantur olim ab Imperatoribus.*

Hæc propositio non est mea, non ita scripsi: sed Objectioni respondebam: *Convenisse Synodum juxta Canones, quia secundùm Ecclesiæ morem convenit, qui in Ephesino Concilio, perinde ac in Nicæno atque Constantinopolitano servatus est, Theodosio Juniore, Constantino Synodum Nicænam, & Theodosio Seniore Constantinopolitanam cogentibus, exemplum sequente, & causæ Fidei, Negotiorumque Ecclesiasticorum cognitionem soli Episcopis asserente* (prout scilicet Canones præscribunt) *sibique solam Canonum executionem vindicante.* Quid in hoc Censoria dignum animadversione?

S C H O L S O N. V.

In Dissertationis ejusdem Quæstione secunda, pag. 226. & 230. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *S. Cyrillus non solùm Romani Pontificis nomine, sed & suo Jure Concilio Ephesino præfuit.*

R. S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus secundum locum in Ecclesia tenebat post Romanum Pontificem, quemadmodùm sexto Concilii Nicæni Canone sancitum est. Romano igitur Pontifice nec per se, nec per Legatos præsente, primas in Synodo obtinere debebat, quamvis Pontifex ipsi vices suas non commisisset. Verùm Pontificia Legatione adauctus, non suo tantùm Jure, ante Legatorum aliorum adventum; sed Pontificio præsertim nomine, sacro Cœtui præfuit.



DISSERTATIO VIII.

De S. Cyrilli Alexandrini Epistolis, & XII. Anathematismis adversus Nestorium.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum hæc Scripta sint erroris pura, vel jure sint erroris ab Orientalibus insimulata?

PROPOSITIO.

Epistolæ, & Anathematismi, cæteraque S. Cyrilli Scripta penitus sunt ab erroris Apollinaris labe & contagiò aliena & omninò pura. Unde perperam Orientales ipsa hæreseos insimulârunt & coarguerunt.

Probatur primò ex laudibus quibus Cyrilli fidem Celestinus Pontifex universim commendavit, iis expositam literis quas ad ejus Sanctitatem Possidonius detulerat. Sic enim ad S. Cyrillum Celestinus scripsit: *Quin & nos quoque, dilecte Frater, nonnulla adituri eramus, nisi eadem omnia quæ nos sentimus ac tenemus, te itidem sentire, ac tenere perspiceremus. Nam quæcunque Sanctitas tua de hoc negotio præscripsit, ea omnia Possidonius Diaconus ordine nobis exposuit. Omnes illius sermonum technas retexisti, fidemque ad eum modum corroborasti, ut corda in Deum nostrum credentia in alteram partem abduci non facilè queant. Magnus sanè hic Fidei vestræ triumphus est, quòd nimirum & nostra tam validè probaveris, & his opposita, per divinarum Scripturarum testimonia, tam fortiter expugnaveris.* (1. p. Concilii Ephesini cap. 15.)

S. Cyrilli doctrina ab Ecclesia approbata.

Et in Literis ad Nestorium, quæ extant 1. p. Concilii Ephesini cap. 18. *Alexandrinæ*, inquit, *Ecclesiæ Sacerdotis Fidem & probavimus, & probamus. Et tu admonitus per eum, eadem sentias nobiscum, si vis esse nobiscum, ô Frater. Si tibi sensus datur, damnatis omnibus, quæ hucusque sensisti, statim hæc volumus prædices, quæ ipsum videus prædicare.*

Idem in Epistola ad Joannem Antiochenum, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini cap. 20. vocat S. Cyrillum, *Strenuum Catholicæ Ecclesiæ & Fidei defensorem.*

Secundò, Alexandrina Synodus in Synodica ad Nestorium, tum S. Cyrilli Epistolis suffragatur, cùm Romanæ Synodi de eorum orthodoxia judicium refert. *Ad Epistolas*, inquit; *quod attinet, quas Alexandrina Ecclesia ad te misit, eas cùm à sacra Romana Synodo, tum à nobis omnibus quoque, ab omni errore, & vitio immunes judicatas esse scias.*

Tertiò, cùm S. Cyrillus actione 1. Concilii Ephesini postulasset à Patribus ut suam ad Nestorium Epistolam expenderent, rectè ne & inculpatè, convenienterque Nicænæ Fidei scripsisset: omnes ad unum Episcopi Epistolam illam Fidei trecentorum decem & octo Patrum evidenter luculenterque consentire pronuntiarunt, eique se subscribere, & assentiri. Id constat ex singulorum interlocutionibus, Actione 1. Unam duntaxat subjicio quæ sit exemplar cæterarum. Ea est Theodoti Ancyrani Episcopi. *Sancta*, inquit, *Fidei expositionem à trecentis decem & octo SS. Patribus, qui Nicææ convenerunt, editam, admirabilem; rectamque, & apprimè piam, religiosissimi piissimique Patris nostri, & Episcopi Cyrilli Epistola clariùs & apertiùs ostendit; quæ in nullo ab ea Fidei expositione dissentit, & ea tractat fusiùs, quæ illa differuerat angustiùs. Quare cognitâ Epistolâ, & trecentorum decem & octo Patrum mente, & fidei concordiâ, ut illis annuimus: & per omnia adstipulamur; ità etiam Patri nostro Cyrillo, qui illorum dicta planiùs per hanc Epistolam exposuit. Hæc, inquam, nos credimus, quæ illi exposuerunt, & quæ memorati sanctissimi Episcopi Cyrilli Epistola disertè explanavit.* Valerianus Iconii Episcopus, ait, eam S. Cyrilli Epistolam, *SS. Patrum fidem, non secus atque pretiosum quoddam unguentum, suavi fragantiâ spirare.* Fidus Joppe Episcopus dixit: *Eam Spiritu sancto dictante exaratam.*

IV. Concilium Ephesinum in Relatione ad Imperatores de Nestorii depositione, quæ extat post Actionem primam, Epistolas S. Cyrilli de Fide se approbasse significat. *Ac principio quidem*, inquit, *Cyrilli religiosissimi, sanctissimique Archiepiscopi Epistolas de Fide conscriptas cum hac expositione contulimus, collatasque, dogmatibus ac sententiis consentaneas reperimus: nec ullâ in re doctrinam ejus à pia illa expositione discrepantem.*

Idem significant Patres in Relatione ad Celestinum Pontificem Maximum, post Actionem 5. *Lectæ deinde sunt literæ*, inquiunt, *quas sanctissimus, Deoque dilectissimus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Cyrillus ad eum scripserat* (nempe ad Nestorium) *quas sancta Synodus approbavit ut rectè inculpatèque exaratas, atque in nullo dissentaneas divinis Scripturis, traditæ videlicet Fidei. & expositæ in magna illa Synodo à SS. Patribus qui Nicææ Bythiniæ olim convenerunt: sicut tua quoque Sanctitas id rectè probans testificata est.*

Quamobrem S. Cyrillus in Apologetico ad Theodosium Imperatorem Fidem suam à Romana Ecclesia, & à sacra Synodo Ephesina fuisse approbatam, in Domino gloriabatur. *Fidei namque meæ rectitudini testimonium perhibuit & Romana Ecclesia, & sancta quoque Synodus, ex universo, ut ita dicam, orbe qui sub cælo est, congregata. Quod enim nullâ ex parte ab Evangelica & Apostolica Traditione aberrarim; imò verò quod rectam, minimèque obliquam sacrorum dogmatum semitam teneam, id, postea quàm Epistolas, quas ad Nestorium perscripseram, legissent, communi sententiâ confessi sunt omnes, & quidem scriptò in ipsa Fide monimentorum, rerumque gestarum.*

V. Eusebius Dorylæi Episcopus Actione 1. Concilii Constantinopolitani sub Flaviano adversùs Eutychetem celebrati, relatâ Actione 1. Concilii Chalcedonensis, hæc habet de Ephesina Synodo, & S. Cyrilli Epistolis: *Et primo loco postulavit B. memoriæ Cyrillus relegi sanctæ & magnæ Synodo Epistolam à se ad Nestorium destinatam, ut approbaretur ab ea utrum consonans esset expositioni SS. Patrum, an aliter haberet. Interloquente igitur sanctâ illâ & magnâ, & universali Synodo, lecta est ipsa Epistola: & omnes qui in illa magna & universali Synodo consederunt, decreverunt eam consonam esse expositioni SS. Patrum & SS. Scripturarum, & in nullo ab eis dissonare: consentire verò se his quæ in eadem continebantur Epistola.*

VI. Actione 1. Concilii Chalcedonensis, cùm Eusebius Dorilæi Episcopus accusatorium libellum adversùs Eutychetem porrexisset, quô profitebatur *Se omnibus consentire, quæ sapuit & exposuit Beatissimus Cyrillus Alexandrinæ magnæ Civitatis quondam Episcopus*; exclamavit sancta Synodus; *Semper memoria Cyrilli. Cyrillo æterna memoria. Si quis retractat, Anathema sit. Si quis super ista inquirit, Anathema sit. Maledictus qui addit, maledictus qui aufert, maledictus qui innovat.* Exclamavit & Julianus Episcopus Legatus S. Leonis: *Apostolica Sedes sic sapit.* Sancta Synodus dixit: *Et hæc universalis Synodus sic sapit.* In eadem Actione, cùm perlecta esset S. Cyrilli Epistola, Reverendissimi Episcopi Illyriciani clamaverunt: *Sic credimus, sicut & Cyrillus. Cyrilli æterna memoria.* Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt; *Nos sicut Cyrillus credimus: sic credidimus, sic credimus: Anathema ei qui sic non credit.*

VII.

VII. Actione 2. Concilii Chalcedonensis, cùm lectæ essent duæ S. Cyrilli Epistolæ, unà ad Nestorium, quæ incipit: *Obsequuntur quidem*: altera ad Joannem Antiochenum pro ineunda pace, quæ incipit: *Lætentur cœli*: Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Omnes sic credimus. Papa Leo sic credit. Leo & Anatolius ita credunt. Omnes sic credimus. Sicut Cyrillus ita credimus. Æterna memoria Cyrilli.*

VIII. Synodus Chalcedonensis Actione 5. in Definitione Fidei profitetur se Epistolas S. Cyrilli suscepisse, ac probasse. *Propter illos autem*, inquit, *qui Dispensationis mysterium corrumpere conantur, & purum hominem esse genitum ex Sancta Virgine Maria impudenter delirant, Epistolas Synodicas beatissimi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis ad Nestorium & ad Orientales, congruenter habentes suscepit, & ad convincendas Nestorii vesanias, & ad interpretationem eorum, qui salutaris Symboli pio zelo nosse desiderant intellectum.*

Duas tantùm S. Cyrilli Epistolas commemoravit Chalcedonensis Synodus, nempe secundam ad Nestorium, & alteram ad Joannem Antiochenum pro concilianda pace. Tertiæ ad Nestorium ex Alexandrina Synodo scriptæ mentionem nullam fecit. Quod prudenti Oeconomiæ tribuunt Catholici Episcopi, in Collatione cum Acephalis Constantinopoli celebratâ. *Si omnes formas*, inquit, *& definitiones Fidei in Epheso adversùs Nestorium facti Concilii suscepit, & confirmavit Chalcedonense Concilium, quemadmodùm hanc habuit resilire? Sed quia adversus Nestorii blasphemias, qua duas naturas in duas personas, & duas substantias dividunt, unam personam, & unam subsistentiam volebant definire; illa autem Epistola duarum subsistentiarum intulit mentionem; propterea propriè eam nominare distulerunt, ut non invenirentur aut illi, aut sibi esse contrarii; sed magis illam alteram Epistolam ejus præposuerunt, quæ super consensu Symboli Nicæni Concilii laudata est: Et eam, quæ ad Orientales scripta est.*

S. Cyrilli Capitula ab Ephesina Synodo approbata fuisse & confirmata, disertè asserit Epiphanius Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiaconus, & S. Cyrilli Syncellus, in Epistola ad Maximianum Constantinopolitanum Episcopum. *Dum primò*, inquit, *Orientales expeterent, ut Capitula quæ Sanctissimus frater noster Cyrillus exposuit, hæc ipsa anathematizans, idem extra Ecclesiam Catholicam faceret, in hoc idem Dominus meus Sanctissimus Pater Cyrillus decertabat, atque dicebat, quòd Sancta & Magna Synodus agnoscens eorum veritatem sancivit ea recta & sanæ fidei esse, & Joannem cum reliquis segregationi subjecit. Et quomodo*, inquit, *ego eam eis faciam pacem, & evertam Synodale Judicium?*

Idem asserit Joannes Sebastensis Episcopus, primæ Armeniæ Metropolita, in Synodicis ad Leonem Augustum literis: *Celestini*, inquit, *& Cyrilli Epistolæ adversùs impium Nestorium ad Orientales universos data, & ab eodem Cyrillo contra Nestorium Anathemata posita, sunt firmata atque roborata.*

Hinc Liberatus in Breviario scribit: *Joannes Antiochenus cognoscens quæ gesta fuerant Ephesi in damnatione Nestorii, & illa duodecim Capitula Cyrilli in ipso Concilio suscepta & confirmata, indignabatur valdè contra Synodum.*

IX. Quinta Synodus Theodoreti Scripta quædam, tanquam impia, anathemate damnavit, non aliâ de causa, nisi quòd XII. S. Cyrilli Capitula impugnasset. Eâdemque sententiâ Ibæ Edesseni Epistolam ad Marim Persam comprehendit, quod XII. illa Capitula hæreseos insimulasset. Sic autem habet Canone 13. *Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam Fidem, & contra primam Ephesinam sanctam Synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula exposuit... & non anathematizat ea, & eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, insuper autem & omnes qui scripserunt contra rectam fidem, & S. Cyrillum, & duodecim ejus Capitula, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt, talis Anathema sit.*

Canone verò 14. anathemate configit Defensores Epistolæ ab Iba scriptæ ad Marim Persam, propter hanc, inter cæteras, rationem: quòd *S. Cyrillum, qui rectam Fidem Christianorum prædicavit, tanquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur, & inculpet primam Ephesinam sanctam Synodum, tanquam sine examinatione & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim Capitula S. Cyrilli impia, & contraria rectæ Fidei voces.*

S. Cyrilli Capitula ab Ephesina & Chalcedonensi Synodo approbata fuisse, testatur etiam Vigilius Pontifex Maximus in Decreto quo Rusticum & Sebastianum Romanæ Ecclesiæ Diaconos exauctoravit. *Synodicam*, inquit, *beatæ recordationis Cyrilli Epistolam ad Nestorium, cum duodecim Capitulis, sancta Synodus Ephesina prima suscepit, & beata Chalcedonensis Synodus ad convincendas Nestorii vesanias in Definitione Fidei legitur posuisse.*

Denique Gregorius II. Pontifex Maximus in Professione Fidei ad S. Germanum Constantinopolitanum Episcopum missa, de nono S. Cyrilli Anathematismo, cæterisque ita scribit: *Hunc S. Cyrilli Anathematismum cum reliquis omnibus Anathematismis recepit Tertia sancta ac Oecumenica Synodus, quo sensu Sanctus ediderat. Manifestum enim est sanctos Patres in dicta sancta Synodo congregatos totam tertiam Epistolam adversùs impium Nestorium Constantinopolitanum scriptam absque ulla retractationis hæsitatione suscepisse. Scimus autem extremam illa Epistola partem dictos duodecim Anathematismos continere.*

S. Cyrillus à calumnia & hæresis suspicionibus vindicatur.

Objicies. S. Cyrilli duodecim Capitula Joannes Antiochenus cum tota Orientis Diœcesi, velut Apollinaris hæresi contaminata impugnavit, atque damnavit: imposuitque Andreæ Samosateno & Theodoreto illa refellendi provinciam. Theodoretus Doctor cùm primis Catholicus & à Concilio Chalcedonensi susceptus, ea hæretico afflata veneno probavit. Ibas Edessenus in Epistola ad Marim Persam, quam à Synodo Chalcedonensi susceptam ac probatam Facundus Hermianensis initio lib. 5. & c. 1. lib. 6. & Liberatus c. 13. Breviarii, testantur, duodecim S. Cyrilli Capitulis Apollinarismi notam inussit: tametsi de pace redintegrata, & mutato Cyrilli animo, veráque tandem ab eo susceptâ Fide gratularetur. Gennadius Constantinopolitanus Episcopus, qui Anatolio successit, vir orthodoxus & sanctus, in duodecim S. Cyrilli Capitula vehementissimè invectus est, eaque execratus est ut hæretica, ut constat ex Fragmentis illius à Facundo relatis lib. 2. cap. 4. S. Cyrillum *blasphemum Ægyptium* & *parietem dealbatum* vocat: & inter alia hæc de illo scribit: *Omnem supereminentiam blasphemiâ jaculatus est adversùs sanctos Patres, adversùs eorum priores Apostolos, adversùs ipsum Salvatorem in resurrectione meditatus est. Assumptam quidem humanitatem ex nobis, & pro nobis injuriat: divinam ejus naturam impassibilem passionibus subjacere contendit.* S. Isidorus Pelusiota Cyrillum testatur parùm orthodoxè tractasse quæ Christi erant, & contentionis æstu, animoque ad privatarum injuriarum ultionem accensô abreptum, Ecclesiam turbasse: & Theophili avunculi sui turbulentam indolem imitatum, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Antistitem Nestorium ejusque amicos vexasse, sicut ipse Theophilus S. Chrysostomum vexaverat. Sic autem scribit lib. 1. Epistola 310. *Multi ex iis qui Ephesi coacti sunt, te traducunt ut tuas inimicitias persequentem & ulciscentem, ac non ea, quæ Jesu Christi sunt, orthodoxè quærentem. Theophili*, inquiunt,

quinit, ex sorore nepos est, illiusque mentem ac sententiam imitatur. Ut enim ille perspicuum adversùm divinum afflatum, ac Deo charum virum Joannem furorem effudit: sic etiam iste gloriari ac se jactare expetit: etiamsi alioqui latum sit inter eos qui accusantur discrimen. His verbis ad S. Cyrillum ipsum scribebat S. Isidorus. Et Epistola 370. ad eumdem: *Simultates ac dissidia comprime. Ne privata ac domestica contumelia ultionem, quâ tanquam ære quodam alienò à mortalibus obstrictus es, in viventem Ecclesiam deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie atque obtentu compara.* Quibus testimoniis conficitur S. Cyrilli Scripta, & præsertim Anathematismos duodecim omni labe erroris non carere.

Respondeo, Joannis Antiocheni, & Orientalium testimonia adversùs duodecim Capitula S. Cyrilli, nullius esse ponderis, cùm ab initio Ephesini Concilii usque ad initam Ecclesiarum pacem, infensissimi fuerint, & implacabiles Cyrilli inimici, & à sacra Synodo cùm propter patrocinium præstitum Nestorio, tum propter calumnias fidei & doctrinæ S. Cyrilli illatas, damnati fuerint & exauctorati. Præterea, Joannes Antiochenus post initam concordiam amanter & honorificè scripsit ad S. Cyrillum, & vicissim ad ipsum S. Cyrillus, & sincerè invicem sibi testimonium Catholicæ Fidei præbuerunt. Theodoretus Cyrilli quidem Anathematismos acriter impugnavit; sed sub Concilii Chalcedonensis tempus, imò antequam Eutychetis hæresis in apertum erupisset incendium, & ab Ecclesia Dioscorus Alexandrinus Patriarcha defecisset, iniquam & falsam adversùs illa Capitula deposuerat opinionem, ut constat ex ipsius Epistola 83. ad Dioscorum data, qua testatur se quæ de Incarnatione sentit, cùm à Scriptura sacra, tum à Sanctissimis Ecclesiæ Magistris, Alexandro, ejusque successore Athanasio, Basilio, Gregorio, cæterisque didicisse, nec-non à Theophilo, & Cyrillo, quorum Scriptis usum se ait ad convincendos Hæreticos. Tum mutuæ inter se & S. Cyrillum, post illam acrioris contentionis procellam, benevolentiæ signa & officia commemorat. *Quod verò*, inquit, *etiam beatorum Alexandri & Cyrilli Scriptis utamur, atque etiam eorum verbis adversantium audaciam retundamus, libri testantur. Siquidem eos omnes, qui Dominicæ carnis & divinitatis differentiam negant* (id est, Apollinaristas) *ac nonnunquam divinam naturam asserunt in carnem esse conversam; aliàs verò carnem in divinitatis transiisse naturam, eximiorum istorum Patrum medicamentis curare studemus. Illi enim apertè tum naturarum duarum discrimen nos docent, tum divinæ immutabilitatem prædicant, ac Dominicam quidem carnem, divinam nominant, quoniam Dei Verbi caro facta est: hanc ipsam verò in divinitatis naturam conversam putare, tanquam impium respuunt. Quòd ad beatæ porrò memoriæ Cyrillum attinet, hunc literas ad me sæpe scripsisse, credo non ignotum esse Sanctitati tuæ. Quin idem libros suos adversùs Julianum mittens Antiochiam, & alteram de Emissario lucubrationem, petiit ab Joanne Antiocheno tunc Episcopo, ut illa sua Scripta cum præstantibus communicaret Orientalis Ecclesiæ Magistris. Quibus literis impulsus B. Joannes, libros istos ad me misit. Quos cùm legissem, admiratus sum, atque ad beatæ memoriæ Cyrillum literas scripsi, & vicissim ille rescripsit, ac diligentiam & affectum in se meum commendavit; & apud nos adhuc istæ literæ servantur.* Denique in suis contrà Apollinarium & Eutychem Dialogis Theodoretus eorum Hæreticorum errores Cyrilli etiam Alexandrini testimoniis refellit quem inter illustres viros laudat, quos *Orbis lumina, & Fidei duces*, ac *Magistros* appellat. Non sentiebat igitur Theodoretus, cùm hæc scripsit, Apollinaris dogma in Cyrilli Scriptis latere, eoque veneno ejus Anathematismos infectos esse. Cùm enim illos non damnasset, aut retractasset S. Cyrillus, eum ut Ecclesiæ Magistrum ac Fidei ducem Theodoretus non laudasset, nec ejus auctoritatem ac doctrinam opposuisset Eutychianis cum Apollinari sentientibus, nisi fuisset ipsi penitus persuasum, libros ipsius errorum Apollinaris puros esse. Itaque Joannes Antiochenus & Orientales, nec-non Theodoretus, tardè licet agnoverunt, re accuratiùs perspectâ, & animorum sedatâ perturbatione, Epistolas, Anathematismos, Scriptaque omnia S. Cyrilli Alexandrini contra Nestorium, & de Incarnatione Verbi, esse integerrimæ Fidei: siquidem sine ulla priorum dogmatum retractatione cum ipso communionem redintegrarunt, vivumque coluere perpetuò, & mortui memoriam suis Scriptis celebrarunt, doctrinamque commendarunt.

*Ibam quod attinet, negamus ejus Epistolam à Concilio Chalcedonensi fuisse approbatam; nec in hoc Liberato & Facundo Trium Capitulorum pertinacissimis defensoribus credendum est. Sed hac seposita quæstione, de qua aliàs, cùm de Tribus Capitulis agemus: dico Ibam à Synodo Chalcedonensi susceptum, ubi dixit Anathema Nestorio, & sua adversùs S. Cyrillum ejusque Capitula, dicta excusavit. Cùm enim illi objectum fuisset Actione 10. quòd beatæ memoriæ Cyrillum hæreticum appellasset, respondit, non se recordari sic à se nominatum. Quod si fortè id sibi excidisset, cum ab Orientalium Concilio velut hæreticus anathemate confixus est, Primatem se suum secutum. Sed instante Mara accusatore, hoc ab eo jactatum esse: *Nisi Capitulis suis Anathema dixisset ipse, non eum recepissemus*: negavit sic se locutum; verùm ita potiùs: *Nisi se ipse esset interpretatus, & Orientalis eum Synodus recepisset, ego cum Primate meo, & Orientali Synodo illum abnegarem.* Itaque Ibas S. Cyrilli duodecim Capitula non damnavit ut hæretica post initam pacem, sed eo sensu approbavit, quô ea S. Cyrillus exposuerat. Unde Cyrillo post Capitulorum expositionem communicavit, ut rursùs in Actis Concilii Chalcedonensis ait, à Facundo laudatis lib. 5. *Ego*, inquit, *postquam sua Capitula interpretatus est, tantum abstineo ab anathemate viri; quia & literas ab eo suscepi, & literas ei direxi, & communicavit mihi, & communicavi ei.* Ideò igitur Ibas, & Orientales cæteri S. Cyrilli Capitula ut Apollinaris hæresi contaminata primò impugnarunt, quia eorum sensum non sunt assecuti. Ita respondet Facundus Hermianensis lib. 6. ubi Epistolam Ibæ vindicans, ait: *Fatendum est hanc Epistolam satis ostendere quòd Reverendissimus Ibas, cum Orientalibus, aliarumque Provinciarum Episcopis, intentionem dictorum B. Cyrilli minùs intelligens, & suspicatus quòd negaret in Christo differentiam naturarum, consequenter judicavit, quia in Apollinaris dogma incidisset, qui non assumptione humanæ naturæ Deum Verbum credebat hominem factum, sed partem substantiæ ipsius Dei Verbi putabat in carnem esse conversam. Si autem Venerabilis Ibas alia ejusdem B. Cyrilli dicta legisset, aut sicut oportuit, attendisset, invenisset proculdubiò, quòd ipse quoque contra Apollinarem, intentione, quâ diximus, negaverit Deum Verbum hominem factum, & differentiam naturarum docuerit. Sed Nestorio respondens, qui unum Christum in duos filios dividebat, necesse non habuit de duabus naturis adversùs eum evidentiùs atque expressiùs disputare. Quin imò, ne quam daret occasionem ejus erroris, parciùs de naturarum discretione locutus est: ne cùm ipse naturas distingueret, ille duas personas induceret. Audiebant itaque, vel relegebant verba dicentis Orientales Patres, neque animadvertebant ejus intentionem, secundùm quam de verbis est judicandum: quia non magis quid dicatur attendendum est, quàm cur quidque dicatur.*

Et in eodem libro ait, Ibæ Epistolam à Synodo Chalcedonensi fuisse receptam, vel potiùs Ibam, lectâ ejus Epistolâ, fuisse Orthodoxum à Patribus pronunciatum, quia ex ea constabat. *Fidem B. Cyrilli in Confessione, quam ei per Paulum Episcopum Orientales subscribendam miserant, ipsum approbare, licet in illis duodecim Capitulis intentionem ejus necdum intelligeret. Cognoscens ergo Magna Synodus, quòd sive in illis Capitulis, sive in illa Confessione, cui B. Cyrillus subscripsit, eadem Fides esset, nihil differre judicavit, quibus verbis enuntiatam Cyrilli Fidem Ibas approbasset, cùm enim quòd necessarium fuerat approbasse constaret. Unde nec aliud credidit, nec credere debuit, nisi quia Patres Orientales, inter quos fuit etiam ipse Ibas, aliarumque Provinciarum Episcopi, intentionem Capitulorum B. Cyrilli minùs animadverterant, ut ea etiam à Concilio Ephesino suscepta culparent.*

Ad testimonium Gennadii Constantinopolitani post Anatolium Episcopi, respondeo librum ejus contra S. Cyrillum & ejus duodecim Capitula non extare: nec admodum fidendum esse Facundo, qui in libris illis quos pro tribus Capitulis edidit, in laudandis Auctoribus non semel hallucinatus est, & alienis nominibus libros quosdam inscripsit. *Quod ex mendositate Codicum, & ex incuria Translatorum* quibus usus est, de qua ipse in Præfatione conqueritur, proculdubiò contigit. Verisimile itaque est librum illum, ex quo Fragmenta quædam profert Facundus, Gennadio Constantinopolitano Episcopo fuisse suppositum. Incredibile enim est quòd Orthodoxus & sanctus Antistes post Concilium Chalcedonense tam intemperanti stylô in S. Cyrillum & ejus Capitula scripsisset; & quòd S. Cyrilli memoria & Opera, quæ tanta in veneratione erant, vindicem nullum ac defensorem inter Catholicos nacta essent, qui librum illum refelleret.

Respondeo secundò, si Gennadius hæc contra S. Cyrillum & ejus Capitula scripsit, ipsum deceptum fuisse, & ejus mentem non esse assecutum. Eam responsionem insinuat Facundus lib. 2. *Talia*, inquit, *Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minùs intellexisset.*

Denique ad testimonium S. Isidori Pelusiotæ respondeo, ipsum Capitula S. Cyrilli non damnasse, sed Orientalium clamoribus, & calumniis à Fautoribus Nestorii in vulgus sparsis, & longè latéque per Provincias diffusis conturbatum, S. Cyrillum amicè & paterno affectu monuisse. Ipsum enim Cyrillus Patrem appellabat, & ut Patrem reverebatur.

Contra: S. Cyrillus Capitula sua retractavit, etsi non disertis verbis, implicitè saltem: siquidem ubi pacem iniit cum Joanne Antiocheno, Theodoreto, aliisque Orientalibus, ipsos non adegit ut sua adversùs Nestorium duodecim Capitula probarent, aut calumnias in illa disseminatas conscriptasque criminationes recantarent. Igitur non injuriâ Cyrilli duodecim Anathematismos Orientales impugnarunt & damnaverunt.

S. Cyrillus duodecim Capitula sua non retractavit.

Respondeo, nego antecedens. Contrarium namque constat ex ipso S. Cyrillo in Epistola ad Acacium Melitensem Episcopum, in qua de conditionibus pacis ab Orientalibus propositis hæc habet: *Volebant omnia aboleri, quæ vel Epistolis, vel Tomis, vel Libris evulgaveram, & soli Fidei, quæ à SS. Patribus nostris Nicææ edita fuerat, consentire. Ego verò ad ista ita rescripsi: Expositioni Fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes, nihil eorum quæ in ipsa continentur, labefactantes. Sunt enim ea omnia rectè inculpatéque tradita: neque tutum est post illam Fidei editionem quidquam curiosiùs tractare. Quæ verò rectè contrà Nestorii blasphemias scripsimus, ea ejusmodi esse, ut nullâ nobis ratione persuaderi possit, ut rectè scripta esse negemus.*

Ideò autem Capitula sua retractasse à nonnullis existimatus est S. Cyrillus, quia compulsi non sunt Orientales illis subscribere: ipse verò subscripsit Confessioni Fidei ab Orientalibus conscriptæ; & sua præterea Capitula ante pacem Ecclesiarum exposuit. Rem acu tetigit Facundus Hermianensis lib. 6. *Hinc autem*, inquit, *creditus est idem B. Cyrillus, non rectam prius in suis Capitulis tenuisse sententiam, sed admonitione Orientalium postea esse correptus; quoniam cùm ipsa unitas Ecclesiarum fieret, non Orientales Patres ejus Capitulis subscribere compulsi sunt, sed ipse potiùs expetitus est directæ sibi ab eis Confessioni subscribere. Ipsamque Capitulorum suorum retractationem* (id est expositionem) *non ideò cum post Ephesinam Synodum fecisse aliqui crediderunt, ut quæ clausa quibusdam fuerant panderentur, & quæ videbantur obscura clarescerent; sed potiùs ut pristinum in eis emendaret errorem, quòd putabatur, sicut adhuc Eutychiani putant, quòd unam in eis dixerit Christi naturam. Hinc ergo contigit, ut conversione B. Cyrilli facta unitas crederetur. Et reverà cui non surriperet ista suspicio? (De humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus) cùm nihil Orientales Patres, qui hæc Capitula judicanda judicaverunt, corrigere cogerentur, B. autem Cyrillus non solum Fidei Confessioni, quam sicut necessariam crediderunt, illi dictaverant, expetitus antè subscriberet; sed etiam ipsa sua Capitula retractaret*; id est, interpretaretur, & exponeret. Hoc enim sensu retractationis nomen ibi Facundus usurpat, qui disertè asserit Ibam in eo errasse, quòd crediderit Sanctum Cyrillum Capitula sua damnasse; & errorem pristinum emendasse, cùm ad se missam à Joanne Antiocheno & Orientalibus Fidei formulam per Paulum Emissenum accepit, atque probavit. En Facundi verba: *Putaverat autem Reverendissimus Ibas Episcopus, quod idem B. Cyrillus; directâ sibi ab Orientalibus Confessione, non communem Fidem in ea cognoverit; sed proprium errorem correxit. Quod neque nos, neque sancta Chalcedonensis Synodus approbavit.* In eodem facti errore versatus est Theodoretus, etiam postquam in concordiam cum S. Cyrillo rediit, ut patet ex ipsius Epistola 112. ubi ad Domnum Patriarcham Antiochenum Ephesum, ut Prædatoriæ Synodo adesset, cogitantem, hæc scribit: *Nihil enim boni ex jactata Synodo expectare licet . . . Neque enim insitum in duodecim Capitibus venenum norunt, qui aliarum sunt Diœcesum: sed ejus, qui illa scripsit, claritatem attendentes, nihil sinistrum suspicantur; & qui ejus Sedi successit, omnia (opinor) movet, ut alterâ Synodo illa confirmet. Qui enim pro imperio nuper ista scripsit & iis qui acquiescere his nollent, anathema dixit, quid Præsident Concilio non aget? At scio, Domne, neminem eorum qui insitam in his hæresim norunt, adductum iri ut ea recipiat, quamvis duplo plures decernant. Jam siquidem etiam si plures temerè ista sanxissent, restitimus apud Ephesum: nec prius illi, qui hæc scripserat, communicavimus, quàm iis, quæ exposueramus, assentiens, consonam his doctrinam accommodavit, nullam Capitum illorum faciens mentionem. Quod quidem Sanctitatis tuæ facilè erit perspicere, si Acta conquiri jubeat: asservantur enim prorsus cum Synodi subscriptionibus.*

S. Cyrillus studio pacis ecclesiasticæ non exegit ab Orientalibus Episcopis ne sua Capitula probarent, aut conscriptas adversus illa criminationes retractarent.

Porrò S. Cyrillus dispensatione quadam & œconomiâ usus, à Joanne Antiocheno, Theodoreto aliisque Orientalibus non exegit ut sua adversùs Nestorium Capitula probarent, aut calumnias in illa sparsas, conscriptasque criminationes recantarent. Maluit enim Doctor Sanctissimus Ecclesiasticam pacem, suæ etiam famæ dispendiô stabiliri, quàm extra Ecclesiæ communionem manere Episcopos rectè alioqui de Fide sentientes. Id observavit Facundus Hermianensis lib. 6. p. 249. editionis

nis P. Sirmondi, quam sequimur. *Sanè, inquit, quoniam B. Cyrillus, Orientalium Legatione susceptâ, magis, quod à Consacerdotibus suis expetebatur, festinavit implere, quàm dictorum suorum in quibus offensi fuerant, sufficientem purgationem facere; ideò putatus est, velim pristinô errore damnatô, Orientalium admonitione conversus: cùm ille recuperandæ unitatis cupidus, in defensione dictorum suorum noluerit immorari; ne cùm probare diù contendit, quod non, ut putabatur, ab eo fuerint dicta, de quibus minùs intelligentes aliter sentiebant, controversia hâc dissensione terminus non daretur.*

Contrà. Synodus Chalcedonensis Theodoretum suscipiens ipsum tantùm adegit ad Anathema dicendum Nestorio, non autem ad ea revocanda quæ in duodecim S. Cyrilli Anathematismos scripserat: existimarunt igitur Patres Chalcedonenses, illos fuisse à Theodoreto jure impugnatos atque damnatos.

Respondeo, nego consequens. Quod enim Theodoretum ad recantanda quæ in Capitula S. Cyrilli scripserat, non compulerit sancta Synodus, ex eo profectum non est, quòd ea jure ab ipso reprehensa fuisse censeret; sed ex eadem œconomia, qua Sanctus ipse Cyrillus tempore concordiæ cum Orientalibus initæ usus est, ut testatur Leontius Byzantinus *lib. de Sectis, Actione 6.* ubi respondens Acephalis objicientibus contra Concilium Chalcedonense, illud non postulasse à Theodoreto ut Scripta sua adversùs S. Cyrilli Capitula anathemate damnaret, hæc habet: *Respondemus ob id non tam accusandam Synodum, quàm Cyrillum hominem sanctum. Nam is communione cum Orientalibus, & cum ipso Theodoreto constitutâ, non postulavit ab eo, ut anathemate Scripta sua, quæ contra duodecim Capitula facta fuissent, execraretur. Quod igitur ipse Cyrillus vir sanctus non fecit, ob ejus intermissionem an Synodus culpari meretur?*

Objicies secundò. Quæ in S. Cyrilli duodecim Capitulis Orientales & Theodoretus criminati sunt, verè erant reprehensioni obnoxia: ipsa igitur erroris jure-merito insimularunt.

Objectiones Orientalium adversùs S. Cyrilli Capitula.

Probatur antecedens, exponendo singillatim contradictiones Orientalium & Theodoreti adversùs ista Capitula. Objiciebant itaque Orientales, adversùs primum S. Cyrilli Capitulum, ipsum non rectè locutum fuisse cùm dixit, Beatam Virginem *Carnaliter genuisse incarnatum Dei Patris Verbum*: Eamque vocem esse Deiparæ contumeliosam. Nam si carnaliter genuit, inquiebant, jam non ut Virgo. Ubi igitur illud; *Spiritus Sanctus superveniet in te?* &c. Præterea hujusmodi voces hæresis Apollinaristarum suspectas faciunt, quæ conversionem divinitatis in carnem adstruebat. Non sic autem interpretandas esse Evangelicas voces, *Verbum caro factum est*, probant simili Apostoli sententiâ dicentis: *Christum pro nobis factum esse peccatum & maledictum*: ex quo sequeretur ipsum in peccatum & execrationem transiisse.

Contra secundum Anathematismum S. Cyrilli, quô asseritur Dei Patris Verbum carni secundùm hypostasim unitum, objiciebat Theodoretus vocem istam, *Unitionis secundùm hypostasim*, peregrinam esse, & à Scripturis sacris alienam, & Patribus, qui eas interpretati sunt, ignotam. Quòd si hic loquendi modus utriusque naturæ mistionem & confusionem significet, blasphemiam esse. Siquidem confusio utriusque naturæ proprietatem aufert.

Adversùs tertium S. Cyrilli Anathematismum objiciebant Orientales, primò ipsum aliquando duas in Christo hypostases dixisse, adeòque sibi ipsi repugnare, cùm illis impingit anathema, qui post unitionem hypostases dividunt. Secundò, quòd admirabilem illam unitionem, *naturalem* appellet, quæ vox hæresim redolet. Si enim naturalis unio, inquiunt, ubi gratia? Eumdem loquendi modum insectatus est Theodoretus.

Adversùs quartum Anathematismum objiciebant Orientales, & Theodoretus, quòd uni personæ, nempe Dei verbo tribueret voces, quæ in Scriptura sacra passim occurrunt; quarum aliæ divinæ, aliæ humanæ propriæ sunt naturæ. Ex quo Arium & Eunomium vicisse sequebatur, omnia tanquam uni convenientia naturæ confundentes. Nam quomodò, inquiebant, intelligemus Domini voces, propter naturam carnis, quæ videtur, dicentis, *Non veni voluntatem meam facere: & mandatum accepi quid dicam, & quid loquar*, &c. Indivisis enim vocibus, sicut & naturis manentibus, erit, secundùm Cyrillum, Filius minister & executor paternorum mandatorum, secundùm divinitatem. Non dissentit ab Orientalibus in hujus Anathematismi reprehensione Theodoretus.

Adversùs quintum Anathematismum objiciebat Theodoretus, perperam à Cyrillo Christum negari *Deiferum*, eamque vocem ab ipso temerè damnari: cùm ea plures Veterum usi sint, & inter alios S. Basilius.

Adversùs sextum Anathematismum, quô Verbum Christi Dominum & Deum esse S. Cyrillus negat, objiciebat Theodoretus, quòd à Verbo assumptum est, esse *formam servi*: & propter ejus susceptionem, Christum ab Isaia Propheta *servum* nominari.

Adversùs septimum Anathematismum S. Cyrilli objiciebant Orientales, ipsum pugnare cum Apostolo ad Ephesios 1. scribente: *Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus; quam operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis.* Et cum S. Luca *Actuum* 2. dicente: *Dexterâ Dei exaltatus*, &c. Percutiebat siquidem Cyrillus anathemate eos qui dicerent, Jesum tanquam hominem à Dei Verbo operandi vim habuisse. Non dissimili ratione hoc Cyrilli Capitulum aggrediebatur Theodoretus, probans Deum Verbum aliquid in assumpta natura hominis operatum fuisse. Cùm enim esset mortalis seipsâ conditioneque suâ, immortalitatem ex conjunctione cum Verbo consecuta est: accepit igitur quod non habebat: itaque Verbum aliquid in ea operatum est.

In octavum Anathematismum objiciebant Orientales, Cyrillum adversùs seipsum pugnare, ut qui alibi scripsisset, Verbum assidere Patri suo *cum carne*, & sic adorari; hîc autem anathema impingeret iis, qui dicerent, *Assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, & conglorificari.*

In Anathematismum nonum objiciebant, à seipso dissentire Cyrillum, qui aliàs scripsisset, non solùm Christum signa fecisse in Spiritu, sed etiam ipsum mortuum, vivificatum esse Spiritu: in Anathematismis verò suis neget Dominum in Spiritu dæmones ejicere, & alia signa facere, atque ita Domini vocem explodat dicentis: *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia.*

In decimum Anathematismum objiciebant Orientales, & Theodoretus, Dei Verbum Catholicô sensu Pontificem & Apostolum nostrum dici non posse: idque repugnare S. Paulo dicenti: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: sed tentatum per omnia, secundùm similitudinem absque peccato.* Quis igitur tentatus est ille, inquiebant, num Deus Verbum, an humana natura? Et iterùm: *Nemo sibi assumit honorem, sed vocatus à Deo, sicut Aaron, ita & Christus non seipsum glorificavit ut fieret Pontifex.* Quis igitur ille, inquiunt, qui comparatur secundùm Sacerdotii dignitatem ipsi Aaron, & ei qui non à seipso honorem assumit, sed vocatur à Deo & ad dignitatem Sacerdotis ascendit? Num divina natura, quæ est Patri coæterna? Et iterùm dicit: *Qui in diebus carnis suæ preces & supplicationes ad eum qui possit illum salvare à morte, cum clamore*

more validô & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Nunquid, inquiunt, Dei Verbum pro sua reverentia exauditum est?

In Anathematismum undecimum quô S. Cyrillus perstringit eos, qui negaverint carnem Domini vivificam, ipsius Verbi qui ex Patre est, propriam esse, objiciebant Orientales hanc locutionem & superfluam esse, & suspectam. Superfluam quidem, quia caro cujuslibet hominis propria ipsius est, non alterius: adeòque necesse non fuit dicere propriam Domini carnem. Suspectam verò, quia significare videtur ista locutio carnem Christi non esse similem nostræ, id est, ejusdem cum ea naturæ; sed aliunde delibatam, ut puta ex transformatione divinæ substantiæ: idque ipsum dixisse clariùs in primo suo Tomo. *Et infans erat* (inquit) *non secundùm nos; hoc est, non in pura & sola nostri similitudine; sed in humanitate quidem præter carnem; divinus autem tanquam supra nos, & de cælo.*

Theodoretus verò huic Anathematismo impingit hæresim Apollinaristarum: quòd nec animæ, vel animatæ carnis mentionem in eo faciat S. Cyrillus, sed unius carnis; quasi in hac divinitas animæ vices obiret: qui fuit Apollinaristarum error.

Tandem adversùs duodecimum Anathematismum, quô S. Cyrillus ferit eos, qui Verbum Dei carne passum & crucifixum esse non confitentur, objiciebant Orientales, ab eo divinitatem passibilem constitui: ipsumque sibi contradicere, qui alibi scripserat, Divinitatem permisisse carni ut passionem ac mortem experiretur. Ut ut est, non esse passum Dei Verbum, sed solam carnem unitam Verbo. Aut enim inquiunt, secundùm naturam habens ut pateretur, est passum, aut præter naturam. Si secundùm naturam passum est, erit & Pater passibilis, cùm sit consubstantialis Filio. Si præter naturam passum est; & quæ passio fortior est divinâ naturâ, ut naturâ impassibilem, præter naturam passioni subjiciat?

Respondeo, Nego primum antecedens. Inanes enim sunt, cavillatoriæ, & meris plerùmque verborum S. Cyrilli calumniis innixæ Orientalium & Theodoreti adversùs duodecim Sanctissimi Doctoris & Patriarchæ Anathematismos objectiones, ut singulas expendenti exploratum erit. Illas porrò non aliis quàm S. Cyrilli responsionibus, ipsisque penè illius verbis diluemus.

S. Cyrilli Responsiones ad Objectiones Orientalium.

Ad primam respondet S. Cyrillus, Beatam Virginem peperisse Deum Verbum, secundùm Scripturas, carnem factum, hoc est, hominem; peperisse autem illum carnaliter, id est, secundùm carnem. Quæ loquendi ratio consentanea est S. Joanni asserenti in Evangelio, *Verbum carnem factum esse:* & Nicæno Concilio docenti, Deum *Incarnatum, & hominem esse factum:* quod est unitum esse carni animâ rationali præditæ, & hominem se fecisse, mansisseque nihilominùs Deum. Dixit verò S. Cyrillus, Beatam Virginem genuisse Deum *carnaliter*, ne existimaretur asserere Verbum Patris secundùm naturam divinam initium subsistentiæ habuisse ex muliere, & deitatem ex ea natam: quod ex Catholicorum sententia, asserentium B. Virginem Deiparam, sequi effutiebat Nestorius. Peperisse itaque Deum Verbum carnaliter, est secundùm carnem ipsum peperisse. Nam Deus Pater secundùm divinitatem genuit esse Filium quà Deus est. Quoniam autem quod natum est ex carne, caro est; genuit B. Virgo ut caro existens, carnaliter. Carnaliter autem dicere, non est tollentis admirabilem nativitatem, neque evertentis Spiritus Sancti operationem, quâ in utero formavit partum; sed docentis potiùs quòd sicut Deus gignit divinè, id est, dignè Deo secundùm suam naturam; ita & homo humanè, hoc est, caro carnaliter: quod tamen non obest quin Verbum caro factum divinè processerit ex Virgine, id est, ut decet eum qui naturâ verè Deus est. Solus enim habuit matrem nuptias non expertam, & in partu, ac post partum Virginem.

Ad secundum objectionis caput, respondet S. Cyrillus, Inanem esse Orientalium metum, qui metuebant, ne divina Verbi natura in carnem conversa intelligeretur, si hæc verba, *Verbum caro factum est*, secundùm propriam strictamque significationem acciperentur. Addit, omnem suspicionem conversionis tolli hoc ipso quòd Evangelista, post illa verba; *factum est*, subjungit, *Et habitavit in nobis.* Absurdam esse Orientalium expositionem, asserentium, sic Verbum factum esse carnem, ut factum esse dicitur maledictum & peccatum. Factum namque solùm est maledictum secundùm hominum opinionem, non secundùm rei veritatem, & has appellationes subiit, ut aboleret maledictum & peccatum. Igitur si sic factum esset caro, etiam carnem abolevisset, nec reverà factus esset homo. Denique aliquot Patrum testimoniis expositionem suam fulcit S. Cyrillus, scilicet SS. Petri Alexandrini, Athanasii, & Amphilochii. Postremus ille de Verbi Divini Nativitate ex Virgine sic loquitur; *Nisi enim ille natus esset carnaliter, neque tu natus esses spiritaliter.* Ubi τὸ *carnaliter*, significat secundùm carnem, sicut divinè secundùm divinitatem. Quidni igitur, orthodoxè dici possit B. Virginem genuisse Deum carnaliter?

Ad secundam Objectionem respondet S. Cyrillus, se cùm unitionem dixit *secundùm hypostasim*, nihil aliud significare voluisse, nisi Verbi naturam, sive hypostasim, hoc est, Verbum ipsum, humanæ naturæ verè unitum, sine ulla conversione atque confusione. Sibi autem necessitatem factam esse utendi his vocibus, ut repugnaret Nestorio nativitatem Dei Verbi secundùm carnem perimenti, duasque naturas in Christo solâ affectione, habitudineque copulatas, & Christum unum esse morali tantùm unitate, & secundùm dignitatem asserenti, & æquivocè tantùm esse Filium Dei. Sicut ergo Nicæni Patres ὁμοούσιον ad Arianam hæresim profligandam consecrarunt; ita S. Cyrillus ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν. Quam locutionem sancta Synodus Ephesina approbavit, cùm secundam ejusdem S. Cyrilli ad Nestorium Epistolam suscepit, & Orthodoxam judicavit. Quâ in Epistola disertè scriptum est, *Deum Verbum univisse sibi, secundùm hypostasim, carnem animatam rationali animâ.* Quòd autem primus omnium Patrum S. Cyrillus *unitionem secundùm hypostasim* dixerit, testatur Euthymius in *Panoplia, Parte* 1. *Tit.* 7. Ignoravit itaque Theodoretus sensum Anathematismi secundi S. Cyrilli, ut & aliorum plerùmque, sicut Cyrillus ipse ei exprobrat. *Nam & initio*, inquit, *existimavam sensum Capitulorum eum non ignorare, fingere autem se ignorare, & in hoc quibusdam morem gerere. Atqui nunc verè eum illa ignorare comperio.*

Ad tertiam Objectionem respondet S. Cyrillus, Orientales perperam ea, quæ ab ipso scripta erant, interpretari: nulli tamen reprehensioni obnoxia fore, etiamsi ita scripsisset, quia duas subsistentias, duas naturas intellexit. Alia autem in Christo est natura Verbi, alia hominis. At impium esse meritò contendit, sejungere naturas in duos filios, ut privatim & seorsim existant, habentes solùm externam conjunctionem, & consociationem dignitatis. Damnavit itaque S. Cyrillus anathemate tertio, naturarum, non distinctionem, quasi post unitionem nullum inter illas esse discrimen assereret sed divisionem, qualem Nestorius admittebat; qui

qui duas hypostases separatim existentes & disjunctas in Christo agnoscebat, solô dignitatis & auctoritatis consortiô conjunctas; quô modô conjuges duo, vel amici, eorumdem honorum participes & socii, solâ hominum æstimatione, & unitate morali, non naturali & substantivâ connexione sunt unum.

Ad secundùm objectionis caput respondet S. Cyrillus, se naturalem unionem cùm dixit, veram & non fictitiam atque imaginariam intellexisse. Quô sensu vocem illam, *natura*, & *naturalis*, Scriptura sacra usurpat. Scribit enim S. Paulus: *Eramus naturâ filii iræ*, id est, *revera*. Cavillari verò ait Theodoretum, qui naturalem unionem, quasi coactam, & necessitate extortam interpretetur. Quæ planè falsa est illius vocabuli notio. Nam homo secundùm naturam est rationalis: nec tamen præter voluntatem & coactè est rationalis. Deus secundùm naturam est Deus, sanctus, justus bonus; non tamen præter voluntatem & coactè hæc omnia est.

Ad quartam Objectionem respondet S. Cyrillus, voces quidem omnes convenire uni Jesu Christo, Deo simul & homini; sed alias ipsi convenire ratione divinitatis, alias ratione dispensationis cum carne. Itaque, inquit, prudenter unamquamque vocem, de Christo à Sanctis, vel etiam ab ipso fortè dictam, exponendam esse, laudarim etiam ego, & ut opinor, rectè quisque sentiens. Nam aliæ quidem sunt Deo dignæ: aliæ verò dispensationi cum carne congruentiores. Quoniam autem est unus Deus simul & homo, hâc ratione rectè aliquando diviné, aliquando humanè loquitur. Verùmtamen unius Jesu Christi & has & illas voces esse asserimus, nec divinitate spoliantes templum, quod ex sancta Virgine est, nec sine carne putantes Dei Patris Verbum post ineffabilem unitionem. Uni igitur & eidem personæ voces Christo in Scripturis attributas convenire S. Cyrillus contendit, sed ratione distinctarum naturarum. Nec alium sensum quarti ipsius Anathematismi verba præ se ferunt. *Si quis*, inquit, *dividit voces secundùm hunc modum, ut alias quidem tanquam homini à Deo seorsim intellecto adaptet, alias verò ut Deo dignas, soli Verbo Dei; Anathema sit.* Si igitur, inquit S. Cyrillus, qui separant & dirimunt in hominem privatim ac seorsim positum, & in Deum Verbum privatim ac seorsim constitutum, non partiuntur unum Christum, neque duos asseverant filios, succenseant nobis homines criminandi cupidi. Si autem qui voces de Christo in Scripturis usurpatas, divulsis atque distractis, & seorsum existentibus naturis convenire contendunt, sectionem invehunt, & separationem in Dominicæ Incarnationis Sacramento, inaniter, inquit, nostros sermones reprehendere statuerunt: cùm & ipsi indivisibilem & unum secundùm summam unitionem confiteantur esse Emmanuelem.

Ad quintam Objectionem respondet S. Cyrillus, se Christum hominem *Deiferum* rectè negasse Nestorii sensu, qui non secus ac Prophetas, cæterosque Homines Sanctos, in quibus Deus residebat, Deiferum volebat appellari; ac Deo Verbo solâ copulari communione dignitatis. Rejicit itaque S. Cyrillus hanc vocem velut suspectam, quæ scilicet Propheticam mensuram Christo tribuere, eumque Justis omnibus qui Deum in cordibus suis per Spiritum Sanctum inhabitantem habent, similem asserere videatur. Christum quidem *Hominem Deiferum*, & Deiferam Christi carnem Veteres nonnulli ante Nestorium appellarunt, ut S. Basilius à Theodoreto laudatus, & Eustathius Antiochenus laudatus à Gelasio lib. *De duabus naturis*. Sed suam esse vocibus tempestivitatem quamdam, quæ pro temporum & aliarum rerum opportunitatibus cautè ac prudenter est moderanda, nemo nescit. Temporibus Pauli Samosateni, vox ὁμοούσιος suspecta erat, quia pravos ipsam detorquebat in sensus. At Arii temporibus publicô usu Ecclesiæ consecranda visa est Patribus Nicænis, ut opportuna ad illius hæresim jugulandam. Ita voces istæ: *Caro Christi Deifera*, aut *Christus homo Deifer*, ante Nestorii exortam hæresim nihil in se periculi involvebant; postquam verò his verbis errorem suum tegere cœpit Nestorius, meritò suspectæ evaserunt: unde illarum usum removere S. Cyrillo tutius visum est. Quamquam inter Theodoretum & S. Cyrillum solam de voce contentionem hac in parte fuisse putem, quia nec ita Christum *Hominem Deiferum* dici volebat Theodoretus, ut veram propriéque dictam naturarum unitionem abdicaret, & ut caro seorsim existens, velut alienum aliquod onus & extraneum, Deum portare ab ipso intelligeretur: quod anathemate feriebat S. Cyrillus. Denique sic *Deiferum* volebat dici, *ut non particularem quamdam divinam gratiam suscepisse credatur; sed ut totam sibi unitam habeat Filii deitatem*; ut ipsemet exponit.

Ad sextam Objectionem respondet S. Cyrillus, quod etsi Christus quà homo est, servus appelletur Patris, utporè ab illo personâ distinctus, eum tamen sui Dominum aut servum dici Catholicô sensu non posse, quia personæ discrimen invehit hujusmodi locutio. *Non igitur*, inquit S. Cyrillus Theodoreti objectionem propulsans, *dicetur sui met ipsius Deus ac Dominus Emmanuel: quandoquidem ipse idem simul est Deus & homo, postquam Dei Verbum homo factum & incarnatum est.*

Ad Objectionem septimam respondet S. Cyrillus, non inficiari se quin Verbum operatum sit in natura assumpta, eique vim exequendi tribuerit admiranda quædam & divina opera: sed solùm quòd operatum sit tanquam in altero & à se ipso disjuncto, sive tanquam in natura seorsim existente, & in propria persona subsistente. Verbum namque divinum unum esse secundùm hypostasim cum eo quod assumpsit. *Sequimur autem ubique sacras Scripturas*, inquit, *& Theologorum vocibus summum jus concedentes, obsistimus solis istis qui recta Ecclesiæ dogmata pervertunt. Quòd autem Pater ex mortuis resuscitasse Dominum Jesum Christum dicatur, eò opere scilicet circa carnem ejus effectô, nemo est qui ambigat. Ipse autem cùm sit vita, & vivificator, & operatoria virtus Patris, suum vivificabat templum, juxta illud: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Itaque quod vivificabatur, non erat alienum, neque alicujus ex hominibus nobis similibus, sed proprium ipsius Verbi corpus.*

Ad octavam Objectionem respondet S. Cyrillus, Orientales ignorare dictorum vim, & rerum naturas non respicere. Etenim quando in una persona & natura, seu hypostasi una, sermo diligenter examinans ea ex quibus constat naturaliter, subjungit præpositionem ἐκ vel σὺν, significat illud unum esse secundùm compositionem, & non in duo distrahit ac dirimit. Quando autem ante distinctis subsistentiis, atque seorsim & privatis intellectis, atque expressis præpositio σὺν & μετὰ adjungitur, tunc duo, vel etiam plura, & non unum secundùm compositionem significari dicimus. Exempli gratia: si dicamus animam hominis cohonorari cum suo corpore, vel animam cum suo corpore unum animal esse, non propterea in duos homines unum dividimus. Quando verò dicimus, Petrum & Joannem homines coappellari, vel Joannem cum Petro in templum ascendere: non jam σὺν vel μετὰ unum quid significant: non enim Joannes compositus est cum Petro, neque ad unius hominis constitutionem uterque aliquid confert. Unde S. Cyrillus colligit rectè à se dictum, Filium cum sua carne considere ad dexteram Patris; quia hôc loquendi modô unus

Filius esse simul Deus & homo significatur. Cæterùm dicere, hominem adorari cum Deo, & connominari Deum, omninò est confiteri duos adorandos, vel etiam inter se coappellandos.

Ad nonam Objectionem respondet S. Cyrillus, hanc meram esse calumniam. Nusquam siquidem negavit Jesum ejicere dæmonia per Spiritum Sanctum; imò asseruit ipsum divina signa per Spiritum Sanctum edidisse. Id verò unum se negavisse ait, quod Emmanuel per Spiritum Sanctum tanquam per alienam vim, & sibi velut beneficii loco, ut Prophetis; & Apostolis olim communicatam, admiranda opera fecerit. Propriam namque Christus habuit consubstantialis Spiritûs virtutem. Apostoli autem signa edentes dicebant: *Viri, quid nobis attenditis, quasi propriâ virtute hunc fecerimus ambulare?* Et hunc omninò sensum præ se ferunt verba Cyrilliani Anathematismi. *Si quis*, inquit, *unum Dominum Jesum Christum à Spiritu clarificatum dixerit, propriâ virtute ipsius tanquam aliena utentem*, &c. *Ac non potiùs ipsum Spiritum, per quem divina signa edidit, illius proprium esse confessus fuerit, Anathema sit.*

Ad Objectionem decimam respondet S. Cyrillus, mirum esse quòd Orientales, qui duos filios esse negabant, & qui unum & eumdem Dei Filium Christum, inconfusis manentibus naturis, Deum & hominem confitebantur, unum & eumdem Pontificem & Apostolum nostrum confiteri renuerent. Siquidem haud majus incommodum est asserere Verbum carnem factum esse, quàm factum esse summum Sacerdotem & Apostolum. Cæterùm Sacerdotii sui munia ipsum implevisse ait Cyrillus, ratione humanæ naturæ quam assumpsit. *Quando*, inquit, *factus est homo, vocatus est etiam Pontifex; non quòd tanquam majori Deo offerret Sacrificium; sed quod sibi ipsi & Patri fidei nostræ confessionem procuraret. Audiens quòd factus est Sacerdos propter humanitatem erubescis? Deinde, quomodò non admiratus es, quod non, secundùm Sacerdotum morem, alteri detulerit sacrificii modum; sed sibi ipsi potiùs & Patri? Quando dicis, indignum esse Deo ut sacrificet, assentior & ego. Sed, si solum esset, & absque carne Verbum, rectè diceret: At verò quia factum est caro, vide & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus ultra creaturam, sicut Deum. Considet enim cum Deo & Patre.*

Ad Objectionem undecimam respondet S. Cyrillus, se ideò proprium dixisse Verbi corpus, ut innueret non esse ab eo separatum ac distinctum; ita ut hominem unum per se subsistentem, & alterum à Verbo efficiat. Id autem inculcare contra Nestorium, qui naturam assumptam à Verbo, illius esse propriam negabat, & unam cum eo personam, nisi habitudine quâdam, & morali unitate, non autem substantiâ & propriè dictâ. Volebat autem ipsam revera esse alienum quiddam & separatum, quemadmodùm domus, ab eo qui habitat, res omninò divisa est, nec ipsi tribui potest quod incolenti convenit. Hinc illa templi & inhabitatis tam frequens appellatio in ore & in Scriptis Nestorii, ut carnem assumptam, & Verbum assumens significaret. Hinc carnem Christi vivificam esse negabat, quia caro Verbi non erat, secundùm hæreticam ejus sententiam. Quod autem verè dicatur proprium Verbi corpus, probat S. Cyrillus testimoniô S. Athanasii. Addit denique, se à recta via minimè aberrasse, cùm dixit Christum supra nos. Licet enim Verbum Dei factum sit homo, sic tamen est non solùm supra nos homines, verùm & supra creaturam omnem. Non enim solùm homo intelligitur, & sicut nos; sed idem ipse Deus desursum, & de cœlo.

Ad Objectionem verò Theodoreti contra eumdem Anathematismum, respondet S. Cyrillus, apertam esse calumniam, eâdemque ratione Apollinaristarum hæresim affingi posse S. Joanni à malevolis, quia dixit, *Verbum caro factum est*, nullâ animæ factâ mentione; imò & ipsi Christo dicenti: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem*; cùm nec animæ meminerit.

Ad Objectionem duodecimam respondet S. Cyrillus, Orientales in id præcipuè incumbentes ut probent impassibile secundùm suam naturam esse Dei Verbum, acrem verberare, cùm eis Catholicorum nemo in hoc obluctetur, aut contrarium sentiat. Verùm quia Sacramenti ratio agnoscit Filium ex Deo Patre secundùm naturam Unigenitum, hominem factum dispensativè, ipsiusque proprium factum illud corpus ex B. Virgine sumptum; eam ob causam jure optimo carnis passiones ejus esse dicimus, secundùm dispensativam appropriationem, servatâ ubique naturâ ejus impassibili. Quando igitur carne dicitur pati, non ipse in propria natura quâ Deus est, intelligitur pati, sed potiùs sibi appropriare passionem. Ipsius enim factum est unitum sibi corpus. Quapropter S. Paulus ipsum dicit, *Primogenitum ex mortuis, per quem reconciliata sunt omnia, & qui pacificavit per sanguinem crucis, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Hoc sentit & S. Petrus dicens: *Christo igitur passo pro nobis in carne.* Addit hanc fuisse SS. Patrum fidem: ac pro ea sententia laudat SS. Gregorium Nyssenum, Basilium Magnum, Athanasium.

Hæ responsiones desumptæ sunt ex Apologetico S. Cyrilli pro duodecim Capitulis adversùs Orientales, & ex eorumdem explanatione, quam pronuntiavit Ephesi coram sancta Synodo: nec-non ex ipsius Epistola ad Evoptium adversùs impugnationem duodecim Capitulorum à Theodoreto editam.

Objicies. Ejus Scripta sunt Apollinaris hæresi contaminata, qui scripsit, *Unam esse naturam Verbi incarnatam.* Atqui S. Cyrillus scripsit; *Unam esse naturam Verbi incarnatam*, ut constat ex Epistolis ipsius ad Acacium Melitinensem, & Valerianum Iconiensem Episcopos. Ejus itaque Scripta sunt Apollinaris hæresi contaminata.

Respondeo, nego majorem. Hâc namque phrasi, *Una natura Verbi incarnata*, duæ naturæ in Christo inconfusæ, & una persona disertè significantur. Id ostenditur tum ex ipso Cyrillo, cum ex aliis Patribus qui has ipsius voces ab erroris suspicione vindicarunt. Cyrillus ipse in Epistola 2. ad Successum, calumniam omnem à suis illis vocibus amolitur. *Si enim*, inquit, *unam naturam dicentes Dei Verbi, tacuissemus, non inferentes incarnatam, sed velut abjicientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo, simulantibus interrogare, Ubi est in humanitate perfectio, aut quo modo substantia nostra subsistit? Quoniam verò & perfectio quæ in humanitate est, & essentia nostra manifestatio illata est per id quod dictum est, incarnati, jam desinant, arundineam virgam sibi supponentes.*

Gelasius lib. contra Eutychem, ait, hunc S. Cyrilli loquendi modum valere ad unius in Christo naturæ suspicionem amoliendam. *Dum enim dicitur unam divinitatis naturam fuisse incarnatam, remotis ambiguitatibus, altera erit quæ incarnata est, altera quâ incarnata perhibetur: quoniam non eadem erit natura deitatis, quæ incarnata est, quæ est natura carnis, quâ incarnata affirmatur: neque seipsâ natura deitatis incarnata est, sed naturâ carnis incarnata cognoscitur. Sicut neque seipsâ natura carnis extitit deitate sublimis: quia & non aliunde divinitas quàm de utero Matris Virginis incarnata processit, & caro non-nisi in iisdem visceribus, Sancto Spiritu interveniente, & Altissimi obumbrante virtute, est unita deitati.* Quæ Gelasii verba laudat S. Fulgentius in Responsione ad Quæstionem secundam Ferrandi.

Idem

Idem constat ex S. Eulogio Patriarcha Alexandrino, in Bibliotheca Photii, *Cod.* 230. hanc S. Cyrilli sententiam: *Una natura Verbi incarnata*, exponente. Animadvertit enim quòd illa vox, *Incarnata*, trifariam sumi potest. Etenim incaruata, pro carnem indutâ, & veluti effigie efformatâ, quemadmodum æs simulachri formâ, potest usurpari: vel quòd conversâ Verbi naturâ in carnem, & quasi incarnata, una prodit natura: vel quòd unâ existens Verbi natura, secundùm incarnationem non ampliùs una sola, sed cum carne spectetur, immutabilitatem atque integritatem sibi & assumptæ catni conservans. *Prima itaque dua significationes, Apollinarii & Eutychis: tertia vero ex mente Apostolorum est: quam & SS. Patrum nostrorum cœtus inde mutuatus retinuit. Clarum verò est, si quis piè sentire velit, dicendo unum Verbi naturam incarnatam, gratiam adepturum, sentiendo cum iis qui duas naturas inconfusas, atque impermixtas in uno & eodem Christo & esse cognoscunt, & statuunt. Alioqui cum Apollinario & Eutyche sentis. Etenim unam hic naturam pro persona dictam esse; incarnatam verò pro humana natura: ut nihil intersit dicere, Unam Verbi naturam incarnatam, vel, unam Verbi personam, humanam assumpsisse naturam.*

Ephræmius Patriarcha Antiochenus, in libro quem de ista S. Cyrilli sententia scripsit, cujus meminit Photius *Cod.* 229. φύσιν à S. Cyrillo pro ὑπόστασει sumptam esse asserit: *Unam itaque Dei Verbi naturam incarnatam*, inquit, *unam hypostasim intelligimus.* Quod deinceps fusiùs edisserit, affirmans φύσιν pro ὑπόστασει, à Patribus, & nominatim à Cyrillo poni, cùm id significat quod ex copulatione naturarum efficitur. Cùm autem de iis accipitur ex quibus effectus & conflatus est Christus unus, tum naturam propriè dictam, hoc est, οὐσίαν & substantiam exprimere.

Justinianus etiam Imperator, in Professione Fidei contra tria Capitula: S. Cyrillum putat, quoties *Unam Verbi naturam incarnatam* dixit, naturæ nomen pro hypostasi sumpsisse. Quod ex eo probat, quòd iisdem in locis ferè semper nomina Filii, aut Verbi, aut Unigeniti paulò-post adtexit, quæ sunt utique personæ vocabula.

Sanctus etiam Maximus in Tractatu *De Expositione vocum quarumdam, quibus utitur Ecclesia Catholica, cùm de Christo agitur*, ait, in illo S. Cyrilli dicto, *Una natura Verbi Dei incarnata*, periphrasi quadam naturas describi duas simul unitas, tum nomine, tum definitione. Nomine quidem, cùm una natura Verbi dicitur, quæ vox communitatem substantiæ cum hypostasis proprietate significat. Definitione verò, cùm humanitas exponitur. Quid est enim humanitatis natura, nisi caro intelligente animâ prædita? Itaque qui dicit, *Unam Dei naturam incarnatam*, Deum Verbum indicat cum animata esse carne: tum verò aliud omninò quiddam, secundùm substantiam præter Deum Verbum, carnem esse intelligit.

DISSERTATIO IX.

De Fide Joannis Antiocheni.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Joannes Antiochenus erroribus Nestorii patrocinatus fuerit?

PROPOSITIO.

Joannes Antiochenus, & Orientales Episcopi, quamvis Nestorianæ hæreseos vehementer suspecti fuerint, Nestorii tamen personæ dumtaxat, non causæ aut errori faverunt.

Probatur prima pars, scilicet ipsos hæreseos Nestorianæ vehementer suspectos fuisse, primò ex S. Cyrillo in Homilia Ephesi habita adversùs Joannem Antiochenum, quæ extat post Actionem 5. Ephesini Concilii, in qua ita ipsum compellat. *Vides nos veluti in bello pulvere aspersos, è pugna adhuc stillare sudorem, animositate spiritali, & consolatione opus habere; imo vero jam victores. Tu verò interim qui in numerum Fratrum relatus es, Christique Domini nomine inscriberis, cùm arma una nobiscum induere deberes, adversùs veritatis dogmata arma moves. O rem inopinabilem! Pugnam non attigisti, certantibus non adfuisti; belli tempus tarditate adventûs tui declinasti: è longinquo viriliter decertantes, spectasti; vidisti hostem prostratum; sensisti linguam blasphemam repressam ac punitam: posteà indoluisti. Dic, quæso, quam ob causam? Ob id quòd Christus vicit? Quòd adversarios debellavit? .... Sed satius fuerat viriliter agere nobiscum; illudque Davidis voce prolatum dicere: nonne qui oderunt te Domine oderam? &c. Verùm tu nullam penitus horum rationem duxisti, è contrario verò eos qui vicerunt, jaculò petis, & illos invidentiæ telis vulnerare conaris, quos potiùs admirari debueras.*

Idem probatur ex Relatione Concilii Ephesini missa per Palladium Magistrianum ad Imperatorem. *Quamobrem*, inquiunt Patres, *iterum atque iterum Majestatem vestram rogamus, ut quem eorum dignetur admittere; qui hominis amicitiam* (Nestorii scilicet) *pietati priorem ducunt. In horum enim numero cùm Joannem Reverendissimum Episcopum Antiochenum existere, hoc est, omninò ita comparatum esse, oderati essemus, ut qui amicitiæ mallet gratificari, quàm Fidei utilitatem spectare; ex eo conjecturam facientes, quòd neque Majestatis vestræ minas veritus, neque piæ fidei jam inde ab initio traditæ zelo permotus, sanctam Synodum, post terminum à vestra Majestate præstitutum, supra dies viginti & unum suspensam tenuisset; universi qui in sancta Synodo orthodoxi, solusque Fidei studiosi sumus, ad eorum inquisitionem nos conferre coacti sumus, quæ ad pietatem pertinent; illud Reverendissimo Episcopo Joanni accidisse rati, quod magnificentissimus Candidianus Comes passus esse non obscurè deprehenditur. Non enim omnium est pietati amicitias hominum postponere. Erat autem hæc nostra de Joanne Episcopo religiosissimo suspicio non inanis nec vana. Nam cùm primùm appulisset, Nestorii sententiæ sese adhærere apertè sanctæ Synodo declaravit; sive hoc inde evenerit quòd amicitiæ gratificaretur; sive inde quòd in dogmatis errore cum eo communicaret.*

Idem probatur ex Relatione Ephesini Concilii ad Imperatores, qua Sacræ lectæ per Joannem Comitem respondetur: quæ Relatio extat 2. p. Concilii inter Epistolas Catholicorum, & incipit: *Christianissima & Regia vestra Majestas:* In qua Patres ita scribunt: *Sunt enim hi de quibus vestræ pietati jamdudum manifestum fecimus, quomodo à nobis recesserint, Canonesque temerario ausu calcantes, & ad contumeliam Præsidum nostrorum se convertentes, ob illam protervìam quâ in nos usi sunt, universa Oecumenicæ Synodi communione se privaverint; & quomodò ad probationem vocati, nequaquam parere voluerint; eaque de causa ab universali Synodo prorsus & à communione, & à quavis functione remoti fuerunt, quin & illud quoque Christianissimæ Majestati vestræ indicamus, nempe nos propter talem illorum insolentiam, nec non propter certamina, quæ in hodiernum usque diem pro Nestorio decertare non cessant, ad communionem illos admittere nullatenùs voluisse, cùm neque Nestorii depositioni subscribere sustinuerint, & apertè quoque cum illo sentiant: tum ob id quòd propter immodestum adversus Præsides nostros conatum, in Canones inciderint: tum etiam ob id quòd piis vestris auribus mentiri, ac imponere non erubuerint.*

Idem probatur ex Relatione altera ad Imperatores data, quæ incipit: *Vestra quidem Majestas non*

est passa : in qua de Joanne Antiocheno & Episcopis Orientalibus scribunt Patres : *Nestorium vindicant, eo quòd ejusdem cum illo sententia existunt.*

Idem habetur ex Epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum : *Certum autem nobis est*, inquiunt Patres Ephesini, *illud Schismaticorum Conciliabulum ad communionem non admittere : imò verò communibus omnium vocibus Joannem Antiochenum & qui cum illo faciunt, in facie Ecclesiæ anathematizavimus, primò quidem quòd impietatis præconem Nestorium unà nobiscum deponere noluerint; sed & familiariter cum illo versari, eidemque semper patrocinari perrexerint : deinde verò quòd post iniquissimum & à Canonibus alienum, contumeliæ & calumniæ conatum in prædictos sanctissimos Episcopos, piis Christi amantium Imperatorum auribus imponere non dubitarunt. Postremò autem quòd cum Nestorio sentire nequaquam cessant.*

Idem constat ex Epistola S. Cyrilli ad Theopemptum, Potamonem, & Danielem, Constantinopoli agentes, quæ extat p. 2. Concilii Ephesini. *Non potuit autem*; inquit, *sancta Synodus induci ut cum Joanne communicaret, sed restitit dicens : Ecce corpora, ecce Ecclesias, ecce civitates, potestatem habetis. Nos autem ut priùs cum Orientalibus communicemus, quàm illa dissolvantur quæ per illorum calumniam contra Comministros nostros comparata sunt, ac rectam fidem confiteantur, id fieri nullò modò potest. Dignoscuntur enim Nestorii dogmata loqui, sentire, confiteri.*

Idem constat ex Relatione Synodi ad Celestinum Pontificem Maximum, in qua Patres de Joanne Antiocheno ita scribunt : *Compertus est adversarius infensissimus tum sanctæ Synodi, tum rectæ Ecclesiarum fidei.*

Idem confirmatur ex Mandato quod Ephesina Synodus dedit Episcopis, qui ab ea Constantinopolim missi sunt ut causam Concilii contra Orientales agerent : in quo hæc habentur : *Ante omnia igitur Sanctitatem vestram scire oportet, nullam omninò se cum Joanne Antiocheno, Apostaticoque ejusdem Concilio communionem admittere debere; tum quòd impietatis præconem Nestorium unà nobiscum deponere noluerint, sed usque ad vestram quoque abitionem illi patrocinari perrexerint; tum rursum quòd contra omnes Canones, Sanctissimos, Deique amantissimos Episcopos Cyrillum & Memnonem condemnare ausi sint : potissimùm verò quòd ad præsens usque tempus in Nestorii dogmatibus defendendis auxii, & nonnulli inter illos Celestiani, ac propterea depositi sint : tum denique quòd totius orbis Synodum ut hæreticam calumniari non dubitaverint.* Extat illud Mandatum 2. p. Concilii Ephesini inter Epistolas Catholicorum. Incipit : *Piissimorum, Christique amantium Imperatorum permissa.*

Ex his omnibus patet, Joannem Antiochenum, & Orientales Episcopos, in vehementem Nestorianæ hæreseos suspicionem venisse : & jure quidem merito : siquidem & vocibus ambiguis atque suspectis fidem suam exponebant ante initam pacem; & cum Nestorio potiùs, quàm cum Catholicis loqui videbantur; & S. Cyrilli Anathematismos ut hæresim spirantes explodebant; & Nestorii damnationi recusabant subscribere; & ejus impugnatores, Cyrillum, Memnonem, Patresque universos Oecumenicæ Synodi infestabantur.

Probatur secunda Pars Propositionis; scilicet Joannem Antiochenum & Orientales, Nestorii personæ tantùm, non causæ aut errori favisse. Primò ex Epistola quam ad Nestorium dedit ille Patriarcha, acceptis Celestini & Cyrilli de ipso ejusque errore literis. Has enim literas mittens ad Nestorium, ipsum rogat ut eas ita legat, ne quahinc animi consurgat perturbatio, ex qua contentiones seditionesque admodùm noxiæ sæpè exoriuntur. Neque rem hanc parvi ducendam esse; quia diabolus res initiô minùs rectè habentes, per superbiam novit amplificare, in eamque magnitudinem paulatim evehere, ut postea omnem curam medicinamque respuant. Ipsum proinde ad salubrem retractationem erroris hortatur. *Enimverò*, inquit, *licet Dominus meus Celestinus Deo devotissimus Episcopus, decem tantùm dierum intervallum, terminum atque responsioni præfinitum, valdè angustum, literis suis interposuerit : tamen res ea hujusmodi est, ut non dico, decem diebus, sed uno, imò verò paucis horis, tota confici posse videatur. Nam quid faciliùs est, quàm nomine commodò, multisque SS. Patribus usitatò, & verò nihilominùs salutarique ex Virgine ortus percongruâ, in Christi omnium nostrùm Regis dispensatione uti? Cùm hoc ergo neque grave, neque periculosum sit, æquum non est ut Sanctitas tua illud refutet. Neque id nunc apud se cogitet, turpe esse sibi pugnantia docere. Si enim mens tua eadem sapit & sentit quæ SS. Patres & Ecclesiæ Doctores, quorsum vereris pium animi tui sensum convenienti voce publicare? Præsertim cùm tot tantique tumultus ac disceptationes ex te natæ, ob oculos jam versentur.* Deinde rogat, ut sacram Virginem Mariam Deiparam appellet, & cùm vocem ipsam, tum voci subjectam notionem admittat. *Etenim*, inquit, *si id quod nominis significatione offertur, non recipimus; restat ut in gravissimum errorem prolabamur : imò verò ut circa inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei œconomiam periculosissimè versemur : quandoquidem nomine hoc sublatô, vel potiùs hujus nominis notione repudiatâ, sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causâ suscepit : tum Dei Verbum neque se exinanivisse, neque in servi formam sese demittens, ineffabilem quamdam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuisse..... Hoc nostrum, quæso, consilium admitte; hæc per nos rogatus exequare; nullam dissidiis locum, nullum gliscenti novitati fomentum suppedites..... Hæc ego complures religiosissimos tuæque pietatis studiosissimos Episcopos apud me habens, quos tunc adesse contigit, cùm infausta illæ literæ offerrentur, scribere volui, ratus ingenui amici officium, illudque à promissione mea non alienum me præstiturum, si fraterno quodam consilio existimationem tuam graviter hoc tempore laborantem nonnihil sublevarem.* Ex quibus omnibus patet, Joannem Antiochenum favisse quidem Nestorio, ipsi amicissimum extitisse, rectè sensisse de ejus persona; atque existimasse tumultus illos ob solam vocem *Deipara*, quam admittere nollet, excitatos, quia id à quibusdam Nestorii studiosis audierat, non verò putam putamque hæresim ab ipso propugnari : sed errorem ipsum damnavit apertissimè, non solùm vocem *Deipara*, sed & notionem vocis admittendam esse propugnans, & Christum verum Deum disertè professus. Hujus Epistolæ, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini, cap. 25. meminit Liberatus in Breviario cap. 4.

Probatur secundò ex iis quæ Paulus Emissenus Episcopus à Joanne Antiocheno & Orientalibus missus Alexandriam ad pacem cum S. Cyrillo conciliandam, pro concione disseruit in magna illius civitatis Ecclesia, in die Natali Domini, ipso Cyrillo præsente. *Parit*, inquit, *Dei genitrix Maria Emmanuelem. Qui ita non dicit; intelligit, ac sentit, Anathema sit ab Ecclesia.* Et rursùs : *Duarum naturarum perfectus concursus, humana scilicet ac divinæ, unum nobis constituit Filium, unum Christum, unum Dominum. Qui verò dicunt duos esse Filios, eos anathematizamus, & è sacris Ecclesiæ septis explodimus.... Non igitur duos Filios asserimus, neque merum hominem Emmanuelem, qui ex Deipara Virgine natus est : neque gratiam veluti Prophetam, aut Justum aliquem plus aliis consecutum. In ipso enim com-*

placuit

placuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter, hoc est, veluti in proprio corpore. Siquidem corpus nostrum sibi proprium fecit.

Ex his patet integerrimam fuisse Orientalium Fidem, quorum nomine Paulus perorabat, & Nestorii erroribus è regione oppositam. Unde meritò populus Alexandrinus Paulum ista prædicantem piis applausibus prosecutus est, acclamans: *Ecce fides hæc est, Dei hoc donum est, Orthodoxe Cyrille: istud audire quærebamus. Qui ita non loquitur, Anathema sit:* Et rursùs: *Bene venisti, Orthodoxe Episcope: dignus digno conjungitur. Dicunt Christiani, Hoc Dei donum est, Orthodoxe Cyrille.* Habetur hæc Pauli Emiseni Homilia cum piis populi acclamationibus, 3. p. Concilii Ephesini cap. 31. Legenda est & alia, quæ extat cap. 32. pronuntiata die 1. Januarii. Eamdem continet contra Nestorium doctrinam: ipsamque populus Christianus iisdem plausibus prosecutus est.

Probatur tertiò ex S. Cyrillo, qui Expositionem Fidei ab Orientalibus editam vindicavit à calumniis quibus illam nonnulli impetebant: ac suspectos quidem non-immeritò fuisse dicit errorum Nestorii, sed nusquam illis consensisse asserit, in Epistola ad Acacium Melitenum. *Vehementer*, inquit, *propter Ecclesiarum pacem consternati* (Nestoriani) *eos qui eadem cum ipsis sentire nolunt, malitiosissime lacerant; Sanctorumque Orientalium Episcoporum Apologiam non absque amarulentia proscindunt, eamdemque ad id quod sibi gratum amicumque est detorquentes, pravéque interpretati; à Nestorii vocum novitatibus non abhorrere contendunt.* Et infrà: *Quia verò sanctissimi Orientales Episcopi, cùm Ephesi essent, à nobis dissentiebant, eaque de causa quasi blasphemiarum Nestorii laqueis irretiti tenerentur, suspecti erant; ut eo crimine se liberarent, inculpataque Fidei amatoribus per omnia satisfacerent, ac Nestorianæ impietatis se expertes esse ostenderent; Apologiam composuerunt, & id quidem admodum prudenter: tantum abest ut hoc ipsorum factum aliquâ omninò notâ aut reprehensione dignum videatur. Quid igitur temerè conviciis insectantur sanctissimos Phœniciæ Episcopos, eorum consensum novum Symbolum appellantes, quem illi utiliter & necessariò ediderunt, ut nimirum se purgarent, eosque demulcerent, qui ipsos Nestorianam doctrinam approbare sibi persuasum habebant?* Eorumdem etiam Orientalium Fidem vindicat contra eos qui Nestorii dogmata ipsis, post initam Ecclesiarum pacem affingebant, *In Commonitorio ad Eulogium Presbyterum*, quem Constantinopolim miserat. Extat 3. p. Concilii Ephesini *cap.* 37.

Idem confirmatur ex Epistola ejusdem S. Cyrilli ad Valerianum Iconii Episcopum, in qua ita scribit: *Religiosissimi totius Orientis Episcopi, unà cum Domino meo Joanne religiosissimo Ecclesiæ Antiochenæ Episcopo, scripta dilucidaque Confessione palam fecerunt, se profanas Nestorianarum vocum novitates æquè ac nos condemnasse, & anathematizasse, seque nullo unquam loco eas habuisse; verùm Evangelica & Apostolica dogmata sectatos esse, sanctorumque Patrum confessioni nullatenus adversari. Professi adhuc sunt perinde ac nos, Sanctam Virginem Dei genitricem esse, nec adjecerunt quòd Christi genitrix sit, aut hominis genitrix, quemadmodum dicunt qui infelices execrandásque Nestorii opiniones tuentur.* Extat hæc S. Cyrilli Epistola 3. p. Concilii Ephesini cap. 40. Hæc etiam referuntur à Liberato in Breviario cap. 9.

Probatur quartò ex Epistola Joannis Antiocheni ad Theodosium Imperatorem, de pace Ecclesiæ. *Et depositum*, inquit, *sive damnatum habemus Nestorium, qui olim fuit apud magni nominis Constantinopolim Episcopus, Anathematismo subjicientes quæcumque ab eo alienè ac peregrinè dicta sunt contra Apostolicam doctrinam.*

Probatur quintò auctoritate Sixti III. Pontificis Maximi in Epistola ad S. Cyrillum, in qua evidenter asserit Joannem Antiochenum dogmatibus Nestorii nunquam adhæsisse. *Ad nos*, inquit, *reversi sunt fratres; ad nos, inquam, qui morbum communi studio persequuti, animarum curavimus sanitatem. Non se Exuli vestro* (Nestorio scilicet) *sanctus frater noster Joannes addiderat; non ejus est blasphemâ prædicatione deceptus: Nam* (*quantùm rerum exitus docet*) *suspendit suam sententiam, non negavit. Nam quid in Inventorem malorum posset aliud judicare, nisi quod probatur ipse per Sacerdotes suos, cujus agebatur causa, sentire? Statuerat hoc nimirum de nostrorum Desertore castrorum, quod à ducibus fidei sua deberet perfidia judicari. Nunquam se à nostro numero separasset, in quem potuit & reverti.* Denique Leontius *lib. de Sectis, Actione* 4. de Joanne Antiocheno scribit: *Cyrillum quidem oppugnabat, invicemque se anathemati subjiciebant, non tamen Nestorium admittebat.*

Objicies. Synodus Ephesina passim asserit Joannem Antiochenum & Orientales cum Nestorio sentire: in Relatione enim ad Imperatorem, per Joannem Sacrarum Largitionum Comitem missâ, ait, ipsos noluisse Nestorii damnationi subscribere, quòd *Apertè quoque cum illo sentiant.* Et in Relatione ad Imperatores de subscriptione: *Nestorium vindicant, eo quod ejusdem cum illo sententiæ, existant, cum Nestorio sentiant.* In Synodica ad Clerum Constantinopolitanum: *Cum Nestorio sentire nequaquam cessant.* S. Cyrillus ad Teopemptum, Potamonem, & Danielem, Constantinopoli agentes: *Dignoscuntur enim Nestorii dogmata loqui, sentire, confiteri.* Idem in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum de Orientalibus ita scribit: *Sed illud quoque sciatis, nempe cùm Fidei expositionem componerent, inter se contendisse, & in ea altercatione etiam nunc versari. Nam alii ex illis Sanctæ Virgini Deiparæ appellationem concedunt; ita tamen ut simul quoque genitrix hominis dicatur: alii verò prorsus negant, adduntque paratiores se esse ut manus suas amputari prabeant, quàm ut hujusmodi voci subscribant. Ubique autem turpitudine notantur, jam hæretici declarati.* Igitur Joannes Antiochenus & Orientales non solùm Nestorii personæ, sed causæ & errori faverunt, & adhæserunt.

Respondeo, Nego consequens. Quamvis enim gravissimè suspecti fuerint non patrocinii tantùm Nestorio impensi, sed ipsius etiam hæreseos, & justis ex causis orta sit hujusmodi suspicio, innotuit tamen postea rebus accuratiùs discussis, ipsos nunquam Nestorii errores propugnasse. Unde Ephesini Patres primùm errarunt in facto, cùm Orientales eadem sentire dixerunt cum Nestorio, quamvis temerè non judicarent, quia Joannes Antiochenus & Orientales illi Episcopi ansam præbebant credendi se Nestorii prava tueri dogmata, ut superiùs probatum est. Et certè gravem duntaxat adversùs illos suspicionem sancta Synodus interdum expressit dubitare se significans, num erroris communione, vel personæ studiô, à Nestorii partibus staret Joannes Antiochenus. Sic enim habetur in Relatione Concilii ad Imperatores per Palladium missa: *Erat autem hæc nostra de Joanne Religiosissimo suspicio non inanis nec vana. Nam cùm primùm appulisset, Nestorii sententiæ sese adhærere apertè sanctæ Synodo declaravit: sive hoc inde evenerit quòd amicitia gratificaretur: sive inde quòd in dogmatis errore cum eo communicaret.*

Ad testimonium S. Cyrilli respondeo, vel ipsum Orientales omnes Episcopos his verbis non notasse, sed tantùm Nestorianos quosdam, scilicet Helladium, Himerium, Eutherium, & Dorotheum, hisque junctos Pelagianos: vel si omnibus notam hæreseos inussit, priorem de illis emendavit sententiam

Hh discussis,

discussit contentionum nebulis : Et meritò quidem A illos Nestoriani erroris fuisse suspectos, at nequaquam cum Nestorio sensisse professus est ; ut constat ex ejus testimoniis inter probationes laudatis.

Objicies secundò. Qui S. Cyrilli Capitula Nestorianis directè contraria dogmatibus impugnarunt, & exploserunt, imò & sacram Synodum Ephesinam, verè fuerunt hæretici : Atqui Joannes Antiochenus & Orientales Episcopi Sancti Cyrilli Capitula Nestorianis erroribus è regione opposita exploserunt, & Synodum Oecumenicam Ephesinam impugnarunt. Itaque fuerunt hæretici ; nec personæ solùm, sed causæ & erroribus Nestorii patrocinabantur. B

Respondeo, distinguo majorem : Si juris errore, & odio Fidei ipsa impugnaverint, concedo. Si merò errore facti, nego. Porrò non errore juris, aut odio Fidei Catholicæ, Joannes Antiochenus & Orientales Episcopi S. Cyrilli Capitula, & S. Synodum Ephesinam impugnarunt, sed errore facti : quia S. Cyrilli Capitula Nestorium impugnantia in extremum errorem vergere, & Apollinaris venenum propinare falsò existimabant : Ephesinam verò Synodum non censebant Oecumenicam, quæ ab illorum Patriarcha, ipsisque absentibus, celebrata esset, & quæ Nestorium non satis discussa causa damnasse, C & studio partium nimiùmque præcipiti judicio omnia egisse ipsis videbatur.

Fulcitur hæc responsio insignibus Facundi Hermianensis testimoniis. Hic nempe lib. 6. de Synodo Chalcedonensi ita scribit : *Unde nec aliud credidit, nec credere debuit, nisi quia Patres Orientales, inter quos fuit etiam ipse Ibas, aliarumque Provinciarum Episcopi, intentionem Capitulorum beati Cyrilli minùs animadverterant, ut ea etiam in Concilio Ephesino suscepta culparent. Sicut aliquando in divina Trinitate Catholici quidam tres hypostases accipere noluerunt, quamvis tres personas acceperint ; nec ideò sunt à viris* D *sapientibus hæretici judicati, quoniam comperti sunt, non in re quæ illo nomine significabatur, sed potius in ipso nomine quo significabatur, offendi.*

Et pag. 263. *Illa namque de beato Cyrillo Consacerdotum ejus ignorantia, quæ paci Ecclesiarum aliquando contraria fuerat, si quis bene consideret, instructioni Ecclesiæ nunc assertionique proficit. Evidentius enim documentum est veræ Fidei, si inter se diffidentium, quasi pacatorum, inveniatur eadem de illo fuisse sententia. Nam licet Orientales Episcopi cum aliis male de beato Cyrillo sentirent, & ob hoc etiam vehementer insectarentur ; venerabili tamen Paulo Emeseno Episcopo mediante comperimus, quòd utraque pars pro una* E *eademque Fide certabat. Cùm & Orientales nihil aliud à beato Cyrillo confitendum expectarent, quàm quod tenuit semper & tenet Ecclesia : & B. Cyrillus, quod expectabatur, cum magna exultatione perficeret, confessionem eorum de Incarnationis divinæ mysterio desideranter accipiens, suamque esse protestans. Unde qui benè de Cyrillo sentit, qui eum verè Apostolici credit affectûs, cogitare debet quantùm exultare potuerit, videns adversum se zelum Patrum, maximè Orientalium, pro Fidei, quam ipse quoque tenebat, veritate fervere. Non enim tanti penderet Vir Sanctissimus, quod ne illo fallebantur sui Collegæ, quanti pendebat* F *quod pro Fidei Catholicæ veritate certarent : magisque volebat Consacerdotes suos errorem, in quem illum incidisse putaverant, sine personæ acceptione damnare : quam eos pro sua persona defendere quod erat contrarium veritati.*

Et pag. 246. *Si quis autem non declinans in alterutram partem sine contentione rem quærat, inveniet quòd tam sanctorum Orientalium Patrum, quamvis de beato Cyrillo malè sentirent, quàm ipsius B. Cyrilli eadem fuerit semper intentio, ut Dominum unum Jesum Christum docerent in duabus naturis, id est, divinitate atque humanitate perfectum : ne aut propterea duæ personæ crederentur, quia duæ naturæ sunt ; aut propterea una crederetur esse natura, quia una persona. Contigit tamen nonnunquam inter unius sententiæ viros, ut cùm de rebus ipsis, quæ in quæstione sunt, idem sapiunt, de se tamen invicem aliud suspicentur, cùm vel à dicente minùs aperitur verbis quod corde conceptum est ; vel ab audientibus minùs inspicitur, dicentis intentio. Discernenda est autem impietas, quâ de Deo malè creditur, ab ignorantia, qua quisque aliter de suo proximo, tanquam homo de homine suspicatur. Et si fortè videtur hominis de homine culpanda suspicio, approbanda tamen est intentio, quâ veritas Fidei quam de Christo habemus, asseritur.*

Et lib. 7. pag. 300. *Hæc autem*, inquit, *Orientalium, aliorumque Patrum de Synodo Ephesina suspicio, quâ existimantes eam traditionis paternæ esse transgressam, pro ipsa Fide quam communiter tenebant, adversus eam certabant, mihi videtur similis ei suspicioni, quæ Jesu Nave temporibus orta fuerat in populo Israel, cùm laudabiliter ejusdem populi pars pro Dei culturâ solicita, adversus alteram partem æquè solicitam concitaretur, intentionem ejus ignorans. Nam cùm pergeret idem populus Israël ad capiendam omnem terram, quam Deus Abrahæ promiserat, filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, antequam Jordanem fuissent ingressi, regionem Jaser, & regionem Galaaditim habitare delegerant : nec voluerunt ultra Jordanem possessionem capere cum tribubus Israel. Porrò autem cùm dedisset Dominus Israël universam terram, quam juraverat dare Patribus eorum, & hæreditate accepissent eam, revertentes iidem filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse in terram Galaad, id est, in terram possessionis suæ, quam acceperant in hæreditatem, venerunt, sicut scriptum est, in Gabiloth Jordanis, quæ est in Chanaan, & ædificaverunt ibi aram supra Jordanem. In terra Chanaan possessionem aliæ tribus acceperant, in qua fuit Tabernaculum & Altare Dei. Ipsi verò citra Jordanem, ne posteri eorum alieni fierent à Dei cultura, quasi ab ejus populo Jordanis limite separati, religiosâ utique intentione, & zelo Dei ferventes, illam erexerant aram, ut testimonio esset ac monumento posteris eorum, quòd ipsi quoque ad Dei culturam, & ejus populum pertinerent. Cum vero aliæ tribus istorum eorum lateret intentio, & putarent eos propterea illam ædificasse aram, ut semetipsos segregarent à Synagoga totius Israel, contra observantiam divinæ culturæ super eam offerrent sacrificium Domino, quod fieri non licebat præter unum altare, quod erat ante tabernaculum ejus : eadem quò & illi zelo Dei ferventes, & pro eadem cultura Dei errantes convenerunt, omnes in Silo ut ascenderent expugnare eos. Quibus cùm filii Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, facti rationem redderent, quo proposito atque intentione aram erexerint, illi dixerunt : Hodie cognovimus quia nobiscum est Dominus, quia non deliquistis in conspectu Domini delictum, & quia liberastis filios Israel de manu Domini. Vides igitur, quòd pro eadem religione, quâ rectè colitur Deus, non solùm dissentire inter se invicem, verùm etiam laudabiliter pugnare adversum se religiosi ac rectissimi possint, dum eos non ratio divini cultûs, sed alterius alterum latet intentio. Quapropter qui nobis dicunt, Si Ephesinam Synodum recepistis, condemnate Provinciæ Orientis & aliarum novem Provinciarum Episcopos ; meritò audiant ut si & ipsi filios Ruben, & Gad, & dimidium tribum Manasse recipiunt, condemnent tribum Levi, & alias novem tribus, quas cùm fratrum suorum lateret intentio, eos debellare convenerant. Et certè in illo populo erant etiam Prophetæ, nec eis imputat quisquam quòd animorum fratrum suorum prudens consilium non viderint, cùm facilè posset orantibus ex accepta Prophetiæ gratia revelari. Omnes autem Orientales atque aliarum*

Josue au

rum Provinciarum Antistites, quot Capitulorum B. Cyrilli latuit intentio, ut Ephesinam Synodum pro eorum susceptione culparent, Episcopos dicimus, non Prophetas, Qui ergo fratribus non imputamus, quòd religiosam mentionem fratrum suorum nescierint, sed laudamus eos potius quòd eadem religiosâ intentione adversus eos fuerint concitati: quomodo possumus non Prophetis Patribus Orientalibus, atque aliis imputare, quòd religiosâ intentione adversus eorum approbatores fuerint concitati?

DISSERTATIO X.

De Eutychetis errore.

QUÆSTIO UNICA.

In quo positus fuerit error Eutychetis?

PROPOSITIO.

Error Eutychetis in eo positus erat, quòd duas in Christo naturas post Incarnationem negaret, unam duntaxat assereret ex humana divinaque velut mixtione & confusione resultantem; vel unius in alteram naturæ conversione, id est, aut divinitatis in carnem, aut carnis potius in divinitatem.

Probatur 1. ex Actione 3. Concilii Constantinopolitani sub Flaviano, relectâ in Concilio Chalcedonensi, Actione 1. ubi Joannes Presbyter & Defensor, qui ad Eutychen directus fuerat à Synodo, ejus errorem sic exponit, quòd nempe dixerit, *Se post Incarnationem Dei Verbi, hoc est, post nativitatem Domini nostri Jesu Christi, unam naturam adorare, & hanc Dei incarnati & inhumanati: & librum aliquem hujusmodi proferens, perlegebat. Adjiciebat verò contumelias adversus se ab aliquibus dictas quasi dixerit, Verbum carnem secum è cœlo detulisse: se innoxium ab ejusmodi contumeliâ. Ex duabus autem naturis unitis secundùm subsistentiam factum fuisse Dominum nostrum Jesum Christum, neque didicisse in expositionibus SS. Patrum, neque suscipere, si contigerit ei ab aliquo tale quid legi: quia divinæ Scripturæ, (ut dicebat) meliores sunt Patrum doctrinis. Et hæc dicens, confitebatur perfectum Deum esse & perfectum hominem, qui natus est de Maria Virgine, non habentem carnem consubstantialem nobis.*

Et Actione 6. ibidem relectâ, Theophilus & Mamas Presbyteri à Synodo missi ad Eutychetem tertiâ citatione conveniendum, referunt hæc ipsum dixisse, multis coram testibus: *In qua Scriptura habentur duæ naturæ? Deinde verò quis SS. Patrum exposuit, Deum Verbum habere duas naturas?* Cui cùm Theophilus respondisset, *unitionem in Scripturis non contineri, & tamen ab Ecclesiasticis usurpari Tractatoribus, quia à SS. Patribus expositum est; ita de duabus naturis dicendum esse:* Rursùs cùm Eutyches Theophilo concessisset, *Christum esse perfectum Deum, & perfectum etiam hominem:* reposuit Theophilus: *Si ergo Deus perfectus, & homo perfectus, duo perfecta unum perficiunt Filium; quid igitur prohibet nos dicere, ex duabus naturis unum Filium?* Tum respondit ignarus Archimandrita: *Absit à me dicere, ex duabus naturis esse Christum, aut de natura loqui aut Disputare Dei mei.* Ibidem respondisse dicitur Theophilo: *Si permiserit Deus me pati aliquid, libenter patior: ego tamen duas naturas non confiteor.*

Et Actione 7. ejusdem Concilii, Florentio Patricio interroganti, Christumne consubstantialem nobis, & ex duabus naturis diceret, post incarnationem? Respondit Eutyches: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem: post adunationem verò unam naturam confiteor.* Ibidem iterum interroganti Florentio: *Duas naturas dicis, & consubstantialem Christum nobis esse? Dic:* Respondit Eutyches: *Ego legi Scripta beati Cyrilli, & SS. Patrum, & S. Athanasii: quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem: post adunationem autem & Incarnationem, non jam duas naturas, sed unam naturam dixerunt.*

Eutychetis id prodit imperitiam, quòd cùm Beatam Virginem consubstantialem nobis esse ultro fateretur, Filium ejus Christum nobis esse consubstantialem negaret. Unde Basilius Seleuciæ Isauriæ Episcopus demonstrationem istam in illum intorsit: *Si Mater nobis est consubstantialis; & ipse; quoniam Filius hominis vocatus est. Si ergo Mater ejus consubstantialis est nobis; & ipse secundùm carnem consubstantialis est nobis.*

Probatur 2. ex Epistola S. Flaviani Constantinopolitani Archiepiscopi ad S. Leonem, quæ extat 1. p. Concilii Chalcedonensis cap. 4. *Iste Eutyches,* inquit, *ab conditum in se languorem malæ sectæ retinens, inverecundè & impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens: Ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse divinitatis & humanitatis: post unitionem verò, unam naturam factam: neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat. Adjecit autem & aliam impietatem, dicens: Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis: sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque Genitrici ejus, secundùm carnem.*

Probatur tertiò ex Ephesino Latrocinio; ubi cùm recitata essent illa Eusebii Dorylæi verba ad Eutychen: *Confiteris duas naturas, Domine Archimandrita, post Incarnationem; & consubstantialem nobis esse dicis Christum secundùm carnem, an non?* Dixit Prædatoria Synodus: *Tolle, incende Eusebium: iste vivus ardeat, iste in duo fiat: sicut partitus est, partiatur.* Deinde cùm Dioscorus dixisset: *Tolerabilis est vobis iste sermo, post inhumanationem duas naturas dicere?* Synodus Prædatoria dixit: *Anathema ei qui dixerit.* Idem patet ex illis Eutychianorum Episcoporum tumultuantis vocibus, Actione 1. Concilii Chalcedonensis relatis: *In duo separate eos, qui dicunt duas naturas. Qui dicunt duas, dividite, interficite, ejicite.*

Probatur 4. ex S. Leone Epistola 45. * ad Pulcheriam Augustam datâ. *Sicut,* inquit, *Nestoriana impietas, ita & Eutychiana blasphemia, ab omnium est Catholicorum eliminanda consortio: quia tam impium est, consubstantialem & consempiternam Patri Filii deitatem, etiam ex utero Virginis Matris parta edicam negare corporeo, quam unam in Dei Filio, post Incarnationis Sacramentum, affirmare naturam: ut scilicet aut humanitas ejus refutetur, aut deitas: cùm unitione utriusque essentiæ nec altera sit in alteram versa, nec assumpta in assumente finita.*

* 61. Pr. editio Quesnelli.

Et in Epistola ad Flavianum, quæ à Concilio Chalcedonensi approbata est, ait: *Christum, post Resurrectionem, Apostolis recentissima Passionis signa demonstrasse, ut agnosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere; & ita sciremus Verbum hoc non esse quòd carnem, & unum Dei Filium & Verbum confiteremur, & carnem. Quo Fidei Sacramento Eutyches iste nimium æstimandus est vacuus, qui naturam nostram in Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam Resurrectionis agnovit. Nec sententiam B. Joannis Apostoli & Evangelistæ expavit, dicentis: * Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis Spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Quid autem est solvere Jesum, nisi humanam ab eo separare naturam,* &

* 1. Joan. 4.

& Sacramentum, per quod unum salvati sumus, impudentissimis evacuare figmentis?

Et cap. 6. *Cùm autem ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit, dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem verò unam naturam confiteor; miror tam absurdam, tamque perversam ejus professionem, nullâ judicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum, ita omissum, quasi nihil quod offenderet, esset auditum: cùm tam impiè duarum naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quàm nefariè, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur.*

Et in Epistola ad Leonem Augustum: *Eutyches quoque*, inquit, *eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum Hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit, ut negatâ humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius assereret esse naturæ, tanquam Verbi deitas ipsa se in carnem animamque converterit; & concipi ac nasci, nutriri & crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, & ascendere in cælum, & ad Patris dexteram consedere, divinæ tantùm essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se, sine carnis recipit veritate.... Unde si ab Apollinaris perversitate Eutychianus quisque descîscit, ne convincatur deitatem passibilem sentire atque mortalem, & tamen Verbi Incarnati, id est, Verbi & carnis unam audet pronuntiare naturam, manifestè in Valentini & Manichæi transit insaniam, & Mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum simulatoriè credit omnia egisse, nec verum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse credentium.*

Ex quibus evidenter probatur, Eutychetem non admisisse in Christo unam naturam ex duabus in sua integritate manentibus compositam, quemadmodum hominis una dicitur natura, licet ex anima & corpore, quæ diversæ quodammodo naturæ sunt, coalescat, (quod contendit Vasquezius. *) Sequeretur enim S. Leonem, & alios Patres, vel Eutychis errorem non intellexisse, vel rationibus nugatoriis, & nihil adversùs ipsum concludentibus, Catholicæ veritatis causam propugnasse. Et sanè qui Eutychis hæresim ita explicat, ipsam ad quæstionem nominis reducit totam, ut ille humanam quidem in Christo naturam, post Incarnationem, agnoverit; sed non esse nominandam naturam contenderit; quia in illa ineffabili compositione minùs præcipua est.

In 3 P.

Probatur quintò ex Gelasio lib. de duabus in Christo naturis adversùs Eutychetem, & Nestorium. *Eutychiani*, inquit, *dicunt unam esse naturam, id est divinam.* Et rursùs: *Contra Eutychen, qui unam, id est solum divinam conatur asserere, humanam competenter addentes, ut duas ex quibus illud singulare Sacramentum constat, illic permanere monstremus.* Et infrà; *Sed jam diligentiùs vestigemus, si Eutychiani, qui se Nestorium refutare prætendunt, & propter hunc, Catholicis sensibus unam conantur subintroducere naturam: (quamvis hoc jam manifestâ sit ratione destructum:) si non ipsi quodam circuitu, & occultis ambagibus, ad eumdem Nestorium volentes nolentesque redigantur. Dicunt enim: Ante adunationem duæ naturæ fuerunt: post adunationem, una facta est.* Et infrà: *Jam verò, si (ut ipsi delirant) adunatione una facta natura est; aut unius abolitio est, aut utriusque confusio.* His Gelasii testimoniis refellitur Vasquezii figmentum, Eutychetis hæresim novâ planè ratione explicantis.

Hunc cum Vigilio Papa Vasquez eo confundit.

Probatur 6. ex Vigilio Tapsensi, * lib. 2. adversùs Nestorium & Eutychetem. *Nunc videamus*, inquit, *quò fuerint Nestorius & Eutyches errore decepti. Nestorius duas inducendo naturas, duas putavit esse personas.... Eutyches respiciens unam personam, unam censuit esse naturam; & ob hoc humanam ausus est denegare. Et quia est in Christo & naturarum proprietas, & personæ unio, Nestorius proprietatem attendendo naturarum, à personæ excidit unione, & duos putavit Christos, unum passibilem, alterum impassibilem esse. Et Eutyches unam intuendo personam, à naturarum proprietate descivit, & ipsam divinitatem asseruit passam, &c.*

Probatur 7. ex Theodoreto, *lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap.* 13. ubi de Eutyche sic loquitur. *Dicebat Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse: sed ipsum immutabiliter conversum, & carnem factum, per Virginem tantummodo trajecisse, crucique affixam fuisse incircumscriptam Unigeniti divinitatem.*

Et in Dialogo *Inconfusus*, Eranistes Eutychianorum causam agens, ait: *Ex duabus naturis dico Christum, duas verò non dico.* Et cùm interrogasset Orthodoxus: *Nempe tu naturæ utriusque propria non fateris?* Respondet Eranistes: *Post unionem haudquaquam.*

Et cùm dixisset Orthodoxus: *Doce nos quomodo unam post unionem dicas naturam: an quod una ex ambabus facta sit? An quod alterâ sublatâ, altera remanserit?* Respondet Eranistes; *Ego dico mansisse divinitatem: ab hac verò absorptam esse humanitatem.* Et statim id explicat exemplo maris: *Ut mare mellis guttam si accipiat*, inquit, *statim enim gutta illa evanescit, aquæ maris permixta.*

Probatur 8. ex Liberato, in Breviario Causæ Nestorianæ & Eutychianæ, cap. 11. *Eutyches*, inquit, *urgente Satana, prædicabat Dominum nostrum Jesum Christum consubstantialem nobis non esse secundùm carnem, sed de cœlo corpus habuisse: rursusque varians dicebat. Ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem verò unam factam esse.*

Objicies, Eutychem asseruisse unam carnis & Verbi in Christo esse naturam, & hanc carnem, non de B. Virgine sumptam, sed de cœlo advectam. At non potuisset dicere unam carnis Verbique naturam, nisi caro in Christo mansisset. Agnovit itaque Eutyches in Christo naturam carnis.

Probatur major ex Vigilio Tapsensi lib. 3. *Quoniam*, inquit, *Eutychiana hæresis in id impietatis prolapsa est errore, ut non solùm Verbi & carnis unam credat esse naturam: Verùm etiam hanc eamdem carnem non de sacro Mariæ Virginis corpore assumptam, sed de cælo dicat, juxta infandum Valentini & Marcionis errorem, fuisse deductam: ita pertinaciter asserens Verbum carnem factum, ut per Virginem, ac si aqua per fistulam transisse videatur: Non tamen ut de Virgine aliquid quod nostri sit generis, assumpsisse credatur: optimum duxi etiam hanc impietatis partem, veritatis assertione destruere.*

Respondeo, Eutychem unam carnis Verbique naturam dixisse, non compositione, quasi, carnis integra substantia maneret, sed conversione, vel commixtione. Unde carnis quidem naturam integram agnovit ante unitionem, non verò post unitionem. Id habemus ex Vigilio *lib.* 2. ubi sic Eutychianos alloquitur: *Olim opperiebamur, diutiùs præstolati sumus, unde erroris vestri rivulus originem traheret, & quò discursum faciat, tandem reperimus Eutychianam amarissimam hæresim ex Apollinaris amarissimo fonte derivatam, usque ad cœnulentam Arii voraginem turbidis ferri meatibus; quibus in tantùm perfidiæ copulâ jungitur, ut omnia ad divinitatis copulam referat, quæ Christus secundùm dispensationem carnis aut locutus est, aut peregit: dum unam tantummodo divinitatis contendunt esse naturam.* Et post hæc Vasquezius Vigilium figmento suo favere glorietur.

Objicies secundò Gelasii testimonium *lib. de duabus in Christo naturis*, ubi Eutychianorum errores referens, hæc habet; *Adhuc autem illud adjiciunt,*

A *ciunt, ut sicut ex duabus rebus constat homo, id est, ex anima & corpore, quamvis utriusque rei sit diversa natura: usus tamen loquendi singulariter pronuntiet, simul utrumque complectens, ut humanam dicat naturam, non humanas naturas: sic potentiam in Christi mysterio, & unitionem divinitatis atque humanitatis, unam dici vel debere, vel posse naturam.* At quamvis natura hominis una sit, tamen ex duabus naturis composita dici potest, ex natura scilicet corporis & animæ in sua integritate manentibus. Igitur Eutyches unam agnovit in Christo naturam, per compositionem ex duabus in propria substantia manentibus; non per conversionem unius in alteram.

B Confirmatur ex Facundo Hermianensi *lib. 1. cap. ultimo*, ubi de Eutychianis sic loquitur: *In hoc autem quod putantes unam ex duabus factam esse naturam, a fundatissima Patrum auctoritate discedunt, videamus si, quemadmodum fidunt, vel secundùm sapientiam mundi constare illis sua ratio potest. Dicunt igitur: Sicut ex duabus naturis; id est, ex anima & carne, una composita est humana natura: sic ex deitate & humanitate una composita est Christi natura: & ideò ex duabus quidem, sed non in duabus naturis Christum confitemur.* Compositione igitur, non commixtione, aut confusione, unam in Christo factam esse naturam Eutyches asseruit.

C Respondeo, Eutychianos istud unionis animæ & corporis in una hominis natura exemplum attulisse, ut suum loquendi modum aliquâ ratione tuerentur: sed illos ultra progressos, asseruisse non solùm unam hoc sensu dici posse naturam, sed ita unam esse ut humana non remaneret. Unde Gelasius ait: *Aliud est, quod usitatò loquendi compendiò, sæpe de qualibet rei parte dicimus, & totum quod est sine dubio profitemur. Aliud cùm prorumpit humana temeritatis audacia, qua sic aliquam partem nuncupare contendit, ut quod totum est, negare moliatur.*

D Idem ex Facundo colligitur asserente, Eutychianos *Creatricem naturam, creatamque confundere.* Unde cùm ait, ipsos *Affirmasse Dei Verbi unitatem incommutabiliter simplicem, cum suscepta humanitate, in unam componi potuisse naturam*: ibi compositionis nomen usurpat quatenùs mixtioni etiam convenit. Mixta enim ex naturis eorum quæ miscentur, dicimus composita: quamvis miscibilium naturæ destruantur, & ex iis tertia quædam natura resultet. Duas igitur ante Incarnationem fatebatur naturas Eutyches, sed post incarnationem nonnisi unam agnoscebat ex illarum mixtione & confusione resultantem; sicut quoddam ex utraque temperamentum.
E Hinc Facundus cap. 5. lib. 1. ait: *Jam illud tertium Eutychianis contrarium, rectum esse monstremus, quòd Dominum nostrum Jesum Christum confitemur, in duabus naturis, id est, in divinitate atque humanitate perfectum.* Hoc etiam lib. 8. cap. 5. hæc verba refert ex Synodica Domni Antiocheni Epistola ad Theodosium: *Apollinaris hæresiarcha impietatem Eutyches Presbyter renovare pertentat, & Apostolicas labefactare doctrinas, mysterii Incarnationis dogma corrumpens, & divinitatem Unigeniti, & humanitatem, unam naturam vocans, commixtionemque & confusionem asserens factam, & salutarem passionem ipsi incontaminabili deitati adnectens.*

F Denique quamvis illa Eutychiani commenti explicandi ratio, quâ ex duabus naturis una quædam facta dicebatur, eaque composita, sicut ex anima & corpore hominis natura conflatur, inventa sit ac usurpata ab aliquibus ex Eutychiano grege; qui Catholicorum disputationibus irritati ad ista subtiliùs enucleanda compulsi sunt: non tamen ab Eutyche ipso stupidi ingenii Sene reperta est.

Objicies tertiò: Eutyches Verbum incarnatum confessus est. Verbum autem incarnatum non fuisset, si caro ex toto facta fuisset natura commixtione aut conversione. Igitur Eutyches non asseruit carnem mixtione, aut conversione in divinitatem desiisse, sed integram post unitionem manere.

Respondeo, Eutychem Incarnationem verbo tenus confessum fuisse; sed adorandum illud mysterium reipsa evertisse, ut passim ipsi exprobrant SS. Patres, ac unus præ omnibus Leo: & duo hæc adeò pugnantia propugnasse, Verbum scilicet fuisse Incarnatum, & in eo carnis non fuisse naturam post unitionem. Quod mirum Vasquezio videri non debet, cujus objectio malè supponit Hæresiarcham illum consequenter locutum, & aliquâ saltem rationis specie commenta sua obduxisse: cùm ejus imperitiam & vecordiam S. Leo passim sugillet. Audire præstat quæ de ipso scribit in celeberrima ad Flavianum Epistola. *Eutyches*, inquit, *qui Presbyteri nomine honorabilis videbatur, multùm imprudens, & nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit à Propheta: Noluit intelligere ut benè ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo. Quid autem iniquius, quam impia sapere, & sapientioribus, doctioribusque non cedere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquò impediuntur obscurò; non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideò Magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi & veteris Testamenti paginis acquisivit, qui ne ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur, istius adhuc Senis corde non capitur.*

Denique Eutychem humanitatis in Christo veritatem negasse, adeòque Incarnationis evertisse mysterium, constat ex Gennadio in appendice ad librum S. Augustini de Hæresibus. *Humanitatis*, inquit, *in Christo denegant veritatem, quicquid à Verbo nostra proprietatis receptum est, divina tantummodo adscribit essentia, ut Sacramentum salutis humanæ, quod nonnisi in utraque substantia est, nostram in Christo naturam negando dissolveret, stulta impietate non inspiciens universo corpori auferri, quod Capiti defuisset.* Hunc locum ut S. Augustini inscitè laudat Vasquezius, cùm vivente S. Augustino ne quidem auditum sit Euthychianæ hæreseos nomen: & ipse Pelagianorum hæresim suo tempore, *Omnium recentissimam* vocet: cùm denique ante illam appendicem finitus sit S. Augustini liber de Hæresibus, ut patet ex his verbis: *Hujus autem sit jam Voluminis finis.* Quæ vel non legit; vel non attendit Vasquezius.

DISSERTATIO XI.

De Synodi Chalcedonensis convocatione & Præside.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis Synodum Chalcedonensem convocaverit.

PROPOSITIO.

MArcianus Imperator Synodum IV. Oecumenicam Nicææ primùm convocavit, deinde Chalcedonem transtulit, consentiente S. Leone Romano Pontifice.

Probatur 1. ex Epistola Marciani ad S. Leonem, quæ extat 1. p. Concilii Chalcedonensis cap. 34. *Superest*, inquit, *ut si placuerit tua Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, nostris utique desideriis vestra Sanctitas satisfaciet, & sacra Religioni, quæ utilia sunt,*

 decernet

decernat. Si vero hoc onerosum est, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua Sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum sacra nostra litera dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & qua Christianorum Religioni, usque Catholica Fidei prosint, sicut tua Sanctitas, secundum Ecclesiasticas regulas definierit, suâ dispositione declarent.

Confirmatur ex Epistola Pulcheriæ Augustæ ad eumdem Pontificem. *Et propterea*, inquit, *tua Reverentia quocumque modo prospexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thracia, atque Illyrici, sicut etiam nostro Domino piissimo Imperatori conjugi meo placuit, in unam Civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire, & illic factò Conciliò, & de Catholica Religione, & de his Episcopis qui ante hoc congregati sunt, sicut Fides & Christiana pietas exigit, te autore, decernant.*

Probatur 2. ex Literis Marciani & Valentiniani Imperatorum ad omnes ubique Episcopos, Concilium Nicææ indicentibus. *Quia igitur*, inquiunt, *dubitationes quadam circa Orthodoxam Fidem mota sunt, sicut indicant & Litera sanctissimi Archiepiscopi Roma Leonis, placuit nobis proprie sanctum Concilium fieri in Nicaa Bithynia civitate.. Unde tua Sanctitas, cum quantis approbaverit Reverendissimis Episcopis sub suo Sacerdotio constitutis sanctarum Ecclesiarum expertas habentibus divinas Scripturas, & in scientia, & in doctrina Orthodoxa Fidei pra cunctis eminentibus, ad memoratam Nicaanam Civitatem proximis Kalendis Septembris advenire festinet.* Extant hæ Literæ 1. p. Concilii Chalcedonensis cap. 46. His gemina sunt, quæ habentur in Literis eorumdem Imperatorum ad Anatolium.

Probatur 3. ex eorumdem Principum literis ad Synodum jam Nicææ congregatam datis, quibus eam Chalcedonem transtulerunt. *Unde*, inquiunt, *si placet vestra Pietati, ad Chalcedonensium civitatem transire dignemini. Illuc enim excurremus, licet hic nos publica causa retineant, &c.* Extant hæ literæ 1. p. Concilii Chalcedonensis capp. 41. & 42.

73. In Edit. Quenelli.

Probatur 4. ex S. Leone Epistola 43.* ad Marcianum Augustum data. *Poposceram*, inquit, *à gloriosissima Clementia vestra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Ecclesia pacem etiam à nobis petitam, necessariam judicatis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis: ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia piô studiô humanis negotiis divina praeponitis, & rationabiliter ac religiosè Regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in Sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Evangelii pradicatione discordia: ego etiam vestris dispositionibus non renitor; optans ut in omnium cordibus Catholica Fides, qua non potest nisi una esse, firmetur.* Synodum poposcit à Marciano Augusto S. Leo, tantùm abest ut indixerit.

72. In Edit. Quenelli.

Et Epistola 47.* ad Synodum Chalcedonensem. *Amplectendum est Clementissimi Principis plenum religione consilium, quò sanctam Fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servatô, adeò ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram prasentiam praberemus: quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere.*

74. In Edit. Quenelli.

Et Epistola 50.* ad Marcianum Augustum. *Sanctum*, inquit, *Clementia vestra studium, quò ad reparationem pacis Ecclesiastica Synodum haberi voluistis, adeò libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptius expectari tempus optassem, quò scilicet plurimi possent Episcopi etiam de longinquioribus Provinciis evocari; mox tamen ut mihi Pietatis vestra scripta sunt tradita, & Bonifacium de Compresbyteris meis ab Urbe direxerim, & de Episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meam sufficienter implerent, datis per eosdem Epistolis ad eos qui Legationem ante susceperant ut ipsi quoque pradictis ad implendas partes mea prasentia jungerentur.* Postulaverat S. Leo ab Imperatore ut Synodus intra Italiam haberetur: quod non obtinuit. Nicæam enim illam convocavit, ac deinde Chalcedonem transtulit Marcianus. Cujus sanctum studium S. Leoni probatum est. Idem habetur ex ipsius Epistola 51.* ad Pulcheriam Augustam.

75. In Edit. Quenelli. 57. In Edit. Quenelli.

Et Epistola 61.* ad Episcopos qui in sancta Synodo Chalcedonensi congregati fuerant, directâ, *Fraterna*, inquit, *universitas, & omnium Fidelium corda cognoscant, me non solùm per Fratres qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum unisse sententiam: in sola videlicet causa Fidei, propter quam Generale Concilium, & ex pracepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolica Sedis placuit congregari.* Vides præcepto quidem Imperatorum, consensu verò Pontificis Romani Synodum convocatam.

Probatur 5. ex Synodo ipsa Chalcedonensi, quæ in singulis penè Actionibus, se *Ex Decreto piissimorum & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani: secundum sacram Praceptionem: secundum sacram Sanctionem: secundum Constitutum piissimorum & Deo amantissimorum Principum* dicit congregatam.

Confirmatur ex Allocutione Marciani Imperatoris ad Synodum. *Sanctam vestram collegimus Synodum*, inquit, *laboribus quos ex itinere suscepistis, eventum maximè fore credentes, ut vera Religio firmaretur.*

Probatur sextò ex Breviculo Historiæ Eutychianistarum. *Marcianus lesam fidem graviter ferens, indicit Synodum apud Nicaam.. quam Synodum posteà transtulit Chalcedona.*

Probatur 7. ex Liberato Diacono in Breviario cap. 13. *Cum*, inquit, *Marcianus Imperii culmen fuisset adeptus, pro illius Papa & Principum Romanorum petitione universale Concilium in Nicaa congregari jussit, ubi occurrentibus 630. Episcopis, & eis sedentibus, Legati Papa Leonis Marcianum petierunt, ut sui prasentiam prastaret Concilio, alioquin ipsò absente ad Concilium non occurrerent: & ita jussit Imperator Synodum transferri Chalcedonem, ut de proximo ad concilium veniens, eorum impleret petitionem.* Idem testatur Evagrius lib. 11. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2.

Probatur 8. ex Justiniano Imperatore, Collatione 1. Concilii 5. Oecumenici. *Marcianus*, inquit, *congregavit Chalcedone SS. Patres, & magnâ contentione inter Episcopos factâ, non solùm per suos Judices, sed etiam per se ipsum in Concilium perveniens, & ad concordiam omnes perduxit.*

Idem testatur Mansuetus Mediolanensis Episcopus in Synodica ad Constanstinum IV. Epistola. *Tunc*, inquit, *à prastantissimo, & Christiana Religionis amatore Marciano Imperatore collecta est sancta Synodus in Civitate Chalcedone 630. Patrum veneranda cohors.*

Suffragantur huic sententiæ Nicephorus lib. 15. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. & Recentiorum Autorum plurimi.

Objicies verba Episcoporum secundæ Mœsiæ ad Leonem Imperatorem scribentium: *In Chalcedonensium Civitate multi Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè Caput est Episcoporum.*

Respondeo, Synodi Chalcedonensis Patribus, qui se Imperatorum Sanctione & Decreto convenisse scribunt, fidem adhibendam potiùs esse, quàm secundæ Mœsiæ Episcopis.

Objicies secundò verba Gelasii Romani Pontificis in Epistola ad Episcopos Dardaniæ. *Apostolica Sedes,*

Sedes, inquit, *pro veritate ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit.*

Respondeo primò, Gelasium ipsum in Synodo Romana aliter statuere. Ait enim S. Romanam Ecclesiam suscipere *sanctam Synodum Chalcedonensem, mediante Marciano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo* congregatam, *in qua Nestoriana & Eutychiana hæreses simul cum Dioscoro, ejusque complicibus damnatæ sunt.* Ibi nulla est S. Leonis mentio.

Respondeo secundò, aliquo sensu Apostolicam Sedem solam decrevisse ut Synodus Chalcedonensis fieret, quia judicavit Generali Synodo esse opus ut quæ in Ephesino Latrocinio contra Canones gesta fuerant, reformarentur: quam Synodum postulavit à Theodosio Imperatore, intra Italiam quidem congregandam: sed apud eum nihil promovit. Hanc autem Nicææ primùm, deinde Chalcedone celebrandam indixit Marcianus, votis S. Leonis annuens quoad celebrationem, licet non quoad locum Synodi. Hoc sensu scripsit Ado in Chronico; *Leonis Papæ industria celebratum esse Chalcedonense Concilium.* Et Sigebertus congregatum ait, *Instantia Leonis Papæ, jubente Marciano Imperatore.*

Objicies tertiò verba Theodori Lectoris lib. 1. Collectaneorum scribentis: *Marcianus & Pulcheria Leoni Papæ Romano scripserunt, illique cunctam auctoritatem tribuerunt.*

Respondeo: Imperatorem S. Leoni auctoritatem detulisse præsidendi Synodo, & decernendi quæ Religioni utilia essent, sive potiùs eum suo jure in his frui permisisse: non verò ipsi fecisse convocandæ Synodi potestatem: Marcianus, inquam, S. Leonis auctoritati totam Synodum permisit, velut *principatum in Episcopatu divinæ fide possidentis*, ut habetur in ejus Sacra.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum S. Leo Synodo Chalcedonensi per Legatos præfuerit?

PROPOSITIO.

Sanctus Leo Synodo Chalcedonensi præfuit per Legatos, Paschasinum Lylibetanum, & Lucentium Asculanum, Episcopos, & Bonifacium Presbyterum, quibus Julianum Coensem, ut consiliorum participem; potiùs quàm Legationis socium adjunxit.

Probatur 1. ex S. Leone Epistola 49. * ad Marcianum Augustum datâ. *Credebamus*, inquit, *Clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respectâ, differri ad opportunius tempus Sacerdotalem Synodum juberetis: ut evocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, verè posset esse universale Concilium, Sed quia vos amore Catholicæ Fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem & Coëpiscopum meum Paschasinum, de ea Provincia, quæ videtur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi: Bonifacio Fratre & Compresbytero meo sociato, & his, quos antea miseramus, adjunctis, consortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Episcopum.* Et infrà: *Quia vero quidam de fratribus; quod sine dolore non dicimus, contra turbines falsitatis non valuere Catholicam tenere constantiam, prædictum fratrem & Coepiscopum meum vice meâ Synodo convenit præsidere.*

* In Edit. Quenelli.

Et Epistola 71. ad Julianum Coënsem, quam ex MS. Codice Cardinalis Grimani in lucem edidit P. Quenellius: *Cum, secundùm Christianissimi Principis voluntatem, in Urbe Nicæna Sacerdotalis habenda sit Synodus, ut omnium scandalorum strepitus auferatur, necessariè Fraternitati tuæ, quod omni Ecclesiæ prosit, injungimus: ut cum Fratribus & Coepiscopis nostris Paschasino & Lucentio, sed & Fratribus & Compresbyteris nostris Bonifacio & Basilio, * quos vice nostrâ ad prædictum Conventum ire præcipimus, curam tuam, actionemque conjungas in omnibus, autoritate nostræ præceptionis usurus: quoniam scimus omnium illic Autorum rerum majorem te, quàm nostros, habere notitiam: ut dum curam tuam illis, consiliumque sociaveris, in nulla parte fallantur; sed omnia, Deo adjuvante, veniant in effectum, quæ fidei & paci probaveris convenire.*

* Basilius in Synodo inter Legatos non fuit, nec usquam nominatur.

Et Epistola 47. * ad Synodum Chalcedonensem: *In his Fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra Fraternitas æstimet præsidere, non abjunctâ à vobis præsentia mea, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jamdudum Fidei Catholicæ prædicatione non desum: ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus.*

* 72. In Edit. Quenellii.

Et Epistola 49. * ad Marcianum Augustum. *Nec me quoque, ut voluit vestra Clementia, ab illo credatis abesse Concilio, cùm in his fratribus, quos direxi, id est, Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, sed & in fratre meo Juliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit æstimanda præsentia.*

* In Edit. Quenel. n. 73.

Probatur secundò ex Concilio Chalcedonensi in tribus Actionibus primis, quæ sic incipiunt: *Conveniente sacro & universali Concilio, secundùm sacram præceptionem, in Chalcedonensi Urbe congregato, id est, Paschasino & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero, locum tenentibus Archiepiscopi Leonis, &c.*

Et Actione 3. cùm de excessibus Dioscori cognitio haberetur, Legati Apostolici his verbis locuti sunt: *Nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit (Leo) ideòque necessarium est, hæc quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.*

Et Actione 6. Paschasinus Definitioni Fidei his verbis subscribit, præsente jam Marciano Imperatore: *Paschasinus Episcopus, Vicarius Domini mei, atque universalis Ecclesiæ Episcopi Urbis Romæ Leonis, Synodo præsidens, statui, consensi, & subscripsi.* Eodem penè modo Lucentius & Bonifacius subscribunt.

Probatur tertiò ex suffragio Legatorum in Dioscorum prolato Actione 3 Concilii Chalcedonensis, quod S. Leo Epistolæ suæ 94. * ad Galliarum Episcopos datæ subnexuit. *Unde sanctus ac beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos Vicarios suos, sanctâ Synodo consentiente, Petri Apostoli prædiuts dignitate, qui Ecclesiæ fundamen, & Petra Fidei, cœlestis regni janitor nuncupatur, Episcopali eum Dignitate nudavit, & ab omni Sacerdotali opere fecit exsortem.*

* In Edit. Quenellii 82.

Probatur 4. ex Relatione Synodi Chalcedonensis ad S. Leonem. *Si enim*, inquit, *ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi se in medio eorum fore perhibuit; quantam circa quingentos viginti Sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui & patriæ, & labori, suæ confessionis notitiam prætulerant? Quibus tu quidem, sicut membris caput, præeras in his qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens. Imperatores verò fideles ad ordinandum decentissimè præsidebant, sicut Zorobabel & Jesus, Ecclesiæ tanquam Jerusalem ædificationem renovare circa dogmata annitentes.*

Probatur 5. ex Epistola Vigilii Papæ ad universum populum Dei. *Sed & Chalcedonensis*, inquit, *Synodus sexcentorum triginta Patrum, quæ sub piæ memoriæ Marciano Imperatore convenit, cuique sanctæ recordationis Decessor noster Papa Leo per Legatos suos Vicariosque præsedit.* Idem asserit Pelagius II. Epistola 5. ad Episcopos Istriæ.

Probatur

Probatur 6. ex Facundo Hermianensi, lib. 5. cap. A 5. ubi S. Leonem Synodi Autorem vocat; id est, Præsidem. *Sufficit ad defensionem ipsius Epistola*, inquit, *quòd eam tanta Synodus, & ipsius Autor Synodi Vir Apostolicus, & in doctrina veritatis totò orbe notissimus, approbavit.* His adde Liberatum Diaconum in Breviario, cap. 13. & Evagrium lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1.

Objicies 1. Anatolium Constantinopolitanum Episcopum Actioni 12. in qua Bassiani, Stephanique caussa judicata est, præfuisse. Nam ante Sedis Apostolicæ Legatos sententiam dixit; ut constat ex contextu Actionis.

Respondeo, etsi uni huic Actioni præfuerit Anatolius, id ipsi deferentibus Sedis Apostolicæ Legatis, quia de caussa singulari, disciplinam meram spectante agebatur; quæ notior erat Anatolio: non sequi quòd toti Synodo præfuerit.

Objicies 2. Sardianam Synodum in Epistola ad Leonem Imperatorem, quæ extat 3. p. Concilii Chalcedonensis, cap. 42. hujus Synodi Præsides duos agnoscere, scilicet S. Leonem, & Anatolium. *De principali*, inquit, *Capitulo, & quod ad ipsam Christianorum Fidei respicit summitatem, id est, de sancto & universali Concilio Chalcedone collecto, cui regulariter præsederunt, & maxima Roma sanctissimus Archiepiscopus Leo per venerabiles Episcopos directos, & Clericos, nec-non sanctissimus & venerabilis Archiepiscopus Anatolius.*

Respondeo, Sardianam Synodum præsidendi vocabulum in latiori quodam significatu usurpare, prout de omnibus dicitur, qui in aliquo cœtu dignitate eminent, & primi sententiam dicunt, quamvis & inter eos aliquis sit cujus major dignitas est, cui primus debetur locus, & suffragii prærogativa. Sic Anatolius Synodo Chalcedonensi aliquo sensu præfuit, quia ante cæteros Patriarchas sedit & suffragatus est, post S. Leonis Legatos; at non ita præfuit ut totius Concilii habuerit *τὸ ἄρχειν* & prærogativâ suffragii præ Legatis Apostolicis potitus sit. Præterea, Sardianam Synodum pro eodem usurpasse *præsidere & judicare*, ex eo liquet, quòd non solùm Leonem per Legatos, & Anatolium Chalcedonensi præfuisse dicat Synodo, sed *& summos Sacerdotes, qui eis concordes fuerunt, & similia decreverunt.*

Objicies 3. Tarasium Constantinopolitanum, *Actione 1. Synodi 7.* Anatolium vocasse Synodi Chalcedonensis *primum Exarchum.*

Respondeo, Tarasii verba primatum Anatolii supra cæteros Antistites, qui Synodo Chalcedonensi adfuerunt, significare, non supra Sedis Apostolicæ Legatos. Non enim ignorabat illud Actionum Synodi Chalcedonensis exordium, quod in eadem Synodi 7. Actione 1. recitatum est: *Conveniente sancto & universali Concilio, id est, Paschasino & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero, locum tenentibus Archiepiscopi Leonis, & Anatolio Episcopo Constantinopolitano.* Ubi Legati Apostolici Anatolio disertè præponuntur.

Objicies 4. Photium libro *de 7. Synodis*, Anatolium inter Chalcedonensis Concilii Præsides primô locô recensere. Hâc enim de Synodo sic loquitur: *Præsides declarati sunt Anatolius, qui sacræ Regia Civitatis habenas moderabatur, & Paschasinus ac* F *Lucentius Episcopali Dignitate præstantes, cum Bonifacio Presbytero, qui locum obtinebant Leonis sanctissimi Papæ Romani... & Maximus Antiochiæ Episcopus, & Juvenalis Episcopus Hierosolymorum.* Photio suffragantur Cedrenus in Compendio Historiarum, Zonaras Tom. 5. Annalium, Nilus Rhodiensis in libro de Synodis. Hi enim eosdem recensent Synodi Chalcedonensis Præsides, quos Photius: à quo in hoc uno dissentiunt, quòd S. Leonis Legatos cæteris præponant.

Respondeo S. Leoni, & ipsius Synodi Chalcedonensis Actis, nec-non Vigilio Pontifici, Facundo Hermianensi, Liberato Diacono; & Evagrio, majorem adhibendam esse fidem, quàm Græcis illis Autoribus à Synodi Chalcedonensis tempore nimium remotis; & præsertim Photio Schismatico, qui Sedis Constantinopolitanæ studio, & æmulatione invidiaque in Romanam impotenti abreptus, Anatolium S. Leonis Legatis, contra monumentorum omnium fidem, anteponit.

Objicies 5. Marcianum Imperatorem, sive per se, sive per Magistratus Synodo præfuisse, ut testantur B Patres in Relatione ad S. Leonem.

Respondeo, præfuisse Imperatorem ad servandum ordinem judiciorum, ad turbas compescendas, vimque omnem prohibendam, ne scilicet tale quid contingeret, quale in Ephesino Latrocinio, atque ita novissimus error pejor esset priore: ideò & Magistratus misit, & ipse Synodo adfuit, non initiô quidem (ut oscitanter scripsit Bellarminus) sed à sexta dumtaxat Actione, ut ex Actorum fide constat: sed non præfuit Imperator, aut ipsius nomine Illustrissimi Judices, condendis Fidei Decretis, sanciendæ Ecclesiasticæ Disciplinæ, statuendis Canonibus, &c. C Non præfuit denique ut membris caput, quô præfuit modô S. Leo. Discrimen istud evidens est ex Relatione Synodi ad S. Leonem, cujus verba in probationibus descripta sunt. Idem palàm facit Allocutio Marciani ad Synodum, Actione 6. *Nos enim*, inquit, *ad Fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo Religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus.* Se interfuisse ait, non profuisse.

Scholion I.

In Dissertationis hujus Quæstione prima, pag. 305. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Marcianus Imperator Synodum quartam Oecumenicam Nicæam convocavit, & Chalcedonem transtulit, consentiente S. Leone* D *Pontifice Maximo.* Tota Dissertatio, inquiunt, expungenda.

R. Concilii scilicet Chalcedonensis in singulis penè actionibus id asserentis, S. Leonis, Imperatorum Marciani & Valentiniani, Pulcheriæ Augustæ, Liberati Diaconi, Evagrii, Justiniani Imperatoris idem affirmantium consentientia testimonia nullius sunt ponderis: & eadem spongiâ delenda sunt?

Scholion II.

In eadem Quæstione, ad pag. 307. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Synodum poposcit à Marciano Augusto S. Leo, tantum abest ut indixerit.*

R. Hujus facti testis est S. Leo Epistola LXXIII. aliàs XLIII. ad Marcianum Augustum, cujus verba ibi descripsi. An testem graviorem, certiorem, ac magis incorruptum excitabunt Religiosi Censores, qui S. Leonem refellat? E

Scholion III.

In eadem Quæstione, pag. 311 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velim meam propositionem notant: *Imperator dat Papæ auctoritatem præsidendi Synodo, seu permittit ius jure suo.*

R. Objectioni ex Theodoro Lectore propositæ respondi, *Theodosium Imperatorem S. Leoni auctoritatem detulisse præsidendi Synodo, & decernendi quæ Religionis utilia essent, sive potius eum jure suo in his frui permisisse*, &c. Non dixi datam esse Romano Pontifici ab Imperatore auctoritatem præsidendi Concilio, & decernendi de rebus Religionis, quasi eam divinitus non habere (ut mihi affingitur) sed Imperatorem id ipsi detulisse, id est, agnovisse jus esse ipsius Pontificis ut Synodo præesset ac de rebus Religionis decerneret. Sic Deo misericordiam, bonitatem, immensitatem, omnipotentiam, perfectiones omnes tribuere ac deferre dicimur, quia ipsum agnoscimus & confitemur bonum, misericordem, immensum, omnipotentem, perfectissimum. Sic Romano Pontifici tribuere aut deferre dicimur primatum & auctoritatem regendi universam Ecclesiam, qui hanc illi divino Jure competentem agnoscimus, veneramur & propugnamus. Denique jus esse Romani Pontificis præesse Synodis Oecumenicis per se vel per Legatos, toties repeto in hoc Opere, quoties ea de re loquendi datur occasio. Quod & hic apertè significo his verbis: *Sive potius eum jure suo in his frui permisisse.* Sibi quippe jus dumtaxat protegendi fidem, non præsidendi Concilio; non condendi Decreta Fidei, aut Sacros de Ecclesiastica Disciplina Canones

Canones, Marcianus Imperator arrogavit; & Synodo interesse voluit, *Ad Fidem confirmandum, non ad potentiam ostendendam*; ut ipse ait in Synodo, Actione VI.

DISSERTATIO XII.

De Epistola S. Leonis Dogmaticâ ad Flavianum, in Concilio Chalcedonensi approbata.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Synodus Chalcedonensis Epistolam S. Leonis cum Fidei Regulis collatam receperit?

PROPOSITIO.

Synodus Chalcedonensis Dogmaticam S. Leonis Epistolam ex officio suscepit atque approbavit, cum prius eam ad Fidei Regulas expendisset.

Probatur utraque pars ex serie Actorum sanctæ Synodi.

I. Cùm Actione 1. de Fide S. Flaviani quæreretur, Epistola S. Leonis Lydius veluti lapis fuit, ad quem probata est illius Fidei sinceritas. Rogantibus enim Judicibus amplissimis an Flavianus exponens Fidem salvasset Religionem Catholicam, errassetve in ea? Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus dixit: *Quoniam sanctæ memoriæ Flaviani Fides concordat cum Apostolica Sede, & Patrum traditione, sententiam, quâ illum ab Hæreticis constat esse damnatum, ipsam in eos retorqueri à sancta Synodo necesse est.*

Non absimili modò suffragatus ante fuerat Paschasinus. *Sanctè & integrè*, inquit, *& Catholicè exposuit beatæ recordationis Flavianus: siquidem ejus Fidei expositio cum beatissimi atque Apostolici Viri Papæ Romani Epistola concordat.* In eandem iverunt sententiam Maximus Antiochenus, & alii.

II. Actione secundâ, Cecropius Sebastopolitanus Episcopus dixit: *Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, & super iis forma data est à Sanctissimo Archiepiscopo Romanæ Urbis; & sequimur eum, & Epistolæ omnes subscripsimus.* Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Omnes ista dicimus.*

Ibidem, decernente Senatu ut Patriarchæ, cum unô aut alterô ex Episcopis Diœceseos suæ, de Fide conferrent: Florentius Episcopus Sardium dixit: *Quoniam non est possibile dictare subitò de Fide eos qui docti sunt sequi sanctam Synodum, & quæ in Ephesò rectè & pie roborata est, secundùm Fidem SS. Patrum Cælestini, & Cyrilli, & Epistolæ Sanctissimi Leonis, precamur vestram Magnificentiam, præstari nobis inducias, quatenus cum decenti tractatu accedere ad veritatis causam possimus; quamvis in nostra persona, qui Epistolæ Sanctissimi Leonis subscripsimus, non indigeamus correctione.*

III. Perlectis in eadem Actione Symbolis Nicæno & Constantinopolitano, iisdemque omnium suffragiô confirmatis: lectis item Epistolis S. Cyrilli, ad Nestorium unâ, ad Joannem Antiochenum alterâ: Gloriosissimi Judices, & amplissimus Senatus dixerunt: *Recitetur & Epistola Deo dignissimi Archiepiscopi Regiæ & Senioris Romæ Leonis.* Et protinus ex Codice sibi porrectô ab Aëtio Archidiacono Constantinopolitanæ Ecclesiæ, recitavit Beronicianus sacri Consistorii Secretarius. Recitavit etiam multa SS. Patrum testimonia, quibus duarum in Christo naturarum Fides stabiliretur. Quibus recensitis, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Hæc Patrum Fidei: hæc Apostolorum Fides. Omnes ita credimus. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est. Apostoli ita docuerunt. Piè & verè Leo docuit. Cyrillus ita docuit.*

IV. In eadem Actione, cùm Illyriciani & Palæstini Episcopi de sensu trium locorum ejusdem Epistolæ dubitationem moverent, interpretatio adhibita ab Aëtio Archidiacono Constantinopolitano, & Theodoreto, quæ Leonem cum Cyrillo, prolatis ejus testimoniis convenire docebat, commotam dubietatem ab eorum animis eximere statim non potuit, licet reliqua Synodus nihil dubii superesse clamaret. Quare dictis Illyrici & Palæstinæ Episcopis inducias rogantibus, Judices decreverunt, ut intra dies quinque penes Anatolium Episcopum Constantinopolitanum convenirent, ut communiter de Fide tractarent, atque ut dubitantes docerentur. Tunc omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Nos ita credimus. Omnes ita credimus. Sicut Leo ita credimus. Nostrûm nullus dubitat. Nos jam subscripsimus.*

V. In Relatione Synodi Chalcedonensis ad Pulcheriam Augustam, de damnatione Dioscori, post Actionem tertiam, hæc habentur: Qui dispergebat, extinctus est; sopitus est persecutor; Princeps tempestatis explosus est, ipsique naves suas in cursu repetiere Rectores, Christo ad intelligentiam prosperè dirigente: *Qui ostendit in Leone mirabili veritatem, quia sicut sapiente Petro; ita & istô utitur Assertore.*

VI. Actione 4. Concilii Chalcedonensis, cùm Judices decrevissent, ut Reverendum Concilium, quid sibi de Fide videretur, ediceret; Paschasinus Apostolicæ Sedis Legatus, suô & aliorum nomine dixit: *Sancta & beatissima Synodus Fidei Regulam, quæ apud Nicæam à Patribus est constituta, sequitur & tenet. Sed etiam & centum quinquaginta apud Constantinopolim sub sanctæ recordationis Theodosio Majore congregata Synodus, ipsam Fidem confirmavit: cujus Symboli expositionem à beatæ recordationis viro Cyrillo apud Ephesum, quando Nestorius est pro sua calliditate damnatus, similiter amplectitur. Tertiò verò Beatissimi atque Apostolici Viri, universalis Ecclesiæ Papæ Leonis, Nestorii & Eutychetis hæresim damnantis directa Scripta, quid vera fides habeat exposuerunt. Similiter & sancta Synodus hanc Fidem tenet, hanc sequitur, nihil amplius nec addere potest, nec minuere.* Tunc omnes Episcopi clamaverunt: *Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus.*

Post hæc interlocuti sunt Judices, ut S. Leonis Epistola ad examen iterum vocaretur: ut palam fieret an esset consona Expositioni 318. Patrum Nicænorum, & 150. Constantinopolitanorum. Quâ de re Anatolius Regiæ Urbis Archiepiscopus ita censuit: *Epistola Sanctissimi & Deo amicissimi Archiepiscopi Leonis consonat Symbolo 318. sanctorum Patrum, qui apud Nicæam, & 150. qui apud Constantinopolim postea sunt collecti, qui eamdem fidem confirmaverunt: sed & iis quæ in Ephesò sub beatissimo & sanctissimo Cyrillo gesta sunt ab universali & sancto Concilio, quando maledictum Nestorium condemnavit. Qua propter consensi, & eidem Epistolæ libenter subscripsi.*

Paschasinus verò, cum aliis Legatis, hanc Imperialium Judicum interlocutionem ægrè tulisse visus est. Retulit enim, *Manifestum esse, nec dubitari posse, quia Leonis Epistola cum superioribus Symbolis concordaret.* Quod omnes Episcopi suffragiis quoque suis testati sunt, seque illi Epistolæ subscripsisse.

Illyriciani verò, & Palæstini Episcopi, qui dubitationem Actione 2. injecerant, professi sunt, ambiguitatem omnem, quæ ex linguæ Latinæ vocibus oriri videbatur, sibi à Legatis ademptam: ideò se quoque Epistolæ subscripsisse. *Summè orthodoxum esse sanctissimum Patrem nostrum Archiepiscopum Leonem perfectissimè novimus* (inquiunt) *factum est autem nobis*

bis certum de Epistola missu ab ipsius Beatitudine, à sanctissimis Episcopis Puschasino & Lacentio, qui locum tenent Apostolica Sedis, qui nobis dilucidaverunt, qua obscuritas lingua secernere subnotabus. Quando enim, secundum jussionem Potestatis vestru, ad sanctissimum Archiepiscopum Constantinopolis Anatolium, & ad considentem ei sanctam Synodum convenimus, volentes, de quibus ante dubitabamus doceri, invenimus ipsorum Sanctitatem paratissimam ad expellendam omnem dubitationem. Omnem enim hominem anathematizabunt separantem à divinitate carnem Domini & Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam sibi adunavit de Sancta Virgine Maria genitrice Dei, & non dicentem qua Deum decent, & qua hominis conveniunt, ipsius esse inconfusè, & indivise, & sine conversione. Et per hoc nobis satisfactum est. Et per omnia consonare æstimantes præscripsit Sanctorum Patrum, huic Epistola consensimus, & subscripsimus.

• VII. Cùm Ægyptiacæ Diœceseos Episcopi subscribere renuerent Epistolæ S. Leonis, donec ordinatus esset in Dioscori locum Alexandrinus Patriarcha; quia Canonibus & consuetudine Diœceseos suæ cautum esse dicebant, ne quidquam fieret ab Ægypti Episcopis citra consensum Alexandrini Antistitis, omnes Episcopi clamaverunt: *Qui non consentit Epistola Sanctissimi Archiepiscopi Leonis, hæreticus est* Et rursùs: *Subscribant Epistola Leonis: qui non ei subscribit, hæreticus est.* Acacius Ararathiæ Episcopus dixit: *Aut consentiant Epistola, aut regulam eis damnationem suscipiant, & cognoscant quia excommunicati sunt.* Photius Episcopus Tyri dixit: *Si recta sapiunt, ostendant propriam intentionem circa Fidem, & suscipiant Epistolam Sanctissimi Archiepiscopi Leonis. Si autem nolunt, excommunicati sunt.* Episcopi clamaverunt: *Hæc omnes dicimus: omnes sic sapimus.*

Cùm Formula fidei concinnata fuisset Actione 4. sed iis verbis, quæ Eutychianam perfidiam oon penitus profligare viderentur, Romani Legati, & aliquot Orientales eam Actione 5. ubi relecta est, repudiarunt velut insufficientem. Contentio orta est ob verba Epistolæ Leonis in Formula Fidei dissimulata; quibus aiebat: *Salvam utriusque natura proprietatem in unam coivisse personam, inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfusè.* Quam omissionem cùm animadvertissent Legati S. Leonis, in has erupêre voces: *Si non consentiunt Epistola Apostolici & sanctissimi viri Papa Leonis, jubete nobis Rescripta dari ut revertamur, & ibi Synodus celebretur.*

Hanc discordiam componere tentarunt Illustrissimi Judices, postulantes à Synodo, ut aliquot è singulis Diœcesibus Episcopi, unà cum Anatolio, & Legatis Pontificiis, in Oratorio S. Martyris Euphemiæ, de fide tractarent. Cæteri reclamarunt Episcopi, nihil Definitioni addendum pertinacissimè contendentes. *Omnibus*, inquiebant, *Definitio placuit. Ista Definitio Orthodoxorum est. Petimus ut Definitio subscribatur coram sanctis Evangeliis. Spiritus Sanctus Definitionem dictavit. Qui non subscribit, hæreticus est.*

Illustrissimi Judices dictos Episcopos interrogaverunt, num Epistolam S. Leonis susciperent? Responderunt: *Etiam, suscepimus; & subscripsimus.* Cùm verò urgerentur ut Definitioni inseri sinerent, quæ laudatâ continebantur Epistolâ, exclamarunt: *Altera Definitio non fiat, nihil deest Definitioni ..... Epistolam Definitio firmavit. Archiepiscopus Leo, ut credimus, sic credit. Definitio subscribatur. Definitio habet omnia. Definitio fidem habet. Leo eadem dixit qua & Cyrillus.*

Negotiò ad Imperatorem relatû, jussit ille ut Episcopi selecti de fide rectè & irreprehensibiliter constituerent, quibus consentirent cæteri, sicque dubium omne eximeretur: aut quisque per suum Metropolitam Fidem sine ullis ambagibus exponeret: alioqui Synodum in Occidente scirent celebrandam. His per Beronicianum Sacri Consistorii Secretarium significatis, Episcopi supradicti clamaverunt: *Aut Definitio persistat, aut discedimus. Qui contradicunt, manifesti sunt. Qui contradicunt, Nestoriani sunt. Qui contradicunt, Romam ambulent.*

Nondum sopitâ concertatione, Judices Illustrissimi Episcopos interrogarunt, an Dioscorum sequerentur, an verò S. Leonem? His verò respondentibus: *Ut Leo, sic credimus. Qui contradicunt, Eutychianistæ sunt: Leo rectè exposuit:* Judices dixerunt: *Ergo addite Definitioni, secundum Judicium Sanctissimi Patris nostri Leonis: Duas esse in Christo naturas unitas inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfusè*

Statim verò collatione factâ cum delectis Episcopis in Oratorio Sanctæ Martyris Euphemiæ, præsentibus etiam Illustrissimis Judicibus, Formula Fidei omnium votis ita concepta est, ut disertè S. Leonis Epistola recepta sit, *Ut Magni illius Petri confessioni congruens, & communis quædam columna existens adversùs perversè sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptata.*

Denique inserta sunt Definitioni Fidei illa verba ex Epistola S. Leonis deprompta: *Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, ex duabus naturis, inconfusè, immutabiliter, indivise; inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublatâ differentiâ naturarum propter unitionem: magisque salvâ proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente.* Malè vertit Latinus Interpres, *In duabus naturis:* legitur siquidem Græco textu, *ἐκ δύο φύσεων* quod verti debuit: *Ex duabus naturis.*

Hæc omnia deflorata sunt ex ipsius Synodi Chalcedonensis monumentis, *Actione* 5. & ex Definitione Fidei: *Ex Evagrio lib.* 2. *Historia Ecclesiastica cap.* 6. & ex Liberato, *cap.* 13. *Breviarii.*

IX. Patres Chalcedonenses in Relatione ad S. Leouem, profitentur se, ipsô duce, quæ fidem spectabant, decrevisse, quem vocis beati Petri Interpretem agnoscebant & venerabantur: *Vocis beati Petri omnibus constitutus Interpres.*

• Et in Allocutione ad Marcianum Augustum, postquàm multis probarunt Encyclicas olim Epistolas ad confirmationem Fidei à Patribus scriptas, hæc addunt de Epistola S. Leonis, ob quam ista præmiserant. *Non igitur nobis admirandi Romanæ Urbis Præsulis Epistolam, velut innovationis offendiculum criminentur: sed si non est divinis Scripturis coaptata, redarguant; si non præcedentium Patrum sententiis adunata; si non impiorum accusationem continet; si non defensionem Nicænæ Fidei profert; si non eorum, qui novitates appetunt, commenta subruit; si non vaniloquorum contagia prodigiosa subvertit ... Considerare namque oportet vestram Pietatem, quia nihil præter fidem, quæ olim à SS. Patribus annuntiata est, venerabilis Romanus Pontifex innovavit. Atque ut nulla his, qui Apostolicum Virum per invidiam lacerare nituntur, relinquatur occasio, consonantia Epistolæ ejus SS. Patrum testimonia, ad certiorem notitiam vestræ Pietatis, ex multis pauca subdidimus.*

X. Pelagius I. Pontifex Maximus Epistola 12. ad Childebertum Regem Francorum data, scribit se anathematizare, & alienos ab æternæ vitæ præmiis judicare, *Quicumque ab illa Fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in suis Epistolis prædicavit, & quam Chalcedonense Concilium sequens eumdem Præsulem, editâ Definitione suscepit, in una syllaba, aut in uno verbo, vel in sensu erravit, vel erraverit aliquando.*

XI. S. Martinus I. Papa, in Concilio Lateranensi, Secretario I. ait, Epistolam S. Leonis ad Flavianum, S. Chalcedonensem Synodum *Columnam orthodoxæ Fidei* definivisse; hoc est, omnium Sanctorum Chorum magnifico illo nomine ipsam donasse: *Quoniam quod una SS. Patrum Synodus judicare videtur, tam*

omnes

omnes Synodi, quàm universi omnino Patres confirmare noscuntur: utpote in uno eodemque verbo Fidei vicissim sibi per indissolubilem consonantiam concordantes.

XII. In Synodica Suggestione Agathonis & Romanæ Synodi 125. Episcoporum, quæ relecta est Actione 4. Synodi Sextæ, laudatur Marcianus Imperator, *Quod sacrum illum Tomum sit amplexus Apostolici Viri Papæ Leonis; quem B. Petrus Apostolus verbis ejus ediderat.*

XIII. Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus in Epistola ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum, de S. Leonis Epistola, & de Concilio Chalcedonensi sic loquitur: *Post Epistolam Beati Leonis Papæ, & salubria Chalcedonensis decreta Concilii, sancte frater Anatoli, non indiget Eutychetis olim damnata perfidia pleniore disputatione convinci. Sepultus ergo jaceat in cineribus suis nefandæ hæreseos profanus Inventor. Semel illum fulmine anathematis judicantium Sacerdotum percussit autoritas: quid opus est iterum cadaver exanime gladiò veritatis interfici? Doctrinam semel carentem lumine rationis, perpetui silentii carcer abscondat. Interdum pestifera dogmata, dum quasi expugnanda proferuntur, venenò pestiferò simplicium corda perturbant. Satius est ista usficare, Fidemque Catholicam, supplosis profanis novitatibus, inviolabilem custodire, manentibus in pristina firmitate, quæ sunt etiam Synodalibus roborata Definitionibus.* Ex his omnibus colligitur, Synodum Chalcedonensem Epistolam dogmaticam S. Leonis ad Flavianum, ex officio suscepisse, quia Scripturis sacris, Symbolis Nicæno & Constantinopolitano, S. Cyrilli Epistolis in Ephesino Concilio approbatis, totique retrò Traditioni consonam agnovit.

XIV. Porrò cur Epistola sua in Synodo Chalcedonensi examinata fuerit, docet ipse S. Leo Epistola 65. * ad Theodoretum: Ut scilicet accedente totius

* In Edit. Quesnelli 51.

Ecclesiæ in Concilio congregatæ consensu, irretractabilis esset Fidei Definitio. *Gloriamur in Domino*, inquit, *cum Propheta canentes: Adjutorium nostrum in nomine Domini, &c. Qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit: sed quæ nostrò prius ministeriò definierat, universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu: ut verè à se prodiisse ostenderet, quod priùs à prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset; ut in hoc quoque Capiti membra concordent: in quo ampliùs nobis accrescit gaudendi materia, dum & tanto magis se perculit inimicus, quantò contra Christi Ministros sævius insurrexit. Nam ne aliarum Sedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus statuit præsidere, consensus assentationis videretur, aut alia qualibet subreperet adversa suspicio; inventi priùs sunt, qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli à dissensionum incitati Autore, ad contradictionis bella prosiliunt, ad majus bonum, malum ejus Autore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulciùs siquidem munera gratiæ divinæ proveniunt; quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Ipsa quoque veritas & clarius renitescit, & fortius retinetur, dum quæ Fides priùs docuerat, postea examinatio confirmaret. Multùm denique Sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur autoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quantò ad hoc se accipit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas, ne quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur oppressum.*

Et infrà: *Cùm in Apostolicæ Sedis Epistola, universalis sanctæ Synodi assensu firmatæ, tanta divinæ autoritatis testimonia noverimus esse congesta, ut nullus queat ulteriùs dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit.*

XV. Ut non Orientalium tantùm sed Occidentalium etiam Episcoporum consensu, sua ad Flavianum Epistola probaretur, misit ejusdem exemplaria S. Leo ad Episcopos Occidentales: quos inter 43. Galliarum Episcopi, Ravennio Arelatensi Præside, simul ubi eam acceperunt, convenientes in Gallia Narbonensi, Synodicam Epistolam ad Sanctissimum Pontificem dederunt, quâ se ejus Epistolam ceu Traditioni consonam suscepisse sunt testati. *Exultavimus*, inquiunt, *Christo propitiò lectis Beatitudinis vestræ literis, & omni instructione patefactâ, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus ..... Quæ Apostolatûs vestri Scripta, ita ut Symbolum Fidei, quisquis Redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, & tenaci, quò ad confundendos Hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognoverunt Fidei suæ sensum; & ita se semper ex Traditione Paternâ tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætantur. Nonnulli solicitiores facti, Beatitudinis vestræ admonitione perceptâ, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, quâ liberè ac fiducialiter, suffragante etiam Apostolicæ Sedis autoritate, eloquantur, & asserat unusquisque quod credit. Quis autem Apostolatui vestro pro hoc tantò munere, quò non solùm Gallias, sed totum mundum, velut quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, dignas æstimet gratias posse persolvi? Doctrinæ post Deum vestræ debet quisquis Fidelis, ut constanter teneat, quod credebat; debet etiam Infidelis, ut à perfidiâ suâ agnitâ veritate discedat, & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur & credat, quod per os vestrum Dominus noster Jesus Christus de Sacramento Incarnationis suæ docet, quàm id teneat, quod diabolus humanæ salutis & veritatis inimicus instillat.* Data est hæc Epistola anno Christi 451.

XVI. Scripserunt etiam ad S. Leonem Ceretius, Salonius, & Veranus Galliarum Episcopi, ex Provincia Alpium Maritimarum, ut conjicit Quenellus. Gratulati sunt ei sanctam sanamque Epistolæ Dogmaticæ ad Flavianum fidem, quam exscriptam ad ipsum remiserunt, ut si quid amanuensium vitio erratum esset, si quid adulteratum, vel ipsi detrahere aut addere aliquid vellet, id faceret: ut integram sanamque reciperent, legendam non solùm Episcopis & Clericis, sed etiam Laïcis præberent, & libris insererent ad posteritatis memoriam. *Magna*, inquiunt, *& ineffabili quadam nos peculiares sui gratulatione succrescimus, quòd illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium Ecclesiarum conventicula celebratur, ut verè consona omnium sententiâ declaretur, meritò illic Principatum Sedis Apostolicæ constitutum, unde adhuc Apostolici Spiritûs oracula referentur. Idcirco deprecamur, ut opus & præsentibus & futuris temporibus profuturum, quod nos asservandi studiò foliis mandare curavimus, Sanctitas vestra percurrere, & si quid librarii errore defuerit, emendare dignetur: vel, si salutarem lecturis omnibus paginam aliquò studii vestri accumulastis augmentò, idipsum addi libello huic solicitâ pietate jubeatis: ut non solùm plures sancti Episcopi fratres nostri, per Gallias, verum etiam multi ex Laïcis filii vestri, qui Epistolam istam magnoperè pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, & sanctâ manu vestrâ emendatam transcribere, legere, & tenere mereantur.*

XVII. Peractô Conciliô Chalcedonensi; Galliarum Episcopos de felici illius exitu certiores fecit S. Leo, de Hæreticorum damnatione, deque approbatione Epistolæ suæ ad Flavianum totius Synodi suffragiis. *Quæ diabolicorum sensuum prodigiosa commenta*, inquit, *sancta nunc Synodus, humilitatis nostræ Scriptis autoritate Domini mei beatissimi Petri Apostoli & meritò roboratis, religiosâ unanimitate consentiens, abominando, hoc ab Ecclesia Dei amputavit opprobrium.* Hispaniarum Episcopos à Gallis S. Leonis Epistolam accepisse, ex his ipsius

ad Galliarum Antistites literis, & ex Idatii Hispani Chronico, ad Olympiadem 307. colligitur.

XVIII. Ceterii curâ ad Eusebium Mediolanensem Episcopum delata est Epistola S. Leonis. Ille congregata Synodo Italiex Diœcescos, hanc cum suis Coëpiscopis ad Traditionem examinavit, illique solemni ritu subscripsit. Id ex Epistola Synodica Eusebii compertum est. *Recitatâ*, inquit, *Epistolâ quam Fidei assertione plenè digestam, ad Orientem dudum Sanctitas vestra transmiserat, quæ ad nos ex vestra admonitione, sancto Fratre & Coepiscopo nostro Ceretio mutuante pervenit; claruit eam plenâ fidei simplicitate fulgere, Prophetarum etiam assertionibus, Evangelicis autoritatibus, & Apostolicæ doctrinæ testimoniis, nitore quodam lucis ac veritatis splendore radiare, omnibusque sensibus convenire, quos Beatus Ambrosius de Incarnationis Dominicæ mysterio, suis libris Spiritu Sancto excitatus inseruit. Et quia omnia majorum fidei nobis antiquitus tradita totâ puritate conveniunt, Domine Sancte & Beatissime Pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare, ut eos qui impiè de Incarnationis Dominicæ Sacramento sentiunt, quamvis intellectus sui pravitate à Catholicæ Fidei veritate recidentes seipsos dignos abjectione fecerint, suô etiam consensu, autoritatis vestra præcedente sententiâ, damnatione congruâ persequendos.* Ex his colligitur, latam à S. Leone in Eutychetem & ejus hæresim sententiam, Episcoporum Occidentalium consensu fuisse roboratam: sed eos non ante subscripsisse dogmaticæ ejus Epistolæ, quam eam ad Scripturam sacram & Traditionem expendissent.

Divino jure suo Primatus & suffragii prærogativâ in Concilio Chalcedonensi usus est S. Leo.

XIX. Jure sui Primatus usus est S. Leo, cum Epistolam dogmaticam misit ad Synodum Chalcedonensem, quæ rerum in causa Fidei agendarum, & edendæ quasi forma esset Definitionis. Sed jure etiam suo usa Synodus est, cùm Epistolam illam ad Fidei regulas expendit. Id duobus verbis significavit Pulcheria Augusta ad S. Leonem scribens, cùm Decreta Concilii *ipso Autore* condenda ait. *Et illic factô Conciliô*, inquit, *& de Catholica Confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, fiant Fides & Christiana pietas exigit, te Autore decernant.* Quod egregiè explicat doctissimus Archipræsul Petrus de Marca. Quemadmodum, inquit, olim in veteri Republica Imperatores Relationem faciebant Senatui, primò, si luberet, locô censebant, quod Tertullianus *Prærogativam suffragii* vocitavit, atque ita autores erant Senatui talis vel talis Decreti edendi: Unde Senatus autore Principe decernere dicebatur (ut ex Tacito patet variis in locis:) ita Pulcheria agnoscit in Romano Pontifice jus referendi ad Synodum quid in Fidei & restaurandæ Disciplinæ causa agendum esset, cum suffragii prærogativa: in Synodo verò jus declarandi, confirmandique suffragiis suis, quæ Pontifex edixisset: ut utraque autoritate, Pontificis nimirum & Synodi in unam confluente sententiam, irretractabilis rerum propositarum ederetur Definitio. Verùm ut Relationis, quæ ab Imperatore fiebat ad Senatum, ea debebat esse conditio, ut à rectæ rationis præscripto non aberraret, & utilitati publicæ consuleret, aut saltem non noceret, quâ de re libera erant Senatorum suffragia, qui sententiam Principis temperare poterant: ita Summo Pontifici incumbebat, ut in fide & pace Ecclesiarum constituendâ, à sacris Scripturis, à Canonibus & à Traditione majorum nullo pacto discederet. Quod utrum se haberet, expendere, Concilii partes erant: ut tandem autoritate illius tenerentur universi, & duobus veluti vinculis adstringerentur, definitione Pontificis, & declaratione Synodi: individuâ (inquam) capitis & corporis auctoritate. Collatum namque Romano Pontifici Primatum non modò honoris, sed auctoritatis etiam ac Jurisdictionis, Chalcedonensis Synodi Patres, & Imperatores agnoverunt atque venerati sunt. Pontificem maximum *Vineæ custodem* à Christo constitutum; *S. Petrum Petram & crepidinem Ecclesiæ & rectæ fidei fundamentum*, Patres Concilii prædicant. Relatio ipsa Synodi ad S. Leonem semel iterumque, *Ut caput membris*, ita Pontificem Synodo præfuisse; Leonem *S. Petri interpretem* in omnibus fuisse; *Apostolico ejus radio* cæteras Ecclesias illuminari asserit. Jam verò Valentinianus & Placidia ad Theodosium scribentes, ut Synodum in partibus Italiæ celebrari jubeat, aiunt: *Beatissimus Romanæ Sedis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes Antiquitas contulit.* Iterum Galla Placidia scribit: *Ad Concilium Sedis Apostolicæ Judicium transmittatur, in qua primus ille qui cælestes claves dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinavit.*

SCHOLION

In hac Dissertatione Religiosi Censores hanc propositionem notant ad pag. 318. Edit. primæ: *Synodus Chalcedonensis Dogmaticam S. Leonis Epistolam ex officio suscepit atque approbavit, cum prius eam ad Fidei Regulas expendisset.* Tota Dissertatio, inquiunt, expungenda.

R. Eademne spongiâ delenda sunt Acta Concilii Chalcedonensis hanc propositionem perspicuè probantia? Dicendum contra ipsorum fidem, sacram Synodum Epistolam S. Leonis indiscussam suscepisse & approbasse? Fidei Regulæ in Conciliis Nicæno & Constantinopolitano expositæ, Ephesinæ Concilii Definitioni, S. Cyrilli doctrinæ, Patrum fidei omnino consonam pronuntiavisse, quamvis illam cum Sacris illis Monumentis ac Fidei Regula non contulerit? Sed cæco modo exclamasse: *Hæc Patrum Fides. Hæc Apostolorum Fides, Omnes ita credimus. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est. Apostoli ita docuerunt. Piè & verè Leo docuit. Cyrillus ita docuit.* Cæcum illum agendi modum, si Concilio Oecumenico tribuissem, reus blasphemiæ in Spiritum Sanctum mihi viderer.

SCHOLION II.

Auctor Anonymus libri cui titulus est, *Gallia Vindicata*, anno 1688 editi, Dissertatione IV. quæ inscribitur, *De Romani Pontificis infallibilitate.* §. 1. me in scenam vocat, quamvis hanc infallibilitatis quæstionem, eo quem citat loco, scilicet in XII. ad Sæculum V. Dissertatione, ne leviter quidem attigerim. *Objicitur* IX. (inquit) *Epistola Dogmatica S. Leonis a multis impugnata est, nec prius admissa quam post longum examen. Id enim S. Leo testatur in Epistolâ ad Theodoretum.* LXV...... *Ex his Alexander Natalis concludit, Summi quidem Pontificis partes esse: Ut causas fidei ad Synodum referat, ut formam edendæ Definitionis in causa fidei concipiat, ut in fide & pace Ecclesiarum constituenda à sacris scripturis, à Canonibus, à Traditione Majorum nullo pacto discedat; quod utrum se habeat, expendere partes Concilii erant, & ita non prius Decreta Pontificum rata & certa esse, quam à Concilio confirmentur.*

R. Hæc postrema propositio mea non est: *Non prius Decreta Pontificum rata & certa esse, quam à Concilio confirmantur.* Mihi per calumniam affingitur ab Anonymo illo Auctore: Utilem esse, non tamen semper necessariam Conciliorum Oecumenicorum celebrationem esse novi, proindeque necessarium non esse ut Decreta Summorum Pontificum à Concilio confirmentur, ut rata & certa sint. Sed ita scripsi: *Quod utrum ita se haberet, expendere Concilii partes erant: ut tandem illius autoritate tenerentur universi, & duobus veluti vinculis adstringerentur, Definitione Pontificis, & Declaratione Synodi.* Epistolam Dogmaticam S. Leonis à Synodo Chalcedonensi examinatam fuisse non dixi, quia prius rata & certa esse non poterat, quàm à Concilio confirmaretur: sed *Ut accedente totius Ecclesiæ in Concilio congregatæ consensu, irretractabilis esset fidei definitio*: Quam rationem non aliunde hausi, quàm ex ipsa S. Leonis ad Theodoretum Epistola: *Sed quæ*, inquit, *nostro prius Ministerio Dominus definierat, universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut verè à se prodiisse ostenderet, quod prius à prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset.* Eodem sensu ad Zenonem Imperatorem scribit Simplicius Romanus Pontifex: *Quod Apostolicis manibus, cum Ecclesiæ universalis assensu, acie meruit evangelicæ falcis abscindi; vigorem sumere non potest renascendi.*

SCHOLION

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione, pag. 331. & 333. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Epistola S. Leonis consensu Occidentalium roboratur.*

R. Id certissimum est, & à me luculenter ac invictè probatum ex Epistola *Ceretii, Salonii & Verani*; item ex Epistola Synodica *Ravennii* aliorumque Episcoporum Gallorum ad S. Leonem; ex S. Leonis Literis ad Episcopos Galliæ, & ex Epistola Synodica Eusebii Mediolanensis Episcopi ad eumdem sanctissimum Pontificem.

SCHOLION IV.

Ibidem Religiosi Censores improbant *comparationem Primatus & authoritatis Concilii ad Imperatorem & Senatum.*

R. Comparationem pene omnem in aliquo deficere notum est. Hæc verò non à me inventa, sed ab illustri & erudito Archipræsule *Petro de Marca*, Libro v. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. VIII. cujus verba usurpo eo, ut par est, honorificè appellato. *Quemadmodum*, inquit, *olim in veteri Republica Imperatores Relationem faciebant Senatui, primo ferebant loco censebant, quod Tertullianus* Prærogativam suffragii *vocat*, *atque ita authores erant Senatui talis vel talis Decreti edendi: Unde Senatus Autore Principe decernebat. Ita Pulcheria agnoscit in Romano Pontifice jus referendi ad Synodum quid in Fide & restauranda Disciplina agendum esset, cum suffragii prærogativa: in Synodo verò jus declarandi confirmandique suffragii sui, qua Pontifex edixisset; ut utraque auctoritate, Pontificis nimirum & Synodi, in unam concurrente sententiam, irretractabilis rerum propositarum ederetur definitio, &c.*

DISSERTATIO XIII.

De Dioscori Damnatione.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Dioscorus fuerit à Concilio Chalcedonensi ob Hæresim damnatus.

MUltorum criminum reus ad sanctam Synodum Chalcedonensem delatus est Dioscorus. Primò læsæ fidei, & assertæ hæreseos Eutychianæ, tum violatorum Canonum, & sævæ tyrannidis in Ephesino Latrocinio, ut constat ex Libello Eusebii Dorylæi, perlectô in Concilio Chalcedonensi. Certum est præterea, Dioscorum Orthodoxi personam in Synodo Chalcedonensi aliquandiu induisse. Cùm enim lectô Libello fidei, quod Ephesino Latrocinio porrexerat Eutyches, Basilius Seleuciensis latentes in eo fraudes, occultumque venenum detegeret, Dioscorus ait: *Si Eutyches præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solùm pœnâ dignus est, sed igne. Ego verò Fidei Catholicæ & Apostolicæ sollicitudinem gero, & non alicujus hominis. Ad ipsam namque Divinitatem mentem intentam habeo, & ad personam non attendo, neque pro quolibet curo, nisi pro mea anima, & recta & sincera fide.* Hanc personam agere perrexit de quibusdam S. Cyrilli locis, quibus non intelligendas esse duas naturas, sed unam naturam Verbi incarnatam asserere videbatur, & clamantibus Orientalibus Episcopis: *Ista Eutyches dicit, hæc Dioscorus dicit:* Dioscorus in has prorupit voces: *Neque confusionem dicimus, neque divisionem, neque conversionem. Anathema dicenti aut confusionem, aut conversionem, aut commixtionem.*

Verùm non diù sub assumpta orthodoxiæ larva latuit Dioscorus. Statim se prodidit hac interlocutione: *Manifestè ideò damnatus est Flavianus, quoniam post adunationem duas dixit naturas. Ego autem testimonia habeo sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorii, Cyrilli multis in locis; quia non oportet dicere post adunationem duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Ego cum Patribus ejicior; ego defendo Patrum dogmata.*

A Et infrà, cùm Longini Chersonensium Episcopi recitatum esset suffragium in Synodo Constantinopolitana sub Flaviano, quò, post inhumanationem, ex duabus naturis adorare se Christum profitebatur; dixit Dioscorus: *Ex duabus suscipio, duas non suscipio.*

Et rursus, post interlocutionem Meliphtongi Heliopoleos Episcopi ex ejusdem Concilii Actis recitatam, dixit Dioscorus: *Ecce hoc reprehendo, quia post unionem non sunt duæ naturæ.* Sic palàm Eutychis errori suffragatus est. Hæc habentur Actione I. Concilii Chalcedonensis. In eadem Actione, cùm recitatum esset ex Ephesini Latrocinii monumentis Prædatoriam Synodum dixisse: *Si quis dicit duas, sit anathema:* Orientales Episcopi clamaverunt: *Nullus ista dixit: Dioscorus hæc dixit, Ægyptii ista dixerunt.* Neque Dioscorus, neque Ægyptii Episcopi hanc à se accusationem repellere curarunt: imò isti dixere audaciâ incredibili: *Ista tunc diximus, & nunc dicimus.* B

Nec solùm hæreseos reus probatus est Dioscorus, sed & contumaciæ erga sanctam Synodum Chalcedonensem. Tertiò namque vocatus ad judicium, sistere se renuit: ut Actionis tertiæ monumenta demonstrant.

C Variæ in eadem Actione accusationes adversùs Dioscorum prolatæ sunt. Primùm Theodori Diaconi libellus lectus est, qui è Militum schola, in qua 22. annis meruerat, à S. Cyrillo in Clericorum ordinem adlectus fuerat. Cyrillo vitâ functo, Dioscorus ad Alexandrinum Episcopatum promotus, ejus nepotes & amicos exagitavit, atque inter hos Theodorum, quem fuerat benevolentiâ singulari prosecutus sanctus Patriarcha. Unde Theodorus ille datâ occasione suas ad Synodum querimonias detulit, quibus Dioscorum Origenianæ hæreseos, & prolatarum adversùs sanctam Trinitatem blasphemiarum, homicidii, incendiorum, latrocinii & D tyrannidis, vitæ demùm turpissimæ accusavit, seque ad horum omnium probationem, sub talionis periculo obstrinxit. Addidit, quod gravissimum adhuc erat, latam ab eo Nicææ excommunicationem adversùs S. Leonem Pontificem Maximum, ausu planè insolenti. *Nihil*, inquit, *arbitratus, quod ab ipso in sanctæ memoriæ Flavianum commissum est, . . . Excommunicationem faciens contra Sanctissimum & Beatissimum Magnæ Romæ Episcopum, suasit subscribere eis, qui cum ipso de Ægypto exierunt, sanctissimis Episcopis, plus minùs numero decem, aliquoties comminatus, aliquoties volentes decipiens: unde illachrymantes & gementes, nefandæ illi chartæ subscripserunt.* E Petiit deinde Theodorus sub custodia detineri testes, qui istorum facinorum convincere Dioscorum poterant, ne fortè fugerent è Concilio.

Lectus est postea Libellus Ischyrionis Diaconi Alexandrini adversùs eumdem Dioscorum, quò ipsum accusabat publicæ tyrannidis; incredibilis avaritiæ, scortationis & luxuriæ. Quoad primum Caput; objecit primò ipsum coëmisse frumentum, quod Imperatorum liberalitate Ecclesiis Lybiæ præstabatur tum ad incruenti Sacrificii usum, tum ad pauperum & peregrinorum solatium, quod vilissimo comparatum pretio, grassante fame, carissimo F venderet. Objecit secundò, quòd cùm Peristeria mulier clarissima magnum auri pondus Monasteriis & Xenodochiis supremâ volontate legasset, indignè ferens Dioscorus quòd nullarum pecuniarum ipsum conscripsisset hæredem, jussit illas nobilis piæque mulieris oblationes scortis & histrionibus distribui, ita ut nec incensum quidem ex illis Deo adoleretur. Quoad alterum accusationis caput, ait; Nemini non esse notum per Ægyptum universam, quam frequenter & in Episcopio, & in balneo ejus impudicæ mulieres deliciis immergerentur, præser-

 tim

tim famosissima quædam Pansophia Alexandrinæ plebi nimis nota. Addidit, quod tertium erat accusationis caput, multa homicidia ipsius nutu, vel occasione perpetrata. Conquestus est demùm de crudelitate Dioscori in seipsum sacræ Synodo Supplicantem: quòd scilicet, cùm exosus ipsi esset ob Sancti Cyrilli gratiam & familiaritatem, quâ fuerat usus, ipso è vivis sublato, perditos Manachos, & alios ganeones in prædia illius misisset, qui ea diruerent, vastarent, incenderent. Quin etiam Diaconos, & Presbyteros qui ipsi necem inferrent.

Post hæc, lectus est Libellus Athanasii Presbyteri Alexandriæ adversùs Dioscorum. Hic Athanasius erat S. Cyrilli Alexandrini ex sorore nepos. Moriturus Cyrillus amplissima dona Successori suo, quisquis ille esset ex propriis bonis, condito testamento, legaverat; conjurans eum per venerabilia & terribilia Mysteria, ut suum foveret genus, & in nullo suis molestiam crearet. Porrò Dioscorus in locum Cyrilli creatus Episcopus, ejus Nepotes Alexandria fugere compulit; Constantinopolim secedentes in carcerem detrudi curavit, bonis spoliavit omnibus, quæ ipsis à Cyrillo hæreditario jure obtigerant; domos ipsorum in Ecclesias convertit, exegit ab ipsis quadringentas plus minùs auri libras, quibus solvendis cùm satis non essent, gravissimo ære alieno sese multis fœneratoribus obstrinxerunt, & ad mendicitatem sunt redacti. Hæc querelarum Athanasii summa capita. De hac Dioscori in S. Cyrilli hæredes sævitia Liberatus Diaconus, *cap. 11. Breviarii*, scripsit: Ipsum Alexandrinæ plebis amorem sibi conciliasse, quia *Opprimens Cyrilli hæredes, & per calumnias, multas ab eis auferens pecunias, dedit eas sine fœnore artopolis, & cauponibus civitatis, ne mundissimum panem & pretiosissimum vinum, viliori pretiò, populis exhiberent.*

Lectus denique est Libellus à Sophronio Laico porrectus contra ipsum etiam Dioscorum. Infelix ille Sophronius uxorem suam à Macario Alexandriæ Curiali raptam doluerat. De hoc Macarii facinore apud Imperatorem queribundus, Decreta obtinuit à Præfectis, quorum executio Theodoro, ex amplissimo Officio demandata est. Verùm Dioscorus omnia ausus, nulla Regiorum Mandatorum habitâ ratione, æquissimi Edicti executionem prohibuit, *Suam magis Provinciam, quàm Imperatorum esse*, dicens. Neque verò his limitibus coërcitus est Dioscori furor. Isidorum Diaconum cum satellitum agmine in Sophronium immisit, qui vitam ipsi eriperent, & Executorem Regii Edicti ex amplissimo Officio delegatum, in fugam compellerent. Quin etiam Diaconus ille Dioscori satelles, omnes Sophronii facultates diripuit; adeò ut cum sua prole nudus & inops fugere cogeretur.

His de excessibus Dioscorum coram Synodo accusavit Sophronius. Ipsum insuper hæreseos, blasphemiarum, & læsæ Majestatis postulavit. Quippe cùm Sacra Laureata * pro felicitate orbis terræ in Alexandrinam Civitatem introissent, multas dispersit pecunias per Agorastum, Timotheum, & alios, ut ea ex Civitate pelleret. Molestè enim ferebat quòd Imperator solenniter orbis Dominus proclamaretur. Usurpare quippe volebat sæcularem etiam in Ægyptiaca Diœcesi potestatem, & ibi Imperatorem agere.

Sacra Laureata, sive Laureatæ erant statuæ Imperatorum, quæ statim atque Augustam Dignitatem accepti erant, mittebantur in Provincias, ut à populis solemni pompa exciperentur. Vide Cangium in Glossario.

His quæ instructionem causæ Dioscori spectant, præmissis; exponendum est, an ob crimina tantùm gravissima, an etiam ob hæresim damnatus fuerit.

PROPOSITIO.

Dioscorus in Synodo Chalcedonensi damnatus præcipuè est, quod hæreticus fuerit, quod S. Leonem excommunicare ausus sit, & quòd morem Concilio non gesserit.

Probatur 1. ex sententia in ipsa latâ à Legatis Sedis Apostolicæ Actione 3. quam probavit sacra Synodus. Per eam enim Episcopali exuitur Dignitate, primò, *Quia Eutychem similia sibi sapientem, & regulariter à proprio damnatum Episcopo, præsumens sibi Primatum, irregulariter in Communionem suscepit, priusquam consederet in Ephèso cum sanctissimis Episcopis.* Secundò, *Quia Beatissimi Papæ Leonis Epistolam, scriptam ad sanctæ memoriæ Flavianum legi non permisit.* Tertiò, *Quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit: præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversùs sanctissimum & Beatissimum Archiepiscopum Magnæ Romæ Leonem.* Quartò, *Quia semel, secundò, & tertiò per Dei amantissimos Episcopos regulariter vocatus, ut minimè voluit obedire. Unde*, inquiunt Legati, *Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus Magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, unà cum ter beatissimo & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatûs Dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit Ministerio.*

Probatur 2. ex Actione 6. Concilii Chalcedonensis, in qua post festivas Patrum ad Imperatorem acclamationes, ab omnibus uno ore inclamatum est: *Nestorio, & Eutychi, & Dioscoro anathema. Trinitas hos tres damnavit, Trinitas hos tres ejecit.* Quo ex Anathemate palàm fit Dioscorum ob hæresim etiam esse damnatum.

Probatur 3. ex Synodo Chalcedonensi in Relatione ad S. Leonem. *Ee erat utique*, inquit, *adversarius tanquam bestia extra caulas apud semetipsum rugiens, nullum prævalens capere, nisi semetipsum ei ad capiendum injecisset is, qui Alexandrinorum quondam Pontifex fuit. Qui multa priùs pessimè operatus, priora sequentibus superavit. Nam beatum illum inter Sanctos Constantinopolis Pastorem Flavianum, Apostolicam proferentem Fidem, & Dei amantissimum Episcopum Eusebium, præter omnem Canonum consequentiam deposuit atque damnavit; & Eutychem pro impietate damnatum, suæ tyrannidis decretis innoxium statuit; & dignitatem, quæ à vestra illi ablata fuerat Sanctitate, ille restituit.... Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum qui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas. Et dum de talibus pœnitere eum potius oporteret, tanquam de bonis (male sobrius) exultabat, Epistolam quidem tuæ respuens Sanctitatis, omnibus verò dogmatibus veritatis adversans.... Eum cum fraterna mansuetudine ad judicium vocabamus..... Sed ille in semetipso inscriptam convictionem conscientia habens, refutationis judicii accusationibus suis assensis, & legitimas ad se factas tres evocationes abjecit. Propterea ergo decretum, quod ipse contra semetipsum peccando protulerat, firmavimus, Lupum Pastorali pelle nudantes.*

Probatur 4. ex S. Leone Epistola 61. * ad Episcopos qui in Synodo Chalcedonensi fuerant congregati, ubi ait, non solùm per Legatos qui vices ejus in Concilio exequebantur, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam cum ipsis se unisse sententiam, *In sola videlicet causa fidei: ut damnatis hæreticis qui corrigi noluissent, nulla penitus resideret de vera Incarnatione Domini nostri Jesu Christi dubitatio. Unde*, inquit, *si quis unquam ausus fuerit vel Nestorii tueri perfidiam, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, à Catholicorum communione rescecetur: nec habeat ejus corporis participationem, cujus abnegat veritatem.*

In Edit. Quesnel. 59.

Idem sanctissimus Pontifex Epistola 63. ad Theodoretum data, * Dioscorum cum multorum aliorum scelerum, tum hæreseos reum fuisse, & propterea damnatum,

In Edit. Quesnelli 63.

damnatum, non minùs disertè significat. *Qui nos*, inquit, *persequendo afflixit, cæteros ad consensum sceleris impellendo depravavit. Sed nec nos, licet in singulis fratribus, quia membra nostra sunt, vulnerasset: à speciali dolore fecit exceptos, quibus novâ & inauditâ priùs atque incredibili audaciâ inferre contra summ caput est molitus injuriam. Sed utinam vel post tot pessima resipiscens, non nos etiam de suo æternæ damnationis interitu contristasset. Quam mensuram sceleris prætermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quòd nec vivis parcendo, nec mortuis, etiam in sanguine innocentis & Catholici Sacerdotis pollutas jampridem, addictâ veritate, atque approbatâ falsitate, manus intinxit? ..... Dignus diabolici prædicator erroris, Ægyptius Vastator inventus est: qui tanquam sævissimus Tyrannus Ecclesiæ, nefandas blasphemias per violentum seditiosorum turbam, & per cruentas manus Militum venerandis Fratribus imponebat. Et cùm voce Redemptoris nostri firmatum sit, unum eumdemque homicidii esse & falsitatis Autorem: ille pariter utrumque complevit...., Igitur dum sanctæ memoriæ Flavianum vitam præsentis sæculi molirentur auferre, se vera vitæ luce privavit; dum vos ab Ecclesiis vestris conaretur expellere, se à Christianorum collegio segregavit. Dum trahit plurimos & impellit ad erroris assensum, multiplici animam suam vulnere sauciavit: solus ultra omnes, & per omnes, ac pro omnibus reus, qui causa reatus omnibus fuit.*

Et Epistola 52. * ad Episcopos Galliarum, ait in sancta Synodo Chalcedonensi *Dioscorum quoque Alexandrinum in sua impietate damnatum: ne illa Ecclesia, quæ inter ipsa Evangelii principia Beatum Marcum Beatissimi Petri Apostoli discipulum, in omnibus utique Doctoris sui magisterio consonantem habuit fundatorem, quæque posteà recentioribus à nostra ætate temporis Athanasium, Theophilum, & proximè Cyrillum probatissimos Præsules habuit, indignam captivitatem sub Hæretici damnatione pateretur.*

* 97. In Edit. Quesnelli.

Et Epistola 66. * ad Liciniam Eudoxiam Augustam data: *Fides*, inquit, *Catholica sicut damnat Nestorium, qui in uno Domino nostro Jesu Christo duas ausus est prædicare personas, ita damnat etiam Eutychem, cum Dioscoro, qui ab unigenito Deo Verbo negat in utero Virginis Matris veritatem carnis humanæ susceptum.* Ex quibus omnibus perspicuum est, Dioscorum à Concilio Chalcedonensi fuisse etiam propter hæresim damnatum, & damnationem ejus à S. Leone confirmatam.

* 96. In Edit. Quesnelli.

Probatur 5. Propositio testimoniô Symmachi Pontificis Maximi, Epistola 9. ad Orientales datâ. *Ubi terrarum*, inquit, *non prædicatur congregatio sancti Chalcedonensis Concilii, quæ Eutychetem & Dioscorum duo nomina famosa, & magnæ perfidiæ, unius sententiæ integritate damnavit, iniquitatis complices, uno Spiritu divinis dogmatibus adversa sectantes?* Ex hoc testimonio liquet, non minùs propter hæresim damnatum Dioscorum, quàm Eutychen.

Objicies Anatolii Constantinopolitani Archiepiscopi interlocutionem Actione 5. Concilii Chalcedonensis: In qua cùm circa Formulam Fidei aliquod ortum esset dissidium, ob prætermissa quædam S. Leonis verba, quæ isti Formulæ inseri Legati Sedis Apostolicæ postulabant: Illustrissimi Judices dixerunt: *Dioscorus dicebat, Propter hoc se damnasse Flavianum, quia duas naturas dicebat esse: Definitio autem, Ex duabus habet naturis.* Statim interlocutus est Anatolius dicens: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni: & tertiò vocatus est, & non venit, & ideò damnatus est.* Non est igitur damnatus Dioscorus propter hæresim.

Respondeo 1. hæc verba imprudenter excidisse Anatolio, quòd colligitur ex Actione 5. Concilii Chalcedonensis, in qua Illustrissimi Judices sic interlocuti sunt: *Dioscorus ait: Quod ex duabus naturis est, suscipio, duas non suscipio. Sanctissimus autem Archiepiscopus Leo duas naturas dicit esse in Christo, inconfusè, inconvertibiliter, & indivisibiliter unitas in uno unigenito Filio Salvatore nostro. Quem igitur sequimini? Sanctissimum Leonem, an Dioscorum?* Ad hæc cùm nihil reposuerit Anatolius, meritò conjicitur, prioris interlocutionis verba, quibus Dioscorum propter fidem non fuisse damnatum asseruit, imprudenter ipsi excidisse.

Respondeo secundò, id Anatolium dixisse aliquo studio partium, quia Dioscoro favebat nonnihil, cujus Archidiaconus & Apocrisiarius fuerat. Ordinatus etiam fuerat ab ipso Constantinopolitanus Archiepiscopus. Quam Ordinationem suam ut à variis calumniis defenderet, dixit Dioscorum propter fidem non fuisse damnatum. Porrò unius interlocutionis habenda ratio non est in Conciliis, nisi à Patribus probetur. Inde tamen minimè inferendum est Anatolium hæresi favisse Eutychis ac Dioscori, cùm post Ordinationem suam absolutissimam fidei professionem ad S. Leonem miserit, & Eutychem, Dioscorumque in Concilio Chalcedonensi, cum aliis Patribus, damnaverit. Audiendus hâc de re Facundus Hermianensis lib. 5. cap. 3. *De interlocutione quoque S. Anatolii*, inquit, *quam super Dioscori persona protulit respondemus: Quia non ad hæresis crimen pertinere dicendum est, aliquâ parte cum Dioscoro benè sensisse. Non enim ipsam perfidiam Dioscori S. Anatolius approbavit, sed eum potius ab ipsa perfidia fieri voluit excusatum. Aliud est enim ideò hæreticum excusare quòd Catholicus putetur, & aliud ipsam hæresim approbare atque defendere: Quemadmodum aliud est ideò accusare Catholicum quòd hæreticus putetur, & aliud ipsam improbare ac reprehendere Catholicam Fidem. Nam potest castitatis approbator atque dilector, non approbatâ fornicatione, fornicatorem, dum in persona fallitur, approbare, & non improbatâ castitate, castum, dum in persona similiter fallitur improbare. Postremò sicut non ideò Eutychiani sui dogmatis crimine defenduntur, quia putantes antiquos Patres id credidisse, quod ipsi pessimè credunt, approbant eos quorum fidem impugnant: ita non ideò sancto Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impingendum est, quòd Dioscorum vel putavit, vel excusavit; quasi à culpa Eutychiani dogmatis alienum, cùm ipsum dogma Eutychianum confutaverit, atque damnaverit.*

Respondeo tertiò, Anatolium id dixisse, non quòd obscurum esset Dioscorum in Eutychis hæresi fuisse, quam apertè defenderat; sed quia, ut Legati Sedis Apostolicæ, sententiam in eum proferentes disseruot, ignosci ei poterat, sicut cæteris Episcopis, qui illô duce peccaverant, nisi secundis excessibus, ac præsertim excommunicatione latâ in S. Leonem, priora crimina cumulasset. Sic Anatolii de Dioscoro interlocutionem explicat Adrianus II. Pontifex Maximus in Epistola ad S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, recitatâ Actione tertia Synodi 8. Oecumenicæ. *Universalis Chalcedone habita Synodus adeò hujusmodi temeritatem detestata est:* (excommunicationem scilicet Romani Pontificis à Dioscoro tentatam) *ut in sententia, quam in Dioscorum protulit, hoc maximè memorare videantur, cùm de ipso dicit: Secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit; præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversus Sanctissimum ac Beatissimum Archiepiscopum Magnæ Romæ Leonem. Priorem autem iniquitatem, pravitatem atque dixit hæreticam. Unde nota, quòd Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata perpetravit, etiam hæresim Eutychianam valdè transcendisse refertur. Hinc & Anatolius ait: Propter Fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni.*

Anatolii interlocutionem paulò aliter explicat Leontius

Leontius *libro de Sectis, Actione 6.* ubi respondet Acephalorum objectioni adversùs sanctam Synodum Chalcedonensem, quòd dixisse videretur, Dioscorum non propter fidem esse damnatum. *Rectè ergo sentiebat Dioscorus, inquiebant, & malè eum Synodus abdicabat. Talem verò Synodum, quò pactò nos approbare possimus?* Huic objectioni ut respondeat Leontius, exponendum ait quâ occasione id in Synodo prolatum fuerit. *Sciendum ergo*, inquit, *collectis Chalcedone sexcentis & triginta Patribus, posteaquam Dioscorum abdicassent; eis deinceps visum fuisse, ut Fidei Definitio, Doctrinaque Formula conficeretur. Itaque præcipui ex eis seorsum congressi, Definitionem pronuntiaverunt, quam Asclepiades Synodo recitavit. Ea Definitio verbum illud continebat, Ex naturis duabus. Quod ubi recitatum fuisset, ingens inter Episcopos extitit dubitatio. Proceres verò quos Imperator moderandæ Synodi caussâ miserat, cum Episcopos hæsitare viderent, si eos allocuti sunt: Dioscorus hanc vocem, Ex duabus naturis, usurpavit. Sanctissimus autem Leo Christum in duabus naturis citrà mutationem, confusionem, divisionem dixit. Quem sequimini? Dioscorum, an Leonem? Ibi consurgentes universi dixerunt: Sicut Leo credimus. Anathema Dioscoro. His & aliis quibusdam promuntiatis, quemadmodum in Actis est, Anatolius Patriarcha dixit, Non propter fidem depositus est Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit B. Leoni, tertioque vocatus à Synodo, non venit. Quæ cùm ita sint, duo quædam objiciunt Ecclesiæ dubia qui Hæsitantes vocantur: Primò si hæc Synodus non propter fidem Dioscorum depositum dixit, cur nos rejicis? Sic enim credimus ut ille credebat. Respondemus autem; Si veritatem quis consideraverit, non propter fidem abdicatum esse Dioscorum, nec illam fuisse depositionis ejus caussam. Quippe nec adiit propterea Synodum ut hoc nomine de ipso judicaretur, sed quoniam revera tertio vocatus, venire recusavit. Si tamen venisset, etiam propter fidem fuisset abdicatus. Nihilominus ad ista respiciens Anatolius dixit: non propter fidem depositum esse Dioscorum.*

Respondeo 4. hanc Anatolii interlocutionem veram esse aliquo sensu, habitâ scilicet ratione sententiæ prout Dioscoro significata est: nulla enim in ea hæreseos mentio: non verò prout lata est à Legatis. In ea enim satis notatur Dioscori hæresis, cùm *Eutychi similia sapere dicitur*, & *secundis excessibus priorem iniquitatem*, id est, pravitate hæreticam *valdè transcendisse*. Quanquam & in sententia ad Dioscorum missâ implicitè & hæresis ipsa, & alia crimina ipsius significantur: sola autem disertè exprimitur contumacia. Sic enim habet: *Cognosce teipsum, propterea quòd divinos Canones despexisti, & inobediens extitisti huic sancto & universali Concilio: superque hæc, præter alia tua commissa; quibus inventus es reus, etiam tertiò evocatus ab hac sancta & magna Synodo, secundùm divinas regulas, ut accusationibus responderes, minimè occurristi, Octobris mensis præsentis 13. die à sancto & universali Concilio esse ab Episcopatu depositum, & ab Ecclesiastica functione submotum.* Sed licet non fiat diserta mentio hæreseos à Dioscoro assertæ, in illa sententia, non sequitur quòd propter hæresim non fuerit damnatus. Alioqui sequeretur quòd propter illatam S. Leoni excommunicationem damnatus non fuisset, quia illam caussam disertè non exprimit sententia, quod tamen pugnat cum ipsius Anatolii interlocutione.

Objicies secundò verba Justiniani Imperatoris in Confessione Fidei adversùs Tria Capitula, dicentis. *Quis ignorat ea quæ nostris temporibus in Ecclesia antiquioris Romæ contra Dioscorum acta sunt? Qui cùm nihil contra fidem peccasset, tamen propter solum Ecclesiasticum ordinem, post mortem ab eadem sancta Ecclesia anathematizatus est.*

Respondeo, decipi, quisquis id objicit, æquivocatione nominis, & Dioscorum Alexandrinum Patriarcham, qui Sæculo 5. ineunte vivebat, quique à Chalcedonensi Concilio vivens damnatus est, incautè confundere cum Dioscoro Antipapa, qui initio sexti Sæculi vivebat, & qui post mortem, in Concilio Romano sub Bonifacio II. anno 530. anathemate confossus est. Id ut intelligatur, operæ pretium est animadvertere, illius Dioscori damnationem eo tantum consilio à Justiniano proferri, ut mortuos anathemate percelli posse demonstret. Quod ubi probavit testimonio S. Augustini dicentis: *Si vera essent ea quæ Cæciliano inferebantur, & manifestatus esset contrarium aliquid Ecclesiastico statui sapuisse; etiam post mortem cum anathemati subjicerem.* Et Canone Synodi Africanæ statuentis, *Episcopos, qui suas facultates in testamento, vel ab intestato Hæreticis relinquunt, oportere & post mortem anathematizari*: His subjicit Justinianus exemplum Dioscori, verbis in objectione laudatis. Tum ita colligit: *Si igitur nihil in fidem peccantes Episcopi, propter solum Ecclesiasticum ordinem, & propter causam pecuniariam anathemati & post mortem subjiciuntur: quantò magis Theodorus qui in ipsum Deum peccavit?* Ex quibus compertum est, laudatum Justiniani locum de Dioscoro Alexandrino intelligi non posse: primò quia non probasset, quod pertendebat, scilicet mortuos anathemate percelli posse, qui viventes damnati non fuerint: siquidem Dioscorus Alexandrinus vivens damnatus fuerat à Concilio Chalcedonensi. Secundò, quia loquitur Justinianus de re quæ recèns Romæ gesta erat: *Nostris*, inquit, *temporibus, in Ecclesia antiquioris Romæ.* At centum jam anni effluxerant à Dioscori Alexandrini damnatione in Synodo Chalcedonensi. Tertiò, quia Justinianus in illo de Dioscoro loquitur, qui post mortem anathemate confossus est, *Propter caussam pecuniariam*: quod Alexandrino Dioscoro minimè convenit. Dioscorus porrò ille de quo Justinianus loquitur, ille est, qui sub Hormisdæ Pontificatu cum Germano & Joanne Episcopis Constantinopolim missus Legatus, Orientalium Ecclesiarum cum Romana conciliationem procuravit: qui Pontificem Hormisdam adversùs Monachos Scythas commovit, propter hanc propositionem; *Unus de Trinitate crucifixus est*: qui adversùs Bonifacium II. Antipapa electus est: qui cùm creationi suæ paucis diebus superstes vixisset, mortuus à Bonifacio II. anathemate confossus est. De eo Dioscoro Justinianum loqui, constat ex 5. Synodo, Actione 5. *Sed etiam Romanorum Ecclesia*, inquit, *ante paucos annos, Dioscorum, qui fuit Papa ejusdem Ecclesiæ, & post mortem anathematizavit, cùm nec in fidem peccasset: & hoc sciunt omnes qui degunt Romæ, maximè qui in Dignitatibus existunt: qui etiam eidem Dioscoro communicatores permanserunt usque ad ejus mortem.*

DISSERTATIO XIV.

De Disciplina erga Theodoretum observata Actione 8. Concilii Chalcedonensis.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Theodoretus Nestorium cum ejus Hæresi damnare meritò coactus sit à Chalcedonensi Synodo?

Theodoretus pace inter Orientales & S. Cyrillum post Synodum Ephesinam sancitâ, à primarum Sedium Episcopis ad communionem fuerat admissus. A Dioscoro in Prædatoria Synodo Ephesina exinde depositus, S. Leonem appellaverat, ut constat

constat ex Epistolis ipsius 113. & 116. ad Sanctissimum Pontificem, & ad Renatum Diaconum datis, in quibus & fidem suam disertè exposuerat, seque à Nestorianismi labe purgaverat: cum in suam communionem receperat S. Leo, eique restituerat Episcopatum, à quo fuerat per Dioscori tyrannidem dejectus. His faventibus præjudiciis, in Synodum Chalcedonensem susceptus est, ex Decreto Imperialium Judicum: sed Ægyptiis, Illyricianis, & Palæstinis Episcopis ipsum conclamantibus hæreticum & Nestorianum, ejusque ejectionem è Synodo magno tumultu postulantibus, visum est Magistratibus, ut, suis aliorumque salvis juribus, accusatoris, non verò Judicis locum obtineret, ut ex Concilii Chalcedonensis Actione 1. compertum est.

Actione 8. Synodi, ejus causa revocata est ad examen, & ut ab hæreseos suspicione, quâ nondum erat apud Ægyptios, aliosque Antistites liberatus, se purgaret, placuit Patribus, ut palam diceret anathema in Nestorium. *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Tu ad rectum modo anathematizet Nestorium.* Theodoretus in medio se sistens, ad fidei & innocentiæ suæ defensionem se paravit, & ut ordine procederet, postulavit ut libelli supplices, quos Imperatori, & Legatis Apostolicis obtulerat, legerentur: ex iis enim Fidei suæ probandam integritatem. Sed Patres compendiosiorem ineuntes viam, hæc Instrumenta relegi noluerunt, cùm dicto in Nestorium anathemate totum negotium confici posset, ejusque orthodoxia planè probari. *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Nihil relegi volumus: modo anathematiza Nestorium.* Theodoretus reposuit: *Ego per Dei gratiam ab orthodoxis sum nutritus, & orthodoxè sum edoctus, & orthodoxe prædicavi: & non solum Nestorium & Eutychem, sed & omnem hominem qui rectè non sapit, aversor, & alienum existimo.* Nonnihil ambiguitatis in his verbis adhuc subesse, Patribus visum est: unde rursùs ab eo postularunt ut *Clarè diceret, Anathema Nestorio, & dogmatibus ejus: Anathema Nestorio, & amantibus eum.* Reposuit Theodoretus: *Vere non dico, nisi quò modò novi Deo placere. Prius satisfacio vobis, quia neque de Civitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adveni: sed quia calumniam passus sum, veni satisfacere me esse orthodoxum. & omnem hæreticum qui converti noluerit, anathematizo: & quia Nestorium, & Eutychem, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos Filios anathematizo.* Sed hæc formula visa est insufficiens Patribus, iisque tot verborum ambages adhibitæ visæ sunt ad faciendum sanctæ Synodo fucum. *Et cum diceret, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Dic apertè Anathema Nestorio, & qui ea, quæ ejus sunt, sapiunt.* Ille priùs fidem suam coram Synodo exponere aggressus est. *Ego*, inquit, *nisi exposuero quomodo credo, non dico. Credo autem.* Istud Theodoreti consilium tergiversationi, & parum sinceræ fidei tribuentes Patres, ipsum his vocibus interturbarunt: *Iste hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mitte.* Theodoretus diutiùs non passus pro hæretico se haberi: morem gessit sanctissimæ Synodo, & hâc formulâ Nestorium & ejus hæresim damnavit, quæ nullam ulteriùs de ejus orthodoxia dubitationem relinqueret. *Anathema Nestorio*, inquit, *& ei qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium Unigenitum. Ego autem & fidei Definitioni subscripsi, & Epistolæ sanctissimi & Deo amantissimi Archiepiscopi Domini Leonis; & sic sapio.* Cùm hæc dixisset Theodoretus, Illustrissimi Judices dixerunt: *Omnis jam dubitatio de Theodoreto Reverendissimo Episcopo est soluta: quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit, & à sanctissimo & Dei amantissimo Archiepiscopo senioris urbis Romæ Leone susceptus est; & Definitionem fidei à Religiositate vestrâ prolatam libenter suscepit; & insuper Epistolæ memorati sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur ut Sententia proferatur à Reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & Sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit.* Ut finem dicendi fecere Judices, universa Synodus Theodoretum dignum Sede, utpote orthodoxum pronuntiavit. *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede, Ecclesia orthodoxum, Ecclesia Pastorem recipiat. Theodoreto Catholico Doctore reddatur Ecclesia.* Tum Sedis Apostolicæ Legati sententiam pro Theodoreto tulerunt hoc tenore: *Sanctissimum & Venerabilem Episcopum Theodoretum sanctissimus & beatissimus universæ Ecclesiæ Episcopus urbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit, sicut litera ab eo ad nostram humilitatem directa testantur. Si igitur Fidem Catholicam, sicut promisit, & secundùm prædictum beatum Episcopum subscriptionem in proprio Libello direxit, & nostra insuper humilitati alio datu Libello monstravit; quoniam & Nestorium, & Eutychem, non solùm scriptò, sed & sub præsentia totius consessûs, ore proprio anathematizavit; hoc Judicio sanctissima & venerandissima Synodus, insuper verò & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam propriam definivit.*

Hæc in causa Theodoreti gesta sunt, ut constat ex serie Actionis 8. Synodi Chalcedonensis. An verò justus fuerit hic agendi cum Theodoreto modus, Propositio sequens exponet.

PROPOSITIO.

Theodoretus, etsi à Romano Pontifice ad communionem ut Catholicus fuisset admissus, ut tamen ab hæreseos suspicione plenè se purgaret, hæresim, & hæresis Auctorem, quemadmodum & cæteri, quorum fides erat suspecta, facere consueverant, in Synodo damnare meritò coactus est.

Probatur primò ex consensu Legatorum S. Leonis, & omnium Orientalium Episcoporum Theodoreto faventium, qui passi non essent Episcopum, qui communionis Romani Pontificis jam factus erat particeps, ejusque judicio Sedi suæ restitutus, cujus fidei integritati Antiochenus Patriarcha suffragabatur, quique Epistolæ S. Leonis semel & iterum subscripserat, iterum ad fidei suæ sinceritatem probandam compelli dictò anathemate in hæresim, & hæresis Auctorem, si hic agendi modus & Romani Pontificis auctoritati, & Ecclesiasticæ Disciplinæ contrarius fuisset.

Secundò. Illyricianorum Episcoporum, qui unà cum Ægyptiis & Palæstinis Theodoretum hæreticum & à Synodo pellendum proclamabant, dux erat & caput Thessalonicensis Episcopus, qui cùm Romani Pontificis vices in Illyrico gereret, totus ex ejus nutu pendebat: nec tamen Sedis Apostolicæ judicium, quô Theodoretus in Communionem & Episcopatum restitutus erat, obstare credidit, quominus ejus fides à Synodo Chalcedonensi iteratô examine discuteretur.

Tertiò. S. Leoni non displicuit quòd ita cum Theodoreto actum esset, imò Theodoreto gratulatus est, quòd ab invincibili veritate omnis hæreseos immunis demonstratus esset, quòd Apostolicæ Sedis de ipso judicium fuisset confirmatum; quòd denique illud unum optandum esset, ut talem se, qualem antea probaverat, pro Ecclesiæ defensione servaret. Id habetur ex Epistola 63. sive 93. S. Leonis ad Theodoretum, cujus hæc sunt verba: *Benedictus Deus noster, cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te, secundùm Sedis Apostolicæ Judicium demonstravit. Cui dignam retribuens pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probavimus, ac probamus, pro universalis Ecclesiæ defensione*

defensione servaveris. Nam quòd Deus omnium cadentium ostorum fallacias solvit, maximam B. Petri curam pro cunctis nobis agnoscimus: qui postquam suæ Sedis judicium in Fidei Definitione firmavit, nec circa cujusquam vestrùm, qui nobiscum pro Catholica Fide laborastis, personam, quicquam reprobum videri permisit: quia nec poterat, Spiritu Sancto judicante, quisquam ex eis non victor exire, quorum jam vicerat fides.

> Viri de hæresi suspecti semper coacti sunt subscribere damnationi non solùm hæreseos sed Auctorum, ex veteri Ecclesiæ Disciplina.

Quartò. Secundùm veteres Ecclesiæ mores, qui de hæresi suspecti erant, semper coacti sunt hæreseos, & Auctorum ejus damnationi subscribere, ut Catholicâ communione donarentur. Ea disciplina observata est erga Arianos, qui non solùm Arianæ hæreseos, sed & Arii ipsius damnationi subscribere compulsi sunt in Nicæna Synodo: & qui id recusarunt, Secundus & Theonas abdicati sunt, ex Theodoreto lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6.

Sic actum cum Origenistis, ex S. Hieronymo, Epistola 65. *Subscriptionem*, inquit, *tergiversantur, quæruntque suffugia. Alius; non possum*, inquit, *damnare, quod nemo damnavit. Alius; Nihil super hoc à Patribus statutum est; ut dum totius orbis provocatur auctoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantiùs: Quomodò*, inquiunt, *damnabimus, quos Nicæna Synodus non tetigit?* Et in Procemio Dialogi adversùs Pelagianos. *Si quis autem*, inquit, *falsò se infamari clamitat, & gloriatur nostra sentire, tunc veram fidei probabit assensum, cùm aperte & absque dolo adversa damnaverit; ne audiat illud Propheticum: Et in omnibus non est conversa ad me prævaricatrix soror Juda ex toto corde suo, sed in mendacio.*

Sic actum cum Pelagianis, qui & Ecclesiæ Decreto, & Honorii Imperatoris Sanctione, ad Aurelium Carthaginensem Episcopum directâ, compulsi sunt ad subscribendum & pravorum dogmatum, & Auctorum damnationi. *Religio tua*, inquit Honorius Imperator, *competentibus Scriptis universos faciat admoneri, scituros definitione testimonii sui, hanc sibi definitionem esse præscriptam, ut quicumque damnationi supra memoratorum, quò pateat mens pura, subscribere impiâ obstinatione neglexerint, Episcopatûs amissione mulctati, interdicta in perpetuum, expulsi civitatibus, communione priventur.* De ejusdem subscriptionis necessitate Aurelius ad Provinciæ Byzacenæ Episcopos ita scribit: *Ob hoc ergo tam necessaria Constitutio Christianorum Principum Caritatem vestram latere non debuit, & ad me ab eis delata literæ, quarum simul exemplaribus lectis, quemadmodum subscribere unusquisque vestrùm debeat, Dilectio vestra cognoscet.... Quò tum in suprædictorum hæreticorum damnatione omnium vestrùm fuerit integra subscriptio; nihil omnino sit unde ullius vel dissimulationis, vel negligentiæ, vel occulta forsitan pravitatis, aliqua meritò videatur remansisse suspicio.*

Ea de re Marius Mercator in Commonitorio Imperatoribus oblatô, ita scribit: *Omnia supra scripta Capitula continet illa beatæ memoriæ Zosimi Epistola, quæ Tractoria dicitur, quâ Cælestius, Pelagiusque damnati sunt: quæ & Constantinopolim, & per totum orbem missa, subscriptionibus Sanctorum Patrum est roborata; cui Julianus, & reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solùm Imperialibus legibus, sed & Sacerdotalibus statutis depositi sunt.*

Eamdem S. Leo disciplinam servavit, ut constat ex ipsius Epistola 85. ad Septimium. *Qui se correctos videri volunt*, inquit, *errorem suum, & ipsos erroris Auctores damnari à se sine ambiguitate fateantur; ut sensibus pravis, & dudum peremptis nulla sperandi supersit occasio, ne ullum membrum Ecclesiæ sanam possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obviare.* Verùm quia hanc Epistolam supposititiam esse Viri Eruditi conjiciunt, ex genuina omnium judicio S. Leonis Epistola eamdem disciplinam probamus, quæ est 86. sive 6. in Editione Quenellii, data ad Aquileiensem Episcopum. *Hâc nostri auctoritate præcepti*, inquit, *industria tuæ fraternitatis indicimus, ut congregatâ apud vos Synodo Provincialium Sacerdotum, omnes sive Presbyteri; sive Diaconi, sive cujuscumque Ordinis Clerici, qui de Pelagianorum, Cælestianorumque consortio in communionem Catholicam eâ imprudentiâ sunt recepti, ut non priùs ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem, postea quàm hypocrysis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus suis superbi erroris Auctores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque Decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propriâ manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, quam à damnandorum soliditate discreverint, nihil sibi sensuum suorum æstiment esse non salvum.* Et infrà: *Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectaverit, sive ille Clericus, sive sit Laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti insidietur alienæ.*

Ita cum iis actum, qui Nestorianæ hæresos erant suspecti. Synodi enim Ephesinæ Patres Joanni Sacrarum Largitionum Comiti, urgenti ut Joannem Antiochenum & ejus asseclas in communionem reciperent, responderunt: *Fieri non possit ut ad hoc veniamus, nisi quod contra leges ab illis factum est, dissolvatur, ac Synodo, tanquam qui deliquerunt, supplices accidant, & Nestorium, illiusque dogmata scriptò anathematizent.* Id refert S. Cyrillus in Epistola ad Clerum & Populum Constantinopolitanum. Nec postea pax inter S. Cyrillum & Orientales constituta est, nisi eâ conditione, ut Nestorii depositioni, & dogmatum ejus damnationi subscriberent, ut constat ex Epistola S. Cyrilli ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur cæli. &c.*

Sic actum cum iis, qui Eutychianæ hæreseos in suspicionem venerant. Ita cum Anatolio egit S. Leo, ut constat ex ipsius Epistola 33. sive 32. *Sinceram communis Fidei Professionem*, inquit, *absolutissimâ subscriptione, coram omni Clero, & universa plebe declaret, Apostolicæ Sedi, & universis Domini Sacerdotibus, atque Ecclesiis publicandam.*

Et Epistola 77. sive 128. ab Attico Presbytero exigit subscriptionem, quâ hæreticos & eorum dogmata perspicuè damnet. Hæc sunt ejus verba ad Anatolium scribentis: *Neque in aliquo honorem suum læsi, cui discutienda ea quæ ad me erant perlata, commisi: ut scilicet Atticus Presbyter, quem talia audire cognoveram, nisi perfectâ se satisfactione purgasset, & non solùm voce hæreticos, sed etiam propriæ manûs subscriptione damnasset, à communionis gratia esset alienus. Qui Scripta mittendo dubia fidei, & professionis incerta, confirmavit magis quàm diluit quicquid ad nos de eo fama pertulerat..... Prædictus autem Atticus, ut ab omni suspicione contrariâ liber appareat, quid in Eutyche anathematizet ac damnet, evidenter ostendat, & in damnationem erroris expressi, remotâ omni dubitatione, subscribat: ita ut Chalcedonensis Synodi definitionem de Fide, cui tuam Dilectio tua subscribendo consensit, & quam Apostolicæ Sedis firmavit auctoritas, profiteatur se per omnia servaturum, adjectâ subscriptione propriæ manûs, quæ in Ecclesia, Christiano populo præsente, recitetur: ut pro Catholica Fide neque nos negligentes, neque ipse ultra suspectus habeatur, &c.*

Eamdem

Eamdem observavit postea disciplinam Hormisdas, qui Orientales in communionem non recepit, nisi postquàm Eutychem, Dioscorum, Timotheum Ælurum, Petrum Moggum, Petrum Fullonem, & qui cum duobus posterioribus communicaverat, Acacium, propriâ subscriptione damnarunt: ut constat ex Formula Fidei inserta ejus Epistolæ quinquagesimæ primæ ad Hispaniæ Episcopos.

Ex his colligitur, non injuriâ compulsum fuisse Theodoretum ad Nestorianæ hæreseos, & Nestorii ipsius damnationem: siquidem ab iis omnibus, qui hæreseos erant suspecti, exigi solebat, secundùm Ecclesiæ disciplinam, damnatio pravorum dogmatum & Auctorum, solenni subscriptione firmata. Suspectus autem erat Nestorianæ hæresos Theodoretus, ob impugnata S. Cyrilli Capitula duodecim in Nestorium, quorum impugnationem non retractaverat initâ pace inter Orientales & Cyrillum: & aliunde ægerrimè tulerat anathema dictum à Joanne Antiocheno in Nestorium, cui se addictissimum professus fuerat, licet Ephesinæ Synodi & totius Ecclesiæ consensu damnato, ut constat ex Epistola quam ad ipsum scripsit, & ex aliis ad Andream Monachum Constantinopolitanum, ad Andream Samosatenum, ad Himerium Nicomediensem datis, post conciliatam pacem inter Orientales & Cyrillum. Ita namque scripserat ad Andream Samosatenum Theodoretus de Sancto Cyrillo: *Exigit autem subscriptionem factæ dudum damnationis, & ut anathematizetur sancti Episcopi dogma Nestorii. Scit autem vestra Sanctitas, quod si quis indiscretè* (id est, absque restrictione & discretione ulla dogmatis & personæ) *doctrinam anathematizet ejusdem sanctissimi & venerabilis Episcopi, idem est ac si pietatem anathematizare videatur . . . . Existimo præ omnibus maximè satisfactum esse Domino meo Sanctissimo & venerando Joanni Episcopo, quòd nullatenus acquiescam in damnationem Domini mei sanctissimi & venerandi Nestorii Episcopi præbere consensum.* Et in Epistola ad Himerium Nicomediensem scriptâ, postquam rescivit Joannem Antiochenum anathematizasse dogma Nestorii. *Non*, inquit, *tuam lateat Sanctitatem, quòd postquam legi Epistolam, quæ Imperatori directa est, nimis animò dolui, quia manifestè cognosco quod is qui hanc scripsit, idipsum sentiens, indiscretè, atque iniquè damnavit eum, qui nihil præter doctrinam sanam novit aliquid & docuit. Sed Anathematismus insertus, licet idoneus sit ampliùs, quàm consensus damnationis ejus turbare lectorem, tamen quia non indiscretè sed sub quadam considératione positus est, solatium præstitit. Nec enim dixit, Anathematizamus doctrinam ejus; sed, Quæcunque aliter dixit, aut sensit, quàm Doctrina Apostolica continet.* Denique non injuriâ de hæresi suspectum fuisse Theodoretum, constat ex Sententia Quintæ Synodi Oecumenicæ, anathemate confodientis eos qui defenderint impia Theodoreti Scripta, quæ contra rectam Fidem, & contra sanctam Synodum Ephesinam, & S. Cyrillum, ejusque Capitula duodecim exposuit, & omnia quæ pro Theodoro & Nestorio impiis conscripsit. Justè igitur Chalcedonenses Patres Theodoretum compulerunt ad anathema Nestorio & pravis ejus dogmatibus dicendum, quo plenè se ab hæresos suspicione purgaret. Quamvis enim à S. Leone in communionem susceptus esset, timere poterant ne fortè obrepsisset Sanctissimo Pontifici.

Objicies. Subscriptionum exactionem S. Joannes Chrysostomus improbavit, suisque amicis suasit ne subscriberent: *Communicate*, inquit, *ne scindatis Ecclesiam: veruntamen nolite subscribere*. Igitur improbanda est subscriptionum exactio ab iis qui sunt hæreseos suspecti.

Respondeo, nego consequens. Hæc enim S. Chrysostomi verba non spectant speciem quâ de agimus, sed aliam omninò. Iniquè depositus fuerat S. Chrysostomus in Synodo ad Quercum. Injustam esse ejus exautorationem persuasum erat iis, quos alloquebatur, amicis. Petierant ab ipso quo modo se gerere deberent erga eos qui ipsum deposuerant, & erga eum qui in Sedem ejus esset intrusus. Sanctum penitus consilium ipsis dedit Sanctissimus Antistes, ut scilicet communionem eorum non vitarent, ne Schisma fieret; suæ tamen damnationi, quæ iniqua erat, nusquam subscriberent. At ex hoc perperam colligitur non esse exigendum ab iis, qui sunt hæreseos suspecti, ut hæresim, & ejus Auctorem anathemate configant, & propriâ subscriptione condemnent, idque injustè fuisse à Theodoreto postulatum.

Objicies secundò. Non tenebatur Theodoretus credere Nestorium Hæreticum esse; sed existimare poterat ipsius mentem non fuisse assecutos S. Cyrillum & Ephesinos Patres: Nestorium quippe unam in Christo personam confessum fuisse, & Beatam Virginem solùm negasse Matrem Dei ad sensum Pauli Samosateni, quasi Dei Filius initium ex Maria accepisset. Satis erat itaque ut Catholicus probaretur Theodoretus, ipsum dogmata, quæ Nestorio tribuebantur, disertè damnare, & opposita Fidei Catholicæ Capita clarè profiteri: nec erat opus ut ipsum feriret anathemate Nestorium. Quamobrem ad id ipsum præter jus adegisse videntur Chalcedonenses Patres.

Probatur major. Nemo tenetur credere Ecclesiam non errasse in damnatione alicujus Auctoris, vel libri. Cùm enim in quæstionibus facti non sit indeficiens Ecclesiæ judicium: & facti quæstiones sint, utrum hic vel ille Auctor, ita, vel secus senserit; utrum excerptæ ex ejus libris propositiones hôc vel illô sensu ab ipso assertæ sint: Ecclesiasticos Judices his in rebus falli proclive est.

Præterea, cùm hujusmodi facta nec in Scripturis sacris, nec in Traditione sint revelata, quæ solæ fidei nostræ regulæ sunt, evidens est ipsa non esse objecta Fidei. Potest igitur Catholicus de his opinari prout sibi persuasum fuerit humanis documentis, id est, librorum lectione & examine diligenti, vel etiam interrogatione Auctorum, si sint superstites. Non tenebatur itaque Theodoretus credere Nestorium esse hæreticum. Si autem id non credebat, imò si contrarium opinabatur, iniquè ab ipso exigebatur subscriptio, quâ Nestorium hæreticum esse contra mentem suam restaretur; & anathemate damnaret, quem existimabat orthodoxum.

Denique non magis tenebatur Theodoretus credere Nestorium hæreticum, postquam ab Ephesina Synodo damnatus est, quàm tenerentur Catholici credere Cæcilianum innocentem, & ejus accusatores calumniatores esse, post multiplex Ecclesiæ solenneque judicium, quô fuerat absolutus. Atqui necesse non erat ut Catholici crederent Cæcilianum sic absolutum innocentem esse, sed judicium suspendere suum poterant, ut ex S. Augustino probavimus in Dissertationibus 4. Sæculi. Theodoretus itaque non tenebatur credere Nestorium esse hæreticum, quamvis fuisset ab Ephesina Synodo damnatus.

Respondeo: Nego majorem, & ejus probationem. Quamvis enim in meri facti quæstionibus non sit indeficiens Ecclesiæ judicium, in eis tamen facti quæstionibus indeficiens est, quæ connexionem cum jure habent aliquam. Porrò quæstiones istæ, utrum Nestorii, vel alterius cujuspiam Scripta, ab Ecclesia nota hæreseos inusta, hæretica sint; vel Auctores ea pertinaciter propugnantes sint hæretici, non sunt meris de factis, sed cum juris quæstione aliquo modo connexæ sunt. Quæstio enim juris est, utrum Ecclesia propositionum Catholicarum & Hæreticarum sit judex? Esse Judicem, dogma est Fidei. At libri & Sermones dogmatici, Propositionibus

Ecclesiæ Judicium indeficiens est etiam in quæstionibus facti cum jure seu dogmate fidei connexæ.

nibus Catholicis, vel Hæreticis constant. Nisi ergo Ecclesiæ sit indeficiens judicium, cùm de libris judicat, & ex libris de Fide Auctorum dogmata in illis asserta pertinaciter propugnantium, deque eorum sensu; nullæ propositiones, de quibus orietur controversia, poterunt ab Ecclesia Catholicæ, vel Hæreticæ judicari; cùm nullæ sint quæ ex alicujus ore exceptæ non sint, vel ex Scriptis alicujus Autoris defloratæ, cujus mentem exprimunt, ac sententiam. Quæstio juris est utrum hæc propositio, *Beata Virgo Maria non est Deipara*, hæretica sit: Cum illa verò connexa est hæc facti quæstio, utrum Nestorius, cujus Scripta hanc propositionem perspicuè repræsentant, qui & eam ante & post Synodum Ephesinam pertinaciter propugnavit, sit hæreticus. Si enim Catholicus asseratur, propositionem Catholicam censeri necesse est. Itaque in quæstionibus facti Historiam humanam, vel Chronologicam spectantis, vel alicujus hominis vitam & mores, errare potest Ecclesia; sed in quæstionibus facti cum dogmate conjuncti, errare non potest. Facta autem sunt cum dogmate conjuncta, quòd hic aut ille Auctor, qui propositiones hæreticas palam editis libris vel sermonibus propugnavit, hæreticus sit: quia si propositiones sunt hæreticæ, non potest, qui illas pertinaciter propugnat, non esse hæreticus. Quamobrem si Ecclesiæ indeficiens judicium est, cùm propositiones hæreticas pronuntiat; (quæ juris & dogmatis quæstio est:) non est obnoxium errori, cùm judicat aliquem Auctorem vel librum has propositiones continentem, hæreticum esse: (quæ facti quæstio est, non meri, sed judicialis, cum dogmate conjuncti.)

Ecclesiæ judicio de quæstionibus facti cum dogmate connexis omnis Catholicus reverentiam, & obedientiam debet.

Ex hoc autem quòd hujuscemodi facti quæstiones non sint in Scripturis sacris, aut Traditione, revelatæ, rectè quidem colligitur illas non esse objectum Fidei divinæ; sed non sequitur quod objectum non sint reverentiæ Christianæ & obedientiæ Catholicæ, quæ in eo posita est, ut privatus quisque Catholicus Ecclesiæ judicium his de quæstionibus tanta cum reverentia, & obedientia suscipiat, ut se Ecclesia Matre, ac Summo Pontifice Christianorum omnium Patre & Doctore minùs perspicacem existimet, & illius menti ac judicio suum accommodet ac penitus subjiciat; imò ipsi, qui per Pontifices & Ecclesiam loquitur, Spiritui Sancto, quique hanc & illos dirigit in cognoscendo quorumvis Auctorum, qui de Fidei dogmatibus scripserunt, proprio sensu; sicut in vero sensu Scripturæ sacræ à falsis & erroneis interpretationibus discernendo (proportione servatâ.) Unde si quis *Nimis amando sententiam suam* (ut loquitur S. Augustinus *lib.* 2. *de Baptismo contra Donatistas*, *cap.* 5.) in Ecclesiæ judiciò de Auctoribus & Libris hæreticis acquiescere nolit, & anathemate damnare, quos damnat Ecclesia, meritò damnatur ipse, vel ut Hæreticus, vel ut Hæreticorum fautor, aut saltem ut communicator, utque *Vinculum sacrilegi Schismatis communioni præponens unitatis*: ut loquitur S. Augustinus. Unde etsi non credidisset Theodoretus tempore Chalcedonensis Concilii, Nestorium hæreticum fuisse, & propositiones ab Ephesina Synodo damnatas hæretico sensu ab eo propugnatas fuisse, debuisset nihilominus anathema dicere Nestorio, Ecclesia jubente; esto, non ut fidem suam de quæstione facti testaretur, tamen ut fidem suam integram esse probaret circa Dogmata Catholica, quæ Nestorius totius Ecclesiæ judicio, in quo Theodoretus acquiescere tenebatur, impugnaverat; neque eo anathemate profiteretur, non solùm se alienum esse ab hæresi quam Ecclesia damnabat ut Nestorianam, sed etiam à communione Nestorii, cui communicare non poterat, quidquid tandem ejus de persona sentiret, Nisi Nestorium ipsum Ecclesiæ unitati & communioni præponeret.

Ad id quod de causa Cæciliani objicitur, disparem esse respondeo utriusque facti rationem. Innocentiæ namque Cæciliani, & accusatorum ipsius calumniæ, mera facta erant, quorum cognitio ex variis pendebat instrumentis. In hujusmodi autem factis Ecclesiasticos Judices errare posse, & eorum sententiam emendari, nemo diffitetur: *Cùm aliquò experimentò rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*. ut loquitur S. Augustinus, *lib.* 2. *de Baptismo contra Donatistas*, *cap.* 3. At judicium de Fide Auctorum ex eorum Scriptis, vel de sensu propositionum in ipsorum Libris assertarum, ex aliis instrumentis non pendet, quam ex Libris ipsis quos expendit Ecclesia: qui cùm idem semper maneant; facto diligenti examine & accuratâ collatione, priùs latens veritas in factorum istius generis cognitione aperiri novo experimento non potest, quod retractando Ecclesiæ judicio locum præbeat. Quare tenebatur Theodoretus censere Nestorium esse ab Ecclesia meritò hæreseos damnatum: & pariter tenentur Ecclesiæ filii, libros aut propositiones sub quorumvis Auctorum nomine, post diligentissimum examen & accuratam collationem, prout olim à Synodis & Pontificibus factum est, ab Ecclesia damnatas, iis notis meritò inustas censere, quibus illas inussit Ecclesia, & in eo sensu assertas ab Autoribus, in quo illas Ecclesia damnat sub illorum nominibus, quamvis non tenerentur Catholici Cæcilianum innocentem credere, post illius à Synodis Romana & Arelatensi absolutionem, sed judicium hac in causa suum suspendere possent.

Objicies, Theologos Catholicos & doctissimos Origenem, & Theodoretum defendisse, eorumque Scripta errorum pura asseruisse, etiam nostrâ ætate, quamvis à Pontificibus, & Synodo Oecumenica damnata sint. Potuit ergo Theodoretus, absque hæreseos suspicione, patrocinari Nestorii personæ ac Scriptis, damnatis erroribus qui Nestorio tribuebantur.

Respondeo 1. Disparem esse rationem. Origenes enim & Theodoretus Hæretici non fuerunt, quia *Hæreticum facit, non offensio, sed offensionis pertinax defensio* (inquit Facundus.) At Nestorius Hæreticus fuit. Præterea, intercesserat summa familiaritas & communio Theodoretum inter ac Nestorium, quæ suspicionem ingerebat gravissimam, ipsum ideò Nestorio patrocinari, quòd ejus hæresim approbaret, quamvis eam damnaret in speciem, ut imminentem sibi ab Ecclesia damnationem averteret. Nullus verò est simili suspicioni locus de Theologis doctissimis, qui Origenis & Theodoreti patrocinium nostrâ ætate susceperunt. Non me latet, quod rectè animadvertit Facundus lib. 5. *Aliud esse ideò Hæreticum excusare quod Catholicus putetur, & aliud ipsam hæresim approbare*. Sed cùm ita perspicuè ab aliquo asserta est hæresis, & adeò pertinaciter propugnata, etiam post Ecclesiæ judicium, ut nemo dubitet quin illam propugnaverit: Vel cùm Ecclesia libros, aut propositiones ex illis fideliter exceptas, prævio diligenti examine in sensu Auctoris damnavit: suspicionem præbet vehementem quòd hæresim approbet, qui hæreticum hominem excusat, vel librum vindicat: sicut qui parricidam judiciô Senatus damnatum, testimoniisque legitimis, & ipsâ confessione suâ convictum insontem assereret, nisi fatuus audiret, parricidium ipsum approbare censeretur.

Pro Auctoribus ab Ecclesia damnatis imprudenter Apologiæ scribuntur.

Respondeo secundò: Imprudenter Theologos illos pro Origene & Theodoreto Apologias scripsisse: & pro quovis Auctore, sub cujus nomine, & in cujus sensu, propositiones aliquæ ex ejus libris fideliter exceptæ, damnatæ sunt, vel à Synodo Oecumenica, vel à solo Romano Pontifice, accedente Ecclesiæ consensu, temerè Apologias scribi: cùm in Ecclesiæ judicio, [illegible] dogmata, sive facta spectet, sit humiliter acquiescendum;

quiescendum; ex officio Fidei, si quæstio sit dogmatis; aut ex officio reverentiæ Christianæ & obedientiæ Catholicæ, si sit quæstio facti. Quod ex S. Gregorio Magno *lib. 1. Epistola* 24. colligitur: in qua ubi quinque Synodos Oecumenicas se recipere ac venerari professus est, hæc subjungit de personis in iis damnatis: *Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector; quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliter sapit, anathema sit.* Hinc Sophronius Hierosolymitanus Episcopus in Epistola Synodica, quæ lecta est Actione II. Synodi Sextæ, cùm tria Capitula singillatim exsecratus esset, subdit: *Universales sanctas quatuor amplector Synodos, super his verò & hanc Quintam honoro & veneror, & cuncta earum libenter recipio, tam in Dogmatibus & diversis doctrinis, quamque Hæreticorum Anathematibus & Definitionibus. Unde & comprobo atque suscipio quos susceperunt & probaverunt. Et anathematizo atque abjicio, quos anathemati subjecerunt, & abjectos à Sancta nostra Catholica Ecclesia censuerunt.* Et in Octava Synodo Actione X. post lectos Canones, lecta est ejusdem Synodi Octavæ Definitio, quæ *Symbolum Fidei, professionemque de septem prioribus Synodis, & Anathema eorum, quos illa Synodi damnarent*, complectitur. Venerabilis Beda lib. IV. Historiæ cap. XVII. hæc refert ex Synodo sub Theodoro Cantuariensium Archiepiscopo: *Suscepimus sanctas & universales quinque Synodos*, &c. *Anathematizamus corde & opere quos anathematizaverunt, & quos susceperunt, suscipimus.* Hincmarus in Concilio Tricassino II. respondit: *Secundùm sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, quos Apostolica Sedes per B. & Dominum nostrum Papam, & Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater damnat, damno: quos anathematizat, anathematizo.* His adde legem illam & consuetudinem vetustissimam, ut non errores tantùm, sed & Autores ipsi configerentur Synodicis Decretis, & configendi ab edentibus Fidei possessionem præciperentur; quod inutile prorsus fuisset, si licuisset quoad has quæstiones ab Ecclesiæ universalis Sententia discrepare. Unde Celestinus I. in Epistola ad Synodum Ephesinam, post damnationem Nestorii: *Se*, inquit, *in nostro Collegio noverint non futuros; nisi secundùm Ecclesiasticum & Christianorum Principum Constitutum, damnata cum Autoribus sociisque damnantes, se profiteantur Catholicos Sacerdotes.* Et S. Leo Epistola VIII. aliàs II. *Plurimos impietatis Manichææ sequaces & Doctores in Urbe investigatio nostra reperit, vigilantia divulgavit, auctoritas & censura coercuit: quos potuimus emendare, correximus, & ut damnarent Manichæum cùm prædicationibus & disciplinis suis publica in Ecclesia professione, & manus suæ subscriptione, compulimus.* Et Epistola XIV. aliàs LII. de quibuslibet Hæreticis resipiscentibus scribit; *Saluberrimum enim & spiritalis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive Presbyteri, sive Diaconi, sive Subdiaconi, aut cujuslibet Ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad Catholicam Fidem, quam jam pridem amiserant, rursum reverti ambiunt, priùs errores suos, & ipsos Autores errorum damnari à se sine ambiguitate fateantur: Ut sensibus pravis etiam peremptis, nulla sperandi supersit occasio, nec ullum membrum talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obviare.*

Unde ab imprudentibus illis damnatorum, post Canonicum examen, librorum Apologistis postulare jure possumus, quod Facundus Hermianensis ab illis postulabat qui Synodum Chalcedonensem, vel in quæstionibus facti, errasse contendebant; Ut tam evidentibus documentis probent Ecclesiam hæc Scripta, vel has Propositiones, secundùm Auctoris cujuspiam sensum, damnantem errasse, quàm evidens est esse nos & vivere. Alioqui temeritatis notam non evadent. *Ergo*, inquit Facundus lib. 10. cap. 1. *si cupiunt ut cum illis hanc Synodum ego quoque reprehendam, tale aliquid ad eam destruendam idoneum requirant ac proferant, quod tam certum mihi sit, quàm certum mihi est esse me.*

Objicies ultimò, potuisse saltem Theodoretum uti distinctione juris, & facti, discretione personæ & dogmatis, & Anathema dicere erroribus à Synodo Ephesina damnatis, illis, inquam, propositionibus: *Duæ sunt in Christo personæ: Maria Virgo non est Deipara*: Non autem Nestorio, quem propositiones illas hæretico sensu non asseruisse & propugnasse existimabat. Iniquè ergo actum cum Theodoreto in Synodo Chalcedonensi, cùm ut apertè Anathema diceret Nestorio, compulsus est.

Theodoretus anathema Nestorio dicere debuit absque distinctione juris & facti, personæ & dogmatis.

Respondeo, Nego antecedens. Debuit enim, (ut jam probavi) suam Ecclesiæ judicio privatam subjicere & immolare sententiam Theodoretus. Debuit præterea ostendere se ex animo damnare hæresim quàm scriptis suis foverat ac patrocinio. Cùm autem Nestorii amicitiam coluisset, fovissetque communionem, etiam post initam pacem Orientales inter & S. Cyrillum, quo tempore illam juris & facti distinctionem usurpabat, ad Andream Samosatenum scribens: *Exigit autem subscriptionem facta dudum damnationis, & ut anathematizetur sancti Episcopi dogma Nestorii. Scit autem vestra Sanctitas, quod si quis indiscretè dogma anathematizet ejusdem sanctissimi & venerabilis Episcopi, idem est ac si pietatem anathematizare videatur. Oportet ergo, si omninò compellimur, eos anathematizare, qui purum dicunt hominem Christum, aut qui in duos Filios unum Dominum nostrum Jesum Christum dividunt*, &c. Cùm (inquam) Theodoretus Nestorio pertinaciter communicans, suspicionem ingessisset gravissimam, se prava dogmata ab ipso asserta sincerè non damnare, operæ pretium erat, ut vetere illa & tunc meritò suspectâ dogmatis & personæ discretione rejectâ, non solùm hæresim damnaret, sed etiam Nestorium hæreseos evidentissimis probationibus convictum, & Synodi Oecumenicæ judicio damnatum; utque apertè, absque fuco, & tergiversatione diceret, *Anathema Nestorio.*

SCHOLION. I.

In hac Dissertatione ad pag. 307. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apposuere: *Innuere videtur Ecclesiam in damnandis propositionibus modò non servare eam dexteritatem quam olim servabat.*

R. Id nec dixi, nec innui. Reddantur verba mea, & evanescet calumnia. *Et pariter tenentur Ecclesiæ filii, libros aut propositiones sub quorumvis Autorum nomine, post diligentissimum examen & accuratam collationem, prout olim in Synodis & Pontificibus factum est, ab Ecclesia damnatas, ut nullis motivis injustas censere, quibus illas tenuit Ecclesia*, &c. Hæc verba mea. Cæterùm patiantur Religiosi Censores se remitti ad Tractatum *Joannis Gersonii* Cancellarii Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis. *De Examinatione Doctrinarum*, parte secundâ, Consideratione quintâ, ubi pius ille & eruditus Theologus hæc habet: *Providendum est sedulò per Rectores Christianitatis, ne studium Theologicæ Veritatis depereat, sed alicubi residead velut in fonte. Alioquin timendum est ne superseminentur hæresum zizania, propter varietatem tot capitum, nec insuper passionum diversarum, unde multiplicatio sequitur judiciorum; ubi si desit recursus ad Theologos non depravatos, & in unum collectos, quis, oro, providebit? Si dixerit aliquis, Fiat recursus ad Sedem & Curiam Summi Pontificis. Non negabimus hoc, si Theologia illic habuerit suos Doctores non partiales, non seductos, non fastuosos, non quæstuosos aut invidos, non potestati seculari, non spirituali plusquam veritati faventes: alioqui tolerabilius esset nullos habere, quam tales pati.* Librorum & propositionum damnandarum examen diligentissimum, & accuratam collationem fieri debere, Venerabilis *Gersonius* docet; ideòque Theologos eruditos, à præjudiciis omnibus, à studio partium, ab omni corruptela procul alienos adhiberi debere ad Librorum examen ac censuram: Theologos qui intelligant ac penitissimè pervadant argumenta resque de qui-

bus tractavit Auctor, qui ex Scriptoris mente non ex plagulis detruncatis, sed ex textura Scriptionis pronuntient; qui in alienis dictis non tricentur, nec ea obtorqueant, & ad alienos inauditosque sensus inflectant; ut criminationi ac damnationi justæ patere aliqua tandem ratione videantur: Theologos qui non ex suo dumtaxat, aut suorum gustu de alienis sententiis judicent, sed probabiles agnoscant eas ipsas opiniones à quibus abhorreut, cùm à Catholicis Theologis, ac præsertim ab Academiis celeberrimis, qualis est sacra Facultas Parisiensis, propugnantur, nec ab Ecclesia & Sede Apostolica sunt damnatæ: Theologos ac Censores, qui in Librorum lectione, examine, censura, præcipitationem caveant: Qui Catholicos Autores, & obedientiam ac devotionem erga Sedem Apostolicam palàm professos non damnent inauditos, qui damnationis causas non celent, sed distinctè ac determinatè significent quid sit illud quod in Autoris Opere reprehensioni pateat, ut illud Autor retractare, emendare vel explicare possit. Non dubito quin eam diligentiam in damnandis Lutheri, Jansenii, Michaëlis Baii, & Molinos Quietistarum parentis propositionibus diligentiam adhibuerit Ecclesia, quam olim in doctrinarum examine & propositionum Censura servabat. Non dubito quin tales adhibuerit Theologos & Censores, quos optat Venerabilis Gersonius. Quamobrem falsò mihi affingitur quòd innuerim, Ecclesiam in damnandis propositionibus debitam non servare diligentiam.

Scholion IV.

In eadem Dissertatione, ad paginam 369. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Asseris quòd à Papa damnata, si accedat consensus Ecclesiæ, sunt damnanda, quasi solo Papa damnatio non sufficeat.*

Reverà scripsi, pro quovis Autore „sub cujus nomine, & in cujus sensu propositiones aliquæ ex ejus libris fideliter exceptæ, damnatæ sunt, vel à Synodo Oecumenica. *Vel à solo Romano Pontifice, accedente Ecclesiæ consensu*, temerè Apologias scribi. Hæc verba, *Accedente Ecclesiæ consensu*, probabilem excusationem habent ac legitimam in Doctore sacræ Facultatis Parisiensis: quia *Non est doctrina nec dogma* ejusdem *Facultatis quòd Summus Pontifex sit infallibilis nullo accedente Ecclesiæ consensu*; ut ipsa declaravit anno millesimo sexcentesimo sexagesimo-tertio. Cæterum Concilia semper necessaria non esse censeo, & Romanum Pontificem, etiam extra Concilia & sine Conciliis, Summum jure divino Controversiarum fidei judicem esse profiteor & propugno, ejusque judicio, *ut omnium Christianorum Patris & Doctoris*, Catholicos omnes subesse & humiliter parere debere.

DISSERTATIO XV.

De Concilii Chalcedonensis Canonibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid Canone vigesimo-octavo Concilii Chalcedonensis Constantinopolitanæ Sedi collatum fuerit?

Propositio.

Canon vigesimus octavus Synodi Chalcedonensis, primatum honoris post Romanum Episcopum, & Ordinationes Diœceseos Ponticæ, Asianæ, & Thracicæ, quas & secunda Synodus Oecumenica Episcopo Constantinopolitano detulerat, & firmaverat consuetudo, eidem confirmavit.

Probatur ex ipsius Canonis verbis, quæ sic habent: *Sanctorum Patrum Decreta ubique sequuti, & Canonem qui nuper lectus est 150. Dei amantissimorum Episcoporum recensentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ Throno: quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti 150. Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo Novæ Romæ Throno æqualia privilegia tribuerunt: rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secùs ac illam extolli, & magnifieri, secundam post illam existentem: & ut Ponticæ, & Asianæ, & Thracicæ Diœcesis Metropolitani soli; præterea Episcopi Diœceseon Barbaros inter existentium, à prædicto Throno Constantinopolitanæ sanctissimè Ecclesiæ ordinentur.*

Confirmatur ex Epistola Synodica Patrum Chalcedonensium ad S. Leonem. *Eam namque consuetudinem*, inquiunt, *quæ ex longo jam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitana sancta Dei Ecclesia ad ordinandos Metropolitanos Provinciarum, tam Asianæ, quàm Ponticæ, & Thracicæ, & nunc Synodali Decreto firmavimus, non tam Sedi Constantinopolitanæ aliquid præstantes, quàm Metropolitanis Urbibus quietem congruam providentes, eò quòd frequenter Episcopis vitam finientibus multa turba nascuntur, Clericis ac populis, qui per easdem sunt civitates, absque Rectore remanentibus, & Ecclesiasticum ordinem confundentibus. Confirmavimus autem & 150. SS. Patrum Regulam, qui Constantinopoli congregati sunt sub piæ memoriæ Majore Theodosio, quæ præcepit, post vestram Sanctissimam & Apostolicam Sedem, honorem habere Constantinopolitanam.* Sanè id confirmarunt Chalcedonenses Patres Constantinopolitanæ Sedi, Canone 28. quod ipsi collatum fuerat à Secunda Synodo Oecumenica, Canone 3. atqui non solius consessus honor, sed cætera jura Patriarchica, & Ordinationes memoratarum Diœceseon, collatæ fuerant Episcopo Constantinopolitano Canone 3. Synodi 2. Oecumenicæ. Itaque eadem jura non tam de novo contulit, quàm confirmavit Synodus Chalcedonensis Canone 28. Legatur Dissertationis 37. in Historiam 4. Sæculi; Articulus. 4.

ARTICULUS II.

Utrum S. Leo Canonem vigesimum-octavum Synodi Chalcedonensis approbaverit?

Propositio.

Synodus Chalcedonensis vigesimi-octavi Canonis confirmationem à S. Leone postulavit; verùm illum improbavit sanctissimus Pontifex, eâ præcipuè ratione, quòd Nicænæ Synodi Canonibus repugnaret.

Prima pars propositionis evidens est ex Epistola Synodica Patrum Chalcedonensium ad S. Leonem in qua blandissimis verbis ipsum demulcent, remque Imperatori, Senatui, & Urbi Constantinopolitanæ gratissimam ipsum facturum monent; imò verò eam gratiam illi tributum iri ut Patri, ad quem egregia filiorum facinora redundare solent. *Qui enim*, inquiunt, *locum vestræ Sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum ipsis est Reverendissimus Presbyter Bonifacius, his constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubiò à vestra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut sicut Fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam piissimos & Christi amicos Imperatores, qui super hoc delectantur, quàm clarissimum Senatum, & totam Imperii civitatem, opportunum credidimus esse honoris ejus confirmationem ab universali Concilio celebrari, & velut hæc à tua Sanctitate fuerint inchoata, eò quòd favere semper studeas, roboravimus, præsumentes, dum noverimus, quia quicquid rectitudinis à filiis fit, ad Patres recurrit. Rogamus igitur & tuis Decretis nostrum honora judicium; & sicut nos Capiti in bonis adjicimus consonantiam; sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Extat hæc Epistola 3. p. Concilii Chalcedonensis, numero 11.

Probatur secunda pars ex Epistola S. Leonis 53. sive 80. secundùm Editionem P. Quenellii, in qua Anatolii ambitum his verbis graviter perstringit: *Post illa itaque Ordinationis tuæ non inculpata principia; post Consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam Regulam vindicasti; doleo*

etiam

etiam in hoc Dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere: tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit: ut his locis juri tuo subditis omnes Metropolitani Episcopi proprio honore privarentur. Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis prævenitis excessibus, ut sanctam Synodum ad extinguendam solum hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ studiò Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & ut conniventiam suam tibi det, impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per Spiritum verè Sanctum ordinata conditio in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum vel comparare se audeat, vel præferre: cùm tantò divinitus privilegiò Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica Judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit Constitutione diversum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, ut Fratres in Fidei tantummodo negotio convocatos, & definitione ejus causæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim Fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice meâ Synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, apertè reclamantes, ne contra instituta Nicæni Concilii, præsumptio reproba vanitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in Epistola tua etiam ipse conquereris, quòd conatibus tuis voluerint obviare. In quo quidem multùm illos mihi hæc scribendo commendas: sed temetipsum, quòd eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superflue non concedenda appetens, & insalubriter tibi contraria concupiscens, quæ nullum unquam poterant nostrum obtinere consensum.

Porrò quòd Canonibus Secundæ Synodi Canon 28. Concilii Chalcedonensis niteretur, hæc subdit S. Leo: *Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta, (ut jactas) annos facta conscriptio, nunquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caduca, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia præbere fulcimenta voluisti, eliciendo à Fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.*

Denique hæc adjicit, *Non convellantur Provincialium jura Primatuum, nec Privilegiis antiquitùs institutis Metropolitani fraudentur Antistites. Nihil Alexandrinæ Sedi ejus, quam per S. Marcum Evangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro impietatis suæ pertinaciâ corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante B. Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in Paternæ Constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt Sedes, aliud Præsidentes: & magnus unicuique honor est integritas sua. Quæ cùm in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quantò magis in Constantinopolitanæ Urbis magnificentiâ potest esse gloriosa, si per observantiam tuam & defensionem Paterni Canonis, exemplum probitatis multi habeant sacerdotes?*

Duo distincta capita S. Leo in 28. Canone Chalcedonensi impugnat; unum quod primarias illas Sedes Alexandrinam & Antiochenam spectabat, quas Constantinopolitanus secundum usurpans locum, secundo & tertio gradu spoliare tentabat; alterum ad Ponticæ, Asianæ & Thraciæ Diœceseon Metropolitas pertinebat, quorum pariter privilegia invadebat Anatolius, dum eorum Ordinationem sibi vindicabat, cujus potestas auctoritate antiquorum Canonum semper penes uniuscujusque Provinciæ Synodum resederat. De his Metropolitis intelliguntur hæc verba S. Leonis: *Non convellantur Provincialium jura Primatuum.*

Confirmatur ex Epistola 54. sive 78. in Quenellii Editione, ad Marcianum Augustum datâ. *Multum*, inquit, *Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dexterâ Dei, diuturnò Clementiæ vestræ fruatur Imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum: nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento mirè posuit, stabilis erit ulla constructio; sed propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quod vestræ Pietatis auxiliò, & mei favoris assensu, Episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur Regiam Civitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem; nec ullà speret modò, quod per aliorum possit offensiones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Synodi Nicænæ fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate violari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si Paternarum Regulæ Sanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me (quod absit) connivente, violentur; & major sit apud me unius fratris voluntas, quàm universæ domus Domini communis utilitas.*

Et Epistola 55. sive 79. ad Pulcheriam Augustam. *Consensiones verò Episcoporum*, inquit, *sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unitâ nobiscum Fidei vestræ Pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus; in omnibus Ecclesiasticis causis his legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium Sacerdotum, per trecentos decem & octo Antistites Spiritus Sanctus instituit: ita ut etiam si multò plures aliud, quàm illi statuere, decernant, in nulla reverentia sit habendum, quicquid fuerit à prædictorum Constitutione diversum.*

In eamdem sententiam scribit ad Episcopos qui in Synodo Chalcedonensi fuerant congregati, Epistola 61. sive 8. *De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, qui in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa Decretis, observantiam vestræ Sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis 318. Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid à prædictorum Patrum Canonibus discreparit. Quorum Regulis, Apostolica Sedes quàm reverenter utatur, Scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit Sanctitas vestra lectione cognoscere, & me auxiliante Domino, Catholicæ Fidei, & Paternarum Constitutionum esse custodem.*

In Epistola denique ad Maximum Antiochenum Patriarcham 62. sive 92. *Nunc autem*, inquit, *ad omnia generaliter pronuntiare sufficiat, quòd si quid à quoquam contra Nicænorum Canonum statuta in quocunque Synodo, vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre Decretis: & faciliùs erit quarumlibet consensionum pacta dissolvi, quàm prædictorum Canonum*

regulas

regulas ex ulla parte corrumpi. Et infrà : *Hoc tamen proprium defensionis meæ est, ut quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorumdam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum Constitutionibus inveniatur adversum, id justitiæ consideratione cassetur: quoniam universa pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri; nisi sua Canonibus reverentia intemerata servetur.*

Ex his collige, S. Leonem non ob aliam rationem repudiasse Canonem 28. Synodi Chalcedonensis, quàm quia Nicænis Canonibus repugnabat: atque hac in caussa Jure Primatus sui egisse, quod maximè in urgenda ac procuranda per totum orbem Christianum Canonum executione positum est. Sed hac de re differentem audire præstat Illustrissimum Petrum de Marca Parisiensem Archiepiscopum, in Dissertatione de Patriachatus Constantinopolitani Institutione. *Non ergo*, inquit, *illo nomine statuta Concilii Chalcedonensis Leo reprobat, quasi nullas habitura vires essent, nisi prius illi cohibuisset: sed nullitatem dicti Canonis ex repugnantia Canonum Nicænorum petitam declarat; magisterio sané & illustri Primatûs sui, seu Principatus privilegiô, sed quod ad superiorem in corpus definitionesque Concilii exercendam auctoritatem extendi & porrigi non debeat. Si enim rite de quæstione aliqua Nicænis Regulis nondum decisâ Synodus Chalcedonensis statuisset; tantum abest ut Leo Constitutioni illi, destitutæ vitiô nullitatis opponenda refragatus fuisset, quin potius gestorum Synodalium approbatione, Concilii sententiæ ex officio adhæsisset. Quod eleganter insinuat in Epistola ad Maximum Antiochenum, hoc de negotio loquens;* QUICQUID *enim præter speciales caussas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem; si nihil de eo est à SS. Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum Regulis & Constitutione discordat, Apostolicæ Sedis nunquam poterit obtinere consensum.*

ARTICULUS III.

Utrum semper viguerit in Oriente Canon vigesimus octavus Concilii Chalcedonensis, & utrum Anatolius Jure sibi delato cesserit?

ANatolius à S. Leone propter ambitum objurgatus, & quòd 28. Canonem à Patribus Synodi Chalcedonensis extorsisset, eam culpam à se amoliri studuit, eamque in Cleri sui & Episcoporum Orientalium vota refudit ac suffragia. His enim verbis scripsit ad S. Leonem. *De his autem quæ Constantinopolitanæ gratiâ Sedis sancita sunt in Chalcedonensi nuper universali Synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me, qui semper otium & quietem in humilitate me continens, ab ineunte mea ætate dilexerim: sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ Reverendissimus Clerus est, qui hoc habuit studium, & istarum partium Religiosissimi Sacerdotes, qui in hoc fuere concordes, & sibi pariter adjutores. Cùm & sic gestorum vis omnis & confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata. Hoc igitur benè compertum Sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius caussæ factum esse negotii; qui semper omnem jactantiæ levitatem, & aliena appetendi cupiditatem, mihi vitandam crediderim.* Tanta arte conscripta est hæc Epistola, ut in speciem S. Leonis querelis satisfaciat, re verâ tamen nihil in ea de juribus suis remittat Anatolius. Et certò ita fixum apud se habebant Orientales Episcopi à Decreto suo in gratiam Constantinopolitanæ Sedis nunquam resilire, ut cùm Epistola S. Leonis, quâ consensu suo Acta Synodi Chalcedonensis firmabat, lecta esset à Juliano Coënsi in Constantinopolitano Episcoporum Conventu, non ausus sit ea verba legere, quibus consensum suum S. Leo renuebat commodare Decreto in gratiam Constantinopolitanæ Sedis condito apud Chalcedonem. Id ex Epistola 67. sive 100. S. Leonis ad Julianum Coënsem data compertum est. *Epistolam sanè meam*, inquit, *ad Chalcedonensem Synodum datam præsentibus Episcopis & Clericis lectam fuisse, tuis Epistolis retulisti: sed usque ad illud Capitulum, quò ea quæ de fide acta sunt, meus videtur firmasse consensus. Unde miratus sum, quòd reliqua, quæ secuta fuerunt, non pariter in notitiam eorum, quibus sunt lecta, prolata sint: cùm maximè omnibus innotescere debuisset, improbum à nobis ambitum notatum fuisse, & novis usurpationibus obviatum: ut vetustas, quæ est Canonibus constituta, inviolata, ut semper scripsimus, servaretur.*

Viri quidam Eruditi Anatolium jure sibi delato cessisse colligunt ex Epistola 71. vel 106. S. Leonis ad ipsum data, in qua ita scribit: *Sed cùm in injuriam Canonum, ut agnoscis, illa tentata sunt, quæ omnibus Ecclesiis scandalum maximum generarent, quid aptius ac modestius facerem, quàm ut te primum, ut ab hac intentione recederes, fraterno animô missis literis admonerem?* Et infrà: *Illam autem culpam, quam de augenda potestate, alienâ (ut asseris) adhortatione contraxeras, efficaciùs atque sinceriùs tua Charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses... Sed gratum mihi, Frater charissime, est, quòd Dilectio tua profitetur sibi displicere, quòd tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratia communis regressum professa Dilectionis tuæ, & attestatio Principis Christiani.*

Verùm si ex Anatolii Epistola intellexit S. Leo ipsum Jure suo cessisse, ejus mentem non est assecutus. Hoc enim unum pro certo haberi voluit à S. Leone circa 28. Canonem Synodi Chalcedonensis, absque sua culpa conditum esse, seque semper ab alienis appetendis longissimè abfuisse. Id confirmatur ex Anatolii promissis, qui cùm correctionem pollicitus est per literas Marciani, quem apud sanctum Leonem intercessorem adhibuit, satisfactionem solùm in rebus fidei promisit, ut Sanctus ipse Leo testatur in laudata ad Julianum Coënsem Epistola. *Aliam quoque*, inquit, *ad nos Epistolam dedit* (Marcianus) *interveniens pro Anatolio Episcopo, ut nostri illi animi gratia præbeatur, quoniam correctionem ejus promittit, & in omnibus se satisfacturum esse, quæ ad fidei observantiam pertinent, pollicetur.*

Denique Liberatus de privilegio Sedi Regiæ urbis confirmato Canone 28. Synodi Chalcedonensis loquens, ait: *Et licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quoque modo.* Jure igitur sibi delatô non cesserunt Constantinopolitani Antistites.

Expunctus quidem fuit ex Codice Canonum Ecclesiæ Orientalis Canon Chalcedonensis 28. Nam antiqua Collectio Græca, quam Dionysius Exiguus Latinè reddidit, 27. Canones solùm recenset, omisso 28. quemadmodùm & Theodotus Anagnostes lib. 1. Collectaneorum, & Theodoretus in Collectione Canonum à se adornatâ, & in L. Titulos distributa: Quamvis Collectiones recentiores Photii & Zonaræ ipsum exhibeant. Sed expuncto Canone, ut Romano fieret satis Pontifici, Anatolius & ejus Successores secundæ Sedis dignitatem, & trium Diœceseon administrationem nihilosecius retinuerunt.

Denique Avitus Viennensis Episcopus in Epistola ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, quâ unitatem & pacem Regiæ Sedis cum Apostolica gratulatur, & præstitam Hormisdæ Pontifici obedientiam, dignitatem secundæ Sedis in Constantinopolitana Ecclesia agnoscit, Summumque Pontificem & Patriarcham illum ut duos Apostolorum Principes,

&

& duo Ecclesiæ sydera veneratur. *Concordiam vos habere*, inquit, *& velut geminos Apostolorum Principes mundo vos adsignare convenit... Quis Catholicus de talium ac tantarum Ecclesiarum pace non gaudeat, quæ, velut in cælo positum Religionis signum, pro gemino sydere mundus expectat?*

ARTICULUS IV.

Utrum omnes Canones Concilii Chalcedonensis, à sancto Leone probati sint, dempto vigesimo-octavo?

PROPOSITIO.

Omnes Concilii Chalcedonensis Canones, præter vigesimum octavum, S. Leo consensu suô probavit ac firmavit.

Prima ratio ex eo petitur, quòd in veteri Canonum Collectione, non longè post Chalcedonensem Synodum cum Occidentalibus communicatâ, cujus meminit Dionysius Exiguus, cujusque exemplar antiquissimum extat adhuc in Bibliotheca Vaticana, Canones illi continentur. Eos etiam Codici suo, quô Romana statim usa est Ecclesia, inseruit laudatus mox Dionysius. Eosdem in Synagoge sua Theodoretus recenset.

Secunda ratio ex eo petitur, quòd Gelasius Pontifex Maximus Canonis 20. Chalcedonensis sententiam exprimens; eum reverendorum Canonum appellatione cohonestat in Epistola Decretali ad Lucaniæ Episcopos. *Quisquis*, inquit, *desertor Ecclesiæ, nullis existentibus causis ad aliam putaverit transeundum, temerèque susceptus fuerit, & promotus: reverendorum Canonum, vel ipse, vel receptor ejus atque provector, constituta non effugiet, quæ de ejusmodi præsumptoribus præfixere servanda.* Ita etiam S. Gregorius Magnus *Homilia 17. in Evangelia*, sacrorum Canonum nomine Chalcedonenses significat, ut rectè observavit Hincmarus Opusculi cap. 24. *Sacri Canones Simoniacam hæresim damnant*, (inquit S. Gregorius) ad quæ verba notat Hincmarus, nullam Synodum ea de re tunc temporis statuisse præter Chalcedonensem.

Tertia ratio petitur ex Pelagio II. in Epistola ad Episcopos Istriæ, in qua testatur Canones Chalcedonenses Actione 6. illius Synodi sancitos esse: *Quia in eis edendis, non dies, non Imperium ponitur; non qui considerent, describuntur: proculdubio, cùm non consuetò exordiò cœpti sunt, quia præcedenti Actioni* (sextæ scilicet) *subnexi sunt, demonstratur.* In 6. autem Actione fidei causa perfecta est. Unde colligitur Canones omnes, dempto 28. editos fuisse consentientibus S. Leonis Legatis, & ab ipso S. Leone probatos.

Quarta probatio petitur ex Anastasio Bibliothecario in Præfatione ad 8. Synodum. *In Quarta quoque Synodi quibusdam Codicibus*, inquit, *quoddam de privilegiis Constantinopoleos ostendunt Capitulum, quod inter Canones ejusdem Synodi ab universa Ecclesia veneratos, nec Latinitas, nec alia lingua sub sole recipere comprobatur. Quodque licet ab Anatolio, & Imperatore, vel fautoribus eorum, post omnia gesta Synodi, & prolatos Canones, in absentia Romanorum loci Servatorum clam deprompturn fuerit; mox tamen ibi ipsum ab ejusdem loci Servatoribus est repulsum*, &c. Agnoscit itaque Anastasius alios Synodi Chalcedonensis Canones à 28. editos fuisse in frequenti Concilio, præsentibus & consentientibus S. Leonis Legatis, & ab universa Ecclesia in veneratione haberi. Ita portò de iis non loqueretur vir Pontificiæ Auctoritatis studiosissimus, si à S. Leone improbatos novisset.

Objectionibus Bellarmini & Lupi.

Objicitur ratio quâ motus est Bellarminus ut Canones Concilii Chalcedonensis robur non habuisse propugnaret, nisi quatenùs à Romanis Pontificibus vel aliis Conciliis renovati essent. S. Leo Epistola 61. ad Episcopos qui Concilio Chalcedonensi adfuerant, scribit se, non tantùm per Legatos, qui vicem suam executi sunt, sed etiam *per approbationem gestorum Synodalium, eamdem cum Synodo Chalcedonensi invisse sententiam, in sola videlicet fidei caussa, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Cùm ergo gesta in sola fidei causa S. Leo approbaverit, inde colligit Bellarminus Canones Concilii irritos fuisse. Eidem subscribit sententiæ Christianus Lupus.

Christiani respondetur.

Respondeo, S. Leonem his verbis solum Canonem 28. improbasse quo Episcopo Constantinopolitano Patriarchica Dignitas & Jurisdictio adversùs Canones Nicænos deferebatur. Sic mentem S. Leonis explicat Facundus Hermianensis lib. 5. cap. 4. *Beatissimus Leo* (inquit) *scribens, non sententiam super Ibæ Epistolam prolatam, neque Episcopatum prædicto Ibæ redditum, & cætera, quæ in Synodo Chalcedonensi de quibusdam personis decreta sunt; neque Canones Ecclesiasticæ Disciplinæ salubriter illic a SS. Patribus constitutos attendit, cùm diceret: Ut sanctam Synodum ad exstirpandam solum hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ, studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitûs trahas; & hîs similia: sed superbam potiùs elationem Constantinopolitani Episcopi, sicut verba indicant.* Sanctus ipse Leo mentem suam satis explicat, tum in Epistola ad Episcopos qui Synodo Chalcedonensi adfuerant, tum in ea quam scripsit ad Maximum Patriarcham Antiochenum. Quibus in Epistolis tria præcipuè docet. Primum, quæ de Fide in Synodo Chalcedonensi constituta sunt, à se probari. Secundum, quæ contra Nicænos Canones decreta sunt, suo nusquam consensu ac suffragio se probaturum. Tertium, quæ ab Episcopis discussa fuerint ac decreta se non repudiaturum, eâ lege, ne Canonibus Nicænis adversentur. Ita enim scribit ad Maximum Antiochenum: *Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice meâ misi, præter id quod ad causam Fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis hæresibus, Catholicæ essent Fidei defensores: Quicquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à SS. Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum Regulis Constitutionìque discordat, Apostolicæ Sedis nunquam obtinebit consensum.* Ex quibus colligitur, S. Leonem conceptis verbis, quæ de fide gesta fuerant in Synodo Chalcedonensi approbasse; damnasseque ambitum Anatolii, cui favebat Canon 28. cætera omnia tacitô velutì consensu & decreto admisisse, id est, iis non fuisse reluctatum, quod sufficit.

Objicies secundò. Illi Canones qui vulnus intulerunt Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni auctoritati, à Sancto Leone probati non sunt, utpote Nicænis Canonibus repugnantes. Atqui Canones 9. & 17. Chalcedonenses vulnus intulerunt memoratorum Patriarcharum auctoritati. Eos itaque improbavit S. Leo.

Respondeo, Nego minorem. Constantinopolitano enim Episcopo jus collatum non est cognoscendi causas Ecclesiasticas totius Orientis post appellationem ad Patriarchas interjectam, quod eorum jura imminuisset, sed prævenìendo appellationes hujusmodi. Major igitur auctoritas collata non fuit his Canonibus Episcopo Constantinopolitano, quàm Diœceseon Exarchis seu Primatibus, à quorum judiciis ad Patriarchica tribunalia poterat appellari.

Respondeo secundò, horum Canonum sensum non esse, quòd jure præventionis Constantinopolitanus Episcopus de caussis Ecclesiasticis totius Orientis judicare posset, sed solùm de caussis Metropolitanorum, qui intra tres Diœceses seu Exarchatus, scilicet Pontum, Asiam & Thraciam continebantur. Eorum enim causas priùs deferri posse ad Constantinopolitanum Episcopum, quàm ad Exarchum Diœceseos, laudatis Canonibus sancitum est. Sed totius Orientis causas Ecclesiasticas hos Canones non spectasse, colligere possumus ex Novellis Justiniani Imperatoris 123. & 137. quibus, moribus Ecclesiarum se accommodans, statuit ut Episcopi à propriis Metropolitanis: & Metropolitani à propriis Exarchis aut Patriarchis judicentur. *Si contra Episcopum fiat aditio propter quamlibet causam, apud Metropolitam ejus, secundùm sacros Canones & nostras Leges, causa judicetur. Et si quis judicatis contradixerit, ad Archiepiscopum, seu Patriarcham Diœceseos illius causa referatur. Si verò contra Metropolitanum talis fiat aditio ab Episcopo, aut Clero, aut aliâ quâcunque personâ, Diœceseos illius Patriarcha simili modo causam judicet.*

SCHOLION.

In hujus Dissertationis Articulo II. pag. 380. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Jus Primatus Romani Pontificis maximè in urgenda Canonum observantia positum est.*

R. Id certissimum, addantur modò hæc verba, quæ Censoriı Judicıı Autores ex propositione mea detruncarunt: PER TOTUM ORBEM CHRISTIANUM. Primatus certè sui jura optimè noverat S. Leo, qui ad Marcianum Augustum his verbis scripsit: *Quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum Regula Sanctionum quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt condita, me (quod absit) connivente violentur,* &c. Cæterùm non solùm in Canonum urgenda observantia Romani Pontificis Primatum positum agnosco & profiteor, sed etiam in Novarum latione Legum si id Ecclesiæ necessitas & utilitas postulent, in veterum Canonum interpretatione & prudenti dispensatione; in Hæreseon damnatione; in Convocatione, Præsidentia, Confirmatione Conciliorum, in Judicio Appellationum, in sollicitudine & regimine omnium Ecclesiarum, &c. (Neque enim singula ad quæ Romani Pontificis Primatus se extendit, articulatim enumeranda suscepeкam) sed in prima summaque potestate urgendi Canonum observantiam per totum orbem Christianum, & eorum infractores, cujuscumque sint Ordinis, puniendi, principatum Sedis Apostolicæ elucere magnificentiùs, existimo. Hæc Gelasii I. Romani Pontificis sententia est ad Episcopos Dardaniæ scribentis: *Confidimus quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum suâ auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu,* &c.

DISSERTATIO XVI.

De causa Juvenalis Jerosolymitani, & Maximi Antiocheni, in Synodo Chalcedonensi compositâ.

Magna semper in veneratione fuit Jerosolymorum Ecclesia ab exordio Christiani nominis, quam verissimè Justinus Imperator ad Hormisdam Pontificem scribens, *Matrem Christiani nominis appellavit.* Quam non minùs verè S. Epiphanius *Hæresi* 77. Christi Domini Thronum vocat. Ibi enim de S. Jacobo primo Jerosolymorum Episcopo loquens, ait: *Primus ille Episcopalem Cathedram cepit; cùm ei ante cæteros omnes suum in terris Thronum Dominus tradidisset.* Patriarchica nihilominus dignitate ab initio donata non est hæc Ecclesia, quia cùm singularis Ecclesiæ Christus Episcopus non sit, sed omnium Ecclesiarum, Patriarcharum dignitas à S. Petri Primatu, non ab ipsius Christi Sede repetenda est, ut præclarè ait B. Petrus Damiani Opusculo 35. cap. 4. *Constat*, inquit, *Dominus Salvatorem non uni cuilibet Cathedræ speciali jure præesse, sed cunctis unum Pastorem universaliter præsidere. Liquet ergo Ecclesiarum ordinem esse dispositum juxta privilegium Petri, non secundùm incomparabilem excellentiam Majestatis.* Certè cùm Christus eversionem Jerusalem verbis adeò disertis prædixerit, primam Ecclesiæ Sedem eum ibi fixisse incredibile est.

Quibusdam tamen privilegiis ornata semper fuit illius Ecclesiæ Sedes, illiusque Antistites spontaneâ cæterorum Episcoporum concessione, & veneratione erga locum adorandis Christi vestigiis, & Mysteriorum salutis nostræ consummatione sanctificatum, primatum quemdam saltem honoris habuerunt. Eusebius Cæsariensis *lib.* 7. *Historia Ecclesiastica*, Sedem illam *Apostolicam Cathedram* vocat. Idem Jerosolymitanorum Episcoporum seriem diligentissimè describit, sicut & primatum Sedium, scilicet Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ. Idem Concilio Palæstino, quod ob controversiam de celebratione Paschatis sub Victoris Pontificatu celebratum est, Cæsareæ & Jerosolymorum Episcopos præfuisse testatur, *lib.* 5. *cap.* 23. Idem loquens de Synodo Antiochena contra Paulum Samosatenum, Jerosolymitanum Antistitem Cæsariensi præponit, lib. 7. cap. 28. *Hymenæus, qui Ecclesiam Jerosolymitanam regebat, & Theotecnus, qui Cæsariensem illi finitimam administrabat.* Nicæna Synodus laudabilem consuetudinem, & antiquam Traditionem confirmans, Primatum honoris Episcopo Æliæ, id est, Jerosolymitanæ civitatis, quæ ab Ælio Adriano Imperatore juxta veterem Jerusalem ædificata, Ælia vocata est, detulit, servatis Episcopo Cæsariensi Metropoliticis juribus. *Quia*, inquit, *consuetudo obtinuit, & antiqua Traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salvâ Metropoli propriâ dignitate.* Gravis inter Acacium Cæsariensem, & Cyrillum Jerosolymitanum de Primatu orta est contentio: Acacius Cyrillum deposuit, ejusque sententia in Concilio Seleuciensi confirmata est, teste Sozomeno lib. 4. cap. 24. *Quòd cùm Episcopus Jerosolymorum constitutus esset* (Cyrillus) *de Jure Metropolitico altercaretur cum Episcopo Cæsareæ, velut Apostolicæ Sedis Antistes.*

Juvenalis in Concilio Ephesino Palæstinam Jerosolymitanæ Sedi subjicere tentavit, sed ejus conatibus obstitit S. Cyrillus, ut testatur S. Leo Epistola 62. sive 92. ad Maximum Antiochenum. *Subrependi occasiones*, inquit, *non prætermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes causas generalis Sacerdotum facta fuerit congregatio, difficile est ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ Principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia Scripta probare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens, Scriptis suis quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit, & sollicitâ prece multùm poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* Blondellus *lib. de Primatu p.* 546. hunc S. Leonis locum subdititium perperam asserit, quem styli similitudo, & omnium Codicum excusorum & MSS. fides per omnia germanum probat. Blondellum luculenter & egregiè refellit Quenellius *in Notis ad Epistolas S. Leonis* Nondum Pontifex tunc erat S. Leo, sed Ecclesiæ rebus pro Archidiaconi, quod gerebat munere, invigilabat. Unde ad ipsum scripsit S. Cyrillus ut caveret ne Juvenalis obreperet Summo Pontifici, & ab eo jurisdictionem in Palæstinam impetraret. Ambitus & audaciæ Juvenalis

testis

testis est hæc ejus contestatio in Concilio Ephesino Actione 4. *Oportebat Joannem Antiochiæ Episcopum, obedientiam deferre Apostolico Throno Jerosolymorum Ecclesiæ, apud quem maximè mos est ex Apostolico ordine & Traditione, ut ipsa Sedes Antiochena dirigatur, & apud eum judicetur.* Quæ verba quo sensu intelligenda sint, obscurum est: nisi forsan Juvenalis pertenderit se inter Judices Joannis Antiocheni primo loco post Cyrillum Alexandrinum Celestini nomine Concilio Oecumenico præsidentem sedere debere, cùm Episcopus Constantinopolitanus hæreseos damnatus esset, cui Joannes Antiochenus favebat: & quia Jerosolymitana Sedes vicina erat Antiochenæ. Mos autem erat Ecclesiæ ab Apostolicis temporibus, ut ad judicium majorum causarum illustriores è vicinis Episcopis assumerentur.

Repulsam passus à S. Cyrillo & ab Apostolica Sede Juvenalis, Rescriptum à Theodosio Imperatore impetravit, quô trium Palæstinarum, duarum Phœniciarum, & Arabiæ ipsi concredita est administratio. Proclus Constantinopolitanus Episcopus, & Cyrillus Alexandrinus, Rescriptio Theodosii consensum præbuerunt, & Juvenalem in communionem suam, sub Archiepiscopi nomine, quod solis Patriarchis tunc deferebatur, susceperunt. Id gravissimè tulit Gennadius Presbyter & Archimandrita ob violatum Canonem 7. Nicænæ Synodi, ideòque à Procli communione abstinebat. Sed Cyrillus datâ ad Gennadium Epistola scripsit, aliquando à Regularum tenore deflectendum dispensationis causâ, & ut evenire solet periclitantibus in mari, qui jacturam faciunt aliquarum mercium ut reliquæ serventur, aliqua dissimulanda ubi summum jus haberi non potest, ne omnium rerum dispendium subsequatur... Nullum jus Jerosolymorum Episcopo in Palæstinas ex Canonibus competere, sed effreni ejus desiderio hoc indultum. Quare ejurandam non esse Procli communionem, *Quia dispensationis modus nulli Sapientum displicuit.* Solus Patriarcha Antiochenus, cujus jura hoc Imperatoris Rescripto imminuebantur, id ægrè tulit. Magna fuit eam ob rem inter Sedem Antiochenam & Jerosolymitanam dissensio, donec Juvenalis concordiam iniit cum Maximo Antiocheno, quam judicio Synodi Chalcedonensis commisit religiosissimus Imperator Marcianus. Convenerunt autem, & mutuo consensu à Synodo postularunt, ut Antiochenæ Diœcesi duæ Phœniciæ & Arabia adjudicarentur, tres verò Palæstinæ Jerosolymorum Episcopo subditæ essent. Hanc suam conventionem Concilio cùm proposuissent, Legati Apostolici per Paschasinum cæterorum nomine sententiam dicentem, eam approbarunt his verbis: *Hæc concordantibus Fratribus nostris Maximo Reverendissimo Antiochiæ Episcopo, & Juvenale Reverendissimo & Sanctissimo Jerosolymorum Episcopo: pro bono pacis dicta noscuntur; hoc est, ut Antiochensium Ecclesia duas Phœnicias & Arabiam habeat; Jerosolymorum verò tres Palæstinas possideat. Ad hoc autem & nostræ humilitatis interlocutione firmentur, ut nulla in posterum de hac causa prædictis Ecclesiis contentio relinquatur.* Legatorum sententiæ consenserunt cæteri Patres. Ac demùm Judices Imperiales auctoritate sibi à Marciano Imperatore demandata, Synodi Decretum confirmarunt, missis in irritum Rescriptis ab utraque parte impetratis, quibus derogare Synodus præ veneratione in Imperatorem suâ non poterat. *Cessantibus*, inquiunt, *secundùm Jussionem divinissimi & piissimi Principis, omnibus Pragmaticis, & quocunque modo Sacris ab utraque parte Literis impetratis, insuper & mulctatione, quæ in eis hujus rei causa noscitur contineri.* Hæc habentur ex Concilii Chalcedonensis Actione 7.

Hinc omnia Ecclesiasticæ Antiquitatis post Chalcedonense Concilium monumenta Jerosolymitanum Episcopum ut trium Palæstinarum Patriarcham exhibent. In Conciliorum Oecumenicorum sessionibus & subscriptionibus, in Legibus Justiniani Imperatoris, in Epistolis S. Gregorii Magni, quintus inter Patriarchas locus Jerosolymitano Episcopo tribuitur. Concilio trium Palæstinarum anno Domini 518. celebrato, Jerosolymitanus Episcopus præfuit, ut constat ex Actione 5. Concilii Constantinopolitani sub Menna. Avitus Viennensis Episcopus ad Jerosolymitanum Antistitem scribens Epistolam 23. Patriarchicam in eo dignitatem verbis sanè magnificis veneratur. *Exercet Apostolatus vester*, inquit, *concessos à divinitate Primatus, & quòd principem locum in Ecclesia teneat, non privilegiis solùm studet monstrare, sed meritis.* Falsò itaque Vuillelmus Tyrius *lib.* 14. *cap.* 12. scribit Patriarchicam Dignitatem Jerosolymitano Episcopo primùm fuisse delatam in Synodo 5. Oecumenica.

Scholion

In hac Dissertatione pag. 393. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Dispensandum à Canonibus, quando summum jus servari non potest.*

R. Quid hic Censurâ dignum? Non sic tamen ego, *Sed: Cyrillus ad Gennadium scripsit, aliquando à Regularum tenore deflectendum dispensationis causâ... aliqua dissimulanda, ubi summum jus haberi non potest, ne omnium rerum dispendium subsequatur.* Hæc si damnanda Religiosis Censoribus videantur, damnent pariter Epistolam S. Cyrilli ad Gennadium Presbyterum & Archimandritam, cujus hic titulus est: *Quòd connivendum sit in aliquo à Juris rigore, majoris emolumenti causâ.* Totam illam Epistolam expungi jubeant, in qua S. Cyrillus scribit: *Dispensationes rerum nonnunquam cogunt parùm quid à debito quodam ferri extra, ut majus aliquid lucrifaciant. Sicut enim hi qui mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante, anxiati quædam exonerant ut cætera salva permaneant: ita & nos cùm non habeamus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despicimus ex his quædam, ne cunctorum patiamur dispendia. Et hæc scribo cognoscens quòd Pietas tua tristetur in Sanctissimum & Dei cultorem Fratrem & Comministrum nostrum Proclum Episcopum, eò quòd admiserit in Communionem Ælimsium Episcopum, quem quidem Ecclesiæ Leges Palæstinæ præpositum non noverunt. Suscitat autem ad effrene negotii desiderium amor gloriæ, amarum terminum iniantes habens. Igitur ne refugiat Pietas tua Sanctissimi & Deo amantissimi Procli Episcopi Communionem, non enim fuit cura mihi & Sanctitati ejus, & dispensationis modus nulli Sapientum displicuit.* Hæc S. Cyrillus, quæ si aliquibus non placeant, illorum minimè curandum fastidium est.

DISSERTATIO XVII.

De Causa Domni Antiocheni.

DOmnus Antiochenus ab Episcopis Ephesinæ Synodi Secundæ, Latrocinii nomine satis notæ depositus est, in ejusque locum ordinatus Maximus ab Anatolio Constantinopolitano Episcopo, Theodosii Imperatoris jussu. Misit in irritum S. Leo omnia Latrocinii Acta, restituit Episcopos quos Pseudo-Synodi Proceres è suis Sedibus dejecerant: Domnus unus ab eo non est restitutus; imò confirmatus est Episcopatus Maximi, qui ipsi superordinatus fuerat. Domno verò annuum ex Ecclesiæ Antiochenæ facultatibus, permittente Synodo Chalcedonensi, concessit Maximus. Id quidem certissimum esset, si Actio de Domno Antiocheno, quæ Chalcedonensis Concilii Actis inserta est, genuina esset: sed ejus sinceritatem à Viris Eruditis in dubium meritò vocari, mihi persuasum est. Quod ut solita Methodo probare possim, sit.

Propositio

ACtio quæ de Domno Antiocheno inscribitur, & Actis Concilii Chalcedonensis post Actionem decimam & inserta, falsa est & commentitia.

Gravissima suppositionis argumenta profert P. Quenellius *Dissertatione* 9. *in Opera S. Leonis.* Primum est, quòd hæc una Actio Latinè tantùm edita sit, nec in Græcis Synodi Actis uspiam legatur. Si autem verè in Concilio confecta fuisset, cur eam sicut & cæteras, Græcè non haberemus?

Secundò, quia ex unico, recenti, & infirmæ fidei Codice, ab ignotis Scholaribus duobus Germanis accepto, prodiit hæc Actio, ut constat ex Epigraphe ipsi adjuncta in Crabbiana, Suriana, aliisque Conciliorum Editionibus.

Tertiò: Incerta Sedes actionis istius, ex quo Actis Chalcedonensibus inserta est, illius probat falsitatem. Post septimam enim Actionem collocata est in Editionibus Crabbiana, Suriana, & Biniana Latina anni Dom. 1606. in Romana verò Græco-Latina, aliisque Editionibus, post Actionem 10. Rationem ita constituti, aut immutati ordinis Editionum istarum Procuratores non reddunt: Quod argumento est eam inter alias Synodi Chalcedonensis Actiones non fuisse numeratam, sed longè post collecta illius Acta superinductam fuisse.

Quartò: Justinianus Imperator in Confessione rectæ Fidei adversùs tria Capitula, & Quinta Synodus Oecumenica, Collatione 6. Domnum post mortem à Concilio Chalcedonensi damnatum asserunt, quòd duodecim S. Cyrilli Capitula silentiô premenda esse scripsisset. Quomodò verò damnatus post mortem dici potuit, si ei ex Concilii sententia alimenta de reditibus Ecclesiæ Antiochenæ Maximus subministravit? Certè nec Justinianus, nec Quintæ Synodi Patres, aliquid eorum ignorasse existimandi sunt, quæ Actis Chalcedonensis Concilii continebantur, cùm illius Synodi gratiâ tanta esset de Tribus Capitulis dissensio. Adde, quòd si inter Acta Synodi Chalcedonensis tunc lecta fuisset Actio de Domno, facillimum fuisset trium Capitulorum defensoribus falsi arguere Justinianum, & Quintæ Synodi Patres, prolatis Actis Synodi Chalcedonensis.

Quintò: Facundus Hermianensis, qui tria Capitula acerrimè propugnavit, & omnibus adversariorum argumentis satisfacere conatus est, de damnatione Domni post mortem ne verbulum quidem habet. At id non omisisset vir sagacissimus, si ex Actis Chalcedonensis Concilii compertum habuisset Domnum fuisse eidem Concilio superstitem. Eam, inquam, adversariorum rationem insolutam non reliquisset. Quid quod idem Facundus Domnum magnis Doctoribus & Ecclesiæ luminaribus accenset, *lib.* 2. *cap.* 1. & *lib.* 8. *cap.* 5. & 7.? Quod certè non commisisset Author qui Synodum Chalcedonensem reverentia singulari prosequebatur, & ardentissimo studio ejus Decreta propugnabat, si Domnus à Synodo Chalcedonensi damnationis excepisset sententiam.

Sextò: Id probat Domni & amicorum ejus in Synodo memorata silentium. Si enim tempore Synodi Chalcedonensis superstes fuisset, ad Synodum se contulisset, ibique de Dioscori violentia & perfidia fuisset conquestus: quod alii fecerunt, qui longè deterioris erant conditionis. Veniam postulasset ob præstitum damnationi S. Flaviani in Latrocinio Ephesino consensum, & Catholicorum Antistitum communionem requisivisset, aliorum Episcoporum, quorum eadem erat causa, exemplum secutus. Præterea, incredibile est Domnum, qui Joannis Antiocheni, avunculi ac Decessoris sui, amicos omnes sibi devinctos habebat; qui plurimos Consecrationis titulo filios pepererat; quem Fidei pietatisque studium plurimùm commendaverat, ita contemptui habitum ab omnibus fuisse atque derelictum, ut nemo patrocinium ejus in Synodo susciperet, si adhuc fuisset superstes. Incredibile rursus est ipsum ad eas angustias fuisse redactum, ut quasi mendicus stipem ex Concilii consensu à Maximo Successore suo accipere cogeretur.

Septimò: Cùm S. Leo Latrocinii Ephesini Acta rescidit, Domni depositionem non excepit. Imò rogavit Theodosium: *Ut omnia in eo statu manere juberet, in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregaretur*: ut constat ex ipsius Epistola 40. Nulla itaque ratio est cur effectum habuisset lata in Domnum sententia, si è vivis non excessisset antequam Maximus ordinaretur Episcopus.

Octavò: Nulla ratio apparet cur cum Domno duriùs actum fuerit, quàm cum cæteris, qui Flavianum subscriptionibus suis, coacti, damnaverant. Imò cum ipso indulgentiùs actum esset, qui cæteris erat innocentior. Non solùm enim Eutychianam hæresim nascentem primus omnium confoderat; sed postquam militum circumstantium metu concussus, damnationi Flaviani subscripsit, primus omnium pœnitentiâ ductus resipuit; & eam ob causam exauctoratus est, quòd confessionem extortam sponte retractasset, ut refert Nicephorus, ab aliis antiquioribus Historicis, ut credere par est, edoctus, *lib.* 4. *cap.* 47.

Nonò: Cùm Anatolius scripsit ad S. Leonem, interrogavitque de nominibus Dioscori, Juvenalis, & Eustathii, an ad sacrum Altare recitari deberent, de Domni nomine non interrogavit. Interrogasset autem, & de eo respondisset S. Leo, quod de aliorum nominibus, nisi jam vita functus esset, ac in Ecclesiarum Apostolicarum Communione decessisset.

Decimò: Gelasius I. Pontifex Maximus in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, de damnatione Acacii, omnia quæcunque potest exempla congerit ad Sedis Apostolicæ auctoritatem supra Synodos extollendam, plures Episcopos recensens, quos à Synodo damnatos Apostolica Sedes absolvit, plures à Synodo absolutos, quos eadem damnavit: additque, veniam concessisse plurimis qui in Pseudo-Synodo Ephesina lapsi fuerant, cùm eam in irritum misit. Hic proculdubiò Domnum, & ejus successorem Maximum Pontifex nominasset, si Domni depositionem & Maximi Ordinationem ratas mansisse novisset, rescissis aliis Prædatoriæ Synodi Actis, quia S. Leo utramque confirmaverat. Sed ne verbulum quidem de Domno habet Gelasius, quia Domnum vitâ functum noverat, antequam ei subrogaretur Maximus.

Undecimò: Evagrii, & Liberati silentium, qui alia in Synodo Chalcedonensi gesta accuratissimè recensent, hanc de Domno Antiocheno Actionem non agnovisse ipsos probat. Evagrius quidem *lib.* 1. *Historiæ cap.* 10. de Episcopis in Latrocinio Ephesino depositis agens, hæc habet: *Abdicatur etiam Theodoretus Episcopus Cyri, & Domnus quoque Ecclesiæ Antiochenæ Antistes: de quo quid postea factum sit, non constat.* Sed si Actio illa de Domno sincera esset, ac inter alias Synodi Chalcedonensis Actiones lecta fuisset Evagrii temporibus, perspectum habuisset Evagrius quid factum esset de Domno post ejus depositionem; scilicet ejus damnationem, & Maximi ejus in locum substitutionem à Romano Pontifice ratas habitas fuisse, & Domnum impetratis à Synodo alimentis privatam deinceps vitam egisse. Illam itaque de Domno Actionem Evagrius non agnovit, utpote commentitiam. Liberatus verò in Breviario de Causa Nestoriana & Eutychiana, ea, quæ de Ephesina Pseudo-Synodo & Chalcedonensi narrat, se Alexandriæ de Græco in Latinum translata accepisse asserit, omnes Actiones Synodi Chalcedonensis accuratissimè recenset, earumque Breviarium pro instituti sui ratione ex ordine digerit *cap.* 13. Actionis verò de Domno

Domno habitæ non meminit. Cap. verò 14. hæc habet : *Expleto ergo magno & venerabili Chalcedonensi Concilio in duodecim Secretariis & sexdecim Actionibus.* At si Actio de Domno genuina esset, jam non sexdecim, sed septemdecim Concilii Chalcedonensis Actiones essent numerandæ.

Duodecimò : Stylus istius Actionis aliarum stylo dissimilis, barbarismi quibus scatet, & quædam à more Conciliorum aliena, quæ in ea habentur, ejus falsitatem apertè produnt. Ridiculum est etiam, ut pro decernendis Domno alimoniis singularem Actionem ac solennem instituerent Patres Chalcedonenses, cùm Maximus ex opibus Ecclesiæ, quæ sunt patrimonia pauperum, hoc ipsi subsidium absque venia Synodi impendere posset, & ad hoc misericordiæ opus propensissimus fuisse supponatur.

Ex his evidens est, 1. Actionem de Domno esse commentitiam, & ex Synodo Chalcedonensi expungendam. 2. Maximi Antiocheni Ordinationem non ideò confirmatam fuisse à Synodo Chalcedonensi, quòd Domni depositionem S. Leo approbasset, sed quòd obiisset Domnus, vel sponte recessisset, cùm Maximus ordinatus est ab Anatolio. Domni post depositionem secessus colligitur ex Vita S. Euthymii Abbatis à Cyrillo Monacho conscriptâ. Narrat ille, quòd cùm refragante Euthymio solitudinem relinquere meditaretur, ut Joannem Antiochenum avunculum suum, qui in partes Nestorii rapiebatur, ad Fidei defensionem, & Ecclesiæ unitatem revocaret, hæc à sanctissimo Abbate verba futuri prænuntia audiverit : *Si his neglectis, & tolerantia contemptis cogitationibus, tentabis à Laura discedere, obtinebis quidem administrationem quam tuus habet avunculus, sed eam tibi rursus auferent mali homines & præstigiatores, cùm ab illis priùs fueris seductus ignorantia.* Addit Cyrillus Monachus, Domnum profectum fuisse Antiochiam : *Et cùm illic fuisset*, inquit, *omnia quæ ei prædicta fuerunt, effectum sunt sortita. Illeque postea magnâ ductus Pœnitentiâ, quòd non obedisset, ad ipsum* (Euthymium) *revertitur, gravi dolore visceribus cruciatus, & acerbè deplorans.*

Eruditi Baluzii Objectioni respondetur.

Clarissimus Baluzius Actionis Chalcedonensis de Domno Antiocheno vindex, in nova Conciliorum Collectione, Præfatione in Acta Concilii Chalcedonensis, objicit auctoritatem Codicis Patriciæ Juliæ, quo usus est Rusticus S. R. E. Diaconus, qui Versionem Latinam Actorum Synodi Chalcedonensis edidit sub Vigilii Pontificatu. Nec verò ex unico illo Codice Actionem illam prodiisse, cùm eam habeant Corbeiensis & Divionensis, & tres Vaticani vetustissimi, quorum unus est mille saltem annorum.

Verùm in antiquioribus & melioris fidei Codicibus Actio de Domno Antiocheno non extabat, in illis præsertim quibus Evagrius & Liberatus utebantur ; imò nec in illis quos legit Rusticus, præterquàm in membranaceo illo novo Patriciæ Juliæ, quem ex antiquiori descriptum asserit. Sed nec habetur etiamnum in veteri illo Codice quem Baluzius Parisiensem vocat, neque in eo quod olim fuit Christinæ Suecorum Reginæ. Deinde à reliquarum Græcarum Actionum Synodi Chalcedonensis corpore ista de Domno Antiocheno distracta est, & incertam Sedem hactenùs nacta. Nam omnes Vaticani Codices illam Actione VII. ponunt ante Juvenalis & Maximi conventionem : Corbeiensis verò, & Editiones Conciliorum Romana antiquiores illam postponunt. Videtur ergo supposita à Rustico trium Capitulorum pertinacissimo defensore, ut ostenderet Domnum non esse damnatum post mortem.

DISSERTATIO XVIII.

De Zenonis Imperatoris Henotico.

Edictum Zenonis Augusti, quod Henoticon appellatur, nullam hæresim continere, Eutychianæ adversari, ostendimus à Synopsi : nunc inquirendum ac expendendum est, utrum aliis nominibus rejiciendum fuerit, & à piis quibusque meritò rejectum sit ?

PROPOSITIO.

Quamvis Henoticon Zenonis nullam hæresim disertè contineret, meritò tamen à piis quibusque rejectum est.

Probatur. Decretum de Fide, quòd à Laïco homine, quamvis Principe editum est ; quod Synodum Oecumenicam indirectè petit ; quod ejusdem Synodi ab universa Ecclesia receptam Definitionem Fidei contra Hæreticos, & Romani Pontificis Epistolam, quam velut quoddam Fidei mathema suscepit Oecumenica Synodus, cuique subscripserunt omnes Episcopi, obruit silentiô : quod denique Hæreticos ad Communionem recipi jubet, nullâ ipsis errorum ejuratione indictâ, nullâ Pœnitentiâ actâ ; illud, inquam, Decretum à piis quibusque rejiciendum est. Sed Henoticon Zenonis de Fide decernit, quamvis id sit Laïcis hominibus illicitum. 2. Synodum Chalcedonensem indirectè petit, his verbis : *Quicunque verò aliter sentit, aut sensit, vel nunc, vel quandocunque aliàs, sive Chalcedone, sive in alia quælibet Synodo, eum anathematizamus.* Tertiò, Definitionem Synodi Chalcedonensis contra Eutychetem, & Epistolam S. Leonis ad Flavianum summo totius Synodi consensu receptam & approbatam, silentiô premit, variâque œconomiâ condescendit Hæreticis, qui illas execrabantur. Hoc verò causam Fidei prodere est. Quare sicut Ecthesim Heraclii, & Typum Constantis Imperatorum meritò detestata est Ecclesia, ob suppressas *duarum operationum* voces, quibus Monothelitarum Hæresis profligabatur : ita meritò pii quique execrati sunt Zenonis Imperatoris Henoticon, ob suppressam S. Concilii Chalcedonensis, & Epistolæ S. Leonis memoriam, obrutasque silentiô voces illas, quibus Hæresim Eutychianam jugulaverunt, *Ex duabus & in duabus naturis* Christum subsistere. Quartò, Catholicos Hæreticorum communione pollui procuravit Zeno hôc Edictô, non emendari Hæreticos. Illos enim ejurare errores, Fidei professionem emittere, & agere Pœnitentiam non jussit, sed his minimè perfunctos officiis in Communionem suscipi. Itaque Zenonis Henoticon meritò à piis quibusque rejectum est, quamvis nullam Hæresim contineret.

Certè Laïcos Principes decernere de Fide non posse, ipsosque Sacerdotum usurpare officia, cùm id tentant, illustribus probatur argumentis. Primum petitur ex Magni Osii adhortatione ad Constantium. *Tibi*, inquit, *Deus Imperium commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Sicut ergo qui Imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, divinam indignationem incurras. Neque igitur nobis fas est Imperium in terris tenere : neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.*

Secundùm petitur ex facto Valentiniani Imperatoris, qui cùm ad Synodum indicendam solicitatus esset ab Episcopis Orientis, anno 364. pro restauranda consubstantialitatis Fide, quæ à Constantio pessumdata erat, respondit, teste Sozomeno, *lib. 6. cap. 7.* Sibi, qui unus è Laïcorum numero

ciar, non licere se ejusmodi negotiis interponere. *Et ideo*, inquit, *Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc cura fuat, seorsim per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.*

Tertium petitur ex S. Ambrosio Epistola 35. lib. 5. quâ recusat cum Auxentio Ariano Episcopo disputare de Fide in Consistorio Principis: Id enim recusat fretus Valentiniani Imperatoris non exemplo tantùm, sed & Lege. *Nec quisquam*, inquit, *contumacem me judicare debet, hoc cum asseram, quòd augustæ memoriæ Pater tuus non solùm sermone respondit, sed etiam Legibus sanxit: In causa Fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis, eum judicare debere, qui nec munere sit impar, nec jure dissimilis*, &c.

Quartum petitur ex Epistola Theodosii Imperatoris ad Synodum Ephesinam. *Candidianum*, inquit, *ad sacram vestram Synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa Fidei dogmata incidunt, nihil quidquam habeat commune. Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.*

Quintum petitur ex S. Maximo Abbate, cum Proceribus seu Magistratibus Constantinopolitanis conferente, occasione Typi à Constante editi: *Sacerdotum est*, inquiebat, *quærere ac definire de salutaribus Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus; Imperator verò inter sacras Oblationes, post omnem sacratum Ordinem primus inter Laicos memoratur.* Ex his omnibus compertum est, Laicos Principes usurpare officia Sacerdotum, cùm de Fidei causis decernunt: eô nomine reprehendi meruisse Zenonem Imperatorem, cùm Henoticon edidit; adeòque vel ob eam unam rationem, fuisse meritò à piis quibusque rejectum.

Probatur secundò ex Facundo Hermianensi Edictum illud impugnante, & multa circa illud notatu dignissima observante lib. 12. cap. 4. *Ea verò*, inquit, *quæ postea Zenon Imperator, calcatâ reverentia ordinis Dei, pro suo arbitrio, ac potestate decrevit, quis accipiat, quis attendat? In quibus potestas inconsiderata, non quod expediret, sed sibi liceret, attendit: nec intellexit quòd non confusio faciat unitatem. Nam si unitas non Hæreticorum conversione, sed contagio & commixtione facienda est, cur Acephali tantùm, & non omnes Hæretici, admitterentur in Ecclesiam suis erroribus non ante damnatis, neque receptis definitionibus quæ adversùs errores eorum constituta sunt? Exhortans quippe memoratos Acephalos ad Ecclesiam reverti, priore loco sic dicit: Flavius Zeno Pius, Victor, Triumphator, Maximus semper Augustus, orthodoxis Episcopis, Archimandritis, & populis, per Alexandriam, & per Ægyptum, & Pentapolim, & Lybiam constitutis: & postquam eos vocavit Orthodoxos, commonet ut faciensur Ecclesia, dicens: Conjungimini igitur Matri spiritali Ecclesiæ, ut unâ divinâ communicatione fruamini. O Virum prudentem, & undique circumspectum, qui inexbare præsumpsit officio Sacerdotum! Orthodoxos vocat Acephalos, si nihil aliud, ab Ecclesia separatos. Cur igitur eos hortatur ut conjungantur matri spiritali, si ex ea disjuncti, permanserunt Orthodoxi?*

Et infrà: *Sed quid adhuc Potestas mundana sibi & non rationi confidens agat, accipite. Nam volens eisdem Semieutychianis satisfacere, in hoc Edicto Fidem suam exposuit, profitens quòd Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum Concilium susciperet, tacens autem de Chalcedonensi, & duarum Christi naturarum professionem refugiens: quasi non antidoto sanandi sint morbidi, sed ad aliorum contagium colligendi. Cùmque scriptum sit: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar; Rex confundebatur in conspectu subjectorum loqui quod verum est. Hoc merebatur de Justitiâ divinâ Dei contemptor, ut qui ejus ordini subditus esse noluit, subditos vereretur. Qui etiam aliud deterius addens, ait: Quod Sancta, quæ ubique essent Catholica Ecclesia, & qui eis præessent Deo amabiles Sacerdotes, non aliter crederent. Quasi omnium Fides Ecclesiarum ex ejus voluntate penderet, & nemini liceret aliter credere quàm præciperet Imperator.*

Et infrà, hæc subjungit: *Deinde cum Palatii causa transferantur ad Ecclesiam, quomodò Ecclesiæ causam ad Palatium transferebat? Postremò: Nunquid jam docuerat, vel pacaverat omnes Reipublicæ infestas nationes? Jam per diversas Imperii sui Provincias seditiones ac seditionum causas abstulerat, jam cunctis criminalium sive civilium causarum querelis convenientem dederat finem? Cùm igitur his non sufficeret, quibus nemo sufficere potest, quomodò, si cogitaret tanta loci sui pericula, & de omnibus se rationem Deo crederet redditurum, etiam periculis se alienis immergeret, vel si talem præsumptionem divina justitia non damnaret? His autem non contentus, hoc quoque ad injuriam Sanctæ Synodi Chalcedonensis adjecit, dicens: Adunate ergo vos in nullo dubitantes. Hæc enim scripsimus vobis, non innovantes Fidem, sed ut vobis satisfaceremus. Omnem verò aliter sapientem, sive nunc, sive quandoque, sive Chalcedone, sive in quacunque Synodo, anathematizamus.*

Denique sic in memorato dixit Edicto: Coaptentur membra membris, quæ inimicus boni ex multo tempore separare festinavit: scit enim quoniam si integrum Ecclesiæ corpus impugnet, facilè superatur. Ex hac ergo divisione contigit per tantas generationes tantorum annorum, ut alii quidem lavacro regenerationis fraudati de hac vita discederent, &c. Quòd si consentiamus prædicationi potentiæ sæcularis, quæ post tantas generationes fallendo, vel tacendo quod verum est, facere se posse credidit unitatem: dicemus etiam nos, quòd nisi aggregati simus Eutychianis, integrum non sit corpus Ecclesiæ. Sed væ nobis est, si absque Acephalis truncos nos credimus remansisse. Cùmque Beatissimus Leo diceret: Nam nullô modô fieri potest, ut qui divinis audent contradicere Sacramentis, aliquâ nobis communione socientur; ille contradictores in Ecclesiam misit, dans sanctum canibus, & conculcandas ante porcos projiciens margaritas. Denique in ipsos semeritores conversi, disruperunt eos, & ab Ecclesia diviserunt. Propter quod etiam grande ac diuturnum schisma factum est, donec misericors Deus per vestræ Pietatis ministerium eos redderet unitati.

Victor denique Tunonensis in Chronico narrat, quantum malum ex Zenonis Henotico in Ecclesiam redundaverit, quòd scilicet eô receptô confusi sint Alexandriæ primùm cùm Hæreticis Orthodoxi; tum exinde Constantinopoli & Antiochiæ, ac toto demùm Oriente labes eadem secuta. *Post Consulatum*, inquit, *Theoderici Viri clarissimi, Orientales Episcopi, præter paucos, per Henoticon Zenonis communione atque consensu polluti Petri Alexandrini, & Acacii Constantinopolitani Episcoporum, Synodo Chalcedonensi renuntiant.*

Dices, Zenonis Henoticon non fuisse à Summis Pontificibus, aut ab ulla Synodo damnatum.

Respondeo: Satis damnatum fuisse hoc ipsô quòd damnati sunt qui illi subscripserant, Petrus Moggus, Petrus Fullo, Acacius: & Zeno ipse post mortem ex sacris Dyptichis expunctus est summo totius Ecclesiæ consensu, quando pax inita est inter Orientalem Ecclesiam & Romanam sub Hormisdæ Pontificatu, & Justini Imperio. Oeconomiâ autem quadam usa est Ecclesia erga Zenonem, nec ejus Edictum disertè damnavit; tum ne ipsius animum exacerbaret, ac graviora inde Schismata & mala orirentur, quorum difficilior esset sanatio: tum quia Zeno Synodum Chalcedonensem disertè non damnaverat, nec Hæresim ullam adstruxerat Henotico suo; imò damnaverat Eutychianum dogma, & aliunde privatis literis ad Pontifices datis Synodum Chalcedonensem profitebatur. His enim

enim verbis scripsit ad Felicem III. *Pro certo habere debet, & Pietatem nostram, & supra memoratum Sanctissimum Petrum, & universas sacro-sanctas Ecclesias, sanctissimum Chalcedonense Concilium amplecti atque venerari, quod cum Fide Concilii Niceni prorsus consentit.*

Adde, Henoticon Zenonis satis improbatum videri his Felicis verbis Epistola 9. ad Zenonem: *Certum est enim hoc rebus vestris esse salutare, ut cùm de causis Dei agitur, & juxta ipsius constitutum, Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre: & sacro-sancta per eorum Præsules discere potiùs, quàm docere: Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere, Neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit Clementiam tuam piæ devotionis colla submittere, ne dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.* Denique Zenonis Henoticon à Felice III. rejectum fuisse ac improbatum disertè testatur Theodorus Lector. lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, *Cùm omnes alii Patriarchæ*, inquit, *Zenonis Henotico consensissent, solus Romanæ Urbis Episcopus Felix communicare ei noluit.*

DISSERTATIO XIX.

De Causa Acacii.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum justa fuerit Acacii damnatio?

PROPOSITIO.

Acacius alienus à Fide non fuit: justis tamen de causis damnatus à est Romanis Pontificibus.

Prima pars probatur ex omnibus Summorum pontificum Epistolis, quæ in causa Acacii scriptæ sunt, in quibus cùm multorum criminum arguatur, nusquam tamen accusatur hæreseos.

Secundò, ex Gestis de nomine Acacii, seu ex Breviculo Historiæ Eutychianorum, quod licet *Excessus Acacii gravissimos* memoret, quòd scilicet Petrum Moggum, & Petrum Fullonem, quos priùs velut Hæreticos meritò fuerat insectatus, in Communionem suam susceperit, laudaverit, & in Sedes Alexandrinam & Antiochenam restitui curaverit à Zenone: quòd Simplicii & Felicis Romanorum Pontificum sanctissima spreverit monita, & ludibrio habuerit: *In eversionem totius Ecclesiasticæ disciplinæ*: quòd denique hostili more Sedis Apostolicæ Legatos detruserit in carcerem: nusquam tamen hæresim improperat Acacio. Nam quod ibi dicitur de Legatis Pontificiis: *Qui quamvis hostili more detrusi in custodiam Chartas amiserint, tamen perfidis Hæreticis atque damnatis accommodare non debuerant, quæ sola negari potuit, voluntatem.* Hæc, inquam, verba non sunt ad Acacium referenda, quasi perfidus Hæreticus vocetur, sed ad Petrum Moggum, & ejus fautores Eutychianos, ut patet ex verbis sequentibus. *Non solùm ergo non egerunt quæ jussa sunt, aut quæ expedire poterant; sed etiam Hæreticis communicaverunt, confirmationem Petri Episcopatûs, ad quem pellendum missi fuerant, deferentes, atque contumelias in Episcopum Joannem, Acacio dirigente, portantes.*

Tertiò, idem probatur ex sententia lata à Felice III. in Acacium, quæ continetur Epistola 6. ejusdem Pontificis ad illum datâ: in qua cùm omnia Capita recenseantur, ob quæ damnatus est, violatæ Fidei reus non dicitur.

Quartò, idipsum probatur ex Facundo Hermianensi Episcopo, *lib. contra Mocianum*, ubi ob eam causam damnatum scribit Acacium, quòd inimicos A Synodi Chalcedonensis in Communionem suam susceperit, non quòd ipsius Concilii Fidem impugnaverit, aut illud anathemate damnaverit. *Nam*, inquit, *& cùm Acacius Constantinopolitanus Episcopus aliquid adversùs auctoritatem Synodi Chalcedonensis auderet, non equidem, sicut nunc factum est, Decreto cum anathemate constituto, sed solâ ipsius Synodi inimicis Communione permissâ: prævidens Apostolica Sedes quod, sicut exitus docuit, hæc remissio ad destructionem Concilii memorati prætenderet, (postea quippe Zeno Imperator, qui eis communionem præberi mandaverat, à minoribus ad majora prosiliens, ipsum* B *Concilium promulgatò sprevit Edictò) eundem Acacium, quamvis prædicto Zenone resistente, damnavit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum Episcoporum nunc usque damnatus est.*

Probatur secunda pars. Ille meritò damnatus est à Romanis Pontificibus, qui communionem iniit cum Hæreticis; qui à Pontificibus ipsis sæpè monitus, Hæreticorum communionem non deseruit; qui Zenoni author fuit conscribendi & promulgandi Henotici; qui Catholicos Episcopos afflixit, & Sedibus expulit, in eorumque Ecclesias damnatos dudum Hæreticos intrudi passus est, imò curavit; qui C Apostolicos Legatos, abstractis Legationis literis, & Pontificiis Mandatis, conjecit in carcerem, eosque tandem corrupit & ad communionem Hæreticorum, nec-non ad confirmandum Petro Moggo Episcopatum pertraxit: Qui denique à Summo Pontifice in judicium vocatus, ut libello Joannis Talaiæ responderet, sistere se coram Sede Apostolicâ renuit. Atqui horum omnium facinorum reus fuit Acacius: justis itaque de causis à Romanis Pontificibus damnatus est.

Probatur minor ex sententia à Felice III. lata in Acacium, quam ipsius Epistola 6. ad eumdem data exhibet, in qua omnia capita, ob quæ damnatus est, sigillatim enumerantur. D *Multarum*, inquit, *transgressionum repertus obnoxius, & in venerabilis Concilii Nicæni contumelia sæpe versatus, alienarum tibi Provinciarum jura temerariò vindicasti. Hæreticos pervasores, atque ab Hæreticis ordinatos, & quos ipse damnaveras, atque ab Apostolica institisti Sede damnari, non modò communioni tuæ recipiendos putasti; verùm etiam aliis Ecclesiis, quod nec de Catholicis fieri poterat, præsidere fecisti: aut etiam honoribus, quos non merebantur, auxisti: & quasi hæc minora tibi viderentur, in ipsam doctrinæ Apostolicæ veritatem ausu superbiæ tuæ tetendisti, ut Petrus, quem damnatum à* E *sanctæ memoriæ Decessore meo ipse retuleras, sicut testantur annexa, Beati Evangelistæ Marci Sedem, te connivente, rursus invaderet, & fugatis orthodoxis Episcopis, & Clericis, sui proculdubio similes ordinaret, pulsoque eo qui illic fuerat regulariter constitutus, captivam teneret Ecclesiam. Cujus tibi adeò grata persona est, ut Episcopos & Clericos plurimos orthodoxos, nunc Constantinopolim venientes, detegaris affligere, & Apocrisarios ejus confovere; atque anathematizantem eumdem Petrum Chalcedonensis Decreta Concilii, & violantem sanctæ memoriæ Timothei sepulturam per Misenum & Vitalem crediderís excusandum; nec eum laudare desieris, & multis efferre præconiis; ita ut damnationem* F *ipsius, quam ante retuleras, veram non fuisse, jactaris. Tantùm autem perseveras in hominis defensione perversi, ut quondam Episcopos, nunc verò communione & honore privatos, Vitalem atque Misenum, quos ad ejus expulsionem specialiter misceramus, sublatis chartis, custodiæ passus fueris mancipari. Exinde productos, sicut eorum professione patefactum est, ad Hæreticorum, tuamque communionem, contemptâ, quæ vel gentium jure servari debuit, legatione, pertraxeris præmissque corruperis, & in læsionem Beati Petri Apostoli, à cujus Sede profecti fuerant, non solùm inefficaces redire feceris; sed etiam impugnatores omnium quæ fuerant*

rant

tant mandata, monstraris. In quorum deceptione suam negotiam prodidisti, & ad Libellum fratris & Coepiscopi mei Joannis, qui te gravissimis objectionibus imposivit, in Apostolica Sede, secundùm Canones respondere diffidens, objecta firmasti. Felicem quoque Defensorem fidelissimum nobis, necessitate faciente serius subsecutum, indignum tuis censuisti oculis. Eos quoque tecum literis tuis communicare testatus es, quos constat esse Hæreticos. Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex Sententia præsenti, quam per sua tibi direximus Defensorem Ecclesiæ: Sacerdotali honore, & Communione Catholicâ, nec-non etiam à Fidelium numero segregatus, sublatam tibi nomen & munus Ministerii Sacerdotalis agnosce, Sancti Spiritûs judicio, & Apostolicâ Auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus. Hanc autem Sententiam in Acacium tulit Felix III. in Synodo Romana, anno Domini 484.

Probatur secundò ex Evagrio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18. *Cum*, inquit, *Libelli à Joanne Felici porrecti essent adversus Acacium, ut qui illicitè Petro communicaret, & alia quidem gereret contra sacrorum Canonum præscriptum, Felix Vitalem ac Misenum Episcopos ad Zenonem misit, poscens ut Chalcedonensis Synodus firmaretur, & Petrus tanquam Hæreticus expelleretur: utque Acacius Romam mitteretur, rationem redditurus eorum, quæ Joannes ei objiciebat.* Canonicè accusatus a Joanne Talaia Acacius, canonicè item vocatus in Judicium à Romano Pontifice, minimè paruit, in Petri Moggi communione nihilosecius permansit: meritò itaque damnatus est.

Confirmatur ejusdem Evagrii testimoniô, cap. 21. ubi Romanæ Synodi Acta sub Felice III. in causa Vitalis & Miseni, nec-non ipsius Acacii, summatim referens, Vitalem & Misenum testimoniis Simeonis Acæmitensis Monachi & Sylvani Presbyteri convictos initæ cum Hæreticis communionis memorat: lectam item Epistolam Acacii ad Simplicium Romanum Pontificem, in qua Acacius Petrum Moggum jampridem depositum fuisse dicebat, eumque noctis filium esse: Misenum ac Vitalem Sacerdotio pulsos, & à mystica Communione remotos: Petri Moggi damnationem & excommunicationem latam jam olim sacræ Sedis Decreto sub Simplicio nimirùm Pontifice, confirmatam: *Acacium verò gravissima reprehensione dignum* pronuntiatum fuisse: *Quippe qui cùm ad Simplicium scribens, Petrum hæreticum vocasset, idipsum Zenoni haudquaquam significaverit:* evidensque esse quòd *Zenonem magis amaret, quàm fidem.*

Probatur tertiò ex Liberato, in Breviario cap. 17. referente quomodò Petro Moggo & ejus factioni communicaverit Acacius, authorque fuerit Zenoni Augusto condendi & promulgandi Henotici, & expellendi Joannis Talaia ex Alexandrina Sede, & Petri Moggi in eamdem intrudendi. *Occurrerunt*, inquit, *quidam à Petro, volentes quasi fieri unitatem, quos jucundissimè suscepit Acacius, & Imperatori præsentavit, & persuasit ei ut scriberet Apollonio Augustali, & Duci Pergamio, ut Joannem ab Alexandrina Sede expellerent, quasi eam contra suum jusjurandum, quod in Regia Civitate dedit, arripuisset, & cooperarentur Petro Moggo ut remearet ad Sedem*, &c. *Acacius verò, promittente Petro facere unitatem, nec adhuc implente legitimè; nomen ejus in Dypticbis recitari permisit, tanquam jam Alexandrini Præsulis in Sede positi. Joannes Talaia judicatur à Zenone ab Episcopatu pelli. Acacius auxiliô patronorum Petri, persuasit Zenoni ut fieret Henoticon: ad cujus prolationem seu professionem suscepit communicantes sibi, Clericos Petri hæreticos, & Laicos inventos Constantinopoli.*

Et cap. 18. *Acacius susceptis Epistolis Simplicii, rescripsit ei, quia Joannem quidem Alexandriæ ignoraret Episcopum, Petrum verò Moggum suscepisset in communionem, in Zenonis Principis Unitivo, & quòd hoc contra ejus gessisset sententiam, propter unitatem Ecclesiarum, Principis Jussione. Simplicius verò suscipiens hujusmodi literas, contristatur adversùs Acacium, eique rescribit, quòd non benè fecerit, contra sententiam Apostolicæ Sedis, ad communionem hæreticum hominem suscipiens; oportebat enim communi decreto damnatam tanquam adulterum, communi consiliô à damnatione liberari; ad hæc autem, quia non sufficeret Petro confiteri communicatorem se esse Ecclesiæ Catholicæ secundùm Edictum: se oportere eum, secundùm Terminum Chalcedonensis Concilii, & secundùm Epistolam Papæ Leonis, Ecclesiæ amplecti communionem. Unum ergo duorum necessariò agere deberet, aut suadere Petro purè suscipere Terminum* (hoc est Definitionem) *Synodi, aut removere se ab ejus communione.*

Et infrà: *Cùm per quinque annos sæpius fuisset admonitus Acacius, ut de statu Alexandrinæ Ecclesiæ Sancti Papæ solicitudinem relevaret, nihil unquam respondere dignatus est. Quoniam verò tot Epistolæ, quæ vel ad Acacium à Papa, vel ad Imperatorem missæ sunt, nihil penitus profecerunt: ex deliberatione Vitalis & Misenus Episcopi in legatione directi sunt, ut quæ superiùs dicta sunt, allegarent, & Petrus, sicut antea, de Alexandrina Ecclesia pelleretur. Itum est Constantinopolim, & suprà dicti Episcopi in custodiam sunt redacti, chartis sublatis, ut Catholicus, quibus scriptum fuerat, redderentur: quos iterùm Acacius post hæc de custodia ejiciens, secum fecit procedere, ut quasi confirmatô Petri Sacerdotiô dimitterentur!*

Ubi ergo ad plenum detectus est Acacius hæreticus, (communione, non dogmate) *Papa Felix in literis suis Synodicis ad Acacium, sic posuit: Peccasti, ne adjicias, & de prioribus supplica. Suscepistis Acacius literis perseveras, neque recedens à communione Petri, neque suadens ei palàm suscipere Chalcedonense Concilium, & Tomum Leonis Papæ. Hæc cognoscens Papa Felix, damnationis Scripturam misit Acacio per Tutum Defensorem, cujus est principium: Multarum transgressionum reperiris obnoxius: & datis Acacio hujusmodi literis, eas non suscepit, patrociniô fultus Imperatoris; ita ut cogerentur, qui eas detulerunt, per quemdam Monachum Acimatensem ipsam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda Sacra; suspendere in ejus Pallio, & discedere. qui tamen usque ad mortem, patrocinante Imperatore, permansit sacrificans. His ergo provenientibus, & Acacio permanente in Petri communione, separavit se quidem Sedes Apostolica à Constantinopolitana.* Ex Liberato, multorum criminum reus fuit Acacius. Primò, quòd Joannem Talaia Episcopum Alexandrinum, Catholicum, & Synodi Chalcedonensis defensorem, è sede sua expelli à Zenone Imperatore effecerit, privatam injuriam ut ulcisceretur. Secundò, quòd eidem Imperatori author fuerit condendi & promulgandi Henotici. Tertiò, quòd Petro Moggo faverit, eumque & alios hæreticos in suam susceperit communionem. Quartò, quòd memoratum Petrum in Sedem Alexandrinam revocari curaverit à Zenone, & ejus nomen sacris Dypticbis adscripserit. Quintò, quòd Simplicio monenti ut à Petri Moggi communione recederet, nisi Synodo Chalcedonensi & Epistolæ S. Leonis subscriberet, ac secundùm eas Fidei emitteret Professionem, parere noluerit. Sextò, quòd Legatos Apostolicos hostili more exceperit, ac deinde corruperit. Septimò, quòd à Felice III. post frequentia monita damnatus, insuperhabitâ Sedis Apostolicæ Sententiâ, & contemptâ excommunicatione, sacra Ministeria ad mortem usque obierit. Octavum crimen addit ex Basilio Cilice Nicephorus Callistus; quòd scilicet Romani Pontificis nomen expunxerit ex Dypticbis, atque ita nefarii schismatis auctor fuerit. Itaque justis de causis Acacius à

Romanus

Romanis Pontificibus damnatus est, ejusque nomen post mortem ex Tabulis Ecclesiæ deletum.

Probatur quartò ex Gelasio I. Pontifice Maximo Epistola 1. ad Euphemium Constantinopolitanum Episcopum: in qua probat Acacium à Decessoribus suis justè damnatum ob initam cum hæreticis communionem, eosque Concilii Chalcedonensis executores fuisse, cùm sententiam in eum tulerunt. *Immò*, inquit, *& adhuc quæritis quando fuerit damnatus Acacius: quasi reverâ etiamsi nullus eum ante damnasset, non habuerit Orthodoxæ & Apostolicæ communionis, cujus prævaricator exstitit & desertor, participatione secludi: sicut etiam quilibet qui fuerit ante Catholicus, cuicumque hæresi communicans, meritò judicatur à nostra societate removendus: aut in tali sorte defunctus, inter Catholicorum nomina nullatenus computari. Miramur tamen quomodo ista proferatis, hoc est, ut & Synodum Chalcedonensem vos suscipere pro Fide Catholica profiteamini, & eos, quos damnavit, sectantium communicatores non particulariter generaliterque putetis fuisse damnatos. Ostendite ergo quæ Synodus in unaquaque hæresi cum erroribus successores eorum, his communicantes, simulque omnes non damnet & complices. Itaque ille vester Acacius, qui Eutychianis hæreticis detestabili communione factus est particeps, ab eadem Synodo sine dubitatione damnatus est, qua & Eutychem, Dioscorumque, cum successoribus eorum, hisque communicantes Synodico tenore prostravit.*

Confirmatur ex eodem Pontifice in Commonitorio ad Faustum Magistrum, legatum à Theodorico Rege Constantinopolim. *Euphemium verò miror*, inquit, *si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit secundùm formam Chalcedonensis Concilii Acacium fuisse damnatum? Nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per universam sententiam Sacerdotum, erroris hujus Auctores constat fuisse damnatos: sicut in unaquaque hæresi à principio Christianæ Religionis & factum fuisse, & fieri, manifestâ ratione monstratur: Decessoremque meum executorem fuisse veteris Constituti, non novæ constitutionis auctorem? Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici, ut quoslibet, & quemlibet locum, secundùm regulam hæreseos ipsius ante damnatæ, à Catholica communione discernant. Acacius quippe non fuit novi, aut proprii inventor erroris, ut in eum nova Secta prodiret, sed alieno facinori suâ communione se miscuit. Itaque necesse est ut in illam recideret justâ lance sententiam, quam cum suis successoribus per convenientiam Synodalem susceperat Auctor erroris. Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quò Primæ Sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam prorsùs appellari debere, sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potiùs decreta sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, & cæteri, non solùm unus, sed plures utique nomen Sacerdotis præferentes, solâ Sedis Apostolicæ sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus exstitit executor. Quod utique sicut Apostolicam Sedem juxta formam Synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse, certissimum. Hac igitur modo recidens in consortium damnatorum, est damnatus Acacius, qui eorum damnationem, antequam prævaricator existeret, fuerat executus.* Ex his colligitur, Pontifices Romanos, cùm Acacium damnarunt, Canonum executores fuisse, Conciliique Chalcedonensis constituta adversùs Eutychem, & Eutychianos, eorumque communicatores ac fautores, executioni mandasse. Secundò, ab illorum sententiâ appellari non potuisse ad Synodum, quia non propriâ tantùm auctoritate, sed Synodi Œcumenicæ, hac in causa judicabant. Tertiò tam solius Sedis Apostolicæ auctoritate damnari potuisse Acacium, quàm damnati fuerant Timotheus Ælurus, Petrus Moggus, Petrus Fullo, &c. quia utrobique de Synodi Chalcedonensis executione agebatur. Ad Sedem autem Apostolicam pertinet vi Primatûs S. Petro & ejus Successoribus à Christo concessi, ut Canones toto orbe Christiano executioni mandari curet, eorumque infractores coërceat, & Episcopos ipsos Primarum Sedium, sive Patriarchas, secundùm eorumdem Canonum dispositionem, deponat: nec Synodorum Œcumenicarum salubria constituta permittat retractari.

Id luculentiùs confirmat mox laudatus Pontifex Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ data. *Stultitiam rejicientes inanium querelarum*, inquit, *percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam Patres nostri Catholici doctique Pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro Fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica, secundùm Scripturarum veritatem, prædicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuo, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt: sapientissimè prævidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque pravos errores stabile persisteret Ecclesiæ Constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra Definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel Synodalium Regularum: non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere: quid fieret, si subinde suis esset perfidis inire Concilium? Cum, quamlibet manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat & falsitas, tametsi ratione vel auctoritate deficiens, solâ tamen contentione non cedens. Quæ Majores nostri divinâ inspiratione cernentes, necessariè præcaverunt, ut quæ contra unamquamque hæresim coacta Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent post hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed Auctore cujuslibet insaniæ ac pariter errore damnatô, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententiâ damnationis ejus esset obstrictus. Quoniam manifestè quilibet, vel professione sua, vel communione posset agnosci... Sic propter blasphemias Arii forma Fidei communionisque Catholicæ Nicæno prolata Conventu Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem, sive consensu, sive communione deciderit, sine retractatione conclusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium Synodus semel gesta condemnans, ulteriùs ad nova Concilia venire non sivit: sed universos quocumque modo in hæc consortia recidentes, traditô sibi limite Synodali, refutavit Ecclesia: nec unquam rectè cessisse manifestum est, quibus necessitate cogente, novis ausibus, quæ fuerant salubriter constituta, temerasse... Quibus convenienter ex Paterna Traditione perpensis, confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi Constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm Primam, quæ & unamquamque Synodum suâ auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione custodit; pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesiâ nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet. Hæc dum Acacium certis comperisset indiciis à Communione Catholica deviasse, diu*

Sedes Apostolica pro suo Principatu … exequitur.

tius-

tius ista non credens, quippe quæ noverat executorem sæpè necessariæ dispositionis suæ contra hæreticos extitisse, per triennium ferè literis destinatis, eumdem monere non destitit; sicut per diversos missa frequenter Scripta testantur: quibus ille cùm diu respondere non proponeret, Episcopalis directa legatio est, ac nihilominùs pagina destinata, quæ præmoveret eum suorum ante meminisse gestorum, & quæ prius pro Fide Catholica defendasset, oportere respicere contestans acriter & blandiende, & minando, ne se à corpore Catholicæ unitatis abscinderet. Simulque, quoniam Joannes Secundæ Sedis Antistes hunc gravibus pulsaret, objectis, ad Primæ Sedis audientiam cohortatus est vel venire, vel mittere debere. Licet enim Synodus iteranda non esset, tamen congrueret ut cujuslibet civitatis Episcopus Primæ Sedis judicium non vitaret, ad quod convenerat Secundæ Sedis Antistes, qui nisi à Prima Sede non posset audiri: præcipuè qui præjudicatis animis nullâ Synodo à Græcis fuisse exclusus.... Sed Acacius non solùm despexit satisfacere postulatis, verùm etiam ipsam legationem Sedis Apostolicæ, blandimentis, præmiis, perjuriisque deceptam, Petri communione pollutam redire perfecit, in tantum Sedis Apostolicæ despiciens potestatem, ut non solùm ejus auctoritati non cederet, sed eam potiùs in consortium communionis externæ, per Legatos suos niteretur abducere, fieretque Apostolicæ Sedi necessitas eos ipsos, quos direxerat, Sacerdotes, honore pariter & communione privare, ne tali contagione videretur infecta. Nihilominùs autem literis suis Acacius indicarat, & in Alexandrini Petri se communionem, quem expetita Sedis Apostolicæ auctoritate executor ipse damnaverat, sine ejusdem Apostolicæ Sedis consultatione promptissimè recidisse, & accusationem Joannis, laudesque Petri proprio sermone deferre: de quibus, si utique confidebat, magis vel venire, vel mittere debuisset, ut & præsentem de mendaciis, quæ dicebat, posset confutare Joannem, & præconia Petri, quæ digesserat, rationabiliter allegare: quod cùm minimè fecerit, satis evidenter ostendis nec Joannem se posse convincere, nec legitime receptum Petrum habere fiduciam perdocendi: solumque sibi monstravit inesse propositum lacerandi Catholicos, hæreticosque laudandi, seseque eorum potiùs, quos laudabat, docuit esse participem, quam Catholicorum, quos nitebatur decolorare, consortem: tulitque de se ipse judicium, cùm damnati hominis communione pollutus, damnationis ejus factus est particeps. Ita & Sedes Apostolica, quod ad necessariam diligentiam respiceret, nihil omisit, & Acacius secundùm formam Synodi Chalcedonensis, quâ error qui communicavit, elisus est, suô judiciô condemnatus apparuit.... Hic si examinatio quæritur, jam judiciô non erat opus, posteaquam & literis suis ipse confessus est, & ad legitimum judicium vocatus, adire pertimuit. Si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonensis Synodi tenor cum Apostolica Sede consentiens, & illius Definitionis executio reperitur: quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo Auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, & execrationem sui gestat, & pœnam. Vides summam Sedis Apostolicæ erga Acacium patientiam & mansuetudinem, in quem statim non animadvertit, sed variis per triennium commonuit literis, ut ab Hæreticorum communione recederet; deinde missâ legatione ad officium revocare studuit. Vides Acacii contumaciam, qui nec Romanum Pontificem suis responsis dignatus est, nec ad Sedis Apostolicæ tribunal canonicè vocatus sistere se voluit, aut saltem per Legatos respondere. Vides Acacium communionis initæ cùm Hæreticis manifestis convictum reum, & violatæ Legationis Apostolicæ. Vides Romanos Pontifices Acacium damnantes Synodi Chalcedonensis constituta, quibus non Eutyches tantùm & Dioscorus, sed & eorum Sectatores, & Sectatorum communicatores fautoresque damnati sunt, executioni mandasse pro jure & officio Primatus. Æquissimam igitur Pontificum Romanorum in Acacium sententiam nemo non dixerit.

Probatur ultimò ex aliis Pontificibus, qui non aliâ conditione Constantinopolitanam Ecclesiam communione suâ donare voluerunt, quàm si nomen Acacii ex sacris Dypttichis expungeretur. Anastasius Papa in Epistola ad Anastasium Imperatorem: *Precamur itaque Clementiam vestram*, inquit, *ut specialiter nomen taceatur Acacii, ut quod multis ex causis scandalum vel offendiculum Ecclesiæ concitavit, speciali appellatione taceatur.*

Symmachus Epistola 9. ad Orientales: *Sicut illos qui se à supra Scriptorum, hoc est, Eutychetis, Dioscori, Petri, Timothei, & Acacii venenis dissociant, libenter amplectimur: ita circa ipsorum Sectatores cura & sollicitudo nostra, ne subrepere possint, invigilat.*

Hormisdas Epistola 11. ad Anastasium Imperatorem: *Non in damnandis sola nomina, sed in his etiam qui damnatos sequuntur, sunt criminum persequenda. Frustra aversari se plures asserit, qui unum ex his, qui detestatione digni judicantur, exceperit: non enim numerus errantium hominum, sed meritum consideratur errorum. Hoc ideò ne facilè putet vestra Clementia Acacii prætereundam esse personam. Novus ille est Acacius, qui Dioscori, Petri, & Eutychetis, carnô, dogmate, & Communione immersus est: illius sustinens in condemnatione supplicium, cujus elegit in communione consortium? Qui virtim, propter impietates suas, horum singulos odit, & in illis Acacium necesse est oderit, & omnes in Acacio non amarit.*

Idem Pontifex Epistola 29. ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum: *Dilectionis tuæ Confessionem gratanter accepimus, per quam sanctæ Synodi comprobantur, inter quas instauratione Constitutorum omnium Chalcedonense Concilium prædicastis, & Catholicorum numero adjungi desiderans, Sancti Papæ Leonis in Dypticchis nomen asseveras scriptum. Ista laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus: quia recipere Chalcedonense Concilium, & sequi Sancti Leonis Epistolas, & adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. Quis Dioscorum & Eutychem condemnans, innocentem ostendere possit Acacium? Quis Timotheum, & Petrum Alexandrinum, & alium Petrum Antiochenum, & sequaces eorum declinans, non abominetur Acacium, qui eorum Communionem sequutus est?*

Idem Epistola 32. ad Justinum Imperatorem, loquens de Constantinopolitanis, ait: *Tenent adhuc in complexibus nomen Acacii, quem vident judiciô Sedis Apostolicæ meritè pœnam subisse damnari. Quis non intelligat simulatè dici: Sanctorum Patrum sequimur dogmata, sed non diligimus facta; quæ à sancta Synodo Chalcedonensi constituta sunt, complectimur, sed Acacio qui damnatorum communionem secutus est, impendimus vota?*

Confirmantur hæc omnia ex consensu Constantinopolitanæ & totius Orientalis Ecclesiæ, quæ Sententiæ à Romanis Pontificibus in Acacium latæ tandem subscripsit, & Libello quem Legati Hormisdæ Pontificis Romani offerebant: cum pax inter utramque Ecclesiam conciliata est. Joanni autem Constantinopolitano, & aliis Episcopis, qui memorato Libello subscripsere, persuasum erat Acacium ea omnia admisisse crimina, propter quæ sententiam in eum tulerat Apostolica Sedes. Id ex Legatorum Relatione ad Horsmisdam perpicuum est. *Sub hac itaque celebritate*, inquiunt, *secunda feria hebdomadæ Majoris Constantinopolim sospites, hilaresque convenimus, posteroque die pissimo Principi præsentati, tanto ejus relevati sumus affectu, ut si alia minimè procederent, sola nobis ad solatium pissimi Principis gratia sufficisset; sed orationibus vestris majora sequuta sunt. Nam eo die, sub Senatus cuncti præsentia, Episcopi quoque quatuor adfuerunt* quos

Episcopi Orientales non priùs in Sedis Apostolicæ Communionem suscepti,

quos Joannes Constantinopolitanus Antistes pro partis suæ defensione transmiserat: quibus Apostolicæ Sedis Libellum ostendimus, omniaque in eo recta, canonicaque esse probavimus. Postremo 5. Feria, hoc est, in Cœna Domini, ad Palatium in generali conventu venit Episcopus, & perlecto Libello consentiens, cum summa devotione subscripsit.

quòm Libello subscriberent, non prava tantum dogmata, sed personas etiam ab eadem Sede proscriptas damnatas.

Idem ex Relatione singulari Dioscori Legati ad eundem Pontificem compertum est, in qua hæc Legatorum verba ad quatuor Episcopos, nomine Joannis Constantinopolitani agentes habita referuntur: *Dominus noster Beatissimus Papa Hormisdas, qui nos direxit, non nobis præcepit certare; sed præ manibus habemus Libellum, quem omnes Episcopi, volentes Sedi Apostolicæ reconciliari, fecerunt. Si præcipit Pietas vestra, legatur: & si est in ipso quod ignoretur, aut verum esse non credatur, dicant; & tunc ostendemus nihil extra Judicium Ecclesiasticum in eodem Libello esse conscriptum: aut si illi possint docere quia non convenit Religioni Catholicæ, tunc nobis incumbit probare.* Relectus est Libellus coram Principe & Senatu; statimque Episcopi quatuor memorati, qui Joannis Constantinopolitani nomine Collationi intererant, *Responderunt omnia vera esse.* Reposuerunt Apostolici Legati: *Et nobis grandem laborem Episcopi abstulerunt, & sibi convenientem rem fecerunt, dicere veritatem.* Tunc Imperator memoratis Episcopis dixit: *Et si vera sunt, quare non facitis?* Illustrissimi etiam Senatores dixere: *Nos Laici sumus, dicitis hæc vera esse; facite, & nos sequemur.* Joannes Constantinopolitanus postmodùm libellum suscepit à Legatis. Nonnulla mota est circa subscriptionis modum difficultas. Volebat ille Epistolam scribere potiùs quam Libellum: Legati urgebant ut Libello, prout à Summo Pontifice editus erat, subscriberet. Tandem sic inter eos convenit, ut modico procemio præmisso, Libellum subjungeret, eique subscriberet. *Sed non post multa certamina,* (inquit Dioscorus Legatus in sua Relatione ad Hormisdam) *hoc convenit, procemium modicum facere, & subjungere mox Libellum, quemadmodum vestra Beatitudo dictavit. Subscriptio ab eodem facta est Libello conveniens. Post factum Libellum, nomen Acacii de Dypticis est deletum, similiter & Fravitæ, Euphemii, Macedonii, & Timothei. Similiter deleta sunt de Dypticis Zenonis & Anastasii nomina. Episcopi diversarum civitatum, quanti inventi sunt, Libellum similiter obtulerunt: & cum grandi cautela suggerimus custoditum, ut quis nobiscum communicaret Episcopus, qui Libellum primitùs non dedisset.* Exegerunt etiam ab Archimandritis Libelli subscriptionem Legati Apostolici. Restiterunt ipsi tantisper, Archiepiscopi Constantinopolitani subscriptionem sufficere contendentes: *Sufficit*, inquiebant, *quia Archiepiscopus noster fecit: nos ejus formam sequimur.* Sed tandem *ipsi quoque ratione convicti, Libellos modis omnibus obtulerunt.* Sicque pax inter Ecclesias inita, & redintegrata communio est.

Non solùm Episcopi, sed etiam Archimandritæ ad subscriptionem compulsi.

Ex his colligitur, Ecclesiam Orientalem agnovisse tandem sententiam à Romanis Pontificibus latam adversùs Acacium æquissimam esse, ipsumque damnasse post mortem, ac nomen illius expunxisse ex Dypticis. Colligitur secundò, hanc in veteri Ecclesia viguisse disciplinam, ut qui vel hæreseos, vel Schismatis, aut initæ cum Hæreticis, Schismaticisve, aut eorum Communicatoribus, vel Patronis, communionis suspecti essent, non priùs ad Communionem susciperentur, quam Libello, seu Formulæ subscriberent, non prava tantum dogmata, sed personas etiam ab Ecclesia proscriptas damnati. Tertiò, passam non fuisse Ecclesiam, ut Formulam pro suo nutu concinnarent, aut cum aliqua restrictione, aut certis cum exceptionibus subscriberent, sed ut subscriberent absolutè Libello prout à Romano Pontifice, aut ab Episcopis dictatus fuerat. Quartò, non solùm omnes Episcopos, verum etiam Monachos, hujusmodi subscriptionum legi subditos fuisse ex Ecclesiæ disciplina.

Objicies in primam partem Propositionis hæc Liberati verba cap. 18. Breviarii, *Ubi ergo ad plenum detectus est Acacius hæreticus, Papa Felix in literis suis Synodicis ad Acacium, sic posuit: Peccasti, ne adjicias, & de prioribus supplica.* Alienus igitur à Fide fuit Acacius.

Respondeo, Acacium detectum esse Hæreticum, non dogmate, quasi aliquem errorem contra Fidem pertinaciter propugnaverit, sed Communione, quia cum Petro Moggo aliisque Hæreticis communicavit. Id Liberatus satis indicat, statim subjungens: *Susceptis his Acacius literis perseverat, neque recedens à communione Petri, neque suadens ei palam suscipere Chalcedonense Concilium, & Tomum Leonis Papæ.* Ait Acacium perseverasse in crimine. Quodnam autem illud crimen? Non Hæresis certè, cujus nusquam reprehensus est à Simplicio aut à Felice III. sed communio cum Petro Moggo Hæretico manifesto, & jam olim ab Ecclesia damnato.

Contra. Hormisdas Pontifex non solùm Communionem iniisse cum Hæreticis Acacium, sed etiam eorum dogmatibus adhæsisse testatur, Epistola 11. *Nonne ille est Acacius*, inquit, *qui cœno Petri, Dioscori, & Eutychetis, dogmate, & communione pollutus, dum copularetur, immersus est?*

Respondeo, Cœno Eutychiani dogmatis immersum dici Acacium, non propugnando Eutychetis errores, sed fovendo Eutychianos, & cum illis communicando. Suô enim patrocinio & communione ansam dederat hæreseos propugnationi. Ita seipsum explicat Hormisdas Epistola mox laudatâ. *Hos mentibus perditis ausus nutrivit Acacii cum perfidis juncta Communio: atque ideò æstimandus est Auctoris locô, cujus gratiâ peccatur exemplô. Nihil enim vitia magis quam imitatio fovet .... Jacet semita noxium sub errore, nec deficit: latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum improbitate consensum.* Negligentiâ itaque suâ in coërcendis Hæreticis, imò patrocinio illorum personis impensô, & inita cum illis Communione, justam de se suspicionem excitaverat Acacius, quòd eorum etiam erroris cœnô immersus esset. Qua de re sic ad ipsum scribebat Felix III. Epistola 1. *Negligere, cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui evidenti facinori desinit obviare. Unde si contra Synodi instituta Chalcedonensis tendere hostilia corda perspicis, & quiescis: mihi crede, nescio quemadmodum te Ecclesia totius asseras esse participem. Ad te oculos præterea tua reducis, quia non solùm in hâc causa adversùs omnem Catholici dogmatis tendatur unitatem, sed etiam cunctis hæresibus resumendi vires, atque inter assus pristinos resurgendi, latus campus aperitur, si semel quod à nostris Majoribus est depositum, qualibet occasione pulsetur.*

Contra. Ille fuit Hæreticus, qui suscepit Hæreticos manifestos & jam olim ab Ecclesia damnatos, ad Communionem. Vir enim Catholicus cum Hæreticis notis & damnatis Communionem non init. Acacius porrò Communione fuit conjunctissimus Petro Moggo & Petro Fulloni Hæreticis manifestis. Cum illis itaque fuit & dogmate conjunctus.

Respondeo, distinguo minorem. Et eos Catholicos arbitrabatur Acacius, quia Catholicam Fidem se profiteri simulabant, concedo; & ipsos Hæreticos, quales revera erant, existimabat, nego. Cùm itaque Petrum Moggum & Petrum Fullonem ad Communionem suscepit Acacius, ipsos Catholicos esse credebat; quia tempori servientes, Catholici nominis larvam assumebant, & se catholicè sentire simulabant, atque ab hæresi, quam priùs erant professi, resipuisse. Id constat, quantùm ad Petrum Moggum, ex Epistola Zenonis Imperatoris ad

Felicem III. cujus fragmentum refert Evagrius lib. 3. cap. 20. *Pro certo habere debes*, inquit, *& Pietatem nostram, & supra memoratum Sanctissimum Petrum, & universas sacrosanctas Ecclesias, Sanctissimum Chalcedonense Concilium amplecti atque venerari, quod cum Fide Concilii Nicæni prorsùs consentit.* Secundò, id constat ex Epistola ipsius Petri Moggi ad Acacium, relatâ ab eodem Evagrio cap. 17. lib. 3. *Hic enim Petrus* (Evagrii verba sunt) *veluti cothurnus quidam ac veterator, & qui temporibus sese accommodaret, in eadem sententia minimè perseveravit. Nunc Chalcedonensem Synodum sub anathemate damnabat; nunc palinodiam canens, eamdem omnibus suffragiis amplectebatur. Itaque Epistolam scripsit ad Acacium Constantinopolitanum Antistitem, quæ ad verbum sic habet: Deus altissimus Sanctitati tuæ mercedem rependet pro tantis laboribus ac molestiis, quas per tot annorum curricula sustinuisti, SS. Patrum fidem conservans: quam quidem assiduè prædicans confirmasti. Quã in fide Symbolum quoque trecentorum & octodecim SS. Patrum rectè atque ordine positum invenimus: in quo olim baptizati credimus, & nunc credimus; quod quidem etiam confirmatum est à centum & quinquaginta Sanctis Patribus qui Constantinopoli convenerunt. Tu ergo sine intermissione viam omnibus monstrans, sanctam Dei Ecclesiam adunasti. Quippe qui certissimis argumentis nobis persuaseris, nihil contra hæc actum esse in Sanctissima & universali Synodo, quæ Chalcedone congregata est: utpote quæ cum Sanctis Patribus olim Nicææ collectis consentiat, eorumque decreta confirmet. Cùm igitur nihil in ea novatum deprehenderimus, ultrò ac sponte consensum ac Fidem ei commodavimus.* Et infrà: *Quo enim modo sanctam Chalcedonensem Synodum anathematizare potuimus, cui credidimus, & quam confirmavimus?* Porrò non adeò curasset Petrus Moggus repellere Monachorum accusationem, qui ad Acacium ipsum detulerant ut anathematis in Sanctam Synodum Chalcedonensem dicti reum, nec tantoperè laborasset, ut se apud Acacium ab eo crimine purgaret, si Acacius fuisset Eutychianus, & Synodi Chalcedonensis hostis; & si Petrum ipsum in Communionem suscepisset, persuasus ipsum in hæresi Eutychiana, & Synodi Chalcedonensis damnatione pertinacem esse. Tertiò, idem constat ex Epistolis ejusdem Petri Moggi ad Simplicium Romanum Pontificem, & ad Acacium, quarum Liberatus meminit *cap.* 18. ubi postquam scripsit, Petrum Moggum anathematizasse Synodum Chalcedonensem, & Tomum Papæ Leonis, continuò subjungit: *Et hæc fecit, cùm jam scripsisset Acacio & Simplicio, quia communicator eorum esset & sanctæ Synodi.*

Quod verò spectat Petrum Fullonem, eum etiam resipuisse existimavit Acacius: tum quia Zenonis Henotico subscripsit, quod Eutychianam hæresim jugulabat, & duarum in Christo naturarum confessionem continebat, ut videbatur Acacio: tum quia communicabat cum Petro Moggo, quem Catholicum esse arbitrabatur Acacius. Quamquam Acacium immediatam cum Petro Fullone Communionem minimè fovisse, Valesius probabiliùs asserit. idque colligit ex Epistola Gelasii Romani Pontificis ad Orientales, in qua frequenter inculcat, gloriari solitum Acacium, quòd Petro Antiocheno, id est, Fulloni, nunquam Communione sociatus fuisset. Id confirmat ex Epistola ejusdem Pontificis 13. ad Episcopos Dardaniæ, in qua hæc leguntur: *Quâ Synodo Calendionem idem expelli fecit Acacius? Nihilominus eidem Petrum tam manifestum Hæreticum, ut eidem palam nec se communicare prætenderet, suâ passus est dispositione substitui.*

Objicies. Qui fuit Author Zenoni condendi & promulgandi Henotici; imò qui Henoticon ipsum conscripsit, alienus fuit à Fide: atqui Acacius author fuit Zenoni Augusto condendi & promulgandi Henotici; imò Henoticon ipse conscripsit. Alienus igitur à Fide fuit Acacius.

Respondeo, nego majorem. Henoticon enim nullam continebat hæresim, ut ostendimus in Synopsi. Unde Ecclesia illud non rejecit ut hæreticum, sed ut insufficiens ad hæresim Eutychianam profligandam; sive quia professionem Fidei modis omnibus absolutam non complectebatur. Hinc Simplicius scripsit ad Acacium, *Non sufficere Petro* (Moggo) *confiteri communicatorem se esse Ecclesiæ Catholicæ secundùm Edictum* (Zenonis,) *sed oportere eum, secundùm Terminum Chalcedonensis Concilii, & secundùm Epistolam Papæ Leonis, Ecclesiæ amplecti Communionem.* Quamvis itaque Acacius author fuerit Zenoni condendi Henotici, aut illud ipse conscripserit, non propterea fuit alienus à Fide: quamvis graviter peccaverit.

Objicitur in secundam partem Propositionis. Simplicius & Felix Romani Pontifices Acacium reum peregerunt, quòd Joannem Talaia ex Alexandrina Sede expelli curavisset. Atqui nullum in hoc fuit crimen Acacii. A Romanis Pontificibus memoratis potiùs peccatum est, qui Joannis patrocinium contra Acacium susceperant. Nam Joannes promeritus exauctorationem fuerat duplicem ob culpam: Primò, quòd Synodicas de Ordinatione sua literas ad Acacium Constantinopolitanum Antistitem non scripsisset. Secundò, quod spretâ jurisjurandi religione, quô se obstrinxerat coram Imperatore, Alexandrinum Episcopatum accepisset (ut Liberatus & Evagrius testantur.) Igitur Acacio injustè negotium facessitum est à Romanis Pontificibus.

Respondeo, non unicum fuisse crimen Acacii: quem etsi justè expulisse Joannem Talaia ex Episcopatu concederemus, non ideò tamen insons probaretur. Debuisset enim efficere ut canonicè deponeretur Joannes: debuisset ejus causam referre ad Romanum Pontificem, cùm secundæ Sedis Episcopus esset, qui nisi à Primæ Sedis Episcopo judicari non poterat: debuisset curare ut in ejus locum substitueretur canonicè Catholicus Antistes, non verò vir hæreticus, ab Ecclesia jam olim damnatus, quem ipse noctis filium vocaverat. Non tamen concesserim indignum fuisse Episcopatu Joannem Talaia ob causas memoratas. Quod enim Synodicas literas ad Acacium mittere neglexerit, non fuit tam grande crimen, quod depositione plectendum esset. Præterea, dederat Joannes literas de Ordinatione sua cùm ad Imperatorem, tum ad Acacium, quas miserat ad Ellum Magistrum Constantinopoli residentem, sibique amicitiâ conjunctum, ut eas redderet cùm Zenoni, tum Acacio Sed dum Epistolæ deferrentur per Magistrianum, Ellus Magister ab Imperatore Antiochiam missus est. Pervenit lator Epistolarum Constantinopolim, ubi Ellum ad quem missus erat à Joanne Talaia non inveniens, illas nec Zenoni obtulit, nec Acacio, sed Antiochiam profectus est. Quod igitur Synodicas literas de Joannis Ordinatione non suscepisset Acacius, ipsi Joanni vitio verti non debuit, sed Magistriano, qui illas deferebat: & si peccasset Joannes, solâ inurbanitate peccasset, quæ sanè non merebatur exauctorationem. Quod spectat alterum Caput, scilicet crimen perjurii, verisimile est illud per calumniam affictum fuisse Joanni Talaia ab Eutychianis, quos ipsius juratos hostes fuisse nemo nescit. Et certè Evagrius istius facti historiam referens *lib.* 3. *cap.* 12. illam ex Zacharia Rhetore homine Eutychiano, adeòque sublestæ fidei, se accepisse profitetur. Præterea Joannes Talaia Catholicorum laudibus ornatus est ut integerrimæ Fidei, & vitæ probatissimæ Præsul.

Objicies secundò. Injusta sententia est, quæ peccatorem ita vinculis anathematis illigat, ut ab iis nunquam solvi possit: Cum excommunicatio medicinalis esse debeat, & ad emendationem peccatoris

peccatoris ordinata, non ad perniciem. Atqui Acacium ita vinculis anathematis illigavit Felix III. ut ab iis solvi ipsum nusquam posse decreverit. Sic enim habet Sententia quam in illum tulit: *Sacerdotali honore, & Communione Catholica, nec-non a Fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen & munus Ministerii Sacerdotalis agnosce, Sancti Spiritûs judiciô, & Apostolicâ autoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus.* Injusta itaque fuit Sententia à Felice III. in Acacium lata.

Respondeo, hæc verba, *Nunquam anathematis vinculis exuendus*, non ita esse intelligenda, quasi Acacius absolvi non posset actâ Pœnitentiâ, & ejuratâ Petri Moggi, aliorumque Hæreticorum communione, sed quòd nusquam esset anathemate solvendus, nisi resipisceret, nisi Sedi Apostolicæ & Ecclesiæ faceret satis, nisi admissorum criminum Pœnitentiam ageret. Neque alia fuit mens Felicis, qui omnibus votis semper optavit, ut Acacius abjectô pristinô errore, & repudiatâ Hæreticorum Communione, ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ reverteretur. Ita hunc locum explicat Gelasius Pontifex in Tomo de Anathematis vinculo, in quo respondet Orientalibus, qui in Sententia damnationis Acacii hæc Felicis Papæ verba reprehendebant. *Quod etiam in Acacii Senten[...] rationabiliter intuendum est*, inquit, *in qua etiam si ei dictum est, Nunquamque solvendus: non est adjectum tamen: etiamsi resipueris; etiamsi ab errore discesseris; etiamsi prævaricator esse destiteris. Quapropter in aperto est ita dictum: Nunquam solvendus: sed talis scilicet, qualis est & ligatus: non autem talis effectus, qui sicut ligandus non erat, sic absolutus esse dicebatur... Itaque ipse in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non posset absolvi.*

Objicies tertiò, Sententiam à Felice Papa in Acacium latam ab Orientalibus spretam fuisse, qui nihilominùs in ejus Communione perseverarunt, eumque ut Episcopum habuerunt. Quod argumento est eam injustam fuisse.

Respondeo 1. Nego consequens. Non enim sententiæ iniquitas ex reorum damnatorumque contemptu & pervicaciâ æstimanda est: alioqui nullæ Conciliorum, aut Pontificum adversùs hæreticos Definitiones justæ essent, nulla Decreta inconcussa, quia nulla sunt quæ non contempserint Hæretici.

Respondeo 2. Zenone quidem & Anastasio Imperantibus, qui Ecclesiæ conculcatis legibus Acacio patrocinabantur, semper ipsum Constantinopolitanam Sedem rexisse, & in Episcoporum numero habitum fuisse: sed hâc tempestate sedatâ, sub Imperio Justini, & Hormisdæ Pontificatu, Sententia Felicis ab Orientalibus Ecclesiis suscepta est, ipsique ab omnibus Episcopis subscriptum: Acaciique nomen expunctum è Dyptichis. Denique ipsis Zenonis & Anastasii temporibus, Episcopi Dardaniæ, & Acæmitenses Monachi, Sententiam à Felice Papa in Acacium latam probaverunt & cum veneratione susceperunt, Acaciique communionem ejuravere.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, pag. 421. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Papa propriâ auctoritate non potest deponere Episcopos, nisi ut merus executor Conciliorum Generalium.*

R. Hæc Propositio non est mea, mihi affingitur. En verba mea: *Ex his colligitur, Pontifices Romanos, cum Acacium damnarunt, Canonum executores fuisse. Conciliique Chalcedonensis constituta adversùs Eutychem & Eutychianos, eorumque Communicatores ac fautores executioni mandasse.* Propositio mea factum solum enuntiat, quæstionem juris non attingit: Propositio quam Censores procuderunt, de jure pronuntiat. Propositio mea particularis est, certam negotii speciem, causamque singularem spectans. Propositio Censorum universalis. Propositio mea affirmans: Propositio Censorum negans. Tandem diversi sunt omninò termini Propositionis meæ, ab iis quibus constat Propositio Censorum. Doctrina tamen est Sacræ Facultatis Parisiensis *Summum Pontificem deponere non [...] Episcopos adversùs Canones.*

SCHOLION II.

Religiosi Censores ibidem hanc Propositionem notant: *Ideò Acaciani appellare non potuerunt à Judicio Romanorum Pontificum ad Concilium; quia illi non propriâ auctoritate, sed cum Concilio judicaverant.*

R. Non ita scripsi; sed, *Quia non propriâ* TANTUM *auctoritate, sed Synodi Oecumenicæ hanc in causa judicarunt.* Dictionem *tantùm* suppresserunt Indicum Censuræ Authores, ut propositio reprehensioni obnoxia videri posset. Non inficior Summos Pontifices auctoritate propriâ, quam Summam habent & à Christo immediatè traditam, & per omnem Ecclesiam, in omnes Fideles, in omnes oves Christi, & in ipsos gregis arietes Episcopos, de Acacio & de Acacianis judicasse: sed nego propriâ *tantùm* auctoritate sententiam in illos tulisse. *Juxta formam enim Synodicam id illos fecisse manifestum est, & sic nominem resultare potuisse certissimum*, ut loquitur Gelasius I. Pontifex Maximus in Commonitorio ad Faustum Magistrum, Theodorici Regis Legatum, Integrum Gelasii locum ibi descripsi.

DISSERTATIO XX.

De Causa Euphemii & Macedonii.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Euphemius & Macedonius Heretici fuerint, aut Schismatici.

PROPOSITIO.

Euphemius, & Macedonius Episcopi Constantinopolitani, nec Heretici nec Schismatici fuerunt.

Probatur prima pars de Euphemio, ex Evagrio *lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23* ubi recensitâ Acacii, & Fravitæ illius Successoris morte, hæc scribit: *Mortuô Fravita, Euphemius ejus loco Episcopus est ordinatus. Hic accepit Synodicas Epistolas, quas Petrus* (Moggus) *ad Fravitam scripserat, cumque in illis anathematizari gesta Synodi Chalcedonensis deprehendisset, magnoperè conturbatus est, seque à Petri Communione sejunxit... Cùm igitur Euphemius ac Petrus adversùs se invicem contenderent, & Synodos alter contra alterum convocare jam pararent: Petrus ja[m] ab morte præripitur.* Certè qui Synodum Chalcedonensem suscepit ac veneratus est, qui Petri Moggi sacræ Synodo Anathema dicentis Communionem ejuravit, qui Synodum contra illum Hæreticum convocare decrevit, ille non solùm Eutychianæ hæreseos purus fuit, sed ejus hostis acerrimus.

Probatur secundò ex Gelasio Pontifice Maximo, qui Fidei Euphemii insigne testimonium perhibuit; idque unum in ipso reprehensione dignum existimavit, quòd Acacii nomen ex sacris Dypthichis non expungeret. Sic enim ad ipsum scribit Epistola 1. *Proinde si ea quæ in Synodo Chalcedonensi pro Fide & Communione Catholicâ, lege Apostolicâ definita sunt, verè certèque sectamini, sicut vestrâ professione multiplici continetur: aut successores ab illa Synodo damnatorum, hisque communicantes abjicite: aut, si istos admittitis, ea quæ in illa Synodo pro Fide & Communione Catholica & Apostolica sunt peracta, non solùm falsò vos retinere perpenditis, sed insuper labefactare conamini.* Et infrà: *Nec vobis blandiamini, quia Fidem Catholicam profitemini vos tenere, qui Eutychetis nomen admisistis: quia ea veluti prædicare videamini, quæ orthodoxa prædicavit antiquitas: clamat enim vobis illa Evangelica sententia: Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos: aut facite arborem malam & fructus ejus malos; à fructibus enim arbor cognoscitur. Id est, si voce, si fide, si professione Catholicâ & Apostolicâ fideliter veraciterque g[...]mini, hujus & Com-*

munionem recipite. Si verò Hæreticorum, scilicet damnatorum, aut his, vel Successoribus eorum communicantium, Communio vobis placet, quid circumspicitis? Simul & eorum aperté manifesteque, remotis obstaculis dogma defendite.

Probatur denique ex Theodoro Lectore lib. 2. Collectaneorum, ubi Euphemii fidem & studium pro Concilio Chalcedonensi abundè testatur, cùm de Anastasii Imperatoris inauguratione loquens, hæc scribit: *Verùm Euphemius Episcopus electioni ejus obstitit; Hæreticum illum vocans, & indignum qui Christianis imperaret. Ariadne tamen & Senatores vim inferentes, Euphemium assentiri coëgerunt. Ille non aliâ conditione id se facturum promisit, quàm si Confessionem scripto comprehensam ab eo suscepisset, quô profiteretur se pro definitione fidei amplecti ea quæ in Synodo Chalcedonensi decreta fuerant. Quod quidem Anastasius præstitit.* Idem Antistes in odium Concilii Chalcedonensis calumniis impetitus, in exilium Euchaïta relegatus est Anastasii Edicto, cùm priùs ab Episcopis ipsi devotis iniquè depositus esset.

Probatur eadem prima pars propositionis de Macedonio Euphemii Successore, primò ex Cyrillo Monacho illorum temporum Scriptore, *In Vita S. Sabæ* cap. 69. apud Surium Tom. 6. *Euphemius quidem*, inquit, *propter rectam de fide sententiam, ab Imperatore, ô justitia! impiè depellitur à Sedis rectione, & in ejus locum evehitur Macedonius. Cùm in his autem esset Ecclesia, iis quidem qui Euphemium Sede expulerunt assentiri non sustinuit Elias Episcopus Jerosolymitanus, ut qui eum expulissent præter Regulam. Macedonio verò non dubitavit communicare, & cum eo convenire, ut qui ipse quoque rectam fidem amplecteretur. Quod quidem non parum ab initio turbavit Imperatorem.*

Probatur secundò ex Theodoro Lectore *lib. 2.* ubi invictam Macedonii in propugnanda Synodo Chalcedonensi constantiam commendat. *Heliæ Jerosolymorum Episcopo præcepit Imperator Anastasius, ut Synodum Episcoporum, qui sub ipso erant, colligeret, & Quartam Synodum condemnaret. Helias verò Synodum quidem Episcoporum minimè convocavit. Ipse verò solus Imperatori rescribens, Nestorium & Eutychem, Diodorum item ac Theodorum anathematizavit, & Synodum Chalcedonensem. His ita gestis, Anastasius Macedonium violentiùs urgere cœpit, ut ipse quoque idem faceret. Macedonius verò absque universali Synodo, cui Romanus Episcopus præsideret, nihil se facturum esse respondit. Hac de causa Imperatoris odium adversùs Macedonium excitatum est.*

Probatur tertiò ex Anastasio Bibliothecario, in Chronico. *Interea*, inquit, *Monachi quidam hæretici ducenti, venientes Constantinopolim unà cum Severo impio, contra Macedonium atque Chalcedonense Concilium decernebant. Hos Anastasius honorificè suscepit, veritatis inimicos, qui conturbaverunt Orientem, & Constantinopoli eadem operantes. Joannes verò Alexandrinus Episcopus duo millia librarum dare spopondit Imperatori, si Edictô propositô damnaret Concilium Chalcedonense. Imperator autem Macedonium rogabat communicare Apocrisariis Joannis, Joannemque recipere, Synodum neque recipientem, neque damnantem. Macedonius autem restitit dicens, Non se illis communicaturum, nisi confiterentur Matrem & Magistram Synodum Chalcedonensem.*

Denique Macedonius gravissimam ab Anastasio Imperatore persecutionem passus est ob fidem, & Concilii Chalcedonensis defensionem. Calumniis appetitus est, è Sede expulsus, Euchaïta relegatus exul.

Probatur secunda pars propositionis. Qui Romani Pontificis Primatum venerati sunt; qui Synodicas ad ipsum Epistolas scripserunt, vel scribere voluere, sed vi externâ sunt prohibiti; qui modis omnibus communionem Sedis Apostolicæ quæsierunt, quibus faverunt Summi Pontifices; cum quibus denique Viri Sancti & Sedi Apostolicæ communione conjunctissimi communicarunt, illi schismatici non fuere. Sed Euphemius & Macedonius Romani Pontificis Primatum venerati sunt, Synodicas ad ipsum Epistolas scripserunt, aut scribere voluere, sed vi externâ sunt prohibiti; Sedis Apostolicæ communionem modis omnibus quæsierunt; ipsis faverunt Romani Pontifices; cum illis denique Viri Sanctissimi, & Sedi Apostolicæ communione conjunctissimi communicarunt. Igitur Euphemius & Macedonius non fuerunt schismatici.

Probatur minor ex Liberato cap. 18. Breviarii. *Moritur*, inquit, *Acacius, & ordinatur post eum Flavitas Presbyter, qui fuit à sancta Thecla, qui non consensit sine Romano Episcopo inthronizari, sed transmisit Synodicam Papæ Romano Felici, qui modico vivens tempore, moritur non accipiens Epistolam ipsius: & factus est Euphemius Episcopus genere Alexandrinus; qui & suscepit à Papa Romano Scripta*, &c.

Confirmatur ex Nicephoro lib. 16. cap. 19. *At Euphemius*, inquit, *simul atque Episcopatum iniit, nihil moratus, suis ipse manibus in sacris Tabulis nomen Moggi expunxit, & Acacis appellationem removit: atque in sacro suggestu considens, Synodales more receptô Epistolas Romam ad Felicem dedit. Porrò Papæ Scripta quidem illius recepit, & Euphemio velut orthodoxo favit: sed illum in Episcopalem communionem non admisit, propterea quòd Acacii quoque Flavitæ nomen de sacro Libro non deduxisset.* Communionem Sedis Apostolicæ Euphemium quæsivisse, scriptis ad Felicem III. Synodicis Epistolis, & ipsius nomine in sacra Dypticha restituto compertum est; & Romanum Pontificem ejus Epistolas suscepisse, & ipsi favisse ut viro Orthodoxo, & cum ipso non secus ac cum Fidelibus cæteris communicasse, quamvis cum ipso non communicaverit tanquam cum Episcopo.

Macedonium quod spectat, constat ipsum Sedem Apostolicam sanctissimè coluisse, ejusque Primatum veneratum esse; siquidem ab Anastasio Imperatore cogatus ut Synodum Chalcedonensem rejiceret, *Respondit nihil se facturum absque universali Synodo, cui Romanus Episcopus præsideret.* (Ex Theodoro Lectore *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ.*)

De eodem scribit mox laudatus Author: *Macedonius Synodicas literas ad Anastasium Romanæ urbis Episcopum per Festum* (Senatorem Romanum) *mittere decreverat. Sed ne id faceret, prohibitus est ab Imperatore.*

Præterea, Romani Pontifices Episcopos memoratos amantissimo *Fratrum* nomine vocaverunt, & ut Fratres complexi sunt, quod argumento est illos à Sedis Apostolicæ communione non fuisse separatos. Ita Gelasius ad Euphemium scribebat: *Dilectissimo Fratri Euphemio Gelasius.*

Tertiò, nullum unquam anathema Euphemio & Macedonio, sive dum viverent, sive post mortem ab Ecclesia inflictum est, nullum inflixit Gelasius, nullum Symmachus, nullum Hormisdas. Monitis & adhortationibus cum illis egere Pontifices; at illos à communione alienos minimè pronuntiarunt. Unde inter Orientalem Ecclesiam & Occidentalem, Euphemii & Macedonii Episcoporum tempore, & sub Gelasii, Anastasii, Symmachi, & Hormisdæ Pontificatu, suspensa potiùs, quàm abrupta penitus erat Communio.

Quartò, aliam longè rationem esse Acacii significarunt laudati Pontifices, ac Euphemii & Macedonii, Illum enim anathemate configi; horum verò nomina ex Dyptichis duntaxat expungi voluere. Quod argumento est, Acacium quidem Schismaticorum

ticorum pœnâ plexum fuisse, Euphemium verò & Macedonium ejus Successores, à communione Catholica non fuisse segregatos. Discrimen istud colligitur evidenter ex Indiculo quem dedit Hormisdas Legatis Constantinopolim ad Justinum Imperatorem pro concilianda inter Ecclesias pace directis. *Quòd si*, inquit, *de anathemate Acacii consentiens & Successores ejus dixerit recitandos, ob hoc quòd propter definitionem Chalcedonensis Synodi aliqui eorum exiliò fuerint deportati, insinuabitis nihil vos de Libelli forma posse decerpere, in qua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hac non poteritis intentione deflectere; saltem hoc acquiescite, ut anathematizatò specialiter per Libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de Prædecessorum ejus nominibus taceatur, abrasis eorum de Dypticorum inscriptione vocabulis. Quo facto, Episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem decipite.* Idem ex memorato Hormisdæ Libello, seu Formula Fidei perspicuum est, quæ damnationem solius Acacii, non verò Euphemii & Macedonii continebat. Ter Epistolis Hormisdæ inserta est, nimirùm Epistolæ 9. ad Joannem Nicopoleos Episcopum, veteris Epiri Metropolitanum: secundò, Epistolæ ad Episcopos veteris Epiri, in qua laudatus Pontifex eorum adscribit nomina, in quos anathema dicere debent, præter Eutychetem, scilicet Dioscorum, Timotheum Ælurum, Petrum Moggum, Petrum Fullonem, quibus Acacium solum adjungit, ex ejus verò in Sede Constantinopolitana Successoribus neminem.

Tertiò, insertus est memoratus Libellus Epistolæ 51. Hormisdæ ad Hispaniæ Episcopos datæ, qui ab ipso quæsierant quo modo gerere se deberent erga Græcos in Hispaniam venientes. In ea verò solius Acacii memoria damnatur. *Propter causam scilicet Acacii*, inquit, *à Prædecessoribus nostris pro hæreticorum communione damnati, in qua qui se ab ejus contagione non dividunt, à nostra communione habeantur excepti.* Ne verò objicias verba Libelli memorati, post Dioscori, Timothei parricidæ, & Petri Alexandrini anathemate confixa nomina: *Etiam anathematizamus Acacium Constantinopolitanum quondam Episcopum, quondam ab Apostolica Sede damnatum, eorum complicem & sequacem, vel qui in eorum communione aut societate permanserint: qui Acacius, quorum se communioni miscuit, ipsorum similem habere meruit in damnatione sententiam.* Hæc namque verba, *In eorum communione*, non extendunt anathema isto Libello contentum ad Euphemium & Macedonium Acacii successores, quia ad hæreticos referuntur, de quibus ante mentio facta est, scilicet ad Dioscorum, Timotheum Ælurum, & Petrum Moggum, quorum in communione, vel societate qui manserint, anathemate confodiuntur, & nominatim Acacius: at eidem non subjiciuntur anathemati, qui in ipsius Acacii communione manserint: alioqui ponendum fuisset in Libello: *Vel qui in ejus*, (supple Acacii) *communione permanserint.*

Denique Viri Sanctissimi Euphemio & Macedonio communione conjunctissimi fuerunt, scilicet S. Flavianus Antiochenus Episcopus, S. Elias Jerosolymitanus, S. Sabas, & S. Theodosius, aliique sanctitate celebres Monachi, qui his temporibus in Palæstina florebant. Ipse etiam Macedonius miraculis post obitum clarus fuit, si Theodoro Lectori fides. *Mortuus enim crucis signô tumulum signasse dicitur. Theodorus verò unus ex eis qui cum illo familiariter versabantur, cum jurejurando affirmavit, vidisse se in somnis Macedonium ista sibi dicentem: Excipe ista quæ dico, & abiens lege Anastasio: Ego quidem vado ad Patres meos, quorum fidem servavi. Dominum autem interpellare non cessabo, donec tu venias, & ambo ad judicium accedamus.*

Nec omittendum, quòd in Concilio Constantinopolitano sub Joanne Patriarcha Orthodoxo, temporibus Hormisdæ Pontificis, plebs Catholica, Nestorii, Eutychetis, Severi, aliorumque Hæreticorum conclamatâ damnatione, & sanctarum 4. Synodorum Oecumenicarum professa Fidem, Euphemii & Macedonii restitutionem supplicibus vocibus postulavit. *Euphemium & Macedonium Ecclesiæ restitue* (inquiebat:) *Euphemii & Macedonii nomina modò ordinentur ad perfectam festivitatem Ecclesiæ. Quatuor Synodos Diptychis. Leonem Episcopum Romanum Diptychis. Diptycha amboni.* Et cùm piæ plebis desideriis Patriarcha satisfaciens, 4. Synodos Oecumenicas, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, & S. Leonis Romani Pontificis, Euphemiique ac Macedonii Patriarcharum nomina in sancta memoria defunctorum, in Diptycha retulisset, tunc voce magnâ populus omnis quasi unô ore clamavit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem populo suo.* Post lectionem denique S. Evangelii, *Tempore Diptychorum, cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare, & audiebant: & cùm solùm lecta fuissent à Diacono appellationes prædictarum sanctarum quatuor Synodorum, & sanctæ memoriæ Archiepiscoporum Euphemii, & Macedonii, & Leonis, voce magnâ universi clamaverunt: Gloria tibi Domine.* Hæc referens Synodus Constantinopolitana sub Menna, *Actione* 5. sua fecit, Euphemiumque & Macedonium sanctissimos Episcopos, & Ecclesiæ conjunctissimos approbavit. Cui Synodo, non solùm Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, sed etiam Romanæ Sedis Legati, cum spectatissimis Orientis Metropolitanis aderant: præerat verò Mennas Constantinopolitanus Patriarcha, ille ab Agapeto Romano Pontifice tantis laudibus celebratus Mennas, *Qui alicui neque scientiâ neque vitâ fuit ignotus; sed & fidei integritate, & sacrarum Scripturarum studiò, atque etiam piæ administrationis officio sic ejus fama resplenduit, ut ipsi tardiùs venire videretur, quò dignus habitus erat. Et hoc dignitati ejus additum esse credimus,* (inquit Agapetus) *quòd à temporibus Petri Apostoli nullum alium unquam Orientalis Ecclesia susceperit Episcopum manibus nostræ Sedis ordinatum. Et forsitan vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad repellendos inimicorum insultus res tanta contigit, ut illius ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum Primi electio ordinavit.* Certè vir adeò laudatus Macedonii & Euphemii memoriam commendari, & sanctam appellari non permisisset, si Schismatici fuissent.

Objicies. Orientales ad Symmachum Romanum Pontificem scripserunt, ipsique supplicarunt humillimè ut eos anathemate solveret, quó, propter Acacium constricti tenebantur. Itaque Orientales erant ab Ecclesia segregati. Itaque & Euphemius & Macedonius. En verba Orientalium Episcoporum in Epistola ad Symmachum. *Si propter Alexandrinorum, aut magis Eutychianorum amicitiam, qui aversantur & anathematizant sanctissimum & beatissimum Papam Leonem, vel in Chalcedone Synodum habitam, anathematizatus est Acacius; quare nos à vobis æstimamur hæretici, & in anathemate sumus nos, qui amplectimur solam illam Epistolam, & quæ dicta sunt in sancta Synodo? Qui propter prædicationem recti dogmatis vestri quotidiè oppugnamur & ut hæretici anathematizamur ab iis qui Eutycheti consentiunt? Nobis favere judicium, per illum qui cunctam judicat terram: Ne perdas justum cum impio: nec æqualiter judicentur à te orthodoxi & hæretici, vel qui anathematizant prædictam sanctam Epistolam, sanctamque Synodum vestram, & ii qui vobiscum ab iis anathematizantur, & qui erant mori quotidiè pro recta fide, quæ à vobis prædicatur.*

Præterea, Euphemii & Macedonii nomina expuncta

puncta sunt ex Dyptichis, jubente Hormisda; nec aliâ conditione inter Orientalem & Romanam Ecclesiam pax inita est. Igitur habiti sunt ut Schismatici.

Respondeo, ad primum, Nego consequens. Hac enim in Epistola minùs propriè sumitur anathema, & in latiori quodam significatu, quatenùs in anathemate se esse conqueruntur Orthodoxi Orientis Antistites. Scilicet minoris genus quoddam excommunicationis significat, quâ nec ab Ecclesiæ corpore segregati, nec extra salutis statum positi erant, sed honoribus nonnullis duntaxat, & appendicibus Ecclesiasticæ communionis privati, nimirùm Epistolis Formatis, & Synodicis, missione Legatorum, &c. Hoc excommunicationis genere Orientales propter iniquam S. Joannis Chrysostomi damnationem punitos fuisse diximus: ejusque vestigia in Concilio Carthaginensi 5. conspici, in quo statutum est ut Episcopus, qui ad Synodum vocatus non venerit, *Plebis sua communione contentus sit.*

Ad secundùm respondeo pariter negando consequens. Non enim Schismatici sunt, quorum nomina expunguntur ex Dyptichis, imò nec excommunicati; nisi sententiâ excommunicationis ab Ecclesia lata nominatim configantur, aut generalibus verbis significentur. Certè S. Augustinus agnovit alicujus Sacerdotis nomen ex Dyptichis expungi posse, & ad altare sileri, qui libro viventium forsan adscriptus erat. *Quid enim obest homini* (inquit Epistola 157.) *quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viventium non delet eum iniqua conscientia?*

Posteriore L. i. 190.

Præterea, Hormisdas Pontifex Maximus Episcopos & Clericos Ponti, Asiæ Palæstinæ, ac totius præsertim Diœceseos Orientalis, seu Antiocheni Patriarchatus, in communionem Sedis Apostolicæ tandem suscepit, quamvis Euphemii & Macedonii nomina ex Dyptichis expungi non paterentur. De his Justinianus ad Hormisdam scribebat his verbis anno Dom. 520. *Acacii nomine, quod dissidium gerebat stirpitus amputatò, pro tenore Libellorum quos direxistis, in hac Urbe Regia, multisque civitatibus unitas optata provenit, quam summis inventam laboribus venerari convenit; in perpetuumque custodiri necesse est... Sed quia prosperos cursus frequenter impedire festinat humani generis inimicus, pars Orientalium non exiliis, nec ferro flammisque compelli potest ut Episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet; quæ difficultas generali concordia moras nectit. Sanctitas itaque vestra cælitùs inspirata, temporum, rerumque qualitatem consideret, & condemnatis hujus erroris Authoribus, id est, Acacio Constantinopolitano, Petro, & Timotheo Æluro, & Dioscoro Alexandrinis, Petroque Antiocheno, finire dignetur inveteratum certamen; de cæterorum nominibus quæstione sopitâ: ut redimatis plebem de sanguine, quam Deus noster regendam commisit, ac non persecutionibus acervare, sed patientiâ Sacerdotali, populum Domino nostro concilietis: ne, dum volumus animas lucrari, & corpora multorum perdamus & animas. Errores etenim diuturnos lenitate clementiâque convenit emendari: præcipuè quia vestra Beatitudinis Prædecessores sæpissimè voluerunt Reipublica nostra Antistites ad suam revocare communionem, si tantummodo taceretur Acacius, cæterique prædicti.*

Ea de re scripsit etiam ad Pontificem Justinus Imperator, cùm Libellos supplices ab Ecclesiarum illarum Episcopis accepisset, quorum exemplaria per Joannem Episcopum aliosque Legatos ad ipsum misit eodem anno 520. pridie Kalendas Decembris. *Omni*, inquit, *intentione ordinavimus, ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec-non complures aliæ vota suscipiant vestra, non solùm in cæteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris Dyptichis, quæ removenda maximè postulastis. Verùm nonnullæ* A *fuerunt urbes & Ecclesiæ tum Ponticæ, tum Asianæ, & præcipuè Orientales, quarum Clerici & populi omnibus pertentati minis & persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt ut tollant Antistitum & repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit; sed morte vitam duriorem æstimant, si mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vitâ superstitum. Quid igitur faciamus hujusmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens existit, & tormenta in tantum despicit, ut amplum sibi ac festivum judicet, si corpore priùs quàm religioso desistat consilio? Nobis quidem opus videtur molliùs agendi & clementiùs.... Veniam itaque nominum* B *postulamus, non Acacii, non utriusque Petri, non Dioscori, vel Timothei, quorum vocabula ad nos data tua Sanctitatis Epistola continebant; sed quos in aliis celebravit civitatibus Episcopalis reverentia: & hoc exceptis urbibus, ubi vestra Beatitudinis Libellus jam in plenum admissus est; nisi hanc quoque partem benevolentia statueris vestra mitiùs corrigendam. Verum nec judicio caret Sedis Apostolica, ut non magis venia dicenda sit, quàm deliberata jam ac perfecta diffinitio. Anastasius quidem religiosissimæ memoriæ, vestræ culmen Ecclesiæ, palam aperteque constituit, cum hoc idem scriberet negotium Prædecessori nostro, satis esse pacem efficientibus, si nomen tantùm reti-* C *ceatur Acacii. Ergo priora vestra Sedis Constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas, ut indignum habeatur & incongruum, si non placidior omnibus, non solum defunctis; sed etiam superstitibus, vestra divulgetur in omni fine terrarum lenitas.*

Hæc Justini Imperatoris Epistola Romam non pervenit, nec Hormisdæ tradita est ante 21. Novembris. Nec responsum dedit Pontifex ante 26. Martii anni 521. Ejus Epistola prolixam pietatis Justini commendationem continet. In ea verò nullam aliquid de pristinis decretis remittendi significat vo- D luntatem. Atque ut Anastasii exemplo, quod objectum sibi fuerat, & cujus auctoritate urgebatur, tacitè respondeat, ait, mala, quæ ex eo tempore emerserant, invalueranque, graviora, vix locum aliquem permitere lenitati & dispensationi. *Nec*, inquit, *austeriorem me quisquam dicat esse prioribus; Diligentiorem me non pertinacia studium, sed scandala secuta fecerunt. Forte inter initia potuit locus esse lenitati. Male, sicut notum est, per accessus præcedentium temporum, errorum augmenta creverunt.*

Verùm cùm tot Ecclesiis vim inferre nollet Imperator, id consilii cepit Hormisdas Pontifex, ut negotium omne Epiphanii Constantinopolitani Epis- E copi prudentiæ permitteret, cui suas propterea vices demandavit: eâ tamen lege ut ad Sedem Apostolicam referret, quosnam in ejus communionem suscepisset, & quid Libelli ab iis dati, seu Fidei Formulæ ac Professiones continerent. *Ita quidem*, inquit, *ut litera vestra significent eos qui nobis communione conjunguntur, tales esse, qui per nos Sedi Apostolicæ, nostris literis nascantur, & ea quæ continentur in Libellis quos produxerint.*

Ex his colligitur, Hormisdam, qui Orientales Episcopos compellere primùm volebat ad subscribendum Libello à se edito, & à Legatis suis offerendo, eorum tandem oppositioni cessisse. Nam si F huic Libello eos subscribere voluisset, minimè fuisset opus ut Epiphanius eum certiorem fecisset de his quæ Libelli, seu Professiones Fidei à memoratis Episcopis editæ continerent, & quâ verborum formula subscripsissent.

Istud confirmatur ex iis quæ pro Jerosolymitanis Ecclesiis subjungit, ut si communione Sedis Apostolicæ donari velint, Professionem Fidei, quam Legatis Apostolicis obtulerunt, dum adhuc Constantinopoli versarentur, Romam ad se mittant, vel in Epiphanii Constantinopolitani Episcopi manus

nus reponant. *Et quoniam de Jerosolymitanorum Professione respondimus, & hoc subjicimus horum salutis gratiâ: Ut si Catholicæ Ecclesiæ desiderant unionem, propria Professionis texturam in scripturis indicatam, quam nostris Legatis in Constantinopoli degentibus attulerant, per proprios nuntios ad nos mittant, vel vestra Fraternitati dent, quæ ad nos omnibus modis per vestram informationem portabitur.* Hæc Hormisdas in Epistola ad Epiphanium Archiepiscopum Constantinopolitanum, quæ extat inter Acta Synodi Constantinopolitanæ sub Menna, *Actione* 5. Orientales igitur Episcopi in Sedis Apostolicæ communionem tandem admissi sunt, quamvis Euphemium, & Macedonium non damnassent, nec eorum nomina ex sacris Dypthichis expunxissent.

Objicies. Macedonius Henotico Zenonis subscripsit, ut Theodorus Lector testatur, *lib.* 2. Non fuit igitur integerrimæ Fidei.

Respondeo 1. Non sequi quòd Macedonius fuerit hæreticus, quamvis Henotico Zenonis subscripsisset, quia Henoticon nullam hæresim disertè continebat.

Respondeo 2. Falsum esse antecedens, ut ex veteribus edoctus Monumentis tradit Nicephorus *lib.* 16. *Historiæ Ecclesiast. ca cap.* 26. cujus verba descripsimus in Synopsi, cap. *de Schismate Acacii.* Id ergo ab Anastasio Imperatore confictum est, & in vulgus sparsum ne quis ex suis patientiæ suæ causam de tolerando in Sede Constantinopolitana Macedonio, ignaviæ, vel timori adscriberet (inquit laudatus Auctor.) Neque id incredibile erit iis, qui alias æquè putidas calumnias in Macedonium ab hostibus Fidei & Concilii Chalcedonensis concinnatas in memoriam revocaverit: de quibus diximus in Synopsi, cap. mox indicato, *de Acacii Schismate.* Nec verò me movet Theodori Lectoris testimonium. Nam & ipse asserit Eliam Jerosolymitanum sanctissimum Antistitem damnasse Chalcedonensem Synodum; quod tamen falsum esse, & ab Eutychianis per calumniam in vulgi aures effusum, certissimum est ex Epistola Monachorum Palæstinæ ad Alcisonem, quam refert Evagrius lib. 3. cap. 31. *Inter hæc,* inquit, *postulant etiam ab Episcopo Jerosolymorum, ut Formulam Fidei suæ conscribat. Quam ille cùm edidisset, per Sectatores Dioscori misit ad Imperatorem. Et ea quidem quam ipsi proferunt, anathematismum continet eorum qui duas in Christo naturas prædicarunt. Ipse verò Jerosolymorum Episcopus eam ab illis falsò confictam esse dicens, aliam profert absque hujusmodi anathematismo. Neque id mirum. Nam & libros sanctorum Patrum sæpe numero corruperunt. Multos quoque Apollinarii libros Athanasio, & Gregorio Thaumaturgo, & Julio falsò adscripsêrunt.* Sed, quod Macedonium spectat, testantur iidem Monachi in eadem Epistola, ipsum ab Hæreticis compulsum, Fidei Professionem ipsis dedisse, in qua, licet solam Fidem Nicænam à Constantinopolitanæ Synodi Patribus expositam profiteretur, nec Synodos Ephesinam & Chalcedonensem disertè meminisset, unitatem tamen personæ in Christo contra Nestorium, & duas naturas contra Eutychem disertè profitebatur. *Sed & à Macedonio*, inquiunt, *Chirographum Fidei suæ postularunt. Qui quidem eam exposuit, affirmans se trecentorum & octodecim SS. Patrum, & centum ac quinquaginta Fidem solam nosse: Nestorium verò & Eutychem anathemati subjiciens, eosque qui duos Filios, & duos Christos asserunt, aut qui naturas dividunt: nullâ tamen mentione factâ nec Ephesinæ Synodi, quæ Nestorium deposuit, Nec Chalcedonensis, in qua depositus est Eutyches.* Istud de Synodo Chalcedonensi silentium Monachos urbi Constantinopolitanæ vicinos ita commovit, ut à Macedonii communione propterea desciverint, ut in Epistola memorata ad Alcisonem habetur: sed nimis præceps fuit illorum judicium. Nam Synodum Chalcedonensem se venerari, & suscipere satis significabat Macedonius, cùm omnia perpeti, & in exilium ejici malebat, quàm Synodum Chalcedonensem damnare: ut Monachi Palæstinæ in eadem Epistola testantur his verbis: *Interea Xenaias & Dioscorus multis Episcopis sibi adjunctis, intolerabiles erant dum tumultus concitarent adversus eos, qui Synodum anathemati subjicere recusabant. Ex quibus eos, qui ad finem usque ipsis non cesserant, multis machinationibus in exilium ejici curarunt. Hoc igitur modò Macedonium, & Joannem Episcopum Palti, & Flavianum in exilium trudunt.*





PANOPLIA
ADVERSUS HÆRESES
QUINTI SÆCULI.

DISSERTATIO XXI.
DE PECCATO ORIGINALI,
CONTRA
PELAGIANOS.

PROPOSITIO.

Originale peccatum ab Adamo in omnes ipsius posteros propagari, contra Pelagianos, in Socinianis redivivos, Scriptura sacra demonstrat, Traditio Patrum testimoniis ad Pelagii usque tempora firmata evincit; congruæ rationes persuadent.

ROBATUR prima pars 1. Ex oraculis veteris Testamenti. *Job.* 14. secundùm Versionem LXX. Interpretum: *Nemo*, inquit, *mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita, super terram*: secundùm Vulgatam verò Versionem nostram, sic Deum alloquitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Sordis quippe & immunditiæ nomine peccatum hîc intelligi perspicuum est; sordes namque corporis abstergere homines possunt. Immunditia porrò, à qua nec infans unius diei immunis est, ab ipsa conceptione, omnibus hominibus inhæret, & in omnes propagatur. Idem probat Davidicum oraculum (Psalm. 50.) *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* S. Hieronymus vertit, *in iniquitate*, secundùm vim Hebraïcæ vocis. Et in Versione LXX. Interpretum pluralis numerus pro singulari usurpatur, quòd in Adami peccato multiplex iniquitas concurrerit, superbia scili-

Originale peccatum ex Scripturis sacris probatur.

A cet, inobedientiâ, intemperantia; & quòd originale peccatum cæterorum quodammodo sit origo. Nec verò iniquitatum in quibus conceptus est, nomine, parentum peccata intellexit David: cùm ex sancto conjugio, non ex adulterio, aut fornicatione fuerit progenitus.

2. Probatur ex Novo Testamento, in quo S. Joannes Baptista Christum indigitans ait (Joannis 1.) *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi.* Certè peccatum singulari numero ibi expressum, secundùm significationem Græci textûs, commune mundo, id est, hominibus omnibus peccatum est. Sed nullus est illustrior ac luculentior locus celeberrimô illô Apostoli (ad Romanos cap. 5.) *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc*
B *mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt..... Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delictô multi mortui sunt: multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit; & non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem: si enim unius delictô mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & justitiæ accipientes, in vita æternâ regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obe-*

ditionem, justi constituentur multi. Peccati nomine, quod in mundum per unum hominem introivit, in quo omnes peccaverunt, verum & propriè dictum peccatum intelligendum est, non peccati effectus, puta mors, aut propensio ad peccandum, alioqui sensus istius loci esset: Per unum hominem mors introivit in mundum, & per mortem mors; qui sensus planè ineptus est. Aut significaretur, mortem ex propensione ad peccatum natam esse: qui sensus omnino falsus: Non enim propensionis ad peccandum; sed *peccati stipendium* mors est. Nec Deus Adamo comminatus mortem est ob propensionem ad peccatum, sed ob violationem legis quam ipsi posuerat: *In quacunque die*, inquit, *comederis, morte morieris*: nec mors ob propensionem solam ad peccatum justè infligeretur insonti creaturæ. Quamvis enim Deus se parentum peccata in filiis castigare testetur; id tamen non præstat, nisi cùm filii patres peccantes imitantur: alioqui falsum esset divinum illud oraculum, Ezechielis 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Deinde ultra tertiam & quartam generationem se patrum crimina in filiis puniturum Deus non comminatur. *Ego sum Dominus Deus tuus*, (inquit Exod. 20.) *fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Cùm itaque non ad tertiam duntaxat, & quartam generationem supremus Judex Adami posteros morte plectat, sed omnes quotquot ab orbis conditi initio ex eo progeniti sunt homines, & ad finem usque mundi nascentur; colligendum est, non propter actuale tantùm & personale Adami peccatum mortem omnibus hominibus infligi, sed propter insiti omnibus peccati, & ab Adamo propagati meritum. Sanè si terrenos Principes contra æternas justitiæ ac divinæ legis regulas peccare nemo non censeret, qui læsæ Majestatis reos non solùm pœnæ capitis addicerent, non solùm eorum filios nobilitatis privilegiis, omnibusque privarent honoribus, sed extremo puniendos supplicio decernerent, quotquot ex iis, stante Republica, nascerentur; quis putet supremum æquissimumque judicem Deum omnes Adami posteros, ob ejus peccatum, morti addixisse, nisi propagatâ in ipsos hujusmodi peccati labe, peccatores ipsi constituerentur.

Pelagianorum & Socinianorum Responsiones eliduntur.

Futilis porrò est Pelagianorum & Socinianorum responsio, qui Apostoli sententiam ita exponunt, quasi voluerit peccatum per unum hominem in mundum introisse imitatione, non propagatione. Nam ratione multiplici ex Apostoli contextu petitâ, hæc eliditur interpretatio. Prima hæc est, quòd Apostolus Adami Christique instituat antithesim: sicque per primum hominem afferat invectum peccatum, sicut per Christum collata justitia est. Justitiam autem à Christo, imitatione solâ acceptam quis dixerit? Cùm & Veteres Sancti, qui Christum præcesserunt, ideòque non potuerunt eum imitari, justitiam tamen suam ipsi acceptam referant: & parvuli, qui Christum sicut cognoscere, ita nec imitari possunt, per ipsum justificentur. Igitur nec per primum hominem peccatum in cæteros aditum habuit, imitatione solâ. Sed sicut Christus occultâ gratiæ suæ inspiratione justos nos efficit; ita & Adam occultâ naturæ depravatione, corruptelâ, tabe, nos constituit peccatores.

Secunda ratio est, quòd homines propriè non imitentur, quod non cognoscunt. Sunt autem plurimi qui de Adami peccato nihil audierunt unquam, qui proinde ab eo peccandi formam & exemplum non accipiunt.

Tertia ratio est, quòd sicut per unum hominem peccatum intravit, ita & mors. At ingressus mortis non est per imitationem: igitur nec peccati.

Quarta ratio est, quòd si de peccato imitationis locutus fuisset Apostolus, potiùs per Diabolum intrasse peccatum dixisset, qui primus peccavit, quàm per unum hominem. Denique si de imitatione hanc sententiam suam intelligi voluisset Apostolus non dixisset: *Judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Si enim nullum est originale peccatum, non solùm ad justificationem gratia, sed etiam judicium ad condemnationem ex multis delictis perducere homines dicendum est. Sicut enim gratia multa delicta condonat: sic judicium multa delicta condemnat. Aut si proptèrea ex uno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex illius unius imitatione commissa sunt: eadem causa est cur ex uno delicto etiam ad justificationem duci intelligantur, quia omnia delicta quæ justificatis remittuntur, ex illius unius imitatione commissa sunt. Antithesis igitur ab Apostolo hîc instituta Christum inter & Adamum in eo posita est, quòd ab Adam, in quo omnes peccavimus, non omnia nostra peccata, sed originale tantùm traduximus: à Christo verò in quo omnes justificamur, non illius tantùm originalis, sed etiam cæterorum, quæ ipsi addidimus, peccatorum remissionem consequimur; & ideò *Non sicut per unum peccatum, ita & donum.* Nam judicium quidem ex uno delicto, si non remittitur, id est, originali in condemnationem potest ducere: gratia verò ex multis delictis remissis, hoc est, non solùm illo originali, verùm etiam omnibus cæteris, ad justificationem perducit.

In eo, quem versamus, Apostoli loco, maximè expendenda sunt illa verba: *In quo omnes peccaverunt.* Ea enim vel ad hominem, vel ad mortem, vel ad peccatum referenda sunt, quæ antea S. Paulus nominaverat. At illa ad mortem referri nemo dicat; sensus enim absurdus esset: *In qua morte omnes peccarunt.* In peccato namque moriuntur omnes, non in morte peccant: nam peccato præcedente, mors sequitur; non morte præcedente peccatum. Aculeus quippe mortis est peccatum, id est, aculeus cujus punctione fit mors, non aculeus quô pungit mors. Sicut venenum, si bibitur, appellatur poculum mortis, quòd eô poculô facta sit mors, non quòd morte sit poculum factum, aut à morte sit datum: nec etiam ad peccatum illa verba Apostoli referri possunt, cùm in Græco masculinum cum fœminino ἁμαρτία non congruat. Ad unum igitur illum hominem referenda sunt, id est, ad Adamum. In Adamo igitur omnes peccaverunt, quia in illo tanquam in principio & radice totius generis continebantur omnes, quandò peccavit. Has rationes & expositiones loci Apostolici S. Augustino debemus variis in locis, sed præcipuè lib. 1. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, cap. 9. & 10. & lib. 4. *Contra duas Epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium*, cap. 4.

Idem fidei catholicæ dogma confirmatur ea Epistola 2. ad Corinthios cap. 5. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Quod Apostoli ratiocinium ut legitimum sit, necesse est homines universos, etiam ipsos infantes, mortuos esse morte peccati: si quidem Christus, qui pro mortuis dumtaxat, id est, pro peccatoribus mortuus est, pro parvulis etiam est mortuus. Hoc telum contra Pelagianos intorquet S. Augustinus *lib. 6. contra Julianum, cap. 4.*

Denique idem probatur ea Epistolæ ad Ephesios cap. 2. *Eramus*, inquit, *natura filii iræ, sicut & cæteri.* Id est, à primo naturæ nostræ exortu, sive

ei

ex nativitate, non ex consuetudine & imitatione, iræ Dei ac vindictæ obnoxii eramus. Iræ porrò ac vindictæ Dei obnoxius nemo est nisi ob peccatum: nascuntur igitur omnes homines cum peccato. Ita hunc intelligendum esse locum, ratio multiplex suadet. 1. Quòd non habeatur in Græco textu ὑπὸ, sed, φύσει, quæ vox nativitatem sive partum expressiùs significat. Secundò, ordo Græci textûs, *Filii natura iræ*, quasi dicat, filii, quod ad naturam attinet, sive naturales, iræ, ut hos opponat filiis adoptione. Tertiò, quòd hæc scribat Apostolus in persona Judæorum, & vocem *natura* tacitè opponat eorum gloriationi de carnali generatione ex Abrahamo; docens ipsos ex nativitatis origine, quâ naturam à parentibus acceperunt, aliquando fuisse iræ Dei obnoxios, perinde ut Gentiles, quos ob nativitatem ex parentibus idololatris, tanquam peccatores & immundos aspernabantur. Quartò, quia Apostolus, mali, de quo ante dixerat, scilicet vitæ depravatæ causam & radicem, hâc locutione indicare voluit. Prima autem hujus mali radix est naturæ corruptio, & originaria labes.

Respondebat Julianus, secundùm vim Græci textûs verti posse; *Eramus prorsus filii iræ*. Et revera S. Hieronymus hanc interpretationem non rejicit; quamvis alteram magis probet ac sequatur. Sed eam in qua habetur, *naturâ*, esse anteponendam probat S. Augustinus ex summo Latinorum omnium Codicum consensu. *Nonne*, inquit, *hinc admoneri debuisti, antiquam contra vos defendi Catholicam fidem: quia non ferè invenitur Latinus Codex, si non à vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, ubi non*, naturâ, *sit scriptum? Quod atque cavere debuit interpretum antiquitas, nisi etiam fidei hac esset antiquitas, cui vestra cœpit resistere novitas.* (Lib. 6. contra Julianum, cap. 10.)

Peccatum originale probatur ex Traditione.

Probatur secunda pars Propositionis, proferendo testimonia Patrum, qui ante ortum Pelagianæ hæreseos floruerunt. In his Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, de Christi baptismo in Jordane loquens, hæc habet: *Ad amnem eum non ideò venisse, pro comperto habemus, quòd vel Baptismi lavatione, vel Spiritus in specie columbæ adventu opus ei fuerit.... sed humani generis causâ, quod per Adam in mortem & fraudem, seductionemque serpentis conciderat: ut interim propriam pro se malignè agentis cujusque culpam taceam.* Ex his perspicuum est, Justinum Martyrem credidisse non solum ab actuali peccato purgari homines per Christum, sed ab alio quodam in quod per Adam inciderunt; cujus pœna mors est, cui obnoxii sunt universi.

Ecclesiæ Patres ante S. Cyprianum dogma Catholicum de peccato originali clarè ac luculenter asseruerunt.

II. S. Irenæus *lib. 4. adversùs Hæreses, cap. 5.* idem dogma confirmat dicens: *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati, in ligno martyrii exaltatur à terra, & omnia trahit ad se, & vivificat mortuos.* Et lib. 5. cap. 19. *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem: æquâ lance dispositâ, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim Protoplasti peccato per correptionem Primogeniti emendationem accipiente, Serpentis prudentiâ devictâ per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti.* His locis S. Augustinus adversùs Julianum Pelagianum pugnat, *lib. 1. cap. 3.*

Non minùs luculenta sunt, quæ idem S. Episcopus & Martyr habet lib. 3. cap. 20. *Filius Dei*, inquit, *semper existens apud Patrem, quando incarnatus est & homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundùm imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus. Quia enim non erat possibile eum hominem, qui semel victus fuerat & elisus, per inobedientiam replasmare, & obtinere bravium victoriæ: iterùm autem impossibile erat ut salutem perciperet, qui sub peccato ceciderat, utraque operatus est Filius Verbum Dei existens, à Patre descendens.* Et infrà: *Quemadmodùm per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, & amiserunt vitam: ita oportuit & per obedientiam unius hominis, qui primus de Virgine natus est, justificari multos & percipere salutem.*

III. Tertullianus originale peccatum variis in locis agnoscit, ejusque labe infectam & contaminatam humanam naturam esse docet; Libro *De Testimonio Animæ*, Cap. III. *Satanam denique in omni aversatione & aspernatione & detestatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius sæculi interpolatorem, per quem homo à primordio circumventus ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ damnationis traducem fecit.*

Libro *De Carne Christi*, Cap. XVI. *Nam & alibi in similitudine*, inquit, *carnis peccati Christum fuisse, non quòd similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis & non veritatem; sed similitudinem carnis peccatricis vult intelligi; quòd ipsa non peccatrix caro Christi, ejus fuit par, cujus erat peccatum, genere, non vitio, Adæ: quando hinc etiam confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cujus natura est in homine peccatrix; & sic in illa peccatum evacuatum, quòd in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habebatur.*

Et Cap. XVII. *Hæc est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus, carne antiqui hominis susceptâ, sine antiquo semine, ut illum novo semine, id est, spiritualiter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota novitas ista sicut & in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione Domino nascente.... Hic ratio defendit quòd Deus imaginem & similitudinem suam à Diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.*

Idem Libro V. *Contra Marcionem*, Cap. XVII. *Cùm dicit* (Apostolus) *Fuimus naturâ filii iracundiæ; Creatoris autem non naturâ sunt filii Judæi, sed adlectione Patrum: Iræ filios ad naturam retulit, non ad Creatorem. Ad summam subjungens: sicut & cæteri, qui utique Filii Dei non sunt, apparet communi naturâ omnium hominum & delicta & concupiscentias carnis, & incredulitatem & iracundiam reputare; diabolo tamen captante naturam, quam & ipse jam infecit, delicti semine illato.*

Idem Libro *De Resurrectione Carnis*, Cap. XXXIII. & XXXIV. *Imprimis cùm ad hoc venisse se dicit, uti quod periit salvum faciat, quid dicas periisse? Hominem sine dubio. Totumne an ex parte? Utique totum. Siquidem transgressio quæ perditionis humanæ causa est, tam animæ instinctu ex concupiscentia, quàm carnis actu ex degustatione commissa, totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atque exinde meritò perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, qui totus periit delinquendo.*

IV. Dogma Catholicum de Peccato originali pariter confirmat Origenes Homilia VIII. in Leviticum. *Ille ipse*, inquit, *qui nascitur, sive virilis sive feminei sexûs sit, pronuntiat de eo Scriptura, quia non « fit mundus à sorde, etiamsi unius sit diei vita ejus; « ut scias in hoc esse grande nescio quid & tale quod nulli Sanctorum ex sententia venerit. Nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem festum vel convivium magnum egisse*

se in die natalis sui ; soli peccatores super hujusmodi nativitate lætantur. . . . Quòd si placet audire quid etiam alii Sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem : In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea : Ostendens quòd quæcumque anima nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur. Et propterea dictum est quod jam superius memoravimus : Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fit vita ejus. Addi his etiam illud potest, ut requiratur quid causæ sit ; cùm Baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundùm Ecclesiæ observantiam, etiam parvulis Baptismum dari ; cùm utique si nihil esset in parvulis, quòd ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia Baptismi superflua videretur. Lege & Homiliam XII. in Leviticum.

Et Homilia III. in Cantica : *Cervus quoque amicitiarum quis alius videbitur, nisi ille qui peremit serpentem illum qui seduxerat Evam, & eloquii sui flatibus peccati in eam venena diffundens, omnem posteritatis sobolem contagio prævaricationis infecerat ?*

Idem Homilia XIV. in Lucam : *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum ? vel quo tempore peccaverunt ? Aut quando potest ulla Lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum de quo paulò antè diximus : Nemo mundus à sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram ? Et quia per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli.*

Et Libro VI. in Epistolam ad Romanos : *Omnes nos homines, qui ex semine viri cum muliere convenientis concepti sumus, illâ necessariâ utimur voce, quam dicit David : Quoniam in iniquitate concepit me mater mea. Verùm qui ex nulla viri contagione, sed solo Spiritu Sancto super Virginem veniente, & virtute Altissimi obumbrante venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem tamen peccati, quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur, omninò non habuit.*

S. Cyprianus & Patres ipsius seculi idem dogma constanter docuerunt.

V. S. Cyprianus Epistola 59. ad Fidum Episcopum datâ suo & Africani Concilii nomine, infantes à partu recentissimos statim baptizandos esse docet, nec octavum diem expectandum, ut Fidus optabat, quia baptismo ad remissionem peccati quod ex Adamo traxerunt, ipsis opus est. *Cæterùm*, inquit, *si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset ; magis adultos & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora. Porrò autem si etiam gravissimis delictoribus & in Deum multùm antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur ; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit ? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quod illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata. Et idcirco, Frater charissime, hæc fuit in Concilio nostra sententia, A Baptismo atque gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cùm circa universos observandum sit atque retinendum : magis circa infantes ipsos & recèns natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de divina misericordia plus merentur, quòd in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quàm deprecantur.* Tam insigne S. Cypriani & Ecclesiæ totius Africanæ testimonium contra Julianum Pelagianum profert S. Augustinus loco suprà laudato.

VI. Profert ibidem S. Augustinus testimonium Reticii Augustodunensis, qui Concilio Romano contra Donatistas sub Melchiade Papa celebrato interfuit. Is de Baptismo agens ita locutus est : *Hanc igitur esse principalem in Ecclesia indulgentiam, neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, ubi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.*

VII. Profert autoritatem Olympii Hispani Episcopi, in quodam Sermone Ecclesiastico dicentis : *Si Fides unquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, nunquam Protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.*

VIII. S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, Ecclesiæ Catholicæ adversùs Hæreticos acerrimus defensor, eamdem Catholicæ Fidei veritatem asserit in Expositione Psalmi 118. ad illa verba : *Vivet anima mea & laudabit te.* Sic enim habet : *Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerat : Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natum.* Et alibi de Christi carne agens, sic loquitur. *Ergo cùm missus est in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato, scilicet Adam parente deductus, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo, non peccato, sed peccati carnis similitudine.* His testimoniis Julianum Pelagianum premit S. Augustinus locô laudatô.

IX. S. Basilius Homilia I. *De Jejunio*, peccatum Adami, & ejus pœnam, ad ejus posteros pertinere agnoscit. *Jejunium*, inquit, *tam vetus est, ut simul cum homine conatio cœperit : in Paradiso præscriptum est. Primum illud præceptum accepit Adam, ut de ligno scientiæ boni & mali ederet. Hoc autem verbum ; Non edetis, jejunii & abstinentiæ lex est. Si à ligno jejunasset Eva, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus. Neque enim qui valent, egent medico, sed qui malè habent. In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine jejunio otiosa & infrugifera est. Maledicta terra spinas & tribulos progignet tibi. In tristitia vivere jussus es, non indulgere deliciis.* Et infrà : *Quoniam non jejunavimus, exulamus è Paradiso. Jejunemus igitur, ut ad illum postliminiò revertamur.* Hoc S. Basilii testimonium adversùs Julianum profert S. Augustinus.

X. S. Gregorius Nazianzenus Oratione XXXVIII. quæ est I. *in Nativitatem Christi*, doctrinam eamdem tradit. *Celebramus*, inquit, *Dei ad homines adventum, ut ad Deum accedamus, aut, ut aptiori verbo utar, revertamur, ac deposito veteri homine, novum induamus : & quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus, dum nimirum cum Christo, & nascimur, & Cruci affigimur, & sepelimur, & resurgimus. Pulchra enim in contrarium mutatio mihi subeunda est, ut quemadmodum ex secundis rebus molesta venerunt, sic etiam ex molestis læta & jucunda redeant. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit & gratia : & , si gustus condemnavit, quantò magis Christi Passio justificavit ?* Et ad finem Orationis ; *Descriptionem reverere, propter quam in cœlis ipse describeris : & Nativitatem, ob quam nativitatis vinculis solutus es : & parvam illam Bethleem honora, quæ te in Paradisum reduxit.*

Et alibi de Baptismo loquens : *Persuadeat tibi*, inquit, *de hoc quoque sermo Christi dicentis, Neminem posse introire in regnum cælorum, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ.* Istis etiam testimoniis Julianum urget Sanctus Augustinus.

XI. S. Joannis Chrysostomi autoritate, quam in sui erroris patrocinium Pelagiani trahebant, eosdem S. Augustinus profligat, variaque ipsius contra Julianum testimonia profert. I. ex Epistola ad Olympiam, in qua ita scribit ; *Quando Adam peccavit,*

illud

illud grave peccatum & omne genus hominum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat.

2. Ex Homilia *de Lazaro resuscitato*, in qua hæc habet: *Flebat Christus, cur usque ad hoc mortalitas deliquisset, ut excussa de perennitatibus, inferos adamaret. Flebat Christus, quod eos qui immortales esse potuerint, Diabolus fecit esse mortales.*

3. Ex Homilia 9. in Genesim, in qua sic loquitur. *Quòd autem nunc terrori nobis sint bestiæ, & timeamus, & dominio exciderimus, neque ipse contradico. Verùm hoc non arguit falsam Dei promissionem: nam ab initio res non ita habebant: sed timebant & tremebant bestiæ, & venerabantur dominum, ubi autem per inobedientiam fiduciam & gratiam apud Deum amisimus, etiam principatus noster mutilatus est. Subjecta enim homini animalia omnia fuisse, accipe ex Scriptura, quæ dicit: Adduxit Deus bestias ad Adam, ut videret quid vocaret eas, & cùm videret juxta se bestias, non resiliit: sed tanquam dominus aliquis servis subditis nomina imposuit.* Et paulò post: *Atque hæc quidem satis indicant, ab initio feras homini terribiles non fuisse, est tamen & aliud quiddam manifestius; & quodnam hoc? Colloquium serpentis cum muliere. Nam si terribiles fuissent hominibus bestiæ, mulier serpentis conspectô non mansisset, neque consilium accepisset, neque cum tanta securitate illi locuta fuisset: sed statim ad aspectum illius obstupefacta, profugisset. Verùm colloquitur, nec metuit: Nondum enim erat timor ille: cæterùm ubi peccatum intravit, ablata est hæc potestas & dignitas.* Et paulò-post. *Nam salvâ manente illius fiduciâ & gratiâ apud Deum, terribilis erat & bestiis: ubi autem impegit, timere cœpit & conservorum extremos. Quòd si quis dicimus, non fert, inquit, demonstra tu mihi ubi terribiles ante peccatum fuerint homini bestiæ? Sed non poteris. Quod autem postea subiit timor, etiam hoc divinæ misericordiæ maximum argumentum est. Nam si postquam homo mandatum prævaricatus est, integer illius mansisset honor & immobilis, haud facilè à lapsu resurrexisset.* Quibus demonstratur, per unum hominem peccatum ingressum esse, & commune omnibus hominibus factum esse peccatum, quandoquidem in omnibus terror communis est bestiarum, quæ utique nec infantibus parcunt, quos profectò, secundùm S. Joannis Chrysostomi sententiam, non læderent, nisi essent veteris illius peccati obligatione constricti.

4. Ex Homilia ad Neophytos, in qua hæc habet: *Venit semel Christus, invenit nostrum Chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Non satis ipsi fuit dicere, *Paternum Chirographum*, nisi adderet, *nostrum*: ut sciremus, antequam fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus, jam illius Chirographi paterni ad nos debitum pertinere.

5. Ex Homilia 10. in Epistolam ad Romanos, ubi exponit illam Apostoli sententiam: *Per unum Hominem peccatum intravit in mundum.* Sic autem habet: *Non ipsum peccatum quod à legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adam inobedientia, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat. Et quænam rei hujus probatio fuerit? Nempe quòd homines ante legem interirent. Regnavit enim mors ab Adam usque ad Mosem, in eos quoque qui non peccaverant. Quomodo regnavit? Ad similitudinem transgressionis Adam, qui typum gerit illius futuri: Propterea enim & typus est Jesu Christi Adam. Quomodò typus? Quoniam quemadmodùm ille omnibus à se (etiamsi de ligno non comedissent) autor mortis extitit, ejus quæ ob cibum illum introducta est: sic & Christus omnibus à se quamvis justè non agentibus, justitiæ tamen conciliator extitit, ejus, quam omnibus nobis per crucem largitus est.* Et infrà: *Ut cum tibi Judæus dixerit: Quò pactò unò rectè agente Christo, universus orbis salvus factus est? Possis illi respondere: Quò pactò unò non obediente Adam, universus orbis condemnatus est? Quanquam nihil simile inter se habens peccatum & gratia; mors & vita, Diabolus & Deus.* Et paulò-post. *Certè quòd ratione nititur id quod factum est, demonstravit; cùm dixit: At non ut peccatum, ita & donum. Nam si unius delictô multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ fuit unius hominis Jesu Christi in multos exuberavit. Quod enim ait* (Apostolus) *sensum hunc habet, Si tantum valuit peccatum, & hominis unius peccatum, Gratia Dei, & ea Dei gratia, nec Patris solum, sed & Filii, quomodo non superavit magis? Hoc enim multò rationabilius. Alterum enim alterius peccato puniri, non admodùm æquum atque conveniens esse videtur: at alterum propter alterum servari, & decentius multò & rationi magis consentaneum. Igitur si illud factum fuit, multò magis hoc.*

Et post explicans illa verba Apostoli: *Judicium quidem ex uno in condemnationem: donum autem ex multis delictis ad justificationem;* Quærit quis sit istorum verborum sensus. *Quid autem hoc dictum sibi vult?* inquit, *nempe quòd & mortem & condemnationem unum quidem peccatum afferre potuit; gratia autem non illud modo peccatum sustulit, sed & quæ post illud supervenere..... Proinde quòd plura sint advecta bona, nec sublatum tantummodò peccatum illud, sed & cætera omnia, his verbis ostendit; Donum autem ex multis delictis ad justificationem..... Ante enim dixit: Si unius peccatum peremit omnes; multò certè magis unius gratia servare poterit. Postea ostendit, non illud modò peccatum per gratiam extinctum, sed & reliqua omnia: nec ipsa tantùm peccata esse extincta, sed & justitiam datam: atque adeò Christum non modo tantùm juvisse, quantum læserat Adam, sed & multò magis ac multò plenius.*

Et inferiùs. *Quid ea sibi verba volunt: In mortem ipsius baptizati sumus? Ad hoc ut & ipsi moriamur, sicut ille: Crux enim est baptisma. Quod igitur Christo crux & sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit; quamvis non iisdem in rebus. Ille enim carne & mortuus, & sepultus est: Nos autem peccato utrumque. Quapropter non dixit: Complantati morti, sed, similitudini mortis. Mors etenim & hoc, & illud: sed non ejusdem subjecti. Illa enim carnis, Christi videlicet: hæc autem peccati, nostra scilicet: ut igitur vera illa, sic & hæc.* Tam insignia S. Joannis Chrysostomi testimonia demonstrant Pelagianos ejus auctoritate perperam abusos, ut dogma Catholicum de originalis peccati propagatione impugnarent. Demonstrant ipsos, eorumque sectatores Socinianos, contra Ecclesiæ fidem & antiquam traditionem, locum celebrem Apostoli, quo dixit: *Per unum Hominem peccatum intravit in mundum*, &c. ad imitationem detorquere, & ad carnalem nativitatem referendum inficiari. Illô namque peccato contaminata dicit esse omnia S. Joannes Chrysostomus. Et sic illud distinguit à cæteris postea commissis, introductisque peccatis, ut non illa tantùm; sed & hoc & illa per gratiam Christi dicat interfici. Asserit prætereà, ita eum peccato mori, qui baptizatur in Christo, sicut carne mortuus est Christus. Quia in morte Christi baptizari, nihil est aliud quàm peccato mori. Cui porrò peccato parvulus moritur, si originale non traxit? An fortè non in Christi morte parvuli baptizantur, cùm Apostolus non dixerit, *quidam*, sed, *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus?* His Sancti Joannis Chrysostomi testimoniis Pelagianos profligat S. Augustinus *lib. 1. contra Julianum, cap. 6.*

XII. S. Ambrosius caussæ etiam Catholicæ Fidei adversus Pelagianos & Socinianos peccatum originale negantes suffragatur. In Commentariis enim

enim ad caput 3. S. Lucæ hæc habet : *Jordanis conversus est retrorsum : significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.*

Et ad caput 2. *Non enim*, inquit, *virilis coitus vulva Virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili uterô Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina Sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cælesti majestate depulerit.* Et ad caput 4. *Omnes in Adam morimur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt : illius igitur culpa mors omnium est.* Et ad caput 10. *Cave ergo*, inquit, *ne ante nuderis, sicut Adam nudatus est, mandati cælestis custodia destitutus, & exutus fidei vestimentô ; & sic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera ejus acerba curasset.* Et ad caput 15. *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes : periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Et in Psalmum 50. qui à S. Augustino laudatur sub titulo Apologiæ David. *Antequam nascamur*, inquit, *maculamur contagiô : & ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur. Non expressit utrum parentum, an nostrâ. Et in delictis generat unumquemque mater sua, nec hic declaravit utrum in delictis suis mater pariat, an jam sint & aliqua delicta nascentis. Sed vide ne utrumque intelligendum sit : quoniam & parentes non carent lapsu, nec conceptus iniquitatis exors est. Nam si nec unius diei infans sine peccato est, multò magis nec illi materni conceptûs dies sine peccato sunt. . . Concipimur ergo in peccatis parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua ; nec unum tantummodo habet ipsa natura contagium.* Et infrà, de Christo Domino loquens hæc habet : *Dignum etenim fuit, ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Meritò ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturæ, quod priùs inciperet in homine macula, quam vita.*

Et Enarratione in Psalmum 48. ad illa verba : *Iniquitas calcanei mei circumdabit me* ; ait : *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suô vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.* Et libro de Tobia, cap. 9. *Quis iste peccati fœnerator*, inquit, *nisi Diabolus, à quo Eva mutuata peccatum obnoxiæ successionis, usuris defœneravit omne genus humanum ? Denique quasi malus fœnerator, Chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore delevit.* Et cap. 22. *Diabolus Evam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hæreditatem.* Et libro 1. de Pœnitentia, cap. 2. *Omnes homines*, inquit, *sub peccato nascimur. Quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David : Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et in Commentariis in Isaiam à S. Augustino laudatis, *lib. 4. ad Bonifacium cap. 11.* loquens de Apostolo Petro : *Ipse*, inquit, *se obtulit, quod ante putabat esse peccatum : lavari sibi non solum pedes, sed & caput poscens : quod illicò intellexisset, lavacrô pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiæ successionis aboleri.* Et ibidem. *Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti : qui autem expers delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.*

XIII. Hilarius Sardus in caput 5. Epistolæ ad Romanos idem fidei dogma disertè asserit. *Manifestum est*, inquit, *in Adam omnes peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes, nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cuncti peccatores : quia ex eo sumus omnes.*

XIV. Sanctus Hieronymus suô etiam suffragiô Catholicam sententiam confirmat Commentario in cap. 2. Michææ. *Unusquisque nostrûm*, inquit, *cum Adam de paradiso cecidit, & in hujus mundi captivitate versatur.* Et in caput 3. Jonæ, ait quòd *Etiam parvuli peccatô offendentis Adam tenentur obnoxii.* Quæ verba S. Augustinus laudat, *lib. 1. contra Julianum, cap. 7.*

XV. Hinc Pelagianum dogma, statim atque apertam in lucem erupit, Ecclesiastici Doctores & Episcopi impugnarunt, Ecclesia execrata est, anathemate confixit, & Pelagianos ubique damnavit. In Diospolitana Synodo coactus est Pelagius istas propositiones anathemate percellere : *Quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quòd infantes nuper nati, in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quòd infantes, etsi non baptizentur, habent vitam æternam.* 1 Peccatum Originale ex Ecclesiæ definitionibus probatum.

Innocentius I. in Rescriptis ad Synodi Carthaginensis & Milevitanæ Patres, de Pelagii & Cælestii errore ita scribit : *Illud verò quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, Parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc iis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci : fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse.* Joan 6. Hujus Pontificis autoritate Julianum S. Augustinus premit lib. 1. cap. 4. *Sancto Innocentio*, inquit, *vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quam quod isti, in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, introduxi. Cum his etiam ipse considet, etsi posterior tempore, prior locô. De miseris parvulis ab originali malo, quod trahitur ex Adam, per Christi gratiam liberandis, unam cum eis tenet Christianam veramque sententiam, qui omne præteritum vitium, primi scilicet hominis, qui liberô arbitriô est in profunda demersus, Christum dixit sui lavacrô purgasse baptismatis. Qui denique parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imò ipsi Domino ; cujus ille Antistes usus est testimonio ; & dic unde imago Dei tam capitali supplicio puniatur, ut vitâ privetur, si peccatum à nascentibus originale non trahitur ?*

Concilium Plenarium Africæ Canone 11. qui perperam adscriptus est Milevitano ab Editoribus Conciliorum, Pelagianum errorem de peccato originali confodit. *Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit ; In remissionem quidem peccatorum eos baptizari ; sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacrô expietur : unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non verè, sed falsò intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus : Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt ; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem verè baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Zosimus in Epistola contra Pelagianos eamdem Catholicæ Fidei veritatem docet his verbis à S. Augustino laudatis Epistola 157. ad Optatum ; *Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione, & remissione verâ peccatorum, in omni sexu, ætate, conditione gene-* Ep. 190.

neris humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemtus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus: sicut scriptum est: Joan. 8 *Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritaliter, per ipsum crucifigimur mundo. Ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introducta atque transmissa universa anima, illud propagatione contractum Chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.*

Secundùm hanc Traditionem, & Definitionem Ecclesiæ, S. Augustinus peccati originalis propagationem contra Pelagianos propugnavit in libris *de Peccatorum Meritis & Remissione*; in libro *de Peccato Originali contra Calestium*; in libris *de Nuptiis & Concupiscentia*; in libris *contra Julianum*; in libris *ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum*; & in variis Epistolis. Idem fidei caput propugnarunt acerrimè Celestinus I. S. Leo, S. Prosper, Gelasius, Patres Arausicanæ Synodi, ac decretis suis confirmarunt Florentina Synodus *in Decreto Unionis*, & Tridentina, *Sessione V. Canone* 2. & 4.

S. Augustinus validis rationibus dogma Catholicum de Peccato originali confirmavit.

Probatur tertia pars Propositionis, rationibus quibus Pelagianos impugnavit S. Augustinus. Prima petitur ex Circumcisione: Masculi enim qui circumcisus non fuisset, animam de populo suo perituram dixit Deus: Quibus verbis, non temporalis, sed æterna significatur damnatio, quæ non infligeretur parvulis, nisi alicujus peccati rei essent. Hâc ratione adversùs Pelagianos pugnat S. Augustinus *lib. de Peccato Originali contra Calestium*, cap. 30. & 31. *Quid enim mali*, inquit, *parvulus propriâ voluntate commisit, ut alio negligente, & eum non circumcidente, ipse damnetur damnatione tam severâ, ut pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror incussus est, cùm de Justis, quando moriebantur, tunc potius diceretur: Et appositus est ad populum suum: vel, Appositus est ad patres suos: quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separat à populo suo, si populus ejus ipse est populus Dei. Quid ergo sibi vult pro nullo propriæ voluntatis admisso tanta damnatio? Unde rectè infans illâ perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & justè intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit, non secundùm debitum, sed secundùm gratiam liberatus?*

Ratio altera sumitur ex forma baptismi; & sacris ritibus ab Ecclesia in eo jam ab antiquo usurpatis ante Pelagianorum ortum. Quid enim significat hoc verbum, *Baptizo*, nisi quod ait Scriptura; *Mundo lavacro aquæ in verbo vitæ?* Cur in remissionem peccatorum confertur, collatusque semper est baptismus, etiam infantibus, si nullô peccatô sunt obstricti? Quorsùm exorcismi & exsufflationes, & abrenuntiatio Satanæ, si Diabolus eis non dominatur? Quâ verò ratione ipsis dominatur, si à peccato sint immunes? Hoc argumento contra Pelagianos pugnat S. Augustinus lib. *de Peccato Originali*, cap. 40. *Ipsa*, inquit, *Ecclesia sacramenta, quæ tam priscæ traditionis auctoritate concelebrat, ut ea isti quamvis in parvulis existiment simulatoriè potiùs quàm veraciter fieri; non tamen audeant apertâ improbatione respuere: ipsa, inquam, sancta Ecclesiæ sacramenta satis indicant, parvulos etiam à partu recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem, non fallaci, sed fideli mysteriô baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria; cui etiam, verbis eorum à quibus portantur, sese renuntiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis & evidentibus signis à captivatore pessimo, ad optimum Redemptorem transire monstrantur.*

Et lib. 6. *contra Julianum*, cap. 5. *Sed etsi nullâ ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios Fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret; quod in libro meo, cui velut respondet, à me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esset, si huic exsufflationi, quâ Princeps mundi & à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.*

Ratio tertia sumitur ex parentum Christianorum solicitudine ut Baptismum filiis suis procurent: & ex Ecclesiæ traditione ab Apostolis derivatâ, quæ ipsis, etsi à partu recentibus, conferendum illum semper docuit, ne ab æterna vita excluderentur, secundùm Salvatoris Decretum dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Porrò justissimus optimusque Deus homines ad imaginem suam conditos, & propter æternam beatitudinem, quæ regnum cœlorum est, ab ea non excluderet immeritos & insontes. Essent autem insontes, etiam cum è vita Baptismo non susceptô, nullâ culpâ suâ, rapiuntur, si peccatum originis in eis nullum esset: siquidem propriis adstricti delictis non tenentur. Hâc ratione sæpius Pelagianos premit S. Augustinus, præsertim *lib. 3. contra Julianum*, cap. 12. *Sed certè vos qui miseram falsâ defensione premitis, & perniciosâ laude oppugnatis infantiam, quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittitis ad regnum Dei? Nunquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur regnô, ut tam luctuosô puniantur exiliô, cùm id non fecerint, quod facere omnino non poterant?*

Et cap. 3. *Non enim vestra, sed illius est vera sententia, qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Verùm vos excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse, imaginem Dei in æternum exulare à regno Dei: cùm, si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris. Porrò autem si, quod huic sufficit causæ, parvam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, ut imago non sinatur intrare in regnum Dei: obsecro, aperite qualescunque oculos, & videte; quâ justitiâ pœna ista infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato?*

Et Sermone XIV. de Verbis Apostoli: *Quare enim patrimonium regni cælorum abripis innocenti? A quo regnum cælorum non acquiritur, profectò magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia? Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam, nec de parente tractam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in regnum cælorum, ut separetur à sorte Sanctorum, ut sit exul à societate Angelorum? Videris enim tibi misericors, quia non aufers ei vitam: damnas tamen quem separas à regno cælorum. Damnas, non cùm percutis; sed in exilium mittis. Nam & qui exulant, vivunt; si sani sunt, in doloribus corporis non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur, hæc illis sola pœna est, non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit Sanctorum, qui non desiderat regnum cælorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate: si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate. Sed si, quod vis, parva est pœna: & ipsa parva magna est, si nulla culpa est.*

Quia verò Pelagiani à Regno quidem Dei exules fore parvulos sine baptismo decedentes fatebantur, non tamen ab æterna vita & fœlicitate:

istud commentum S. Augustinus funditùs subvertit, & ex Evangelio demonstrat damnandos iri & in ignem æternum mittendos, qui regno Dei donati non fuerint. Sic habet in eodem Sermone, cap. 3. *Primus hic error aversandus ab auribus, extirpandus à mentibus. Hoc novum in Ecclesia priùs inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cœlorum, esse salutem æternam præter regnum Dei .... Venturus est Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur; duas partes facturus est, dexteram & sinistram. Sinistris dicturus: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hanc regnum nominat, hanc cum Diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur: alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram: non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio, sed noli ire sinistram. Si ergo dextera erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera regnum cœlorum est: Percipite, inquit, regnum; qui ibi non est, in sinistra est: Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum. In dextera ad regnum, utique æternum: in sinistra in ignem æternum: Qui non in dextrâ, procul dubio in sinistra. Ergo qui non in regno, proculdubiò in ignem æternum...... Ecce exposuit tibi quid sit regnum, & quid sit ignis æternus: ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum.*

Quarta ratio petitur ex miseriis corporis. Grave enim illud jugum, quod est super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, injustum prorsùs esset, si nullius peccati rei essent infantes. Injustus, inquam, esset Deus, si tot miseriis creaturas innocentes addixisset. Hàc ratione contra Pelagianos passim pugnat Sanctus Augustinus, sed præsertim lib. 6. contra Julianum, cap. 5. ubi de Ecclesia loquens, sic Julianum compellat: *Contra cujus viscera satis acutis telis sibi viderit a matus de justitia Dei contra justitiam Dei colligens argumenta. Tunc enim est Dei vera justitia, si grave jugum super filios Adam non est injustum. Quomodo autem non est injustum jugum grave, si nullum est in parvulis malum, propter quod justè jugo premantur gravi?*

Et lib. 1. Operis Imperfecti: *Miseria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad Omnipotentis justum judicium, si non est originale peccatum.* Et lib. 6. cap. 36. *Omnis autem pœna hominis, quid est nisi pœna Dei imaginis? Quæ si infertur injustè, profectò à quo infertur, injustus est. Quis porrò dubitet, quòd injustè inferatur pœna imagini Dei, nisi hoc culpa meruerit?* Et cap. 27. *Justus est Deus, quod assiduè contra te dicis, & nescis: justus est, inquam, Deus, & ideò nascentes nec faceret, nec fieri sineret miseros, nisi nosset reos.*

Quinta ratio petitur ex concupiscentia, quæ naturalis homini esse non potest: nec à Deo inseri, cùm mala sit. Adeòque peccati germen est & fructus. Cùm itaque omnibus insita sit hominibus, consequens est illis peccatum aliquod à nativitate inesse, & in illos propagatione transfundi, sicut & concupiscentiam. Malam autem esse concupiscentiam demonstrat S. Augustinus ex eo quod adversùs continentiam pugnet, quæ à Deo est. Sic enim *lib. 4. contra Julianum, cap. 13.* ubi protulit illa verba Apostoli: *Nolite diligere concupiscentiam carnis:* ait, *Hæc quam diligere prohibemur, non est à Patre. Hæc igitur concupiscentia, quam laudas, non est à Patre. Duo enim bona, quæ à Patre sunt, inter se pugnare non possunt. Pugnant autem inter se continentia & concupiscentia: quid horum à Patre magis velis esse, responde. Video quas patiaris angustias. Faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentia.*

Et lib. 5. cap. 7. *Rogo te,* inquit, *oculos aperi, & cerne quæ aperta sunt. Nulla pugna est sine malo; quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum; aut malum & malum: Aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum.* Et cap. ultimo. *Quæro sanè qualibus ingenitis sibi motibus hominem dicatis esse idoneum dare leges? Utrùm bonis, an malis? Si bonis adversùs bonum: ergo spiritus concupiscit adversùs spiritum, & duo bona invicem sibi adversantur in homine. Quod si ita esset, ipsa duorum bonorum inter se adversitas bona esse non posset. Si autem malis, fatere igitur ingenitos esse homini motus malos, contra quos castitas dimicat. Et ne dicere cum Manichæis cogaris, alienæ mali naturæ nobis inesse commixtionem, nostrum potiùs originalem confitere languorem.*

Probat secundò S. Augustinus malam esse concupiscentiam, ex eo quòd ad peccatum impellat. (lib. 6. contra Julianum cap. 15.) *Quis autem,* inquit, *ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus & demens, qui cùm peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversùs eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porrò ac tam magnum malum, tantùm quia inest, quomodò non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi ejus vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur?*

Tertiò id probat S. Augustinus ex pudore illo naturali, qui concupiscentiam inordinatis motibus æstuantem sequitur. Impossibile autem est ut Deus hominem cum illa pudoris instituat necessitate, seu cum inhonestis illis motibus, ex quibus pudor nascitur. *Itaque* (inquit lib. 1. ad Bonifacium cap. 16.) *suâ culpâ sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur, aut, quod est impudentissimum, de his suis motibus non erubescere; aut, quod est ingratissimum, de sui Creatoris operibus erubescere.* Si enim natura humana non agnoscit hoc malum suâ sibi culpâ accidisse, sed ex institutione Dei, necessariò in alterutrum extremum labitur: namque non erubescendo, prodit impudentiam suam; erubescendo ingratitudinem: quia non habet de quo erubescat, nisi vel de opere, vel de incuria Creatoris, quorum utrumque impium est creaturæ. Unde cap. 17. de eadem concupiscentia sic loquitur: *Qualis quippe nunc sit, profectò omnium sensus mortalium, etsi cum verecundia confitetur: quin & castos etiam nolentes, eamque per temperantiam castigantes, inquietudine inordinatâ importunâque sollicitat, & plerumque sese volentibus subtrahit, nolentibus ingerit: ut nihil aliud inobedientiâ suâ, quam illius priscæ inobedientiæ pœnam se esse testetur. Unde meritò de illa & tunc primi homines, quando pudenda texerunt, & nunc qui se utcumque hominem esse considerat, omnis pudens, impudensque confunditur, absit ut de opere Dei, sed de pœna primi veterisque peccati.*

Objiciet quispiam, hanc rationem nullius esse roboris; siquidem Sanctus ipse Augustinus *lib. 1. Retractationum, cap. 9.* asserit Deum condere potuisse hominem, cui ignorantia & concupiscentia naturales essent. *Quamvis,* inquit, *ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus Deus esset, sicut in eodem libro 3.* (de Libero Arbitrio) *disputavimus.*

Respondeo, S. Augustinum id non asseruisse ex propria sententia; sed illud concessisse Manichæis, ut ex hypothesi illa nihil ipsos lucrari demonstraret:

monstraret: sed Deum semper laudandum, etiamsi homines cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatibus nascerentur; nec ideò peccata nostra in Deum esse refundenda. Idque probat secundùm quatuor modos incarnationis animarum, quos cogitare possemus. Ut videlicet anima prolis ex anima parentis propagetur, vel in corpore jam corrupto nova creetur; vel ante creata ad illud mittatur à Deo; vel eo sponte labatur. In omnibus namque illis quatuor modis supponi ostendit corpus parentis, & consequenter corpus prolis, quod inde generatione propagatur, & ab anima prolis quocunque quatuor modorum informandum est: quodque primi parentis iniquitate est violatum, quâ tam sibi, quàm proli pœnam ignorantiæ & difficultatis procuraverit. Id ex cap. 19. lib. 3. laudati de Libero Arbitrio perspicuum erit legentibus. Cæterùm nec illam hypothesim possibilem existimavit S. Augustinus: & disputationem illam suam contra Manichæos firmissimam, ad tuendam justitiam Dei contra Pelagianos non satis firmam esse professus est, cùm in Epistola xxviii. ad S. Hieronymum datâ, tùm lib. 1. Retractationum cap. 9. tùm denique libro *de Dono Perseverantiæ*, cap. xi. & xii. Epistola quidem 28. hæc habet: *Sicut enim paulò ante commemoravi, quæcumque illarum de animæ incarnatione quatuor opinionum vera esset, inculpatam substantiam Creatoris, & à nostrorum peccatorum societate remotissimam nitebar ostendere. Et ideo quæcumque illarum veritate posset convinci & repudiari, ad curam intentionis meæ, quam tunc habebam, non pertinebat: quandoquidem cunctis diligentiore disputatione discussis, quæcumque illarum rectè vinceret cæteras, me securissimo fieret, quando etiam, secundùm omnes, id quod agebam, invictum persistere demonstrabam. Nunc verò unum volo, si possim, ratione rectâ eligere ex omnibus: & propterea hujus ipsius, de qua nunc agimus, defensionem, in his, quæ commemoravi de illo libro, verbis meis attentiùs intuens, validam firmamque non video.*

Postremæ Edit. 186.

Libro verò *de Dono Perseverantiæ*, cap. xi. & xii. hæc habet. *Cur autem causam parvulorum ad exemplum majorum, sicut scribitis, non putantur afferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum, & ex uno omnes isse in condemnationem? Quod & Manichæi non accipiunt, qui non solùm omnes Veteris Instrumenti Scripturas in nulla autoritate non habent, verùm etiam eas quæ ad Novum pertinent Testamentum, sic accipiunt, ut suo quodam privilegiò, imò sacrilegiò, quod volunt, sumant; quod nolunt, rejiciant. Contra quos agebam in libris* de Libero Arbitrio, *unde isti nobis præscribendum putant. Ideo quæstiones operosissimas incidentes enucleatè solvere nolui, ne nimium longum opus esset, ubi me adversùs tam perversos testimoniorum divinorum non adjuvabat autoritas. Et poteram sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definitè interponebam, certâ tamen ratione concludere, in omnibus Deum esse laudandum, sine ulla necessitate credendi duas, sicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas esse substantias. Denique in primo Retractationum libro, cùm ad eosdem libros retractandos venissem, hoc est de Libero Arbitrio; ita locutus sum:* In his, inquam, libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant: ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potiùs congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci: & Deum si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt; eô modô volentes secundùm suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quamdam & Deo coæternam introducere naturam mali. *Item post aliquanta alio loco*: Deinde dictum est, inquam, ex qua miseria peccantibus justissimè inflictâ liberet Dei gratia; quia homo sponte, id est, libero arbitrio cadere potuit, non surgere; ad quam miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi Dei gratiâ. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum. Quamvis ignorantia & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem libro tertio disputavimus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas Veteris Instrumenti, in quibus peccatum originale narratur. Et quicquid inde in Literis Apostolicis legitur, detestabili impudentiâ immissum fuisse contendunt à corruptoribus Scripturarum, tanquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. *Hæc dixi in primo libro Retractationum, cùm retractarem libros de Libero Arbitrio. Quamvis ergo in libro tertio de Libero Arbitrio ita de parvulis disputaverim, ut etiamsi verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ: vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali coæternas esse naturas: numquid ideo fides in dubium vocanda, vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos Catholica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum, cujus reatus generatione contractus, regeneratione solvendus est?*

Sicut autem nunc ut ostenderem gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, secundùm utrumque sensum hoc defendere malui: & secundùm nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, & secundùm Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum: nec tamen ideò mihi est ambigendum, habere parvulos quod eis dimittat qui salvum facit populum suum à peccatis eorum: ita & in tertio libro de Libero Arbitrio, secundùm utrumque sensum restiti Manichæis, sive supplicia, sive primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur: & tamen unum horum teneo. Ibi quoque à me satis evidenter expressum est, quòd non sit ista natura instituti hominis, sed pœna damnati. Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam, sicut debeo agere, parvulorum, & inde gratiam Dei non secundùm merita hominum dari, perspicua veritatis luce convincam. Si enim quando libros de Libero Arbitrio Laicus cœpi, Presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renascentium, & de renascentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, esset tam injustus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret. Cùm verò rectiùs possit intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere: quia contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet: sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur: nullô modò tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali permixtio crederetur: absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, Utrùm in

Christo regenerati, si moriantur, parvuli, transeant in aeternam salutem, non regenerati autem transeant in mortem secundam: quoniam quod scriptum est: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines transiit; aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetuâ, quæ justissimè est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est, sine ullo suo originali propriòve peccato. Ex his perspicuum est, rationem S. Augustini ex ingenita omnibus concupiscentia petitam ad probandum peccatum originale, congruam esse: nec ejus vim infringi per ea quæ scripsit in libris *de Libero Arbitrio.*

Pelagianorum Objectionibus contra peccatum originale respondetur.

Objiciebant 1. Pelagiani, locum illum Ezechielis cap. 18. *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israël, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego: dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc proverbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt: Ut anima Patris, ita & anima filii mea est: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur ...... Filius non portabit iniquitatem patris*, &c. Portat autem filius iniquitatem Patris in hypothesi originalis peccati.

Respondet S. Augustinus 1. Filium quidem non portare iniquitatem patris, quæ nullatenus sua fit, sed portare iniquitatem patris, quæ facta sit sua, vel imitatione, vel nativitate. *Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena; & rursùs modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis, nostra sunt autem contagione propaginis. Quod si falsum esset, profectò grave jugum super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, nullò modò justum esset.* Ita S. Augustinus *lib. 6. contra Julianum, cap. 9.*

Respondet secundò, Filium non portare iniquitatem patris, si carnalis in eo generationis vitium gratia regenerationis expunxerit. Verbis igitur Ezechielis contineri *Promissionem Testamenti Novi, & spiritalis hæreditatis ad alterum sæculum pertinentis. Id enim agit gratia Redemptoris, ut paternum chirographum deleat, & unusquisque pro se rationem reddat. Cæterùm quam multa sunt Divinarum testimonia Literarum, quæ parentum peccatis obligant filios, numerare quis possit? Cur enim peccavit Cham & in ejus filium Chanaan vindicta prolata est? Cur pro peccato Salomonis filius ejus diminutione regni punitus est? Cur peccatorum Achab Regis Israël in ejus posteros pœna dilata est? Ut quid legitur in sanctis Libris: Reddens peccata patrum in sinu filiorum eorum post eos, & reddens peccata patrum filiis usque in tertiam & quartam progeniem? Qui numerus etiam pro universitate accipi potest. Numquid hæc falsa sunt? Quis hoc dixerit nisi Divinorum Eloquiorum apertissimus inimicus? Sed carnalis generatio etiam populi Dei pertinens ad Testamentum vetus, quod in servitutem generat, parentum peccatis obligat filios: spiritalis autem regeneratio sicut hæreditatem, ita pœnarum atque præmiorum comminationes promissionesque mutavit. Quod Prophetæ in Spiritu prævidentes, ista dixerunt: sed apertiùs Jeremias: In diebus illis*, inquit, *non dicent: Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in suo peccato morietur, ut ejus qui manducaverit uvam acerbam, obstupescant dentes ipsius. Nempe manifestum ita hoc prophetice prænuntiari, sicut ipsum Testamentum novum, quod priùs occultum fuit, & postea per Christum revelatum est. Denique ne nos moverent ea quæ commemoravi, & cætera hujusmodi plurima de reddendis in filios peccatis parentum, quæ utique veraciter scripta sunt, ne huic Prophetiæ contraria putarentur; continuò solvit istam molestissimam quæstionem, conjungendò atque dicendo: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo domui Israel & domui Juda Testamentum novum, non secundùm Testamentum quod disposui Patribus eorum. In hoc igitur Testamento novo per sanguinem Testatoris deletò paternô Chirographô, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus, ipsò Mediatore dicente: Ne vobis Patrem dicatis in terra: secundum hoc utique, quòd alios natales quibus non Patri succederemus, sed cum Patre semper viveremus, invenimus.* Hæc S. Augustinus *lib. 6. contra Julianum, cap. 25.*

Exod. 20.

Jerem. 31.

Objiciebant secundò Pelagiani verba illa Apostoli ad Romanos 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Ex quibus colligebant, Adami peccatum omnibus hominibus non imputari, sed illis tantùm qui ipsum peccantem imitantur. Sicut Christi sanguine parta justitia non pertinet ad omnes, sed ad illos tantùm qui in Christum credunt, & qui justificantur.

Respondet S. Augustinus, vocabulum istud, *multos*, eò loci idem significare ac *omnes*, ut ex versu præcedenti liquet: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Audire præstat S. Augustinum Juliano respondentem libro 6. cap. 24. his verbis. *Cùm verò multos, quod dixit postea, non vis intelligi omnes, quod priùs dixerat, ideo existimans dictum fuisse multos, ut omnes intelligerentur: poteris hoc dicere & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt omnes gentes, non omnes gentes ei fuisse promissas, quia dictum est alio loco; Patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideò sic locutam Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa. Sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, id est quaternario continentur. Et rursùs possunt aliqua esse multa, non tamen omnia. Sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt. Non enim omnium est fides, ait Apostolus. Quod autem dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes, &, Patrem multarum gentium posui te: easdem omnes, multas, & easdem multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam cùm dictum est: Per unum in omnes transisse peccatum; & postea, Per unius inobedientiam peccatores constitutos multos: ipsi sunt multi, qui & omnes. Similiter cùm dictum est: Per unius justificationem in omnes homines, ad justificationem vitæ. Et rursùs dictum est: Per unius obedientiam justi constituentur multi, non aliquibus exceptis, sed eosdem multos, omnes oportet intelligi: Non quia omnes homines justificantur in Christo, sed quia omnes qui justificantur, non aliter possunt justificari quàm in Christo. Sicut possumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes: non quin omnes homines intrant in eamdem domum, sed quia nemo intrat nisi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum.*

Dices. Apostolus asserit, peccatum per unum hominem in mundum transiisse: non generatione igitur, sed imitatione propagatum est. Generatio enim non fit per unum, sed per duos, virum scilicet ac mulierem.

Huic Juliani objectioni respondet S. Augustinus *lib. 2. Operis Imperfecti:* Dicturum potiùs fuisse Apostolum, per unam mulierem peccatum intrasse in mundum, quàm per unum hominem, si imitatione diffusum esset, non propagatum generatione. *Nunquid enim Evam non imitantur peccantes*, inquit, *aut peccatum generis humani non magis ex ipsâ sumpsit initium? A muliere initium tu vis esse peccati? Et propter illam, sicut scriptum est, morimur omnes: Cur ergo non vis attendere, propterea potiùs Apostolum unum dixisse hominem, per quem peccatum*

intravit

intravit in mundum ; quia non imitationem, sed generationem volebat intelligi ? Sicut enim a muliere initium peccati fuit, sic initium generationis à viro est : prior enim vir seminat, ut femina pariat. Ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod à viro excipiens concepit femina. Quò mare nasci noluit, qui solus sine peccato est natus ex femina. Quamvis etiam possit dici ; *Ideò non duos, sed unum hominem dixisse Apostolum, per quem peccatum intravit in mundum quia scriptum est : Erunt duo in carne una. Unde Dominus ait : Igitur jam non sunt duo, sed una caro : maximè quando vir adhæret uxori, & itur concubitu. De concubitu autem proles gignitur trahens originale peccatum, vitio propagante vitium ; Deo creante naturam ; quam naturam conjuges etiam benè utentes vitiò, non possunt tamen ita generare, ut possit esse sine vitio, quod ille, qui sine ipso natus est vitio, evacuat in parvulis, etiam nolente Juliano.*

Rom. 5. 13. Objiciebat Julianus hæc verba Apostoli : *Usque ad legem peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.* Ex quibus colligebat, ipsum non loqui de peccato originali, quod sub lege probari non potest imputatum ; sed de peccato quod imitatione trahitur, voluntate committitur, ratione arguitur, lege ostenditur, æquitate punitur.

Respondet S. Augustinus, hæc Apostoli verba, *Usque ad legem peccatum erat in mundo*, de omni peccato esse intelligenda, quod per Christum tollitur. Nam lege non tollitur sive originale, sive additum peccatum ; sive quod erat ante Legem, sive quod etiam Lege subintrante abundavit. Peccatum autem originale etiam æquitate punitur. Non enim aliter æquitas Dei grave jugum imponeret ipsis quoque exordiis parvulorum. Hoc peccatum etiam Lege monstrari præcepta Circumcisionis ostendunt. Quò enim peccatô propriô, si non circumcideretur, interibat anima parvuli de populo suo ? Verba sunt S. Augustini cap. 74. libri laudati.

Objiciebant tertiò Pelagiani locum illum Apostoli 2. ad Corinthios 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ex quibus verbis colligebant, neminem à Deo judicari & damnari ob Adami peccatum, sed ob propria tantùm peccata.

Respondeo, Hunc locum Pelagianis non favere, quia pertinet ad adultos : vel, si de parvulis etiam intelligatur, propria corporis referunt, id est, ea quæ in se ipsis mortalem jam vitam agentes habuerunt, sive bona, sive mala. Sicut ergo ad ipsos pertinet Christi meritum, & ob illud cœleste regnum consequuntur, stante Apostoli sententiâ in objectione laudata : sic ad ipsos Adæ peccatum pertinet, ac propter illud à regno Dei excludi possunt. Audire præstat S. Augustinum lib. 6. contra Julianum, cap. 10. *Quod autem*, inquit, *Apostolum dixisse commemoras : Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum : Quomodò in parvulis accipis ? Utrum & ipsi ante Tribunal Christi manifestabuntur, an non ? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa ? Si autem manifestabuntur : quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit, nisi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora gestantium, sive credunt, sive non credunt ? Propria corporis sui enim dixit, quod ad unumquemque in seipso jam viventem pertinet. Nam quomodò reportat bonum, ut intret in regnum Dei, si hoc reportat quisque quod gessit ; nisi quia pertinet ad parvulum etiam quod per alterum gessit, id est credidit ? Sicut itaque, quòd credidit, pertinet ad eum ut reportet bonum, hoc est, percipiat Dei regnum ; sic ad eum pertinet, etiamsi non credidit, ut reportet condemnationis judicium, quia Evangelica est & ipsa sententia dicendo ; Qui non crediderit condemnabitur ; & Apostolus dicendo ; Omnes nos manifestari oportet, ut recipiat unusquisque prout gessit : sive bonum, sive malum ; nihil voluit intelligi medium. Vide ergo quàm importunè nolis parvulum de alieno peccato reportare malum ; & velis eum de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecunque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est cum credidit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.*

Objiciebant Pelagiani autoritatem S. Joannis Chrysostomi in *Homilia ad Neophytos*, dicentis : *Benedictus Deus, qui fecit mirabilia solus ; qui fecit universa, & convertit universa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi, & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti : non tantùm sancti, sed & justi : non solùm justi, sed & filii : non solùm filii, sed & hæredes : non solùm hæredes, sed & fratres Christi : non tantùm fratres Christi, sed & cohæredes : non solùm cohæredes, sed & membra : non tantùm membra, sed & templum : non tantùm templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sunt Baptismatis largitates, & nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccatô, ut eis detur vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint* Ex quibus verbis colligebant, S. Joannem Chrysostomum originale peccatum negasse. S. Joannes Chrysostomus Pelagianis non favet.

Respondet S. Augustinus, hujus Homiliæ Interpretem locum illum versione suâ interpolasse, nec dixisse S. Joannem Chrysostomum Infantes non esse coinquinatos peccato, sed peccatis, seu peccata non habere, propria utique & personalia. Quod ex Græci textûs fide probat. Augustum Doctorem audiamus. *Absit ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque à Paterni Chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coepiscopis suis, maximique Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi Regulæ Catholicæ Defensores, salvâ fidei compage non consonant, & alius aliô de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est : Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum : sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur ; totum quod in Christum credimus, auferre molitur. Omninò & parvulorum Salvator est Christus ; omninò, nisi ab illo redimantur, peribunt, quoniam sine carne ejus & sanguine vitam habere non possunt. Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Joannes. Sed tu ejus verba in vestrum dogma convertis. Peccata dixit parvulos non habere, sed propria. Unde illos innocentes meritò nuncupamus, secundùm id quod ait Apostolus : Nondum natos nihil egisse boni, sive mali, non secundùm id quod ait ; Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. . . . Comparans ergo eos Joannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in Baptismo, dixit illos non* habere peccata, *non sicut verba ejus ipse posuisti*, non coinquinatos esse peccatô, *dum vis utique intelligi, non eos peccatô primi hominis inquinatos. Verùm hoc non tibi tribuerim, sed Interpreti, quamquam in aliis Codicibus eamdem interpretationem habentibus, non* peccato, *sed peccatis legatur. Unde miror si non aliquis ex numero vestro singularem maluit numerum scribere, ut illud acciperetur unum, unde dicit Apostolus ;*

puncta sunt ex Dyptichis, jubente Hormisda; nec aliâ conditione inter Orientalem & Romanam Ecclesiam pax inita est. Igitur habiti sunt ut Schismatici.

Respondeo, ad primum, Nego consequens. Hac enim in Epistola minùs propriè sumitur anathema, & in latiori quodam significatu, quatenùs in anathemate se esse conqueruntur Orthodoxi Orientis Antistites. Scilicet minoris genus quoddam excommunicationis significat, quâ nec ab Ecclesiæ corpore segregati, nec extra salutis statum positi erant, sed honoribus nonnullis duntaxat, & appendicibus Ecclesiasticæ communionis privati, nimirùm Epistolis Formatis, & Synodicis, missione Legatorum, &c. Hoc excommunicationis genere Orientales propter iniquam S. Joannis Chrysostomi damnationem punitos fuisse diximus: ejusque vestigia in Concilio Carthaginensi 5. conspici, in quo statutum est ut Episcopus, qui ad Synodum vocatus non venerit, *Plebis suæ communione contentus sit.*

Ad secundùm respondeo pariter negando consequens. Non enim Schismatici sunt, quorum nomina expunguntur ex Dyptichis, imò nec excommunicati; nisi sententiâ excommunicationis ab Ecclesia lata nominatim configantur, aut generalibus verbis significentur. Certè S. Augustinus agnovit alicujus Sacerdotis nomen ex Dyptichis expungi posse, & ad altare sileri, qui libro viventium forsan adscriptus erat. *Quid enim obest homini* (inquit Epistola 157.) *quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viventium non delet eum iniqua conscientia?*

Posteriore E. 6. 190.

Præterea, Hormisdas Pontifex Maximus Episcopos & Clericos Ponti, Asiæ Palæstinæ, ac totius præsertim Diœceseos Orientalis, seu Antiocheni Patriarchatus, in communionem Sedis Apostolicæ tandem suscepit, quamvis Euphemii & Macedonii nomina ex Dypticbis expungi non paterentur. De bis Justinianus ad Hormisdam scribebat bis verbis anno Dom. 520. *Acacii nomine, quod dissidium gerebat stirpitus amputatô, pro tenore Libellorum quos direxistis, in hac Urbe Regia, multisque civitatibus unitas optata provenit, quam summis inventam laboribus venerari convenit; in perpetuumque custodiri necesse est.... Sed quia prosperos cursus frequenter impedire festinat humani generis inimicus, pars Orientalium non trahitur, nec ferrò flammisque compelli potest ut Episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet; quæ difficultas generali concordiæ moras nectit. Sanctitas itaque vestra cœlitùs inspirata, temporum, rerumque qualitatem consideret, & condemnatis hujus erroris Authoribus, id est, Acacio Constantinopolitano, Petro, & Timotheo Æluro, & Dioscoro Alexandrinis, Petroque Antiocheno, finire dignetur inveteratum certamen; de cæterorum nominibus quæstione sopitâ: ut redimatis plebem de sanguine, quam Deus noster regendam commisit, ac non persecutionibus ac cruore, sed patientiâ Sacerdotali, populum Domino nostro concilietis: ne, dum volumus animas lucrari, & corpora multorum perdamus & animas. Errores etenim diuturnos lenitate clementiâque convenit emendari: præcipuè quia vestræ Beatitudinis Prædecessores sæpissimè voluerunt Reipublicæ nostræ Antistitum ad suam revocare communionem, si tantummodo taceretur Acacius, cæterique prædicti.*

Ea de re scripsit etiam ad Pontificem Justinus Imperator, cùm Libellos supplices ab Ecclesiarum illarum Episcopis accepisset, quorum exemplaria per Joannem Episcopum aliosque Legatos ad ipsum misit eodem anno 520. pridie Kalendas Decembris. *Omni*, inquit, *intentione ordinavimus, ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec-non complures aliæ vota suscipiant vestra, non solùm in cæteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris Dyptichis, quæ removenda maximè postulastis. Verùm nonnullæ fuerunt urbes & Ecclesiæ tum Ponticæ, tum Asianæ, & præcipuè Orientales, quarum Clerici & populi omnibus pertentati minis & persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt ut tollant Antistitum & repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit; sed morte vitam duriorem æstimant, si mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vitâ superstitum. Quid igitur faciamus hujusmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens existit, & tormenta in tantum despicit, ut amplum sibi ac festivum judicet, si corpore priùs quàm religioso desistat consilio? Nobis quidem opus videtur mollius agendi & clementiùs.... Veniam itaque nominum postulamus, non Acacii, non utriusque Petri, non Dioscori, vel Timothei, quorum vocabula ad nos data tuæ Sanctitatis Epistola continebant; sed quot in aliis celebravit civitatibus Episcopalis reverentia: & hoc exceptis urbibus, ubi vestræ Beatitudinis Libellus jam in plenum admissus est; nisi hanc quoque partem benevolentia statueris vestra mitiùs corrigendam. Verùm nec judiciô caret Sedis Apostolicæ, ut non magis venia dicenda sit, quàm deliberata jam ac perspecta diffinitio. Anastasius quidem religiosissimæ memoriæ, vestræ culmen Ecclesiæ, palam aperteque constituit, cum hoc idem scriberet negotium Prædecessori nostro, satis esse pacem efflagitantibus, si nomen tantum reticeatur Acacii. Ergo priora vestræ Sedis Constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas, ut indignum habeatur & incongruum, si non placidior omnibus, non solùm defunctis; sed etiam superstitibus, vestra divulgetur in omni fine terrarum lenitas.*

Hæc Justini Imperatoris Epistola Romam non pervenit, nec Hormisdæ tradita est ante 21. Novembris. Nec responsum dedit Pontifex ante 26. Martii anni 521. Ejus Epistola prolixam pietatis Justini commendationem continet. In ea verò nullam aliquid de pristinis decretis remittendi significat voluntatem. Atque ut Anastasii exemplo, quod objectum sibi fuerat, & cujus auctoritate urgebatur, tacitè respondeat, ait, mala, quæ ex eo tempore emerserant, invalueruntque, graviora, vix locum aliquem permitere lenitati & dispensationi. *Nec*, inquit, *austeriorem me quisquam dicat esse prioribus: Diligentiorem me non pertinacia studium, sed scandala secuta fecerunt. Forte inter initia potuit locus esse lenitati. Male, sicut notum est, per accessus præcedentium temporum, errorum augmenta creverunt.*

Verùm cùm tot Ecclesiis vim inferre nollet Imperator, id consilii cepit Hormisdas Pontifex, ut negotium omne Epiphanii Constantinopolitani Episcopi prudentiæ permitteret, cui suas propterea vices demandavit: eâ tamen lege ut ad Sedem Apostolicam referret, quosnam in ejus communionem suscepisset, & quid Libelli ab iis dati, seu Fidei Formulæ ac Professiones continerent. *Ita quidem*, inquit, *ut literæ vestræ significent eos qui nobis communione conjunguntur, tales esse, qui per nos Sedi Apostolicæ, nostris literis misceantur, & ea quæ continentur in Libellis quos produxerint.*

Ex his colligitur, Hormisdam, qui Orientales Episcopos compellere primùm volebat ad subscribendum Libello à se edito, & à Legatis suis offerendo, eorum tandem oppositioni cessisse. Nam si huic Libello eos subscribere voluisset, minimè fuisset opus ut Epiphanius eum certiorem fecisset de bis quæ Libelli, seu Professiones Fidei à memoratis Episcopis editæ continerent, & quâ verborum formula subscripsissent.

Istud confirmatur ex iis quæ pro Jerosolymitanis Ecclesiis subjungit, ut si communione Sedis Apostolicæ donari velint, Professionem Fidei, quam Legatis Apostolicis obtulerunt, dum adhuc Constantinopoli versarentur, Romam ad se mittant, vel in Epiphanii Constantinopolitani Episcopi manus

nus reponant. *Et quoniam de Jerosolymitanorum Professione respondimus, & hoc subjicimus horum salutis gratiâ: Ut si Catholica Ecclesia desiderant unionem, propria Professionis texturam in scripturis indicatam, quam nostris Legatis in Constantinopoli degentibus attulerunt, per proprios nuntios ad nos mittant, vel vestra Fraternitati dent, qua ad nos omnibus modis per vestram informationem portabitur.* Hæc Hormisdas in Epistola ad Epiphanium Archiepiscopum Constantinopolitanum, quæ extat inter Acta Synodi Constantinopolitanæ sub Menna, *Actione* 5. Orientales igitur Episcopi in Sedis Apostolicæ communionem tandem admissi sunt, quamvis Euphemium, & Macedonium non damnassent, nec eorum nomina ex sacris Dyptichis expunxissent.

Objicies. Macedonius Henotico Zenonis subscripsit, ut Theodorus Lector testatur, *lib.* 2. Non fuit igitur integerrimæ Fidei.

Respondeo 1. Non sequi quòd Macedonius fuerit hæreticus, quamvis Henotico Zenonis subscripsisset, quia Henoticon nullam hæresim disertè continebat.

Respondeo 2. Falsum esse antecedens, ut ex veteribus edoctus Monumentis tradit Nicephorus *lib.* 16. *Historia Ecclesiast ca cap.* 26. cujus verba descripsimus in Synopsi, cap. *de Schismate Acacii.* Id ergo ab Anastasio Imperatore confictum est, & in vulgus sparsum ne quis ex suis patientiæ suæ causam de tolerando in Sede Constantinopolitana Macedonio, ignaviæ, vel timori adscriberet (inquit laudatus Auctor.) Neque id incredibile erit iis, qui alias æquè putidas calumnias in Macedonium ab hostibus Fidei & Concilii Chalcedonensis concinnatas in memoriam revocaverit: de quibus diximus in Synopsi, cap. mox indicto, *de Acacii Schismate.* Nec verò me movet Theodori Lectoris testimonium. Nam & ipse asserit Eliam Jerosolymitanum sanctissimum Antistitem damnasse Chalcedonensem Synodum; quod tamen falsum esse, & ab Eutychianis per calumniam in vulgi aures effusum, certissimum est ex Epistola Monachorum Palæstinæ ad Alcisonem, quam refert Evagrius lib. 3. cap. 31. *Inter hæc,* inquit, *postulant etiam ab Episcopo Jerosolymorum, ut Formulam Fidei suæ conscribat. Quam ille cum edidisset, per Sectatores Dioscori missi ad Imperatorem. Et ea quidem quam ipsi proferant, anathematismum continet eorum qui duas in Christo naturas prædicarunt. Ipse verò Jerosolymorum Episcopus eam ab illis falsò confictam esse dicens, aliam profert absque hujusmodi anathematismo. Neque id mirum. Nam & libros sanctorum Patrum sæpe numero corruperunt. Multos quoque Apollinaris libros Athanasio, & Gregorio Thaumaturgo, & Julio falsò adscripserunt.* Sed, quod Macedonium spectat, testantur iidem Monachi in eadem Epistola, ipsum ab Hæreticis compulsum, Fidei Professionem ipsis dedisse, in qua, licet solam Fidem Nicænam à Constantinopolitanæ Synodi Patribus expositam profiteretur, nec Synodos Ephesinam & Chalcedonensem disertè meminisset, unitatem tamen personæ in Christo contra Nestorium, & duas naturas contra Eutychem disertè profitebatur. *Sed & à Macedonio,* inquiunt, *Chirographum Fidei suæ postularunt. Qui quidem eam exposuit, affirmans se trecentorum & octodecim SS. Patrum, & centum ac quinquaginta Fidem solam nosse: Nestorium verò & Eutychem anathemati subjiciens, eosque qui duos Filios, & duos Christos asserunt, aut qui naturas dividunt: nullâ tamen mentione factâ nec Ephesinæ Synodi, quæ Nestorium deposuit, nec Chalcedonensis, in qua depositus est Eutyches.* Istud de Synodo Chalcedonensi silentium Monachos urbi Constantinopolitanæ vicinos ita commovit, ut à Macedonii communione propterea desciverint, ut in Epistola memorata ad Alcisonem habetur: sed nimis præceps fuit illorum judicium. Nam Synodum Chalcedonensem se venerari, & suscipere satis significabat Macedonius, cùm omnia perpeti, & in exilium ejici malebat, quàm Synodum Chalcedonensem damnare: ut Monachi Palæstinæ in eadem Epistola testantur his verbis: *Interea Xenaias & Dioscorus multis Episcopis sibi adjunctis, intolerabiles erant dum tumultus concitarent adversus eos, qui Synodum anathemati subjicere recusabant. Ex quibus eos, qui ad finem usque ipsis non cesserant, multis machinationibus in exilium ejici curarunt. Hoc igitur modò Macedonium, & Joannem Episcopum Palti, & Flavianum in exilium trudunt.*





PANOPLIA ADVERSUS HÆRESES QUINTI SÆCULI.

DISSERTATIO XXI. DE PECCATO ORIGINALI, CONTRA PELAGIANOS.

PROPOSITIO.

Originale peccatum ab Adamo in omnes ipsius posteros propagari, contra Pelagianos, in Socinianis redivivos, Scriptura sacra demonstrat, Traditio Patrum testimoniis ad Pelagii usque tempora firmata evincit; congrua rationes persuadent.



PROBATUR prima pars 1. Ex oraculis veteris Testamenti. *Job.* 14. secundùm Versionem LXX. Interpretum: *Nemo*, inquit, *mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita, super terram*: secundùm Vulgatam verò Versionem nostram, sic Deum alloquitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Sordis quippe & immunditiæ nomine peccatum hîc intelligi perspicuum est; sordes namque corporis abstergere homines possunt. Immunditia porrò, à qua nec infans unius diei immunis est, ab ipsa conceptione, omnibus hominibus inhæret, & in omnes propagatur. Idem probat Davidicum oraculum (Psalm. 50.) *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepit me mater mea.* S. Hieronymus vertit, *in iniquitate*, secundùm vim Hebraïcæ vocis. Et in Versione LXX. Interpretum pluralis numerus pro singulari usurpatur, quòd in Adami peccato multiplex iniquitas concurrerit, superbia scilicet, inobedientiâ, intemperantia; & quòd originale peccatum cæterorum quodammodo sit origo. Nec verò iniquitatum in quibus conceptus est, nomine, parentum peccata intellexit David: cùm ex sancto conjugio, non ex adulterio, aut fornicatione fuerit progenitus.

Originale peccatum ex Scriptura sacra probatur.

2. Probatur ex Novo Testamento, in quo S. Joannes Baptista Christum indigitans ait (Joannis 1.) *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi.* Certè peccatum singulari numero ibi expressum, secundùm significationem Græci textûs, commune mundo, id est, hominibus omnibus peccatum est. Sed nullus est illustrior ac luculentior locus celeberrimô illô Apostoli (ad Romanos cap. 5.) *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.....Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delictô multi mortui sunt: multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit; & non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem: Si enim unius delictô mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & justitiæ accipientes, in vita æternâ regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obe-*

ditionem, justi constituentur multi. Peccati nomine, quod in mundum per unum hominem introivit, in quo omnes peccaverunt, verum & propriè dictum peccatum intelligendum est, non peccati effectus, puta mors, aut propensio ad peccandum, alioqui sensus istius loci esset: Per unum hominem mors introivit in mundum, & per mortem mors: qui sensus planè ineptus est. Aut significaretur, mortem ex propensione ad peccatum natam esse: qui sensus omnino falsus: Non enim propensionis ad peccandum; sed *peccati stipendium* mors est. Nec Deus Adamo comminatus mortem est ob propensionem ad peccatum, sed ob violationem legis quam ipsi posuerat: *In quacunque die*, inquit, *comederis, morte morieris*: nec mors ob propensionem solam ad peccatum justè infligeretur insonti creaturæ. Quamvis enim Deus se parentum peccata in filiis castigare testetur; id tamen non præstat, nisi cùm filii patres peccantes imitantur: alioqui falsum esset divinum illud oraculum, Ezechielis 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Deinde ultra tertiam & quartam generationem se patrum crimina in filiis puniturum Deus non comminatur. *Ego sum Dominus Deus tuus*, (inquit Exod. 20.) *fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Cùm itaque non ad tertiam duntaxat, & quartam generationem supremus Judex Adami posteros morte plectat, sed omnes quotquot ab orbis conditi initio ex eo progeniti sunt homines, & ad finem usque mundi nascentur; colligendum est, non propter actuale tantùm & personale Adami peccatum mortem omnibus hominibus infligi, sed propter insiti omnibus peccati, & ab Adamo propagati meritum. Sanè si terrenos Principes contra æternas justitiæ ac divinæ legis regulas peccare nemo non censeret, qui læsæ Majestatis reos non solùm pœnæ capitis addicerent, non solùm eorum filios nobilitatis privilegiis, omnibusque privarent honoribus, sed extremo puniendos supplicio decernerent, quotquot ex iis, stante Republica, nascerentur; quis putet supremum æquissimumque judicem Deum omnes Adami posteros, ob ejus peccatum, morti addixisse, nisi propagatâ in ipsos hujusmodi peccati labe, peccatores ipsi constituerentur.

Pelagianorum & Socinianorum responsiones eliduntur.

Futilis porrò est Pelagianorum & Socinianorum responsio, qui Apostoli sententiam ita exponunt, quasi voluerit peccatum per unum hominem in mundum introisse imitatione, non propagatione. Nam ratione multiplici ex Apostoli contextu petitâ, hæc eliditur interpretatio. Prima hæc est, quòd Apostolus Adami Christique instituat antithesim: sicque per primum hominem asserat invectum peccatum, sicut per Christum collata justitia est. Justitiam autem à Christo, imitatione solâ acceptam quis dixerit? Cùm & Veteres Sancti, qui Christum præcesserunt, ideòque non poterunt eum imitari, justitiam tamen suam ipsi acceptam referant: & parvuli, qui Christum sicut cognoscere, ita nec imitari possunt, per ipsum justificentur. Igitur nec per primum hominem peccatum in cæteros aditum habuit, imitatione solâ. Sed sicut Christus occultâ gratiæ suæ inspiratione justos nos efficit; ita & Adam occultâ naturæ depravatione, corruptelâ, tabe, nos constituit peccatores.

Secunda ratio est, quòd homines propriè non imitentur, quod non cognoscunt. Sunt autem plurimi qui de Adami peccato nihil audierunt unquam, qui proinde ab eo peccandi formam & exemplum non accipiunt.

Tertia ratio est, quòd sicut per unum hominem peccatum intravit, ita & mors. At ingressus mortis non est per imitationem: igitur nec peccati.

Quarta ratio est, quòd si de peccato imitationis locutus fuisset Apostolus, potiùs per Diabolum intrasse peccatum dixisset, qui primus peccavit, quàm per unum hominem. Denique si de imitatione hanc sententiam suam intelligi voluisset Apostolus non dixisset: *Judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Si enim nullum est originale peccatum, non solùm ad justificationem gratia, sed etiam judicium ad condemnationem ex multis delictis perducere homines dicendum est. Sicut enim gratia multa delicta condonat: sic judicium multa delicta condemnat. Aut si proptereà ex uno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex illius unius imitatione commissa sunt: eadem causa est cur ex uno delicto etiam ad justificationem duci intelligantur, quia omnia delicta quæ justificatis remittuntur, ex illius unius imitatione commissa sunt. Antithesis igitur ab Apostolo hîc instituta Christum inter & Adamum in eo posita est, quòd ab Adam, in quo omnes peccavimus, non omnia nostra peccata, sed originale tantùm traduximus: à Christo verò in quo omnes justificamur, non illius tantùm originalis, sed etiam cæterorum, quæ ipsi addidimus, peccatorum remissionem consequimur; & ideò *Non sicut per unum peccatum, ita & donum.* Nam judicium quidem ex uno delicto, si non remittitur, id est, originali in condemnationem potest ducere: gratia verò ex multis delictis remissis, hoc est, non solùm illo originali, verùm etiam omnibus cæteris, ad justificationem perducit.

In eo, quem versamus, Apostoli loco, maximè expendenda sunt illa verba: *In quo omnes peccaverunt.* Ea enim vel ad hominem, vel ad mortem, vel ad peccatum referenda sunt, quæ antea S. Paulus nominaverat. At illa ad mortem referri nemo dicat; sensus enim absurdus esset: *In qua morte omnes peccarunt.* In peccato namque moriuntur omnes, non in morte peccant: nam peccato præcedente, mors sequitur; non morte præcedente peccatum. Aculeus quippe mortis est peccatum, id est, aculeus cujus punctione fit mors, non aculeus quô pungit mors. Sicut venenum, si bibitur, appellatur poculum mortis, quòd eô poculô facta sit mors, non quòd morte sit poculum factum, aut à morte sit datum: nec etiam ad peccatum illa verba Apostoli referri possunt, cùm in Græco masculinum ᾧ cum fœminino ἁμαρτία non congruat. Ad unum igitur illum hominem referenda sunt, id est, ad Adamum. In Adamo igitur omnes peccaverunt, quia in illo tanquam in principio & radice totius generis continebantur omnes, quandò peccavit. Has rationes & expositiones loci Apostolici S. Augustino debemus variis in locis, sed præcipuè lib. 1. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, cap. 9. & 10. & lib. 4. *Contra duas Epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium*, cap. 4.

Idem fidei catholicæ dogma confirmatur ex Epistola II. ad Corinthios cap. 5. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Quod Apostoli ratiocinium ut legitimum sit, necesse est homines universos, etiam ipsos infantes, mortuos esse morte peccati: si quidem Christus, qui pro mortuis duntaxat, id est, pro peccatoribus mortuus est, pro parvulis etiam est mortuus. Hoc telum contra Pelagianos intorquet S. Augustinus *lib. 6. contra Julianum, cap. 4.*

Denique idem probatur ex Epistolæ ad Ephesios cap. 2. *Eramus*, inquit, *natura filii iræ, sicut & cæteri.* Id est, à primo naturæ nostræ exortu, sive

ei

ex nativitate, non ex consuetudine & imitatione, iræ Dei ac vindictæ obnoxii eramus. Iræ porrò ac vindictæ Dei obnoxius nemo est nisi ob peccatum: nascuntur igitur omnes homines cum peccato. Ita hunc intelligendum esse locum, ratio multiplex suadet. 1. Quòd non habeatur in Græco textu ἐκ, sed, φύσει, quæ vox nativitatem sive partum expressiùs significat. Secundò, ordo Græci textûs, *Filii natura iræ*, quasi dicat, filii, quod ad naturam attinet, sive naturales, iræ, ut hos opponat filiis adoptione. Tertiò, quòd hæc scribat Apostolus in persona Judæorum, & vocem *φύσει* tacitè opponat eorum gloriationi de carnali generatione ex Abrahamo; docens ipsos ex nativitatis origine, quâ naturam à parentibus acceperunt, aliquando fuisse iræ Dei obnoxios, perinde ut Gentiles, quos ob nativitatem ex parentibus idololatris, tanquam peccatores & immundos aspernabantur. Quartò, quia Apostolus, mali, de quo ante dixerat, scilicet vitæ depravatæ causam & radicem, hâc locutione indicare voluit. Prima autem hujus mali radix est naturæ corruptio, & originaria labes.

Respondebat Julianus, secundùm vim Græci textûs verti posse; *Eramus prorsus filii iræ*. Et reverà S. Hieronymus hanc interpretationem non rejicit, quamvis alteram magis probet ac sequatur. Sed eam in qua habetur, *naturâ*, esse anteponendam probat S. Augustinus ex summo Latinorum omnium Codicum consensu. *Nonne*, inquit, *hinc admoneri debuisti, antequàm contra vos defendis Catholicam fidem: quia non ferè invenitur Latinus Codex, si non à vobis nunc incipiat emendari, vel potiùs in mendum mutari, ubi non, naturâ, sit scriptum? Quod utique cavere debuit interpretum antiquitas, nisi etiam fidei hæc esset antiquitas, cui vestra cœpit resistere novitas.* (Lib. 6. contra Julianum, cap. 10.)

Peccatum originale probatur ex Traditione.

Probatur secunda pars Propositionis, proferendo testimonia Patrum, qui ante ortum Pelagianæ hæreseos floruerunt. In his Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, de Christi baptismo in Jordane loquens, hæc habet: *Ad amnem eum non ideò venisse, pro comperto habemus, quòd vel Baptismi lavatione, vel Spiritus in specie columbæ adventu opus ei fuerit.... sed humani generis causâ, quod per Adam in mortem & fraudem, seductionemque serpentis conciderat: at interim propriam pro se malignè agentis cujusque culpam taceam.* Ex his perspicuum est, Justinum Martyrem credidisse non solum ab actuali peccato purgari homines per Christum, sed ab alio quodam in quod per Adam inciderunt; cujus pœna mors est, cui obnoxii sunt universi.

Ecclesiæ Patres ante S. Cyprianum dogma Catholicum de peccato originali clarè ac luculenter asseruerunt.

II. S. Irenæus *lib. 4. adversùs Hæreses, cap. 5.* idem dogma confirmat dicens: *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati, in ligno martyrii exaltatur à terra, & omnia trahit ad se, & vivificat mortuos.* Et lib. 5. cap. 19. *Quemadmodùm adstrictum est morti genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem: æquâ lance dispositâ, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim Protoplasti peccato per correptionem Primogeniti emendationem accipiente, Serpentis prudentiâ devictâ per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti.* His locis S. Augustinus adversùs Julianum Pelagianum pugnat, *lib. 1. cap. 3.*

Non minùs luculenta sunt, quæ idem S. Episcopus & Martyr habet lib. 3. cap. 20. *Filius Dei*, inquit, *semper existens apud Patrem, quando incarnatus est & homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundùm imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus. Quia enim non erat possibile eum hominem, qui semel victus fuerat & elisus, per inobedientiam replasmare, & obtinere bravium victoriæ: iterùm autem impossibile erat ut salutem perciperet, qui sub peccato ceciderat, utraque operatus est Filius Verbum Dei existens, à Patre descendens.* Et infrà: *Quemadmodùm per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, & amiserunt vitam: ita oportuit & per obedientiam unius hominis, qui primus de Virgine natus est, justificari multos & percipere salutem.*

III. Tertullianus originale peccatum variis in locis agnoscit, ejusque labe infectam & contaminatam humanam naturam esse docet; Libro *De Testimonio Animæ*, Cap. III. *Satanam denique in omni aversatione & aspernatione & detestatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius sæculi interpolatorem, per quem homo à primordio circumventus ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ damnationis traducem fecit.*

Libro *De Carne Christi*, Cap. XVI. *Nam & alibi in similitudine*, inquit, *carnis peccati Christum fuisse, non quòd similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis & non veritatem; sed similitudinem carnis peccatricis vult intelligi, quòd ipsa non peccatrix caro Christi, ejus fuit par, cujus erat peccatum, genere, non vitio. Adæ: quando hinc etiam confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cujus natura est in homine peccatrix: & sic in illa peccatum evacuatum, quòd in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habebatur.*

Et Cap. XVII. *Hæc est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus, carne antiqui hominis susceptâ, sine antiquo semine, ut illum novo semine, id est, spiritualiter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota novitas ista sicut & in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione Domino nascente.... Hic ratio defendit quòd Deus imaginem & similitudinem suam à Diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.*

Idem Libro V. *Contra Marcionem*, Cap. XVII. *Cùm dicit* (Apostolus) *Fuimus naturâ filii iracundiæ; Creatoris autem non naturâ sunt filii Judæi, sed adlectione Patrum: Iræ filios ad naturam retulit, non ad Creatorem. Ad summam subjungens: sicut & cæteri, qui utique Filii Dei non sunt, apparet communis naturæ omnium hominum & delicta & concupiscentias carnis, & incredulitatem & iracundiam reputare; diabolo tamen captante naturam, quam & ipsi jam infecit, delicti semine illato.*

Idem Libro *De Resurrectione Carnis*, Cap. XXXIII. & XXXIV. *Imprimis cùm ad hoc venisse se dicit, uti quod periit salvum faciat, quid dicas periisse? Hominem sine dubio. Totumne an ex parte? Utique totum. Siquidem transgressio quæ perditionis humanæ causa est, tam animæ instinctu ex concupiscentia, quàm carnis actu ex degustatione commissa, totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atque exinde meritò perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, qui totus periit delinquendo.*

IV. Dogma Catholicum de Peccato originali pariter confirmat Origenes Homilia VIII. in Leviticum. *Ille ipse*, inquit, *qui nascitur, sive virilis sive feminei sexûs sit, pronuntiat de eo Scriptura, quia non « sit mundus à sorde, etiamsi unius sit diei vita ejus: « ut scias in hoc esse grande nescio quid & tale quod nulli Sanctorum ex sententia venerit. Nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem festum vel convivium magnum egis-*

se in die natalis sui ; soli peccatores super hujusmodi nativitate lætantur.... Quod si placet audire quid etiam alii Sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem : In iniquitatibus conceptus sum, & in pecca- „ *tis concepit me mater mea : Ostendens quòd quæcum-* „ *que anima nascitur, iniquitatis & peccati sorde pollutam. Et propterea dictum est quod jam superius memoravimus : Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fit vita ejus. Addi his etiam illud potest, ut requiratur quid causa sit ; cùm Baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum Ecclesiæ observantiam, etiam parvulis Baptismum dari ; cùm utique si nihil esset in parvulis, quòd ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia Baptismi superflua videretur.* Lege & Homiliam XII. in Leviticum.

Et Homilia III. in Cantica : *Cervus quoque amicitiarum quis alius videbitur, nisi ille qui peremit serpentem illum qui seduxerat Evam, & eloquii sui flatibus peccati in eam venena diffundens, omnem posteritatis sobolem contagio prævaricationis infecerat ?*

Idem Homilia XIV. in Lucam : *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum ? vel quo tempore peccaverunt ? Aut quando potest ulla Lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum de quo paulò ante diximus : Nemo mundus à sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram ? Et quia per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli.*

Et Libro VI. in Epistolam ad Romanos : *Omnes nos homines, qui ex semine viri cum muliere convenientis concepti sumus, illâ necessariâ utimur voce, quam* „ *dicit David : Quoniam in iniquitate concepit me mater mea. Verùm qui ex nulla viri contagione, sed solo Spiritu Sancto super Virginem veniente, & virtute Altissimi obumbrante venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem tamen peccati, quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur, omninò non habuit.*

S. Cyprianus & Patres ipsius seculi idem dogma constanter docuerunt.

V. S. Cyprianus Epistola 59. ad Fidum Episcopum datâ suo & Africani Concilii nomine, infantes à partu recentissimos statim baptizandos esse docet, nec octavum diem expectandum, ut Fidus optabat, quia baptismo ad remissionem peccati quod ex Adamo traxerunt, ipsis opus est. *Cæterùm,* inquit, *si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset ; magis adultos & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora. Porrò autem si etiam gravissimis delictoribus & in Deum multum ante peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur ; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit ? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quod illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata. Et idcircò, Frater charissime, hæc fuit in Concilio nostra sententia, A Baptismo atque gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cùm circa universos observandum sit atque retinendum : magis circa infantes ipsos & recèns natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de divina misericordia plus merentur, quòd in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quàm deprecantur.* Tam insigne S. Cypriani & Ecclesiæ totius Africanæ testimonium contra Julianum Pelagianum profert S. Augustinus loco suprà laudato.

VI. Profert ibidem S. Augustinus testimonium Reticii Augustodunensis, qui Concilio Romano contra Donatistas sub Melchiade Papa celebrato interfuit. Is de Baptismo agens ita locutus est : *Hanc igitur esse principalem in Ecclesia indulgentiam, nemi-nem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, ubi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.*

VII. Profert autoritatem Olympii Hispani Episcopi, in quodam Sermone Ecclesiastico dicentis : *Si Fides unquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, nunquam Protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.*

VIII. S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, Ecclesiæ Catholicæ adversùs Hæreticos acerrimus defensor, eamdem Catholicæ Fidei veritatem asserit in Expositione Psalmi 118. ad illa verba ; *Vivet anima mea & laudabit te.* Sic enim habet : *Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerat : Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natum,* Et alibi de Christi carne agens, sic loquitur. *Ergo cùm missus est in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato, scilicet Adam parente deductus, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo, non peccato, sed peccati carnis similitudine.* His testimoniis Julianum Pelagianum premit S. Augustinus locò laudatò.

IX. S. Basilius Homilia I. *De Jejunio*, peccatum Adami, & ejus pœnam, ad ejus posteros pertinere agnoscit. *Jejunium*, inquit, *tam vetus est, ut simul cum homine condito cœperit : in Paradiso præscriptum est. Primum illud præceptum accepit Adam, ut de ligno scientiæ boni & mali ederet. Hoc autem verbum ; Non edetis, jejunii & abstinentiæ lex est. Si à ligno jejunasset Eva, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus. Neque enim qui valent, egent medico, sed qui malè habent. In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine jejunio otiosa & infrugifera est. Maledicta terra spinas & tribulos progignet tibi. In tristitia vivere jussus es, non indulgere deliciis.* Et infrà : *Quoniam non jejunavimus, exulamus è Paradiso. Jejunemus igitur, ut ad illum postliminiò revertamur.* Hoc S. Basilii testimonium adversùs Julianum profert S. Augustinus.

X. S. Gregorius Nazianzenus Oratione XXXVIII. quæ est I. *in Nativitatem Christi*, doctrinam eamdem tradit. *Celebramus*, inquit, *Dei ad homines adventum, ut ad Deum accedamus, aut, ut aptiori verbo utar, revertamur, ac deposito veteri homine, novum induamus : & quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus, dum nimirum cum Christo, & nascimur, & Cruci affigimur, & sepelimur, & resurgimus. Pulchra enim in contrarium mutatio mihi subeunda est, ut quemadmodum ex secundis rebus molestæ venerunt, sic etiam ex molestis læta & jucunda redeant. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit & gratia : & , si gustus condemnavit, quantò magis Christi Passio justificavit ?* Et ad finem Orationis ; *Descriptionem reverere, propter quam in cœlis ipse describeris : & Nativitatem, ob quam nativitatis vinculis solutus es : & parvam illam Bethleem honora, quæ te in Paradisum reduxit.*

Et alibi de Baptismo loquens : *Persuadeas tibi*, inquit, *de hoc quoque sermo Christi dicentis, Neminem posse introire in regnum cælorum, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ.* Istis etiam testimoniis Julianum urget Sanctus Augustinus.

XI. S. Joannis Chrysostomi autoritate, quam in sui erroris patrocinium Pelagiani trahebant, eosdem S. Augustinus profligat, variaque ipsius contra Julianum testimonia profert. I. ex Epistola ad Olympiam, in qua ita scribit : *Quando Adam peccavit,* illud

illud grave peccatum & omne genus hominum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat.

2. Ex Homilia *de Lazaro resuscitato*, in qua hæc habet: *Flebat Christus, cur usque ad hoc mortalitas deliquisses, ut excussa de perennitatibus, inferat adamaret. Flebat Christus, quod eos qui immortales esse potuerint, Diabolus fecit esse mortales.*

3. Ex Homilia 9. in Genesim, in qua sic loquitur. *Quòd autem nunc terrori nobis sint bestiæ, & timeamus, & dominio exciderimus, neque ipse contradico. Verùm hoc non arguit falsam Dei promissionem: nam ab initio res non ita habebant: sed timebant & tremebant bestiæ, & venerabantur dominum, ubi autem per inobedientiam fiduciam & gratiam apud Deum amisimus, etiam principatus noster mutilatus est. Subjecta enim homini animalia omnia fuisse, accipe ex Scriptura, quæ dicit: Adduxit Deus bestias ad Adam, ut videret quid vocaret eas, & cùm videret juxta se bestias, non resiliit: sed tanquam dominus aliquis servis subditis nomina imposuit.* Et paulò post: *Atque hæc quidem satis indicant, ab initio feras homini terribiles non fuisse, est tamen & aliud quiddam manifestius; & quodnam hoc? Colloquium serpentis cum muliere. Nam si terribiles fuissent hominibus bestiæ, mulier serpente conspectò non mansisset, neque consilium accepisset, neque cum tanta securitate illi locuta fuisset: sed statim ad aspectum illius obstupefacta, profugisset. Verùm colloquitur, nec metuit: Nondum enim erat timor ille: cæterùm ubi peccatum intravit, ablata est hæc potestas & dignitas.* Et paulò-post. *Nam salvâ manente illius fiduciâ & gratia apud Deum, terribilis erat & bestiis: ubi autem impegit, timere cœpit & conservorum extremos. Quòd si quæ dicimus, non fers*, inquit, *demonstra tu mihi ubi terribiles ante peccatum fuerint homini bestiæ? Sed non poteris. Quod autem postea subiit timor, etiam hoc divinæ misericordiæ maximum argumentum est. Nam si postquam homo mandatum prævaricatus est, integer illius mansisset honor & immobilis, haud facilè à lapsu resurrexisset.* Quibus demonstratur, per unum hominem peccatum ingressum esse, & commune omnibus hominibus factum esse peccatum, quandoquidem in omnibus terror communis est bestiarum, quæ utique nec infantibus parcunt, quos profectò, secundùm S. Joannis Chrysostomi sententiam, non læderent, nisi essent veteris illius peccati obligatione constricti.

4. Ex Homilia ad Neophytos, in qua hæc habet: *Venit semel Christus, invenit nostrum Chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Non satis ipsi fuit dicere, *Paternum Chirographum*, nisi adderet, *nostrum*: ut sciremus, antequam fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus; jam illius Chirographi paterni ad nos debitum pertinere.

5. Ex Homilia 10. in Epistolam ad Romanos, ubi exponit illam Apostoli sententiam: *Per unum Hominem peccatum intravit in mundum.* Sic autem habet: *Non ipsum peccatum quod à legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adam inobedientia, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat. Et quænam rei hujus probatio fuerit? Nempe quòd homines ante legem interirent. Regnavit enim mors ab Adam usque ad Mosem, in eos quoque qui non peccaverant. Quomodo regnavit? Ad similitudinem transgressionis Adam, qui typum gerit illius futuri: Propterea enim & typus est Jesu Christi Adam. Quomodò typus? Quoniam quemadmodum ille omnibus à se (etiamsi de ligno non comedissent) auctor mortis extitit, ejus quæ ob cibum illum introducta est: sic & Christus omnibus à se quamvis justè non agentibus, justitiæ tamen conciliator extitit, ejus, quam omnibus nobis per crucem largitus est.* Et infrà: *Ut cum tibi Judæus dixerit: Quò pactò unò rectè agente Christo, universus orbis salvus factus est? Possis illi respondere: Quò pactò unò non obediente Adam, universus orbis condemnatus est? Quanquam nihil simile inter se habent peccatum & gratia; mors & vita, Diabolus & Deus.* Et paulò-post. *Certè quâ ratione nititur id quod factum est, demonstravit; cùm dixit: At non ut peccatum, ita & donum. Nam si unius delictò multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ fuit unius hominis Jesu Christi in multos exuberavit. Quod enim ait* (Apostolus) *sensum hunc habet, Si tantum valuit peccatum, & hominis unius peccatum, Gratia Dei, & ea Dei gratia, nec Patris solum, sed & Filii, quomodo non superavit magis? Hoc enim multò rationabilius. Alterum enim alterius peccato puniri, non admodùm æquum atque conveniens esse videtur: at alterum propter alterum servari, & decentius multò & rationi magis consentaneum. Igitur si illud factum fuit, multò magis hoc.*

Et post explicans illa verba Apostoli: *Judicium quidem ex uno in condemnationem: donum autem ex multis delictis ad justificationem*; Quærit quis sit istorum verborum sensus. *Quid autem hoc dictum sibi vult?* inquit, *nempe quòd & mortem & condemnationem unum quidem peccatum afferre potuit; gratia autem non illud modò peccatum sustulit, sed & quæ post illud supervenere..... Proinde quòd plura sint advecta bona, nec sublatum tantummodò peccatum illud, sed & cætera omnia, his verbis ostendit; Donum autem ex multis delictis ad justificationem..... Ante enim dixit: Si unius peccatum peremit omnes; multò certè magis unius gratia servare poterit. Postea ostendit, non illud modò peccatum per gratiam extinctum, sed & reliqua omnia: nec ipsa tantùm peccata esse extincta, sed & justitiam datam: atque adeo Christum non modo tantùm juvisse, quantùm læserat Adam, sed & multò magis ac multò plenius.*

Et inferiùs. *Quid ea sibi verba volunt: In mortem ipsius baptizati sumus? Ad hoc ut & ipsi moriamur, sicut ille: Crux enim est baptisma. Quod igitur Christo crux & sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit; quamvis non iisdem in rebus. Ille enim carni & mortuus, & sepultus est: Nos autem peccato utrumque. Quapropter non dixit: Complantati morti; sed, similitudini mortis. Mors etenim & hoc, & illud: sed non ejusdem subjecti. Illa enim carnis, Christi videlicet: hæc autem peccati, nostra scilicet: ut igitur vera illa, sic & hæc.* Tam insignia S. Joannis Chrysostomi testimonia demonstrant Pelagianos ejus auctoritate perperam abusos, ut dogma Catholicum de originalis peccati propagatione impugnarent. Demonstrant ipsos, eorumque sectatores Socinianos, contra Ecclesiæ fidem & antiquam traditionem, locum celebrem Apostoli, quo dixit: *Per unum Hominem peccatum intravit in mundum*, &c. ad imitationem detorquere, & ad carnalem nativitatem referendum inficiari. Illô namque peccato contaminata dicit esse omnia S. Joannes Chrysostomus. Et sic illud distinguit à cæteris postea commissis, introductisque peccatis, ut non illa tantùm; sed & hoc & illa per gratiam Christi dicat interfici. Asserit præterea, ita eum peccato mori, qui baptizatur in Christo, sicut carne mortuus est Christus. Quia in morte Christi baptizari; nihil est aliud quàm peccato mori. Cui porrò peccato parvulus moritur, si originale non traxit? An forte non in Christi morte parvuli baptizantur, cùm Apostolus non dixerit, *quidam*, sed, *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus?* His Sancti Joannis Chrysostomi testimoniis Pelagianos profligat S. Augustinus *lib. 1. contra Julianum, cap. 6.*

XII. S. Ambrosius caussæ etiam Catholicæ Fidei adversus Pelagianos & Socinianos peccatum originale negantes suffragatur. In Commentariis enim

enim ad caput 1. S. Lucæ hæc habet : *Jordanis conversus est retrorsum : significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.*

Et ad caput 2. *Non enim*, inquit, *virilis coitus vulvæ Virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cœlesti majestate depulerit.* Et ad caput 4. *Omnes in Adam morimur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt : illius igitur culpa mors omnium est.* Et ad caput 10. *Cave ergo*, inquit, *ne ante nuderis, sicut Adam nudatus est, mandati cœlestis custodia destitutus, & exutus fidei vestimento ; & sic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera ejus acerba curasset.* Et ad caput 15. *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes : periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Et in Psalmum 50. qui à S. Augustino laudatur sub titulo Apologiæ David. *Antequam nascamur*, inquit, *maculamur contagio : & ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur. Non expressit utrum parentum, an nostrâ. Et in delictis generat unumquemque mater sua, nec hic declaravit utrum in delictis suis mater pariat, an jam sint & aliqua delicta nascentis. Sed vide ne utrumque intelligendum sit : quoniam & parentes non carent lapsu, nec conceptus iniquitatis exors est. Nam si nec unius diei infans sine peccato est, multò magis nec illi materni conceptûs dies sine peccato sunt... Concipimur ergo in peccatis parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua ; nec unum tantummodò habet ipsa natura contagium.* Et infrà, de Christo Domino loquens hæc habet : *Dignum etenim fuit, ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Meritò ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturæ, quòd priùs inciperet in homine macula, quàm vita.*

Et Enarratione in Psalmum 48. ad illa verba : *Iniquitas calcanei mei circumdabit me* ; ait : *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suô vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.* Et libro de Tobia, cap. 9. *Quis iste peccati fœnerator*, inquit, *nisi Diabolus, à quo Eva mutuata peccatum obnoxiæ successionis, usuris defœneravit omne genus humanum? Denique quasi malus fœnerator, Chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore delevit.* Et cap. 22. *Diabolus Evam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hæreditatem.* Et libro 1. de Pœnitentia, cap. 2. *Omnes homines*, inquit, *sub peccato nascimur. Quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David : Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et in Commentariis in Isaïam à S. Augustino laudatis, *lib. 4. ad Bonifacium cap. 11.* loquens de Apostolo Petro : *Ipse*, inquit, *se obtulit, quod ante putabat esse peccatum : lavari sibi non solùm pedes, sed & caput poscens : quod illicò intellexisset, lavacrô pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiæ successionis aboleri.* Et ibidem. *Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti : qui autem expers delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.*

XIII. Hilarius Sardus in caput 5. Epistolæ ad Romanos idem fidei dogma disertè asserit. *Manifestum est*, inquit, *in Adam omnes peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes, nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cuncti peccatores : quia ex eo sumus omnes.*

XIV. Sanctus Hieronymus suô etiam suffragiô Catholicam sententiam confirmat Commentario in cap. 2. Micheæ. *Unusquisque nostrum*, inquit, *cum Adam de paradiso cecidit, & in hujus mundi captivitate versatur.* Et in caput 3. Jonæ, ait quòd *Etiam parvuli peccatô offendentis Adam tenentur obnoxii.* Quæ verba S. Augustinus laudat, *lib. 1. contra Julianum, cap. 7.*

Peccatum Originale ex Ecclesiæ definitionibus probatur.

XV. Hinc Pelagianum dogma, statim atque apertam in lucem erupit, Ecclesiastici Doctores & Episcopi impugnarunt, Ecclesia execrata est, anathemate confixit, & Pelagianos ubique damnavit. In Diospolitana Synodo coactus est Pelagius istas propositiones anathemate percellere : *Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quòd infantes nuper nati, in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quòd infantes, etsi non baptizentur, habent vitam æternam.*

Innocentius I. in Rescriptis ad Synodi Carthaginensis & Milevitanæ Patres, de Pelagii & Cælestii errore ita scribit : *Illud verò quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, Parvulos æternæ vitæ præmiis, absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* (Joan. 6.) *Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renasci : fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse.* Hujus Pontificis autoritate Julianum S. Augustinus premit lib. 1. cap. 4. *Sancto Innocentio*, inquit, *vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quàm quod isti, in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, introduxi. Cum his etiam ipse considet, etsi posterior tempore, prior locô. De miseris parvulis ab originali malo, quod trahitur ex Adam, per Christi gratiam liberandis, unam cum eis tenet Christianam veramque sententiam, qui omne præteritum vitium, primi scilicet hominis, qui liberô arbitriô est in profunda demersus, Christum dixit sui lavacrô purgasse baptismatis. Qui denique parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imò ipsi Domino ; cujus ille Antistes usus est testimonio ; & dic unde imago Dei tam capitali supplicio puniatur, ut vitâ privetur, si peccatum à nascentibus originale non trahitur?*

Concilium Plenarium Africæ Canone 11. qui perperam adscriptus est Milevitano ab Editoribus Conciliorum, Pelagianum errorem de peccato originali confodit. *Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit : In remissionem quidem peccatorum eos baptizari ; sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacrô expietur : unde fit consequens, ut in iis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non verè, sed falsò intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus : Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt : nisi quemadmodùm Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem verè baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Zosimus in Epistola contra Pelagianos eamdem Catholicæ Fidei veritatem docet his verbis à S. Augustino laudatis Epistola 157. ad Optatum : (Ep. 157.) *Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione, & remissione verâ peccatorum, in omni sexu, ætate, conditione gen-*

ner-

neris humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemtus dici potest; nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus: sicut scriptum est: Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. (Joan. 8) *Per ipsum enim renascimur spiritaliter, per ipsum crucifigimur mundo. Ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introducta atque transmissa universa anima, illud propagatione contractum Chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.*

Secundùm hanc Traditionem, & Definitionem Ecclesiæ, S. Augustinus peccati originalis propagationem contra Pelagianos propugnavit in libris *de Peccatorum Meritis & Remissione*; in libro *de Peccato Originali contra Celestium*; in libris *de Nuptiis & Concupiscentia*; in libris *contra Julianum*; in libris *ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum*; & in variis Epistolis. Idem fidei caput propugnarunt acerrimè Celestinus I. S. Leo, S. Prosper, Gelasius, Patres Arausicanæ Synodi, ac decretis suis confirmarunt Florentina Synodus *in Decreto Unionis*, & Tridentina, *Sessione V. Canone* 2. & 4.

S. Augustinus parvulorum dogma, Catholicum de Peccato originali confirmavit.

Probatur tertia pars Propositionis, rationibus quibus Pelagianos impugnavit S. Augustinus. Prima petitur ex Circumcisione: Masculi enim qui circumcisus non fuisset, animam de populo suo perituram dixit Deus: Quibus verbis, non temporalis, sed æterna significatur damnatio, quæ non infligeretur parvulis, nisi alicujus peccati rei essent. Hâc ratione adversùs Pelagianos pugnat S. Augustinus *lib. de Peccato Originali contra Celestium*, cap. 30. & 31. *Quid enim mali*, inquit, *parvulus propriâ voluntate commisit, ut aliò negligente, & eum non circumcidente, ipse damnetur damnatione tam severâ, ut pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror incussus est, cùm de Justis, quando moriebantur, tunc potius diceretur: Et appositus est ad populum suum: vel, Appositus est ad patres suos: quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separat à populo suo, si populus ejus ipse est populus Dei. Quid ergo sibi vult pro nullo propriæ voluntatis admisso tanta damnatio? Unde rectè infans illâ perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & justè intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit, non secundùm debitum, sed secundùm gratiam liberatus?*

Ratio altera sumitur ex forma baptismi; & sacris ritibus ab Ecclesia in eo jam ab antiquo usurpatis ante Pelagianorum ortum. Quid enim significat hoc verbum, *Baptizo*, nisi quod ait Scriptura: *Mundo lavacro aquæ in verbo vitæ?* Cur in remissionem peccatorum confertur, collatusque semper est baptismus, etiam infantibus, si nullô peccatô sunt obstricti? Quorsùm exorcismi & exsufflationes, & abrenuntiatio Satanæ, si Diabolus eis non dominatur? Quâ verò ratione ipsis dominatur, si à peccato sint immunes? Hoc argumento contra Pelagianos pugnat S. Augustinus lib. *de Peccato Originali*, cap. 40. *Ipsa*, inquit, *Ecclesia sacramenta, quæ tam priscæ traditionis autoritate concelebrat, ut ea isti quamvis in parvulis existiment simulatoriè potius quàm veraciter fieri; non tamen audeant apertâ improbatione respuere: ipsa, inquam, sancta Ecclesia sacramenta satis indicant, parvulos etiam à partu recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Exceptô enim quòd in peccatorum remissionem, non fallaci, sed fideli mysteriô baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria; cui etiam, verbis eorum à quibus portantur, sese renuntiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis & evidentibus signis à captivatore pessimo, ad optimum Redemptorem transire monstrantur.*

Et lib. 6. *contra Julianum*, cap. 5. *Sed etsi nullâ ratione indagetur, nullò sermone explicetur; verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios Fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret; quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, quâ Princeps mundi & à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.*

Ratio tertia sumitur ex parentum Christianorum sollicitudine ut Baptismum filiis suis procurent: & ex Ecclesiæ traditione ab Apostolis derivatâ, quæ ipsis, etsi à partu recentibus, conferendum illum semper docuit, ne ab æterna vita excluderentur, secundùm Salvatoris Decretum dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Porrò justissimus optimusque Deus homines ad imaginem suam conditos, & propter æternam beatitudinem, quæ regnum cœlorum est, ab ea non excluderet immeritos & insontes. Essent autem insontes, etiam cum è vita Baptismo non susceptô, nullâ culpâ suâ, rapiuntur, si peccatum originis in eis nullum esset: siquidem propriis adstricti delictis non tenentur. Hâc ratione sæpius Pelagianos premit S. Augustinus, præsertim *lib. 3. contra Julianum*, cap. 12. *Sed certè vos qui miseram falsâ defensione premitis, & perniciosâ laude oppugnatis infantiam, quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizantur, non admittitis ad regnum Dei? Nunquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur regnô, ut tam luctuosô puniantur exiliô, cùm id non fecerint, quod facere omnino non poterant?*

Et cap. 3. *Non enim vestra, sed illius est vera sententia, qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Verùm vos excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse, imaginem Dei in æternum exulare à regno Dei: cùm, si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris. Porrò autem si, quod huic sufficit causæ, parvam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, ut imago non sinatur intrare in regnum Dei: obsecro, aperite qualescunque oculos, & videte, quâ justitiâ pœna ista infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato?*

Et Sermone XIV. de Verbis Apostoli: *Quare enim patrimonium regni cœlorum abripis innocenti? A quo regnum cœlorum non acquiritur, profectò magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia? Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam, nec de parente tractam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in regnum cœlorum, ut separetur à sorte Sanctorum, ut sit exul à societate Angelorum? Videris enim tibi misericors, quia non aufers ei vitam: damnas tamen quem separas à regno cœlorum. Damnas, non cùm percutis, sed in exilium mittis. Nam & qui exulant, vivunt; si sani sunt, in doloribus corporis non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur, hæc illis sola pœna est, non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit Sanctorum, qui non desiderat regnum cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate: si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate. Sed si, quod vis, parva est pœna: & ipsa parva magna est, si nulla culpa est.*

Quia verò Pelagiani à Regno quidem Dei exules fore parvulos sine baptismo decedentes fatebantur, non tamen ab æterna vita & fœlicitate: istud

istud commentum S. Augustinus funditùs subvertit, & ex Evangelio demonstrat damnandos iri & in ignem æternum mittendos, qui regno Dei donati non fuerint. Sic habet in eodem Sermone, cap. 3. *Primum hic error aversandus ab auribus, extirpandus à mentibus. Hoc novum in Ecclesia prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cœlorum, esse salutem æternam præter regnum Dei .... Venturus est Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur; duas partes facturus est, dexteram & sinistram. Sinistris dicturus: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hanc regnum nominat, hanc cum Diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur: alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram; non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio, sed noli in sinistram. Si ergo dextera erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextero regnum cœlorum est: Percipite, inquit, regnum; qui ibi non est, in sinistra est: Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum. In dextera ad regnum, utique æternum: in sinistra in ignem æternum: Qui non in dextrâ, procul dubio in sinistra. Ergo qui non in regno, proculdubio in ignem æternum...... Ecce exposuit sibi quid sit regnum, & quid sit ignis æternus: ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum.*

Quarta ratio petitur ex miseriis corporis. Grave enim illud jugum, quod est super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, injustum prorsùs esset, si nullius peccati rei essent infantes. Injustus, inquam, esset Deus, si tot miseriis creaturas innocentes addixisset. Hâc ratione contra Pelagianos passim pugnat Sanctus Augustinus, sed præsertim lib. 6. contra Julianum, cap. 5. ubi de Ecclesia loquens, sic Julianum compellat: *Contra cujus viscera satis acutis telis tibi videris armatus de justitia Dei contra justitiam Dei colligens argumenta. Tunc enim est Dei vera justitia, si grave jugum super filios Adam non est injustum. Quomodo autem non est injustum jugum grave, si nullum est in parvulis malum, propter quod justè jugo premantur gravi?*

Et lib. 1. Operis Imperfecti: *Miseria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad Omnipotentis justum judicium, si non est originale peccatum.* Et lib. 6. cap. 36. *Omnis autem pœna hominis, quid est nisi pœna Dei imaginis? Quæ si infertur injustè, profectò à quo infertur, injustus est. Quis porrò dubitet, quòd injustè inferatur pœna imagini Dei, nisi hoc culpa meruerit?* Et cap. 27. *Justus est Deus, quod assidue contra te dicis, & nescis: justus est, inquam, Deus, & idcò nascentes nec faceret, nec fieri sineret miseros, nisi nosset reos.*

Quinta ratio petitur ex concupiscentia, quæ naturalis homini esse non potest: nec à Deo inseri, cùm mala sit. Adeòque peccati germen est & fructus. Cùm itaque omnibus insita sit hominibus, consequens est illis peccatum aliquod à nativitate inesse, & in illos propagatione transfundi, sicut & concupiscentiam. Malam autem esse concupiscentiam demonstrat S. Augustinus ex eo quod adversùs continentiam pugnet, quæ à Deo est. Sic enim *lib. 4. contra Julianum, cap. 13.* ubi protulit illa verba Apostoli: *Nolite diligere concupiscentiam carnis:* ait, *Hæc quam diligere prohibemur, non est à Patre. Hæc igitur concupiscentia, quam laudas, non est à Patre. Duo enim bona, quæ à Patre sunt, inter se pugnare non possunt. Pugnant autem inter se continentia & concupiscentia: quid horum à Patre magis velis esse, responde. Video quas patiaris angustias. Faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiam.*

Et lib. 5. cap. 7. *Rogo te*, inquit, *oculos aperi, & cerne quæ aperta sunt. Nulla pugna est sine malo; quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum; aut malum & malum: Aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum.* Et cap. ultimo. *Quæro sanè qualibus ingenitis sibi motibus hominem dicatis esse idoneum dare leges? Utrùm bonis, an malis? Si bonis adversùs bonum: ergo spiritus concupiscit adversùs spiritum, & duo bona invicem sibi adversantur in homine. Quod si ita esset, ipsa duorum bonorum inter se adversitas bona esse non posset. Si autem malis, fatere igitur ingenitos esse homini motus malos, contra quos castitas dimicat. Et ne dicere cum Manichæis cogaris, alienæ mali naturæ nobis inesse commixtionem, nostrum potiùs originalem confitere languorem.*

Probat secundò S. Augustinus malam esse concupiscentiam, ex eo quòd ad peccatum impellat. (lib. 6. contra Julianum cap. 15.) *Quis autem*, inquit, *ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus & demens, qui cùm peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversùs eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porrò ac tam magnum malum, tantùm quia inest, quomodò non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi ejus vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur?*

Tertiò id probat S. Augustinus ex pudore illo naturali, qui concupiscentiam inordinatis motibus æstuantem sequitur. Impossibile autem est ut Deus hominem cum illa pudoris instituat necessitate, seu cum inhonestis illis motibus, ex quibus pudor nascitur. *Itaque* (inquit lib. 1. ad Bonifacium cap. 16.) *suâ culpâ sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur, aut, quod est impudentissimum, de his suis motibus non erubescere; aut, quod est ingratissimum, de sui Creatoris operibus erubescere.* Si enim natura humana non agnoscit hoc malum suâ sibi culpâ accidisse, sed ex institutione Dei, necessariò in alterutrum extremum labitur: namque non erubescendo, prodit impudentiam suam; erubescendo ingratitudinem: quia non habet de quo erubescat, nisi vel de opere, vel de incuria Creatoris, quorum utrumque impium est creaturæ. Unde cap. 17. de eadem concupiscentia sic loquitur: *Qualis quippe nunc sit, profectò omnium sensus mortalium, etsi cum verecundia confitetur? quia & castos etiam nolentes, eamque per temperantiam castigantes, inquietudine inordinatâ importunâque sollicitat, & plerumque sese volentibus subtrahit, nolentibus ingerit; ut nihil aliud inobedientiâ suâ, quam illius priscæ inobedientiæ pœnam se esse testetur. Unde meritò de illa & tunc primi homines, quando pudenda texerunt, & nunc qui se utcumque hominem esse considerat, omnis pudens, impudensque confunditur, absit ut de opere Dei, sed de pœna primi veterisque peccati.*

Objiciet quispiam, hanc rationem nullius esse roboris; siquidem Sanctus ipse Augustinus *lib. 1. Retractationum, cap. 9.* asserit Deum condere potuisse hominem, cui ignorantia & concupiscentia naturales essent. *Quamvis*, inquit, *ignorantia & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus Deus esset, sicut in eodem libro 3.* (de Libero Arbitrio) *disputavimus.*

Respondeo, S. Augustinum id non asseruisse ex propria sententia; sed illud concessisse Manichæis, ut ex hypothesi illa nihil ipsos lucrari demonstraret:

monstraret: sed Deum semper laudandum, etiamsi homines cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatibus nascerentur; nec ideò peccata nostra in Deum esse refundenda. Idque probat secundùm quatuor modos incarnationis animarum, quos cogitare possemus. Ut videlicet anima prolis ex anima parentis propagetur, vel in corpore jam corrupto nove creetur; vel ante creata ad illud mittatur à Deo; vel eo sponte labatur. In omnibus namque illis quatuor modis supponi ostendit corpus parentis, & consequenter corpus prolis, quod inde generatione propagatur, & ab anima prolis quocunque quatuor modorum informandum est: quodque primi parentis iniquitate est violatum, quâ tam sibi, quàm proli pœnam ignorantiæ & difficultatis procuraverit. Id ex cap. 19. lib. 3. laudati de Libero Arbitrio perspicuum erit legentibus. Cæterùm nec illam hypothesim possibilem existimavit S. Augustinus: & disputationem illam suam contra Manichæos firmissimam, ad tuendam justitiam Dei contra Pelagianos non satis firmam esse professus est, cùm in Epistola XXVIII. ad S. Hieronymum datâ, tùm lib. 1. Retractationum cap. 9. tùm denique libro *de Dono Perseverantiæ*, cap. XI. & XII. Epistola quidem 28. hæc habet: *Sicut enim paulò ante commemoravi, quæcumque illarum de anima incarnatione quatuor opinionum vera esset, inculpatam substantiam Creatoris, & à nostrorum peccatorum societate remotissimam aiebar ostendere. Et ideo quæcumque illarum veritate posset convici & repudiari, ad curam intentionis meæ, quam tunc habebam, non pertinebat: quandoquidem cunctis diligentiore disputatione discussis, quæcumque illarum rectè vinceret cæteras, me securissimo fieret, quando etiam, secundùm omnes, id quod agebam, invictum persistere demonstrabam. Nunc verò unam volo, si possum, ratione rectâ eligere ex omnibus: & propterea hujus ipsius, de qua nunc agimus, defensionem, in his, quæ commemoravi de illo libro, verbis meis attentiùs intuens, validam firmamque non video.*

Posterior Edit. 166

Libro verò *de Dono Perseverantiæ*, cap. XI. & XII. hæc habet. *Cur autem causam parvulorum ad exemplum majorum, sicut scribitis, non patiuntur afferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum, & ex uno omnes isse in condemnationem? Quod & Manichæi non accipiunt, qui non solùm omnes Veteris Instrumenti Scripturas in nulla autoritate non habent, verùm etiam eas quæ ad Novum pertinent Testamentum, sic accipiunt, ut suô quodam privilegiô, imò sacrilegiô, quod volunt, sumant; quod nolunt, rejiciant. Contra quos agebam in libris* de Libero Arbitrio, *unde isti nobis præscribendum putant. Ideo quæstiones operosissimas incidentes enucleate solvere nolui, ne nimium longum opus esset, ubi me adversùs tam perversos testimoniorum divinorum non adjuvabat autoritas. Et poteram sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definitè interponebam, certâ tamen ratione concludere, in omnibus Deum esse laudandum, sine ulla necessitate credendi duas, sicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas esse substantias. Denique in primo Retractationum libro, cùm ad eosdem libros retractandos venissem, hoc est de Libero Arbitrio; ita locutus sum:* In his, inquam, libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant: ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potiùs congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio

A illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci: & Deum si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt; eô modô volentes secundùm suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quamdam & Deo coæternam introducere naturam mali. *Item post aliquanta alio loco*: Deinde dictum est, inquam, ex qua miseria peccantibus justissimè inflictâ liberet Dei gratia; quia homo sponte, id est, libero arbitrio cadere potuit, non surgere; ad quam miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio B nativitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi Dei gratiâ. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum. Quamvis ignorantia & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem libro tertio disputavimus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas Veteris Instrumenti, in quibus peccatum originale narratur. Et quicquid inde in Literis Apostolicis legitur, detestabili impudentiâ immissum fuisse contendunt à corruptoribus Scripturarum, C tanquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. *Hæc dixi in primo libro Retractationum, cùm retractarem libros de Libero Arbitrio. Quamvis ergo in libro tertio de Libero Arbitrio ita de parvulis disputaverim, ut etiamsi verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ: vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali coæternas esse naturas: numquid ideo fides in dubium vocanda, vel deserenda est,* D *quam contra ipsos Pelagianos Catholica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum, cujus reatus generatione contractus, regeneratione solvendus est?*

Sicut autem nunc ut ostenderem gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, secundùm utrumque sensum hoc defendere malui: & secundùm nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, & secundùm Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum: nec tamen ideò mihi est ambigendum, habere parvulos quod eis dimittat qui salvum facit populum suum à peccatis eorum: ita E *& in tertio libro de Libero Arbitrio, secundùm utrumque sensum restiti Manichæis, sive supplicia, sive primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur: & tamen unum horum teneo. Ibi quoque à me satis evidenter expressum est, quod non sit ista natura instituti hominis, sed pœna damnati. Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam, sicut debeo agere, parvulorum, & inde gratiam Dei non secundùm merita hominum dari, perspicua veritatis luce convincam. Si enim quando libros de Libero Arbitrio Laicus cœpi, Presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renascentium, &* F *de renascentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, esset tam injustus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret. Cùm verò rectiùs possit intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere: quia contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet: sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur: nullô modô tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali permixtio crederetur: absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, Utrùm in*

A *Christo regenerati, si moriantur, parvuli, transeant in æternam salutem, non regenerati autem transeant in mortem secundam: quoniam quod scriptum est: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines transiit; aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetuâ, quæ justissimè est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est, sine ullo suo originali propriòve peccato.* Ex his perspicuum est, rationem S. Augustini ex ingenita omnibus concupiscentia petitam ad probandum peccatum originale, congruam esse: nec ejus B vim infringi per ea quæ scripsit in libris *de Libero Arbitrio*.

Pelagianorũ Objectionibus contra peccatum originale respondetur.

Objiciebant 1. Pelagiani, locum illum Ezechielis cap. 18. *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israël, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego: dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc proverbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt: Ut anima Patris, ita & anima filii mea est: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur...... Filius non portabit iniquitatem patris*, &c. Portat autem filius iniquitatem Patris in hypothesi origina- C lis peccati.

Respondet S. Augustinus 1. Filium quidem non portare iniquitatem patris, quæ nullatenus sua fit, sed portare iniquitatem patris, quæ facta sit sua, vel imitatione, vel nativitate. *Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena; & rursùs modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis, nostra sunt autem contagione propaginis. Quod si falsum esset, profectò grave jugum super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, nullò modò justum esset.* Ita S. Augustinus *lib. 6. contra Julianum, cap. 9.*

Respondet secundò, Filium non portare iniqui- D tatem patris, si carnalis in eo generationis vitium gratia regenerationis expunxerit. Verbis igitur Ezechielis contineri *Promissionem Testamenti Novi, & spiritalis hæreditatis ad alterum sæculum pertinentis. Id enim agit gratia Redemptoris, ut paternum chirographum deleat, & unusquisque pro se rationem reddat. Cæterùm quam multa sunt Divinarum testimonia Literarum, quæ parentum peccatis obligant filios, numerare quis possit? Cur enim peccavit Cham & in ejus filium Chanaan vindicta prolata est? Cur pro peccato Salomonis filius ejus diminutione regni punitus est? Cur peccatorum Achab Regis Israël in ejus E posteros pœna dilata est? Ut quod legitur in sanctis Libris: Reddens peccata patrum in sinu filiorum eorum post eos, & reddens peccata patrum filiis usque in tertiam & quartam progeniem? Qui numerus etiam pro universitate accipi potest. Numquid hæc falsa sunt? Quis hoc dixerit nisi Divinorum Eloquiorum apertissimus inimicus? Sed carnalis generatio etiam populi Dei pertinens ad Testamentum vetus, quod in servitutem generat, parentum peccatis obligat filios: spiritalis autem regeneratio sicut hæreditatem, ita pœnarum atque præmiorum comminationes promissionesque mutavit. Quod Prophetæ in Spiritu prævidentes, ista dixerunt: sed apertiùs Jeremias: In die-* F *bus illis*, inquit, *non dicent: Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in suo peccato morietur, ut ejus qui manducaverit uvam acerbam, obstupescant dentes ipsius. Nempe manifestum ita hoc prophetice prænuntiari, sicut ipsum Testamentum novum, quod priùs occultum fuit, & postea per Christum revelatum est. Denique ne nos moverent ea quæ commemoravi, & cætera hujusmodi plurima de reddendis in filios peccatis parentum, quæ utique veraciter scripta sunt, ne huic Prophetiæ contraria putarentur; continuò solvit istam molestissimam*

Ezech. 18.

Jerem. 31.

A *quæstionem, conjungendo atque dicendo: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo domui Israël & domui Juda Testamentum novum, non secundùm Testamentum quod disposui Patribus eorum. In hoc igitur Testamento novo per sanguinem Testatoris deletô paternô Chirographô, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus, ipsò Mediatore dicente: Ne vobis Patrem dicatis in terra: secundùm hoc utique, quòd alios natales quibus non Patri succederemus, sed cum Patre semper viveremus, invenimus.* Hæc S. Augustinus *lib. 6. contra Julianum, cap. 25.*

B Objiciebant secundò Pelagiani verba illa Apostoli ad Romanos 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Ex quibus colligebant, Adami peccatum omnibus hominibus non imputari, sed illis tantùm qui ipsum peccantem imitantur. Sicut Christi sanguine parta justitia non pertinet ad omnes, sed ad illos tantùm qui in Christum credunt, & qui justificantur.

Respondet S. Augustinus, vocabulum istud, *multos*, eò loci idem significare ac *omnes*, ut ex versu præcedenti liquet: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justi-* C *tiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Audire præstat S. Augustinum Juliano respondentem libro 6. cap. 24. his verbis. *Cùm verò multos, quod dixit postea, non vis intelligi omnes, quod priùs dixerat, ideo existimans dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur: poterit hoc dicere & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt omnes gentes, non omnes gentes ei fuisse promissas, quia dictum est alio loco; Patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideò sic locutam Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa. Sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, id est quaternario continentur.* D *Et rursùs possunt aliqua esse multa, non tamen omnia. Sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt. Non enim omnium est fides, ait Apostolus. Quod autem dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes, &, Patrem multarum gentium posui te: easdem omnes, multas, & easdem multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam cùm dictum est: Per unum in omnes transisse peccatum; & postea, Per unius inobedientiam peccatores constitutos multos: ipsi sunt multi, qui & omnes. Similiter cùm dictum est: Per unius justificationem in omnes homines, ad justificationem vitæ. Et rursùs dictum est: Per unius obedientiam justi constituuntur multi, non aliquibus exceptis, sed eosdem* E *multos, omnes oportet intelligi: Non quia omnes homines justificantur in Christo, sed quia omnes qui justificantur, non aliter possunt justificari quàm in Christo. Sicut possumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes; non quia omnes homines intrant in eamdem domum, sed quia nemo intrat nisi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum.*

Dices. Apostolus asserit, peccatum per unum hominem in mundum transiisse: non generatione igitur, sed imitatione propagatum est. Generatio enim non fit per unum, sed per duos, virum scili- F cet ac mulierem.

Huic Juliani objectioni respondet S. Augustinus *lib. 2. Operis Imperfecti:* Dicturum potiùs fuisse Apostolum, per unam mulierem peccatum intrasse in mundum, quàm per unum hominem, si imitatione diffusum esset, non propagatum generatione. *Nunquid enim Evam non imitantur peccantes*, inquit, *aut peccatum generis humani non magis ex ipsâ sumpsit initium? A muliere initium tu vis esse peccati? Et propter illam, sicut scriptum est, morimur omnes: Cur ergo non vis attendere, propterea potiùs Apostolum unum dixisse hominem, per quem peccatum intravit*

intravit in mundum; quia non imitationem, sed generationem volebat intelligi? Sicut enim à muliere initium peccati fuit, sic initium generationis à viro est: prior enim vir seminat, ut femina pariat. Ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod à viro excipiens concepit femina. Quò more nasci noluit, qui solus sine peccato est natus ex femina. Quamvis etiam posset dici; *Ideò non duos, sed unum hominem dixisse Apostolum, per quem peccatum intravit in mundum quia scriptum est: Erunt duo in carne una. Unde Dominus ait: Igitur jam non sunt duo, sed una caro: maximè quando vir adhæret uxori, & unitur concubitus. De concubitu autem proles gignitur trahens originale peccatum, vitio propagante vitium; Deo creante naturam: quam naturam conjuges etiam benè utentes vitiò, non possunt tamen ita generare, ut possit esse sine vitio, quod ille, qui sine ipso natus est vitio, evacuat in parvulis, etiam nolente Juliano.*

Rom. 5. 13. Objiciebat Julianus hæc verba Apostoli: *Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.* Ex quibus colligebat, ipsum non loqui de peccato originali, quod sub lege probari non potest imputatum; sed de peccato quod imitatione trahitur, voluntate committitur, ratione arguitur, lege ostenditur, æquitate punitur.

Respondet S. Augustinus, hæc Apostoli verba, *Usque ad legem peccatum erat in mundo*, de omni peccato esse intelligenda, quod per Christum tollitur. Nam lege non tollitur sive originale, sive additum peccatum; sive quod erat ante Legem, sive quod etiam Lege subintrante abundavit. Peccatum autem originale etiam æquitate punitur. Non enim aliter æquitas Dei grave jugum imponeret ipsis quoque exordiis parvulorum. Hoc peccatum etiam Lege monstrari præcepta Circumcisionis ostendunt. Quô enim peccatô propriô, si non circumcideretur, interibat anima parvuli de populo suo? Verba sunt S. Augustini cap. 74. libri laudati.

Objiciebant tertiò Pelagiani locum illum Apostoli 2. ad Corinthios 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ex quibus verbis colligebant, neminem à Deo judicari & damnari ob Adami peccatum, sed ob propria tantùm peccata.

Respondeo, Hunc locum Pelagianis non favere, quia pertinet ad adultos: vel, si de parvulis etiam intelligatur, propria corporis referunt, id est, ea quæ in se ipsis mortalem jam vitam agentes habuerunt, sive bona, sive mala. Sicut ergo ad ipsos pertinet Christi meritum, & ob illud cœleste regnum consequuntur, stante Apostoli sententiâ in objectione laudata: sic ad ipsos Adæ peccatum pertinet, ac propter illud à regno Dei excludi possunt. Audire præstat S. Augustinum lib. 6. contra Julianum, cap. 10. *Quod autem*, inquit, *Apostolum dixisse commemoras: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum: Quomodò in parvulis accipis? Utrum & ipsi ante Tribunal Christi manifestabuntur, an non? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifestabuntur: quomodò reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit, nisi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora gestantium, sive credunt, sive non credunt? Propria corporis sui enim dixit, quod ad unumquemque in seipso jam viventem pertinet. Nam quomodò reportat bonum, ut intret in regnum Dei, si hoc reportat quisque quod gessit; nisi quia pertinet ad parvulum etiam quod per alterum gessit, id est credidit? Sicut itaque, quòd credidit, pertinet ad eum ut reportet bonum, hoc est, percipiat Dei regnum; sic ad eum pertinet, etiamsi non crediderit, ut reportet condemnationis judicium. quia Evangelica est & ipsa sententia dicendo; Qui non crediderit condemnabitur; & Apostolus dicendo; Omnes nos manifestari oportet, ut recipiat unusquisque prout gessit: sive bonum, sive malum: nihil voluit intelligi medium. Vide ergo quàm importunè nolis parvulum de alieno peccato reportare malum; & velis eum de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecunque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est cum credidit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.*

Objiciebant Pelagiani autoritatem S. Joannis Chrysostomi in *Homilia ad Neophytos*, dicentis: *Benedictus Deus, qui fecit mirabilia solus; qui fecit universa, & convertit universa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi, & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti: non tantùm sancti, sed & justi: non solùm justi, sed & filii: non solùm filii, sed & hæredes: non solùm hæredes, sed & fratres Christi: non tantùm fratres Christi, sed & cohæredes: non solùm cohæredes, sed & membra: non tantùm membra, sed & templum: non tantùm templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sunt Baptismatis largitates, & nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccatô, ut eis detur vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.* Ex quibus verbis colligebant, S. Joannem Chrysostomum originale peccatum negasse.

S. Joannes Chrysostomus Pelagianis non favet.

Respondet S. Augustinus, hujus Homiliæ Interpretem locum illum versione suâ interpolasse, nec dixisse S. Joannem Chrysostomum Infantes non esse coinquinatos peccato, sed peccatis, seu peccata non habere, propria utique & personalia. Quod ex Græci textûs fide probat. Augustum Doctorem audiamus. *Absit ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque à Paterni Chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi Regulæ Catholicæ Defensores, salvâ fidei compage non consonant, & alius aliô de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est: Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; totum quod in Christum credimus, auferre molitur. Omninò & parvulorum Salvator est Christus; omninò, nisi ab illo redimantur, peribunt, quoniam sine carne ejus & sanguine vitam habere non possunt. Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Joannes. Sed tu ejus verba in vestrum dogma convertis. Peccata dixit parvulos non habere, sed propria. Unde illos innocentes meritò nuncupamus, secundùm id quod ait Apostolus: Nondum natos nihil egisse boni, sive mali, non secundùm id quod ait; Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi....*

Comparans ergo eos Joannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in Baptismo, dixit illos non habere peccata, *non sicut verba ejus ipse posuisti*, non coinquinatos esse peccatô, *dum vis utique intelligi, non eos peccatô primi hominis inquinatos. Verùm hoc non tibi tribuerim, sed Interpreti, quamquam in aliis Codicibus eamdem interpretationem habentibus, non* peccato, *sed* peccatis *legatur. Unde miror si non aliquis ex numero vestro singularem maluit numerum scribere, ut illud acciperetur unum, unde dicit Apostolus;*

„ *ftolut* : Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. *Ibi quippe unum, nonnisi unum delictum vult intelligi : quo nolentes credi parvulos inquinatos, non eos peccata non habere, quod ait Joannes, ne intelligerentur propria : vel*, peccatis, *sicut habet in aliis Codicibus eadem interpretatio, sed peccato non inquinatos dicere maluisti, ut unum primi hominis peccatum veniret in mentem. Sed suspicionibus non agamus ; & hic vel scriptoris error, vel varietas putetur interpretis. Ego ipsa verba Græca quæ à Joanne dicta sunt, ponam* διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. *Quod est Latinè* : Ideò & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes. *Vides certè non ab eo dictum esse* , Parvulos non coinquinatos esse peccato, sive peccatis ; *sed*, Non habere peccata : *Intellige propria, & nulla contentio est. At inquiet, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? vobis nondum litigantibus, securiùs loquebatur.* Tandem S. Joannis Chrysostomi consonam cæteris Patribus de peccato originali sententiam demonstrat insignis locus ex eadem Homilia ad Neophytos, inter probationes Propositionis descriptus.

Objicies ejusdem S. Chrysostomi verba Homilia 2. in Epistolam ad Romanos. *Ac videtur quidem*, inquit, *quæstionem non pusillam habere quod dictum est. Sed si quis accuratè attenderit, & hoc quoque perfacilè solvetur. Quænam igitur quæstio fuerit? Dicere videlicet, multos ob unius inobedientiam peccatores extitisse. Illo enim peccante ac mortali effecto, & qui ex eo orti sint, eos tales esse, nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id verò quam (obsecro) congruentiam, consequentiamque habeat? Invenietur enim nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit, siquidem non ex se ipse peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum hoc, peccatores, significat? Mihi videtur tantumdem significare, quantum illud, supplicio obnoxii, ac mortis rei.*

Respondeo, Hunc S. Chrysostomi locum perperam adduci velut originali peccato contrarium, cùm objectionem Judæorum ab Apostolo confutatam contineat potiùs, quàm S. Joannis Chrysostomi sententiam. Scilicet adversùs Judæos S. Paulus probat Christi justitiam in omnes homines derivari, & per ejus obedientiam multos justos constitui. Id verò quia capere non poterant, illustrat Adami exemplo, cujus delicto multi mortui sunt, & illius inobedientiâ peccatores constituti. Circa hunc Apostoli locum quæstionem moveri posse gravissimam Chrysostomus ait, Quâ ratione unius inobedientiâ alii constitui possint peccatores? Id enim rationi planè repugnans videri. Respondet, Apostolum cùm per inobedientiam unius hominis multos dixit constitutos peccatores, peccatorum nomine intellexisse supplicio obnoxios ac mortis reos. Evidentius autem erat mortis debitum ex Adami peccato ab omnibus hominibus contractum. Unde in eo stetisse Apostolum ait S. Chrysostomus, nec de causa istius debiti, scilicet de peccato ibi locutum, de quo antea disertam satis mentionem fecerat, quia id non erat necesse ad refellendos Judæos. S. Chrysostomum audiamus. *Quod autem*, inquit, *in quæstionem cadit, est. Quâ id de causa factum est? Sed nondum hoc addit. Neque enim ipsi ad præsens conducit. Nam adversum Judæum constituta pugna est, ambigentem ac deridentem quam per unum justitiam factam esse vult. Idcircò cùm ostendit & supplicium ex uno in omnes derivatum fuisse, quâ id de causa acciderit, nondum addidit. Neque enim supervacaneus est, sed ea tantum persequitur, quæ necessaria sunt. Hoc enim jam non ipsum magis quàm Judæum cogebat certaminum lex dicere. Quapropter insolutum relinquit.* Cæterùm quòd verba S. Joannis Chrysostomi in argumento laudata objectionem potiùs quàm assertionem contineant, eorum series satis ostendit, & ista Propositio : *Invenietur enim sic nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit, siquidem non ex se ipse peccator extiterit.* Sanctum porrò Chrysostomum agnovisse in hominibus universis variarum pœnarum, ac mortis debitum, nemo negaverit. Siquidem ait ibidem, hoc verbum, peccatores, idem significare ac supplicio obnoxios, mortisque reos. Perperam itaque Hæretici sibi fingunt, verba in objectione laudata propriam S. Chrysostomi mentem continere. Perperam colligunt illum originale peccatum ibi negasse : quod tam perspicuis verbis asseruit ; ut cæcutire eum oporteat, qui id non viderit. Relegantur insignia ejus testimonia ex hac ipsa Homilia X. in Epistolam ad Romanos superiùs à nobis descripta inter probationes Propositionis.

Objicies verba S. Joannis Chrysostomi Homilia 39. in Epistolam 1. ad Corinthios exponentis illam Apostoli sententiam : *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Quam expendens S. Chrysostomus ait : *Quid? Omnesne, dic quæso, mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodò ergo Noe justus in generatione sua? Quomodò Abraham? Quomodò Job? Quomodò alii omnes? Quid verò, Dic rogo, omnesne vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt qui abducuntur in gehennam? Nam si hoc quidem dictum est, de corpore, stat quod dicitur. Sin autem de justitia & de peccato, nequaquam.* In ea itaque sententia fuit S. Chrysostomus, non omnes in Adam esse mortuos morte peccati, sicut nec omnes vivificantur in Christo, cùm multi damnentur.

Respondeo, Sensum S. Chrysostomi esse, quòd omnes mortui non sint in Adam morte peccati, in qua æternùm mansuri essent, & à qua nusquam essent liberandi : alioqui nemo justus fuisset. Non autem negat mortuos esse in Adamo morte peccati, à qua plures Christi beneficio liberati sint, atque novam in vitam geniti. Quod autem de vita duntaxat corporis intelligi vult illam Apostoli sententiam, *In Christo omnes vivificabuntur*, probabile est ; nec aliquid Catholicæ contrarium veritati inde potest extundi. Hunc esse S. Chrysostomi sensum, ex ipsius instituto exploratum est. Refellit namque Manichæos, qui de spiritali resurrectione seu liberatione à peccato exponebant, quæcumque Apostolus ad Corinthios scribens, de resurrectione edisserit. Hoc, inquam, Manichæorum commentum refellit S. Chrysostomus ratione multiplici. Prima est, quòd Apostolus eam resurrectionem Corinthiis probare satagit ac persuadere, de qua ipsi dubitabant. At Corinthii non dubitabant de remissione peccatorum, sed de resurrectione corporum. Secunda, quòd ne Christus quidem surrexit, si mortui non resurgunt. Inanis autem & inepta hæc esset illatio, si de resurrectione à peccato ageretur. Non enim consequens est Christum obnoxium esse peccato, si ipsi obnoxii sint homines. Tertia ratio petitur ex illis verbis : *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Quæ evidenter ostendunt, Apostolum de resurrectione corporum agere. Cùm enim immortalis sit anima & perfecta atque consummatâ beatitudine donanda non sit absque corporis consortio, nullum in futuro sæculo præmium homini toti sperandum esset. Quarta ratio est, quia vita & resurrectio per Christum, sicut mors per Adam : At non omnes mortui sunt in Adam morte peccati à qua per Christum liberandi sint. Justi enim quotquot fuerunt, ut Noë, Abraham, Job, cæterique omnes, & qui sunt, vel futuri sunt aliquando, liberati sunt à morte peccati ex Adamo contracta, cùm justificati fuerunt per fidem Christi, & per Sacramenta legis naturæ, Mosaïcæ, vel Evangelicæ :

gelicæ : & tamen eos resurrecturos Apostolus docet. Igitur de resurrectione ad vitam perennem intelligendus est.

Objicies rursus verba S. Joannis Chrysostomi *Homilia 24. in Epistolam ad Ephesios* dicentis : *In corpus quidem nostrum cadit corruptio, sed in animam non cadit. Num autem ipsam quoque corrumpimus? Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post Lavacrum, potest etiam animam corrumpere, & efficere ut facile capi possit à verme immortali.* Ex quibus verbis colligitur istud discrimen inter primi hominis peccatum, & ea quæ perpetramus, quòd illud soli corpori, hæc verò etiam animæ mortem inferant.

Respondeo, S. Joannis Chrysostomi antithesim eo in loco hanc esse, quòd mors corporis ex primo peccato ortum habet, etiamsi per baptismum remissum sit : mors autem animæ in regeneratis, jam ex illo primo peccato non oritur, sed ex iis quæ propria voluntate & actione admittimus. Unde nihil ex his verbis contra fidem originalis peccati colligi potest.

Theodoretus Catholico dogmati de peccato originali minimè contrarius.

Objicies auctoritatem Theodoreti, qui mortis debitum in omnes homines ab Adamo transfusum fuisse agnoscit, non verò peccatum. Exponens enim caput 5. Epistolæ ad Romanos hæc habet. *Dicit itaque divinus Apostolus, quòd cùm Adam peccasset, mortalisque propter peccatum factus esset, utrumque ad genus permanavit. Ad omnes enim homines mors pervasit, quatenùs omnes peccaverunt. Non enim propter primi Parentis peccatum, sed propter suum, unusquisque mortis decretum suscipit.*

Et in Psalmum L. ait, Peccati naturalem vim non esse, proindeque nuptias non esse accusandas. Et primos parentes in pœnam peccati mortales factos genuisse filios pariter mortales & perturbationibus obnoxios dicit : genuisse peccatores non dicit. En Theodoreti verba. *Olim, ait, & à principio peccatum in naturam imperium obtinuit : quia mandati transgressio Evæ concessionem præcessit. Post transgressionem enim, divinamque sententiam, & paradisi privationem, cognovit Adam uxorem suam Evam, & cùm concepisset, peperit Cain. Hoc igitur vult dicere. Quòd cùm peccatum majores nostros invasisset, viam quamdam & tramitem per progeniem effecit. Hoc & beatus ait*

Rom. 5.

Paulus, Quoniam enim per hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt. Hoc etiam universorum Deus admirabili

Genes. 7.

Noe dixit : Mentem hominis in malum ab adolescentia sua omnibus diebus vehementer vergere. Cæterùm per hæc omnia discimus non peccati naturalem vim esse : nam si ita se haberet, à supplicio liberi essemus : sed naturam ad peccatum esse proclivem, ab affectionibus turbatam ; vincit tamen ratio laborum auxilio subnixa. Non igitur, ut quidam suspicati sunt, nuptias accusat, & matrimonium iniquitatem vocat, sicut nonnulli stultè putarunt, sic illud intelligentes : In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. *Sed transgressionem principiò à primis parentibus patratam in medium profert, & illam harum undarum fontem fuisse dicit. Si enim illi, inquit, non peccassent, pœnam peccati mortem non accepissent. Si autem mortales non essent, corruptione superiores fuissent, & cum incorruptione conjuncta omninò perturbationum vacuitas foret. Si autem non essent perturbationes, peccatum locum non haberet. Sed quoniam peccaverunt, interitui traditi sunt : mortales verò facti, tales procrearunt filios : talesque illos concupiscentia & timores, & voluptates & mœrores, & ira, & invidia secuta sunt.*

Respondeo, prioris loci sensum esse, homines non propter primi parentis peccatum extrinsecùs duntaxat imputatum : sed propter suum, id est, propter peccatum ab Adamo traductum, quod carnali propagatione uniuscujusque proprium evadit, mortis decreto subjacere. Non enim propter actualia peccata homines omnes mori dixit. Theodoretus, cùm infantes nullo propriæ actionis teneri peccato certum ipsi esset. Cùm itaque & peccatum, & mortis debitum ab Adamo ad totum genus pervasisse asserat, & in omnes homines mortem pertransisse, quatenùs omnes peccaverunt, peccatum originale agnovit.

Alterius verò loci ex Interpretatione in Psalmum L. sensus est, vim peccati ex natura non oriri, id est, naturam ad peccatum non impellere, adeò ut necessitate peccemus, nec abstinere possimus à peccato. Sed originale peccatum non negat, imò indicat satis eò loci, cùm naturam ad peccatum proclivem, & perturbationum morbis obnoxiam asserit. Illa enim propensio ad peccatum, illæ perturbationes naturæ à Deo institutæ convenire non possunt, sed peccato violatæ ; itaque ex Protoparentum peccato, velut ex fonte derivantur. Nec propterea nuptiæ accusandæ sunt, quia nuptiarum usus peccati in filios transmissi causa non est, sed libido, quâ peccatum Adami cum natura propagatur. Cæterùm quòd Theodoretus de peccato originali idem senserit quod Catholica credit ac docet Ecclesia, constat ex lib. 5. Hæreticarum Fabularum, seu Divinorum Decretorum Epitome, cap. XI. *Superat*, inquit, *benignitatis munificentia justitiam. Justitia namque decretum, cùm unus peccasset, universum genus morti tradidit : divina autem misericordia, cùm omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent irretiti, per unius justitiam dedit omnibus salutem.* Et infrà : *Cùm sic ostendisset unius justitiam communis peccati remedium extitisse, ostendit per ipsum mortis quoque peractam destructionem.* Et infrà : *Salvamur, non lege, sed misericordiâ Dei salutem adipiscentes. Lex enim justitia omnes ad supplicium ducebat. Omnes enim peccatores constituti sumus. Si enim cùm unus peccasset, condemnatum est genus, multò itaque justius erat, eos qui peccato subditi erant, supplicium subire.* Qui agnoscit primi hominis peccato factum ut omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent irretiti, & communi peccato vulnerati, cujus remedium extitit Christi justitia : is certè peccatum ex Adamo omnes homines trahere profitetur.

Contra. Fateri videtur Theodoretus mortem nonnisi ex peccatis actualibus, aut ex natura Adami per illius peccatum mortali facta prodire, & Adami posteros non esse illius peccati participes. In eo enim Eranistes & Orthodoxus conveniunt in Dialogo III. Theodoreti, qui *Impassibilis* inscribitur. Orthodoxus : *Tibi autem quomodò justum esse videtur (cùm Adamus præceptum violaverit) subsequi posteros progenitorem?* Eranistes : *Etiamsi peccati illius progenies particeps non fuit, tamen alia peccata perpetravit, & ob hanc causam mortem subiit.* Orthodoxus : *At non soli peccatores, sed etiam justi, & Prophetæ, & Apostoli, qui variis virtutum generibus illustres fuerunt, in mortis laqueos inciderunt.* Eranistes : *Quomodò fieri potuit ut immortales permanerent, qui ex mortalibus parentibus orti fuerant? Nam Adam post transgressionem & divinam sententiam mortis imperio subditus uxorem cognovit, & pater appellatus est, mortalis autem cùm esset, mortalium pater factus est. Jure igitur omnes qui mortalem sortiti sunt naturam, progenitorem sequuntur.* Orthodoxus : *Optimè nobis ostendisti causam cur mortis sumus participes.* Eranistes sive Eutychianus Hæreticus posteros Adami duabus de causis nasci mortales ait. Prima est, quia licet posteri Adami non sint peccati illius participes, alia tamen peccata perpetrant. Secunda, quia generavit Adam mortalis factus, adeòque mortales. Has rationes probat Orthodoxus : alias itaque mortalitatis nostræ causas non agnoscit, ac proinde nec originale peccatum.

Respondeo,

Respondeo, Etanistem noo negate peccatum originale: quâ enim tatione omnes homines nasci mortales ait, utpote mortalis Adami filios; eadem ratione omnes nasci peccatores agooscit, ceu ex patre peccatore progenitos. Orthodoxus verò cùm in eodem Dialogo adversùs Eutychianos ostendat Christum impatibilem fuisse secundùm Divinitatem, patibilem verò secundùm humanitatem; Naturam humanam à Verbo assumptam nihilominùs, immunem ab omni peccato fuisse demonstrat, adeòque morti minimè obnoxiam, si mortis causa spectetur, quæ peccatum est; propterea Christum corpus suum post triduum suscitasse, quippe quod à morte injustè detineretur. Non eamdem verò esse justorum sortem, quibus Christus liberationem in novissimo duntaxat die promisit. Christi ergo ab omni peccato liberi corpus mors iniquè rapuit, hominum verò cæterorum corpora jure sibi vendicat, quia peccatores nascuntur. Orthodoxus: *Quibus armis usus ab initio Diabolus in servitutem redegit hominum naturam?* Eranistes: *Per peccatum captivum abduxit eum, qui civis paradisi fuerat constitutus.* Orthodoxus: *Præcepti verò transgressioni quam pœnam constituit Deus?* Eranistes: *Mortem.* Orthodoxus: *Ergo mortis quidem mater est culpa, hujus verò pater Diabolus.* Eranistes: *Verum est.* Orthodoxus: *A peccato igitur oppugnabatur hominum natura. Hoc enim in servitutem redigens obsequentes, & ad pessimum patrem adducebat, & acerbissima proli transmittebat.* Eranistes: *Patet.* Orthodoxus: *Jure ergo utramque potentiam delere valens Creator, ab his oppugnatam suscepit naturam, quam ab omni peccato conservans immunem, & à Diaboli tyrannide liberam præstitit, & per eam Diaboli destruxit Imperium. Cùm enim eorum qui peccarant pœna mors esset, corpus verò dominicum peccati labem non habens contra legem divinam mors rapuisset, suscitavit primùm quidem quòd injustè detinebatur, deinde aliis etiam justè detentis liberationem promisit.*

Objicies ejusdem Theodoreti verba libro 5. Hæreticarum Fabularum cap. 18. *Non enim*, inquit, *ut amentes putant Messaliani, novaculam tantum imitatur Baptismus, præcedentia auferens peccata. Hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hoc solum opus erat Baptismatis, quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt? Non enim hoc solum pollicetur Sacramentum; sed his majora & perfectiora. Est enim arrha futurorum bonorum, & typus futuræ Resurrectionis, & Dominicæ Passionis communicatio, & Dominicæ Resurrectionis participatio, & pallium salutaris, & tunica lætitiæ, & stola luminosa, vel potiùs lux ipsa.* Infantes peccatum non gustasse asserit Theodoretus: ob idque inutile ipsis fore baptisma, si novaculæ instar præcedentia peccata tantùm auferat. At si peccato originali inquinatos infantes Theodoretus agnovisset, falsa esset hæc ejus illatio: Potuissent enim ipsi respondere Messaliani contra quos agebat, vel alii pro ipsis, Baptismum infantibus ad originalis peccati remissionem conferri.

Respondeo, Theodoretum, cùm ait, *Infantes peccatum nondum gustasse*, de peccato loqui, quod propria voluntate & actione committitur, non de originali. Id & vox ipsa, *gustare*, significat: propriam enim exerit actionem qui gustat aliquid. Et Messaliani, quos refellit, Baptismati vim expungendi peccatum originale non tribuebant: sed solam orationem asserebant posse dæmonem in unoquoque homine à nativitate inhabitantem, eumque ad malas actiones incitantem abigere, & peccati radicem funditus evellere, ut Theodoretus ipse refert *lib. 4. Hæreticarum Fabularum. cap. XI.* Quamobrem Baptisma id unum adultis conferre effutiebant, ut priùs perpetrata ab ipsis peccata raderentur, [illegible]. Cæterùm eorum stirpem & radicem baptismate non auferri, sed oratione solâ. Rectè igitur contra ipsos argumentatur Theodoretus ex Baptismo infantium, qui cùm actualia peccata non admiserint, ab Ecclesia baptizantur.

Objici possunt verba quædam Hilarii Sardi ex Commentario cap. 5. Epistolæ ad Romanos. Sed hæc exposuimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ IV. Sæculi, cap. 5. Art. 14. ubi de ipsius Operibus egimus.

Optati Milevitani locus explicatur.

Objicies locum Optati Milevitani lib. VII. adversùs Parmenianum dicentis: *Quamvis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula transmissa: tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum Patribus vestris, secundùm judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam dicens: Anima Patris mea est, & anima filii mea est. Anima quæ peccat, sola punietur. Quæ res jam & antiquis sæculis in ipsis natalibus mundi comprobata est: num non pertinuit ad Seth filium Adæ Patris admissum.*

Respondeo primò: Septimum librum contra Parmenianum esse dubium Optati Milevitani fœtum, ut ostendimus *In Synopsi Sæculi IV.* ubi de ejus Operibus actum est.

Respondeo secundò: Non pertinuisse ad Seth peccatum Adami quatenùs personale peccatum erat, sed quatenùs erat peccatum naturæ in Adamo totius generis humani capite corruptæ. Peccato Adami Seth non est constitutus actu, & proprio opere ac reatu personali peccator, sed origine duntaxat. Alius non est Optati sensus. Hanc enim propositionem assumit ad probandum, Donatistis non imputari Majorum crimina, quos Traditores sacrorum Codicum fuisse constabat. Illa autem sacrorum librorum Traditio actuale peccatum erat. Cæterùm Optatus originale peccatum credidit cum Ecclesia tota, ut ostendunt ista ipsius verba lib. 4. *Neminem fugit quòd omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine Spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem Spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur.* Et libro 2. ait: In baptismate *Misceri cœlestia & spiritalia semina, ut sancto germine novu possit renascentium indoles procreari: ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat sæculo, renascatur spiritualiter Deo.*

Objicies Arnobii Junioris verba in Psalmum 50. ubi de Davide hæc habet: *Non enim dixit, Cum iniquitatibus, aut cum peccatis concepit me mater mea, sed*, In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis genuit me mater mea. *Dicendo enim matrem in suis iniquitatibus eum concepisse, & in peccatis sæculi peperisse, signavit quia omne peccatum corde concipitur, & ore consummatur. Hic autem qui nascitur, sententiam Adæ habet, peccatum verò suum non habet.*

Arnobius Junior, homo Pelagianus.

Respondeo, Arnobium illum Pelagianum hominem fuisse, cujus proinde hac in controversia nulla est autoritas. Pelagianum sanè est quod in Psalmum 90. exponens illum versum, *Cadent à latere tuo mille*, habet: *Latus hoc sinistrum, quod nolùit nominare, liberum arbitrium est, contra quod minor pugna laxatur: in dextra autem Dei auxilium est: & ideò priùs nominavit latus, quia in arbitrio est ut credas priùs, ut dum credideris, gratiam consequaris.* Similem Pelagiani erroris fuliginem animadvertes in Psalmos 103. 108. 120. & 126. Idem in Psalmum 91. Prædestinationis Mysterium negat. Agens namque de Jacob & Esaü, ait: *Nunquam probabis Deum per electionem personæ unum velle, recusare alium*, &c. Hunc Arnobium esse sentiunt Viri Eruditi, cujus scripta Gelasius Papa in Synodo

do Romana censoriô stigmate confixit : *Opuscula Arnobii Apocrypha.* Hanc enimverò notam celeberrimi Arnobii Præceptoris Lactantii libros VII. contra Gentes non spectate probant ex ordine quo recensetur hic Arnobius in Censura Gelasii. Cum Autoribus enim V. sæculi nominatur, scilicet cum Cassiano & Fausto, non autem ante Lactantium, cui præmittendus fuerat, Discipulo Magister, si antiquior ille Arnobius à Gelasio spectatus fuisset. Quamquam & Catholico sensu intelligi potest sententia in objectione laudata. Peccatum enim suum, id est, proprium non habet, qui nascitur; sed sententiam Adæ habet, cujus peccato constrictus est.

Objici potest locus quidam Clementis Alexandr. *lib.* 3. *Stromatum*, quô peccati originalis propagationem in Adami posteros negare videtur. Hunc, & ejus expositionem lege *Dissertatione* VIII. *In Historiam Ecclesiasticam Sæculi* II.

Tertulliani locus expositus.

Objicies locum Tertulliani, *lib. de Baptismo, cap.* 18. probantis differendum esse baptismum parvulorum, eâ inter alias ratione, quòd innocens ætas remissione peccatorum non egeat. *Itaque*, inquit, *pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior est : præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim necesse est Sponsores etiam periculo ingeri? Quia & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt : & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus; Nolite illos prohibere venire ad me. Veniant ergo dum adolescunt; veniant dum discunt, dum quò veniant docentur; fiant Christiani, cùm Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?*

Respondeo, Tertullianum innocentem parvulorum ætatem appellasse, cui ad remissionem peccatorum festinare non esset opus; quia nullum delictum proprium habent. Convenientius verò existimasse, ut ipsorum differretur baptismus ad usum usque rationis; sed tamen parvulos à nativitate recentes tunc baptizari solitos, constat ex hoc ipso Tertulliani locô. Constat ex eodem, baptismo expungi delicta, & hominem in vitam æternam liberari. *Felix*, inquit, *Sacramentum aquæ nostræ : quâ abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur!* (cap. I.) Et comparans aquam Baptismi cum aquis Piscinæ Bethsaidæ, ait : *Proficiente itaque hominibus gratiâ Dei, plus aquis & Angelo accessit. Qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur : qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant : qui unum semel annô liberabant, nunc quotidie populos conservant, deletâ morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retrò ad imaginem Dei fuerat. . . . . . Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de adflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum.* Præterea, Tertullianus peccatum ab Adamo in posteros omnes propagari disertè asserit libro *de Anima*, cap. XL. *Omnis*, inquit, *anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur : tamdiù immunda, quamdiù recenseatur. Peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate.*

Denique Tertulliani sententiam de Baptismo infantium differendo, Ecclesia Africana in frequenti Concilio, cui præerat S. Cyprianus, improbavit, ut exploratum est ex ipsius Epistola ad *Fidum*, in qua ex istius Synodi sententia, ait à Baptismo neminem prohibendum, ne infantes quidem, qui recèns nati nihil peccavere, nisi quòd secundum Adam carnaliter nati, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxerunt. Itaque ad remissam peccatorum hoc ipso faciliùs accedere, quòd illis remittuntur non propria, sed aliena peccata.

Juliani [illegible] contra Originale peccatum.

Objiciebat Julianus, Nullum peccatum esse, vel esse posse, nisi esset voluntas adipiscendi vel retinendi id quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere, ex ipso S. Augustino. Voluntas autem est motus animi liberi, adeòque ejus est, qui jam per ætatem judiciô rationis uti potest : qui sicut habuit voluntatem malam, ita potuit non habere. Qui autem nascuntur, usum rationis non habent : igitur nec eligendi facultatem; ac per hoc nec voluntatem : atque his irrefutabiliter concessis, nec aliquod omninò peccatum.

Secundò. Quod admoneri non potest ut caveatur, imputari non potest ut puniatur. Nunquam autem legislator ad hanc venit amentiam, ut præceperit cuiquam; Noli ita, vel ita nasci.

Tertiò. Etsi id præciperetur, ut tamen præceptum obliget, debet esse possibile. Amittet enim autoritatem judicandi, qui modum non tenuit imperandi. A parvulis autem nullum præceptum impleri potest.

Quartò. Non potest jure imputari, quod non potest caveri : nemo autem potest cavere naturalia. Igitur nullus prorsùs habere potest de naturæ necessitate peccatum.

Quintò. Fieri non potest ut res arbitrii, studiorum, & voluntatis, conditione hominum nascatur. Peccatum autem est res arbitrii, studii, voluntatis; non potest igitur seminatione transfundi.

Sextò. Res quæ in subjecto est, sine illa re esse non potest, in qua subjecta est. Malum autem est in parente ut in subjecto. Igitur alii rei, id est proli, ad quam non pervenit, reatum non potest transmittere.

Septimò. Naturalia per accidens converti non possunt : id est, quod in parente est accidens voluntatis vitium, non potest fieri filio naturale. Sed peccatum Adæ fuit ejus ex accidente vitium : non igitur potuit innasci naturaliter filiis.

Octavò. Tametsi peccatum posset generatione propagari, à duobus tamen conjugibus baptizatis non potest. Per rerum enim naturam fieri non potest ut illud probentur tradere parentes, quô caruisse creduntur. In conjugibus autem baptizatis nullum remanet malum ex quo generentur mali : quia quicquid in eis mali erat, baptismo dimissum est.

Nonò. Si nec parenti post conversionem obsunt peccata propria, quantò magis filio ejus obesse non possunt? Nullâ enim ratione conceditur ut Deus qui propria peccata dimittit, imputet aliena.

Decimò. Hæc forma etiam in homine malo observari debuit, quæ servatur in diabolo : sed diabolus non damnatur nisi ex vitiis propriæ voluntatis : igitur nec homo.

S. Augustini Responsiones ad argumenta Juliani

Respondet ad primum S. Augustinus *lib.* I. *Operis Imperfecti contra Julianum, cap.* 103. illam peccati definitionem, quam Julianus objicit, *Ejus esse quod peccatum tantummodò est, non quod etiam pœna peccati; quia periit libertas non peccandi. Multùm errare* Julianum, *qui vel necessitatem nullam putat esse peccandi, vel eam non intelligit illius peccati esse pœnam, quòd nullâ necessitate commissum est.* Quæ ex ignorantia fiunt peccata, eadem fieri ex quadam necessitate. *Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere, facit; de quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur:* Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris. *Quid genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.* Julianum ipsum scripsisse in uno librorum suorum; *Ex affectionibus atque passionibus animi evenire hominibus affectionalem qualitatem : atque ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus,*

nibus : aut nullis omninò separetur. Quisquis ergo, inquit S. Augustinus, *eâ timiditate peccaveris, qua ab illo non potest separari, quid aliud quàm necessitate?* Peccandi consuetudinem, quâ quis premitur, necessitatem quamdam esse, quæ tamen peccatum non excusat. Ex quibus ita colligit S. Augustinus : *Cur ergo non creditis tantùm saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eô vitiaretur humana universa natura, quantùm valet nunc in homine bono secunda natura?* Id est, consuetudo.

Secundò respondet S. Augustinus *lib. 3. contra Julianum, cap. 5.* proprium cujusque peccatum sine voluntate esse non posse, peccatum verò originale sine propria voluntate esse posse. *Frustra itaque putas*, inquit, *ideò in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate quæ in eis nulla est, esse non potest. (Hoc enim rectè dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium.) Quod si nullum esset, profectò nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, sub tanta justi Dei potestate paterentur. Quod tamen & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumpsit exordium.* Et lib. 6. cap. 1. *Illud quod dicis, sine opere liberi arbitrii nullum hominis esse posse peccatum, verum esse fatemur. Non enim & hoc esset peccatum, quod originale traheretur, sine opere liberi arbitrii, quo primus homo peccavit, per quem peccatum intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit.* Nam *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes : periit Adam, & in illo omnes perierunt*, inquit S. Augustinus *lib. 5. Operis Imperfecti contra Julianum cap. 46.* Quæ Sancti Ambrosii verba sunt, ut ibidem monet. Sicut ergo Levi erat in lumbis Abraham patris sui, quando est decimatus, & ideò etiam in illo decimatus fuit, ut ratiocinatur Apostolus, *ad Hebræos 7.* ita in lumbis Adam fuerunt omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis oriundi ; adeòque Adamo peccante, & ipsi ejus voluntate peccarunt.

Ad secundum respondet S. Augustinus lib. 2. Operis Imperfecti contra Julianum cap. 77. *Non præcipitur homini quomodò nascatur ; sed præceptum est quomodo ille viveret, præceptumque violavit : à quo parente peccatum originale deducitur. Præcipitur etiam ut infans circumcidatur, damnandus nisi circumcidatur : cui tamen non solùm aliquid aliud, sed nec saltem circumcisio ipsa præcipitur, ac per hoc non præcipitur homini quomodò nascatur : Mundus tamen non esset sorde peccati nec infans cui est unius diei vita super terram.*

Ad tertium respondet S. Augustinus lib. 3. contra Julianum, cap. 18. *Illud primitus in paradiso datum possibile ac facile fuisse præceptum, quò contemptò atque violatò, omnes ex uno homine tunquam in massa originis, commune illud habere peccatum.* Isaac aliquid imperatum, quod nec possibile, nec impossibile esset, nimirùm ut octavo die circumcideretur. Qui tamen periisset, si circumcisus non fuisset. *Nec immeritò periisset, quia ex hac vita, quò per generationem damnatum damnatus intraverat, sine signo regenerationis exiisset. Aut si non est ista causa*, inquit S. Augustinus, *dic alteram. Bonus est Deus, justus est Deus : potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est : non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. Nullum morum malum octo dierum infans de propriis peccatis habebat : quare damnaretur, nisi circumcideretur, si ex origine non trahebat?*

Ad quartum respondeo, Peccatum, quod ex Adamo contrahitur, & propterea dicitur naturale, quia carnali propagatione transfusum est, in Adamo caveri potuisse : quod satis est ut ejus posteris imputetur. *Sicut enim per unius* Protoparentis *voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt* (ut ait S. Augustinus, *lib. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 5.*) Ita peccatum illud in Adamo cavere potuerunt. Plena autem possibilitas cavendi quod imputatur, ad rationem quidem istius peccati necessaria est, quod ita peccatum est, ut non sit pœna peccati : non autem ad illud quod ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati. Illud enim habendi necessitas pœna est illius peccati, quod nullâ necessitate commissum est. Tria itaque accuratè discernenda sunt, peccatum, pœna peccati, & utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati. Cùm dicitur peccatum nullum esse nisi quod caveri potest, sive, nisi à quo potest abstineri, id de primo genere duntaxat verum est, non de secundo, non de tertio. Primi generis exemplum occurrit in Adami peccato. Secundi generis, in eo malo est, quod quisque nullâ ex parte agit, sed tantummodò patitur, velut cùm pro scelere pœnas luit. Tertii generis exemplum est in peccatis quæ per ignorantiam fiunt, & in cæcitate cordis. Quis enim volens cæcus est corde, cum velit nemo cæcus esse vel corpore? Nec ad primum, nec ad secundum, sed ad tertium genus, originale peccatum pertinet. Hujus tamen origo descendit à voluntate peccantis. Verba sunt S. Augustini *lib. 1. Operis Imperfecti cap. 45.*

Ad quintum respondet S. Augustinus : Si fieri non posset, ut res arbitrii conditioni seminum misceretur, non esset unde parvulos nondum de corpore egressos, mortuos diceremus. Quia si Christus & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt : Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt. Quid à me quæris, Quô sit factum modô? cùm videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credis aliquo modo, qui de Christo, & de his pro quibus mortuus est Christus, mentiri potuit nullo modo? S. Augustini verba sunt *lib. 6. contra Julianum, cap. 9.*

Ad sextum respondet Sanctus Augustinus lib. 5. contra Julianum, cap. 14. *Rectè hoc diceres, si malum concupiscentiæ de parente non perveniret ad prolem. Cùm verò sicut sine illo nemo seminatur : ita sine illo nemo nascatur, quomodò dicis eò non pervenire quò transit? Non enim Aristoteles cujus Categorias insipienter sapis, sed Apostolus dicit : Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per omnes homines transiit. Nec sanè tibi Dialectica illa mentitur, sed tu non intelligis. Verum enim est quod ibi accepisti, Ea quæ in subjecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subjecto in quo sunt esse non posse, sicut est in subjecto corpore color aut forma ; sed afficiendo transeunt, non emigrando : quemadmodum Æthiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate, corpus quod de illis propagatur, afficiunt. Mirabilius est autem quando rerum corporalium qualitates in res corporales transeunt : & tamen fit, quando formas corporum, quas videmus, haurimus quodammodo & in memoria recondimus, & quocumque pergimus, nobiscum ferimus, nec illa recesserunt à corporibus suis, & tamen ad nos mirabili modo affectu nostris sensibus transierunt. Quô modò autem de corpore ad spiritum, eô modò transeunt de spiritu ad corpus. Nam colores virgarum, quas variavit Jacob, afficiendo transierunt in animas pecorum matrum, atque inde rursus eadem affectione transeundo apparuerunt in corporibus filiorum. Tale verò aliquid etiam in fœtibus humanis posse contingere, Soranus Medicinæ Auctor nobilissimus scribit, & exemplo confirmat Historiæ. Nam Dionysium Tyrannum narrat, eò quod ipse deformis esset, nec ta-*

les

les habere filios vellet, uxori suæ in concubitu formosam proponere solere picturam, cujus pulchritudinem concupiscendo quodammodò raperet, & in prolem quam concipiebat, afficiendo transmitteret. Sic & vitia quamvis sint in subjecto, ex parentibus tamen in filios, non quasi transmigratione de suo subjecto in subjectum alterum, quod fieri non posse, Categoriæ illæ quas legisti, verissimum ostendunt: sed, quod non intelligis, affectione & contagione pertranseunt.

Ad septimum responder S. Augustinus *lib. 6. contra Julianum, cap. 6.* Falsam esse propositionem, quia inveniuntur qui viriati aliquo casu, cum eodem vitio generant filios, fitque proli naturale, quod parenti accidens fuit. Id exemplo Fundani Carthaginensis Rhetoris confirmat, qui cùm accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreavit.

Ad octavum negatur major propositio. Nascuntur namque filii integerrimis omnibus membris, ex parentibus qui membris nonnullis sunt mutilati. Nascuntur oculari de parentibus cæcis: Falsum igitur est quòd parentes in filios ea quæ non habent, ipsi transfundere non possint. Certè si palea, quæ tantâ diligentiâ separatur à tritico, manet in fructu qui de purgato tritico nascitur; si de olea nascitur oleaster; si præputium quod per circumcisionem aufertur: manet in eis quos genuerint circumcisi; si ex Christianis non Christiani generantur: quid mirum si peccatum quod mundatur per baptismum, in eos transfundatur, quos gignunt baptizati? Siquidem *Renovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt; & filii ex parentum reliquâ vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam Sacramento spiritualis regenerationis & renovationis evadunt* (inquit Sanctus Augustinus *lib. 2. de Peccatorum Meritis, & Remissione cap. 27.*) Qui & prolatis mox exemplis, traductionem originalis peccati à parentibus, quibus in baptismo, remissum est, explicat *lib. 3. cap. 8.* & *lib. 6. contra Julianum, cap. 6. & 7.* ubi addit, etsi id nullâ ratione comprehendi possit, non tamen negandum: siquidem & in ipsa natura multa Deus occultare voluit, quorum rationem assequi non potest humana mens. Sed nullum exemplum frequentiùs inculcat, quàm oleæ producentis oleastrum. Istud eleganter urget ac luculentè lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 32. *Hæc itaque remissio peccatorum*, inquit, *quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit; qui eum teneat æterni supplicii debitorem. Hoc enim trajicit parens in prolem carnalem, quod & ipse carnaliter natus, non quod spiritualiter est renatus: quia idipsum quod carnaliter natus est, quamvis, reatu soluto, non impediat fructum ejus; tamen tanquam in semine oliva latet, etiamsi propter remissionem peccatorum nihil oleo nocet; ei scilicet vita, quâ secundùm Christum, qui est appellatus ab oleo, id est, chrismate, Justus ex fide vivit. Hoc autem quod in parente regeneratis tanquam in olea semine, sine ullo reatu, quia remissum est, tegitur, profectò in prole nondum regenerata, velut in oleastro, cum reatu habetur, donec illic etiam eadem gratiâ remittatur. Ex quo enim Adam ex olea tali, in qua nec semen erat hujusmodi, unde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est; quia tam magnum peccatum fuit, ubi magna in deterius fieret mutatio naturæ, totum genus humanum fecit oleastrum: ita ut (quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus) si quid inde in oleam gratia divina convertit, ibi vitium primæ nativitatis, quod erat originale peccatum; de carnali concupiscentia traductum & attractum, remittatur, tegatur, non imputetur: unde tamen oleaster nascatur, nisi & ipse in oleam eadem gratia renascatur.*

Et cap. XIX. *Ex hac igitur concupiscentia carnis quod nascitur, utique mundo, non Deo nascitur. Deo autem nascitur cum ex aqua & Spiritu Sancto renascitur. Hujus concupiscentiæ reatum regeneratis sola dimittit, quem generatio trahit... Ut enim quod dimissum est in parente, trahatur in prolem, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc invisibilia & infidelibus incredibilia, sed tamen vera, ut haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbustis divina providentia procuravit. Cur enim non credamus propter hoc institutum, ut ex oliva nascatur oleaster?..... Mirum est ergo quemadmodum a peccati vinculo per gratiam liberati, gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quos eodem modo oporteat liberari. Fatemur, mirum est. Sed quòd latent fœtus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quando & hoc crederetur, nisi experientia probaretur? Gignitur autem peccator actu adhuc nullus, & ortu novus, sed reatu vetus: homo à Creatore, captivus à deceptore, indigens Redemptore.*

Ad nonum respondet, S. Augustinus, lib. 2. de Peccatorum Meritis & Remissione cap. 27. quòd *Sicut parenti, per hoc quòd Spiritu natus est, propria peccata non obsunt, ita qui de illo natus est, nisi eô modò nascatur, quæ à parente tracta sunt, obsunt; quia renovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt.* Addit. lib. 1. Operis Imperfecti cap. 55. *Sic aliena esse originalia peccata propter nullum in eis nostræ voluntatis arbitrium, ut tamen, propter originis contagium, esse inveniantur & nostra.* Nec mirum videri debere, quòd *imputetur generatis parvulis injustitia primi hominis ad subeundum supplicium*: Siquidem *imputatur parvulis regeneratis justitia secundi Hominis ad obtinendum regnum cœlorum: quamvis voluntate atque opere proprio, nec illum in malo, nec istum in bono reperiantur imitati.*

Et *libr. 3. de Peccatorum Meritis & Remissione cap. 7.* ait dici non posse, *Quòd peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat: In quo omnes peccaverunt. Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquam omninò ad parvulos non pertineant: siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias; sed quicquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.* Illa igitur *Deus remittit, sed Spiritu regeneratis, non carne generatis. Imputat verò non jam aliena, sed propria: aliena quippe erant, quando hi qui ea propagata portarent, nondum erant: nunc verò carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.*

Ad decimum Respondeo, Aliena peccata Diabolo non imputari, sed propria duntaxat, quia non est natus ex uno Angelici generis capite, qui peccaverit, & quô peccante omnes Angeli peccaverint; sed à Deo creatus bonus, & cum amore casto quo illi adhæreret, relictô eô quod summè est principiô, sibi ipsi voluit fieri principium. At Deus ex uno fecit omne genus hominum. Adam caput constitutus est totius generis, Dei præpotentis decretó: posuit in ejus voluntate omnium nostrûm voluntates, quod pro summi dominii jure poterat: justitiam ipsi originalem contulit, imposuit præceptum, quod si fideliter ac religiosè servaret, illius justitiæ donum, ejusque dotes transfunderet in posteros: Si verò illud violaret, tam eximiam gratiam sibi posterisque amitteret. Adamo itaque peccante, omnes ejus posteri tam eximii doni privationem incurrerunt, & concupiscentiam quæ ex

peccato in ipso succrevit, contagiô quodam contraxerunt. Cujus in *concupiscentiæ reatu*, ut cum S. Augustino loquar, peccatum originale positum est. Quæ concupiscentia in baptisatis quidem *Manet actu, transit reatu*: manet, *Non ut non sit; sed ut non imputetur*. Sicut è contrario, actualia peccata, quamvis prætereant actu, manent tamen reatu, & in æternum permanent, nisi remittantur. *Hujus concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit.* Doctrina est à S. Augustino passim tradita, sed præcipuè *lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 19. & 25.*

Quæres, quid reatûs nomine S. Augustinus intelligat, cùm originale peccatum reatum concupiscentiæ esse asserit?

Quo sensu S. Augustinus dixerit, peccatum Originale esse reatum concupiscentiæ?

Respondeo, Ipsum, nomine reatûs, non intelligere solam obligationem ad pœnam, sed ipsam culpam, ipsam maculam, ipsum peccatum habituale, quô anima vitiata, fœdata, & rea manet, non pœnæ tantùm, sed peccati. Id constat ex *lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 16.* ubi cùm remanentis concupiscentiæ reatum ablatum esse dixisset adjicit: *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.* Idem patet ex eo quo ibidem utitur exemplo, ut probet concupiscentiæ reatum auferri. *Nam*, inquit, *si quispiam verbi gratiâ fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentiâ remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud quod amisit, jam non sit, quia cum tempore quo factum est, præteriit. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura*, &c. Non hîc de reatu pœnæ, sed culpæ sermonem esse, verba ipsa luculentiùs clamant, quàm ut indigeant expositione. Ait enim hujusmodi reatu homines constitui reos, non pœnæ, sed peccati adulterii; eoque reatu sublato, vel manente, tolli, vel manere peccatum.

Idem perspicuum est ex lib. 1. Retractationum cap. 15. *Quasi verò*, inquit, *peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu ejus implicatos, & ob hoc pœna obnoxios detineri, usquam esse potuerit nisi in voluntate: quâ voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio.* Quibus verbis reatus culpæ à reatu pœnæ evidentissimè distinguitur, ita ut prior posterioris caussa sit: *Reatu peccati implicatos, & ob hoc pœna obnoxios.*

Difficultatem movere potest quod ait Sanctus Augustinus lib. 6. contra Julianum, cap. 19. *Reatum illum peccati manere, donec remittatur, in occultis legibus Dei, quæ conscripta sunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunità, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit, cujus signo crucis consecratur unda baptismatis, ut eâ diluatur reatus tanquam in chirographo scriptus in notitia spiritalium Potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum.* Quibus verbis solam obligationem ad pœnam reatûs nomine S. Augustinus intelligere videtur.

Verùm non operosa est istius loci expositio. Etsi enim de reatu pœnæ locutus ibi videatur S. Augustinus, non sequitur quòd alium reatum non agnoverit, qui istius origo & fundamentum est, sed per reatum pœnæ tanquam vulgò notiorem, magisque intellectu facilem, rem obscuram illustrare maluit. Perfacilè enim intelligitur, post actionem peccati, pœnæ meritum superesse. Quô verò pactô peccati reatus ipsô perpetratô facinore maneat, non ita cuivis obvium est.

Præterea locus ille S. Augustini, quô de agimus, de reatu etiam culpæ intelligendus est. Nam in laudatu capite tam ipse, quàm Julianus de peccati reatu luculentissimè disserunt. Julianus enim illa S. Augustini verba quibus dixerat, *Concupiscentiam manere actu, præterire reatu*, reprehendit dicens: contrarium in peccatis habere locum; nempe ut prætereant actu, reatu verò maneant. Hoc autem eum de reatu culpæ, non pœnæ intelligere perspicuum est, siquidem ait: *Potest, donec consequatur veniam, premi impietate commissi: & manet reatus actione finitâ.* Quid est enim impietas commissi, nisi reatus culpæ quæ commissa est? Unde mox, *Reatum abscedere*, idem esse dicit, ac *liberam à profanitate videri*. Nec id reprehendit, sed potiùs probat S. Augustinus, cùm ait: *Hoc de sacrificio idolis oblato verissimè dicis. Actus est enim qui opere ipso peragitur; & non erit: & si iterum fit, alterum fit. Impietas verò ipsa quâ hæc fiunt, tamdiù manet, donec idolis renuntietur, & credatur in Deum.* Quid est porrò impietatem manere, nisi reatum culpæ manere?

Sed quia Julianus dixerat reatum illum, seu impietatem, quâ premebatur is qui idolis immolaverat, remanere in illius conscientia qui deliquit, donec dimittatur; obiter ipsum reprehendit Sanctus Augustinus; quia inde sequeretur non superesse ampliùs illum reatum, si quis peccati oblitus, nullâ ampliùs ejus conscientiâ vexaretur: cùm tamen permanere certum sit, donec remittatur. Unde concludit, eum non permanere in corpore, quia non est eorum accidentium quæ corpus afficiunt: non in animo, sive in conscientia, quia ejus memoriam delevit oblivio, sed in legibus Dei quæ scriptæ sunt in mentibus Angelorum. Hæc autem omnia de reatu culpæ rectissimè intelliguntur. Nam & ille, non minùs quàm reatus pœnæ, in Angelorum notitia scriptus manere debet; ut sciant de quibus pœna exigenda sit, nempe de illis qui culpæ rei sunt.

Aliis Pelagianorum Objectionibus respondetur.

Objiciebant undecimò Pelagiani. Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit. Per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum ingressum est?

Respondet S. Augustinus lib. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 28. *Quid quærit latentem rimam, cùm habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus; Per unius delictum, ait Apostolus: Per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quærit amplius? Quid quærit apertius? Quid quærit inculcatius?*

Objiciebant duodecimò Pelagiani. Peccatum non in carne, sed in anima sedem habet. Atqui anima non trahitur ex Adamo; aut si trahitur, non generatione, sed imitatione ab eo est: igitur neque peccatum.

Quo modo peccatum Originale traducatur in Adami posteros?

Respondet S. Augustinus, Undecumque oriatur anima, sive ex Adamo per generationem traducatur, sive à Deo recèns creata in corpus infundatur: peccatum ab Adamo generatione trahi, non imitatione. In eam magis propendebat sententiam S. Augustinus, quæ animas ex traduce fieri propugnabat, id est, ex Adami anima propagari, quia hâc in hypothesi faciliùs intelligi poterat originalis peccati transfusio: alteram verò quæ animas singulis novas creari asserebat, conciliare se non posse cum fide originalis peccati, ingenuè fatebatur. Suam tamen circa hanc difficultatem, quæ ex Scriptura sacra aut Traditione dirimi planè non poterat, sententiam suspendit: Nihil referre dicens quænam illarum opinionum eligeretur, modò peccati originalis crederetur propagatio, nec in Deum refunderetur anthorem. Id constat ex Epistola XXVIII. S. Augustini ad S. Hieronymum, quâ de gravissima illa quæstione ab ipso postulat edoceri.

Postremæ edit. 166.

Quoniam, inquit, *neque de Deo possumus dicere, quòd vel cogat animas fieri peccatrices, vel puniat innocentes: Neque negare fas nobis est, eas quæ sine*

sine Christi Sacramento de corporibus exierint, etiam parvulorum, non nisi in damnationem trahi: obsecro te, quò modò hæc opinio defenditur, quâ creduntur animæ non ex illa una primi hominis fieri omnes; sed sicut illa una ani, ita singulis singulæ. Et infrà: *Hujus igitur damnationis in parvulo causam quæro; quia neque animarum, si novæ fiunt singulis singulæ, video esse ullum in illa ætate peccatum, nec à Deo damnari aliquam credo, quam videt nullum habere omninò peccatum.* Et post. *Quæ cùm ita sint, quærenda causa est, atque reddenda, quare damnentur animæ, quæ novæ creantur singulis quibusque nascentibus, si præter Christi Sacramentum parvuli moriantur. Damnari enim eas & Sancta Scriptura, & Sancta testis est Ecclesia. Unde illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit & mea: si oppugnat, non sit & tua,....* Et rursus: *Illam verò opinionem, quòd ex una fiant omnes animæ, nec discutere volo, nisi necesse sit: atque utinam ista de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur, ut hoc necesse jam non sit.* Denique post quam ignorantiam rursus suam professus est, & multa alia similiter se nescire dixit humilis Doctor, addit: *Et hoc tolerabiliter ignorarem, nisi metuerem ne aliqua istarum opinionum contra illud quod firmissima retinemus fide, incautis obreperet mentibus. Sed antequam sciam quænam earum potiùs eligenda sit, hoc me non temerè sentire profiteor, eam quæ vera est, non adversari robustissimæ ac fundatissimæ fidei, qua Christi Ecclesia nec parvulos homines recentissimè natos à damnatione credit, nisi per gratiam nominis Christi, quam in suis Sacramentis commendavit, posse liberari.*

Postremæ edit. 167.

Et Epistola 29. de eadem ista Quæstione ad eumdem S. Hieronymum ita scribit: *Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis aptè convenit. Cùm quidam ruisset in puteum, ubi aqua erat tanta, ut eum magis exciperet ne moreretur, quam suffocaret ne loqueretur, accessit alius, & eo viso admirans ait: Quomodò huc cecidisti? At ille, Obsecro, inquit, cogita quomodò hinc me liberes, non quomodò hùc ceciderim, quæras. Ita quoniam fatemur, & Fide Catholica tenemus, de reatu peccati, tanquam de puteo, etiam parvuli infantis animam Christi gratiâ liberandam, satis est ei quòd modum, quò salva fiat, novimus; etiamsi numquam quomodò in malum illud devenerit, noverimus. Sed ideò putavi esse quærendum, ne fortè ex illis opinionibus incarnationis animæ aliquam teneamus incautiùs, quæ liberandam prorsus animam parvuli contradicat, negans eam esse in isto malo. Hoc igitur firmissimè retentò, quòd anima parvuli de reatu peccati liberanda est, nec aliò modò liberanda, nisi gratiâ Dei per Jesum Christum, si possumus ipsius etiam mali causam & originem nosse, vaniloquis non disputatoribus, sed litigatoribus, paratiùs instructiùsque resistimus. Si autem non possumus, non quia latet miseriæ principium, ideò pigrescere misericordiæ debet officium. Adversùs eos autem qui sibi videntur scire quod nesciunt, hòc tutiores sumus; quòd hanc ignorantiam nostram non ignoramus.* Legatur & caput ultimum lib. 3. ad Bonifacium, ubi quicquid de animæ origine disseratur, vel affirmetur, verum esse non posse statuit, si repugnet fidei Ecclesiæ de originali peccato.

Et *lib. 1. de Anima & ejus Origine, cap.* 19. Sententiam de novarum in dies animarum creatione tueri cuivis permittit, modò quatuor errores caveat fidei contrarios, & illam disertis Scripturæ sacræ testimoniis probet: alioqui satius esse ait ignorantiam suam profiteri. *Quicumque*, inquit, *volunt defendere, quod dicuntur animæ novæ nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquid illorum quatuor caveant omni modo, hoc est: Ne dicant à Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum. Ne dicant, Parvulos, qui sine baptismo exierunt, pervenire posse ad vitam æternam, regnumque cælorum, originali peccatò per quodlibet aliud resolutò. Ne dicant, Animas peccasse alicubi ante carnem, & hoc meritò in carnem peccatricem fuisse detrusas. Ne dicant, Peccata, quæ in eis inventa non sunt, quia præscita sunt, meritò fuisse punita. Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est: inveniant etiam Scripturarum de hac re certissima testimonia; & hanc sententiam suam non solùm me non vetante, verùm etiam favente, & gratias agente, defendant. Si autem non inveniunt certissimam de hac re autoritatem divinorum Eloquiorum, & aliquid illorum quatuor per inopiam dicere compelluntur; cohibeant se, ne per ipsam inopiam etiam parvulorum animas non habere originale peccatum, secundùm Pelagianam hæresim olim damnabilem, nuperrimèque damnatam, dicere compellantur.*

Denique *lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 4.* duos modos explicandi corruptionem animæ ex peccato originali, & istius peccati propagationem, breviter exponit. *Ut ergo*, inquit, *& anima & caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur, renascendo emendetur; profectò aut utrumque vitiatum ex homine trahitur; aut alterum in altero, tanquam in vitiato vase corrumpitur; ubi occulta justitia divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentiùs disco, quàm dico, ne audeam docere quod nescio. Hoc tamen scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, Catholica, quâ creditur & asseritur originale peccatum, non esse convicerit falsum. Ista fides non negetur, & hoc quod de anima latet, aut ex otio discitur; aut sicut alia multa in hac vita, sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est, sive in parvulis, sive in grandibus, quò anima sanetur auxiliò, quàm quò vitiata sit meritò.*

Cùm itaque jam illam opinionem omnes Theologi sequantur, quæ singulas animas in dies creari, & recèns genitis infundi corporibus asserit, secundùm eam dicendum est, animam in corpore tanquam in vitiato vase corrumpi: sicut si flos in loco fœtidô feratur, quantumvis naturâ suâ sit pulcher & elegans: vitium quoddam atque labem inde contrahit. Et sicut anima, si corpori vulnerato, vel flammis circumdato & ardenti conjungeretur, mox doleret: ita cùm infundatur corpori, in quo peccati quoddam germen est, quia ab Adamo propagatum fuit, & fit pars hominis ex Adamo progeniti, in quo ut in capite, ut in radice, ut in fonte, vitiata natura est, peccato inficitur. Adami enim posteri, ut ait S. Augustinus Sermone 36. de Verbis Apostoli, *In ramo adhuc nihil commiserunt, sed in radice perierunt...... Nihil mali habent: nisi quod de fonte traxerunt.*

Prima autem causa traductionis hujusce peccati est concupiscentia, ex S. Augustino Epistola 105. *Quasi vero*, inquit, *in baptismo concupiscentiæ carnis infirmitas continuò sanetur, sicut continuò reatus ejus aboletur: sed gratiâ renascendi, non conditione nascendi. Unde quisquis per hanc concupiscentiam etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur.* Postremæ Edit. 194.

Et lib. 5. contra Julianum, cap. 18. *Qualitas*, inquit, *affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transiit, sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu; sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Et lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 34. *Languor*, inquit, *quò benè vivendi virtus perit*, (id est concupiscentia) *non est utique natura, sed vitium: sicut certè mala in corpore valetudo non est ulla substantia vel natura; sed vitium: Et licet non semper, tamen plerumque malæ valetudines parentum ingenerantur quodammodo & apparent in corporibus filiorum.* Quod explicat, *lib. 2. Operis Imperfecti contra Julianum*, exemplo podagræ, quam subinde filii hæreditario jure ex parentibus

trabunt. *Si quis intemperantiâ, sibi podagram faciat, eamque transmittat in filios, quod sæpe contingit, nonne rectè dicitur in eos illud vitium de parente transiisse: Ipsos quoque hoc in parente fecisse? Quoniam quando ipse fecit, in illo fuerunt: fecerunt ergo non actione hominum, sed ratione jam seminum. Quod ergo aliquoties invenitur in corporis morbis: hoc in illo primi Genitoris antiquo magnoque peccato, quo natura humana universa vitiata est, factum esse noverit.*

Hinc lib. 1. *de Nuptiis & Concupiscentia*, cap. 1. ait: *Intentio hujus libri hæc est, ut quantùm nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus à bonitate nuptiarum.*

Ideò Christi conceptionem fuisse sine peccato asserit hâc unâ ratione, quia sine concupiscentia conceptus est. (lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 24.) *Ex hac concupiscentia carnis*, inquit, *tanquam filiâ peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcumque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia Virgo concepit. Propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.*

Cùm portò concupiscentiam causam esse traductionis originalis peccati asserimus ex S. Augustino, actualem non intelligimus libidinem, sed habitualem, quæ intimis innata est medullis, & naturam vitia. Quod explicat S. Thomas, Quæstione 4. de Malo Artic. 3 ad 16. *Dicendum*, inquit, *quòd libido nominat inordinatam concupiscentiam actualem. Dictum est autem quòd materiale in originali peccato est concupiscentia habitualis, quæ provenit ex hoc quòd ratio non habet virtutem totaliter vires inferiores refrænandi. Sic ergo libido actualis, quæ est in coitu, est signum concupiscentiæ habitualis, quæ materialiter se habet in originali peccato. Caussa autem quòd aliquis transmittat originale peccatum in prolem, est id quod remanet in eo de peccato originali, etiam post baptismum, scilicet concupiscentia vel fomes.*

Objiciebant XIII. Pelagiani, caussam mali esse conventionem nuptiarum: adeòque nuptias accusari posse, excusari non posse.

Respondet S. Augustinus, Falsam esse propositionem. *Nuptiæ enim institutæ sunt causa generandi, non peccandi: propter quod illa à Domino est benedictio nuptiarum: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Peccatum autem quod inde à nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum quod accidit hominibus, quorum conjunctione sunt Nuptiæ. Nam malum pudenda libidinis, & potest esse sine nuptiis, & potuerunt esse nuptiæ sine illo: ad conditionem autem corporis pertinet, non vitæ illius, sed mortis hujus, ut nunc nuptiæ non possint esse sine illo, quamvis ipsum possit esse sine illis.... Nuptiarum igitur bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorum malum bono naturali quod inde nascitur non potest excusari: quoniam natura humana quæ nascitur vel de conjugio, vel de adulterio, Dei opus est. Quæ si malum esset, non esset generanda: si malum non haberet, non esset regeneranda. Qui ergo dicit eum bonum non esse, bonum negat conditæ Creatorem. Qui verò negat ei malum inesse, misericordem vitiatæ invidet Salvatorem. Quapropter in hominibus nascentibus neque excusanda sunt adulteria per bonum, quod inde à Conditore bono creatum est; nec accusanda conjugia per malum, quod ibi à misericorde Salvatore sanandum est.* (lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 20. & 26.) Lege & lib. 3. contra Julianum, cap. 23 & 24.

Objiciebant XIV. Pelagiani. *Si peccatum ex voluntate est, mala est voluntas quæ peccatum facit: si ex natura, mala natura.*

Respondet S. Augustinus, Ex voluntate peccatum esse, etiam originale; *Quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret.* Nec sequitur malam esse naturam, si malum ex natura est. Nam & voluntas mala, quam nullum præcessit malum, unde orta est nisi ex bono? *Nec ideò tamen potuit ex bono oriri voluntas mala, quia bonum factum est à Deo Bono, sed quia de nihilo factum est, non de Deo. Quid est ergo quod dicit* Julianus: *Si natura opus est Dei, per opus Dei opus Diaboli transire non sinitur? Numne opus diaboli, quando primùm in Angelo, qui diabolus factus est, ortum est, in opere Dei ortum est? Quapropter si malum quod omninò nusquam erat, in Dei opere oriri potuit, cur malum quod alicubi jam erat, per opus Dei transire non potuit? Præsertim cùm ipso verbo utatur Apostolus dicens: Et ita in omnes homines pertransiit.*

Objiciunt Novi Pelagiani, S. Augustinum in peccati originalis doctrina fuisse Novatorem, & Ecclesiam ante ipsum credidisse peccatum Adami in ejus posteros non fuisse transmissum. S. Augustinus Novator non fuit.

Respondeo, Satis exploratum esse quàm falsa sit hæc assertio, ex veterum Patrum testimoniis, qui ante Pelagianam hæresim floruerunt & scripserunt, quorum testimonia contra Pelagianos S. Augustinus protulit, ut novam & damnandam opinionem ipsos in Ecclesiam invexisse demonstraret. Quorum insignia testimonia superiùs à nobis descripta legi possunt. His adde Commodianum, qui floruit IV. Sæculo, sub Silvestri Pontificatu: S. Paulinum, & S. Cyrillum, qui S. Augustino coævi fuerunt. Et Commodianus quidem *Instructione* 35. hæc habet.

Adam protolapsus ut Dei præcepta vitaret,
Belias tentator fuit de invidia palmæ,
Contulit & nobis seu boni, seu mali quod egit;
Dux nati nativitatis, moriuntur indeque per illum.

Et Instructione 46. Catechumenos sic alloquitur;
In Baptismo tibi genitale solox lavatur.

Sanctus verò Paulinus Nolanus Episcopus *Epistola VIII. ad Severum*, hæc habet: *Pauper ego & dolens, qui adhuc terrenæ imaginis squallore concretus sum, & plus de primo, quàm de secundo Adam carnis sensibus & terrenis actibus refero; quomodò tibi audebo me pingere, cùm cœlestis imaginis inficiator prober corruptione terrena? Utrimque me concludit pudor. Erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum: odi quod sum, & non sum quod amo. Sed quid misero mihi proderit odisse iniquitatem, & amare virtutem, cùm id potiùs agam quod odi, nec elaborem piger id potiùs agere quod amo, ipse discors, & intestino bello distrahar, dum spiritus adversus carnem, caro adversùs spiritum dimicat, & lex corporis lege peccati legem mentis impugnat? Infelix ego, qui in me venenatum inimicæ arboris gustum nec crucis ligno digessi. Durat enim mihi illud per Adam virus paternum, quo universitatem generis sui Pater prævaricatus infecit.* Hæc Paulini verba refert, laudatque, ut par est, Sanctus Augustinus, Epistola CVI. ad ipsum data. Posterum edit. 186.

Denique S. Cyrillus lib. 2. *de Adoratione in Spiritu & Veritate*, hoc fidei dogma disertè confirmat. *Nonne*, inquit, *verum esse ais, morti obnoxium factam esse hominum naturam ex maledicto illo veteri? Dictum namque adversùs non est, quòd est ipsi Adam veluti primitiis nostri generis, & supremæ radici dictum. Cùm igitur evenisset, ut ipsum generis nostri initium morti, quæ ex peccato extiterat, subjectum esset, necessariò in nos ipsos quoque hoc malum pertransivit, & unà cum radice germina quoque ex illa prodeuntia depastum est.*

Et libro 3. *Nam ex quo regnavit peccatum super omnes qui in terris versantur, cùm maximè proni sint ad*

ad mala ab adolescentia, ut scriptum est, & omnium corda diligenter incumbant ad perficiendi voluntatem, necessario mortis pœnam incurrimus.... Sed corruptam hominis naturam Autor ipse misertus est: itaque ille Unigenitus factus est homo, corpusque naturâ morti obnoxium gestavit, & caro factus est, ut morte toleratâ, quæ peccati culpâ nobis jam imminebat, destrueret peccatum, &c.

Et libro 15. *Contaminat itaque naturam adventitia corruptio, & mors, quæ invidiâ Diaboli imperium tenuit, ex radice peccati profecta. Aliâ quoque ratione illud eam contaminat, quod in carnali voluptate ferantur, qui gignuntur. Ejusmodi quiddam significare videtur etiam beatus David, cùm psallit ac dicit: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Impura est igitur natura, ut quæ in transgressione & maledictione, præter id quod Deo placebat, corruptioni fit obnoxia.* Obmutescant igitur novi Pelagiani, & effutire desinant S. Augustinum in doctrina de peccato originali fuisse Novatorem. Quàm temerè enim, quàm falsò, quam inscitè id dicant, constat ex eo quòd ante S. Augustinum idem Patres omnes docuerint, & ipsò vivente, SS. Ambrosius & Paulinus in Italia, S. Hieronymus in Palæstina, S. Cyrillus Alexandriæ, tota Ecclesia Africana, Innocentius & Zosimus Romani Pontifices, totaque Romana Ecclesia: Imò Ecclesia toto orbe diffusa, eamdem de originali peccato traderent, propugnarentque fidem, quam S. Augustinus contra Pelagianos propugnabat, Pelagiumque, Celestium, & eorum Sectatores ut Hæreticos damnarent: adeòque & prædamnarent Socinianos pestilentissimam Pelagii sobolem.

Sed etsi tacuerimus, adversùs illas pestes lapides clamabunt. Leguntur Romæ in Constantiniana Basilica carmina illa à Sixto III. edita, ejusque jussu insculpta lapidi super sacrum Fontem, ad perennem Pelagianæ hæreseos execrationem, & confutationem.

Mergere, peccator, sacrô purgande fluentô:
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Insons esse volens, isto mundare lavacrô,
Seu patriô premeris crimine, seu propriô.
Nulla renascentium est distantia, quos facit unum
Unus Fons, unus Spiritus, una Fides.

DISSERTATIO XXII.

De necessitate gratiæ Christi contra Pelagianos & Semipelagianos.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo probatur Gratiæ necessitas ad fidem, ipsumque fidei initium.

Gratiæ Christi necessitas ad fidem & hujus initium ex Scripturis sacris demonstrata.

GRatiæ Christi necessitatem ad fidem, imò ad ipsum fidei initium, hæc Scripturæ sacræ oracula in primis demonstrant. Joannis 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Et post: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* QUID EST, *ad me veniet, nisi credet in me?* (inquit S. Augustinus *lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap.* 8.) Idem confirmant sequentia Christi Servatoris verba: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.... Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* VALDE, (inquit S. Augustinus ibidem) *remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi & quomodò à Patre audierint hoc & didicerint, non videmus. Nimiùm gratia ista secreta est: gratiam verò esse quis ambigat?*

Idem demonstrant Apostoli verba 1. ad Corinthior 3. *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quô testimoniô se convictum fuisse memorat S. Augustinus, cùm fidem non esse donum Dei aliquando sentiret. *Quô præcipuè testimoniô* (inquit lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 3.) *Ipse convictus sum, cùm similiter errarem, putans fidem quâ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo.*

Et 1. ad Corinthios 7. *Misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis.* Non dixit, *Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram, sed ut fidelis essem: hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi nisi Deo miserante non posse, & esse donum Dei:* ut observat S. Augustinus lib. *de Gratia & Libero Arbitrio c.* 7.

Et ad Ephesios 2. *Gratiâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Quo testimonio rursus contra Pelagianos utitur S. Augustinus lib. & cap. mox laudatis: *Possent enim dicere*, inquit, *Ideò accepimus gratiam; quia credidimus, tanquam sibi fidem tribuentes, gratiam Deo. Propter hoc Apostolus cùm dixisset, Per fidem: & hoc, inquit, non ex vobis; sed Dei donum est. Rursus ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse, continuò subjecit: Non ex operibus, ne forte quis extollatur: Non quia negavit, aut evacuavit opera bona, cùm dicat, Deum unicuique reddere secundùm opera ejus: sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera justitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est: Justus ex fide vivit.*

Denique id demonstrat Apostolica illa sententia 2. ad Corinthios 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quo loco Pelagianos urget S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. *Attendant hic*, inquit, *& verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat priùs esse cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi priùs cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur: necesse est tamen ut omnia quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur: quamquam & ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare: non enim omnis qui cogitat, credit, cùm ideo cogitent plerique ut credant; sed cogitat omnis qui credit, credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobis ipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, quâ credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum: quod jam isti fratres* (de Semipelagianis loquitur) *sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt; unde in omni opere bono, & incipiendo, & perficiendo, sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est; quoniam fides, si non cogitetur, nulla est; & non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Probatur secundò Catholica veritas testimoniis SS. Patrum à B. Augustino laudatis lib. *de Dono Perseverantiæ, cap.* 19. scilicet S. Cypriani lib. 3. *ad Quirinum* dicentis: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.*

S. Ambrosii lib. *de Fuga sæculi*, dicentis: *Non est in potestate nostrâ cor nostrum, & nostræ cogitationes.* Et in expositione Proœmii Evangelii S. Lucæ, ad

Gratiæ Christi necessitas ad initium fidei, ex Patribus confirmata.

hæc verba, *Visum est & mihi*, hæc habet: *Potest non soli visum esse, quod sibi visum esse declarat; non enim voluntate tantùm humana visum est, sed sicut placuit ei, qui in me loquitur, Christus; qui, ut id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur: quem enim miseretur, & vocat. Et ideò qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere; Visum est & mihi: quod cùm dicit, non negat Deo visum: A Deo enim præparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur à Sancto, Dei gratia est.*

Et lib. 7. Commentarii in ejusdem Evangelistæ c. 9. loquens de Samaritanis qui Christum Jerosolyma pergentem recipere noluerunt, hæc habet: *Simul disce, quia recipi noluit ab iis, quos sciebat non simplici mente conversos. Nam, si voluisset, ex indevotis fecisset devotos. Cur autem non receperint eum, Evangelista ipse demonstrat dicens: Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem: Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit.*

S. Gregorii Nazianzeni Oratione in Pentecostem. *Unius*, inquit, *deitatis, quæso vos, confitemini Trinitatem. Si verò aliter vultis, dicite unius esse naturæ, & Deus vocem dari vobis à Sancto Spiritu deprecabitur: id est, rogabitur Deus ut permittat vobis dari vocem, quâ quod creditis, confiteri possitis..... Qui dedit quod primum est, dabit & secundum: qui dedit credere, dabit & confiteri.*

His testimoniis Semipelagianorum errorem refellit S. Augustinus, & ex iis sic colligit. *Isti tales tantique Doctores, dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur: nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras esse in potestate nostra: & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes, ut permansuri convertamur ad eum: ut id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud; ut honoremus Deum & recipiamus Christum, ut ex indevotis efficiamur devoti & religiosi, ut in ipsam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce quod credimus: hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testantur.*

S. Augustini rationibus probatur gratiæ Christi necessitas ad Fidem, ipsumque Fidei initium.

Idem Catholicæ Fidei caput S. Augustinus ratione multiplici in Scripturis sacris fundatâ luculenter probat. Prima petitur ex conditione gratiæ, quæ cùm sit gratis data, ut vel ipsum nomen sonat, cum ea pugnat quòd detur ex meritis, quod tamen statuit quisquis fidem subjicit naturæ viribus. Hanc rationem affert S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 2. *Non ergo*, inquit, *receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali Judicio Palæstinæ, sicut eadem Gesta testantur, damnare compulsus est, Gratiam Dei secundùm merita nostra dari; si non pertinet ad Dei gratiam quòd credere cœpimus; sed illud potius quòd propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiusque credamus: ac per hoc initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & si quid aliud fideliter poscimus. Sed contra hæc cur non potiùs audimus? Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo nisi ex ipso est? Neque enim, hoc excepto, ex ipso sunt cætera; sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Unde fit ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divina; ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Et infrà: *Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia jam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis: debetur enim credenti ut à Domino fides ipsa augeatur, & sit merces fidei cœptæ fides aucta: nec attenditur cùm hoc dicitur, Non secundùm gratiam, sed secundùm debitum, istam mercedem credentibus imputari.*

Secunda ratio ducitur ex ipsa fidei natura. Cùm enim sit humanæ salutis initium, fundamentum & radix justificationis: quemadmodùm salutem consequi non possumus sine gratia, ita nec sine ipsa fidem habere. Hanc rationem S. Augustinus etiam profert locô mox laudatô. *Cur autem*, inquit, *non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit, augeat, omninò non video; nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis testimoniis, quibus & fides, unde pietatis exordium, donum Dei esse monstratur; quale est illud, quòd Unicuique Deus partitus est mensuram fidei. Et illud, Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo, &c. Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse quod credit, quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi: & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.*

Rom. 12. Rom. 1.

Tertia ratio sumitur ex pollicitationibus illis divinis, quibus in sacra Scriptura promittitur fides. Quod enim promittit Deus, unus ipse præstat, nec est penes hominem: alioquin aliena ipse polliceretur, non sua; atque ut promissis staret, hominis subesset imperio. Hanc rationem exponit S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. x. *Quando*, inquit, *promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens; Patrem multarum gentium posui te: unde dicit Apostolus; Ideò ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini: non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines: quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit; non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo: quoniam quæ promisit, potens est & facere; Non ait, prædicere, non ait præscire; sed ait, potens est & facere: ac per hoc facta non aliena, sed sua. An fortè opera bona Gentium Deus promisit Abrahæ in semine ipsius, ut hoc promitteret quod ipse facit: non autem promisit fidem Gentium, quam sibi homines faciunt?* &c. *Non quidem loquitur sic Apostolus.... Sed si opera Gentium promisit, non fidem; profectò quoniam non sunt bona opera nisi ex fide (Justus enim ex fide vivit).... Nihilominùs ut impleat quod promisit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat quod, Deo non donante, ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet: hoc est, nisi habeat homo fidem ex seipso, non implet Deus quod promisit, ut opera justitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei, sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, Quoniam quæ promisit, potens est & facere. Promisit autem filios Abrahæ, quod esse non possunt, si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.*

Quarta ratio petitur ex precibus quibus à Deo fidem postulat Ecclesia in gratiam Infidelium, pro qua concessa gratias agit. Cùm itaque non petamus quæ ipsi possumus, fides non est à nobis, sed à Deo. Hanc rationem profert S. Augustinus Epistola cvii. ad Vitalem Carthaginensem. *Exerce*, inquit; *contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis ut eos Deus convertat ad fidem, & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro Fidelibus, ut in eo quod*

Posteriore Edit. 217.

esse

esse cœperunt, ejus munere perseverent, subsanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id est, Deum pro infidelibus, ut eos fideles facias, non rogare, eo quòd non sint ista divinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis. Et infrà: *Inaniter igitur & perfunctoriè potiùs quàm veraciter pro eis, ut doctrinæ tuæ adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam & perfunctoriè potiùs quàm veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit.... Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum facere credimus, quod oramus. Prorsus non gratias Deo agimus, sed agere nos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus. Absit ut quod facere Deum rogamus oribus & vocibus nostris, eum facere negemus cordibus nostris.... Et dum volumus apud homines defendere liberum arbitrium, apud Deum perdamus orationis auxilium, & gratiarum actionem non habeamus veram, dum veram non agnoscimus gratiam.* Et ad finem Epistolæ: *Ideò Deus per orationes credentium nondum credentes credere facit, ut ostendat quia ipse facit.... Hæc & alia testimonia divina, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratia suâ auferre Infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum: ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.... Loquimur autem nunc de ipsis initiis, cùm homines qui erant aversi & adversi, convertuntur ad Deum, & velle incipiunt quod nolebant, & habere fidem quam non habebant; quod ut fiat in eis, oratur pro eis, quamvis non oretur ab eis. Ipsi enim quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? Cum verò factum fuerit quod oratur, ei qui facit, aguntur gratiæ, & pro eis, & ab eis.*

Ibidem Catholicum istud dogma confirmat S. Augustinus hoc Psalmi 36. versu: *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet*: Quod dictum S. Augustinus notat, *Ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est, nisi fides recta? Illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primitus ut velimus. Non enim ait Scriptura: A Domino gressus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit: Sed diriguntur, inquit, & volet. Non igitur quia voluit, diriguntur, sed quia diriguntur, volet.*

S. Prosper gratiæ Christi ad initium Fidei necessariam defensor.

Probatur quartò Dogma Catholicum ex S. Prospero in Carmine de Ingratis, c. 17. sic canente:

Usque adeò donum est quod credimus, & data gratis
Gratia, non meritâ ditat mercede vocatos:
Nec justorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit: usque legentem
Lectus amet, non hoc studio, sed munere fiunt.
Nam si spectatrix meritorum est gratia, & illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrii sibi reperit aptos:
Insontes tantùm, justosque assumere solos
Debuit, & veri cupidos ac recta volentes.
Perversos autem, & scelerum assuetudine turpes
Deturbare procul, lucemque negare tenebris.

Et cap. 18.

Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Conseri, aut fidei meritò ad bona summa vocari,
Ceu non divino sit munere mentibus ipsa
Inspirata fides: recole innumerabile vulgus
Retrò senum, & juvenum, qui cæca turpiter usi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per cædes vitam duxere nefandam.
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso
Extremi flatus, miserantem ussè remota
Cognovere Deum, purgatorisque lavacri
Munere, nulla mali linquentes signa prioris,
Exempli mundo, mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hic numeras? Si præcedentia cernas,
Impia; si quæras post habita, nulla fuerunt.

Et cap. 19.

Si verò merito adscribis, voluisse renasci,
Nempe utero fidei parta est tam recta voluntas.
Porrò fidem quis dat nisi gratia? Sic benè velle
Gratia dat tribuendo fidem quæ credita poscat,
Quaque voluntatis meritum crescit, ipsaque solo
Nascatur spirante Deo, mentemque reformans,
De cinere algenti sopitum suscitet ignem.
Ergo voluntatis genitrix operumque creatrix
Non est ex merito: quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit.

Ecclesiæ definitio.

Eadem veritas à Concilio Arausicano definita est Canone 5. qui sic habet: *Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.* (Philipp. 1.) *Et illud: Vobis datum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* (Ibid.) *Et, Gratiâ salvi facti estis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum est.* (Ephes. 2.) *Qui enim fidem quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem; omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.*

Et Canone 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ Prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu: non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis; Sine me nihil potestis facere: & illud Apostoli, Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Concilium denique Tridentinum idem Catholicæ Fidei caput confirmavit Sessione 6. Canone 3. qui sic habet: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Semipelagianorum Objectionibus respondetur.

Objicies exemplum Cornelii, cujus orationibus & eleemosynis Deus fidem concessit; indeque colliges fidem obtineri meritis.

Respondet S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 7. quòd Cornelius, *Sine aliqua fide non donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?* Implicitam itaque (ut Scholastici vocant) fidem habebat, non explicitam. *Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus: Quamvis, nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam. Et dicitur nobis, Fides est à nobis, cætera à Domino, ad justitiæ opera pertinentia: Quasi ad ædificium non pertineat fides; quasi ad ædificium non pertineat fundamentum. Quod si imprimis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus*

miserandointus adisicet. Quidquid igitur & anteqaam in Christum crederet, & cùm credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.

Objicies testimonium S. Augustini in Expositione quarumdam Propositionum Epistolæ ad Romanos, dicentis: *Qaod credimus nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum Sanctum.*

Respondeo, hæc esse verba Augustini adhuc Semipelagiani, ut ipsemet fatetur lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 3. *Neque enim*, inquit, *fidem putabam Dei gratiâ prævenire, ac pre illam nobis daretur quod posceremus utiliter: nisi quia credere non possemus, nisi præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla Opuscula mea satis indicant; ante Episcopatum meum scripta. In quibus est illud quod commemorastis in literis vestris, ubi est expositio quarumdam Propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos.* Hunc errorem deposuit Augustinus, cùm libros ad Simplicianum jam Episcopus elaboraret, hoc Apostoli convictus testimonio: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* &c. ut ipse refert cap. 4. lib. *de Prædestinatione Sanctorum.* Denique locum Expositionis Epistolæ ad Romanos emendavit in Retractationibus, ubi hunc librum recensuit: *Deinde*, inquit, *subjunxi: Quod ergo credimus, nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum Sanctum. Profectò non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis: & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei & charitatis. Neque enim sola charitas, sed, sicut scriptum est: Charitas cum fide à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo.*

Objicies tertiò: Credere, vel non credere, est in arbitrio voluntatis humanæ. Fides itaque ex nobis est, non ex Deo.

Respondet S. Augustinus: *Credere, vel non credere est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideò ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.*

Objicies: Si fides, ipsumque fidei initium dona Dei sunt, quare non omnibus tribuuntur, cùm Deus velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?

Respondeo, Non omnibus tribui, quia vocationi non consentiunt omnes, sicque contra Dei voluntatem faciunt, quamvis eam non vincant. Sic respondet S. Augustinus lib. de Spiritu & Litera c. 33. *Vult autem Deus*, inquit, *omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quò benè vel malè utentes justissimè judicentur. Quod cùm fit, Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus misericordiam in donis contempserunt.* Et infrà ait, istam credendi voluntatem, *Non ideò tantùm divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verùm etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus: sive extrinsecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata Legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat: sive intrinsecùs, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat; neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat: profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos. Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat, verùm etiam confirmat quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti? Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem & habere, utique accipientis & habentis est. Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet; cur illi ita suadeatur ut persuadeatur: illi autem non ita: duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! &, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores.*

Objicies: Cùm dicitur, Si credideris, salvus eris: unum horum exigitur, scilicet fides, alterum offertur, scilicet æterna salus. Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei est potestate. Fides itaque in nostra potestate est.

Respondet S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 11. *Cur non utrumque in Deo est, & quod jubetur, & quod offertur? Rogatur enim ut det quod jubet. Rogant credentes ut sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis, & in suis initiis, donum Dei sit fides. Sic autem dicitur: Si credideris, salvus eris; quemadmodum dicitur: Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ut ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur: ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet ut facta carnis mortificare, non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur; quoniam exigi audimus à nobis præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato? Absit ut hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est iste error damnabilis.... Sicut ergo quamvis Dei donum sit facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quamvis & ipsa, cùm dicitur, Si credideris salvus eris, proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideò enim hæc & nobis præcipiuntur: & dona Dei esse monstrantur: ut intelligatur quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit, Ego faciam ut faciatis.*

Hinc illa S. Augustini ad Deum oratio lib. 10. Confessionum c. 19. *Da quod jubes, & jube quod vis.* Quæ verba Pelagius Romæ, cum à quodam Episcopo fuissent commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs, penè cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit, ut refert S. ipse Augustinus lib. de Dono Perseverantiæ, c. 20. *Quid verò primitùs & maximè nobis Deus jubet, nisi ut credamus in eum? Et hoc ergo ipse dat, si benè illi dictum est, Da quod jubes.* Verba sunt S. Augustini ibidem.

Objicies: In Scriptura jubet Deus ut oremus & petamus, nostræque postulationi & desiderio se adfuturum pollicetur. *Petite*, inquit Christus Lucæ 11. *& dabitur vobis: quærite & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* A nobis igitur est quod petamus, & quæramus, & pulsemus, atque adeò si non fides ipsa tota, saltem ejus cupiditas & initium sine gratia haberi possunt. Unde & Apostolus ad Romanos c. 7. ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Respondeo, Verba Christi apud S. Lucam significare tantùm quædam esse gratiæ divinæ beneficia, quæ orationibus nostris concedenda sint; sed per-

petam

peram inde colligitur quòd nostris ea viribus petere possimus. Nam, ut ait Apostolus ad Romanos 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Id disertè explicat S. Fulgentius lib. de Incarnatione & Gratia, c. 22. *Nec unquam*, ait, *redire potest ovis errans, nisi fuerit boni Pastoris inquisitione præventa, & humeris reportata. Propterea Pastor bonus venit quærere & salvam facere ovem perditam, quæ Pastorem suum quærere non potest, priusquam ab eo quæratur: sed à quærente prævenitur ut quærat, Pastor autem frustra eam quæreret, si quæsita Pastorem ipsa quærere non posset. Sed hoc ei quærentis Pastoris bonitas donat, ut etiam ipsa quærendi Pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem ut quærat, quando illuminatur ut credat. Hoc igitur in homine divinitus agitur, cui fidem Deus infundit, ut gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat, quam amisit; & quod non poterat vitiata per culpam, incipiat poscere formata per gratiam: ac sic, operante illo Medico, qui non est opus sanis, sed malè habentibus, infirmitas expellatur, natura sanetur. Quam sanitatem poscebat qui dicebat: Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam quia peccavi.*

Apostoli verò locus unum hoc declarat, præter gratiam voluntatis, necessariam esse gratiam operis, quam luculentiùs commendat ad Philippenses 2. his verbis: *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.*

Contrà. Quâ ratione ex precibus, quas ad Deum fundimus, colligitur fidem quam à Deo poscimus, ab eo esse; eadem ratione ex præceptis & adhortationibus, quibus ad petendum & incipiendum Deus nos provocat, colligere possumus quòd nostrum sit petere & accipere: Siquidem ut Deum non rogamus ea quæ sunt à nobis, sic nec Deus imperare potest quæ sunt ab ipso.

Respondeo, Ex præceptis illis, quibus jubemur orare, colligi duntaxat posse, orationes ita esse à Deo inspirante, ut etiam sint à nobis annuentibus, consentientibus, & elicientibus. Hoc pacto cum imperio quo Deus mandat nobis ut velimus & agamus, conciliantur tum preces quibus hoc à Deo flagitamus, tum promissa quibus Deus ipse sua nobis beneficia pollicetur. Cùm enim conversio humani animi sit à Deo præveniente, & ab homine obsequente, debet eam à Deo petere homo, & ad eam hominem meritò provocat Deus. Hinc in Scriptura sacra aliquando salus hominis tota Deo tribuitur, aliquando tota homini imputatur, aliquando ad Deum simul & hominem refertur. Psalmo 84. *Converte nos Deus salutaris noster*, ait Psaltes Regius. Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, ait Deus ad populum suum verba faciens. Threnorum 5. *Converte nos Domine ad te & convertemur.* Zachariæ 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.* Ezechielis cap. 18. *Facite vobis cor novum & spiritum novum.* cap. 36. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*, &c. Psalmo 118. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Ibidem: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.* Proverbiorum 16. *Hominis est animam preparare.* Et cap. 8. secundùm Versionem LXX. Interpretum quam sequitur S. Augustinus: *Preparatur voluntas à Domino.*

Hæc disertè explicat S. Augustinus lib. de Gratia & Libero Arbitrio, c. 15. *Meminerimus*, inquit, *ipsum dicere, Facite vobis cor novum & spiritum novum, qui dicit, Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis, Quomodo ergo qui dicit, Facite vobis, hoc dicit, Dabo vobis? Quare jubet, si ipse daturus est; Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet, cùm adjuvat ut faciat cui jubet?* & cap. 14. *Nunquid ergo possumus nisi absurdissimè dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in homine præcessisse, ut avelleretur ab eo cor lapideum; quandoquidem ipsum cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem, & adversus Deum omninò inflexibilem? Ubi enim præcedit bona voluntas, jam non est utique cor lapideum.* Et cap. 16. *Certum est*, inquit, *nos mandata servare si volumus: sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantùm velimus, quantùm sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, Preparatur voluntas à Domino; de quo dictum est, A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet; de quo dictum est, Deus est qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis. Cùm dicit, Faciam ut faciatis; quid aliud dicit, nisi, Auferam à vobis cor lapideum unde non faciebatis; & dabo cor carneum unde faciatis? Et hoc quid est, nisi, Auferam cor durum unde non faciebatis, & dabo cor obediens unde faciatis?*

Et lib. 2. ad Bonifacium c. 9. *Ideò quippe scriptum est*, inquit, *Hominis est preparare cor, & à Domino responsio linguæ; quia homo preparat cor, non tamen sine adjutorio Dei qui tangit cor.* Et postea: *Quamvis nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possimus aperire: tamen nos aperimus illius adjumento, & opere nostro; implet autem illud Dominus sine opere nostro. Nam quid est preparare cor, & os aperire, nisi voluntatem parare? & tamen in iisdem literis legitur: Preparatur voluntas à Domino.* Et post: *In sententia ergo illa ubi dicitur; Aperi os, & adimplebo illud; quasi unum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum; in hac autem ubi dicitur: Ego aperiam os tuum, & instruam te: utrumque ad Dominum. Quare hoc? Nisi quia in uno istorum cooperatur homini facienti; alterum solus facit. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: Nulla verò facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo.*

Objicies; Hominem posse credere, adeòque initium saltem fidei esse ab homine.

Respondet S. Fulgentius lib. de Incarnatione & Gratia cap. 24. Non esse consequens ut omnia quæ habere nos possumus, etiam ex nobis habere possimus. Nam & caro nostra sic à Deo facta est, ut possit naturaliter vivere: hoc ipsum tamen non ex se, sed ex anima potest habere quod vivit. Sicut igitur caro ex seipsa vitam non habet, sed ab anima accipit, sic homo non potest habere fidem, nisi munere Dei donantis acceperit. Sicut etiam ut caro vivat, solius opus est animæ, ita quoque ut homo credat, solius opus est gratiæ. Ipsa S. Fulgentii verba sunt. Fidei autem non solùm perfectionem, sed initium esse à Spiritu Sancto, probat idem Pater ratione petitâ ex Incarnatione Christi, quæ nostræ regenerationis, ac spiritalis in Christo Nativitatis typus est. *Ex eodem*, inquit, *Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. Eodem igitur Spiritu Christus formatur secundùm fidem in corde uniuscujusque credentis, quò Spiritu secundùm carnem formatus est in utero Virginis.... Sicut autem non solùm priusquam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, gratiâ plena Angeli voce nuncupata est, cùm nulla ejus præcederet concipiendi Filii Dei vel cognitio, vel voluntas, ut agnosceretur ex gratiâ Dei esse tam ipsa obediens voluntas Virginis, quàm conceptio Domini Salvatoris: Sic homo priusquam credere velle inciperet, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cùm autem Christus in unoquoque formatur,*

ipse se formet, quia ipse fidem in corde uniuscujusque credentis intimat. Propterea in Epistola quæ ad Hebræos scripta est, admonemur ut aspiciamus in Autorem fidei & consummatorem Jesum: cui proculdubio sic est author fidei nostræ, cùm ipse fidem non habentibus donat, sicut est ejusdem fidei consummator, cùm eam in habentibus augendo multiplicat, & sanctâ operatione consummat.

Objicies: Si fides fit ex gratia, excusare poterunt ignorantiam, vel contumaciam, qui non credunt; quòd eis vel prædicatio, vel gratia interior ad credendum defuerit.

Posterma Edit. 194. Respondeo cum S. Augustino Epistola cv. *ad Sixtum*, quòd *Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis; sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio. Ideo autem divina Eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes, sed scientes peccant, ut secundùm judicium superbiæ suæ quò multùm confidunt de viribus propriæ voluntatis, se inexcusabiles videant, quia de ignorantia jura non habent excusationem, dum non est justitia, cui præsumebant sufficere voluntatem.*

ARTICULUS II.

Quo Gratiæ necessitas ad cujuscumque boni operis initium & consummationem demonstratur.

Dogma Catholicum ex Scripturis probatur. HOc Fidei Catholicæ dogma hæc imprimis Scripturæ sacræ oracula persuadent. Psalmo 76. *Dixi: Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et cap. 42. *Ducam cæcos in viam quam nesciunt: & in semitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta.* c. 65. *Invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, &c.* Threnorum 5. *Converte nos Domine ad te & convertemur.* Ezechielis 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Joannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.... Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* 1. ad Corinthios 12. *Deus operatur omnia in omnibus.* Ad Ephesios 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* 2. ad Corinthios 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad Philippenses 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* c. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* 1. Joannis 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Jacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.*

Concilia & Pontifices gratiæ Christi necessitatem ad boni cujuslibet operis initium & consummationem declararunt. Secundùm hæc Scripturæ sacræ oracula, Concilia & Romani Pontifices contra Pelagianos pronuntiarunt. Innocentius I. in Rescripto ad Concilium Carthaginense: *Quid*, inquit, *tam iniquum esse potest, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic se negare debere quicquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere quod natus es? Ergo eris tibi in providendo præstantior, quàm potest is esse, qui te, ut esses, effecit? Et cùm te putas ei debere quòd vivis, quomodo te non putas illi debere quod quotidianam ejus consequendo gratiam, taliter vivis?* Et post: *Adjutorio quotidiano nos egere, negare non possumus. Hoc enim, seu bene vivimus, precamur, ut melius sanctiùsque vivamus: seu prave sentientes a bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes sufficere posse, quòd liberum arbitrium, cùm nasceremur, accepimus, ultra jam à Domino nihil quæramus; id est, Autoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos abjuremus: quasi jam amplius quod dare possit non habeat, qui te in ortu tuo liberum fecit?*

Zosimus in Epistola Tractoria ad totius Christiani orbis Episcopos contra Pelagianam hæresim: *Omnia*, inquit, *bona ad Autorem suum referenda sunt unde nascuntur.* Africanum sub Zosimi Pontificatu Concilium decrevit, *Gratiâ Dei per Jesum Christum, non solum ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvari: ita ut sine illâ nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

Istius Concilii Antistites ad Zozimum rescribentes, ejusque laudantes sententiam, rursus dogma Catholicum de gratiæ ad singulos actus necessario adminiculo confirmarunt. *Illud verò*, inquiunt, *quod in literis tuis, quas ad universos curasti esse mittendas, posuisti, dicens: nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad Autorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad Fratrum & Coëpiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus: Sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse, fideliter, sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideò utique, quoniam præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda Fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, ut nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibusque ac voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Hæc Zosimi, & Africanæ Synodi testimonia vindicavit ab oblivione S. Prosper *lib. contra Collatorem cap.* x.

Inter Auctoritates præteritorum Sedis Apostolicæ Episcoporum de gratia & libero arbitrio, quæ Epistolæ Cælestini I. ad Gallos Episcopos adnexæ sunt, quarum collectionem S. Prospero Norisius, Sancto verò Leoni Romanæ Ecclesiæ tunc Diacono Quesnellius vindicant, sextum Capitulum Catholico, quod propugnamus, dogmati suffragatur. En ejus verba: *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem Doctor instituit* (Zosimus cujus Epistolam cap. præcedenti laudaverat) *qui cùm ad totius orbis Episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: Quod ergo, ait tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim ut quidquam sibi humana natura præsumat, &c.*

Cap. 6. Idipsum probat ex Ecclesiæ orationibus. *Obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus*, inquit, *quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi, &c.*

Cap. 9. Autor ille sic colligit; *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex divinâ sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium*

niam studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fides ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod volit, & velimus, & agamus, &c.

Has fidei veritates Arausicana Synodus variis Canonibus ex S. Augustini doctrina & verbis plerumque contextis stabilivit. Canone 3. *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum à non quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabant.*

Canone 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.*

Canone 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus: non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem Sancti Spiritûs in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ subjungit gratiæ adjutorium; nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et, Gratia Dei sum id quod sum.*

Canone 25. *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui priùs inspirat, ut & Baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum, cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.*

SS. Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, dogmatis Catholici defensores.

SS. Hieronymus & Augustinus hæc Fidei Catholicæ dogmata contra Pelagianos prædicarunt. Hieronymus in Epistola ad Cresiphontem cap. 3. *Velle*, inquit, *& currere meum est: sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum.... Deus semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut accipiam, & cum accepero, rursus peto. Avarus sum in accipiendo beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego in accipiendo. Quantò plus bibero, tantò plus sitio.*

Postremæ edit. 217.

Sanctus verò Augustinus Epistola CVII. ad Vitalem: *Non est igitur*, inquit, *gratia Dei in natura liberi arbitrii, & in lege atque doctrina, sicut Pelagiana perversitas desipit, sed ad singulos actus datur illius voluntate, de quo scriptum est: Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Et infrà: *Scimus gratiam Dei, nec parvulis, nec majoribus, secundùm merita nostra dari. Scimus majoribus ad singulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non solùm secundùm merita operum non dari, sed nec secundùm merita voluntatis eorum quibus datur, quod maximè apparet in parvulis. Scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur, justo Dei judicio non dari.* Quæ omnes S. Augustini propositiones ad fidem spectant, ut ipse eadem in Epistola asserit.

Et post, inter illa dogmata, quæ credenda & confitenda proponit iis qui Pelagiani suspicionem erroris à se amovere, & Catholici audire voluerint, istud proponit: *Fateatur gratiam Dei & adjutorium, etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundùm merita nostra; ut vera sit gratia, id est, gratis data.*

Et in Enchiridio ad Laurentium, cap. 32. *Quomodo*, inquit, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, à Deo præparatur? Alioquin si propterea dictum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis & misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: tanquam diceretur; Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non ergo sufficit misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis: ac per hoc si rectè dictum est; Non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non & è contrario rectè dicitur: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat ut propterea rectè dictum intelligatur: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis Eloquiis: Et misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit ut velit: volentem subsequitur; ne frustra velit.*

Lib. de Gratia Christi cap. 23. *Ergo-ne*, inquit, *ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur sine adjutorio Dei?* cap. 25. *Non solùm Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis: Non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Lege Sermonem XIII. ejusdem sancti Doctoris de Verbis Apostoli cap. X. XI. & XII. *Quotquot*, inquit, *Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Non qui secundùm carnem suam vivunt; non qui secundùm spiritum suum vivunt, non qui carnis voluptate ducuntur; non qui spiritu suo aguntur: sed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imò, & agis, & ageris. Et tunc benè agis; si à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu aliquid agis. Agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis, quando dicis: Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur... Scimus*, inquit, *idem Apostolus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si non esses operator, ille non esset cooperator.*

Psalm. 26.

Roman. 8.

Et infrà: *Neque enim templum suum sic de vobis ædificat Deus, quasi de lapidibus qui non habent motum suum: levantur, ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi: & vos tanquam lapides vivi, coædificamini in templum Dei. Ducimini, sed currite vos: ducimini, sed sequimini: quia cùm secuti fueritis, verum erit illud; Quia sine illo nihil facere potestis. Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Sanctus Prosper in Carmine de Ingratis, eandem gratiæ ad singulos actus necessitatem magnificè prædicat, cap. 37.

Et tamen in sanctos animum cùm intendimus actus;
Cum desideriis carnis mens casta repugnat:
Cùm tentatori non credimus, & per acerbas
Vexati pœnas illæso corde manemus,
Libertate agimus, sed libertate redemptâ,
Cui Deus est rector, summoque ex lumine lumen.
Vita, salus, virtus, sapientia, Gratia Christi est,

Quâ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus; tu corda moves, tu vota petentis:
Quæ dare vis, tribuis, servans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

Legendus ejusdem S. Prosperi totus liber contra Collatorem. Lege & S. Fulgentium lib. *de Incarnatione & Gratia*, cap. 20. Et lib. 1. *ad Monimum*, cap. 14. & passim lib. *de Veritate Prædestinationis & Gratiæ*. Et S. Gregorium Magnum, *Homilia 9. in Ezechielem.*

Accedit Synodi Tridentinæ Canon 3. Articulo superiore descriptus. Idem Concilium cap. 5. divinam hanc doctrinam tradit: *Ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Jesum Christum præveniente gratia, sumendum esse, hoc est, ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis, vocantur: ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippe qui & ipsam abjicere potest: neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris Literis; cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri confitemur.*

Et cap. 16. *Cùm Christus Jesus tanquam Caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minùs plenè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satis fecisse, & vitam æternam, suo etiam tempore consequendam promeruisse censeantur.*

Denique Gratiæ ad actus singulos necessitatem orationes Ecclesiæ, quæ ipsius auxilium pro nobis implorant, apertè testantur. Dominica III. post Octavas Paschæ: *Da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis*. Dominica 4. *Deus à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante, eadem faciamus.* Dominica infra Octavam Ascensionis: *Fac nos tibi semper & devotam gerere voluntatem, & Majestati tuæ sincero corde servire.* Dominica 1. post Octavam Trinitatis: *Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.* Dominica 6. *Largire nobis quæsumus Domine Spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundùm te vivere valeamus.* Dominica x. *De cujus munere venit ut tibi à Fidelibus tuis digne & laudabiliter serviatur.* Dominica 14. *Tua nos quæsumus Domine, gratia semper & præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Dominica 15. *Dirigat corda nostra tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus.* Item in Oratione quotidiana: *Actiones nostras quæsumus aspirando præveni, & adjuvando prosequere.* Certè *Non poscerentur à Deo quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur ut fierent*: (inquit S. Augustinus *lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14.*)

Objectionis solutio.

Objicies, meritis orationum gratiam tribui, adeòque non esse ad orandum necessariam.

Respondeo, Nego consequens. *Nam impetrando quidem oratio, quicquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ut homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur: verumtamen ut saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter munera gratiæ reperitur. Quid enim oremus, ait Doctor Gentium, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid est autem, interpellat, nisi interpellare nos facit?* (inquit S. Augustinus Epistola cv. ad Sixtum.)

Oratio inter munera gratiæ.

Objicies, Gratiam iis dari qui ad eam se præparant: adeòque boni operis initium, scilicet præparationem ipsam esse à nobis.

Respondeo, *Præparari voluntatem à Domino*, ut sæpiùs respondet Sanctus Augustinus. Et neminem ad gratiam se disponere sine gratia, ut docet S. Prosper in Carmine de Ingratis, cap. 25.

Hæc ut cujusquam studia, affectûque petatur,
Ipsa agit, & cunctis dux est venientibus ad se,
Perque ipsam nisi curatur, non itur ad ipsam.

Quod itaque facienti quod in se est ex viribus naturæ Deus gratiam conferat, Semipelagianum est.

Objicies; Deum fore personarum acceptorem, cùm quibusdam gratiam tribuat, non aliis, nisi quibus eam confert, ob merita, vel bonæ voluntatis initia conferat: aut totum id fato tribuendum.

Deum personarum acceptorem non esse, infantium exemplum demonstrat.

Respondeo, Nego consecutionem. Quàm enim frivola sit & inanis hæc objectio, parvulorum exemplum demonstrat, quorum alii baptismi gratiam consequuntur, quamvis ex impiis nati; alii non consequuntur, quamvis à justis progeniti: nec tamen Deus propterea personarum acceptor dici potest. Hoc exemplo Pelagianos premit S. Augustinus Epistola cv. ad Sixtum. *Verum*, inquit, *isti qui personarum acceptorem fieri existimant Deum, si in una eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios verò maneat ira ejus, nempè totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt... Quam, quæso, allaturi sunt causam, quod alius sic gubernatur, ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam Fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, expiret? An hoc fato vel fortunæ daturi sunt? ... Cur ergo in regnum cœlorum, non accepto regenerationis lavacro, parvulus nullus intrabit? Nunquid nam ipse sibi Parentes infideles vel negligentes, de quibus nasceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis, & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpè etiam religiosorum Christianorum præveniuntur, & baptismo præripiuntur infantes; cùm è contraria sacrilegorum & inimicorum Christi aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sine Sacramento regenerationis emigrent? Quid hìc dicturi sunt, qui ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ut sit personarum acceptor Deus? Quæ tandem hìc merita præcesserunt? Si eorumdem cogitaveris parvulorum, nulla sunt propria, utrisque est illa massa communis. Si parentum attenderis, bona sunt illa, quorum filii repentinis mortibus sine Christi baptismate pereunt: Mala verò illa, quorum filii per Christianorum aliquam potestatem ad Sacramenta Ecclesiæ pervenerunt. Et cur providentia Dei, quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec allâ iniquitate corrumpitur, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis etiam consulit parvulis impiorum? Iste infans de Fidelibus conjugatis ortus, lætitiâ parentum susceptus, matris, vel nutricis somnolentiâ suffocatus, fit exsors & expers fidei suorum. Ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum Christianâ solicitudine baptizatur, fit æterni consors & particeps regni. Ista cogitent,*

cogitent, ista considerent, hic audeant dicere Deum vel acceptorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum... Nimiæ vanitatis & cæcitatis sunt, si etiam his consideratis, nondum dignantur exclamare nobiscum: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?

Posterem. edit. 217.

Et Epistola cvii. ad Vitalem. *Quomodo dicitur omnes homines eam fuisse accepturos* (Gratiam) *si non illi, quibus non donatur, eam suâ voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, cùm multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem; & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, Ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repentè, antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur?*

Et lib. 6. contra Julianum cap. 14. *Deus*, inquit, *aliquando adoptat in filium, quem format in utero impurissimæ feminæ; & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero filiæ suæ. Ille quippe ad Baptismum nescio quâ provisione pervenit; iste repentinâ morte non pervenit. Atque ita Deus in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in Diaboli domicilio: & non vult esse in regno suo, quem formavit in templo suo. Aut si vult, cur non facit quod vult? Non enim, quod soletis de majoribus dicere, Deus vult, & parvulus non vult. Certè hîc ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ & veritatis profunditas?* Ex quibus liquet, Deum non fore personarum acceptorem, quamvis gratiam quibusdam tribuat præ aliis, ad quam non sunt liberi arbitrii viribus dispositi; sicut non est personarum acceptor, quamvis quibusdam parvulis Baptismum tribui velit, aliis nolit. Itaque misericordiam suam ostendit Deus in eos quibus gratiam largitur: justitiam suam in eos quibus denegat, qui vel originali peccato, vel propriis, debitum carendi gratia incurrerunt. Hanc rursus doctrinam egregiè explicat S. Augustinus lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 8. his verbis: *Sed cur*, inquis, *Gratia Dei non secundùm merita hominum datur? Respondeo, Quoniam Deus misericors est. Cur ergo*, inquit, *non omnibus? Et hîc respondeo: Quoniam Deus judex justus est: ac per hoc & gratis ab eo datur gratia: & justo ejus in aliis judicio demonstratur, quid eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque simus ingrati, quòd secundùm placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debitâ perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam apud Deum iniquitas invenitur... Recolamus illos operarios, in vinea qui totâ die laboraverunt, & eos qui horâ unâ: nempè causa diversa est impensi laboris: & tamen idem judicium in redditione mercedis. Nunquid & hîc audierunt à Patre familias, nisi hoc, Volo? Ita quippe ejus erga alios fuit largitas, ut erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem utrique in bonis sunt: veruntamen quantùm ad justitiam spectat & gratiam, potest & de reo qui liberatur rectè dici, Volo: Potest & de eo qui damnatur, Tolle quod tuum est, & vade: Hunc autem volo quod non debetur donare. An non licet mihi facere quod volo? Hic illi si dicat, Cur non & mihi? Meritò audiet: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Quem certè in uno vestrûm benignissimum largitorem, in te verò exactorem justissimum, in nullo tamen cernis injustum. Cùm enim justus esset, etiamsi utrumque puniret: qui liberatur, habet unde gratias agat: qui damnatur, non habet quod reprehendat.*

Et lib. de Peccatorum Meritis cap. 20. *Ab hac quippe ira quâ omnes sub peccato sunt, nulla res liberat, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, injusta non potest. Nunquid enim iniquitas apud Deum? Absit.*

Objicies. Qui à fide Christi alieni sunt, gratiam non habent. At illi bona interdum eliciunt opera: itaque ad singulos actus bonos Gratia Christi necessaria non est.

Primam propositionem S. Augustinus disertè docet lib. de Spiritu & Litera cap. 27. & Epistola 130. ubi continentiam Polemonis laudat, quem Xenocrates de fruge temperantiæ disputans, non solùm ebriosum, verùm etiam tunc ebrium ad mores alios repentè convertit.

Posterem. 144.

Respondeo primò, Infideles, etsi gratiam non habeant sanctificantem, habere tamen adjuvantem, cùm bona opera eliciunt. Hæc distinctio fulta videtur auctoritate S. Augustini Epistola cv. *Spiritus*, inquit, *ubi vult spirat: sed quod fatendum est, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvat, ut sint fideles; inhabitans adjuvat jam fideles.* Præterea id evincit præclarum illud S. Augustini principium lib. 1. ad Bonifacium cap. 3. *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, & lib. de Correptione & Gratia cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Itaque si infideles ipsi boni aliquid agunt, gratia Dei adjuvante id faciunt. Quamobrem & Polemonis continentiam Dei donum esse affirmat S. Augustinus Epistola 130. secundùm illud Sapientiæ 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Hanc doctrinam Ecclesia suis precibus confirmat, cùm de Spiritu Sancto canit: *Sine tuo Numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.*

Infideles nihil agunt sine gratia adjuvante. Posterem. 174.

Respondeo secundò, Infideles bona opera omnibus absoluta numeris non elicere, quia pravo fine eorum operum honestas plerumque infuscatur; & si ad rectum finem dirigantur, labem tamen aliquam ex principio suo contrahunt, propter infidelitatem operantis, quâ fit ut ad justitiam, & salutem æternam illum non promoveant. Cùm autem gratiæ necessitatem ad singulos actus bonos asserimus, de quibuscumque actibus non loquimur, sed de illis qui fiunt *sicut oportet*, ad justificationis gratiam consequendam, vel ad Deum promerendum. Hæc porrò, quam de Infidelium operibus impræsentiarum tradimus, doctrina est S. Augustini in iisipsis locis, qui in objectione laudati sunt. Ita quippe habet lib. de Spiritu & Litera: *Impiorum, nec Deum verum veraciter justèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur. Veruntamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua legis, vel sapere*, &c. Et cap. 28. *Sicut*, inquit, *non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.*

Licet omnia infidelium opera peccata non sint, labem tamen aliquam ex principio suo contrahunt: unde non sunt absolutè bona.

Epistola verò cxxx. quid Polemonis continentiæ deesset explicat, atque eam ad futuræ vitæ felicitatem nihil valuisse, quòd cum veri Dei cultu conjuncta non esset, & quòd nesciret Polemo cujus erat hoc donum: ex quo sequitur quòd illud ad verum Deum non referret. Quæ certè non levis est continentiæ

nentiæ labes. *Polemo*, inquit, *si ex luxurioso continens factus ita sciret cujus esset hoc donum, ut eum abjectis superstitionibus gentium piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens & salubriter religiosus existeret: quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm & ad futuram immortalitatem valeret.*

Lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 3. & 4. pudicitiam conjugalem in Ethnicis veri nominis virtutem esse negat. *Absit*, inquit, *pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.* Et post: *Qui non hâc intentione, hâc voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi, sed infideles parentes de infideli prole glorientur, etiamsi tanta sit observantia, ut secundùm matrimoniales tabulas nonnisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia conjugalis. Cùm enim virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent, quomodo verâ ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? Quam fornicationem sanctus ille Psalmus accusat, ubi dicit; Ecce enim qui longè se faciunt à te, peribunt: perdidisti omnem qui fornicatur abs te. Vera igitur pudicitia, sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur. Cùm enim recto judicio præferatur nuptiis sacrata virginitas: quis non sobriâ mente Christianus etiam non univiras Christianas Catholicas nuptas, non solùm Vestalibus, sed etiam hæreticis virginibus anteponat? Tantùm valet fides, de qua dicit Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est*, (Rom. 14.) *Et de qua item scriptum est ad Hebræos* (cap. 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Hunc locum adversùs Juliani cavillos propugnat S. Augustinus *lib. 4. contra Julianum cap. 3.* ubi & huic Pelagiani hominis objectioni, *Si Gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est?* Respondet: *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negaverit esse peccatum.* Et post: *Porrò si vitium est malè misereri, proculdubio vitium est infideliter misereri. Quod si & ipsa per se ipsam naturali compassione opus est bonum: etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit; qui autem malè facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui benè utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est stultâ & noxiâ faciunt voluntate.*

Et infrà: *Aut ergo intellige quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit: si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: & hunc oculum agnosce intentionem, quâ facit quisque quod facit: & per hoc disce eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum. Aut certè quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri; per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Ex quibus liquet, primò illa infidelium opera, quæ officio bona sunt, ut plurimùm fine proximo esse mala: secundò, quamvis ob finem honestum fiant, non esse absque omni labe, quia fidei bonæ intentione non fiunt. Tertiò, non esse absolutè bona opera, quæ ad æternum Dei donum regnumque non perducunt; adeòque non esse mirum quòd absque gratiâ fiant.

Contra gratiæ necessitatem ad boni operis initium aliqua objici possunt S. Joannis Chrysostomi testimonia; quæ exposuimus *In Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ* IV. *Sæculi*, ubi Sanctissimi istius Patris Opera & Doctrinam critico examine discussimus.

Quæ ex S. Justino, S. Irenæo, Clemente Alexandrino, proferri possunt contra idem fidei dogma, exposuimus etiam propriis locis *In Historia Ecclesiastica* II. *Sæculi*, in Dissertationibus de Nævis istorum Patrum. Quamobrem ab iis impræsentiarum referendis abstinemus.

Origenem Pelagianorum & Semipelagianorum errorem præformasse, probavimus Dissertatione singulari in *Historia Ecclesiastica* III. Sæculi. Ideò de illo etiam hîc tacemus.

Optatus Milevitanus duriùs locutus, nondum orta Pelagii hæresi.

Duriùs etiam locutus est Optatus Milevitanus libro 2. *Est enim*, inquit, *Christiani hominis quod bonum est velle, & in eo quod bene voluerit currere: sed homini non est datum perficere, ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo ubi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio & perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semiperfecti sumus, quia nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere.* His verbis præformatus videtur Semipelagianorum error, vixque in bonum sensum flecti possunt.

S. Hilarius minùs accuratè locutus de bonæ voluntatis initio nondum fingentibus Pelagianis.

Minùs etiam accuratè dictum videtur à S. Hilario, nondum exorta Pelagianorum Hæresi, Tractatu in Psalmum CXVIII. Litera XIV. Num. 20. *Ac ne quod à multis dici sæpe solet, rationis aliquam habeat auctoritatem, eum asserunt proprium Dei munus esse, ut quis in Dei rebus atque operibus versetur; excusantes infidelitatem suam, quod cessante erga se Dei voluntate maneant infideles: Est quidem in fide manendi à Deo munus, sed incipiendi à nobis origo est. Et voluntas nostra hoc proprium ex se habere debet ut velit: Deus incipienti incrementum dabit: Quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, Spiritus tamen adipiscendæ consummationis est ex initio nostræ voluntatis.* Ex hoc loco liquet, doctrinam hanc tunc communem fuisse, quæ omnia bona nostra Dei donaesse assereret ac crederet; hincque Infideles plurimos pertinaciæ suæ excusandæ ansam arripuisse, quòd à Deo ut fideles essent, nondum essent consecuti. Et eorum quidem excusationem improbans dum refellit S. Hilarius, minùs accuratè loquitur de bonæ voluntatis initio. Verùm duriores illæ locutiones excusandæ sunt, nec tam quid sonent verba, quam quid sibi velit Sanctus Antistes, attendendum est. Id scilicet vult unum, Gratiam Dei nostram non evertere nec impedire libertatem: quod & libro VIII. *De Trinitate*, Num 12. declarat his verbis. *Non utique* (dedit Deus voluntatem.) *quia si data esset, non haberet fides præmium, cùm fidem nobis necessitas affixa voluntatis inferret.* Cæterùm eum omnem operum nostrorum gloriam gratiæ adscribendam censuisse, & quicquid boni in nobis est, misericordiæ Dei opus esse, constat ex Tractatu in eumdem Psalmum CXVIII. Litera VI. Num. 4. ubi adversùs humanam insolentiam proponit ac laudat Prophetæ exemplum, qui *Omnia vult à bonitate Dei in se inchoari.* Et Num. 2. scribit: *Misericordiam itaque primùm deprecatus est, dehinc salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, & bonitatis suæ hoc munus in nobis est; & inde capit oratio, unde & salus inchoat deprecantis.*

Et Tractatu in Psalmum CXXII. Num. 2. *Quis enim relictus est nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo esse?..... Si non in omnibus opus est Dei misericordia, itane omnia nobis tanquam ex nostro sint, gloriemur.* Et Num. 3. *Ad hunc habitantem in nobis gaudia nostra referamus, huic si quid in nobis est debeamus, a beato Paulo edocti, nihil nostrum existimandum dicente, Quid enim habes quod non accepisti?* Et

Tractatu

Tractatu in Psalmum cxxvi. Num. 5. *Benè autem inania humani operis propheta esse opera prophetavit. Scit inutiles esse humanarum custodiarum vigilias, scit incassum esse consurgentium matutinas sollicitudines.... A Deo ergo domus est ædificanda quæ maneat; quia nisi quæ à Domino ædificata fit, non manebit. A Deo civitas est custodienda, ne pereat; quia nisi à Deo custodita sit civitas, diruetur.*

Celebre Apostoli locus de gentibus ea quæ legis sunt naturaliter facientibus explicatur.

Objiciebant Pelagiani hanc Apostoli sententiam ad Romanos 2. *Cum Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quô ex loco totam legem solis naturæ viribus impleri posse colligebant. Quod enim de legis observantia solis naturæ viribus Apostolus loquatur, ex eo liquet, quòd dicit, *Gentes naturaliter ea facere quæ legis sunt:* tum quia loquitur de Gentibus Infidelibus, & necdum ad Christum conversis. Nam de Fidelibus dici non potest quòd legem non habeant. Fideles siquidem omnes Christi legem Baptismo & Fidei Christianæ professione recepere. Unde & Apostolus 1. *ad Corinthios* 9. ait, se non esse sine lege; eo quòd in lege sit Christi.

Sustentari potest hæc objectio auctoritate Sancti Joannis Chrysostomi *Homilia v. in Epistolam ad Romanos*, ubi laudatam Apostoli sententiam exponit de Gentibus, quæ Christi adventum & gratiæ Evangelicæ tempus antecesserunt, ac de observatione totius legis naturalis: ait enim eas naturæ legi morem gerentes, ea omnia quæ ad pietatem conferrent observasse.

Accedit S. Hieronymi auctoritas in caput Ezechielis 29. hunc locum Apostoli ad infideles manifestè referentis.

Respondeo, Hanc Apostoli sententiam de Gentibus ad Christum conversis, ejusque fide saltem implicitâ imbutis, esse intelligendam. Id probat ejus institutum: vult enim docere, quod cap. 3. colligit, sine fide Christi, omnes tam Judæos, quàm Græcos, *sub peccato esse, omnes declinavisse, simul inutiles factos esse, nec esse timorem Dei ante oculos eorum*, &c. Id etiam ex toto Apostoli contextu cap. 2. compertum est. Eâ enim de legis observatione agit, quâ homo justificatur, & gloriam consequitur apud Deum, vitamque promeretur æternam: Quod hæ sententiæ demonstrant: *Factores legis justificabuntur.. Gloria & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco.... Qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Certissimè autem constat ex Apostoli Theologia, neminem solis naturæ viribus & sine fide Christi justificari posse, gloriam apud Deum consequi, & vitam æternam promereri: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum* (inquit ipse *cap.* 4.) Hæc expositio ex consequentibus ejusdem capitis confirmatur. Quem enim dixerat: Naturaliter ea facere quæ legis sunt, vocat *Judæum in abscondito.* Et justitiam ejus, *Circumcisionem cordis, in Spiritu, non litera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Quæ omnia de Gentibus à Christo alienis, & de eorum operibus atque justitiâ asserere, Apostoli doctrinæ contrarium est. Fatendum itaque S. Paulum loqui de lege implenda, non ab Ethnicis, sed à Fidelibus, & per fidem, & proinde non absque auxilio gratiæ Christi, cujus primus effectus est fides. Ita hunc locum interpretatur S. Augustinus libro de Spiritu & Litera, cap. 26. *Si Evangelium*, inquit, *virtus Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm & Græco... Iste autem Græcus nomine Gentium significatus est naturaliter quæ legis sunt facientium, & qui scriptum habent opus legis in cordibus suis: Profectò ad Evangelium pertinent Gentes, quibus lex in cordibus scripta est. Eis quippe credentibus, virtus Dei est in salutem. Quibus autem Gentibus benè operantibus gloriam & honorem, pacemque promitteret, extra Evangelii gratiam constitutis?* &c.

Nec obstat, quòd Apostolus Gentes, de quibus agit, dicat, *naturaliter*, seu *naturâ*, ut habet Græcus textus, *ea, quæ legis sunt, facere.* Nec enim ibi naturam opponit gratiæ, sed legi scriptæ, quæ Judæis data fuerat à Deo. Naturam autem intelligas reparatam per gratiam. Sic interpretatur S. Augustinus cap. 27. ejusdem libri. *Nec moveat*, inquit, *quòd naturaliter eos dixit, quæ legis sunt, facere, non Spiritu Dei, non fide, non gratiâ. Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia propter quam Deo dicitur: Miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. Proinde naturaliter homines, quæ legis sunt, faciunt. Qui enim hoc non faciunt, vitiosè faciunt. Quô vitiô lex Dei est deleta de cordibus: ac per hoc, vitiô sanatô, cùm illic scribitur, fiunt, quæ legis sunt, naturaliter: Non quòd per naturam negata sit gratia; sed potiùs per gratiam reparata natura.*

Nec obstat secundò, quòd Gentes ad Christum conversæ, non sine lege sint, cùm legi Christi sint subditæ. Legem namque dici possunt non habuisse; tum quia lex Christi non est scripta in tabulis lapideis, sicut lex Moysi, sed in tabulis cordis: tum quia præter legem naturæ, & mysteriorum fidem, pauca à Christo præcepta sunt; adeò ut lex Christi magis posita sit in Spiritu ac dono gratiæ, quâ lex impleatur, quàm in præceptis, quæ impleri jubeantur. Ita exponit S. Augustinus locô mox laudatô. *Gentes*, inquit, *commemorans naturaliter, quæ legis sunt, facientes, & scriptum habentes opus legis in cordibus, illos intelligi voluit qui credunt in Christum: quia non, sicut Judæi, præmissâ sibi lege, veniunt ad fidem: Non est cur eos conemur discernere ab iis, quibus per Prophetam Dominus promittens Testamentum Novum, dixit, Leges suas se scripturum in cordibus eorum: Quia & ipsi per insertionem, quam oleastro præstitam dicit, ad eamdem oleam, hoc est, ad eumdem Dei populum pertinent: Potiùsque concordat Prophetico etiam hoc Apostolicum testimonium, ut hoc sit pertinere ad Testamentum Novum, Legem Dei habere, non in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est, in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur, quia ex fide justificat Gentes Deus.., Ac sic tale erit hoc quod de ejusmodi gentibus dixit Apostolus, quòd opus legis scriptum habeant in cordibus suis; quale est illud ad Corinthios: Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Ita enim fiunt de domo Israel, cùm præputium eorum in circumcisionem deputatur, eò quòd justitiam legis non præcisione carnis ostendant, sed cordis charitate custodiunt: quoniam si præputium justitias legis custodiat, nonne præputium ejus*, inquit, *in circumcisionem deputabitur? Et propterea in domo veri Israel in quo dolus non est, participes sunt Testamenti Novi; quia dat Deus leges in mentem ipsorum, & in cordibus eorum scribit eas digito suo, Spiritu Sancto, quo ibi diffunditur charitas, quæ legis est plenitudo.* Eodem sensu locum Apostoli, quo de agimus, exponit *lib.* iv. *in Julianum*, *cap.* 3.

Ad auctoritatem S. Chrysostomi respondeo, ipsum non exponere laudatam Apostoli sententiam de Gentibus adhuc infidelitate detentis, sed de iis quæ extra populum Judaïcum fide unius Dei, necnon fide Mediatoris saltem implicitâ imbutæ fuerunt; ex qua, divinæ gratiæ adminiculo, impleverunt naturæ legem. En S. Chrysostomi verba: *Gentiles hic appellat, non*

eos qui idololatræ essent, sed eos qui Deum colerent, qui naturæ legi obsecuti, exceptis Judaicis cæremoniis, ea omnia quæ ad pietatem conferrent, observarent: quales erat Melchisedech cum suis omnibus, qualis erat Job, quales erant Ninivitæ, qualis erat Cornelius. Certum autem est, Melchisedech & Job non caruisse fide Mediatoris. Sed neque Ninivitæ sine implicitâ hujusmodi fide veram pœnitentiam agere, & misericordiam à Deo impetrare potuissent: ita ut eorum exemplum & Christus in Evangelio Judæis, & Ecclesia in Officio divino Christianis peccatoribus imitandum proponere non dubitarint. Cornelius etiam fidem implicitam habuit, sine quâ ejus orationes & eleemosynæ Deo nusquam acceptæ fuissent (ut diximus.)

Porrò si qui Patres laudatam Apostoli sententiam de Gentibus à Christo alienis interpretati sunt, non illi senserunt ea omnia quæ legis sunt, naturaliter ipsos fecisse, sed aliqua tantùm, qualia sunt, honorare parentes, reddere depositum, justam proferre sententiam, colere amicitias, & alia id genus faciliora: & hæc quidem quantùm ad substantiam operis, non quantùm ad modum, scilicet ex charitate. Hoc dumtaxat sensu locum Apostoli S. Hieronymus ad Gentes Christo necdum subditas extendit, ut ex ipsius contextu liquet: tum quia hypotheticè loquitur: *Si quid*, inquit, *boni egerunt*: Tum quia de Nabuchodonosore loquitur, quem in multis legem naturæ violasse, neminem latet. Hanc posteriorem interpretationem loci Apostolici S. Augustinus profert. l. *de Spiritu & Litera* c. 27. Et *lib.* IV. *contra Julianum. cap.* 3.

ARTICULUS III.

Quo Gratia Christi necessitas ad perseverandum demonstratur.

Gratiæ singularis ad perseverandum necessitas ex Scripturis sacris demonstrata

I. Istud fidei Catholicæ dogma contra Pelagianos & Semipelagianos ex Scriptura sacra invictè probatur. Psalmo 79. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ; & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Et non discedimus à te.* Quibus ex verbis sic colligit S. Augustinus lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 7. *Iste certè non est Adam primus, in quo discessimus ab eo: Sed Adam novissimus, super quem fit manus ejus, ut non discedamus ab eo. Christus enim totus cum membris suis est propter Ecclesiam; quæ est corpus ejus, plenitudo ejus. Cùm ergo fit super eum manus Dei, ut non discedamus à Deo, ad nos utique pervenit opus Dei. Hoc est enim manus Dei, quoniam opere Dei fit ut simus in Christo permanentes cùm Deo: non sicut in Adam discedentes à Deo... Manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non discedamus à Deo.* Jeremiæ 32. *Timorem meum dabo in cor eorum ut non recedant a me.* Id est, *Ut mihi perseveranter adhæreant*: ut explicat S. Augustinus *lib. de Dono Perseverantiæ* cap. 2.

Ad Philippenses. I. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Quæ verba S. Augustinus ibidem sic expendit: *Horum unum pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est esse donatum. Quod enim est initium verius Christiano, quàm credere in Christum? Quis finis melior est, quàm pati pro Christo? ... Quid autem dici potest, cur perseverantia usque in finem non donetur in Christo, cui donatur mori pro Christo?*

In eodem cap. Epistolæ ad Philippenses: *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.*

Ad Romanos 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum.* 1. Petri 5. *Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam gloriam suam, in Christo Jesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Utitur insuper S. Augustinus ad id probandum his locis: *Quid habes quod non accepisti? Quis te discernit?* Et aliis similibus, quibus totum nostrum bonum Deo acceptum fertur, atque ita & ipsa perseverantia, quæ bonorum omnium finis ac complementum est. Præterea Christus pro Electis, sancti viri pro seipsis, aut pro aliis Fidelibus Perseverantiam à Deo postularunt ferventissimis precibus: quod argumento est eam singulare Dei donum esse. *Pater Sancte* (inquit Christus Joannis 17.) *Serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi..... Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves à malo.* David Psalmo 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Et 1. Paralipomenon 29. *Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat.* Apostolus ad Thessalonicenses 2. *Dominus noster Jesus Christus, & Deus, & Pater noster... exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.*

Denique tota Oratio Dominica id evidenter demonstrat, cujus singulis petitionibus, eâ exceptâ, quæ est de remissione peccatorum, perseverantiam à Deo flagitamus. Dicimus enim: *Sanctificetur nomen tuum*, (inquit S. Cyprianus Tractatu de Oratione Dominica). *Non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit; Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum: id petimus & rogamus ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus... Hæc sanctificatio, ut in nobis permaneat, oramus; & quia Dominus & Judex noster, sanato à se & vivificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius fiat: hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus & noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.*

Cùm dicimus: *Adveniat regnum tuum, quid aliud poscimus, nisi ut veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus Sanctis?* (inquit S. Augustinus cap. 2. lib. de Dono Perseverantiæ) *Ergo & hîc qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate, quæ illis data est, perseverent?* His verbis, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*; & Justi qui faciunt voluntatem Dei, perseverantiam petunt. *Cùm enim jam facta sit in eis, cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod esse cœperunt?* (inquit S. Augustinus cap. 3. lib. mox laudati.) Quarta petitio est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* Quibus verbis & perseverantiam postulari docet S. Cyprianus. *Hunc autem panem*, inquit, *dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquô graviore delictô, dum abstenti, & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Hæc verba Sancti Hominis Dei perseverantiam prorsus à Domino Sanctos indicant poscere, quando hâc intentione dicunt, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ne à Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, quâ nullum, quô inde separari mereantur, crimen admittant (ut observat S. Augustinus cap. 4. lib. de Dono Perseverantiæ.) Denique cùm dicunt Sancti: *Ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo: Quid aliud, quàm ut in sanctitate perseverent, precantur?* (inquit S. Augustinus c. 5. ejusdem libri.) *Nam profectò concesso sibi isto Dei dono, (quod esse Dei donum, cùm ab illo poscitur, satis apertèque monstratur;) isto igitur concesso sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum est, qui non teneat usque in finem perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito. Christianitatis perseverare desi-*

stit

stit, nisi in tentationem primitus inferatur. Si igitur concedatur ei quod orat, ut non inferatur in tentationem, in sanctificatione utique, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit.

Singularis gratiæ ad perseverantiam necessitas dogma Ecclesiæ, ab Ecclesia definitum.

II. Catholicum istud dogma Pontifices & Concilia definiverunt. Innocentius I. in Epistola ad Concilium Carthaginense, ex quâ Collector Auctoritatum de gratia & libero arbitrio, quæ Epistolæ Celestini I. ad Episcopos Galliæ adnexæ sunt, probat *Neminem, etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* Concilium Arausicanum Canone x. *Adjutorium Dei etiam renatis ac Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.*

Concilium Tridentinum Sessione VI. cap. 13. *De perseverantiæ munere*, inquit, *de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit, restituere. Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.* Ex Canone XVI. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Ex Canone XXII. *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

Patrum S. Augustino anteriorum sententia de necessitate singularis gratiæ ad perseverandum.

III. Patres Augustino anteriores hanc veritatem docuerunt. S. Cyprianus jam laudatus. S. Basilius in *Liturgia* sic Sacerdotem orantem facit: *Bonos in bonitate conserva: Omnia enim potes.* S. Hilarius *lib.* 12. *de Trinitate* sic precatur: *Conserva, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & usque ad excessum spiritus mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem; ut quod in regeneratione mea Symbolo professus sum, semper obtineam.* S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem. *Agamus*, inquit, *semper gratias Largitori, sciamusque nos nihil esse, nisi quod donavit, ipse servaverit: dicente Apostolo: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* S. Ambrosius: *Non enim*, inquit, *in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes.* (Lib. de Fuga Sæculi, c. 1.) Quæ verba S. Augustinus laudat cap. 8. *de Dono Perseverantiæ.*

9. Augustini doctrina de dono perseverantiæ.

IV. S. Augustinus perseverantiam gratiæ singulari adscribendam, quæ solis Prædestinatis confe» ratur, non uno in loco asserit & probat. Lib. de Correptione & Gratia, cap. 6. *Negare quidem non possumus*, inquit, *etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus: nec esse nisi ab illo de quo scriptum est: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Sed non ideo est ejus qui non perseveraverit, negligenda correptio, ne forte det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat de diaboli laqueis. . . , Nam si dixerimus, istam perseverantiam tam laudabilem, tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo: illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid enim ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem? Quæ profectò si ab homine homini esset, à Deo poscenda non esset. Deinde, cum dicit Apostolus:*

2. Cor. 13.

Oramus autem ad Deum ne quid faciatis mali: Procul dubio perseverantiam eis orat ad Deum: neque enim mihi mali facit qui bonum deserit. Illo etiam loco ubi dicit: Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri... confidens hoc ipsum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu; Quid aliud eis quam perseverantiam in bono usque in finem de Dei miseratione promittit? Itemque ubi dicit:

Philipp. 1.

Salutat vos Epaphras... Semper certans pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei: Quid est ut stetis, nisi ut perseveretis? Unde dictum est de diabolo: In veritate non stetit: quia fuit ibi, sed non permansit... Quid est etiam quod in Apostolorum Actibus legimus: Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam? Qui in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono? Quandoquidem qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quâ salute, nisi æterna?

Col. 4.

Actor. 13.

Cap. 7. ejusdem libri. *Cum audimus: Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ab illâ perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. Hoc autem Apostolicum testimonium tam magnum est, ut B. Cyprianus ad Quirinum scribens, ipsum subjecerit illi titulo in quo ait: In nullo esse gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium: & cum audiunt, credunt; & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant. & si quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt: & nonnulli accepta gratiâ, in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.*

Ibidem loquens de Prædestinatis, ait: *Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, & deletâ, quæ intercurrerat, iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à Fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pièque vivunt, in isto numero computandi sunt: Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & Prædestinatione discreti, & ideò nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi; sed in eis vocati, de quibus dictum est; Multi vocati; non in eis de quibus dictum est; Pauci verò electi. & tamen quis neget eos electos, cum credunt, & baptizantur, & secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi a nescientibus quid futuri sint; non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, ut præscierit esse casuros.*

Cap. 8. ejusdem libri. *Si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, quâ Christiane viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Et, O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Ibidem, *Si confiteris donum Dei esse, perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quòd mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non Deo donante si perseverat, sed humanâ voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis, Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere*

Lucæ 22.

facere voluisset; hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisses? Quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset ut vellet. Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret: & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo ut fides ejus non deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?

Cap. 1x. ejusdem libri. *Nec nos moveat*, inquit, *quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam: Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundùm propositum vocatis, qui verè sunt filii promissionis. Nam illi, cum piè vivunt, dicuntur filii Dei, sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei. Sunt enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, & jam sunt Deo; de quibus ait Evangelista: Quia Jesus moriturus erat pro gente; nec tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum: quod utique credendo futuri erant per Evangelii prædicationem, & tamen antequam esset factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam qui filii Dei, propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo. De quibus ait idem: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Non ait: Ex nobis exierunt; sed qui non manserunt nobiscum, jam non sunt ex nobis. Verùm ait: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant in nobis.* Quod dictum esse rursus ait S. Augustinus de iis qui non perseveraverunt: qui *Non erant filii, etiam quando erant in professione & nomine filiorum...... Igitur filiis suis non prædestinatis Deus perseverantiam non dedit: haberent enim eam, si in eo filiorum numero essent, & quid haberent quod non accepissent, secundùm Apostolicam veramque sententiam? Ac per hoc, tales filii Filio Christo dati essent; quemadmodum ipse dicit ad Patrem: Ut omne, quod dedisti mihi, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hi ergo Christo intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam.*

Joan. 11.

Joan. 10.

Cap. x1. ejusdem libri, Gratiam, quâ primus homo perseverare potuit, conferens cum gratiâ quâ nunc Sancti perseverant, utriusque exponit discrimina his verbis. *Quid ergo? Adam non habuit gratiam? Imo verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti vero in hac vitâ, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos à reatu hæreditario & proprio illius Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa à seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc; verumtamen potentiore gratia indigent isti.*

Discrimen gratiæ, quâ primus homo perseverare potuit, à gratiâ quâ nunc Sancti perseverant.

Ibidem. *Istam gratiam non habuit homo primus, quâ nunquam vellet esse malus: sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua, etiam cum libero arbitrio, bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio: Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono: quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adjutorium quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quò fieret ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam, sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit: Secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut velit: tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritûs vincat.*

Ibidem. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem. In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet: ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet; quia non deerat adjutorium per quod posset; & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset; sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt & ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt tanquam scilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certissimum sit semper se in illâ mansuros. Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset: Quoniam non talis erat natura ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: Quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundum debitum: & tantò amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit; ut non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus: verumetiam tantum ac tale sit ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus; verùm etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo: horum enim unum in illo fuit, alterum non fuit.*

Cap. x11. hoc discrimen inter adjutorium perseverantiæ primo homini in statu innocentiæ, & Sanctis in præsenti statu concessum explicare pergit S. Augustinus. [Aliud est, *inquit*, adjutorium sine quô aliquid non fit, & aliud est adjutorium quô aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere: nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quô fit ut vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verumetiam quô fit, propter quod datur... Primo itaque homini, qui in eo bono, quô factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adjutorium perseverantiæ, non quô fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: Non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint: verumetiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. Non solùm enim dixit: Sine me nihil potestis facere; verumetiam dixit; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis, eis

nam

non solùm justitiam; verumetiam in illâ perseverantiam sededisse monstravit. Christo enim sic eos ponente ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat; quis audeat dicere: Forsitan non manebit.

Ibidem. Major quippe libertas est necessaria adversus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem, non dico terrente mundo, sed sæviente, ne starent, steterunt in fide; cùm videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus; isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent. Unde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consecuti sunt ut fideles essent?

Ibidem. Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare, vel non perseverare, in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato; & nihil illi ex seipsâ concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium. Nunc verò postea quàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.

Ibidem. Nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: Qui eis non solùm dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in quâ tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei: cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturô adjutoriô Dei, sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali, quô in illô Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet: Infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè quod bonum est vellent; & hoc deserere invictissimè nollent.]

Ex doctrina S. Augustini in libro de Correptione & Gratia, quam oculis subjicimus, liquet perseverantiam singulare Dei donum esse: eò magis singulare, quòd solis prædestinatis, & secundùm propositum vocatis sanctis & filiis Dei in memoriali Patris sui inconcussâ stabilitate conscriptis conferatur: Nullam assignari posse ab omnibus rationem, cur huic, potiùs quàm alteri tribuatur hoc donum; sed ad inscrutabilia Dei judicia confugiendum. Quod ita non esset, si vel liberi arbitrii viribus in gratiâ semel acceptâ perseverare justi possent, vel perseverantiam in bono promereri. Constat ex eodem Sanctissimo Doctore, donum perseverantiæ hoc in statu esse gratiam seipsa efficacem, quæ libero arbitrio commissa non est, ut ejus virtute sortiatur effectum; sed quæ illius infirmitati subveniens, ipsum indeclinabiliter & insuperabiliter agit, ut invictissimè quod bonum est, velit & hoc deserere invictissimè nolit: quæ non solùm dat posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus: in eoque differt à gratiâ Adamo in statu innocentiæ concessâ.

Idem sanctus Doctor libro de Dono Perseverantiæ totus est in eo probando dogmate, *Donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo* (ut ipse cap. 1. exponit.) Plura jam ex eo libro delibavimus. Cætera nunc expendenda sunt. Cap. 2. hanc veritatem probat argumento ducto ex Orationibus Ecclesiæ. *Cur*, inquit, *perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante, esse in hominis potestate?*

Et Cap. 7. *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: Quia nihil nobis reliquit in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem & ut non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in quâ nunc eos esse certissimè scimus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis, nonnisi ad gratiam suam voluit Deus pertinere ut homo accedat ad eum: Neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo in quô sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur; ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne recedamus.*

Et cap. 23. *Utinam*, inquit, *tardi corde, & infirmi, qui non possunt, vel nondùm possunt Scripturas, vel earum expositiones intelligere, sic audirent, vel non audirent in hâc quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia in exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum. De hac enim re, quam nunc adversus novos Hæreticos, non commemorare tantùm, sed planè tueri, & defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus extendam nulla urgente adversario non putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro Infidelibus, atque inimicis ejus, ut crederent? .... Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis Sacerdotem super Fideles Dominum invocantem, si quando dixit: Da illis, Domine, in te perseverare usque in finem, non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere; ac non potiùs super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente respondit, Amen: cùm aliud in ipsa oratione Dominica non orant Fideles, dicentes maximè illud: Ne nos inferas in tentationem: nisi ut in sanctâ obedientiâ perseverent? Sicut ergo in his orationibus: ita & in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia; quâ fide creditur gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet & aversas & adversas hominum ad se convertere voluntates: nec oraret Ecclesia ut perseveraret in fide Christi, non decepta,*

vel ullâ tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus assi propriâ voluntate, non tamen teneamus, nisi ipse in nobis operetur & velle. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed & à se ipsa sibi dari putat: non verat, sed perfunctorias orationes habet, quod absit à nobis.

Istud perseverantiæ donum non omnibus justis esse commune, adeóque singularis gratiæ donum esse, & quidem efficacissimæ, quæ amitti contumaciter non possit: quamvis assiduis orationibus impetrari possit, asserit S. Augustinus cap. 6. ejusdem libri. *De illâ*, inquit, *perseverantia loquimur, quâ perseveratur usque in finem: quæ si data est, perseveratum est usque in finem: Si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. Non itaque dicant homines, perseverantiam cuiquam datam usque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseverasse, cui data est, repertus fuerit usque in finem. Dicimus quippe castum, quem novimus castum, sive sit, sive non sit in eadem castitate mansurus: & si quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere, quandiucumque habet: &, si amiserit, dicimus habuisse. Perseverantiam verò usque in finem, quoniam non habet quisquam nisi perseveraverit usque in finem: multi eam possunt habere, nullus amittere .... Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.*

V. Infantibus, qui statim à baptismate moriuntur, donum perseverantiæ à Deo concessum est: quod licet in iis non sit auxilium aliquod interius à gratiâ sanctificante distinctum; singulare tamen Dei beneficium est, protectio scilicet exterior ex ipsorum prædestinatione ducens originem, quâ Deus eorum saluti consulens mortem eorum vult esse celeriorem, ut cum gratiâ conjungatur. Quamobrem & de ipsis intelligitur quod Sapientiæ 4. legimus: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quod & de infantibus, quibus celerioris mortis beneficium à Deo tribuitur ut *pericula lubrica ætatis evadant*; S. Cyprianus *lib. de Mortalitate*, intellexit: & S. Augustinus libro *de Prædestinatione Sanctorum*, c. 14. contra Semipelagianos urget: eorumque responsionem evertit, quâ in futura merita, vel peccata, quæ præscierat Deus, quorumdam mortem post susceptum baptismum, aliorum ante, refundebant. Illud enim, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, dictum esse ait, *Secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto: non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Job: Numquid non tentatio est vita hominis super terram?* (Job 7. secundùm Versionem LXX.)

Et lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 17. *Videte*, inquit, *à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ: cùm vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior & Fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.*

VI. De multis etiam adultis laudatum Sapientiæ locum S. Augustinus intelligendum esse docet, quibus singularis & extraordinaria cura Dei eorum saluti invigilans mortem infert statim à gratiâ collatâ. *Sed quare*, (inquit cap. 14. lib. de Prædestinatione Sanctorum) *aliis conceditur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur: alii vero justi, donec à justitiâ cadant, in eisdem periculis vitâ productiore teneantur: Quis cognovit sensum Domini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos piosque mores usque ad senectutis maturitatem, & diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantacumque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus. Cur autem hic tenuerit casurum justum, quem priusquam caderet, hinc posset auferre? Justissima omnino, sed inscrutabilia sunt judicia ejus.*

VII. Perseverare tamen potest justus in gratia semel acceptâ, si velit: unde inanis esset eorum excusatio, qui perseverantiæ donum se non accepisse, & ideò, se non perseverasse causarentur. *Justè eos corripimus*, (inquit S. Augustinus lib. de Correptione & Gratia, c. 7.) *qui cùm benè viverent, non in eo perseverarunt. Ex bona quippe in malam vitam suâ voluntate mutati sunt ... Nec se excusabunt dicentes .... Quare damnamur, quandoquidem ut ex bono reverteremur ad malum, perseverantiam non accepimus, quâ permaneremus in bono? Nullo modo hac excusatione à justâ damnatione se liberabunt. Si enim, sicut Veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, Non se audisse Evangelium Christi, cùm fides ex auditu sit: quantò minùs se liberabunt, qui dicturi sunt, Perseverantiam non accepimus? Justior enim videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam, quàm dicentium, Non accepimus perseverantiam. Quoniam potest dici: Homo! in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles: nullo modo autem dici potest; Id quod non audieras, crederes si velles.* At ut velint justi perseverare, *voluntas præparatur à Domino.* Itaque justis omnibus præsto est gratia sufficiens ad perseverandum, id est, motiones piæ, & excitationes voluntatis ad orandum & vigilandum, ut Christianâ vigilantiâ peccata vitentur, ut orationibus assiduis perseverantiæ donum impetretur. Unde cui negatur perseverantiæ donum, sive gratia efficax ad perseverandum necessaria, id aliquo præcedente peccato, promeritus est: quô fit ut ejus semper culpa sit, quòd non perseveret. *Deus* enim, *cùm* hominem, *ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam plenissimè sanus: nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo, etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere* (inquit S. Augustinus lib. de Natura & Gratia c. 26.) ubi evidens est S. Augustinum loqui de gratia actuali, tum quia eam ad rectè vivendum necessariam asserit, tum quia eam cum luce confert, quæ sanum oculum juvat ad videndum. Itaque & ad gratiam actualem, quæ ad perseverandum necessaria est, pertinet illud Concilii Tridentini Sessione VI. C. 11. *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Quod S. Augustini doctrinæ prorsus consonum est, tum loco mox laudato, tùm libro de Dono perseverantiæ cap. 6. *Voluntate suâ*, inquit, *quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideò petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat.* Et lib. de Correptione & Gratia, cap. 13. *Deserunt*, inquit, *& deseruntur: dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto.* Quod judicium jam exposuerat c. 12. his verbis: *Si autem hoc adjutorium* (sine quo bonum perseveranter tenere non possumus) *vel Angelo, vel primo homini, cùm primùm facti sunt defuisset, non utique suâ culpâ cecidissent: adjutorium quippe defuisset,*

Justis omnibus præsto est gratia sufficiens ad perseverandum. Nemini justo donum perseverantiæ à Deo negatur nisi in pœnam præcedentis peccati.

sine

sine quo manere non possent : nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est. Quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum.

VIII. Si quæras, quodnam sit illud peccatum propter quod Deus justis non dat perseverantiam? Non enim est mortale, cùm nondum à justitia defecisse supponantur. Respondeo, Peccata illa quorum merito perseverantiæ donum à Deo negatur, plerumque esse venialia, ut orandi negligentiam, Christianæ vigilantiæ defectum, negligentiam in frequentandis Sacramentis, teporem in bonis operibus, inanem de seipso confidentiam. Pro peccatorum enim venialium merito posse justum à Deo derelinqui docet Richardus Victorinus, lib. de Statu interioris Hominis p. 2. c. 22. *Gratia*, inquit, *quam homo semel accepit, ante peccatum justè subtrahi non potuit. Quam etsi præter meritum acceperat, sine culpa tamen amittere non debebat. Nunc autem omni horâ potest justè subtrahi, quia nunquam potest homo sine culpa inveniri.* Sed præcipua causa cur perseverantiæ donum, aut quævis alia gratia actualis efficax justis denegetur, superbia est, ut docet S. Augustinus lib. 2. de Peccatorum Meritis & Remissione cap. 17. *Ut innotescat*, inquit, *quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adjuvat voluntates; quâ ut non adjuventur, in ipsis causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint, propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi, si filii sunt misericordiæ. Nullus proinde culpa humana in Deum referas causam: vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.*

Causa propter quam justis perseverantiæ donum negatur, est originale peccatum.

IX. Omnibus tamen expensis, eo veniendum est, ut causam denegationis efficacis gratiæ justis ad perseverandum in justitia necessariæ, esse peccatum originale asseramus. Illius enim derelictionis justorum à Deo, causa non est actuale mortale peccatum, quod nullum in illis supponitur, quia justi sunt: non veniale, quia causa pariter quæri potest, cur in veniale istud cadere sint permissi, cujus meritò postea deseruntur. De primo enim loquimur, quod committunt. Cùm igitur, ex S. Augustino, causa cur deserantur homines, & cur non adjuventur à Deo, sit in ipsis, & quibus deest adjutorium ad perseverantiam necessarium, pœna sit peccati, ad originale tandem peccatum recurrendum est, quod & negationis gratiæ ad perseverandum necessariæ, & permissionis peccati, in quo quis moritur, & reprobationis causa est, secundùm S. Augustini doctrinam. Per originale scilicet peccatum massam quamdam perditionis factam esse docet, à qua non liberantur nisi electi, & in qua relinquuntur illi justi, quos ipse *temporales* vocat, qui non sunt ad vitam æternam prædestinati, licet illis per baptismum totus originalis peccati reatus remissus fuerit. Qua de re lib. *de Correptione & Gratia c. 7.* hæc habet[a]: *Qui verè perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos finis hujus vitæ inveniat; proculdubiè nec illo tempore quo benè justèque vivunt, in isto numero computandi sunt, à massa illa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti, & ideò nec secundùm propositum vocati.*

Recondita S. Augustini doctrina.

Quia verò duobus justis, quorum alteri perseverantia non datur, peccatum originale similiter remissum est, quia in illis eâdem sunt merita, quia utrique Deo accepti, & secundùm præsentem justitiam vitâ æterna digni; ideò cùm S. Augustinus circa cæteros seu parvulos, seu impios ætate jam grandes, judicia Dei inscrutabilia esse doceat, circa illos duos justos inscrutabiliora esse pronuntiat, atque hujus æquitatem judicii ad solam discretionem è massa perditionis refert. *Ex duobus itaque parvulis*, inquit, *originali peccato pariter adstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei* (lib. de Dono Perseverantiæ cap. 8.) Quod & S. Prosper ad XIV. Objectionem Vincentianam docet his verbis: *Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare: cùm scire sufficiat & ab illo esse quod statur, & non ab illo esse quod ruitur.*

Sed quodnam est istud Dei judicium, & unde justum? Respondet S. Augustinus: Quia hic justus non erat à massa per primi parentis peccatum facta discretus, hinc fluxit quòd non accepto perseverantiæ dono, libero suo arbitrio à Deo dimissus fuerit. *Illud tamen*, inquit, *Fidelibus debet esse certissimum, hunc ipsi ex Prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait unus Prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum; mansissent utique nobiscum. Nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, Omnem flatum ego feci, unius ejusdemque naturæ animas acceperant? Nonne postremò utrique vocati fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed si hæc audiret ille, qui sciebat proculdubiò quid dicebat, respondere posset & dicere: Vera sunt hæc, secundùm hæc omnia ex nobis erant: verumtamen secundùm aliam quamdam discretionem non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quænam tandem est illa discretio? Patent libri Dei, non avertamus aspectum. Clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum: Non erant ex eis, quia non erant secundùm propositum vocati, non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.*

Idem docet in Enchiridio cap. 99. *Cujus vult*, inquit, *miseretur Deus, & quem vult, obdurat. Miseretur scilicet magnâ bonitate, obdurat nullâ iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis.* Quod Apostolum significasse notat ad Romanos 9. his verbis: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ex quibus colligit S. Augustinus; *Universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam: & qui liberantur sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio; & quò etiam istos debitum Dei judicium duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret: ut volentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Idem lib. de Natura & Gratia, cap. 5. *Universa igitur massa*, inquit, *pœnas debet, & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè proculdubiò redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur*, &c.

Idem lib. 1. ad Simplicianum Quæst. 11. *Sunt*, inquit, *omnes homines; (quandoquidem, ut Apostolus ait,*

ais, in Adam omnes moriuntur, à quo in universum genus humanum origo ducitur offensionis Dei; } una quædam massa peccati, supplicium debens divinæ summæque justitiæ: quod sive exigatur, sive donetur, nulla est iniquitas.

Idem Epistola CV *ad Sixtum* contra Pelagianos, eorum objectionem retundit, qui se excusantes dicerent: *Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam unde bene viveremus, non accepimus?* Hanc, inquam, excusationem infringit his verbis: *Non possunt veraciter dicere, Nihil se mali facere, quia male vivunt. Si enim nihil mali faciunt, benè vivunt: si autem malè vivunt, de suo malè vivunt, vel quod originale traxerunt, vel quod insuper addiderunt. Sed si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facti sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, meritò Deus, justeque damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum reddere noluit; non se inflent, sed ipsum glorificent, qui eis misericordiam non debitam præstitit.... An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa utique meritò rectèque damnatâ, facere aliud vas in honorem indebitum propter misericordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iram justitiæ; ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, sic ostendens quid eis largiatur, cum id supplicium recipiunt vasa iræ, quod pariter omnibus debebatur.... Cur autem illum potius quam illum liberet, vel non liberet; scrutetur, qui potest, judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium.*

Ibidem. *Quamvis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram, & demonstret potentiam suam, quâ benè etiam utitur malis, & ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed sua gratia largitate donatum; tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis; id est, hominibus propter naturam quidem bonum creavit, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissime veritas improbat, damnare novit ipse, non facere. Sicut enim voluntati ejus tribuitur humana natura, nullo dubitante laudanda, sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante damnanda.*

Ibidem. *Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat, neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat.*

Ibidem. *Intentio igitur intuenda est Apostoli, quomodo propter gratiam commendandam, noluit eum de quo dictum est, Jacob dilexi, nisi in Domino gloriari: ut cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid egissent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Jacob ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum, cum quo habet communem causam, videt per justitiam meruisse damnari, nonnisi per gratiam se potuisse discerni.* Idem habet in Epistola ad Paulinum.

X. Unum difficultatem movere potest, quod scilicet peccatum originale justis per baptismum remissum sit: ex quo quispiam inferet, Gratiam ad perseverandum necessariam, iis ob originale peccatum non negari. Cui respondebimus, Peccatum quidem originale, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnæ æternæ reatum, per baptismum penitus ablatum esse, nec Deum unquam postea illud renatis ad culpam aut pœnam æternam imputare: ut enim ait Apostolus ad Romanos 8. *Nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* Et ut definit Concilium Tridentinum Sessione 5. c. 5. *In renatis nihil odit Deus;*

A quod scilicet, ut ibidem exponit, veram & propriam rationem peccati habeat (cùm totum id per baptismum tollatur) quod damnatione dignum sit, & quod eos ab ingressu regni cœlestis remoretur. Nec etiam in illis concupiscentia carnis veram peccati rationem ullo modo habet, nec iis nocere potest, quamdiu illi propriâ actione non consentiunt, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnant. Hoc est Dogma Catholicum Calvinianæ Hæresi à Tridentino Concilio damnatæ oppositum. Sed debitum carendi gratiis actualibus efficacissimis, quibus homo etiam justus ob corruptionem ex peccato relictam, ad vitandum peccatum, ad bonum operandum, ad
B perseverandum in justitia semper indiget, per baptismum penitus expunctum non est: sicut per baptismum non est ablata infirmitas, quamquam per illum deleta sit iniquitas, ut ait S. Augustinus *Sermone 2. de Verbis Apostoli.* Hanc autem peccati pœnam, hoc debitum, Deus renatis, cùm vult, quantùm vult, & quibus vult, misericorditer condonat, alios suæ infirmitati ad malum impellenti aliquando relinquens, & ut cadant permittens, judicio semper justo, etsi occulto; alios secundùm misericordiam gratuitam & indebitam per gratiam adjuvans, ac retinens, ne suæ infirmitatis pondere à justitia excidant.
C Enimverò à corruptionis & perditionis massâ per peccatum originale facta, non baptismus, sed sola Dei ad vitam æternam eligentis prædestinatio liberat ac discernit. Dubium autem non est, eos omnes qui non sunt hoc pacto discreti, nunquam ad vitam æternam perventuros: itaque si regenerati sint & justificati, nunquam ex hac vita auferentur, antequam à justitia excidant. A justitia verò nunquam excident, nisi Deo permittente, dimittente, & auxilium gratiæ suæ non præstante, ne cadant. Quamobrem in justis non salvandis, ex hoc quòd non sunt à massa perditionis per prædestinationem discreti, profluit efficacis gratiæ ad per-
D severandum in oratione & justitia necessariæ negatio; ac proinde ad peccatum originale, etsi per baptismum remissum, velut in causam primam, illorum derelictio à Deo refundenda est; sicut fœtus posthumus patri suo tribuitur. Quemadmodùm enim hæc proles ab illo parente est mediante semine, quod antequam ipse interiret, subministravit: sic in reprobis regeneratis permissio peccati, derelictio à Deo, negatio doni perseverantiæ, à peccato originali proficiscuntur, mediante mali quodam semine, scilicet infirmitate, corruptione, & infectione secundùm carnem, quæ in renatis
E etiam remanet, in quibus originale peccatum extinctum est.

XI. Catholica doctrina de necessitate gratiæ singularis ad perseverandum, & de necessitate gratiæ efficacis ad singulos pietatis actus, correptionis necessitatem justitiamque, erga eos qui perseverare noluerint, aut Deo obedire, non destruit aut elevat, ut contendebant quidam ex Adrumetinis Monachis. *Cùm & ipsa voluntas præparetur à Domino,* inquiebant, *cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle: & non potiùs ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Quibus respondet S. Augustinus lib. de
F Correptione & Gratia, cap. 6. *Si nondum regenerati sunt, primam esse causam, cur objurgati quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas quâ Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine in qua eum Deus primitus fecit, sua malâ voluntate decident, pravus effectus est. An verò,* inquit, *ideò pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Imò verò corripiatur & in singulis quod est omnium..... Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis,*

Dogma Catholicum de necessitate gratiæ singularis ad perseverandum, correptionis necessitatem ac justitiam non tollit.

correptionis voluntas regenerationis oriatur : Si tamen qui corripitur, filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante atque flagellante, Deus in illo intrinsecus occultâ inspiratione operetur & velle.

De regeneratorum verò & justificatorum correptione statim subdit : *Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam suâ voluntate relabitur, certè iste non potest dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suô in malum liberô amisit arbitriô. Qui si correptione compunctus, salubriter ingemit, & ad similia bona opera, vel etiam meliora revertitur : nempe hic apertissimè utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio, sive ex caritate fit, sive non fit, tamen ut correpto prosit, non nisi per Deum fit. An adhuc & iste nolens corripi, potest dicere : Quid ego feci, qui non accepi ! Quem constat accepisse, & sua culpa, quod acceperat, amisisse.*

Tandem de justa eorum correptione, qui in justitiâ perseverare nolunt, hæc habet : *Negare non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus, nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est : Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Sed non ideo est ejus, qui non perseveraverit, negligenda correptio, ne fortè det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat de Diaboli laqueis.* Et post : *Justè corripimus eos, qui cum benè viverent, non in eo perseverarunt. Ex bonâ quippe in malam vitam suâ voluntate mutati sunt, & ideo corripiuntur ; & si nihil eis correptio profuerit, & in vita perdita usque ad mortem perseveraverint, etiam divinâ in æternam damnatione sunt digni.* Et cap. 9. *Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum & perseverantiam à Domino tantùm esse poscendam ; nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, procul dubiò illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit, faciat ipse cum caritate, quod scit esse faciendum : scit enim talem corripiendum, facturô Deô aut misericordiam, aut judicium ; misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur, gratia largiente discretus est, non est inter vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præparavit Deus in gloriam. Judicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.* Cap. 3. ejusdem libri, ostendit Doctores Ecclesiarum Apostolos, *& præcepisse quæ fierent : & corripuisse si non fierent, & orasse ut fierent.* Præcipit Apostolus dicens : *Omnia vestra in caritate fiant.* (1 Cor. 16.) Corripit dicens : *Jam quidem omninò delictum est in vobis, quia judicia habetis vobiscum, quare enim non magis iniquitatem patimini?* &c. (1. Cor. 6.) Orat dicens : *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat in caritate in invicem, & in omnes.* (Thessalon. 3.) Apostolus ergo, ut colligit S. Augustinus ibidem, *Præcipit ut habeatur caritas : corripit, quia non habetur caritas : orat ut abundet caritas. O homo ! in præceptione cognosce, quid debeas habere : in correptione cognosce, tuo te vitio non habere : in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere.*

Jacob. 1. c. 17.

XII. Hanc de perseverantiæ dono doctrinam homines in desperationem conjicere, Semipelagiani perperam asserebant, quos S. Augustinus lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 17. ita refellit : *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potiùs relinquo, ut videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis, quàm exhortationis afferri : hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere : cum Propheta clamet : Maledictus omnis qui spem habet in homine.* Et cap. 6. *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus ; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

S. Augustini doctrinam de perseverentiæ dono omninò sequitur S. Prosper in Responsione ad objectionem Capituli septimi Gallorum, & in Responsione ad objectionem Vincentianam 14. & 16. Eandem sequitur & Autor librorum de Vocatione omnium Gentium lib 1. c. 23 & sequentibus, & S. Fulgentius lib. de *Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, cap. 17. & 18.

DISSERTATIO XXII.

Adversus Hæresim Nestorii.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm una sit in Christo persona, sive unus idemque Dei & hominis Filius ?

PROPOSITIO.

Unam esse Christi personam, naturis constantem duabus, unumque Dei & hominis Filium, Scriptura sacra, SS. Patrum, & Conciliorum oraculis, adversus Nestorium evincitur.

PRobatur primò ex illis verbis Joannis 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis,* &c. ex quibus S. Leo *Sermone 7. de Nativitate* ita disserit : *Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat quod in carnem sit Dei natura mutata : sed quòd à Verbo in unitatem personæ sit caro suscepta : cujus atque nomine homo totus accipitur, cum quô intra Virginis viscera, Sancto Spiritu fœcundata, & nunquam virginitate caritura, tam inseparabiliter Dei Filius unitur, ut qui erat intemporaliter de essentia Patris genitus, ipse sit temporaliter de utero Virginis natus.*

Unitas Personæ in Christo ex Scriptura sacra probata.

II. Idem probatur ex Epistola S. Pauli *ad Philippenses cap.* 2. ubi de Christo sic loquitur : *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Ubi eum qui se exinanivit, illum ipsum esse significat Apostolus, qui antea Deo Patri erat æqualis ; & hoc naturâ, non usurpatione habuit. Ex quô locô sic disserit S. Cyrillus in Epistola 1. ad Monachos : *Atqui creata res est nulla, quæ si propriâ in naturâ spectetur, æqualis Patri esse possit. Quonam igitur pacto exinanitus esse dicitur, si cum natura suâ esset homo, itidem ut nos, ex muliere natus est ? quanam porrò ex antiquiore præstantiâ, quæ humanum modum excederet, ad hoc delapsus est ut homo fieret ? Quomodo denique intelligi potest formam accepisse servi, quasi antea non habuisset, qui naturâ suâ inter servos censebatur, & servili jugo erat obnoxius ?*

III. Idem probatur ex Epistola ad Hebræos, cap. 1. & 2. ubi significat Apostolus, unum esse, qui & *Splendor sit gloriæ, & figura substantiæ Patris* ; per quem *Sæcula* ipsa *facta sunt* : qui Angelis omnibus antecellens, ab iis adoretur : & qui, propterea quòd *pueri*, id est homines, *communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Unum enim & eundem esse, in quem cadit utrumque, S. Paulus ibi apertè demonstrat : Quippe qui hoc sibi illâ in Epistolâ proposuit, ut Jesum Christum, quem hominem fuisse constabat, illis ad quos scribebat, eumdem Deum, Deique naturalem Filium credendum esse ostenderet, ac adorandum.

IV. Idem probant omnia Scripturæ testimonia, quæ non alium atque alium, sed unum & eumdem esse ostendunt, in quem divinæ & humanæ naturæ proprietates conveniant. Velut quod de se ipse

Christus profitetur Joannis 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Item illud Apostoli ad Galatas 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Et illud ad Ephesios 4. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super cœlos, ut impleret omnia.* Ex quibus locis evidens est, non duos esse, sed unum planè, qui ambo illa diversa & contraria susceperit: ut & in cœlo esset, & in cœlum ascensurus postea foret: & apud Patrem ex æterno manens, ab eodem missus, homo factus sit, & mortem sustinuerit. Lege S. Athanasium, in *Oratione de uno Christo*, & S. Cyrillum Alexandrinum, in Dialogo ejusdem argumenti.

V. Id probatur ex Symbolo Nicæni Concilii, ubi post assertam Filii divinitatem, ista subjiciuntur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est.* Ex quibus Christi in duabus naturis unitas comprobatur. Cujus vim Professionis contra Nestorium urgent S. Cyrillus *lib. de Symbolo*, & Cassianus *lib. 6. de Incarnatione c. 8.* Idem probatur ex Synodis Ephesina, Chalcedonensi, Oecumenica v. *&c.*

Unitas Personæ in Christo probatur ex Traditione.

VI. Id probatur ex S. Ignatio Martyre in Epistola ad Ephesios. *Deus noster Jesus Christus*, inquit, *in utero gestatus est à Maria, secundùm dispensationem Dei, ex semine David.* Et ibidem: *Singuli viri communiter omnes in gratia, ex nomine. Convenite in una fide, & in uno Jesu Christo, secundùm carnem ex genere David, Filio hominis & Filio Dei.* Quæ loca laudantur à Theodoreto, *Dialogo 1.*

VII. Ex S. Irenæo lib. 3. cap. 18. ubi luculenter è Scripturis adstruit, *Unum & eundem esse Verbum Dei, & hunc esse unigenitum, & hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum.*

VIII. Ex Tertulliano ad finem libri *De Carne Christi*, ubi respiciens hæc verba Apostoli 1. ad Corinthios 8. *Unus Dominus Jesus Christus*, ita scribit: *Sicut & definient ipsum quoque Christum unum, multiformiter Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum; alium elapsum de mediis turbis, alium detentum*, &c.

IX. Ex S. Dionysio Alexandrino in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum, ubi Hæresiarcham illum redarguit, *Duas hypostases, & duas personas asseverantem unius Christi*; sive *Christos duos, duosque Filios.* Quod uberiori disputatione refellit.

X. Ex S. Athanasio in libello de Incarnatione: *Sicut*, inquit, *homo persona est una, & animal unum è spiritu & carne concretum: ita Christus intelligi debet unus esse, & non personæ duæ: quod recens impietas violenter invehere conatur.*

XI. S. Gregorius Nazianzenus Oratione 31. *Non duo facias*, inquit, *sed unum ex duobus fieri sustinens. Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, & quod est assumptum: Naturæ duæ in unum concurrentes; non duo filii. Nolo contemperationem illam amentiâ ratione quispiam explicet.*

XII. Ex S. Hilario libro ix. de Trinitate. *Mediator ipse*, inquit, *in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipsò inter Deum & hominem Mediatoris Sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis natura utriusque res eadem est, ita tamen ut neutrò careret in utróque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset..... Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes Hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ divinæ infirmitatem mentiantur: & quia unus atque idem est loquens omnia quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendunt. Nec sanè inficiamur, totum illum qui ejus manet, natura sua esse sermonem. Sed si Jesus Christus & homo & Deus est, & neque cùm homo, tùm primùm Deus, neque cùm homo, tum non etiam & Deus: neque post hominem in Deo non totus homo, totus Deus, unum atque idem necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis.* Quò locò & duarum post Incarnationem integritas naturarum, & unitas personæ luculenter asseritur.

XIII. Ex S. Ambrosio *lib. de Incarnatione*, cap. 5. dicente, adversus omnes hæreses generalem hanc esse fidem: *Quia Christus est Dei Filius: & sempiternus ex Patre, & natus ex Virgine. Quem quasi gigantem Sanctus David Propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ unus sit, consors divinitatis & corporis; qui tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam. Sponsus animæ secundùm Verbum: Gigas terræ, quia usus nostri officia percurrens, cùm Deus semper esset æternus, Incarnationis Sacramenta suscepit, non divisus, sed unus: quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, Sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio generationi non præjudicat, nec caro Divinitati.*

XIV. Ex S. Hieronymo *In cap. 1. Epistolæ ad Ephesios*, ubi ait: *Benedictus Deus ejus qui assumptus est, hominis, & Pater ejus qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quò alius assumptus homo, & alius sit Sermo, qui assumpserit: sed quò unus atque idem, pro varietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis prædicetur.*

XV. Ex S. Augustino in libro *de Correptione & Gratia* cap. 11. *Deus*, inquit, *naturam nostram, id est, animam rationalem, carnemque hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili; vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis, Filius Dei sic esset ab initio quò esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum quod sine initio est, una persona esset.*

XVI. Id probatur ex Theodoro Ancyrano in Homiliis; S. Cyrillo, in Epistolis, Anathematismis, & Libris; ex Proclo; ex Paulo Emisseno in Homiliis duabus Alexandriæ pronuntiatis; ex Orientalium Confessione, quæ incipit, *Lætentur cœli*: & ex cæteris Patribus, qui Concilium Ephesinum secuti sunt, quos recensere longum esset.

Objicies. Humanitas Christi per se ac propriè subsistit: est igitur in Christo persona humana, adeóque duæ personæ.

Probatur antecedens. Si propriè ac per se non subsisteret Humanitas Christi, non esset actu substantia. Id autem asserere erroneum est.

Præterea. Si humanitas Christi propriâ subsistentiâ destituta esset, manca foret ac imperfecta, ut quæ ultimò careret complementò.

Respondeo ad primum, nego antecedens. Nec ideò sequitur naturam humanam Christi esse non subsistentem, neque actu substantiam, quia in alio subsistit, scilicet in Verbo, nec ipsi tanquam accidens inhæret. Reipsa enim & actu, propriaque vi subsistere, non pertinet ad essentiam substantiæ: sed solùm ut sit per se subsistendi capax, si sibi relinqueretur. Fulcitur hæc responsio insigni loco S. Joannis Damasceni *lib. 3. de Fide Orthodoxa*, cap. 9. *Quamvis*, inquit, *non sit natura illa quæ non subsistat, neque substantia, quæ non sit persona, siquidem in hypostasibus & personis substantia & natura spectatur: non tamen necesse est naturas inter se hypostasi copulatas, propriam obtinere singulas hypostasim. Possunt enim in unam hypostasim concurrentes, neque non subsistentes esse, neque propriam unaquæque hypostasim habere: sed ambæ unam & eandem. Eadem quippe Verbi hypostasis, ambarum facta naturarum hypostasis, neque substentia quampiam illarum expertem esse sinit: neque tamen diversa ad se invicem hypostasi*

patitur

patitur subsistere. Sed nec aliàs istius, aliàs illius; sed semper ambarum, citra divisionem ac separationem, hypostasis est, non partita, nec divisa, neque partim suimet huic, partem alteri tribuens: verùm tota hujus, & tota illius, pro indiviso est, & integrè. Non enim propriâ vi consistens Dei Verbi caro substitit, nec altera facta est hypostasis, præter hypostasim Dei Verbi: sed in ipsâ subsistens ad hypostasim magis adjuncta, quàm propriò modò consistens hypostasis est facta. Ideò non diversam in Trinitatem hypostasim inducit.

Respondeo ad secundum, nego consecutionem. Illud enim cui nulla perfectio substantiva deest, sed adventitia tantùm, & quæ ex proprietatum complexione, quæ extrà naturam sunt rei, petitur, mancum & imperfectum dici non potest: præsertim si quæ deest perfectio, aliundè excellentiùs suppleatur. At subsistentia istius generis perfectio est, cùm sit ultimum substantiæ jam existentis complementum. Hæc responsio colligitur ex Leontio Byzantino, in calce libri *Solutionum argumentorum Severi*, dicente: *Sed hoc advertere oportet, quòd hypostasis non simpliciter, neque præcipuè perfectum declarat; sed quod per se existat: secundo autem locô, perfectum. Natura verò quod per se existit nequaquam declarat; propriè autem perfectam. Siquidem proprietates, quæ ad rationem hypostasis sumuntur, faciunt esse unumquemque aliquem ab aliquibus: Quæ verò sumuntur ad rationem naturæ, non faciunt esse aliquem, sed aliquid ab aliquo.* Addit subinde: *Hoc etiam non est ignorandum, quòd ea quæ naturam signant, constituunt substantiam; quæ autem signant hypostasim, velut accidentium rationem habent, sive sint separabilia, sive inseparabilia.* Actualis itaque subsistentia non pertinet ad perfectionem essentialem naturæ: unde humanitas Christi non est imperfecta, etsi propriâ subsistentiâ destituta sit: maximè cùm naturalis inferiorque subsistendi modus, potiore & digniore pensetur, scilicet subsistentiâ Verbi divini. Hinc Theodorus Presbyter libro de Incarnatione: *Quonam*, inquit, *hæc in Christo humanitas, quæ in propriâ hypostasi per se ipsam nunquam fuit, sed in Deo Verbo quod ea assumpsit, esse & subsistere sortita est, subsistentia vocari posset unquam, aut personam propriè subsistentem, ac per sese & seorsim cognitam haberet?* Hinc & Ferrandus Diaconus in Epistola ad Severum ait: *Non utique personam aliam suscepit, quia non hominem paratam invenit; sed naturam potiùs humanam, in quâ ipse Deus homo nasceretur, invenit. Habuit igitur humana natura, ex quo est creata, personam; sed unam cum Deo, qui eam suscipiendo creavit. Tu proinde quisquis huic fidei contradicis, ostende mihi in Christo sine divinitate aliquando humanitatem, & tunc fatebor quòd habuerit propriam etiam sola humanâ natura personam. Quia verò divinitas quidem Verbi Dei sine humanitate fuit; humanitas verò sine divinitate nunquam fuit, ideò habuit divina natura personam, quam humana natura, quando eam suscepit, indulsit: ut & natura susceptrix, & natura suscepta, sine ullâ confusione ineffabiliter adunata, unius crederetur esse persona.*

Objectio ibus Nestorianorum respondetur.

Objicies. De eadem personâ contraria enuntiari non possunt: atqui de Christo contraria enuntiantur; dicitur enim creatus & increatus, patibilis & impatibilis, Deus & homo. Itaque non est unica in Christo persona.

Respondeo distinguo majorem: De eadem persona contraria enuntiari non possunt, secundùm eamdem naturam, concedo; secundùm diversas naturas, nego. Itaque ex arctissimâ naturarum duarum in unâ Verbi personâ conjunctione, communicatio mutua proprietatum oritur, quam idiomatum communicationem Theologi de Schola vocant: quâ fit ut & naturæ inter se, quæ cuique peculiaria sunt, tanquam propria usurpent: & uni eidemque personæ, tum sigillatim, tum simul omnia tribuantur, non diversa modò, sed etiam sibi invicem contraria. Hanc idiomatum communicationem, vimque illius, multis veterum Patrum testimoniis probat & exponit Petavius S. J. Theologus, *Lib. 4. Dogmatum Theologicorum de Incarnatione, capp. 15. & 16.*

Objicies. Persona est rationalis naturæ individua substantia: atqui natura humana in Christo est rationalis naturæ individua substantia: in Christo igitur est humana persona. Probatur Minor. Christus enim humanam naturam communem multis & universalem non assumpsit, sed singularem.

Respondeo, In definitione personæ individuam substantiam intelligi eam quæ seorsim existat, & quæ sit prorsus incommunicabilis alteri; non solùm ut universalis naturæ inferioribus, sed & eô modô quo pars toti, aut natura supposito communicatur. Quamobrem cùm humanitas Christi reipsa communicetur Verbo divino, nec in se & seorsim consistat, suique sit juris; sed ab aliquo digniore, scilicet à persona Filii Dei assumpta fulciatur, non est in Christo humana persona; quamvis individua sit natura humana eô sensu, quò una numero natura est, & ab reliquis distincta certis proprietatibus, quas Philosophi individuantes vocant. Hinc S. Joannes Damascenus *lib. 3. cap. 11.* ait Verbum divinum assumpsisse naturam hominis, non quà universalis est, aut quà in multis inest: *Sed quæ in unô est individuô. Non enim hoc modo significare individuum, sicut hypostasim propriè ac solum, neque quod hypostasibus est commune; sed communem naturam in una hypostaseon consideratam.* Quamvis aliò sensu Christum individuum esse neget S. Joannes Damascenus, quia scilicet non est communis species naturæ quæ sit ex divinitate & humanitate composita, in cujus adeò individuis omnibus naturæ duæ inconfusæ in unum aliquod singulare conveniant. *In Jesu Christo* (inquit, lib. 3. c. 3.) *non potest communis accipi species. Non enim fuit, aut est, aut erit aliquando Christus alius ex divinitate & humanitate, in divinitate & humanitate Deus perfectus, idem & homo perfectus. Hinc usus est dicere unam naturam in Domino nostro Jesu Christo, sicut in individuo aliquo, quod ex anima & corpore componitur; ut eodem modo in Christo ex divinitate & humanitate sit atque composita natura. Nam illic individuum est: Christus autem non est individuum. Non enim speciem habet hujusmodi Christitatis (ut ita loquar) quæ de se prædicetur.*

Sanctus etiam Anselmus negat hunc hominem à Verbo assumptum, quia individuum humanæ naturæ cum persona confundit: Sic enim habet *lib. de Incarnatione*, cap. 5. *Cùm profertur homo, natura tantùm, quæ communis est omnibus hominibus, significatur. Cùm verò demonstrativè dicimus, istum, vel illum hominem, vel propriò nomine Jesum, personam designamus: quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis fit singularis, & ab aliis singulis distinguitur. Nam cùm ita designatur, non quilibet homo intelligitur; sed qui ab Angelo nuntiatus est, qui Deus & homo, Filius Dei, Filius Virginis est: & quicquid de illo dicitur, aut secundùm Deum, aut secundùm hominem, verum est dicere. Non enim idem est homo, & assumptus à Verbo homo, id est, Jesus: quoniam in nomine hominis sola intelligitur natura: in assumptô verò homine, vel in nomine Jesu, intelligitur cum naturâ, id est, cum homine, collectio proprietatum, quæ est eadem eidem assumpto homini & Verbo.* Non tamen dubitavit S. Augustinus naturam hominis assumptam dicere istum hominem, lib. *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. 15. *Respondeatur, quæso*, inquit, *ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset: unde hoc meruit?* Exortâ nihilominus Hæresi

Nestorianâ, major cautio circa hunc loquendi modum adhibita est: unde S. Cyrillus Alexandrinus in *Epistola ad Valerianum*, refellit quod Nestoriani effutiebant, *Deum & hominem simul convenientes, unum effecisse Christum*; His enim verbis *Utriusque salvam hypostasim esse* significabant, *minimè confusam, sed ratione divisam*, ut idem Sanctissimus Pater notat.

Objicies. Si unica esset in Christo persona, Christus rectè dici posset *Unus de sancta Trinitate*, & asseri *Unum de Trinitate esse passum.* Id autem falsum est. Nam hujusmodi locutiones damnatæ sunt erroris in Monachis Scythiæ ab Hormisda Pontifice Maximo. Igitur non est unica in Christo persona.

Respondeo. Nego Minorem. Non enim Hormisdas propositiones illas damnavit, sed Scytharum Monachorum temeritatem ac pertinaciam, qui illas Concilii Chalcedonensis Definitioni esse necessariò addendas contendebant, quæ accessione istâ, quasi manca & minimè absoluta perfici & compleri opus habuisset. Cæterùm hanc loquendi rationem Ecclesia recepit ac approbavit, ut patet ex V. Synodo *Canone* 4. & 5. & Joanne II. Romano Pontifice in Epistola ad Justinianum, in qua illud profitentem Imperatorem collaudat, & Acoëmetas Monachos contra sentientes condemnat: tum ex Epistola ejusdem Pontificis ad Senatores. Item ex Epistola Pelagii I. ad Childebertum Francorum Regem data. Has sententias esse apprimè Catholicas Sanctorum etiam Patrum testimonia probant, quibus Joannes Maxentius illas defendit, scilicet S. Procli, S. Augustini in *Enchiridio cap.* 36. & *lib.* 2. *de Trinitate, cap.* 10. His adde S. Fulgentium. *Lib. de Fide ad Petrum, cap.* 13. Ferrandum Diaconum in *Epistola ad Anatolium*, Facundum Hermianensem lib. 1. pro defensione Concilii Chalcedonensis. Cùm autem dixerunt *Unum de Trinitate esse passum*, nihil intellexerunt aliud, quàm *Filium Dei passum esse carne*: Hacque enuntiatione caverunt, *Ne putaretur homo purus passionis tolerasse injurias*, ut Ferrandus Diaconus exponit. Singularem de hac controversia, Dissertationem Sæculo VI. instituemus.

Dices. Si unica sit in Christo persona, Filius Dei passus est, adeóque passa est divinitas.

Respondet Vigilius Tapsensis *libro* 2. Passum esse Dei Filium *in unione personæ, non in proprietate naturæ. Siquidem passionis injurias etiam Divinitas pertulit, sed passionem sola ejus caro persensit: Sicuti solis radium, vel flammæ corpulentiam rectè dicimus posse gladio secari, non posse tamen dirimi. Ità Verbum Dei jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem sensisse. Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo affectibus, apparet Deum Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro ejus non solùm pertulit, sed & sensit, & cessit, meritò ac jure dicimus, Dominum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum in carne suâ, sine sensu vel mutatione Divinitatis suæ. Ergo perferre passionem naturæ est utriusque: sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cùm sit unius denique personæ.*

Explicat egregiè idem Author *lib.* 5. quâ ratione aliquid Christo proprium est, & aliquid commune. *Diversum est*, inquit, *atque alienum, initium non habere, & ex initio subsistere; mori, & mori non posse: & tamen sicut ipsi Christo proprium est utrumque, ita non ipsi, sed in ipso utrumque est commune. Si enim dicamus, quia ipsi est commune, necesse est ut exigatur à nobis dare & ostendere alium, cum quo ei sit hoc ipsum commune: Quæ professionis necessitas, in Nestorii vergit impium dogma. Meliùs igitur & Catholicè dicimus, in ipso, & non ipsi esse commune. Ergo proprium est illi mori, propter naturam carnis quæ mortalis est: & proprium est illi non mori, propter naturam Verbi, quæ mori non potest. Item propter ineffa-*

A *bile mysterium unionis, communis in ipso fuit mortalitas carnis Verbi naturæ, quæ mori non potuit: & communis in ipso est immortalitas Verbi naturæ carnis, quæ mortis succubuit. Ergo sicut illi, mori, & non mori, ex utrisque naturis, est proprium: ita commune est in ipsô utrisque naturis, quod illarum est proprium. Et ut exempli gratiâ dixerim: Proprium mihi est notam livoris cujusque verberis gestare in corpore meo, per naturam carnis meæ: & proprium mihi est hanc eamdem notam non gestare in spiritu meo, per naturam animæ meæ. Item proprium mihi est, plagam verbi, id est, sermonem durum, gestare in mente meâ* B *per naturam animæ meæ: & proprium mihi est eamdem plagam non portare in corpore meo, per naturam carnis meæ. Et cùm sit mihi utrumque proprium; & corpori, & animæ meæ utrumque alienum: quia nec durum corpus, latumve sermonem intelligit, nec anima flagelli vulnere livescit: utrumque tamen commune est in me ipso & anima, & corpori meo: quia nec anima extra corpus fuit, & quod ei sentire proprium fuerat, sensit; nec corpus extra animæ consortium plagarum indicia gestavit.*

ARTICULUS II.

C *Utrum Beatissima Virgo Maria verè propriéque dicenda sit Mater Dei?*

PROPOSITIO.

Mariam Virginem verissimè propriéque Matrem Dei esse ac dici debere, docet ac tuetur contra Nestorium Catholica Fides.

PRobatur primò ex Apostolo ad Romanos 1. scribente, *Filium Dei factum esse ex semine Da-* D *vid secundum carnem.* Ex semine verò Davidis genitus intelligi non aliter potest nisi quatenus ex Virgine Matre natus. Nam si nihil ex Virginis substantiâ Dei Filius sumpsit, non est factus, *ex semine*, id est, stirpe Davidis. Quis enim Evam de Adami semine factam dixerit? Nemo sanè. Eccur? Quia nempe ex semine fieri, non merum transitum significat, sed substantivam veramque generationem.

Idem probant illa ex Epistola ad Galatas, cap. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Græcè habetur, γενόμενον, quæ vox generationem significat. Nam γένεσις est generatio.

Probatur secundò testimoniis Veterum Patrum, E qui Concilium Ephesinum præcesserunt. Scilicet S. Ignatii Martyris in Epistola ad Ephesios: *Deus noster*, inquit, *Jesus Christus à Maria in utero gestatus est.* Ibidem. *Unus est Medicus carnalis, & spiritalis, factus & non factus, qui in carne fuit Deus in immortali veraque vitâ, & ex Maria, & ex Deo.*

Beatam Virginem esse Dei Matrem summo consensu docuerunt Patres Ephesino Concilio antiquiores.

Idem probatur ex S. Justino Martyre in *Dialogo cum Tryphone*, ubi ait: *Christum prius extitisse Filium Conditoris omnium, ac Deum, qui genitus est homo per Virginem, eidem nobiscum patiendi legi subjectus, & carnem habens.*

Idem habemus ex S. Irenæo, lib. 3. cap. 31. F *Verbum*, inquit, *existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis. Si igitur primus Adam habuit Patrem hominem, & ex semine viri natus est; meritò dicerent, & secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem ille de terrâ quidem sumptum est, & Verbo Dei plasmatus est, oportebat idipsum Verbum recapitulationem Adæ in semetipsum facientem, ejusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem? Ut non alia plasmatio fieret; neque alia esset plasmatio, quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur*

re capitularetur servatâ similitudine. Verbum æternum extitit ex Maria Virgine, secundùm S Irenæum; id est, de illius substantiâ formatum est; quemadmodum de terræ substantiâ fictus est Adamus. Hâc enim ratione recapitulatur, id est, instauratur ac reficitur prior illa in vitium prolapsa generatio. Hunc S. Irenæi locum laudat Theodoretus. *Dialogo* 1.

Idem suadet S. Hippolytus Martyr ab eodem Theodoreto laudatus. *Dic mihi*, inquit, *ô Beata Maria! quid erat, quod à te in utero conceptum est, & quid à te in Virgineâ matrice gestabatur? Verbum enim erat Dei primogenitum, è cœlo in te delapsum, & homo primogenitus in uterò formatus: ut primogenitum Dei Verbum primogenito homini copulatum ostenderetur.*

Idem S. Dionysius Alexandrinus in Epistola contra Paulum Samosatenum. *Una*, inquit, *sola Virgo filia vitæ, genuit vivens Verbum, & subsistens.* Ibidem. *Quinam tu dicis hominem eximium Christum; & non Deum verum existentem, & adoratum ab universâ creaturâ cum Patre & Spiritu Sancto, incarnatum è Sancta Virgine & Dei genitrice Maria?*

Sic Tertullianus lib. *de Præscriptionibus, cap.* 13. *Regula autem est fidei, ut jam hinc quid credamus profiteamur; illa scilicet, quâ creditur Unum omninò Deum esse, nec alium præter mundi Conditorem, qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum Primò omnium emissum. Id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum: Postremò delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum hominem, & esse Jesum Christum.* Et lib. *de Carne Christi*, cap. 17. *Ante omnia*, inquit, *commendanda erit ratio quæ præfuit ut Dei Filius de Virgine nasceretur.*

Sic Lactantius. *lib.* 4 *Divinarum Institutionum*, cap. 12. *Descendens itaque de cœlo*, inquit, *Sanctus ille Spiritus Dei, Sanctam Virginem cujus utero se insinuaret, elegit. At illa divinò Spiritu haustô repleta concepit, & sine ullo attactu viri, repentè Virginalis uterus intumuit.*

Sic S. Athanasius Oratione IV. contra Arianos, *Itaque divinæ Scripturæ scopus iste est; & formula propria, ut duplicem agnoscamus in ea de Salvatore loquendi rationem: Nimirùm tum Filium fuisse semper, & esse Deum; qui sit Verbum & splendor ac sapientia Patris: tum postea propter nos eumdem illum assumptâ carne, de Virgine Dei genitrice Maria, hominem esse factum.*

Sic S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi IV. *Crede hunc unigenitum Dei Filium, propter peccata nostra è cœlo in terram descendisse, & assumpsisse iisdem nobiscum subjectam affectionibus humanitatem, & ex Sancta Virgine ac Spiritu Sancto esse genitum.*

Sic S. Basilius *Homilia* 25. *de humana Christi generatione*, B. Virginem Θεοτόκον appellat.

Sic S. Gregorius Nazianzenus *Epistola* 1. *ad Cledonium*, à Divinitate separat eos, *Qui Dei genitricem Mariam esse non existimant.*

Sic S. Hilarius lib. 9. de Trinitate. *Natus igitur Deus ex Virgine homo, & secundùm plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem.*

Sic Julius Firmicus libro *De Errore Profanorum Religionum*, cap. 26. *Ex genere Abrahæ descendens Maria Virgo Deum concipit, ut humanum genus per hominem pariter & Deum æquatâ societatis comparatione conjunctum, ad immortalitatis imperium obedientia meritò perveniret.*

Sic S. Ambrosius *lib. de Incarnatione*, cap. 5. *Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; Generatio generationi non præjudicat.*

Sic S. Joannes Chrysostomus Homilia 2. in Matthæum. *Valde*, inquit, *auditu mirum & insolitum est, Deum inaccessum, & ineffabilem, & qui mente comprehendi nequit, ac Patri æqualem, per uterum venisse Virgineum, & ex muliere gigni voluisse; & habere stirpis auctores Davidem & Abrahamum.*

Eumdem titulum Θεοτόκον in Beatam Virginem conferunt Amphilochius *Oratione* IV. Antiochus, & Ammon à S. Cyrillo laudati in lib *De Recta Fide.*

Sic S. Hieronymus lib. contra Helvidium. *Natum*, inquit, *Deum esse de Virgine credimus, quia legimus.*

Sic S. Augustino adscriptus Sermo 15. de Tempore. *Creatorem invisibilem pro nobis visibilem factum, a quo invisibili & ipsa creata est, visceribus fœcundis, & genitalibus integris Virgo mater effundit. Concipiens Virgo, pariens Virgo, Virgo gravida, Virgo fœta, Virgo perpetua. Quid miraris hæc, homo? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. Talem fecit illum, qui est factus ex illa. Antequam fieret enim, erat; & quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. Fecit sibi matrem, cùm esset apud Patrem; & cùm fieret ex matre, mansit in Patre.*

Et infrà: *Quomodò in Regulâ fidei confitemur credere nos in Filium Dei, qui natus est ex Virgine Maria? Quis enim Christianus neget ex illâ fœminâ Filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, & ita hominem Deum factum?*

Sic rursus è Græcis S. Ephrem Syrus in Oratione *De Margarita pretiosa*, explicans illa verba Gabrielis Angeli ad B. Virginem, *Lucæ* 1. relata: *Ideóque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Non dixit, *Quod genitum fuerit, iterùm gignetur: neque dixit, Quod nascetur ex virtute, vel Spiritu Sancto: sed, Ex te, ut Virginis naturam ostenderet Deitati ministrantem, assumptionemque in ipsâ, & ex ipsâ Deo conjunctam. Nisi enim dixisset, Quod nascetur ex te, fortasse figuram existimatum fuisset Verbum assumpsisse.*

Sic Proclus Cyzicenus Episcopus Oratione 1. *In Sanctam Virginem*, quæ initio Ephesinæ Synodi præfixa est. *Sacra Deipara Maria in unum nos evegit. Hæc illibata virginitatis purus ille thesaurus; decusque & ornamentum: hæc spiritalis secundi Adami paradisus: hæc unitarum inter se naturarum officina: hæc salutaris reconciliationis panegyris: hæc thalamus in quo Verbum humanam carnem sibi desponsavit: Hæc animatus naturæ rubus, quem divini partus ignis non combussit: hæc verè levis illa nubes, quæ super Cherubim sedentem in corpore suo gestavit: hæc vellus mundissimum cælesti pluviâ madens, ex quo Pastor ovem induit: hæc ancilla est & Mater, Virgo & cœlum. hæc sola pons est per quem Deus ad homines descendit: hæc admiranda illius œconomiæ tela, in quâ ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica confecta est, cujus quidem textor extitit Spiritus Sanctus; nutrix, virtus ex alto obumbrans; lana, vetusta Adami pellis; trama, impolluta Virginis caro; radius textorius, immensa gestantis gratia; artifex, Verbum per auditum illapsum. Quis vidit, quis audivit talia? Incircumscriptus Deus uterum inhabitat; quem cœli non capiunt, venter non coangustavit Virginis.*

Ex versione P. Combefisii.

Sic Theodotus Ancyranus in Expositione Symboli Nicæni. *Sancti Patres, post Dei cum homine unitionem, non jam ampliùs duas res intelligentes, meritò, Jesum dicentes, Deum Verbum designans, atque juxta Theologum* (id est S. Joannem) *loquentes, Jesum oculis conspicuum, Verbum interpretantur. Non confundentes naturas, sed unitionem ostendentes. Propterea Jesum Mariæ Filium, ex Deo natum, & non factum, ac Dominum gloriæ crucifixum Sacræ Literæ loquuntur.*

Et infrà: *Neque verò passibile aliquâ ratione est passibile, quàm quod naturâ quæ pati potest, præditum est. Nam neque Virgo ejusmodi est, quæ hominem pariat. Non enim partûs capax est, quæ ipsa perseveret virginitas. Atqui Maria Deum Verbum factum hominem peperit integrâ virginitate.*

Sic S. Cyrillus Alexandrinus lib. *De Recta Fide, ad Reginas*, cap. 6. *Illi autem qui sacram Virginem Deiparam*

param esse imperitè negant, huc necessariò adiguntur, ut duos Dei Filios constituant. Nam si sacra Virgo Deum incarnatum secundum carnem non peperit, vel inviti concedant oportet, hominem tantùm vulgarem, nobisque excellentiorem in lucem edidisse. Et cap. 9. *Porrò autem vocem hanc,* Deipara, *veteribus Patribus, quorum sanctimoniam & Fidei integritatem admiramur, nec non omnibus qui eos deinceps huc usque sunt secuti per universum (ut ita dicam) terrarum orbem, familiarem esse, ostendendum existimavi.* Tum subjicit testimonia Patrum, quibus Catholicum istud dogma approbatur, scilicet S. Athanasii, Attici Constantinopolitani Episcopi, Antiochi, Amphilochii Episcopi Iconiensis, Ammonis Episcopi Adrianopoleos, Joannis Chrysostomi, Severiani Gabalorum, Vitalii Episcopi, & Theophili Alexandrini.

Eorumdem Patrum auctoritatem, & totius Ecclesiæ fidem urget contra Nestorium, in Epistola ad Acacium Episcopum Berœensem, additque: *Denique nemo, opinor, ex Orthodoxorum numero illam Deiparam nominare dubitavit; quandoquidem verum est, Emmanuelem Deum esse. Erunt itaque anathemate constricti SS. Patres, qui jamdudum ante ad Deum evolarunt, cæterique omnes quotquot Christum Deum esse confessi, recta veritatis dogmata consectantur.*

Et in Epistola 3. ad Nestorium, cap. 11. *Quia verò sacra Virgo Deum carni secundùm hypostasim unitum corporaliter genuit, ob id illam quoque Deiparam esse dicimus; non quòd Dei Verbi natura existendi initium ex carne traxerit; sed quia humanâ naturâ secundùm hypostasim sibi unitâ, corpoream ex uterò nativitatem expertum est.* Et Anathematismo 1. *Si quis non confitetur, Emmanuelem verum Deum esse, & ob id Sanctam Virginem Deiparam; (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundùm carnem) anathema sit.* Idem Fidei dogma tuetur in omnibus scriptis contra Nestorium.

Ipsi suffragatur Joannes Antiochenus in Epistola ad Nestorium. *Etenim nomen hoc* θεοτόκος *inquit, nullus unquam Ecclesiasticorum Doctorum repudiavit. Qui enim illo usi sunt, & multi reperiuntur, & apprimè celebres: qui verò illud non usurparunt, nunquam erroris alicujus eos insimularunt; qui illo usi sunt...* Et infrà: *Etenim si id quod nominis significatione offertur, non recipimus, restat ut in gravissimum errorem prolabamur; imò verò ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei œconomiam abnegemus: quandoquidem nomine hôc sublatô, vel hujus potius nominis notione repudiatâ, sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causâ suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse, neque in servi formam sese demittens ineffabilem quamdam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuisse. Cùm tamen Dei erga nos clementiam divina Scriptura hinc præcipuè confirment, quòd unicum illum sempiternumque Dei Filium ante omnia sæcula natum, impatibili modo ex sacrâ quoque Virgine ortum ostendunt. Hoc namque divinus tradit Apostolus, dum ita ait: Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Clarè hic ostendit, ipsummet Dei Unigenitum admirabili ortu ex Virgine in lucem prodiisse. Quòd si Virgo à Sanctis Patribus propter hanc generationem Deipara nominatur, ut verè hoc nomine ab illis nominatur; nescio quorsum attinuerit ut quæstionem hanc nequaquam necessariam, & contra nos ipsos, & contra Ecclesiasticam pacem quoque agitandam susceperimus.*

Suffragatur & Theodoretus in reprehensione Anathematismi primi Cyrilliani. *Quamobrem,* inquit, *& Sanctam illam Virginem Dei genitricem appellamus, non quasi Deum naturâ generaverit, sed tanquam hominem unitum Deo qui finxit eum.* Et infrà, de servi forma quam Verbum assumpsit, hæc habet: *Quia verò non erat nudata Dei formâ, sed templum inhabitantis Dei Verbi secundùm Pauli vocem: In ipsô enim,* inquit, *complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter: non hominis genitricem, sed Dei genitricem Virginem appellamus; illam quidem figmento & formationi, & conceptui, hanc autem unitioni imponentes appellationem. Propterea & natus infans Emmanuel appellatur, neque Deus ab humanâ naturâ separatus, neque homo divinitate nudatus... Ergo infans Emmanuel dicitur propter assumentem Deum; & Dei genitrix Virgo, propter unitionem formæ Dei ad conceptam servi formam.*

Suffraganeur Orientales Episcopi in Confessione Fidei, quam suæ ad Joannem Antiochenum Epistolæ, quæ incipit, *Lætentur cæli*, inseruit S. Cyrillus. *Confitemur*, inquiunt, *Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, Deum esse perfectum, & hominem perfectum, ex animâ rationali & corpore constitutum; ante sæcula quidem ex Patre natum secundùm divinitatem, postremis verò temporibus eumdem ipsum, propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine, secundùm humanitatem: siquidem duarum naturarum facta est unio: & propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Secundùm hunc inconfusæ unitatis intellectum, Sanctam Virginem Deiparam esse confitemur, propterea quòd Deus Verbum incarnatum sit & homo factum, & ex ipsô conceptu templum ex illâ sumptum sibi univerit.*

Suffragatur Paulus Emissenus Episcopus in Homilia Alexandriæ habitâ, cùm pax inter Ecclesias inita est. *Paris*, inquit, *Dei Genitrix Maria Emmanuelem... Qui ita non dicit, intelligis, ac sentit, anathema sit ab Ecclesia. Peperit proinde nobis Deipara Maria Emmanuelem: hoc est, Deum hominem factum. Nam Deus Verbum, qui ante sæcula arcanò ineffabilique modo ex Patre genitus est, novissimis temporibus natus est ex muliere. Naturâ namque nostrâ perfectè assumptâ, humanitate quæ ex primâ conceptione sibi conjunctâ, ac nostrô corpore sibi in templum fabrefactâ, ex Deipara Virgine Deus perfectus, & homo itidem perfectus prodiit.* Legatur ejusdem Homilia secunda. Extat utraque tertiâ parte Concilii Ephesini *cap. 31. & 32.*

Beatam Virginem esse Dei Matrem confirmant Patres Ephesinum Concilium secuti.

Suffragatur S. Leo Epistola 24. ad Flavianum. *An forte*, inquit, *ideò putavit Dominum nostrum Jesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam semper Virginem Angelus ait: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei: ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de naturâ concipientis caro fuerit concepti? Sed non ita nobis intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis, proprietas remota sit generis. Fœcunditatem enim Virgini Spiritus Sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est; & ædificante sibi Sapientiâ domum, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: hoc est, in ea carne, quam assumpsit ex homine, & quam spiritu vitæ rationalis animavit.*

Et Epistola LXXVII. *Num sicut Nestorius non est toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodò fuisse genitricem, qui postmodum sit à Verbo Deitatis susceptus, duabus scilicet personis distinctis atque diversis, ut non esset filius hominis, qui Filius Dei; neque unus Christus in utraque naturâ, sed alter sempiternus ex Patre, alter temporalis ex Matre: cùm Evangelica auctoritas ita Verbum carnem prædicet factum, ut non duos Christos, nec duos Filios, sed in unô Dominô Jesu Christo & Dei, & hominis nobis insinuet veritatem: ut utriusque substantia, id est, salvantis atque salvata, nec proprietas possit confundi, nec persona geminari*, &c.

Suffragatur S. Fulgentius libro *de Incarnatione*, cap. 3. *Si Deus Verbum*, inquit, *sic in Virgine caro fieret, ut ex ea non fieret, proculdubiò non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, esset-*

que

que ejus per Virginem transitus: atque ita nec Mediatoris Sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humana divinaque plenam in se Christus Dei Filius inconfusibiliter uniret substantia veritatem... Beata igitur Maria Deum Verbum, secundùm quòd caro factum est, & concepit, & peperit: cujus utero Verbum Deus, non carnem, in quâ conciperetur, intulit, nec ex eâ materiam concepta sive formata carnis, non ipse Deus concipiendus, sed tantùm nasciturus assumpsit: Sed ex eâ, & in eadem Virgine humana carnis naturam, secundùm quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur, & nasceretur, assumpsit.

Et cap. 6. *Ita Deum Verbum, secundùm quòd caro factum est, Virgo Sancta concepit, Angelorum hominumque factorem, eumdemque nihilominus Virgo peperit hominum Redemptorem. Neque enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis assumptione, nec carnem sine unitione concepit; quia ille conceptus Virginis, Deo fuit, carnique communis.*

Suffragatur Petrus Diaconus lib. *de Incarnatione* c. 11. dicens: *Beatam Virginem Mariam, non propter dignitatem hominis illius, qui ex ipsâ natus est, (quem gratiâ & non naturâ Deum quidam impiè prædicare non metuunt) sed propriè & secundùm veritatem* Θεοτόκον *id est, Dei genitricem, eò quod peperit verè & propriè Deum Verbum incarnatum & hominem factum,* &c.

Suffragatur Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium: *Dicat ergo mihi aliquis,* inquit, *Utrum proprius Filius Dei Patris, ipse est proprius Filius Virginis matris, an forte non habuit Maria proprium Filium, quem Deus habet proprium Filium? Sed & Maria habet proprium filium, quia genuit, non adoptavit; & illum habet proprium Filium, quem habet Deus proprium Filium, quia duos filios nunquam Fides Catholica prædicat. Restat ergo, ut si Deus Dei proprius Filius, ipse est etiam Matris Virginis proprius filius, propriè eum genuerit. Alioquin si illa propriè non genuit, nec ille est propriè filius: Proprius est autem: ergo illa propriè genuit; verumtamen secundùm humanitatem, secundùm quam potuit Deus nasci.*

Suffragatur Joannes Secundus Romanus Pontifex in Epistola ad Avienum Senatorem, & alios. *Gloriosam verò,* inquit, *sanctam semper Virginem Mariam, & propriè & veraciter Dei genitricem, matremque Dei Verbi ex eâ incarnati, ab hominibus Catholicis confiteri, rectè esse, docemus, propriè & veraciter: & idem ipse ultimis temporibus incarnatus ex sancta Virgine matre nasci dignatus est. Propterea ergo quia propriè & veraciter Dei Filius ex ea incarnatus est; ideo propriè & veraciter Matrem Dei ex ea incarnati & nati esse confitemur.*

Suffragatur Quinta Synodus Canone 6. *Si quis abusivè, & non verè Dei genitricem dicit sanctam, gloriosam semper Virginem Mariam: vel secundùm relationem, quasi homine purò natò, sed non Deo Verbo incarnatò & natò ex ipsâ, referendâ autem, sicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eò quòd cum homine erat nascente: & calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundùm istum impium intellectum, quem Theodorus execrandus invenit, Dei genitricem Virginem dicentem: vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotocon, id est, Christi genitricem, tanquam si Christus Deus non esset; & non propriè & verè Dei genitricem ipsam confitetur, eo quòd ipse qui ante sæcula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsa incarnatus & natus est; & sic piè & sanctam Chalcedonensem Synodum Dei genitricem eam esse confessam, talis anathema sit.* Secuta est V. Synodus Chalcedonensem in Definitione Fidei, & Ephesinam, in quâ propterea damnatus est Nestorius, quòd Beatam Virginem Deiparam negaret.

Suffragatur Facundus Hermianensis lib. 1. cap. 4. *Quæ cùm ita sint,* inquit, *quemadmodum nihil ex hoc metuendum est, ne cùm dicitur Deus verè, & propriè Pater Filii crucifixi, sequi videatur, quòd illa humanitas à verbo Dei suscepta, & crucifixa in Deitatem conversa sit, & natura humana, quæ composita est, simplici naturæ Patris consubstantialis effecta: ita non sequitur, cùm dicimus verè & propriè matrem Dei Mariam, ut deitas Verbi conversa videatur in carnem, & natura divina, quæ simplex est, compositæ naturæ matris consubstantialis effecta. Alioqui si blasphemum & absurdum est, quòd beata Maria verè & propriè dicitur Mater Dei, sine ullâ disceptatione blasphemum & absurdum est, quòd Deus Verbum verè & propriè dicitur filius hominis. Si autem & hoc blasphemum & absurdum videtur, ut Deus Verbum verè & propriè dicatur filius hominis; consequenter blasphemum videbitur & absurdum, ut idem ipse Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, verè & propriè dicatur Filius Dei. Porrò Scriptura divina, quæ nihil blasphemum loquitur, vel absurdum, pro unitate personæ verum & proprium Dei Filium dicit Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus... Rectè igitur etiam beata Maria pro eadem unitate personæ, verè & propriè mater dicitur ipsius unigeniti Dei Verbi.*

Suffragatur S. Joannes Damascenus *lib. 3. de Fide Orthodoxa,* cap. 12. *Dei genitricem,* inquit, *propriè verèque Sanctam Virginem prædicamus. Ut enim Deus verus est, qui ex illâ genitus est; ita verè est Dei genitrix, quæ verum Deum ex seipsa incarnatum genuit. Non enim merum genuit hominem Virgo sancta; sed Deum verum; nec ipsum nudum, sed incarnatum, qui non è cœlo corpus detulit, ac per illam velut per canalem transiit: sed ex ipsâ consubstantialem nobis carnem assumpsit, & in seipso fecit subsistere. Nam si corpus è cœlo attulit, idque non ex naturâ nostra simili sumptum est, quæ utilitas fuit hominis suscepti? Siquidem inhumanatio Dei Verbi propterea facta est, ut eadem quæ peccaverat, & ceciderat, & corrupta erat natura, Tyrannum sibi occurrentem vinceret, atque hoc modo à corruptelâ liberaretur.*

Objiciebat Nestorius. Quæ divinitatem non genuit, Dei genitrix dici non potest: atqui Maria divinitatem non genuit: Dei ergo genitrix dici non potest.

Nestorianorum objectionibus respondetur.

Respondeo, Nego majorem. Satis enim est quòd Deum genuerit Incarnatum hominemque factum: Non quòd Deo initium dederit existendi absolutè, sed tantùm in carne, id est, in naturâ hominis, cui eodem quô est genita momentô, copulatum est & unitum secundùm hypostasim Verbum. Sicut enim quævis alia mulier hominis mater est, quamvis animam non generet; sic Virgo sanctissima nihilominus Dei genitrix existimanda est, quamvis divinitatem per seipsam non genuerit, nec ei initium dederit, cùm hominem Deum genuerit. Ita respondet S. Cyrillus in Epistola ad Monachos. *Simile est,* inquit, *humano partui Incarnati Verbi mysterium. Etenim terrenorum hominum Matres naturæ ad gignendum servientes, carnem habent in utero, quæ paulatim compacta, & inexplicabilibus quibusdam efficientiis progressa in humanam speciem absolvitur. Deus porrò spiritum animali quibus scit modis infundit... Verùm etsi mulieres istæ nonnisi terrenorum sint corporum Matres: nihilominus cùm totum animal pepererint ex animâ & corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicantur. Nec aliquis dixerit, exempli causa, Elisabetham matrem Joannis carnis esse genitricem, non animæ: peperit enim animatum Baptistam, ac sic tanquam unum aliquid ex ambobus, hominem, animâ videlicet ac corpore. Hujusmodi quippiam actum esse fatebimur & in Emmanuelis generatione. Quippe natum est, ut dixi: ex Dei Patris substantiâ Unigenitum ipsius Verbum,*

Cùm

Cùm autem carnem suscepit, eamque propriam sibi fecit, ut Filius hominis esset: ac nostri similis fieret, tunc minimè est absurdum dictu: immo necessariò profitendum; illum ex muliere secundùm carnem esse genitum: quemadmodum & hominis anima unà cum proprio corpore gignitur, & unum cum eò reputatur: tametsi natura intelligatur, & sit ab eo diversa, secundùm propriam rationem.

Contrà. Si Matia Dei genitrix esset, sequeretur ipsam esse Deam. Matri enim filius consubstantialis est.

Respondeo, nego consecutionem. Ut enim ait Ferrandus in Epistola ad Anatolium, *Frustra expavescit quisquis astimat consubstantialem divinitati matrem futuram, si veraciter & propriè Maria Mater fuerit Dei. Profectò enim quia veraciter & propriè generanti semper est consubstantialis ille qui nascitur, accepit ab eà Deus unde ei fieret consubstantialis, & sic ex eà nasci dignatus est. Ita igitur propriè, sicut veraciter, Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam: sine carne enim divinitatem sempiternam generare non posset homo mortalis.*

Objiciebant rursùs Nestoriani. Ex unâ substantiâ generari nullatenùs possunt substantiæ duæ: atqui Deus & homo sunt substantiæ duæ: ergo Maria non est hominis Deique genitrix.

Respondeo distinguo majorem. Si separatim generentur, concedo: Si una per se non generetur, sed ratione alterius, in onamque hypostasim concurrant, nego. Ita respondet Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium. *Nunc verò,* inquit, *in magnô illô & mirabili Sacramentô, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundùm humanam substantiam propriè nata est, quia non separatim nata est; nec humanitatem propriè natam sibi divinitus adunavit, sed adunando eam sibi, propriè nata est. Dicam adhuc planiùs pro captu infirmitatis meæ. Propriè est nata de Patre divinitas pura: propriè est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter ambas Filii Dei duas generationes, quòd in divina generatione nulla fuit humanitas; in humana generatione adunata fuit humanitati propriè nascenti divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero, Maria semper Virgo propriè genuit humanitatem, non propriè genuit divinitatem; videbitur sub aliquô modô hominem purum genuisse, quem nullô modô ita genuit, quia Verbum carnem factum propriè genuit.*

S Hilarii locus pau obscurior explicatur.

Objicies verba S. Hilarii *lib.* x *de Trinitate*, dicentis, Mariam Corpori Christi originem non dedisse, *Non enim*, inquit, *ex se corpori Maria originem dedit: Licet ad incrementa partumque corporis omne quod sexûs sui naturale est contulerit. Quod verò hominis filius est, suscepta in Virgine carnis est partus.*

Respondet Hunaldus in Epistola ad Joannem Præpositum, quæ extat inter Epistolas Philippi Abbatis Bonæ Spei, nihil aliud S. Hilarium velle, nisi Christi corpus naturaliter & usitatô modô non fuisse conceptum, ac genitum: Quod iis verbis indicat, *Corpus non terrenæ conceptionis elementis susceptum, non terrenis elementis inchoatum.* Quæ Hilarii verba Hunaldus sic exponit. *Elementa rerum principia vocat, id est, causas illas, quæ divinâ providentiâ gubernante, conceptionem corporum operantur. Quæ videlicet causa sive natura in procreandis corporibus numeros illos explicant, quos Deus, cùm omnia crearet, simul creavit, & eis attribuit, & in ictu condendi seminaliter eas sparsit; non tamen suam eis potentiam alligavit... Causæ ergo illæ communes, ut dicere cœperam, in congignendis corporibus operantur, velut cùm seges vel arbor ex semine suo nascuntur. In conceptione verò Virginali non solus naturæ cursus, sed alia penitùs causa primùm operata est, licet alia sint subsecuta. Alia causa non creata supervenit, quæ carnem Verbo Dei personaliter uniendam de carne Virginis sequestravit, & eandem à peccato originali mundavit. De hac; ut arbitror, causâ, sive initio corporis Christi loquebatur Hilarius, cùm diceret, Non habuit Christus initium ex Maria. Illud enim revera ex Maria non habuit, habuit verò aliud. Nam Virgo ex se genuit: Hoc, ut mihi videtur, Hilarius fideliter intellexit, à qua fide, qui rectè sentiat, non dissentit. De verbis ergo contendere, cùm de rebus constet, & disputare ad nomen, Viris non convenit Eruditis.*

DISSERTATIO XXIV.

Adversus Hæresim Eutychianam.

Duas in Christo esse naturas Scriptura sacra expressè docet.

I. HANC Hæresim confodiunt Scripturæ sacræ loca plurima, scilicet caput I. Sancti Evangelistæ Joannis, in quô duplex Verbi divini Nativitas disertè exprimitur, æterna ex Patre, his verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; Temporalis ex Matre, his verbis: *Et Verbum caro factum est.* Duplex autem Nativitas naturam probat duplicem. Idem probat ille locus I. Joannis 5. *Quod fuit ab initiò, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ: Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Certè Verbum nisi in assumptâ carne tractari non potest. Duplicem pariter Filii Dei naturam Apostolus ad *Romanos* I. indicat, ita scribens: *De Filio suô, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Et *cap.* 9. ubi de populi Judaici prærogativa loquens, ait: *Quorum Patres, & ex quibus est Christus; qui est super omnia benedictus Deus in sæcula.* Et ad Philippenses II. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Ibi formam pro naturâ sumi, perspicuum est.

Duas in Christo esse naturas Concilia declarant.

II. Eam Hæresim Conciliorum Definitiones elidunt. Symbolum Nicænum, quod asserrâ Filii divinitate, mox de susceptâ hominis naturâ subjicit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est.* Chalcedonense Concilium in Definitione Fideî pronuntiat, *Christum Dominum nostrum, eundem perfectum in Deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore; consubstantialem Patri secundùm Deitatem, consubstantialem nobis secundùm humanitatem: ante sæcula quidem de Patre genitum secundùm deitatem: in novissimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei genitrice; secundùm humanitatem, unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum. Nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & unam personam atque subsistentiam concurrente.*

Synodus v. Oecumenica *cap.* 7. & 8. anathemate confodit eos, qui duas in Christo manentes naturas confessi non fuerint. Legatur Concilii Hispalensis II. Canon XIII. quo duarum naturarum Fides contra Acephalos disertè asseritur.

III. SS. Patres Concilio Chalcedonensi antiquiores Eutychianam Hæresim prædamnarunt, & Catholicæ Fidei dogma de duabus in Christo manentibus naturis docuerunt.

Patres Concilio Calchedonensi antiquores hu-

S. Ignatius in Epistola ad Ephesios: *Unus*, inquit, *Medicus est, carnalis, & spiritualis, factus, & non factus; in homine Deus, in morte vita æterna; ex Maria,*

&

tychianum Hæresim per- damnatum

& ex Deo: primùm passibilis, & tunc impassibilis, Dominus noster Jesus Christus.

S. Justinus Martyr in Apologia 2. *Princeps autem virtus post Patrem omnium & Dominum, ac Filius, est Verbum: quod quemadmodum incarnatum homo factum sit, dicemus postea.*

S. Irenæus lib. 5. cap. 14. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset; & si non haberet sanguis Justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.*

Origenes Homilia 1. in Ezechielem. *Respondeant mihi Hæretici, qui nativitatem illius ut phantasma eludant, Quare Christus Filius hominis appellatur? Ego affirmo Filium hominis ipsum fuisse. Nam qui passiones assumpsit humanas, necesse est ut ante passionem susceperit nativitatem.*

S. Dionysius Alexandrinus in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum. *Deus apparuit in carne, factus ex muliere; qui ex Deo Patre natus est ex utero ante Luciferum, tanquam ex corde Verbum, editum ex Patre; & simplex atque impartibile Verbum caro factum est.*

Antiochenæ Synodi contra Paulum Samosatenum celebratæ Patres in Epistola ad eum scriptâ. *Idcircò corpus ex Maria natum, cùm totam divinitatis plenitudinem cepisset, corporaliter divinitati, sine conversione, unitum est, & deificatum.*

S. Hippolytus Martyr in Oratione *de distributione talentorum*, Hæreticos impugnat. *Qui vel nudum hominem confitentur apparuisse Christum in vitâ, divinitatis ejus talentum negantes: vel Deum confitentes, hominem rursus negant, docentes eum fallaci specie spectantium oculis illusisse velut hominem, cùm hominem non gestaverit, sed inane potiùs spectrum fuerit, sicut Marcion, & Valentinus, & Gnostici, Verbum à carne divellentes, talentum unum, hoc est, Incarnationem objiciunt.* Istud & alia plura ejusdem sanctissimi Episcopi & Martyris testimonia contra Eutychianos profert Theodoretus *Dialogo* 11. *pag.* 88. & 89.

S. Athanasius in Epistola ad Epictetum. *Audiant quòd si creatura erat Verbum, non assumpsisset creaturæ corpus, ut illud vivificaret. Quodnam enim creaturis à creatura auxilium esse potest, quæ ipsa quoque auxiliò indiget? Sed quia Verbum cùm esset creator, ipse creaturarum conditor fuit, ideò in consummatione sæculorum creaturam ipse sibi adjunxit, ut eam tanquam conditor renovaret ac recrearet.* Ibidem. *Quomodo autem vel dubitare ausi sunt, qui dicuntur Christiani, si Dominus qui ex Maria processit, Filius quidem de substantia natura Dei est, quod autem secundum carnem, ex semine David est, & carne Sanctæ Mariæ.* Plura alia S. Athanasii testimonia profert Theodoretus *Dialogo* 11. ad dogma de duabus Christi naturis confirmandum.

S. Basilius à S. Leone laudatus in Epistola ad Leonem Augustum. *Cùm ergo quædam in Christo ita videmus humana, ut nihil à communi mortalium fragilitate distare videantur; quædam ita divina, quæ nulli alii, nisi illi ineffabili naturæ conveniant deitatis: hæret humani intellectus angustia, & quò se convertat, ignorat. Si hominem putet, devictò mortis regnô cum spoliis redeuntem à mortuis cernit. Propter quod cum omni metu & reverentiâ contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturæ veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum & indecens de divina illa & ineffabili substantia sentiatur: neque rursus, quæ humanitus gesta sunt, falsis illusa imaginibus æstimentur.* Alia S. Basilii loca laudat Theodoretus *Dialogo* 11.

S. Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Cledonium: *Naturæ quidem duæ Deus & homo, quia & anima & corpus: Filii verò nequaquam duo. Neque enim hîc duo sunt homines, etiamsi Paulus sic loquitur, cùm appellat interiorem hominem & exteriorem. Ac ut summatim dicam, aliud quidem & aliud sunt ea ex quibus salvator: quia non idem est visibile cum invisibili, & temporis expers cum temporaneo. Non est tamen alius & alius, absit.* Et in Oratione in Theophania: *Cùm ergo processisset ex Virgine Deus, in eâ, quam assumpserat, humanâ naturâ, unum è duobus sibi invicem contrariis existens, carne & spiritu, aliud in Deum assumitur, aliud deitatis gratiâ... Missus est quidem, sed ut homo. Duplex enim erat in eo natura. Inde denique & laboravit ex itinere, inde & esuriit, & sitivit, contristatus est, & flevit, humani corporis lege.* Alia ejusdem Patris testimonia profert Theodoretus, *Dialogo* 11.

S. Gregorius Nyssenus in *Oratione ad Eunomium*, à Theodoreto laudata ibidem, explicans illa verba Actorum 2. *Dexterâ Dei exaltatus*: ait: *Quis ergo exaltatus est, humilisne, an altissimus? Quid est autem humile, nisi humanitas? Quid aliud præter Deum est Altissimus? Atqui Deus exaltatione non indiget, cùm sit altissimus. Humanam igitur naturam exaltatam fuisse dicit Apostolus: exaltatam verò, eò quòd Dominus & Christus factus sit.* Alia ejusdem testimonia Theodoretus ibidem profert. His suffragatur Amphilochius Iconii Episcopus, cujus insignia testimonia ibidem legere potes.

Theophilus Alexandrinus in Epistola Paschali contra Origenem: *Unus Filius Patris nostrique Mediator, nec æqualitatem ejus amisit, nec à nostro consortio separatus est: invisibilis Deus; & visibilis homo; formâ servi absconditus, & Dominus gloria confessione credentium comprobatus. Neque enim privavit eum Pater natura sua nomine, postquam pro nobis homo, & pauper effectus est, nec in Jordane fluvio baptizatum altero appellavit vocabulo, sed Filium unigenitum: Tu es Filius meus dilectus. Nec similitudo nostra in divinitatis est mutata naturam, nec divinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem.* Alia ejusdem testimonia referunt Theodoretus *Dialogo* 11. & S. Leo in Epistola ad Leonem Augustum.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi IV. *Si phantasia esset Incarnatio, spectrum quoque esset salus. Duplicis naturæ fuit Christus: homo quidem, quod videbatur; Deus autem, quod non apparebat: Comedens quidem ut homo verè, sicut nos, habebat enim carnis similes nobis affectiones: quinque autem panibus quinque millia pascens ut Deus: dormiens in navi ut homo, & ambulans per aquas ut Deus.*

S. Joannes Chrysostomus in Homilia de Ascensione Domini: *Nam sicut duobus jurgio separatis, unus in medio positus altercantium litem discordiamque dissolvit: ita & Christus nobis fecit. Deus nobis justè irascebatur: & nos contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus: & se medium Christus ingessit, & sociavit utramque naturam, & nobis quod imminebat à Patre supplicium, ipse sustinuit.* Alia ejusdem testimonia legi possunt apud Theodoretum *Dialogo* 2. & apud S. Leonem in Epistola ad Leonem Augustum.

S. Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Nestorium. *Non enim dicimus quòd Dei natura conversa vel immutata, facta sit caro; nec quòd in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed illud magis, quòd carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter, & ineffabiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis, non nudâ tantummodò voluntate, sed nec assumptione sola personæ; sed quòd diversæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus & Filius, non evacuatâ aut sublatâ diversitate naturarum per conjunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum, & Christum, & Filium, id est, divinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad unitatem.* Et

infrà: *In Christum unum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne divisionis quadam species indicatur; sed unum jam & eundem adorantes: quia non est alienum à Verbo corpus suum, cum quo ipsi etiam assidet Patri.* Alia ejusdem Sanctissimi Doctoris testimonia lege apud S. Leonem & Theodoretum locis laudatis.

S. Hilarius lib. 9. de Trinitate. *Nescit planè, vitam suam nescit, qui Jesum Christum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat: & ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare..... Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & ipsò illò inter Deum & homines Mediatoris Sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, natura utriusque res eadem est: ita tamen ut neutro careret in utroque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri. Neque Deum nescire, quod homo sit, neque carnem ignorare, quòd Verbum sit.* Alia ejusdem Patris insignia testimonia legantur apud Theodoretum & S. Leonem locis laudatis.

Idem dogma fidei asserunt S. Hieronymus in Matthæi cap. ultimum, Ruffinus in Symbolum, S. Paulinus Epistolis 4. & 24.

S. Ambrosius lib. 2. *de Fide* ad Gratianum *Sileant igitur inanes de sermonibus Quæstiones; quia regnum Dei, sicut scriptum est, non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis: servemus distinctionem divinitatis & carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius; quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquitur.*

Et lib. *de Incarnatione Domini* contra Apollinaristas. *Sed dum hos redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicant & divinitatem unius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, ut majore contentione asserant Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, unius non esse substantiæ, quia isti divinitatem Domini & carnem substantiæ unius dicere tentaverunt.* Plura alia non minùs luculenta S. Ambrosii testimonia Theodoretus & S. Leo contra Eutychianos proferunt, locis laudatis.

S. Augustinus in Epistola ad Volusianum. *Nunc verò ita inter Deum & homines Mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.*

Leporius in Libello Emendationis, quem sub nomine S. Augustini Thodoretus & S. Leo laudant. *Confitemur Dominum ac Deum nostrum Jesum Christum, unicum Filium Dei, qui ante sæcula natus ex Patre est, novissimè tempore de Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine factum, hominem Deum natum: & confitemur utramque substantiam carnis & Verbi, unum eundemque Deum atque hominem piâ fidei credulitate suscipimus: & ex tempore susceptæ carnis, sic omnia dicimus, quæ erant Dei, transisse in hominem, ut omnia quæ erant hominis in Deum venirent: & hâc intelligentiâ Verbum factum sit caro, non ut conversione, aut mutabilitate aliquâ cœperit esse quod non erat; sed ut potentiâ divinæ dispensationis Verbum Patris, nunquam à Patre discedens, homo propriè fieri dignaretur; incarnatusque sit Unigenitus secretò illò mysteriò, quod ipse novit.... Novit enim sine sui corruptione misceri. Absit ita credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio, partis utriusque corruptio est.... Nascitur ergo nobis propriè de Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine Deus homo Jesus Christus Filius Dei, ac sic in alterutrum unum fit Verbum & caro, ut manente in suâ perfectione naturaliter utraque substantiâ, sine sui præjudiciò, & humanitati divina communicent; & divinitati humana participent; nec alter Deus, alter homo; sed idem ipse Deus, qui & homo, & vicissim homo, qui & Deus Jesus Christus, unus Dei Filius & nuncupetur, & verè sit.*

Ejusdem Catholici dogmatis de duabus Christi naturis in unam personam convenientibus, & post unitionem sine ulla confusione remanentibus, fidem confirmant Capreolus Carthaginensis in *Epistola ad Vitalem & Constantium*, & Cassianus passim in Opere *de Incarnatione*, & præsertim *lib.* 3. cap. 5.

S. Leonem appellasse satis est, qui Chalcedonense Concilium in caussa fidei confirmavit, & duarum in Christo naturarum confessionem scriptis doctissimis exposuit. Ex variis ejus Epistolis & Sermonibus, illam tantùm laudo celeberrimam Epistolam ad Flavianum, quæ à Synodo Chalcedonensi suscepta & approbata est. Unum ex eâ locum proferre sit satis. *Salvâ igitur proprietate utriusque naturæ & substantiæ*, inquit, *& in unam coeunte personam, suscepta est à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili: ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus, & mori posset ex unò, & mori non posset ex alterò. In integrâ ergo veri hominis perfectâque naturâ verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initiò Creator condidit, & quæ reparanda suscepit.*

Et infrà: *Sicut Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.*

Rationes Patrum contra Eutychianos.

IV. Multiplici ratione ex Incarnationis Dominicæ veritate petitâ Eutychianos impugnarunt SS. Patres. Primam ex ipsa unitionis voce arcessiverunt. *Unitio* enim *est duarum* naturarum; *non cujuslibet alterius abolitio* (inquit Gelasius *lib. contra Eutychem*) Unitio autem Verbi cum carne ex hoc Scripturæ sacræ oraculo habetur: *Verbum caro factum est.*

Secunda ratio hæc est. Si ex duabus naturis unica in Christo facta esset, nec humana illa esset, nec divina: adeóque Christus nec Deus esset, nec homo; nec Patri, nec Matri consubstantialis. Sic ratiocinatur Leontius, apud Eutymium, *in Panoplia*, Parte 2. Tit. 15. *Simplex natura compositæ naturæ non est consubstantialis. Quare si simplex natura Patris est, Filii verò composita, non erit consubstantialis Patris natura naturæ Filii. Atqui consubstantialem Patri Christum, & eumdem nobis consubstantialem profiteri se simulant. Dicant igitur an fieri possit, ut una & composita natura Christi ex toto sit Patri consubstantialis, & sic eadem tota nobis: & an non istud ad eandem nos cum Patre substantiam evehat.*

Tertia ratio hæc est, quòd nec divinitas in carnem mutari potuerit, nec humana in deitatem transire natura. Ita ratiocinatur Gelasius. *Etenim si aliquid, quod absit, vel divinitatis, vel humanitatis inde decesserit, sequitur ineffabilis resolutio Sacramenti: & quod dictu audituque fugiendum est, vel homo Deus esse jam desinat, si sola illic humanitas, non etiam deitas perseverat: vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illic divinitas, non*

etiam

etiam humanitas unita permaneat. Nec glorificata videatur nostra conditio unitione deitatis, sed potius esse consumpta, si non eadem subsistit in gloriâ; sed solâ existente deitate, humanitas illic esse jam destitit. Videbitur autem divinitas in utroque mutabilis, si vel in carnem est ipsa conversa; vel sic est in deitatem humanitatis transfusa conditio ut proprietas ejus esse desierit. Si enim ex seipsa ex totò jam non est, restat ut accesserit, accreveritque deitati, sic in deitatis naturam transeundo, ut esse desiterit prorsus humanitas: ubi modis omnibus divina substantia mutabilitatem recipere judicetur; quæ cùm nec minui possit omnino, nec crescere, transfusione humanitatis adjectâ velut aucta videatur.

Quarta ratio hæc est, quod naturæ uni simplici contrariæ proprietates non conveniunt; cujusmodi insunt Christo Domino. Ita Ephræmius, in Bibliotheca Photii, Cod. 229. *Si in contrariis proprietatibus horum utriusvis natura spectatur, carnis, inquam, & divinitatis, quînam duæ sint una natura?* Quod ratiocinium laudat ex S. Gregorio Nysseno adversùs Apollinarem scribente.

Eutychianorum argumentis respondetur.

Objiciebant Eutychiani effatum illud Evangelicum: *Verbum caro factum est*: & ex eò Verbum in carnem conversum, vel carnem ipsam à Verbo fuisse consumptam colligebant.

Respondent SS. Patres, Verbum carnem factum esse, non conversione in carnem, non commixtione, & confusione; sed unitione & assumptione: sicut Christus in Scriptura dicitur factus pro nobis maledictum & peccatum, quia maledictum in se suscepit, & peccata nostra pertulit, non quòd in execrationem & peccatum sit conversus. Ita locum illum ex S. Athanasio explicat Theodoretus, *Dialogo* II. Ita S. Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Cledonium. Ita S. Ambrosius lib. de Incarnatione cap. 6. *Desinant*, inquit, *dicere naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam; ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati.*

Addunt Patres, cavisse Spiritus Sancti providentiam, ne verba illa S. Joannis mixtionis, confusionisque falsam quamdam speciem imperitorum animis ingererent, subjectis illis vocibus, *Et habitavit in nobis.* Ita S. Chrysostomus Homilia XI. in Joannem. *Ut intelligas*, inquit, *ob id unum scriptum esse, Factum est, ne apparentem speciem suspiceris; audi ut in sequentibus orationem suam repurgat, ac pravam illam suspicionem evertit. Quid enim subjicit? Et habitavit in nobis: tanquam sic te alloqueretur: Vide ne quid absurdi suspiceris ex illà voce, Factum est. Non enim mutationem illam immutabilis illius naturæ significavi: sed habitationem & commorationem. Porro id quod habitat, non est idem cum eo quod habitatur, sed diversum. Nam alterum habitat in altero, alioqui non esset habitatio. Nihil enim in se ipso habitat. Cæterùm alterum dixi substantiâ. Quippe unitione & copulatione unum est Deus Verbum & caro: ita ut non confusio, vel extinctio ulla substantiarum acciderit: sed inexplicabilis quædam, & omnem dicendi facultatem superans unitio.*

Verbum ita carnem factum esse ut ne levissimâ quidem perstringeretur mutationis aurâ, eleganti exemplo S. Augustinus explicat Sermone 23. de Tempore. *Nemo ergo credat Dei Filium coæternum & coæqualem conversum & commutatum esse in hominis Filium: sed potiùs credamus, & non consumptâ divinâ, & perfectè assumptâ humanâ substantiâ, manentem Dei Filium, factum hominis Filium. Neque enim quia dictum est, Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est: sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus, quando in ipsa carne, quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, nobiscum Deus. Sicut Verbum quod corde gestamus, fit vox, cùm id ore proferimus; non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in qua procedat, assumitur, ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur: hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita Verbum cùm fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, & assumptâ carnis voce, procedit ad audientem, & non deserit cogitantem.*

Objiciebant Eutychiani auctoritatem Julii Romani Episcopi, duarum naturarum professionem convellentis in Epistola ad Dionysium Corinthiorum Episcopum, his verbis: *Necesse est eos, cùm duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptizari; in humanam verò non baptizari.*

Epistolâ venerando S. Julii I. Romano Episcopo nomini suppositâ Eutychiani abutebantur.

Respondet Leontius *lib. de Sectis, Actione* 8. Illam Epistolam non esse Julii Romani Episcopi: quod ex multis evincit. Primò, quia *Si quis eam subtiliter consideret, nihil Julii nomine dignum habeat. Deinde quòd in eadem Epistola, corporis mentione factâ, nusquam id mente præditum, vel animatum dixerit. Erat autem in more Patrum illius sæculi, ut sicubi corporis mentionem facerent, idipsum mente præditum, animatúmque dicerent. Quod quidem usque adeò verum est, ut reformidantibus eis hoc crimen; ideóque deinceps illas voces, mente præditum, & animatum adjicientibus, nulli posteriorum libri reperiantur, qui hanc Veterum appendicem non habeant. Præterea inde etiam non B. Julii, sed Apollinaris esse demonstratur, quòd Nyssenus ille Gregorius in Opere contra Apollinarem, apertè multa recitet, quæ hac Epistolà continentur, eáque velut prava refutet. Potest & aliunde convinci quòd B. Julii non sit. Autumant enim, Actis Synodi Ephesinæ sub B. Cyrillo insertam: quod quidem apertè mentiuntur. Nam ibi nihil tale in textu reperitur: sed alia quædam inserta est Epistola velut à Julio scripta, nec ipsa Julii, sed Timothei* (Apollinaristæ) *quemadmodum de multis exemplaribus intelligi potest.*

Et in alio Fragmento adversùs Apollinaristas Patrum depravatores: *Quidam*, inquit, *ex hæresi Apollinaris, vel Eutychis, vel Dioscori, cùm vellent suam hæresim confirmare, quasdam Orationes Apollinaris Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Julio inscripserunt, ut simpliciores fallerent.... Et apud multos ex rectè credentibus, reperire poteris librum Apollinarii, cui titulus, Fides particularis, inscriptum Gregorio, & quasdam ejus Epistolas inscriptas Julio*, &c. Perperam verò Gennadius *in Catalogo Virorum Illustrium*, laudatam Epistolam Julio tribuit.

Secundò, responderunt Patres, Si hæc Epistola Julii esset, par esse credere, ipsum naturæ nomen pro persona usurpasse, cùm duas in Christo negavit esse naturas. Ita Eulogius Alexandrinus Patriarcha apud Photium Codice 230. *Si verò quis contendat Julium in Christo unam naturam dicere: Primùm quidem nunquam clarum si genuinus hic sermo. Secundum, par est cognoscere, ut posteriùs Julio apud Romanos, naturæ & hypostaseos studiosè nomen indicavit, & frustra hæretica zizania semen ibidem student suffocare. In indicatis enim vocibus manentibus non obviam ivit impietas, potius valde consequens pro hypostaseos, voce naturæ uti.*

Ita S. Cyrilli locutio, Una natura Verbi incarnata, nihil favet Eutychianis.

Objiciebant Eutychiani S. Cyrilli Alexandrini auctoritatem, dicentis, Post adunationem non esse duas naturas, sed *Unam naturam Verbi incarnatam*, vel unam naturam Filii Incarnati, quod & Sanctus Athanasius ante Cyrillum scripsit. Cyrilli sententia legitur in ejus Epistola ad Acacium Melitinensem. *Quamobrem*, inquit, *dum ea, ex quibus unus est, & solus Filius ac Dominus Jesus Christus, cogitatione, intelligentiâque concipimus, naturas duas unitas esse dicimus: post unitionem verò, tanquam sublatâ jam in duo partitione, unam esse credimus Filii naturam; verùm inhumanati & incarnati.* Et

in Epistola I. ad Successum. *Post unitionem*, inquit, *non dividimus naturas a se mutuò, neque in duos secamus filios illum, qui unus est & individuus. Sed unum dicimus Filium, & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam.*

Respondetur; Hanc loquendi formulam à S. Cyrillo usurpatam, Eutychianis minimè favere: imò aptissimam esse ad Eutychetis ac Nestorii confodiendas hæreses. Cùm enim *Unam* dicit *naturam Verbi*, personæ in Christo significatur unitas; *φύσεως* enim vocabulum pro naturâ usurpat ibi S. Cyrillus, & naturas post unitionem divisas esse negat, sive separatim subsistentes, ut Nestorius contendebat: cùm autem addit, *Incarnatam*, significat carnem unitam esse hypostaticè Verbo, adeóque à Verbo distinctam, quô loquendi modo perimitur Eutychianus error confusionem asserens naturarum. Præstat audire S. Cyrillum, qui in II. ad Successum Epistola, calumniam omnem à suis illis vocibus amolitur. *Si enim*, inquit, *unam naturam dicentes, Verbi Dei tacuissemus, non inferentes incarnatam, sed velut abjicientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo simulantibus interrogare; Ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit? Quoniam verò, & perfectio quæ in humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio, illata est per id quod dictum est, Incarnati, jam desinant, arundineam virgam sibi supponentes.*

Hanc quoque S. Cyrilli sententiam ad Eutychianos refellendos valere plurimùm ostendunt Gelasius lib. contra Eutychem, S. Maximus Martyr in Tractatu, *De Expositione vocum quarumdam, quibus utitur Ecclesia circa de Christo agitur*; Eulogius Alexandrinus Patriarcha apud Photium Cod. CCXXX. & Ephræmius Antiochenus apud eumdem Codice XXIX. quorum testimonia descripta sunt superiùs, Dissertatione VIII.

Joannes Maxentius in libro contra Acephalos, eamdem loquendi formulam ab errore vindicat his verbis. *At si voluerint dicere, Verbum Incarnatum, sive unam naturam Dei Verbi Incarnatam, eò ipsò quò hoc dicunt, duas proculdubio dicere convincuntur in Christo naturas, duarúmque, non unius nomina naturarum, ejus videlicet qui incarnatus est, id est, Verbi Dei; & ejus quæ ab ipso assumpta est; id est, carnis... Quemadmodum si dicatur anima incarnata, sive una natura animæ incarnata*, duæ naturæ diversæ significantur, in quibus homo subsistit. Et Anathematismo I. *Si quis non confitetur in Domino nostro Jesu Christo duas naturas unitas, hoc est, divinitatis & humanitatis; ac sic unam naturam Dei Verbi incarnatam, sicut duas unitas in unâ substantia atque persona, secundùm quòd nobis tradidit veneranda Synodus Chalcedonensis, Anathema sit.*

His concinit Petrus Diaconus *lib. de Incarnatione*, cap. secundo: *Nec illis*, inquit, *acquiescentes, qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis Concilii fidem refugiunt: nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronuntiantes, unam Dei Verbi naturam Incarnatam minimè confitentur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: quasi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet.*

Objici possunt Patrum testimonia, qui mixtionis nomen usurparunt, agendo de Incarnatione. Sic enim Tertullianus Apologetici cap. 21. *Nascitur*, inquit, *homo Deo mixtus*. S. Augustinus in *Epistola ad Volusianum*, ait, personam Christi *Mixturam esse Dei & hominis*, sicut persona hominis *Mixtura est animæ & corporis*. Leporius Presbyter in Libello suæ emendationis, ab Ecclesia Africana probato, ait, *Filium Dei incarnatum esse, & inmixtum*. S. Leo Sermone 3. in Natali Domini; *Non sic*, inquit, *Natura humana in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, & illa habitaculum esset; sed ita ut natura alteri altera misceretur.* Sicut ergo mixtione liquorum fit unus liquor, ita mixtione naturarum, una natura facta est.

Quo sensu Patres mixtionis nomen usurparunt, cùm de duarum in Christo naturarum unitione sermonem facerent.

Respondeo cum S. Cyrillo *lib. I. adversus Nestorium, cap. 5* Mixtionis nomen Patres quosdam usurpasse, cùm de naturarum duarum unitione in Christo sermonem fecerunt, non eô quô sumitur sensu, cùm liquores dicuntur misceri, ut scilicet eorum destruatur natura, & unus in alterum, vel ambo in tertium quemdam transmutentur: *Sed ea voce sunt abusi, cùm summam unionem ostenderent*, (inquit S. Cyrillus.)

Respondeo secundò, Iisdem verbis quibus Photius Eulogii testimonio respondet, eaidem voces usurpanti. *Utitur*, inquit, *Verbo mixtionis, piè quidem, sed non utitur secundùm insanum Apollinarium, quomodo hac voce sit mendum testatus, neque secundùm audacem Eutychem, sed ut lex pietatis permittit: ut qui nosset unum Filium Dominum nostrum Jesum Christum declarare, duabus naturis indivisis & inconfusis constare in perfecta humanitate, & perfecta divinitate: ut permixtio, secundùm illum, confusionem non significet, neque inducat divisionem vocis in duo,*

Tertullianus mixtionis nomen piô etiam sensu usurpat, ut summam duorum in sua integritate manentium unionem significat, non quatenus confusionem indicat. Præstat ipsum audire *lib. contra Praxeam cap. 27.* dicentem: *Cæterùm Deum immutabilem & informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini: omne enim quod transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, & incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse.* Et infrà: *Si enim Sermo ex transfiguratione & demutatione substantiæ caro factus est, una jam substantia Jesus ex duabus, ex carne & spiritu mixtura quædam, ut electrum ex auro & argento. Et incipit nec aurum esse, id est Spiritus; nec argentum, id est caro, dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur. Neque ergo Deus homo. Caro enim non propriè est, qui Sermo fuit. Ita ex utroque neutrum est. Aliud longè tertium est quàm utrumque. Sed enim invenimus illum directò & Deum & hominem expositum, ipso hoc Psalmo suggerente: Quoniam Deus homo natus est in illa, ædificavit eam voluntate Patris. Certè usquequaque Filium Dei & Filium hominis, cùm Deum & hominem sine dubio, secundùm utramque substantiam, in sua proprietate distantem: quia neque Sermo aliud quàm Deus, neque caro aliud quàm homo. Sic & Apostolus de utraque ejus substantia docet: Qui factus est, inquit, ex semine David, hic erit homo & Filius hominis, qui definitus est Filius Dei secundum spiritum. Hic erit Deus & sermo Dei Filius. Videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una persona Deum & hominem Jesum. Et adeò salva est utriusque proprietas substantiæ, ut & spiritus res suas egerit in illo, id est, virtutes, & opera, & signa: & caro passiones suas functa sit, esuriens sub Diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxiúsque ad mortem; Denique & mortuus est. Quod si tertium quid esset ex utroque confusum, ut electrum, non tam distincta documenta parerent utriusque substantiæ.*

S. Augustinus mentem satis explicat suam locô laudatô. *Sicut*, inquit, *in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis: in hac persona mixtura est Dei & hominis: si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam: quamquam*

&

& in ipsis corporibus, aëri lux incorrupta misceatur. Et infrà : *Si tamen*, inquit, *mixtionis vel mixturæ nomen non indignè ad ista admittitur, propter consuetudinem corporalium rerum longè aliter se habentium, aliterque notarum.*

Seipsum etiam explicat Leporius, post verba laudata statim addens : *Non tamen quia Incarnatus dicitur & immixtus, diminutio ejus est accipienda substantiæ. Novit enim sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri. Novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti : sicut seipsum novit totum infundere, ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundum experimentorum visibilia documenta, facientes conjecturam de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, & tali confusione carnis & Verbi quasi aliquod corpus effectum*, &c. Lege insigne Leporii testimonium inter probationes.

Denique mixtionis nomen intimam unionem significat apud S. Leonem, non confusionem naturarum, & ad personarum duntaxar diversitatem excludendam usurpatur, ut integer istius loci contextus ostendit. *Hic enim*, inquit, *mirabilis sacræ Virginis partus, verè humanam, verè divinam unà edidit prole naturam : quia non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum in eis possit esse discretio : nec si natura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, & illa habitaculum esset : sed ita ut natura alteri altera misceretur. Et quamvis alia sit quæ suscipitur, alia verò quæ suscipit : in tantam tamen unitatem convenit utriusque diversitas, ut unus idemque sit Filius, qui se, & secundùm quod verus est homo, Patre dicit minorem ; & secundùm quod verus est Deus, Patri profitetur æqualem.*

Naturas in Christo duas post unitionem sola cogitatione dividi, S. Cyrillus Catholico sensu dixit.

Objiciebant Eutychiani verba S. Cyrilli in secundâ ad Successum Epistolâ dicentis, Naturarum differentiam post unitionem, sola cogitatione dividi.

Respondeo, Hæc Eutychianis non favere. Non enim significat his verbis S. Cyrillus ita misceri & confundi proprietates naturarum, ut nonnisi una quæpiam esset in Christo, vel composita natura : sed separatas, & à se mutuo distractas non subsistere, ut affectione solâ, vel habitudine, non substantivô aliquô, & unum per se faciente nexu ac vinculô, secum invicem hærerent : quæ fuit Nestorii hæresis. Hinc animæ & corporis exemplum profert S. Cyrillus, quæ pariter solâ ratione divisa post unionem afferit, quia seorsim non subsistunt, quamvis compertum sit distinctam esse reipsa corporis, animæque substantiam : sed longè aliud est distinctio, aliud divisio & sectio. En S. Cyrilli verba : *Sed ignorant, quæcumque non sola mentis consideratione distingui solent, ea prorsus etiam in diversitatem distinctam omnifariam ac privatim à se mutuò segregari. Sit rursus nobis in exemplum homo nostri similis. Duas utrasque in eô naturas intelligimus, unam animæ, alteram corporis. Sed cùm sola discreverimus intelligentiâ, & differentiam subtili contemplatione, seu mentis imaginatione conceperimus, non tamen seorsim ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem immittimus, sed unius hominis esse intelligimus, ita ut illæ duæ jam non sint duo, sed utraque animal unum absolvatur. Quamvis igitur in Emmanuel humanitatis naturam ac divinitatis dicant : ipsa tamen humanitas propria facta est Verbi, unusque cum ipsâ Filius intelligitur.*

Et infrà : *Igitur ea ex quibus est unus & solus Filius & Dominus Jesus Christus, tanquam intelligentiâ concipientes, dum quidem naturas unitas asserimus : post unionem verò tanquam sublatâ jam illâ in duo divisione, unam esse credimus Filii naturam, tanquam unius, sed hominis facti & incarnati.*

Objiciebant Eutychiani, Duos esse Christos, seu duas in Christo personas, si duæ sint naturæ.

Respondet Gelasius : *Grandem esse eorum cæcitatem, quâ non vident, non duos Christos per hæc posse depromi, ex quibus integer Christus existit, & sine quarum unaquâque substantia integer non possit ostendi : sed ipsi potiùs*, inquit, *se non integrum Christum confitentur adstruere, cùm in eodem Sacramento, aliquid de iis quibus integer constat, conantur abstrahere...... Nunquidnam cùm homo ex anima constet & corpore, quarum duas naturas esse non dubium est, non adunatione naturali una persona & unus est homo ? Ampliùs dicimus ; certè & interiorem hominem, & exteriorem Scriptura divina sæpè testatur auctoritas : & tamen non ideo duo homines in unô, sed una persona & unus est homo. Unde interior & exterior ad significantiam dicitur qualitatum, non ad evidentiam personarum duarum. Quantò magis in illa ineffabili adunatione, indivisibili nunquamque solvenda, sicut salva proprietate utriusque naturæ, ex quibus hoc mysterium constare non dubium est, & sine quibus constare non posse manifestum est : sicut una eademque persona est Domini nostri Jesu Christi, sic integer, sic unus, sic verus Christus est ? Et magis unus non est, si integer non est : quia sublatâ parte ex iis quibus integer approbatur, dimidius videbitur esse, non integer. Et sicut integer non est, sic verus non est : si verus non est, falsus apud eos Christus esse convincitur.*

Eidem objectioni subtiliter Vigilius Tapsensis respondet lib. 1. exemplô adductô trium Sanctissimæ Trinitatis Personarum : sunt enim quædam propria Patris, quæ nec ad Filium, neque ad Spiritum Sanctum pertinent. Et ita de aliis personis. Si ergo hæ tres personæ habentes singulæ proprietates suas, quibus distinguantur, non quibus separentur, unus est Deus : quomodo Filius, salvâ naturæ utriusque proprietate, non unus est Christus ?

Secundò profert exemplum hominis, in quo proprietatum distinctio duplicem personam non infert. Exempli gratiâ, constat homo quinque sensibus, qui ita officii sui proprietatem naturaliter obtinent, ut nihil secum habeant commune, nihil sibi alterius valeant vindicare. Visus ita ministerii sui proprium gerit officium, ut nec audire, nec odorari, nec gustare, nec contrectare possit ; & ita de aliis. Et cùm sint hæ omnes membrorum species tam diversæ, tam discretæ, ita naturalibus proprietatibus substitutæ, nihil communionis, nihil societatis ad se invicem habeant, sed privatô quodam & solitariô jure, propriæ functionis ministerium impleant ; unus tamen idemque est homo, qui quomodo quinque corporalibus sensibus, varia proprietate à se invicem differentibus constat ; ita quinque, secundùm istorum deliramenta, personas habere debuerat : ut quantæ sunt proprietates sensuum, tanta esset numerositas personarum. Hæc Vigilius.

DISSERTATIO XXV.

Adversus Hæresim Vigilantii: Quâ etiam recentiorum Hagiomachorum errores JOANNIS DALLÆI *præsertim libris* de Religiosi cultus objectô, *defensi, refelluntur & evertuntur.*

QUÆSTTIO I.

De sacrarum Reliquiarum veneratione.

ASSARTIO PRIMA.

Reliquias Sanctorum in veneratione habendas contra Vigilantium, Vviclefistas, Lutheranos, & Calvinianos Scriptura sacra probat, Sanctorum ossibus & cineribus delatum honorem commemorans & commendans.

I. CUM Moyses discederet ex Ægypto, transtulit ossa Josephi, secundùm quod ab ipsô fuerat filiis Israël mandatum (*Exodi* 13.) de quo dicitur Ecclesiastici 49. *Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Dicas verò, amabo, nonne veneratione aliquâ religiosâ prosequi licebat ossa S. Patriarchæ, de quibus tam honorificè Scriptura sacra loquitur?

IV. Regum 13. refertur quòd *Quidam sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchrô Elisæi. Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Quis ita amens ut dicat Elisæi ossa, per quæ Deus tam magnum patravit miraculum, non esse honore digna, maximè cùm Scriptura sacra, *Ecclesiastici* 48. testetur *Mortuum corpus ejus prophetasse?* Quidni verò sacer honos Prophetæ corporis tribuatur, cùm Eliæ pallium aquæ ipsæ reveritæ sint? Cùm enim ejus pallio percussisset aquas Jordanis Elisæus, divisæ sunt huc atque illuc, & transiit. Item *cap.* 23. Cùm idolorum delubra Josias evertisset, aliorumque ossa mortuorum redegisset in cineres, ossa Sancti Prophetæ præ veneratione intactâ esse voluit: *Dimittite eum*, inquit, *nemo commoveat ossa ejus.* His argumentis quarti Sæculi Patres honorem Sanctorum Reliquiis habendum esse probaverunt. Quam Scripturæ sacræ interpretationem à Patribus III. Sæculi dubio procul acceperant, & illi à Majoribus, quibus illam priores Patres, ac prioribus tandem illis Apostoli ipsi tradiderant. His pugnant S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheси* 18. Et S. Hieronymus *Epistola* 53. *ad Riparium, de errore Vigilantii*, cujus ad finem se Ecclesiæ fidem propugnare disertè asserit. *Non tam*, inquit, *illius infidelitatem quæ omnibus patet, quam nostram fidem aperimus.*

II. *Isaiæ II* Sepulchrum Christi gloriosum prædicatur, nec gloria illa Resurrectionis ipsius definitur tempore, sed indefinitè dicitur: *Erit sepulchrum ejus gloriosum.* Quis igitur Fidelium à primis nominis Christiani sæculis erga sepulchrum Domini venerationem ab Ecclesia approbatam ac laudatam, impietatis ac superstitionis accusare, nisi impius & hæreticus audeat? Hinc frequentes Christianorum ex totô orbe Hierosolyma peregrinationes, & ad sepulchrum Domini, aliaque sacra loca concursus, teste S. Hieronymo Epistola 17. *ad Marcellam*: ubi de veneratione locorum Sanctorum & maximè Dominici Monumenti agens: *Martyrum*, inquit, *ubique sepulchra veneramur, & sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus: & monumentum in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem Diabolo & Angelis ejus; qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt*, &c.

III. Mulierem Hemorrhoissam, quæ fimbriam vestis Christi, propter virtutem ex sacro ejus corpore vel in ipsa vestimenta redundantem religiosè coluit, reverenter tetigit, ac ex ejus contactu sanitatem se crediditt recepturam, nec frustra, nemo absque impietate, idololatriæ, vel superstitionis accusaret; cùm à Christo fides illius laudata sit: impiè igitur & insanè Romanæ communionis Christianos idololatriæ & superstitionis accusant Heterodoxi, quòd Christi spineam coronam, clavos, sudarium, &c. religiosè colant.

IV. *Actuum XIX.* dicitur *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* Certè qui tanta fiducia sudaria & semicinctia S. Pauli ad suorum sanationem infirmorum adhibebant, ea singulari aliquâ veneratione prosequebantur, alioque locô & pretiô habebant, quàm sudaria quæ vulgarium hominum in usu essent.

Denique *Actuum* 5. refertur, Fideles infirmos suos in plateas ejecisse, & posuisse in lectulis ac grabatis, *Ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Quod si tantùm valuit umbra transeuntis, quantò magis corpus jam cum Christo in cœlis regnantis: Incredibilis enim Dallæi, aliorumque Heterodoxorum stupor est, qui viventium quidem corpora, & res iis admotas eximia aliquâ virtute ad patranda miracula donata fuisse fatentur: Mortuorum verò cadavera, & ossa, vel quascumque res eorum contactu consecratas, virtute hujusmodi destitui præfractè negant. Sed eorumdem putidissima est sycophantia, qui nos reliquias adorare comminiscuntur & calumniantur; illique figmento suo & calumniæ omnia pene superstruunt argumenta, quibus Catholicum de Reliquiarum cultu religioso dogma oppugnant. Deum solum adorandum esse credimus, ipsique soli propriè dictam adorationem tribuimus: Sanctos verò colimus ut Christi & Dei amicos, eos non adoramus, neque viventes in terris, nec in cœlis regnantes, sed reveremur, diligimus, invocamus: Reliquias eorum non solùm non adoramus, sed nec eodem cultu prosequimur quô Sanctos ipsos; colimus verò ut pignora ad ipsos pertinentia, decenti eas locô condimus, aut asservamus, osculamur, vel flexis etiam genibus veneramur, aut cum reverentiâ gestamus, ut nostram erga Sanctos venerationem & charitatem testemur his pietatis officiis. Quæ veneratio & charitas cùm à Religione imperetur, quæ non solùm Deum adorandum & super omnia diligendum, sed Sanctos propter Deum colendos ut ejus amicos, ac post eum & propter illum diligendos, & docet, & jubet, pars quædam religiosi cultus jure meritòque dicitur.

Dallæus. In libro Adversus Latinorum Traditionem de religiosi cultus objecto, cap. 1.

Hæreticorum calumnia refelluntur.

VI. Perperam verò Vviclefistæ contra Reliquiarum venerationem torquebant verba illa Christi, Matthæi 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta Justorum*, &c. Nam Christus in Judæis non redarguit quòd Prophetis monumenta erigerent, vel jam erecta exornarent: sed quòd ex hypocrisi agerent rem alioqui bonam ac piam, ac majores interim suos imitarentur, qui Prophetas occiderant, non Prophetas ipsos quorum monumenta exornabant

exornabant. Ita hunc locum explicant S. Ambrosius in cap. XI. S. Lucæ, & S. Hieronymus in cap. 23. S. Matthæi.

VII. Inanis est etiam Calvini objectio de sepulcro Moysis, quod abscondit Deus ne à Judæis coleretur. Nam cùm esset ad idololatriam propensissimus populus Judaicus, periculum erat ne si Moysis corpus præsto fuisset, ipsum ceu numen Israëlitæ adorassent. At Christianis idem periculum minimè timendum est, si illorum venerationi Sanctorum Reliquiæ exponantur: cùm nemo eorum nesciat non esse colendos Sanctos instar numinum, sed ut domesticos & amicos Dei. Legatur S. Joannes Chrysostomus *Homilia V. in Matthæum.*

ASSERTIO ALTERA.

Sanctorum, præsertimque Martyrum corpora, cineres, ossa, Reliquias, in honore ac pretio habendas, Traditio & mos Ecclesiæ vetus ac perpetuus evincunt.

Apud Euseb. lib. 4. Histor. Eccles. c. 15

Traditio Ecclesiæ Smyrnensis de sacrarum Reliquiarum veneratione.

PRobatur I. ex Epistola Encyclica Smyrnensis Ecclesiæ de Martyrio S. Polycarpi Episcopi sui, qui sub Imperatoribus Marco Aurelio, & Lucio Vero passus est circa annum Christi CLXVII. *Verùm*, inquit, *invidus ille atque æmulus, & Justorum generi semper infestus nequissimus dæmon cùm insigne illius Martyrium, vitamque ab ineunte adolescentiâ sine ullâ reprehensionis labe transactam intelligeret, atque idcirco immortalitatis coronâ ipsum esse redimitam, operam dedit ne corpus illius à nostris auferretur: tametsi multi inter nos essent qui id agere magnopere cupiebant, & sacro illius cadaveri communicare. Quidam igitur suggesserunt Nicetæ Herodis Patri, ut Proconsulem adiret, moneretque ne cadaver illius donaret: Ne fortè, ut aiebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps Christiani colere inciperent. Et isti quidem hæc dicebant, suggerentibus atque instantibus Judæis. Qui etiam nostros solicitè observaverant, cùm è rogo corpus auferre tentarent: stulti! qui ignorarent nos nec Christum unquam posse relinquere, qui pro salute omnium quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulerit, nec alium* [*] *quempiam colere. Illum enim ut pote Filium Dei adoramus: Martyres verò tanquam Discipulos & Imitatores Domini merito amore prosequimur, ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem & Magistrum suum declararunt. Quorum nos quoque consortes ac condiscipulos fieri modis omnibus optamus. Porrò cùm Centurio pertinaciam Judæorum animadverteret, corpus in medio collocatum, ut moris est ipsis, concremavit. Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quò etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus Natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros ejusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos.* Quô ex loco multæ Dallæi propositiones in infaustô illô & impiô Opere, quod inscripsit, *Contra Latinorum Traditionem de Religiosi Cultûs objecto*, confutantur. *Lib. 4.* quô continentur argumenta contra Latinam de Reliquiarum cultu Traditionem, prima propositio habetur cap. 1. *Quod nulla extent hujus Traditionis ex tribus primis Christianismi seculis argumenta.* Altera cap. 2. *Quod vetustissimi Christiani ne ipsos quidem Divos, quorum esse dicantur Reliquiæ, coluerint.* Tertia cap. 8. *Quod Reliquiarum cultum nostris Pagani post annum quidem tercentesimum exprobrarint; ante id verò tempus minimè objectarint.* Quarta cap. 16. *Quòd ad unius vel plurium Martyrum sepulchrum propriè & seorsim ab aliorum Fidelium sepulchris orare, velut aliqua major sit hujusmodi loci sanctitas atque religio, priscis ante quartum Sæculum Christianis insuetum & inusitatum fuerit.*

[*] Pati cultu, scilicet adoramus, quod verba sequentia ostendunt.

Ecce tibi, Dallæe, vel quisquis es, Heterodoxe; Traditionis de Reliquiarum cultu argumentum ex certissimô & illustrissimô Sæculi secundi monumentô depromptum. Ecce cultum sive honorariam venerationem Divis, quorum sunt Reliquiæ, à Fidelibus impensam, Polycarpo Episcopo & Martyri ab Ecclesia Smyrnensi: nonne enimverò cultus religiosus est, diem Martyrii celebrare, in memoriam ejus qui glorioso certamine perfunctus est? Ecce Reliquiarum cultum ab Infidelibus exprobratum Christianis: siquidem prohibent ne auferant corpus Martyris, ne Christiani illud colerent. Quæ suspicio Judæorum & Paganorum animos non occupasset adversùs eos quos nossent nullô in pretiô ac honore Martyrum Reliquias habere. Spondet denique Smyrnensis Ecclesia se ad locum, ubi decenter condita sunt ossa Martyris, conventuram, ut Natalem Martyrii ejus diem celebret.

Ecclesiæ Hierosolymitanæ Traditio.

Probatur secundò, ex reverentiâ, quâ primi Christiani Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Cathedram Sancti Jacobi Apostoli venerati sunt, longè ante quartum Sæculum: De qua Eusebius *lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19.* Valesianæ Versionis. *Sanè*, inquit, *& Jacobi illius Cathedram, qui primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Servatore & ab Apostolis est constitutus, & quem fratrem Domini cognominatum fuisse divina testantur Volumina, ad nostra usque tempora conservatam, Fratres illius Ecclesiæ, jam inde à majoribus, magnâ prosequuntur reverentiâ: satis perspicuè declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani Viros Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem, debitô semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur.*

Probatur tertiò ex S. Cyrillo Hierosolymitano *Catechesi XVIII.* ubi de Resurrectione agens, ait bis mortuum ab Elisæo excitatum esse, in vita & post mortem: *Vivus enim*, inquit, *Resurrectionem effecit per animam suam: sed ut non solùm animæ Justorum honorentur; verùm etiam credatur vim quamdam Justorum inesse corporibus, qui in Elisæi sepulchrum abjectus erat mortuus, ubi mortuum Prophetæ corpus attigit, vivificatus est.* Quod ibidem sic probat: Si sudaria & semicinctia Pauli, quæ extra corpus ipsius erant, ægros admota sanabant, quantò id magis de Sanctorum corporibus credi par est, quæ vim trahunt ex animis, quibus diu domicilium præbuerunt? Cyrillus Ecclesiæ fidem Catechumenis exponens, Sanctorum corporibus vim quamdam inesse probat ex animis derivatam, nec eorum duntaxat animas honore prosequendas docet; sed & corpora, propter supernam vim illam à Spiritu Sanctô, cujus organa fuerunt, inditam, in veneratione maximâ esse debere evidenter innuit. Hæc igitur erat Ecclesiæ Hierosolymitanæ fides à majoribus accepta.

Traditio Ecclesiæ Cappadociæ.

Probatur IV. ex S. Basilio *Homilia in Psalmum CXV.* explicante illum Regii Vatis versum: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Pro legis*, inquit, *Judaicæ ritu si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi: contra mors si cui pro Christi nomine irrogatur, pretiosa censentur Reliquiæ Sanctorum ejus. In priori Lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud: Non contaminabuntur super ullô mortuô. Et, Si quis tetigerit cadaver, immundus erit: nunc è diverso Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadamtenus sanctificationis particeps.*

Idem in Homilia *De XL. Martyribus*, ait illorum Reliquias per varia loca dispersas fuisse, quibus & ornamento sint, & præsidio. Et in Homilia *De Sancta Julitta Martyre*, refert ignem in quem conjecta est, ejus animam à corpore disjunxisse, ipsi verò corpori pepercisse: *Quod nunc*, inquit, *in præstantissimô Templi urbis vestibulô collocatum, locum quidem sanctificat, sed & eos prætereà, qui ad eum conveniunt.*

Epistola

Epistola 241. Martyrum Reliquias ad se mitti rogat. Et Epistola 408. Arcadio Episcopo gratulatur, quòd Basilicam conderet, spondetque se Martyrum Reliquias ad ipsum missurum.

Probatur V. ex S. Gregorio Nysseno Oratione in Sanctos XL. Martyres, & Oratione in Theodorum Martyrem. *Præsentem Sanctorum statum inspiciamus*, inquit, *quàm præclarus magnificúsque sit. Nam anima quidem ex quà sublimis abiit, in suô loco requiescit, & corpore soluta, cum sui similibus unà vivit: Corpus verò venerandum & immaculatum illius Instrumentum, quod suis vitiis & affectibus illius incorruptionem non læsit, cum multo honore & cultu compositum atque ornatum, in angusto sacroque loco collocatum est: quod rei instar pretiosissimæ, in regenerationis tempus asservatur.* Tum sacrum illud corpus à cæteris cadaveribus longè distare ait, quòd ea post animæ separationem fœda sint & abominanda: Corpus verò Martyris in splendidissimâ & magnificentissimè extructâ Basilicâ positum sit, elegantissimisque decoratâ picturis, quæ Christi, & Martyris effigies exhibent, eorumque suppliciorum, quæ perpessus est, seriem ac varietatem. *Quisquis igitur his arte elaboratis operibus oculos suos oblectavit, cupit deinceps etiam ipsi conditorio appropinquare, illius contactum sanctificationem ac benedictionem esse credens. Quòd si quis etiam pulverem quô sepulchri locus obsitus est, auferre permittat, pro munere accipitur, ac tanquam res magni pretii reposita terra ista servatur. Nam ipsas attingere Reliquias, quando aliqua ejusmodi prospera fortuna contigerit, quàm optabile sit, & summis votis expetitum munus, norunt quicumque sunt experti, & hôc suô desideriô potiti. Hi enim tanquam vivum ipsum corpus & florens videntes osculantur, & ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent. Deinde Martyri, quasi integer esset ac præsens, supplicant ut pro ipsis intercedat.*

Et in Oratione funebri *de S. Meletio*, scribit in ejus funere populum *Sudaria faciei ipsius imposita discerpsisse, ac pro philacteriis asservasse.*

Probatur VI. ex S. Gregorio Nazianzeno, *Oratione III*, quæ prima est in Julianum Invectiva, in quâ his verbis Imperatorem Apostatam alloquitur: *Non victimas pro Christo cæsas reveritus es, nec magnos pugiles extimuisti, Joannem, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos qui & post illos, & ante illos, pro veritate periculis se objecerunt: qui cum igne & ferro, & belluis, & Tyrannis, & præsentibus malis, & denuntiatis, alacri animô velut in alienis corporibus, immò quasi corporum expertes dimicarunt; cur? Ne pietatem vel verbo tenus proderent. Quibus præclari honores & festa constituta sunt: à quibus dæmones propelluntur & morbi curantur: quorum apparitiones & prædictiones, quorum vel sola corpora idem possunt quod anima sancta, sive tangantur, sive honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa, idem possunt quod corpora? Hæc non colis, sed contemnis?*

Et *Oratione* XVIII. *in S. Cyprianum*, testatus hujus reliquias sacrosque cineres dæmones expellere, morbos sanare, & alia mirabilia patrare. *Quæ omnia*, inquit, *Cypriani vel pulvis ipse potest, si fides adsit, ut experti norunt; & qui rem gestam ad nostram usque memoriam propagarunt, & in consequentia temporis transmittent.*

Traditio Ecclesiæ Antiochenæ & Constantinopolitanæ.

Probatur VII. ex S. Joanne Chrysostomo, in Oratione *de S. Ignatio Martyre*, in quâ honorificam Reliquiarum illius Româ Antiochiam Translationem prædicans, hæc habet: *Illum Sanctum tunc Româ venientem civitates deinceps vicissim excipientes, & humeris gestantes ad hanc urbem usque deducebant, coronatum laudantes Athletam.* Et infrà: *Quemadmodum thesaurus perennis ex quô singulis diebus hauriunt, nec tamen ille unquam deficit, omnes sui participes locupletiores facit: ita beatus ille Ignatius ad se venientes benedictionibus, fiducia, ingentibus animis, & magnâ fortitudine complens, domum remittit. Ne nos igitur hodie duntaxat, sed etiam quotidie ad ipsum veniamus, spiritales ex eo fructus capientes. Licet enim profectò, licet huc adeuntem ingentia bona percipere. Neque enim corpora solùm, sed etiam conditoria ipsa Sanctorum, spiritali gratiâ sunt referta. Etenim si Elisæi tempore quiddam accidit ejusmodi, & sepulchrum mortuus attingens, mortis vincula dirupit, & ad vitam denuo revertit: multò nunc magis cùm abundantior est gratia, cùm Spiritus operatio copiosior est, licet conditorium ipsum cum fide tangentem magnam inde virtutem attrahere. Propterea Sanctorum nobis Reliquias concessit Deus, volens ad eumdem, qui in illis fuit, zelum velut manu deducere, ac portum quemdam præbere, tutumque remedium contra mala quæ undequaque nos incursant.* Legatur ejusdem Patris Oratio prima *de Babyla Martyre*, ubi narrat quomodo cùm Julianus Apostata vetus Apollinis Oraculum, quod apud Daphnem erat in Antiochiæ suburbio, consuleret, respondissetque dæmon per simulachrum loquens, prohiberi se à mortuis quidquam eloqui: proinde ossa illinc effoderet, alióque transferret: Julianum Christianis jussisse ut Babylæ Martyris ossa, quæ prope illum locum sepulta erant, efferrent. Quod ubi factum est, & loculus in quo sacra ossa continebantur, solenni pompâ, summaque totius populi veneratione ac lætitiâ in urbem exportatus est, mox fulmen è cælo ruens Apollinis simulachrum templumque concremavit. Quam Historiam & Rufinus *lib.* 1. *cap.* 35. Socrates *lib.* 3. *cap.* 18. Theodoretus *lib.* 3. *cap.* 10. memoriæ prodiderunt. Legatur ejusdem S. Chrysostomi Homilia LXV. *de Sanctis Berenice, Prosdoce, & Domnina*: Et Homilia LXVI. *de S. Pelagia Virgine & Martyre* Et Homilia LXXIII. *De Martyribus Ægyptiis.* Et Homilia LXXVI. *De Sanctis Juventino & Maximino*: in quibus tum sacrarum Reliquiarum vim admirabilem prædicat, tum Fidelium erga eas venerationem ac pietatem commendat.

Traditio Ecclesiæ Ponti.

Probatur VIII. ex S. Asterio Amaseæ in Ponto Episcopo, in Encomio Martyrum. *Præterea nos*, inquit, *religiosa corpora componentes, quæ sunt vasa electionis, beatarum animarum organa, Philosophorum inhabitantium domicilia, tanquam pretiosas res toti vita conservamus.* Ibidem: *Multa Sancti possunt etiam mortui, & postquam è vivis excesserint, beneficia conferunt hominibus.* Ibidem: *Qui autem humanis casibus, & calamitatibus premuntur, tanquam ad aliquod asylum, ad ea loca properant, in quibus ter Beati illi requiescunt, eosque Legatos & sequestres adhibent orationum ac postulationum suarum, propter immensam apud Deum illorum fiduciam: hinc & inopia solvuntur, & ægritudines curantur, & Magistratuum minæ placantur: ac demum perturbationum ac tempestatum omnium vitæ hujus velut tranquilli sunt portus sacra Martyrum septa.*

Et Oratione *In S. Phocam*, multa de ejus Reliquiis, miraculisque ad eas factis, tam apud Sinopem Ponti civitatem, quàm alibi, quocumque pars illarum aliqua importata fuerat, exponit. *Est*, inquit, *magnificum illud Templum, quod sacrum Martyris sortitum est corpus, afflictorum relaxatio, malè affectorum medica quædam officina, esurientium mensa.* Et paulò ante vocat Martyrem illum *Columnam & Firmamentum divinarum orbis Ecclesiarum.*

Traditio Ecclesiæ Ægypti.

Probatur IX. ex S. Isidoro Pelusiota lib. 1. Epistola LV. ad Hieracem Gentilem. *Si te istud offendit*, inquit, *quòd Martyricorum corporum cinerem honore afficimus, propter illorum erga Deum caritatem & constantiam; interroga eos qui ab ipsis sanitatem accipiunt, & quot morbis remedium afferant, intellige. Ita*

fiet

fiet ut non modò factum ludibrio non habeas, verùm etiam quod rectè fit prorsus imiteris.

Traditio Ecclesiæ Syriæ.

Probatur decimò ex Theodoreto *Sermone* VIII. *contra Græcos*, qui totus est de Martyribus. *Ac generosa quidem*, inquit, *Triumphatorum animæ cœlum obambulant, & in supercœlorum Spirituum choris intersunt; corpora verò ipsa non unum cujusque monumentum continet: sed urbes & pagi illa inter se partientes, Servatores illos animarum pariter & corporum, ac Medicos appellant; & tanquam urbium Præsides atque custodes venerantur: & horum apud universorum Deum utentes interventu, divina per ipsos munera consequuntur. Porrò diviso corpore, indivisa gratia perseverat: ac tenues illæ tantillæque reliquiæ eamdem vim obtinent ac Martyr integer nec in partes dissectus. Quæ enim insilit gratia, dona illa distribuit, & pro accedentium fide liberalitatem metitur.* Et ubi concursum Fidelium ad Sanctorum reliquias, & eorum ibidem vota precésque commemoravit, hæc subdit: *Quòd autem compotes illorum fiant, qui cum fide postulant, palam testantur illorum donaria, curationem indicantia. Nam alii oculorum, alii pedum, alii manuum effigies offerunt; & has nonnulli ex auro, alii ex ære fabricatas. Hæc autem proposita morborum depulsionem indicant, cui testificandæ, ab iis, qui sanitatem recuperarunt, monimenti loco sunt appensa. Ea porro sepultorum virtutem prædicant: & eorum virtus ipsorum Deum verum esse Deum demonstrat.*

His adjunge S. Ephrem Syrum in Encomio omnium Sanctorum. *Mortui*, inquit, *tanquam vivi operantur, ægros sanant: dæmones expellunt, omnemque tyrannidis ipsorum nequitiam virtute Christi in fugam agunt: semper enim sanctis Reliquiis gratia adest Spiritus Sancti, quæ cuncta in eis miracula edit.*

Traditio Ecclesiæ Romanæ.

Probatur XI. ex S. Hieronymo, qui Vigilantium hæreticum Lotheranis & Calvinistis errore suo tantò ante præludentem, & Catholicos qui eos colebant, Cineratios & Idololatras appellantem, tùm Epistola LIII. *ad Riparium Presbyterum*, tum Libro singulari adversùs ipsum edito egregiè confutavit. *Dolet*, inquit, *Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine & non vel pannis, vel cilicio colligari; vel projici in sterquilinium; ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim: apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus & nunc dicendus est Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in sericò & vase aureò portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquiis, & tantâ lætitia, quasi præsentem, viventémque Prophetam cernerent, susceperunt: ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & Christi laudem unâ voce resonarent*.... Et infrà: *Malè ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulvisculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Et non solùm unius Urbis, sed totius Orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas Martyrum, &c.* Tandem ibi elidit argumenta Vigilantii, quæ eadem novò ornata fucô Dallæus obtrudit. *Quis enim*, inquit, *ô insanum caput, Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Et Epistola 53. *Nos autem non dico Martyrum reliquias, sed ne solem quidem & lunam: non Angelos, non Archangelos, non Cherubim & Seraphim, & omne nomen quod nominatur in præsenti sæculô, & in futurô, colimus & adoramus; ne serviamus creaturæ potiùs quàm Creatori.*

Altaria erecta & Sacrificium Deo oblatum super Martyrum sepulcra.

Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscepit, me suscipit.

Traditio Ecclesiæ Italicæ.

Probatur XII. ex S. Ambrosio Epistola XXII. ad Marcellinam sororem qua Inventionem corporum SS. Gervasii & Protasii illi nuntiat, & miracula in sacrarum inventione Reliquiarum facta narrat. *Cognovistis*, inquit, *imò vidistis ipsi multos à dæmoniis purgatos: plurimos etiam ubi vestem Sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborant debilitatibus absolutos; reparata vetusti temporis miracula, quò se per adventum Domini Jesu gratia terris major infuderat: umbrâ quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta super Reliquias sacratissimas & tactu ipso medicabilia reposcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere; & qui contigerit, salvus erit.... Condamus ergo*, inquit, *Reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus invehamus, totumque diem fidâ devotione celebremus.* Et in *Exhortatione Virginitatis*, cap. 2. de S. Agricolæ Martyris Reliquiis ita scribit: *Detuli vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæa, cujus gratiam in operibus agnoscitis. Certè & ipsi dæmones confitentur. Condant alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta, temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus: nos legimus Martyris clavos, & multos quidem, ut plura fuerint vulnera quàm membra. Colligimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris Altaribus reconduntur.* Quid ad hæc Dallæus? Ambrosium, Augustinumque sanctissimos Episcopos ac Doctores sublestæ fidei homines esse dicet? Ipsos levitatis, mendacii, & superstitionis insimulabit Scriptor projectæ audaciæ, temeritatis, & impietatis? Quid enim aliud hæc ipsius verba significant? *Gervasius & Protasius primis Christianismi temporibus Martyrium Mediolani fecerant.... Sepultura etiam Mediolani ubi simul jacebant, erat adhuc ipso illo tempore incognita; cùm ecce Ambrosius anno Domini 387. Deo scilicet cælitus revelante, subitò didicit, ubi utriusque corpus esset situm. Utrumque inde statim refossum, in Ambrosianam Basilicam, magnâ pompâ, cui se Augustinus interfuisse ipse testatur, & ingentibus miraculis, quæ hominibus Reliquiariis nunquam in talibus desunt, transtulit. Idem Præsul, quo nemo fuit in odorandis ac cernendis sub terrâ quantumvis altâ Reliquiis sagacior, & acutior, circa annum Domini 394. Nazarii & Celsi corpora, in horto quodam extra civitatem Mediolanensem sita, divinitus ut antea scilicet admonitus, inde eruta, in Basilicâ Apostolorum Mediolani reposuit.* Hæc hominis pietas! hic pudor!

Dallæus lib. 4. de Religiosi. Cultus objecto cap. 8.

Traditio Ecclesiæ Africanæ.

Probatur XIII. ex S. Augustino *lib.* 9. *Confessionum*, *cap.* 7. ubi de inventis à S. Ambrosio SS. Gervasii & Protasii corporibus, déque miraculis in eorum translatione patratis narrat, quod oculis ipse suis viderat. Idem etiam refert libro XXII. *De Civitate Dei*, *cap.* VIII. ubi & de S. Stephani Protomartyris reliquiis nuper inventis, & de variis miraculis illarum virtute effectis multa habet. Et *Sermone* XCII. *de Diversis*, de ejusdem S. Stephani reliquiis ait: *Exiguus pulvis tantum populum congregavit. Cinis latet, beneficia patent. Cogitate, carissimi, quæ nobis Deus servet in regione vivorum; qui tanta præstat de pulvere mortuorum.* Denique *Epistola* CIII. de honore Sanctorum Reliquiis deferendo ita scribit: *Portant sanè reliquias beatissimi & gloriosissimi Martyris Stephani; quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis.*

Probatur XIV. ex Concilio Carthaginensi V. *Canone* IV. quô statutum est, Ne altaria absque Reliquiis Martyrum extruerentur. Quinam autem

major sacrorum Reliquiarum honos, quàm in altari condi, ubi Domino Sacrificium offertur? *Placuit ut Altaria, quæ passim per agros aut vias tanquam memoria Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum condita probantur, ab Episcopis qui eisdem locis præsunt, evertantur.... Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut certa Reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, aut possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur altaria, omnimodè reprobentur.*

XV. Religiosum sacrarum Reliquiarum cultum ex Ecclesiæ fide ac disciplina pariter adstruunt ac docent S. Paulinus Nolanus Episcopus, in Natali sexto S. Felicis: & in Natali undecimo, ubi complures Sanctorum enumerat; & qui quibus Provinciis Patroni ac tutelares divinitus attributi sint, refert: Prudentius in Hymno primo de SS. Hemiterio, & Chelidonio Calaguritanis: in Hymno secundo de Sancto Laurentio: in Hymno tertio de Sancta Eulalia: in Hymno quinto de Sancto Vincentio; & in aliis Carminibus. Sanctus Gaudentius Brixianus in Tractatu xvii. de Dedicatione Basilicæ Sanctorum Quadraginta Martyrum. Sanctus Maximus Taurinensis in Homilia de Natali Tauricorum Martyrum. S. Leo in Sermone 11. de Natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Auctor Homiliarum, quæ sub Eusebii Emisseni nomine circumferuntur, in Homilia de S. Stephano. Gregorius Turonensis passim cùm in Historia Francorum, tum in lib. de gloria Confessorum, tum etiam in lib. de Miraculis. Fortunatus Pictaviensis lib. 6. ad Jovinum. Sanctus Gregorius Magnus in Epistola xxx. libri tertii ad Constantinam Augustam Mauritii Imperatoris conjugem datâ, lib. 5. Epistola 50. & lib. 7. Epistolis 12. & 88.

S. Simeonis Stylitæ Reliquias Urbi suæ pro muro ac munimento expetunt Antiocheni.

Non omittendum verò quod de translatione corporis S. Simeonis Stylitæ memoriæ prodidit Evagrius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. *Hujus*, inquit, *sacratissimum corpus post obitum Antiochiam deportatum est, Leone imperium tum gerente, & Martyrio Antiochena urbis Episcopatum administrante: cùm Ardaburius Magister Orientalis Militia, unà cum militaribus numeris quos circa se habebat, & cum reliquâ multitudine ad Simeonis mandram venisset, & Sanctum beatissimi viri corpus servasset, ne a finitimis civitatibus subriperetur. Igitur sacrum ejus corpus, non sine ingentibus miraculis quæ per totum iter facta sunt, delatum est Antiochiam. Quod & Imperator Leo ab Antiochensibus sibi dari poposcit. Verùm Antiocheni, missâ ad Principem supplice libello, his verbis sunt usi: Quoniam civitas nostra muros non habet: corruerunt enim ob indignationem divini Numinis: Sanctissimum corpus huc importavimus, ut nobis pro muro munimentóque esset. Quibus permotus Leo, precibus eorum cessit, & sacrosanctum corpus eis reliquit. Hujus complures reliquiæ ad nostra usque tempora asservatæ sunt. Et sanctissimum ejus caput ipse præsentibus multis Sacerdotibus vidi, celeberrimo Gregorio Episcopatum Antiochena urbis gubernante: cum Philippicus ad custodiam ac præsidium Orientalis Militiæ, pretiosas Sanctorum reliquias ad se mitti postulavisset. Et quod mirandum est, capilli capitis nequaquam diffluxerunt: sed perinde ac si ille adhuc viveret, atque inter homines versaretur, integri manent. Cutis autem in fronte rugosa quidem est, atque obdurata: manet tamen adhuc incolumis: sicut & dentium plerique, exceptis his quos pii quidam ac fideles viri per vim abstulerunt. Adjacet capiti catena ferrea, quam ille collò gestaverat: cui tempore laborum socia gloriosum corpus honores ipsi à Deo concessos communicavit.*

Religiosus sacrarum Reliquiarum cul...

XVI. Synodus vii. Oecumenica Actione iii. de Sanctorum Reliquiis ita censuit: *Servator noster Christus fontes salutares Sanctorum Reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in-debiles fundentes.... Atque id per Christum qui in ipsis habitat.*

...tus à Conciliis vindicatus.

Et in Definitione Fidei: *Igitur qui ausi fuerint aliud sentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Ecclesiasticas Traditiones contaminare; aut novam quamdam vaniloquentiam inducere, aut quidquam de consecratis in Ecclesia abjicere, Evangelii codicem, figuram Crucis, aut imaginis alicujus picturam, aut Reliquias Martyrum, quas sciverint esse germanas, & veras; aut contra ista vafrè & improbè aliquid excogitare, &c. si fuerint Episcopi aut Clerici, deponantur: Si Monachi, aut Laici, communione priventur.*

Quid Decreta Concilii Braccarensis III. *Canone* vi. Pictaviensis II. sub Paschalis II. Pontificatu, *Canone* 12. Lateranensis sub Innocentio III. *Canone* 62. commemorem? Quæ cum pravas consuetudines quæ in receptum Reliquiarum cultum irrepserat, emendare studuerit, hoc ipso Reliquiarum venerationem ab Ecclesiâ approbatam esse docuerunt. Quibus coronidis loco adjungendum est Synodi Tridentinæ Decretum Sessione xxv. *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à Fidelibus veneranda esse: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi: vel eas, aliáque sacra monumenta à Fidelibus inutiliter honorari: atque eorum opis impetrandæ causâ, Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, & etiam nunc Ecclesia.*

Dallæus dogma Catholicum *Latinorum Traditionem* perperam vocat.

XVII. Ex his omnibus colligitur, dogma Catholicum perperam à Dallæo Calviniano Ministro *Latinorum Traditionem* appellari singularem: ipsúmque non solùm adversùs Latinæ Traditionem Ecclesiæ, sed & Græcæ, id est, contra Ecclesiæ universæ fidem, Sanctorum impugnandas suscepisse Reliquias, & earum venerationem. Siquidem Græci Patres disertè docent illas in honore habendas esse, ac religiosè colendas, scilicet Ecclesia Smyrnensis in Epistola Encyclica de Martyrio S. Polycarpi, S. Cyrillus Hierosolymitanus, SS. Basilius, Gregorius Nyssenus & Nazianzenus, Chrysostomus, Asterius, Isidorus Pelusiota, Theodoretus, Septima Synodus Oecumenica. Nec unquam Ecclesiam Græcam & Latinam inter, ob istud dogma, dissensio ulla fuit, ut ex omnibus Historiis initæ pacis inter utramque Ecclesiam à tempore Photiani Schismatis compertum est, & præsertim ex Historia & Actis Concilii Florentini.

Non alia Ecclesiæ quarti sæculi, & trium priorum sæculorum de Religioso sacrarum Reliquiarum cultu fides.

XVIII. Ad tenebras trium priorum sæculorum confugit Dallæus, & ante annum trecentesimum nullum fuisse Reliquiarum cultum asserit, ex eoque colligit Reliquiarum illam, ut vocat, religionem quarto sæculo incœpisse. Verùm si Reliquias venerabatur, & in veneratione à Fidelibus habendas credebat Ecclesia quarto sæculo, quod negare non potest, nisi qui solem in meridie lucere negare voluerit, necesse est ut tribus primis Ecclesiæ sæculis eamdem fuisse circa Reliquias earúmque cultum Ecclesiæ fidem fateatur. Namque non disciplinæ tantùm ea mutatio esset, sed dogmatis. Defectio esset ab unius veri Dei cultu ad idololatriam & superstitionem damnandam, ut Dallæus, & Calvinistæ cæteri contendunt. Ea ut contigisset mutatio, necesse esset contradictoriò planè sensu accepta fuisse ab Ecclesia tertii & quarti sæculi illa Scripturæ sacræ loca, quæ cultum omnem creaturarum, ut ipse asserit, prohibent. Cùm itaque quarto sæculo Ecclesia Catholica Sanctorum cultum, & Reliquiarum venerationem religiosam crederet, opereque ipso approbaret, non in angulis, sed in tantâ

Mutationis impossibilitas contra Dallæum demonstratur.

hominum

hominum luce, ut Ethnici, & Manichæi hancce Christianis religionem exprobarent, quod ex Juliano Apostata patet, apud Sanctum Cyrillum Alexandrinum *lib. 6. contra Julianum*; ex Eunapio Sophista; *in Vita Ædesii*: & ex Fausto Manichæo, apud S. Augustinum *lib.* xx. Sequitur subitam fidei mutationem initio quarti sæculi factam fuisse, vel ignorantibus, vel patientibus omnibus ad unum Doctoribus, & Christianis. Porrò nonnisi ineptè fingi potest, Christianos omnes, & ipsos Episcopos ac Magistros Ecclesiæ, quos sæculum quartum plurimos, eosque sanctissimos ac doctissimos peperit, nescivisse quænam fuisset Ecclesiæ priorum sæculorum fides; maximè cùm plures quarto sæculo viverent, qui maximam vitæ partem tertio sæculo egerant, & ab illius ætatis Doctoribus fuerant instituti. Incredibile est, quod Scripturam sacram aliô sensu intellexerint, quam à Magistris accepissent. Incredibile est quod scientes, volentes, non tantùm à moribus, sed etiam à fide majorum circa religiosi cultus objectum, Christiani omnium Ecclesiarum, nulla inter se habita collatione, subitò defecerint universi. Enimverò si Arium, ut primùm hæresi pestiferâ fidem antiquam violavit, Ecclesiarum Magistri sermonibus ac scriptis impugnarunt, anathemate confixerunt, Synodis frequentissimis oppresserunt, cum omnibus Sectatoribus: Quis credat tantum fuisse Patrum ac Doctorum, omniumque Christianorum stuporem quarto sæculo, ut novum idololatriæ genus, cultumque planè superstitiosum, scilicet Sanctorum cultum, & Reliquiarum venerationem (sic enim cultum illum religiosum Dallæus, aliique Calvinistæ & Lutherani vocant) in Ecclesiam invehi finerent, nequidem adversùs Novatores mutiendo? Spiritum certè Sanctum Ecclesiæ tunc defuisse, ubi maximè necessarius erat, oporteret. Quod Christi promissis adversatur.

Dallæi Calvinistæ argumentis respondetur.

Lib. 4. de Relig. Cultus objecto, cap. 5. & 6.

XIX. Futilia sunt itaque negantia Dallæi argumenta inde petita quòd trium priorum sæculorum Patres religiosi Reliquiis delati cultûs non meminerint, aut miraculorum per Reliquias effectorum, præsertim ubi de carnis resurrectione adversùs ejus negatores disputabant: aut adversùs Gnosticos Martyriorum refragatores. His namque sæculis non scripta Traditione & doctrinâ ex Scripturis sacris depromptâ, & ab Apostolis ad eorum successores propagatâ, fides de sacrarum Reliquiarum cultu constabat: Quam à Patribus trium priorum sæculorum in libris ab ipsis editis explicari, aut defendi, nec erat necesse, neque conveniens: cùm Ethnicis occasionem datura esset ejusmodi cultûs Reliquiarum religiosi mentio, calumnias in Christianam Religionem evomendi, quasi mortuos homines & ipsi colerent Christiani, nec omninò reliquisse, sed mutasse tantùm religionem erga mortuos homines viderentur. Propagatâ verò & pacatâ Ecclesiâ, quarto sæculo, & sequentibus, & idololatriâ cadente, cùm Religiosus Christianorum cultus publicus ac solennis esset, ac Reliquiarum, quæ istius cultûs pars aliqua est, publica item & solennis veneratio, congruum erat ut Patres & Scriptores Ecclesiastici, de illa loquerentur in libris quos edebant, sive ad Fidelium pietatem accendendam, sive ad Infidelium arguendam cæcitatem ac frangendam pervicaciam.

Neque verò vel contra Ethnicos Philosophos, vel contra Hæreticos resurrectionem mortuorum negantes, ex cultu Reliquiarum argumentum ducere prudens erat, aut causæ fidei commodum: siquidem multò magis colendas esse Reliquias negassent, qui carnis Resurrectionem impugnabant: cùm nonnisi suppositâ Resurrectionis fide cultus Reliquiarum religiosus sit. Neque etiam contra Gnosticos ullius fuisset roboris istud argumentum: qui cùm Martyriis refragarentur, multò magis à Martyrum cultu, aut Reliquiarum sacrarum veneratione erant alieni. Certè quos Martyrum certantium ac patientium miracula non convincebant, perennantes reliquiæ, aut miracula virtute illarum effecta non movissent.

Lib. 4. de Relig. Cultus objecto, cap. 7.

XX. Neque verò validius est argumentum Dallæi alterum, inde petitum quòd Veteres Paganis exprobrarint rerum mortuarum, & humanis casibus obnoxiarum cultum; sepulchrorum & mortuorum religionem; Altarium & Templorum in sepulchris consecrationem. Quòd Clemens Alexandrinus *in Protreptico adversùs Gentes*, Paganis objiciat, illorum Divos *circa sepulchra & monumenta versari & volutari, & solere in iis apparere*. Et in eorum statim impietatem exclamet, *Purissimam Dei naturam, quæcumque in ipsis erat, defodientium; idque quod sanctum atque incorruptum est, sepulchris obruentium*. Quòd Tertullianus lib. *de Idololatria* cap. 13. *Mortuos coronari* prohibeat: *Quoniam ipsi idola statim fiunt, & habitu, & cultu consecrationis; quæ apud nos secunda idololatria est*. Quòd Minutius Felix *In Octavio*, de Ethnicorum majoribus dicat: *Dum Reges suos colunt religiosè, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestium eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia*. Quòd Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromatum* referat, Paganorum Sapientes in plerisque templorum suorum, cùm ea consecrarent, loculos, sive thecas mortuorum posuisse, eorumque animas *Dæmonum, sive geniorum nomine appellare, docereque ab hominibus esse colendas, ut quæ propter vitæ puritatem, divina providentia munere potestatem acceperint loci illius, qui terram ambit, ad hominum ministerium incolendi ac lustrandi*. Quæ omnia cum Reliquiarum cultu consistere non posse Dallæus contendit.

Verùm illæ Veterum in Ethnicos invectivæ, nequaquam cultum religiosum petunt Sanctis & eorum Reliquiis à Christianis exhibitum: cùm non adorentur ut Numina, neque ritu solenni velut Idola consecrentur, nec eorum animæ credantur oberrare circa sepulchra, aut in dæmones sive genios transformari, qui rebus humanis præsideant. Coluntur enim duntaxat ut amici Dei, qui ipsô fruuntur, & cum Christo Sancto Sanctorum feliciter regnant. Eorum verò corpora in honore sunt ac veneratione, quia Sanctarum animarum fuerunt domicilia, & organa Sancti Spiritus ad omnium opera virtutum: quæ autem super eorum sepulchra & thecas eriguntur templa, vel altaria, non ipsis, ut templa & aræ Paganorum falsis Numinibus, consecratis Heroïbus, aut Geniis extruebantur ac dicabantur: sed uni vero Deo eriguntur in Sanctorum memoriam. Ita Doctrinam Ecclesiæ explicat S. Augustinus lib. ultimo *de Civitate Dei* cap. x. *Nos autem*, inquit, *Martyribus nostris non templa sicut Diis; sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria in quibus sacrificemus Martyribus; sed uni Deo & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen à Sacerdote qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriam sacrificet eorum; quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi*. His gemina habentur Sermone cx. *de Diversis*. Et lib. xx. *contra Faustum, cap.* 21. Cujus verba inferiùs proferemus, ubi de Sanctorum cultu & invocatione sermo erit.

XXI. Longè magis infirma sunt & inania, quæ deinceps Dallæus contra religiosum Reliquiarum

Dallæus cap. 9. . . . 13. & 15.

cultum objicit. I. Latinum condendarum sub omni altari Reliquiarum ritum, intra trecentos à nato Christo annos nullum fuisse. II. Nec iisdem temporibus ullas vel in Processionibus, vel ad ullas vitæ necessitates, ut in morbis, in peste, in naufragio, &c. adhibitas fuisse Reliquias. Tertiò, Reliquiaria, quæ nunc assiduè velut arma ac præsidia, ornamentaque sua gestat omne Latinorum genus, vetustissimis ante trecentesimum Domini annum Christianis ignota fuisse. Quartò, nullas Reliquias tribus primis Sæculis reperiri, vel cereis honoratas, vel ex uno loco in alium translatas. Quintò, vetustissimos Christianos Martyrum & Sanctorum corpora diligentissimè sepelivisse, & terræ mandavisse; quod non erant facturi, si ea putavissent adoranda. Sextò, aliquid ex Martyrum corporibus altaribus inferendum, aut in Reliquiariis condendum, carpere, servare, ad alios missitare, apud priscam trium primorum Sæculorum Ecclesiam insuetum & inusitatum fuisse. Ejus moris circa quarti sæculi initium rudimenta notari; unde postea Reliquiarius error exortus est.

Dallæus Quæstionem dogmatis cum Quæstionibus disciplinæ malâ fide confundit

Hæc (inquam) Dallæi argumenta planè inania sunt, & boni sensûs expertia. Confundit enim Scriptor pessimæ fidei quæstionem dogmatis cum quæstionibus disciplinæ, quæ tamen diligenter à fideli Theologo distinguendæ sunt. Quæstio de religioso reliquiarum cultu, dogmatis est. Fides namque docet Sanctorum Reliquias reverenter ac religiosè tractandas. Venerationem ipsarum ob Sanctorum amorem, esse licitam ac piam: religiosum esse ad eorum sepulchra, aut thecas Deo supplicare, & eos apud Deum Patronos adhibere, non quidem eorum corpora, ossa, aliasve reliquias invocando, sed Sanctos ipsos quorum exuviæ sunt: at quæstio de circumstantiis religiosi Reliquiarum cultûs, meræ disciplinæ est, scilicet 1. An corpora, cineres, seu ossa Sanctorum ex sepulchris eruenda, & in loco edito, puta supra altare, vel in alio loco conspicuo collocanda? an accensis cereis honoranda? an auro, argento, gemmis, serico &c. eorum thecæ exornandæ sint? 2. An Reliquiæ illæ in Processionibus & publicis Supplicationibus sint circumferendæ, ac populo Christiano ad eas tangendas, exosculandas, vel saltem spectandas sint ostendendæ & proponendæ? 3. An possint, aut debeant in partes dividi, altaribus inseri, reliquiariis condi, & collo ex devotione appendi? Hanc autem disciplinam tribus primis nominis Christiani sæculis non viguisse in Ecclesia; ob persecutionum ubique grassantium in Fideles tempestatem, ultro concedimus: Nec erat cur in hoc probando maximam libri sui partem Dallæus inutiliter & otiosè consumeret. Sed cum redditâ Ecclesiæ pace magnificus ille religiosi cultûs apparatus quarto Sæculo in omnibus Ecclesiis receptus fuerit, & ab Ecclesiæ Doctoribus ac Patribus universim approbatus; argumentò est Ecclesiam non solùm Reliquiarum venerationem licitam ac piam credidisse, & illarum contemptores execratam fuisse ut impios; sed existimasse illas omnes, aut similes religiosi cultûs illarum circumstantias aut appendices, pias esse ac laudandas, quas usurpare posset ad Fidelium pietatem excitandam, cùm ipsi id opportunum videretur, & cùm à Tyrannorum infestatione liberata, Deum publico cultu colere, suamque erga Sanctos venerationem ac dilectionem publicis monumentis testari sineretur. Hæc verò omnia pro ratione temporis, aut locorum, variari, permitti, aut tolli posse, Catholicis omnibus Theologis notum est: Cùm mutata fuerit in pluribus & mutari etiamnum posset Ecclesiæ disciplina. Ampliùs dico: Nullum præceptum divinum, aut Ecclesiasticum est, quo Christiani actu & reipsa Reliquias Sanctorum colere teneantur; ut etiam notant illustrissimi ac doctissimi Antistites Vvalemburgi *Tom. 2. Controversiarum, Tract. de Unitate Ecclesiæ, lib. XII. Controvers. IV. de Reliquiis Sanctorum.* Sed, ut dixi, Reliquiarum cultum ac venerationem licitam esse, & illarum contemptum, irreverentiamque omnem erga illas impiam esse ac damnandam, Catholicæ fidei dogma est, fuitque semper in Ecclesia.

Nec religioso Reliquiarum cultui derogat mos vetus Ecclesiæ in sepeliendis Martyrum, & sanctorum quorumvis hominum corporibus. Nam in ipsis monumentis non minùs coluntur, quàm in thecis. Maximus certè honor est, quòd altaria super ipsorum sepulchra eriguntur, in quibus Deo in eorum memoriam sacrificetur. Maximus honos est, quòd ad eorum tumulos Christiani diem festum in gratiarum actionem, pro eorum martyrio & gloria celebraturi, ac divina eorum patrocinio impetraturi beneficia conveniant. Quod & primis sæculis ab Ecclesia factitatum est, & Sæculo quarto passim usurpatum, cùm nondum tam frequenter in thecis aspectabiles Reliquiæ proponebantur, sed sub Altaribus condebantur. Quô de more S. Hieronymus contra Vigilantium ait: *Malè ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria.*

S. Ambrosius in Epistola ad Marcellinam Sororem, de SS. Gervasii & Protasii recèns inventis corporibus: *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare; qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi: Dignum est enim ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem: locus iste Martyribus debebatur. Condamus ergo Reliquias sacrosanctas, & dignis adibus invehamus, totumque diem fide devotione celebremus.*

S. Augustinus Sermone cxr. de Diversis, dicto in laudem S. Cypriani. *Ibi*, inquit, *hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter Natalem Cypriani, bibit sanguinem Christi. Et tantè dulciùs in illo loco propter Natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quantò devotiùs ibi propter nomen Christi, sanguis fusus est Cypriani. Denique sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est: tamen mensa dicitur Cypriani: Non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus; sed quia ibi est immolatus: & quia ipsâ immolatione suâ paravit hanc mensam; non in qua pascat, sive pascatur: sed in qua Sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.*

S. Paulinus in Epigrammate ad Severum misso, & Basilicæ ab eo dedicandæ inscribendo.

Pignora Sanctorum divina gloria Mensa
Velas Apostolicis edita corporibus.
Spiritus & Domini medicis virtutibus instans
Per documenta sacros viva probas cineres.
Sic geminata piis adspirat gratia votis,
Infra Martyribus, desuper acta sacris.
Vota Sacerdotis, viventium & commoda, parvô
Pulvere Sanctorum mors pretiosa juvat.

Martyrum itaque, Sanctorumque reliquorum sepultura, primis Ecclesiæ sæculis religiosè curata, non probat eorum Reliquias in honore non fuisse. Lege S. Chrysostomum Homilia 26. in Epistolam 11. ad Corinthios, ubi Sanctorum Sepulchra longè illustriora, celebrioraque esse docet Imperatorum ac Principum Palatiis: *Non tam ædificiorum magnitudine, quàm frequentantium studiô. Etenim ille ipse, qui purpurâ vestitur, vadit ut monumenta illa complectatur, & fastu posito, stat Sanctis supplicans, ut se*

patrocinio

patrocinio suo apud Deum adjuvent : Et Scenopegum ad Piscatorem vel vitâ functos, Patronos adhibet ille diademate redimitus. Audebisne igitur mortuum dicere Dominum illorum, cujus servi, etiam mortui, totius orbis Regum Patroni sunt? Atque hoc non Romæ solum fieri videas, sed etiam Constantinopoli. Nam & illic Constantinum Magnum magno se affecturum honore hujus filius existimavit, si in vestibulo Piscatoris corpus illius collocaret. Ita quod sunt Imperatoribus in Palatio janitores; hoc in sepulchro Piscatoribus sunt Imperatores.

Dallæus cap. 17. & seq.

XXII. Tandem quòd Reliquiæ aliæ citiùs, aliæ seriùs, Deo ita volente, revelatæ sint, quod pluribus Dallæus probat; nec primis sæculis Reliquiæ Christi plurimæ, B. Mariæ Virginis,* Apostolorum, &c. notæ adhuc fuerint, quæ postea repertæ sunt, ac celebres evaserunt, nihil omninò probat contra fidem religiosi Reliquiarum cultus. Reliquiarum enim actualis veneratio, disciplinæ res est : quod verò licitum sit ac religiosum illas colere, dogma fidei est.

* B. Virginis lac, capilli, indusium, cingulum, velum, &c.

Quod si objiciant Heterodoxi, falsas interdum Reliquias in Ecclesia proponi : plerasque sibi varias Ecclesias vendicare, quæ tamen simplices in se sunt & unicæ : multos in earum cultum abusus irrepsisse : Respondemus, de singularium veritate Reliquiarum nobis non esse contra Hæreticos quæstionem, sed tantùm de illarum cultu, quarum probata veritas est. Et si qui irrepserint abusus in religiosum cultum; si superstitiones quædam rudiorum hominum, aut simplicium mulierculárum; si quæstus sacrilegi; pravos illos mores, degeneris pietatis excessus, quæstuariam religionem, imò potiùs religionis corruptelam, semper detestata est Ecclesia, & vitia illa emendare studuit : ut ex Concilii Lateranensis sub Innocentio III. cap. 62. & ex Concilio Tridentino Sessione 25. compertum est : & in vindicandis Sanctorum Reliquiis, id est in earum delectu, & verarum à falsis discretione, à primis sæculis diligentiam adhibuit singularem. Hujus rei insigne habetur exemplum in Historia & origine Donatistarum, quorum Schismaticam factionem ex reliquiarum occasione conflatam apud Carthaginem Optatus asserit (Lib. 1. adversùs Parmenianum.) *Per Lucillam feminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cùm correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur : & cùm præponeret Calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione, irata discessit.* Idem patet ex celebri facto S. Martini, qui altare in loco, quem falsa vulgi opinio velut consepultis ibi Martyribus sacraverat, à superioribus Episcopis constitutum, inquisitione factâ diligenti, diruit, cùm divina revelatione, nullos ibi Martyres, sed latronem sepultum, & vulgi errore celebratum cognovisset. Nec minùs accuratam nunc quàm priscis temporibus cautionem in Reliquiarum approbatione adhibet Ecclesia : nec minorem in pravis moribus emendandis, si qui adhuc supersint, vigilantiam & solicitudinem.

QUÆSTIO II.

De Sanctorum cultu, & Invocatione.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Sanctis religiosum cultum deferre liceat?

PROPOSITIO PRIMA.

Sanctos sacro cultu & honore, civili majore, inferiore divino, prosequi licet : cujus religionem Scriptura sacra adstruit auctoritas.

Religiosus Sanctorum cultus ex Scriptura sacra probatur.

CATHOLICUM istud dogma disertis primùm Scripturæ sacræ testimoniis probatur. Numeror. 22. *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in viâ evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.* Dicent-ne Heterodoxi adorationem illam Angeli cultum esse duntaxat civilem, sive meræ urbanitatis officium? Id verò perabsurdum est. Fingent-ne esse divinum? Nec id asseri potest, cùm à Scriptura non reprehendatur. Medius igitur divinum inter, & merè civilem, cultus erat religiosus, propter Deum exhibitus Angelo. Nec id ex Balaami errore ortum dici potest, existimantis Dominum esse : cùm Scriptura testetur aperuisse Dominum oculos ejus, ut Angelum videret.

Quod ex Josue 5. confirmatur. *Cùm esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium perrexitque ad eum, & ait : Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait*, &c. Non Deum, sed Principem militiæ Domini Josue adoravit, sumptô nimirum adorationis vocabulô pro cultu quovis & honore, qui cum aliqua corporis inclinatione eximiæ alicui personæ propter ejus excellentiam defertur : quô modô sæpe etiam in Scripturis usurpatur. Porrò cùm non vulgaris sit Angelorum sanctorum excellentia, qui Deo assistunt, ejusque faciem in cœlis vident, ejusque legationes obeunt; nec vulgaris etiam est, ac civilis duntaxat, qui ipsis defertur honos, sed sacer & religiosus.

Dallæus lib. 1. c. 8.

Frustra autem opponunt Heterodoxi, Apocalypsis celebrem locum, cap. nimirum 19. ubi S. Joannes prohibitum se ab Angelo memorat, ne ipsum adoraret : cui certè divino inferiorem honorem deferebat Apostolus. *Cecidi*, inquit, *ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dixit mihi : Vide ne feceris : Conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu : Deum adora.* Inanis, inquam, objectio est ex illo petita loco. Namque Angelus ita S. apparuerat Joanni, ut Deus videri posset. Quamobrem erat opus ut se Dei legatum ac Ministrum esse aperiret, ne ipsum velut Deum Apostolus adoraret. Ita hunc locum exponit S. Augustinus lib. 5. Quæstionum super Genesim, Quæstione 61. *Talis enim apparuerat Angelus*, inquit, *ut pro Deo posset adorari : & idcò fuerat corrigendus adorator.*

Respondeo secundò, S. Joannem religiosè adorare voluisse Angelum; quamvis id Angelus prohibuerit. Unde post illam prohibitionem, quæ cap. 19. legitur : *Vide ne feceris*, &c. iterum voluit eumdem adorare, ut habetur cap. 22. porrò ita constans in proposito ipsum adorandi non fuisset, si hocce adorationis, id est cultus religiosi genus Angelo delatum, illicitum ac impium esse intellexisset. Permittere autem noluit Angelus, ut ipsum Joannes adoraret, ob naturæ humanæ à Filio

Dei assumptæ reverentiam : ut disertè explicat S. Gregorius Magnus Homilia VIII. in Evangelia. *Quia*, inquit, *cœli Rex terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa jam Angelica Celsitudo non despicit : Ad pacem nostram Angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, & quos prius infirmos abjectosque despexerant, jam socios venerantur. Hinc est enim quòd Loth & Josue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur : Joannes verò in Apocalipsi sua adorare Angelum voluit ; sed tamen idem hunc Angelus, ut se debeat adorare, compescuit, dicens : Vide ne feceris ; Conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Quid est quod ante Redemptoris adventum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent ; postmodum verò adorari refugiunt ? Nisi quòd naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt ? Nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in cœlis Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.*

His de cultu Angelorum religioso constitutis, facilè colligitur sanctos homines, quibus in cœlis à Deo promissa est Angelorum æqualitas, religioso pariter cultu nos prosequi par esse, qui cùm sacris honoribus, dum hîc mortalem vitam agerent, ob eximiam sanctitatem, & collatæ à Deo dignitatis, sive cælestium donorum excellentiam sint affecti, multò-magis illos nunc à nobis promerentur cum Christo regnantes. III. Regum cap. 18. Abdias dispensator domûs Achab, vir timens Deum ab infantia sua, cùm Eliæ occurrisset, cognovissetque eum, *Cecidit super faciem suam.* Quod civilis tantùm erga Eliam reverentiæ testimonium non fuit, cùm civili dignitate Eliæ antecelleret Abdias inter Aulæ Proceres conspicuus ; sed religiosæ venerationis, quâ gratiam Propheticam, eximiamque Viri Deo acceptissimi sanctimoniam prosequebatur. Refertur etiam IV. Regum 2. cùm filii Prophetarum, qui erant in Jericho, comperissent spiritum Eliæ super Elisæum requievisse, quòd *Venientes in occursum ejus, adoraverant eum proni in terram.* Et cap. 4. memoratur Sunamitidem, postquam filium suum ab Eliseô suscitatum recepit, *corruisse ad pedes ejus*, & adorasse super terram. Et Danielis 2. cùm somnii sui interpretationem à Daniele Nabuchodonosor audivisset, *Cecidisse* refertur *in faciem suam, & Danielem adoravisse*. Quæ adoratio, ad Deum quidem Danieli revelantem Mysteria referebatur, ut exponit S. Hieronymus, utque ipsemet Nabuchodonosor professus est, dicens : *Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum, & revelans mysteria* : sed nihilominùs honore singulari, & plusquam civili Danielem tunc affecit Rex Babylonius, Propter divinum lumen quo illustratus erat ad mysteriorum interpretationem. Certè si Sanctos homines hîc viventes, ob gratiarum, à quibus excidere poterant, munera, cultu non vulgari colere, religio fuit : multòmagis licitum est ipsos religioso cultu prosequi ob gratiam æternùm duraturam & consummatam, & ob amicitiam cum Deo, quâ fruuntur, gloriamque immortalem.

Objicies, Mardochæum noluisse se inclinare coram Aman, rationemque reddidisse, (*Esther* 13.) ubi sic Deum alloquitur : *Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum (libenter enim pro salute Israël etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.*

Item cùm S. Petrus ad Cornelium accessisset, processit ipsi obviam pius Centurio, *Et procidens ad pedes ejus, adoravit. Petrus verò elevavit eum dicens : Surge, & ego ipse homo sum.* Atqui nec Aman divinos honores à Mardocheo postulabat : nec Petrum ceu Deum colebat Cornelius vir justus & Deum timens. Igitur cùm Mardocheus, tum S. Petrus, cultum omnem religiosum, quanquam inferiorem divinô, nulli deferendum creaturæ intellexerunt.

Ad primum locum respondet Bellarminus, Aman voluisse ut Deum adorari, idque colligi ex Mardochæi verbis. Sed hanc Illustrissimi Cardinalis responsionem falsam existimo. Cùm enim Assuerus Aman interrogavit, quo honore dignus esset, quem Rex honorare decrevisset ? Non respondit, ipsi consecranda templa, erigenda altaria, mactandas victimas, festos dies dicandos, vel alia hujusmodi in ejus honorem factitanda, quæ numinum religionem spectabant ; Licet *Reputaret in corde suo* (ut ait Scriptura) *quod nullum alium Rex nisi se vellet honorare* : Sed respondit : *Homo quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus Regiis, & imponi super equum qui de sella Regis est, & accipere Regium diadema super caput suum ; & primus de Regiis Principibus ac Tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens, clamet & dicat : Sic honorabitur, quemcumque Rex voluerit honorare.* Ex quibus satis constat, Aman divinos honores non ambiisse. Meliùs ergo respondetur, Mardocheum inani timore trepidasse ; nisi Hebræorum traditionem audiamus, dicentium, Aman idolum textile in pectore gestasse, quod adorabant alii : atque ita Mardocheum coram ipso genu flectere prudenter recusasse, ne colere Idolum videretur, aut divinos honores Amano deferre, quales à Gentilibus deferebantur Idolis. At nullum subest istiusmodi periculum in cultu & honore quô Sanctos prosequimur ; illum enim divino inferiorem esse Catholicorum nemo nescit ; licet humanô civilique superior sit : Quia non humanas tantùm & civiles, sed supernaturales virtutes, ac dona cælestia in eis veneramur.

Ad alterum locum respondeo, & Cornelii ad S. Petri pedes procidentis Religionem pietatemque, & S. Petri honorem illum recusantis modestiam esse laude dignissimas. Quamobrem nihil probat contra religiosum Sanctorum cultum locus iste : alioqui sequeretur nec civilem honorem Parentibus, Ecclesiæ Ministris, Magistratibus &c. deberi, quia sunt viri pii, qui omnem interdum honorem, etiam debitum, ex humilitate respuunt. Quòd autem S. Petrus honorem sibi non indebitum, & à Cornelio piè delatum, ex humilitate & singulari modestia recusaverit, S. Joannes Chrysostomus *Homilia XXIII. in Acta* testatur : *Hoc faciens*, inquit, *humilitatem suam ostendit, & alios docuit.*

Objicit Dallæus post alios Calvinisticæ Sectæ scriptores, sacras literas docere solum Deum adorandum esse, & religiosè colendum. [Lib. 1. de Relig. cultus adv. ... cap. 2. & sequentibus.] Matthæum Evangelistam sic à Christo Domino sancitum, & ex veteris Scripturæ tabulis fixum ac constitutum narrare, cùm Tentatori omnia regna mundi, si se cadens adorasset, promittenti, respondit: *Vade satana ; scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* (Matth. 4.) Ubi observandum, quòd cùm in Hebræo fonte, unde hanc Servator sententiam hausit, simpliciter habeatur : *Dominum Deum tuum timebis, & illi servies.* [Deuteron. 6.] LXX. tamen Interpretes, & Latinus eorum vestigia secutus ita locum expresserunt, ac si scriptum esset, *Illi soli servies* ; quem esse verissimum verborum sensum, Christus auctoritate suâ approbavit. Idem est sensus horum verborum (1. Regum 7.) *Præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Unde Apostolus Paganicæ ignorantiæ deputat, quicquid ei rei cultus impenditur, quæ naturâ Deus non est, cùm ait, Galatas, quô tempore in Ethnicismi tenebris versabantur, *iis qui naturâ non sunt Dii, servisse.* Hanc positam sibi à Deo

&

& à Christo legem constanter tenuisse omnes vetustissimæ memoriæ Christianos, qui sanctissimè contestati sunt, Deum solum se adorare, nec quemquam alium colere posse, ut constat ex S. Justino *Apologia* 2. ex Epistola Smyrnensis Ecclesiæ de Martyrio S. Polycarpi, ex Theophilo Antiocheno, *lib.* 1. & 2. *ad Autolycum*, ex S. Irenæo *lib.* 5. *cap.* 22. ex Clemente Alexandrino, *lib.* 6. *Stromatum*. ex Tertulliano, *Apologetici cap.* 17. & *Scorpiaci cap.* 4. ex Origene *lib.* 1. *contra Celsum*, & passim in aliis libris; ex S. Cypriano, *lib. de exhortatione Martyrii*, & *Epistola* 16. *ad plebem Thibaritanam*; ex S. Dionysio Alexandrino apud Eusebium *lib.* 7. *Historia Ecclesiastica cap.* 11. Horum Scripturæ sacræ testimoniorum habita ratione, primi Christianismi Scriptores religionem non alterius, quàm Dei unius cultu censuisse. Quod ex Clemente Romano *in Epistola* 1. *ad Corinthios*, ex Justino, *lib. de Monarchiâ*, ex Tatiano *Oratione ad Græcos*, ex Clemente Alexandrino *lib.* 2. *Stromatum*, ex Origene *lib.* 4. & 8. *contra Celsum*, & ex Lactantio *lib.* 1. *Institutionum cap.* 20. disertè probatur. Itaque religiosum cultum Angelis, vel sanctis hominibus deferri Deus & Christus ejus vetant; itaque ab ipsis vetitum Patres intellexerunt.

Dallæi Objectionibus ex sacra Scriptura petitis respondetur.

C Respondeo, Sacræ Scripturæ testimonia, quæ soli Deo serviendum, eumque adorandum asserunt, de perfectâ servitute, supremóque honore esse intelligenda, quem Deo ut primo rerum omnium Auctori, & ultimo fini exhibemus. Cæterùm & honórem civili majorem aliis à Deo deferre tenemur, secundùm illud Apostoli ad Romanos 2. *Gloria & honor omni operanti bonum.* Et servitutem aliis exhibere possumus ac debemus, non perfectam quidem, sed imperfectam. Unde S. Augustinus *lib.* 1. *Quæstionum in Genesim*, *Quæstione* 61. animadvertit, in præcepto laudato non esse dictum: *Dominum Deum tuum solum adorabis: sicut dictum est, & illi soli servies: quod est Græcè λατρεύσεις. Talis enim servitus nonnisi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ; id est, ejusmodi servitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo.*

D Perfecta & absoluta servitus eorum est, qui alteri modis omnibus subjiciuntur, ac ab aliô moventur, non tantùm ut à causa effectrice, sed ut à fine (quemadmodum Philosophi loquuntur.) Hæc soli Deo debetur servitus, à quô creaturæ moventur omnes, & propter ipsum operantur. Imperfecta verò servitus eorum est, qui modô tantùm aliquô moventur. Quo sensu de puero dicitur ad Galatas 4. *Hæres quamdiu parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium.* Utique quia ab alio ut à causa effectrice movetur. Contra verò qui aliis præest, dicitur etiam illorum servus, quia movetur ab alio ut à fine. Unde etiam 2. *ad Corinthios* 4. dicit Apostolus: *Nos autem servos vestros per Jesum* Sanctorum ergo servi sumus, non perfectâ quidem & strictè acceptâ servitute, quia ad illos fut ad finem ultimum non tendit cultus noster, nec propter eos opera nostra agimur: sed imperfectâ quadam & latiùs acceptâ servitute; quia suis apud Deum meritis nos juvant, suisque ad bonum agendum nos movent exemplis. Negant autem Patres, supremô illô cultu, quem latriam vocamus, alium à Deo coli debere; non inferiori illo, religioso tamen, quem duliam nuncupamus.

Objicit Dallæus, Ignotam esse Veteribus Latriæ & Duliæ distinctionem. Divinos Scriptores, quorum sermonem nostri & fontem, & normam esse decet, eum religionis cultum, tum qui apud Israëlem à piis rectè ac legitimè uni Deo; tum qui ab impiis apud Gentes idolis ac creaturis perperam exhibebatur, utrumque nullo discrimine tam duliam quàm latriam vocare: Hunc cultum quem nunc latriam, nunc duliam vocant, negare creaturis deferendum. Quod plurimis Scripturæ sacræ locis probat toto cap. 5. libri 1.

A Fatemur promiscuum esse in Scripturis utriusque vocis istius usum, & vim æqualem: Sed Ecclesiæ usu antiquissimo factum est, ut latriæ vocabulo ad supremi gradûs venerationem, hoc est, soli debitam Deo significandam servato, duliæ vox & cultûs, ac venerationis, Angelis, vel hominibus Sanctis etiam accommodaretur. Qui usus non à Papâ voces illas pro arbitrio in alienos sensus detorquente constitutus est, ut imprudens & maledicus Dallæus effutiit; sed à priscis Doctoribus traditus, invaluit in Ecclesia, in quâ longè ante S. Augustinum receptus erat. Quæ vocis hujus, *dulia*, sic usurpandæ licentia non est à Scripturis sacris aliena, cùm in iis, ad illius quæ hominibus exhibetur, servitutis genus significandum, aliquoties accepta legatur. Sed stultum est de vocabulis tricari, & otiosè litigare, cùm res ipsas tenemus. Communi sermonis consuetudini obsequi, viri sapientis est, & iis uti vocabulis quæ loquendi magister usus invexit, quamvis à primæva significatione deducta sint. Cùm itaque cultum religiosum Angelorum & sanctorum hominum Scriptura sacra, & prisci Patres approbent, nihil interest quòd eadem ipsum nomenclatura non significaverint.

Latriæ & Duliæ distinctio.

B De variô vocum illarum usu λατρεία & δουλεία in Ecclesia receptô, audiendus est S. Augustinus lib. X. De Civitate Dei, cap. 1. *Hic est*, inquit, *Divinitati, vel si expressiùs dicendum est, Deitati debitus cultus, propter quem unô verbô significandum, quoniam satis idoneum non occurrit Latinum, Græcô ubi necesse est insinuo quid velim dicere. Latriam quippe nostri, ubicumque Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere, aliô nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò, secundùm consuetudinem quâ locuti sunt qui nobis divina Eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut penè semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorificâ vel recordatione, vel præsentiâ frequentamus.*

Latriæ nomen, ad significandum cultum uni Deo debitum Ecclesiæ usu consecratum est.

Et lib. XX. *contra Faustum*, *cap.* XXI. cultum illum, qui Græcè latria dicitur, soli Deo exhibendum: & Martyres nihilominus religioso quodam cultu colendos docet. *Colimus ergo Martyres*, inquit, *eô cultu dilectionis & societatis, quô & in hâc vitâ coluntur sancti homines Dei: quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tantò devotiùs, quantò securiùs post certamina superata; quantò etiam fidentiore laude prædicamus jam in vitâ fœliciore victores, quàm in ista adhuc usque pugnantes. At verò illô cultu, qui Græcè Latria dicitur, Latinè unô verbô dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii (unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent) nullo modô tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut contemnetur, sive ut caveatur.* Duliæ nomine intelligi servitutem communem, id est, sive Deo, sive creaturis exhibitam: Latriæ verò soli Deo debitam servitutem, confirmat Venerabilis Beda in cap. IV. Evangelii S. Lucæ.

Coluntur Martyres cultu dilectionis & societatis quo & in hac vita coluntur sancti homines.

Ideo autem ad significandum cultum soli debitum Deo *Latriæ* potius quàm *Duliæ* nomen assumptum est ab Auctoribus Ecclesiasticis; quia non qualemcunque servitutem, sicut est Dulia, sed mercenariam maximè, imò mancipialem significat: qualis

eorum

eòrum erat qui bello capti essent ac subhastati, vel sub hastâ venditi, aut quolibet aliô modô in servitutem empti, ac omnino usui dominorum & obsequio destinati, nec sui juris, sed eorum deinceps toti. Quò etiam spectat ipsa nominis etymologia. Derivatur enim à *λατρεία*, à verbo, *τρέω*; id est, *tremere*, & particula *λα*, quæ significationem auget apud Græcos; quasi vehemens tremor *Latria* nomine significetur: Tremoris autem illius vehementissimi solus Deus objectum est. Hinc *Deuteronomii* 6. dicitur: *Dominum tuum timebis*. Hinc forsan ipsum Dei nomen à Græco *Θεὸς* (quod est timor) ductum est. Eoque non obscurè allusit Poëta celebris, dum sic cecinit: *Deus & timor ille Deorum est*. Hinc, *Genesis* 31. dicitur. *Jurasse Jacob per timorem Patris sui Isaac*, *Timorem Isaac* Moyses *Deum Isaac* nominavit. Latriæ itaque nomen meritò assumptum est ad supremum illum cultum significandum, quò Deum solum venerari debemus, velut illum timentes ut Judicem; velut ab illo empti ut Redemptore; velut illius obsequio ac domino penitus mancipati, & ab ejusdem nutu modis omnibus pendentes: Duliæ verò nomen etiam ad religiosam venerationem significandam, quâ Sanctos prosequimur, velut honorariâ quadam servitute ipsos colentes propter Deum. Unde idolorum cultus, quo soli Deo debitus honor ad opera manuum hominum translatus est, ab Ecclesiasticis Auctoribus, jam inde ab ipsis Ecclesiæ nascentis exordiis, *Idololatria*, non verò *Idolodulia* nuncupari consuevit.

Ad id quod objicit Dallæus, Veteres Christianismi Scriptores religionem non alterius, quàm unius Dei cultu censuisse: Respondeo, Veteres meritò asseruisse Deum solum esse religionis objectum, quia Deum unum propter se colit, & ad eum congruô honore prosequendum per sese ac primariò propriéque refertur: ad aliorum autem venerationem nonnisi secundò locô, & principalis illius gratiâ; ut quidquid Angelis, vel Sanctis hominibus, religiosæ observantiæ exhibetur, id Deo potiùs, cujus unius causâ & voluntate tribuitur, quàm illis qui coli videntur, sit imputandum. Addendum, quòd cultus, qui Sanctis impenditur non eo sensu religiosus dicitur à Theologis Catholicis, quòd immediate à virtute religionis eliciatur: Namque religionis immediatum objectum est Dei cultus, & obsequium, non Deus ipse in se spectatus, in quo illius à virtutibus Theologicis, quæ circa Deum immediatè versantur, positum est discrimen; sed religiosa vocatur illa Christianæ observantiæ erga Sanctos testificatio, quia fit intuitu religionis, propter illius objectum, & à virtute religionis imperatur. Quâ in re doctiores ex Protestantibus nobiscum habemus consentientes. Nam Amesius *Tom. 2. Bellarmini enervati lib. 6. cap. 5. §. 33.* ait: *Honoranda sunt creaturæ Dei ex religione erga Deum, non ex religione erga ipsas: religio (ut Scholastici loquuntur) imperat; non elicit istum honorem.* Et Grotius, *In Animadversionibus contra Rivetum*, pag. 43. observat, *Religiosi* cultûs appellationem esse ambiguam: *Nam*, inquit, *& religiosus est honos qui soli Deo defertur: & religiosus est qui ob Deum defertur Angelis & Apostolis. Neque enim is honor ad communem civilemque vitam pertinet.* Ipse verò Rivetus *in Examine Animadversionum Grotii, ad Articulum* 21. de solo nomine tricari videtur, cum Grotio autem reipsa sentire. *Quamvis*, Inquit, *honor quem Angelis & Sanctis deferimus, non ad communem civilemque vitam pertineat; pertinet tamen ad dilectionis & societatis honorem, ut Augustinus rectè distinguit.* Certe religiosi cultûs nomine, quem Sanctis exhibemus, nihil aliud intelligimus, quàm honorem societatis & dilectionis, qui non ad communem civilemque vitam pertineat, sed sit honore civili, & ordine & gradu superior. Quem si religiosum vocare nolint Protestantes, de verbis non litigabimus, salvo Catholico dogmate. Quamquam cur vocabulis *Religiosi cultus* offendantur, nulla ratio est. Omne enim officium, quo intuitu Christianæ religionis perfungimur, actus religiosus, sive religiosum opus jure meritóque vocatur; quia ut illud impleamus, religio lexque Christiana jubent. Hoc sensu Jacobus Apostolus *Epistolæ cap. 1.* ait: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hôc sæculô.* Porrò si officium pupillis & viduis intuitu Dei impensum Religio ab Apostolo vocatur, quid prohibet quominùs cultus Cælitum religiosus appelletur à nobis: Ut ut Protestantium exemplo morem loquendi Ecclesiasticum vindicemus: Confessio Helvetica posterior *Art.* 18. Ministrorum Ecclesiæ electionem *Religiosè* fieri jubet. Et *Art.* 24. memoriam Dominicæ Nativitatis, Circumcisionis, &c. *Religiosè celebrari* approbat. Confessio Argentinensis *cap.* 7 agnoscit *Religiosa jejunia*. Confessio Augustana inter Articulos *de Abusibus*, Tit. *de Potestate Ecclesiæ* docet utramquem potestatem, Ecclesiasticam & civilem, propter mandatum Dei *Religiosè venerandam*. Lutherus ipse *in cap. 2. Epistolæ ad Galatas* Imperatorem, Regem, Principem, Magistratum, Doctorem, Concionatorem, &c. personas ait esse quas Deus pro suis creaturis agnosci *& religiosè coli vult*. Nec tamen Lutherum, qui religiosi cultûs officia tam latè extendit; idololatriæ reum Dallæus, & alii Lutheranis confœderati Calvinistæ vocaverint. Iniquè igitur & temerè, nobiscum de idololatria expostulant, quòd cultum quo Sanctos prosequimur, Religiosum appellemus.

Objicit Dallæus celebrem locum Apostoli *ad Colossenses* 2. ubi ait: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei.* Ex quibus hoc argumentum Calvinianus Minister informat. Primis temporibus: cùm impostores jam nescio quid religiosi in Angelos cultûs apud Christianos inducere molirentur, eaque peste Colossensium Ecclesia esset afflata, res ad Paulum delata est. Certè si hæc ejus, si cæterorum Apostolorum traditio fuit, beatos illos Spiritus à nobis religioso aliquo honore prosequendos esse, debuit tali in loco Apostolus legitimum inprimis & Ecclesiasticum Angelorum cultum à nimiis & immodicis honoribus distinguere, quos illi quiqui essent Novatores instituebant; ne totum rei genus simpliciter repudiando, frumentum (quod est in parabolâ Evangelicâ) unà cum zizaniis evelleret. At simpliciter & absolutè Angelorum cultum Paulus damnavit ac repudiavit. Eum seductoribus tribuit, à verô religionis scopo falsâ humilitatis specie homines abducentibus. Eumdem temeritati deputavit, incognita & se altiora ex tumore & superbiâ invadenti. Ergo Pauli, & vetustissimæ, quæ Paulum audivit, Ecclesiæ, non modò nulla traditio fuit ut Angeli colantur, sed etiam exserta traditio fuit ne colantur.

Confirmatur ex interpretatione Theodoreti, in suo ad illum Apostoli contextum Commentario. *Qui legem defendebant*, inquit, *eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, Legem fuisse per eos datam. Mansit autem perdiu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Proinde Synodus quæ convenit apud Laodiceam Phrygiæ, lege prohibuit ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem Oratoria Sancti Michaelis apud illos, illorumque finitimos videre est. Illi ergo, humilitate nimirum ducti, hoc fieri suadebant, dicentes universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse; & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliari. Hoc* est

Notio Religiosi cultus explicatur.

Lib. 9. de cultûs objecto, cap. 31.

Dallæus Apostoli testimonio abutitur.

est quod dicit : In humilitate & cultu Angelorum.

Religiosum Sanctorum Angelorum cultum non prohibet.

Respondeo, Hujus expositionem loci à Veteribus potiùs accipiendam, & à maximis illis Viris qui Scripturas sacras quarto interpretati sunt Ecclesiæ sæculo, sicut à Majoribus didicerant, & quorum doctrina ab Ecclesia approbata fuit, quàm à Carentonico Sectæ Calvinianæ Ministello Joanne Dallæo, qui decimo septimo sæculo ex suô sensu hunc locum Apostoli, & alia idem argumentum spectantia temerè interpretatur. Nemo autem Veterum eo sensu Apostoli sententiam intellexit, quem ipse affingit Dallæus, ut scilicet nullum omnino religiosum cultum Angelis tribuendum esse voluerit. Sanctus enim Hieronymus malorum duntaxat Angelorum cultum ab Apostolo prohiberi sensit, de quibus paulò ante dixerat : *Expolians Principatus & Potestates, confidenter, palam traduxit illos, triumphans in semetipso.* Atque ita Apostolum religionem Angelorum nuncupasse religionem Judaicam, quæ post Christi mortem & Evangelii promulgationem Dei cultus esse desiit, & dæmonum potiùs cultura facta est. *Loquitur universa*, inquit, *contra eos qui credentes ex Judæis in Dominum Salvatorem cæremonias Legis observare cupiebant.* Judæos porro, postquam *omnis Judaicarum observationum cultura destructa est, quascunque offerunt victimas, non Deo offerre, sed Angelis refugis & spiritibus immundis.* Quod etiam illos olim in deserto fecisse ex Amos cap. quinto & ex Actuum septimo demonstrat, ubi *Militia cæli* servisse dicuntur : *Quæ nunc*, inquit, *ab Apostolo dicitur religio Angelorum.* Quòd verò hic sit Apostoli sensus, antecedentia persuadere possunt. Illo enim in capite totus est in Legalium cæremoniarum observantia Colossensibus dissuadenda. *Nemo*, inquit, *vos judicet in cibo & potu*, quasi alia munda sint, alia immunda : *Aut in parte diei festi*, ut alios dies festos putetis, alios non festos : nobis enim qui in Christum credimus resurgentem, jugis & æterna festivitas est : *Aut in parte Neomeniæ*, hoc est, Kalendarum, & mensis novi, quando decrescens luna finitur, & noctis umbris tegitur : Christianorum enim lumen æternum est : Aut in parte *Sabbathorum*, ut non faciant servile opus, & onera non portent : quia nos sumus Christi libertate donati, & onera peccatorum portare desivimus. Hæc, inquit, omnia *Umbra sunt futurorum*, & imagines venturæ fœlicitatis : ut in quibus Judæi hæsitant juxta literam, & tenentur in terrâ, nos juxta spiritum transeamus ad Christum : qui ad distinctionem umbrarum, nunc corpus appellatur ; *Corpus autem Christi.* Et statim subdit : *Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione Angelorum :* Id est, nemo vos superet, aut devincat, volens humilitatem literæ sequi, & Angelorum religionem atque culturam, ut non serviatis spirituali intelligentiæ, sed exemplaribus futurorum, quæ nec ipse vidit, qui vos superare, aut seducere desiderat ; frustra autem inflatur, & tumet sensu carnis suæ, carnaliter cuncta intelligens, & traditionum Judaicarum deliramenta perquirens, & non tenens caput omnium Scripturarum, illud de quo scriptum est : *Caput viri Christus est.* Legatur S. Hieronymus *Epistola* CXXI. *ad Algasiam*, *Quæstione* x. ubi datâ operâ hunc locum Apostoli exponit. Cui S. Hieronymi interpretationi, cùm sit consentanea doctissimi Cardinalis Perronii expositio, quamvis aliis verbis, & magis Scholasticis proposita *lib.* 5. *Replicæ cap.* 6. temerè eruditissimum Antistitem Dallæus insectatur his verbis : *Unus ex novissimis Perronius, cùm ei veterum strophæ minùs, credo, satisfacerent, dignum suô cerebrô, quô nullum fuit Chimærarum feracius, dignam suis artibus glossam commentus est.... In hac interpretatione Perronius sibi valde placet, & hanc sibi literalem ac veram Paulinorum verborum expositionem videri ait. Neque mirum : homini enim sua somnia impensissimè amanti hæc ex suô unius cerebrô nata Pallas non potuit non bella videri.* Non ignorabat opinor, Dallæus, hanc expositionem S. Hieronymo acceptam referri : sed id solitâ fraude dissimulavit, ut doctissimum Cardinalem sugillaret liberiùs, cui nonnullus adhuc pudor erat S. Hieronymum palàm apertéque impugnare.

Etsi verò nequaquam hæc sit pœnitenda responsio : Respondeo secundò, Apostolum *cap.* 2. *Epistolæ ad Colossenses* superstitiosum duntaxat cultum Angelis delatum damnare, qualem ipsis impendebant Philosophi, maximè Platonici, qui Angelos vel Deos minores, vel Mediatores unicos & primarios apud Deum asserebant, eôque ipsos nomine venerabantur : quô ex fonte sua de Angelorum in mundi creatione operâ, deque eorum cultu deliria, primi Hæretici, nempe Simon Magus, Menander, Cerinthus, Valentinus hauserunt : ut notavimus *in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ primi sæculi.* De Platone refert S. Augustinus ex Apuleio, ipsum genios, sive dæmones *in aëre medios inter æthereum cælum, terramque constituisse : ut quoniam nullus Deus miscetur homini, quod Platonem dixisse perhibent, isti ad Deos perferant preces hominum, & inde ad homines impetrata quæ poscunt. Indignum enim putaverunt qui ista crediderunt, misceri homines Diis, & Deos hominibus : dignum autem misceri dæmones & Diis, & hominibus : hinc petita qui allegent, inde concessa qui apportent.* Hæc Sanctus Augustinus *lib.* 8. *de Civitate Dei*, *cap.* 18.

Hujusmodi cultum Angelorum ab Apostolo impugnatum loco laudato Epistolæ ad Colossenses, S. Chrysostomus Homilia septimâ in illam Epistolam testatur. *Sunt quidam*, inquit, *qui dicunt non oportere per Christum adduci, sed per Angelos. Illud enim est majus, quàm ut id possimus assequi. Propterea susque deque versus* (Apostolus) sive vehementer inculcat *quæ facta sunt à Christo per sanguinem crucis ejus. Propterea dicit eum pro nobis esse perpessum, & dilexisse nos : & rursus nos in eô ipso esse confixos.* Huic expositioni Oecumenius, & Theophilactus subscribunt. Neque ab ea Theodoretus abludit, ut patet ex illius verbis in objectione laudatis. *Qui legem defendebant*, inquit, *eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem fuisse per eos datam........ Illi ergo humilitate mentium ducti hoc fieri suadebant, dicentes : Universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse : & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc est quod dicit ; In humilitate & cultu Angelorum.* Censet itaque Theodoretus, Apostoli sententiam illos petere, qui Angelos invocabant relictô Christô, qui ipsos adorabant, qui ipsos ut unicos & primarios mediatores adibant. Cui superstitioni impensè olim addictam Phrygum gentem probat, cùm ex Laodicena Synodo, tum ex Oratoriis S. Michaëlis, quæ in illâ regione crebra erant, à superstitioso illo cultu ad Christianæ Religioni congruentem translata ; nec ampliùs Angelis ut primariis Mediatoribus (quod in Christi cedebat injuriam) sed Deo, in nomine Christi, sub titulo S. Michaëlis, & in ejus memoriam consecrata. Hæc expositio sustentatur altero ejusdem Theodoreti loco, in cap. 3. ejusdem Epistolæ ad Colossenses, ubi explicat hanc Apostoli sententiam : *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu facite : gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Quæ verba sic interpretatur, *Quoniam illi Angelos jubebant adorare, ipse contrarium præcipit, ut & dicta, & facta exornent recordatione Christi Domini : Et Deo*, inquit, *& Patri gratiarum actionem offerte per ipsum, non per Angelos. Hanc etiam*

legem sequens Laodicena Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege sanxit, Non orandos esse Angelos, nec relinquendum Dominum nostrum Jesum Christum.

Porro quam sit consona expositio Theodoreti Laodicenæ Synodo, patet ex Canone 35. cujus hæc sunt verba secundùm versionem Dionysii Exigui, *Quòd non oporteat Ecclesiam Dei relinquere, & abire, atque Angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ servient, sit anathema, quia dereliquit Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, & se idololatriæ tradidit.*

Verùm ut Dallæum, & similes tenebriones, qui nec S. Hieronymi, nec S. Chrysostomi, nec Theodoreti, aliorumve Patrum interpretationes reverentur, & se meliùs assequi Scripturarum sensum præsumunt, quàm assecuti unquam fuerint veteres illi Christianorum Magistri, clarissimâ eadem Scripturarum luce perstringamus: Chrysostomi & Theodoreti expositionem legitimam esse demonstramus ex ipso Apostoli contextu. *Nemo*, inquit, *vos seducat, volens, in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.* Ex quibus liquet, Apostolum eam dontaxat Angelorum culturam damnare, cui aliquis ita addictus est, ut Ecclesiæ caput, id est, Christum non teneat. Sed illos ut Dei legatos & Ministros, ut nostros Curatores & custodes à Deo constitutos, ut Patronos apud Deum potentissimos revereri non prohibet.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sanctorum cultum religiosum Ecclesiæ veteris auctoritas, usúsque à primis Christianismi sæculis approbant.

Religiosus Sanctorum cultus ex Traditione probatus.

ID variis priscorum Patrum testimoniis demonstrari potest. I. S. Justini Martyris Apologia II. *Nec diffitemur*, inquit, *talium nos Deorum, qui esse putantur, expertes & atheos esse: at non verissimi illius, qui Pater est justitiæ, ac temperantiæ, cæterarumque virtutum, & ab omni vitiositatis communione prorsus abhorrentis Dei. Hunc ipsum verò, & ab eo profectum Filium, à quo ista perdocti sumus: necnon aliorum ipsum sequentium, & ad ejus conformatorum similitudinem, bonorum scilicet Angelorum exercitum: Spiritum quoque Propheticum colimus, & adoramus, sermone ac veritate honorem deferentes.*

Traditio Ecclesiæ Smyrnensis.

II. Smyrnensis Ecclesiæ in Epistola Encyclica de Martyrio S. Polycarpi. *Martyres*, inquit, *tanquam discipulos & imitatores Domini meritò amore prosequimur.* Et ad locum ubi passus est S. Polycarpus se conventuros illius Ecclesiæ alumni pollicentur, *Ut Natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate & gaudiò celebrent; tum in memoriam eorum qui gloriosò certamine perfuncti sunt; tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.*

Traditio Ecclesiæ Africanæ.

III. S. Cypriani *Epistola* 37. ubi dies excelsûs Martyrum diligenter adnotari jubet, ut cum honore celebrentur. *Demque*, inquit, *& dies eorum quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster, pro cæterâ solitudine & curâ suâ, quam fratribus in omni obsequiò operas omnis impertit, qui nec illi circa curam corporum deest, scripserit, ac scribat, ac significet mihi dies quibus in carne beati Fratres nostri ad immortalitatem gloriosa mortis exitu transeunt; & celebrantur hìc à nobis oblationes, & sacrificia, ob commemorationes eorum: quæ citò vobiscum, Domino protegente, celebrabimus.*

Oblationes & Sacrificia ob commemorationes Martyrum celebrata.

IV. Concilii Gangrensis Canone ultimo, cujus hæc sunt verba: *Si quis superbo affectu utens, & abhorrens conventus Martyrum, & sacra quæ in eis celebrantur, & eorum memorias, anathema sit.*

V. Eusebii Cæsariensis, qui Constantini Magni pietatem laudat *lib. IV. de ejus Vita, cap.* 58. quòd Martyrium, sive Basilicam in memoriam Apostolorum Constantinopoli ædificaverit: ibique condi corpus suum post obitum jusserit: *Quò scilicet precationum quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cùm igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas in honorem ac memoriam Apostolici Collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituens, quæ senas utrinque Apostolorum capsas, dispositas habebat... His ille diu antea sagaci mente dispositis, ædem Apostolis consecravit; pro certo sibi persuadens, horum memoriam non parum utilitatis animæ suæ esse allaturam. Nec verò Deus eum votò atque expectatione suâ frustratus est.*

Traditio Ecclesiæ Palæstinæ & Constantinopolitanæ.

Precationes in honorem Apostolorum.

VI. S. Basilii Epistolâ 291. ad Ponticæ Diœcesis Episcopos. *Martyrum honores*, inquit, *cum summò studiò procurentur ab iis qui in Domino sperant: tum imprimis à vobis qui virtuti operam datis... Cùm igitur inter Martyres excellant Eutychius & Damas, eorumque socii, quorum memoriam civitas nostra, & circumjecta undequaque regio celebrat; hoc vobis tanquam proprio suo ornamento in memoriam revocat Ecclesia, meâ voce vos exhortans, ut veterem consuetudinem invisendi nos resumatis.* Legatur ejusdem Oratio in XL. Martyres, Orationes in Mamantem Martyrem, in Gordium, in Barlaam, in Julittam Martyres: quæ totidem sunt monumenta, quibus religiosum Sanctorum cultum in Ecclesia S. Basilii tempore celebrem fuisse, & hanc fuisse Ecclesiæ fidem, quòd Sancti colendi essent; quodque Natales eorum celebrare, eorum memorias frequentare, implorare patrocinia pium esset, evidenter probatur.

Traditio Ecclesiæ Cappadociæ.

VII. S. Gregorii Nysseni in Oratione de S. Theodoro Martyre. *Considerate*, inquit, *qui hujus puri cultus ministri, ac Martyrum studiosi estis, quanta res sit Justus, quamque multas consequatur remunerationes: & cognitò pietatis fructu, imitamini consilium & aspirate ad animum & voluntatem eorum, qui ita præ cæteris honorantur. Cui Regum talis honor habetur? Quis ex iis qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoriâ celebratur? Quis Imperatorum qui urbes manu sua ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeò decantatus & famâ celebratus est, ut hic miles pauper modò conscriptus & tyro, quem Paulus armavit, quem Angeli ad certamen unxerunt, quem victorem Christus coronavit?*

Et infrà his verbis Martyrem compellat: *Ac nos quidem, ô Beate! anniversariam circuli vicissitudinem assequuti benignitate Creatoris, tibi publicum conventum coegimus, sacrum, inquam, Martyribus addictum, & communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoria commemorationem peragentes.*

Sacri conventus & Festi dies in honorem Martyrum.

VIII. S. Gregorii Nazianzeni Oratione III. quæ prima in Julianum Apostatam Invectiva est: ubi ait, Martyres Juliani munera, & templum quod in eorum honorem volebat erigere, cùm Christianam adhuc religionem profiteretur, respuisse, & terram excussisse fundamenta ædificii sacri, quod extruere conabatur. *O insignem*, inquit, *Martyrum inter se charitatem, honorem illius qui multos Martyres ignominiâ & dedecore affecturus erat, recusarunt*, &c.

Et Oratione VI. quam in solenni Martyrum Festo habuit. *Purificemus nosmetipsos Martyribus, Fratres, vel eis potiùs, cui ipsi quoque cruoris veritatisque confessione purificati & expiati sunt..... Hoc illorum certaminibus demus, ut ipsi quoque palmam assequamur.*

assequamur, atque ejusdem gloriæ hæredes simus, tam illius quam à nobis accipiunt, quàm illius quæ in cælis recondita est: cujus monimenta quædam & exigua signa sunt quæ oculis cernuntur...... Si ad hunc modum coimus aut consistimus, revera festum hunc diem, ut Christo gratum est, celebramus; revera Martyres honore afficimus. Legatur ejusdem Oratio XVIII. in Cyprianum Martyrem. *Martyrum*, inquit, *honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto, atque aliorum quidem certamina & victoria sunt, corona autem mea....Atque omnium quidem Martyrum memoria celebranda est*, &c.

Traditio Ecclesiæ Antiochenæ & Constantinopolitanæ.

IX. S. Joannis Chrysostomi Homilia in SS. Martyres Juventinum & Maximinum, in qua populum Antiochenum sic alloquitur: *Non aliter priscos, aliter recentiores colitis Sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu, colitis omnes & commendatis. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis animi fortitudinem, pietatem, fidem invictam, zelum fervidum, & eas virtutes quas præsè ferunt Sancti, ob quorum honorem hodie convenimus.*

Et in homilia de S. Pelagia Virgine & Martyre. *Etenim non temerè cum Græcis differentes, hujus diei festi celebritate gloriamur, eamque objicientes, erubescere illos facimus, cùm dicimus quemadmodum urbem integram ac totam, tantùmque populum puella una mortua singulis annis ad se attrahit, neque tempus ullum honoris hujus seriem interrupit.* Legantur ejusdem Homiliæ de S. Ignatio Martyre, de S. Romano, de S. Juliano, de S. Babyla, de S. Barlaam, de S. Luciano, Martyribus; de S. Meletio Antiocheno Episcopo, de SS. Virginibus & Martyribus Bernice, & Prosdoce, & Domnina earum matre, in quibus locupletissima sunt testimonia cultûs religiosi Sanctis exhibiti.

X. S. Epiphanii Hæresi LXXIX. *Maria*, inquit, *in honore sit: Dominus adoretur.* Et ibidem: *Quamvis Maria vel optima fuerit, ac Sancta, & honore dignissima: non idcirco tamen adoratione prosequenda.*

Traditio Ecclesiæ Alexandrinæ.

XI. S. Cyrilli Alexandrini lib. 6. in Julianum. *Sanctos porro Martyres*, inquit, *neque Deos esse dicimus, neque divinò cultu illos adorare solemus, sed affectus & honoris. Quin potius summis honoribus illos ornamus, puta quod pro veritate strenuè certaverint, sinceritatemque fidei eousque servaverint, ut animam ipsam contempserint, repudiatisque mortis terroribus, periculum omne vicerint. Quare nihil est absurdi: imò verò necesse erat eos, qui tam claris facinoribus excelluerunt, ornari perpetuis honoribus.*

Traditio Ecclesiæ Italiæ & Romanæ.

XII. S. Maximi, seu Antiqui Auctoris Sermonum sub S. Ambrosii nomine editorum, ex quibus constat sacros honores Apostolis & Martyribus impensos fuisse, & festivitates in eorum honorem celebratas. Sic habet in Sermone de SS. Petro & Paulo: *Quotiescumque Martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliquâ dilatione concurrere debemus ad domum Dei, reddere honorificentiam illis, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt: qui tam sacratam hostiam pro nostrâ propitiatione Domino se obtulerunt: præsertim cùm dicat ad Sanctos suos Christus Dominus, Qui vos audis, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum: & qui spernit Sanctos, spernit & Christum.*

Et in Sermone de SS. Nazario & Celso Martyribus. *Honoremus*, inquit, *Beatos Martyres Principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei....Honorare debemus servos Dei: quantò magis amicos Dei?*

XIII. S. Hieronymi cùm in libro *contra Vigilantium*, tum in Epistola *ad Riparium Presbyterum.*

Traditio Ecclesiæ Africanæ.

XIV. S. Augustini lib. XX. contra Faustum, cap. XXI. *Nam quòd etiam*, inquit, *hinc nobis calumniatur Faustus, quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens, Nos idola convertisse, non tam me movet ut huic calumniæ respondeam, quàm ut ipsum Faustum ostendam studiò calumniandi, etiam ab ipsius Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse..... Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus eorum adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit: ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adjuvante possumus. Colimus ergo Martyres eò cultu dilectionis & societatis, quò & in hac vita coluntur sancti homines Dei, &c.*

Nulli Martyrum, sed Deo Martyrum, in memorias Martyrum, constituuntur altaria, & sacrificia offeruntur.

Traditio Ecclesiæ Syriæ.

XV. Theodoreti *Sermone VIII. de Martyribus*, ubi Gentiles sic alloquitur: *Suos mortuos Dominus noster in templa pro Diis vestris induxit: ac illos quidem cassos vanosque reddidit, his autem honorem illorum attribuit. Pro Pandiis enim, Diasiisque, ac Dionysiis, & aliis festis vestris, Petri & Pauli, & Thomæ, & Sergii, & Marcelli, & Leontii, & Panteleemonis, & Antonini & Mauritii, aliorumque Martyrum solemnitates peraguntur; & pro illâ veteri pompa, rerumque ac verborum obscœnitate, modesta celebrantur festivitates, non ebrietatem & jocos, risusque exhibentes, sed divina Cantica, sacrorumque Sermonum auditionem, & preces laudabilibus lachrymis ornatas.*

Idem in *Historia Religiosa cap.* 21. narrat Jacobum Monachum sanctissimum, cùm ipsi sepulchrum paratum esset in monte, & ædiculâ circumdatum, dixisse: *Non patiar ut Jacobi sepulchrum hoc appelletur: sed triumphantium Martyrum templum hoc fieri volo, & me velut inquilinum quempiam illorum cohabitatione dignatum, aliâ in arca poni. Neque hæc dixit modò, sed reipsa præstitit. Collectis enim undique multis Prophetis, multisque Apostolis & Martyribus omnes unâ in arcâ reposuit, cum Sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri.* Immensus essem, si aliorum Patrum describerem testimonia, quibus religiosus Sanctorum cultus approbatur, & in Ecclesia solemnis fuisse omnium ad nostram usque ætatem sæculorum tractu ostenditur, scilicet, SS. Paulini, Gaudentii, Leonis, Maximi Taurinensis, Petri Chrysologi, S. Gregorii Magni, Gregorii Turonensis, Synodi Septimæ, &c. quibus omnibus sacra Synodus Tridentina concinit, *Sessione* XXV.

ARTICULUS II.

De Sanctorum invocatione.

CONtra Vigilantium in hoc etiam Articulo pugnamus, cujus errorem circa Sanctorum invocationem suscitarunt Petrobusiani, Waldenses, & horum genimina Lutherani & Calvinistæ.

Hos inter & Catholicam Ecclesiam quæstio non versatur de Sanctorum hîc viventium invocatione. Fatentur namque Protestantes, licitum esse viventium preces implorare, absque injuriâ Christi Mediatoris: quod ex multis Scripturæ sacræ locis approbatur, & maximè ex Apostolo ad Romanos 15. *Obsecro vos ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.*

Non est etiam quæstio utrum mandatô divinô Fideles ad Sanctorum cum Christo regnantium invocationem teneantur. Horum enim interpellatio-

nem non esse ad salutem necessariam, Theologi Catholici fatentur. Quò spectant illa S. Joannis Chrysostomi verba: *Non opus est tibi Patronis ad Deum...Sed licet solus sis, patronoque careas, omnino tamen voti compos eris.* Imò nec ullum Ecclesiæ præceptum est singulos Christianos ad invocationem Sanctorum adstringens. In hoc igitur duntaxat versatur controversiæ cardo inter Orthodoxos & Protestantes cum Vigilantio delirantes, utrum Angelorum & Sanctorum hominum cum Christo regnantium invocatio licita sit ac utilis.

Propositio I.

Angelorum & Sanctorum cum Christo regnantium invocationem Christiana Religio permittit, approbatque ceu maximè utilem, verbô Dei suffragante.

Sanctorum invocatio ex Scriptura sacra colligitur.

PRobatur I. ex verbis Jacob Patriarchæ filiis suis benedicentis, Genesis 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis & invocetur super eos nomen meum; Nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac.* En invocationem disertam Angeli, & Sanctorum Patriarcharum defunctorum: ut Tremellius & Junius fatentur, utque Amesius agnoscit *Tom. 2. Bellarmini Enervati lib. 6. cap. 3. §. 6.*

Confirmatur ex Apocalypsis 1. ubi S. Joannes pacem Fidelibus adprecatur ab Angelis thronum Dei cingentibus: *Gratia vobis & pax*, inquit, *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Sic autem pacem ab Angelis adprecari, quid aliud est quam ipsorum patrocinium invocare, ut gratiam & pacem à Deo pro Christianis postulent?

Probatur 2. ex cap. 32. Exodi, ubi Moyses Deo his verbis supplicat: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israël servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum*, &c. Et 11. Paralipomenon 6. Salomon Deum orans, misericordiam David allegat: *Memento*, inquit, *misericordiarum David servi tui.* Sed & Sancti illi Juvenes Edictô Nabuchodonosoris in fornacem conjecti, misericordiam Dei propter Sanctorum Patriarcharum merita efflagitant: *Neque auferat*, inquiunt, *misericordiam suam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël Sanctum tuum.* Et certè cùm Deus propter merita Sanctorum beneficia conferat hominibus, ut constat ex his verbis IV. Regum 19. *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum:* Licitum ac pium est eadem merita coram Deo allegare, ut illius beneficia obtineamus.

Probatur III. Sanctos pro nobis orare colligitur ex Scriptura sacra: Itaque ex eadem certum est Sanctorum orationes à nobis optari posse, ac postulari. Id autem nihil aliud est quam Sanctos invocare. Quòd autem Sancti pro nobis Deum orent, Deus ipse Jeremiæ 15. docet his verbis: *Si steterint Moyses & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum.* Porro si non consuevissent Sancti qui hinc migrarunt, pro viventibus orare, nec possent nobis apud Deum patrocinari, ineptus ille sermonis divini sensus videretur; sicut ineptè dicerem ei qui me læsit, Si equus Regis pro te veniam exoret, tibi non parcam: vel homini maximi momenti negotium ad Senatum deferenti, diceret Senatus Princeps, Si pro te peroraverit Cicero, causam vinces: irrisorius sermo esset, quia nec perorare ex inferis redux Cicero solet, nec equus veniam rogare potest. Quis autem non videat ex Calvini cerebro natam periphrasim illam, Scripturam sacram ibi figuratè loqui, quasi diceret Deus: Si steterint coram me duo viri Moysi & Samueli virtute pares, illos pro populo supplicantes non audiam? Certè de vero Moyse & Samuele Deum loqui, S. Hieronymus *in Commentario*, S. Chrysostomus *Homilia 1. in Epistolam ad Thessalonicenses*, & S. Gregorius *lib. 9. Moralium cap. 9.* intellexerunt: fugitque perspicacissimos & eruditissimos Patres subtile illud Calvini glossema. Nec fœliciùs respondent alii Heterodoxi, hæc per Prosopopeiam dici; id est, Si viverent Moyses & Samuel, & pro populo istô sequestres accederent, eos non audirem. Nam Ezechielis 14. Sanctis in sinum Abrahæ jam ex hac vita mortali translatis, Noë, & Job, adjungitur Daniel adhuc superstes. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus Noe, Daniel, & Job; ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas...... Tres viri isti, si fuerint in eâ, nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur.* Unde sicut Daniel adhuc superstes Deum orare poterat pro populo: ita Noë, & Job, Deum orare pariter pro ipsius liberatione potuisse Scriptura supponit. Denique nulla ratio est cur Prosopopeia his in locis potiùs fingatur, quàm II. *Machabæorum* 15. ubi Jeremias mortuus, pro populo orare dicitur: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multùm orat pro populo, & universâ sancta civitate, Jeremias Propheta Dei.* Quem locum citat Eusebius Cæsariensis *lib. 12. de Præparatione Evangelica, cap. 2.* ubi ostendere vult Platonis dogmata cum nostris, id est, cum Hebræorum antiquorum placitis, quæ perinde ac Veteris eorum Testamenti libros Christiani complectuntur, apprimè esse consentanea: velut est istud de quo nunc agimus, *Mortuorum animas*, nimirum justorum, *vim quandam habere solutas corporibus, & humanarum rerum curam gerere*: Quod à Platone scriptum *lib. XI. de Legibus*, comparat Eusebius cum simili Ecclesiæ veteris, sive Synagogæ Judaicæ sententiâ, quam ex lib. II. Machabæorum astruit; ubi Jeremias Propheta, licet defunctus, orare pro populo visus à Juda Machabæo dicitur. Neque nullius hac in causa momenti est, quod Judæi existimantes Christum cruci suffixum invocare Eliam, *Matthæi* 27. ipsum blasphemiæ, & violatæ Legis non accusarunt: quod argumento est Synagogæ persuasum fuisse, licitam esse Sanctorum invocationem.

Confirmatur ex Apocalypsis 5. ubi dicitur quòd *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.*

Nec omittendum est quòd S. Petrus orationes suas ac patrocinium apud Deum Fidelibus post obitum suum pollicetur in Epistolæ 2. cap. 1. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Et quis credat Sanctos cum Christo regnantes minùs solicitos esse de salute Fidelium, quam divitem epulonem in mediis tartari flammis de salute fratrum? (*Lucæ 16.*) Quis non sibi facilè persuadeat Martyrum animas ardentioribus votis à Deo veniam orare pro fratribus, quàm vindictam de persecutoribus? Si Sancti pro Ecclesia in genere Deum interpellant, ut Kemnitius, Saxonica, & Vvittenbergensis Confessio tradunt; nec propterea fit injuria Christo: quid eos pro singulis orare vetat?

Kemnitius in Examine Concilii Tridentini parte 3.

Probatur IV. Licita est ac utilis Sanctorum hîc mortalem vitam agentium invocatio, ut Scripturæ docet, ac Protestantes fatentur: igitur non minùs licita est ac utilis invocatio Sanctorum cum Christo regnantium. Enimverò si ipsos invocare illicitum aut inutile esset, id non aliunde oriretur quàm vel ex defectu potestatis, aut voluntatis, aut cognitionis; vel quòd eorum invocatione Christo Mediatori irrogaretur injuria. Sed nec illos deficit potestas nos adjuvandi, quia potentiores

res sunt post coronas, post triumphos; Deo sunt magis grati, & magis conjuncti. Non deficit etiam illos voluntas, quia majori charitate præditi sunt. Unde, ut ait S. Cyprianus lib. de Motalitate: *De sua forte securi, sunt de nostrâ salute solliciti.* Nec deficit illos precum nostratum, aut miseriarum cognitio. Si enim norunt Angeli conversionem peccatoris, de quâ gaudent in cœlis; (*Lucæ* 15.) Quid ni etiam preces nostras noverint? Porrò si notæ illæ sunt Angelis, quia vident faciem Patris: cæteros Sanctos eadem beatitudine donatos non latent. Ineptè verò causantur Heterodoxi Sanctorum iovocatione Christo Mediarori fieri injuriam. Si eoim nulla ipsi irrogatur injuria, cùm Sanctorum hîc viventium precibus nos commendamus: cur ejus dignitati & gloriæ injuriosa fingatur Sanctorum cum ipsô regnantium invocatio: quos deterioris existimare conditioois ineptum est, cùm immortali vitâ vivunt? Deus enim Abraham, Isaac, & Jacob, *Non est Deus mortuorum, sed viventium:* (Matth. 22.) adeóque nulla ratio est cur Sanctos cum Christo regnantes appellare, & eorum uti intercessione censeatur illicitum; & Christo fieri existimetur iojuria, si eorum patrocinium imploretur: vivos autem apud Deum suffragatores & intercessores interponere liceat, absque injuriâ Christi Mediatoris.

Heterodoxorum argumentis contra Sanctorum invocationem respondetur.

Objiciunt Heterodoxi primò illud Apostoli testimonium ad Romanos x. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Ex quo colligunt, Sanctos non esse invocandos, siquidem io eos non credimus.

Respondent Catholici Theologi, Loqui Apostolum de invocatione quæ divini cultûs pars est, quam absolutam vocant, quâ nimirum aliquis ut bonorum omnium auctor imploratur: Præmiserat enim Apostolus: *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* At hoc modò non invocamus Sanctos, sed relativâ, ut vocant, invocatione ipsos convenimus & Patronos apud Deum adhibemus, ut ejus Ministros & amicos. Nomen porrò invocationis istô etiam sensu congruè usurpari constat ex Scriptura sacra *Genesis* 48. ubi Jacob filiis Joseph benedicens ait: *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Isaac.* Non oportet autem qui sic invocatur, sit fidei nostræ objectum: alioqui vivorum implorare orationes non possemus, in quos non credimus. Hic igitur unus Apostolicæ sensus est sententiæ: *Quomodo Deum invocabunt, in quem non crediderunt?* Invocari quippe Deus ab eo non potest, qui in illum non credit. Perperam autem & fallaciter omninò inde infertur Sanctos invocari non posse, in quos non credimus. Simile prorsus est istius argumentationis vitium illi sophismati, quô ita colligerem. *Deum amare nemo potest qui in eum non credit: igitur nec proximum potest diligere, nisi qui credit in proximum.* Quanquam & in Sanctos quodammodo nos credere Sanctus Hieronymus asserit explicans locum illum Apostoli in Epistola ad Philemonem: *Gratias ago Deo meo, audiens caritatem tuam & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos.* Qui enim credit in Deum, credit consequenter omnia quæ de Sanctis, Deo auctore, tradita sunt: quorum unum est dogma Catholicum quod propugnamus, Sanctorum invocationem licitam, utilemque esse.

Objiciunt secundò Heterodoxi locum Apostoli celeberrimum 1. ad Timotheum 2. *Unus enim Deus: unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Ex quo inferunt, iojuriam fieri Christo, si Sanctos velut Mediatores nostros apud Deum iotерpellemus.

Hunc locum S. Augustini Auctoritate confirmant, lib. 2. contra Parmenianum, cap. 8. *Si Joannes,* inquit, *ita diceret: Hæc scripsi vobis ut non peccetis. & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem; ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodam locô mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum; quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur?* Et infrà: *Si esset mediator Paulus, essent utique & cæteri Coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent: nec ipsius Pauli constaret ratio, quâ dixerat: Unus Deus, unus mediator Dei & hominum.*

Solus Christus perfectè Mediator est, & redemptionis meritis; Sancti verò intercessionis suffragio.

Respondent Catholici Theologi, Unum reverà esse mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, perfectâ mediatione: Ille enim perfectè mediator est, qui immediatè ad Deum accedens, per suum ipsius meritum, quod ab alieno meritô non pendeat, nec vi ac virtute alterius sit subnixum, Deum hominibus placatum reddit, omniaque salutis dona à Deo hominibus obtinet. Quod quidem officium Christo homini Deo competit: de quo subdit ibidem Apostolus: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus nobis.* Quibus verbis Christum redemptionis officiô solum esse hominum mediatorem significat. Sed Sancti suô etiam quodam modô sunt mediatores, intercessionis suffragiô. Christus mediator est naturâ simul & officiô: quia solus Deum inter & homines est propriè medius. Quod egregiè S. Augustinus explicat *lib. 9. de Civitate Dei, cap.* 15. ubi de Bono beatifico loquens, à cujus consecutione avertere nos conantur Angeli mali, hæc habet: *Ad quod ut perduceremur, non multis, sed unô mediatore opus erat: & hoc ipsô eô, cujus participatione simus beati, hoc est, Verbo Dei non factô, sed per quod facta sunt omnia. Nec tamen ob hoc Mediator est, quia Verbum: maximè quippe immortale, & maximè beatum Verbum longe est a mortalibus miseris: sed mediator per quod homo: eô ipsô ostendens utique, ad illud non solum beatum, verumetiam beatificum bonum non oportere quæri alios mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos: quia beatus & beatificus Deus factus particeps humanitatis nostræ, compendium præbuit participandæ divinitatis suæ.* Ex quibus patet, solum Christum mediatorem esse naturâ simul & officiô.

Sanctorum Mediatio non est in uriosa Christo.

Verùm id non prohibet quin Sancti Mediatores etiam dici possint, secundi, & ei tanquam primario subjuncti, & ab illo suspensi, opem suam ac patrocinium commodando nobis apud Deum. Tantùm enim abest ut illud mediationis genus in injuriam ac dedecus Christi cedere Apostolus existimaverit: quin potiùs hôc ipsô in capite jubet ut pro nobis mutuò Deum interpellemus. Verum quia Sancti pro nobis orant, non propriô meritô, sed meritis Christi Servatoris subnixi, sunt imperfectâ ratione mediatores. Porrò quod hoc sensu mediator justus quisque dici possit, disertè Scriptura docet, in quâ Moyses ipse refertur dicens: *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illô.* Unde etiam Apostolus *ad Galatas* 3. ait *Legem ordinatam fuisse per Angelos in manu mediatoris,* hoc est, in manu Moysis. Utramque mediationis rationem hac complexus videtur sententiâ S. Augustinus *lib.* II. *contra Parmenianum,* cap. 8. *Homines omnes invicem se commendant orationibus suis. Pro quô autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque Mediator est.* Qui scilicet *Per semetipsum ad Deum accedit, semper vivens ad interpellandum pro nobis,* ut ait Apostolus. Unde quicquid à Deo adhibitâ Sanctorum intercessione petit Ecclesia, totum illud Christi meritis se impetraturam profitetur & confidit, Orationes suas his verbis absolvens: *Per Dominum nostrum Jesum Christum:* hac de veritate persuasa, quam Sanctus Augustinus *in Psalmum* CVIII.

literis prodidit : *Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.*

Duplicem illam mediationem rursus exponit S. Augustinus *Tractatu* 1. *in Epistolam* 1. *S. Joannis*, his verbis : *Joannes autem quid dixit ? Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Sed dicit aliquis : Ergo Sancti non petunt pro nobis : Ergo Episcopi vel Præpositi non petunt pro populo ? Sed attendite Scripturas, & videte quia & Præpositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi : Orantes simul & pro nobis. Orat Apostolus pro plebe. Orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis, fratres, sed & vos orate pro nobis : invicem pro se omnia membra orent, Caput pro omnibus interpellet.*

Coloss. 4

Absque ratione autem offenduntur Fratres nostri segreges, quòd Mediatoris nomen modò sic explicatò Sanctis tribuatur : cùm & alia nomina quæ Deo, vel Christo propria sunt, non solùm communis Fidelium usus, verùmetiam Scriptura sacra cum hominibus communicet, quatenus Dei vel Christi perfectiones participant. Sic *Solus Deus habere immortalitatem* dicitur in sacris literis, & *Solus Deus verax* : & *Nemo bonus nisi solus Deus* : & *Unus est Pater noster qui est in cælis* : & prohibet Christus ne *Magistri* vocemur, quia *Unus est Magister noster.* Et Christus *Lucis* nomen sibi proprium significavit, Et tamen homines bonos, veraces, Patres, Magistros, absque Dei & Christi injuria appellamus : & Christus ipse Apostolos Lumen mundi nuncupavit. Quin & ipsum Salvatoris nomen cùm Sanctis interdum communicatur absque Christi unici Salvatoris injuriâ : unde Apostolus 1. *ad Corinthios* 9. scripsit : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Quidni ergo & Mediatoris nomen, sensu explicatô, Sanctis, absque Christi Mediatoris injuriâ tribuatur ?

Denique ; ut Protestantes eorum premamus testimoniis, quibus communionis & fraternitatis contesseratione juncti sunt : Confessio Vvirtembergensis, *Tit. de Ordine*, duplex illud mediationis genus mox explicatum admittit. *Si loquendum est*, inquit, *de mediatore precationis, unusquisque pius factus est alterius mediator per Jesum Christum : Propterea quòd officium exigit ut alter alterius salutem precibus suis Deo commendet.*

A doctrinâ in responsione traditâ & illustratâ non alienus est S. Augustinus *libro* 11. *contra Parmenianum cap.* VIII. agit enim ibi contra Donatistas, qui Episcopos & Sacerdotes ita mediatores esse volebant inter populum & Deum, ut exaudiri populi orationes non possent, si Sacerdos malus esset : quia publicarum orationum efficaciam, ut & Sacramentorum, à Ministri sanctitate pendere pertinaciter propugnabant. Contra istos igitur ait S. Augustinus, eos de unô Mediatore in omnibus orationibus suis securos esse debere : quasi significans, solum Christum primarium esse perfectumque mediatorem. Unde subdit : *Homines enim omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quô autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque Mediator est : cujus typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote veteris Testamenti, nullus illic invenitur orasse pro Sacerdote. Paulus autem Apostolus, quoniam sub capite præcipuum membrum ; sed tamen quia membrum est corporis Christi, & noverat non per figuram in interiora veli ad Sancta Sanctorum ; sed per expressam & firmam veritatem in interiora cæli, ad sanctitatem non imaginariam, sed æternam, pro nobis intrasse maximum & verissimum Sacerdotem Ecclesiæ, se orationibus Fidelium & ipse commendat. Nec mediatorem se facit inter populum & Deum : quoniam pro invicem sollicita sunt membra, etsi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, etsi glorificetur unum membrum, congaudent omnia membra ; ac sic oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terrâ laborantium ascendat ad Caput quod præcessit in cælum, in quô est propitiatio pro peccatis nostris.* Quibus verbis non excludit mediationem *intercessionis*, siquidem Sanctos mutuò pro invicem orare ait : sed mediationem duntaxat *redemptionis*.

Objiciunt tertiò Heterodoxi, Cælites non cognoscere preces viventium. Hinc Job 14. dici : *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Et Ecclesiastici 9. *Mortui nihil noverunt ampliùs.* Et IV. Regum 22. Josiæ dicit Deus : *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala quæ introducturus sum in locum istum.* Et Isaiæ 63. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Id Patres confirmare, scilicet Origenem lib. II. in Epistolam ad Romanos : *Si extra corpus positi*, inquit, *vel Sancti qui in Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis, ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant, &c. habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque chartulæ committenda mysteria.* S. Gregorium Nazianzenum in laude funebri Gorgoniæ sororis dicentem : *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc sanctis animis à Deo munus, ut talia sentiant, suscipe hanc nostram orationem multorum epitaphiorum loco.* Et S. Augustinum lib. *de Cura pro Mortuis*, cap. 13. *Si parentes non intersunt*, inquit, *qui sunt alii mortuorum qui noverunt quid agamus, quidve patiamur ? Isaias Propheta dicit : Abraham nos nescivit, & Israel ignoravit nos.* Ex quibus colligunt Heterodoxi, Sanctos non audire preces nostras, adeoque supervacaneum esse illorum opem implorare.

Respondeo, Omnia illa Scripturæ sacræ testimonia id unum evincere, mortuos res vivorum non cognoscere, si natura, vitáque corporea, & sensibus affixa spectetur : sed divinâ vi ac potestate, quæ ad alienum statum spectant, cognoscere possunt, maximè verò Sancti, qui Fidelium consequenter orationes ad se directas ignorare non sunt censendi. Quâ de re audiendus est. S. Gregorius Magnus *lib.* XII. *Moralium*, cap. XIV. *Sicut enim*, inquit, *hi qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quô locô habentur ignorant : ita mortui vitam in carne viventium post eos, qualiter disponatur nesciunt : quia vita spiritus longè est à vitâ carnis : & sicut corporeâ & incorporea diversa sunt genere ; ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus Sanctis sentiendum non est : quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullô modô credendum est quia foris sit aliquid quod ignorent. Sed carnales quique qui amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eos beatus Job nescire postmodum asserit, quod hîc vehementer amaverunt : ut sive nobiles, sive ignobiles sint filii nesciant, quorum eos semper cura fatigabat.*

* Sancti cum Christo regnantes Fidelium preces ad se directas cognoscunt.

Audiendus & S. Augustinus libro *de Cura pro Mortuis*, ubi ad Sanctorum notitiam pervenire asserit quæ hîc aguntur ; quamvis pro compertô non habeat quemadmodum id fiat : Neque id scrupulosiùs pervestigare, aut liquidò explicare curet. *Proinde*, inquit, *fatendum est nescire quidem mortuos quid hîc agatur, sed dum hîc agitur : postea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt : Non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse ; & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hîc, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt. Possunt etiam Spiritus mortuorum aliqua quæ hîc aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non nosse, non solùm præterita, vel præsentia, verùmetiam futura, Spiritu Dei revelante cognoscere : sicut non omnes homines,* sed

sed Propheta, dum hic viverent, cognoscebant; nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei providentia cognoscebat.

Hinc & illa solvitur quæstio, quonam modo Martyres ipsi beneficiis quæ dantur viventibus indicant se interesse rebus humanis, si nesciant mortui quid agant vivi? Et respondet, *Alios esse humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum: alia quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt: quamvis & naturæ Deus adsit, ut sit, & miraculis natura non desit. Non igitur*, inquit, *ideo putandum est vivorum rebus quibuslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis Martyres adsunt: sed ideo potius intelligendum est quòd per divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.*

Porro licet revocet in dubium Sanctus Augustinus utrùm Martyrum animæ per se adsint locis omnibus in quibus sua profundunt beneficia, an verò per Angelos, nusquam tamen ambigit an pro viventibus preces fundant, eorumque preces ad se directas cognoscant. *Quanquam*, inquit, *ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos certum est per eos adjuvari: utrum ipsi per seipsos adsint uno tempore diversis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum memoriæ, sive præter suas memorias, ubicumque adesse sentiantur. An ipsis in locô suis meritis congruo ab omni mortalium conversatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentiâ supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, nec quid agant, scimus; Deus omnipotens qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces, per Angelica ministeria usquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitæ miseriâ judicat esse præbenda: & suorum merita Martyrum, ubi vult, quando vult, maximèque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cujus illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate ac bonitate commendet: res hæc altior est, quàm ut à me possit attingi, & abstrusior, quàm ut à me valeat perscrutari. Et ideò quid horum duorum sit; an verò fortassis utrumque fit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum; aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo: mallem à scientibus ista perquirere.* Hæc Sanctus Augustinus. Qui si aliquando negare videatur Sanctorum animas rebus humanis interesse, negat solùm interesse illas humanô modô, colloquendo scilicet nobiscum, & familiariter congrediendo. Quô sensu sunt intelligenda quæ habet cap. 13. libri laudati. *Si rebus viventium*, inquit, *interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in somnis, ut de aliis taceam, me ipsum pia Mater nullâ nocte desereret, quæ terrâ marique secuta est ut mecum viveret. Absit enim ut facta sit vitâ feliciore crudelis; usque adeo ut quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unicè, quem nunquam voluit mœstum videre. Sed profectò, quod sacer Psalmus personat, verum est: Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum qui noverunt quid agamus, quidve patiamur?*

Ad auctotiratem S. Gregorii Nazianzeni Respondeo, particulam *si*, plerumque non esse dubitantis, sed confirmantis potius & asseverantis, ut observat etiam S. Joannes Chrysostomus *Homilia* II. *in Epistolam* II. *ad Thessalonicenses*, explicans illa verba Apostoli: *Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo, cum Angelis virtutis ejus.* S. Chrysostomo Oecumenius & Theophilactus suffragantur. Hinc & Deus in Scripturis ait: *Si ego Dominus.* Ineptum igitur est fingere quòd S. Gregorius Nazianzenus dubitaverit an Sancti rerum humanarum & rerum nostrarum notitiam aliquam habeant, quia dixit: *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio*, &c. Sororem appellans Gorgoniam; maximè cum *Oratione* XXI. de S. Athanasio dicat: *Ab alto, rectè novi, res inspicis nostras.*

Ad auctoritatem Origenis, respondeo, Ipsum non dubitasse utrum Sancti pro nobis intercedant; sed an pro nobis laborent Angelorum instar: hoc est, utrum nos adjuvent degendo nobiscum in terris, nobisque adhærendo, ut Angeli, quibus nostri custodia à Deo demandata est. Spectare namque videtur Origenes illorum Philosophorum errorem, qui hominum animas post mortem corporis, vel in bonos Angelos, vel in Dæmones converti, pro meritorum disparitate, somniabant.

Quamquam verò sit recepta in Scholis Theologorum sententia, Sanctos in Verbo, ut loquuntur, omnia quæ ad eorum statum spectant, adeóque & preces ad se directas cognoscere: quæ sententia S. Gregorii auctoritate, lib. 12. Moralium cap. 14. nititur, dicentis: *Quæ intus omnipotentis Dei claritatem videns, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorant*: Non esse tamen dogma fidei quod preces nostras hoc modo cognoscant, Viri Eruditi fatentur. Quâ de re extat Judicium Duacensis Academiæ, datum XII. die Maii 1635. Quæ sententiam rogatu de hacce quæstione: *Utrum sit credendum Fide Catholica, Sanctis innotescere omnes preces nostras ad eos directas: aut utrum hoc ipsum sit absolutè necessarium ad fidem & praxim invocationis Sanctorum, ut sit salutaris?* Secundùm partem negantem sententiam dixit. Et doctissimi Antistites Domini *de Vualemburch*, Tomo II. Controversiarum lib. XII. Tract. 4. *de Invocatione Sanctorum*, *cap.* XVII. hac de quæstione ita scribunt: « Quamvis verò non « dubitemus, an Sancti cum Christo regnantes intelli- « gant preces nostras dicimus tamen non fore stultum, « ad Sanctos dirigere nostras preces, etiamsi nobis non « constaret de eorum cognitione. Rationem proferi- « mus ex S. Augustino petente: *Quemadmodum opitu-* « *lentur Martyres iis, quos certum est per eos adjuvari?* « Respondet enim post alia, posse id fieri, *iis genera-* « *liter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos* « *oramus pro mortuis; quibus utique non præsentamur,* « *nec ubi sint, vel quid agant scimus.* «

Communis est Theologorum sententia, Sanctos preces nostras in Verbo cognoscere; verum tamen non est dogma fidei quod hoc modo cognoscant.

Et infrà sic colligunt: Ex dictis constat, scientiam « Sanctorum non esse necessariam ad fidem & praxim « invocationis Sanctorum. Si enim nobis certum est « ex fide Catholica, Sanctos licitè invocari, & aliunde « indubitatum est Sanctos indigentibus supplicanti- « busque opitulari: etiamsi nesciremus an Sancti cog- « noscant preces nostras in particulari; sufficeret « id nobis persuasum esse, Sanctos generaliter orare « pro indigentiâ supplicantium: Hæc illi. «

PROPOSITTO SECUNDA.

Sanctorum cum Christo regnantium invocationem licitam, piam, & utilem esse, Traditio, & perpetuus Ecclesiæ usus approbant.

I. UTrinsque testes sunt SS. Patres: Cyprianus Epistola LVII. *Memores nostri*, inquit, *invicem simus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutuâ charitate relevemus. Et qui istinc nostrûm prior divinæ dignationis*

Sanctorum invocationem piam & utilem probat Traditio Ecclesiæ Attestata.

dignitionis celeritate præcesser't, perseveres apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesses oratio.

Et libro de Disciplina & Habitu Virginum sic ipsas alloquitur: *Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite fæliciter: tantùm mementote tunc nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari.*

Traditio Ecclesiæ Alexandrinæ.

II. Origenes libro VIII. *contra Celsum*, Sanctos orare pro nobis, Deumque placare asserit, ex quô sequitur piè à nobis invocari posse. *Cui autem*, inquit, *Primitias offerimus, ad eumdem etiam vota precesque nostras dirigimus*, (scilicet Deum) *habentes Pontificem magnum, qui cælos penetravit, Jesum ipsius Dei Filium.... Quòd si multorum etiam favor captandus est, discimus in nostris literis, quod millia millium assistebant ei, & myriades myriadum ministrabant ei.* Danielis 7. *Quæ multitudo cùm videt homines suam erga Deum pietatem imitantes, adjuvat eos contendentes ad salutem, & Deum invocantes, interdum apparendo precantibus, non indignam rem censent, si eis ministret, magnaque alacritate ac consensu prompta ad gratificandum cælestis Numinis invocatoribus, cui & ipsa preces offerre non desinit.*

Et infrà. *Unus est nobis placandus Deus universorum Dominus per pietatem virtutesque cæteras. Si vult* (Celsus) *propter hunc placari etiam alios, cogitet quòd sicut motô corpore, umbra quoque ipsius movetur; ita cùm aliquis Deum habet propitium, sequitur ut amicos habeat omnes ejus Angelos, animas & spiritus. Sentiunt enim qui sint digni favore cælestis Numinis; quibus non solùm ipsi bene volunt; verumetiam dant operam ut Deum ei servire volentibus concilient; & unà nobiscum precantur: ut quotquot eum colimus, audeamus dicere hominibus bonæ voluntatis precantibus ultrò se adjungere innumera Sanctorum Angelorum millia, & intercedere pro mortali nostro genere.*

Et Homilia I. *In Ezechielem*, Angelum supplex invocat. *Omnia*, inquit, *Angelis plena sunt. Veni Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristinô, à doctrinâ dæmoniorum; ab iniquitate in altum loquente: suscipiens eum quasi medicus bonus, conforte atque instrue: parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens: & suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis: & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cunctis pariter eos qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem.* Hanc ad Angelos apostrophen ab aliâ manu assutam, Dallæus ineptè respondet, vel apostrophen esse Rhetoricam: nam S. Hieronymus has in Ezechielem Homilias Latinitate donavit, cujus in vertendo fides citra calumniam revocari in dubium non potest. Hanc verò invocationem esse Rhetoricam duntaxat apostrophen, ut & similes alias, quæ in Patrum scriptis occurrunt, tam futilis responsio est, quam inanis esset exceptio Ariani, aut Macedoniani cujuspiam, qui in Patrum locis clarissimis, quibus vel Filii vel Spiritus Sancti ceu veri Dei continetur invocatio, Rhetoricam Apostrophen somniarent.

Futilis Dallæi responsio.

III. Eusebius *libro XIII. Preparationis Evangelicæ cap. XI.* cùm præmisisset, Platonem Hebræorum Philosophiâ imbutum, consona fidei Christianæ scripsisse, cùm libro de Legibus docuit, Heroas, post mortem, Semi-Deorum ritu consecrandos ac colendos, eorumque sepulchra singulari veneratione prosequenda: post verba Platonis, hæc subdit: *Quæ quidem in hominum Deo carissimorum obitus egregiè conveniunt, quos veræ pietatis milites jure appellaris. Nam & eorum sepulchra celebrare, & preces ibi, votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus; idque à nobis meritò fieri statuimus.*

Traditio Ecclesiæ Palestinæ.

Et libro VI. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. V. Sanctæ Potamiænæ, quæ tertio ineunte sæculo passa est, Martyrium commemorans, de Basilide qui eam ad supplicium abduxit, hæc habet: *Cùmque vulgus eam vexare, & obscœnis verbis illudere ei conaretur, Basilides quidem eos qui contumeliam Virgini faciebant, absterrens propellebat; multaque misericordia & humanitatis erga illam prabebat indicia. Illa verò benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bonô animô eum esse jussit: se namque post obitum ipsius salutem à Domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse.* Et postquam Basilidis conversionem & generosam confessionem retulit, ob quam in vincula conjectus, & capite truncatus est, hæc subdit: *Cùmque quidam in Domino fratres eum adiissent, & causam subitæ illius atque insperatæ conversionis interrogarent, dixisse fertur: Potamiænam tertiò post Martyrium die, noctu sibi assistentem, coronam capiti suo imposuisse, dixisseque se ipsius causâ Dominum orasse, atque id quod petierat, impetrasse; nec diu postea ipsum ad superos migraturum.*

Traditio Ecclesiæ Cappadociæ.

IV. Sanctus Basilius Oratione in XL. Martyres. *Sæpe*, inquit, *operam dedistis ut unum pro vobis orantem inveniretis: quadraginta sunt hi, unam orationis emittentes vocem.... Qui aliquâ premitur angustiâ, ad hos confugit: qui rursus lætatur, ad hos recurrit: hic ut à malis liberetur; ille ut duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro filiis auditur; peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti verò salutem implorat.... O Sanctum chorum! Sacrum ordinem! O cuneum inexpugnabilem! O communes generis humani custodes! Optimi curarum socii, precum adjutores, Legati apud Deum potentissimi, Astra mundi, Flores Ecclesiarum! Vos non terra contexit, sed cœlum excepit.*

Traditio Ecclesiæ Gallicanæ.

V. Sanctus Hilarius illa verba Christi à Sancto Matthæo, cap. 18. relata: *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis qui credunt in me: quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*: sic enarrat: *Angeli pusillorum præsunt Fidelium orationibus. Præesse Angelos absoluta auctoritas est. Salvandorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum & invisibilem Deum ambitiosô Angelorum famulatu ac ministeriô pervehuntur.*

Traditio Ecclesiæ Cappadociæ.

VI. Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione XX. de Laudibus S. Basilii*, ipsum gloriosa prece veneratur. *Tu verò*, inquit, *Sacrum & divinum Caput è cælo nos, quæso, inspice, carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum aut precibus tuis siste, aut cortè ut forti animo perferamus, persuade; atque omnem nostram vitam ad id quod maximè conducibile est, dirige. Postquam autem ex hâc vitâ migraverimus, illinc etiam nos in tabernacula tua suscipe, ut simul viventes, & Sanctam Trinitatem pleniùs puriùsque cernentes, desideriis nostris finem statuamus*

B. Mariæ Virginis invocatio 3. Sæculo.

Et Oratione XVIII. in S. Cyprianum, narrat quòd Justina Virgo, cùm Cyprianus adhuc Paganus pudicitiam ejus magicis artibus per Dæmonem tentaret, *Virginem Mariam supplex obsecravit, ut periclitanti Virgini suppetias ferret.* Quod cùm tertiô Sæculô, non multum provectô contigerit, Virginem Deiparam jam tum à Fidelibus invocari solitam, fatendum est. Unde absurdissima est Dallæi responsio, dicentis hæc scripsisse Gregorium, *Cum jam cœpisset, ac in dies glisceret cæca illa in Divos superstitio, quam & hic ipse Gregorius non parum promovisse suis & verbis, & exemplis videtur.* Et infrà: *Qui Judæam illam mulierem Martyrum suorum reliquias adorasse ex sui sæculi usu fabulatur: & non video cur difficilius fuerit ex temporis quoque sui consuetudine fingere Justinam in tantô periculô constitutam, Mariam invocasse. Par utriusque rei fingendæ ratio erat: Reliquiarum illic venerandarum; hinc invocandæ Mariæ studium: quò utroque Gregorium ex* sui

Lib. 1. de relig. cultus objecto. cap. 8.

Dallæi absurda Responsio.

sui ævi morbo laborasse non negamus. Et post alia sic colligit : *Unde promptum est concludere, hoc unum Justino ab uno Gregorio proditum factum, ab Oratoria & Poetica, ejus officina, non à veritatis actis, ac tabulis totum esse.*

Hîc lugenda est Dallæi & Symmistarum ejus mala fides & pertinacia, qui Gregorium sanctissimum ac doctissimum Antistitem, fabulatorem, mendacem, cæcæ superstitionis promotorem inverecundè effutiunt. Si figmenta vocare liceat quæcumque in Veterum scriptis memorantur facta, prout posteriorum sæculorum hominibus visum fuerit, quia eorum errores jugulant, de omnibus Christianæ Antiquitatis monumentis actum est. Imò Ethnicorum, & Judæorum legitima erit exceptio, cùm fortè dixerint, omnia quæ de Christo & Ecclesiâ in Veterum Commentariis referuntur : immò quæ in Evangelio, & Apostolicis Literis exarata sunt, ab Apostolis & Evangelistis scripta esse, cùm Christiana superstitio gliscere cœpisset, quam & verbis, & exemplis promoverunt.

Sed figmentum sit factum illud, quia Dallæo & ejus symmistis incommodum est. Meliùs noverint illi decimo-septimo sæculo præcipiti quid egerit vel non egerit Justina Virgo, quàm qui proximò post Justinam & Cyprianum sæculo floruit Gregorius Nazianzenus, qui proculdubio Martyrii Justinæ, & Vitæ Cypriani Acta aliqua habebat, quæ ad nos transmissa non fuêre : quamvis Cyprianum Magum cum Cæcilio Cypriano, qui Carthaginensis Episcopus fuit, confudisse videatur : Negare tamen non possunt, quin Gregorii tempore non mos tantùm invocandi Sanctos & Virginem imprimis Deiparam, sed & doctrina de illorum invocatione per sese licitâ & piâ, in Ecclesia recepta esset. *Cæcam superstitionem* vocant : Sed nec à Gregorio, nec ab aliis ejusdem sæculi, & sequentium Patribus, superstitionis locò habita est, immò licitæ & religiosæ observantiæ & consuetudinis instar usurpata vel commendata : quam à Doctoribus & Christianis tertii sæculi acceperant. Nam cæcam superstitionem subitò Ecclesiam universam invasisse, & mutatam esse fidem à Christo Apostolis traditam adeò subitâ doctrinæ conversione, & perversione ingeniorum, ut id vel nemo persenserit, vel cæcæ superstitionis exordiis aut incrementis nemo posuerit obicem, nemo antiquam fidem, nemo doctrinam quam à Magistris acceperat, propugnaverit : sed omnes totius orbis Ecclesiæ in eumdem errorem conspiraverint, planè incredibile est.

Mirum quòd Rhetoricam apostrophen in his etiam Gregorii Nazianzeni verbis pro summa ingenii sui perspicacia Dallæus non viderit, quibus S. Cyprianum in eadem compellat Oratione : *At tu nos è cœlo benignus aspicias, sermonesque nostros & vitam gubernes, sacrumque hunc gregem Pascentem adjuves*, &c.

VII. Sanctus Gregorius Nyssenus *Oratione de Sancto Theodoro Martyre*, his illum verbis pariter invocat : *Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem ac Dominum. Nam patria Martyris est etiam locus passionis*, &c. *Etiamsi superasti seculum, at nosti affectus & usus, necessitatesque humanæ conditionis. Pete pacem, ut hi publici conventus non desinant.... Nos enim etiam quod incolumes servati sumus, tibi acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis præsidium atque securitatem. Quòd si majori etiam opus fuerit advocatione ac intercessione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus unà deprecare. Multorum Justorum preces populorum peccata dissolvant. Admone Petrum, excita Paulum, necnon Joannem Theologum ac dilectum Discipulum, ut pro Ecclesiis quas constituerunt, solciti sint.*

VIII. S. Joannes Chrysostomus Homilia XLV. de S. Meletio. *Oremus*, inquit, *omnes simul, tam Magistratus, quàm privati, tam mulieres quàm viri, tam senes quàm juvenes, tam servi quàm liberi, beatum ipsum Meletium harum precum socium accipientes. (Est enim ei nunc major fiducia & amor in vos ferventior :) ut hæc nobis augeatur charitas : & nos omnes obtineamus, quomodo hic sumus prope arcam istam, ita illic quoque posse esse prope beatum & æternum ejus tabernaculum.*

Traditio Ecclesiæ Antiochenæ & Constantinopolitanæ.

Et in Homilia de Sanctis Bernice, Prosdoce, & Domnina. *Neque die tantùm hujus festivitatis*, inquit, *sed aliis etiam diebus, iis assideamus, eas obsecremus, obtestemur, ut Patronæ fiant nostræ. Multam enim fiduciam obtinent non viventes modò, sed & mortuæ, multòque magis cùm sint mortuæ. Jam enim stigmata ferunt Christi. Cùm autem stigmata hæc ostenderint, omnia Regi possunt persuadere*, &c.

IX. S. Asterius Amasenus Episcopus in Encomio Martyrum, ubi varias ærumnas & pericula commemoravit, pro quibus adiri Martyres solent, & supplices suos adjuvant, matrem inducit pro filii valetudine Martyris auxilium implorantem. *Ad unum*, inquit, *Martyrum accedens, per illum postulationem suam offert Domino ; hujusmodi mediatorem vocibus interpellans : Tu qui propter Christum passus es, intercede pro passione ac morbo*, &c. *Tu ipse quoque Martyres aliquando rogasti, antequam fieres Martyr.*

Et infrà : *Nam quia minimè idonea est oratio nostra ad flectendum Dominum in tempore necessitatis, & calamitatis : siquidem oratio nostra non tam deprecatio est, quàm peccatorum in memoriam revocatio : idcirco nos ad conservos Domino dilectos confugimus.*

X. S. Ambrosius lib. X. *in Evangelium S. Lucæ* cap. XXI. *Mortuis Regibus*, inquit, *in perpetuum Martyres Regnum, cælestis gratiæ honore, succedunt ; & illi fiunt supplices, hi Patroni.*

Traditio Ecclesiæ Italicæ.

Et in libro de Viduis, cap. IX. *Obsecrandi sunt*, inquit, *Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt : Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi qua habuerunt peccata, laverunt : isti enim sunt Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere : qui & ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm viverent cognoscebant.*

Et Epistola XXII. ad Marcellinam sororem, de Inventione corporum Sanctorum Gervasii & Protasii : *Gratias tibi, Domine Jesu, quòd hoc tempore tales nobis Sanctorum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præsidia majora desiderat : cognoscant omnes quales ego propugnatores requiram. Hos ego acquisivi tibi, plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defensores.*

XI. S. Hieronymus *Epistola* XXVII. quæ est Epitaphium Paulæ, his verbis sanctam illam fœminam appellat : *Vale, ô Paula ; & Cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides & opera tua Christo te sociant. Præsens, quod postulas, facilius impetrabis.*

Traditio Ecclesiæ Romanæ.

Et in libro *contra Vigilantium*, sic illum Hagiomachorum nostrorum impurum ducem impugnat : *Dicis in libello tuo, quòd, dum vivimus, mutuò pro nobis orare possumus : postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio : Præsertim cùm Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti : quantò magis post coronas, victorias & triumphos ? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam : & Stephanus imitator Domini sui, &*

primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cùm Christo esse cœperint, minùs valebunt?....Deniquè Sancti non appellantur mortui, sed viventes.

Et Africanæ.

XII. S. Augustinus lib. VII. *de Baptismo*, contra Donatistas, ubi S. Cyprianum Martyrem his verbis invocat: *Adjuvet itaque nos in orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosâ nube, laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.* Similes invocationes in ejus Sermonibus de Sanctis passim leguntur.

XIII. His suffragantur S. Paulinus Episcopus Nolanus in variis Carminibus; sed præcipuè in Natalibus Panegyticis S. Felicis, in Panegyrico de obitu Celsi pueri, & in Epistola XII. *ad Severum*, cui versùs aliquot in S. Clati memoriam elucubratos adjunxit. Prudentius in Hymno primo *Peri-Stephanon*, in Hymno secundo de S. Laurentio, in quinto de Sancto Vincentio, & aliis. S. Gaudentius Brixianus in Tractatu XVII. *de Dedicatione Basilicæ Sanctorum quadraginta Martyrum.*

Concilii Chalcedonensis Patres Flavianum Martyrem invocant.

XIV. Sancta Synodus Oecumenica Chalcedonensis invocationem Sanctorum exemplô suô confirmavit utilem esse ac religiosam. Actione namque XI. Patres conclamarunt: *Flavianus post mortem vivit: Martyr pro nobis orat.*

Et Episcopi Europæ in Epistola ad Leonem Augustum, quæ habetur III. P. Concilii Chalcedonensis Num. 27. de S. Proterio ita scribunt: *Sanctissimum quidem Proterium in ordine & choro SS. Martyrum ponimus, & ejus intercessionibus misericordem & propitium Deum nobis fieri postulamus.*

XV. S. Leo in Sermone I. de Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli. *Sicut autem*, inquit, *& nos experti sumus, & nostri probavere majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium Patronorum orationibus adjuvandos: ut quantùm propriis peccatis deprimimur, tantùm Apostolicis meritis erigamur.* Huic Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus in Homilia *de Natali sanctæ Agnetis*, & in Homilia *de Natali Sanctorum Taurinorum Martyrum*, suffragatur.

Traditio & Ecclesiæ Syriæ.

XVI. Theodoretus libro *de curandis Græcorum affectionibus*, Sermone VIII. qui *de Martyribus*, inscribitur. *Victorum Martyrum templa*, inquit, *clara & conspicua cernuntur, magnitudineque præstantia, & omni ornatûs genere illustria. Neque ad hæc nos semel, bisve, aut quinquies, quotannis accedimus, sed frequentes conventus celebramus, sæpe etiam diebus singulis horum Domino laudes decantamus: & qui integrâ sunt valetudine, hanc sibi conservari: qui autem morbo quopiam conflictantur, hunc depelli petunt. Petunt & liberos, qui his carent, & quæ steriles sunt, rogant ut matres fiant: qui donum adepti sunt, salvum id sibi servari postulant. Qui peregrinationem aliquam auspicantur, ab his petunt ut viæ sibi comites sint, ducésque itineris: qui sospites redierunt, gratias referunt. Non illos adeuntes ut Deos, sed tanquam divinos homines eos orantes, intercessorésque sibi ut esse velint postulantes. Quòd verò votorum compotes fiant qui fideliter petunt, palam testantur illorum donaria, curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulachra suspendunt, ex argento, aurove confecta.* Idem Author in omnibus penè Historiæ Religiosæ Capitibus, Sanctos Ascetas invocat, quorum præclara facinora celebravit.

XVII. His concinunt alii Patres, & Scriptores Ecclesiastici, Victor Vitensis lib. III. *de Persecutione Vvandalicâ*. S. Gregorius Magnus *Homilia* XXXII. *de Sanctis Processo & Martiniano*. S. Gregorius Turonensis *lib. I. de gloria Martyrum, cap. 94.* Septima Synodus. Venerabilis Beda *Homilia in Dominicam II. Quadragesima*. S. Bernardus *Sermone*. LXII. in *Cantica* in Sermone *de Vigilia Sanctorum Petri & Pauli*, & alibi passim.

Ex quibus omnibus compertum est, Synodum Tridentinam verè pronuntiasse, Sessione XXV. *Illos qui negant Sanctos æternâ fœlicitate in cœlo fruentes invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Jesu Christi; vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare: impiè sentire.*

Dallæus lib. 3. de Religiosi Cultûs objecto cap. 36.

Objicit Dallæus Origenis testimonia *lib. 5. contra Celsum*, ubi de Angelis ita scribit: *Hos Angelos ab officio seu opere suo vocare edocti, invenimus in sacra Scriptura etiam interdum Deos nominari, propterea quòd divini sint; sed non sic tamen ut jubeamur ministrantes & ferentes nobis ea quæ Dei sunt, pro Deo colere & adorare.* Tum subjungit: *Omnem enim precationem, atque, orationem, omnem obsecrationem, sive rogationem, & gratiarum actionem, Deo summo rerum omnium Domino per vivum Verbum, Deumque Pontificem, qui supra omnes Angelos est, emittere seu deferre decet. Ipsum autem etiam Verbum, orabimus, & interpellabimus, & gratias ei agemus, si modò intelligere possimus & propriam & catachresticè dictam precandi rationem. Angelos enim à nobis, qui eorum scientiam sive notitiam, rem scilicet supra homines constitutam, minimè accepimus, invocari, à ratione alienum est. Et ut demus eorum notitiam, quæ mirabilis & arcana est, comprehendi: hæc ipsa notitia eorum naturam, & quibus, vel ad quæ singuli præfecti, atque ordinati sint demonstrans, prohibet ne audeamus ullum alium precari, quam Dominum, qui est supra omnia, quique abundè ad omnia sufficit, per Servatorem nostrum Dei Filium, qui Verbum est, & Sapientia, & Veritas, &c.* Ipse hujus orationis cum superiore nexus ostendit, Origenem preces sacras in cultu divino, id est uni & soli Deo debitô censere: ejus enim quod dicerat, *Non licere Angelos colere & adorare pro Deo*, hanc affert rationem: *Omnis enim oratio Deo deferenda est.* Ineptè, ut omnes vident, si oratio etiam ei deferri potest & debet, qui tamen Deus non est. Deinde, Angelos invocari vetat; negans id esse *rationi consentaneum.* Tertiò, hujus sui pronuntiati rationem affert hanc, quòd eorum naturam atque officia nesciamus. Quartò, etsi sciremus, invocandos esse negat. Tum hæc subnectit: *Ad hoc verò ut Angeli Dei nobis propitii sint, & pro nobis omnia faciant, sufficit & noster pr[illegible] in Deum affectus, nostraque dispositio, quantum qui[illegible] humana natura valet, imitans ipsorum Angelorum Deum imitantium judicium: & secundò Filii Dei Verbique pro nostrâ viribus apprehensio, Angelorum de eo notitia atque apprehensioni adeò non adversans aut repugnans, ut ad ejus tum perspicuitatem, tum distinctam articulatamque perfectionem, quotidie magis magisque contendas atque festinet.* Censet ergo Origenes, non esse opus orare Angelos, ut sua nobis ministeria alacriùs & jucundiùs exhibeant, precibus nostris deliniti; satisque esse docet ad eorum officia demerenda, ut in Deum, & in ejus Filium, piô atque religiosô animô simus.

Dallæus Origenis testimonia alienum ad sensum detorquet.

Huc etiam pertinent quæ octavô ejusdem Operis librô Celso respondet, viribus omnibus contendenti, Spiritus illos Ministros, quos ipse, ex solemni Platonicorum more, dæmones vocat, esse à nobis colendos. *Apage*, inquit, *hoc Celsi consilium jubentis orari dæmonas, qui ne tantillum quidem audiendus est. Soli enim Deo optimo maximo preces offerendæ sunt, & vero Unigenito Dei Verbo, primogenito creaturæ totius offerendæ, qui ut Pontifex rogandus est, ut nostrum quæ ad Deum pervenit, orationem perferat ad Deum suum & Deum nostrum,*

Patrem

Patrem suum, & Patrem eorum qui juxta Dei verbum vivunt.

Denique in eodem libro, cùm ea quibus vescimur, non à dæmonibus (quod pertendebat Celsus) sed ab Angelis, qui earum rerum curæ præfecti sunt, pendere docuisset, & cum iis, non autem cum dæmonibus convivari pios rebus hujusmodi fruentes; exindeque impudens Celsi postulatum confutasset, eorum quibus vescimur primitias dæmonibus consecrari volentis, ipse è contrario, Deo Creatori universorum ac Domino eas cùm gratiarum actione, offerendas constituens: hæc, inquam, exsecutus: *Cui autem*, inquit, *primitias offerimus, ad eumdem etiam orationes dirigimus.* Ut Celsi dæmonibus Angelos Dei; illorum imaginatiæ potestati, horum in res naturæ ministeria & præfecturas opposuit: ita & Paganorum insanæ in dæmonas cultui, nostrorum ad Angelos religiosas preces opponi consentaneum erat. At Origenes de his quidem nullum verbum fecit, & omni Paganorum in dæmonas idolomaniæ non alias quàm ad Deum Christianorum preces & gratiarum actiones opponit. Censebat igitur Angelos religiosis precibus prosequendos non esse.

Respondeo, Origenem honores ac preces Angelis offerendas negare; quæ uni Deo conveniunt, vel quæ ad ipsos ut ad minores quosdam Deos dirigantur: at certos quosdam eis exhiberi cultus, certasque fundi precationes permittit, naturæ eorum creatæ convenientes, & diversi generis ab illis, quibus Deo optimo maximo per Filium ejus supplicatur, & sacrificatur. Non ergo precationem Angelis oblatam, sed precationis modum damnat. Ipse mentem suam explicat Origenes lib. 8. contra Celsum. *Celsus*, inquit, *vult nos esse gratos erga terrestres dæmones, & votiva illis sacrificia reddere. Nos verò negamus nos ingratos dicendos, quia dæmonibus non solum non beneficis, sed & adversariis, nec sacrificamus, nec honorem ullam deferimus. Hoc tantum cavemus, ne ingrati erga Deum habeamur, cujus beneficiis sumus referti, cùm simus ejus creatura, & hoc ipsum quod qualescunque sumus, debeamus ejus providentia, post hanc quoque vitam meliora sperantes ab eo. Nec habent dæmones ullam administrationem rerum ad nostros usus creatarum: proinde nihil iniquum facimus, dum non sacrificamus dæmonibus, ad quos hæ nihil attinent. Immò etiamsi sciamus non Dæmonas, sed Angelos præesse frugum proventibus & fœturis animalium, prædicamus eos ut beatos, quibus à Deo commissa sunt utilitates hominum, non tamen honorem soli Deo debitum his reddimus. Nam nec Deus hoc vult, nec ipsi quibus hæc commissa sunt: & amant nos, quia non sacrificamus eis.*

Et in eodem libro, eidem Celso respondens, qui quòd Dei Filium Christiani colerent, colendos iis quoque ministros ejus, nimirum dæmonas contendebat, hæc habet: *Qui quidem si intellexisset veros Ministros Dei post ipsius Unigenitum, Gabrielem, Michaelem, reliquosque Angelos, & Archangelos, eosque colendos contenderet: fortasse colendi significatum repurgantes, & actiones colentium, dixissemus aliquid de hoc loco pro tanta rei dignitate, proque captu nostra intelligentia.* Concessit igitur Origenes quoddam cultûs, adeóque & precationis quæ cultu censetur, genus Angelis, eo cultûs & precationis genere inferius, quæ Deo soli exhibentur. At enim frustra Dallæus, aliique Heterodoxi contendunt, Origenem de religiosâ observantia & cultu non esse intelligendum, cùm aliquem indicat Sanctis Angelis exhiberi posse. Hîc namque de religioso cultu quæstio est, quem Celsus dæmonibus, non secùs ac Deo præstandum esse asserebat. Respondet Origenes, quoddam religiosi cultûs à Celso significati genus Angelis quidem deberi, modò rectè & legitimè exhibeatur, & cultus ille ab eo qui soli Deo præstari solitus est, cautè distinguatur. Sic etiam cùm Lib. 5. distingueret orationes Deo Patri offerendas, à precibus quas offerri concedebat Filio, ut Mediatori; nominis hujus, *Oratio*, proprium usum intelligi vult, & ab ejus abusu discerni. *Gratias*, inquit, *agemus etiam ipsi Verbo, interpellabimus, vota & preces ei offeremus; modò intelligamus quomodo hæc accipiantur, vel abusivè, vel propriè.* Eadem cautione cultum & preces Deo Patri offerendas, à precibus Filio offerendis discerni jubet Origenes, & à cultu Angelis exhibendo. Porro Filium orari concedit, modò tanquam mediator, & inferiori precationis genere invocetur ac Pater. Is enim fuit ipsius error: idem igitur de precibus & cultu Angelis exhibendo ipsum sensisse, colligendum est. Quod confirmat alter locus ex lib. VIII. contra Celsum: *Christianus*, inquit, *uni dicatus Deo, Verboque ipsius, non potest lædi a dæmonibus, utpote illis præstantior. Non idcirco autem quia circumvallabit Angelus Domini circumquaque timentes eum, & eripiet eos: & Angelus ejus perpetuò faciem cælestis Patris aspiciens, semper preces ejus in cælum offert per unicum Pontificem summo Deo, ipse quoque pro sibi commisso deprecans.* Qui preces nostras summo Deo per Christum offerunt, ii certè possunt rogari ut hoc nobis impendant ministerium, adeóque invocari modò inferiori illi quò Deus, & Christus invocatur: quia Deus quidem ut omnium bonorum nostrorum author, ut nostræ beatitudinis finis, ut supremum religionis nostræ objectum invocatur & colitur: Christus ut Mediator primarius, per quem patet nobis aditus ad Patrem: Angeli verò ut secundi mediatores & inferioris ordinis, qui preces nostras summo Deo per unicum Pontificem Jesum Christum offerunt, ipsumque pro hominibus curæ suæ commissis deprecantur.

Neque consequens est Origenem omnem cultum, & invocationem omnem Angelorum negasse quia eorum naturam atque officia, utpote res supra humanum captum sitas nescimus. Hæc enim ratio Adamantii nimis probat. Si enim aliqua illius vis esset, sequeretur Deum, cujus natura multo-magis humanum captum superat, invocandum non esse, nec preces ipsi offerendas. Non est autem insolitum ut Patres in Operibus Polemicis, rationibus interdum non satis accuratis utantur: nec istud elevat dogmatum veritatem. Nec mirum est quòd etiam ibi non explicet Origenes quo cultu prosequi liceat Angelos, aut quô modô preces ad eos dirigere permittat approbetque religio, aut de illarum utilitate non disserat. Nam in Operibus adversùs Paganos editis Patres eorum deliria subvertere potiùs quàm nostræ Religionis dogmata enucleatiùs exponere satagebant: Quod Origeni in libris contra Celsum etiam contigisse notat S. Hieronymus. *Epistola* I. quæ est apologetica pro libris contra Jovinianum. *Didicimus*, inquit, *plura esse genera dicendi, & inter cætera aliud esse γυμναστικῶς scribere aliud δογματικῶς. In priori vagam esse disputationem, & adversario respondentem, nunc hæc, nunc illa proponere; argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere; panem ut dicitur ostendere, lapidem tenere. In sequenti autem aperta frons, & (ut ita dicam) ingenuitas necessaria est. Aliud est quærere, aliud definire: in alterò pugnandum, in alterò docendum est Origenes, Methodius, Eusebius, Apollinarius, multis versuum millibus scribunt adversùs Celsum & Porphyrium. Considerate quibus argumentis, aut quàm lubricis problematibus, diaboli spiritu contexta subvertant. Et quia interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est, dicunt adversùs ea, quæ dicunt Gentiles.*

Objiciunt Heterodoxi locum ex Commentariis in Epistolam ad Romanos, qui extat inter S. Ambrosii Opera, jamque ab eruditis agnoscitur ut

Hilarii Sardi. Is nimirum in cap. 1. istius Epistolæ, hæc babet : *Ad Deum, quem utique nihil latet (omnia enim merita novit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devotâ.* Quibus verbis omnis Sanctorum invocatio præciditur.

Respondeo 1. Sanctorum suffragia, & invocationem à Catholicis non admitti ut omnino necessariam, quasi salutem consequi absque illâ invocatione non possimus, sed ut cumprimis utilem.

Respondeo 2. His verbis non rejici suffragia & intercessiones quasvis apud Deum : alioqui non Sanctorum duntaxat, sed Christi ipsius, quem Advocatum habemus apud Patrem, intercessio supervacanea esset. Id vult unum laudatus Author, Deo non esse opus monitoribus, qui ipsum nostris de rebus certiorem faciant : Suffragatoris enim vocabulum à suffragiô derivatum est, quod in Magistratuum electione ferebat populus, florente Republica. Unde postquam summa rerum penes unum esse cœpit, illi suffragatores dicti sunt, qui Imperatores de meritis candidatorum certos faciebant, suffragiisque suis & consiliis illorum suadebant electionem : quia Princeps uniuscujusque merita, & egregias pro muneribus Imperii gerendis animi dotes, nosse per sese semper non poterat. Hôc itaque sensu laudatus Author negat ad Deum promerendum opus esse suffragatore, id est, monitore. Unde hanc assertionis suæ rationem profert, quòd nihil Deum latet, omniumque merita novit. Enimverò Ethnici, quos impugnat, summum Deum res humanas, actusque nostros ignorare contendebant, quòd à rerum inferiorum societate remotior esset : Hæc verò per Genios sideribus elementisque præsidentes ediscere : quibus propterea divinos honores deferebant. Negat igitur Hilarius Sardus, opus esse suffragatore apud Deum, hoc est, ipsum internuntiis egere, qui merita nostra vel demerita ipsi exponant : Sed non inficiatur quin rebus nostris ac saluti sint admodum utiles suffragatores, qui nos apud Deum patrociniô suô ac precibus juvent. Hunc esse Authoris laudati sensum fatebitur, qui locum integrum expenderit. *Nebula*, inquit, *erroris texit cor illorum, quia cùm Creatorem ex iis quæ fecit pulchra, ampliùs honorificare debuerint, obtusi sunt relictô illô; hæc sola dicentes sibi sufficere ad culturam, quæ videntur. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.... Solent tamen pudorem passi neglecti Dei, miserâ uti excusatione, dicentes per istas posse ire ad Deum, sicut per Comites pervenitur ad Regem. Age, numquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet Comiti; cùm de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei Majestatis damnentur? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relictô Dominô, conservos adorant, quasi sit aliquid plus quod reservetur Deo. Nam & ideo ad Regem per Tribunos, aut Comites itur, quia homo utique est Rex, & nescit quibus debeat Rempublicam credere. Ad Deum autem, quem nihil latet (omnium enim merita novit) promerendum, suffragatore non est opus, sed mente devotâ. Ubicumque enim talis locutus fuerit ei, respondebit illi.*

Veteres Liturgiæ Dallæi causam non juvant.

Objicit Dallæus, Veteres Christianos pro omnibus omnino mortuis, etiam pro sanctissimis, pro Martyribus, pro Apostolis, etiam pro Deipara ipsa Virgine, preces ac supplicationes Deo obtulisse : quod probat ex priscis Ecclesiarum Liturgiis, scilicet eâ quæ Jacobi dicitur, ex Liturgia S. Marci, item ex Liturgia Syrorum, denique ex ea quæ dicitur Chrysostomi. Cùm igitur communis omnium hominum sensus atque ratio clamet, omnino stultùm atque præposterum esse, ut ad quorum opem, intercessionem atque suffragia, humillimis precibus confugimus, eos nos illi ipsi Deo, apud quem gratiâ plurimùm valent, quemque pro nobis rogant, precibus tamen nostris commendemus, veluti opis nostræ indigentes : Cùm hæc, inquam, omnia ita se habeant, planè confitendum est, vetustissimos illos Theologos, Sanctos, pro quibus preces ad Deum illi faciebant, minimè gentium invocasse, aut invocandos putavisse.

Responderunt pridem Catholici Theologi, Illas Veterum pro Sanctis orationes, non deprecationes esse, sed gratiarum actiones; sed has Bellarmini, & Nicolai Cabasilæ strophas (ut vocat) ipsis Liturgiarum verbis confutari Dallæus ait, quibus Deum Fideles superstites disertè rogant ut eos pro quibus orant (id est etiam mortuorum sanctissimos) *Requiescere faciat in regione viventium, & largiatur iis promissionum suarum bona, & præstet requiem, bonamque memoriam.*

In veteribus Liturgiis aliter fit mentio Sanctorum cum Christo regnantium, & cæterorum Fidelium defunctorum.

Sed insignis est fraus Dallæi, qui dissimulat in Veteribus illis Liturgiis aliâ ratione mentionem fieri Sanctorum cum Christo regnantium, & cæterorum Fidelium defunctorum : Sanctorum quidem, ut eorum precibus adjuventur nostræ ac sustententur : cæterorum verò, ut ipsimet orationibus nostris & sacrificiis subleventur, utque Deus in regione viventium requiescere eos faciat. Discrimen istud à Nicolao Cabasila & Bellarmino non est excogitatum, sed à Patribus traditum, prout illud in Ecclesia didicerant : scilicet à S. Cyrillo Hierosolymitano in Catechesi Mystagogica quinta : *Post confectum*, inquit, *spirituale sacrificium, & incruentum cultum in illo propitiationis sacrificio, oramus Deum pro communi Ecclesiæ pace, &c. Rogamus te omnes, & hoc tibi sacrificium offerimus, ut meminerimus eorum qui dormierunt : Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum; ut Deus illorum precibus & intercessionibus preces nostras suscipiat. Deinde pro iis qui jam defuncti sunt, sanctis Patribus, & Episcopis & omnibus omnino qui jam inter nos obdormierunt, rati magnam utilitatem percepturas esse animas pro quibus offertur oratio, dum sanctum illud maximèque tremendum sacrificium proponitur.*

Idem discrimen tradit S. Augustinus *Tractatu* 84. *in Joannem*, ubi cùm ista S. Petri *in Epistolæ* 1. *cap.* 2. verba retulisset : *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus :* ait : *Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt : quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio quô & ipsi saturati sunt, ad Mensam Domini accedimus; oportet ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam Mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus : sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus : quia impleverunt ipsi caritatem, quâ Dominus dixit non posse esse majorem.*

Et in Sermone 17. *de Verbis Apostoli*, cap. 1. *Ideoque habet Ecclesiastica disciplina, quod Fideles noverunt, cùm Martyres recitantur ad altare Dei : ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris verò commemoratis defunctis oratur : Injuria est enim pro Martyre orare : cujus nos debemus orationibus commendari.* His gemina sunt quæ habet *Sermone* CVII. *de Diversis*. Idem discrimen exponunt Jonas Aurelianensis Episcopus lib. 1. *de cultu imaginum*, Albinus Flaccus lib. *de Divinis Officiis*, Walafridus Strabo *lib. de rebus Ecclesiasticis*, Florus Magister, *In Expositione Missæ*.

Vel alius fortè sub Alcuini nomine.

Respondet Dallæus, Veteres, *qui ante hanc latam ab Augustino legem vivebant*, Pro Martyribus ipsis orasse. *Nondum enim*, inquit, *illa miraculorum ad Martyrum reliquias factorum, & exinde consecutæ ipsorum invocationis luce donatos, quâ affulgente, didicit postea Augustinus suum illud Mysterium*; « injuriam esse pro Martyre orare, cujus nos debemus ora- « tionibus commendari. Latam ab Augustino legem ait inverecundus Calvinista, morem quem Augustinus antiquissimum

antiquissimum significat, & cujus initia in Ecclesia nulla videmus, ut nonnisi ab Apostolis tradita illa disciplina jure meritòque censeatur, secundùm ejusdem Sanctissimi Doctoris regulam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicà traditum rectissimè creditur.* Ante S. Augustinum Cyrillus Hierosolymitanus veritatem illam didicerat, moremque illum in Ecclesia invenerat, quem exponit in Catechesibus quas habuit adolescens, ante medium sæculum IV. quo tempore plures adhuc supererant è Nicænis Patribus, qui aliquam ætatis partem egerant Sæculo III. & Sæculi III. Patribus familiariter usi fuerant.

Denique Liturgiæ S. Augustini ætate antiquiores, ab ipso Dallæo laudatæ, dogma illud disertis verbis confirmant, quod Mysterium Augustino primùm cognitum insigni fraude asserit. In ea quæ Jacobi dicitur, quàm ad vetustissima Christianismi tempora Dallæus refert, hæc habentur: *Sanctissimæ, inviolatæ, gloriosissimæ, Benedictæ Dominæ nostræ, Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum ac Justorum memoriam faciamus, ut precibus & intercessionibus ipsorum omnes misericordiam consequamur.*

In Liturgia verò S. Joannis Chrysostomi hæc leguntur: *In honorem & memoriam superbenedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ: cujus intercessionibus suscipe Domine sacrificium hoc in supercæleste tuum altare.* Mox Sanctos omnes Confessores & Martyres commemorat: *Quorum precibus visitari se à Deo*, rogat.

Ch. 3. de Relig. cultus objecto, cap. 12.

Objicit Dallæus, plurimos ex vetustissimis Christianis piorum, sanctorumque omnium animas extra cælum usque ad Carnis resurrectionem degere putavisse. Id verò dogma cum Sanctorum cultu & invocatione consistere non potest. Planè enim est incredibile quemquam tam hebetem futurum, qui quos religiosè coleret, quorum suffragia & intercessionem apud Deum, & Dominum Christum in cælis sedentem posceret, eos ipsos vel apud inferos in gehennæ confinio, vel in paradiso ultra Zonam torridam sitô habitare putaret; vel in terræ aut aëris scholis proficere, discendis hujus mundi mirabilibus operam dantes: Cùm ergo viri non modò plebeii, sed illius antiquitatis præstantissimi ac facilè principes, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Victorinus, Lactantius, aliique, de Sanctorum omnium mortuorum ad resurrectionem usque, conditione ac sede ita senserint: concludendum est, neque ipsos Sanctis duliæ & invocationis honores detulisse; neque ullam Apostolorum ea de re traditionem apud Ecclesiam universalem ævo suo receptam competisse.

Inane Dallæi argumentum, ex Veterum quorumdam sententia de dilatione beatitudinis Sanctorum ad ultimum judicii diem, petitum.

Respondeo primò, Plerosque Veterum, qui Sanctorum animas extra cælum degere, ad resurrectionem usque, & nondum supremæ fœlicitatis compotes esse senserunt, Martyrum animas excepisse, ut ex Tertulliano hujus Sententiæ assertore perspicuum est, Libro *de Anima*, cap. 56. *Et quomodo*, inquit, *Joanni in spiritu Paradisi regio revelata, quæ subjicitur altari, nullas alias animas apud se præter Martyrum ostendit? Quomodo Perpetua fortissima Martyr sub die passionis in revelatione Paradisi solos illic commartyres suos vidit, nisi quia nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint, non in Adam? Nova mors pro Deo, & extraordinaria pro Christo, aliò & privatò excipitur hospitiò..: Si pro Deo occumbas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus, & in lectulis, sed in Martyriis, si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, ut ipse præcepit, tota paradisi clavis sanguis tuus est.* Et lib. *de Resurrectione Carnis*, cap. 43. *Nemo*, inquit, *peregrinatus à corpore, statim immoratur penes Dominum, nisi ex Martyrii prærogativâ: Paradiso scilicet, non inferis deversurus.* Ubi Paradisi nomine, non cælum intelligi, sed subcælestem regionem, sinu quidem Abrahæ lætiorem & amœniorem, non tamen cælestis gloriæ capacem, Dallæus ineptè respondet, contra Tertulliani mentem apertam, qui hospitium privatum & longè sublimius atque præstantius Martyrum animabus, quàm Justorum cæterorum assignat, quò *Patriarchæ & Prophetæ appendices Dominicæ Resurrectionis migraverunt.* Et cùm generatim præmisisset, *Nulli patere cælum, terrâ adhuc salvâ, cum transactione enim mundi reseranda Regna cælorum*: ab eâ lege Martyres excipit. Proinde nomine Paradisi, cujus ipsis aditum patere censet ex singulari Martyrii prærogativâ, Regnum cælorum intelligit. Hinc *In Scorpiaco, cap. 12.* Martyres *residere cum Domino in throno ejus, & candidam claritatis usurpare* asserit, *donec & alii consortium illorum gloriæ impleant*: quamvis *interim sub altari placidium quiescant.* Nihil igitur obest, etiam secundùm Dallæi Logicam, quin Veteres illi priorum sæculorum Theologi, Martyres saltem religiosè coluerint, & invocaverint.

Respondeo secundò, Dogma illud de Sanctorum supremâ fœlicitate & gloriâ ad resurrectionem usque dilatâ, cum Sanctorum cultu & invocatione optimè consistere. Siquidem multi Patres, quos de Sanctorum beatitudine ita sensisse Dallæus post Calvinum suum contendit, (quamvis immeritò) ut SS. Chrysostomus, Augustinus, Bernardus, &c. Sanctos religiosè coli, & utiliter invocari, non doctrinâ tantùm suâ, sed & exemplo approbaverunt, ut Dallæus ipse fatetur. *Jam quòd*, inquit, *versuum Sibyllinorum Opus vetustissimi nostrorum verum & sincerum esse putantes, magni facerent, ac penè divinum censerent, ut ex Justino, Tertulliano, Theophilo, Athenagora, Clemente Alexandrino, Origene, Lactantio, & multis aliis patet; ex eâ de hoc scriptore opinione, ille de statu animarum post mortem error primùm haustus, videtur ad plures longè lateque dimanasse, atque ita propagatus ac confirmatus esse, ut ne inferioribus quidem sæculis, ex plurimorum, etiam præstantissimorum virorum mentibus revelli potuerit, etiam eorum, qui post natum & susceptum alterum de Sanctorum invocatione, tametsi contrarium errorem, vixerunt. Indeque exorta sunt in cunctiorum animis multa illa dubitationes de ratione quâ preces mortalium ad Divos perveniant; ut apud Augustinum, & alios etiam eò multa recentiores videre est.*

Respondeo tertiò, Communem hanc non fuisse Ecclesiæ sententiam, quòd Sanctorum felicitas ad resurrectionem usque differretur. Errasse eos qui ita senserunt, quamvis publico tunc Ecclesiæ judicio damnatum non fuerit erroris istud dogma: proindéque sicut alii Patres senserunt Sanctos statim post obitum cælô recipi, & Dei visione beatificâ frui: sic etiam sentire potuerunt, secundùm principia Dallæi, ipsos religiosè coli & invocari. Id ex Dallæi ipsius principiis colligitur. *Ex his autem absit*, inquit, *ut ego vel existimem, vel contendam communem hanc fuisse totius Christianæ Ecclesiæ sententiam. Perronio fuisse neganti, libens assentior, & facilè si hic esset locus, ex Clementis in Epistola ad Corinthios, & Lugdunensium in Actis suorum Martyrum, & Cypriani in libro de Mortalitate, & aliorum testimoniis probare possem, non omnes Orthodoxos putasse piorum corpore solutos animos, extra cælum, absque Dei visione, usque ad resurrectionem detineri; sed quosdam, imò fortasse multos, veriora præeuntibus Scripturis sequentes, credidisse cælô statim recipi quotquot in Domino moriuntur.* Ex quibus patet quàm infeliciter sua Dallæum in ratiocinando Logica, imò communis sensus ac ratio destituerit.

Respondeo quartò, Cùm Sancti hìc viventes invocari, seu patroni apud Deum adhiberi possint,

posse etiam jam corpore solutos invocari, quamvis supremæ fœlicitatis nondum compotes essent. Enimverò si Jeremias mortuus, *multum orasse pro populo & pro universa sancta civitate Jerusalem*, in Historia Machabæorum legitur, qui cœlô nondum per Christum reseratô, divina visione non fruebatur, sed in sinu Abrahæ quiescebat; poterat à populo Judaico ejus patrocinium implorari: adeóque nihil interest ad Catholicum dogma de Sanctorum invocatione, utrùm suprema fœlicitate jam donati credantur, vel non credantur: quamvis Ecclesia semper utrumque crediderit, hoc est, & Sanctos statim post obitum in cælum recipi, Deique visione beatifica frui; & piè atque utiliter invocari. Certè S. Eliam Prophetam, quem nondum obiisse credit Ecclesia, adeóque nec Dei visione frui, sed servari ut Christi ad judicium generale venturi sit præcursor, & Antichristum sanguine suô extinguat, sacris tamen honoribus prosequitur, ipsumque invocat; Festo in ejus memoriam ac venerationem institutô, & Officiô approbato, quod in totô Carmelitarum Ordine quotannis statâ die 21. Julii solenni ritu canitur.

Lib. 1. de Relig. cultus obiecto, cap. 36.

Objicit Dallæus testimonium S. Irenæi lib. 2. cap. 57. in quo adversùs hæreticorum pravos ritus disserens, atque Ecclesiæ mores opponens, ait: *Quemadmodum gratis accepit à Domino, gratis & ministrat* (Dona scilicet sanationum) *Nec invocationibus Angelicis faciat aliquid, nec aliquâ pravâ curiositate, sed mundè & purè & manifestè orationes dirigentes ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi in virtute, secundùm utilitates hominum, sed non ad seductionem omnia perficit.* Ubi Irenæus, Angelicis illis, quas in genere dicit, invocationibus, orationes ad Dominum directas, & Jesu Christi nomen solummodò opponit, clarissimè significans Angelos quidem, sive malos, sive etiam bonos, non apud alios invocari, quàm apud Hæreticos; apud Ecclesiam, non Angelos, sed unum Dominum, cum Jesu Christi nomine, invocari, & orationibus compellari.

S. Irenæi testimonio Dallæus abutitur.

Respondeo, Miram esse fraudem Dallæi, qui hunc locum contra religiosam Sanctorum Angelorum invocationem objecter, quô S. Irenæus Simonianos, Menandrianos, Marcosios, Basilidianos, Valentinianos, similesque pestes exagitat, qui falsos Angelos & Æonas invocabant, atque incantationibus operam dabant: quod abhorrere ait ab Ecclesiæ Catholicæ doctrinâ & moribus, quæ orationes dirigit ad Deum, & nomen Domini nostri Jesu Christi invocat. Porrò Sanctos Angelos vel homines invocare, quis nisi insanus idem esse dixerit atque incantationibus operam dare? Aut quis nisi vecors somniet Sanctorum invocationem prohibere quia orationes dirigantur ad Deum, & nomen Domini nostri Jesu Christi invocetur?

Lib. 3. de Relig. cultus obiecto, cap. 9. & 10.

Objicit Dallæus, Veteres Christianorum Magistros in expositione Dominicæ Orationis, nihil de orationibus quæ ad Divos fiunt, dixisse: quod ut probet, Tertulliani librum *de Oratione* & S. Cypriani Tractatum *de Oratione Dominica* appellat. Prætea Tertullianus eo in libro *cap. 12* asserit *Vanitatem iis exprobrandam, quæcumque sine ullius aut Dominici, aut Apostolici præcepti auctoritate fiunt: hujusmodi enim non religioni; sed superstitioni deputari, affectata, & coacta, & curiosi potiùs quàm rationalis officii.* At invocatio Sanctorum nullô Dominicô, aut Apostolicô præceptô nititur: ergo ex Tertulliani mente, vana est; ergo non religioni, sed superstitioni deputanda.

Inscitè colligit Dallæus invocationem Sanctorum in Ecclesia tribus primis seculis receptam non fuisse, quòd illius non meminerint Patres de Oratione tractantes. [illegible]

Sanctus verò Cyprianus de Dominicæ Orationis præstantia paucis præfatus, colligit, *Aliter orare quàm nos Filius hic docuit, non ignorantiam solam esse: sed & culpam.* Atqui Dominus in hac suâ Oratione docuit, *Patrem qui est in cælis*, orandum esse. Aliter orant quàm Dominus docuit, qui Matrem Virginem, qui Divos, & Angelos orant. Latinos ergo qui sic orant, eos Cyprianus non ignorantiæ modò, sed & culpæ damnat. Præterea præcipit nostrum inter orandum *pectus soli Deo patere* debere. Atqui & hoc Divis patere interdum necesse est, si & Divos oramus. Passim hic ac ferè ubique illa occurrunt, *Dominum orare, cùm Dominum deprecaris, quando oras Deum, precibus ad Deum venire*, &c. De Divis, aut Virgine, planè nihil usquam sonat. Posteà & de horis disserit, quibus potissimùm orandum est. *Hora*, inquit, *nulla à Christianis excipitur, quominus frequenter ac semper Deus debeat adorari.* Adorari dicit pro orari, ex Tertulliani sui stylô Nullam ergo scivit, quæ ad Divos fiat, orationem.

Hæc omnia confirmat Dallæus auctoritate Clementis Alexandrini, qui *libro 7. Stromatum* Orationem in genere definit, *Collationem & conversationem cum Deo.* Absurdè & ineruditè, si qua est religiosa, eadémque legitima oratio, quæ cum Angelis & cum animabus mortuorum colloquatur, non autem cum Deo. Prodici mox amentiam refellens, orandum esse negantis, ait inter cætera, orationem esse *Occasionem quamdam colloquendi cum Deo.* Non omnis certè, si etiam sanctissimi cujusque plurimæ sunt ad Divos. Et paulò ante Gnosticum suum (id est virum emendatissimæ atque absolutissimæ pietatis) dixerat *Per totam vitam orare, studentem esse cum Deo per orationem.* Non erat ille Clementis Gnosticus Latinorum nostrorum consectaneus, qui cum Divis non rariùs sunt quàm cum Deo, si oratio quidem efficit ut cum eo simus quem oramus. Tandem initio libri liquidò testatus fuerat, omnem Orationem ad Deum esse. *Cùm sit unus bonus Deus*, inquit, *meritò & nos & Angeli ab eô solô precamur bona, ea quidem dari, quibus caremus, ea verò permanere, quæ jam habemus.* Idem paulò ante, sacris quibus Pagani colendum Numen putabant, preces opponit. *Nos Deum oratione meritò honoramus.* Et hoc vocat *Optimum atque sanctissimum Sacrificium.*

Respondeo, Non esse necesse ut quisquis de Oratione vel in genere, vel Dominica nominatim scribit, meminerit Orationis factæ ad Sanctos: satis esse ut de Orationis objectô primario, supremo & propriè dicto, de ipsius Orationis Dominicæ dignitate & præstantia, de summis rerum, quæ à Deo in Oratione postulandæ sunt, Capitibus agat: & quo animô, quâ fiducia, quô statu & habitu corporis orandum est, explicet. Quæ omnia diligenter & disertè exsecuti sunt Tertullianus & S. Cyprianus. Unde perperam Dallæus colligit, invocationem Sanctorum non fuisse in Ecclesia solennem, quia illius non meminerunt his in libellis; alioqui sequeretur nec preces pro defunctis in Ecclesia fuisse factitatas, quia earum non meminerunt illis in Tractatibus *de Oratione* (quas tamen alibi commemorant) aut Christi, ut homo Deus est, vel Spiritus Sancti, personalem invocationem ab Ecclesia non fuisse frequentatam, quia orationum ad Christum hominem Deum, vel ad Spiritum Sanctum nominatim directarum non meminere. Quæ insana esset argutatio. Præterea non tam docuit Christus, Orationem Dominicam Apostolis tradendo, quis orandus esset: (Non enim ignorabant illi Deum optimum maximum ut omnium donorum auctorem oratione propriè dictâ invocandum esse:) Quàm quô modô sit orandum, quæque sint à Deo per orationem petenda. Quod Tertullianus eleganter exprimit his verbis: *Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? Quot simul expunguntur officia? Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in*

deprecatione

deprecatione, solicitudo tentationum in postulatione tutelæ? Quid mirum? Deus solus docere potuit ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de Spiritu ipsius, jam tunc cùm ex ore divino ferretur, animata, suo privilegio ascendit in cœlum, commendans Patri, quæ Filius docuit. Idem S. Cyprianus significat his verbis: *Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ à Filio qui est veritas, de ejus ore prolata est? Ut aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa; quando ipse posuerit & dixerit: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis.* Certè & alia posse à Deo postulari, quàm quæ Christus præscripsit, modò sint ejus præceptis consentanea, Tertullianus agnovit. *Præmissâ*, inquit, *legitimâ & ordinariâ oratione, quasi fundamento, accidentium jus est desideriorum, jus est superstruendi extrinsecus petitiones, cùm memoria tamen præceptorum, ne quantum à præceptis, tantum ab auribus Dei longè simus.* Si alias petitiones, præcipuis istis & primariis superstruere possumus, & alia verba possumus adhibere, quibus illas significemus.

Quod autem Tertullianus ait, *cap.* 12. libri *de Oratione*, vanitatem meritò exprobrari iis observantiis, quæ sine ullius Dominici, vel Apostolici præcepti auctoritate fiunt, & hujusmodi non religioni, sed superstitioni deputari, Dallæus imperitè objectat contra Sanctorum invocationem; cùm Tertullianus de superstitiosis quibusdam observantiis loquatur, qualis erat, ante omnem orationem corpus lavare in memoriam proditionis Domini, vel positâ pænulâ, seu indumentô itinerariô, Deum orare. *Hujusmodi*, inquit, *non religioni, sed superstitioni deputantur affectata & coacta... Certè vel eo coercenda, quòd Gentilibus adæquent; ut est quorumdam, expositis pænulis orationem facere. Sic enim adeunt ad Idola Nationes.* At invocatio Sanctorum, quamvis nullô præceptô Dominicô, vel Apostolicô sit constituta, superstitiosa tamen observantia non est, quæ Gentilibus nos adæquet. Adde quòd licet præceptô Domini vel Apostolorum sancita non sit Sanctorum invocatio, verbo tamen Dei cùm scripto, tum tradito, approbata est, ut demonstravimus: adeóque temerè & impiè ponitur in earum observantiarum censu, quæ superstitioni, non religioni deputandæ sunt. Tandem plurima sunt, quæ nec à Domino, nec ab Apostolis sunt præcepta; sed consilia sunt ab illis tradita, ut virginitatem servare, non manducare carnem, non bibere vinum, vendere omnia sua & dare pauperibus, percutienti unam maxillam, alteram præbere, ad secundas nuptias non convolare, &c. quæ tamen religioni, non superstitioni deputantur. Unde inanis est argutatio Dallæi ex Tertullianeâ illâ regulâ colligentis, Sanctorum invocationem, quia fit absque Dominico vel Apostolico præcepto, esse superstitioni deputandam.

Quòd autem Tertullianus, S. Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Deum orari, & adorari dicant; & orationem esse collocutionem & conversationem cum Deo, Sanctorum invocationem non evertit. Etsi enim Deus solus propriè dictâ oratione sit rogandus, ut supremus auctor bonorum omnium quibus indigemus, & quæ postulamus, expectamusque: possunt tamen Sancti oratione inferioris generis & gradus, ac impropriè dictâ interpellari, quæ per illos, & eorum interventu ac patrocinio ad Deum tendat. Nec minùs collocutio est, & conversatio cum Deo, etsi dirigatur ad Sanctos; Nam quisquis per interventorem & sequestrem aliquem Regi supplicat, aut Judici, eô ipsô ad Regem, aut Judicem preces suas dirigit, & cum eo mediatè colloquitur. Denique à solo Deo precari debemus bona, tanquam à supremo donorum quæ postulamus, domino. Sed id non impedit quin à Sanctis velut ab intercessoribus ea postulemus. Cùm enim hæc à Deô per illos petimus, non ab alio quàm à Deo petere censemur: ut qui à rivo, vel canali aquam haurit, non aliunde quàm ab ipso fonte accipit. Quod autem eâ de oratione loquatur Clemens Alexandrinus, quâ bonorum postulatorum supremus auctor & dandi arbiter invocatur, constat ex eo quòd Gentiles ibi reprehendit, qui ab illis qui non sunt Dii, tanquam à Diis aliquid petunt & sperant. *Extrema est inscitia*, inquit, *ab iis qui non sunt Dii, tanquam à Diis petere: vel ea petere quæ non conducunt, dum per bonorum speciem nobis mala postulamus. Unde meritò cùm unus sit bonus Deus, ab ipso solo bonorum alia dari, alia conservari, orantes petimus, tam nos, quàm Angeli.*

Objicit Dallæus, Latinos à Sanctis non simpliciter petere ut pro se Deum precentur, sed ab iis fere omnia & præsentis & futuræ vitæ bona poscere, quod ex orationum apud nos ad Virginem Matrem solemnium formulis patere ait.

Dallæi calumnia refellitur.

Respondeo, Hanc Dallæi, & Symmistarum ejus objectionem esse putidissimam calumniam: quæ publicis Ecclesiæ precibus facilè refellitur. Quid enim aliud in Litaniis Beatissimæ Virginis ab ipsa postulatur, nisi ut pro nobis oret? Quid aliud in Hymno celebri, *Ave maris stella?* Hoc enim sensu ab Ecclesia intelligi hæc verba ad ipsam directa: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis, Nos culpis solutos, mites fac & castos: Vitam præsta puram, iter para tutum, ut videntes Jesum semper collætemur*: ut sua intercessione nobis à Christo hæc obtinere beneficia credatur, constat ex his ejusdem Hymni verbis: *Bona cuncta posce. Sumat per te preces, qui pro nobis Natus tulit esse tuus.* Demonstrant solennes aliæ publicarum precum formulæ, quæ in Ecclesiasticorum Officiorum libris leguntur. Sed etsi quandoque iisdem verbis à Sanctis rogemus beneficia, quibus ea à Deo postulamus, non ideo eos agnoscimus istorum beneficiorum auctores, sed Patronos duntaxat apud Deum. Quemadmodum enim cliens illa quandoque iisdem verbis petit à patrono & intercessore, à Ministro Principis, vel amico Judicis, quæ novit à solo Principe vel Judice posse concedi, ut hoc supplicandi modô ostendat quantùm tribuat patrocinio & intercessioni eorum, quos scit apud Principem aut Judicem multùm posse: ita Catholici dona cœlestia interdum à Sanctis petunt, quæ à solô Deô noverunt obtineri posse, ut se multùm interventioni Sanctorum tribuere, hoc supplicandi ritu contestentur.

Lib. 3. de vero Relig. Cultus objecto, cap. 1. & 2. 11. 18.

Objicit Dallæus, Priorum sæculorum Episcopos aut Presbyteros, *Ave Maria*, aut orationes ad Divos alias, suis de suggestu auditoribus mandare ac præcipere non solitos, quod ex Cypriani Operibus & Origenis Homiliis probat. Secundò, in Homiliarum ad plebem sacrarum limine Concionatores Latinos Divam Virginem passim ac fere semper invocare: Primi verò ad quartum sæculum Christianismi Doctores Deum sanè & Christum, & Spiritum Sanctum, in principiô, & in medio, & in calce suorum apud populum Tractatuum, crebrò; Virginem, cum Divis, nullâ in parte invocasse: quod ex Origenis Homiliis probat. Tertiò, quòd Litaniæ, sive supplicationes ad Divos, quæ in Ministrorum Ecclesiasticorum Ordinationibus, Regum Coronationibus, in Ecclesiarum & Altarium Consecrationibus, Reliquiarum depositionibus, Pœnitentiæ actibus, Quadragesima, in siccitatibus, mortalitate, bello, energumenorum curationibus, quæ nunc à Latinis diligenter usurpantur; vetustissimis Christianis in hujusmodi locis atque temporibus planè inusitatæ ac incognitæ fuerint. Quartò, quòd vetustissimi ante quartum sæculum Christiani Scriptores, tum in iis quæ de Martyrum vita Encomiastica ediderunt, tum in aliis suis Operibus, Deum quidem sæpe invocant ad opus conficiendum, vel ei pro confectô gratias agunt; Divos neutrô unquam in loco, quod nunc

Ecclesiastici

Ecclesiastici Latinorum Scriptores pene omnes faciunt, appellasse reperiuntur.

Respondeo, Modum invocandi Sanctos, ut scilicet, hoc vel illo ritu, his & illis temporibus, aut locis invocentur, meræ disciplinæ rem esse, quæ mutationi obnoxia est. Quæstionem verò de invocatione ipsa per sese spectata, utrum licita sit, religiosa, & utilis, rem esse dogmatis, & fidei quæ adeo *immobilis est*, *& irretractabilis*, ut Tertulliani verbis utar. Quamobrem etsi Virginem Deiparam, vel Sanctos è suggestu, & in Homiliis suis, aut Tractatibus ad populum, aut in suis Libris, non invocaverint trium priorum sæculorum Patres; quamvis nullæ tunc fuerint Litaniæ; quamvis Orationes illæ ad Sanctos tam frequentes, quales in Breviariis nostris habemus, nondum editæ essent; non sequitur quòd nulla esset apud Veteres Sanctorum invocatio. Enimverò sicut gentibus omnibus persuasum semper fuit, honorem singularem & eximium Regibus esse deferendum, nec tamen idem fuit semper hujus honoris exhibendi ritus, aut etiamnum idem est ubique gentium; Ita etsi primis Christianismi sæculis vel non ita frequens, vel non eodem ritu factitata legatur Sanctorum invocatio, certissimum tamen fuit Christianis omnibus, invocationem Deiparæ Virginis, & Sanctorum, esse religiosam, & utilem. Quô positô dogmate, liberum Ecclesiæ fuit novas preces ad imploranda Sanctorum patrocinia edere, novóque illas ritu ordinare; ac certum supplicandi modum certis etiam temporibus, & pro certis rebus decernere.

Objicit Dallæus, B. Virginis cultum religiosum nullum apud Christianos ante quartum sæculum fuisse. Carpit pium Fidelium morem, Jesum & Mariam insimul invocantium, & in voces illas identidem erumpentium, cùm aliquid subitum & inexpectatum occurrit: *Jesus, Maria*. Salutationem Angelicam aggreditur, quam lepido suo loquendi more vocat *Quintum Latini Christianismi elementum*. Litanias, & Officium ejusdem sacratissimæ Virginis arrodit. Prosam singularem perstringit, cujus nonnulla verba describit ex Missali editô Parisiis anno 1635. & illa præsertim criminatur: *O felix puerpera, nostra pians scelera, jure matris impera Redemptori*. Post hæc ad Marianum Psalterium se convertit, quod S. Bonaventuræ adscriptum est. Quô in librô, inquit, omnes Davidis hymni ad Divam Virginem crassô quodam pinguique artificiô detorquentur, & quæcumque Hebræus Vates de Deo cecinerat, in hanc ferè transcribuntur. Quærit deinde Dallæus à Latinis, quod Epiphanius à Collyridianis, nimia & ipsis in eamdem Virginem devotione peccantibus: *Quænam Scriptura de hoc cultu enarravit? Quis Prophetarum unquam vel mulierem adorari, nedum hominem permisit?* Atqui Scriptura de illo Latinorum in Beatam Mariam cultu, non magis quàm de Epiphanianorum Collyridianorum placentis ac sacris quidquam uspiam dicit. In Actibus Apostolorum, in Pauli Epistolis, & aliis quæcumque sancto Canone censentur, nullum de Virginis Matris *hyperdulia* verbum reperies. Addit Dallæus, Veteres Beatam Virginem *Dominam suam*, aut *Cæli Reginam* imò nec *Beatam* plerumque nominasse, sed *Mariam Virginem* simpliciter appellasse. Ad hæc, de septem Mariæ festivitatibus anniversariis altum esse apud Veteres silentium. Nullam fuisse apud eos Sabbati observationem ad Divæ Virginis honorem, sive cantu, sive jejunio constantem. Neque Salutationis Angelicæ nullum apud vetustissimos trium priorum sæculorum, sed ne apud quarti quidem sæculi Auctores usum deprehendi. Signum quod æris campani sonitu ter quotidie Christianos ad Virginem eâ Salutatione adorandam vocat, frustra apud Majores quæri.

Beatæ Virginis Deiparæ Mariæ cultus

Respondeo, Deiparæ Virginis cultum, qui quarto & quinto sæculo in Ecclesia solennis fuit, à trium priorum sæculorum Patribus traditum fuisse & propagatum, qui illum ab Apostolis dubio procul acceperant, secundùm celebrem illam S. Augustini regulam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi autoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*. Cùm enim subitò mutatam fuisse Ecclesiæ fidem, nullò reclamante, incredibile sit, & quartô quintóque sæculo celebris esset in Ecclesia Mariæ Virginis sanctissimæ & Deiparæ cultus, rectè colligitur Christianos trium priorum sæculorum credidisse B. Mariam Virginem religiosô cultu prosequendam esse, & sacrâ prece venerandam. Certè cùm tempore sanctæ Synodi Oecumenicæ Ephesinæ, universa Ecclesia beatissimam Virginem religiosè coleret, cùm sub ipsius nomine templa Deo consecrata essent, Synodusque ipsa congregata fuerit in Majori Ephesinæ urbis Ecclesia, *Quæ appellabatur Maria*, (ut ex Actis patet) cùm dies festi, & solennes conventus in ejus laudem celebrarentur, ut probat Homilia Procli Cyziceni Episcopi habita Constantinopoli in Magna Ecclesia, sedente Nestorio, quæ sic habet: *Virginea Panegyris, frequensque ac celebris hic conventus, festâ hac luce linguam ad laudem provocat... Ecce enim & terra, & mare Virginem honorant... Sacra Deipara Maria in unum nos cogit*, &c. Necesse est aut Ecclesiam universam Idololatriæ & superstitioni fuisse addictam, & priscam fidem deseruisse, quod vel cogitare impium est: vel eamdem fuisse vetustissimorum Christianorum, qui tribus primis sæculis vixerunt, de cultu B. Virginis Mariæ, déque illius invocatione fidem, ac eorum qui quartô & quintô sæculo Christi nomen confitebantur & adorabant, Ecclesiæque gremio fovebantur. Ut autem iisdem ritibus, observantiis, precibusque cultus ille constaret, nihil necesse est, cùm hæc disciplinæ sint, & constitutâ fide ipsius cultûs & invocationis Deiparæ secundùm substantiam, & ut per sese spectatur, modum eorum multiplicem & varium statuere, vel recipere potuerit Ecclesia, diversosque sacræ erga Dei Matrem observantiæ ritus approbare, quos ad Christianam pietatem promovendam, & fovendam judicat idoneos. Quamvis itaque nec B. Virginis Officium, nec Litaniæ, nec Rosarium, nec Angelica Salutatio, cum illâ, quæ Ecclesiæ auctoritate, & publicô usu contexta ipsi est postremis sæculis coronide; nec Sabbatarium in honorem ejusdem beatissimæ Virginis jejunium, ac devotio; nec æris campani sonitus ad Angelicam Salutationem; nec septem B. Virgini sacræ Festivitates annuæ, in Veteri Ecclesia institutæ essent; (Quarum tamen nonnullæ antiquissimæ sunt) Quamvis, inquam, hæc omnia Christianæ pietatis & observantiæ erga Sanctissimam Dei Matrem officia, quorum in origines impræsentiarum inquirere, nec opus est, nec per tempus licet, apud Veteres solennia non fuerint, non sequitur (quod ineptè Dallæus colligit) Beatæ Virginis cultum religiosum apud priscos Christianos, ante quartum sæculum, nullum fuisse.

religiosus & invocatio contra Dallæum & alios Hæreticos defenditur.

Priùs verò debebat ostendere Dallæus, hæc pietatis Christianæ officia erga Sanctissimam Virginem mala esse, & Verbo Dei, legique divinæ repugnantia, quàm illa contemptim traducere; quod cùm præstare non potuerit, evidens est ipsum odio mero & plusquam hostili in gloriam Deiparæ Virginis illa impugnare. Dicant enim qui his Dallæi næniis delectantur Calvinistæ, ubinam verbum Dei, aut divina lex prohibet Angelicam Salutationem recitari, Officium, aut Litanias in honorem Dei Genitricis persolvi, quibus ejus advocatio imploretur; festos dies ad ea commemoranda beneficia, quæ Deus ipsi, aut per ipsam hominibus contulit, dicari; &c. Si nulla Dei lege hujusmodi preces, aut observantiæ prohibentur, inique adversùs Catholicos oganniunt, quasi violatæ legis

Dei

Dei reos : *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio* (inquit Apostolus.)

Æqualis honor & adoratio Jesu Filio & B. Mariæ Virgini non defertur, quamvis simul honorentur & invocentur.

Sacra illa salutiferaque nomina, *Jesus*, *Maria*, ex singulari erga Filium & Matrem Virginem veneratione & amore proferre, quis nisi insanus, vel impius vitio vertat ? Eorum nomina cum reverentiâ proferre, quos colimus, & diligimus, bene instituti animi est. An igitur Jesu nomen *In quo omne genu flectitur*, & *in quo nos oportet salvos fieri*, venerari, & invocare nefas erit ? An Mariæ Virginis dulce nomen, quæ Jesum Dei Filium nobis peperit, subjungere, & ob Filium colere piaculum erit ? Sed (inquiunt Heterodoxi) eodem cultu Latini Jesu & Mariæ nomina prosequuntur. Hæc verò insignis calumnia est : *Dominum Jesum adoramus, Mariam Deiparam Virginem honoramus*. Nec æqualis honos Filio & Matri impenditur eò quòd amborum nomina connectantur : sicut nec septem Spiritibus, id est

Apocal. 1. 4.

Angelis, idem honor ac Deo deferebatur à S. Joanne, licet eos cum Deo appellaret, *Pacem* adprecatus, *& gratiam ab eo qui erat, & qui est, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*. S. Elisabetha Mariæ, & Filio, quem in utero gestabat, unâ serie unoque ritu benedixit, dicens : *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Nec tamen Filio Matrem coæquavit : Cur igitur nos Mariam Christo coæquare occinunt Calviniani Ministri, quia Jesum & Mariam simul colimus & invocamus, ac utriusque nomina venerabundi proferimus ?

Angelica verò Salutatio, *Ave Maria*, an aliquid sonat à pietate alienum ? Voces Angelicas repetere, verba quæ Elisabetha Spiritu Sancto repleta protulit, usurpare ; Evangelicis vocibus Virgini Matri gratiæ plenitudinem, Domini inhabitationem ac divinam Maternitatem, benedictionem præ mulieribus universis eximiam in virginitate fœcundâ gratulari, fructum ventris ipsius Jesum collaudare ; eam denique patronam & advocatam adhibere, sive ejus interventionem, nunc & in horâ mortis postulare : quis pium esse negat, nisi Christianæ pietatis professus hostis ?

Prosa, quam Dallæus allegat, ut invidiam faciat Catholicis, quasi B. Virginem Filio imperare putemus ad Patris dexteram sedenti, non est ab Ecclesia probata, & quibusdam tantùm Missalibus olim inserta est ; ejus Auctor ignotus ; nec diu in usu fuit : quamquam innoxius esset iste loquendi modus ; *Jure Matris impera Redemptori*. Quemadmodum enim Scriptura ait *Deum obedisse voci hominis*, quando orante Josue Sol stetit ? ita Filium Matri obedire, Christum Virgini, aliquo sensu dici potest, ipsamque jure Matris Filio imperare. Non enim ibi sumitur propriè imperii nomen, quale est Domini jubentis, sed ut significat orationem ac postulationem efficacem, & certam, ex ingenti ac singulari fiduciâ, quæ omnino quodcumque vult obtinet. Hoc sensu B. Petrus Damiani *Sermone* XLIV.

Mariæ Virginis intercessio apud Deum potentissima.

qui est primus de Nativitate B. Virginis, dixit, ipsam Deiparam compellans : *Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tuâ carnis suscepit originem ? Accedis enim ante illud aureum reconciliationis humanæ altare, non solum rogans, sed imperans ; Domina, non ancilla.*

Hoc sensu & S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus longè ante Petrum Damiani scripserat in Oratione de Dormitione Deiparæ : *Tu verò*, inquit ; *maternam vim apud Deum obtinens, iis qui supra modum peccant, supra modum veniam conficis. Nec enim fieri potest ut non exaudiaris : quoniam tibi ad omnia, & per omnia, & in omnibus Deus, tanquam vera & immaculata matri suæ obedit.*

A Psalterium beatæ Virginis, quod sub Sancti Bonaventuræ nomine circumfertur, in usu publicô Ecclesiæ nec est, nec fuit unquam : nec ejus auctoritate vel editum, vel solemniter probatum est. Privatus est vel S. Bonaventuræ, vel alterius viri pii fœtus, ingenii, pietatisque exercendæ causâ subsecivis horis editus. Quem tamen Dallæus iniquè sugillat, cùm Deum laudet in Virgine Matre, nec verba omnia & versus singulorum Psalmorum Deiparæ accommodet, sed quæ ipsi salvâ Filii gloriâ & majestate tribui possunt ad eximiam ejus dignitatem prædicandam, & ad ejus interventionem apud Deum po- B stulandam. Hunc enim in scopum totum illud Marianum Psalterium collineare, legentibus patet. Certè præter vulgatos quatuor Scripturæ sacræ sensus, literalem, allegoricum, moralem, & anagogicum, Theologi omnes accomodatitium noverunt, cujus non in dogmatibus quidem confirmandis, sed in concionibus ad populum, præcipuè in Panegyricis orationibus frequens est usus, ut ex Veterum etiam Sermonibus & Orationibus liquidò constat. Quidni ergo & in precibus ad B. Virginem vel Sanctos di- C rectis, Psalmorum verba, vel alii Scripturæ versus usurpari possint, quod & in publicis Officiis Ecclesia præstat ? Non enim ideò transcribuntur in Virginem Dei Matrem, vel in Sanctos, quæ de solo Deo dicta sunt : sed communicata cum B. Virgine, vel cum Sanctis, gratiæ beneficiô, significantur dona quædam, quæ Deus cum amicis suis communicat, & quæ in Deiparam Virginem liberalissimè profudit : cui non *Per partes*, ut *singulis Sanctis*, sed *se totam dedit gratiæ plenitudo* ; ut ait S. Petrus Chrysologus *Sermone* CXLIII.

Sed stupenda est Dallæi cæcitas, & execranda ipsius & consectaneorum Ministrorum malitia, qui Fi- D delium, non Latinorum duntaxat, (ut falsò supponit Scriptor ad vulganda mendacia audacissimus) sed & Græcorum devotionem & observantiam erga beatissimam Virginem ; quam Doctorum, Patrumque ex illâ Ecclesia penè omnium, Conciliorum Acta, & Euchologia ac Menæa testantur, cum Collyridianorum superstitione invidiosè comparant. Contra quos quidem pugnant laudata S. Epiphanii verba, ut qui Mariam Virginem instar numinis cujusdam adorarent, eique placentas per mulieres ad id sacrificii genus destinatas offerrent : sed cultum ejusdem beatissimæ Virginis divinô inferiorem, eô verò, qui cæteris Sanctis defertur, præstantiorem, non impugnat : quem Scriptura sacra E satis adstruit, hôc ipso quòd eam *Matrem Jesu Filii Dei* esse docet. Amplissima enim illa & propè infinita Matris Dei dignitas, cultûs illius eximii fundamentum est, quem Deiparæ Virgini exhibet Ecclesia ob singularem illius supra Sanctos omnes excellentiam. Quem cultum *hyperduliam* ; quasi supremi gradus venerationem & observantiam, infra eam quæ soli Deo debita est, & exhibetur, Theologi non absurdè appellant.

Deiparæ Virginis singularis excellentia & eximia dignitas quæ singularis ejus & eximii cultus fundamentum est, quem hyperduliam vocamus, à Patribus summo cum elogio prædicatur.

Illam verò Deiparæ Virginis singularem excellentiam & eximiam dignitatem, quæ singularis etiam & eximii cultus fundamentum est, Veteres F Patres exquisitô præconiô commendarunt. S. Irenæus *libro* 5. *cap.* 19. per Beatæ Virginis obedientiam salutem nos adeptos esse asserit, eamque Evæ, sive humano generi in ipsâ, advocatam esse factam. *Quemadmodum enim illa per Angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus : ita & hæc per Angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est ut effugeret Deum ; sic hæc suasa est obedire Deo, uti Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem : æquâ lance disposità, virginalis inobedientia per virginalem obedien-*

Virgo Maria Evæ advocata.

 tiam

tiam. Adhuc enim Protoplasti peccatum per correptionem Primogeniti emendationem accipiens, & Serpentis prudentiâ devictâ in columba simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per qua alligati eramus morti. Quem locum magna ex parte describens S. Augustinus *lib. 1. contra Julianum*, suum fecit.

Maria universo generi humano causa salutis.

Idem S. Irenæus *lib. 3. cap. 33.* Mariam generi humano causam salutis factam esse, absque ambagibus asserit. *Sicut*, inquit, *Eva inobediens facta, & sibi, & universo generi humano causa facta est mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obaudiens, & sibi, & universo generi humano causa facta est salutis.* Et infrà: *Sic autem Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligavit Virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem.*

Ejusdem sanctissimæ Virginis eximiam excellentiam Tertullianus commendat libro *de Carne Christi*, cap. 17. *Deus*, inquit, *imaginem & similitudinem suam, à diabolo captam, æmula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ: ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Sed Eva nihil tunc concepit in uterô ex diaboli verbo: Immò concepit. Nam exinde ut abjecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli illi semen fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam; contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel interemptorem suum, salvum quandoque præstaret. In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet.*

Quod Eva credendo deliquit, Maria credendo delevit.

Hæc salutatio, Ave gratia plena, soli Mariæ servabatur.

Origenes eamdem commendat Homilia 6. *in Lucam*, ubi Salutationem Angelicam exponens, sive verba quibus Gabriel Archangelus mysterium Incarnationis Beatæ Virgini annuntians, eamdem compellavit: *Ave gratia plena*, ait se hujusmodi sermonem alibi in Scripturis non legisse. *Soli enim Mariæ hæc Salutatio servabatur. Si enim scisset Maria & ad alium quempiam similem factum esse sermonem (habebat quippe Legis scientiam, & erat sancta, & Prophetarum vaticinia quotidianâ meditatione cognoverat) nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset.*

S. Gregorius Neocæsariensis, Homilia 1. *de Annuntiatione B. Virginis*, vel alius istius Homiliæ antiquissimus Auctor, Deiparæ gloriam piis illis exclamationibus celebrat: *Ave gratia plena, Dominus tecum. Tuum enim verè est ut aveas, gaudeasque; quod tecum divina gratia, uti novit, habitaculum elegit: cum ancilla, Rex gloriæ; cum speciosâ, speciosus formâ præ filiis hominum: cum impollutâ, qui sanctificat universa. Tecum, ac ex te Deus, homoque perfectus: Ave gratia plena, fons lucis, quæ illuminat omnes in ipsam credentes. Ave gratia plena, spiritalis Solis Oriens, & flos vitæ immaculatus*, &c.

Maria Virgo vas omnium miraculorum.

Homilia verò III. Beatissimam Virginem *Omnium Vas miraculorum* vocat, quam & his appellat verbis: *Tua sanè laus, ô sanctissima Virgo! omnem prorsus laudem excedis, ob eum scilicet qui ex te Deus carnem induit, ac homo natus est. Tibi omnis calestium, terrestrium, ac infernorum natura, convenientem cultum ac venerationem adhibet. Tu enim verè Thronus Cherubicus facta es. Tu in summis spiritalis Regiæ axibus, lucis splendore coruscas; ubi æternus clarificatur Pater, cujus nacta es obumbrantem virtutem; adoratur Filius, quem carne peperisti, laudum canticis celebratur Spiritus Sanctus, qui Magni Regis genus tuô in uterô operatus est. Tuâ operâ, ô gratiâ plena! Trinitas Sancta ac consubstantialis in mundo cognoscitur. Dignare ut nos quoque perfectâ gratia tua unà tecum simus participes.*

Ejus operâ Trinitas Sancta in Mundo cognoscitur.

Sanctus Ephrem Syrus Sermone de Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ laudibus, multis præclarisque honorum titulis illam exornat, atque hunc in modum invocat: *Sub tuum præsidium confugimus, ô sancta Dei Genitrix: Sub alis pietatis atque misericordiæ tuæ protege & custodi nos. Miserere nostri, qui sordibus peccatorum conspurcati sumus, qui sceleribus atque delictis quamplurimis Creatorem Deum nostrum & judicem universorum offendimus. Ne adversùs nos insolescat ac glorietur Satanas.... Non nobis est alia quàm in te fiducia. Ex ulnis siquidem maternis tibi dediti sumus, Domina nostra, tuique clientes appellati. Ne igitur à maligno Satana ad inferni portas abduci nos sinas. Tu enim noster es portus, ô Virgo intemerata, & pia auxiliatrix. Sub tua tutela & protectione toti sumus: Quare ad te unicam confugimus, suppliciter clamantes ac deprecantes, ne dulcis Filius tuus Salvator noster & vitæ omnium dator, ob plurima quæ commisimus scelera è medio tollat nos, miserabilesque animas nostras instar leonis diripiat, aut sicut ficum sterilem nos excidat. Obsecramus ut ad Christum securi pervenire possimus, aulasque illas Beatorum subire, ubi non sunt lacrymæ neque luctus, non vexatio, non molestia, non calamitas, non mors, non cruciatus, non locorum angustiæ, sed lætitia inexhausta, voluptas justorum maxima, deliciæ infinitæ, gloria & splendor.*

Deipara Virgo nostrum portus & pia auxiliatrix.

Et in alia ad Sanctissimam Dei Genitricem Oratione: *Adesto mihi nunc & semper ô Virgo Dei Genitrix, mater misericordiæ, benigna & clemens, in præsenti quidem vitæ cursu fervens protectrix atque auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus à me avertens, & in via salutis me constituens; ut in extremo vitæ articulo miseram meam animam conservans, & tenebrosos atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab ea procul repellens; in tremendo autem die judicii ab æterna me damnatione liberans: & postremò in numerum justorum me referens, atque inaccessæ Filii tui & Dei gloriæ me hæredem efficiens. Quod utinam per piam intercessionem tuam atque patrocinium, Domina mea, sanctissima Dei Mater, mihi & omnibus humiliter ad te recurrentibus, & spem totam in te figentibus, post hoc exilium concedatur, gratiâ, miseratione, & benignitate Unigeniti tui Filii, Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi.*

B. Virginis invocatio nunc & in hora mortis.

Sanctus Epiphanius *Hæresi* LXXIX. agens contra Collyridianos, æqualis esse flagitii ait beatæ Virginis dignitatem deprimere: aut plusquàm par sit, attollere; nullos ipsi, aut nimios honores deferre: proinde & Antidico-Marianitas, qui ipsi perpetuæ virginitatis gloriam inviderunt, & Collyridianos, qui ipsam pro Deo obtulerunt, esse pariter execrandos: sicut pariter damnati sunt Hæretici, qui Filio Dei contumeliam irrogarunt, ipsum à Patris divinitate abalienare conati: & illi qui, quò vehementiùs ipsum honorarent, eumdem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum commenti sunt. Certè si nullum cultum religiosum Deiparæ Virgini deferendum Sanctus Epiphanius existimasset, eaque fuisset Ecclesiæ fides, id statuisset imprimis contra Collyridianos. At contra, ipsam *Selectum quoddam vas atque eximium*, vocat, & *amplissimis honoribus affectam* asserit, *perinde ac reliquorum Sanctorum corpora, & si quid ad gloriam illustrius offerri* potest: *Quemadmodum Elias, Joannes, Thecla, cui tamen longè est anteponenda Maria, ob caleste illud Mysterium, quod in ejus uterô perfectum est.* B. Mariam ut Sanctos, sed tamen præ Sanctis, honore dignam Sanctus Epiphanius agnoscit, Quem cultûs religiosi gradum Theologi *hyperduliam* vocant. Tandem ubi Sanctissimam Virginem non esse adorandam confirmavit, legitimos ipsi honores vindicat. *Honoretur sanè Maria*, inquit, *Pater verò, Filius, & Spiritus Sanctus adorentur: Mariam adorare nemo velit.* Et infrà, in summam colligens

Æqualis est flagitii, Deiparæ, Virginis dignitatem deprimere aut plusquàm par sit extollere.

Maria Virgo sanctis omnibus anteponenda.

Maria honoranda Dominus adorandus.

ligens quæ hoc de argumento dixerat: *Maria*, inquit, *in honore sit, Dominus adoretur.*

A Maria Virgine vita in Mundum introducta.

Et *Hæresi* LXXVIII. Beatissimam Virginem cum Evâ conferens, ipsam humano generi causam vitæ salutisque fuisse asserit. *Hæc est*, inquit, *quam adumbravit Eva, quæ viventium mater quodam ænigmatis involucro nuncupatur. Siquidem Eva tam viventium appellata est mater, cùm jam illud audiisset: Terra es, & in terram reverteris, post admissum videlicet peccatum. Quod quidem admiratione dignum est, post illam offensionem tam præclarum ei cognomen attributum. Ac si exteriora duntaxat, & sensibus obvia consideres; ab eadem hac Eva totius est in terris humani generis origo deducta. Revera tamen à Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut & viventem pariat, & viventium Maria sit mater..... Eva Adamo, quem nudaverat, aspectabilia quædam vestimenta contexuit..... At Maria divinitus illud obtigit, ut Agnum nobis atque Ovem pareret: cujus ex splendore ac gloriâ, tanquam è vellere, per ejusdem virtutem immortalitatis nobis vestis sapienter est confecta.... Eva generi hominum causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta: Maria vitæ causam præbuit, per quam Vita est nobis ipsa producta.*

Sed nihil dici potest ad gloriam Virginis Deiparæ illustrius iis quæ idem S. Epiphanius scripsit in Oratione de laudibus ipsius, ubi ipsam vocat, *Thronum Cherubicum, cælum, & templum*, variasque profert dulcissimi nominis Mariæ interpretationes.

Mariæ nomen explicatur.

Mariam, inquit, *interpretari solemus, Dominam, atque etiam spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi. Rursus nomen illud, Maria, interpreteris, Myrrham maris. Myrrham verò aliquis dicet de immortalitate; eòquod paritura esset gemmam immortalem, in mari, hoc est, in mundo. Cui Virgo serenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Rursum itaque Maria beatum nomen interpreteris, Illustratam; utpote quæ illustrata sit à Filio Dei, & cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit. Sancta enim Virgo Maria est sponsa Trinitatis, ac planè arcanæ dispensationis thesaurus, cui Gabriel ait: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Suggessit Gabriel, Pater de cælo Spiritum Sanctum arrhabonem misit. Præparavit, despondit que Virginem unigenito Filio, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus Sanctus percupivit.* Tum addit, Prophetas cælestium illarum nuptiarum seriem prædicasse, *Numirum quomodo Virgo cælestis Sponsa & Mater simul invenitur, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum Sanctum accepit, dotis verò gratiâ, cælum unà cum Paradiso..... Gratia Sanctæ Virginis est immensa.*

Maria cunctos credentes illuminat.

Maria Virgo Sponsa Trinitatis.

Gratia Deiparæ Virginis immensa.

Verba salutationis Angelicæ exponuntur.

Angelicæ deinde Salutationis verba sic commentatur. *Ave gratia plena: immensa gratia sanctæ Virginis. Ave gratia plena, virtutibus multis exornata, inextinguibilem lucem velut accensâ face, luce splendidiorem prætendens. Ave gratia plena, hamus esca spiritalis: in te siquidem hamus divinitas. Ave gratia plena, arca gloriæ spiritalis. Ave gratia plena, urna aurea, continens Manna cæleste. Ave gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave gratia plena, mare spiritale, gemmam cælestem Christum habens. Ave gratia plena, splendidum cælum, quæ incomprehensum in cælis contines Deum.... Ave gratiâ plena, porta cælorum, de qua Propheta vociferatus est his verbis: Ecce porta clausa, & nullus ingredietur per eam*, &c..... *Quo pacto beatam illam prædicabo, quæ tota ac radicitus fundata gloria est? Solò enim Deo exceptò, cunctis superior est.... Lætabantur Angeli, tanquam ipsi duntaxat Deum haberent: quibus Sanctissima Virgo superior facta, habitantem in cælis Deum, in terra concepit, ut hâc ratione Angelorum exercitus hominibus consertos in terram traheret. Ipsa enim cæli & terræ Mediatrix, utriusque unionem conversit..... O Virginem, stupendum munus Ecclesiæ! Magnum mysterium! Sacerdotem pariter ac Altare indiguas Virginem, quæ cælestem panem Christum mensæ instar ferens, tribuit in remissionem peccatorum nostrorum.*

Ezechiel cap. 44.

Maria Virgo, solo Deo excepto, cunctis superior est.

Cæli & terræ Mediatrix Sacerdos & Altare.

Et infrà: *Dico illam esse cælum, thronum, simul & crucem: extendens enim sanctas ulnas Dominum portavit, Thronus Cherubicus, cruciformis & cælestis, de qua per Scripturas in cælos incumbo, & conspicio illam ab Angelis adorari. Hinc Gabriel imprimis salutat Virginem:* AVE *gratiâ plena.... Angeli accusabant Evam, nunc verò Mariam gloriâ prosequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, quæ lapsam Evam erexit, & Adamum è paradiso dejectum in cælos misit: quæ paradisum clausum aperuit, & per Latronem rursum Adamum complantavit. Per te enim, ô Sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissolvit: Per te pax cælestis donata est mundo, per te homines facti sunt Angeli, per te homines appellati sunt amici, servi & filii Dei. Per te homines fiduciam habent in cælo erga Altissimum? Per te crux resplendnit per universam terram: Per te mors conculcatur, & spoliatur infernus. Per te ceciderunt idola, & excitata est notitia cælestis: Per te cognovimus unigenitum Filium Dei, quem Sanctissima Virgo peperisti.*

Deipara Virgo cæterno & singulari honore ab Angelis colitur.

S. Ambrosius *libro* 2. *de Virginibus*, eximias sanctissimæ Virginis virtutes prædicat, eamque velut omnium virtutum absolutissimum exemplar proponit: nihilque in terris esse profitetur, quod ipsi dignitate non cedat. *Quid nobilius*, inquit, *Dei Matre? Quid splendidius eâ quam splendor elegit?*

Nihil ea splendidius.

S. Augustinus *libro de Sancta Virginitate, cap.* 6. Beatissimam Virginem Mariam non solùm Christi, sed & Christianorum omnium matrem esse asserit: quô utroque nomine, singularem præ Sanctis reliquis honorem, observantiam, & amorem promerita est eorum omnium qui Christiana censentur appellatione. *Maria*, inquit, *faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritaliter autem & soror, & mater. Ac per hoc una illa fœmina, non solùm Spiritu, veriùmetiam corpore & mater est & Virgo. Et mater quidem spiritu, non Capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo illa magis spiritaliter nata est; quia omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipsa est, rectè filii Sponsi appellantur. Sed planè mater membrorum ejus, quod nos sumus; quia cooperata est charitate ut Fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius corporis membra sunt: corpore verò mater ipsius Capitis.*

Maria Virgo Mater Capitis nostri, & membrorum ejus.

Antiquus Auctor libri tertii *de Symbolo ad Catechumenos*, S. Augustino adscripti, cap. 4. Evam & Mariam comparans: *Per fœminam mors*, inquit, *per fœminam vita: per Evam interitus; per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem: hæc integra peperit Salvatorem.*

Auctor Sermonis olim XVIII. De Sanctis inter Augustinianos, nunc in Appendice CXCIV. *Mater generis nostri*, inquit, *pœnam intulit Mundo; Genitrix Domini nostri salutem attulit Mundo. Auctrix peccati Eva; auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit.* Et infrà: *Admitte preces nostras intra sacrarium exauditionis, reporta nobis antidotum reconciliationis.... Quia tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te, Beatissima, nostrorum est exspectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam commemorationem.*

S. Cyrillus Alexandrinus qui Deiparæ dignitatem Beatissimæ Virgini adversùs impium Nesto-

rium vindicavit, elegantissimam in ejus laudem Orationem habuit Ephesi, in quâ ipsam frequenter salutat repetitò Deiparæ nomine, ipsamque vocat *Pretiosissimum totius orbis monile, columbam incorruptam, lampadem inextinguibilem, ex quâ natus est Sol justitiæ; locum ejus qui locò non capitur, per quam salvatur omnis spiritus fidelis.*

Per Virginem Deiparam salvatur omnis spiritus fidelis.

S. Proclus Episcopus Cyzicenus, in Homilia habita Constantinopoli ante Concilium Ephesinum, hoc præconio beatissimam Virginem exornat. *Sacra Deipara Maria in unum nos cogit. Hæc illibatæ virginitatis purus ille thesaurus, decusque. Hæc spiritalis secundi Adami paradisus: hæc unitarum inter se naturarum officina: hæc salutaris reconciliationis panegyris: hæc thalamus in quo Verbum humanam sibi carnem desponsavit; animatus natura rubus, quem divini partûs ignis non combussit: verè levis illa nubes, quæ super Cherubim sedentem in corpore suo gestavit: vellus mundissimum cælesti pluviâ madens, ex quo Pastor ovem induit. Maria, inquam, Ancilla & mater; Virgo, ac cælum; unicus pons per quem Deus ad homines descendit. Hæc admiranda illius œconomiæ tela, ex quâ ineffabili quadam ratione unionis illius tunica confecta est. Cujus quidem textor extitit Spiritus Sanctus; nutrix virtus ex alto obumbrans; lana, vetusta Adami pellis; trama, impolluta Virginis caro: radius textorius, immensa gestantis gratia; artifex, verbum per auditum illapsum.*

Maria spiritalis secundi Adami paradisus.

Idem Oratione V. (Tom. I. Auctarii Bibliothecæ Patrum Græco-Lat.) ADORATUR ET MARIA, *tamquam quæ Mater, ancillaque & nubes, thalamusque ac arca Domini effecta sit. Mater; Eum namque peperit qui voluit nasci. Ancilla; quippe naturam confiteor, & prædico gratiam. Nubes; concepit enim de Spiritu Sancto, quem illæsa integritate peperit. Thalamus; in ea etenim ut nuptiali thalamo Deus Verbum habitavit. Arca; non quæ Legem portaverit, sed quæ Legislatorem pepererit. Quapropter dicamus ei:* Benedicta tu in mulieribus, *quæ sola Evæ mœrori medelam attulisti: sola ingemiscentis absterseris lacrymas; sola redemptionis Mundi pretium portaveris: sola creditum margariti thesaurum acceperis: sola sine voluptate gravida effecta sis, ac sine dolore pepereris: sola Emmanuelem, quâ ipse voluit ratione, partu ediderís.*

Mariam eximio præ Sanctis omnibus honore coli S. Proclus docet.

Et Oratione VI. *Hæc oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiritus Sanctus Dominici corporis ramum accipiens, tempestate jactato humano generi, detulit, faustè de cælo annuncians pacem. Ipsa floridus ac immarcescibilis hortus, in qua lignum vitæ plantatum, universis liberè fructum immortalitatis præbet. Ipsa nova creatura cælestis globus, in qua sol justitiæ numquam occidens, omnem ab anima omni peccatorum noctem fugavit. Ipsa Virginum gloriatio; Matrum exultatio, fidelium fasticatatio; Ecclesiæ diadema; rectæ fidei expressa forma; pietatis signaculum, veritatis norma; indumentum temperantiæ; vestis virtutis; justitiæ munitio; Sanctæ Trinitatis domicilium.*

S. Petrus Chrysologus *Sermone* LXIV. quanta bona per beatissimam Virginem, ceu per Mediatricem, hominibus obvenerint, ita explicat. *Una,* inquit, *Puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitiô, ut pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsâ domûs exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat.* Ibidem. *Sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari.* Et Sermone CXLII. hæc salutantis Angeli verba, *Invenisti gratiam,* sic enarrat. *Quantam? Quantam superius dixerat; Plenam. Et verè plenam, quæ largo imbre tota funderet & infunderet creaturam. Invenisti enim gratiam apud Deum. Hæc cùm dicit, & ipse Angelus miratur, aut fœminam tantàm, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam.*

Maria Virgo largo imbre gratiæ totam creaturam infundit.

S. Basilius Seleuciensis, *Oratione in Annuntiationem*, beatissimæ Virginis dignitatem, potentiam, mediationem disertè commendat. *Ave gratiâ plena,* inquit, *castitatis florentissime paradise, in quô lignum vitæ plantatum, fructus salutis universis producet: Ex quô Evangeliorum quaternò initiô fons, miserationum flumina credentibus deducet. Ave gratia plena, Dei ac hominum mediatrix, quô medio pariete inimicitiarum sublatô, cælestibus terrena coëant, ac uniantur. Quis ergo ingentem Dei Genitricis potentiam non miretur? Quamque illa universis Sanctis, si quibus honorem habemus, emineat? Siquidem enim Deus tantam servis impertitus est gratiam, ut non solùm tacta ægros sanarent, sed & umbra ipsius projectu idem præstarent: quantam putandus Matri concessisse virtutem? An non multò præ subditis majorem? Planè liquet. Quid autem mirum Sanctos hactenus in humanis agentes, ac ambulantes, efficaces fuisse, quando usque iis demortuis, eorum terra pariter potentiam valuit occultare? Quamquam enim saxa eorum contegunt corpora, positis tamen in necessitatibus saluti esse possunt, modò illi digné ad eos accesserint. Quod si his miranda adeo patrare concessit, quale Matri nutritationis pretium dederit; ac quantis eam donis perornavit?* Denique his verbis Sanctissimam Virginem appellat; *O Virgo Sanctissima, ut quis honesta quæque ac gloriosa de te loquatur, haud quidem ille aberrabit à veritate, sed pro merito haud fecerit satis: Nos de supernis intuens, esto propitia, ut modò quidem regat in pace; in judiciô autem, ac pro tribunali illô, sine pudore, ac fiduciâ plenos adducens, ejus nos stationis, quæ à dextris est, participes faciat.*

Interprete P. Combefis.

Maria Virgo Dei & hominum Mediatrix.

Ingens Dei Genitricis potentia.

S. Anastasius Archiepiscopus Antiochenus Sermone 1. in Annuntiationem intemeratæ Deique Genitricis Mariæ: *Dei nostri Matrem,* inquit, *in hæc verba cum Gabriele salutemus: Ave gratiosa, Dominus tecum: quòd facta sit nobis salutis via; ascensusque ad superos, ac locus requietionis, refrigeriique tabernaculum, in quo Dominus habitavit.... Salve sis, Mater pariter ac Virgo, Vitæque cibus, ac fons immortalitatis: ex te enim Is prodiit, qui interemit corruptionem, ac mortem destruxit.*

Maria Virgo nobis facta est salutis via.

Hesychius Hierosolymitanus Presbyter in Sermone II. de Annuntiatione, illa verba Davidis: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ:* sic enarrat: *Tu & Arca sanctificationis tuæ; quæ haud dubiè Virgo est Deipara. Si enim tu margarita, illa meritò arca ac capsula. Tu cùm sis flos immarcessibilis, erit planè Virgo planta incorruptionis, paradisus immortalitatis. In quam Isaias hæc conspiciens, nuper vaticinio acclamabat, dicens: Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Ecce Virgo: Quænam? Inter mulieres præcipua, inter Virgines eximia ac singularis; præclarum humani generis ornamentum ac decus, luti nostri gloria; quæ Evam probrô, Adamum pœna liberavit: draconis libertatem abscidit: quam concupiscentiæ fumus non attigit, nec libidinis vermis violavit.*

Psal. 131.

Mariam Virginem concupiscentiæ fumus non attigit.

Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus, in Sermone de laudibus B. Virginis, plurimorum vaticiniorum figuris ipsam ab antiquo adumbrantibus, illam celebrat, ac salutat. *Ave gratia plena, Ave,* inquit, *quæ vulvam consecuta es ipsis quoque cælis capaciorem; quippe quæ illum, quem nec cæli capiunt, tu comprehendisti. Ave fons lucis, omnem hominem illuminantis. Ave Solis ortus, qui nullum unquam potest ferre occasum. Ave vitæ thesaurus. Ave hortus Patris. Ave pratum totius fragrantiæ Spiritus. Ave radix omnium bonorum. Ave margarita vera, omni pretio majoris. Ave vitis, præclarô onusta botrô. Ave nubes pluviâ Sanctorum irri-*

Maria fons lucis omnem hominem illuminantis.

gantis

gantis animas. Ave puteus aqua semper viva. Ave rubus igne spiritali ardens, qua tamen nusquam comburaris. Ave porta clausa, soli autem Regi aperta. Ave mont, ex quo angularis lapis sine manibus abscissus. His enim, atque aliis multis hujusmodi, cuncti Deo afflati in Mariam sigillatim acclamant. Et infrà, beatissimam Virginem Evæ opponens: *Quanam*, inquit, *verisimile est humani generis hostem ipsum secum loqui, qui nos modò per mulierem ad pristinam videat instauratos adoptionem? Nonne talia nunc dicit & lamentatur? Unde fit ut instrumentum illud quod mihi ab initio opitulatum est, nunc mihi adversetur? Opem tulit mulier ut humanum genus tyrannus addicerem; ac mulier tyrannide depulit. Exaltavit me antiqua Eva, ac Nova evertit.*

Per Beatam Virginem ad pristinam adoptionem instaurati sumus.

S. Andreas Hierosolymitanus in Sermone de Salutatione gaudii Angelica, sic beatam Virginem compellat: *Ave organum, per quod soluta est dirarum condemnatio, ejusque locò inducta gaudii justificatio. Ave verè benedicta. Ave magnificum divina gloria templum. Ave sacrâ molitione extructum Regis Palatium. Ave thalame, in quo Christus humanum sibi naturam desponsavit. Ave Deo electa antequam nascereris. Ave divina cum hominibus reconciliatio. Ave thesaure vita immortalis. Ave cælum cælo altius, Regis gloria domicilium. Ave Dei, qui nusquam capi possit, ac possit in te solâ, benè capax locus. Ave sancta virginalis terra, ex quâ novus Adam, ineffabili à divinâ fictione, veteri recuperando, susceptus est. Ave fermentum sacrum divina initiationis, quò tota humani generis massa conspersa, & ex uno Christi corpore in panis formata, in unam coivit novam concretionem. Ave indefectibilis gaudii parens. Ave nova gloria arca, in quâ Dei Spiritus descendens requievit. Ave aurea urna, eum ferens, qui Manna dulce fecit. Ave Seraphica forceps carbonis mystici. Ave perspicacis acutiorisque prascientia speculum, quô inclyti Spiritus Interpretes, Dei ad nos infinita virtutis demissionem mysticè perceperunt. Ave dioptra perspectiva, qua ii, qui in tristi peccatorum umbra tenebris obsiti essent, venientem de cælo cum gloriâ exortum suscipientes justitia Solem, mirabiliter illustrati sunt. Ave Prophetarum omnium, Patriarcharumque gloriatio.*

Maria Virgo hominum cum Deo reconciliatrix.

Maria Virgo fermentum divinæ initiationis.

Per Mariam Spiritus Sancti Interpretes Christi Mysteria perceperunt.

Leontius Episcopus Neapoleos Cypri Sermone v. pro Christianorum Apologia contra Judæos, laudato Actione quarta Septimæ Synodi Oecumenicæ: *Qui honorat Martyrem, Deum honorat: & qui Matrem ejus adorat, ipsi honorificentiam exhibet.*

Deiparæ Virgo religioso cultu eo quo deferuntur Martyribus, excellentiore, honoratur.

S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Oratione *de Dormitione Deiparæ Virginis*, de ipsius mediatione & intercessione multa habet, eaque egregia. Ita Christum ipsam alloquentem inducit: *Neque eos qui in mundo sunt, tua destitutos ope dimissura es: Sed sicut ego, cum de mundo non sim, eos qui in mundo sunt, propitiis intueor oculis ac providentiâ guberno; sic nec tua à Mundo usque ad consummationem auferenda protectio est. Ego te Virginem Matrem effici. Ego te quoque latantem super Filio matrem constituam. Mundum tibi debitorem prastabo, & emigrantis nomen tuum majori gloriâ collustrabo. Ego te mundi murum exadificabo; eorum pontem qui fluminibus jactantur; eorum, qui manu ducuntur, baculum; peccatorum Advocatum: scalam denique qua provehero in cælum mortales sufficiat.*

Deiparæ Virginis protectio à Mundo usque ad consummationem non auferenda.

Maria Virgo peccatorum Advocata.

Sic denique Deiparam Virginem invocat. *Memento servorum tuorum Christianorum. Cunctorum commenda preces; universorum statue spes, fidem confirma, Ecclesias ad unitatem cogo, Imperium trophais auge, exercitui auxiliare; mundum pace compone, cunctosque à periculis & tentationibus liberans, unicuique à damnationis reatu solutam prastari extra retributionis diem. Ad quem enim alium ibimus? Verba vita aterna habes, tua nimirum ad Deum pro nobis commendationis vota. Tu enim es qua feceris semper, nec unquam cesset facere nobiscum magnalia. Et sanctum est nomen tuum, quod ab Angelis & Hominibus, in omnes generationes generationum beatum pradicatur.*

S. Joannes Damascenus Oratione I. *de B. Maria Dormitione*, sic Deiparam appellat: *Usque ad regium Filii tui thronum pervenisti, perspicuè eum ac latè conspicient, & cum magna atque inenarrabili quadam libertate adstant, Angelis arcana quadam, atque omni dicendi facultate superior latitia, Patriarchis sempiterna oblectatio, perennis Prophetis exultatio; mundo benedictio, rebus omnibus sanctificatio, laborantibus requies, mæstis consolatio, ægrotantibus medicina, tempestate jactatis portus, peccantibus venia, omnibus poscentibus promptum subsidium.* Ab eodem Patre beatissima Virgo *Justitia fons, sanctitatis thesaurus, vera Domini Dei arca, spiritalis Novi Adami paradisus, vivum cælum, vita thesaurus, gratia abyssus, animata mensa, Novus liber, in quo, inenarrabili modo, Deus Verbum citra omnem manus operam inscriptus est, porta Dei, Spiritus thalamus, gratiarum Pelagus, Dei Genitrix, orbis universi salutis administra; Concha, qua cælitus ex divinitatis fulgetrô in utero concepit, & Christum ingentis pretii unionem peperit; divinum, ac vivum simulachrum, ad quod opifex Deus inventus est: Christianorum spes, firma salutis arrha, Mediatrix, Angelorum Domina, & rerum omnium conditarum hera* nuncupatur: *Ut qua simul & ancilla & mater summi illius Opificis extiterit.*

Maria Virgo gratiarum abyssus, Christianorum spes, Mediatrix, Angelorum Domina.

In Orat. de Nativit. & de Dormit. Deipara, & lib. 4. de Fid. Orthod. cap. 15.

Idem pater Oratione II. de Assumptione Dei Genitricis: *Oportebat*, inquit, Dei matrem ea quæ *Filii erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis ut Dei Matrem & ancillam adorari. Quamquam enim semper ita comparatum est, ut hareditas à parentibus ad filios devolvatur: nunc tamen sursum sacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim Filius Matri res omnes conditas in servitutem addixit.* Et Oratione III. de sacris Imaginibus, honorem cultumque eximium Deiparæ Virgini vindicat, medium inter Latriam quæ uni Deo debetur, & venerationem quæ Sanctis exhibetur; isto quidem superiorem & longè præstantiorem, illo verò inferiorem, alteriúsque generis. *Neminem*, inquit, *oportet ut Deum adorare, nisi eum qui natura Deus est: omnibus autem honorem debitum habere propter Dominum..... Solum rerum omnium Procreatorem & Opificem adoremus, & latria cultu veneremur, ut Deum naturâ adorandum. Adoremus & Sanctam Dei Genitricem, non tanquam Deum, sed ut Dei Matrem, quantum pertinet ad humanitatem. Adoremus etiam Sanctos, ut electos amicos Dei, & liberè loquendi cum ipso facultatem assecutos.* Eos qui devotionem erga Deiparam Virginem contemnunt, & muliercularum superstitiosularum otiosum negotium impiè vocant, qui ejus Imaginibus cultum religiosum abrogant; elogia quibus à Patribus & ab Ecclesia ornatur & laudatur impatienter ferunt; Eam eximio, singulari, proprioque cultu, secundùm Deum, præ Sanctis omnibus negant honorandam; illos (inquam) Diaboli partes agere, ejus ministros esse, S. Joannes Damascenus ostendit, referens Historiam ab Abbate Theodoro Æliota narratam, in Prato spirituali descriptam; quo etiam ex Libro Fides Catholica in Septima Synodo Oecumenica adversùs Iconomachos confirmata est. Narrat fuisse in Monte Olivarum strenuum quemdam Senem inclusum, quem libidinis dæmon oppugnabat. Hic cùm die quadam acriùs urgeretur, conqueri cœpit, & alloqui dæmonem in hunc modum: Et quando tandem me desines insectari? Recede jam à me, quem ad senectutem usque persecutus es. Cui dæmon sese oculis ejus perspicuum exhibens, Jura (inquit) nemini narraturum id quod dicturus sum tibi. Quòd si feceris, te ampliùs non oppugnabo. Senex autem per eum qui in excelsis habitat, juravit: Nulli patefaciam, inquiens, quod mihi dixeris. Tunc dæ-

Maria Virgo adoranda, ut Dei Matrem, præ Sanctis omnibus singulari & eximio cultus genere honoratur.

S. Joannes Damascenus, Orat. 3 de Imaginibus.

mon: *Hanc*, inquit, *Imaginem ne adoraveris*, & *ego posthac tecum bellum non geram. Imago autem illa Domina nostra Sanctæ Mariæ Dei Genitricis, Dominum nostrum Jesum Christum gestantis effigiem continebat. Vide* (ait S. Joannes Damascenus) *quem imitentur, & cujus Ministri sint isti, qui prohibent imagines adorari. Certè libidinis Dæmon maluit ut Senex Dominæ imaginem adoraret, quam ut in libidinis immundum crimen incideret, illud esse peccatum gravius sciens:* (utpote impietatis & hæresis, si Deiparam Virginem seu in se, seu in sua Imagine religioso cultu prosequendam non esse profiteretur, & Diabolo suadente contemneret Imaginem, & Sanctissimam Dei Matrem cujus erat imago: remque inutilem esse credens Beatæ Mariæ Virginis venerationem & cultum, cessaret potentissimæ Mediatricis & Advocatæ patrocinium coram sacra Imagine implorare, quo gratiam obtinuerat à Christo in hanc diem ad tentationem vincendam, ac deinceps erat impetraturus.)

Quid referam laudes, quibus eamdem Sanctissimam Virginem cumulat S. Hildephonsus Toletanus Archiepiscopus in Sermonibus de illius Assumptione? Quid ea commemorem præconia, quibus ipsam celebrat B. Petrus Damiani? Qui Homilia XLVI. in ejusdem Nativitate, ipsam vocat *Reginam mundi, fenestram cœli, januam paradisi, tabernaculum Dei, stellam maris, scalam cælestem, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit: & homo qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit.* Qui & in altera de Annuntiatione, ipsam ad nostri generis redemptionem Dei adjutricem quodam sensu, quatenus Redemptorem peperit, fuisse confirmat. *Statim*, inquit, *de thesauro divinitatis Mariæ nomen evolvitur; & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa, totum hoc faciendum decernitur: ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit.*

Maria Virgo Regina Mundi, janua paradisi.

Sicut sine Dei Filio nihil factum, ita sine Maria Virgine nihil refectum.

Idem beatissimæ Virginis Officium apud suos solenne fuisse testatur. *Exultate*, inquit, *in Domino, quia de Dominâ illâ sermo succedit, quæ singularem in cordibus nostris sibi vindicat principatum. Hæc est ad cujus nomen corpus humiliter inclinatis, cujus horis reverenter assistitis, cujus memoriam jugiter frequentatis.* Et in fine Sermonis: *Dulcis Dominus; dulcis Domina: quia ille Deus misericordia mea; hæc Domina mea, misericordiæ porta.*

Maria Virgo singularem in cordibus nostris sibi vindicat principatum.

Quid S. Anselmi loca insignia describam, cujus totus liber *de Excellentia B. Virginis Mariæ*, exscribendus esset, ubi ipsam vocat *Orbis perditi reparatricem, Dominam summam, & unicam dominatricem cæli & terræ, Reginam Angelorum?*

Maria orbis perditi Reparatrix.

Prætetire non possum Mellifluum Patrem S. Bernardum, qui in Homilia 2. super Evangelium *Missus est*, B. Virginis excellentiam, & beneficentiam in humanum genus disertè prædicat, eique Mediatricis apud Deum nostræ munus asserit. *Curre*, inquit, *Eva ad Mariam, curre mater ad filiam: filia pro matre respondeat: ipsa matris opprobrium auferat: ipsa Patri pro matre satisfaciat; quia ecce si vir cecidit per fœminam, jam non erigitur nisi per fœminam... O admirandam, & omni honore dignissimam Virginem! ô fœminam singulariter venerandam! super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!* Et postquam *Mariæ* nomen *Stellam maris* significare dixit, hæc subjungit: *O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare: ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis: respice stellam, voca Mariam. Si avaritia, aut iracundia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.*

Maria imperitum reparatrix, posterorum vivificatrix.

Maria in periculis, in angustiis invocanda.

Idem Epistolâ CLXXIV. *Valde honoranda est Mater Domini. Bene admones: sed honor Reginæ judicium diligit. Virgo Regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sanè integritatem carnis, vitæ sanctitatem. Mirare fœcunditatem in Virgine: Prolem venerare divinam. Extolle nescientem vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reverendam Angelis, desideratam gentibus, *Patriarchis Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inventricem, Mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia Regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, securus & teneo, & trado.*

Maria Mediatrix salutis.

Idem Sermone de duodecim prærogativis Beatæ Mariæ habito Dominica infra Octavas Assumptionis. *Jure*, inquit, *Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ ultra quàm credi valeat, penetravit abyssum: ut quantùm sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sanè & calidissimus hujus mulieris amictus: cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed ne subobscurum saltem vel minùs lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari... Quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est? Non incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videmur, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem invenire est in Maria prærogativas cœli, prærogativas carnis, prærogativas cordis; & si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus fortè stellas duodecim quibus Regina nostra diadema præfulgeat universis. Mihi sanè singularis rutilat fulgor, primò quidem in Mariæ generatione, secundò in Angelica Salutatione, tertiò in Spiritus supervenione, quartò in Filii Dei innenarrabili Conceptione. Sic in his quoque planè sidereum irradiat decus quòd Virginitatis primiceria, quòd sine corruptione fœcunda, quòd sine gravamine gravida, quòd sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, Martyrium cordis... Jam te, Mater Misericordiæ, per ipsum sincerissimum tuæ mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus Luna* Mediatricem sibi apud Solem Justitiæ constitutam devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amavit præ omnibus & ornavit.*

Maria Deo uncta & immersa, quantum sine personali unione creatura potest.

Duodecim gratiarum prærogativæ in B. Virgine Maria.

* Id est, Ecclesia.

Idem Mellifluus Doctor Sermone in Nativitate Beatæ Virginis Mariæ. *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam..... Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit Mediatorem.... An verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso Majestatem vereare divinam, quòd licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad*

Deus totum nos habere voluit per Mariam.

Mariam

Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reverentia sua, Exaudiet ut que Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.

Quidam Patres S. Mariam V. gignentem adorandam dixerunt latè sumpto adorationis nomine.

His subjungo Nicetam Chonistem libro xx. Thesauri Orthodoxæ Fidei. cujus Fragmentum in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis Tomo xxv. editum est, Ordinem exponens quo Saraceni ad Fidem Christianam conversi catechizantur & ad Baptismum præparantur. In Professione Fidei, post confessionem Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Christi, subdit Catechumenus: *Sanctam præterea Virginem, quæ illum in carne peperit, Dei propriè verèque Matrem esse credo & confiteor, eamdemque ut revera Dei qui homo factus est Matrem, atque idcirco Dominam & Reginam omnis creaturæ divinâ gratiâ effectam, adoro & veneror.* Hunc loquendi modum Græcis Patribus familiarem, non est cur rejiciant ac sugillent delicatioris fastidii, aut severioris criterii viri, Dei honorem imminutum iri, aut Mariam Virginem Deo coæquari existimantes, si adorationis & venerationis Christianorum objectum asseratur. Non una enim adorationis notio est. Non supremum dumtaxat Religionis cultum & honorem uni Deo debitum significat, quem Latriam vocamus; sed & religiosum cultum inferioris Ordinis, qui Sanctis hominibus vel Angelis exhibetur, & imprimis præstantiorem illum qui Virgini Dei Matri propter singularem excellentiam & incomparabilem dignitatem præ Sanctis omnibus tribuitur. In Ecclesia & pro Ecclesia scribebant vel loquebantur, qui adorandi verbum respectu Deiparæ Virginis usurparunt; non alio quam Ecclesiæ sensu. A Fidelibus intelligebantur, latè patens adorationis nomen pro ratione objecti determinari scientibus, ut vel latriæ cultum significet, cùm de Deo; vel inferioris ordinis cultum & reverentiam, cujus varii sunt gradus, cum de creaturis excellentiam aliquam à Deo consecutis dicitur. Quod egregiè S. Thomas explicat Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIV. Articulo I. in Responsione ad primum: *Deo*, inquit, *debetur reverentia propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur: non secundùm æqualitatem, sed secundùm quamdam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam: & alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam. Et quia ea quæ exteriùs aguntur, signa sunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est adoratio. Sed aliquid est quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium.* Unde S. Augustinus dicit lib. x. De Civitate Dei, cap. IV. MULTA *de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferrentur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera; ita tamen ut quibus ea deferrentur, homines, haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi: Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* SECUNDUM *reverentiam ergo quæ creaturæ excellenti debetur*, (inquit S. Thomas) *Nathan adoravit David. Secundùm autem reverentiam quæ debetur Deo Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem. Et similiter secundùm reverentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adoravit Angelos: secundùm autem reverentiam quæ debetur Deo, prohibitus est Joannes Angelum adorare.* Cæterùm hyperduliam, id est, potissimam duliæ communiter sumptæ speciem Beatæ Virgini deberi S. Thomas docet. *Maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum.* Nulla porro major cum Deo affinitas, quàm Deiparæ Virginis, cui singulari & incomparabili ratione Dominus inest, videlicet *identitate, quia idem est quod illa* (ut loquitur B. Petrus Damiani, Sermone XLIV.) *Honor igitur Matris refertur ad Filium* (inquit S. Thomas) *quia ipsa Mater est propter Filium adoranda.* Nomine adorationis cultum latriæ non intelligit Doctor Angelicus, quem disertis verbis ipsi exhibendum negat, cùm sit pura creatura; sed solam venerationem duliæ, eminentiorem tamen quàm cæteris, creaturis, quæ propterea *hyperdulia* vocatur.

Hester. 13.

Apoc. 19.

Secunda Secundæ, Quæst. 103. Art. 4. ad Secundum.

III P. Q. 25. A. 5. Resp. ad 1. & in corpore Articuli.

Vides conspirantes non Latinos tantùm, sed & Græcos, omnium ætatum Patres, ad Sanctissimæ Virginis excellentiam dignitatemque singularem & eximiam commendandam: quæ singularis etiam & eximii cultus fundamentum est, quem Theologi de Schola *hyperduliam* vocant? Vides plurimos, non mediæ tantùm ætatis, sed priorum sæculorum, cultum Beatissimæ Virginis, ejus pro humano genere mediationem & interventionem, disertè asserere? Vides plerosque Deiparam & *Dominam*, & *Reginam Angelorum* vocare, & *rerum omnium conditarum heram*? Incredibilis igitur est Dallæi cæcitas, qui Catholicos eo insectatur nomine, quòd Beatam Virginem *Dominam suam*, & *Reginam cæli* appellent: quod trium primorum sæculorum Patribus insolitum fuisse comminiscitur; quia paucis in locis, ubi obiter B. Virginis meminerunt, his eam non exornarunt nominibus. Quasi verò omnes honorum titulos, quos B. Virgini jure meritòque tribuendos censebant, congerere debuerint, ubicumque de ipsa sermo esset. Quamquam omnes complectitur *Mariæ nomen*, & *Matris Dei* appellatio. Nam *Mariæ* nomen (ut Epiphanius observavit) *Dominam* significat: & Domini, Regisque cælorum Matrem, *Dominam nostram*, & *Reginam cæli* salutare suadent honor & pietas quam Filio debemus. Si enim Regis terreni matrem, & conjugem, Reginas, & Dominas vocamus, stolidissimus est qui beatæ Virgini Dei Matri & Sponsæ, nomen honorificum *Dominæ*, & *Reginæ cælorum* invidet. Præ Dallæo, & similibus postremi hujus sæculi fæcibus, audiendus est S. Petrus Episcopus Ravennas, cognomento Chrysologus, *Sermone* 142. *in Annuntiatione B. Virginis*, in quô ait: *Dignitas Virginis annuntiatur ex nomine: Nam Maria Hebræo sermone, Latino Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis; quam nasci & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit & impetravit auctoritas.*

Audiendus S. Joannes Damascenus, *Oratione* 1. *de Dormitione Deiparæ*, in quâ sic ipsam compellat. *Tibi nos quoque hodiernâ die assidemus, ô Domina, Domina, atque iterum dicam, Domina, Dei Genitrix & Virgo, animas nostras ad spem tuam, non secùs atque ad firmissimam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes ac consecrantes, Psalmis & Hymnis spiritualibus, quantùm possumus, honorantes. Etenim; si, ut sacrosanctus sermo nos edocuit, honor is qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat, quo tandem modo studium te honorandi, quæ Dominum peperisti, negligendum erit? Annon illud vel necessario spiritui præferemus, ac vel etiam ipsi vitæ anteponemus? Hac enim ratione nostram erga Dominum benevolentiam luculentiùs ostendemus.*

Maria Virgo spes nostra post Christum.

Mariam honorando, nostrum erga Dominum amorem ostendimus.

Audiendus Leo Augustus, *Oratione in Annuntiationem*; in quâ Beatam Virginem ita compellat: *Rex tuam animæ pulchritudinem admiratus, Te sibi in sponsam delegit. Eâ de causâ nunc Tibi tanquam Reginæ ministramus, tuoque vultui supplicamus, tuæ gloriæ divitias abundè consecuti .... Jam ipsi quoque Angelorum populi dulce habent ut Tibi offerant laudem, utque ut Regis matrem, beatam prædicant; nec quidquam*

Obsequium Mariæ impensum, ad Filium transit.

pluris

pluris ducunt, quàm ut Tibi inserviant, cui impensum obsequium ad Filium transire compertum habeant.

Audiendus Theophanes Cerameus, Homilia LXIS. *Assumamne*, inquit, *apud Deum mediatores Sanctos, cum reliquos, tum præcipuè castissimam Dominam, velox, & inexpugnabile præsidium.*

Audiendus S. Andreas Archiepiscopus Cretensis, *Oratione* II. & III. *in Dormitionem Deiparæ*, ubi eam non semel *Dominam*, & *Reginam naturæ* vocat, & *commune mundi Propitiatorium.*

Maria Virgo Mediatrix apud Mediatorem.

Audiendus S. Bernardus in Sermonibus *de Assumptione* & alibi, eam vocans, *Reginam cælorum, Reginam nostram, Dominam, Matrem misericordiæ, Mediatricem apud Mediatorem.* Prætermittere non possum præclarum ejusdem Melliflui Doctoris locum ex Sermone II. in Festo Pentecostæ. *Christus*, inquit, *jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad Negotium sæculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, ut resarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Eò beatam te dicent omnes generationes, Genitrix Dei, Domina Mundi, Regina cæli.... Ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti, In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quicquid creaverat, recreavit.*

Maria Virgo Negotium sæculorum.

Domina Mundi, Regina cæli.

Eo ipsa, per ipsam, & de ipsa Deus recreavit quicquid creaverat.

Audiendæ totius Ecclesiæ Græcæ pariter & Latinæ voces, in sacris Officiis beatam Virginem, *Dominam nostram, Reginamque cælorum* salutantis.

In serie veterum, qui Deiparæ Virginis mediationem & invocationem confirmarunt, omisi Photium Constantinopolitanum, quòd inter Patres numerari non debeat vir nequitiâ non minùs quàm eruditione celebris. Ejus tamen non est prætermittendus insignis locus ex Oratione in Sanctissimæ Dei Genitricis Natalem. Quippe non est existimandus vir à Latina maximè alienus Ecclesia, & qui Latinis plurimos errores perperam & malevolè objectavit, singularem Latinorum traditionem de cultu religioso, & invocatione Deiparæ Virginis promovisse: Sed hanc ipsam in Ecclesia sua traditionem invenisse censendus est, in eàque fide summum agnovisse Latinorum cum Græcis, tum suæ ætatis, cùm veteribus consensum. Sic autem Beatam Virginem invocat. *Sed tu, ô Virgo, ac Verbi parens, propitiatio mea ac refugium; quæ mirabili ratione ab sterili edita es, mirabiliorique, spicam vitæ nobis edidisti; apud Filium tuum ac Deum nostrum intercedens, ac Mediatrix accedens, laudatores tuos ab omni sorde, omnique maculâ depurgatos, cælesti thalamo dignos effice.*

Maria Virgo mirabili ratione à sterili edita. Nostra apud Deum Mediatrix.

Lib. 5. de Relig. cultus objecto, cap. 4.

Apud Origen. lib. 1. contra Celsum.

Dallæi objectiones contra cultum Deiparæ Virginis re ponsæ.

Objicit Dallæus unum & alterum argumentum contra Beatæ Virginis cultum. Primum inde sumit, quod à Celso, cæterisque Paganis ejus ævi, nusquam nostris objecta fuerit Divæ Virginis hyperdulia, quam objecisset Celsus, si qua tum apud eos fuisset: maximè quò locò Judæum inducit beatissimæ Virgini maledicentem, ac Domino Jesu exprobrantem, *Quòd è vico Judaico sit ortus, è muliere indigena, paupercula, victum parante operis manuariis, quam ait ejectam à marito fabro materiario, quasi deprehensam in adulterio*; deinde narrat *à viro sic expulsam, & ignominiosè vagabundam, edidisse Jesum partu clancularió.* Sed & fictitii adulteri nomen & artem addebat, *Militem* quemdam fuisse, *nomine Pantheram.* Qui ergo hæc de Sanctissima Virgine eredebat & spargebat Celsus, non modò vilia & sordida, sed etiam turpia atque inhonestissima; ejusmodi mulieris cultum nostris erat exprobraturus, si Maria apud eos adorata fuisset. Atqui Celsus ne unum quidem totâ in nostros disputatione verbum facit de ullô Mariæ cultu. Omnino ergo confitendum est, nullam adhuc, ejus temporibus Christianorum fuisse in Divam Virginem hyperduliam.

Secundò Origenes, dum ad illam Celsi de Mariæ statu objectionem respondet, infandam quidem de stupro calumniam, ut decebat, refellit, & cæcæ adversariorum improbitati imputat, qui quòd Jesum Virgo peperisse dicatur, inde occasionem sumpserunt ejus ortum velut alieni & non legitimi seminis opus infamandi. Cæterùm paupertatem & humilitatem Mariæ, alteram criminationis partem, intactam prætermittit; neque ullis honoribus mitigat & consolatur, aut orbis Reginam, omniúmque bonorum largitricem asserit.

Tertiò. Cultum B. Virginis vetustissimis Christianis incognitum fuisse colligit Dallæus ex disputationibus S. Irenæi, & Tertulliani contra Valentinianos, qui Jesum per Mariam quidem natum esse, & per ejus uterum transiisse concedebant, sed negabant eum quidquam è Virgine accepisse. At si Mariam tota jam Ecclesia hyperduliâ colebat, nihil eo cultu ad hanc causam clarius ac validius afferri poterat. Cùm unica hyperduliæ ratio atque origo sit Mariæ dignitas; quæ scilicet Jesu Domini ac Dei nostri eò verè propriéque loquendo mater est, quòd non modò in ejus utero, sed etiam ex ipsius carne, Christi Jesu caro formata sit. Cùm igitur neque Irenæus, neque Tertullianus ullum de Mariæ hyperdulia in tota hac causa verbum fecerint, illam neuter scivit.

Denique & illud ejusdem est ordinis, quòd Origenes quemdam confutans in tantam insaniam progressum, *Ut assereret negatam fuisse Mariam à Salvatore, eo quòd post illius nativitatem juncta fuisset Josepho*; Divæ hyperduliam nullam illi objicit, objecturus utique, si aliquam novisset.

Respondeo, Celsum omnia Christianorum dogmata non novisse, ut mirum non sit, si ea ipsis non objecerit omnia, quæ objecturus fuisse videtur, si novisset. Neque enim contra baptismum objicit aliquid, neque contra Eucharistiam, objecturus utique si novisset. Christianos criminatur, quòd clancularios conventus habeant, nec commemorat, aut conjicit quid istis in conventibus ageretur. Libri ejus putidissimis in Christianos calumniis referti erant, qualis illa erat de Ophitarum erroribus, quos Christianis tribuebat, quòd scilicet Deum Creatorem execrarentur, quia maledixerat Serpenti, qui primis hominibus boni malique scientiam indiderat. Non mirum itaque quòd de B. Virginis Deiparæ eximio cultu, quem Scholastici *hyperduliam* vocarunt, nihil objecerit Celsus, præsertim cùm dogma de B. Virginis religioso cultu & invocatione, ut & alia plura Christianæ Fidei, vel Disciplinæ capita, Ethnicis ignota essent, eaque illis abscondere operæ pretium esset. Pessimè ergo Dallæus ratiocinatur, cùm nullum fuisse B. Virginis religiosum apud Christianos cultum colligit, quia nullum ipsis exprobrat Celsus. Si enim ipsam coluerunt, id in conventibus suis, aut domesticis precibus præstitere: in quibus quid ageretur, cùm nesciret Celsus, imò nec quid à nostris crederetur: unde doctrinam Christianorum *clancularìam* vocabat, non poterat dogma, & disciplinam de cultu & invocatione Deiparæ ipsis objectare. Certè nec Sanctissimæ Trinitatis, nec Incarnationis mysteria, & Christianorum de hisce fidem, Celsum novisse, constat ex ipsius objectionibus apud Origenem, quarum nulla Trinitatis mysterium petit: quæ verò Incarnationem pulsant, ostendunt ipsum ignorasse in quô positum esset adorandum illud mysterium

riom. Quamobrem longè verisimilius est, ipsum omnem religiosi cultus apud Christianos disciplinam perspectam & exploratam non habuisse; nec eorum fidem de cultu & invocatione B. Virginis & Sanctorum novisse. Quòd autem omnia Christianæ religionis dogmata non vulgarentur Paganis, sed multa arcana essent, ac solis Fidelibus tradita, ne ludibrio essent Ethnicis, aut eorum in nostros calumniis locum darent, colligitur ex Origene libro ipso primo contra Celsum. *Quoniam*, inquit, *sæpius nominat doctrinam clancularium: coarguendum est hoc quoque, quando per totum orbem notior est Christianorum prædicatio, quàm Philosophorum placita. Quis enim Jesum è Virgine natum & crucifixum ignorat? Quis Resurrectionem ejus multis creditam, & denunciationem judicii, reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus, & justis præmia? Quin & Resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus. Quæ cùm ita se habeant, perabsurdum est doctrinam hanc vocare clanculariam. Quòd verò quædam insunt, quæ non communicantur quibusvis: id non solum doctrinæ Christianæ proprium est, verùmetiam Philosophicæ. Nam & illi exteriorem, & penitiorem doctrinam habebant: & alii Pythagoram audiebant, contenti ipsius auctoritate: alii secretò discebant rationes non evulgandas in profanos, nondumque purgatos. Cætera quoque mysteria, quæ ubivis fiunt per Græciam atque Barbariam, nemo calumniatur eò nomine, quòd occultè fiant. Igitur & inconsideratè calumniatur Christianorum sacra clancularia.*

Quòd verò nec Celso, nec alteri Sycophantæ, qui B. Mariam à Christo negatam esse effutiebat, ejusdem Sanctissimæ Virginis cultum objecerit Origenes; nec Valentinianos Irenæus & Tertullianus eò impugnaverint argumenti genere, non probat cultum illum veteribus Christianis ignotum fuisse: sed nullam fuisse apud Ethnicos, aut Hæreticos illos istius argumenti vim: nec emunctæ naris accuratique ratiocinii viros eo uti potuisse ad Paganorum calumnias & blasphemias, vel Hæreticorum errores confutandos: cùm non magis Mariæ cultum approbaturi essent, quàm præcipua Religionis nostræ mysteria credituri. Sicut enim si adversùs Calvinianos realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam negantes, pugnaremus argumentò ex adoratione Eucharistiæ petito, quæ fit in Ecclesia universâ, nihil conficeremus; quia qui præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi sub Sacramento negant, consequenter negant adorandam Eucharistiam: ita qui adversùs Valentinianos disputans, argumentum ex cultu singulari & eximio B. Virginis desumptum intorsisset, non confodisset hujusmodi telo veritatis hostes; quia æquè negare potuissent illam eximiis hisce honoribus prosequendam esse. Vel dixissent, cultum excellentem illi deferri, quòd per eam Jesus natus esset, ac per ejus uterum transiisset: sicut Christi sepulchrum veneratione singulari dignum censetur, quamvis ex sepulchri substantiâ Christus ad vitam immortalem resurgens nihil sumpserit. Tandem si usi non sunt Patres eô argumentô adversùs Nestorium, qui Deiparæ dignitatem B. Virgini negabat; nec tamen inde colligi potest Ephesini tempore Concilii publicum ac solennem ejusdem Sacratissimæ Virginis cultum in Ecclesia nullum fuisse: colligi etiam non potest ignotam fuisse S. Irenæo & Tertulliano Fidelium venerationem & observantiam religiosam erga Beatam Virginem, quia totâ adversùs Valentinianos disputatione illius non meminerunt.

Hæc paulò uberiùs tractavi, ne tam præclarâ datâ occasione, officio venerationis, pietatis, amorisque erga Sanctissimam Virginem Deiparam meâ deessem. Cùm enim ejus patrocinio tanta debeam, quanta vix ullus Christianorum debet: siquidem me à teneris patre & matre orbatum, suæ sinu caritatis excepit, à periculis innumeris eripuit, in portum religiosæ vitæ, & in Ordinem ipsi singulari ratione addictum deduxit, ac multiplicium ingeniique, interventione suâ, mihi fuit auctrix gratiarum: cúmque ejus intercessione alias in dies à Christo sperem & precer, æquitatis & grati animi ratio postulabat ut Matri Dei, Dominæ, Reginæ, Mediatricique meæ potentissimæ, hoc servitutis obsequiique mei tenue pensum persolverem, ut cultum ipsius contra Hæreticos ipsius hostes pro viribus vindicarem. Suscipe Virgo Beatissima! hos pro tuâ gloria & honore asserendo devotissimi clientis tui conatus: mihique cùm in hoc absolvendo Opere, tum in omnibus Vitæ meæ actibus, tum maximè in mortis horâ, apud Jesum Christum Filium tuum Dominum meum, Redemptorem, ac Judicem, tuô, quod oro supplex, favere digneris patrociniô.

Laus Deo, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, In Maria Virgine, Filia Patris, Matre Filii, Sponsa Spiritus Sancti, Templo Sanctissima Trinitatis.



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SEXTI SÆCULI SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM.

De Piorum Persecutionibus, VI. Seculo.



UOD Hæreticis solemne est, ferro in Catholicos grassari, cùm viribus superiores sunt, sub Anastasii Imperio manifestum fuit. Nam Synodi Chalcedonensis defensores gravem passi sunt persecutionem, cùm ab ipso Imperatore, tum à Severianis, quorum Dux Severus, Judæorum conjunctâ manu, trecentos & ampliùs Monachos secundæ Syriæ interfecit, eorúmque cadavera avibus dilanianda projecit, multos in vincula conjecit, plurimos, dilapidatis ipsorum facultatibus, ex ædibus & civitatibus expulit, anno 517. B Id constat ex Libello Clericorum & Monachorum Antiochiæ, & Syriæ, lectô in Synodo Constantinopolitana sub Menna.

Imperante Justino, Cibades Rex Persarum Christianos afflixit, quorum plurimi linguis ipsius jussu præcisis locuti sunt. Brevis ea fuit persecutio: Nam postmodùm nostræ Religionis hominibus impensè favit. (Ex Nicephoro, *Lib. 16. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36.*)

Anno 522. Dunaam Tyrannus, Homeritarum finitimus regioni, religione Judæus, Negra Arabiæ civitate occupatâ, cives à Christi confessione abducere frustra conatus, penè omnes dirâ persecutione mactavit. In glorioso tot Martyrum agmine celeberrimus fuit, duxque cæterorum Arethas. C Adversùs Tyrannum Justinus opem Elesbaam, Æthiopum Regis Christiani, imploravit. Qui ipso cæso, copiísque illius profligatis, ac receptâ urbe, regionéque totâ, victoriam Cruci Christi acceptam ferens, relicto Regno, Monasticam Vitam amplexus, seipsum perennem victimam Deo in gratiarum actionem immolavit. (Ex Nicephoro, *Lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6.*)

Vexatum est in quibusdam etiam Occidentis regionibus, sæculo sexto, Catholicum nomen. Trasamundus Rex Vvandalorum, clausis per totam Africam Catholicorum Templis, sexaginta & am-

A pliùs Episcopos in Sardiniam exules deportari jussit, ut habet Auctor Vitæ S. Fulgentii. Ducentos viginti Paulus Diaconus, seu alius Auctor Historiæ Miscellæ, lib. 15. numerat. Byzacenæ duntaxat Provinciæ Antistites, quorum unus erat Fulgentius, Vitæ illius Scriptor videtur numerasse.

Sed & in Hispaniis à Leuvigildo Rege Ariano dira persecutio in Catholicos excitata est, quorum plurimos exilio, carcere, verberibus afflixit, variísque suppliciis trucidavit: Catholicos vi rebaptizabat, non Laïcos tantùm, sed & Sacerdotes. Eâ persecutione à Fide defecit Vincentius Cæsaraugustanus Episcopus. Hermenegildus Regis filius, & Vincentius Legionensis Abbas Fidem sanguine confirmarunt. Hæc sævit persecutio annis 583. & 584. de B quâ Gregorius Turonensis, *Lib. 5. Historiæ Francorum cap. 38.* & S. Isidorus in *Chronico*. De Martyrio verò S. Hermenegildi, legendus Gregorius Magnus *Lib. 3. Dialogorum, cap. 31.*

CAPUT II.

De Summis Pontificibus, qui Ecclesiam rexerunt Seculo VI.

ARTICULUS PRIMUS.

De Symmacho.

C ANnus Christi quingentesimus volvebatur, cùm Symmachum in Cathedra Sancti Petri jam ab anno & ampliùs sedentem, Schismaticorum factio magis ac magis vexabat. Afflictis ipsi criminibus, Visitatorem, qui de iis cognosceret, à Theodorico Rege petierant, obtinuerantque, Petrum Altinensem Episcopum. Is Romam profectus, nullâ Symmachum reverentiâ prosecutus est: Quod tamen Rex ipsi imprimis præceperat; nullam Ecclesiasticæ pacis curam gessit, sed à Schismaticis in partes tractus, turbavit omnia; ut testatur Ennodius Ticinensis, in *Apologetico pro Symmacho*.

Synodus in causâ Symmachi legitima non fuisset: nisi eius convocationi ipse præbuisset assensum.

Tumultus ut sedaret Theodoricus, non Ecclesiæ tantùm, sed Urbis pacem perturbantes, anno sequente congregavit Synodum, quæ Palmaris dicta est, consentiente Symmacho. Quod omnino necessarium fuisse, ut canonica Synodus esset, Patres, ut primùm congregati fuere, contestati sunt. Id ex Actis perspicuum est. *Memorati Pontifices*, inquiunt, *quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare; Scientes quia ejus Sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel principatus; Deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, et singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: Nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps, ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significavit. Unde à Mansuetudine ejus pagina postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat: Hasque dari Sacerdotibus sine tarditate constituit.*

Ingressus in Conventum Symmachus, Regi de Synodi convocatione gratias habuit, idque secundùm vota sua cessisse palàm testatus est: Et Synodo ordinis corrigendi auctoritatem dedit, sperans fore ut Visitator, qui contra religionem, contra statuta Veterum, à parte Cleri, vel ab aliquibus Laicis fuerat postulatus, ex ordinatione Antistitum statim cederet, sibique jura priùs restituerentur omnia, quàm causa sua disceptaretur. Æqua Pontificis postulatio Patribus visa, sed absque Regis assensu & auctoritate id executioni mandare impossibile. Causam ante cognosci ac judicari Theodoricus edixit, quàm patrimonium vel Ecclesias reciperet. Prima sessio habita est, & compertum fuit Schismaticos ad dicendum contra Pontificem testimonium, servos adduxisse, quos Canones, & Leges ipsæ sæculi non admittunt: Ipsumque irruentibus æmulorum suorum turmis malè fuisse exceptum, & vulneratos, qui ipsum comitabantur, Sacerdotes: Visum est his de rebus ad Regem referre. Qui respondit: *In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se, præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere; committens etiam potestati Pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium, sive nollent; quod magis putarent utile, deliberarent; dummodo venerandi provisione Concilii pax in civitate Romana Christianis omnibus redderetur.* Favente Principe, Synodus decrevit, ut Symmachi causa divino judicio servaretur, & ab æmulorum suorum accusationibus liber, purusque criminis declaratus, sacra ministeria obiret, omnibusque Pontificatûs Maximi juribus in Urbe, & extra frueretur: Clerici verò Schismatici, si Pontifici facerent satis officiis suis ex misericordia restituerentur. Quisquis verò absque ejus mandatis & assensu rem sacram faceret, Canonum subjaceret ultioni. Ista certa sunt ex Actis. Ex quibus pariter certum est, primò, hanc Synodum, quæ Avieno Seniore Consule consignatur, verè esse Palmarem, non eam quæ Avieno Juniore Consulatum gerente celebrata est, anno 502. & quæ vulgò Romana IV. sub Symmacho à Conciliorum Collectoribus inscribitur. Secundò, fictitiam esse Synodum alteram, quam iidem Collectores secundam inscribunt, anno 500. quam ex Anastasio Bibliothecario, in Vita Symmachi, eruere se putant: In quâ Symmachus ab affictis criminibus purgatus sit, & Laurentius Antipapa, necnon Petrus Altinas, Visitator à Theodorico datus, damnati fuerint. Si enim anno præcedenti Visitator ille fuisset in Synodo centum & quindecim Episcoporum damnatus, Pontifex in Synodo ista Palmari non dixisset, *Sperare se ut Visitator, ex ordinatione Antistitum, sicut decebat sanctum propositum, primâ fronte cederet.*

Rex Arianus causæ Ecclesiasticæ cognitione Synodo totam permittens, multis hodie Catholicis Regibus præbet exemplum.

In Actis Palmaris Synodi, examine dignum est quod dicitur, *Romanæ sedis Antistitem minorum non subjacere judicio.* Joannes Launoius parte 1. Epistolarum in Epistola ad Claudium Santeulium contendit, *Minorum* nomine non Episcopos, non Synodum intelligi, sed Romanos plures Clericos, Senatum, & populum, qui sese in Symmachi caussâ, ferventiori, quam par fuit, studio interposuerant: quo in argumento immaniter à vero aberrasse virum doctissimum, in Dissertatione singulari de potestate Romanæ Synodi in caussa Symmachi Papæ, demonstrabo.

Anno 502. Avieno Juniore & Probo Coss. Romæ Synodum alteram Symmachus habuit, cujus Decreto Lex Odoacris Regis, quâ edixerat, ne absque Regum Italiæ assensu Romani Pontificis electio fieret: nec ulla Ecclesiæ prædia, vel quævis alia bona, etiam mobilia, possent à Pontificibus alienari, sub pœna anathematis, missa in irritum est, ne tam pravo exemplo freti *quilibet Laici, quamvis religiosi, vel potentes, in quacumque civitate, quolibet modo, aliquid præsumerent de Ecclesiasticis facultatibus decernere, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur.* Suâ tamen & Synodi auctoritate statuit Symmachus, ut nulli Romanorum Pontificum, vel Presbyterorum qui Titulis erant præpositi, Ecclesiæ prædia quæcumque alienare, vel commutare liceret; nec etiam eorum usumfructum concedere, nisi Clericis, captivis, & peregrinis. Exceptæ sunt domus in urbibus constitutæ, quarum status non modicis expensis sustentatur. Has namque, acceptis justâ æstimatione redditibus, commutari, Synodus permisit. Alienantibus, accipientibus, nisi restituerint, & subscribentibus, inflictum anathema. Hâc in Synodo inter Antistites eminebant, Laurentius Mediolanensis, Petrus Ravennas, & Eulalius Syracusanus, vitæ sanctimoniâ, & Sacerdotali constantiâ conspicui.

Bonorum Ecclesiasticorū alienatio sub pœna anathematis prohibita Solis Sacerdotibus illorum administratio commissa.

Occasione criminis impacti Symmacho à Schismaticis, promulgata est, sive à Laurentio Mediolanensi (ut putat Cardinalis Baronius) sive à Rege Theodorico, ut alii existimant, egregia illa Constitutio, quæ Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, Concellaneos, omnium actuum suorum testes habere jubet. Sed à quocunque promulgata sit, Symmachi ipsius auctoritate lata est, ut hæc verba indicant: *Apostolicæ Sedis B. Petri, vel Præsulis ejus auctoritate Papa subnixi.* Constitutionis edendæ occasio significatur his verbis: *Cum Apostolicæ Sedis Præsulem, & omnium penè Ecclesiarum gubernacula tractantem, per proximi tumultûs incendium, inimicorum rabies tali ore momordisset.* Decreti verò hæc series est. *Nullum ergo Sacerdotum antiquis & modernis legibus obsequentem, nullumque Levitarum; sine bene probatâ volumus in quocumque loco manere personâ. Vel quem substantiæ exilitas non permiserit habere consortem, ipse Concellaneus fiat alterius. Publicum sit apud Religiosos omne quod geritur.... Multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli, quia qui testes habet, vult probari..... Certè vel si mens sit recti conscia, vindictâ dignus est, qui alii existit causa periculi. Confessor Ambrosius: Quanti, inquit, non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni? Suspicio ista est interitus suspicantis; atque non caret peccato, qui dederit.* Ista Constitutio legitur apud Ennodium.

Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Symmachus Papa Concellaneos habere statuit, omnium actuum suorum testes.

Cùm verò Schismatici Romæ adhuc tumultuarentur, & adversùs Palmarem Synodum, quæ Symmachum ab impactis criminibus absolverat, scripsissent, titulùmque Operi suo indidissent: *Adversùs Synodum Absolutionis incongruæ*: Quinta Synodus ab eodem Pontifice Romæ congregata, anno 503. Libello Apologetico, quem Ennodius Ticinensis Diaconus pro palmari Synodo Romana, & Symmacho ipso scripserat, quo Schismaticorum

objectiones

objectiones refellebantur, Synodicam contulit auctoritatem, illúmque inter Quartam & Quintam Synodos Symmachianas collocari jussit. Illâ in Synodo Sacerdotalis & Pontificiæ mansuetudinis insigne dedit exemplum Symmachus, cùm Patres damnationis Sententiam, in accusatores suos, obtrectatoréfque Synodi, à qua absolutus fuerat, mox laturos, pro iisdem rogavit. *Et licet*, inquit, *justè damnentur, propter misericordiam tamen conserventur, ut in nobis illa Domini declaretur sententia, quâ præcipitur ita fratribus dimitti, sicut sibi à Domino cupiunt dimitti.*

Symmachi mansuetudo & clementia.

Denique ut Pontificum honori consuleretur in posterum, Canones antiqui ab hostibus Symmachi, in ejus accusatione conculcati, restituti sunt, & confirmati, quibus cavetur, ne plebs adversùs Episcopum, adversùs Pastorem oves, accusando insurgant, nisi à recta fide exorbitaverit: & ne inimici, aut inimicorum domestici, vel suspectæ quævis personæ, ad accusationem Episcoporum admittantur: sancitúmque est, ut expoliatis Episcopis, quæ ablata fuerunt, restituantur priùs, quàm ipsorum causæ instituatur cognitio.

Judiciorum ordo restitutus.

Symmachus Anastasium Imperatorem, Acacii memoriæ, & hæreticis Chalchedonensis Concilii hostibus communicantem, & faventem excommunicavit. Quamobrem furore percitus Princeps, Libellum famosum adversùs Pontificem vulgavit, quô ipsum, inter alia convitia, Manichæum vocabat. Cui Libello respondit, Apologeticâ ad impium Imperatorem Epistolâ; in quâ de excommunicatione ipsius hæc habet: *Dicis, quòd mecum conspirante Senatu, excommunicaverim te. Ista quidem ego, sed rationabiliter factum à Decessoribus meis sine dubio subsequor. Nos non te excommunicavimus, Imperator, sed Acacium: Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis: Tu te noli miscere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus à nobis: si te misces, non à nobis, sed à te ipso excommunicatus es.*

Symmachus Anastasium imperatorem hæreticis communicantem & faventem excommunicat.

In eadem Epistolâ, Pontificiam cum Imperatoria dignitatem conferens, Pontifices Regibus superiores esse ostendit, illísque reverendos. *Conferamus autem*, inquit, *honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantùm distat, quantùm ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu, Imperator, à Pontifice Baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, Pœnitentiam rogas: postremò tu humana administras, ille tibi divina dispensat. Itaque ut non dicam superior, certè æqualis honor est.*

Pontifices Regibus superiores, illisque reverendi.

Denique Principibus parendum non esse docet, cùm aliquid adversùs Dei legem jubent. *Fortassis dicturus es, Omni Potestati nos subditos esse debere. Nos quidem Potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Cæterùm si omnis Potestas à Deo est magis ergo quæ rebus est præstitata divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterùm si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.*

Potestatibus humanis non parendum, cùm aliquid contra Dei legem jubent.

Rescissis quæ Anastasius Pontifex, ipsius Decessor in divisione Provinciarum Arelatensis & Viennensis, & in utriúsque juribus Ecclesiæ innovaverat, vel potiùs confuderat; antiqua Sedis Apostolicæ Decreta, præsertim Sancti Leonis, circa illarum statum, juráque Ecclesiarum observari jussit: ac Pontificibus nefas esse asseruit, Decessorum suorum statuta violare, in Epistola ad Æonium Arelatensem Episcopum datâ. *Nam dum*, inquit, *ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites Sacerdotium; quemadmodum priorum statuta à sequentibus convenit violari? Huc accedit, quòd ne sit sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam Catholicam Religionem credimus pertinere; cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint.*

Unum in omnibus Episcopis Sacerdotium.

Idem constat ex Epistola IX. ipsius ad Episcopos Galliæ, & ex Epistola ad Avitum Viennensem Episcopum, conquerentem de rescissione eorum, quæ in gratiam Ecclesiæ suæ constituerat Anastasius Papa. Respondet ejus querimoniæ Symmachus, se non retractaturum ea, quæ à Decessore suo hâc in caussa statuta sunt, si probaverit ipsum rationibus optimis ad hujusmodi innovationem impulsum: *Quia quod fit præter regulam, modò fit ex justâ caussa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione, & observanti diligentiâ sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum, de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset. Et sæpe crudele esset insistere Legi, cum observantia ejus esse præjudiciabilis Ecclesiæ videtur: quoniam Leges eâ intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant.*

Quod fit præter Regulam, modò fit ex justa caussa, illam non infringit.

Cæsario Arelatensi Episcopo postulante, varia sancivit Ecclesiasticæ Disciplinæ capita Symmachus. Primò rerum Ecclesiasticarum alienationem prohibuit, quas tamen tituló Beneficii ad vitam concedi permisit Clericis de Ecclesia bene-meritis, vel Monasteriis, vel peregrinis egentibus. *Nisi forsitan*, inquit, *aut Clericis, honorum meritis; aut Monasteriis, Religionis intuitu, aut certè peregrinis, necessitas largiri suaserit: sic tamen ut hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter, donec vixerint, perfruantur.* Secundò vetuit ne quis præmiis sacrum honorem mercaretur. Tertiò jussit ut Laïci per gradus, & servatis temporum interstitiis, proveherentur ad Sacerdotium. Quartò raptores virginum aut viduarum, à Communione suspendit. Quintò sacras Virgines aut Viduas, continentiam professas nubere vetat. Sextò prohibet ne quis ambitione ad Episcopalem dignitatem ascendat, aut pecuniâ, vel Potentum suffragiô. Ista constant ex Epistolâ V. Symmachi ad Cæsarium; in quâ Beneficiorum Ecclesiasticorum originem videmus in concessione possessionum Ecclesiæ bene meritis Clericis, quoad viverent.

Decreta Symmachi.

Beneficiorum Ecclesiasticorum origo.

Manichæos Apostolico zelo insectatus est Symmachus, quorum codices ante fores Constantinianæ Basilicæ comburi jussit, eosque Româ expulit, vel potiùs expelli obtinuit auctoritate Principis, Præfecti ministerio. Statuit ut die Dominicâ, & in Solennitatibus Martyrum, Hymnus *Gloria in excelsis* caneretur: qui antea in Missa tantùm nocturnâ Dominicæ Nativitatis cantari solebat, ex Telesphori Decreto, si vera sunt quæ tradunt Sigebertus in *Chronico*, & Innocentius III. *Libro 2. de Mysteriis Missæ, cap* 20. Hunc tamen Hymnum perperam Symmacho quidam adscribunt. Nam tempore S. Athanasii jam editus erat; siquidem ejus recitationem suadet Virgini, quam instituit, Lib. *de sancta Virginitate.*

Eximia fuit Symmachi Pontificis charitas. Captivos per Liguriam, Mediolanum, & per diversas Provincias, pecuniis redemit. Episcopis Africanis in Sardinia exulibus pecunias & vestes singulis annis subministravit. Basilicas Sanctorum complures Romæ à fundamentis erexit, instauravit, amplificavit, exornavit. De quibus legendus Anastasius Bibliothecarius, in ejus Vita. Obiit anno Christi quingentesimo decimoquarto, cùm Ecclesiam annis quindecim & mensibus octo sanctissimè rexisset: cujus nomen sacris Ecclesiæ Fastis XIV. Kalendas Augusti adscriptum est.

ARTICULUS II.

De Hormisda.

SYmmacho Papæ suffectus est Hormisdas. Is in Orientalem Ecclesiam, propter damnationem Acacii, à Romana & Occidentali universa dissidentem, ad communionem & unitatem revocandam totus incubuit, variis Epistolis datis, variisque missis Legationibus ad Imperatores Anastasium & Justinum. Votorum suorum summam consecutus est anno 519. quo pax utriusque Ecclesiæ redintegrata est, cùm Formulæ Fidei ad Hormisda missæ, & à Legatis ipsius oblatæ, Orientales subscripsissent. Quæ Formula, non dogmatum duntaxat, sed factorum professionem complectebatur, id est, non hæreseon duntaxat, sed Hæreticorum, & omnium qui ipsis communicaverant, aut communicabant, maximè verò Acacii anathema. Inserta est Epistolæ LI. Hormisdæ, quam ad Episcopos Hispaniæ dedit. De gestis Hormisdæ hac in caussa egimus, in *Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Seculi V.* ubi de Acacii Schismate. Scythas Monachos novam propositionem, *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, ad seditionem usque Constantinopoli & Romæ propugnantes, repulit. Joanni Taraconensi Episcopo vices suas ad custodiam Canonum in Hispaniarum Provinciis (Bætica & Lusitania exceptis) commisit, servatis privilegiis Metropolitanorum, *Epistola* 24. Sallustio verò Hispalensi Episcopo easdem per Bæticam & Lusitaniam demandavit, salvis etiam *privilegiis, quæ Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas* (Epistola XXVI.)

Præclara Hormisdæ Pontificis Maxima decreta.

Collapsam in Hispaniis disciplinam, scriptâ ad illius Ecclesiæ Episcopos Epistolâ, reformavit. Tria sunt illius Decretalis capita. Primum spectat Ordinationes Sacerdotum, quos è Laicis assumi vetat, & diuturna in Clero conversatione probari jubet. *Discere* enim *prius quisque debet, antequam doceat. Emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo.* Istud inter veteris & novæ Legis Sacerdotes discrimen est, quòd in veteri Lege, nonnisi Levitici generis viri ad sancta admittebantur altaria: at *Nunc est doctrina pro genere: quod illis fuit nasci, hoc nobis imbui: illos tabernaculo dabat natura, nos altaribus parturit disciplina.* Pœnitentiæ etiam publicæ aliquando addictos, consecrari prohibet. Observatione digna est hæc illius sententia: *Æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse Pastoris.*

Secundum caput Metropolitanos invigilare præcipit, *Ut nec electio Præsulis empta detur pretiis, nec obsequentis sit quæsita operibus.*

Tertium caput, Concilia bis per annos singulos, secundùm Canones, aut saltem semel, celebrari decernit: quod medium est ad conservationem disciplinæ efficacissimum. *Difficile est enim ut cujusquam cor pravis sic cogitationibus induretur, ut à se patiatur culpanda fieri, cùm noverit sibi judicium subeundum esse Concilii.* Hæc habet *Epistola XXV.* datâ IV. Nonas April. anno Domini 517.

Non est Hormisdæ, quæ illius nomen præfert, Epistola ad S. Remigium Remensem Archiepiscopum; quâ Sedis Apostolicæ vices *per omne Regnum Clodovei, quem cum Gente integra converterat, & baptizaverat*, ei conferuntur. Cùm enim anno Christi quingentesimo undecimo obierit Clodoveus, Symmachus verò anno tantùm quingentesimo decimo quarto; evidens est à Symmacho, non ab Hormisda illius successore, S. Remigium super omnes Ecclesias regni Clodovei recèns ad fidem conversi Primatem fuisse constitutum. Quamobrem Symmacho restituenda est hæc Epistola.

Africani Episcopi in Sardinia exules revocantur.

A Decessoris sui perfectum adversùs Hæreticos odium imitatus, Manichæos virgis emendatos, in exilium deportari curavit, codicibus eorum igni traditis. Anno Pontificatus Hormisdæ nono, Africani Episcopi, quos Trasamundus Rex Vvandalorum in Sardiniam relegaverat, post annos exilii 27. ab Hilderico revocati sunt, & restitutus ab ipsis Africanæ Ecclesiæ status, ut constat ex Vita S. Fulgentii, ex S. Isidori Chronico, & Anastasio Bibliothecario in Vita B Hormisdæ, quem sanctis Antistitibus, & toti Ecclesiæ Africanæ restituta libertas, gaudio incredibili affecit. Cùm in Cathedra S. Petri novennio solido & decem diebus sedisset, omniaque explevisset optimi Pontificis officia, ad vitam migravit immortalem, VIII. Idus Augusti, anno 523.

ARTICULUS III.

De Joanne. I.

Joannis I. Miracula.

C POst septem dierum interpontificium, Hormisdæ successit Joannes, Etruscus, ex Presbytero Tituli Pammachii A Theodorico Rege Gothorum Ariano Legationem obire coactus ad Justinum, ut eum à vexandis in Oriente Arianis deterreret, cæco in itinere lumen restituit, aliaque patravit miracula, ut refert S. Gregorius, *Lib. 3. Dialogorum cap. 2.* Summo cum honore à Justino Imperatore exceptus est, qui & ab ipso voluit coronari. *Occurrerunt B. Joanni Papæ à milliario 12. omnis Civitas cum Cereis & Crucibus in honorem BB. Apostolorum Petri & Pauli . . . . Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram, & adoravit B. Joannem Papam, gaudio repletus, quia meruit temporibus suis* D *Vicarium B. Petri Apostoli videre in Regno suo, de cujus manibus cum gloria coronatus est Augustus*; ut scribit Anastasius. Ejus precibus adductum Justinum ab Arianis insequendis destitisse, illisque ablatas Ecclesias restituisse, Historiæ Miscellæ Auctor, & Anastasius Bibliothecarius tradunt, quos rectè emendat Annalium Ecclesiasticorum Parens, tum ex Joannis ipsius Epistola II. ad Episcopos Italiæ datâ, in quâ testatur se Arianorum Ecclesias, quotquot in Oriente invenit, ritu sacro consecrasse, & Catholicis vendicasse, utque idem suis in Provinciis præstent, hortatur: tum quòd in Italiam redux, non aliam ob E causam in vincula conjectus est à Theodorico, ibique ærumnis confectus, Martyr obiit, quàm quòd Justinum ad favendum Arianis, restituendásque ipsis Ecclesias, flectere noluisset, ut colligitur ex Gregorio Turonensi, *Lib. de gloria Martyrum, cap. 40.* Obiit die Maii 27. anno 526. Pontificatus tertio.

Coram illo se humiliat Justinus Imperator, & ab eo coronatur.

Auctor Historiæ Miscellæ refellitur.

ARTICULUS IV.

De Felice III.

ELapsis diebus à morte Joannis Sanctissimi Pontificis quinquaginta & octo, Felix natione Sannita, tyrannicè à superbo & impio Rege Theo- F dorico electus, à Clero tandem & Senatu, vitandi causâ Schismatis, susceptus est, ut constat ex Athalarici successoris ipsius Epistola ad Senatum, apud Cassiodorum, *Lib. 8 Epistola 15.* Probatissimus fuit Pontifex, pietate in ornandis Martyrum Basilicis, simplicitate, humilitate, & beneficentia in pauperes spectatissimus, ut testatur Epitaphium ejus tumulo inscriptum Sanctis Martyribus Romanis Cosmæ & Damiano Basilicam à fundamentis extruxit, teste Anastasio & veteribus inscriptionibus. Dixi, Martyribus Romanis, Tria enim fuere paria Sanctorum ejusdem nominis Cosmæ & Damiani: unum Martyrum in Arabia, alterum Confessorum in Asia, tertium Martyrum, qui Romæ certarunt & coronati

SS. Martyres Cosmas & Damianus. Tria paria Sanctorum ejusdem nominis distinguenda.

nati sunt. His Ecclesiam ædificavit, in eorúmque memoriam Deo dicavit Felix III. Hi nominantur in Canone Missæ eorúmque Natalitia, tum in veteri Kalendario, tum in Sacramentario S. Gregorii, quinto Kalendas Octobris inscripta fuerunt, ut notat Florentinius in suo Martyrologio ad diem xxvii. Septembris. Arabum memoria in Menæis legitur die xvii. Octobris; Romanorum i. Julii; Confessorum 1. Novembris. Extat de his, ex M SS. Græcis, Syntagma Historicum, Viennæ in Austria editum, interprete Simone VVangnereckio. Quomodo autem factum sit, ut soli Arabes à Latinis colantur die 27. Septembris, quâ Romano Martyrologio inscripti sunt, quomodò confusa sint [illegible]rum omnium Acta, & quid in Notis peccaverit Baronius, eruditè pertractat Reinoldus Dehnius in Præfatione Apologetica illi Syntagmati præfixa. Verisimile est amissa fuisse Acta Romanorum, & vel negligentiâ, vel incuriâ substitutos Arabes, quorum Passio illustrior fuit. Omnes professione Medici fuerunt & dicti *Anargyri*, quia sine pretio ægrotos curabant; ex quâ professionis & nominum similitudine facilè æquivocatio & confusio oriri potuit, ut observat etiam doctissimus Cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum Lib.* 2. *cap.* xii.

Epistolæ Felicis tertii supposititiæ.

Quæ Felicis III. nomine circumferuntur priores Epistolæ duæ, apud eruditos suspectæ sunt falsitatis, ob phrases posteriorum sæculorum, & corrasas ex Epistolis S. Gregorii Magni sententias. Has Epistolas si quis cum tertiâ contulerit, ad Cæsarium Arelatensem data, *De Laicis ad Sacerdotium ante probationem non promovendis*, compertum habebit ex dissimilitudine styli duas illas priores venerando ipsius nomini suppositas fuisse. Obiit iv. Idus Octobris anno. 529. cùm annum quartum Pontificatus inchoasset.

ARTICULUS V.

De Bonifacio II.

Dioscorus Antipapa.

FElici III. in Sede Apostolica substitutus est Bonifacius II. adversùs quem facto Schismate, est ordinatus Dioscorus Antipapa. Hic ille putatur Diaconus, qui Legatione Hormisdæ Pontificis, ad Justinianum Imperatorem functus est: quem post mortem, ob causam pecuniariam, anathematizatum, id est, ob Simoniæ crimen, Justinianus scripsit in Edicto adversùs tria Capitula. Anathematis à Bonifacio in Dioscorum lati meminit Anastasius in ejus Vita, illudque æmulationi & dolo tribuit. Id verò ceu injustum sustulit Agapetus, ut tradit idem Bibliothecarius in ejus Vita. Quæ fuerit Schismatis occasio, incertum. Paucis diebus superstes fuit Dioscorus, cum quo Schisma fœliciter extinctum. Quam ob causam injusta visa sit Agapeto excommunicatio in Dioscorum Antipapam, à Bonifacio lata, nescimus. An quod obscurum noverat, nec adhuc plenè discussum, quando Dioscorus obiit, jus electionis Bonifacii? An quod ambitus & Simoniæ purum Dioscorum sciebat, & bonâ fide Pontificem creatum? Ex veteribus monumentis minimè compertum est. Coactâ Romæ Synodo, anno 531 Successorem sibi, pessimo exemplo, designavit Vigilium Diaconum, Clero consensum suum chirographis & jurejurando præbente & firmante. Sed postmodùm alterâ Synodo congregatâ, pœnitendum, & Canonibus contrarium Decretum rescidit, & ante Confessionem S. Petri, præsentibus Clero & Senatu, flammis tradidit: ut testatur Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita. Ambitione Vigilii & consilio, ad tam insolitum facinus impulsum Bonifacium, ex Silverio Papa colligeretur, in Decreto anathematis adversùs Vigilium, si genuinum esset.

Bonifacius II successorem sibi designat; sed contrarium Sacris Canonibus decretum postea rescindit & flammis tradit.

Synodum Arausicanam II. contra Semipelagianos celebratam confirmavit Bonifacius, datâ eâ de re ad S. Cæsarium Arelatensem Episcopum Epistolâ, viii. Kalendas Februarias, Lampadio & Oreste Coss. id est, anno 530 Undè perperam Baronius & alii, Felicis III. Pontificatum ad iv. Idus Octobris ejusdem anni protraxerunt.

Romana Synodus in caussa Stephani Larissensis Episcopi.

Anno post Consulatum Lampadii & Orestis, id est anno Christi 531. die 7. Decembris, Tertiam Romæ Synodum celebravit Bonifacius II. in quâ caussæ Stephani Larissensis Episcopi, Metropolitani Thessaliæ, cognitionem suscepit. Is canonicè electus & ordinatus, mox Probiani unius è Suffraganeis suis, aliorúmque improborum factione, ab Epiphanio Constantinopolitano Patriarcha irregulariter exauctoratus, Apostolicam Sedem appellaverat, missis per Theodosium Echiniensem in Thessalia Episcopum querimoniarum & appellationis Libellis; nec non certissimis documentis, quibus probatum est Romanum Pontificem Illyrici Ecclesias jure Patriarchico rexisse semper, præter jus Primatus, quô Ecclesiæ præest universæ. Duplicem illam potestatem optimè distinxit Theodosius Echiniensis Episcopus, Stephani Larissæi Procurator, Sessione II, *Nam constat*, inquit, *venerandos Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet Principatum, & solam* Ecclesiasticis caussis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationes Illyrici Ecclesias vendicasse.* Concilium istud primus dedit doctissimus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus Lucas Holstenius.

Epistola Bonifacii II. supposititia.

Epistola Bonifacii II. nomine inscripta ad Eulalium Alexandrinum, *de reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ*, supposititia est. Falsissimum enim est, quòd Aurelius Carthaginensis Episcopus, & cæteri Antistites Africani, adeòque & S. Augustinus ipse, Bonifacii I. & Celestini I. temporibus, instigante Diabolo, contra Ecclesiam Romanam insurrexerint; & ex tunc Africana Ecclesia à Romanæ Communione fuerit segregata usque ad Pontificatum Bonifacii II. quod scribit ineptissimus ejus Epistolæ artifex. Præterea, ex verbis Romanorum Pontificum, S. Leonis, Hormisdæ, & S. Gregorii Magni contexta est. Denique à Bellarmino, Baronio omníque Eruditorum gente, ut spuria rejicitur. Obiit die 16. aut 17. Decembris anno 1. post Consulatum Lampadii & Orestis, hoc est, anno Christi 531. cùm annos duos & dies 26. sedisset.

ARTICULUS VI.

De Joanne II.

Joannes II. Edictum contra Simoniacos ab Athalarico Rege impetrat.

CUm Sedes Apostolica diebus circiter 36. vacasset, Joannes cognomento Mercurius, die 20. aut 22. Januarii, anni 532. electus est Pontifex. Ut primùm creatus est, adversùs Simoniæ vitium, quod in Episcoporum, & ipsorum Pontificum Romanorum electionibus grassabatur, Edictum ab Athalarico Italiæ Rege impetravit, quo Senatusconsultum jam antea contra Simoniacos latum confirmabat. * Necesse quippe fuit ad exscindendas mali radices, Magistratuum, & Regis ipsius auctoritate Ecclesiasticam adjuvari.

* Extat apud Cassiodorum lib. [illegible] Epist. 15.

Accemetas Monachos, pertinaciter negantes Unum de Trinitate passum esse carne, habita Romæ Synodo damnavit; ac de eorum damnatione literas dedit ad Justinianum Imperatorem, & ad Senatores. Cum Cæsarius Arelatensis Episcopus Contumeliosum Reiensem, adulterii accusatum, & propria etiam confessione convictum, plena in Synodo ex Episcopatu dejecisset, ac Relationem istâ de caussa ad Joannem II. misisset, confirmavit ille Synodi judicium, illumque Officio exutum, in Monasterium

Synodi Gallicanæ judicium [illegible] Contumeliosi Reiensis Episcopi [illegible]

rium detrudi jussit ad agendam Pœnitentiam, & ejus Ecclesiæ Visitatorem dari, donec novus eligeretur Antistes. Id constat ex Epistolis Joannis II. cùm ad Cæsarium, tum ad Gallicanos Episcopos datis anno 534. Epistolæ ad Cæsarium titulos Canonum adjunxit, secundùm quos Clerici criminis convicti à sacris in perpetuum Ministeriis arceri debebant.

Cassiodori Præfecti Prætorio Epistola ad Joannem II reverentiæ plena.

Sub Joannis II. Pontificatu, Cassiodorus Senator, vir maximus, religiosissimus, & doctissimus, Præfectus Prætorio ab Athalarico Rege creatus est. Qui statim atque ea auctus est dignitate, datis ad Summum Pontificem & ad Episcopos literis, venerationem erga illos propensissimam significavit, precesque eorum apud Deum flagitavit, ut quâ par erat integritate Magistratum amplissimum gereret. *Monete me quæ sunt gerenda sollicitè* (inquit ad Joannem Pontificem Maximum scribens:) *Benè agere vel correptus excepto: Quia difficiliùs errat ovis, quæ voces desiderat audire Pastoris: Nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus. Sum quidem Judex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris Regulis minimè discedamus.* Ad Episcopos verò scribens, ostendit quomodo Magistratus adjuvare debeant, vitia ex hominum animis averruncando. *Episcopus doceat*, inquit, *ne Judex possit invenire quod puniat. Administratis vobis innocentia data est. Nam si prædicatio vestra non desinat, necesse est ut pœnalis actio conquiescat.*

Imitandum Christianis Judicibus exemplum.

Epistola Joannis II. supposita.

Epistolam Joannis II. ad *Valerium Episcopum*, adulterinam esse probant Ithacii & Leonis sententiæ in illam intrusæ, stylus ab aliis ejusdem Epistolis diversus, Consulum nota mendax, & summus virorum eruditorum consensus. Obiit anno 535. tertium numerans Pontificatûs annum.

ARTICULUS VII.

De Agapeto.

Laïcis Principibus nulla convenit auctoritas de Fide statuendi.

JOANNI II. successit Agapetus, civis Romanus, filius Gordiani Presbyteri Tituli SS. Joannis & Pauli. Missam ad se à Justiniano Imperatore, cum debitæ salutationis officiis, Fidei Confessionem, seu Constitutionem de Fide, eamdem quam Joannes II. approbaverat, suscepit, atque paternis Regulis consentaneam confirmavit: Significans nihilominus, Laïcis, quamvis Principibus, auctoritatem docendi, aut statuendi de Fide nullam convenire. *Firmamus*, inquit, *laudamus, amplectimur: Non quia Laïcis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium Fidei vestræ Patrum nostrorum Regulis conveniens confirmamus, atque roboramus.*

Agapeti Responsio ad consultationem Episcoporum Africæ.

Epistolam Synodi Carthaginensis ad Joannem Decessorem suum datam accepit, quâ Sedem Apostolicam consulebant Africani Patres de Arianis ad Ecclesiam redeuntibus, utrùm in suis honoribus suscipiendi essent? Et de parvulis in eorum secta baptizatis, utrùm adultâ ætate possent in Clerum admitti? Rogabant denique Pontificem, ne Clericos relictis plebibus suis ad transmarinas regiones, sine caussa, navigantes, ad Communionem susciperet, nisi suorum Episcoporum Formatis Epistolis se pro utilitate Ecclesiarum missos probarent. Respondit Africanis Pontifex, Arianos ad Ecclesiam redeuntes, singulari caritate, non tamen in suis Officiis & honoribus suscipiendos: Nec eorum filios, qui ab hæreticis essent baptizati, promovendos ad Clerum. *Maximè*, inquit, *cùm priorum nostrorum sententia, redeuntes ad nos ex Arianis, quolibet modo, in quâlibet ætate, illius pestilentiæ labe pollutos, tantâ caritate in Fide complexa est, ejusmodi justitiâ, & dilectione redarguit, tantâ ratiocinatione de ambitu honoris exclusit, ut erubescerent aliud magis quærere, quàm redire.* (Epistola 2. ad Africanos Episcopos)

Justiniano Imperatori dispensationem & veniam Canonum in redeuntium ad Ecclesiam Arianorum gratiam postulanti, negavit Canonum observantissimus Pontifex; sibi nefas esse scribens Synodalia Sedis Apostolicæ Constituta infringere, cùm sententia clamet Apostoli: *Si enim quæ destruxi, ea iterum reædifico, prævaricatorem me ipse constituo* (Epistola 4. ad Justinianum.)

Appellationem Contumeliosi Reiensis Episcopi suscipit Agapetus.

Appellationem Contumeliosi Reiensis Episcopi, in Synodo Provinciæ depositi, ad Sedem Apostolicam, suscepit, quamvis à Joanne II. Decessore suo confirmata fuisset Synodi sententia: Contumeliosum interim, ab Ecclesiastici Patrimonii administratione suspensum manere jubens, & solâ illi Missarum celebratione, quàm præsumpserat, permissâ, donec delegarentur Judices, qui negotii examen in Provincia instaurarent. Arguit verò Cæsarium, quòd post appellationem interpositam, sententiam contra Contumeliosum latam executioni mandari permisisset. (*Epistola VII. ad Cæsarium datâ.*)

Canonum severus observator Agapetus.

Eidem Cæsario supplicanti, ut aliqua Ecclesiæ prædia in gratiam pauperum alienare liceret, annuere noluit, Canonibus id vetitum respondens, quos violare sibi integrum non erat. *Nec*, inquit, *tenacitatis studiô, aut secularis utilitatis caussâ hoc facere nos credatis; sed, divini consideratione judicii, necesse nobis est, quidquid sancta Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire.* (Epistola 6. ad Cæsarium.)

A Theodato Rege Gothorum ad Justinianum missus est, acturus apud ipsum, ut exercitum suum, qui duce Belisario Siciliam insulam ceperat, eratque in Italiam post hyemem deportandus, revocaret. Iter aggredi subitò coactus anno 536, ad expensas in via faciendas sacra vasa Regiis Arcariis oppigneravit: Quæ postea ut Ecclesiæ S. Petri restituerentur, effecit Cassiodorus Præfectus Prætorio. Epistola Cassiodori hac de re data ad Arcarios legitur. *Lib. 12. Variarum Epistola* 20. Spe pacis obtinendæ frustratus Agapetus, quam Justinianus Barbaro principi concedere noluit, Christi legationem cœpit obire. Constantinopolitanæ Sedi incubabat Anthimus, post Epiphanii Patriarchæ obitum ex Trapezuntino Episcopatu ad illam Ecclesiam translatus, agente Theodorâ Imperatrice, Eutychianis partibus addictâ, quarum Princeps erat Anthimus. Hunc Agapetus Sacerdotio, & Christianâ Communione privavit, ejusque loco Mennam, Præpositum Xenodochii Majoris, constituit, & consecravit. Rem gestam narrat Liberatus in Breviario, cap. 21. *Petentibus*, inquit, *Principibus, ut Anthimum Papa in salutatione & communione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum, & ad Cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat translatitium hominem in illâ Sede permanere: Augustâ verò clam promittente munera multa, & rursus Papa minas intentante, in hoc Papa perstitit ne ejus audiret petitionem. Anthimus verò videns se Sede pulsum, Pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tuebatur. Tunc Papa, Principis favore, Mennam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu suâ in Basilica Sanctæ Mariæ.* Lege Nicephorum *Lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 9. & Encyclicam Agapeti Papæ ad Petrum Hierosolymitanum. Actione I. Concilii Constantinopolitani sub Menna. Primatum gloriosiùs exercere non potuit Romanus Pontifex, quàm Constantinopolitanum Patriarcham hæreticum exauctorando, & in ejus locum alium ordinando, Idque nullâ Synodo convocatâ. Eidem Pontifici Orientales Episcopi, & Monachi, Libellos contra hæreticos Acephalos porrexere, qui actis laudatæ Synodi sub Menna sunt inserti. Cùm ad reditum in Italiam se accingeret, Constantinopoli obiit anno 536. XII. Kalendas Octobris, quo ejus memoria in Ecclesia celebratur, cùm annum Pontificatûs alterum

Agapetus Papa Anthimum Constantinopolitanum Episcopum deponit in Urbe ipsa Regia, Mennam eidem Ecclesiæ præficit.

Synodus Constantinopolitana sub Menna.

alterum inchoasset. Post ejus obitum, ipsius Legatis unà cum Menna agentibus: Synodus Constantinopoli celebrata est, VI. Nonas Maias; in qua constitutum est, ut quæ à Romano Pontifice contra Anthimum & Acephalos decreta fuerant, inconcussa manerent, ac executioni mandarentur: Damnatique iterum fuerunt Anthimus, Severus, Petrus Apameensis, & Zoaras. Decretorum Agapeti, & Synodi eo defuncto celebratæ executionem Justinianus imperavit, *Novella* 42. memoratosque Hæreticos relegavit, incendio addictis eorum libris. Agapeti ad Anthimum Epistolam suppositiciam esse, stylus, falsa Consulatûs nota, & ingentes ex Epistola 97. S. Leonis laciniæ probant.

Epistola Agapeti supposititia.

ARTICULUS VIII.

De Silverio.

AGAPETI auditâ morte, Silverius, Hormisdæ quondam Pontificis filius, in Sedem Apostolicam evectus est. Ope Theodati Gothorum Regis, aut etiam vi ordinatum scribit Anastasius Bibliothecarius; unde species addita postmodùm calumniæ, quasi Gothis faveret. Simoniacam labem ipsi perperam inurit idem Anastasius. Constantinopoli degebat adhuc Vigilius, Agapeti recèns defuncti Diaconus & Apocrisiarius. Irrepserat ille in gratiam Augustæ, cui Pontificatûs ambitione, & auri cupiditate, promiserat, Synodum Chalcedonensem se abrogaturum, & Anthimum, Severum, aliósque ipsis confœderatos Acephalos communione donaturum, eorumque Fidem approbaturum, si Romanus Episcopus crearetur. Cujus spe facinoris, ipsum in Sedem Apostolicam intrudere Theodora molita est, datis Belisario Patritio mandatis, ut ipsi faveret. Romam profectus Vigilius, Silverium ordinatum invenit, nec propterea ambitionis effrænatæ deposuit consilia. Belisarium adiit Ravennæ sedentem, literisque Augustæ ipsi traditis, adjectâque duorum auri centenariorum promissione, si redacto in ordinem Silverio crearetur ipse Pontifex, suis illum studiis addixit. Romam reversus Belisarius, ut Imperatrici pareret, faveretque Vigilio, calumniam Silverio struxit, operâ Marci Scholastici, & Juliani Prætoriani, fictis literis, quasi ab eo scriptis ad Regem Gothorum, quibus cum ipso de tradenda Urbe ageret. Hanc donec ederent calumniam, Silverii fidem sollicitabant Belisarius & Antonina ejus uxor, pessimi ingenii fœmina, ipsique persuadere nitebantur, ut Imperatrici morem gereret, Chalcedonensem tollendo Synodum, & Acephalis communicando. Vim timens Pontifex, in Basilicam S. Sabinæ se recepit. Unde fraude eductus, & accepto à filio Antoninæ juramento, ingressus Palatium, Belisarii jussu, Monasticâ veste, à Subdiacono, quem perverterat, indutus est; eodemque agente Belisario, in ejus Sedem intrusus Vigilius: Silverius verò missus in exilium Pataram civitatem Lyciæ. Quò cùm deportatus fuisset, Patarensis Episcopus adiit Imperatorem, *Et judicium Dei contestatus est de tanta Sedis Episcopi expulsione; multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse unum sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius, à Sede sua expulsus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium jussit, & de litteris illis* (quas ad Regem Gothorum scripsisse dicebatur) *judicium fieri, ut si probaretur ab ipso fuisse scriptas, in quacumque civitate Episcopus degeret: Si autem falsa fuissent probata, restitueretur Sedi suæ.* (Ex Liberato.) Imperatoris itaque jussione Romam rediit Silverius, frustra obnitente Pelagio Diacono, qui jam Vigilii res agebat, & Apocrisiarii munere fungebatur. Sed Belisarius Sanctum Pontificem Antipapæ Vigilio, ad nefaria promissa implenda paratissimo, tradidit, à quo in Palmariam insulam * deportatus, inediâ confectus est. Anno 540. Martyrii coronam percepturus in cœlum migravit. Ejus nomen sacris Ecclesiæ Fastis adscriptum est, die XX. Junii.

Silverius per calumniam opprimitur, pro fidei causa relegatur, & in exilio moritur.

Vigilius in Sedem Romanam intrusus vivente Silverio.

* In Insulam Pontianam à Belisario pulsum in Martyrologio Romano legimus.

Epistolam Silverii ad Vigilium Antipapam, suppositiciam multa probant contra Baronium. 1. Styli barbaries. 2. Falsa nota Consulatus. 3. Emendicatæ ex Epistola Felicis II. ad Acacium sententiæ. 4. Quæ de Vigilio narrat, nullo Historicorum testimonio confirmata: Ipsum scilicet cruentis sanguine manibus Leviticum munus affectasse; Decessoribus suis subrepsisse, Senatûs justitiâ repressum fuisse. 5. Quia incredibile est Silverium, quem statim à dejectione sub inimicorum custodiâ detentum, ac in exilium deportatum Liberatus testatur, indicto Episcoporum Conventu, anathematis sententiam in suæ Sedis Invasorem tulisse. Neque enim id eo tempore contingere potuit, quô Pataræ degebat exul: cùm huic Anathematis Decreto, non Asiani, sed Itali subscripsisse fingantur Episcopi: Neque cùm Romam rediit, statim enim Vigilio æmulo suo traditus est, & in Palmariam, vel Ponsiam Insulam deportatus, & carceri mancipatus, ubi vigiles custodum oculos fallere, Conventum Episcoporum indicere, anathema in æmulum torquere non potuit.

Emendatur Baronius.

Epistola Silverii ad Vigilium Antipapam supposititia.

Supposititiam pariter ejusdem Silverii ad Amatorem Augustodunensem Episcopum Epistolam, probant Consulatûs nota mendax, styli barbaries, phrases & sententiæ ex Legibus Arcadii & Honorii Imperatorum, ex SS. Leone & Gregorio Romanis Episcopis, & Bonifacio Moguntino Archiepiscopo defloratæ.

Epistola ad Amatorem eodem supposita.

Amatoris etiam Epistolam ad Silverium, Pseudo-Isidori fœtum esse probant, phrasis solœcismis & barbarismis fœda, verba Ennodii, Silverii calamitatum historia, qui statim atque Pataram exilii sui locum deportatus est, ab Imperatore Patareni Episcopi precibus exorato Romam revocatus fuit. Itaque Pataræ Amatoris munera non recepit; qui tam exiguo temporis intervallo vix de Pontificis calamitate certior fieri potuit. Romam verò redux, *Traditus est duobus Vigilii Defensoribus, & servis ejus; & in Palmariam insulam adductus, sub eorum custodiâ defecit inediâ.* Ibi igitur Amatoris Episcopi eleemosynis sustentatum Silverium, verisimile non est.

Amatoris Epistola ad Silverium pseudepigrapha.

ARTICULUS IX.

De Vigilio.

MORTUÔ Silverio, Vigilius legitimus comitiis Pontifex renunciatus est. Ipsum se abdicasse, & electum postea fuisse, Baronius Cardinalis gratis scribit. Consensit quidem Clerus Pontificatui Vigilii, & quem antea ceu Antipapam execrabatur, suffragiis suis legitimum totius Ecclesiæ Pastorem creavit, tùm Belisarii potentiâ coactus, tum Ecclesiasticæ pacis & unitatis studiô. Quòd verò se Vigilius abdicaverit, ex nullo monumento habetur. Nec verò id probant Anastasii Bibliothecarii verba, scribentis, *Episcopatum vacasse dies sex.* Vacabat Sedes Apostolica legitimô defunctô Pontifice, quamvis à Vigilio occupata, donec ipse, suffragante Clero, verus Pontifex esse cœpit. Qui subitò in virum mutatus alterum, Sancto Spiritu, qui Ecclesiam regit, operante, quæ olim in Synodi Chalcedonensis fidem sacrilegè scripserat ad Theodoram Augustam, solenni Fidei Professione delevit, ipsius ad Justinianum Imperatorem literis insertæ, quâ Sanctissimas quatuor Synodos Oecumenicas, &

Refellitur Baronius.

Vigilius legitimus Pontifex factus, Fidei Catholicæ Confessor & vindex.

Epistolas Sancti Leonis, aliorumque Decessorum suorum, se recipere, & secundùm eas credere professus est, confirmavitque Agapeti Papæ in Anthimum, aliósque Acephalos Constitutum. Sedis Apostolicæ vices per Gallias Auxanio, & Aureliano Arelatensibus Episcopis, rogante Christianissimo Rege Childeberto, demandavit. Sub ejus Pontificatu Quinta Synodus Oecumenica pro Trium Capitulorum damnatione celebrata est. Quô in negotio sibi non constitit Vigilius. Horum namque damnationi primùm obstitit: Illa postmodùm *Judicatô*, damnavit: quô deinde receptô, ac veluti suppressô, silentium indixit usque ad Synodi celebrationem. Dum autem celebraretur Synodus, edidit *Constitutum*, quô Theodori Mopsuesteni damnatis sententiis, nomini ipsius, sicut & Theodoreti scriptis, & Epistolæ Ibæ parcebat, sub eorum nominibus aliqua damnari scripta nefas esse censens, quos Synodus Chalcedonensis ut orthodoxos suscepisset. Synodi tandem amplexus est Definitionem, ut probat ejus *ad Eutychium & præjacentem Synodum Epistola*, quam Illustrissimus Parisiorum Archiepiscopus *Petrus de Marca* in lucem è Regia Bibliotheca edidit. Data est ante VI. Idus Decembres, Imperii Justiniani Anno 27. post Consulatum Basilii XII. id est die 8. Decembris anni 553. Exscripta est ex Volumine, quod calamo exaratum servabatur in veteri Bibliotheca Romanæ Ecclesiæ, jam inde ab anno septingentesimo quinquagesimo tertio. Exscripta est, inquam, à viro eruditione nobili Leone Cinnomo, homine Græco, anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, & ab eodem reposita in Bibliotheca Imperatoria Græcorum, cum aliis pluribus, & præsertim Actis 5. Synodi, cui subjuncta fuit. Hanc Epistolam in dubium revocant nonnulli, quòd falsum sit *universum orbem & Ecclesiam ad pacem revocatam fuisse*, quô tempore Decretalis ista consignatur, id ex, sexto post Synodum mense: Quod tamen in eâ legimus. Sed falsum id esse nullô probant monumento. At verisimillimum est Illyrici & Africæ Episcopos prioris sententiæ pœnituisse, & communicatis cum Vigilio consiliis, Orientalium communionem amplexos. Unde factum, ut deinceps inter schismaticos non recenseantur. In reliquo Occidente, Franci & Hispani, & cum Orientali Ecclesia, & cum Sede Apostolica communionem retinuerant. Pars tantùm Episcoporum Italiæ ab Orientalibus, & à Vigilio dissidebat. Nec portio tam exigua impedire poterat quin *universus orbis & Ecclesia ad pacem revocata* diceretur, quô tempore Decretalem ad Eutychium Epistolam scribebat Vigilius. Quædam in hujus Pontificis Vita ab Anastasio falsò scripta, præsertim de illius violenta deportatione Constantinopolim, de injuriis ipsi à Romana plebe irrogatis, cùm eò profectus est, de illius per Urbem Regiam tractione, fune ad collum injecto, monet Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum 546. Primam Justinianam, quæ antea Acrida vocabatur, Justiniani Imperatoris patriam, cujus Episcopus Thessalonicensi Archiepiscopo subditus erat, Metropolitica dignitate auxit Vigilius, Palliúmque & vices concessit Apostolicæ Sedis ipsius Episcopo, ut testatur Justinianus *Novella* 131. *cap.* 3.

Vigilii in causa Trium Capitulorum variatio.

Epistola Vigilii post Quintæ Synodi confirmatione, germana.

Cùm Romam rediret Vigilius, impetratam à Justiniano Sanctionem deferens, quâ Italis plurima concedebat privilegia, quasi fructus pacis, confectô Bello Gothico, quo diu erant fatigati, degustandos, calculi dolore oppressus, obiit in Sicilia, V. Kalendas Januarias, anno quingentesimo quinquagesimo quarto, ut colligitur ex Auctario Marcellini, ejus mortem consignante anno post Consulatum Basilii decimo-tertio. Quæ numerandi ratio verior est Victoris Tunonensis Chronologiâ, Vigilii obitum consignantis anno post Basilii Consulatum decimo septimo, Christi scilicet quingentesimo quinquagesimo septimo. Sedit annis tredecim & sex mensibus legitimus Pontifex.

ARTICULUS X.

De Pelagio I.

VIGILIUM excepit Pelagius, qui cùm necis illatæ Vigilio suspicionem incurrisset, tres Episcopos, à quibus consecraretur, invenire non potuit. Unde à duobus tantùm, & Ostiensi Presbytero est ordinatus. Statim verò parricidii suspicionem publico super Evangeliis & Cruce jurejurando discussit. Istriæ schisma extinguere frustra tentavit, imploratô Narsetis Comitis contra Schismaticos auxiliô. Nondum susceptâ in Galliis Quintâ Synodo, nondum approbatâ Trium Capitulorum damnatione, acerrimum Pelagii pro illâ Synodo studium, necnon calumniæ, quas Istriæ Schismatici per Occidentem universum spargebant adversùs illius fidem, suspicioni de Synodo Chalcedonensi ab illo violatâ locum dederunt: quam literis & Fidei Professione missis ad Childebertum Regem Christianissimum dispulit. Sapaudo Arelatensi Episcopo vices suas per universam Galliam concessit, Rege postulante. Privilegiorum verò Sedis Arelatensis & totius Ordinis Ecclesiastici protectorem, Canonumque vindicem agnovit Regem Christianissimum, Epistola XIV. ad ipsum datâ, contra cujusdam Episcopi temeritatem, qui Sapaudum ad alterius Episcopi tribunal vocaverat. *Pro quibus*, inquit, *Christianitatis vestræ confidentiâ frequenti, paternó studio postulamus, ut si quid tale factum est, congrua satisfactione celeriter amputetur, nec ullum sui exemplum in perturbatione Ecclesiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et hujusmodi causis solicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra Ecclesiasticas Regulas petentibus concedatis: Quia, quod bene cognitum est religiosæ menti vestræ, non aliter Deo nostro rectè potest Regalis devotio famulari, nisi providentiâ ejus Ecclesiasticorum Ordinum servetur integritas.*

Pelagius I. Fidei suæ integritatem probat, missa ad Childebertum Regem Christianissimum fidei professione.

Rex Christianissimus, Canonum protector à Summo Pontifice agnitus ac declaratus.

Et initio Epistolæ, Regni Gallici præ multis aliis claritatem Regum nostrorum amori & obsequiis erga Ecclesiam refert acceptam. *Cùm*, inquit, *Celsitudini vestræ multa dona misericordia divina contulerit, pro amore tamen quem Ecclesiæ ejus sinceriter exhibetis, fecit vos multis Regnantibus clariores. Quoniam, inter alias Regni vestri curas, pro tranquillitate Sanctæ Ecclesiæ præcipuam solicitudinem vos certum est exhibere.*

Regni Francorum gloria, magnitudo, & potestas ex Regum Christianissimorum amore & obsequiis erga Ecclesiam derivatæ.

Obiit Pelagius I. die 2. Martii, anno 559. cùm annos quatuor, menses decem, dies decem & octo Ecclesiæ præfuisset, ut ex MS. Anastasii Commentario Vaticanæ Bibliothecæ & ex ejus Epitaphio probat Baronius, quod & Paulus Aringhus lib. 2. *Romæ subterraneæ*, cap. 8. refert. Unde Liber Pontificalis emendandus est, qui annos undecim, menses decem, dies octodecim ipsius administrationis numerat. Epistolam ipsius *Ad Vigilium Episcopum*, quæ & falsâ Consulatûs notâ consignata est, & ex Ithacii, Sanctique Leonis verbis variè depravatis contexta, viri omnes eruditi ut adulterinam rejiciunt.

Epistola supposita Pelagio I.

ARTICULUS

ARTICULUS XI.

De Joanne III. & Benedicto I.

I. PELAGIO I. successit Joannes Tertius. Is Sagittarii Ebredunensium, & Salonii Vappicensium Episcopi, in secunda Synodo Lugdunensi ob scelera depositorum, appellationem suscepit, eósque sedibus restitui jussit, datis ad Regem Gunthramnum Epistolis, ut testatur Gregorius Turonensis, *Lib. 5. Historiæ Francorum cap. 20.* Cætera ejus gesta penè ignota sunt. Obiit anno 572. III. Idus Julii, anno Pontificatûs decimo-tertio, ut testatur Anastasius in ejus Vita Ejusi Epistola *Ad Episcopos Germaniæ & Galliæ*, ab omnibus eruditis ut suppostitia rejicitur.

Epistola Benedicto I. supposita.

II. Pelagio ad meliorem vitam translato, Benedictus, quem Græci *Bonosum*, cognomine, vocant, creatus est Pontifex. Afflictâ ex Longobardorum incursionibus Italiâ, rexit Ecclesiam annos quatuor & duos menses, obiitque nullâ re gestâ celebris, ultimâ die Julii anni 577. Ipsi supposita est Epistola *Ad Davidem Episcopum*, quam descriptio capitis 1. Operis adversùs Varimadum Arianum Ithacio adscripti, malè consuta Scripturæ sacræ loca, secundùm Versionem à veteri Italica, & ab Hieronymiana distinctam, & nota Consulatus, quæ in subdoli Mercatoris mantissa delituit, pseudepigrapham probant.

ARTICULUS XII.

De Pelagio II.

SEDIT in S. Petri Cathedra post Benedictum I. Pelagius II. Is Gregorium, qui post ipsum Pontifex fuit, Diaconum ordinatum, Constantinopolim Apocrisiarium misit, ubi Eutychium Patriarcham de resurrectione carnis pravè sentientem confutavit, emendavitque, ut ipse refert *Lib. 14. Moralium, cap. 29.* In extinguendo Istriæ schismate diligentem navavit operam, scriptis ad Eliam Aquileiensem, Schismaticorum caput, & ad Istriæ Episcopos gravissimis doctissimisque literis; quibus justè damnata Tria Capitula, & illæsâ Concilii Chalcedonensis auctoritate, probavit. Synodum à Joanne Constantinopolitano Patriarcha habitam, in quâ *Universalis Patriarchæ* nomen sibi arrogaverat, misit in irritum, exceptâ sententiâ pro Gregorio Antiocheno Episcopo latâ, qui calumniis fuerat impetitus. Quâ de re legendus Evagrius *Lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7.* Hanc autem Synodum à Pelagio II. rescissam, ipsúmque Apocrisiario suo prohibuisse, ne cum Joanne Sacris interesset, S. Gregorius testatur *Lib. 4. Epistola 36. ad Eulogium*, Indict. 13. & *Epistola 38. ad ipsum Joannem*, & *Lib. 7. Epistola 69. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum* datâ. *Cognoscat*, inquit, *Fraternitas vestra, Joannem quondam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistitem, contra Deum, contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectum & injuriam Sacerdotum immodestiæ & mansuetudinis terminos excessisse, & illicitè in Synodo superbum ac pestiferum Oecumenici, id est universalis, sibi vocabulum usurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius Decessor noster agnoscens, omnia Gesta ejusdem Synodi, præter ea quæ illic de causâ venerandæ memoriæ Gregorii Episcopi Antiocheni sunt habita, validâ omnino districtione cassavit, districtissimè illum corripiens, ut se à novo & temerario superstitionis nomine cohiberet: adeò ut suum illi Diaconum (nisi tantum nefas emendaret) procedere prohiberet.* Quam refert Baronius, Pelagii *ad Joannem Constantinopolitanum* Epistola, & quæ à Collectoribus Conciliorum excusa est, suppositia censetur à doctioribus: tum quia ejus stylus à reliquis Pelagii scriptis plurimùm abhorret: tum quia sententias, è

Pelagii II ad [illegible]

Synodum Joannis [illegible]

Epistola Pelagii II. supposita.

Procli, Celestini, Leonis, Innocentii, Gregorii, & Martini I. scriptis emendicat: & Pseudo-Isidori omnia lineamenta refert. Idem esto judicium de Epistola *ad Episcopos Campaniæ, & Italiæ*: Quam nihil aliud esse quàm centonem ex variis sententiis Prosperi, Hilarii, Acacii, Ennodii, Conciliorúmque Romani V. sub Symmacho, Toletani VIII. & Lateranensis sub Martino I. perspicuum est. Est pariter ex Pseudo-Isidori mercibus *Epistola ad Benignum Archiepiscopum, de Episcoporum translatione.* Reipublicæ paci, non minùs quàm Ecclesiæ commodis, invigilavit prudentissimus Pontifex. Gregorio Apocrisiario suo dedit in mandatis ut Urbi contra Longobardos imminentes auxilium ab Imperatore impetraret. * Aunacharium etiam Episcopum Autissiodorensem, datâ ad eum Epistolâ, hortatus est, ut Reges Francorum à fœdere cum Longobardis deterreret, suaderetque ut Italiæ, & Urbi succurrerent. Ex hâc Epistolâ patet, Reges Christianissimos Episcoporum consiliis plurimùm detulisse, non solùm in iis quæ fidem & Ecclesiasticas causas spectabant, verùm etiam in Regni administratione. Liquet etiam Episcopos, qui gratiâ apud Reges valent, suadere ipsis debere quicquid æquitatis & charitatis est, maximè verò ut Christianis sub infidelium tyrannide gementibus opem ferant. *Nec enim credimus otiosum*, inquit Pelagius, *nec sine magnâ divinæ Providentiæ administratione dispositum, quod vestri Reges Romano Imperio in confessione orthodoxæ fidei sunt similes: Nisi ut huic Urbi ex quâ fuerat orionda, vel universæ Italiæ, finitimos adjutorésque præstaret. Cavete igitur, charissime Frater, ne dum Regibus vestris juvandi nos virtus sit data divinitus, caritatis vestræ circa nos levitas arguatur: Qui illis, & in fide, & in consiliis, vestro Sacerdotio sic devotis, suadere talia aut negligitis, aut differtis.*

* Reges Christianissimi Episcoporum consiliis plurimùm usi.

Episcopi, qui gratiâ apud Reges valent, suadere ipsis debent ut Christianis sub infidelium tyrannide gementibus opem ferant.

Novem Præfationes inter Missarum solennia decantandas, secundùm Romanæ Ecclesiæ ritum, Germanicis & Gallicanis Ecclesiis Pelagium II. præscripsisse, Cardinalis Baronius censet, laudans & referens ejus Epistolam *ad Episcopos Germaniæ & Galliæ*, qui ipsum rogaverant, ut Ordinem Præfationum eis mitteret, quem S. Romana Ecclesia tunc habebat. Quam Epistolam & Conciliorum Collectores repræsentant: sed hanc Epistolam non esse Pelagii, probat styli barbaries, & S. Gregorii Sacramentarium, in quo Præfationes propriæ pro singulis Missis habentur. At si ætate Pelagii II. novem tantùm Præfationibus tanquam dudum receptis & approbatis Romana usa fuisset Ecclesia, S. Gregorius, qui ipsi proximè successit, quique sacrorum rituum tenacissimus custos, & venerandæ antiquitatis observantissimus fuit, novas alias non instituisset. Accedit quòd Sanctus ipse Gregorius in Epistola ad Joannem Syracusanum, in quâ de iis rationem reddit, quæ in ritibus Sacrificii addiderat, vel immutaverat, ob quæ fuerat reprehensus, de Præfationibus silet. Nullas igitur addiderat: Ac proinde fictitium est Pelagii II. de novem Præfationibus Decretum. Denique ante Pipini & Caroli Magni ætatem Romanæ Missæ ritum & ordinem Gallicana Ecclesia non suscepit, sed propriis Officiis, propriáque Missa utebatur, ut colligitur ex Carolo Magno, *Lib. 1. de Imaginibus*, contra Synodum Græcorum, *cap. 6.* ex Hilduino in *Epistola ad Ludovicum Pium*, quam suis Areopagiticis præfixit, ex Carolo Calvo, in *Epistola ad Clerum Ravennatem*; ex Bernone Augiensi Abbate, & aliis momentis, quæ expendit doctissimus Cardinalis Bona, *Lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 12.* Beneficentissimus in pauperes, præsertim senes, fuit Pelagius II. quos propriâ domo in Xenodochium conversâ excipiebat. Super corpus S. Laurentii Basilicam à fundamentis erexit. Cujus monumentum cùm fortè fuisset apertum effodiendo, Monachi, & Mansionarii, qui Sancti Martyris corpus viderunt,

Pelagii II. Decretum de novem Præfationibus, suppositium.

Pelagius II. propriam domum in Xenodochium convertit.

viderunt, intra decem dies obiere, ut testatur S. Gregorius Magnus, *Lib. 3. Epistola xxx.*

Obiit Pelagius secundus anno 590. die octava Februarii, cùm annos decem, menses duos, dies decem, Ecclesiam gubernasset.

ARTICULUS XIII.

De S. Gregorio Magno.

Cujus Instituti Monachus fuerit S. Gregorius?

I. GREGORIUS, Senatorii generis, Gordiano patre, Silvia matre, fœmina sanctissima progenitus, Atavo Felice II. Pontifice Maximo: priùs Urbis Præfecturam gessit. Angelicam deinde Monachorum vitam, quibus sex in Sicilia Monasteria ædificaverat, & septimum Romæ, secularium splendori dignitatum anteposuit. Sancti Equitii, non verò S. Benedicti Regulam professum esse, censet Cardinalis Baronius, idque ex ipsomet Gregorio colligere sibi videtur. Sibi enim, suoque Monasterio Valentionem Abbatem, S. Equitii Discipulum præfuisse testatur, Lib. 4. Dialogorum cap. at. *Vita namque venerabilis Valentio, qui post in hâc Romana Urbe, mihi sicut nosti, meóque Monasterio præfuit, priùs in Valeria Provincia suum Monasterium rexit.* Provinciæ autem Valeriæ Monasteria, sub S. Equitii Disciplina instituta fuisse, testatur Lib. 1. cap. 4. *Qui nimirum* (Equitius) inquit, *pro sua magnitudine sanctitatis, multorum in eadem Provincia Valeria Monasteriorum pater extitit.* Præterea, cùm Vitam S. Benedicti stylo satis prolixo scripserit in Dialogis Gregorius, cùm ejus Discipulos nominet, à quibus acceperat quæ de illo scripsit; cùm Regulam ejus laudet, ceu *Discretione præcipuam, sermone luculentam*; nunquam se eam Regulam sectatum fuisse, aut Monachis suis tradidisse, vel leviter innuit. Quamobrem (inquiunt) Joanni Diacono, & aliis falsò persuasum fuit S. Gregorium sub S. Benedicti Regula militasse. Denique si S. Gregorius S. Benedicti Regulam professus fuisset, non est verisimile fuisse prohibiturum, ne quis ante annum ætatis decimum-octavum Monachus fieret, cùm S. Benedictus aliter fecisset, statuissetque, ut ex ejus Vita & Regula compertum est.

Ordini S. Equitii illum adscribit Baronius.

His tamen momentis non obstantibus, S. Gregorium Ordini Benedictino vindicat Dom. *Joannes Mabillonius* in Præfatione Sæculi I. Benedictini, & in Dissertatione singulari *De Monastica Vita S. Gregorii Magni*, Tomo II. *Veterum Analectorum.* Testem imprimis profert Joannem Diaconum in Vita S. Gregorii. Probat autem Joannes Diaconus Sanctum Gregorium Ordinis Benedictini fuisse professorem, ex propagatione Benedictinæ Regulæ apud Britannos per Augustinum, ejusque Sodales, S. Gregorii discipulos factâ. Augustinum enim in eodem quo Gregorius Monasterio vixisse Monachum, ipsiusque discipulum fuisse constat, tum ex eodem Gregorio libro vii. Epistola xxx. Indict. 1. ad Eulogium, & Epistola cxiv. ad Syagrium, tum ex Epistola Bonifacii Quarti ad Ethelbertum Regem Cantuariorum, & ex Concilii Cloveshoviensis cap. xvii. Augustini Sodales ejusdem Instituti fuisse, patet ex eo quòd Abbatem eis constituit Augustinum S. Gregorius, ex Epistola à Beda relata lib. 1. Historiæ, cap. xxiii. Augustinus in Britanniam missus anno Christi 596. instauratâ Cantuariæ S. Salvatoris Ecclesia, *fecit Monasterium non longè ab ipsa Civitate ad Orientem*, ibique Ecclesiam construxit in honorem Apostolorum Petri & Pauli, teste Beda, libro 1. Historiæ cap. xxiii. Primus autem ejusdem Monasterii Abbas Petrus Presbyter fuit. Mellitus Successor Augustini in Monasterio Dorobernensi constituit Monachos concedente Bonifacio Quarto Pontifice Maximo, qui Epistolam ea de re scripsit ad Ethelbertum Regem. Propagata exinde est in Anglia Vita Monastica per Augustini discipulos Sæculo vii. & sequentibus. In illis Benedictinæ Regulæ observantiam viguisse testis est S. Adhelmus Maildunensis Abbas & postea Schireburnensis Episcopus, libro *De Virginitate*, quem metro conscripsit. Huic Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii scribit: *Quòd verò Monachi qui à Gregorio in Saxoniam* (transmarinam Saxoniam seu Angliam intellige) *missi sunt, S. Benedicti Regulæ fuerint mancipati, inter alia etiam illud ostendit, quia ex illius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non observetur tam in proposito quàm in habitu Regula Benedicti.*

Ordini Benedictino Eum, Mabillonius vindicat.

Joannis Diaconi testimonium confirmat Aimoinus Floriacensis Monachus in Vita S. Abonis Floriacensis Abbatis, ubi rationem reddens cur Angli Monachos ex Cœnobio Floriacensi petierint ad instaurandam in Insula sua Vitæ Religiosæ disciplinam, primam hanc refert: *Quia Beatus Papa Gregorius missis ad eam Gentem convertendam Fide Christi Prædicatoribus, ejusdem dilecti Benedicti Regulam observandam specialiùs inculcavit.*

Idem confirmat *Ethelredus* Anglorum Rex in Privilegio Ecclesiæ Cantuariensi concesso anno Christi sexto supra millesimum, causam exponens cur in eam Ecclesiam Benedictinos Monachos restituerit. *Hoc ideo*, inquit, *feci, & Monachos ejusdem Ordinis, quem huc attulit S. Augustinus, in Ecclesia posui, Ordinis scilicet quem ille ex præcepto Gregorii, & ex Magni Regis Ethelberti constitutione & auxilio in Terram hanc intulit.*

Testis alter pro Benedictino *S. Gregorii* Monachatu à *Mabillonio* prolatus est *Bonifacius Quartus* Pontifex Maximus, qui in Concilio Romæ anno Christi decimo supra sexcentesimum celebrato nonnullos arguit Monachorum æmulos, qui effutiebant, *Monachos, quia Mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotali Officio indignos, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per Sacerdotalis Officii injunctam gratiam. Sed omnino falluntur*, inquit; *nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar Beatus Gregorius Monacho habitu pollens ad summum Apicem nullatenus conscenderet, cui solvendi ligandique potestas concessa est. Augustinus quoque ejusdem sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum Prædicator egregius, & Pannoniensis Martinus* (Dumiensis Episcopus) *aliique plurimi viri sanctissimi pretiosorum Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo subarrharentur. Neque enim Benedictus, Monachorum Præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor.* Sanè si licuit B. Gregorio & Augustino Monachis ad Pontificatum conscendere, quia *S. Benedictus* Monachorum Præceptor id suis non prohibuit: consequens videtur, utrumque ejus Regulam professum esse, ex cujus præscripto quid ipsis licuerit expenditur.

Tertium testem *Mabillonius* laudat *Amalarium*, qui *Gregorium Papam excellentissimum S. Benedicti Regularem*, seu Regulæ observatorem, & ejus *sancti Ordinis sectatorem* vocat.

Quartum testem appellat *Ambrosium Autpertum*, Abbatem Monasterii *S. Vincentii, ad Vulturnum*, in Italia, *Ordinis S. Benedicti*, qui absolutè *Gregorium nostrum*, id est, Benedictini Ordinis Professorem vocat in fine libri x. in Apocalypsim.

Aliud *Joannis Diaconi* pro Benedictino *S. Gregorii* Monachatu argumentum affert Vir Eruditus, sumptum à forma Baltei sive cinguli quod in detectione corporis *S. Gregorii* sub Gregorii Quarti Pontificatu facta conspectum est à Romanis, ante annos fere quadraginta quàm *Joannes* Vitam *S. Gregorii* scriberet. Sic autem explicat istud argumentum *Joannes Diaconus* libro iv. cap. lxxx. *Porro in exilitate Baltei, qua*

qua unius pollicis mensuram nunquam excedit, speciem Propositi Regularis olim à Sancto Benedicto statuti, cujus ipse Vitam describens in Dialogo, Regulam quoque laudaverat, eum servasse luce clarius manifestat. Non hærentis aut dubitantis, sed fidentis scientisque hæc verba sunt, ac proinde ea Baltei seu cinguli forma tam certò Benedictinis competere his temporibus censebatur, ut ex illa Benedictinum *S. Gregorii* institutum luce clariùs colligi asserat *Joannes Diaconus* rei testis oculatus.

Præcipuis deinde Baronianæ Sententiæ argumentis *Mab lor ns* respondet. Ad illud quod ex Valeriæ Provinciæ Monasteriis petebatur, quorum uni præfuerat *Valentio* seu *Valentius*, quem *S. Andrea* Monasterio à se condito *S. Gregorius* præfecit, respondet: Incertum esse primò an *Valentio* Gregortani Monasterii primus Abbas fuerit. Etsi enim *S. Gregorius* Libro I. Dialogorum, cap. XXXI. ipsum sibi ac Monasterio suo præfuisse dicat, nusquam tamen eum Abbatem primum fuisse affirmat. Deinde incertum esse, imò falsum, quòd *Valentio* ex primario *S. Equitii* Monasterio accersitus fuerit à *S. Gregorio*. Nam *S. Gregorius* Libro I. *Dialogorum*, cap. IV. scribit, Cœnobii Equitiani Monachos omnes ad ipsius *S. Equitii* tumulum ereptos fuisse de manibus Longobardorum: contra verò in *Valentionis* Monasterio duos Monachos à Longobardis necatos tradit libro IV. cap. XXI. Tertiò, incertum esse an Valeria Provincia, in qua erat *Valentionis* Monasterium, *S. Gregorio* diversa fuerit ab Æquicolis, in quibus Sublacus & duodecim Monasteria sita erant à *S. Benedicto* instituta. Etenim *Paulus Diaconus* Libro I. *De Gestis Longobardorum* ubi Provincias Italiæ pro sui temporis usu describit, nullam rationem habuit Æquicolorum, quos Valeriæ attribuisse videtur; siquidem Carseolos seu Carsalim oppidum Æquicolorum, ex *Ptolomæo*, Valeriæ adscribit cap. XXI. Et certè Æquicolorum tractus exiguus Valeriam contingit, ut facilè cum ea confundi possit. Quartò, incertum esse ait *Mabillonius*, an omnia Valeriæ Monasteria, etiam illud quod condidit & rexit *Valentio*, Equitiani essent instituti. *Equitius* quidem in illa Provincia multorum Monasteriorum pater extitit, teste *S. Gregorio*: Sed quædam alia Benedictini etiam Ordinis in ea Provincia fuisse, probabile est, cùm ab Eremo Sublacensi in Valeriam Provinciam finitimam & contiguam Regularis *S. Benedicti* Disciplina ab ejus Discipulis diffundi facilè potuerit. Denique etsi concedatur omnia Valeriæ cœnobia, etiam illud cui præfuerat *Valentio*, Equitiani instituti fuisse, quid dicere vetat, aut ea omnia, aut saltem reliqua, *Equitio* mortuo, in *S. Benedicti* Leges concessisse. *Equitius* enim *S. Benedicto*, ut contendit *Baronius*, ætate superior, ante annum quingentesimum quadragesimum excesserat è vivis. Ab eo tempore usque dum *S. Gregorius* condendo *S. Andreæ* Monasterio manum admoveret, anni ampliùs triginta elapsi fuerant. Nullam *Equitius* Regulam scriptam reliquerat, viventis vox & exemplum pro lege erant. Eo mortuo defecit lex, non Monasteria, quæ pro nutu Abbatis successoris facilè Regulam *S. Benedicti* amplecti potuerunt. Et re quidem ipsa id factum esse intelligitur ex Fundani Abbatis Epistola ad *Simplicium* Casini tertium Abbatem scribentis, jam tum apud omnes statutum esse, *Ut omnia Monasteria Campaniæ, Samnii, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & aliarum Provinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam vivendi, quam Sanctissimus & Deo acceptus Benedictus instituit, servarent*; Seque ejus rei gratia *Hugonem & Paulum fratres suos juxta prædictam Sanctam Regulam in Casinensi Congregatione instituendos* ad *Simplicium* mittere. Hanc Epistolam refert *Angelus de Nuce* in Notis ad Chronicon Casinense. Ergo *Simplicio* Casini Abbate, anno circiter quingentesimo sexagesimo ante adventum Longobardorum, ac proinde ante cladem Casinensem, & accessum *Valentionis* Abbatis in *S. Gregorii* Monasterium, Valeriæ & aliarum Italiæ Provinciarum Monasteria Ordini *S. Benedicti* accesserant: ac proinde aut omnia, aut saltem aliqua ex iis quæ *S. Equitius* in Valeria construxerat.

Alteri *Baronii* argumento petito ex biennio probationis Novitiorum, quod ante Professionem Monasticam S. Gregorius exigit libro VIII. Epistola XXXII. Indict. III. ad *Fortunatum* Episcopum Neapolitanum datâ, cùm tamen *S. Benedictus* unum dumtaxat annum præscribit ad probandos Novitios; *Mabillonius* respondet: Varium fuisse in Oriente & Occidente probandorum Novitiorum Ritum: *S. Pachomium* Novitios nonnisi post triennii probationem admisisse; Occidentales Regulas omnes unum dumtaxat annum postulasse ad Vitæ Monasticæ tyrocinium, ut patet ex *Cassiano, Cæsario, Ferreolo*, Regula Tarnatensi, & aliis, quæ *S. Benedicti* ævo conditæ sunt. Eamdem normam præscripsit *S. Benedictus*, quo vivente *Justinianus Augustus* Novellam V. edidit, quâ Novitium per triennium totum, sive liber, sive servus sit, probari decernit. Hoc Decretum Imperatoris *Normam Regularem* vocat *S. Gregorius* Lib. VII. Epistola I. Indict. I. ubi *Mauritio* Imperatori ægrè ferenti quòd contra ipsius interdictum Milites in Monasteria reciperentur, *S. Gregorius* hoc pacto condescendit, ut nonnisi post triennium admitterentur. Huic Novellæ tantisper derogavit *Justinianus* Novellâ CXXIII. cùm homines ignotos nonnisi post triennium admitti vetat; notos verò absque morâ & veste Monastica indui, & ad Professionem admitti permittit. In Occidente licebat Abbatibus probationis tempus, quod uno anno definitum erat, pro judicio ac prudentia sua contrahere, ut patet ex Regulis *S. Cæsarii & S. Ferreoli*. Hinc factum ut quidam Abbates Occidentales, homines ex vita sæculari ad Monasterium accedentes absque legitima probatione admitterent; cui malo ut remedium adhiberetur, *S. Gregorius* Normam Orientalem sive Justinianæam temperando, simul & Occidentalem, prudentissimè statuit ut nonnisi post biennium tyrocinii Novitii ad Professionem Monasticam reciperentur. Quod biennii tempus nullius Occidentalis Regulæ Constitutione præceptum est, sed uno *S. Gregorii* Decreto inductum. Præterea, non constat an Decretum illud universale fuerit pro toto Occidente, an particulare pro sola provincia Neapolitana. Imò ex Cap. *Consaldus*, Causa XVII. Quæstione II. liquet *S. Gregorium* probationem Novitiorum unius anni spatio definivisse. Sic enim *Alexander II.* eo Capite loquitur: *Quapropter quia & Beati Benedicti, & præcipue Patris & Prædecessoris nostri S. Gregorii Papæ canonica institutio interdicit, Monachum ante unius anni probationem effici, judicamus, & auctoritate Apostolica proponimus, &c.* S. Gregorii hac de re Decretum proculdubio legerat *Alexander II.* quamvis in Gregoriano Regesto desideretur. Et quidem in *S. Andreæ* Monasterio, ubi *Gregorius* ipse Monasticam Vitam professus est, hæc biennii probatio non servabatur, aut certè non semper, ut constat exemplo *Probi*, qui ex sæculari repente Monachus atque Abbas factus, teste *S. Gregorio*, Libro IX. Epistola XX. Indict. IV. Et *Gregorius* ipse in Monachorum cœtum admissus est, tametsi non integro biennio, secundùm *Baronium*, in Monasterio suo versatus sit ante impositam sibi Legationem. Denique unius anni probatio non est ita propria Regulæ *S. Benedicti*, ut eo spatio vel contracto vel ampliato judicari posset an ea in aliquo Monasterio servata sit. Nam si hæc ratiocinandi forma probaretur, concludendum esset Regulam *S. Benedicti* non viguisse apud Cluniacenses tempore *Petri*

Venerabilis, quo ante anni solidi probationem Novitii passim recipiebantur. Quam consuetudinem adversùs Cisterciensium querelas idem Venerabilis Abbas propugnat Libro 1. Epistola XXVIII. Ex quibus colligit *Mabillonius*, biennii probationem Benedictinæ Regulæ observationi, & Benedictino *S. Gregorii Magni* Monachatui non præjudicare.

S. Gregorius Pontificiam Dignitatem declinare conatur.

II. E Monasterio ad Ecclesiæ ministerium, à Pelagio II. vocatus, & Diaconus creatus Gregorius, Constantinopolim Apocrisiarius missus est, ubi cum Eutychio Patriarcha, de Resurrectione carnis pessimè sentiente, congressum superiùs diximus. Post obitum Pelagii creatus Pontifex apud Mauritium Imperatorem agere conatus est, ne electioni consensum præberet, eámque confirmaret. Quod quidem jus Gothi primùm Reges usurpaverant, Justinianus verò retinuerat; ita ut nonnisi persolutâ certâ pecuniæ summâ, ab Imperatore confirmari sedere Pontifices possent. Incassùm laboravit. Gregorius; gratissimam namque electionem Mauritius Imperator, cujus filium ex sacro Lavacro susceperat, festinus ac lætus confirmavit, ipsúmque Sacrâ Jussione datâ, præcepit ordinari. Nec tamen victa est Gregorii humilitas donec ipsum in latebris, quas summi honoris apicem fugiens, petierat, divina indicia prodiderunt. Quàm ægrè curæ Pastoralis onus susceperit, & à vitæ contemplativæ cælestibus se passus sit abduci deliciis, testatur ipse, *Epistola 5. Lib. 1. ad Theoctistam*, Imperatoris Mauritii sororem, in quâ & de suæ confirmatione electionis sic loquitur: *Ecce Serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem jussit: & quidem pro jussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Unde necesse est, ut omnes culpas ac negligentias meas, non mihi sed suæ Pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit.*

S. Gregorii humilitas Pontificiam Dignitatem ægrè suscipit.

Professionem Fidei mittit ad Patriarchas.

III. Initio sui Pontificatûs, Synodicam ad omnes Orientis Patriarchas Epistolam scripsit, cui Fidei suæ inseruit Professionem, quâ se quatuor Concilia Oecumenica, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, ut sancti Evangeli quatuor Libros suscipere, contestatur, & Quintum pariter Concilium, in quo Tria damnata sunt Capitula, venerari.

Schismaticos revocare nititur ad unitatem.

Omnem adhibuit curam, ut Schismaticos Trium Capitulorum defensores ad Ecclesiæ unitatem revocaret; eos Romam ad Synodum vocans, in quâ ipsorum dubiis dissolutis, faciliùs pax Ecclesiæ sanciretur. Sed Severus Aquileiensis Episcopus, Schismaticorum Caput, & Istriæ Episcopi, Libellô supplici Imperatori Mauritio oblatô, inducias impetrarunt, Synodúmque declinavere. Scripsit quippe eâ de re ad Gregorium Mauritius, prohibens ne molestus ipsis esset, idque rerum Italiæ statum postulare, quæ ob frequentes Longobardorum incursiones summo in discrimine versabantur. Theodelindam Reginam Longobardorum, quam Schismatici in partes trahere nitebantur, datis ad eam litteris, missísque Legatis, in Constantii Mediolanensis obedientiâ, & Ecclesiæ Communione retinuit, *Lib. 4. Epistola 4. Indict. 12.* Contra Donatistas cervicem adhuc in Africa erigentes, Numidas Episcopos, & Gennadium Exarchum, datis ad eos litteris, excitavit. (*Lib. 1. Epistola 72. & 75.*). Vetuit ne Judæi ad fidem amplectendam, & ad Baptismum suscipiendum cogerentur, *Lib. 1. Epistola 45. ad Virgilium Arelatensem, & Theodorum Massiliensem Episcopos datâ*, & *Lib. 9. Epistola 5. ad Januarium Calaguritanum, Indict. 2.* Cum in Hispania de trinâ in Baptismo immersione controversia orta esset, à Leandro Hispalensi consultus, unam vel trinam immersionem probavit, (*Epistola 41. Lib. 1.*) Sardiniæ Presbyteris concessit, ut cùm Episcopi deessent, Confirmationis administrare possent Sacramentum, (*Lib. 5. Epistola 9. Indict. 12.*) Subdiaconis Siculis, qui uxorem duxerant, & matrimonio utebantur, ad superiorem Ordinem præclusit aditum: ordinari verò in posterùm prohibuit, nisi qui continentiam voverent. (*Lib. 1. Epistola 42.*)

Donatistas Africæ compescere curat.

Varia ejus Decreta.

Augustino viro sanctissimo, aliisque Monachis missis in Angliam, Gentis conversionem ad Christum procurat.

IV. De Fide apud Anglos propagandâ initô consiliô, Augustinum virum sanctissimum, aliósque cum illo Religiosos Viros illùc ad prædicandum Evangelium misit. Ipsos autem Romanæ Ecclesiæ moribus non ita voluit adstrictos, ut si quos in aliis Ecclesiis sanctiores, aut fovendæ pietati atque charitati convenientiores animadvertissent, eos in novellam Anglorum Ecclesiam potiùs non importarent. Quâ de re ita ad Augustinum rescripsit, Lib. 12. Epistola 31. *Novit Fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in quâ se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia, aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in Fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Barbaricinorum Gentilium Sardiniam incolentium conversionem, missis eò Felice Episcopo, & Cyriaco Abbate, procuravit (*Lib. 3. Epistola 25. 26. & 27.*)

Joannis Constantinopolitani sese Universalem Patriarcham inscribentis audaciam coercet.

V. Joannis Jejunatoris Constantinopolitani Episcopi, sese Patriarcham Oecumenicum inscribentis, fregit audaciam. Quâ de re legenda est ejus Epistola 16. Libri 4. ad Eulogium & Anastasium Episcopos, 38. ad ipsum Joannem, & 39. ad Sabianum Diaconum. Ad Joannem ita scripsit. *Occulta Dei judicia pertimesco, quòd ille vir sanctissimus Dominus Joannes, tanta abstinentia atque humilitatis, suorum familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, ut in appetitu perversi nominis illi conetur esse similis, qui dum superbè esse similis Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit. Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ universalis Ecclesiæ est; Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ... Vestra autem Sanctitas agnoscat, quantùm apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quò vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Nunquid non, sicut vestra Fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium hujus Apostolicæ Sedis Antistites, Universales, oblatô honore, vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus Fratribus denegasse videretur.* Ad Eulogium verò & Anastasium: *Uni*, inquit, *per sanctam Chalcedonensem Synodum, Pontifici Sedis Apostolicæ hoc Universitatis nomen oblatum est. Sed nullus unquam Decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit: quia videlicet, si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et infra: *Quia juxta est ille de quo scriptum est: Ipse est Rex super universos filios superbiæ. Quod non sine gravi dolore dicere compellor, Frater & Coepiscopus noster Joannes, mandata Dominica, Apostolica præcepta, Regulas Patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine.*

S. Petrus primum membrum universalis Ecclesiæ.

Universalis Episcopi nomen uni Romano concessum, à Concilio Calchedonensi oblatum.

S. Gregorius non vult Universalis Episcopus appellari.

Nec doctrinâ solùm, sed etiam exemplô humilitatis Constantinopolitani Episcopi sanare superbiam satagit Sanctissimus Pontifex, Eulogium Alexandrinum leniter increpans, qui ipsum *Universalem Papam*, in Epistola vocaverat. *Quod peto*, inquit, *dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat; quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus.*

moribus. Nec honorem esse deputo, in quo Fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor, est honor Universalis Ecclesiæ: Meus honor est, Fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc: Recedant verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant. Hujus humilitatis hæreditarium Successoribus suis documentum reliquit, se in principio Epistolarum suarum *Servum servorum Dei*, primus omnium inscribens, teste Joanne Diacono, *Lib. 4. cap. 58.* Quâ se humilitate & caritate erga Coëpiscopos gereret S. Gregorius, constat ex Epistola mox laudata ad Eulogium, in quâ jussionis vocabulum usurpare se nolle significat. *Indicare*, inquit, *vestra Beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur, dicens: Sicut jussistis. Quod verbum jussionis, peto, à meo auditu removete: quia quis sum? Qui estis? Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi.*

Respuenda nomina quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant.

S. Gregorii humilitas & caritas erga Coëpiscopos.

VI. Maximè curabat S. Gregorius, ut in electionibus Episcoporum, & in promotione ad sacra quævis ministeria, digni indignis, & minùs dignis digniores anteponerentur, teste Joanne Diacono, Lib. 3. cap. 7. *Ordinationes*, inquit, *summo cultu servasse docetur, in eo quòd ab ipso suæ Consecrationis exordio, per omnem Diœcesim suam, Episcopos undequoque meliores invenire potuit, studiosissimè ordinavit, &c. Ut Ecclesiam illis regendam committeret, qui exemplis & verbis pariter illam ædificare meliùs potuissent.* Hanc ob causam Sanctissimus Pontifex *prudenter cognoscens totum Corpus Ecclesiæ, tam per bonos Episcopos feliciter stare, quàm per malos infeliciter cadere; non solùm diversarum Gentium diversi ordinis Clericos, verùm etiam vacantes Episcopos, in suæ Diœceseos Episcopatus invitabat*; ut testatur idem Diaconus, *Lib. 3. c. 3.*

Curavit ut digniores ad Episcopatum eligantur.

Clero & Optimatibus Urbis Neapolitanæ in Episcopi electione varia in studia divisis, gravissimum sibi esse significavit, quòd *in hujusmodi caussis, non ex judicio, sed de solo favore veniret electio.* Joannem Diaconum ab eo repulit Episcopatu, quòd filiam haberet infantem, quæ satis testabatur non longum esse tempus ex, quo continentiam servabat: *Nam quâ præsumptione*, inquit, *ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam filiolâ teste convincitur non habere?* Petrum Diaconum, quòd de illius in rebus agendis peritiâ & industriâ dubitaret, electum statim non confirmavit: Sed Neapolitanos monuit, ut in alium conjicerent oculos, quem eligere possent, si hunc ipse idoneum non probaret. *Petrus Diaconus, quem à vobis electum asseritis, omnino, quantùm dicitur, simplex est: & nostis quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce constitui, qui non solùm de salute animarum, verùm etiam de extrinsecâ subjectorum utilitate & cautelâ sciat esse sollicitus... Studii vestri sit etiam alium, qui aptus sit, providere, ut si fortè hunc Ordini hic non videatur idoneus, sit in quem se vestra declinare possit electio.* (Lib. 8. Epistola 40.

Vacante Ecclesiâ Anconitanâ, cùm tres proponerentur ordinandi, in singulorum dotes, ac mores diligenter inquiri jussit, ut cujusque discussis meritis, dignior consecraretur. Nam Florentinus ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, *Scripturæ quidem scientiam habebat*, sed *jam senio confectus*, regiminis incapax videbatur. Nimis etiam tenax dicebatur, ut ejus domum amicus nunquam ad caritatem introiret. De Rustico Diacono ejusdem Ecclesiæ scribit S. Pontifex: *Vigilans quidem homo dicitur, sed quantùm asseritur, Psalmos ignorat.* De Florentio Ecclesiæ Ravennatis Diacono: *Sollicitum esse novimus, sed qualis sit interius, omnino non scimus.* Ideò Joannem & Armenium Episcopos inquirere jubet de vita & moribus singulorum, an nullius criminis rei sint, quod ipsos sacra Præfecturâ reddat indignos? An ille ita sit senex, ut ad regendum non possit assurgere? An ex avaritia, vel ex necessitate, amicos nunquam excipiat? Quot Psalmos alter minùs teneat? Si verò Florentio Ravennati Diacono nullum crimen obsistat, agendum esse scribit apud ejus Episcopum, ut eum cedat. *Non tamen*, inquit, *ex nostro mandato vel edicto, ut contra suam voluntatem eum cedere videatur.* De singulis autem jubet ad se referri: *Ut renuntiatione tua*, inquit, *redditi certiores, quid post hæc Deo auctore fieri debeat, disponamus.*

VII. Simoniam, quæ in Germania præsertim & in Galliis sacras electiones infamabat, extirpare studuit datis ad Episcopos, ad Reges & Reginas Galliarum gravissimis Epistolis. Ad Brunichildem ita scripsit, Epistola 5. Lib. 7. *Christianitatis vestræ sollicitudo diligenter invigilet, & nullum qui sub Regno vestro est, ad sacrum Ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu proximitatis jure patiatur accedere: sed ille ad Episcopatus, vel alterius sacri Ordinis officium eligatur, quem dignum & vita & mores ostenderint; ne si honor venalis fuerit Sacerdotii, simoniaca in illis partibus Hæresis, quæ prima in Ecclesia, prodiit, & Petri sententiâ est damnata, consurgat, & Regni vestri, quod absit, vires imminuat. Nam grave omnino & ultra quàm dici potest facinus est, Spiritum Sanctum qui omnia redemit venundari.* Legenda est Epistola 104. ejusdem Libri, & 105. ad Theodoricum & Theodebertum Reges Francorum data; in quâ nonnullis in Simoniacam heresim præmissis, hæc habet: *Hinc fit etiam ut insontes, & pauperes à Sacris Ordinibus prohibiti despectique resiliant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quòd præmium illic delicta commendet; quia ubi aurum placet: ibi & vitium.* Quod malum ut eradiceretur, suadet Christianissimis Regibus ut Synodum in Galliis congregari jubeant, in quâ præsente Sedis Apostolicæ Legato, & Simoniacæ Ordinationes, & Laïcorum promotiones ad Sacerdotium repentinæ, sub anathemate prohibeantur. Quâ de re legendæ sunt etiam Epistolæ L. LIII. LIV. & LV. Libri ix. Legenda & Epistola CXI. Libri vii. ad quatuor Galliarum Episcopos data, in quâ *Simoniacam hæresim*, (sic eam passim vocat) totis viribus insectatur. Nec exigi posse ab ordinandis pecuniam probat, etiam ut in pauperes erogetur, vel ad Monasteriorum, aut Xenodochiorum ædificationem: *Quia eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, sed quæ rebus concessis & bene acquisitis impenditur. Et dum perversus emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad suam similitudinem sub commodi datione constituit, plura malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam ordinationis accepit.*

Simoniam extirpare studet.

Nec solùm pro Ordinationibus, sed etiam pro Pallio, pro literis, pro convivio die Ordinationis præbendo, pecuniam recipi vetuit S. Gregorius in Synodo Romana, ut constat ex Epistola 44. Libri 4. *Antiquam*, inquit, *Patrum Regulam sequens, nihil unquam de Ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione Pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex eâ, quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione Pastelli. Quia enim ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam verò lectionem Minister legit, Confirmationis autem ejus Epistolam Notarius scribit; sicut Pontificem non decet, manum, quam imponit, vendere; ita Minister, vel Notarius non debet in Ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venundare. Pro Ordinatione verò, vel*

Pallio,

Pallio, seu Chartis atque Pastello, eumdem qui ordinantur, vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo.

Pro Sepulturis aliquid exigi vetat.

Morem pessimum, qui in Ecclesiis invaluerat, sustulit, ut pro Sepulturis aliquid exigeretur. Quâ de re legenda est ejus Epistola IV. Libri I. ad Messanensem Episcopum data, & LVI. ad Januarium Calaritanum Episcopum, qui centum solidos à Nereida clarissima fœmina pro filiæ ipsius sepultura exigebat. *Quia grave nimis est*, inquit, *& procul à nomine Sacerdotis officio, pretium de terrâ concessâ putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium; ut hac se petitione Fraternitas vestra contineat... Hoc vitium & nos postquam ad Episcopatûs honorem accessimus, de Ecclesia nostrâ omnino vetuimus, & pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus; memores quia dum Abraham à filiis Hemor, hoc est Ephron filio Seor, sepulchrum pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutus... Sed si quando aliquem in Ecclesia vestrâ sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus: Peti vero, aut aliquid exigi, omnino prohibemus: ne, quod valde irreligiosum est, aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeamus quærere quolibet modo compendium.*

Viduas, pupillos & quoslibet oppressos tuetur.

VIII. Viduarum, pupillorum, omniúmque oppressorum ac pauperum pater fuit atque protector S. Gregorius, suisque Apocrisiariis, & Coëpiscopis, eorum patrocinium, quâvis data occasione, impensè commendavit. Sic Luminosam viduam Dominico Centumcellensi Episcopo commendavit Epistola XIII. Libri I. *Officii quidem Sacerdotalis est*, inquit, *ut viduis ac maritali regimine desolatis, impertiri solatia debeatis: ut unde in hoc mundo humanâ conditione privantur, Sacerdotali tuitione possint remedia reperire.* Sic Catellam & Pompeianam Januario Calaritano Episcopo, *Epistola* 60. 61. & 62. *Lib.* I. Sic Alexandram Anthemio Subdiacono, *Lib.* 5. *Epistola* 37. Sic Theodoram eidem Anthemio, suo in Campania Apocrisiario. Sic Adeodatam Sanctimonialem, cui Mater congiarium, aut quidpiam necessarium & justum negabat, Venantio Lunensi Episcopo commendavit (Epistola XXVIII. Libri 7.) *Et quoniam*, inquit, *æquitatis censura admonet, ut maximum conversis, salva ratione, Episcopale debeat adesse solatium; idcirco his Fraternitatem vestram Epistolis adhortamur, ut prædictam matrem ipsius ad se faciat evocare, & tranquillâ ei adhortatione suadeat, ut facere sponte non desinat, ad quod Legali potest ratione compelli. Quæ si admonitionem vestram differre voluerit, prædicta Adeodata Religiosa contra eam tuitionem impendito, atque vestris eam solatiis apud Judicem, vel quocumque usus exegerit, instantiùs adjuvate.*

Insulares Imperatoris ut sui bona tempetet.

Sardiniæ Insulæ Clericis & Provincialibus sub Theodori Ducis tyrannide gementibus, apud Imperatorem per Apocrisiarium suum patrocinatus est, & apud Exarchum Africæ, cui Sardiniæ Ducatus suberat (*Lib.* I. *Epistola* 47. & 59.) Constantinæ etiam Augustæ auctoritatem & mediationem apud Imperatorem adhibuit, ut Præfectorum, Judicum, Publicanorum exactiones crudelissimas temperaret, quæ illarum Insularum provinciales, vel ad Longobardos confugere, vel filios suos vendere compulerant, ut fisco solverent quod ab ipsis exigebatur. (Lib. 4. Epistola 33.) *Quæ piissimo Domino apto sunt tempore suggerenda*, inquit, *ut ab animâ suâ, ab Imperio, atque à filiis suis, tale hoc tantumque facinus, peccatique pondus amoveat. Qui scio, quoniam dicturus es; Quia nobis in Italia expensæ transmittitur quidquid de prædictis Insulis aggregatur... Et si minùs expensæ in Italia tribuantur, à suo tamen Imperio oppressorum lacrymas compescat. Nam & idcirco fortasse tanta expensa in hac terrâ minus ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliquâ admixtione colliguntur. Præcipiant ergo Serenissimi Domini, nihil cum peccato colligi... Quod etsi fortasse contingat expensis minoribus minùs adjuvari, melius est tamen temporaliter nos non vivere, quàm vos ad æternam vitam obstaculum aliquod invenire.* Et Epistola 35. ejusdem libri ad Sebastianum Rhizinienséro Episcopum datâ, caritatis suæ curas, labores, ac dolores in defensione pauperum à Judicum tyrannide exponit. *Romani*, inquit, *in nos malitia gladios Longobardorum vicit, ita ut benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quàm Reipublicæ Judices, qui nos malitiâ suâ, rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et uno tempore curam Episcoporum atque Clericorum, Monasteriorum quoque & populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cujus laboris, cujus doloris sit, vestra Fraternitas tantò veriùs penset, quantò me, qui hæc patior, puriùs amat.*

Ad executionem Canonum Arelatensi Episcopo vices suas; Pallium Augustodunensi concedit.

IX. Gallicanæ Ecclesiæ bono prospiciens Sanctus Gregorius, Sedis Apostolicæ vices Virgilio Arelatensi Episcopo commisit, Childeberto Rege Christianissimo postulante, (Epistola L. LII. & LIII. Libri IV.) Syagrio Augustodunensi Episcopo Pallium concessit, Brunichilde Regina postulante, & annuente Imperatore. Distulit tamen tantisper hanc gratiam, donec Syagrius ipse illam postularet: *Quia*, inquit, *prisca consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi exigentibus caussarum meritis, & fortiter postulanti, dari non debeat.* Concessit etiam Augustodunensi Episcopo primum in Provincia Prima Lugdunensi locum post Metropolitanum Lugdunensem, Id honoris promeritus est Syagrius ob navatam Augustino Anglorum Apostolo operam. (*Epistola* CXIII. *Lib.* VII.) Serenum Massiliensem Episcopum, ob confractas Sanctorum Imagines, graviter, coarguit, (*Epistola* IX. *Lib.* XI.) Segusienses Parochias Taurinensi Ecclesiæ à Gunthramno Rege subtractas, & Maurienensi addictas, restitui jussit Episcopo Taurinensi, datis ad Syagrium Augustodunensem, & ad Reges Francorum literis, ut ille precibus & intercessione, isti auctoritate & imperio id efficerent. (*Epistola* CXX. & CXXI. *Libri* VII.) Præclarâ hâc sententiâ incipit Epistola ad Syagrium: *Si in rebus sæcularibus suum cuique jus & proprius ordo servandus est, quantò magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inveniat, unde pacis debent bona procedere? Quod hîc ratione servabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuatur.*

Cyriaci Constantinopolitani ambitionem coercet.

Cùm Cyriacus Constantinopolitanus Patriarcha Decessoris sui vestigiis insistens, *Oecumenici* nomen pergeret affectare: indixissètque Constantinopoli Concilium, S. Gregorius ab ejus ambitione omnia metuens, scripsit ad Eusebium Thessalonicensem, & ad Episcopos Orientis, ne aliquid contra Canones ab eo usurpari sinerent; (*Epistola* XXX. *Libri* VII.)

Episcoporum jura illæsa esse jubet.

Defensores à se varias in regiones missos. Episcoporum jura sarta tecta semper servare jussit. Quamobrem Romanum, Defensorem Siciliæ graviter increpuit, quòd Clericorum caussas, despectis eorum Episcopis, suum ad tribunal traheret. *Sed si quis*, inquit, *contra quemlibet Clericum caussam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo Judices deputentur: Aut si fortè ad arbitros eundum est, partes ad eligendum Judicem ab ipso executio deputata compellat. Si quis verò vel Clericus vel Laicus, contra Episcopum caussam habuerit, tunc te interponere debes, ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certè te admonente sibi Judices eligant. Nam si sua*

unicuique

unicuique Episcopo Jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?

S. Gregorii erga Monachos providentia.

Monachoruin & Monasteriorum curam gessit singularem S. Gregorius. Monachos vagos & sancti propositi desertores revocare studuit ad officium, & ad Monasteria, & inter eos Venantium virum illustrem, Italiæ Cancellarium (*Lib. 1. Epistola 33. & Lib. 9. Epistola 25. & 31.*) Regularem disciplinam in plurimis restituit. Nonnulla privilegiis donavit, quæ in eo non erant posita, ut Episcopis non subessent, sed ut Abbatem, vel Abbatissam, ex propriâ Congregatione possent eligere, nec invito Abbate Monachi ad Ecclesiasticos Ordines & Officia promoverentur: Nec in rebus temporalibus Monasteriorum disponendis, vel Episcopus, vel Clerici potestatem ullam haberent. (*Lib. 7. Epistola 28. ad Marinianum Episcopum datâ, & Epistola 116. ad Virgilium Arelatensem*, quâ confirmat privilegium Arelatensi Monasterio à Vigilio Papa concessum: *Lib. 11. Epistolis 8. 9. & 10.* quibus Augustodunensi Monasterio & Xenodochio, Theodorico Rege & Brunichilde Regina rogantibus privilegium concedit: *Lib. 6. Epistola 11. ad Respectam Abbatissam*, quâ Monasterium S. Cassiani privilegio etiam donat.)

Privilegia Monasteriis concedit, quibus Episcoporum curæ ac regimini non subtrahebantur.

In Augustodunensibus Privilegiis illud singulare est, quòd Abbatem jussione Regis, Monachorum consensu institui decernat; deponi autem vetet, nisi criminibus convictum, Episcopi Augustodunensis, & sex adjunctorum Episcoporum sententiâ. Quòd etiam prohibeat Abbatem Monasterii, aut Presbyterum Xenodochii, ad Episcopatum assumi; ut res Xenodochii, aut Monasterii iniquâ erogatione consumat. Monasterii Massiliensis Privilegio statuit, ut Abbatissa electa à Monialibus, si digna hoc ministerio judicata fuerit, ab Episcopo ordinetur. Ut in solo Dedicationis Ecclesiæ festo Episcopus Missarum solennia illic celebret, ejúsque Cathedra ibi collocetur: Cæteris autem diebus Presbyter, ab eodem Episcopo deputatus. *Ut erga vitam, actúsque Ancillarum Dei, sive Abbatissa, Episcopus sollicitudinem adhibeat, ut si aliquam, exigente culpâ, oportuerit ultioni submitti, ipse, juxta sacrorum Canonum vigorem, modis omnibus debeat vindicare.* Privilegio Classitani Monasterii statuit, ut *Episcopus visitandi, exhortandique gratiâ, quoties placuerit, ad Monasterium accedat. Sed sic caritatis officium illic impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat.* Et ut exauctorare possit Abbatem, *extantibus criminibus, quæ sacri Canones punire monstrantur.* Castorium Episcopum Ariminensem, qui Luminosi Abbatis Monasterio plura gravamina intulerat, coërcuit, solâ ipsi, ejúsque Successoribus, Abbatis Ordinatione permissâ, (Epistola XLIII. Lib. IV.) *Fraternitatem tuam hortamur*, inquit, *ut obeunte Abbate Monasterii ipsius, Ecclesia tua in describendis, providendisque acquisitis, acquirendisve ejusdem Monasterii rebus, nullâ se occasione permisceat. Abbatem verò eidem Monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque actibus Monasticæ Disciplinæ, communi consensu, Congregatio tota poposcerit, te volumus ordinare. Missas autem illic publicas per Episcopum fieri omnimodo prohibemus, ne in servorum Dei secessibus, popularibus occasio præbeatur conventibus.* Monachorum immunitates in Synodo Romanâ confirmavit, anno sexcentesimo primo amplissimas quidem, sed quæ Abbates & Monachos Episcopotum jurisdictioni penitus non subducerent. Ravennatem Episcopum Clericorum suorum insolentiam refrænare jussit, qui Monasteria suo velut dominio addixerant, (Epistola 40. Libri 6.) *Monasteria Clericorum vestrorum dominio prægravari, ita ut occasione quasi regiminis, ea velut in proprietate possideant ..... Nullam deinceps in eis Clerici, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causâ, accedendi licentiam, aut si forte ad peragenda sacra Missarum fuerint invitati mysteria.* Et ut, si quispiam Abbatum, aut Monachorum ad sacros Ordines, aut Ecclesiasticas Dignitates promoveatur, nullam habeat ulteriùs in Monasteriis potestatem. Si autem Episcopus in his emendandis esset negligens, minatus est Sanctus Gregorius se aliter Monasteriorum quieti prospecturum. Squillitanum Episcopum Castelliense Monasterium opprimentem, & qui, xenii specie, aliquid è Monasterio abstulerat, restituere jussit rem indecenter acceptam: *Ne*, inquit, *avaritia te graviter culpa redarguat, quem largum erga Monasteria Sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare.* Vetuit ea usurpare, quæ Decessoribus suis non licuerant; cæterùm disciplinæ regularis curam gerere præcepit. *Nam sicut ab iis, quæ incongruè usurpantur, Fraternitatem vestram volumus abstinere; ita in his, quæ ad disciplinæ rectitudinem, vel animarum custodiam pertinent, esse sollicitam, modis omnibus admonemus.* Monasterium in fundo Marciano, provinciæ Campaniæ, situm, Agapiti Abbatis Monasterio uniendum decrevit, illæsis Episcopi, cujus in Diœcesi constructum erat, juribus; (Epistola 67. Lib. 9.) *Ipsum autem Monasterium*, inquit, *sic tua nos ordinationi commisisse cognoscas, ut tamen jurisdictionem illic non Episcopus Surrentinus, in cujus civitate Monasterium tuum est, sed Nucerinus, cujus est Diœcesis, habeat. Nam sic hujus loci ordinationem disponimus, ut tamen jura sua singulis Episcopis inviolata servemus.*

Clericos Monasteriis præfici vetat.

XI. Monasteriis Clericos præfici prohibuit, nisi Ecclesiasticis Beneficiis & ministeriis cederent & Monasticam Regulam amplecterentur. Quâ de re ad Joannem Episcopum Ravennatem ita scripsit Lib. 4. Epistola 4. *Pervenit ad me, quòd in Ecclesia Fraternitatis tuæ aliqua loca dudum Monasteriis consecrata, nunc habitaculo Clericorum, aut etiam Laicorum, facta sunt: Dumque hi, qui sunt in Ecclesiis fingunt se religiosè vivere, Monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam Monasteria destruuntur. Nemo enim potest & Ecclesiasticis Ministeriis deservire, & in Monachica Regula ordinatè persistere; ut ipse Monasterii districtionem teneat, qui quotidie in Ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Proinde Fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum sit, emendare festinet; Quia ego nullo modo patior, ut loca sacra per Clericorum ambitum destruantur.*

Ad Episcopum verò Syracusanum de eadem disciplina ita scripsit Epistola 11. Lib. 3. *Presbyteros, Diaconos, cæterosque cujuslibet ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas; sed aut admissâ Clericatûs militiâ, Monasticis non provehantur ordinibus: Aut, si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis explere non possit, ad utrumque judicetur idoneus: sicque invicem & Ecclesiasticus Ordo vita Monachica, & Ecclesiasticis utilitatibus Regula Monachatûs impediatur.*

Ecclesiam S. Pancratii Martyris, quæ antea Presbyteris erat commissa, sed ab iisdem neglecta, vicino Monasterio univit, cum patrimonio & redditibus omnibus, eâ lege ut Abbas peregrinum Presbyterum, ad sacra Missarum celebranda solennia, illic constitueret, cui & hospitium, & vitæ subsidia in Monasterio præberet.

Monachos rerum temporalium procurandarum & litium persequendarum onere levat.

XII. Exteriorem Monasteriorum curam, seu rerum temporalium apud Judices tuendarum, sæcularibus commendari magis optavit, quàm Monachis, ne litium sollicitudo ipsos ab opere dominico avocaret. Quâ de re ita scripsit ad Petrum Subdiaco-

num, Apoctisiatium in Sicilia suum, Epistola 67. Libri 1. *Sicut studii nostri esse condecet a litigiis forabibus Monachos submovere, ut divinis ministeriis piè ac solerter invigilent; ita necesse est nostra provisione quemadmodum negotia eorum disponi debeant, ordinare, ne distenas mens per varias caussarum curas desluat, & ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat, &c. Expedit enim parvo incommodo à strepitu caussarum servos Dei quietos existere, ut & utilitates cellæ per negligentiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant.*

Uni plura beneficia committere nefas existimabat.

XIII. Plura beneficia uni & eidem conferri, rem existimabat in Ecclesia monstri similem, teste Joanne Diacono Lib. 2. cap 541. *Singula*, inquit, *Ecclesiastici juris Officia singulis quibusque personis singulatim committi debere jubebat; asserens quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita in Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli Sententiam, in uno eodemque spiritu, alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: neque uni, quantumlibet exercitatæ personæ, uno tempore, duarum rerum officia committenda sunt: Quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat; ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, similque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.* Defunctorum tamen Episcoporum Ecclesias, ad tempus, aliis Episcopis commendabat, quos eatum instituebat Visitatores; cùm ad res Ecclesiæ curandas, ne fortè distraherentur; tùm ad electionem Episcopi dirigendam; ut constat ex variis ipsius Epistolis, & ex Joanne Diacono.

Caritas sancti Gregorii in pauperes.

XIV. Beneficentissima fuit ac profusissima Sancti Gregorii erga pauperes charitas; de quâ hæc refert Joannes Diaconus: *Cunctorum patrimoniorum prædiorumque redditus adæravit, eorúmque pensionibus in auro argentóque collatis, omnibus Ordinibus Ecclesiasticis, vel Palatinis, Monasteriis, Ecclesiis, Cœmeteriis, Diaconiis, Xenodochiis urbanis, vel suburbanis, quot solidi singulis quater in anno distribuerentur, Pascha scilicet, Natali Apostolorum, Natali S. Andreæ, Natalitióque suo, per Polypticum, quò hactenus tregatur, indixit.* (Lib. 2. c. 24.) *Natalitio Apostolorum, vel suo, mixtos solidos offerens, peregrinis nihilominus vestimenta donabat.* (cap. 25.) *Omnibus omnino Kalendis, pauperibus generaliter easdem species, quæ congerebantur ex redditibus, erogabat, & suo tempore frumentum, suo vinum, suo caseum, suo legumen, &c. Paterfamilias Domini discretissimè dividebat. Pigmenta* * *verò aliaque delicatiora commercia Primoribus honorabiliter offerebat, ita ut nihil aliud quàm communis quædam horrea, communis putaretur Ecclesia* (cap. 26.) *Sanctimonialibus ter mille quindecim libras auri pro lectisterniis dedit, eisque pro quotidianis stipendiis octoginta libras annualiter concedebat.* De quibus ad Theoctistam Patriciam scribit: *Harum talis vita est, atque in tantùm lacrymis & abstinentiâ districta, ut credamus, quia si ipsæ non essent, nullus nostrùm jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset.* (cap. 27.)

* Sive bellaria.

Singulis diebus *per omnium regionum vicos, vel compita, infirmis seu qualibet corporis parte debilibus, certa stipendia, per constitutos veredarios mittebat. Verecundioribus verò, antequam ipse cibum caperet, à mensâ suâ benedictionis Apostolicæ, ostiatim dirigere curabat scutellam, ita ut neminem prorsus exceptet misericordissimi benevolentia Provisoris, quem ad silentium traxerat omnipotentis cognitio Creatoris.* (cap. 28.)

Cùm pauperem quemdam in angustiis vicorum recessibus inveniri mortuum contigisset, *ast manus eum stipis inopiâ periisse, ita per aliquot dies à Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus peremisset* (Cap. 29.) *Per Procuratores Ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem, suæ Pastoralis solicitudinis oculos circumferebat. Ait enim in Epistola Anthemio Subdiacono: Discedenti tibi mandavimus, & postmodum præceptis discurrentibus injunxisse me memini, ut curam pauperum gereres: Et si quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares, & vix de paucis hæc facere curasti.* Ibidem refert Joannes Diaconus plurima Epistolarum ejus fragmenta, quibus Patrimoniorum Ecclesiæ Romanæ Procuratoribus, variis in Provinciis constitutis, in mandatis dedit, ut certam pecuniæ summam, vel fructuum quantitatem, omnis generis pauperibus distribuerent. Hospitalitatis in præmium, Angelos, & Christum ipsum sub peregrini specie excepit. (Cap. 31.)

Vacuum & inane Episcopi nomen tenere Episcopus, qui eleemosynas habens non erogat.

Cùm à pauperibus mendicantibus accepisset Marinianum Ravennatem Episcopum stipem non erogasse, & petentibus respondisse, *Non habeo*: Secundino jussit ut ejus caritatem suo nomine excitaret. *Et miror*, inquit, *si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet. Dic ergo ei, ut cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minimè fructificare: Sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: Quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.* (Epistola 29. Libri 5.)

Episcopos sedibus pulsos ab hostibus, S. Gregorius ab aliis Episcopis ali jubet.

Episcopos suis è sedibus ab hostibus pulsos, ab Illyricis Episcopis suscipi & ali jussit, secundùm Imperatoris, imò Dei mandatum: quâ de re ita scripsit Epistola 43. Libri 2. ad ipsos datâ. *Dignoscitur sacris apicibus destinatis jussum fuisse, Episcopos, quos à propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc usque in locis propriis degunt, pro sustentatione & stipendiis præsentis vitæ esse jungendos. Et licet ad hoc Fraternitatem vestram jussio Principalis admoneat, habemus tamen majus his mandatum æterni Principis, quò ad hæc terribilius peragenda compellimur, ut non dico Fratres & Coepiscopos nostros, sed ipsos etiam, quos nobis contrarios patimur, cùm opportunitas postulat, in conferendis subsidiis necessitatum carnalium diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem & cælesti primitus Principi obedientes existere, & Imperialibus etiam jussionibus consentire; Quatenus Fratres Coepiscopósque nostros, quos & captivitatis diversarúmque necessitatum angustiæ comprimunt, debeatis consolandos convicturosque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: Non quidem ut per communionem Episcopalis Throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia, juxta possibilitatem sufficientiæ, debeant alimenta percipere.*

Xenia quævis à Coëpiscopis accipere recusabat, ut testatur Joannes Diaconus *Lib. 3. cap.* 24. utque probant ejus Epistolæ ibidem à Diacono laudatæ. Quin etiam in eos erat munificus. Nam ad Ecclesium Clusinum Episcopum vestem hyemalem, & equum, quo post infirmitatem veheretur, liberaliter transmisit. (*Ex Joanne Diacono, & Epistola 27. Libri III.*) Aliaque aliis Coëpiscopis contulit beneficia & munera. Bona Ecclesiæ in conviviis impendi non ferebat Sanctissimus Pontifex. Unde Natalem Salonitanum Episcopum, conviviis indulgentem, graviter increpuit, & factum exemplo Abraham & Isaac excusantem, docuit quæ licita sint Episcopis convivia. (Epistola 14. Libri 11.) *Convivia autem, quæ ex intentione impendendæ caritatis fiunt,*

Qualia esse debeant Episcoporum convivia.

sunt, rectè vestra Sanctitas in suis Epistolis laudat: Sed tamen sciendum est, quia tunc veraciter ex caritate prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur: Et non ineis inanes sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur; Cùm non plus quàm necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur.

Perfectio Monasticæ Vitæ in Aula Pontificia Gregorii.

XV. Sanctis, & eruditis Monachis familiariter usus, *Nihil Monasticæ perfectionis in Palatio, nihil Pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit. Videbantur passim cum eruditissimis Clericis adhærere Pontifici Religiosissimi Monachi: Et in diversis professionibus habebatur vita communis: Ita ut talis esset tunc sub Gregorio penes urbem Romanam Ecclesia, qualem hanc sub Apostolis Lucas, & sub Marco Evangelista penes Alexandriam Philo commemorat* (inquit Joannes Diaconus, *Lib.* II. *cap.* 11.)

Officia Ecclesiastica, & Missæ Ordinem in meliorem formam redegit S. Gregorius.

XVI. Ecclesiasticorum Officiorum ordinem in meliorem formam redegit. Missarum Codicem Gelasianum, nonnullis immutatis, & adjectis, in uno volumine contraxit. Addidit Canoni hæc verba: *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æternâ damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Orationem Dominicam, post Canonem, recitari jussit. *Kyrie eleison* cantari; *Alleluia* dici extra tempus Paschale, Subdiaconos Albis tantùm amictos in Sacrificio Altaris ministrare. Cùm verò nonnulli adversùs illos ritus, ceu novos, & ab Ecclesia Constantinopolitana in Romanam traductos, obmurmurarent, facti rationem reddidit sapientissimus Pontifex, ostenditque, se ritus illos à Græcis non accepisse, sed in Romana Ecclesia antiquitùs institutos instaurasse, aut certè, quos utiles judicavit instituisse (Epistola 64. Libri VII.) *In nullo eorum*, inquit, *aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam ut Alleluia hîc diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia, ex B. Hieronymi traditione tempore B. Damasi Papæ, traditur tractum; & ideo magis in hâc Sede illam consuetudinem amputavimus, quæ hîc à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem ut spoliatos procedere faceremus, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit.... Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus, sicut à Græcis dicitur: Quia Græci simul omnes dicunt; apud nos autem à Clericis dicitur, & à populo respondetur: Et totidem vicibus etiam, Christe eleison, dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.... Orationem verò Dominicam, idcirco mox post Precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem, Oblationis Hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut Precem quam Scholasticus composuerat, super Oblationem diceremus, & ipsam Traditionem quam Dominus noster composuit, super ejus Corpus & Sanguinem taceremus. Sed & Dominica Oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos verò à solo Sacerdote. In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas & utiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari?* Cantum Ecclesiasticum in meliorem formam instauravit: & Scholam Cantorum, nonnullis prædiis, & duabus domibus ipsis assignatis, instituit.

Cantus Gregorianus.

Porrò cantus ab eo institutus ille est planus & unisonus, quem ab ipso Gregorianum nuncupamus, progrediens per certos limites & terminos tonorum, quos modos seu tropos vocant Musici, & octonario numero definiunt, secundùm naturalem generis diatonici dispositionem. Diaconos Cantores eligi prohibuit, in Romana Synodo, Subdiaconis, & inferioribus Clericis id munus demandari decernens. Quâ de re *Lib. IV. Epistola* 44. ita scribit: *In Romana Ecclesia dudum est consuetudo valde reprehensibilis exorta, ut quidam sacri altaris Ministri Cantores eligantur, & in Diaconatûs Ordine constituti, modulationi vocis inserviant; quos ad prædicationis officium, eleemosynarúmque studium, vacare congruebat. Unde fit plerúmque, ut ad sacrum ministerium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur; & Cantor Minister Deum moribus stimulet, cùm populum vocibus delectat.... Qua in re præsenti Decreto constituo, ut in hac Sede sacri altaris Ministri cantare non debeant, solúmque Evangelicæ Lectionis officium inter Missarum solemnia exsolvant. Psalmos verò ac reliquas Lectiones, censeo per Subdiaconos; vel, si necessitas fuerit, per minores Ordines, exhiberi.*

Stationes à S. Gregorio dispositæ.

XVII. Stationes per Basilicas & Cœmeteria Martyrum solicitus ordinavit, per quas & ipse discurrens, dum adhuc eloqui valeret, viginti Homilias super Evangelia, coram Ecclesia, diversô tempore, declamavit; totidem verò dictavit, sed lassescente stomacho, languore continuo, aliis pronuntiandas commisit. Verba sunt Joannis Diaconi, *Lib.* 2. *cap.* 17.

S. Gregorii humilitas ejus Opera legi in Ecclesia non patitur.

Opera sua in Vigiliis, sive nocturnis Officiis, legi passa non est ipsius humilitas; quâ de re lib. X. Epistola 22. ita scribit: *Quia frater & Coëpiscopus meus Marinianus legi Commenta B. Job publicè ad Vigilias faciat, non gratè suscepi, quia non est illud Opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat. Sed dic ei, ut Commenta Psalmorum legi ad Vigilias faciat, quæ mentes sæcularium præcipuè ad mores informant. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facilè hominibus innotesci. Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatolius Diaconus quærenti ac jubenti Domino Imperatori Librum Regulæ Pastoralis dedit, ægre suscepi; quem sanctissimus frater & Coëpiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam Linguam transtulit; & sicut mihi scriptum est, ei valde placuit: sed mihi valdè displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.*

Imò nec ad mensam Coëpiscorum Scripta sua legi passus est humillimus Pontifex, ut constat ex Epistola 9. Libri VI. ad Syracusanum Episcopum datâ. *Audio*, inquit, *quòd aliqua de his quæ scripsisse me memini, Fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat: quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc quod vos pro caritate facitis, possum quidam, quantum ad me est, vana gloria deputare. Ideoque coram extraneis Antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant, qui audierint, informari.*

S. Gregorius apud Imperatorem Mauritium expostulat de Lege in Ecclesiæ incommodum dictâ, eamque ut temperet.

XVIII. Cùm Mauritius Imperator Lege latâ prohibuisset, ne Curiales, sive publicis rationibus obnoxii, in Clerum, vel in Monasteria reciperentur, & ne milites ad Monasticam admitterentur professionem, S. Gregorius primum caput Imperatoriæ Legis laudavit, sed ita posse temperari censuit, ut in Monasteriis suscipi non possent, qui publicis rationibus erant obnoxii, nisi Monasterium eorum rationes redderet, ac debita solveret. Eandem verò Legem, quoad alterum caput, improbavit, quòd militum conversioni & saluti impedimentum apponebat, ac de illius rigore apud Principem expostulavit, rogavitque, ut ipsam temperaret. De primo capite ita scribit, Epistola LXII. Libri 2. ad Mauritium Imperatorem datâ: *Legem suscepi, in quâ Dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum Officium venire non liceat, quod valde laudavi, evidentissimè sciens, quia qui sæcularem habitum deserens ad Ecclesiastica Officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quod verò in eadem Lege dicitur, ut ei in Monasterio converti non liceat, omnino miratus sum: dum & rationes ejus possent per Monasterium fieri, & agi potest ut ab eo loco in quo suscipitur, ejus quoque debita solvantur.*

De secundo verò ejusdem Legis capite, quod

S. Gregor. Apostolica libertas in commonendis de officio Principibus, cum summa humilitate conjuncta.

militum conversionem spectat, ita scribit: *Quam Constitutionem, ego fateor Dominis meis, vehementer expavi: quia per eam Calorum via multis clauditur, & quod nunc usque licuit, ut liceat prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt Religiosam vitam, etiam cum seculari habitu, ducere. Et plerique sunt qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. Ego vero hac Dominis meis loquens, quid sum nisi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra Auctorem omnium Deum hanc intendere Constitutionem sentio, Dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas Dominorum meorum pietati cœlitus data est super omnes homines, ut qui bona appetunt adjuventur, ut cœlorum via largiùs pateat, ut terrestre regnum cœlesti Regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, Ut ei, qui semel de terrenâ militia signatus fuerit, nisi aut expletâ militiâ aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Jesu Christo militare non liceat. Ad hac ecce per me servum ultimum suum & vestrum respondebit Christus dicens: Ego te de Notario Comitem Excubitorum, de Comite Excubitorum Cæsarem, de Cesare Imperatorem, nec solùm hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci: Ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo servitio milites tuos subtrahis? ... Unde per eumdem tremendum Judicem deprecor, ut illa tanta lachrymæ, tantæ orationes, tanta jejunia, tantæque eleemosynæ Domini mei ex qualibet occasione apud omnipotentis Dei oculos fuscentur; sed aut temperando Pietas vestra, aut immutando, rigorem ejusdem Legis inflectat: Quia tunc magis Dominorum exercitus contra hostes crescit, quando Dei exercitus ad orationem creverit.*

Imperatoris tamen Legem in Provincias misit S. Gregorius, obediendum esse ratus mandatis Principis. *Ego quidem*, inquit, *jussioni subjectus, eamdem Legem per diversas terrarum partes transmitti feci; & quia Lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

Legem Imperatoris mittendo, temperavit S. Gregorius.

Eam tamen Legem promulgando, nonnihil temperavit S. Gregorius, existimans temperamentum illud gratum omnino Imperatori futurum. Hortatus est scilicet Metropolitanos, ne in Clero, aut in Monasteriis susciperent eos, qui publicis actionibus erant implicati, donec rationes reddidissent. Milites verò ad Monasticam Professionem non esse temerè suscipiendos, sed cum delectu, & postquam triennio integro in habitu seculari probati essent. Legenda est Epistola illius XI. Libri VII. ad Metropolitanos data, in qua hæc habet: *Legem quam Piissimus Imperator dedit, ne fortasse hi, qui militiæ, vel rationibus publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasteriis convertantur, vestra studui Fraternitati transmittere; hoc maximè exhortans, quod hi qui seculi actionibus implicati sunt, in Clero Ecclesiæ præproperè suscipiendi non sunt: Quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quàm vixerant, vivunt, nequaquam student seculum fugere, sed mutare. Quòd si etiam tales quoque Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius à rationibus publicis absoluti fuerint. Si qui verò ex militaribus viris in Monasteriis converti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et, juxta Normam Regularem, debent in suo habitu per triennium probari, & tunc Monachicum habitum Deo auctore suscipere. Quâ de re etiam Serenissimus & Christianissimus Imperator, mihi credite, omnino placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.*

Existimarunt tamen Viri Eruditi, & inter alios illustrissimus Parisiensium Archipræsul *Petrus de Marca*, S. Gregorium Legem Imperatoriam auctoritate Pontificia non temperasse, sed id præstitisse Imperatoris delegatione usum. Ea scilicet à Justiniano Imperatore collata fuerat potestas Præfectis Prætorio, ut Leges ad se missas in aliquo capite temperare, aut ab earum executione abstinere possent, donec suis Relationibus suggessissent Imperatori, quæ pro utilitate publicâ videbantur (ut colligitur ex Novella CLII.) Unde cùm Edicta de rebus Ecclesiasticis ad Patriarchas eô exemplô mitterentur, poterant & ipsi eodem jure uti, ut Legem Imperatoris in aliquo temperarent, vel illius executioni supersederent, si rebus Ecclesiasticis detrimentum aliquod inferre videretur.

S. Gregorius Reipublicæ difficillimis temporibus, curam gerit.

Exemplo suo docuit, S. Gregorius, Episcopos Reipublicæ curam gerere debere, cùm in discrimine constituta est, & ipsam contra hostes tueri. Leontium ad Nepesinos misit, ut civitatem regeret, ut constat ex Epistola 2. Libri VIII. *Leontio*, inquit, *curam sollicitudinémque Civitatis injunximus; ut in cunctis invigilans, quæ ad utilitatem vestram, vel Reipublicæ pertinere dignoscet, ipse disponat, &c. Quisquis congrua ejus ordinationi restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscetur.*

Constantium Tribunum Neapolim misit, ut civitatem tueretur, ut constat ex Epistola 24. Libri XII. ad Neapolitanos milites datâ. *Summa*, inquit, *militia laus, inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ Reipublicæ utilitatibus exhibere, sicut & nunc Devotionem vestram fecisse didicimus, quæ Epistolis nostris, quibus magnificum virum Constantium Tribunum custodiæ Civitatis deputavimus præesse, paruit, & congruam militaris devotionis obedientiam demonstravit.* Nequis tamen inde colligat jam tunc Romanum Pontificem fuisse Neapolitanæ urbis, aut aliarum civitatum Dominum: illis enim, non suo, sed Imperatoris nomine consulebat, Duces præficiebat, mandata dabat, ut ex verbis sequentibus ejusdem Epistolæ perspicuum est. *Unde*, inquit, *Scriptis vos præsentibus curavimus admonendos, uti prædicto viro magnifico Tribuno, sicut & fecistis, omnem debeatis pro Serenissimorum Dominorum utilitate, vel conservandâ civitate obedientiam exhibere.* Ad Tarracinensem Episcopum scripsit, ut neminem ab excubiis & custodia murorum, prætextu privilegiorum Ecclesiæ, se subtrahere pateretur, sed omnes ad civitatis defensionem & custodiam compelleret. (Epistola XX. Libri 7.) *Quia verò*, inquit, *comperimus, multos se à murorum vigiliis excusare, sit Fraternitas vestra sollicita, ut nullum, neque per nostrum, vel Ecclesiæ nomen, aut quolibet alio modo, defendi à vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur, quatenus, omnibus vigilantibus, meliùs, auxiliante Domino, civitatis valeat custodia procurari.* Eamdem Archiepiscopo Calaritano curam demandavit, Epistola 2. Libri 7. Indict. 2. *Murorum vigilias, & sollicitudinem in locis facies omnibus adhiberi.* Et Epistola 5. eidem jussit, ut urbem muniri curaret, in eamque necessaria inferri omnia, ut Longobardorum obsidionem sustinere posset: *Longobardorum Rex pacem non facit. Ideo necesse est ut Fraternitas vestra, dum licet, civitatem suam, vel alia loca fortiùs muniri provideat, atque immineat, ut abundanter in eis condita procurentur; quatenus hostis non inveniat quod lædat, sed confusus abscedat.*

Pacem cum Longobardis faciendam Imperatori Mauritio cùm S. Gregorius suggessisset, ipsius consilium, ceu viri simplicis contempsit Princeps, literásque parum modestas ad ipsum dedit, de quibus graviter conquestus est Sanctissimus Pontifex *Epistola* 35. *Libri* IV. ad Mauritium ipsum datâ, Imperatorémque docuit Sacerdotes debitâ reverentiâ prosequi debere, non Scripturæ Sacræ duntaxat auctoritate, non Constantini Magni tantum exemplo, sed Principum etiam ethnicorum.

Imperator Pontificem, & cunctos Sacerdotes revereri debet.

Ego

Ego igitur, inquit, *qui in Serenissimorum Dominorum jussionibus ab Arnulphi astutiâ deceptus, non adjunctâ prudentiâ simplex denuntior, constat proculdubio quia fatuus appellor: Quod ita esse ego quoque ipse confiteor. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda, quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minimè venissem. In ea autem re quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed etsi Sacerdos non sum, scio gravem esse hanc injuriam Sacerdoti, ut veritati serviens, fallax credatur .... Et quidem si terra mea captivitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione meâ atque irrisione lætus tacerem. Sed & hoc me vehementer affligit, quia ego unde crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorum jugo captiva. Dumque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Sacerdotibus autem non ex terrenâ potestate Dominus noster cito irascatur, sed propter eum cujus servi sunt, ita eis dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat ... Quid mirum si illos vestra Pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus?* Constantini deinde Imperatoris reverentiam erga Sacerdotes Mauritio ponit ob oculos. Tum ethnicorum etiam Principum exemplo eum coarguit. *Quid ergo mirum si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum Pagani Principes honorem impendere Sacerdotibus noverunt, qui Diis ligneis & lapideis serviebant? Hæc ergo Pietati Dominorum, non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccator sum.*

Pacem antea cum Longobardis fecerat Sanctissimus Pontifex, sed negligentiâ & imprudentiâ Mauritii fracta est. Irrupit in Romanos Agilulphus Rex Longobardorum, Urbem obsedit, Romanorum ingentem multitudinem captivam fecit. Obsidionis durissimæ tempore S. Gregorius cum Gregorio Præfecto & Castorio Magistro militum, communibus curis & laboribus pro defensione & salute Urbis invigilavit. Quas ob curas, & eximiam fidem, cùm ipsis gratulari Mauritius Imperator debuisset, ipsos malè excepit, & Sancto Pontifici exprobravit, frumentum ejus culpâ Romæ defuisse. Hæc sua & Reipublicæ mala enarrantem audiamus S. Gregorium Epistola mox laudatâ. *Multas jam plagas acceperam*, inquit, *& supervenientibus Dominorum Jussionibus inveni consolationes quas non sperabam. Si enim possum, has celeriter plagas enumero. Primùm quòd mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Tuscia positis, sine ullo Reipublicæ dispendio, feceram, deinde corruptâ pace, de Romanâ civitate milites ablati sunt. Et quidem alii ab hostibus occisi, alii verò Narniæ & Perusii positi, & ut Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga gravior fuit adventus Agilulphi, ita ut oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos qui intra civitatem fuimus, Deo protegente, manus ejus evasimus; quæsitum est unde culpabiles esse videremur, videlicet cur frumenta defuerint, quæ in hac Urbe diu multa servari nullatenus possunt. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientiâ fateor, adversa quælibet pati paratus sum, dummodo hac omnia cum salute dumtaxat animæ meæ evadam. Sed de gloriosis viris Gregorio Præfecto, & Castorio Magistro Militum non mediocriter sum afflictus, qui & omnia, quæ potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum & custodiæ civitatis in eadem obsessione vehementissimos pertulerunt, & post hæc omnia gravi Dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo, quia eos non sua acta, sed mea persona gravat.*

Ex Ecclesiæ bonis sumptus necessarios subministrabat sanctus Pontifex ad Urbis defensionem, ut ipse testatur Lib. 4. *Epistola* 34. & contributiones solvebat Longobardis, quibus Romanos ab eorum sævitiâ redimeret. *Viginti autem jam & septem annos ducimus*, inquit, *quod in hac Urbe inter Longobardorum gladios vivimus. Quibus quàm multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravenna partibus Dominorum Pietas apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac Urbe in causis talibus eorum Sacellarius ego sum.*

Pacem tandem ab Agilulpho Longobardorum Rege S. Gregorius obtinuit, cui gratias egit pro tanto beneficio (*Lib.* 7. *Epistola* 41. *Indict.* 2) Necnon Theodolindæ illius conjugi, (*Epistola* 42.)

Scribit Sanctus Gregorius ad Phocam Imperatorem ipsumque admonet officii.

XX. Occisô cum filiis Mauritio cùm Phocas ad Imperium pervenisset, Sanctus Gregorius literas ad ipsum dedit venerationis & fidei suæ atque obedientiæ testes, simùlque hortatorias ut Imperium Christianè & modestè gereret. *Quiescat felicissimis temporibus vestris universa Respublica, cessent testamentorum insidiæ, redeat cunctis in rebus propriis secura possessio. Hoc namque inter Reges gentium & Reipublicæ Imperatores distat, quòd Reges gentium Domini servorum sunt, Imperatores vero Reipublicæ Domini liberorum.*

Obitus Sancti Gregorii.

XXI. Malâ valetudine diu afflictus, gravi diuturnâque vexatus podagra, immensis pro Ecclesia perfunctus confectusque laboribus, libris ad Christianorum institutionem & ædificationem perpetuam editis, de quibus inferiùs agemus, ad vitam immortalem migravit, anno 604. cùm annos tredecim, menses sex, & dies decem Ecclesiam rexisset. ejus memoria festivis honoribus celebratur, quarto Idus Martii, quo è vitâ excessit. Epitaphium ipsi positum Venerabilis Beda exhibet Lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum cap. 1. ubi & ejus Vitam compendio describit.

SCHOLION I.

In istius Capitis Articulo primo, pag. 10. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papæ auctoritas saltem æqualis est Imperatoriæ.*

R. Non mea; sed Symmachi Pontificis Maximi Propositio est, de quo scripsi: *Pontificiam cum Imperatoria Dignitatem conferens, Pontifices Regibus superiores esse ostendit, illisque reverendos.* Ejus verba refero ex Epistola Apologetica ad Anastasium Imperatorem, in qua hæc inter alia leguntur: ITAQUE UT NON DICAM SUPERIOR, CERTE ÆQUALIS HONOR EST. Extra fragmentum Epistolæ Symmachi non legitur in libris meis hæc propositio: *Papæ auctoritas saltem æqualis est Imperatoriæ.* Hanc mihi cur affingunt indiculi Censorii Auctores? Cur hanc e Symmachi testimonio avellunt, & ipsius esse dissimulant? Symmacho injuriam faciunt graviorem quam mihi, cùm ejus Propositionem & verba reprehendere & notare non verentur.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 11. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Anastasius Papa in divisione Provinciarum Galliæ multa innovavit, vel potius confudit.*

R. Facti quæstio est, cujus testis legitimus Symmachus Anastasii in Sede Apostolica Successor in Epistola I. ad Æonium Arelatensem Episcopum, cujus verba ibi descripsi. Idem confirmat Epistola II. & quæ ab Anastasio innovata fuerant rescidit, confirmans divisionem Provinciæ inter Viennenses & Arelatensem Ecclesias a S. Leone constitutam, ut constat ex Epistola IX. ipsius Symmachi ad Episcopos Galliæ. Indiculus ergo Censorius Symmachum Papam ferit potiùs quàm Natalem Alexandrum; si verbum illud, *vel potius confudit*, Religiosis Censoribus fortè displicent, Symmacho Pontifici succenseant, qui ita locutus est.

SCHOLION III.

Articulo sexto ejusdem Capitis, pag. 23. Edit. primæ,

Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Pontifex Simoniam eliminat auxilio Potestatis sæcularis.*

R. Quid hic reprehensione dignum ? An quod Pontifex Simoniam eliminaverit ? An quod id dictum ab Athalarico Italiæ Rege impetraverit, quo Senatus-Consultum jam antea contra Simoniacos latum confirmabat ? Utrumque præstitit *Joannes Secundus*, & quidem laudabiliter. *Necesse quippe fuit* (ut dixi) *ad excidendas mali radices, Magistratuum & Regis ipsius auctoritate Ecclesiasticam adjuvari.* Testis hujus facti Epistola Athalarici Regis ad Joannem Secundum, quæ apud Cassiodorum habetur libro IX. *Variarum* decima-quinta. Illam indicare satis habui, nunc ejus verba profero ut Religiosis Censoribus satisfaciam. *Nuper* (inquit) *ad nos Defensor Ecclesiæ Romanæ flebili allegatione pervenit, cùm Apostolicæ Sedi peteretur Antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos ita facultates pauperum extortis promissionibus ingravasse, ut, quod dictu nefas est, etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantùm fuit crudele committi, tantò gloriosum est adhibita pietate resecare. Atque ideo Sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad universos Patriarchas atque Metropolitanas Ecclesias volumus pertinere ; ut à tempore Sanctissimi Papæ Bonifacii, cùm de talibus prohibendis suffragiis Patres conscripti Senatus-Consulta nobilitatis suæ memores condiderunt : Quicumque in Episcopatu obtinendo sive per se, sive per aliam quamcumque personam aliquid promisisse declaratur, ut execrabilis contractus cunctis viribus efficietur. Si quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem : verùm etiam si aut repetendum, aut quod acceptum est non reddendum esse crediderit, sacrilegii reus proximus habeatur, accepta restituens compulsione Judicis competentis. Justissima siquidem Leges, ut bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem. Præterea quicquid in illo Senatûs est decretum Consulto, præcipimus in eos modis omnibus custodiri, qui se quoque modo per interpositas quascumque personas scelestis contractibus miscuerunt... Vos autem, qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis, quoniam Constitutio nostra ab illicita promissione liberavit, restat ut bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos Majestati Pontifices offeratis. Iniquum est enim ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos Laicis divina consideratione præclusimus. Quæ propter si quis Apostolicæ Præsulem Ecclesiæ, vel Patriarcharum Episcopum, sive per se, sive per parentes, aut servientium quascumque personas aliqua suffragia crediderit ambitione promovendum, & ipsum reddere accepta definimus, & quod est Canonibus statutum, cum modis omnibus esse passurum.*

Scolion IV.

Articulo X. ejusdem Capitis, pag. 36 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Reges Galliæ jure protectionis vindices Canonum.*

R. Id agnovit Pelagius I. Pontifex Maximus in Epistola ad Childebertum Regem Christianissimum, cujus verba ibidem descripsi. Hancne Christianissimis Regibus gloriam ? Hanc Ecclesiæ felicitatem invident, quòd tam potentes, tam pios nacta sit Protectores ?

Scholion V.

Articulo XIII. ejusdem Capitis, Num. v. pag. 48 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt : *Episcopi respectu Papæ vocantur Coëpiscopi.*

R. Gravis reus sum erroris, Censorum Religiosorum judicio, quòd scripserim loco ab ipsis notato : *Qua se humilitate & caritate erga* Coëpiscopos *gereret S. Gregorius, constat ex Epistola ejus ad Eulogium*, &c. Scilicet ægrè ferunt Episcopos respectu Papæ *Coëpiscopos* vocari. Erravit igitur S. Cyprianus, cùm scripsit lib. De Unitate Ecclesiæ : *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur ?* Erravit, cùm Romanos Pontifices Stephanum, Cornelium, Fabianum, Lucium, suos & aliorum Episcoporum *Fratres & Collegas* appellavit. Erravit Stephanus I. cum ad S. Cyprianum scribens, illum aliosque Præsules Ecclesiæ Africanæ ceu *Coëpiscopos* salutavit ? Erravit Innocentius I. scribens ad Episcopos Milevitanæ Synodi : *Præsertim quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres & Coëpiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est ; sui nominis & honoris auctorem referre debere.* Erraverunt Pontifices omnes, qui Episcopos alios vocaverunt *Fratres & Coëpiscopos* : Scilicet, Siricius Epistola quarta, Innocentius I. Epistola septima ad Rufum, Gerontium, & alios Macedoniæ Episcopos, Epistola undecima ad Aurelium Carthaginensem, Epistola decima-quarta ad Atticum Constantinopolitanum Episcopum ; Celestinus I. in Epistola ad Episcopos Galliæ ; Sixtus III. in Epistolis ad S. Cyrillum Alexandrinum, ad Joannem Antiochenum, ad Proclum, ad Episcopos per Illyricum constitutos ; S. Leo in Epistolis ad Viennensis Provinciæ Episcopos, ad Turribium Asturicensem, ad Anatolium, & Gennadium Constantinopolitanos, ad Episcopos Mauritaniæ, ad omnes Galliarum Episcopos, &c. Hilarius Epistola ad Ascanium & universos Episcopos Tarraconensis Provinciæ ; Simplicius in Epistola ad Joannem Ravennatem Episcopum ; Felix III. in Romana Synodo cui præfuit ; Gelasius I. in Epistolis ad Episcopos omnes per Picenum constitutos, ad Episcopos Lucaniæ, ad Æonium Arelatensem Episcopum, Anastasius II. in Epistola ad Anastasium Imperatorem ; Symmachus Epistola X. ad universos Episcopos Galliæ, & in Epistola ad Æonium Arelatensem, Hormisdas in Epistolis X. ad Avitum Viennensem, XXII. ad Dorotheum Thessalonicensem, LI. ad universos Hispaniæ Episcopos, LVI. ad Joannem & Dioscorum Legatos, &c. Agapetus I. Epistola II. ad Africanos Episcopos ; Vigilius Epistula VII ad Aurelium Arelatensem, & IX. ad Episcopos Galliæ ; Pelagius I. in Epistolis III. XI. & XIV. ad Childebertum Regem ; Pelagius II. Epistola III. ad Gregorium Diaconum, S. Gregorius M. Libri II. Indict. XI. Epistola IX. *Convocato Episcoporum Concilio, si hæc in quibus accusatus est, fuerint approbata, possit Natalis fratris & Coëpiscopi nostri volumus in eum proprium robur obtinere sententiam.* Libri VI. Epistola XIX. ad Cyprianum Diaconum : *Novit dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse, ut Fratres & Coëpiscopi nostri Romam semel in triennio convenirent.* Idem vocabulum in aliis passim Epistolis usurpat. Martinus I. in Epistola V. ad Joannem Episcopum Philadelphiæ ; Gregorius II. Epistola IV. & XIV. Gregorius III. Epistola II. ad Bonifacium Zacharias Epistola IX. ad eumdem ; Gregorius IV. Epistola I. Leo Quartus in Romano Concilio, quod in causa Anastasii Presbyteri Cardinalis habuit, Nicolaus I. Epistola X. ad Metropolitas & Episcopos Constantinopolitanæ Sedi subjacentes, Ignatium Constantinopolitanum Episcopum *Comministrum* suum vocat & *Consacerdotem.* Hadrianus II. Epistola VI. ad Synodum Tricassinam, Epistola VII. & XXI. Joannes VIII. Epistola LVII. ad Archiepiscopum Ravennæ, & Epistola CIV. ad Bituricensem Episcopum ; Leo Nonus Epistola III. ad Thomam Africanum ; Gregorius VII. Libri III. Epistola XII. Libri IV. Epistola III. Libri sexti Epistola XXXV. & alibi passim in toto Regesto ; Victor III. in Beneventano Concilio cui præfuit, Urbanus II. in Sermone quem habuit in Claromontano Concilio ; Paschalis II. Epistola XXX. ad Episcopos Angliæ ; Alexander III. Epistola LIII. Innocentius III. Lib. I. Epistola ad Abbatem & Monachos Eurgulienses : *Ea*, inquit, *quæ à Fratribus &* Coëpiscopis *nostris, qui in partem sollicitudinis nostræ sunt vocati, auctoritate Apostolicæ Sedis ratione prævia statuuntur, ne per aliquorum insolentiam seu temeritatem immutentur, vel infringantur, aut in dubium revocentur, Apostolico debent munimine roborari.* An tot Pontifices errasse dicent Censores Religiosi, cùm Episcopos vocarunt *Fratres* suos, *Comministros, Consacerdotes, Coëpiscopos* ? Quid igitur peccavi, referens S. Gregorium alios Episcopos iis nominibus appellasse ? Stupendum autem est quòd ea voce *Coëpiscopus*, omnimodam æqualitatem Romani Pontificis cum aliis Episcopis, non solùm in Ordine Episcopali (quod nemo Catholicus negat) sed etiam in auctoritate & Jurisdictione (quod soli Hæretici asserere possunt) significari existimaverint, nec attenderint Episcopos cùm ad Presbyteros & Diaconos olim scriberent, eos *Compresbyteros* & *Condiaconos* appellasse, ut ex S. Augustini Epistolis patet : Nec tamen simplices Presbyteri, multò minùs Diaconi Episcopis pares ab ullo umquam Catholico dicti sunt.

Scholion VI.

Ad eumdem Articulum, eamdemque paginam, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant : *Papa Episcopis non debet jubere, sed indicare, quia pares.*

R. Hæc propositio non est mea ; neque hîc, nec ullibi in libris meis simile quid legitur. Sic tantùm scripsi loco à Religiosis Censoribus notato : *Qua se humilitate & caritate erga Coëpiscopos gereret S. Gregorius, constat ex Epistola mox laudata ad Eulogium, in qua jussionis vocabulum usurpare se nolle significat.* Sancti Pontificis verba deinde subjicio. Pontificem Romanum Episcopis non debere aut non posse jubere, ipsos Romano Pontifici pares esse, nusquam scripsi, nusquam dixi, nusquam cogitavi. *Romanum Pontificem divino jure cæteris Episcopis superiorem, omnesque Episcopos canonicam obedientiam illi exhibere debere*, credidi semper, Dei gratiâ, docui, scripsique quavis occasione data, & pro Catholicis istius Dogmatis defensione sanguinem meum, adjuvante Deo, profundere sum paratus. Calumniam igitur patior, cùm hæc mihi propositio ab Indiculi Censoris Auctoribus affingitur, *Papa Episcopis non debet jubere, sed indicare, quia pares.*

Scholion VII.

In eodem Articulo Num. XVIII. pag. 71. Edit. primæ, Censores Indiculus hanc velut meam Propositionem notat : *Papa Leges Imperatoris servare tenetur, etiam contra Immunitatem & Legem Divinam.*

R. Hæc

R. Hæc non minùs atrox præcedenti Calumnia. De Mauritii Imperatoris Lege ibi loquor, quâ prohibuit, ne Curiales, sive publicis rationibus obnoxii, in Clerum vel in Monasteriis reciperentur, & ne Milites ad Monasticam admitterentur Professionem. Quo modo in hujus promulgatione vel moderatione Legis se gesserit S. Gregorius, expono ex ipsius ad Mauritium Imperatorem Epistola, cujus verbis magna ex parte descriptis, subdo: *Imperatoris tamen Legem in Provincias misit S. Gregorius, obediendum ratus mandatis Principis:* EGO QUIDEM, inquit, JUSSIONI SUBJECTUS, EANDEM LEGEM PER DIVERSAS TERRARUM PARTES TRANSMITTI FECI; ET QUIA LEX IPSA OMNIPOTENTI DEO MINIME CONCORDAT, ECCE PER SUGGESTIONIS MEÆ PAGINAM SERENISSIMIS DOMINIS NUNTIAVI &c. Neque hic, nec alibi in Operibus meis legitur illa Propositio: *Papa Leges imperatoris servare tenetur contra immunitatem & Legem Divinam.*

SCHOLION VIII.

Ibidem pag. 72. & 73. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa Imperatoris delegatione utitur temperando Leges iniquas.*

R. Affirmatè non loquor, neque ex propria Sententiâ, sed historicè referendo aliorum opinionem En verba mea: *Existimarunt Viri Eruditi, & inter alios Petrus de Marca, S. Gregorium Legem Imperatoriam Auctoritate Pontificia non temperasse, sed ad præstitisse Imperatoris delegatione usum* Quam opinionem ipsis pene doctissimi Archipræsulis verbis lib. II. *De concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. xi. §. ix. expono. Eam porrò opinionem vindicat idem Auctor Illustrissimus in secunda sui Operis Præfatione, §. v. *Attamen, inquit, quum Præfectis Prætorio, ad quos Leges dabantur, liberum erat, ex Novella Justiniani, si quid utilitati publicæ adversaretur, ad Principem referre, atque interim executionem suspendere, eâdem auctoritate usum fuisse Gregorium dixi in temperanda Mauritii Lege: cujus primum caput observari jussit, secundum verò quod Milites à Monasticâ Vita amplectenda arcebat, Epistolâ suâ ad Metropolitanos datâ suspendit. Quod Imperatori gratissimum esse significat. Ex facto fere constat, eadem Epistolâ, pravideque eadem auctoritate, Legis partem unam publicatam, alteram verò suspensam fuisse. Atqui Gregorius ipse Mauritio rescripsit, se jussioni subjectum esse, Imperatori obedientiam præbuisse, missa Constitutione per diversas terrarum partes. Sanè Apostolica Sedis Principatus ad eam servitutem demitti non potest, ut jussioni Principis subjectus dicatur, eique obedientiam exhibere. Quare vel hinc patet, alio titulo quam Summi Pontificatus, publicandæ Legis curam suscepisse Gregorium. Nullis enim preceptis, iterum dico, vel delegationibus submitti potest summa illius Auctoritatis & Dignitatis apex... Qui jure Primatûs egisse volunt Gregorium Epistolâ illâ ad Mauritium scriptâ, quâ secundum Legis caput suspendit, incautè Sectariis latus aperiunt, qui ex eadem facto colligunt ratione Primatus Gregorium subjectum fuisse præceptis Mauritii. Deinde non advertunt suspensam tantum fuisse Legis executionem, sed alterum Legis temperamentum aut immutationem à Principe Gregorium expectasse. Aut temperando, inquit, Pietas vestra, aut immutando vigorem ejusdem Legis inflectat. Satius ergo mihi videtur totum istud negotium ad mores ejus seculi accommodare, asserendo publicandam Legem Gregorio ut Patriarchæ demandatam; qui delegationis auctoritate usus, executionem suspenderit, & quid sibi videretur, ad Mauritium retulerit, ut decidi Princeps Legem mutaret vel temperaret.* Hæc eruditus Archipræsul. Ex quibus constat, eum non sensisse S. Gregorium Imperatoris delegatione usum quatenus Summus Pontifex erat, & ratione Primatûs; sed quatenus erat Patriarcha Occidentis, cujus aliquæ Provinciæ Imperatori Orientis parebant. Et tamen eam Petri de Marca Sententiam refero dumtaxat historico more. Quamobrem nihil causæ est cur hæc mihi Propositio à Religiosis Censoribus affingatur, quæ mea non est, *Papa Imperatoris delegatione utitur temperando Leges iniquas.* Sanè S. Gregorium Auctoritate Apostolicâ hac in causâ nullatenus usum constat ex his ipsius verbis in Epistola ad Imperatorem: *Ego indignus Pietatis vestræ famulus, in hac suggestione neque ut Episcopus, neque ut servus jure Reipublicæ, sed jure privato loquor.*

SCHOLION IX.

In eodem Articulo Num. xx. pag. 78. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Venerationem, fidem, & obedientiam Imperatori Papa profitetur.*

R. Non ita scripsi: sed, *Cùm Phocas ad Imperium pervenisset, S. Gregorius literas ad ipsum dedit venerationis & fidei suæ atque obedientiæ testes.* Quid mirum? Siquidem iis temporibus Pontifices Romani in rebus civilibus & temporalibus Imperatori subditi erant, cùm Ecclesia Romana nondum temporalem ditionem & Principatum haberet. In iis igitur quæ Imperii erant, non in iis quæ Regimen Ecclesiæ spectabant, Fidem & obedientiam Imperatori se debere S. Gregorius agnovit. *Ego*, inquiebat, *Jussioni subjectus*, &c. Hinc laureatas Phocæ & Uxoris ejus Augustæ statuas Romæ solemni pompa suscepit, ut moris erat post novorum Imperatorum Inaugurationem.

CAPUT III.

De Controversiis, & Hæresibus VI. Sæculi.

ARTICULUS I.

De Causa Trium Capitulorum.

§

Quid ante Synodum V. hac in causâ gestum fuerit?

CUM Nonnus professus Origenista, unâque cum eo Theodorus Cæsareensis, & Domitianus Ancyranus Episcopi, Origenis etiam pertinacissimi defensores, magnos in S. Sabæ Laura tumultûs excitassent, plurimósque Ecclesiastici ac Monastici Ordinis viros adjunxissent Sectæ, studiis suis redivivæ, Palæstini quidam Monachi libellos contra Origenem ac ejus Sectatores ad Justinianum Imperatorem detulerunt: quibus Pelagius Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Apocrisiarius, & Mennas Constantinopolitanus Patriarcha, operam suam apud Principem commodarunt. Justinianus, quem delectabat causarum hujusmodi cognitio, Decretum de Origenis errorúmque illius damnatione scribi jussit, cui Mennas, Pelagius, & quotquot in Regia Urbe tunc degebant Antistites: tum Vigilius ipse Romanus Pontifex, ac cæteri Patriarchæ, ad quos eâ de re encyclicam Epistolam Justinianus dedit, anno 544. subscripserunt. Sicque per totum orbem Christianam conclamata est Origenis damnatio. Hæc refert Liberatus in *Breviario*, *cap.* 23. Epistolam verò encyclicam Justiniani exhibet Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum Christi 538.

Origenis damnatio.

Origenis damnatione vehementer offensus Theodorus, ut damnatis ipsius manibus parentaret, ac de Pelagio damnationis ejus Auctore ultionem repeteret, quem noverat Calchedonensis Concilii cum Romana Ecclesia & Occidentalibus omnibus acerrimum defensorem; Justiniano persuasit facilè conciliari posse cum Catholicis Acephalos, & ad Synodi Calchedonensis adduci subscriptionem, si tria duntaxat, quæ ipsis erant offensioni, corrigeret, nempe si Theodorus Mopsuestenus Episcopus, Nestorii Magister, in Ibæ Edesseni Episcopi Epistola ad Marim Persam laudatus, damnaretur. Deinde si prohiberentur & configerentur Libri Theodoreti contra XII. S. Cyrilli Capitula. Tandem si rejiceretur memorata Ibæ Epistola, in quâ laudat Theodorum Mopsuestenum, S. Cyrillum accusat, & Ephesinæ Synodi contra Nestorium Sententiam, velut præcipitem, & citra examen latam, sugillat.

[illegible]

Justiniano, redintegrandæ spe concordiæ, Theodori propositio valdè placuit: intercessere verò Catholici complures, rati Tribus illis Capitulis condemnatis labefactari Concilii Chalcedonensis auctoritatem, in quâ & Ibas cum Epistola sua, Theodorique Mopsuesteni commendatione, receptus fuerat, & Theodoretus Sedi suæ restitutus, intactis Scriptis, quæ contra Cyrilli Anathematismos ediderat, dictóque duntaxat in Nestorium anathemate. Pervicit tamen Imperator, & anno 545. Ædictum adversùs Tria Capitula promulgavit, quod ad Patriarchas misit subscribendum. Porrò in damnati Origenis ultionem, Trium Capitulorum proscriptionem ab Origenistis fuisse procuratam, Domitianus Ancyranus in Libello

Edictum Justiniani.

Libello ad Vigilium fassus est, Facundo teste, *Lib.* 1. *cap.* 2. cui Liberatus *cap.* 24. *Breviarii* suffragatur. Quod confirmat Vigilius Pontifex in Sententiâ adversùs Theodorum Cæsareensem latâ.

Cùm Episcopi Orientales subscribunt, Episcopis Occidentis repugnantibus.

Edicto Justiniani adversùs tria Capitula, quidam Episcoporum inviti pene subscripserunt; alii refragati sunt generosiùs. Frustra Stephani Diaconi, Romanæ Sedis Apocrisiarii, & Dacii Mediolanensis Episcopi, qui tum Constantinopoli degebat, constantiam solicitavit Imperator. Negatâ namque subscriptione, Vigilium Pontificem Maximum his de turbis fecere certiorem. Orientales Patriarchæ, scilicet Zoilus Alexandrinus, Euphremius Antiochenus, & Petrus Hierosolymitanus, exauctorationis metu subscripserunt, Mennas Constantinopolitanus, eâ conditione, ut suum reciperet chirographum, si hæc Romanus Episcopus non probaret... Plures Episcopi, Libellis apud Stephanum Romanæ Sedis Apocrisiarium depositis, & ad Vigilium transmissis, contestati, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent, ut Facundus Hermianensis refert *Lib.* 4. *cap.* 4.

Occidentales verò Episcopi, & præcipuè Africani, quos inter Carthaginensis Reparatus, Numidiæ Firmus, Boëthius Byzacii, Primates, Victor Tunonensis, Facundus Hermianensis, & Pontianus eminebant, omnibus studiis & conatibus Edicto Justiniani sunt adversati. Gravissimam eâ de re ad Imperatorem Epistolam scripsit Pontianus, in quâ hæc leguntur: *In extremo itaque Epistolæ vestræ* * *cognovimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum, & Scripta Theodoreti, & Epistolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad nos usque nunc minimè pervenerunt. Quòd si pervenerint, & aliqua ibi apocrypha, quæ contra fidei regulam dicta sunt, legerimus; dicta possumus respicere, non Auctores dictorum præcipiti condemnatione damnare. Quòd si adhuc viverent, & errorem suum non emendarent, justissimè damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur sententia condemnationis nostræ? Quod in eis recorrigatur, non est. Sed timeo, piissime Imperator, ne sub obtentu damnationis istorum, Eutychiana hæresis erigatur: Et dum minima Judicia non spernimus, ad majorem hæresim collisionemque veniamus. Et quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congressione victoria? Apud Judicem verum jam tenentur, à quo nullus appellat. Per ipsum, in quo nos honoratis & diligitis, supplicamus Clementiam tuam, ut pax permaneat temporibus tuis, ne dum quærit damnare jam mortuos, multos inobedientes interficias vivos, & ei rationem exinde reddere compellaris, qui judicaturus est vivos & mortuos.*

* Ita Edictum Justiniani vocat.

Synodum indicit Justinianus.

Hæc spectans Imperator, & Vigilii Romani Pontificis in Edicti sui adversùs Tria Capitula negandâ subscriptione constantiam, Synodum in Regia Urbe celebrandam indixit, ad quam Patriarchas, & Vigilium imprimis vocavit, redurendorum ad Ecclesiæ fidem & unitatem Acephalorum specie; sed reverâ, ut Trium Cipitulorum, quam decreverat, damnationem, omnium suffragio, & Romanæ Sedis auctoritate confirmari curaret.

Vigilius Constantinopolim proficiscitur.

Anno 545. egressus Româ Vigilius, Constantinopolim rectâ non perrexit, sed in Sicilia per annum ferè moratus est, tum ut Synodi celebrationem in ea Insula ab Imperatore impetraret, quò ex Oriente, Occidente, atque Africa, Episcopi facilè navigatione se conferrent: tum ne Romam à Gothis obsessam, periculosis temporibus penitus desereret. Interim Africæ ac Sardiniæ Episcopi Pontificem per Legatos rogarunt, ne Justiniani adversùs Tria Capitula Edictum auctoritate suâ roboraret, in Synodi Chalcedonensis injuriam, ut testatur Facundus *Lib.* 4 *cap.* 3.

Constantinopolim pervenit Vigilius 25. Januarii, anno post Consulatum Basilii 6. Christi 547. ut colligitur ex *Auctario Marcellini*, summóque honore à Justiniano exceptus est. Ibi insignia Pontificiæ auctoritatis dedit argumenta. Decretum enim contra Acephalos promulgavit, quamvis ipsis favere Theodoram Augustam non ignoraret; ut testatur S. Gregorius Magnus *Lib.* 2. *Epistola* 36. *ad Episcopos Hyberniæ*, vel (ut Viri quidam Eruditi legendum putant) *Histriæ*. Mennam etiam Constantinopolitanum Antistitem, quòd plurimos Episcopos ad subscribendum Justiniani Edicto compulisset, à Communione suspendit, quam tamen illi post quinque menses restituit, rogante Imperatrice; ut colligitur ex Theophane, in Chronico.

Vigilii Judicatum, quo tria Capitula damnavit.

Anno Christi 548. obtinuit à Vigilio Justinianus, ut in Conventu septuaginta Episcoporum Constantinopoli causam Trium Capitulorum discuteret. Quorum dissensionem animadvertens Pontifex, statuit per seipsum, scorsim à Synodo sententiam dicere, singulorumque suffragiis ad se scripto delatis, *Judicatum* dedit ad Mennam, quô Tria Capitula huc usque à se cum Occidentalibus Episcopis vindicata damnabat, *Salvâ in omnibus reverentiâ Synodi Chalcedonensis*, ut ipse contestatus est. Quâ quidem contestatione, Latinorum scrupulo mederi voluit, qui Trium Capitulorum damnationi adeo refragabantur, quòd eâ grave vulnus inferri Chalcedonensi Concilio existimarent.

Impugnatur ab Episcopis Occidentis.

Ubi primùm Occidentalibus Ecclesiis innotuit Vigilii Judicatum, sacrâ Principis jussione commendatum promulgatúmque, plurimos habuit adversarios, qui Pontificem ut proditæ fidei reum, & Concilii Chalcedonensis conculcatorem sugillarunt. Africani, & Illyrici Episcopi, non solùm improbarunt *Judicatum*, sed ejus approbatores Ecclesiasticâ privarunt communione. Imò Vigilium ipsum, factâ Synodo anno 550. anathemate confixerunt Africani Antistites, reservatô ei Pœnitentiæ loco, datísque ad Justinianum literis per Olympium Magistrianum, Trium Capitulorum defensionem suscepere, ut testatur Victor Tunonensis in Chronico. Facundus Hermianensis acriori & petulantiori stylo Vigilii *Judicatum* proscidit, *Libro contra Mocianum*.

Ab Africanis damnatur.

Africani Schisma faciunt.

* Rusticus & Sebastianus Diaconi, deficiunt à Vigilio.

Jam anno præcedenti à Vigilio defecerant Rusticus* & Sebastianus Diaconi Romanæ Ecclesiæ doctissimi, *Judicatum* impugnantes factâ conspiratione cum Felice, Gillitani in Africa Monasterii Hegumeno, disseminatísque per Provincias literis Vigilium tanquam Synodi Chalcedonensis prævaricatorem infamaverant. Quamobrem famæ suæ consulens Pontifex, datis ad nobiles Episcopos literis, scilicet ad Valentianum Tomitanum in Ponto Metropolitam, & ad Aurelianum Arelatensem, anno 550. docuit in Judicato suo se nihil contra Synodi Chalcedonensis reverentiam admisisse. Rustico interim & Sebastiano falsi rumoris auctoribus, gradus sui honorem & ministerium abrogavit. Sententia damnationis in eos lata, inserta est Actis Quintæ Synodi, *Collatione* 7.

Vigilius se purgat.

Cùm verò tot turbas ob quæstionem de Tribus Capitulis in Ecclesia exortas, nonnisi Oecumenici Concilii auctoritate sedari posse, cùm Vigilius, tùm Justinianus intelligerent, utrique indicendum visum est. De loco inter eos non convenit. Illud in Italia cogi vehementer optabat Pontifex, aut in Sicilia, ut ipse testatur in *Constituto* ad Justinianum. In Urbe verò Regia illud celebrari voluit Imperator, qui singularum Imperii Provinciarum Episcopos sacris jussionibus evocavit. Judicatum interim suum ex Mennæ manibus recepit Vigilius, omnem deinceps, usque ad Concilium, de Tribus Capitulis quæstionem sub anathematis pœnâ interdicens, ut Clerus Italiæ testatur in Libello Francorum Legatis tradito: Ipséque Vigilius in Sententia contra Theodorum latâ

Vigilius quæstionem de tribus Capitulis haberi vetat usque ad Synodum.

Evocanti

Evocanti ad Synodum Imperatori cùm ægrè ac ne vix quidem Occidentales Episcopi parerent, neque Vigilius quidquam sine illis decerni vellet, ipsi persuadere conatus est Princeps, ut si nollent Occidentales, ipse solus cum Græcis Tria Capitula damnaret. Renuente Vigilio, Theodorus Cæsareensis apud Imperatorem effecit, ut Edictum adversùs Tria Capitula publicè proponeret, palamque, tùm in Ecclesia Constantinopolitanâ, cùm alibi suspendi juberet: quod anno 551. factum est. Id gravissimè tulit Vigilius, accitisque in Placidianam domum Græcis pariter ac Latinis Episcopis, communionis suæ suspensionem comminatus est, si Edicto præberent assensum. Idemque contestatus est Datius Mediolanensis Episcopus. Sed Pontificis minis insuperhabitis, Theodorus cum Græcorum Antistitum catervâ, ad Ecclesiam, in quâ suspensum erat Edictum, se contulit, ibique sacra celebravit Mysteria. Quin etiam Zoilum Alexandrinum Episcopum, Trium Capitulorum damnationi repugnantem, è sacris Dypthchis expunxerunt, & exauctorarunt. Ista constant ex Epistolâ Encyclica Vigilii ad universam Ecclesiam, ex Sententia ab eodem latâ in Theodorum, & ex Libello Clericorum Italiæ ad Legatos Francorum.

Justinianus Imperator moræ impatiens, Edictum adversùs Tria Capitula solum tum promulgat.

Vigilius vexatur.

Incensus irâ Justinianus, quòd Vigilium non tantùm Edicto suo adversari, sed etiam illud recipientes ab Ecclesiastica Communione removere videret, ipsum custodiæ tradi jussit. Quâ de re clam monitus, in Basilicam Sancti Petri in Hormisda confugit. Missus Prætor, qui illum inde per vim abduceret, populi tumultu repulsus est, favente etiam militum ad commiserationem inflexorum negligentiâ. Acceptô per Imperatoris Legatos, Belisarium, Cerhegum, & Petrum Exconsules, Marcellinum Quæstorem, & Justinum ipsius Augusti nepotem, sacramento, in Placidianas ædes rediit. Sed cùm præter fidem datam novis in dies afficeretur injuriis, & missos clam à Justiniano milites intellexisset, qui domum custodirent, biduò ante Natale Christi, Chalcedonem fugit, ad Sanctæ Euphemiæ Basilicam. Citò perlatâ in Italiam persecutionis Vigilio illatæ famâ, doluere plurimi Pontificis vices. Legatis Childeberti Francorum Regis per Italiam transeuntibus, & Constantinopolim ad Justinianum pergentibus, Italiæ Clerus Libellum supplicem porrexit, quô Vigilium, ipsis impensè commendabat, necnon Datium Mediolanensem, ipsosque rogabat enixè, ut Gallicanos Episcopos in Vigilii communione, scriptis in Gallias literis continerent, seque oppressi Pontificis, & adhærentium ipsi Antistitum Patronos præstarent ac defensores. Jam enim sibi persuasus erat florentissimus Italiæ Clerus de Gallorum pietate, & reverentia in Sedis Apostolicæ Præsules.

Childeberti Regis Christianissimi Legatis, Clerus Italiæ Romani Pontificis & Ecclesiæ causam commendat, datô libello supplici.

Anno 552 missi ab Imperatore ad Vigilium Legati, v. Kalendas Februarii, qui ipsum, datâ iterum publicâ fide, Constantinopolim revocarent. Re infectâ redierunt. Missus etiam seorsim, semel atque iterum, Petrus Referendarius, primò cum Charta contumeliis in ipsum refertâ, pridie Kalendas: deinde ut ipsum, datâ Principis fide, ad reditum excitaret, pridie Nonas: sed nihil promovit. Imò die sequenti Vigilius Encyclicam de calamitatibus suis Epistolam scripsit, latam verò in Theodorum depositionis Sententiam & communionis suspensionem adversùs Mennam Patriarcham Constantinopolitanum promulgare noluit, ne Justiniani animum magis exasperaret, ut ipsemet testatur in Epistola Encyclica. *Nunc quoque suggerimus*, inquit, *& rogamus pro pace, quam per Pietatem tuam pridem Deus donavit Ecclesiæ, ut eam nullorum hominum turbari amplius insinuatione permittas: Nec auctorem totius scandali Theodorum ultra vexare Fidem Catholicam patiaris: Quoniam ante sex menses à nobis inter alios Communione sacrâ privatus est, & ab Episcopatu, propriâ pravitate, depositus: Per eam videlicet paginam, quam adhuc pro Mansuetudinis vestræ intuitu, & spe conversionis, ejus, sicut dictum est, publicè proferre distulimus.* Ad quem locum non attenderunt viri doctissimi *Sirmondus*, & D. *de Marca*, cùm scripserunt, * Vigilium Encyclicam de calamitatibus suis scripsisse, depositionisque Sententiam in Theodorum, quam ante sex menses condiderat, protulisse in lucem.

** Sirmondus in ... Chronica adjuncta Notis ad Facundum. De de Marca in Dissert. de Epistola Vigilii.*

Vigilii constantiâ victus Justinianus, Edictum sustulit, ac integram futuræ Synodo reliquit Trium Capitulorum cognitionem. Tunc Mennas, Theodorus, & alii factionis ejusdem Episcopi, Fidei & Pœnitentiæ libellos Vigilio obtulerunt; ac de injuriis *ipsius Beatitudini, vel Sedi factis*, veniam sunt deprecati. Quibus peractis, Chalcedone relictâ, rediit Constantinopolim Vigilius. Obiit paulò post Mennas, cui successit in Regiæ Urbis Episcopatu Eutychius Monachus, qui ut primùm electus est, Fidei Libellum Vigilio obtulit: rogavitque ut communi tractatu mora de Tribus Capitulis controversia finiretur in Synodo. Annuit ejus votis Vigilius, eâ lege, ut exæquatô Latinorum Episcoporum numerô Græcis Antistitibus, qui Constantinopolim convenerant, de Tribus Capitulis tractaretur. Id testatur Vigilius ipse in Constituto.

§. II.

De V. Synodo Oecumenia.

JUSTINIANUS Imperator moræ impatiens, adversùs pacta conventa Synodum coëgit IV. Nonas Maii. Adfuere Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domnus Antiochenus, Patriarchæ, Hierosolymitanus per Vicarios: Patres universim centum sexaginta quinque. Octo Collationibus absoluta Synodus est. In prima lecta est Justiniani Sacra Jussio per Theodorum Silentiarium ad Synodum perlata; quâ Patres ad Trium Capitulorum examen, & ad judicium de illis ferendum hortabatur, quæ Romani Pontificis Judicato jam confixa essent. Lectæ sunt deinde Eutychii recèns inaugurati literæ ad Vigilium datæ, Fidei professionem ipsius continentes & preces humillimas, *ut præsidente ejus Beatitudine*, controversia de Tribus Capitulis finiretur. Lectæ sunt & Vigilii literæ ad Eutychium & subditos ipsi Episcopos, quibus annuit, ut de Tribus Capitulis, *factâ regulari conventu, servatâ æquitate, mediis sacro-sanctis Evangeliis, collationem cum unitis Fratribus haberent*; & quæstioni finis imponeretur *conveniens his, quæ à Sanctis quatuor erant definita Conciliis*. Cùm verò probè nossent Orientales, Oecumenicam non fore Synodum, nisi per se, vel per Legatos, Romanus Pontifex adesset, honorificam ad Vigilium legationem decreverunt, quam imposuere Eutychio Constantinopolitano, & aliis Patriarchis, ac Metropolitanis sexdecim. Hi nomine Concilii Pontificem adierunt, rogantes ejus Beatitudinem, ut ad Synodum conveniret, & causam Trium Capitulorum cum cæteris Episcopis disceptare vellet, quemadmodum datis ad Eutychium literis pollicitus fuerat. Ille valetudinem causatus, responsionem distulit in crastinum, quâ pollicitus est se significaturum *quod ei de tali Conventu placeret*: id est, an illam Synodum legitimæ & canonicæ loco haberet.

Synopsis Actorum Quintæ Synodi.

Collatio prima.

Vigilius PP. rogatur ut Concilio pro suo jure præsideret.

Honorifica legatio ad ipsum decreta.

In secunda Collatione, Patriarchæ & Metropolitani qui Vigilium secundò convenerant pridie Nonas Maias, ipsum rogaturi ut ad Synodum accederet, Legationis exitum suæ ad Patres retulerunt. Responderat autem se cum illis convenire non posse,

Collatio secunda.

quòd Occidentales Episcopi sibi adhærentes, numero ab Orientalibus vincerentur: Quamobrem se, circa Trium Capitulorum quæstionem, seorsim dicturum in scriptis sententiam, eámque missurum ad Imperatorem, à quo propterea postulaverat inducias. Reposuerant Legati ipsum promissis teneri ad controversiam cum unitis Fratribus disceptandam ac judicandam: se autem cum illo communione conjungi; nec decere ut conventus propter Occidentalium absentiam differretur: cùm in IV. Synodis Oecumenicis vix duo aut tres Occidentalis Episcopi interfuissent: nunc verò adesset ipse Pontifex, & aliquot Italiæ, Africæ, & Illyrici Episcopi. Retulêre pariter illustrissimi Patritii, quos Imperator cum Episcopis Legationem Synodi obeuntibus ad Vigilium delegaverat, quid cum illo egissent. Illum scilicet spopondisse, ut priùs, intra dictum aliquot spatium per se responsurum in scriptis, quid sibi de controversiâ videretur. Tum gloriosissimi Judices Imperatoris nomine jusserunt Episcopis, ut Vigilio etiam absente, Synodum haberent. Quamobrem Patres Episcopos Occidentis, qui Vigilio adhærebant, ad Conventum invitandos duxere, scilicet Primasium Adrumetinum Episcopum Provinciæ Byzacenæ in Africa, Sabinianum Zapparenum, Projectum Naisitanum, & Paulum Justinianæ Secundæ, sive Ulpianæ * Episcopos, Illyricianæ Dioeceseos. Respondit Primasius, absente Papa se ad Synodum cum Orientalibus non conventurum. Responderunt alii, se cum Benenato Primæ Justinianæ Metropolita, eâ de re acturos. Quod Synodo minimè displicuit, quia Benenatus adversùs Tria Capitula cum Orientalibus sentiebat. Non ideò tamen visa est diutius differenda de Tribus Capitulis cognitio.

** Ulpianam Dardaniæ urbem de suo nomine Justinianam secundam appellari jussit Imperator.*

Collatio Tertia.

Hanc aggressi sunt Patres Collatione IV. duntaxat. Nam Collatione III. quæ Septimo Idus Maias habita est, Patres Fidem ab Apostolis traditam, & à Sanctis quatuor Synodis expositam, necnon à SS. Patribus & Doctoribus Ecclesiæ, professi sunt; omnes Hæreticos à laudatis quatuor Conciliis damnatos, & ipsi pariter anathemate damnantes.

Collatio Quarta.

Collatione IV. Trium Capitulorum cœptum est examen. Multæ ex Theodori Mopsuesteni libris excerptæ blasphemiæ, in Patrum consessu perlectæ. Recensitum est & impium ejus Symbolum: quô auditô Synodus exclamavit universa: *Hoc Symbolum Satanas composuit. Anathema ei, qui hoc Symbolum composuit. Hoc Symbolum Ephesina prima Synodus, unà cum Auctore ejus anathematizavit. Anathema Theodoro Mopsuesteno. Iste Evangelia reprobavit: Iste dispensationem injuriavit. Anathema illis qui non anathematizant eum; Defensores ejus Judæi sunt: sequaces ejus Pagani sunt.*

Collatio Quinta.

In V. Collatione, quæ habita est octavo Idus Maias, recitata sunt quæ à SS. Patribus contra Theodorum Mopsuestenum scripta erant, & quæ contra eumdem legibus Imperatorum erant sancita. Recensita sunt primò testimonia Sancti Cyrilli, quibus Theodori errores perstringit. Secundò Libellus Sancto Proclo Patriarchæ Constantinopolitano ab Episcopis, Clericis & Monachis majoris Armeniæ, Persidis, & vicinarum Gentium contra Theodorum Mopsuestenum oblatus: & Fragmentum Tomi à Sancto Proclo scripti ad Armenos. Tertiò variæ S. Cyrilli Alexandrini Epistolæ scilicet ad Clericos & *Lamponem* Presbyterum: Ad *Acacium Melitenum*: ad *Rabbulam* Episcopum *Edessenum*: Ad Monachos. Ex quibus probatum est, Nestorium hæresim suam & blasphemias ex Theodori Mopsuesteni fonte hausisse. Quartò lecta est Epistola *Rabbulæ* Edesseni Episcopi contra Theodorum. Quintò Fragmentum ex Historia Ecclesiastica Hesychii Presbyteri Hierosolymitani, ex quo ejusdem Theodori probata est impietas. Sextò, Leges Theodosii & Valentiniani contra Theodori & Nestorii nomen ac doctrinam. Septimò, Fragmenta Epistolarum Theophili Alexandrini Episcopi ad Porphyrium Antiochenum; & Sancti Gregorii Nysseni ad Theophilum. Octavò, testimonia Theodoreti, qui Theodorum Mopsuestenum adversùs Sanctum Cyrillum vindicans, fidem facit errores, quos Theodoro tribuit Cyrillus, verè ipsius esse.

Theodori Mopsuesteni scripta expenduntur.

Post hæc disceptatum est, Utrùm liceret defunctos anathemate damnare: quod licitum esse, & quandoque necessarium, gravibus momentis probatum est. Post hæc, recitari jussa est Mopsuestena Synodus, ex cujus Actis probatum est, Theodori nomen ex Ecclesiæ Dyptichis jam olim expunctum fuisse, & in locum ejus Sancti Cyrilli nomen substitutum.

Item Scripta Theodoreti.

His peractis, ad examen alterius Capituli, Scriptorum scilicet Theodoreti, transitum est. Multa ex ejus Operibus contra Sanctum Cyrillum deflorata: Recensitæ ejusdem Epistolæ ad *Andream Samosatenum*, Ad *Nestorium*, post initam pacem Orientales inter & Sanctum Cyrillum, Ad *Joannem Antiochenum* (seu potiùs ad *Domnum* ejus successorem) post mortem Cyrilli, quâ suam de ejus obitu significabat lætitiam, innumerisque ipsum onerabat maledictis. Discussis Theodoreti Dogmatibus, Sancta Synodus dixit: *Ex his quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas S. Chalcedonensis Concilii. Sciens enim ejus blasphemias, priùs quidem multis sæpius usa est contra eum exclamationibus: posteà verò non aliter eum suscepisset, nisi priùs anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit, defendens eus.*

Collatio Sexta.
Epistola Ibæ discussa.

Collatione sexta, die 19. Maii habitâ, tertium Capitulum discussum est, scilicet Epistola *Ibæ* ad *Marim Persam*. Recensita est etiam Epistola *Procli* Episcopi Constantinopolitani ad *Joannem Episcopum Antiochenum*, in quâ scripsit, Apud se accusatum esse Ibam, quòd Nestorii dogmata diligeret, ac nonnulla ex impiis Theodori Mopsuesteni Capitulis in Syrorum linguam transtulisset, & quàcumque transmisisset. Propterea sæpius accusatum, & in Synodo Berytensi ægrè purgatum. Relecta sunt pleraque Acta Ephesinæ Synodi, Epistolæ Sancti Cyrilli ad *Nestorium*, & Nestorii ad *Cyrillum*; Celestini I. Pontificis Maximi *ad Nestorium*. XII. Sancti Cyrilli Anathematismi; Sancta Leonis Epistola ad *Flavianum*, & PP. Chalchedonensium, ipsam approbantium suffragia, Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum; & Synodi Chalcedonensis Definitio fidei. Cum quibus Instrumentis collata Ibæ Epistola, convicta est erroris, & à Definitione illa prorsus aliena pronuntiata est: observarúntque Patres, Chalcedonensem Synodum ideo Ibam adegisse ad Nestorium, cum impiis ejus dogmatibus anathemate damnandum, ut ea convelleret, quæ in Epistola effutierat. Deinde omnes Episcopi exclamaverunt: *Epistola Hæretica est. Epistolam quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus. Istam omnes anathematizamus. Epistola aliena Synodo est. Epistola contraria Definitioni est; tota Epistola hæretica est. Tota Epistola blasphema est. Qui hanc non anathematizat, Hæreticus est. Qui eam suscipit, non confitetur Deum Verbum hominem factum esse. Qui eam suscipit, Cyrillum non suscipit. Anathema Theodoro, & Nestorio & Epistolæ quæ dicitur Ibæ.*

Collatio Septima.

Collatione septimâ, quæ die 26. Maii habita est, Constantinus Quæstor sacri Palatii missus ad Synodum est ab Imperatore, cum Instrumentis probantibus *Vigilium* Romanum Pontificem Tria Capitula semper execratum fuisse, ac damnasse. Ea erant, Sententia prolata in Rusticum & Sebastianum Romanæ Ecclesiæ Diaconos, Capitulorum pervicacissimos defensores, & Judicati adversùs

ipsa

ipsa prolati ab eodem Pontifice contemptores petulantissimos. Item Epistolæ ab eodem scriptæ hâc de controversia ad *Valentinianum* Episcopum Tomitanum in Provincia Scythiæ, & ad *Aurelianum* Arelatensem Episcopum: quibus in consessu Patrum perlectis; ultimum de Tribus Capitulis Judicium in alteram diem dilatum est.

Constituti à Vigilio scripti die 14. Maii, cùm pridie habita fuisset quinta Collatio Synodi, & ab ipso missi ad Justinianum, mentio nulla facta est: sive quòd illud nondum accepisset Imperator, sive quòd se accepisse dissimularet, nec ipsum cum Synodo communicasset, quia metuebat ne Trium Capitulorum retardaret damnationem. Hæc autem est *Vigiliani Constituti* summa. In eo queritur Pontifex, contra pactas conditiones habitam Synodum. Aggreditur deinde disputationem de Tribus Capitulis. LX. sententias quæ *Theodori Mopsuesteni* esse dicebantur, ab Imperatore per *Benignum* Episcopum ad se transmissas damnat. *Theodori* verò personam ac nomen negat posse damnari. Quod multis probat momentis. Primò, quia Sanctus Cyrillus Alexandrinus de illo ad Joannem Antiochenum, vel Orientalem Synodum rescribens, ita tradidit: *Quæ prolata est à Sancta Synodo Ephesina Definitio, veluti à Theodoro disposita, sicut afferentes dicebant, nihil habens sanum, evacuavit quidem tam Sancta Synodus veluti perversarum plenam intelligentiarum, condemnant item eos qui sic sapiunt. Dispensatim verò mentionem Viri non fecit, neque eum nominatim anathemati subdidit, neque alios.* Secundò, quia revera in Synodo Ephesina, de Theodori Mopsuesteni persona legitur nihil. Tertiò, quia cùm delatum fuisset ad Ephesinos Patres Theodori nomen ab iis qui Symbolum ejus nomine vulgatum proferebant, Sanctus Cyrillus Ecclesiasticam moderationem circa mortuum, sapientiâ Sacerdotali servans, noluit nomen ejus, ne monumentis quidem Synodalibus, propter regulam quæ de mortuis in Sacerdotio servanda est, contineri. *Grave est enim*, inquit Vigilius, *insultare Defunctis, vel si Laici fuerint, nedum illis qui in Episcopatu vitam deposuerunt.* Quartò, quia nec Synodus Chalcedonensis aliquid statuit adversùs *Theodorum Mopsuestenum*; imò eadem Synodus, in Relatione ad Marcianum Imperatorem, Literas Joannis Antiocheni, & Orientalis Synodi memorat, quibus Theodori Mopsuesteni personam post mortem non esse damnandam suadet. Quintò, quia Decessores sui, eos qui viventes damnati ab Ecclesia non essent, post obitum damnandos non esse asseruerunt: Quod ex Sancto Leone probat in Epistola ad *Theodorum Forojuliensem Episcopum*; & ex Gelasio, in Epistola quam ad Episcopos Dardaniæ de causa Acacii scripsit. Addit, Hanc regulam in SS. Joannis Chrysostomi, atque Flaviani memoriâ servatam; qui licet exauctorati sint, non tamen pro damnatis sunt habiti, eò quòd semper inviolatam eorum communionem Romani Pontifices servaverint: nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, vel poterunt, quos sibi inconvulsè unitos Apostolica judicavit Auctoritas. Sextò, Dionysii Alexandrini profert exemplum, qui *Nepotem Ægypti* Episcopum, Millenarium, in pace Ecclesiæ defunctum, nullâ aggressus est injuriâ, sed libros duntaxat ipsius confutavit, ac Scriptis suis evertit: (ex Eusebio, *Lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ*) Ex quibus de Theodoro Mopsuesteno sic colligit: *Eum nostrâ non audemus damnare sententiâ: sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus.* Subdit tamen, Se omnia Capita & Scripta Evangelicis, & Apostolicis, ac Sanctarum quatuor Synodorum, & Apostolicæ Sedis non congruentia Doctrinis, non solùm sensu, sed vel etiam aure, admittere nusquam velle.

Summa Vigiliani Constituti in gratiam trium Capitulorum.

Quod Theodoretum spectat, decernit ejus Scripta speciatim non debere damnari: cùm in Synodo Chalcedonensi Nestorio anathema dixerit, Conciliique Decretis sine cunctatione subscripserit, ac B. Papæ Leonis Epistolæ pronâ devotione consenserit: neque aliud ab eo postulaverint Patres, quàm ut Nestorium anathematizaret. Quamobrem indignum esse ait Vigilius, ut sub ejus Viri nomine aliqua Nestoriana dogmata damnentur, qui cum Patribus ipsum Nestorium, ejúsque dogmata damnavit: idque in injuriam cedere Chalcedonensis Concilii. Undè ita colligit: *Hâc ergo rerum veritate pensâ, statuimus atque decernimus, Nihil in injuriam atque obtrectationem probatissimi in Chalcedonensi Synodo viri, Theodoreti Episcopi Cyri, sub taxatione nominis ejus à quoquam fieri vel proferri; sed custoditâ in omnibus personæ ejus reverentiâ, quæcumque scripta, vel dogmata ejus, cujuslibet nomine prolata, sceleratorum Nestorii atque Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus, atque damnamus.* Ne verò Theodoretum defendendo, in Nestorianæ suspicionem Hæreseos ullatenùs veniat, ipsam quinque Anathematismis disertè percellit.

Tandem nec Epistolam Ibæ sub ejus nomine damnandam censet: Tum quia relectâ hujusmodi Epistolâ in Synodo Chalcedonensi, Orthodoxus Ibas judicatus est. tum quia subscripsit Decretis ejusdem sanctissimæ Synodi, & Epistolæ S. Leonis: unde in Sedem suam, consentientibus Patrum suffragiis, restitutus est. Nefas autem esse retractare, quæ à Concilio Chalcedonensi erant judicata. Quod S. Leonis & Simplicii Decessorum suorum locupletissimis testimoniis confirmat. Séque semper ita affectum fuisse, ut inconcussa esse vellet Synodi Chalcedonensis Decreta, probat ex Epistola sua, sive *Judicato* de Tribus Capitulis *ad Mennam*.

His demum verbis claudit Constitutum: *Statuimus & decernimus nulli ad Ordines & Dignitates Ecclesiasticas pertinenti licere quidquam contrarium his, quæ præsenti asserimus, vel statuimus Constituto, de sæpe dictis Capitulis, aut conscribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam post præsentem Definitionem, movere ulteriùs quæstionem. Si quid verò de iisdem Tribus Capitulis, contra hæc quæ hic asserimus, vel statuimus, nomine cujuscumque ad Ordines & Dignitates Ecclesiasticas pertinentis, factum, dictum, atque conscriptum est, vel fuerit, & à quolibet ubicumque repertum; hoc modis omnibus, ex auctoritate Sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, refutamus.* Sexdecim Episcopi huic Vigilii *Constituto subscripserunt.*

Collatione octava, quæ celebrata est quarto Nonas Junias, omnibus quæ antea gesta erant, compendiô recensitis, definitivam adversùs Tria Capitula Synodus protulit Sententiam: in quâ hæc inter alia leguntur: *Condemnamus autem & anathematizamus unà cum omnibus aliis Hæreticis, qui condemnati & anathematizati sunt à prædictis quatuor Conciliis, & à Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, & Theodorum, qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, & impia ejus Conscripta: & quæ impiè Theodoretus conscripsit contra rectam Fidem, & contra XII. Capitula Sancti Cyrilli, & contra Ephesinam I. Synodum, & quæ ad defensionem Theodori & Nestorii ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus & impiam Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse; quæ denegat Deum Verbum de Sancta Dei Genitrice & semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, & Sanctæ memoriæ Cyrillum, qui rectè docuit, tanquam Hæreticum, & similiter Apollinario scribentem, calumniatur: & inculpat quidem Ephesinam I. Synodum, tanquam sine examinatione & quæstione Nestoriô ab eâ depositô: & XII. S. Cyrilli Capitula impia & contraria rectæ Fidei vocat: defendit*

Collatio octava.

Judicium Synodi & Definitio adversùs Tria Capitula.

sendit autem Theodorum, & Nestorium, & impia eorum dogmata & conscripta. Prædicta igitur Tria Capitula anathematizamus, id est, Theodorum impium Mopsuestenum, cum nefandis ejus conscriptis: & quæ impiè Theodoretus conscripsit: & impiam Epistolam quæ dicitur Ibæ, & defensores eorum. Subjiciuntur XIV. Anathematismi, quorum tres postremi feriunt Tria Capitula. Duodecimus non solùm impia Theodori Scripta, sed ejus etiam nomen ac personam, defensorésque configit. Decimus tertius verò & decimus quartus percellunt quidem Theodoreti Scripta, & Ibæ Epistolam, eorúmque defensores: Theodoretum autem ipsum & Ibam Orthodoxos Antistites, & in pace Ecclesiæ defunctos non perstringunt.

Denique Sententiæ in Tria Capitula prolatæ subscripsere Eutychius Constantinopolitanus Patriarcha Concilii Præses, Apollinarius Alexandrinus, Domnus Antiochenus, & alii suo ordine.

Origenes in V. Synodo damnatus.

Porrò non Tria duntaxat Capitula in V. Synodo damnata sunt, verùm etiam proscriptus Origenes, ut Dissertatione XVI. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi III. probavi, § cui titulus est: *Origenis Doctrinam erroris puram asserere vetat Ecclesiæ judicium*: Ubi *Halloixium* confutavi, perperam negantem, Origenem in Quinta Synodo fuisse damnatum. His quæ ibi dicta sunt, addenda *Libri Diurni* Romanorum Pontificum auctoritas, in secunda Fidei Professione. *Hæc igitur sancta atque universalia quatuor Concilia, etiam Sanctum Quintum Concilium venerandum assecutum est, & sub pia memoria Justiniano Principe, apud Constantinopolitanam Urbem est congregatum, cujus salutari consultu, unus esse de Sancta Trinitate Dominus noster Jesus-Christus veraciter prædicatus est: & confundentes ac dividentes sacra ejus Incarnationis arcanum, istius vocis spirituali mucrone prostrati sunt. In hoc Origenes cum impiis Discipulis & sequacibus, Didymo & Evagrio, & qui Creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam Gentilibus fabulis prosecuti sunt, æterna sunt condemnationi submissi. In eo Theodorus Mopsuestenus auctor Nestorii, pariterque Diodorus, & omnes execrandæ divisionis Discipuli, qui & Seminestoriani vocati sunt, sub anathematis æterna censura ab Ecclesia Dei projecti sunt. Cum his & Epistola, quæ Ibæ dicitur ad Marim Persam, & Scripta Theodoreti adversùs Beatissimum Cyrillum, cum condemnatione projecta sunt. In hoc Severus Acephalus cum Petro, & Zeara, cæterisque eorum impiæ confusionis consortibus atque sequacibus, perpetuâ condemnatione prostrati sunt, &c.* Utrùm verò prior fuerit cognitio de Origene, cognitione Trium Capitulorum, controversia est inter eruditos. Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca* asserit cognitionem de Origene successisse cognitioni de Tribus Capitulis. Præcessisse contendit Doctissimus Cardinalis *Norisius*. Nullam habitam fuisse de Origene cognitionem in ea quæ nunc dicitur Quinta Synodus, sed in Synodo ante quinquennium habitâ sub Menna, quæ à Veteribus Quintæ Synodi nomine etiam appellata est, *P. Garnerius* S. J. vir eruditus probare conatur in Dissertatione de V. Synodo, quam Liberati Breviatio à se edito, & elegantibus Notis illustrato subjunxit. Quæ Sententia iis argumentis validè concutitur, quibus *Halloixii* opinio eversa est. Cæterùm ista haud magni momenti quæstio.

§. III.

De iis quæ post Synodum V. in causa Trium Capitulorum gesta sunt.

Vigilius Pontifex Maximus Quintam Synodum eodem anno, quô celebrata est, approbavit, ut in Dissertatione ostendo, nec in exilium ob pertinaciam in eâ rejicienda suam deportatus est, quod Scriptores Latini plerique omnes, Anastasium Bibliothecarium secuti, memoriæ prodiderunt. Eamdem Synodum approbavit, ac Tria damnavit Capitula, ut primùm creatus est Pontifex, Pelagius I. cujus exemplo Africani, & Illyriciani Episcopi pene omnes ab eorum pertinaci defensione cessarunt, ut testatur Victor Tunonensis in Chronico, ad annos post Consulatum Basilii, XIV. XV. & XIX. At Venetiarum, & Istriæ Episcopi, non solùm Synodum V. impugnarunt, sed Schisma fecere: *Narsetem* Comitem, qui repugnantes vi cogere volebat ad eam recipiendam, ab Ecclesiæ Communione suspenderunt, teste Pelagio, Epistola 4. ad ipsum data: Synodum, incentore Paulino Aquileiensi Metropolita, habuere; in quâ Tria Capitula damnari posse negarunt citra Concilii Chalcedonensis injuriam. Habita est circa annum 557. De hoc Episcoporum Istriæ Conciliabulo ita scribit ad Narsetem Pelagius: *Cum si quid eos de Judicio Universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, fortè movebat, ad Sedem Apostolicam, quomodo semper factum est, electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt, & non clausis oculis, corpus Christi Dei nostri, hoc est Sanctam Ecclesiam lacerare.* Egit etiam cum Narsete, ut *Paulinus* Aquileiensis, & *Vitalis* Mediolanensis Antistes Constantinopolim captivi ad Justinianum mitterentur, Schismatis pœnas luituri: (ut patet ex Epistola 5. ipsius ad *Narsetem*) Quod tamen factum non est, cùm meliora de ipsis sperarentur.

Schisma Istriæ.

Joannes III. Benedictus I. Pelagius II. Quintam Synodum pariter approbarunt, ac Trium Capitulorum damnationem rite factam propugnavere. Pelagius anno 586. Schismaticis ad Ecclesiam reducendis manum admovit, missis ad eos Legatis *Redempto* Episcopo, & *Quodvultdeo* Abbate, cum literis quibus eos ad pacem hortabatur, ac unitatem. Tunc Sedi Aquileiensi *Gradum*, captâ à Longobardis *Aquileia*, translatæ, præerat *Elias*. Hunc & Collegas Pelagius urget ut ad sinum Sanctæ matris Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ redeant. Ipsis aditum aperit, mediáque offert, quibus in iis Schismatis vulnus sanetur. *Si quid fortè causa est*, inquit, *unde vestri scandalizati animi videantur, manentes in unitatis caritate, eligite de fratribus, ac filiis nostris, quos ad nos inquirendo, de quibus movemini, transmittere debeatis; & parati sumus, secundùm præceptionem Apostolicam, & cum caritate eos suscipere, & cum humilitate ad placita satisfactionis reddere rationem, & sine impedimento aliquo, cum omni dilectione, quando reverti voluerint, voluntate sincerissimâ relegare.* His Literis, hácque Legatione nihil promovit Pelagius. Nam Schismatici suos quidem cum literis Nuntios ad ipsum miserunt: sed nullam inire voluerunt de causa dissidii collationem, ut testatur idem Pontifex in Epistolâ II. ad ipsos datâ, quâ, ubi exposuit quàm grave malum sit Schisma, ipsos iterùm hortatur, ut quosdam è suis Romam mittant, vel saltem Ravennam, ubi factâ Congregatione Sacerdotum, à Legatis Pontificiis satisfactionem plenissimam percipiant: ne ampliùs animæ simplices divisæ à Sancta Ecclesiâ, pro superfluis quæstionibus, tam longâ obstinatione permaneant: Nec per eos, quos Dominici Gregis decet esse Pastores, & oves à septis Ecclesiasticis evagantes, rapacis Lupi dentibus consumantur. Nihil à Schismaticis obtinuerunt hæ Literæ caritatem Apostolicam spirantes. Sed illi prolixiori Epistolâ causam suam defendere sunt aggressi. Quare Summus Pontifex prolixiorem etiam Epistolam ad eos dedit, quàm à S. Gregorio tunc Diacono Pelagii scriptam, testatur Paulus Warnefridus *Lib. 3. de Gestis Longobardorum cap. 10.*

Pelagius II. pro extinctione Schismatis laborat.

Hac

Hac in Epistola, probat Synodum Chalcedonensem nullatenus læsam fuisse. Quintæ Synodi Decretis, & Trium Capitulorum damnatione. Theodorum Mopsuestenum Hæreticum fuisse, cùm ex ipsius Libris, tum ex Sanctorum Patrum testimoniis ostendit. Theodoreti jure proscriptos Libros contra S. Cyrillum, & Epistolam Ibæ meritò damnatam demonstrat. Schismaticorum objectiones diluit. Unitatis bonum commendat, & S. Cypriani exemplum revocat in memoriam, quem S. Augustinus eo nomine prædicat, quòd, licèt de iterando Hæreticorum Baptismate pravè senserit, nunquam tamen se à totius Ecclesiæ Communione suspendit. Epistolam denique his verbis concludit: *Unum tamen quod jam superiùs diximus, non tædet si etiam crebrò replicemus: Quia fidem sanctæ Chalcedonensis Synodi illibatam per omnia, Deo auctore servamus, ejúsque Definitiones, sicut Ephesina I. Constantinopolitana, ac Nicæna Synodi, irretractabiles nunc usque tenuimus, vel morte propositâ, irretractabiles custodimus. Vestra igitur Dilectio Communionem Fidelium Orthodoxorum Fratrum non fugiat, ne præsentis vocis nostra adjutorium si audire neglexerit, contra se in testimonium vertat. Nos autem ad Dominum post verba recurrimus, eumque, quantùm possumus, fletibus exoramus, ut hoc quod vobis ad sequendam concordiam à nobis dicitur, ipse in vestris mentibus manu intima inspirationis operetur.* Tam gravibus, tam eruditis, tam piis Epistolis fracta non est Schismaticorum pervicacia: quare Pontifex vi & imperio potius quàm consilio agendum cum illis ratus, Smaragdum Exarchum impulit, eos ut potestate coërceret, atque ad parendum Sedi Apostolicæ cogeret perduelles. At illi missis ad Mauritium Oratoribus, impetrarunt ne quid sibi molestiæ ab Exarcho inferretur. Id constat ex Libello quem iidem Schismatici ad illum Imperatorem miserunt sub S. Gregorii Pontificatu.

Paulò post mortuo Eliâ Aquileiensi Episcopo successit *Severus*, Trium Capitulorum æquè pertinax defensor. Hunc Smaragdus Exarchus in Gradensi Ecclesia captum, vi Romam deduxit, & coram Joanne Archiepiscopo Tria Capitula damnare coëgit: Sed post annum in Ecclesiam suam redux, non ante à suis Collegis receptus in Communionem est, quàm in Synodo X. Episcoporum *Marani* congregatâ rursus Trium Capitulorum defensionem jurasset.

S. Gregorii pro extinguendo Schismate labores.

Qui Pelagio II. successit, S. Gregorius Magnus, Quintam Synodum etiam confirmavit, ac extinguendo penitus Istriæ Schismati sedulam navavit operam. Severum Aquileiensem Episcopum cum cæteris Episcopis schismaticis, Romam ad Synodum vocavit, impetrato ab Imperatore Edicto; ut constat ex Epistola ipsius 16. Lib. I. ad *Severum* datâ. Schismatici facta Synodo statuerunt se Romam non ituros; datis interim ad Imperatorem literis, quibus facti rationem reddebant: Et se Pontificem Romanum agnoscere judicem non posse contestabantur, cum quo ipsis causa erat, & cujus Communionem vitabant. *Quod etiam*, inquiunt, *sacratissimis legibus vestris statutum est, nullum posse Judicem esse in causâ quâ adversarius comprobatur.* Legitur supplex ille Schismaticorum Libellus in Appendice Tomi IX. Annalium *Cardinalis Baronii*. Mauritius Imperator metuens defectionem Provinciæ illius ad Longobardos, cujus periculum Schismatici Episcopi nuntiaverant, Sancto Gregorio prohibuit ne ullam ipsis ob schisma inferret molestiam. Literis tamen eorum vincere pertinaciam conatus est Pontifex Sanctissimus. Legenda illius Epistola 36. Lib. 2. Indict. X. *Ad Episcopos Istriæ* datâ, non ad Episcopos *Hiberniæ*, ut habet inscriptio. Nulli enim tunc erant in Hibernia de tribus Capitulis tumultus: Nec ad Episcopos Iberiæ, ut malè, quidam augurantur: Tunc enim Iberi seu Hispani à Sede Apostolica nullo erant schismate divulsi.

S. Gregorius Theodelindam Reginam à Schismaticorum partibus revocat.

Scripsit etiam ad Theodelindam Longobardorum Reginam Sanctus Gregorius, quæ à Schismaticis seducta, se à Constantii Mediolanensis Episcopi Communione segregaverat, quòd ille Tria Capitula damnasset. Hanc ad Reginam data est Epistola quarta Libri III. quâ Synodum V. defendit & commendat. Cùm autem à Constantio intellexisset Sanctus Pontifex, Synodi V. mentione & commendatione Reginam tunc temporis offendi posse, alias ad ipsam literas dedit, in quibus prudenter siluit de Quinta Synodo: Quatuor autem Synodos Oecumenicas recipere se ac prædicare professus est: dicto illi anathemate, *Qui earundem quatuor Synodorum, maximè autem Chalcedonensis, de quâ quibusdam imperitis hominibus nata est superstitionis occasio, Fidei addere, vel demere præsumit.* Datæ sunt hæ literæ anno 594. Deposuit tandem errorem Theodelinda, cùm intellexisset Synodum Quintam Chalcedonensis fidem Concilii nullatenus convellere. Sed & Secundini Abbatis adversùs illam objectiones misit ad Sanctum Gregorium, illas ut dilueret. Qui podagræ doloribus afflictus, prolixiorem, secundùm ipsius votum, Epistolam rescribere tunc non valuit, sed Quintæ Synodi Acta ad illam misit, cum Secundino communicanda: ut ex ipsorum lectione cognosceret falsitatem eorum, quæ contra Synodum illam & Sedem Apostolicam effutiebant Schismatici. Id constat ex Epistola VII. Lib. XII. datâ anno 603. Non irriti fuerunt omnino Sancti Gregorii pro extinguendo schismate labores. *Prudentius* enim & *Petrus*, Istriæ Episcopi, & *Firminus* Tergestinus, ad Ecclesiæ unitatem & Sedis Apostolicæ communionem redierunt. Redeuntibus verò præscripta est à Sancto Gregorio Formula professionis fidei, quam Eminentissimus Annalium Parens in Additionibus ad Tomum IX. scripsit desiderari in Operibus Sancti Gregorii: & eam se accepisse à Nicolao Fabro Viro Clarissimo, quam ibidem inserit. Sed mirum est quòd fugerit doctissimum Cardinalem, illam iisdem omnino verbis insertam esse Epistolæ vigesimæ quartæ libri primi, ad Patriarchas datæ.

Oscitantia Baronii.

Severus Aquileiensis Episcopus obiit in schismate, anno 650. Post ejus mortem Aquileiensis Diœcesis in duos distracta est. Gradensibus enim *Candianus* Ariminensis, Catholicus Antistes ordinatus est, Aquileiensibus verò *Joannes* schismaticus: ut constat ex literis Schismaticorum, quas ex veteri MS. laudat Baronius, ad annum 605.

Quandiu duraverit schisma Istriæ.

Schisma Aquileiense ad tempora usque Sergii I. Pontificis durasse, qui anno 678. Summum Pontificatum adeptus est, omnes penè Scriptores asserunt, Bedæ Chronicon secuti, in quo circa tempora *Tiberii Absimari* hæc leguntur: *Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, V. universale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus B. Papæ Sergii monitis, & ipsa huic cum cæteris Ecclesiis annuere consentit.* Venerabilis Bedæ verba exscripsit Paulus Diaconus, *Lib. 6. Historiæ Longobardorum, cap.* 14. At Aquileienses Episcopos, eorumque Suffraganeos ante Sergii Pontificatum Synodum Quintam suscepisse, & ad Ecclesiæ unitatem rediisse, antiquiora & certiora monumenta testantur: Scilicet verba *Maximi* Aquileiensis Archiepiscopi in Synodo Lateranensi sub Sancto Martino Papa, anno 649. celebratâ, Secretario I. *Contra Theodorum autem & Origenem*, inquit, *in Sanctâ Quinta Synodo accusator quidem nullus, sed tantummodo eorum conscripta ad accusationem ipsorum & reprehensionem suffecisse noscuntur.* Idem constat ex Synodo Romana sub Agathone, in literis ad Imperatores, quæ recitatæ sunt in Synodo VI. Actione IV. in quibus hæc habentur: *Hoc idem etiam & Sancta Synodus, quæ*

sub augusta memoria Justiniano principe in Constantinopoli congregata est, in septimo Definitionum Capitulo prædicat. Huic verò Epistolæ Agatho Archipræsul, Aquileiensis, & Istriæ Episcopi subscripserunt. Redierant igitur ad Ecclesiæ unitatem longè ante Sergii Pontificatum.

ARTICULUS II.

De tumultu Monachorum Scythiæ.

ANNO quingentesimo decimo octavo, Justino Imperante, Scythæ Monachi tumultum Constantinopoli non mediocrem excitarunt. Horum Duces erant Leontius Vitaliani Ducis affinis, & Joannes Maxentius, vir eruditione conspicuus. Illi hanc propositionem, *Unus è Trinitate crucifixus est in carne*, non solùm propugnabant, sed ab omnibus recipiendam & credendam contendebant ad seditionem usque. Victor Diaconus, & plerique alii, novitate propositionis offensi, quam zelo tam præpostero tamque pertinaci inculcantes, innuere videbantur Synodi Chalcedonensis Decreta adversùs hæreses recentes non sufficere, ipsis acerrimè restiterunt. Interim cùm Hormisdæ Pontificis Legati Constantinopolim ad componenda Ecclesiæ Orientalis negotia anno 519. appulissent, Monachi Scythæ Libellum Fidei ipsis obtulerunt, ut hæreseos notam, quam illis inurebant adversarii, à se amolirentur. Hoc Libello suam de Christo fidem pluribus exponebant. Eò tamen dicta collineabant omnia, ut hæc propositio reciperetur: *Unus de Trinitate crucifixus est in carne*: Quatuor Synodos Oecumenicas se recipere profitebantur, & imprimis venerandam Synodum Chalcedonensem, & omnia scripta Sanctorum Patrum, qui unum & idem secundùm horum Conciliorum definitiones sciserunt. Anathema dicebant omnibus qui sacra illa Decreta retractarent, aut imperfecta judicarent. *Anathematizamus autem omnes*, inquiunt, *si quis dubitat, aut retractat, aut imperfecta judicat, aut qui ea à fide SS. Patrum æstimat aliena.* Anathemate pariter configebant omnia Scripta Theodori Mopsuesteni, & Nestorii ejus discipuli, & omnes qui similiter illis sapiunt; Eutychen, Dioscorum, Timotheum Ælurum, Petrum Moggum, Petrum Cnaphæum, & Acacium, cum omnibus sectatoribus eorum & successoribus: Communicatores eorum, & complices; aut qui, quacumque sorte, eorum maculantur contagione, aut memorias eorum celebrant qui in ipsâ damnatione defuncti sunt, aut innocentes defendunt. Suam postea de Gratia Christi Fidem exponebant contra Pelagianorum hæresim, & contra Fausti errorem. Extat hic Libellus *Tomo IV. Bibliothecæ Patrum Editionis Parisiensis*, inter *Joannis Maxentii Opera.* Legati Sedis Apostolicæ Monachos audire nolebant, quia in mandatis acceperant à Summo Pontifice, ne se aliis causis immiscerent ab illa, propter quam ad Urbem Regiam missi erant: Sed ab Imperatore, & à *Vitaliano* Magistro militum faciles ipsis aures præbere sunt coacti. Hoc tandem cum responso importunos Monachos dimiserunt, Imperatore coram & Senatu: *Extra Synodos quatuor, extra Epistolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus quicquid non continetur in prædictis Synodis; aut quod non est scriptum à Papa Leone, non suscipimus.* Ista constant ex Suggestione Legatorum ad Hormisdam.

Libellum fidei Legatis Romani Pontificis Scythæ Monachi offerunt.

Responsio Legatorum.

Scythæ Monachi, repulsam, quam à Legatis Sedis Apostolicæ passi erant, ægrè ferentes, selectos socios ad *Hormisdam* Pontificem Romam miserunt, Achillem, Joannem, Leontium, & Mauritium. Id ubi Legatis Pontificiis innotuit, Relationem omnium quæ illâ in Quæstione cum inquietis Monachis gesta erant, ad *Hormisdam* miserunt, ipsum rogantes, ut à nova & periculi plena propositione caveret, ejusque temerarios assertores expelleret. Dioscorus Diaconus, Legatorum unus, hæc scripsit: *Insidiator antiquus suscitavit Monachos de Scythia, qui de domo Magistri Militum Vitaliani sunt, omnium Christianorum votis adversari, quorum inquietudo non parvas moras generavit unitati Ecclesiarum. Isti Monachi Romam festinant, sperantes aliqua Capitula à Beatitudine vestra confirmari. Est in ipsis inter cætera ubi volunt dicere, Unum de Trinitate crucifixum: Quod nec est in Sanctis Synodis dictum, nec in Epistolis S. Papæ Leonis, nec in consuetudine Ecclesiastica. Quod si permittitur fieri, mihi videtur dissensiones & scandala non mediocria nasci inter Ecclesias. Istud Anastasius Imperator magnopere Catholicis imponere festinavit: Istud & Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt. Quia quotiescunque Patres de Dei Filio Domino nostro Jesu Christo disputaverunt, Filium Dei Verbum Homousion Patri dixerunt. Iste autem sermo ideò nunquam est à Patribus introductus, quia procul dubio Catholicæ Fidei minimè poterat convenire... Unde sanum mihi videtur & utile, & ad pacem Ecclesiarum conveniens, nihil aliud responsum dari, nisi, Sufficit Sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & alia Synodi continentur: Sufficiunt Epistolæ Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus. Est in propositione eorum callida & hæc dicere: Nos Synodum Chalcedonensem suscepimus: Hoc speramus, ut jubeatis nobis eam exponere, quia non sufficit sic quomodo est exposita contra Hæresim Nestorianam: Non quasi non intelligentes, nisi conantes per subtilitatem ad hoc nos adducere, ut disputetur de Synodo Chalcedonensi. Quod si factum fuerit, dubia & infirma ostenditur, & hæreticorum omnium patuit errori. Inter alia, si post Synodum Chalcedonensem, si post Epistolas Papæ Leonis, si post Libellos quos dederunt & dant Episcopi, & per ipsos satisfecerunt Sedi Apostolicæ, iterum aliquid novum addatur, sic mihi videtur quia quicquid factum est destruitur.* Legati verò conjunctim ita scripserunt: *Si voluerit Dominus noster qualemvis novitatem scribere, pejus erit istud vitium, quàm illud quod factum est per Eutychetem. Sufficere debet Ecclesia, quod per sexaginta annos ab Eutychete usque modò sustinuit.*

Monachi Scythæ mittunt Oratores ad Hormisdam.

Relatio Legatorum ad Pontificem.

Scripsit etiam ad Pontificem *Justinianus* Magister Militum & Comes, qui post Justinum imperavit, adversùs Monachos Scythas, his verbis: *Quoniam comperimus quosdam nomine Monachos, quibus magis discordia in studio est, quàm caritas & pax Dei, ea, pentes quædam perturbare, ad Angelum vestrum hinc discedentes iter arripuisse: Quos Beatitudo vestra, præsentibus scriptis causam livoris eorum cognoscens, ita ut merentur, suscipere, & à se longè pellere dignetur: Quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in Ecclesia quod neque quatuor Synodi venerabiles, neque S. Leonis Papæ Epistola continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur.*

Hormisdas Pontifex decrevit Monachos remittere Constantinopolim, causæque ipsorum cognoscendæ delegare Joannem Constantinopolitanum Archipræsulem, ut discimus ex literis Dioscori, unius ex Legatis, ad *Hormisdam* scriptis Idibus Octobris. Id verò Legatis Pontificiis fuit minimè gratum, quibus Joannes in Monachos propensior videbatur, in partes tractus à Vitaliano Magistro Militum. Interim *Justinianus* ab eodem *Vitaliano* Scythis Monachis conciliatus, ipsorum ex accusatore patronus evasit, atque in illorum gratiam unà cum ipso scripsit ad *Hormisdam.* Pontifex obscuræ & ambiguæ causæ cognitionem ad reditum usque Legatorum suspendit. At Monachorum Oratores diuturnioris in Urbe moræ impatientes, clam se

Hormisdas causæ cognitionem vult delegare patriarchæ Constantinopolitano.

Pro Monachis scribunt Vitalianus & Justinianus.

Roma

Roma subducere tentarunt: fugissentque, nisi monitus Pontifex eos custodiri jussisset. Id constat ex Epistola 63. *Hormisdæ* ad Legatos datâ. Anno 520. Justinianus causæ Scytharum Monachorum jam addictissimus, in gratiam ipsorum iterum rescripsit ad *Hormisdam*, rogans ut Sedis Apostolicæ auctoritate & Oraculo hancce controversiam finiret, decernerétque an ista suscipienda esset propositio, *Unus de Trinitate carne crucifixus est: sive, Christus Filius Dei, pro nostrâ salute carne crucifixus, unus est de Trinitate.* Totam hac in quæstione dissensionem in verbis esse: *Nam sensus*, inquit, *inter Catholicos omnes unus esse probatur* Scythas Monachos pro traditione Patrum ad Sedem Apostolicam accessisse scribit: Quibus ut faveat, precatur. *Quia verò dictum est*, inquit, *Scythicos* Monachos *hac ratione ad Sedem vestram accessisse pro traditione Patrum, & ordine Regularum, præbito eis responso, nihil formidantes, ad nos cum vestris literis jubete remittere.*

Rogant Hormisdam ut sententiam dicat de propositione: Unus de Trinitate crucifixus est carne, quam Monachi tuebantur.

His literis *Hormisdas* respondit *Epistola 67.* Scythas Monachos allegasse plurima, quæ indiscussa relinquere non poterat: Quam ob rem se eos in Urbe detinere ad reditum usque Legatorum. Justinianum etiam hâc Epistolâ rogavit, ut *Victorem* Diaconum, cujus fidem hi Monachi vehementer accusabant, vel alios qui perversas forsan objiciebant quæstiones, Jussione Imperatoris ad Urbem dirigi curaret, ut causa plenè posset cognosci.

Dum coram Apostolica Sede pendebat Monachorum Scytharum controversia, nobiles illi causæ suæ Patronos & suffragatores quæsierunt. Africanos Episcopos sanctitatis & doctrinæ famâ celebres, qui à *Trasamundo* Vvandalorum Rege, Ariano, in Sardiniam exules fuerant deportati. Ad eos itaque Fidei suæ professionem Libro *de Incarnatione & Gratia* expositam, per *Joannem Diaconum* transmiserunt. Librum scripsit *Petrus Diaconus*, eorum quos miserant Romam, doctissimus: cui & primo loco subscripsit.

Monachi in partes trahunt Africanos Episcopos pro fide in Sardinia exules.

In præfatione Libelli ita scribunt: *Utile & pernecessarium, sanctisque Dei Ecclesiis specialiter credimus profuturum, ea quæ de Incarnatione & dispensatione divina nobiscum universa Sancta Ecclesia Orientalium contra Hæreticos defendunt, Sanctitati vestræ suggerere, atque de his consensum vestræ Beatitudinis suppliciter promereri.* Et infrà: *Unde suppliciter petimus & obsecramus Beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferius continentur, discutientes (ut decet verissimos & intrepidos Christi Prædicatores) scriptis sententiam vestram nobis patefacere jubeatis: Ut si, Deo præstante, Catholicæ fidei conveniens, & Apostolicis traditionibus, nostra apud vos (sicut non diffidimus) fuerit expositio comprobata, & facile tantorum virorum, probatissimorúmque Sacerdotum auctoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valebimus: & in fide Sanctorum Patrum perseverantes, Deo qui nos sanctimonii sui confessione glorificavit, gratias referamus, Domini Sanctissimi, & Deo dignissimi.*

Librum de Incarnatione & Gratia scribunt ad Sanctos illos Confessores.

Eô in Libro usque ad Caput sextum, suam de persona Domini nostri Jesu Christi Fidem exponunt. *Capite 4.* propositionem controversam explicant & propugnant. A capite sexto usque ad finem Libri, suam de Gratia & libero Arbitrio fidem ac sententiam aperiunt contra Pelagianos & Semipelagianos, eorumque præsertim ducem *Faustum Reiensem.*

Ut primùm Scytharum Monachorum Libellum accepere Africani Episcopi, qui in Sardinia propter Christi confessionem exules degebant, numero quindecim, eorum Fidem commendarunt, Libellúmque approbarunt velut Synodo factâ, alterúmque ad ipsos Librum scripserunt ejusdem argumenti, *De Incarnatione & Gratia Domini nostri Jesu Christi*: Quem omnium nomine lucubravit *Sanctus Fulgentius*, initio Libri Monachorum Scytharum Fidem commendans, his verbis: *Beatus Frater noster Joannes Diaconus a vestra Societate directus literas nobis, quas misistis, exhibuit, quibus recensitis, vestrum simul alacres & Fidem cognovimus & salutem; imo in agnitione Fidei vestræ nobis salus innotuit.*

Episcopi Africani Monachorum Scytharum Fidem, librumque approbant.

Interea cùm Scythæ Monachi Romæ usque ad Legatorum ex Oriente reditum ab Hormisda detenti, Dioscorum Legatorum unum, quem semper infensissimum causæ suæ fuerant experti, Romæ propè diem adfuturum accepissent, seque illius auctoritate apud *Hormisdam* intelligerent opprimendos, ex Urbe evaserunt, appensis ad Principum statuas Libellis, quibus eorum de persona Christi, & de Gratia fides continebatur. Quin etiam ad easdem statuas ipsos exclamasse querulis vocibus, ut populum Romanum flecterent ad commiserationem, testatur *Hormisdas* in Epistola ad *Possessorem* Episcopum Africanum: In quâ eorum superbiam, in novis quæstionibus movendis pertinaciam, & proclivem ad turbas indolem describit. *Quosdam*, inquit, *Scytharum, qui Monachos præferebant specie, non veritate, professione, non opere, subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu simulantia odiis suis venena pertulimus, studentes eos ab interno vulnere medicabili patientia moderamine sanare, Beati Pauli monita non tacentes:* Noli verbis contendere: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. *Sed quando virus, quod viscera penetravit, evellitur? Quando corda male sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientia humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescunt paci, contentionum studiis assueti, sola certamina amantes de Religione captare, & mandata negligere? Nunquam apud eos caritas novo commendata præcepto; nunquam pax Dominico relicta discessu; una pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere; contemptores auctoritatum Veterum, novarum cupidi quæstionum; solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate Sententiam: Eousque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium: Nec in numero Fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ: Dolis crimina serere; obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones instruere, invidiam concitare, & pro obedientia, quæ in Cœnobiis principatum Regularis obtinet Disciplina, obstinationem pertinaci amare superbia. Non illos potuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum usque prodiere conventum, circa Regum etiam statuas inclamantes: Et nisi Fidelis populi constantia restitisset, per diabolica semina nefanda zizaniæ apud illos dissensionem & discordiam commovissent; per quos, adjutorio Dei, de Religione rerum est pulsa dissensio. De eis ferò probavimus propheticâ Apostolum voce dixisse: in novissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines sui tantùm amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes: itaque esse vitandos.*

Scythæ Monachi pertinaces, & ad seditionem proclives.

2. Timoth. 3.

Hormisdæ Epistolam, ubi primùm vulgata est, scripto lacessivit *Joannes Maxentius*, & quæ in ea contra Scythas Monachos exarata erant, refutare aggressus est stylo petulanti, negans eam esse Romani Pontificis, sed ab Hæreticis venerando ipsius nomini suppositam fingens, ut liberiùs in Epistolæ Auctorem inveheretur. *Ambigo*, inquit, *quomodo illæ Sacerdotales literæ approbandæ sint, quæ nullâ luce radiant veritatis, nec aliquam in se doctrinæ continent rationem. Nam qui quemlibet quasi errantem objurgat, nec instruit quid sequatur, non benevolus Doctor ostenditur, sed criminator invidus denotatur. Unde non est facilè credendum, hanc esse Epistolam*

Hormisdæ Epistolam scripto lacessit Joannes Maxentius.

cujus

cujus fertur nomine titulata . . . Auctorem hujus Epistola Hæreticum esse ; quisquis ille est , & inimicum Catholicæ veritatis , non est dubium . . . Nam & ipsi Hæretici ad hoc ubique hanc ipsam ; cui respondemus , Epistolam proferunt , quatenus & sæpè dictis Monachis invidiam concitent , & omnes , quasi ex auctoritate ejusdem Romani Episcopi , prohibeantur Christum Filium Dei unum confiteri ex Trinitate. Sed quis hanc sententiam Catholicam non esse ausus est profiteri , quam universa veneratur & amplectitur Dei Ecclesia ? Confidenter etenim dicere audeo , non quòd si per Epistolam , sed quòd si vivâ voce hic in præsenti positus idem Romanus prohibens Episcopus Christum Filium Dei unum confiteri ex Sancta & individua Trinitate , nunquam eidem Dei Ecclesia acquiesceret : Nunquam ut Episcopum Catholicum veneraretur , sed omnino ut hæreticum penitus execraretur. Quia quisquis hoc non confitetur , non est dubium quòd Nestoriana perfidia tenebris excæcatus , quartum & extraneum à Sancta & ineffabili Trinitate Eum , qui pro nobis crucem sustinuit , prædicare contendat. Verumtamen sive ab hoc , sive à quolibet alio , hæc sit scripta Epistola , non est dubium Auctorem ejus esse hæreticum , qui contentionem verborum , & subversionem audientium judicat , Christum Filium Dei vivi unum fateri ex Trinitate. Sic integram Hormisdæ Epistolam , ad minimum usque apicem , refellit. *Possessorem* , ad quem scripta est , & *Dioscorum*, unum è Legatis Pontificis, ut Hæreticos palam traducit, *Hormisdam* ipsum , tacito ejus nomine, Pelagiani erroris insimulat, Hæc Epistolæ ipsius verba malignè interpretatus : *Proficimus inter adversantes propriis bonis , si non involvamur erroribus alienis.* Quorum occasione verborum , sic in Epistolæ Auctorem declamat Joannes Maxentius : *Cultè te tuam niteris occultare perfidiam : sed te splendo e suo detegit Catholica Veritas , & juxta cæteramala , etiam superbissima Pelagiana perfidia involutum erroribus cunctorum oculis antepouis : Qui inter adversantes , non Dei munere , sed propriis bonis proficere posse , tumidâ elatione confidis.* Sed invidiosa est hæc verborum Hormisdæ interpretatio, & putida calumnia ipsi à *Maxentio* illata. Propria namque bona , non Dei dona , quod Pelagianum esset , sed erroribus alicuis opponit Hormisdas : Unde bona illa ita nostra vocâvit , ut etiam à Deo donata esse crederet. Quæstio est inter Eruditos utrum Joannes Maxentius , & alii Monachi Scythæ, Eutychiam fuerint. Hanc ipsis notam inurit *Cardinalis Baronius* Tomo VII. Annalium ad annum Christi 519. & 520. Sed Eminentissimo Scriptori non possum assentiri : Nam firmissimis argumentis mihi persuasum est , ipsos integerrimæ Fidei fuisse, quæ in Dissertatione singulari *de Fide Scytharum Monachorum* , proferam.

Joannes Maxentius Hormisdam Pelagiani erroris non que insimulat.

ARTICULUS III.

De Corrupticolis , Phantasiastis , Agnoëtis , & Tritheitis.

Corrupticolarum & Incorrupticolarum origo , Auctores , et annus.

I. CUm Dioscoro Juniore defuncto , *Timotheus Æluros* , Hæreticus Acephalus , Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopatum surrepuisset , & *Severum* ac *Julianum Halicarnassæum* profugos lubenti ac benevolo suscepisset animo, anno circiter 519. *Corrupticolarum* & *Incorrupticolarum* seu *Phantasiastarum* Sectæ emerserunt. Cum enim à Severo sciscitatus esset Monachus quidam, An Christi Domini corpus corruptibile fuisset , an corruptionis expers ; ille corruptibile à SS. Patribus asseri respondit. Hoc audito , quidam Alexandrinorum Julianum Halicarnassensem interrogarunt quid ea de quæstione sentiret. Hic SS. Patres è contrario corpus Christi incorruptibile asserere dixit. Uterque suam opinionem statuere , & adversarium scriptis lacessere cœpit. Hinc duæ natæ Sectæ, quarum altera Corrupticolarum dicta est : altera Incorrupticolarum seu Phantasiastarum. Hæc autem quæstio de Corruptibili & Incorruptibili , non ad mortalitatem vel immortalitatem , neque ad resolutionem in elementa, vel contrariam constantiam pertinebat : Nam & ipsi Eutychiani semper professi sunt Christi corpus hujusmodi corruptioni non fuisse obnoxium. Id unum in controversiam vocabatur , An Christi corpus perinde ac nostrum detrimenta pateretur, propter quæ reparanda esuriret, sitiret, fatigaretur, opusque haberet cibo, potu , requie , ad reficiendas vires : an verò specie tenus affectiones istas pateretur , solâque œconomiâ , quemadmodum post Resurrectionem. Ita statum controversiæ explicat Nicephorus *Lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 29.* Corrupticolarum , & Phantasiastarum novum Schisma *Theodosius* & *Gaianus* fovetunt : ille Theodoræ Augustæ, hic Monachorum populique studiis Alexandrinam in Sedem post Timotheum Ælurum evectus. Corrupticolarum factio , Theodosio ; Phantasiastarum, Gaiano adhærebat. Fax uterque fuit popularis seditionis , quæ ad cædes usque & domorum incendia exarsit Lege Liberatum *in Breviario , cap. 20.* & Leontium Libro *De Sectis , Actione V.*

Origo , Auctor , & error Agnoëtarum.

Ipsorum errorem Bellarminus non recte tenuit.

II. Dum hæc Alexandriæ ferveret de Corruptibili & Incorruptibili contentio , Timotheum Alexandrinum Episcopum Themistius Diaconus interrogavit, An Christus ignorasset aliqua, siquidem fuit corruptioni obnoxius. Id Timotheus negavit. A cujus communione deficiens Themistius , & ignorantiam Christo adscribere perseverans , Agnoëtarum Sectam condidit, qui etiam Themistiani ab Auctore dicti sunt. De his lege Liberatum, *cap. 20. Breviarii* , Sophronium Patriarcham Hierosolymitanum in Epistola ad *Sergium* Constantinopolitanum lectâ in Sexta Synodo, *Actione XI.* Leontinum Lib. *De Sectis , Actione V.* Nicephorum Libro 18. *Historiæ Ecclesiasticæ cap. L.* Agnoëtarum errorem confutavit Eulogius Alexandrinus Patriarcha, de cujus Operibus lege Photium, *in Bibliotheca , Cod. CCXXX.* Eulogii Scripta adversùs Agnoëtas approbavit S. Gregorius Magnus *Epistola 42. Libri 8.* ad ipsum datâ. In eo tamen posita non erat eorum Hæresis, quòd ignorantiam Christo, ut homo est, tribuerent, sed quòd Christum penitus ignorasse dicerent , quæ ejus nesciebat humanitas : quia unam tantùm in Christo naturam compositam agnoscebant. Bellarminus Agnoëtarum errorem malè refert. *Lib. 4 de Christo, cap. 1.* asserens hanc fuisse illorum Hæresim, quòd diei judicii ignorantiam,non Divinitati Christi , sed ejus animæ tribuebant. Refellitur autem ex Leontio, *Lib. de Sectis , Actione X.* ex S. Isidoro, *Lib. 8. Originum cap 5* & ex S. Joanne Damasceno Lib. *de Hæresibus.*

Bellarminus emendatur.

III. *Tritheitarum* Secta orta est, quo tempore Theodosius Alexandrinus Episcopus, Sede suâ pulsus, Constantinopoli morabatur. Hujus Auctor fuit *Joannes Grammaticus* cognomento *Philoponus* , ex Eutychianorum castris. Qui cùm adversùs Catholicos contenderet , eò tandem vi & consequentiâ disputationis abreptus est , ut tres in Divinitate naturas , sicut tres hypostases inesse assereret. Nam cùm ita ratiocinaretur : Si naturæ duæ sunt in Christo , sequitur duas esse in eodem hypostases. Respondebunt Catholici , Id non esse consequens , cùm non idem sint omnino natura & hypostasis : alioqui tres fore in Divinitate naturas , quemadmodum tres hypostases. Hanc legitimam esse consecutionem Philoponus admisit , & profitendum contendit , esse tres in Sacrosancta Trinitate naturas. Hunc autem errorem ex Aristotelis hausit Philosophiâ. Docet enim Aristoteles , individuorum & particulares esse

Tritheitarum Auctor & error.

esse substantias, & unam communem. Sic igitur & Philoponus aiebat esse tres particulares in Sancta Trinitate substantias, & unam communem. Ista constant ex Leoutio Lib. *de Sectis*, *Actione V.* De ejusdem Philoponi subtilibus nugis lege Nicephorum, *Lib XVIII. Historia Ecclesiastica cap. XLVII.* Idem Philoponus Resurrectionem corporum negavit; & adversùs eam scripsit, quem Theodosius, Conon, Eugenius, & Themistius, Eutychianæ pariter Sectæ homines, acerrimis invectivis confutarunt. (ex Photio *in Bibliotheca, Cod. XXI. XXII. & XXIII.*)

ARTICULUS IV.

De Monachis Acæmetis.

Acæmetæ Scythas Monachos fervidiùs impugnantes, in hæresim labuntur.

ACæmeta Monachi, id est, *insomnes*, ita nuncupati, quòd in tres turmas distributi, ac per vices sibi succedentes, diu noctúque divinas laudes in Ecclesia, sine intermissione canerent; cùm Scythis Monachis acerrimè restitissent, ac paulatim refrigeratâ, quæ in istos concitata fuerat, invidiâ, eorum caussam superiorem evadere, & Episcopis, necnon Imperatori Justiniano, propositionem ab ipsis tantâ contentione assertam: *Unus de Trinitate passus est carne*, jam probari cernerent, æmulatione quadam accensi, Legatos ad Joannem II. Romanum Pontificem miserunt *Cyrum & Eulogium*, qui opinionem, seu potiùs errorem, in quem æstu pugnæ abrepti erant, apud Sedem Apostolicam defenderent, ejusque approbationem à Summo Pontifice impetrarent. In eo autem error ipsorum versabatur, quòd negarent *Unum de Trinitate incarnatum & carne passum*, & *Beatam Mariam verè & propriè esse Dei Genitricem.* Adversùs illos Monachos misit Justinianus Romam *Hypatium* Ephesiorum Episcopum, *& Demetrium à Philippis*, qui Sedem Apostolicam consulerent his de quæstionibus, & Fidem Imperatoris, imò totius Orientalis Ecclesiæ, in ipsius ad Romanum Pontificem Epistola expositam, approbari obtinerent. Data est hæc Epistola anno Christi 533.

Joannes II. R. P. professionem & Edictum fidei ab Imperatore missum approbat, & Monachos Acæmetas à communione removet.

Acceptis Imperatoris Literis, & auditâ legatione, Summus Pontifex controversiæ istius cognitionem suscepit: & Fidei Professionem Literis Imperatoris insertam approbavit, commendavitque, necnon Edictum fidei quod ante missam legationem promulgaverat, ne Acœmetarum Legati aliquam ipsi calumniam struerent. *Proinde*, inquit, *Serenitatis vestra apices per Hypatium atque Demetrium sanctissimos viros, Fratres & Coepiscopos meos, reverentiâ consuetâ suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis Edictum amore fidei, pro submovenda hareticorum intentione, secundum Apostolicam Doctrinam, fratrum & Coepiscoporum nostrorum interveniente consensu: quod quia Apostolica Doctrina convenit, nostrâ auctoritate confirmamus.* Acœmetas verò Monachos obstinato animo perseverantes in errore, communione privavit, nisi ad saniorem mentem redirent. Id constat ex Epistola Joannis II. ad Justinianum datâ VIII. Kalendas Aprilis, anno 534. *In quibus*, inquit, *observantes ea qua ab ipsorum jure statuta Pontifice, eos minimè in nostrâ communione suscepimus, & ab omni Ecclesia Catholica esse jussimus alienos; nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocius sequi, habitâ regulari professione, signaverint.*

Epistola Joannis II. ad Justinianum.

Altera ad Senatores.

Alteram eodem anno hac ipsâ de causâ Epistolam Summus Pontifex ad Senatores, Avienum, Liberium, aliósque dedit: in quâ tres sibi ab Imperatore propositas quæstiones testatur, de quibus orta erant certamina. Prima erat: *Utrum unus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit: Hoc est una de tribus personis Sancta Trinitatis persona?* Secunda: *An Deus Christus carne pertulerit, impassibili deitate?* Tertia: *An propriè & veraciter Mater Domini Dei nostri Christi Maria semper Virgo debeat appellari?* Quas propositiones tanquam Catholicæ Fidei consentaneas se probasse scribit; easdémque subjectis Scripturæ Sacræ & SS. Patrum testimoniis confirmat. Ipsos denique de Acœmetarum damnatione certiores facit. *Acœmetas vero*, inquit, *qui se Monachos dicunt, qui Nestoriani evidenter apparuerunt, Romana etiam damnat Ecclesia; à quibus vos, propter Canonem qui cum excommunicatis Christianum nec loqui, nec communicare permittit, diligentiâ Pastorali admonere non desino, ut eorum etiam simplicem collocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis æstimetis esse commune.*

Acœmetæ damnati ut Nestoriani.

Facundus discrimen assignat inter eorum & Nestorianorum errorem.

Acœmetas à Nestorianis aliquo intervallo distare Facundus existimavit, quòd isti has propositiones: *Unus de Trinitate incarnatus est, & crucifixus*: Et, *Beata Virgo est Deipara*, penitus falsas esse contenderent: illi autem veras esse faterentur, & Nestorium eas negantem jure merito fuisse damnatum, sed propriè veras esse negarent. *Insinuandum vero est*, (inquit Facundus lib. 1. cap. 4.) *quod hanc quoque confessionem, quâ Beatam Mariam verè & propriè dicimus Matrem Dei, quidam etiam communicantes Ecclesia putent non debere suscipi, cùm Nestorium fateantur, propter quod eam Matrem negabat, debuisse damnari. Quibus, antequam Nestorianis respondeamus, respondendum puto. Quod omnino stultum ac turpe sit, & condemnationem probare Nestorii, & Beatam Mariam negare, quod verè & propriè sit Mater Dei. Nam si qua hinc esse potuit quæstio, cum ipso Nestorio simul exclusa est, qui eam Matrem Dei esse negabat, &c.* Quamobrem pertinaces in illis propositionibus negandis Acœmetas Joannes II. pro Nestorianis hæreticis jure damnavit.

CAPUT IV.

De Auctoribus Ecclesiasticis VI. Sæculi.

ARTICULUS I.

De Ruricio, Paschasio, Procopio Gazæo, & Avito.

I. SÆCULO VI. Doctrinâ claruerunt RURICIUS SENIOR, *Lemovicensis Episcopus*, ad quem Sanctus Cæsarius Arelatensis, Apollinaris Sidonius, Faustus Reiensis, aliique celebres Episcopi Epistolas dederunt, cujus cum laude meminit & Venantius Fortunatus. Ruricii Epistolarum ad varios scriptarum libros duos edidit Henricus Canisius *Tomo V. Antiqua Lectionis*, qui etiam inserti sunt Tomo VIII. Bibliothecæ Maximæ Patrum Lugdunensis.

II. PASCHASIUS Romanæ Ecclesiæ *Diaconus* sanctissimus; cujus animam S. Germanus Capuanus Episcopus Purgatoriis pœnis addictam vidit, quòd Laurentio Antipapæ in Schismate, ex ignorantiâ favisset, Libros edidit duos *de Spiritu Sancto*, sanam & luculentam doctrinam continentes, qui Bibliothecis Patrum inserti sunt. Laudatur à S. Gregorio Magno, *lib 4. Dialogorum cap. 4.*

III. PROCOPIUS GAZÆUS de quo Photius Codice 160. 206. & 207. in plurimos Scripturæ Sacræ libros Commentarios edidit. Ab isto longè diversus est Procopius Historicus.

IV. AVITUS, Isicii Senatoris, ac postea Viennensis Archiepiscopi filius, Aviti Imperatoris Romani nepos, Apollinaris Valentini Episcopi frater, Viennensis post Patrem Archipræsul Sanctissimus,

cujus fide, industriâ, atque admirabili doctrinâ ab infestatione Arianæ hæresis Galliæ defensæ sunt, (inquit Martyrologium Romanum die V. Februarii) non minus doctrinâ & facundiâ, quàm sanctitate floruit. Hunc laudibus meritis exornarunt Ennodius Ticinensis in Vita B. Epiphanii Ticinensis Episcopi, Gregorius Turonensis *lib.* 11. *Historiæ Francorum cap.* 34. S. Isidorus Hispalensis *lib. de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus*, *cap.* 23. Agobardus Lugdunensis Episcopus, *Adversum Legem Gundobadi*, Florus ejusdem Ecclesiæ Diaconus, Ado Viennensis, in Chronico, Ætate VI. Ejus Epistolas, Homiliarum, & Opusculorum Fragmenta, Poëmata, editionis honore donavit, & eruditis Notis illustravit *P. Sirmondus*. Inserta sunt Tomo IX. Bibliothecæ Patrum Lugdunensis.

ARTICULUS II.

De Ennodio, Boëtio, Joanne Maxentio, Gilda Sapiente, & Dionysio Exiguo.

I. Ennodius Ticinensis Diaconus, ac deinde Episcopus, sub Symmacho, & Hormisda Pontificibus Maximis floruit. Symmachi Synodique causam contra Schismaticos calumniatores egregiè defendit, quam ob rem à Synodo V. Romana honorificentissimô elogiô ornatus est, ejusque *Apologeticus* Synodali auctoritate donatus. Hormisdæ verò Papæ geminâ Legatione ad Anastasium Imperatorem functus, Fidei Orthodoxæ causâ, spectatæ virtutis & constantiæ specimen dedit, multas pro Ecclesiâ passus molestias. Hunc ut Sanctum Confessorem laudant Nicolaus I. in Epistola ad Michaëlem Augustum, Joannes VII. *Epistola VIII. ad Bercarium Abbatem*, Gregorius VII. in Dictatu, si tamen istius *Dictatus* Auctor est. Inter Sanctos Christi Confessores anniversariis honoribus colitur 16. Kal. Augustas, quo die receptus in cœlum est, anno Dom. 521. Ennodii Epistolarum libros novem, & varia Opuscula edidit doctissimus *Sirmondus*. Inserta sunt Tomo IX. Bibliothecæ Patrum Lugdunensis Editionis.

II. Boëtius vir nobilissimus, religiosissimus, doctissimus, sub Theodorico Italiæ Rege Consul, cujus jussu occubuit anno 524. die 23. Octobris, ut *Marius Aventicensis* Episcopus *in Chronico* testatur. Ennodio Ticinensi & Cassiodoro necessitudine conjunctum, ipsorum Epistolæ testantur. De ipso Honorius Augustodunensis *Libello* 3. *de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 32. & Sigebertus *cap.* 37. Indicem ejus Operum Possevinus in Apparatu Sacro, Bellarminus, & Labbeus in dissertatione de Scriptor. Ecclesiasticis exhibent. Librum ipsius *de Trinitate* dignum judicavit S. Thomas quem Commentariis illustraret. Ejus laudes prædicat Rex Theodoricus in Epistola ad ipsum datâ, apud Cassiodorum, Lib. 1. Variarum 45. *Sic Atheniensium Scholas longè positus introisti: Sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim quâ profunditate cum suis partibus Speculativa cogitetur; quâ ratione Activa cum sua divisione discatur: Deducens ad Romuleos Senatores, quicquid Cecropidæ mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pythagoras Musicus, Ptolomæus Astronomus leguntur Itali. Nicomachus Arithmeticus, Geometricus Euclides audiuntur Ausonii. Plato Theologus, Aristoteles Logicus Quirinali voce disceptant. Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti.*

III. Joannes Maxentius, natione Scytha, eruditus, sed procax Monachus, turbas sub Hormisdæ Pontificatu cum sociis excitavit, cujus etiam Epistolam *Ad Possessorem*, petulanti stylo insectatus est. Ejus *Dialogi contra Nestorianos, & contra Acephalos Libellus*, habentur in Bibliotheca Patrum.

IV. Gildas Sapiens, ab altero Gilda antiquiore, qui *Albanicus* dictus est, distinguendus. Ille anno 425. natus, propè *Glastoniam*, solitarius obiit ad *Axi* fluminis ripam. Iste verò anno 520. natus est, & *Badonicus* dictus, quòd anno ejus natali *Arturus* Britonum Rex ad *Badonis* montem Saxonas ingenti prælio profligaverit. Iltuti Morganensis Abbatis se tradidit disciplinæ, Cœnobii *Bannacorensis* in majori Britanniâ Abbas, editis anno 564. *de Britanniæ excidio*, & *Ordinis Ecclesiastici objurgatione* Libellis celebris, anno 570. obiit in Hibernia. Ejus meminit Venerabilis Beda *Lib.* 1. *Historiæ Cap.* 22. Vitæ ejus fragmenta edidit P. *Joannes Bosco Celestinus, Parte II Bibliotheca Floriacensis*. Extant Gildæ Opera *Tomo VIII. Bibliotheca Patrum* Editionis Lugdunensis.

V. Dionysius Exiguus, natione Scytha, Romani Monasterii *Abbas*, Græcè & Latinè peritus, ab ineunte VI. sæculo ad annum circiter 540. floruit. Collectionem Canonum adornavit, quam nuncupavit Stephano Salonitano Episcopo. Vide quæ de illâ diximus in Appendice ad Dissertationem XX. in Historiam Ecclesiasticam I. Sæculi, *De variis Juris Canonici Collectionibus*. Et ejus elogium lege apud Cassiodorum, Libro *de Institutione Divinarum Litterarum Cap. XXIII.*

ARTICULUS III.

De Eugippio, & S. Remigio.

I. Eugippius Africanus Abbas, ad quem Ferrandus Carthaginensis Diaconus Epistolam scripsit, ab Eugippio Lucullanensi in agro Neapolitano Abbate, Gelasii I. Pontificis Maximi Discipulo, qui Vitam S. Severini Abbatis & Noricorum Apostoli scripsit, teste Sancto Isidoro, *Lib de Viris Illustribus cap.* 13. distinguendus: Cassiodoro notus, qui ipsius cum laude meminit *Cap.* 23. *Divinarum Lectionum*, Thesaurum Sententiarum ex S. Augustini defloratarum Operibus collectum, & in Libros duos distinctum, *Probæ* Virgini Sacræ nuncupavit.

II. S. Remigius Remensis Episcopus, Apostolus Francorum, nonnullas Epistolas scripsit. Obiit anno Christi 533. conditô Testamentô, quod post P. *Labb.*, S. J. edidit P. *le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, *Tomo I*. Extabat priùs in Historia Flodoardi *Lib* 1. *cap.* 18. sed tot auctum interpolationibus, quæ nec tempora, nec genium Remigii sapiunt, ut plerisque supposititium videretur. Sincerum illud S. Remigii Testamentum, quòd Brevius vocat, describit *Dom. Guillelmus Marlotus*, *Historia Metropolis Remensis Tomo* 1. *Lib.* 2. *cap.* XI. ex MSS. Codicibus Abbatiarum SS. Remigii, Nicasii, & Theodorici prope Remos. Prolixius illud vocat, quòd à Flodoardo refertur, vel à recentioribus ejus Historiæ assutum est & pro Breviori suppositum. Prolixius illud Pseudepigraphum esse, viri ut plurimum eruditi asserunt, his adductis rationibus. 1. Quòd Hincmarus, qui S. Remigii Vitam ex Ecclesiæ suæ monumentis, & aliis, si quæ habuit, certissimis documentis conscripsit, illud ignoraverit, solùmque Brevius Operi suo subjecerit, ut ex MSS. evidens est: nec unquam prolixioris Testamenti auctoritate usus sit, cùm se dedit occasio. Secundò, quòd in eo vocabula quædam sint S. Remigii ætate minimè usitata, imo prorsus incognita, ut *Austria* & *Neustria* nomine ad illas significandas regiones, quæ his deinde vocabulis sunt appellatæ. Item vox *Archiepiscopi*. Tertiò quòd in Regem ordinatus à S. Remigio dicatur Clodoveus per sacri Chrismatis Unctionem, cùm tamen unctus non sit ut Rex fieret (quippe qui tum decimum-quintum annum Regni agebat, sed ut Christianus fieret.)

Et

Et si unctus in Regem esset, non fuisset neglectus ab ejus posteris tam sacræ Inaugurationis ritus. Neminem tamen ex Regibus primæ stirpis unctum legimus. Quartò, quòd in prolixiori illo Testamento, multa suggerat Remigius de increpando Rege ab Ecclesia Remensi, si à Religione deflexerit, aut Ecclesiæ bona pervaserit; de convocandis Galliarum Archiepiscopis, & de Elogio segregationis à Corpore Christi, quæ ab horum temporum disciplina & moribus abhorrent, quibus Metropolitæ æquales inter se, nec ulli jus erat alios convocandi, nisi Sedis Apostolicæ Vicarius, & Primas illorum esset constitutus. Quod licèt S. Remigio collatum sit ab Apostolica Sede privilegium, non tamen ad ejus Successores transmissum est, ut inferiùs probabimus. Prolixius tamen Testamentum à Flodoardo descriptum, vel ipsius Historiæ, ut probabilius est, assutum, laudatus supra *Marlotus* tueri satagit, & bisce gravissimis rationibus utcumque respondet. Legant quibus per otium licet, deque ejus sententia judicium ferant. Falsò ipsi adscribuntur *Commentarii in Sancti Pauli Epistolas*, quos *Villalpandus* sub ejus nomine primus edidit, quamvis exemplar, quod in Monasterio S. Cæciliæ trans Tyberim Romæ repertum est, hanc inscriptionem præ se ferat: *Anno Dominicæ Incarnationis M. LX. VII. Indictione V. scriptus est liber iste. Deo gratias. Remigius Episcopus Remus exposuit Epistolas S. Pauli Apostoli luculento sermone.* Laudat namque hic Commentator S. Benedictum, S. Gregorium Papam, *ad Cap. 15. 1. ad Corinthios*, Bedam *ad Cap. 12. 2. ad Corinthios & ad Cap. 3. Epistolæ ad Philippenses*. Bis meminit Saracenorum, scilicet *ad Cap 2. Epistolæ ad Romanos*, & *ad Cap. 4. Primæ ad Thessalonicenses*. Utrobique Mahumetani sunt intelligendi, quorum Auctor Mahumetes errores suos unô ferme sæculô post obitum S. Remigii promulgare cœpit. Nam de Saracenis incolentibus Arabiam tempore S. Remigii uterque hic locus minùs commodè intelligitur. Tunc enim minoris erant nominis, quàm ut præ cæteris Gentibus in exemplum ad confirmandam Evangelii veritatem proponerentur; ideóque Auctor Commentarii de quo agimus, videtur ad Mahumetanos respexisse, cùm in Arabia effusi, per amplissimas Asiæ Provincias, & per Africam latissimè jam dominarentur, ut rectè observat *P. le Cointe*. Præterea Commentator Vitam S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, *ad Cap. 14. Epistolæ 1. ad Corinthios* allegat. Superstes autem S. Remigio vixit S. Cæsarius, unde S. Remigius S. Cæsarii Vitam ab ejus discipulis scriptam nunquam legit. Hos autem Commentarios nonnulli viri eruditi Remigio Lugdunensi tribuunt, * alii Remigio Autissiodorensi Monacho, quem ideo Remensem in MSS. quibusdam Codicibus vocatum conjiciunt, quòd à Fulcone Archiepiscopo Remos ad Scholas instaurandas evocatus fuerit, teste Flodoardo, *Lib. 4. Historiæ Remensis Cap. 9*. Alii Haymoni, ut P. *Labbeus* in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Francum ex multis loquendi formulis suspicatur hunc fuisse Commentatorem *P. le Cointe*, eóque potissimùm quòd *ad Cap. 4. Epistolæ ad Galatas* dicat, *Tutores eligendos esse cum consiliô Scabinorum, in generali mallo*. De Vita S. Remigii lege Hincmarum, & Flodoardum *Lib 1*. Ejus eloquentiam commendat Sidonius Apollinaris *Lib. IX. Epistola VII.*

* Theophilus in Indiculo SS Lugdunensium, Usserius in Historia Gotteschalci.

ARTICULUS VI.

De Sancto Fulgentio.

I. SANCTUS FULGENTIUS, natione Afer, in Teleptensi urbe Provinciæ Byzacenæ, anno circiter 467. natus, Senatoriâ familiâ, Græcis, Latinisque literis à teneris imbutus, Monasticam Vitam amplexus est. Romam venit anno 500. ubi Theodoricum Regem in loco, qui *Palma Aurea* dicebatur, concionem facientem, Senatum, & Romanæ nobilitatis decus, astantemque & ausculantem populum conspiciens, sic Fratres compellavit: *Quam speciosa potest esse Jerusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor & gloria & pax præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem!* Fuit primùm Abbas Monasterii sui, deinde Ruspensis Episcopus in Provinciâ Byzacenâ factus, anno 508. in exilium cum aliis Africæ Episcopis deportatus est in Sardiniam, jussu *Trasamundi* Regis Vvandalorum; unde postea Decreto *Hilderici* revocatus, vixit usque ad Kalendas Januarias anni 533. ut probat eruditus P. *Chifletius S. I.*

Libri S. Fulgentii ad Monimum eorumque Synopsis.

II. In Scriptura Sacrâ, & in doctrina SS. Patrum, & præsertim Sancti Augustini versatissimus S. Fulgentius, verbo & scriptis Hæreses debellavit, ædificavit Ecclesiam, Fidelium mores informavit. Tres libros scripsit *Ad Monimum* Laïcum, virum sibi amicissimum, quibus quatuor Quæstiones solvit ab ipso propositas. Primæ quæ est *De Prædestinatione*, respondet *Lib. 1.* quô ostendit, duplicem esse Prædestinationem: Unam bonorum ad gloriam, alteram malorum ad pœnam. Sed quos Deus prædestinavit ad gloriam, prædestinasse ad justitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinasse ad culpam. Quia initium malæ voluntatis superbia est, quæ ex Deo non est: non esse ex Deo hominibus interitum malæ operationis, sed à justo Judice retribui malis interitum ultionis. Deum itaque aliter bonos, aliter malos prædestinasse. Quod enim Deus daturum se præscivit, in æternâ bonitatis dispositione prædestinavit. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei. Porro in iniquis puniturus est quod, ut essent mali, non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinavit, quia eis iniquè vellent, hoc eis daturus ipse non fuit. Et quia malæ voluntatis perseverans iniquitas inulta remanere non debuit, tales ad interitum prædestinavit, quia talibus justæ punitionis supplicium præparavit. Hanc doctrinam ex Sancto Augustino & Sancto Prospero confirmat. Secunda Quæstio est *De Sacrificio Corporis & Sanguinis Christi: Utrum soli Patri æterno immoletur?* Huic Quæstioni respondet quinque prioribus Capitibus Libri 2. & ex Patriarcharum & Prophetarum fide ostendit, offerri toti Sanctissimæ Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Tertia Quæstio est, *Cur in Sacrificiô solius Spiritus Sancti missio postuletur?* Hanc solvit sex Capitibus sequentibus, & ostendit nomine Spiritus Sancti frequenter gratiæ dona significari. Dum itaque, inquit, Ecclesia Spiritum Sanctum sibi cœlitus postulat mitti, donum sibi charitatis & unanimitatis postulat à Deo conferri. Quando autem congruentiùs quàm ad consecrandum Sacrificium Corporis Christi, Sancta Ecclesia Spiritus Sancti deposcat adventum, quæ ipsum Caput suum de Spiritu Sancto, secundùm carnem, noverit natum? Quartæ Quæstioni, *De supererogatione Sancti Pauli*, respondet tribus postremis Capitibus. Et ait, supererogationem illam, vel esse consilium de virginitate servanda his verbis datum: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* (Quæ expositio est Sancti Optati Milivetani, *Lib. 6. contra Parmenianum.*) Vel intelligi posse de victu ex manuum labore comparatô, cùm de Evangelio vivere posset; unde 1. ad Thessalonicenses cap. 2. scribit: *Memores enim estis, fratres, laboris nostri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem vestrûm gravaremus.* (Quæ est explicatio Sancti Augustini)

Vel Sancti Pauli supererogationem intelligi posse de sermonibus ejus atque Epistolis, & de nimio labore mentis & corporis. (Quæ est interpretatio Sancti Ambrosii.) Ex istis expositionibus qui unam selegerit, à veritate non dissensurum. Nec mirum quòd idem locus Apostoli sit à pluribus Patribus diverso sensu expositus, cùm idem Pater eumdem locum vario modo interdum exponat. Quod probat exemplo Sancti Augustini, qui in libris *adversus Faustum Manichæum*, & in libris *de Civitate Dei*, inferiora Arcæ bicamerata & tricamerata diverso modo interpretatur. Libro tertio impugnat Arianos negantes Verbum in Deo esse, & contendentes non esse idem, esse apud Deum, & esse in Deo: Verum sensum illius Sententiæ explicat: *Et Verbum erat apud Deum* Ostendit idem esse *apud Deum* & *in Deo*, quia Deus mutationi non est obnoxius: Sic Psalmo 35. *Apud te est fons vitæ*, non aliud intelligi, quàm, *In te est fons vitæ.* Et cum Sanctus Joannes dicit Epistola 1. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*, idem esse, *Apud Patrem*, &, *In Patre.*

Liber contra X Objectiones Arianorum.

III. Edidit prætereà librum unum *contra decem Objectiones Arianorum*, quas ad ipsum Trasamundus Rex miserat, illúmque idem Regi tradi curavit, ut testatur Ferrandus Diaconus in ejus Vita, *cap.* 22. *Tres Libros* ad eumdem *Trasamundum* scripsit, compulsus respondere, aliis quæstionibus & objectionibus ab ipso propositis, sibique semel tantùm perlectis. Eorum meminit Ferrandus *cap.* 23. In primo libro probat Filium Dei animam cum vera carne assumpsisse. In altero probat immensitatem Filii Dei, nec ipsum ad locum de loco motu locali transivisse: adventum ad nos Patris & Filii & Spiritus Sancti, non mobilitatem, sed pietatem Dei venientem ostendere. Rectè dici Filium Dei fuisse in mundo, & in mundum venisse: Illud potentiæ, illud gratiæ deputandum. Verbi Dei immensitatem Sancti Cypriani testimoniis insignibus confirmat. Christi humanitatem localem esse probat, sicut ejus Divinitas immensa est. Denique Sanctissimæ Trinitatis immensitatem ex formâ Baptismi demonstrat. Cùm enim ubique unô tempore per totum orbem Baptisma celebratur in nomine Trinitatis, si tota Trinitas adest ad sanctificandum, ubique mirabiliter exhibet præsentiam majestatis immensæ: quoniam solius est Dei simul universa complere. Si autem non tota Trinitas ubique pariter adest, si Filius aut Spiritus Sanctus putatur deesse, nominandus utique in baptismate non est, qui ad sanctificandum adesse non potest. In tertio libro agit de Sacramento Dominicæ Passionis, duarum naturarum distinctionem accuratè explicat, ostenditque, Christo in carne passo, divinitatem non fuisse compassam carni.

Libri tres ad Trasamundum.

IV. Sequitur *Liber ad Donatum, de Fide Orthodoxa, & diversis Hæreticorum erroribus.* Tum liber *De Fide ad Petrum Diaconum*, qui Hierosolyma pergens, regulam veræ fidei à Sancto Fulgentio postulaverat, ut nullius hæreticæ falsitatis sensus posset ipsi obrepere. Eô in libro *cap.* 27. pueros sine baptismo decedentes pœnam sensus in inferno pati, quasi Fidei dogma videtur proponere his verbis: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive cùm de matribus nati, sine Sacramento Sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiternô supplició puniendos: Quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.*

De Fide ad Petrum.

Lege quæ de hoc S. Fulgentii loco diximus Dissertat. 10 in Histor. Eccles. Sæc. II §. 13. pagina 1103. & 1104. 1. Edit. vel pag. 753. & 574. Edit. secundæ Tom. 4.

Hoc unum est è quadraginta Capitulis, de quibus cap. 44. hæc habet: *Hæc interim quadraginta Capitula ad Regulam veræ Fidei firmissimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge; & tanquam Hæreticum abjice.*

V. Varias Epistolas scripsit, Morales quasdam, alias dogmaticas. In prima respondet interrogationi cujusdam, *de Continentiâ uxoris.* Docet usum conjugii non esse malum. Justitiam ejus hanc esse, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi conjuges congruô tempore misceantur. Votum continentiæ à conjugatis emissum obligare, si mutuô consensu Deo sit oblatum. Sicut enim priusquam Deo simul voverent, reprehensibilis fuit unius oblatio, quia legitimi consortis deerat assensus: Ita cùm pari obtulerit uterque consensu, quod est inseparabiliter utriusque commune, non erit impunitus, si quis munus Deo voluntariâ devotione oblatum, illicitô crediderit opere temerandum. Tandem vitæ sanctè instituendæ præcepta tradit conjugatis.

Epistolæ.

Epistola II. *ad Gallam*, de mariti morte ipsam consolatur, & Viduam Christianam ad continentiam cæterasque virtutes illius statui convenientes hortatur. Epistola III. *ad Probam*, virginitatis meritum commendat, sacram Virginem instituit, & ad studium virtutum accendit, quæ virginitatis custodes sunt, aut ornamenta, præcipuè ad humilitatem cordis. IV. Ad eamdem, *de Oratione & compunctione cordis.* Quinta ad Eugipium Abbatem, *de Charitate.* VI. *Ad Theodorum Senatorem, de conversione à sæculo.* VII. *Ad Venantiam, de rectâ Pœnitentiâ, & futurâ tribulatione.* Epistolam prætereà dedit, *Ad Reginum Comitem*, de carne Christi corruptibili. Item Epistolam *Ad Ferrandum, de Baptismo Æthiopis moribundi.* Æthiops ille inter Catechumenos Fidei Christianæ Mysteriis imbutus, inter Competentes adscriptus, & ad baptismum paratus, gravi correptus ægritudine, amissô vocis, & sensûs usu, baptizatus est, mente absentissimus, & pro eô quasi pro infante responsum fuit Sacerdoti. Quæsivit à Sancto Fulgentio Ferrandus, utrùm nihil ipsi ad æternam Beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Quid de adultis hoc modo baptizatis sentiendum? Quid de illis, qui sanâ mente legitimè baptizati, præveniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem ejus bibere non sinuntur? Cùm Dominus dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Respondet Sanctus Fulgentius, Baptismum esse mercedem fidei & confessionis: Dignum esse operarium mercede suâ: Non ergo baptismatis mercede fraudari debuisse, qui opus credulitatis & confessionis, divinitùs datâ cordis & oris devotione persolvit. Nihil itaque illi ad æternam Beatitudinem consequendam, vocem ablatam nocuisse, qui quamdiu potuit, in ipsâ fidei Confessione permansit. Proinde firmissimè tenendam esse illam Canonum sententiam Paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculô propriô dixerint, baptizari. Hoc sapientes Patres, & quid Ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat, indicasse. Neque enim hoc Ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Ultimo tandem Ferrandi scrupulo respondit, non esse dubitandum quin salventur illi, qui præveniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem bibere non sinuntur. Nec obesse illam sententiam Salvatoris: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam*

Epistola de Baptismo Æthiopis, ad Ferrandum.

tam in vobis. Id namque in baptismo fieri. *Quid enim agitur Sacramento sancti Baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Christi fiant, & ad compagem corporis ejus Ecclesiasticâ unitate pertineant? Ipsis enim dicit Apostolus: Vos estis corpus Christi, & membra de membro... Quocirca quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, tunc incipit unusquisque particeps esse illius unius Panis, quando cœperit membrum esse illius unius corporis, quod in singulis membris, quando in Baptismo capiti Christo subjungitur, tunc jam Deo viva hostia veraciter immolatur. Illo enim nativitatis munere sic fit Sacrificium, sicut fit & templum. Quod B. Apostolus docens, ait: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Qui ergo membrum corporis Christi fit; quomodò non accipit quòd ipse fit? Quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis est in Sacrificio Sacramentum? Hoc ergo fit ille regeneratione sancti Baptismatis, quod est de Sacrificio sumpturus Altaris.* Hanc doctrinam confirmat ex Sermone Sancti Augustini *Ad Infantes, de Sacramento*, quem Epistolæ subjungit.

Sermones.

Plures *Sermones* habuit, dictavítque Sanctus Fulgentius, ut constat ex ejus Vita cap. 29. quos Sirmondus & Theophilus Rainaudus, S. J. Sacerdotes in lucem ediderunt.

Libri contra Hæresim Arianam.

Arianam hæresim confutavit, non solùm in Responsione ad X. objectiones Arianorum, cujus supra meminimus, sed etiam in libro *Contra Fastidiosi Sermonem*, in libro *de Trinitate ad Felicem Notarium* in libro *Adversùs Pintam Episcopum Arianum*, qui non extat, & in libris X. *Contra Fabianum*, in quibus & Spiritûs Sancti dignitatem adversùs Macedonianos egregiè propugnavit.

Libri II. de Remissione peccatorum.

VII. Duos *de Remissione Peccatorum* libros scripsit ad Euthymium, in quibus docet, quibus, quando, & ubi Deus remittat peccata. Probat 1. Non remitti nisi illis qui verè & sincerè convertuntur. 2. Non remitti extra Ecclesiam. 3. Non remitti nisi in hâc vitâ.

De Incarnatione & Gratia.

VIII. *De Gratia & Prædestinatione* luculenter scripsit ac eleganter. A Petro Diacono & aliis Monachorum Scytharum Oratoribus, qui ad ipsum, cæterosque Africanos Episcopos in Sardinia exules Libellum *de Incarnatione & Gratia Domini nostri Jesu Christi*, miserant examinandum, & eorum suffragiis approbandum, rogatus, librum ejusdem argumenti scripsit, suo & cæterorum Confessorum nomine. De quo Ferrandus in ejus Vita, Cap. XX. *Huic etiam quandocumque transmarinis literis de fide, vel de diversis quæstionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus, ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginensis Antistes, inter sua privilegia meruit, ut literas ex Africano Concilio dandas solus ipse scriberet; sic iste meruerat ut literas ex illo Concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe & eò amplius Episcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua & ingenium B. Fulgentius Episcopus fuit. Propterea quandocumque rescribebant consulentibus, Episcoporum nomina cunctorum dicebantur in titulo; sed solius B. Fulgentii sermo tenebatur in stylo.*

De Veritate Prædestinationis & Gratiæ.

IX. Tres libros *de veritate Prædestinationis & Gratiæ*, ad Joannem Presbyterum & Archimandritam, & Venerium Diaconum scripsit. Horum librorum meminerunt Ferrandus in ejus Vita, *Cap.* 29. S. Isidorus *Lib. de Viris Illustribus, Cap.* 14. Concilia, Parisiense anno 829, Aquisgranense anno 836. Additio II. ad Capitularia Caroli Magni & Ludovici Pii, Gotescalcus in Confessione suâ, &c. Sed ipsos præ cæteris commendarunt Africani Episcopi in Sardinia exules, sicut & *septem libros contra Faustum* Semipelagianum ab eodem S. Fulgentio editos, qui vel perierunt, vel in alicujus Bibliothecæ angulo delitescunt. *Cæterum*, inquiunt, *unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus quæ memorati Fratres adversùs Gratiam & Prædestinationem intimastis vel sentire, vel dicere, tribus Libris vestro nomini dedicatis sufficienti disputatione respondit: quique adversùs duos libros Fausti Galli septem libros edidit: quos cùm recensueritis, agnoscetis protinus quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, diffusio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit.*

Libri VII. Contra Faustum Reiensem Episcopum.

Summa Librorum De veritate Prædestinationis & Gratiæ.

In primo libro *de veritate Prædestinationis & Gratiæ* ostendit, nullis præcedentium aut subsequentium exigentibus operum meritis, Jacob priusquam nasceretur, electum, sed sola divini propositi benignitate discretum. Subjungit generalem de parvulis sine baptismo morientibus inquisitionem, docetque negationem gratiæ & baptismatis non esse refundendam in præscientiam futurorum peccatorum, quæ perpetrassent parvuli si ad majorem ætatem pervenissent. *Quisquis enim Dominum præscium putat futurorum, quæ tamen futura non fuerunt, restat ut præscientia Dei, quam utique non negat veracem, aliquam inesse æstimet falsitatem. Falsum est enim futurum esse aliquid, quod præsciat non erit. Dei autem scientia nihil in se potest habere falsi, quia falsitas inesse veritati non potest.* Ad judiciorum itaque Dei occultam profunditatem referendum probat S. Fulgentius, quòd parvuli, sive parentum negligentiâ, sive aliô casu, absque Baptismo decedant: Et ad munus Gratiæ pertinere piam voluntatem ac diligentiam parentum, qui suis parvulis baptismi Sacramentum procurant. Probat postremò Gratiam Dei non omnibus hominibus universaliter dari, & quibus datur, non æqualiter dari. *Hærendum SS. Patrum definitionibus, qui Apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissimè cognoverunt, cognoscendúmque libris & Epistolis reliquerunt, Gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari.*

Io secundo Libro, Gratiam Dei cum libero arbitrio componit: Istud non tolli ostendit, quamvis hæc ei sit necessaria & ad benè volendum, & ad benè operandum, & ad orandum, & ad perseverandum, quod Scripturæ Sacræ oraculis invictè probat. Traditioni & SS. Patrum doctrinæ inhærendum necessariò ait iis qui salvi esse velint. *Oportet*, inquit, *SS. Patrum divinitus inspiratis informari & adhærere sententiis, qui gratia divina sic illuminati sunt dono, ut indubitanter assererent, in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficiò gratiæ prævenientis infunditur: Nihil in melius augeri, nisi quod subsequentis juvamine roboratur: Nihil benè consummari, nisi quod eâdem operante, atque opitulante perficitur. Hæc itaque*, inquit, *Catholicorum Patrum Apostolicæ institutionibus tradita permanet in Ecclesiis, sine aliquâ dubitatione, doctrina; quam Græci, Latinique Pontifices, Sancti Spiritûs infusione formati, unò atque indissonabili semper tenuere consensu. In quâ B. Augustinus indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus laboravit, &c.* Subjungit eximiam S. Augustioi & doctrinæ ipsius de Gratia commendationem. Notandæ sunt hæ Capitis XXII. sententiæ: *Quantùm ergo pertinet ad hujus temporis vitam, constat, quia in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo nemo Christiano Imperatore celsior invenitur... Clementissimus quoque Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni Principatûs accepit: Sed si in Imperiali culmine rectâ fide vivat, & cordis humilitate prædicus, culmen Regiæ Dignitatis sanctæ Religioni subjiciat: Si magis timore serviat Deo, quàm in tumore dominari populo delectetur: Si in eo lenitas iracundiam mitiget: ornet benignitas potestatem: Si se magis diligen-*

Christiani Imperatoris officia.

dum

dum quàm metuendum cunctis exhibens: Si subjectis salubriter consulat; Si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat; Si præ omnibus se Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus pace atque tranquillitati per universum mundum prodesse faciat suum Principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur Imperium, dum Ecclesiastico Statui per universam terram consulitur, quàm cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur.

In tertio libro de Prædestinatione disserit, quam gratuitam probat, *non solum ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam justificationis.* Septem postremis Capitibus tractat quæstionem de origine animæ, de quâ ipsum interrogaverant Joannes & Venerius. Recensitis sententiis oppositis, illorum qui novas animas asserunt singulis fieri, & illorum qui asserunt animas cum corporibus propagari; & utriusque sententiæ incommodis: Laudatâ S. Augustini prudentia, qui suum hâc in quæstione suspendit judicium, ducit & ipse abstinendum ab hujus definitione controversiæ. *Quanto ergo melius*, inquit, *ab hujus quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus? Præsertim quia quod à Sanctis Viris majoribus nostris videmus minimè definitum, oportet nos tantò cautiùs atque temperantiùs quærere, quantò ad ejus fidem illos Præclaros Viros cernimus minimè pervenisse.*

Liber de Prædestinatione & Gratia Dei, non est Fulgentii.

X. *De Prædestinatione & Gratia* S. Fulgentium testimonia quædam collegisse & exposuisse, quibus utriusque differentiæ explicarentur, constat ex ejus Vita, *cap.* 8 sed libro *de Prædestinatione & Gratia Dei*, quem cum S. Augustini Operibus editum Tomo VII. viri eruditi *Sirmondus*, & *Theophilus Rainaudus*, *in Censura inofficiosa censura*, Fulgentio asseruerunt, neque titulus convenit libri cujus meminit Ferrandus, neque stylus Fulgentium sapit. Non enim ita modulata est ac tinnula oratio, non periodi similiter cadentes & desinentes, ut in libris de Veritate Prædestinationis & Gratiæ. De Gratiâ Dei jejunè loquitur, nec ejus ad benè volendum & operandum necessitatem ita prædicat, ut solet S. Fulgentius: Plus tribuit libero arbitrio, ipsúmque & Deum inter salutis œconomiam partitur. *Itaantea se atque hominem Deus tempora efficaque distribuens ordinavit, ut vocatione ipsius, bonorum principia sumeremus, vocati autem usque illum nati, vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentiâ nosceremus, & eas liberò vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.* (cap. IX.) Et infrà: *Eos verò qui vocationis munus congrua pietate susceperint . . . Et in agone hujus vitæ certantes adjuvat, & coronas vincentibus largitur æternas.*

Et cap. XI. *Post hanc vocationem illud sequitur, quod & vult ad conatus hominum pertinere, & ostendit sine hoc non posse compleri, hoc est enim quod dicit Apostolus; Quoniam ab ipso habemus velle & perficere, pro bonâ voluntate. Ab ipso enim habemus velle, quia vocat & illuminat. Ab ipso perficere, quoniam ad nos pertinet coronari bona, quæ & velle donavit... Illum ordinem quò miseretur Deus vocando, miseretur deinceps in cœptis conatibus adjuvando.*

Et cap. 15. Nabuchodonosorem cum Pharaone componens, illum præ isto conversum asserit, nullâ intrinsecùs vocatione pulsante, solis flagellis admonitum, quorum pondus sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit. *Existere nihilominus fortasse aliquem reor*, inquit, *qui dicat, minus idoneam ad salutem viam, si nullâ intrinsecùs vocatione pulsatus, tamen quispiam flagelletur. Unde Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit? ... Quantùm ad naturam ambo homines erant: Quantùm ad dignitatem, ambo Reges: Quantùm ad causam, ambo captivum populum Dei possidentes: Quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit: Alter libero contra Dei misericordissimam voluntatem pugnavit arbitrio?* Quæ sententiæ Semipelagianum hominem potius olent, quàm S. Augustini Discipulum, & Fausti impugnatorem, qualis fuit S. Fulgentius: Cujus cum doctrinâ in libris *De Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, & *De Incarnatione & Gratia*, è regione pugnant.

Præterea, pugnat cum Sancti Augustini & ipsius Sancti Fulgentii doctrinâ, sententia illa cap. 16. *Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debito mortis, & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum: Quis omnipotenti Creatori diceret, Quare fecisti sic?* Contra Sanctus Augustinus Epistola 106. *Quemquam immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et Sanctus ipse Fulgentius lib. 1. *De veritate Prædestinationis & Gratia*, cap. 11. ait: *Ea est bonitas ejus* (scilicet Dei) *atque justitia, ut gratuitâ miseratione redimi possit, quemcumque voluerit. Voluntati enim ejus quis resistit? Injustè autem damnare quempiam, nec velit aliquando, nec possit, quia Rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eô.*

Postremæ Edit. 152.

De quinque Quæstionibus

XI. Præter has lucubrationes, Sanctus Fulgentius librum scripsit ad Ferrandum Diaconum *De quinque Quæstionibus*, de quibus ipsum per litteras interrogaverat. Prima est, Utrum Sanctissima Trinitas cùm in naturâ, tum in personis, sit omnino inseparabilis prædicanda? Probat prorsus inseparabiles esse personas S. Fulgentius. II. Utrum sicut Dei Filius dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus; ita ejus divinitas nata, passa, mortua dici possit, intelligendo semper, *secundùm Carnem?* Respondet S. Fulgentius, Quicquid horum dicatur, nihil præjudicare Fidei, quâ veraciter Ecclesiâ Catholica credit & prædicat, divinitatem Filii Dei impassibilem atque incommutabilem naturaliter permanere. Id probat ex Apostolo qui *Christum crucifixum* cùm prædicat, dicit *Dei virtutem & Dei sapientiam.* Et alibi simul virtutem divinitatemque conjungens, ait, *Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Si ergo virtus Christi secundùm carnem crucifixa dicitur, cur eodem modo etiam crucifixa secundùm carnem divinitas non dicatur? (inquit Sanctus Fulgentius.) Id confirmat disertis Sancti Augustini testimoniis in libris *de Trinitate*, quorum hæc summa est; Unamquamque personam, in his duntaxat nominibus, quibus ad se, non translatè, sed propriè dicitur, ipsam sibi esse, quod habere naturaliter prædicatur. Sic Deum esse, ut ipsa sit divinitas sua, sic magnum, ut ipsa sit magnitudo sua, &c. Ex quibus colligit Sanctus Fulgentius, salvâ incommutabilitate, æternitate, atque impassibilitate divinitatis Filii Dei, quicquid de ejus Majestate, æternitate, ac virtute, secundùm susceptionem carnis dicitur; incongruum non esse si eodem modo, secundùm carnem, de ejus divinitate dicatur. Quod ergo à Dei Filio susceptum est, ab ejus divinitate, ab ejus majestate, ab ejus virtute, ab ejus æternitate probari susceptum. Quod rursùs confirmat ex S. Leone dicente: *Salvâ igitur utriusque proprietate naturæ, & in unam coeunte personam, suscepta est à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.* Et ex Gelasio lib. *De duabus Naturis* dicente: *Dum dicitur unam Divinitatis naturam fuisse incarnatam. Remotis ambagibus, altera erit quæ incarnata est, altera quâ incarnata perhibetur... Non aliunde Divinitas quam de utero Virginis Matris incarnata processit, &c.*

Tertia Quæstio Ferrandi erat, utrum anima Christi,

Christi, suscepticis Deitatis plenam habeat omnino notitiam: Et quemadmodum se invicem norunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ita idem Filius seipsum per id quod homo est, in eo quòd Deus, noverit; ex utraque, atque in utrâque substantia totum capiens Patrem? Id est, utrum anima Christi Deum comprehendat? Respondet Sanctus Fulgentius Animam Christi habere plenam divinitatis suæ notitiam, cùm quâ naturaliter unam creditur habere personam. Cùm animæ Christi non ad mensuram Deus dederit Spiritum, necesse esse ut nihil minùs habeat sapientiæ, nihil scientiæ: Et ad ejus quoque animam pertinere illam perfectionis prærogativam, quam ipsi Christo Apostolus assignat, dicens: *In quò sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi.* Nec tamen Divinitatem ab anima Christi comprehendi vult Sanctus Fulgentius; ait enim: *Possumus planè dicere, Animam Christi plenam habere notitiam Deitatis suæ. Nescio tamen utrum debeamus dicere, quòd anima Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodum se ipsa divinitas novit? An hoc potius dicendum est, quia novit quantùm illa, sed non sicut illa? Ipsa enim Deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse quod novit; Anima autem illa sic totam Deitatem suam novit, ut ipsa tamen Deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua. Anima verò illa ab ipsâ Deitate quam plenè novit, accepit ut noverit. Naturaliter ergo Deitas Christi hoc est quod novit; Anima verò illa in eo quod scit Divinitatem suam, non hoc se invenit esse, quod novit. Non ergo quemadmodum se noverunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sic anima sua secundùm divinitatem notus est Christus: Quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam: Non tamen habet unam cum Trinitate naturam. Aliud est autem unicuique rei nosse quod naturaliter est, aliud nosse quod naturaliter non est.*

Quarta Quæstio Ferrandi erat, Quare Ecclesia dicat in orationibus Sacerdotum, *Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti*; cùm unum regnum Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti credamus? Respondet Sanctus Fulgentius, his verbis, *In unitate Spiritus Sancti*, unitatem naturæ contra Hæreticos significari. Ubi enim regni naturalis est unitas, una regnandi permanet & potestas: In illo autem regno illi diversitatem potestatis habere possunt, quibus ipsa potestas tribuitur ex gratiâ, sed non suppetit ex naturâ.

Postrema quæstio Ferrandi erat, Quomodo sit intelligendum, quod S. Lucas Evangelista Cœnam Domini narraturus * priùs dicit, Eum Calicem accepisse, & Discipulis dividendum inter se continuò tradidisse, & tum deinde acceptô pane dixisse, *Hoc est corpus meum*, & similiter acceptô Calice dixisse: *Hic Calix Novum Testamentum est in meô Sanguine?* Difficultatem in eo esse, an sit unus Calix priùs & postea datus: Respondet Sanctus Fulgentius, Quosdam unum Calicem interpretari, illudque, *Accipite & dividite inter vos*, à S. Luca per anticipationem dictum. Alios secundò datum Calicem asserere. Quam expositionem ipse amplectitur; & utroque Calice utrumque Testamentum significatum probat.

* Lucæ 22.

ARTICULUS V.

De Ferrando, Marcellino Comite, Justo Orgellitano, Nonno, Cæsario Arelatensi, & Vigilio Tapsensi.

I. FERRANDUS Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, S. Fulgentii Discipulus, ab anno 510. ad 548. floruit, Vitam ejus scripsit, nonnullas Epistolas, cùm ad ipsum Fulgentium, tum ad alios, & Parænéticum ad Reginum Comitem; *Qualis esse debeat Dux Religiosus in actionibus militaribus*, seu *De septem regulis innocentiæ*. Canones in compendium redegit, non quidem omnes ante sua tempora conditos, sed eos duntaxat qui pro tempore ad Cleri Africani disciplinam sufficerent. In Epistolis ad *Severum Scholasticum*, & ad *Anatolium* R. E. Diaconum, hanc propositionem tuetur: *Unus de Trinitate natus & passus est carne.* Trium Capitulorum in unitate Ecclesiæ propugnator fuit acerrimus, ut eadem ad Anatolium Epistola probat: quô nomine ipsum Facundus Hermianensis laudat *Lib.* 4. *Cap.* 3. Breviarium Canonum ab ipso editum, in sui Præfatione commendat *Crescomus*. Ejus quoque Victor Tunonensis, Sigebertus, & Trithemius, honorificè meminerunt.

Observatione digna est Ferrandi sententia in Epistola ad Severum Scholasticum seu Advocatum Constantinopolitanum, de summa Sedis Apostolicæ in finiendis fidei controversiis auctoritate. *Interroga igitur*, inquit, *Vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine veritatis.*

Romani Pontificis & Conciliorum Generalium auctoritas.

Observatione etiam digna sunt, quæ in Epistola ad Pelagium & Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconos scribit de Conciliorum & Romani Pontificis in illis confirmandis auctoritate. cap. 7. *Universalia Concilia, præcipuè illa quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post Libros Canonicos tenent.* Et cap. 9. loquens de Decretis conditis à Synodis universalibus: *Sufficere*, inquit, *judicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moveant vel scandalum Fratribus, sed Apostolicæ Fidei convenire firmentur, Apostolicæ Sedis roborata consensu.* Et cap. 6. A Synodo Calchedonensi neminem jure appellare potuisse asserit, quia Sedis Apostolicæ consensu, quæ per suos Legatos Synodalibus Decretis consenserat, acceperat robur invictum. *Appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret; sed quò iret? aut ubi majores reperiret in Ecclesia Judices? Ante se habens in Legatis suis Apostolicam sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum.*

II. MARCELLINUS COMES floruit primis Justiniani Imperatoris temporibus, circa annum Christi 535. Ejus cùm laude meminit Cassiodorus *Lib. de Institutionibus Divinæ Scripturæ, Cap.* 17. & 25. Scripsit *Chronicon* ab initio Imperii Theodosii, ad Magni Consulatum, annorum CXL. seriem continens, tum deinde alios XVI. annos adjecit, à primo Justini, ad quartum usque Justiniani Augusti Consulatum hoc est, ad annum Christi DXXXIV. Quæ deinceps ad finem usque Imperii Justiniani sequuntur, non sunt *Marcellini*, nec in Editione *Antonii Schonhovii*, qui Chronicon istud primus in lucem dedit, habentur.

III. SANCTUS JUSTUS ORGELLITANUS, sive *Urgellensis* in Catalonia Episcopus, qui Concilio Toletano II. interfuit anno 527. obiitque 28. Maii, anno circiter 540. *In Cantica Canticorum* Expositionem mysticam scripsit, cujus meminit S. Isidorus Hispalensis *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Extat Tomo IX. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis. Hoc Opus misit ad Sirgam Episcopum, ad quem extat ipsius Epistola edita *Tomo III. Spicilegii.*

IV. ARATOR, Patria Ligur, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, ex Comite Privatorum, & ex Comite Domesticorum; Actus Apostolorum Heroico Carmine edidit, & Vigilio Papæ obtulit. Paulò ante hæc tempora floruit *Nonnus*, Panopoli in Ægypto natus, teste Suida, qui Evangelium S. Joannis Carmine Heroico interpretatus est.

V. SANCTUS

V. Sanctus Cæsarius *Arelatensis Episcopus*, obiit die 27. Augusti, anno 543. cùm annis 44. hanc Ecclesiam rexisset. Ejus extant variæ Homiliæ in Bibliothecis Patrum, & à Baluzio editæ: Sed quædam sunt ejus nomini suppositæ, præsertim ea quâ S. Gregorius Papa, & S. Isidorus Hispalensis laudantur. Regulam etiam scripsit Sanctimonialibus, in gratiam S. Cæsariæ sororis suæ. Cæsarii Arelatensis Vitam scripsit Cyprianus ejus discipulus.

VI. Vigilius Tapiensis in Byzacena Africæ Provincia Episcopus, floruit imperante Justiniano, circa annum 550. A Theodulpho Aurelianensi Episcopo sub nomine Vigilii Africani laudatus, in *Tractatu de Baptismo*, Libros quinque *contra Nestorianam & Eutychianam* hæresim edidit, *Disputationem cum Sabellio, Photino, & Ario* sub nomine S. Athanasii, & XI. Libros *de Trinitate*, eidem S. Athanasio olim adscriptos. Eidem à Viris Eruditis tribuitur Symbolum, *Quicumque vult salvus esse*.

ARTICULUS VI.

De Victore Capuano, Rustico, Primasio, Junilio Africano, & Liberato.

I. Victor Capuanus *Episcopus*, anno circiter 545. *de Cyclo Paschali* scripsit adversùs Victorium Aquitanum.

II. Rusticus Romanæ Ecclesiæ *Diaconus* sub Justiniano Imperatore & Vigilio Papa vixit, à quo propter schisma exauctoratus est. *Dialogum* scripsit *Adversùs Acephalos*.

III. Primasius, non Uticensis in Proconsulari Provincia, quod nescio unde hauserit Trithemius, sed Adrumetinæ in Byzacena Ecclesiæ Episcopus, ut Oecumenicæ V. Synodi Acta docent, Trium Capitulorum defensor primùm, tum impugnator, quinque libros Expositionum in Apocalypsim scripsit, & librum unum, *Quid faciat Hæreticum*? Hujus nomine circumferuntur *Commentarii breves in Epistolas Pauli*, à nullo Veterum, imò ne à Trithemio quidem memorati: de quibus propterea viri eruditi dubitant, maximè de Explanatione Epistolæ ad Hebræos, quæ Haymoni restituenda sit. Hos Commentarios primus edidit *Joannes Gagnæus* anno 1543. Ipsius, Operumque, Cassiodorus meminit *lib. Divinarum Lectionum*, *cap. 9.*

IV. Junilius Africanus Episcopus Primasio coævus, librum *de Partibus Divinæ Legis* ad ipsum scripsit. Ipsi falsò adscriptus est Commentariolus in tria priora Capita Geneseos, cui fragmenta ex S. Gregorii Moralibus in Job inserta sunt. Venerabili Bedæ à viris eruditis tribuitur.

V. Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, unus de Africanis Trium Capitulorum Defensoribus, Libellum scripsit de Hæresi Nestoriana & Eutychiana, cui *Breviarii* nomen indidit, post annum 564. Lege Præfationem viri eruditi P. *Garnerii* S.J. Professoris in Liberati Breviarium, quod emendatissimum edidit, ac Notis elegantibus illustravit.

ARTICULUS VII.

De Facundo Hermianensi.

§. I.

I. Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, in Provincia Byzacena, floruit post Consulatum Basilii anno x. Duodecim libros scripsit pro defensione Trium Capitulorum, quæ non posse absque injuria fidei, Synodique Chalcedonensis eversione condemnari, falsò persuasum habebat. Horum meminerunt Victor Tunnonensis *in Chronico*, & S. Isidorus Lib. *de Viris Illustribus cap. 18.* Duos Libellos *de duabus Naturis Christi*, ipsi tribuit Cassiodorus, sed existimo duo Libri I. Capita his verbis ipsum significasse: *Facundus venerabilis Episcopus Hæreticorum penetrabili subtilitate destructor, nuper ad Justinianum Principem scribens de duabus naturis Domini Christi duos libellos, cautè nimis luculenterque tractavit. Quos vobis transcriptos reliqui, ne ut antiquis egeatis Tractatoribus, nec modernis.* (In Psalmum CXXXVIII.) Librum etiam scripsit *adversùs Mocianum seu Mutianum Scholasticum*, qui Africanos Antistites, propterea quòd se à Vigilio Papa & ab Ecclesia, Trium Capitulorum causâ, post illius *Judicatum* segregaverant, meritò redarguebat.

II. Epistolam Facundi, quæ inscribitur, *Epistola Fidei Catholicæ, in defensione Trium Capitulorum*, in lucem primus edidit Domnus Lucas Dacherius vir eruditus, *Tomo III. Spicilegii.* Ex quâ probatur Facundum Schismaticum fuisse, & in Schismate occubuisse. Sic nempe Romanos Pontifices, & alios qui damnationi Trium Capitulorum factæ in V. Synodo assensum præbuerant, sugillat: *Sentiant se ab eâ præcisos, cujus decreta, quantum in ipsis est, convellentes, Hæreticorum se catervis, favendo eorum votis, pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab Acephalis Hæreticis, id est, Semi-Eutychianis, exquisita & illicita Capitulorum damnatio; & Vigilii atque Pelagii Romanorum prævaricatorum, & Primasii Bizaceni præcipui Doctoris Acephalorum, edita contra Ecclesiam Scripta protestantur. Quæ cùm ita sint, quomodo jam & illud eis poterit constare, quod dicunt, Unam se cum damnantibus fidem tenere? Cum nos in uno Domino Jesu Christo Dei & hominis Filio, duarum naturarum proprietatem in unitate personæ confiteamur, quod Catholica semper custodit & docet Ecclesia. Isti autem parendo Acephalis, & in scripto dicentes: Anathematizamus impiam Epistolam Ibæ, quam ad Marim Persam scripsit: cum his qui vindicant eam, & rectam esse dicunt, vel partem ejus; omnem procul dubio anathematizasse probantur Ecclesiam, quæ eam vindicavit, & vendicat, rectamque esse dixit, & dicit.* Asserit etiam eos qui Tria Capitula damnarunt, *violasse pactum initum cum Deo, & fidem perdidisse.* Addit adversatos fuisse Symboli articulo; Inde venturus est judicare vivos & mortuos. *En certè*, inquit, *in hoc nunc omnis consistit quæstio, de vivorum, mortuorúmque judicio, quòd contra nullam aliquando hæresim, ut illud de æqualitate Patris & Filii contra Arium, vel de omnipotentia Spiritus Sancti in Constantinopolitano contra Macedonium Symbolo est additum, à nulla unquam hæresi, nisi ab hac novissimis temporibus, velut ex compacta omnium Hæreticorum face exorta, violatum est, per damnationem videlicet vivorum, mortuorúmque.* Deinde ait eos *Patrem Diabolum* habere. Postea condemnationem Trium Capitulorum *Sacrilegium* appellat; ac multis interjectis subjicit: *Quæ amentia corda eorum invasit, oculósque eorum fumosa vanitas, velut densarum, palpabiliumque tenebrarum opaca nox obcæcavit, ut non viderent, nec perseveranter tenerent, quod in Symbolo, quando baptizati sunt, acceperunt? Sed pro libitu suo, modò muneribus corrupti, modò honoribus & ambitionibus illecti, modò etiam peregrina, sive potiùs serpentina versutia doctrinâ circumducti, ventóque superbiæ afflati & inflati, contra Deum superbiæ cristas erexerunt, præripiendo judicium ejus, &c.* Criminaturque eos tanquam *Superbiores & excellentiores audacia Diabolo, Antichristo quoque deteriores, neque proinde Christiano nomine censendos, immò appellandos Antichristi Ministros, modisque omnibus fugiendos.* Ac tandem: *Quomodo ergo qui Hæreticis communicant, hæresis crimine teneri negabantur? Aut quâ fronte Catholicæ communicare sibi videntur? &c. Damnate errorem quem induxistis, auferte damnationis malum*

Facundus Schismaticus.

quod

quod intulistis, per quod & Hæretici facti, & Hæreticorum fautores extitistis.

§. II.

Facundi auctoritatem contra Fidem realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia perperam objiciunt Hæretici.

OBjiciunt nostræ ætatis Sacramentarii adversùs realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ fidem, celebrem locum Facundi Hermianensis *Lib. IX. Cap. ultimo,* ubi exponens modum loquendi quorumdam Veterum, qui Christum adoptionem filiorum suscepisse dixerunt, ait Sacramentum adoptionis adoptionem noncupari, sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus dicitur Corpus ejus & Sanguis, non quòd propriè panis & vinum consecrata, sint ejus Corpus & Sanguis sed quòd Mysterium Corporis & Sanguinis ejus in se contineant. En ejus verba. *Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum, si antiqui Doctores Ecclesiæ dixisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari deberent hæretici. Nam Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est; & potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari: sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus: Non quòd propriè Corpus ejus sit panis, & poculum Sanguis: Sed quòd in se Mysterium Corporis ejus, Sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum Panem & Calicem quem Discipulis tradidit, Corpus, & Sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi Fideles Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus accipientes, Corpus & Sanguinem Christi rectè dicuntur accipere: Sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse.*

Sed hoc loco abutuntur Heterodoxi. Loquitur enim Facundus de speciebus visibilibus panis & vini, quæ si per se spectentur, non sunt propriè Corpus & Sanguis Christi, sed ejus signa: Illud tamen verè & reipsa continentia. Cùm enim ostendere vellet hic Auctor Sacramenta rei significatæ nomine appellari, ut probaret Sacramentum adoptionis potuisse à Veteribus vocari adoptionem, exemplum ab Eucharistia petiit, in quâ species visibiles, sive externum objectum, quod immediatè sensus afficit, cum Corpore & Sanguine Christi, quod perceptionis mediatum duntaxat objectum est, quia mediis speciebus recipitur, comparatum, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi est, non propriè Corpus & Sanguis Christi: Et nihilominus Corpus & Sanguis ejus vocatur. Sic loquuntur Auctores omnes, qui post Berengarii damnatum errorem & contra illum scripserunt. Unum profero S. Anselmi locum in *Tractatu de Sacramento Altaris*, Cap. 8. *Similitudo illa panis*, inquit, *quæ in altari carnis se oculis ingerit, per se inspecta non est corpus Domini.* Ideò autem Facundus hunc sensum cæteris Patribus minùs solemnem, qui Corpus ipsum & Sanguinem Christi à Fidelibus in Eucharistia recipi, & Eucharistiam esse verum Christi Corpus & Sanguinem disertè asseruot, potiùs arripuit loco laudatô, quam alterum, quem & ipse proculdubio admittebat, quia ejus instituto erat accommodatior, conducebátque ad demonstrandum quod propugnabat, scilicet Sacramentum rei significatæ nomine interdum appellari, adeóque mirum non esse quòd Sacramentum adoptionis quidam è Veteribus adoptionem vocaverint. Quòd autem Facundus à vulgari loquendi modo, & à solemni vocum sensu recedat, in iis exemplis, quibus propositionem confirmat suam, sequens, quod ex nostra in Histor. Eccl. Sæc. V Dei filios adoptione petit, ostendet evidentiùs. *Alioquin*, inquit, *neque de nobis dicendum est, quoniam adoptionem suscepimus filiorum, aut quia redempti sumus, atque salvati, quoniam Apostolus dicit, Nos ipsi primitias Spiritûs habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus: Spes autem quæ videtur, non est spes. Sicut ergo, quamvis secundùm Apostolum, adhuc expectemus adoptionem, & redemptionem, & salutem; tamen quia jam Sacramentum adoptionis, & redemptionis, & salutis accepimus, & filii Dei, & redempti, & salvati rectè vocamur: Ita Christus quoque Sacramentum adoptionis non ad militatem suam, sed ad ipsius Sacramenti confirmationem, in Circumcisione & baptismo suscipiens, potuit ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus rectè dici, quòd adoptionem susceperit filiorum.* His innuere verbia videtur Facundus, nos adoptionem filiorum non magis suscepisse quàm Christum; adeoque nos reipsa filios Dei adoptivos non esse, sicut Christus non est filius Dei adoptivus, sed solùm filios Dei adoptivos esse, quia futuræ adoptionis & redemptionis suscepimus Sacramentum. Incredibile tamen est, quòd errorem evidentissimis Scripturæ Sacræ testimoniis convictum Facundus propugnaverit; ignoraveritque quod ait Apostolus, ad Romanos 8. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quò clamamus, Abba, (Pater.) Ipse enim Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes.* Et, *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Et ad Hebræos 12. *Tanquam filiis vobis offert se Deus.* Et 1. Joannis 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus. Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* Dicendum ergo, quod res est, duplici sensu nos adoptivos Dei filios appellari, primô vulgari & ordinariô, quia scilicet adoptionem illam divinam reipsa consequimur in hac vitâ per Justitiam fidei, & per Charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis: Aliô verò sensu minùs vulgari, & penè insolitô, quia adoptionis perfectæ & redemptionis consummatæ, quam in Cœlis futuram expectamus, Sacramentum suscipimus. Hunc tamen sensum minùs obvium, alterô neglectô, Facundus spectavit in eoque institit, quia ipsi magis accommodatus visus est, ad id quod probandum sibi sumpserat, demonstrandum. Ita cùm duplici sensu dici possit, nos Corpus & Sanguinem Christi suscipere; primò quia eorum substantia in os nostrum infunditur, & trajicitur in stomachum: secundò, quia objectum externum recipimus, quod Corporis & Sanguinis Christi figura est, ideóque Corpus & Sanguis Christi Vocatur: Facundus secundum hunc sensum, licet apud Patres minùs frequentem & solemni more loquendi Ecclesiæ minùs receptum secutus est, quia ipsius serviebat instituto. Sed sicut in Facundum iniquus esset, qui colligeret ipsum negasse nos in hâc vitâ esse revera filios Dei, aut Charitatem & Justitiam per Spiritum Sanctum qui nobis datur suscipere, in quibus ea adoptio posita est, quia selegit alterum sensum quò filiorum adoptio potest intelligi: Ita iniquus in ipsum esset, qui colligeret ipsum negasse, quòd ipsam Corporis & Sanguinis Christi substantiam intra nos recipiamus, quia uni tantùm sensuum adhæsit, quibus hæc verba, *Suscipere Corpus Christi*, intelligi & usurpari possunt.

Aliô modô Viri quidam Eruditi Facundum explicant, quòd nempe dixerit, Sacramentum Corporis Christi non esse propriè Corpus ejus ad mentem Eutychianorum, quamvis censeret illud esse propriè Corpus Christi secundùm fidem Ecclesiæ Catholicæ. Scilicet Facundus non Catholicos tan-

tùm Tria Capitula damnantes impugnabat, sed maximè Eutychianos, qui Synodum Chalcedonensem occasione Trium Capitulorum impugnabant, ut constat ex Cap. 2. Libri 1. In eò autem posita erat hæc hæresis, quòd ante Incarnationem Christum fuisse ex duabus naturis, post Incarnationem verò ex duabus unam factam assererent, conversione humanæ in divinam. Quô ex errore consequens erat, in Christo post adunationem non fuisse veram carnem, sed apparentem duntaxat. Sensum itaque Facundi hunc esse volunt: Potuit Sacramentum adoptionis à Theodoro Mopsuesteno nuncupari adoptio, sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi Corpus ejus & Sanguinem dicimus: Non quòd propriè, secundùm vos, ô Eutychiani, Corpus ejus sit panis: (nam, secundùm vos, post adunationem quædam tantùm naturæ nostræ imago, non veritas in Christo fuit, quædam corporis species, non ipsum Corpus:) Sed quòd ejus Corpus & Sanguinem contineat. Ut ut est, Ecclesiæ Catholicæ fides circa Eucharistiam, potiùs est ex cæterorum Patrum clarissimis testimoniis æstimanda, qui Eucharistiam esse proprium & verum Corpus Christi frequenter & summo consensu asseruerunt, quam ex uno Facundi loco. Ut enim ait ipse Facundus Libro 9. *Quemadmodum calumniantium Hæreticorum est ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt malè interpretari; ita solitum prudentiæ ac veritatis Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus ambigua & latentia declarare.*

Denique cùm Schismaticus fuerit Facundus, & in schismate scripserit, atque obierit, nulla est ipsius in Ecclesia auctoritas: Et de ipso dici potest, quod de Tertulliano dixit S. Hilarius: *Consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.* Et quod de eodem S. Hieronymus: *Hominem Ecclesiæ non fuisse.* Nam ubi de fidei dirimendis controversiis agitur, *Eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica sanctè, sapienter, & constanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum est, ut quicquid vel omnes, vel plures, unô eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratôque habeatur, &c.* (inquit Vincentius Lirinensis.)

Can. 5. in Math.

ARTICULUS VIII.

De Victore Tonnonensi, Areta, Zacharia Mytilenensi, & Agapeto.

I. VICTOR TONNONENSIS, vel, ut alii scribunt, *Tunonensis*, ob pertinacissimam Trium Capitulorum defensionem, Justiniani Imperatoris mandatô deportatus in exilium, *Chronicon ab initio Mundi usque ad primum Justini Junioris annum*, scripsit, cujus meminerunt S. Isidorus Hispalensis Lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 25. Ado Viennensis initiô sui Chronici, Honorius Augustodunensis *Lib. 3. de Luminaribus Ecclesiæ, cap. 29.* Extat tantùm Victoris Tonnonensis *Chronicon* ab anno 444. ad annum 565.

II. ARETAS *Cæsareæ in Cappadocia Episcopus*, floruit circa annum 540. (ut quibusdam placet.) Scripsit *Explanationem in Apocalypsim*, ex Commentariis *Andreæ* ejusdem Ecclesiæ Episcopi concinnatam.

III. ZACHARIAS *Mytilenensis Episcopus*, tempore Justiniani Imperatoris floruit. Scripsit *Disputationem contra ea quæ de duobus principiis à Manichæo quodam scripta & projecta in viam publicam repererat*: Et *Dialogum de universitatis procreatione, contra mundi & materiæ æternitatem* à Philosophis constitutam.

IV. AGAPETUS *Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus* ad Justinianum Imperatorem habuit *Orationem Pareneticam*, qua ipsum admonuit *Quomodo in administrando Imperio gerere se deberet.* Monita seu Regulas LXXII. continet, Principem Christianum ad vitam & regimen sanctissimum instituenter. Extat Tomo IX. Bibliothecæ Patrum Lugdunensis Editionis.

ARTICULUS IX.

De Cassiodoro.

I. CASSIODORUS *Senator*, clarissimis Parentibus, *Scyllacii*, quæ urbs *Brutiorum* tum erat primaria, natus est, anno Domini 469. aut 470. sub *Odoacre* Rege *Erulorum*, qui tunc Italiæ dominabatur. Comitivæ Rerum Privatarum dignitate auctus, deinde Sacrarum Largitionum Comes institutus est. A Theodorico Rege *Brutiis & Lucanis* Præfectus, Quæstor, Magister Officiorum, Præfectus Prætorio, Consul creatus est. Sub Athalarico iterum Quæsturam, & Præfecturam Prætorii gessit integerrimè. Sub Theodahato eadem dignitate tertiò ornatus est: Quam & sub Vitige Theodahati successore quartò consecutus, & Quæsturæ insuper munere functus est. Dignitates amplissimas sanctissimè administravit, magnoque Ecclesiæ & Reipublicæ bono. Anno ætatis 69. vel 70. suas opes, & dignitates despiciens, Religiosam Vitam amplexus est, conditô, fundatôque *Vivariensi* Monasterio prope *Scyllacium*, cujus Abbas fuit. Vixit ad annum 575. obiisseque creditur propè centenarius. Ipsi Alcuinus *lib. 5. contra Felicem Urgelitanum*, Sancti appellationem tribuit: Et nomen ipsius *Voitfordi* Martyrologio, necnon Menologio Benedictino adscriptum est. Quam Regulam professus fuerit Cassiodorus Monasticam vitam amplexus, lis est apud Eruditos. Ordinis Benedictini causam, qui sibi Magnum Senatorem vindicat, luculentâ Dissertatione propugnavit Pater *Garetius*, alumnus Congregationis S. Mauri, quam Vitæ Cassiodori subjunxit.

Lege Theodorici Regis Epistolam, quæ laudes Cassiodori commemorat apud ipsum Cassiodorum *Lib. 1. Variarum Epist. 4.* & Epistolas Athalarici 24. & 5. *Lib. 9.*

Cassiodorus Benedictinus.

Doctrinæ laude clarissimus Cassiodorus, hæc ingenii & eruditionis suæ monumenta transmisit ad posteros: Libros XII. Epistolarum, quos titulo *Variarum* inscripsit, propter diversa quæ in eis continentur, rerum argumenta. Quinque prioribus libris Literas & Edicta complexus est, quæ sub Theodorico; octavo, nono, & decimo, ea quæ sub Athalarico, Theodahato, & Vitige, Regum illorum nomine & mandato, scripsit. Sextus & septimus, dignitatum continent Formulas, quæ sub Gothorum Imperio vigebant. Undecimus denique & duodecimus, collectas habent Epistolas, & Decreta, quæ ipse, cùm Prætorio præesset, ad plures destinavit.

Cassiodori Opera.

II. *Chronicon* scripsit Regis Theodorici jussu, à prima mortalium origine, ad Consulatum *Justini* Imperatoris, & *Eutarici Cilicæ*, id est ad annum Æræ Christianæ 519. in quo nonnulli sunt Parachronismi, non Cassiodoro, sed Librariorum oscitantiæ imputandi.

III. *Gothorum Historiam* in Libros duodecim distributam, sub Theodorico Rege edidit, ut in priori Præfatione *Variarum* ipse monet. Excidit istud Opus, sed illius Epitomen à *Jornande*, sive *Jordano* Ravennæ Præsule scriptam habemus.

IV. *Librum de Anima* scripsit postulantibus amicis, qui Auctoris sui pietatem spirat, & inter maximas Reipublicæ curas defixum penitus illius in rebus divinis animum testatur. In extremo capite nævus est. Opinatur scilicet Justorum animas Dei visione non frui ante ultimum Judicium.

V. Commentarium

V. *Commentarium in Psalmos* edidit, in quo Sanctorum Patrum, ac præcipuè S. Augustini sententiis suis verbis passim expressit. Donatas ab Epiphanio Scholastico linguâ Latinâ, Græcas Socratis, Sozomeni, ac Theodoreti Historias in unum Opus, veluti continuatam Historiæ seriem in Libros XII. divisam collegit, in gratiam Vivatiensium suorum Monachorum. Libros *de Institutione Divinarum Literarum*, & de Literis humanioribus, scilicet Grammatica, Rhetorica, Dialecticâ, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, edidit, ut eosdem Monachos ad Sacrarum Literarum studia manuduceret, eosque sic ad omne genus eruditionis informaret, ut Ecclesiæ suis studiis prodesse possent. His addendi sunt *Commentarii in Donatum*, *Liber de Ortographia*, Liber *De Schematibus & Tropis* ex Sacerdote collectus. Exciderunt Libri *De Divisionibus*, *De Titulis*, *Memoriale Sacrarum Scripturarum*, *Breves Commentarii in Epistolas Apostolorum*, *eorum Acta*, *& Sancti Joannis Apocalypsim*, Tractatus *De Etymologiis*. In Libro *De Institutione Divinarum Literarum*, in id potissimùm incumbit, ut doceat qui Interpretes legendi sint in singulos Scripturæ Sacræ Libros. Ostendit Liberalium Artium utilitatem ad Sacræ Scripturæ intelligentiam consequendam. Librum *De Computo Paschali*, postremum edidit, ad Indictionem, Epactas, & ea omnia quæ Paschalis computi rationem spectant, faciliùs indicanda perutilem.

Commentarius in Cantica, non est Cassiodori.

VI. Non est Cassiodori *Commentarius in Cantica Canticorum*, nam à Cassiodori stylo & scribendi charactere plurimùm abhorret. 2. Ejus non meminit Cassiodorus ipse in Præfatione Libri *de Ortographia*: Ubi libros omnes recenset, quos Monachus ediderat. 3. Sacræ Scripturæ Textum non profert Commentarii hujus Auctor juxta Versionem LXX. Interpretum, quam sequi solet Cassiodorus. 4. Citat S. Gregorium Magnum in Homiliis super Evangelia, quas non scripsit aut dictavit ante Pontificatum, quem auspicatus est anno Christi 592. quô jam septemdecim ad minùs anni à Morte Cassiodori effluxerant. Hic nempe annô 575. obierat. Lege Dom. *Joannis Garetii* Ascetæ Benedictini Congregationis Sancti Mauri Præfationem in Cassiodorum, cujus Opera omnia in duos Tomos distributa edidit emendatissimè ex antiquis & probatæ Fidei MSS.

ARTICULUS X.

De Martino Dumiensi, Joanne Climaco, Dorotheo, Leontio Byzantino.

I. MARTINUS gente *Pannonius*, *Dumiensis* in Gallæcia Cœnobii Abbas, deinde Bracarensis Episcopus, sub Theodomiro Suevorum in illis Hispaniæ partibus Rege floruit. Præfuit Concilio Toletano II. anno Christi 572. Collectionem Canonum Orientalium ex Græcis Synodis edidit. Ipsi etiam adscribitur liber inscriptus, *Formula honestæ vitæ*, sive, *De Differentiis quatuor Virtutum Cardinalium*. Ejus honorificè meminit Concilium Toletanum X. Obiit anno 580. Childeberti Regis Francorum 5. ut testatur Gregorius Turonensis coævus Scriptor *lib. 5. Historia Francorum, cap. 37.* Defunctum ob eximiam sanctitatem Gallæcia & Lusitaniæ pars in Divorum numero habent, ad 13. Kalendas Aprilis dicatô Festô.

II. S. JOANNES CLIMACUS, Abbas in Monte Sina, floruit circa annum 580. Librum egregium scripsit de Gradibus triginta, quibus ad Perfectionis Religiosæ culmen ascenditur, quem inscripsit *Scalam Paradisi*: Quo ab Opere *Climaci* nomen obtinuit. Hanc Joannes Abbas *Raithu* Commentariis illustravit. Scripsit etiam *Librum ad Pastorem*.

III. DOROTHEUS *Abbas* floruit cadente sæculo VI. Extant in Bibliothecis Patrum Sermones seu Doctrinæ XXIV. *De vita rectè & piè instituendâ* ab ipso editæ.

IV. LEONTIUS BYZANTINUS, ex Advocato, Monachus in Laura S. Sabæ prope Hyerosolyma, floruit extremis Justini Junioris & Tiberii Imperatorum temporibus. Scripsit librum *De Sectis Hæreticorum, ac Synodo Chalcedonensi*, in X. Actiones distinctum: tres libros *Adversus Eutychianos & Nestorianos*; duos *Adversùs fraudes Apolinaristarum*: item *Solutiones argumentorum Severi*, &c.

ARTICULUS XI.

De Venantio Fortunato.

VENANTIUS FORTUNATUS, Duplavenis vico, sive Castello, prope Cenetam & Tarvisium in Italia oriundus, Ravennæ liberalium Artium studiis institutus, S. Martini Turonensis Episcopi virtute, ab oculorum, quos oleô lampadis ad imaginem ejus ardentis inunxerat, dolore liberatus, in Gallias venit Deo gratias acturus ad ejus sepulchrum. Inde ad Pictavos profectus, primò Presbyter, deinde ejusdem Urbis Episcopus creatus est. Vixit ad annum usque circiter DC. Scripsit *Poëmatum* libros XI. quos S. Gregorio Turonensi dicavit. *De Vita Sancti Martini* libros IV. *Vitam Sancti Hilarii Pictavensis Episcopi*, &c. Ejus cum laude meminerunt S. Gregorius Turonensis *Lib. 5. Historia Francorum*, Paulus Diaconus *Lib. 11. Historia Longobardorum*, Hilduinus Abbas *in Epistola ad Ludovicum Pium*, Hincmarus *in Præfatione ad Vitam S. Remigii*, Aimoinus Monachus *Lib. 3. Historia Francorum cap. 13.* Flodoardus *Lib. 11. Historia Ecclesia Remensis, cap. 11.* Trithemius, &c. Legi potest ejus Vita à P. Brouvero S. J. Presbytero scripta, & illius Operibus præfixa.

ARTICULUS XII.

De S. Gregorio Turonensi.

I. SANCTUS GREGORIUS TURONENSIS *Episcopus*, patriâ Arvernus, Florentio Sancti Galli Arvernorum Episcopi fratre genitus, à S. Gallo patruo suo educatus, anno 573. Turonensis Episcopus factus est. Cum Agilane Ariano, & cum Chilperico Rege in Sabellianismum lapso, anno 580. cum Oppila etiam Ariano, anno 584 disputavit. Obiit anno Christi 595. 15. Kalendas Decembris, cùm per annos duos ac viginti cum duobus mensibus, diebusque viginti quinque Ecclesiam suam rexisset. Ob multas virtutes, maximè ob humilitatem commendatur: Infirmos sanitati sæpe restituit, sed ne miraculorum patrator existimaretur, quocumque ibat, gestabat reliquias S. Martini, aliorumque Sanctorum, quibus virtutem curationum acceptam referebat. Colitur in Tabulis Ecclesiasticis 15. Kalendas Decembris. Inscribitur etiam Martyrologio Benedictino: Eumque Ordinis Benedictini Monachum fuisse scribit Trithemius *Lib. de Viris Illustribus Ordinis Benedictini*.

II. Scripsit decem libros *Historiarum*, septem *Miraculorum*, unum *de Vitis Patrum*, unum in *Tractatum Psalterii*, unum *De Cursibus Ecclesiasticis*, ut ipse testatur in Historiæ suæ & omnium Operum Epilogo. Duo postremi perierunt, extant cæteri. Historiam ab initio Mundi ad conditam usque Francorum Monarchiam brevissimè; deinde copiosè ad annum Childeberti Regis decimumsextum, Gunthramni trigesimum, seu Christi quingentesimum nonagesimum primum perduxit. Per

septem Libros *Miraculorum* intellige duos *de Gloria Martyrum*, quatuor, *de Miraculis S. Martini*, & unum *de Gloria Confessorum*, quos ipsemet Gregorius nominavit in Præfatione quam Libro *de Gloria Confessorum* præfixit. Vir Eruditus *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, ad annum 47. & ad annum 595. interpolationes innumeras in Historia Gregorii Turonensis esse contendit, & solis sex prioribus libris inserta esse quinquaginta novem capita, quæ in Codicibus MSS. probatæ fidei, Corbeiensi maximè, & Regio, non reperiuntur, & quæ reliquit intacta Fredegarius in sua Epitome. Habentur autem in Editione Duchesniana: & in prima Gregorii Turonensis Editione, quam curavit *Gulielmus Parvus* Ordinis FF. Prædicatorum, Conventûs Rotomagensis alumnus, Regibus Christianissimis Ludovico Duodecimo & Francisco Primo Confessionibus, primus in executionem Concordatorum à Rege nominatus Episcopus, Trecensis primùm, deinde Sylvanectensis. Quin autem ex MSS. probæ notæ qualia nancisci potuit vir doctus Gregorium Turonensem ediderit, non dubito: Nec aliis adeo tribuendum existimo Codicibus, in quibus ut desunt quatuor libri, ita sex alios, quos complectuntur, pluribus Capitibus mutilos esse mirum non est. Qui circumfertur in quibusdam Editionibus Operum Gregorii Turonensis liber *De Septem Dormientibus* in Majori Monasterio * prope Turonos quiescentibus, non est genuinus ipsius fœtus, cùm illius non meminerit in Epilogo Historiæ suæ, ubi omnes lucubrationes suas recenset.

Gregorii Turonensis Historia integra.

* Marmoutier.

Gregorii Turonensis stylus.

Minùs Latinè quandoque loquitur hic Auctor: qui & suam ipse in dicendo tenuitatem ac rusticitatem exponit in Præfatione Libri de Gloria Confessorum. *Timeo*, inquit, *ne cùm scribere cœpero, quia sum sine literis Rhetoricis, & arte Grammatica, dicat mihi aliquis: Ausu rustico & idiota, ut quid nomen tuum inter Scriptores indi æstimas? Aut opus hoc à peritis accipi putas, cui ingenium artis non suppeditat, nec ulla literarum scientia subministrat? Qui nullum argumentum utile in literis habes, qui nomina discernere nescis, sæpius pro masculinis fœminea, pro fœmineis neutra, & pro neutris masculina commutas. Qui ipsas quoque præpositiones, quas nobilium Dictatorum observari sanxit auctoritas, loco debitò plerùmque non locas. Nam pro ablativis accusativa, & rursum accusativis ablativa præponis. Putasne videbitur ut bos piger palæstræ ludum exerceat? Aut asinus segnis inter sphæristarum ordinem celeri volatu discurrat?* &c. *Sed tamen respondebo illis, & dicam. Quia Opus vestrum facio, & per meam rusticitatem vestram prudentiam exercebo. Nam, ut opinor, unum beneficium vobis hæc Scripta præbebunt, scilicet ut quod nos occultò & breviter stylo nigrante describimus, vos poteritis lucidè ac splendide stante versu in paginis prolixioribus dilatare.*

ARTICULUS XIII.

De Anastasiis Sinaitis.

§. I.

I. SANCTUS ANASTASIUS, SINAITA dictus, quòd Vitam Monasticam in Monte Sinaï excoluisset, Antiochenus Patriarcha creatus est anno circiter quingentesimo sexagesimo primo, extremis Justiniani Imperatoris temporibus, cui absurdum & hæreticum dogma de Christi Domini Corpore incorruptibili ante Resurrectionem propugnanti, & Edicto roboranti, constanter obstitit, missâ ad ipsum Relatione quâ errorem subruebat. Quâ de re scripsit etiam ad Monachos Primæ ac Secundæ Syriæ, qui ipsum consuluerant, cunctorum animos confirmans, & ad subeundum certamen præparans, & in quotidie in Ecclesia palam inculcans verba illa Apostoli: *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, Anathema sit.* Scripsit *Orationem ad Antiochenos*, quâ illis vale dicebat, cùm accepisset Justinianum velle ipsum in exilium mittere. Tunc tamen non exulavit, quia Justinianus divinò judicio sublatus est, cùm in illum aliósque Sacerdotes deportationis Sententiam dictaret. Postmodùm verò sub Justino Juniore calumniis oppressus, ab ipso in exilium actus est, & Sede deturbatus, quam, defuncto Gregorio, qui eam interim occupaverat, post tres & viginti demum annos recuperavit, Mauritio Imperante, anno scilicet quingentesimo nonagesimo quinto, & usque ad annum quingentesimum nonagesimum nonum, quô abiit ad Superos, die vicesima prima Aprilis, Antiochenam rexit Ecclesiam. De ipso legendus Evagrius, *lib. 4. Historia Ecclesiasticæ cap. 40. lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. ultimo.* Ipsi tribuuntur variæ Orationes, quarum nonnullas vertit Combefisius noster in Auctario Bibliothecæ Patrum: ὁδηγὸς, seu *Via Dux adversùs Acephalos*; *Anagogicarum Contemplationum in Hexaëmeron libri undecim*; *Compendiaria fidei institutio.* ὁδηγὸς seu *Via Dux*, quanquàm ipsi à Nicephoro Callisto, *lib. decimo octavo Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 44. tribuatur, posterioris tamen videtur Anastasii. Nam in Codice MS. Bibliothecæ Regiæ citatur Anastasius Episcopus Antiochenus in *Epistola ad Sergium Grammaticum.* Meminit præterea Eulogii Episcopi Alexandrini tanquàm dudum defuncti (*cap. decimo*) Obiisse autem Eulogium anno sexcentesimo-octavo, Annales Ecclesiastici tradunt. Nec etiam Anastasii Martyris, antiquioris Anastasii Sinaïtæ in Sede Antiochena Successoris fœtus est liber ille. Hic enim interfectus est anno sexcentesimo-octavo, vicesima prima Decembris. Meminisse igitur non potuit Eulogii Alexandrini quasi dudum defuncti, qui eodem anno obierat, die decima-tertia Septembris. Accedit, quòd Auctor *Ducis via* se *Monachum* tantùm inscribat. Anastasius autem Antiochenus prioris Successor, jam per octennium Episcopatu fungebatur, cùm Eulogius Alexandrinus obiit. Ad annum circiter sexcentesimum tricesimum quintum illius Operis Auctorem, qui se *Anastasium Monachum Sancti Montis Sina* inscribit, floruisse, & hunc Tractatum edidisse, conjiciunt Viri Eruditi. Narratum enim sibi testatur à Catholicis Alexandrinis, post tempora Beati Eulogii Alexandrini Patriarchæ fuisse Alexandriæ Præfectum quemdam Augustalem, Severianorum fautorem, qui quatuordecim Librarios haberet, quibus id negotii dabat ut Patrum Libros depravarent. Refert etiam, cùm ibidem versaretur, & agitaretur quæstio de verbis quibusdam S. Cyrilli sic adulteratis, Isidorum quemdam Bibliothecæ Patriarchalis Præfectum, ac verè Orthodoxum, Cyrilli Codicem sincerum protulisse. Quod argumento est, Orthodoxum adhuc Patriarcham Alexandriæ sedisse. Haud enim verisimile est Patriarcham Theodosianum & Eutychianum Bibliothecæ suæ Virum Catholicum præficere voluisse. Quamobrem paulò ante annum sexcentesimum tricesimum, sub Georgio ultimo hujus sæculi Orthodoxo Alexandriæ Patriarcha contigisse necesse est. At se paulò post scripsisse testatur Anastasius Auctor *Ducis via.* Scripsit autem cùm adhuc essent Alexandriæ *Præfecti Augustales.* Itaque scripsit ante annum sexcentesimum tricesimum nonum, quô Saraceni Ægyptum oppugnarunt & occuparunt; vel certè ante annum sexcentesimum quadragesimum primum, quo Alexandriâ sunt potiti, Præfectis Augustalibus inde in perpetuum expulsis. In Actis Septimæ Synodi, post *Ephræmium* Patriarcham Antiochenum,

chœum, inter SS. Patres laudatus est Anastasius Antiochenus. *Pastoralem* Sancti Gregorii *Librum* in Græcam linguam transtulisse priorem Anastasium Antiochenum Episcopum, Sanctus ipse Pontifex testatur *Epistola XXII. Lib. X.* Ipsi non videtur tribuenda Expositio in Psalmum sextum, in qua Mauritii Imperatoris tempora velut retroacta memorantur. Est potiùs Anastasii Martyris, istius in Antiochena Sede Successoris.

II. *Quæstiones & Responsiones de variis argumentis, in Scripturam Sacram*, numero centum quinquaginta-quatuor, non sunt prioris Anastasii Sinaïtæ genuinum Opus: cum in illis Auctorum longè posteriorum testimonia proferantur. Citantur nimirùm in illis Canones Synodi Quini-sextæ, sive Trullanæ, Sanctus Maximus Martyr, S. Joannes Climacus, Joannes Moschus, Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, qui anno octingentesimo vicesimo-octavo defunctus est, & Olympiodorus, qui post annum nongentesimum floruit. Et in Quæstione centesima decima-septima, anni septingenti numerantur ex quo Sancta Palæstinæ loca in potestate Christianorum fuerunt.

§. II.

De Sententia Anastasii Monachi Sinaïtæ circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistia.

ANastasius Sinaita Monachus, qui ὁδηγὸν, seu *Viæ Ducem*, edidit, realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam credidit cum totâ sui sæculi Ecclesia, quamvis, errore sibi proprio, in explicandis hujus Mysterii circumstantiis lapsus, opinatus sit Corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile, & affectiones quæ conveniunt accidentibus, scilicet frangi, dividi, dentibus conteri, stomacho digeri, alterari, corrumpi, Corpori Domini convenire.

Id probatur ex Capite XIII. *Impius igitur est Timotheus, cum ait: Natura Christi post Incarnationem est sola divinitas, si enim Christus est sola divinitas, divinitas verò sub visum & tactum non cadit, neque sacrificari potest, membrorum simul & etiis expers; liquidò conficitur, Timotheum Judæorum instar inficiari Sacrificium & Communionem sacratissimorum Mysteriorum Corporis & Sanguinis Christi, visibile, creatum, & terrestre esse, quod offerens tradit his verbis populo*: Corpus & Sanguis Domini & Dei & Salvatoris Jesu Christi. *Si enim solam divinitatem naturam Christi esse asserit, teneri autem, & frangi, & dividi, & in partes distribui & effundi, & exhauriri, & transmutari, & dentibus conteri, à divinitate prorsùs abhorret, in alterutram foveam Timotheus incidat oportet; aut divinitatem passibilem & mutabilem statuat; aut neget Corpus & Sanguinem Christi, quæ offert & manducat in Mystica Mensa, traditque his verbis populo*: Corpuis & Sanguis Domini nostri Jesu Christi. *Debebat enim potius sumentem ita alloqui: Sola Divinitas Domini nostri Jesu Christi.* Hæc Anastasius. Porrò qui probat Corpus & Sanguinem Christi in Euchsristia, non esse divinitatem Christi, sed aliam naturam, quia divinitas frangi & dentibus conteri non posset, censet Corpus & Sanguinem Christi revera esse in Eucharistia præsentia; non enim ita loqueretur, qui Eucharistiam meram esse Corporis & Sanguinis Christi figuram crederet, sive vacuam, sive eorum virtute plenam (ut Calvinistæ comminiscuntur.) Licèt enim Divinitati repugnet, teneri, dividi, comedi; non tamen figuris Divinitatis eæ repugnant affectiones. Illas tamen Corpus ipsum Christi prout in Eucharistia præsens recipere opinatus est: Alioqui nulla ejus fuisset contra Gaianitas ratiocinatio. Idem constat ex Capite decimo-tertio, ubi sic Eutychianos alloquitur: *Dicant nobis illi qui Christi carnem inaspectabili Divinitatis pelagio commixtam & assimilatam contendunt; unde adversariis divinitatem Christi persuadere velint, nisi solâ fide, curiosè inquirere non consuetâ? At verò naturam, quâ Corpus constat, non modò novimus fide, sed ipsâ experientiâ rerum quas vidimus & contrectavimus; illudque Corpus quotidie in naturâ suâ & veritate communicantes manducamus.* Luculentiùs asseri non potest realis præsentia Corporis Christi in Euchsristia. Manducari namque *in naturâ suâ & veritate*, non est in figurâ duntaxat sive vacua, sive plenâ efficaciæ & virtutis manducari. Et *solâ Fide* nosceretur, non experientiâ, nisi revera præsens esset. Verùm Anastasium Sinaïtam existimasse has affectiones, tactum scilicet, divisionem, manducationem, ipsi Corpori Christi convenire, & ad ipsum quoque immediatè terminari, patet ex ratiocinio quo urget Gaianitas, sicut supra, absurdissimum esse asserere, *Corpus quod sub aspectum cadit, quod certô spatio comprehenditur, quod augmentum capit, quod fasciis involvitur, circumciditur, tangitur, ligatur, colaphis cæditur, occiditur, transfigitur, portatur, & sepelitur; quod immolatur, frangitur, dividitur, manducatur, conteritur, distribuitur, & participatur, non esse naturam seu veritatem.*

Tertiò idem probatur adhuc luculentiùs ex cap. vicesimo-tertio, quô disputatio Gaianitæ & Orthodoxi continetur. Sic enim Orthodoxus: *Sed, dic mihi, obsecro, si ut divinitas, ita & Corpus Christi & ab ipso unionis exordio immortalitatem habet, num Communio sacratissimi Corporis & Sanguinis Christi, quam offers & participas verè est verum Corpus & Sanguis Christi Filii Dei, vel nudus Panis, qualis ostiatim venditur; vel vicem duntaxat & figuram gerit Corporis Christi, ut Sacrificium hirci, quod Judæi offerunt?* Respondet Gaianita: *Absit, ut dicamus, Sacram Communionem esse tantùm figuram Corporis Christi, aut nudum Panem: Sed ipsum Corpus & Sanguinem Christi Filii Dei Incarnati, & ex Sanctissima Deipara & semper Virgine Maria nati, verè accipimus.* Orthodoxus: *Sic credimus, & sic confitemur, juxta dictum Christi ad Discipulos in Cœna mystica dantis illis vivificum Panem*: Accipite, comedite; Hoc est Corpus meum. *Similiter & Calicem dedit illis dicens*: Hic est Sanguis meus. *Non dixit: Hoc est figura, seu quid vices gerens corporis & sanguinis mei. Et pluribus aliis locis ait Christus*: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. *Cùm igitur ipse Christus fateatur, verè esse Corpus suum & Sanguinem, quem nos Fideles sumimus: Agedum affer nobis aliquid ex communione vestra Ecclesia, tanquam supra omnes alias Ecclesias Orthodoxa, & in vase cum omni honore & reverentia reponemus hoc Sanctorum Corpus Christi & Sanguinem. Et si intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet vos rectè asserere Corpus Christi penitus ab ipso Incarnationis exordio corruptionis expers esse. Si verò corrumpatur aut immutetur, necessarium erit ut unum è duobus fateamini; aut id quod sumitis, non esse verum Corpus Christi, sed solam figuram, & quasi vicarium quiddam: Aut propter perversam fidem vestram, Spiritum Sanctum in illud non descendisse: Aut Corpus Christi, ante Resurrectionem, corruptioni subjectum esse; utpote immolatum, morti traditum, vulneratum; divisum, & manducatum. Nam immortalis natura neque scinditur, neque latere & manibus vulneratur, neque in partes dividitur, nec morti datur, neque manducatur, neque teneri potest, neque tangi, ut patet exemplo incorruptibilium naturarum, Angeli, & Animæ.* Anastasius in Tractatu dogmatico, stylo simplici minimèque ornato suam de Eucharistia fidem

Anastasius Sinaïta realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia credidit & docuit.

Hæc Ecclesiæ totius illo sæculo fides.

Error Anastasii Sinaitæ proprius.

exponens, ait, *Verè esse Corpus & Sanguinem Christi, quem nos Fideles sumimus: Non solùm figuram.* Idque non semel, sed iterum & tertio asserit, interrogando & respondendo, ex sua, & adversariorum suorum sententiâ. Igitur communis erat tum Catholicorum, cùm Eutychianorum fides; Christi Corpus verè, & secundùm substantiam in Eucharistia præsens esse. Perperam itaque Albertinus & alii Calvinistæ, Anastasium Sinaitam, & sexti vel septimi sæculi Ecclesiam credidisse propugnant, Eucharistiam esse meram figuram Corporis Christi, virtutis ejus & efficaciæ plenam. Opinatus est tamen Anastasius Sinaita, non accidentia tantùm, sed Corpus Christi verum dividi, conteri dentibus, corrumpi, quatenus in Eucharistia est, ut ejus contra Gaianitas ratiocinatio palam facit, nullam alioqui vim habitura. Sed proprius hic illius error fuit, & privata opiniuncula, circa circumstantiam quamdam Mysterii, non circa substantiam ipsius. De his lege Epistolam doctissimi Archipræsulis *Petri de Marca* ad Domnum Lucam Dacherium O. B. Congregationis S. Mauri virum doctissimum: & librum septimum Tomi primi de Perpetua Fide Catholicæ Ecclesiæ circa Eucharistiam cap. secundo, ubi Vir Eruditissimus Anastasii Sinaitæ mentem egregiè explicat.

Mens ejusdem Patris adhuc elucescit ex Oratione *de Sacra Synaxi*, quam ipsi tribuit Blondellus. *Quid*, inquit, *more illo nefarium magis; ut cùm rapinis, improbitate, omnique scelerum genere oppleti simus, aqua medicâ abluentes manus, sic sacrum illud Corpus divinúmque Sanguinem pro mundi salute effusum, immundi ac sordidati percipiamus? Nonne vides quomodo Judas indignè ac dolo Dominicum Corpus sumens, statim reus effectus est, ac locum ampliorem maligno dedit?* Et infrà: *Quid agis, homo? Dum Angeli ministerio defunguntur: senis illi alis prædiu mysticam Mensam obvelant.... Dum Agnus Dei sacrificatur, Spiritus Sanctus desuper advenit, &c.* Et infrà, Eucharistiam ceu rem aliquam subsistentem orationibus interpellari docet, quod figuræ inanimæ non convenit. *Omne a te malitiæ cœnum abjice, tuncque veniens, emundatorium accipe carbonem. Dic ad illum: Scio Domine, multorum me peccatorum ac debitorum reum esse; at propter mandatum tuum ignovi fratribus meis, ut & ego à te, Domine, veniam consequar.* Anastasium verò Sinaitam secundùm totius Ecclesiæ Græcæ fidem de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento docuisse, confirmatur ex Concilio Quinisexto, quod eodem sæculo celebratum est, Canone centesimo primo. *Christum*, inquit, *bibentes vel comedentes, æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus divinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati Corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, & offerre se ad Communionem, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ Communionem accipiat.* Eadem Synodus Canone vicesimo-sexto prohibet ne Presbyter illicitis nuptiis per ignorantiam implicitus, *Christi Corpus aliis distribuat*. Et Canone III. Clericos ordinari jubet puros & à culpa ac reprehensione alienos, & *quod intelligent à percipitur, Magni Dei, qui est Sacrificium & Pontifex, Sacrificio dignos.* Ex quibus perspicuum est, eô quô ὁδηγὸν seu *Via Ducem* conscripsit Anastasius Monachus Sinaita sæculo, universam Ecclesiam Græcam credidisse Christum in Sacrificio incruento Altaris à Sacerdotibus verè offerri, Sacerdotem simul ipsum esse & victimam hoc in Sacrificio: Fideles ad Sacram Communionem accedentes, immaculati Corporis participes esse, non solùm quia virtutem ejus & efficaciam percipiunt, ut explicant Ministri Calviniani, * sed quia Christum ipsum comedunt & bibunt, ut Synodus Trullana loquitur.

* Albertinus Claudius, &c.

Eodem sæculo, sed multò ante Synodum Quinisextam, regnante Phocâ Imperatore, S. Theodorus Siceotes Georgium Cappadocem, qui vinctus ad Imperatorem ducebatur, Eucharistiæ participem facere volens, milites qui eum custodiebant rogavit ut ejus vincula solverent, donec Sacra Mysteria percepisset. Eísque his verbis adhortatus est, quæ Christum ipsum verè ac secundùm substantiam in Eucharistia præsentem esse significant, idque à Catholicis omnibus creditum. *Veneramini* (inquit,) *filii, Mysterium Domini, & solvite hunc dum illud accipit. Neque enim æquum est, ut quisquam vinculis obstrictus Christum suscipiat, qui pro nobis passus est, ut nos ab inferni vinculis liberaret.* Perspicuum igitur est Anastasium Sinaitam de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia sensisse, credidisse, docuisse, quod sentiebat, credebat, docebátque tunc temporis Ecclesia; quamvis circa circumstantiam aliquam hujus Mysterii, nondum penitus discussam & explicatam, erraverit.

ARTICULUS XIV.

De Evagrio Scholastico, & Joanne Jejunatore.

I. EVAGRIUS SCHOLASTICUS, ortus ex urbe Epiphania in secunda Syria, anno Domini 536. vel 537. Antiochiæ causas egit, magnámque eo in munere famam consecutus est. Nomine Gregorii Antiocheni Episcopi scriptas Orationes, Relationes, Epistolas, Disputationes, in unum volumen congessit, & emisit in lucem Tiberio Constantino Imperante, à quo propterea Quæsturæ dignitate donatus est. Nec multò post cùm Orationem de laudibus Mauritii Augusti, ob Natalem Theodosii Principis composuisset, Codicillos Præfecturæ ab eodem Mauritio accepit, ut ipse in Epilogo Historiæ suæ testatur. Edidit postea *sex Libros Historiæ Ecclesiasticæ*, exorsus ab iis temporibus, in quibus Theodoretus ac Socrates desierant, id est, ab Ephesina Synodo; ab anno scilicet Christi 431. eamque ad duodecimum Mauritii Imperatoris annum perduxit, qui fuit annus Christi 594. De quâ ita censuit Photius in Bibliotheca, Cod. 29. *Stylus hujus non ingratus, tametsi interdum redundare quodammodo videatur. Verùm in dogmatum veritate cæteris Historicis accuratior est. Habet autem & de imaginibus quædam testimonia.* — Evagrius.

II. JOANNES JEJUNATOR, gente Cappadox, Professione Monachus, vir eximiæ Sanctitatis & abstinentiæ, ob quam *Jejunatoris* nomen consecutus est, ab anno 585. ad annum 596. Constantinopolitanam rexit Ecclesiam. Labem aliquam ipsius aspersit Sanctitati, usurpatum *Oecumenici Patriarchæ* nomen, cujus ob superbiam appellationis, à S. Gregorio Pontifice Maximo justè reprehensus est. Romanam tamen Sedem colebat, Romanique Pontificis Primatum venerabatur, ut constat ex S. Gregorio *Epistolis 52. & 64. Libri 2.* Profusissimæ fuit in Pauperes beneficentiæ, adeout bonis omnibus, & reditibus Ecclesiasticis erogatis, non modicam vim pecuniæ ab Imperatore Mauritio mutuò acceperit, ipsique data syngrapha res omnes suas oppigneraverit. Sed ubi migravit è vita, cùm lectum duntaxat ligneum, & vestem detritam ac deformem in ædibus Patriarchæ Mauritius invenisset, discerpsit syngrapham, & pauperem supellectilem ceu pretiosissimas reliquias asportari jussit in Palatium, quâ solemnium jejuniorum diebus usus est, ut refert Nicephorus *Libro 10. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 34.* Ipsum *Virtutis domicilium* vocat Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha, apud Photium, Cod. 231. *Sanctæ memoriæ Episcopum* appellat S. Isidorus *Lib. de Viris Illustribus.* Ut Sanctum colit Ecclesia Græca. De trina in Sacramento Baptismis mersione scripsit ad S. Leandrum — Joannes Jejunator.

drum Hispalensem Episcopum, teste S. Isidoro. Eidem tribuitur *Homilia de Pœnitentia*, quæ ad finem Tomi 5. Operum S. Joannis Chrysostomi habetur. Edidit denique *Pœnitentialem Canonem*, quem *Joannes Morinus* vir doctissimus cum aliis Pœnitentialibus libellis adjunxit Commentario suo Historico *de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ*. Ejus nimiam indulgentiam Græci ad severiorem disciplinam proniores improbarunt. De illo ita scribebat *Nicephorus Chartophylax* ad *Theodosium Monachum* Corinthi Inclusum, circa annum Christi octingentesimum. *Quod autem ad eduos Canones*, à Joanne Jejunatore, *consuetudinem recipimus, juxta uniuscujusque vires correctionum moderandarum: Eò exceptò quod dicimus, quæ secundùm Canonum disciplinam visa sunt à Joanne Jejunatore dicta esse, si quis cordatus consideraverit, ex Patrum sententiâ dependere.*

Græci nimiam indulgentiam Joannis Jejunatoris erga pœnitentes arguunt.

Multò acriùs ipsum carpit Constantinopolitana Synodus, Alexio Comneno Imperante, post annum Christi millesimum octogesimum primum celebrata, quorumdam Monachorum Interrogationibus respondens. *Hoc Jus Canonicum Jejunatoris* (inquiunt Patres) *nimiâ indulgentiâ usum, multos perdidit. Qui itaque in boni cognitione existunt, & ab eo excidunt, corrigantur.*

Ejus indulgentia in definiendis Pœnitentiæ operibus & tempore, prudentiæ tribuenda.

Non esse tamen obnoxiam reprehensioni indulgentiam Joannis Jejunatoris in definiendis Pœnitentiæ operibus & tempore, sed eximiæ ipsius prudentiæ tribuendam, & laude dignissimam, persuasum habebit, qui legerit hæc ipsius verba. *Pœna imponantur secundùm vires & voluntatem eas suscipientis, & non secundum peccatorum proportionem. Contingit enim eum qui pauca peccavit, cùm animo est bono, & prompto, pœnas, sive Epitimia magna libenter accipere, ut non modo peccatorum remissionem referas, sed etiam coronam: Istum verò qui multa peccavit, cùm animo est remissô & segni, castigatione affici parum severa, ne pœna gravitate absorbeatur, & animô languens, omnia deserat. Non enim jubemur gravia reddere levia, & gravia imponere. Suave est enim Christi jugum, & onus leve. Dijudicare enim debet amanter & clementer differentiam & personarum, & locorum, & scientiæ & ignorantiæ, & in omnibus Sanctorum Patrum scopum & mentem pressè sectari. Sic enim ait S. Chrysostomus. Pœnitentia tempore non judicatur, sed animi dispositione. Magnus Basilius conformiter: Ista tempore non judicamus, sed in modum formamque Pœnitentiæ mentem intendimus. Præterea, humanissimus Chrysostomus Ninivitas multis non habuisse opus diebus asserit ut pœnitentiam agerent, sed tribus solis: Latronem verò ne quidem tot horarum, sed satis illi fuit ad pœnitentiam temporis spatium quò verbum pronuntiavit, ita ut in momento paradisum intraverit. Hæc igitur cognoscens, ne accuratè secundùm Canones Epitimia definias, sed secundùm personæ qualitatem.*

ARTICULUS XV.

De Joanne Biclarensi, Eulogio Alexandrino, & Leandro Hispalensi.

I. JOANNES BICLARENSIS, Gothus origine, Scalabitanus ex Provincia Lusitaniæ, Constantinopoli Græcis & Latinis literis imbutus adolescens, reversus in Hispanias, sub Leuvigildo Ariano Gothorum Rege Barcinonem amandatus exul, ad radices Pyrenæorum montium condidit Monasterium, quod *Biclaro* dicitur, ubi congregatâ Monachorum societate, scripsit Regulam ipsi Monasterio profuturam. Inde Gerundensis Episcopus factus est. *Chronicon* scripsit ab anno 2. Justini Junioris Imperatoris, Christi 566. ad annum 8. Mauritii Augusti, Christi 590. quasi Appendicem ad Chronicon Victoris Tunnonensis. Ejus cum laude meminit S. Isidorus *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXXI.*

II. EULOGIUS *Alexandrinus Patriarcha S.* Gregorio coævus & amicissimus, *Libros quinque contra Novatianos* composuit, quos Photius in Bibliotheca Cod. 182. commemorat, eorumque argumenta recenset. Excerpta describit Codice ducentesimo ac octogesimo. Scripsit etiam duos Libros *contra Severum & Timotheum Hæreticos*, in defensionem Epistolæ S. Leonis ad Flavianum, & Synodi Chalcedonensis. quorum Excerpta leguntur apud Photium, Cod. ducentesimo vigesimo-quinto. Item Librum *contra Theodosium & Severum*, de quo idem Photius, Cod. 226. Item *Invectivam Orationem contra unitatem subitò exortam inter Theodosianos & Gaianitas Acephalos*, de quâ idem Photius, Cod. 227. Præterea *Orationes undecim*, quarum argumenta & Breviarium legi possunt apud eumdem Photium, Cod. CCXXX.

III. S. LEANDER, ex Carthaginensi Hispaniæ Provinciâ oriundus, ex Monacho Hispalensis Episcopus, S. Gregorio Magno amicissimus qui *Libros Moralium in Job* ipsi nuncupavit, adversùs Arianam hæresim plura scripsit Opuscula, Librum *De Institutione Virginum, ad Florentinam Sororem*, plures Epistolas, multaque ad Officii Ecclesiastici augmentum & decorem spectantia. De ipso, ejusque Operibus lege Sanctum Isidorum *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXVIII.*

ARTICULUS XVI.

De Scriptis Sancti Gregorii Magni.

I. SANCTUS GREGORIUS MAGNUS, Scriptis sanctitatem ac eruditionem ubique spirantibus singularem, Ecclesiæ Catholicæ multùm profuit, æternùmque proderit. *Moralia in Job.* rogante *S. Leandro*, Virisque Religiosis, quibuscum Constantinopoli convivebat, dum Sedis Apostolicæ Apocrisiarium apud Tiberium Imperatorem ageret, concepit, perfectumque Opus eidem Leandro Hispalensi Episcopo nuncupavit. Opus istud Moralis Evangelicæ promptuarium est, Concionatoribus, & animarum Curatoribus ac Directoribus diligenter & assiduè legendum.

Moralia in Job.

II. *Librum Pastoralem* edidit à Joanne Archiepiscopo Ravennate reprehensus quòd Episcopatum declinasset. Hoc Libro docet quantum sit Officii Pastoralis pondus, quàm ægrè suscipiendum, quâ exequendum curâ. Quatuor in partes hunc librum distribuit. Explicat in primâ qualis ad Episcopatûs culmen venire quis debeat. Imperitos ad regimen Ecclesiæ venire non debere docet. *Nulla ars*, inquit, *doceri præsumitur, nisi intentâ priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo Pastorale Magisterium quâ temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum?* Locum regiminis subire non debere, qui moribus impugnant, quod verbis prædicant. *Unde fit ut cùm Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur.* Res adversas utiliores esse saluti, quàm secundas. *Nam plerumque adversitatis magisteriô sub disciplinâ cor premitur: Quod si ad regiminis culmen eruperit, in elationem protinus usu gloriæ permutatur.* Suscepti curam regiminis mentem per diversa distrahere, ita ut *In exteriorum dispositione sollicita, sui tantummodo ignara, sciat multa cogitare, se nesciens.* Reprehendit illos, qui magnis virtutum muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum & gregem Dei pascere renuunt. *Quâ enim mente*, inquit, *is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?* Eum qui verè humilis est, in recusando regiminis culmine, cùm sibi imperatur, pertinacem

Pastoralis Liber S. Gregorii Synopsis.

pertinacem esse non debere, si jam donis præventus est, quibus & aliis prosit: Sed *ex corde fugere, & invitum obedire.* Quosdam laudabiliter prædicationis officium appetere, alios pari laude declinare: *Isaia* sese ultrò offerentis, & *Jeremia* reluctantis exemplis id probari; sed in iis id observandum, quòd *Is qui recusavit, plenè non restitit, & is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit: Ne aut non purgatus adire quisque sacra Ministeria audeat, aut quem superna gratia elegit, superbe contradicat.* Quia verò difficile est purgatum se quemlibet posse agnoscere, *Prædicationis officium tutiùs declinari.* Observat eos qui præesse concupiscunt, ad usum suæ libidinis Apostoli sententiam arripere: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* Non advertentes illô tempore hoc dictum, quo quisquis plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. *Tunc ergo*, inquit, *laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire.* Falli eos ostendit, qui bona opera animo proponunt, & se magna operaturos spondent, si ad Episcopatum perveniant: Quia *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloriâ non amare quod amat: quæ principari appetens, fit ad hoc pavida cùm quærit, audax cùm pervenerit.* Tum docet qualis quisque ad regimen venire debeat: *Qui scilicet cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, &c.* Docet denique qualis quisque ad regimen venire non debeat, locum *Levitici* 21. quô Deus indicat *Moysi* qui ad Ministerium Templi & Sacrificiorum admitti non debent, moraliter exponens, & corporis vitiis ibi descriptis, vitia animorum adumbrata esse demonstrans, quibus indigni fiunt Clerici sacro regimine.

Secunda Parte docet qualem se in ipso regimine Pastor debeat exhibere. Necesse esse ut sit *cogitatione mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum occupatione non relinquens.* Solerter invigilare debere, *Ne hunc cupido placendi hominibus pulset; ne cùm studiosè interiora penetrat, cùm providè exteriora subministrat, se magis à subditis diligi quàm veritatem quærat: ne cum bonis actibus fultus, à mundo videtur alienus, hunc Auctori extraneum reddat amor suus.* Oportere tamen ut Rectores boni placere hominibus appetant: *Ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Subditorum vitia aliquando prudenter esse dissimulanda*, sed indicandum quòd dissimulentur: *aliquando & aperte cognita, maturè toleranda, cùm videlicet rerum minimè opportunitas congruit ut apertè corrigantur. Aliquando verò subtiliter & occultè perscrutanda, ut quibusdam signis erumpentibus, Rector in subditorum mente, omne quod clausum latet inveniat, & interveniente correptionis articulô, ex minimis majora cognoscat. Aliquando leniter arguenda; cùm scilicet non malitiâ, sed solâ ignorantiâ, vel infirmitate delinquitur. Aliquando vehementer increpanda, ut cum culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis ab increpantis ore sentiatur.* Hæc porro omnia rite à Rectore præstari: *Si supernæ formidinis & dilectionis Spiritu afflatus, studiosè quotidie sacri Eloquii præcepta meditetur.*

In III. Parte explicat quô modô Pastor docere debeat. Non unam eamdemque cunctis exhortationem adhibendam, quia non iidem cunctorum mores: sicut nec ægris omnibus eadem adhibenda medicina est: aliter admonendos viros, aliter fœminas: aliter juvenes, aliter senes: aliter inopes, aliter locupletes: aliter lætos, aliter tristes: aliter subditos, aliter Prælatos: aliter hujus mundi sapientes, aliter hebetes: aliter incolumes, aliter ægros: aliter pigros, aliter præcipites: aliter mansuetos, aliter iracundos; aliter humiles, aliter elatos: aliter pertinaces, aliter inconstantes, &c.

In IV. Parte docet Pastorem qui suo tam sanctè munere fungitur, ad semetipsum redire debere, *Nec recta respicere quæ egit, sed quæ agere neglexit: ut dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis Auctorem robustiùs in virtute solidetur.* Sic denique librum concludit Pontifex humilitate maximus. *Ecce bone vir, reprehensionis meæ necessitate compulsus, dum monstrare qualis debeat esse Pastor invigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus; aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. Sed in hujus quæso vitæ naufragio orationis tuæ me tabulâ sustine, ut quia pondus proprium deprimit, tui meriti me manus levet.*

Pastoralem S. Gregorii Librum legere debere Episcopi, & secundum illum vivere.

Pastoralem S. Gregorii Librum pleraque Galliæ Concilia legere Episcopis jubent, ejus monitis insistere, præcepta exequi. Concilium Moguntiacum sub Carolo Magno, hunc maximè commendavit: Turonense anno 813. Canone 3. ita decernit: *Nulli Episcopo liceat Canones, aut librum Pastoralis à S. Gregorio Papa editum, si fieri potest, ignorare, in quibus se debet unusquisque quasi in quodam speculo assiduè considerare.* Concilium Cabilonense II. eodem anno, Canone 4. *Episcopi Canones intelligant, & librum S. Gregorii de Cura Pastorali, & secundum formam ibidem constitutam & vivant, & prædicent.* Concilium Aquisgranense anno 836. Canone 4. *Convenit Sacerdotali Ministerio scire formam Evangelicam, documenta Apostolica, Canonum instituta, normam Regulæ Pastoralis à Sanctissimo Pontifice Gregorio edita; ne juxta eumdem Sanctissimum Virum, ab imperitis, quod absit, Pastorale Magisterium aliquâ temeritate usurpetur, aut vilescat.* Denique *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in Præfatione Opusculi 55. testatur suâ ætate in more positum fuisse ut Pastorale S. Gregorii Magni unà cum libro sacrorum Canonum in manus Episcopi qui ordinabatur traderetur in ipsâ Ordinatione à Metropolitano, obtestante illum ut ita servaret in vivendo, docendo, & judicando, sicut ibi erat scriptum: quod & Episcopus ipse spondebat.

Homiliæ in Ezechielem.

Homilias in Ezechielem Prophetam à Notariis, dum eas coram populo diceret, exceptas, post annos octo emendavit, & ad *Marinianum* Episcopum misit. Quanti faceret SS. Patres, quantùm se infra illos deprimeret, constat ex Præfatione. *Tua*, inquit, *Dilectio has sibi ad legendum mitti poposcerat: sed valde incongruum credidi ut aquam despicabilem hauriret, quem constat de beatorum Patrum Ambrosii atque Augustini torrentibus profunda ac perspicua fluenta assiduè bibere. Sed rursum dum cogito quod sæpe inter quotidianas delicias etiam viliores cibi suaviter sapiunt, transmisi minima, legenti potiora; ut dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas avidiùs redeatur.*

In Evangelia.

III. *Homilias XL. in Evangelia*, quarum nonnullas à se dictatas, assistenti plebi per Notarium recitari jusserat, quasdam verò ipse pronuntiaverat, emendatas misit ad *Secundinum Tauromenitanum Episcopum.*

Dialogi à Gregorio Magno vindicantur.

IV. Nonnulli Auctores, non solùm Heterodoxi, sed etiam Catholici, *Libros Dialogorum.* S. Gregorii magni esse negarunt, Gregorio II. qui propterea *Dialogus* à Græcis appellatus sit, hoc Opus tribuentes. Verùm hi refelluntur ipsius Gregorii Magni testimonio, *Epistola* 50. *lib.* 2. *Indict.* 11. *ad Maximianum* datâ. Secundò, in Homiliis, & in Dialogis

logis easdem historias, iisdem ferè verbis expressas, & tanquam ab eodem relatas, legere est Ut in *lib.* 3. *Dialogorum c.* 6. *& lib.* 4. *c.* 56. ubi de *Cassio* Narniensi Episcopo verba facit, de quo etiam *Homilia* 37. *in Evangelia. Lib.* 4. *cap.* 14. de *Servulo* ait se in Homilias locutum, quod videre est *Homilia* 15. *in Evangelia* In eodem *lib.* 4. *cap.* 15. loquitur de *Romula*, de quâ se in Homiliis verba fecisse testatur, scilicet *Homilia* 30. *in Evangelia.* Plura alia exempla proferri possunt. 3. *Pelagium* Papam *prædecessorem suum* vocat, quo narrante se multa novisse ait de *Martino* Monacho (*lib.* 3. *cap* 16.) *Cap.* 29. ejusdem libri, de *Autharib* Longobardorum Rege mentionem habet, de quo *lib.* 1. *Epistola* 17. & alibi. 4. Historia *S. Hermenegildi* S. Gregorii Magni temporibus contigit: quam fusè narrat *Cap.* 31 *lib.* 3 eamque à *S. Leandro* Hispalensi Episcopo, amico suo, qui eidem interfuerat, se didicisse testatur. Et *Cap.* 32. 36. & 37. de sua ad Urbem Constantinopolitanam Legatione cùm esset Pelagii II. Apocrisiarius, refert. Denique scripturus Vitam *S. Benedicti*, initio *lib.* 2. *Dialogorum*, ait se, quæ de eo dicturus est, accepisse à quatuor ejusdem Sancti discipulis, quorum adhuc duo in vivis erant. Ex quibus colligitur, Dialogos istos Gregorio Magno tribuendos esse, non Gregorio II. centum quinquaginta annis juniori.

Accedunt Auctorum, qui post S Gregorium vixerunt testimonia, qui summo consensu Dialogos illi tribuerunt, & sub ipsius nomine laudarunt: Scilicet *S. Paterius* ipsius discipulus in testimoniorum libro ea omnibus S. Gregorii Operibus collecto: *Taius* Cæsaraugustanus Episcopus, qui florebat anno 630. in Collectaneo ex Operibus S. Gregorii, quinque in libros diviso. S. Ildefonsus Toletanus Episcopus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 1. Julianus ejusdem Ecclesiæ Episcopus, in Prognostico futuri sæculi; Venerabilis Beda lib. 2. Historiæ c. 1. Paulus Diaconus, & Joannes Diaconus, in Vita S. Gregorii Hadrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum pro VII. Synodo, Anastasius Bibliothecarius in Vita Zachariæ Papæ, Hincmarus passim in suis Operibus, Paschasius Ratbertus in lib. de Corpore & Sanguine Domini, Prudentius Trecensis Episcopus lib. de Prædestinatione Cap. 17. Photius in sua Bibliotheca Cod. 252. ubi & Dialogos Sancti Gregorii à Zacharia Papa in Græcam linguam versos testatur, Regino Prumiensis Abbas, lib. 2. de Ecclesiasticis Disciplinis c. 198. Concilium Triburiense sub Formoso, cap. 17. Berno Augiensis in Libello de rebus ad Missam spectantibus, cap. 12. Burchardus Vvormatiensis Episcopus passim in suâ Decretorum Collectione, Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, cap. 31. Lanfrancus in lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 14. & 20. Durandus Troarnensis & Guitmundus Aversanus Episcopus, Anselmus Lucensis Episcopus, in Collectione Canonum, Sigebertus, Ivo Carnotensis, Honorius Augustodunensis, Rupertus, S. Bernardus, Gratianus, Petrus Lombardus, S. Thomas. Tandem MSS. Codicum summus consensus ostendit Dialogos genuinum Opus esse S. Gregorii Magni.

Objiciunt, qui hoc Opus abjudicant S. Gregorio, Stylum in Dialogis & in aliis ejus libris omnino diversum, inæqualem, inelegantem, barbaris & corruptis vocibus squallidum.

Styli diversitas in prolixo Opere non insolita.

Respondeo, styli diversitatem aliquam esse, non omnimodam. Et quis nescit varium esse stylum pro varietate Tractatuum, ac materiarum? Certè Sanctus ipse Gregorius fatetur se eodem stylo Moralium libros non scripsisse. Sic enim loquitur lib. xx. c. 1. *Quamvis in prolixo Opere esse culpabilis styli mutabilitas non debeat, &c.* Et paulò post: *Immutationem styli, Lector meus, æquanimiter accipe, quia & sæpe eosdem cibos edentibus diversitas places coctionis.* Phra-

S. Gregorii Stylus.

ses verò & dictiones barbaras non in hoc solùm, sed & in aliis S. Gregorii Operibus legimus. Nec mirum: has enim Longobardorum, & aliorum populorum barbaries in Italiam invexerat, & jam Latina lingua defecerat à priscâ puritate. Secundò, verba illa paulò rusticiora, non sua esse, sed aliorum S. Gregorius in Prologo Dialogorum profitetur. Tandem stylum & cultum sermonis neglexit S. Gregorius, veritatis & simplicitatis amantior quàm elegantiæ, ut constat ex ejus Epistola *ad Leandrum* libris Moralium præfixâ, ubi de his ita loquitur: *Ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut hujus quoque Epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque præpositionum, casusque servare contemno. Quia indignum vehementer existimo, ut verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab ullis Interpretibus in Scripturæ Sacræ auctoritate servata sunt.*

Objiciunt secundò, in Dialogis quædam S. Gregorii doctrinæ adversari, ut *lib* 4 *c.* 29. ubi gehennæ ignem esse corporeum dicitur, cùm asserat Sanctus Gregorius *lib.* 15. *Moralium cap.* 17. hujusmodi ignem esse incorporeum, exponens illa verba Job 20. *Devorabit eum ignis, qui non succenditur.* Miro valde modo, inquit, *paucis verbis expressus est gehennæ ignis: ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis .... At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur.*

Respondeo, etsi in quibusdam editionibus & in nonnullis Codicibus MSS. ita legatur, *cum sit incorporeus*, in antiquissimis & melioris notæ Codicibus MSS. Romanis, Gallicanis, Anglicanis, legi, *cum sit corporeus.* Plurima laudat *Gussanvillæus*, sicut & antiquiores emendatioresque Editiones, quorum Auctores ita legerunt. Unde prior lectio error est ex oscitantis Exscriptorum & Librariorum profectus. Id confirmat 1. ex Codice MS. Corbeiensi tempore *Adhalardi* Abbatis circa annum 750. in quo habetur liber cui titulus est, *Ecloga, de Moralibus Job quas Gregorius fecit.* ubi l. 15. legitur: *Gehennæ ignis cum sit corporeus*, &c. ut apud S. Gregorium. 2. Id confirmat ex *Odone Cluniacensi*, in *Epitome Moralium S. Gregorii*, *cap.* 20. *num.* 26. & ex *Garnero* Canonico Regulari S. Victoris Parisiensis sub Hilduino Abbate, in Opere, quod *Gregorianum* nominavit, *lib.* 11. *c.* 1. eodem modo legentibus, & ex MS. Codice qui asservatur in Bibliotheca Celestinorum Parisiensium, qui inscribitur, *Remediorum Conversorum*, qui collectus est ex dictis S. Gregorii in Moralibus: in quo eodem modo legitur laudatus Sancti Gregorii locus (*III. P. lib.* 6. *cap.* 7.) Eadem lectio confirmatur ex *Prudentio* Trecensi, & *Floro* Ecclesiæ Lugdunensis Diacono, contra *Joannem Scotum Erigenam* scribentibus. Denique eo modo hunc locum laudavit *S. Thomas*, *in IV. Sententiarum Dist.* 44. *Quæst.* 1. & Codices sive MSS sive editos, qui legunt: *Ignis gehennæ cum sit incorporeus*, corruptos esse observavit *Sixtus* noster *Senensis lib.* 5. *Bibliothecæ Sacræ*, *Annotatione* 141.

Objiciunt tertiò, multas in Dialogis historias referri penitus incredibiles.

Miracula quæ S. Gregorius narrat, non temerè derogandâ fide.

Respondeo, Historias, quas refert in Dialogis S. Gregorius, vel ipsum vidisse, vel ab aliis fide dignis testibus auditas narrasse. Miracula autem quæ narrat, incredibilia quidem videri, si ad rationis humanæ trutinam expendantur: non verò si spectetur Dei potentia & fidei virtus, quæ quantæ sint, eò melius quisque intelligit, quò sanctior est. Hinc S. Gregorius Nazianzenus asserit generosa pectora de miraculis minùs dubitare. S. Augustinus fabulatum, si quis alius oser, similia multa commemorat,

nec

Vel Sancti Pauli superetogationem intelligi posse de sermonibus ejus atque Epistolis, & de nimio labore mentis & corporis. (Quæ est interpretatio Sancti Ambrosii.) Ex istis expositionibus qui unam selegerit, à veritate hoo dissosurum. Nec mirum quòd idem locus Apostoli sit à pluribus Patribus diverso sensu expositus, cùm idem Pater eumdem locum vario modo interdum exponat. Quod probat exemplo Sancti Augustini, qui in libris *adversùs Faustum Manichæum*, & in libris *de Civitate Dei*, inferiora Arcæ bicamerata & tricamerata diverso modo interpretatur. Libro tertio impugnat Arianos negantes Verbum in Deo esse, & contendentes non esse idem, esse apud Deum, & esse in Deo: Verum sensum illius Sententiæ explicat: *Et Verbum erat apud Deum* Ostendit idem esse *apud Deum* & *in Deo*, quia Deus mutationi non est obnoxius: Sic Psalmo 35. *Apud te est fons vita*, non aliud intelligi, quàm, *In te est fons vita.* Et cum Sanctus Joannes dicit Epistola 1. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*, idem esse, *Apud Patrem*, &, *In Patre.*

Liber contra X. Objectiones Arianorum.

III. Edidit prætereà librum unum *contra decem Objectiones Arianorum*, quas ad ipsum Trasamundus Rex miserat, illúmque idem Regi tradi curavit, ut testatur Ferrandus Diaconus in ejus Vita, *cap.* 22. *Tres Libros* ad eundem *Trasamundum* seipsit, compulsus respondere, aliis quæstionibus & objectionibus ab ipso propositis, sibique semel tantùm perlectis. Eorum meminit Ferrandus *cap.* 23. In primo libro probat Filium Dei animam cum vera carne assumpsisse. In altero probat immensitatem Filii Dei, nec ipsum ad locum de loco motu locali transivisse: adventum ad nos Patris & Filii & Spiritus Sancti, non mobilitatem, sed pietatem Dei venientem ostendere. Rectè dici Filium Dei fuisse in mundo, & in mundum venisse: Illud potentiæ, illud gratiæ deputandum. Verbi Dei immensitatem Sancti Cypriani testimoniis insignibus confirmat. Christi humanitatem localem esse probat, sicut ejus Divinitas immensa est. Deinque Sanctissimæ Trinitatis immensitatem ex formâ Baptismi demonstrat. Cùm enim ubique unô tempore per totum orbem Baptisma celebratur in nomine Trinitatis, si tota Trinitas adest ad sanctificandum, ubique mirabiliter exhibet præsentiam majestatis immensæ: quoniam solius est Dei simul universa complere. Si autem non tota Trinitas ubique pariter adest, si Filius aut Spiritus Sanctus putatur deesse, nominandus utique in baptismate non est, qui ad sanctificandum adesse non potest. In tertio libro agit de Sacramento Dominicæ Passionis, duarum naturarum distinctionem accuratè explicat, ostendítque, Christo in carne passo, divinitatem non fuisse compassam carni.

Libri tres ad Trasamundum.

IV. Sequitur *Liber ad Donatum, de Fide Orthodoxa, & diversis Hæreticorum erroribus.* Tum liber *De Fide ad Petrum Diaconum*, qui Hierosolyma pergens, regulam veræ fidei à Sancto Fulgentio postulaverat, ut nullius hæreticæ falsitatis sensus posset ipsi obrepere. Eô in libro *cap.* 27. pueros sine baptismo decedentes pœnam sensus in inferno pati, quasi Fidei dogma videtur proponere his verbis: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive cùm de matribus nati, sine Sacramento Sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiternò suppliciò puniendos: Quia etsi propria actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.*

De Fide ad Petrum.

Lege quæ de hoc S. Fulgentii loco diximus Dissertat. 18 in Histor. Eccles. Sæc. II §. 12. paginâ 1103. & 1104. t. Edit. vel pag. 711 & 174 Edit. secundæ Tom. 4.

Hoc unum est è quadraginta Capitulis, de quibus cap. 44. hæc habet: *Hæc interim quadraginta Capitula ad Regulam veræ Fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patientérque defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge, & tanquam Hæreticum abjice.*

V. Varias Epistolas scripsit, Morales quasdam, alias dogmaticas. In prima respondet interrogationi cujusdam, *de Continentiâ uxoris.* Docet usum conjugii non esse malum. Justitiam ejus hanc esse, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi conjuges congruò tempore misceantur. Votum continentiæ à conjugatis emissum obligare, si mutuô consensu Deo sit oblatum. Sicut enim priusquam Deo simul voverent, reprehensibilis fuit unius oblatio, quia legitimi consortis deerat assensus: Ita cùm pari obtulerit uterque consensu, quod est inseparabiliter utriusque commune, non erit impunitus, si quis munus Deo voluntariâ devotione oblatum, illicitô crediderit opere temerandum. Tandem vitæ sanctè instituendæ præcepta tradit conjugatis.

Epistolæ.

Epistola II. *ad Gallam*, de mariti morte ipsam consolatur, & Viduam Christianam ad continentiam cæterasque virtutes illius statui convenientes hortatur. Epistola III. *ad Probam*, virginitatis meritum commendat, sacram Virginem instituit, & ad studium virtutum accendit, quæ virginitatis custodes sunt, aut ornamenta, præcipuè ad humilitatem cordis. IV. Ad eamdem, de *Oratione & compunctione cordis.* Quinta ad Eugipium Abbatem, *de Charitate.* VI. *Ad Theodorum Senatorem, de conversione à sæculo.* VII. *Ad Venantiam, de rectâ Pœnitentiâ, & futurâ tribulatione.* Epistolam prætereà dedit. *Ad Reginum Comitem*, de carne Christi corruptibili. Item Epistolam *Ad Ferrandum, de Baptismo Æthiopis moribundi.* Æthiops ille inter Catechumenos Fidei Christianæ Mysteriis imbutus, inter Competentes adscriptus, & ad baptismum paratus, gravi correptus ægritudine, amissô vocis, & sensûs usu, baptizatus est, mente absentissimus, & pro eô quasi pro infante responsum fuit Sacerdoti. Quæsivit à Sancto Fulgentio Ferrandus, utrùm nihil ipsi ad æternam Beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Quid de adultis hoc modo baptizatis sentiendum? Quid de illis, qui sanâ mente legitimè baptizati, præveniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem ejus bibere non sinuntur? Cùm Dominus dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Respondet Sanctus Fulgentius, Baptismum esse mercedem fidei & confessionis: Dignum esse operarium mercede suâ: Non ergo baptismatis mercede fraudari debuisse, qui opus credulitatis & confessionis, divinitùs datâ cordis & oris devotione persolvit. Nihil itaque illi ad æternam Beatitudinem consequendam, vocem ablatam nocuisse, qui quamdiu potuit, in ipsâ fidei Confessione permansit. Proinde firmissimè tenendam esse illam Canonum sententiam Paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculô propriô dixerint, baptizari. Hoc sapientes Patres, & quid Ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat, indicasse. Neque enim hoc Ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Ultimo tandem Ferrandi scrupulo respondit, non esse dubitandum quin salventur illi, qui præveniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem bibere non sinuntur. Nec obesse illam sententiam Salvatoris: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam*

Epistola de Baptismo Æthiopis, ad Ferrandum.

tam in vobis. Id namque in baptiſmo fieri. *Quid enim agitur Sacramento ſancti Baptiſmatis, niſi ut credentes membra Domini noſtri Jeſu Chriſti fiant, & ad compagem corporis ejus Eccleſiaſticâ unitate pertineant? Ipſis enim dicit Apoſtolus: Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro . . . Quocirca quoniam unus panis & unum corpus multi ſumus, tunc incipit unuſquiſque particeps eſſe illius unius Panis, quando cœperit membrum eſſe illius unius corporis, quod in ſingulis membris, quando in Baptiſmo capiti Chriſto ſubjungitur, tunc jam Deo vivo hoſtia veraciter immolatur. Illo enim nativitatis munere ſic fit Sacrificium, ſicut fit & templum. Quod B. Apoſtolus docens, ait: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Qui ergo membrum corporis Chriſti fit; quomodo non accipit quod ipſe fit? Quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis eſt in Sacrificio Sacramentum? Hoc ergo fit ille regeneratione ſancti Baptiſmatis, quod eſt de Sacrificio ſumpturus Altaris.* Hanc doctrinam confirmat ex Sermone Sancti Auguſtini *Ad Infantes, de Sacramento*, quem Epiſtolæ ſubjungit.

Sermones.

Plures *Sermones* habuit, dictavítque Sanctus Fulgentius, ut conſtat ex ejus Vita cap. 29. quos Sirmondus & Theophilus Rainaudus, S. J. Sacerdotes in lucem ediderunt.

Libri contra Hæreſim Arianam.

Arianam hæreſim confutavit, non ſolùm in Reſponſione ad X. objectiones Arianorum, cujus ſupra meminimus, ſed etiam in libro *Contra Faſtidioſi Sermonem*, in libro *de Trinitate ad Felicem Notarium* in libro *Adverſus Pintam Epiſcopum Arianum*, qui non extat, & in libris X. *Contra Fabianum*, in quibus & Spiritûs Sancti divinitatem adversùs Macedonianos egregiè propugnavit.

Libri II. de Remiſſione peccatorum.

VII. Duos *de Remiſſione Peccatorum* libros ſcripſit ad Euthymium, in quibus docet, quibus, quando, & ubi Deus remittat peccata. Probat 1. Non remitti niſi illis qui verè & ſincerè convertuntur. 2. Non remitti extra Eccleſiam. 3. Non remitti niſi in hâc vitâ.

De Incarnatione & Gratia.

VIII. *De Gratia & Prædeſtinatione* luculenter ſcripſit ac eleganter. A Petro Diacono & aliis Monachorum Scytharum Oratoribus, qui ad ipſum, cæteroſque Africanos Epiſcopos in Sardinia exules Libellum *de Incarnatione & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti*, miſerant examinandum, & eorum ſuffragiis approbandum, rogatus, librum ejuſdem argumenti ſcripſit, ſuo & cæterorum Confeſſorum nomine. De quo Ferrandus in ejus Vita, Cap. XX. *Huic etiam quandocumque tranſmarinis literis de fide, vel de diverſis quæſtionibus interrogabantur Epiſcopi, reſpondere pro omnibus, ab omnibus imponebatur. Ita ſicut ſanctæ memoriæ Aurelius Carthaginenſis Antiſtes, inter ſua privilegia meruit, ut literas ex Africano Concilio dandas ſolus ipſe ſcriberet; ſic iſte meruerat ut literas ex illo Concilio dirigendas ſolus ipſe dictaret. Sexaginta quippe & eò amplius Epiſcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua & ingenium B. Fulgentius Epiſcopus fuit. Propterea quandocumque reſcribebant conſulentibus, Epiſcoporum nomina cunctorum dicebantur in titulo; ſed ſolius B. Fulgentii ſermo tenebatur in ſtylo.*

De Veritate Prædeſtinationis & Gratiæ.

IX. Tres libros *de veritate Prædeſtinationis & Gratiæ*, ad Joannem Preſbyterum & Archimandritam, & Venerium Diaconum ſcripſit. Horum librorum meminerunt Ferrandus in ejus Vita, *Cap.* 29. S. Iſidorus *Lib. de Viris Illuſtribus, Cap.* 14. Concilia, Pariſienſe anno 829. Aquiſgranenſe anno 836. Additio II. ad Capitularia Caroli Magni & Ludovici Pii, Goteſcalcus in Confeſſione ſuâ, &c. Sed ipſos præ cæteris commendarunt Africani Epiſcopi in Sardinia exules, ſicut & *ſeptem libros contra Fauſtum* Semipelagianum ab eodem S. Fulgentio editos, qui vel perierunt, vel in alicujus Bibliothecæ angulo deliteſcunt. *Cæterum*, inquiunt, *unus ex nobis, in quantum Dominus ſervis ſuis recti gratiam dignatur donare ſermonis, illis omnibus quæ memoratos Fratres adversùs Gratiam & Prædeſtinationem intimaſtis vel ſentire, vel dicere, tribus Libris veſtro nomini dedicatis ſufficienti diſputatione reſpondit: quique adversùs duos libros Fauſti Galli ſeptem libros edidit: quos cum recenſueritis, agnoſcetis protinus quemadmodum memorati Fauſti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, diſcuſſio prodidit, ratio manifeſta convicit, auctoritas divina compreſſit, & præcedentium Patrum conſona prorſus atteſtatio confutavit.*

Libri VII. Contra Fauſtum Reienſem Epiſcopum.

In primo libro *de veritate Prædeſtinationis & Gratiæ* oſtendit, nullis præcedentium aut ſubſequentium exigentibus operum meritis, Jacob priuſquam naſceretur, electum, ſed ſola divini propoſiti benignitate diſcretum. Subjungit generalem de parvulis ſine baptiſmo morientibus inquiſitionem, docetque negationem gratiæ & baptiſmatis non eſſe refundendam in præſcientiam futurorum peccatorum, quæ perpetraſſent parvuli ſi ad majorem ætatem perveniſſent. *Quiſquis enim Dominum præſcium putat futurorum, quæ tamen futura non fuerant, reſtat ut præſcientia Dei, quam utique non negat veracem, aliquam ineſſe æſtimes falſitatem. Falſum eſt enim futurum eſſe aliquid, quod præſcias non erit. Dei autem ſcientia nihil in ſe poteſt habere falſi, quia falſitas ineſſe veritati non poteſt.* Ad judiciorum itaque Dei occultam profunditatem referendum probat S. Fulgentius, quòd parvuli, ſive parentum negligentiâ, ſive aliò caſu, abſque Baptiſmo decedant: Et ad munus Gratiæ pertinere piam voluntatem ac diligentiam parentum, qui ſuis parvulis baptiſmi Sacramentum procurant.

Sermo Librorum De veritate Prædeſtinationis & Gratiæ.

Probat poſtremò Gratiam Dei non omnibus hominibus univerſaliter dari, & quibus datur, non æqualiter dari. *Hærendum SS. Patrum definitionibus, qui Apoſtolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certiſſimè cognoverunt, cognoſcendámque libris & Epiſtolis reliquerunt, Gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari.*

In ſecundo Libro, Gratiam Dei cum libero arbitrio componit: Iſtud non tolli oſtendit, quamvis hæc ei ſit neceſſaria & ad benè volendum, & ad benè operandum, & ad orandum, & ad perſeverandum, quod Scripturæ Sacræ oraculis invictè probat. Traditioni & SS. Patrum doctrinæ inhærendum neceſſariò ait iis qui ſalvi eſſe velint. *Oportet*, inquit, *SS. Patrum divinitus inſpiratis informari & adhærere ſententiis, qui gratia divina ſic illuminati ſunt dono, ut indubitanter aſſererent, in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, niſi quod beneficiò gratiæ prævenientis infunditur: Nihil in melius augeri, niſi quod ſubſequentis juvamine roboratur: Nihil benè conſummari, niſi quod eâdem operante, atque opitulante perficitur. Hæc itaque*, inquit, *Catholicorum Patrum Apoſtolicis inſtitutionibus tradita permanet in Eccleſiis, ſine aliquâ dubitatione, doctrina; quam Græci, Latinique Pontifices, Sancti Spiritûs infuſione formati, uno uſque indiſſonabili ſemper tenuere conſenſu. In quâ B. Auguſtinus indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus laboravit, &c.* Subjungit eximiam S. Auguſtini & doctrinæ ipſius de Gratia commendationem. Notandæ ſunt hæ Capitis XXII. ſententiæ: *Quantum ergo pertinet ad hujus temporis vitam, conſtat, quia in Eccleſia nemo Pontifice potior, & in ſæculo nemo Chriſtiano Imperatore celſior invenitur . . . Clementiſſimus quoque Imperator non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni Principatûs accepit: Sed ſi in Imperiali culmine rectâ fide vivat, & cordis humilitate præditus, culmen Regiæ Dignitatis ſanctæ Religioni ſubjiciat; Si magis timore ſerviat Deo, quàm in tumore dominari populo delectetur; Si in eo lenitas iracundiam mitiget: ornet benignitas poteſtatem: Si ſe magis diligen-*

Chriſtiani Imperatoris officia.

dum quàm metuendum cunctis exhibeat : Si subjectis salubriter consulat : Si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat ; Si præ omnibus se Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus pace atque tranquillitati per universum mundum prodesse faciat suum Principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur Imperium, dum Ecclesiastico Statui per universam terram consulitur, quàm cùm in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur.

In tertio libro de Prædestinatione differit, quam gratuitam probat, *non solum ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam justificationis.* Septem postremis Capitibus tractat quæstionem de origine animæ, de quâ ipsum interrogaverant Joannes & Venerius. Recensitis sententiis oppositis, illorum qui novas animas asserunt singulis fieri, & illorum qui asserunt animas cum corporibus propagari ; & utriusque sententiæ incommodis : Laudatâ S. Augustini prudentia, qui suum hâc in quæstione suspendit judicium, ducit & ipse abstinendum ab hujus definitione controversiæ. *Quanto ergo melius*, inquit, *ab hujus quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus? Præsertim quia quod à Sanctis Viris majoribus nostris videmus minimè definitum, oportet nos tantò cautius atque temperantius quærere, quantò ad ejus fidem illos Præclaros Viros cernimus minimè pervenisse.*

Liber de Prædestinatione & Gratia Dei, non est Fulgentii.

X. *De Prædestinatione & Gratia* S. Fulgentium testimonia quædam collegisse & exposuisse, quibus utriusque differentiæ explicarentur, constat ex ejus Vita, *cap.* 8 sed libro *de Prædestinatione & Gratia Dei*, quem cum S. Augustini Operibus editum Tomo VII. viri eruditi *Sirmondus*, & *Theophilus Raynaudus*, *in Censura inofficiosa censura*, Fulgentio asseruerunt, neque titulus convenit libri cujus meminit Ferrandus, neque stylus Fulgentium sapit. Non enim ita modulata est ac tinnula oratio, non periodi similiter cadentes & desinentes, ut in libris de Veritate Prædestinationis & Gratiæ. De Gratiâ Dei jejunè loquitur, nec ejus ad benè volendum & operandum necessitatem ita prædicat, ut solet S. Fulgentius : Plus tribuit libero arbitrio, ipsúmque & Deum inter salutis œconomiam partitur. *Ita inter se atque hominem Deus tempora officiáque distribuens ordinavit, ut vocatione ipsius, bonorum principia sumeremus, vocati autem atque illum nati, vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentiâ nosceremus, & eas liberò vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.* (cap. IX.) Et infrà : *Eos verò qui vocationis munus congrua pietate susceperint . . . Et in agone hujus vitæ certantes adjuvat, & coronas vincentibus largitur æternas.*

Et cap. XI. *Post hanc vocationem illud sequitur, quod & vult ad conatus hominum pertinere, & ostendit sine hoc non posse compleri, hoc est enim quod dicit Apostolus ; Quoniam ab ipso habemus velle & perficere, pro bona voluntate. Ab ipso enim habemus velle, quia vocat & illuminat. Ab ipso perficere, quoniam ad nos pertinet coronari bona, quæ & velle donavit... Illum ordinem quò miseretur Deus vocando, miseretur deinceps in cœptis conatibus adjuvando.*

Et cap. 15. Nabuchodonosorem cum Pharaone componens, illum præ isto conversum asserit, nullâ intrinsecùs vocatione pulsante, solis flagellis admonitum, quorum pondus sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit. *Existere nihilominus fortasse aliquem reor*, inquit, *qui dicat, minus idoneam ad salutem viam, si nullâ intrinsecùs vocatione pulsatus, tamen quispiam flagelletur. Unde Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit? ... Quantum ad naturam ambo homines erant : Quantum ad dignitatem, ambo Reges : Quantum ad causam, ambo captivum populum Dei possidentes : Quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit : Alter libero contra Dei misericordissimam voluntatem pugnavit arbitrio?* Quæ sententiæ Semipelagianum hominem potius olent, quàm S. Augustini Discipulum, & Fausti impugnatorem, qualis fuit S. Fulgentius : Cujus cum doctrinâ in libris *De Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, & *De Incarnatione & Gratia*, è regione pugnant.

Præterea, pugnat cum Sancti Augustini & ipsius Sancti Fulgentii doctrinâ, sententia illa cap. 16. *Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debito mortis, & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum : Quis omnipotenti Creatori diceret, Quare fecisti sic?* Contra Sanctus Augustinus Epistola 106. *Quemquam immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et Sanctus ipse Fulgentius lib. 1. *De veritate Prædestinationis & Gratiæ*, *cap.* 11. ait : *Ea est bonitas ejus* (scilicet Dei) *atque justitia, ut gratuitâ miseratione redimi possit, quemcumque voluerit. Voluntati enim ejus quis resistit? Injustè autem damnare quempiam, nec velit aliquando, nec possit, quia Rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.*

Postremæ Edit. 186.

De quinque Quæstionibus

XI. Præter has lucubrationes, Sanctus Fulgentius librum scripsit ad Ferrandum Diaconum *De quinque Quæstionibus*, de quibus ipsum per literas interrogaverat. Prima est, Utrum Sanctissima Trinitas cùm in naturâ, tum in personis, sit omnino inseparabilis prædicanda? Probat prorsus inseparabiles esse personas S. Fulgentius. II. Utrum sicut Dei Filius dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus ; ita ejus divinitas nata, passa, mortua dici possit, intelligendo semper, *secundùm Carnem?* Respondet S. Fulgentius, Quicquid horum dicatur, nihil præjudicare Fidei, quâ veraciter Ecclesiâ Catholica credit & prædicat, divinitatem Filii Dei impassibilem atque incommutabilem naturaliter permanere. Id probat ex Apostolo qui *Christum crucifixum* cùm prædicat, dicit *Dei virtutem & Dei sapientiam.* Et alibi simul virtutem divinitatemque conjungens, ait, *Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Si ergo virtus Christi secundùm carnem crucifixa dicitur, cur eodem modo etiam crucifixa secundùm carnem divinitas non dicatur? (inquit Sanctus Fulgentius.) Id confirmat disertis Sancti Augustini testimoniis in libris *de Trinitate*, quorum hæc summa est ; Unamquamque personam, in his duntaxat nominibus, quibus ad se, non translatè, sed propriè dicitur, ipsam sibi esse, quod habere naturaliter prædicatur. Sic Deum esse, ut ipsa sit divinitas sua, sic magnum, ut ipsa sit magnitudo sua, &c. Ex quibus colligit Sanctus Fulgentius, salvâ incommutabilitate, æternitate, atque impassibilitate divinitatis Filii Dei, quicquid de ejus Majestate, æternitate, ac virtute, secundùm susceptionem carnis dicitur ; incongruum non esse si eodem modo, secundùm carnem, de ejus divinitate dicatur. Quod ergo à Dei Filio susceptum est, ab ejus divinitate, ab ejus majestate, ab ejus virtute, ab ejus æternitate probari susceptum. Quod rursùs confirmat ex S. Leone dicente : *Salvâ igitur utriusque proprietate naturæ, & in unam coëunte personam, suscepta est à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.* Et ex Gelasio lib. *De duabus Naturis* dicente : *Dum dicitur unam Divinitatis naturam fuisse incarnatam : Remotis ambagibus, altera erit quæ incarnata est, altera quâ incarnata perhibetur. . . Non aliunde Divinitas quam de utero Virginis Matris incarnata processit, &c.*

Tertia Quæstio Ferrandi erat, utrum anima Christi,

Christi, susceptricis Deitatis plenam habeat omnino notitiam: Et quemadmodum se invicem norunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ita idem Filius seipsum per id quod homo est, in eo quòd Deus, noverit; ex utraque, atque in utrâque substantia totum capiens Patrem? Id est, utrum anima Christi Deum comprehendat? Respondet Sanctus Fulgentius Animam Christi habere plenam divinitatis suæ notitiam, cùm quâ naturaliter unam creditur habere personam. Cùm animæ Christi non ad mensuram Deus dederit Spiritum, necesse esse ut nihil minùs habeat sapientiæ, nihil scientiæ: Et ad ejus quoque animam pertinere illam perfectionis prærogativam, quam ipsi Christo Apostolus assignat, dicens: *In quâ sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi.* Nec tamen Divinitatem ab anima Christi comprehendi vult Sanctus Fulgentius; ait enim: *Possumus planè dicere, Animam Christi plenam habere notitiam Deitatis suæ. Nescio tamen utrum debeamus dicere, quòd anima Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodum se ipsa divinitas novit? An hoc potius dicendum est, quia novit quantùm illa, sed non sicut illa? Ipsa enim Deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse quod novit; Anima autem illa sic totam Deitatem suam novit, ut ipsa tamen Deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua. Anima verò illa ab ipsâ Deitate quam plenè novit, accepit ut noverit. Naturaliter ergo Deitas Christi hoc est quod novit: Anima verò illa in eo quod scit Divinitatem suam, non hoc se invenit esse, quod novit. Non ergo quemadmodum se noverunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sic anima sua secundum divinitatem notus est Christus: Quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam: Non tamen habet unam cum Trinitate naturam. Aliud est autem unicuique rei nosse quod naturaliter est, aliud nosse quod naturaliter non est.*

Quarta Quæstio Ferrandi erat, Quare Ecclesia dicat in orationibus Sacerdotum, *Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti*; cùm unum regnum Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti credamus? Respondet Sanctus Fulgentius, his verbis, *In unitate Spiritus Sancti*, unitatem naturæ contra Hæreticos significari. Ubi enim regni naturalis est unitas, una regnandi permanet & potestas: In illo autem regno illi diversitatem potestatis habere possunt, quibus ipsa potestas tribuitur ex gratiâ, sed non suppetit ex naturâ.

Postrema quæstio Ferrandi erat, Quomodo sit intelligendum, quod S. Lucas Evangelista Cœnam Domini narraturus * priùs dicit, Eum Calicem accepisse, & Discipulis dividendum inter se continuò tradidisse, & tum deinde acceptô pane dixisse, *Hoc est corpus meum*, & similiter acceptô Calice dixisse: *Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine?* Difficultatem in eo esse, an sit unus Calix priùs & postea datus: Respondet Sanctus Fulgentius, Quosdam unum Calicem interpretari, illudque, *Accipite & dividite inter vos*, à S. Luca per anticipationem dictum. Alios secundò datum Calicem asserere. Quam expositionem ipse amplectitur; & utroque Calice utrumque Testamentum significatum probat.

* Lucæ 22.

ARTICULUS V.

De Ferrando, Marcellino Comite, Justo Orgellitano, Nonno, Cæsario Arelatensi, & Vigilio Tapsensi.

I. FERRANDUS Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, S. Fulgentii Discipulus, ab anno 510. ad 548. floruit, Vitam ejus scripsit, nonnullas Epistolas, cùm ad ipsum Fulgentium, tum ad alios, & Parænetieum ad Reginum Comitem; *Qualis esse debeat Dux Religiosus in actionibus militaribus*, seu *De septem regulis innocentiæ.* Canones in compendium redegit, non quidem omnes ante sua tempora conditos, sed eos duntaxat qui pro tempore ad Cleri Africani disciplinam sufficerent. In Epistolis ad *Severum Scholasticum*, & ad *Anatolium* R. E. Diaconum, hanc propositionem tuetur: *Unus de Trinitate natus & passus est carne.* Trium Capitulorum in unitate Ecclesiæ propugnator fuit acerrimus, ut eadem ad Anatolium Epistola probat: quô nomine ipsum Facundus Hermianensis laudat *Lib.* 4. *Cap.* 3. Breviarium Canonum ab ipso editum, in sua Præfatione commendat *Cresconius.* Ejus quoque Victor Tunonensis, Sigebertus, & Trithemius, honorificè meminerunt.

Observatione digna est Ferrandi sententia in Epistola ad Severum Scholasticum seu Advocatum Constantinopolitanum, de summa Sedis Apostolicæ in finiendis fidei controversiis auctoritate. *Interroga igitur*, inquit, *Vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine veritatis.*

Romani Pontificis & Conciliorum Generalium auctoritas.

Observatione etiam digna sunt, quæ in Epistola ad Pelagium & Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconos scribit de Conciliorum & Romani Pontificis in illis confirmandis auctoritate. cap. 7. *Universalia Concilia, præcipuè illa quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post Libros Canonicos tenent.* Et cap. 9. loquens de Decretis conditis à Synodis universalibus: *Sufficere*, inquit, *judicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moveant vel scandalum Fratribus, sed Apostolicæ Fidei convenire firmentur, Apostolicæ Sedis roborata consensu.* Et cap. 6. A Synodo Calchedonensi neminem jure appellare potuisse asserit, quia Sedis Apostolicæ consensu, quæ per suos Legatos Synodalibus Decretis consenserat, acceperat robur invictum. *Appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret; sed quò iret? aut ubi majores reperiret in Ecclesia Judices? Ante se habens in Legatis suis Apostolicam sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum.*

II. MARCELLINUS COMES floruit primis Justiniani Imperatoris temporibus, circa annum Christi 535. Ejus cùm laude meminit Cassiodorus *Lib. de Institutionibus Divinæ Scripturæ, Cap.* 17. & 25. Scripsit *Chronicon* ab initio Imperii Theodosii, ad Magni Consulatum, annorum CXL seriem continens, tum deinde alios XVI. annos adjecit, à primo Justini, ad quartum usque Justiniani Augusti Consulatum hoc est, ad annum Christi DXXXIV. Quæ deinceps ad finem usque Imperii Justiniani sequuntur, non sunt *Marcellini*, nec in Editione *Antonii Schonhovii*, qui Chronicon istud primus in lucem dedit, habentur.

III. SANCTUS JUSTUS ORGALLITANUS, sive *Urgellensis* in Catalonia Episcopus, qui Concilio Toletano II. interfuit anno 527. obiitque 28. Maii, anno circiter 540. *In Cantica Canticorum* Expositionem mysticam scripsit, cujus meminit S. Isidorus Hispalensis *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Extat Tomo IX. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis. Hoc Opus misit ad Sergam Episcopum, ad quem extat ipsius Epistola edita *Tomo III. Spicilegii.*

IV. ARATOR, Patria Ligur, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, ex Comite Privatorum, & ex Comite Domesticorum; Actus Apostolorum Heroico Carmine edidit, & Vigilio Papæ obtulit. Paulò ante hæc tempora floruit *Nonnus*, Panopoli in Ægypto natus, teste Suida, qui Evangelium S. Joannis Carmine Heroico interpretatus est.

V. SANCTUS

V. SANCTUS CÆSARIUS *Arelatensis Episcopus*, obiit die 27. Augusti, anno 543. cùm annis 44. hanc Ecclesiam rexisset. Ejus extant variæ Homiliæ in Bibliothecis Patrum, & à Baluzio editæ: Sed quædam sunt ejus nomini suppositæ, præsertim ea quâ S. Gregorius Papa, & S. Isidorus Hispalensis laudantur. Regulam etiam scripsit Sanctimonialibus, in gratiam S. Cæsariæ sororis suæ. Cæsarii Arelatensis Vitam scripsit Cyprianus ejus discipulus.

VI. VIGILIUS TAPSENSIS in Byzacena Africæ Provincia Episcopus, floruit imperante Justiniano, circa annum 550. A Theodulpho Aurelianensi Episcopo sub nomine Vigilii Africani laudatus, in *Tractatu de Baptismo*, Libros quinque *contra Nestorianam & Eutychianam* hæresim edidit, *Disputationem cum Sabellio, Photino, & Ario* sub nomine S. Athanasii, & XI. Libros *de Trinitate*, eidem S. Athanasio olim adscriptos. Eidem à Viris Eruditis tribuitur Symbolum, *Quicumque vult salvus esse*.

ARTICULUS VI.

De Victore Capuano, Rustico, Primasio, Junilio Africano, & Liberato.

I. VICTOR CAPUANUS *Episcopus*, anno circiter 545. *de Cyclo Paschali* scripsit adversùs Victorium Aquitanum.

II. RUSTICUS Romanæ Ecclesiæ *Diaconus* sub Justiniano Imperatore & Vigilio Papa vixit, à quo propter schisma exauctoratus est. *Dialogum* scripsit *Adversus Acephalos*.

III. PRIMASIUS, non Uticensis in Proconsulari Provincia, quod nescio unde hauserit Trithemius, sed Adrumetinæ in Byzacena Ecclesiæ Episcopus, ut Oecumenicæ V. Synodi Acta docent, Trium Capitulorum defensor primùm, tum impugnator, quinque libros Expositionum in Apocalypsim scripsit, & librum unum, *Quid faciat Hæreticum*? Hujus nomine circumferuntur *Commentarii breves in Epistolas Pauli*, à nullo Veterum, imò ne à Trithemio quidem memorati: de quibus propterea viri eruditi dubitant, maximè de Explanatione Epistolæ ad Hebræos, quæ Haymoni restituenda sit. Hos Commentarios primus edidit *Joannes Gagneus* anno 1543. Ipsius, Operumque, Cassiodorus meminit *lib. Divinarum Lectionum, cap. 9.*

IV. JUNILIUS Africanus Episcopus Primasio coævus, librum *de Partibus Divinæ Legis* ad ipsum scripsit. Ipsi falsò adscriptus est Commentariolus in tria priora Capita Geneseos, cui fragmenta ex S. Gregorii Moralibus in Job inserta sunt. Venerabili Bedæ à viris eruditis tribuitur.

V. LIBERATUS Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, unus de Africanis Trium Capitulorum Defensoribus, Libellum scripsit de Hæresi Nestoriana & Eutychiana, cui *Breviarii* nomen indidit, post annum 564. Lege Præfationem viri eruditi P. *Garnerii* S.J. Professoris in Liberati Breviarium, quod emendatissimum edidit, ac Notis elegantibus illustravit.

ARTICULUS VII.

De Facundo Hermianensi.

§. I.

I. FACUNDUS HERMIANENSIS in Africa Episcopus, in Provincia Byzacena, floruit post Consulatum Basilii anno X. Duodecim libros scripsit pro defensione Trium Capitulorum, quæ non posse absque injuria fidei, Synodique Chalcedonensis eversione condemnari, falsò persuasum habebat. Horum meminerunt Victor Tunnonensis *in Chronico*, & S. Isidorus Lib. *de Viris Illustribus cap.* 18. Duos Libellos *de duabus Naturis Christi*, ipsi tribuit Cassiodorus, sed existimo duo Libri I. Capita his verbis ipsum significasse: *Facundus venerabilis Episcopus Hæreticorum penetrabili subtilitate destructor, nuper ad Justinianum Principem scribens de duabus naturis Domini Christi duos libellos, cautè nimis luculenterque tractavit. Quos vobis transcriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis Tractatoribus, nec modernis.* (In Psalmum CXXXVIII.) Librum etiam scripsit *adversùs Mocianum* seu *Mutianum Scholasticum*, qui Africanos Antistites, propterea quòd se à Vigilio Papa & ab Ecclesia, Trium Capitulorum causâ, post illius *Judicatum* segregaverant, meritò redarguebat.

II. Epistolam Facundi, quæ inscribitur, *Epistola Fidei Catholica, in defensione Trium Capitulorum*, in lucem primus edidit Domnus Lucas Dacherius vir eruditus, *Tomo III. Spicilegii*. Ex quâ probatur Facundum Schismaticum fuisse, & in Schismate occubuisse. Sic nempe Romanos Pontifices, & alios qui damnationi Trium Capitulorum factæ in V. Synodo assensum præbuerant, sugillat: *Sentiant se ab eâ præcisos, cujus decreta, quantum in ipsis est, convellentes, Hæreticorum se catervis, favendo eorum votis, pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab Acephalis Hæreticis, id est, Semi-Eutychianis, exquisita & illicita Capitulorum damnatio; & Vigilii atque Pelagii Romanorum prævaricatorum, & Primasii Bizaceni præcipui Doctoris Acephalorum, edita contra Ecclesiam Scripta protestantur. Quæ cùm ita sint, quomodo jam & illud eis poterit constare, quod dicunt, Unam se cum damnantibus fidem tenere? Cum nos in uno Domino Jesu Christo Dei & hominis Filio, duarum naturarum proprietatem in unitate personæ confiteamur, quod Catholica semper custodit & docet Ecclesia. Isti autem parendo Acephalis, & in scripto dicentes: Anathematizamus impiam Epistolam Ibæ, quam ad Marim Persam scripsit: cum his qui vindicant eam, & rectam esse dicunt, vel partem ejus; omnem proculdubio anathematizasse probantur Ecclesiam, quæ eam vindicavit, & vindicat, rectamque esse dixit, & dicit.* Asserit etiam eos qui Tria Capitula damnarunt, *violasse pactum initum cum Deo, & fidem perdidisse.* Addit adversatos fuisse Symboli articulo, Inde venturus est judicare vivos & mortuos. *Enimverò*, inquit, *in hoc nunc omnis consistit quæstio, de vivorum, mortuorúmque judicio, quod contra nullam aliquando hæresim, ut illud de æqualitate Patris & Filii contra Arium, vel de omnipotentia Spiritus Sancti in Constantinopolitano contra Macedonium Symbolo est additum, à nulla unquam hæresi, nisi ab hac novissimis temporibus, velut ex compacta omnium Hæreticorum face exorta, violatum est, per damnationem videlicet vivorum, mortuorúmque.* Deinde ait eos *Patrem Diabolum* habere. Postea condemnationem Trium Capitulorum *Sacrilegium* appellat; ac multis interjectis subjicit: *Quæ dementia corda eorum invasit, oculósque eorum fumosa vanitas, velut densarum, palpabiliumque tenebrarum opaca nox obcæcavit, ut non viderent, nec perseveranter tenerent, quod in Symbolo, quando baptizati sunt, acceperunt? Sed pro libitu suo, modò muneribus corrupti, modò honoribus & ambitionibus illecti, modò etiam peregrina, sive potiùs serpentina versutia doctrinâ circumducti, ventóque superbiæ afflati & inflati, contra Deum superbiæ cristas erexerunt, præripiendo judicium ejus, &c.* Criminaturque eos tanquam *Superbiores & excellentiores audacia Diabolo, Antichristo quoque deteriores, neque proinde Christianos esse censendos, immò appellandos Antichristi Ministros, modisque omnibus fugiendos.* Ac tandem: *Quomodo ergo qui Hæreticis communicant, hæresis crimine teneri negabuntur? Aut quâ fronte Catholicæ communicare sibi videntur? &c. Damnate errorem quem induxistis, auferte damnationis malum* quod

Facundus Schismaticus.

quod intulistis, per quod & Hæretici falsi, & Hæreticorum fautores extitistis.

§. II.

Facundi auctoritatem contra Fidem realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia perperam objiciunt Hæretici.

OBjiciunt nostræ ætatis Sacramentarii adversùs realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ fidem, celebrem locum Facundi Hermianiensis *Lib. IX. Cap. ultimo*, ubi exponens modum loquendi quorumdam Veterum, qui Christum adoptionem filiorum suscepisse dixerunt, ait Sacramentum adoptionis adoptionem nuncupari, sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus dicitur Corpus ejus & Sanguis, non quòd propriè panis & vinum consecrata, sint ejus Corpus & Sanguis sed quòd Mysterium Corporis & Sanguinis ejus in se contineant. En ejus verba. *Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum, si antiqui Doctores Ecclesiæ dixisse monstrantur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari deberent hæretici. Nàm Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est; & potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari: sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus: Non quòd propriè Corpus ejus sit panis, & poculum Sanguis: Sed quòd in se Mysterium Corporis ejus, Sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum Panem & Calicem quem Discipulis tradidit, Corpus, & Sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi Fideles Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus accipientes, Corpus & Sanguinem Christi rectè dicuntur accipere: Sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cùm suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse.*

Sed hoc loco abutuntur Heterodoxi. Loquitur enim Facundus de speciebus visibilibus panis & vini, quæ si per se spectentur, non sunt propriè Corpus & Sanguis Christi, sed ejus signa: Illud tamen verè & reipsa continentia. Cùm enim ostendere vellet hic Auctor Sacramenta rei significatæ nomine appellari, ut probaret Sacramentum adoptionis potuisse à Veteribus vocari adoptionem, exemplum ab Eucharistia petiit, in quâ species visibiles, sive externum objectum, quod immediatè sensus afficit, cum Corpore & Sanguine Christi, quod perceptionis mediatum duntaxat objectum est, quia mediis speciebus recipitur, comparatum, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi est, non propriè Corpus & Sanguis Christi: Et nihilominus Corpus & Sanguis ejus vocatur. Sic loquuntur Auctores omnes, qui post Berengarii damnatum errorem & contra illum scripserunt. Unum profero S. Anselmi locum in *Tractatu de Sacramento Altaris*, Cap. 1. *Similitudo illa panis*, inquit, *quæ in altari carnis se oculis ingerit, per se inspecta non est corpus Domini*. Ideò autem Facundus hunc sensum cæteris Patribus minùs solemnem, qui Corpus ipsum & Sanguinem Christi à Fidelibus in Eucharistia recipi, & Eucharistiam esse verum Christi Corpus & Sanguinem disertè asserunt, potiùs arripuit loco laudatô, quam alterum, quem & ipse proculdubio admittebat, quia ejus instituto erat accommodatior, conducebàtque ad demonstrandum quod propugnabat, scilicet Sacramentum rei significatæ nomine interdum appellari, adeóque mirum non esse quòd Sacramentum adoptionis quidam è Veteribus adoptionem vocaverint. Quòd autem Facundus à vulgari loquendi modo, & à solemni vocum sensu recedat, in iis exemplis, quibus propositionem confirmat suam, sequens, quod ex nostra in Histor. Eccl. Sæc. V Dei filios adoptione petit, ostendet evidentiùs. *Alioquin*, inquit, *neque de nobis dicendum est, quoniam adoptionem suscepimus filiorum, aut quia redempti sumus, atque salvati, quoniam Apostolus dicit, Nos ipsi primitias Spiritûs habemus, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus: Spes autem quæ videtur, non est spes. Sicut ergo, quamvis secundùm Apostolum, adhuc expectemus adoptionem, & redemptionem, & salutem; tamen quia jam Sacramentum adoptionis, & redemptionis, & salutis accepimus, & filii Dei, & redempti, & salvati rectè vocamur: Ita Christus quoque Sacramentum adoptionis non ad utilitatem suam, sed ad ipsius Sacramenti confirmationem, in Circumcisione & baptismo suscipiens, potuit ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus rectè dici, quòd adoptionem susceperit filiorum.* His innuere verbis videtur Facundus, nos adoptionem filiorum non magis suscepisse quàm Christum; adeoque nos reipsa filios Dei adoptivos non esse, sicut Christus non est filius Dei adoptivus, sed solùm filios Dei adoptivos esse, quia futuræ adoptionis & redemptionis suscepimus Sacramentum. Incredibile tamen est, quòd errorem evidentissimis Scripturæ Sacræ testimoniis convictum Facundus propugnaverit; ignoraveritque quod ait Apostolus, ad Romanos 8. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quò clamamus, Abba, (Pater.) Ipse enim Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes.* Et, *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Et ad Hebræos 12. *Tanquam filiis vobis offert se Deus.* Et 1. Joannis 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus. Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* Dicendum ergo, quod res est, duplici sensu nos adoptivos Dei filios appellari, primò vulgari & ordinariò, quia scilicet adoptionem illam divinam reipsa consequimur in hac vitâ per Justitiam fidei, & per Charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis: Aliô verò sensu minùs vulgari, & penè insolitô, quia adoptionis perfectæ & redemptionis consummatæ, quam in Cœlis futuram expectamus, Sacramentum suscipimus. Hunc tamen sensum minùs obvium, alterô neglectô, Facundus spectavit in eoque institit, quia ipsi magis accommodatus visus est, ad id quod probandum sibi sumpserat, demonstrandum. Ita cùm duplici sensu dici possit, nos Corpus & Sanguinem Christi suscipere; primò quia eorum substantia in os nostrum infunditur, & trajicitur in stomachum; secundò, quia objectum externum recipimus, quod Corporis & Sanguinis Christi figura est, ideòque Corpus & Sanguis Christi vocatur: Facundus secundum hunc sensum, licet apud Patres minùs frequentem & solemni more loquendi Ecclesiæ minùs receptum secutus est, quia ipsius serviebat instituto. Sed sicut in Facundum iniquus esset, qui colligeret ipsum negasse nos in hâc vitâ esse revera filios Dei, aut Charitatem & Justitiam per Spiritum Sanctum qui nobis datur suscipere, in quibus ea adoptio posita est, quia selegit alterum sensum quô filiorum adoptio potest intelligi: Ita iniquus in ipsum esset, qui colligeret ipsum negasse, quòd ipsam Corporis & Sanguinis Christi substantiam intra nos recipiamus, quia uni tantùm sensuum adhæsit, quibus hæc verba, *Suscipere Corpus Christi*, intelligi & usurpari possunt.

Aliô modô Viri quidam Eruditi Facundum explicant, quòd nempe dixerit, Sacramentum Corporis Christi non esse propriè Corpus ejus ad mentem Eutychianorum, quamvis censeret illud esse propriè Corpus Christi secundùm fidem Ecclesiæ Catholicæ. Scilicet Facundus non Catholicos tan-

tùm Tria Capitula damnantes impugnabat, sed maximè Eutychianos, qui Synodum Chalcedonensem occasione Trium Capitulorum impugnabant, ut constat ex Cap. 2. Libri 1. In eô autem posita erat hæc hæresis, quòd ante Incarnationem Christum fuisse ex duabus naturis, post Incarnationem verò ex duabus unam factam assererent, conversione humanæ in divinam. Quô ex errore consequens erat, in Christo post adunationem non fuisse veram carnem, sed apparentem duntaxat. Sensum itaque Facundi hunc esse volunt: Potuit Sacramentum adoptionis à Theodoro Mopsuesteno nuncupari adoptio, sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi Corpus ejus & Sanguinem dicimus: Non quòd propriè, secundùm vos, ô Eutychiani, Corpus ejus sit panis: (nam, secundùm vos, post adunationem quædam tantùm naturæ nostræ imago, non veritas in Christo fuit, quædam corporis species, non ipsum Corpus:). Sed quòd ejus Corpus & Sanguinem contineat. Ut ut est, Ecclesiæ Catholicæ fides circa Eucharistiam, potiùs est ex cæterorum Patrum clarissimis testimoniis æstimanda, qui Eucharistiam esse proprium & verum Corpus Christi frequenter & summo consensu asseruerunt, quam ex uno Facundi loco. Ut enim ait ipse Facundus Libro 9. *Quemadmodum calumniantium Hæreticorum est ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt malè interpretari; ita solitum prudentiæ ac veritatis Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus ambigua & latentia declarare.*

Denique cùm Schismaticus fuerit Facundus, & in schismate scripserit, atque obierit, nulla est ipsius in Ecclesia auctoritas: Et de ipso dici potest, quod de Tertulliano dixit S. Hilarius: *Consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.* Et quod de eodem S. Hieronymus: *Hominem Ecclesiæ non fuisse.* Nam ubi de fidei dirimendis controversiis agitur, *Eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica sanctè, sapienter, & constanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum est, ut quicquid vel omnes, vel plures, unô eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratóque habeatur, &c.* (inquit Vincentius Lirinensis.)

Cap. 5. in Matth.

ARTICULUS VIII.

De Victore Tonnonensi, Areta, Zacharia Mytilenensi, & Agapeto.

I. VICTOR TONNONENSIS, vel, ut alii scribunt, *Tunonensis*, ob pertinacissimam Trium Capitulorum defensionem, Justiniani Imperatoris mandatô deportatus in exilium, *Chronicon ab initio Mundi usque ad primum Justini Junioris annum*, scripsit, cujus meminerunt S. Isidorus Hispalensis Lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 25. Ado Viennensis initiô sui Chronici, Honorius Augustodunensis *Lib. 3. de Luminaribus Ecclesiæ, cap.* 29. Extat tantùm Victoris Tonnonensis *Chronicon* ab anno 444. ad annum 565.

II. ARETAS *Cæsareæ in Cappadocia Episcopus*, floruit circa annum 540. (ut quibusdam placet.) Scripsit *Explanationem in Apocalypsim*, ex Commentariis *Andreæ* ejusdem Ecclesiæ Episcopi concinnatam.

III. ZACHARIAS *Mytilenensis Episcopus*, tempore Justiniani Imperatoris floruit. Scripsit *Disputationem contra ea quæ de duobus principiis à Manichæo quodam scripta & projecta in viam publicam reper
erat: Et Dialogum de universitatis procreatione contra mundi & materiæ æternitatem* à Philosophis constitutam.

IV. AGAPETUS *Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus* ad Justinianum Imperatorem habuit *Orationem Pareneticam*, qua ipsum admonuit *Quomodo in administrando Imperio gerere se deberet.* Monita seu Regulas LXXII. continet, Principem Christianum ad vitam & regimen sanctissimum instituentes. Extat Tomo IX. Bibliothecæ Patrum Lugdunensis Editionis.

ARTICULUS IX.

De Cassiodoro.

I. CASSIODORUS *Senator*, clarissimis Parentibus, *Scyllacii*, quæ urbs *Bruttiorum* tum erat primaria, natus est, anno Domini 469. aut 470. sub *Odoacre* Rege *Erulorum*, qui tunc Italiæ dominabatur. Comitivæ Rerum Privatarum dignitate auctus, deinde Sacrarum Largitionum Comes institutus est. A Theodorico Rege *Brutiis* & *Lucanis* Præfectus, Quæstor, Magister Officiorum, Præfectus Prætorio, Consul creatus est. Sub Athalarico iterum Quæsturam, & Præfecturam Prætorii gessit integerrimè. Sub Theodahato eadem dignitate tertiò ornatus est: Quam & sub Vitige Theodahati successore quartò consecutus, & Quæsturæ insuper munere functus est. Dignitates amplissimas sanctissimè administravit, magnoque Ecclesiæ & Reipublicæ bono. Anno ætatis 69. vel 70. fluxas opes, & dignitates despiciens, Religiosam Vitam amplexus est, conditô, fundatóque *Vivariensi* Monasterio prope *Scyllacium*, cujus Abbas fuit. Vixit ad annum 575. obiisseque creditur propè centenarius. Ipsi Alcuinus *lib. 5. contra Felicem Urgelitanum*, Sancti appellationem tribuit: Et nomen ipsius *Vuisfordi* Martyrologio, necnon Menologio Benedictino adscriptum est. Quam Regulam professus fuerit Cassiodorus Monasticam vitam amplexus, lis est apud Eruditos. Ordinis Benedictini causam, qui sibi Magnum Senatorem vindicat, luculentâ Dissertatione propugnavit Pater *Garetius*, alumnus Congregationis S. Mauri, quam Vitæ Cassiodori subjunxit.

Legi Theodorici Regis Epistolam, quæ laudes Cassiodori commemorat apud ipsum Cassiodorum *Lib. 1. Variarum Epist.* 4. & Epistolas Athalarici 24. & 3. *Lib.* 9.

Cassiodorus Benedictinus

Doctrinæ laude clarissimus Cassiodorus, hæc ingenii & eruditionis suæ monumenta transmisit ad posteros: Libros XII. Epistolarum, quos titulo *Variarum* inscripsit, propter diversa quæ in eis continentur, rerum argumenta. Quinque prioribus libris Literas & Edicta complexus est, quæ sub Theodorico; octavo, nono, & decimo, ea quæ sub Athalarico, Theodahato, & Vitige, Regum illorum nomine & mandato, scripsit. Sextus & septimus, dignitatum continent Formulas, quæ sub Gothorum Imperio vigebant. Undecimus denique & duodecimus, collectas habent Epistolas, & Decreta, quæ ipse, cùm Prætorio præesset, ad plures destinavit.

Cassiodori Opera.

II. *Chronicon* scripsit Regis Theodorici jussu, à prima mortalium origine, ad Consulatum *Justini* Imperatoris, & *Eutarici Cilicæ*, id est ad annum Æræ Christianæ 519. in quo nonnulli sunt Parachronismi, non Cassiodoro, sed Librariorum oscitantiæ imputandi.

III. *Gothorum Historiam* in Libros duodecim distributam, sub Theodorico Rege edidit, ut in priori Præfatione *Variarum* ipse monet. Excidit istud Opus, sed illius Epitomen à *Jornande*, sive *Jordano* Ravennæ Præsule scriptam habemus.

IV. *Librum de Anima* scripsit postulantibus amicis, qui Auctoris sui pietatem spirat, & inter maximas Reipublicæ curas defixum penitus illius in rebus divinis animum testatur. In extremo capite nævos est. Opinatur scilicet Justorum animas Dei visione non frui ante ultimum Judicium.

V. *Commentarium*

V. *Commentarium in Psalmos* edidit, in quo Sanctorum Patrum, ac præcipuè S. Augustini sententias suis verbis passim expressit. Donatas ab Epiphanio Scholastico linguâ Latinâ, Græcas Socratis, Sozomeni, ac Theodoreti Historias in unum Opus, veluti continuatam Historiæ seriem in Libros XII. divisam collegit, in gratiam Vivariensium suorum Monachorum. Libros *de Institutione Divinarum Literarum*, & de Literis humanioribus, scilicet Grammatica, Rhetorica, Dialecticâ, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, edidit, ut eosdem Monachos ad Sacrarum Literarum studia manuduceret, eosque sic ad omne genus eruditionis informaret, ut Ecclesiæ suis studiis prodesse possent. His addendi sunt *Commentarii in Donatum*, *Liber de Ortographia*, Liber *De Schematibus & Tropis* ex Sacerdote collectus. Exciderunt Libri *De Divisionibus*, *De Titulis*, *Memoriale Sacrarum Scripturarum*, *Breves Commentarii in Epistolas Apostolorum*, *eorum Acta*, *& Sancti Joannis Apocalypsim*, Tractatus *De Etymologiis*. In Libro *De Institutione Divinarum Literarum*, in id potissimùm incumbit, ut doceat qui Interpretes legendi sint in singulos Scripturæ Sacræ Libros. Ostendit Liberalium Artium utilitatem ad Sacræ Scripturæ intelligentiam consequendam. Librum *De Computo Paschali*, postremum edidit, ad Indictionem, Epactas, & ea omnia quæ Paschalis computi rationem spectant, faciliùs indicanda perutilem.

Commentarius in Cantica, non est Cassiodori.

VI. Non est Cassiodori *Commentarius in Cantica Canticorum*, nam à Cassiodori stylo & scribendi charactere plurimùm abhorret. 2. Ejus non meminit Cassiodorus ipse in Præfatione Libri *de Ortographia*: Ubi libros omnes recenset, quos Monachus ediderat. 3. Sacræ Scripturæ Textum non profert Commentarii hujus Auctor juxta Versionem LXX. Interpretum, quam sequi solet Cassiodorus. 4. Citat S. Gregorium Magnum in Homiliis super Evangelia, quas non scripsit aut dictavit ante Pontificatum, quem auspicatus est anno Christi 592. quô jam septemdecim ad minùs anni à Morte Cassiodori effluxerant. Hic nempe annô 575. obierat. Lege Dom. *Joannis Garetii* Ascetæ Benedictini Congregationis Sancti Mauri Præfationem in Cassiodorum, cujus Opera omnia in duos Tomos distributa edidit emendatissimè ex antiquis & probatæ Fidei MSS.

ARTICULUS X.

De Martino Dumiensi, Joanne Climaco, Dorotheo, Leontio Byzantino.

I. MARTINUS gente *Pannonius*, *Dumiensis* in Gallæcia Cœnobii Abbas, deinde Bracarensis Episcopus, sub Theodomiro Suevorum in illis Hispaniæ partibus Rege floruit. Præfuit Concilio Toletano II. anno Christi 572. Collectionem Canonum Orientalium ex Græcis Synodis edidit. Ipsi etiam adscribitur liber inscriptus, *Formula honestæ vitæ*, sive, *De Differentiis quatuor Virtutum Cardinalium*. Ejus honorificè meminit Concilium Toletanum X. Obiit anno 580. Childeberti Regis Francorum 5. ut testatur Gregorius Turonensis coævus Scriptor *lib. 5. Historiæ Francorum. cap. 37.* Defunctum ob eximiam sanctitatem Gallæcia & Lusitaniæ pars in Divorum numero habent, ad 13. Kalendas Aprilis dicatô Festô.

II. S. JOANNES CLIMACUS, Abbas in Monte Sina, floruit circa annum 580. Librum egregium scripsit de Gradibus triginta, quibus ad Perfectionis Religiosæ culmen ascenditur, quem inscripsit *Scalam Paradisi*: Quo ab Opere *Climaci* nomen obtinuit. Hunc Joannes Abbas *Raithu* Commentariis illustravit. Scripsit etiam *Librum ad Pastorem*.

III. DOROTHEUS *Abbas* floruit cadente sæculo VI. Extant in Bibliothecis Patrum Sermones seu Doctrinæ XXIV. *De vita rectè & piè instituendâ* ab ipso editæ.

IV. LEONTIUS BYZANTINUS, ex Advocato, Monachus in Laura S. Sabæ prope Hyerosolyma, floruit extremis Justini Junioris & Tiberii Imperatorum temporibus. Scripsit librum *De Sectis Hæreticorum, ac Synodo Chalcedonensi*, in X. Actiones distinctum: tres libros *Adversus Eutychianos & Nestorianos*; duos *Adversus fraudes Apollinaristarum*: item *Solutiones argumentorum Severi*, &c.

ARTICULUS XI.

De Venantio Fortunato.

VENANTIUS FORTUNATUS, Duplavenis vico, sive Castello, prope Cenetam & Tarvisium in Italia oriundus, Ravennæ liberalium Artium studiis institutus, S. Martini Turonensis Episcopi virtute, ab oculorum, quos oleô lampadis ad imaginem ejus ardentis inunxerat, dolore liberatus, in Gallias venit Deo gratias acturus ad ejus sepulchrum. Inde ad Pictavos profectus, primò Presbyter, deinde ejusdem Urbis Episcopus creatus est. Vixit ad annum usque circiter DC. Scripsit *Poëmatum* libros XI. quos S. Gregorio Turonensi dicavit. *De Vita Sancti Martini* libros IV. *Vitam Sancti Hilarii Pictavensis Episcopi*, &c. Ejus cum laude meminerunt S. Gregorius Turonensis *Lib. 5. Historiæ Francorum*, Paulus Diaconus *Lib. 11. Historiæ Longobardorum*, Hilduinus Abbas *in Epistola ad Ludovicum Pium*, Hincmarus *in Præfatione ad Vitam S. Remigii*, Aimoinus Monachus *Lib. 3. Historiæ Francorum cap. 13.* Flodoardus *Lib. 11. Historiæ Ecclesiæ Remensis, cap. 11.* Trithemius, &c. Legi potest ejus Vita à P. Bruuverii S. J. Presbytero scripta, & illius Operibus præfixa.

ARTICULUS XII.

De S. Gregorio Turonensi.

I. SANCTUS GREGORIUS TURONENSIS *Episcopus*, patriâ Arvernus, Florentio Sancti Galli Arvernorum Episcopi fratre genitus, à S. Gallo patruo suo educatus, anno 573. Turonensis Episcopus factus est. Cum Agilane Ariano, & cum Chilperico Rege in Sabellianismum lapso, anno 580. cum Oppila etiam Ariano, anno 584 disputavit. Obiit anno Christi 593. 15. Kalendas Decembris, cùm per annos duos ac viginti cum duobus mensibus, diebusque viginti quinque Ecclesiam suam rexisset. Ob multas virtutes, maximè ob humilitatem commendatur: Infirmos sanitati sæpe restituit, sed ne miraculorum patrator existimaretur, quocumque ibat, gestabat reliquias S. Martini, aliorumque Sanctorum, quibus virtutem curationum acceptam referebat. Colitur in Tabulis Ecclesiasticis 15. Kalendas Decembris. Inscribitur etiam Martyrologio Benedictino: Eumque Ordinis Benedictini Monachum fuisse scribit Trithemius *Lib. de Viris Illustribus Ordinis Benedictini*.

II. Scripsit decem libros *Historiarum*, septem *Miraculorum*, unum *de Vitis Patrum*, unum in *Tractatum Psalterii*, unum *De Cursibus Ecclesiasticis*, ut ipse testatur in Historiæ suæ & omnium Operum Epilogo. Duo postremi perierunt, extant cæteri. Historiam ab initio Mundi ad conditam usque Francorum Monarchiam brevissimè; deinde copiosè ad annum Childeberti Regis decimum-sextum, Gunthramni trigesimum, seu Christi quingentesimum nonagesimum primum perduxit. Per

septem Libros *Miraculorum* intellige duos *de Gloria Martyrum*, quatuor, *de Miraculis S. Martini*, & unum *de Gloria Confessorum*, quos ipsemet Gregorius nominavit in Præfatione quam Libro *de Gloria Confessorum* præfixit. Vir Eruditus *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, ad annum 47. & ad annum 595. interpolationes innumeras in Historia Gregorii Turonensis esse contendit, & folia sex prioribus libris inserta esse quinquaginta novem capita, quæ in Codicibus MSS. probatæ fidei, Corbeiensi maximè, & Regio, non reperiuntur, & quæ reliquit intacta Fredegarius in sua Epitome. Habentur autem in Editione Duchesniana: & in prima Gregorii Turonensis Editione, quam curavit *Guillelmus Parvi* Ordinis FF. Prædicatorum, Conventûs Rotomagensis alumnus, Regibus Christianissimis Ludovico Duodecimo & Francisco Primo à Confessionibus, primus in executionem Concordatorum à Rege nominatus Episcopus, Trecensis primùm, deinde Sylvanectensis. Quin autem ex MSS. probæ notæ qualia nancisci potuit vir doctus Gregorium Turonensem ediderit, non dubito: Nec aliis adeo tribuendum existimo Codicibus, in quibus ut desunt quatuor libri, ita sex alios, quos complectuntur, pluribus Capitibus mutilos esse mirum non est. Qui circumfertur in quibusdam Editionibus Operum Gregorii Turonensis liber *De Septem Dormientibus* in Majori Monasterio * prope Turonos quiescentibus, non est genuinus ipsius fœtus, cùm illius non meminerit in Epilogo Historiæ suæ, ubi omnes lucubrationes suas recenset.

Gregorii Turonensis Historia integra.

* Marmoutier.

Minùs Latinè quandoque loquitur hic Auctor: qui & suam ipse in dicendo tenuitatem ac rusticitatem exponit in Præfatione Libri de Gloria Confessorum. *Timeo*, inquit, *ne cùm scribere cœpero, quia sum sine literis Rhetoricis, & arte Grammatica, dicat mihi aliquis: Auso rustico & idiota, ut quid nomen tuum inter Scriptores indi æstimas? Aut opus hoc à peritis accipi putas, cui ingenium artis non suppeditat, nec ulla literarum scientia subministrat? Qui nullum argumentum utile in literis habes, qui nomina discernere nescis, sæpius pro masculinis fœminea, pro fœmineis neutra, & pro neutris masculina commutas. Qui ipsas quoque præpositiones, quas nobilium Dictatorum observari sanxit auctoritas, loco debitò plerùmque non locas. Nam pro ablativis accusativa, & rursum accusativis ablativa præponis. Putasne videbitur ut bos piger palæstra ludum exerceat? Aut asinus segnis inter sphæristarum ordinem celeri volatu discurrat?* &c. *Sed tamen respondebo illis, & dicam. Quia Opus vestrum facio, & per meam rusticitatem vestram prudentiam exercebo. Nam, ut opinor, unum beneficium vobis hæc Scripta præbebunt, scilicet ut quod nos occultè & breviter stylo nigrante describimus, vos potentis lucidè ac splendide stante versu in paginis prolixioribus dilatare.*

Gregorii Turonensis stylus.

ARTICULUS XIII.

De Anastasiis Sinaitis.

§. I.

1. SANCTUS ANASTASIUS, SINAITA dictus, quòd Vitam Monasticam in Monte Sinaï excoluisset, Antiochenus Patriarcha creatus est anno circiter quingentesimo sexagesimo primo, extremis Justiniani Imperatoris temporibus, cui absurdum & hæreticum dogma de Christi Domini Corpore incorruptibili ante Resurrectionem propugnanti, & Edicto roboranti, constanter obstitit, missâ ad ipsum Relatione quâ errorem subruebat. Quâ de re scripsit etiam ad Monachos Primæ ac Secundæ Syriæ, qui ipsum consuluerant, cunctorum animos confirmans, & ad subeundum certamen præparans. & in quotidie io Ecclesia palam inculcans verba illa Apostoli: *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, Anathema sit.* Scripsit *Orationem ad Antiochenos*, quâ illis vale dicebat, cùm accepisset Justinianum velle ipsum in exilium mittere. Tunc tamen non exulavit, quia Justinianus divinô judicio sublatus est, cùm in illum aliósque Sacerdotes deportationis Sententiam dictaret. Postmodùm verò sub Justino Juniore calumniis oppressus, ab ipso in exilium actus est, & Sede deturbatus, quam, defuncto Gregorio, qui eam interim occupaverat, post tres & viginti demum annos recuperavit, Mauritio Imperante, anno scilicet quingentesimo nonagesimo quinto, & usque ad annum quingentesimum nonagesimum nonum, quô abiit ad Superos, die vicesima prima Aprilis, Antiochenam rexit Ecclesiam. De ipso legendus Evagrius, *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 40. lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. ultimo.* Ipsi tribuuntur variæ Orationes, quarum nonnullas vertit Combefisius noster in Auctario Bibliothecæ Patrum: ὁδηγὸς, seu *Via Dux adversùs Acephalos*; *Anagogicarum Contemplationum in Hexaëmeron libri undecim*; *Compendiaria fidei institutio.* ὁδηγὸς seu *Via Dux*, quanquàm ipsi à Nicephoro Callisto, *lib. decimo octavo Historiæ Ecclesiasticæ cap. 44.* tribuatur, posterioris tamen videtur Anastasii. Nam in Codice MS. Bibliothecæ Regiæ citatur Anastasius Episcopus Antiochenus in *Epistola ad Sergium Grammaticum.* Meminit præterea Eulogii Episcopi Alexandrini tanquàm dudum defuncti (*cap. decimo*) Obiisse autem Eulogium anno sexcentesimo-octavo, Annales Ecclesiastici tradunt. Nec etiam Anastasii Martyris, antiquioris Anastasii Sinaïtæ in Sede Antiochena Successoris fœtus est liber ille. Hic enim interfectus est anno sexcentesimo-octavo, vicesima prima Decembris. Meminisse igitur non potuit Eulogii Alexandrini quasi dudum defuncti, qui eodem anno obierat, die decima-tertia Septembris. Accedit, quòd Auctor *Ducis via* se *Monachum* tantùm inscribat. Anastasius autem Antiochenus prioris Successor, jam per octennium Episcopatu fungebatur, cùm Eulogius Alexandrinus obiit. Ad annum circiter sexcentesimum tricesimum quintum illius Operis Auctorem, qui se *Anastasium Monachum Sancti Montis Sina* inscribit, floruisse, & hunc Tractatum edidisse, conjiciunt Viri Eruditi. Narratum enim sibi testatur à Catholicis Alexandrinis, post tempora Beati Eulogii Alexandrini Patriarchæ fuisse Alexandriæ Præfectum quemdam Augustalem, Severianorum fautorem, qui quatuordecim Librarios haberet, quibus id negotii dabat ut Patrum Libros depravarent. Refert etiam, cùm ibidem versaretur, & agitaretur quæstio de verbis quibusdam S. Cyrilli sic adulteratis, Isidorum quemdam Bibliothecæ Patriarchalis Præfectum, ac verè Orthodoxum, Cyrilli Codicem sincerum protulisse. Quod argumento est, Orthodoxum adhuc Patriarcham Alexandriæ sedisse. Haud enim verisimile est Patriarcham Theodosianum & Eutychianum Bibliothecæ suæ Virum Catholicum præficere voluisse. Quamobrem paulò ante annum sexcentesimum tricesimum, sub Georgio ultimo hujus sæculi Orthodoxo Alexandriæ Patriarcha contigisse necesse est. At se paulò post scripsisse testatur Anastasius Auctor *Ducis viæ.* Scripsit autem cùm adhuc essent Alexandriæ *Præfecti Augustales.* Itaque scripsit ante annum sexcentesimum tricesimum nonum, quô Saraceni Ægyptum oppugnarunt & occuparunt; vel certè ante annum sexcentesimum quadragesimum primum, quo Alexandriâ sunt potiti, Præfectis Augustalibus inde in perpetuum expulsis. In Actis Septimæ Synodi, post *Ephræmium* Patriarcham Antiochenum,

chœum, inter SS. Patres laudatus est Anastasius Antiochenus. *Pastoralem* Sancti Gregorii *Librum* in Græcam linguam transtulisse priorem Anastasium Antiochenum Episcopum, Sanctus ipse Pontifex testatur *Epistola XXII. Lib. X.* Ipsi non videtur tribuenda Expositio in Psalmum sextum, in qua Mauritii Imperatoris tempora velut retroacta memorantur. Est potiùs Anastasii Martyris, istius in Antiochena Sede Successoris.

II. *Quæstiones & Responsiones de variis argumentis, in Scripturam Sacram*, numero centum quinquaginta-quatuor, non sunt prioris Anastasii Sinaïtæ genuinum Opus: cum in illis Auctorum longè posteriorum testimonia proferantur. Citantur nimirùm in illis Canones Synodi Quini-sextæ, sive Trullanæ, Sanctus Maximus Martyr, S. Joannes Climacus, Joannes Moschus, Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, qui anno octingentesimo vicesimo-octavo defunctus est, & Olympiodorus, qui post annum nongentesimum floruit. Et in Quæstione centesima decima-septima, anni septingenti numerantur ex quo Sancta Palæstinæ loca in potestate Christianorum fuerunt.

§. II.

De Sententia Anastasii Monachi Sinaïtæ circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistia.

ANastasius Sinaita Monachus, qui ὁδηγὸν, seu *Via Ducem*, edidit, realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam credidit cum totâ sui sæculi Ecclesia, quamvis, errore sibi proprio, in explicandis hujus Mysterii circumstantiis lapsus, opinatus sit Corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile, & affectiones quæ conveniunt accidentibus, scilicet frangi, dividi, dentibus conteri, stomacho digeri, alterari, corrumpi, Corpori Domini convenire.

Anastasius Sinaita realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia credidit & docuit.

Hæc Ecclesiæ totius illo sæculo fides.

Id probatur ex Capite XIII. *Impius igitur est Timotheus, cum ait: Natura Christi post Incarnationem est sola divinitas, si enim Christus est sola divinitas, divinitas verò sub visum & tactum non cadit, neque sacrificari potest, membrorum simul & cutis expers; liquidò conficitur, Timotheum Judæorum instar inficiari Sacrificium & Communionem sacratissimorum Mysteriorum Corporis & Sanguinis Christi, visibile, creatum, & terrestre esse, quod offerens tradit his verbis populo*: Corpus & Sanguis Domini & Dei & Salvatoris Jesu Christi. *Si enim solam divinitatem naturam Christi esse asseris, teneri autem, & frangi, & dividi, & in partes distribui & effundi, & exhauriri, & transmutari, & dentibus conteri, à divinitate prorsùs abhorret, in alterutram foveam Timotheus incidat oportet; aut divinitatem passibilem & mutabilem statuat; aut neget Corpus & Sanguinem Christi, quia offert & manducat in Mystica Mensa, traditque his verbis populo*: Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi. *Debebat enim potius sumentem ita alloqui: Sola Divinitas Domini nostri Jesu Christi.* Hæc Anastasius. Porrò qui probat Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia, non esse divinitatem Christi, sed aliam naturam, quia divinitas frangi & dentibus conteri non posset, censet Corpus & Sanguinem Christi revera esse in Eucharistia præsentia; non enim ita loqueretur, qui Eucharistiam meram esse Corporis & Sanguinis Christi figuram crederet, sive vacuam, sive eorum virtute plenam (ut Calvinistæ comminiscuntur.) Licèt enim Divinitati repugnet, teneri, dividi, comedi; non tamen figuris Divinitatis eæ repugnant affectiones. Illas tamen Corpus ipsum Christi prout in Eucharistia præsens recipere opinatus est: Alioqui nulla ejus fuisset contra Gaianitas ratiocinatio. Idem constat ex Capite decimo-tertio, ubi sic Eutychianos alloquitur: *Dicant nobis illi qui Christi carnem inaspectabilis Divinitatis pelagio commixtam & assimilatam contendunt; unde adversariis divinitatem Christi persuadere velim, nisi solâ fide, curiosè inquirere non consuetâ? At verò naturam, quâ Corpus constat, non modò novimus fide, sed ipsâ experientiâ rerum quas vidimus & contrectavimus; illudque Corpus quotidie in naturâ sua & veritate communicantes manducamus.* Luculentiùs asseri non potest realis præsentia Corporis Christi in Eucharistia. Manducari namque *in naturâ suâ & veritate*, non est in figurâ duntaxat sive vacua, sive plenâ efficaciæ & virtutis manducari. Et *solâ Fide* nosceretur, non experientiâ, nisi revera præsens esset. Verùm Anastasium Sinaïtam existimasse has affectiones, tactum scilicet, divisionem, manducationem, ipsi Corpori Christi convenire, & ad ipsum quoque immediatè terminari, patet ex ratiocinio quo urget Gaianitas, sicut supra, absurdissimum esse asserere, *Corpus quod sub aspectum cadit, quod certo spatio comprehenditur, quod augmentum capit, quod fasciis involvitur, circumciditur, tangitur, ligatur, colaphis cæditur, occiditur, transfigitur, portatur, & sepelitur; quod immolatur, frangitur, dividitur, manducatur, conteritur, distribuitur, & participatur, non esse naturam seu veritatem.*

Error Anastasii, eique proprius.

Tertiò idem probatur adhuc luculentiùs ex cap. vicesimo-tertio, quô disputatio Gaianitæ & Orthodoxi continetur. Sic enim Orthodoxus: *Sed, dic mihi, obsecro, si ut divinitas, ita & Corpus Christi & ab ipso unionis exordio immortalitatem habet, num Communio sacratissimi Corporis & Sanguinis Christi, quam offers & participas verè est verum Corpus & Sanguis Christi Filii Dei, vel nudus Panis, qualis ostiatim venditur; vel vicem duntaxat & figuram gerit Corporis Christi, ut Sacrificium hirci, quod Judæi offerunt?* Respondet Gaianita: *Absit, ut dicamus, Sacram Communionem esse tantùm figuram Corporis Christi, aut nudum Panem: Sed ipsum Corpus & Sanguinem Christi Filii Dei Incarnati, & ex Sanctissima Deipara & semper Virgine Maria nati, verè accipimus.* Orthodoxus: *Sic credimus, & sic confitemur, juxta dictum Christi ad Discipulos in Cœna mystica dantis illis vivificum Panem*: Accipite, comedite; Hoc est Corpus meum. *Similiter & Calicem dedit illis dicens*: Hic est Sanguis meus. *Non dixit: Hoc est figura, seu quid vices gerens corporis & sanguinis mei. Et pluribus aliis locis ait Christus*: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. *Cùm igitur ipse Christus fateatur, verè esse Corpus suum & Sanguinem, quem nos Fideles sumimus: Agedum affer nobis aliquid ex communione vestra Ecclesia, tanquam supra omnes alias Ecclesias Orthodoxa, & in vase cum omni honore & reverentia reponemus hoc Sanctorum Corpus Christi & Sanguinem. Et si intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet vos rectè asserere Corpus Christi penitus ab ipso Incarnationis exordio corruptionis expers esse. Si verò corrumpatur aut immutetur, necessarium erit ut unum è duobus fateamini; aut id quod sumitis, non esse verum Corpus Christi, sed solam figuram, & quasi vicarium quiddam: Aut propter perversam fidem vestram, Spiritum Sanctum in illud non descendisse: Aut Corpus Christi, ante Resurrectionem, corruptioni subjectum esse; utpote immolatum, morti traditum, vulneratum; divisum, & manducatum. Nam immortalis natura neque scinditur, neque latere & manibus vulneratur, neque in partes dividitur, nec morti datur, neque manducatur, neque tueri potest, neque tangi, ut patet exemplo incorruptibilium naturarum, Angeli, & Animæ* Anastasius in Tractatu dogmatico, stylo simplici miniméque ornato suam de Eucharistia fidem

 exponens,

exponens, ait, *Verè esse Corpus & Sanguinem Christi, quem nos Fideles sumimus: Non solùm figuram.* Idque non semel, sed iterum & tertio asserit, interrogando & respondendo, ex sua, & adversariorum suorum sententiâ. Igitur communis erat tum Catholicorum, cùm Eutychianorum fides; Christi Corpus verè, & secundùm substantiam in Eucharistia præsens esse. Perperam itaque Albertinus & alii Calvinistæ, Anastasium Sinaitam, & sexti vel septimi sæculi Ecclesiam credidisse propugnant, Eucharistiam esse meram figuram Corporis Christi, virtutis ejus & efficaciæ plenam. Opinatus est tamen Anastasius Sinaita, non accidentia tantùm, sed Corpus Christi verum dividi, conteri dentibus, corrumpi, quatenus in Eucharistia est, ut ejus contra Gaianitas ratiocinatio palam facit, nullam alioqui vim habitura. Sed proprius hic illius error fuit, & privata opiniuncula, circa circunstantiam quamdam Mysterii, non circa substantiam ipsius. De his lege Epistolam doctissimi Archipræsulis *Petri de Marca* ad Domnum Lucam Dacherium O. B. Congregationis S. Mauri virum doctissimum: & librum septimum Tomi primi de Perpetua Fide Catholicæ Ecclesiæ circa Eucharistiam cap. secundo, ubi Vir Eruditissimus Anastasii Sinaitæ mentem egregiè explicat.

Mens ejusdem Patris adhuc elucescit ex Oratione *de Sacra Synaxi*, quam ipsi tribuit Blondellus. *Quid*, inquit, *more illo nefarium magis; ut cùm rapinis, improbitate, omnique scelerum genere oppleti simus, aquâ modicâ abluentes manus, sic sacrum illud Corpus divinúmque Sanguinem pro mundi salute effusum, immundi ac sordidi percipiamus? Nonne vides quomodo Judas indignè ac dolo Dominicum Corpus sumens, statim reus effectus est, ac locum ampliorem maligno dedit?* Et infrà: *Quid agis, homo? Dum Angeli ministerio defunguntur: sinus illi alis praditi mysticam Mensam obvelant .... Dum Agnus Dei sacrificatur, Spiritus Sanctus desuper advenit, &c.* Et infrà, Eucharistiam ceu rem aliquam subsistentem orationibus interpellari docet, quod figuræ inanimæ non convenit. *Omne à te malitia cœnum abjice, tuncque veniens, emundatorium accipe carbonem. Dic adsilium: Scio Domine, multorum me peccatorum ac debitorum reum esse; at propter mandatum tuum ignovi fratribus meis, ut & ego à te, Domine, veniam consequar.* Anastasium verò Sinaitam secundùm totius Ecclesiæ Græcæ fidem de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento docuisse, confirmatur ex Concilio Quini Sexto, quod eodem sæculo celebratum est, Canone centesimo primo. *Christum*, inquit, *bibens vel comedens, æterna vitæ adaptatur, animam & corpus divina gratia participatione sanctificans. Quare si quis immaculati Corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, & offerre se ad Communionem, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratia Communionem accipiat.* Eadem Synodus Canone vicesimo-sexto probibet ne Presbyter illicitis nuptiis per ignorantiam implicitus, *Christi Corpus aliis distribuat.* Et Canone III. Clericos ordinari jubet puros & à culpa ac reprehensione alienos, & *quod intelligent à percipitur, Magni Dei, qui est Sacrificium & Pontifex, Sacrificio dignos.* Ex quibus perspicuum est, eô quô ὁδηγὸν seu *Via Ducem* conscripsit Anastasius Monachus Sinaita sæculo, universam Ecclesiam Græcam credidisse Christum in Sacrificio incruento Altaris à Sacerdotibus verè offerri, Sacerdotem simul ipsum esse & victimam hoc in Sacrificio: Fideles ad Sacram Communionem accedentes, immaculati Corporis participes esse, non solùm quia virtutem ejus & efficaciam percipiunt, ut explicant Ministri Calviniani, * sed quia Christum ipsum comedunt & bibunt, ut Synodus Trullana loquitur.

* Albertinus, Claudius, &c.

Eodem sæculo, sed multò ante Synodum Quinisextam, regnante Phocâ Imperatore, S. Theodorus Siceotes Georgium Cappadocem, qui vinctus ad Imperatorem ducebatur, Eucharistiæ participem facere volens, milites qui eum custodiebant rogavit ut ejus vincula solverent, donec Sacra Mysteria percepisset. Eósque his verbis adhortatus est, quæ Christum ipsum verè ac secundùm substantiam in Eucharistia præsentem esse significant, idque à Catholicis omnibus creditum. *Veneramini* (inquit,) *filii, Mysterium Domini, & solvite hunc dum illud accipit. Neque enim æquum est, ut quisquam vinculis obstrictus Christum suscipiat, qui pro nobis passus est, ut nos ab inferni vinculis liberaret.* Perspicuum igitur est Anastasium Sinaitam de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia sensisse, credidisse, docuisse, quod sentiebat, credebat, docebátque tunc temporis Ecclesia; quamvis circa circumstantiam aliquam hujus Mysterii, nondum penitus discussam & explicatam, erraverit.

ARTICULUS XIV.

De Evagrio Scholastico, & Joanne Jejunatore.

I. EVAGRIUS SCHOLASTICUS, ortus ex urbe Epiphania in secunda Syria, anno Domini 536. vel 537. Antiochiæ causas egit, magnámque eo in munere famam consecutus est. Nomine Gregorii Antiocheni Episcopi scriptas Orationes, Relationes, Epistolas, Disputationes, in unum volumen congessit, & emisit in lucem Tiberio Constantino Imperante, à quo propterea Quæsturæ dignitate donatus est. Nec multò post cùm Orationem de laudibus Mauritii Augusti, ob Natalem Theodosii Principis composuisset, Codicillos Præfecturæ ab eodem Mauritio accepit, ut ipse in Epilogo Historiæ suæ testatur. Edidit postea *sex Libros Historiæ Ecclesiasticæ*, exorsus ab iis temporibus, in quibus Theodoretus ac Socrates desierant, id est, ab Ephesina Synodo; ab anno scilicet Christi 431. eamque ad duodecimum Mauritii Imperatoris annum perduxit, qui fuit annus Christi 594. De quâ ita censuit Photius in Bibliotheca, Cod. 29. *Stylus huic non ingratus, tametsi interdum redundare quodammodo videatur. Verùm in dogmatum veritate cæteris Historicis accuratior est. Habet autem & de imaginibus quædam testimonia.*

Evagrius.

II. JOANNES JEJUNATOR, gente Cappadox, Professione Monachus, vir eximiæ Sanctitatis & abstinentiæ, ob quam *Jejunatoris* nomen consecutus est, ab anno 585. ad annum 596. Constantinopolitanam rexit Ecclesiam. Labem aliquam ipsius aspersit Sanctitati, usurpatum *Oecumenici Patriarchæ* nomen, cujus ob superbiam appellationis, à S. Gregorio Pontifice Maximo justè reprehensus est. Romanam tamen Sedem colebat, Romanique Pontificis Primatum venerabatur, ut constat ex S. Gregorio *Epistolis 52. & 64. Libri 2.* Profusissimæ fuit in Pauperes beneficentiæ, adeo ut bonis omnibus, & reditibus Ecclesiasticis erogatis, non modicam vim pecuniæ ab Imperatore Mauritio mutuò acceperit, ipsíque data syngrapha res omnes suas oppigneraverit. Sed ubi migravit è vita, cùm lectum duntaxat ligneum, & vestem detritam ac deformem in ædibus Patriarchæ Mauritius invenisset, discerpsit syngrapham, & pauperem supellectilem ceu pretiosissimas reliquias asportari jussit in Palatium, quâ solemnium jejuniorum diebus usus est, ut refert Nicephorus *Libro 10. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 34.* Ipsum *Virtutis domicilium* vocat Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha, apud Photium, Cod. 231. *Sanctæ memoriæ Episcopum* appellat S. Isidorus *Lib. de Viris Illustribus.* Ut Sanctum colit Ecclesia Græca. De trina in Sacramento Baptismi mersione scripsit ad S. Leandrum

Joannes Jejunator.

drum Hispalensem Episcopum, teste S. Isidoro. Eidem tribuitur *Homilia de Pœnitentia*, quæ ad finem Tomi 5. Operum S. Joannis Chrysostomi habetur. Edidit denique *Pœnitentialem Canonem*, quem *Joannes Morinus* vir doctissimus cum aliis Pœnitentialibus libellis adjunxit Commentario suo Historico *de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ*. Ejus nimiam indulgentiam Græci ad severiorem disciplinam proniores improbarunt. De illo ita scribebat *Nicephorus Chartophylax* ad *Theodosium Monachum* Corinthi Inclusum, circa annum Christi octingentesimum. *Quod autem ad ediuos Canones*, à Joanne Jejunatore, *consuetudinem recipimus, juxta uniuscujusque vires correctionum moderandarum: Eò excepro quod dicimus, quæ secundùm Canonum disciplinam visa sunt à Joanne Jejunatore dicta esse, si quis cordatus consideraverit, ex Patrum sententiâ dependere.*

Græci nimiam indulgentiam Joannis Jejunatoris erga pœnitentes arguunt.

Multò acriùs ipsum carpit Constantinopolitana Synodus, Alexio Comneno Imperante, post annum Christi millesimum octogesimum primum celebrata, quorumdam Monachorum Interrogationibus respondens. *Hoc jus Canonicum Jejunatoris* (inquiunt Patres) *nimiâ indulgentiâ usum, multos perdidit. Qui itaque in boni cognitione existunt, & ab eo excidunt, corrigantur.*

Ejus indulgentia in definiendis Pœnitentiæ operibus & tempore, prudentiæ tribuenda.

Non esse tamen obnoxiam reprehensioni indulgentiam Joannis Jejunatoris in definiendis Pœnitentiæ operibus & tempore, sed eximiæ ipsius prudentiæ tribuendam, & laude dignissimam, persuasum habebit, qui legerit hæc ipsius verba. *Pœna imponuntur secundùm vires & voluntatem eas suscipientis, & non secundùm peccatorum proportionem. Contingit enim eum qui pauca peccavit, cùm animo est bono, & prompto, pœnas, sive Epitimia magna libenter accipere, ut non modo peccatorum remissionem referat, sed etiam coronam: Istum verò qui multa peccavit, cùm animo est remissô & segni, castigatione affici parum severa, ne pœna gravitate absorbeatur, & animò languens, omnia deserat. Nec enim jubemur gravia reddere levia, & gravia imponere. Suavis est enim Christi jugum, & onus leve. Dijudicare enim debet amanter & clementer differentiam & personarum, & locorum, & scientia & ignorantia, & in omnibus Sanctorum Patrum scopum & mentem pressè sectari. Sic enim ait S. Chrysostomus. Pœnitentia tempore non judicatur, sed animi dispositione. Magnus Basilius conformiter: Ista tempore non judicamus, sed in modum formámque Pœnitentiæ mentem intendimus. Præterea, humanissimus Chrysostomus Ninivitas multis non habuisse opus diebus asserit ut pœnitentiam agerent, sed tribus solis: Latronem verò ne quidem tot horarum, sed satis illi fuis ad pœnitentiam temporis spatium quò verbum pronuntiavit, ita ut in momento paradisum intraverit. Hæc igitur cognoscens, ne accuratè secundùm Canones Epitimia definias, sed secundùm personæ qualitatem.*

ARTICULUS XV.

De Joanne Biclarensi, Eulogio Alexandrino, & Leandro Hispalensi.

I. JOANNES BICLARENSIS, Gothus origine, Scalabitanus ex Provincia Lusitaniæ, Constantinopoli Græcis & Latinis literis imbutus adolescens, reversus in Hispanias, sub Leuvigildo Ariano Gothorum Rege Barcinonem amandatus exul, ad radices Pyrenæorum montium condidit Monasterium, quod *Biclaro* dicitur, ubi congregatâ Monachorum societate, scripsit Regulam ipsi Monasterio profuturam. Inde Gerundensis Episcopus factus est. *Chronicon* scripsit ab anno 2. Justini Junioris Imperatoris, Christi 566. ad annum 8. Mauritii Augusti, Christi 590. quasi Appendicem ad Chronicon Victoris Tunnonensis. Ejus cum laude meminit S. Isidorus *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXXI.*

II. EULOGIUS *Alexandrinus Patriarcha S.* Gregorio coævus & amicissimus, *Libros quinque contra Novatianos* composuit, quos Photius in Bibliotheca Cod. 182. commemorat, eorumque argumenta recenset. Excerpta describit Codice ducentesimo ac octogesimo. Scripsit etiam duos Libros *contra Severum & Timotheum Hæreticos*, in defensionem Epistolæ S. Leonis ad Flavianum, & Synodi Chalcedonensis, quorum Excerpta leguntur apud Photium, Cod. ducentesimo vigesimo-quinto. Item Librum *contra Theodosium & Severum*, de quo idem Photius, Cod. 226. Item *Invectivam Orationem contra unitatem subitò exortam inter Theodosianos & Gaianitas Acephalos*, de quâ idem Photius, Cod. 227. Præterea *Orationes undecim*, quarum argumenta & Breviarium legi possunt apud eumdem Photium, Cod. CCXXX.

III. S. LEANDER, ex Carthaginensi Hispaniæ Provinciâ oriundus, ex Monacho Hispalensis Episcopus, S. Gregorio Magno amicissimus qui *Libros Moralium in Job* ipsi nuncupavit, adversùs Arianam hæresim plura scripsit Opuscula, Librum *De Institutione Virginum, ad Florentinam Sororem*, plures Epistolas, multaque ad Officii Ecclesiastici augmentum & decorem spectantia. De ipso, ejusque Operibus lege Sanctum Isidorum *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXVIII.*

ARTICULUS XVI.

De Scriptis Sancti Gregorii Magni.

Moralia in Job.

I. SANCTUS GREGORIUS MAGNUS, Scriptis sanctitatem ac eruditionem ubique spirantibus singularem, Ecclesiæ Catholicæ multùm profuit, æternúmque proderit. *Moralia in Job*, rogante *S. Leandro*, Virisque Religiosis, quibuscum Constantinopoli conviveba, dum Sedis Apostolicæ Apocrisiarium apud Tiberium Imperatorem ageret, concepit, perfectumque Opus eidem Leandro Hispalensi Episcopo nuncupavit. Opus istud Moralis Evangelicæ promptuarium est, Concionatoribus, & animarum Curatoribus ac Directoribus diligenter & assiduè legendum.

Pastoralis Libri S. Gregorii Synopsis.

II. *Librum Pastoralem* edidit à Joanne Archiepiscopo Ravennate reprehensus quòd Episcopatum declinasset. Hoc Libro docet quantum sit Officii Pastoralis pondus, quàm ægrè suscipiendum, quâ exequendum curâ. Quatuor in partes hunc librum distr.buit. Explicat in primâ qualis ad Episcopatûs culmen venire quis debeat. Imperitos ad regimen Ecclesiæ venire non debere docet. *Nulla ars*, inquit, *doceri præsumitur, nisi intentâ priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo Pastorale Magisterium quâ temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum?* Locum regiminis subire non debere, qui moribus impugnant, quod verbis prædicant. *Unde fit ut cùm Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur.* Res adversas utiliores esse saluti, quàm secundas. *Nam plerumque adversitatis magisterio sub disciplinâ cor premitur: Quod si ad regiminis culmen eruperit, in elationem protinus usu gloriæ permutatur.* Suscepti curam regiminis mentem per diversa distrahere, ita ut *In exteriorum dispositione sollicita, sui tantummodo ignara, sciat multa cogitare, se nesciens.* Reprehendit illos, qui magnis virtutum muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum & gregem Dei pascere renuunt. *Quâ enim mente*, inquit, *is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?* Eum qui verè humilis est, in recusando regiminis culmine, cùm sibi imperatur, pertinacem

pertinacem esse non debere, si jam donis præventus est, quibus & aliis prosit: Sed *ex corde fugere, & invitum obedire*. Quosdam laudabiliter prædicationis officium appetere, alios pari laude declinare: *Isaiæ* sese ultrò offerentis, & *Jeremiæ* reluctantis exemplis id probat; sed in iis id observandum, quòd *Is qui recusavit, plenè non restitit, & is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit: Ne aut non purgatus adire quisque sacra Ministeria audeat, aut quem superna gratia elegit, superbè contradicat.* Quia verò difficile est purgatum se quemlibet posse agnoscere, *Prædicationis officium tutiùs declinari*. Observat eos qui præesse concupiscunt, ad usum suæ libidinis Apostoli sententiam arripere: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* Non advertentes illô tempore hoc dictum, quo quisquis plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. *Tunc ergo*, inquit, *laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire.* Falli eos ostendit, qui bona opera animo proponunt, & se magna operaturos spondent, si ad Episcopatum perveniant: Quia *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloriâ non amare quod amat: quæ principari appetens, fit ad hoc pavida cùm quærit, audax cùm pervenerit.* Tum docet qualis quisque ad regimen venire debeat: *Qui scilicet cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, &c.* Docet denique qualis quisque ad regimen venire non debeat, locum *Levitici* 21. quô Deus indicat *Moysi* qui ad Ministerium Templi & Sacrificiorum admitti non debent, moraliter exponens, & corporis vitiis ibi descriptis, vitia animorum adumbrata esse demonstrans, quibus indigni fiunt Clerici sacro regimine.

Secunda Parte docet qualem se in ipso regimine Pastor debeat exhibere. Necesse esse ut sit *cogitatione mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum occupatione non relinquens.* Solerter invigilare debere, *Ne hunc cupido placendi hominibus pulset, ne cùm studiosè interiora penetrat, cùm providè exteriora subministrat, se magis à subditis diligi quàm veritatem quærat: ne cùm bonis actibus fultus, à mundo videtur alienus, hunc Auctori extraneum reddat amor suus.* Oportere tamen ut Rectores boni placere hominibus appetant: *Ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Subditorum vitia aliquando prudenter esse dissimulanda*, sed indicandum quòd dissimulentur: *aliquandò & apertè cognita, maturè toleranda, cùm videlicet rerum minimè oportunitas congruit ut apertè corrigantur. Aliquando verò subtiliter & occulta perscrutanda, ut quibusdam signis erumpentibus, Rector in subditorum mente, omne quod clausum latet inveniat, & interveniente correptionis articulô, ex minimis majora cognoscat. Aliquando leniter arguenda*; cùm scilicet *non malitiâ, sed solâ ignorantiâ, vel infirmitate delinquitur. Aliquando vehementer increpanda, ut cùm culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis ab increpantis ore sentiatur.* Hæc porro omnia ritè à Rectore præstari: *Si superna formidinis & dilectionis Spiritu afflatus, studiosè quotidie sacri Eloquii præcepta meditetur.*

In III. Parte explicat quô modô Pastor docere debeat. Non unam eamdemque cunctis exhortationem adhibendam, quia non iidem cunctorum mores: sicut nec ægris omnibus eadem adhibenda medicina est: aliter admonendos viros, aliter fœminas: aliter juvenes, aliter senes: aliter inopes, aliter locupletes: aliter lætos, aliter tristes: aliter subditos, aliter Prælatos: aliter hujus mundi sapientes, aliter hebetes: aliter incolumes, aliter ægros: aliter pigros, aliter præcipites: aliter mansuetos, aliter iracundos; aliter humiles, aliter elatos: aliter pertinaces, aliter inconstantes, &c.

In IV. Parte docet Pastorem qui suo tam sanctè munere fungitur, ad semetipsum redire debere, *Nec recta respicere quæ egit, sed quæ agere neglexit: ut dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis Auctorem robustiùs in virtute solidetur.* Sic denique librum concludit Pontifex humilitate maximus. *Ecce bone vir, reprehensionis meæ necessitate compulsus, dum monstrare qualis debeat esse Pastor invigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus; aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. Sed in hujus quæso vitæ naufragio orationis tuæ me tabulâ sustine, ut quia pondus proprium deprimit, tui meriti me manus levet.*

Pastoralem S. Gregorii Librum legere debent Episcopi, & secundum illum vivere.

Pastoralem S. Gregorii Librum pleraque Galliæ Concilia legere Episcopis jubent, ejus monitis insistere, præcepta exequi. Concilium Moguntiacum sub Carolo Magno, hunc maximè commendavit: Turonense anno 813. Canone 3. ita decernit: *Nulli Episcopo liceat Canones, aut librum Pastoralis à S. Gregorio Papa editum, si fieri potest, ignorare, in quibus se debet unusquisque quasi in quodam speculo assiduè considerare.* Concilium Cabilonense II. eodem anno, Canone 4. *Episcopi Canones intelligant, & librum S. Gregorii de Cura Pastorali, & secundùm formam ibidem constitutam & vivant, & prædicent.* Concilium Aquisgranense anno 836. Canone 4. *Convenit Sacerdotali Ministerio scire formam Evangelicam, documenta Apostolica, Canonum instituta, normam Regulæ Pastoralis à Sanctissimo Pontifice Gregorio editæ; ne juxta eumdem Sanctissimum Virum, ab imperitis, quod absit, Pastorale Magisterium aliquâ temeritate usurpetur, aut vilescat.* Denique *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in Præfatione Opusculi 55. testatur suâ ætate in more positum fuisse ut Pastorale S. Gregorii Magni unà cum libro sacrorum Canonum in manus Episcopi qui ordinabatur traderetur in ipsâ Ordinatione à Metropolitano, obtestante illum ut ita servaret in vivendo, docendo, & judicando, sicut ibi erat scriptum: quod & Episcopus ipse spondebat.

Homiliæ in Ezechielem.

Homilias in Ezechielem Prophetam à Notariis, dum eas coram populo diceret, exceptas, post annos octo emendavit, & ad *Marinianum* Episcopum misit. Quanti faceret SS. Patres, quantùm se infra illos deprimeret, constat ex Præfatione. *Tua*, inquit, *Dilectio has sibi ad legendum mitti poposcerat: sed valde incongruum credidi ut aquam despicabilem hauriret, quem constat de beatorum Patrum Ambrosii atque Augustini torrentibus profunda ac perspicua fluenta assiduè bibere. Sed rursum dum cogito quod sæpe inter quotidianas delicias etiam viliores cibi suaviter sapiunt, transmisi minima, legenti potiora; ut dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas aviditàs redeatur.*

In Evangelia.

III. *Homilias XL. in Evangelia*, quarum nonnullas à se dictatas, assistenti plebi per Notarium recitari jusserat, quasdam verò ipse pronuntiaverat, emendatas misit ad *Secundinum Tauromenitanum Episcopum*.

Dialogi S. Gregorio Magno vindicantur.

IV. Nonnulli Auctores, non solùm Heterodoxi, sed etiam Catholici, *Libros Dialogorum*. S. Gregorii magni esse negarunt, Gregorio II. qui propterea *Dialogus* à Græcis appellatus sit, hoc Opus tribuentes. Verùm hi refelluntur ipsius Gregorii Magni testimonio, *Epistola 30. lib. 2. Indict. 11. ad Maximianum* datâ. Secundò, in Homiliis, & in Dialogis

logis easdem historias, iisdem ferè verbis expressas, & tanquam ab eodem relatas, legere est. Ut in *lib.* 3. *Dialogorum c.* 6. *& lib.* 4. *c.* 56. ubi de *Cassio* Narniensi Episcopo verba facit, de quo etiam *Homilia* 37. *in Evangelia. Lib.* 4. *cap.* 14. de *Servulo* ait se in Homiliis locutum, quod videre est *Homilia* 15. *in Evangelia* In eodem *lib.* 4. *cap.* 15. loquitur de *Romula*, de quâ se in Homiliis verba fecisse testatur, scilicet *Homilia* 30. *in Evangelia*. Plura alia exempla proferri possunt. 3. *Pelagium* Papam *prædecessorem suum* vocat, quo narrante se multa novisse ait de *Martino* Monacho (*lib.* 3. *cap* 16.) *Cap.* 29. ejusdem libri, de *Autharib*. Longobardorum Rege mentionem habet, de quo *lib.* 5. *Epistola* 17. & alibi. 4. Historia *S. Hermenegildi* S. Gregorii Magni temporibus contigit: quam fusè narrat *Cap.* 31 *lib.* 3 eamque à *S. Leandro* Hispalensi Episcopo, amico suo, qui eidem interfuerat, se didicisse testatur. Et *Cap.* 32. 36. & 37. de suâ ad Urbem Constantinopolitanam Legatione cùm esset Pelagii II. Apocrisiarius, refert. Denique scripturus Vitam *S. Benedicti*, initio *lib.* 2. *Dialogorum*, ait se, quæ de eo dicturus est, accepisse à quatuor ejusdem Sancti discipulis, quorum adhuc duo in vivis erant. Ex quibus colligitur, Dialogos istos Gregorio Magno tribuendos esse, non Gregorio II. centum quinquaginta annis juniori.

Accedunt Auctorum, qui post S. Gregorium vixerunt testimonia, qui summo consensu Dialogos illi tribuerunt, & sub ipsius nomine laudarunt: Scilicet *S. Paterius* ipsius discipulus in testimoniorum libro ex omnibus S. Gregorii Operibus collecto: *Taius* Cæsaraugustanus Episcopus, qui florebat anno 630. in Collectaneo ex Operibus S. Gregorii, quinque in libros diviso. S. Ildefonsus Toletanus Episcopus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 1. Julianus ejusdem Ecclesiæ Episcopus, in Prognostico futuri sæculi; Venerabilis Beda lib. 2. Historiæ c. 1. Paulus Diaconus, & Joannes Diaconus, in Vita S. Gregorii Hadrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum pro VII. Synodo, Anastasius Bibliothecarius in Vita Zachariæ Papæ, Hincmarus passim in suis Operibus, Paschasius Ratbertus in lib. de Corpore & Sanguine Domini, Prudentius Trecensis Episcopus lib. de Prædestinatione Cap. 17. Photius in sua Bibliotheca Cod. 252. ubi & Dialogos Sancti Gregorii à Zacharia Papa in Græcam linguam versos testatur, Regino Prumiensis Abbas, lib. 2. de Ecclesiasticis Disciplinis c. 198. Concilium Triburiense sub Formoso, cap. 17. Berno Augiensis in Libello de rebus ad Missam spectantibus, cap. 22. Burchardus Vvormatiensis Episcopus passim in suâ Decretorum Collectione, Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, cap. 31. Lanfrancus in lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 14. & 20. Durandus Troarnensis & Guitmundus Aversanus Episcopus, Anselmus Lucensis Episcopus, in Collectione Canonum, Sigebertus, Ivo Carnotensis, Honorius Augustodunensis, Rupertus, S. Bernardus, Gratianus, Petrus Lombardus, S. Thomas. Tandem MSS. Codicum summus consensus ostendit Dialogos genuinum Opus esse S. Gregorii Magni.

Objiciunt, qui hoc Opus abjudicant S. Gregorio, Stylum in Dialogis & in aliis ejus libris omnino diversum, inæqualem, inelegantem, barbaris & corruptis vocibus squallidum.

Styli diversitas in prolixo Opere non laudata.

Respondeo, styli diversitatem aliquam esse, non omnimodam. Et quis nescit varium esse stylum pro varietate Tractatuum, ac materiarum? Certè Sanctus ipse Gregorius fatetur se eodem stylo Moralium libros non scripsisse. Sic enim loquitur lib. 22. c. 1. *Quamvis in prolixo Opere esse culpabilis styli mutabilitas non debeat*, &c. Et paulo post: *Immutationem styli, Lector meus, æquanimiter accipe, quia & sæpe eosdem cibos edentibus diversitas placet coctionis.* Phra-

S. Gregorii Stylus.

ses verò & dictiones barbaras non in hoc solùm, sed & in aliis S. Gregorii Operibus legimus. Nec mirum: has enim Longobardorum, & aliorum populorum barbaries in Italiam invexerat, & jam Latina lingua defecerat à priscâ puritate. Secundò, verba illa paulò rusticiora, non sua esse, sed aliorum S. Gregorius in Prologo Dialogorum profitetur. Tandem stylum & cultum sermonis neglexit S. Gregorius, veritatis & simplicitatis amantior quàm elegantiæ, ut constat ex ejus Epistola *ad Leandrum* libris Moralium præfixâ, ubi de his ita loquitur: *Ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut hujus quoque Epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque præpositionum, casusque servare contemno. Quia indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab ullis Interpretibus in Scripturæ Sacræ auctoritate servata sunt.*

Objiciunt secundò, in Dialogis quædam S. Gregorii doctrinæ adversari, ut *lib.* 4. *c.* 29. ubi gehennæ ignem esse corporeum dicitur, cùm asserat Sanctus Gregorius *lib.* 15. *Moralium cap.* 17. hujusmodi ignem esse incorporeum, exponens illa verba Job 20. *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*. Miro valde modo, inquit, *paucis verbis expressus est gehennæ ignis: ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis .... At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur.*

Respondeo, etsi in quibusdam editionibus & in nonnullis Codicibus MSS. ita legatur, *cum sit incorporeus*, in antiquissimis & melioris notæ Codicibus MSS. Romanis, Gallicanis, Anglicanis, legi, *cum sit corporeus*. Plurima laudat *Gussanvillæus*, sicut & antiquiores emendatioresque Editiones, quorum Auctores ita legerunt. Unde prior lectio error est ex oscitantia Exscriptorum & Librariorum profectus. Id confirmat 1. ex Codice MS. Corbeiensi tempore *Adhalardi* Abbatis circa annum 750. in quo habetur liber cui titulus est, *Ecloga, de Moralibus Job quas Gregorius fecit*. ubi l. 15. legitur: *Gehennæ ignis cum sit corporeus*, &c. ut apud S. Gregorium. 2. Id confirmat ex *Odone Cluniacensi*, in *Epitome Moralium S. Gregorii*, *cap.* 20. *num.* 26. & ex *Garnero* Canonico Regulari S. Victoris Parisiensis sub Hilduino Abbate, in Opere, quod *Gregorianum* nominavit, *lib.* 11. *c.* 1. eodem modo legentibus, & ex MS. Codice qui asservatur in Bibliotheca Celestinorum Parisiensium, qui inscribitur, *Remediarium Conversorum*, qui collectus est ex dictis S. Gregorii in Moralibus: in quo eodem modo legitur laudatus Sancti Gregorii locus (*III. P. lib.* 6. *cap.* 7.) Eadem lectio confirmatur ex *Prudentio* Trecensi, & *Floro* Ecclesiæ Lugdunensis Diacono, contra *Joannem Scotum Erigenam* scribentibus. Denique eo modo hunc locum laudavit *S. Thomas*, *in* 4. *Sententiarum Dist.* 44. *Quæst.* 2. & Codices sive MSS sive editos, qui legunt: *Ignis gehennæ cum sit incorporeus*, corruptos esse observavit *Sixtus* noster *Senensis lib.* 5. *Bibliotheca Sacra*, *Annotatione* 141.

Objiciunt tertiò, multas in Dialogis historias referri penitus incredibiles.

Miracula quæ S. Gregorius narrat, non temerè deneganda fides.

Respondeo, Historias, quas refert in Dialogis S. Gregorius, vel ipsum vidisse, vel ab aliis fide dignis testibus auditas narrasse. Miracula autem quæ narrat, incredibilia quidem videri, si ad rationis humanæ trutinam expendantur: non verò si spectetur Dei potentia & fidei virtus, quæ quantæ sint, eò meliùs quisque intelligit, quò sanctior est. Hinc S. Gregorius Nazianzenus asserit generosa pectora de miraculis minùs dubitare. S. Augustinus fabularum, si quis aliùs osor, similia multo commemorat,

nec de veritate diffidit. Et Theodoretus in *Historia Religiosa* quædam narrat non minùs incredibilia, si humano illa judiciò metiamur. De quibus in Præfatione ita scribit: *Rogo autem, qui in hanc Religiosam inciderint Historiam, ne iis quæ dicuntur minus credant, si quid audient quod eorum vires superet, nec ex se illorum virtutem metiantur; sed apertè sciant quòd piorum animis Deus desuper metitur dona Sanctissimi Spiritus, & majora largitur perfectioribus. Hæc autem à me dicta sunt ad eos qui in rerum divinarum mysteriis non sunt accuratè admodum initiati. Mystæ enim adytorum Spiritûs sciunt gloriam Spiritûs, & quanam per homines in hominibus faciat miracula, attrahens incredulos ad Dei cognitionem. Qui autem non est crediturus iis quæ à me dicenda sunt, clarum est eum ne iis quidem credere tanquam veris quæ per Mosen & Jesum & Eliam, & Elisæum facta sunt, habere autem etiam pro fabulis miracula quæ facta sunt à SS. Apostolis. Sin autem illa esse vera testatur, hæc quoque credat esse à falso aliena. Quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoque fecit quæ fecit. Ex iis autem quæ sunt dicenda, ipse quidem vidi nonnulla: quæ autem non vidi, audivi ab illis qui viderunt, viri virtutis amantibus, & qui digni sunt habiti ut & eos viderent, & eorum doctrinâ fruerentur. Evangelicæ autem doctrinæ Scriptores fide digni non solùm sunt Matthæus & Joannes, magni & primi in Evangelistis, qui Domini videre miracula: Sed etiam Lucas & Marcus, quos qui ab initio viderunt, & fuerunt verbi Ministri, non solùm quæ passus est, & quæ fecit Dominus, sed ea etiam quæ perpetuò docuit, accuratè docuerunt.* Eadem S. Gregorius de iis quæ in Dialogis suis narrat, dicere potuisset.

Denique si miracula quædam publico tantùm rumore jactata commemoraverit in Dialogis suis Sanctus Gregorius, & in aliquibus fortè erraverit, pietatis error est, quàm non decet in istiusmodi factis tam esse anxiam. Nec verò S. Gregorii credulitas, etsi paulò major fuisset, ratio est cur ipso indigni Dialogi censeantur. Ut enim observat *Melchior Cano* vir doctissimus, lib. xi. de Locis Theologicis cap. 6. *Theologum admoneri operæpretium est, ne id statim illi persuasum sit, omnia quæ magni Auctores scripserint, undique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati; vulgòque (ut dici) interdum etiam indulgent: Nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, adeò ut Ciceroni Demosthenes dormitare, Horatio verò Homerus quandoque ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego eadem de Beda atque Gregorio jure fortasse ac verè dicere possim. Quorum ille in Historia Anglorum, hic in Dialogis, quædam miracula scribunt vulgò jactata & credita, quæ hujus præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem Historias illas probarem magis, si earum Auctores, juxta præfinitam normam severitati judicii, curam in eligendo majorem adjunxissent. Sed quoniam modestè & circumspectè judicandum de sanctis viris pronuntiandum est, ut in his quidem duobus rejicienda sunt plurima. Pauca enim in eis possis arguere, quamvis Historiam Ecclesiasticam revocare ad severiora judicia contendas. Ac si necesse est in alteram peccari partem, omnia eorum probari legentibus, quàm multa reprobari malo.*

Omnia quæ summi viri scripserunt, non sunt omnique perfecta.

Et paulò antè regulas tradens quibus veraces Historicos à fallacibus distinguere atque internoscere valeamus, ait: *Prima lex ex hominum probitate integritatèque sumetur. Quæ omnino res locum habet, cùm quæ narrant Historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his qui viderunt, accepisse: Qualia sunt pleráque in Epistolis Ambrosii, Cypriani, Hieronymi, Augustini, in libris quoque hujus de Civitate Dei, in Dialogis Gregorii, breviter in omnibus ferè Doctorum Ecclesiæ probatissimorum Scriptis: In quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magni quippe præclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt; ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnina illis habeatur. Quâ in re Erasmus, Roterodamus, aliique Jumores quidam sæpè ac licenter errarunt.*

V. Inter *Epistolas Sancti Gregorii*, quinquagesima quarta libri septimi, *Ad Secundinum Inclusum* data, variis assumentis interpolata est. Disciplinam circa Lapsos Sancti Gregorii placitis ex adverso repugnantem exhibet. Clericos nimirum criminibus canonicis fœdatos, post Pœnitentiam ad sacrum revocandos Ministerium, & pristino restituendos asserit honori. Contrarium verò Sancto Gregorio semper visum est, ut constat ex *lib.* 1. *Epistola* 18. *lib.* 3. *Epistola* 26. *lib.* 4. *Epistolis* 15. 16. 17. *lib.* 6. *Epistola* 39. *Lib.* 7. *Indict.* 10. *Epistola* 27. *&c.* Præterea fragmentum de Lapsis, quod incipit: *Et quia sua Sanctitas*, usque ad illa verba: *De Ordinationibus verò, &c.* in maximâ parte MSS. Codicum non repetitur: Et intrusum esse ostendit orationis inconsequentia. Adde hanc vocem, *Sanctitas*, S. Gregorio esse inusitatam, quam vix Episcopis tribuit, nunquam verò Monachis, erga quos solummodo utitur voce *caritatis* aut *dilectionis*. Aliud fragmentum de Imaginibus pauci Codices habent. Antiqua est Epistolæ istius interpolatio. Constat enim ex Pauli Diaconi, qui anno 801. obiisse dicitur, Epistolâ datâ *Ad Adonlardum Abbatem Corbeiensem*, hanc Epistolam unam fuisse ex quinquaginta quatuor Sancti Gregorii, quas colligere potuerat Paulus. In ejus autem Collectione legitur fragmentum de Clericis Lapsis, quod etiam *S. Anselmus lib.* 1. *Epistola* 56. recipit. *Isidorum Mercatorem* hujus interpolationis auctorem esse, Eruditi suspicantur.

Epistola ad Secundinum, interpolata.

Epistolam LXIV. Libri vij. Indict. 2. *ad Joannem Episcopum Syracusanum* datam, *Rivetus* temerè abjudicat Sancto Gregorio, propter hæc verba Romani Pontificis Primatum in universâ Ecclesiâ, & in ipsas Sedes Patriarchas magnificè commendantia: *Nam de Constantinopolitanâ Ecclesiâ quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam? Quod & piissimus Dominus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus, assiduè profitemur.* Nullus autem Gregorii tempore fuit *Eusebius* Constantinopolitanus Episcopus At Pseudocriticum hæresis in transversum egit, qui quam suo incommodam errori vidit Epistolam, & Missam, & Primatum Romani Pontificis asserentem, spuriam inverecundè asseruit. Hunc verò Codices omnes MSS. & editi, etiam Anglicani à *Jamesio* collati, refellunt, in quibus hæc habetur clausula, exceptò *Eusebii* nomine, quod Librariorum oscitantiâ additum est. Legendum itaque: *Et frater noster ejusdem civitatis Episcopus*, expunctâ voce *Eusebius*, quæ in melioris notæ Codicibus MSS Vaticanis, Anglicanis, Gallicanis, quos *Gussavillaus in Notis* laudat, non repetitur.

Epistolam ad Joannem Syracusanum, S. Gregorio temerè adjudicat Rivetus.

Epistola X. libri xj. ad Senatorem Presbyterum data, Privilegium Xenodochii Augustodunensis continens, à quibusdam spuria, vel interpolata asseritur, ob hanc clausulam: *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Judicum, personarumque sæcularium, hanc Constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, &c.* Injusta, inquiunt, Privilegii pœna est, quæ ultra meritum irrogatur: Quæ pacem, quæ salutem populi turbat, ut privatorum utilitatem procuret, est iniqua, inofficiosa, inhumana: Quæ Reges gratis aut temerè abdicat, est intoleranda. Secundò, hæc clausula in aliis Sancti Gregorii Privilegiis indubitatis non legitur. Tertiò, cùm hæc

Epistola ad Senatorem, non est supposita S. Gregorio: interpolata tamen viris eruditis videtur.

hæc clausula, *Si quis verò, &c.* post S. Gregorium Magnum Romæ obtinere cœpit, in câ Regum nulla facta est mentio, ut constat ex Nicolai Primi Epistola *ad Trasulfum Abbatem*, & ex Epistola cxt. Joannis Octavi *Ad omnes Christi Fideles*. IV. Adeodatus Papa in Privilegio quodam relato à *Sirmondo*, anno 670. illud largiri vix audet, scribens his verbis: *Parumper autem ambigimus, idcirco quod mos atque traditia Sancta nostra Ecclesia plus non suppetat, à regimine Episcopalis providentia Religiosa loca secernere.*

At MSS. omnium Codicum hanc Epistolam habentium summus consensus, ipsam legitimam probat. Nec obstat clausula, *Si quis verò Regum, &c.* quæ Reges non abdicat, ut quidam putant, in quos major fuit Sancti Gregorii observantia, quàm ut eos regno privare vellet, aut se posse existimaret. Legatur Epistola LXI. lib. 2. ad *Mauritium* Imperatorem data. Illa itaque verba, *Si quis Regum, &c.* imprecantis verba sunt, non imperantis, aut decernentis, sicut illa: *In aterno examine districtè ulti oni subjaceat.* Certè non absimiles imprecationes leguntur in Conciliis Toletanis IV. *Canon.* 75. VI. *Canone* 3. VII. *Canone* 1. etiam in Reges, Canonum, Legum, aut præstiti juramenti violatores. Et in Testamento *S. Radegundis*, apud Gregorium Turonensem *lib.* 9. *cap.* 42. Et nunc omnia Pontificum Diplomata imprecatoriis clausulis desinunt; quarum ea vis est ut pœnam à Deo infligendam transgressoribus Pontificii Decreti comminentur. Vel respectivè intelligenda est hæc clausula: Ut Sacerdotibus quidem sub pœna exauctorationis prohibeat, ne quid contra memoratum Privilegium moliantur: Regibus verò, Judicibus, & aliis sæcularibus personis, sub pœnâ excommunicationis. Etsi verò in aliis S. Gregorii Privilegiis non reperiatur hæc clausula, non est consequens quòd Gregoriana non sit. Huic enim, quod à Brunichilde Regina, & Theodorico Rege Francorum postulatum esset, majoris auctoritatis pondus clausulâ hâc execratoriâ addere Sanctus Gregorius voluit. Hæc autem verba velut Sancti Gregorii laudat Gregorius VII. *lib.* 8. *Regesti*, *Epistola* 21. In Vita S. Hugonis Monachi Augustodunensis apud Andream Duchesne, Tom. III. Scriptorum Historiæ Francorum refertur eadem clausula ex Epistola *ad Lupponem*. Flodoardus *lib.* 3. *Historia Remensis cap.* 27. meminit alterius Privilegii adinstar istius de quo agimus, & in aliis quam plurimis Privilegiis eadem clausula reperitur. Hincmarus *Opusculo* 45. eam describit ex Privilegio, quod recenter Ecclesiæ Bellovacensi concessum fuerat. In eodem Opusculo ultimam periodum literarum, quas Sanctus Gregorius *Sabino Subdiacono* direxit, hoc modo citavit. *Et Sanctus Gregorius in Epistola ad Sabinum Subdiaconum* * *Sacrilegum*, inquit, *& contra legem est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere.* Sed hinc argumentum ducunt viri eruditi, quo hancce clausulam additiriam esse probant. Hincmarus enim qui hæc monumenta citat, allegasset procul dubio & Gregorii literas *ad Senatorem*, si postremas habuissent periodos, in quibus hodie clausula suprà recitata legitur. Corruptas etiam existimant has literas eô locô, ubi Augustodunensi Episcopo præcipitur, ut si propter crimen Abbas Xenodochii deponendus sit, *adhibitis sex aliis Episcopis suis subtili hoc investigatione perquiras*. Quomodo enim, inquiunt, sex Episcopos suos adhibere posset Augustodunensis Episcopus, qui nec est Metropolitanus, nec si Metropolitanos esset, tot Episcopos adhibere posset, quia Provincia Lugdunensis I. cui contribuitur, præter Lugdunensem Metropolitanum, quatuor tantùm Episcopos habet, Augustodunensem, Lingonensem, Cabilonensem, & Matisconensem? Expungendam itaque prædictam periodum volunt, aut ita corrigi: *Non solus Episcopus civitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis aliis Episcopis, subtili hoc investigatione perquirat.* Sed esto, quædam clausulæ huic Epistolæ additæ fuerint, illa præcipuè *Si quis verò Regum*, ante Gregorii VII. ætatem: Non est consequens totam Epistolam supposititiam esse, confictúmque Privilegium. Nec Adeodati Papæ verba id evincunt. Nam apprimè cum S. Gregorio conciliantur, à quo concessa Privilegia Xenodochiis, & Monasteriis, ipsa à Diœcesanâ lege & jurisdictione Episcopi non eximunt, sed bonis oblatis consulunt duntaxat, ut ea Monasteriis intemerata serventur, & facultatum liberam administrationem, & Abbatis electionem indulgent, non verò immunitatem omnimodam ab Episcopi regimine.

* Lib. 9. Epist. 62. Indict. 3.

Privilegium S. Medardi expenditur.

De Privilegio *Sancti Medardi Suessionensis* major est difficultas, cùm in nullis MSS. Codd. Regesti Sancti Gregorii habeatur, unico exceptô *Sancti Victoris Parisiensis*, 400. ad summum annorum: Nec in scriniis Romanæ Ecclesiæ, unde repetendum erat, unquam extiterit, teste doctissimo Cardinali *Bona* in Literis ad eruditum virum *P. Gunsuvillanum* datis Romæ die 14. Octobris 1670. quarum ipse refert verba in Notis ad hoc Privilegium. Gregorius VII. Papa, ut Henricum Germaniæ Regem auctoritate Sedis Apostolicæ meritò & excommunicatum & regno privatum ostenderet, Epistolam allegavit Gregorii Magni, *ad Senatorem*, Privilegio quod idem Gregorius Magnus Monasterio Sancti Medardi concessisse fertur, penitus omisso, ut *Cardinalis Perronius* in Oratione ad Tertium Francici Regni Ordinem observavit. Ex quo Viri Eruditi colligunt, Privilegium Suessionense Sancti Medardi Gregorio VII. recentius esse. Præterea Privilegium istud inscribitur *Omnibus Episcopis*, cùm alia Privilegia à Sancto Gregorio concessa minimè sic inscribantur: Et illud solum Episcopum Suessionensem attineret, in cujus Diœcesi Monasterium situm erat. Tertiò, duo Portuenses Episcopi, *Gregorius* & *Felix* privilegio subscribunt, cùm eodem tempore duos in eadem Sede Episcopos passus non sit S. Gregorius. Quartò, fictitia est civitas *Anania*, cujus Episcopus nomine *Petrus* Privilegio subscripsit. Lege *Joannis Launoii* Parisiensis Theologi Epistolas duas *ad Michaëlem Girardum Vertolensem Abbatem, contra Sammedardense Privilegium.* Lege & Religiosi viri *Roberti Quatrimaris* Ascetæ Benedictini lucubrationem quâ idem Privilegium tuetur. Lege etiam *Altesserra* Tolosani Jurisconsulti & Antecessoris Observationes in Epistolas Sancti Gregorii, quæ Joanni Launoio scribendi argumentum suppeditarunt; & quorum potior sit causa facilè judicabis.

In Epist. ad Hermannum Metensem Episcopum, 21. Lib. 8.

Epistola ad Felicem Messanæ Episcopum est S. Gregorii, sed interpolata.

Epistolam XXXII. Libri XII. datam ad *Felicem* Messanæ Episcopum *Blondellus* perperam abjudicavit Sancto Gregorio: Quam ab eo scriptam evincit testimonium Joannis Diaconi, qui ejus partem retulit *lib.* 2. *cap.* 37. Ejus etiam meminerunt *Hincmarus*, in Tractatu *De divortio Lotharii & Teberga Quæstione* 7. *Epistola* 33. *cap.* 4. & *Epistola* 59. *Regino* Abbas Prumiensis, qui florebat anno 900. in primo Appendice ad Libros *De Ecclesiasticis Disciplinis*, *cap.* 30. Tandem reperitur in multis Codicibus MSS. pluribus licèt interpolationibus deformata. Ante hanc Epistolam habetur in quibusdam MSS. Epistula *Felicis*, ad quam hic respondet Sanctus Gregorius. Sed hanc genuinam non esse, multa probant: Et maximè quòd in ea fiat mentio *Bonifacii Syracusani* Episcopi, qui nusquam fuit: Immò his temporibus fuisse *Joannem* Episcopum liquet ex pluribus Epistolis, & præsertim ex *Epistola* 22. *Libri XI.*

Epistola ad Augustinum, S. Gregorio vindicatur.

Epistolam XXXI. Libri XII. ad Augustinum datam *Rivetus*, & alii Pseudocritici malè Sancto Gregorio abjudicant. Nam etsi non reperiatur in multis Codicibus MSS. Regesti Sancti Gregorii, neque in MSS. Vaticanis primitus haberetur, ut constat ex Epistola 15. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi *ad Notelmum* Cantuariensem Episcopum, anno 745. certum tamen est eam extitisse in Anglis, quam scilicet *Venerabilis Beda* inseruit *lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum.* Hanc etiam Epistolam sub Sancti Gregorii Magni nomine laudant *Paterius* in lib. Testimoniorum, *Zacharias* in Concilio Romano anno 743. c. 15. *Ecbertus Eboracensis Episcopus*, qui vivebat anno 747. *cap.* 130. *Excerptorum*, *Halitgarus Cameracensis*, qui floruit anno 626. *lib.* 5. *cap.* 17. *Regino*, *Anselmus*, *Ivo*, *Gratianus*. Habetur demùm in pluribus MSS. Codicibus & in Collectione antiquissima Auctoris Anonymi, quæ habetur MS. in Collegio *Corporis Christi*, Oxoniæ.

Epist. ler synopsis.

Hâc Epistolâ respondet Sanctus Gregorius interrogationibus Augustini. Ad primam de bonorum Ecclesiasticorum distributione, respondet, in quatuor portiones dividenda secundùm Canones. Cæterùm Augustinum in Vitâ Monasticâ institutum communem cum Clericis suis vitam ducere debere. Ad secundam de Clericorum Matrimoniis, respondet, inferioribus Clericis, qui continere non possunt, permittendum ut uxores ducant; ipsis cùm nupserint, viritim assignanda stipendia, & invigilandum ut sub Regula Ecclesiastica vivant, à qua eos matrimonium non solvit. Ad tertiam, respondet, ipsum ex variis Ecclesiarum ritibus eos inducere posse in novellam Anglorum Ecclesiam, quos prudenter elegerit. Ad quartam, de Penitentiâ furum, & restitutione rerum Ecclesiasticorum, respondet, quosdam fures verberibus, pauperes scilicet, quosdam damnis puniendos: Damnis scilicet divites, verberibus pauperes, alios graviùs, alios levius. Ecclesiam sibi ablata cum augmento non recipere, & lucra de damnis non quærere. Proinde simplici restitutione contentam esse. Ad quintam respondet, duos fratres contrahere posse cum duabus sororibus. Ad sextam de gradibus consanguinitatis impedientibus matrimonium, indulget Anglis ut in tertia generatione copulentur. Ad septimam respondet, Eos qui ante conversionem suam in gradu prohibito contraxerint, non esse separandos, nec privandos communione, sed monendos ut abstineant ab usu matrimonii. Ad octavam respondet, Ordinationes Episcoporum fieri non debere sine tribus Episcopis, quorum unus ordinet, alii testes Ordinationis assistant; Sed Augustinum, qui solus tunc erat in Anglia Episcopus, sine Episcopis ordinare posse Episcopum. Ad nonam respondet, in Galliarum Ecclesiis nullam auctoritatem habere Augustinum, Britannorum verò omnium Episcoporum curam ipsi committit. Obsecratio Augustini ut Sanctus Gregorius S. Sixti Martyris Reliquias ad ipsum mittat, & Gregorii responsio, quâ ejus precibus annuere se testatur, sunt assutæ huic Epistolæ, absunt ab omnibus exemplaribus Bedæ, unde illam habemus, necnon à MSS. Telleriano & Carnotensi, & ab Editionibus 1504. & 1508. Præterea mittere reliquias à Sancti Gregorii more alienum est; ut constat ex *Epistola* 30. *lib.* 4. Ad decimam respondet, mulierem prægnantem baptizari posse; nihil obesse quin statim post partum ad Ecclesiam accedat. Cum eâ misceri virum non debere, donec ablactetur infans. Quod suadet tantummodo S. Pontifex, non præcipit. *Prava autem*, inquit, *in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex solâ causâ incontinentiæ videtur inventum: Quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex pravâ consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri.*

Ne mulier post partum viro misceatur, donec ablactetur infans, S. Gregorius suadet, non præcipit.

Viros uxoribus misceri non debere docet, cum suo sexui consueta patiuntur. Quod solius non esse consilii, sed præcepti, Theologi doctissimi, existimant, & Clementis Alexandrini, in *Pædagogo*, Sancti Chrysostomi *Homilia* 5. *in Epistolam ad Titum*. Sancti Augustini *Quæstione 64 in Leviticum*, testimoniis nituntur. Legatur Estius, *in IV. Sententiarum* Distinct. XXXII. §. v.... Oportere docet Sanctus Gregorius, *Ut legitima copula causâ prolis sit, non voluptatis. Si quis sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratiâ utitur, istum de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Corporis Dominici Sanguinisque Mysterio, suo esse relinquendum judicio.*

Aliæ de usu conjugii Regulæ.

Ad undecimam denique interrogationem respondet, Nocturnas illusiones, quæ ex naturæ superfluitate, vel infirmitate contingunt, à Sacris faciendis, aut percipiendâ Eucharistiâ non prohibere, *Quia hæc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse.* Illusiones ex nonnullâ crapulâ, sive intemperantiâ in cibo & potu (intellige si tanta non sit ut ad lethalis peccati malitiam pertingat) ream aliquatenus animam facere, *Non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri Mysterii, vel Missarum solennia celebrandi; cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi Mysterium, pro eo quòd Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit.* Aliam esse rationem, *Si ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis. Tunc enim patere animo suum reatum:* Ipsumque *videre à quâ radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens.* Hæc responsionum Sancti Gregorii ad Augustini interrogationes summa: Quas optandum fuisset ut nonnulli qui de Casibus conscientiæ scripserunt, subjecissent loco infinitarum Quæstionum, de usu matrimonii, quas animo utinam virginali! Stylo certè minùs casto pertractarunt, à quibus consultiùs abstinuissent.

Nocturnæ illusiones, quando ab Eucharistiæ communione prohibeant?

VI. *Antiphonarium* Sancto Gregorio tribuit Joannes Diaconus in ejus Vita *lib.* 2. *cap.* 6. quod non ita intelligendum quasi *Antiphona* composuerit omnia quæ in eo leguntur, sed quòd ea recensuerit, distinxerit, ordinaverit, novaque veteribus addiderit.

S. Gregorii Antiphonarium.

VII. *Sacramentarium*, seu *Liber Sacramentorum*, ex Codice Gelasii Papæ à Sancto Gregorio collectus, novis Orationibus & Præfationibus adjectis, ejus nomen retinuit, quamvis novis accessionibus excreverit. Ipsas Imperante Ludovico Pio resecasse dicitur *Amalarius Abbas*: an omnes? incertum. Sacramentarium Sancti Gregorii ediderunt *Pamelius*, *Tomo* 2. *Liturgicon*, *Angelus Rocca* ex MSS. Vaticanis, *Hugo Menardus* Asceta Benedictinus, ex venerandæ antiquitatis Codice MS. nomine *Sancti Eligii* insignito. Editiones illæ non omnino consonæ sunt. Unde apparet, auctum successione temporis Sancti Gregorii Sacramentarium. Quod etiam testatur *Walafridus Strabo*, *lib.* 5. *de Rebus Ecclesiasticis*, *cap.* 21.

S. Gregorii Sacramentarium.

VIII. *Commentarius in Libros Regum* videtur suppositus Sancto Gregorio 1. Quia Paterio Romanæ Ecclesiæ Notario & Secundicerio, Sanctique Gregorii discipulo, Sancto Isidoro Hispalensi, Tajo Cæsaraugustano Episcopo, Sancto Ildephonso, Venerabili Bedæ, qui vel testimonia ex omnibus Sancti Gregorii Operibus collegerunt, vel ejus Opera commemorarunt, vel Sancti Gregorii testimonia laudare solent, fuit incognitus. 2. Quia S. Gregorius *Epistola* 22. *lib.* 10. dum se locutum ait de libris Regum, libros illos absolutè & generatim pronuntiat,

Commentarius in libros Regum, S. Gregorio suppositus.

pronuntiat, non præcisè & speciatim hos aut illos. At Auctor hujusce Commentarii nonnisi sexdecim priora libri primi Regum Capita sibi proponit exponenda. 3. Auctor hujusce Commentarii vulgatâ Sacræ Scripturæ Versione utitur: Sanctus autem Gregorius Italica & Hieronymiana: Et multa loca non eo modo effert, quò solet S. Gregorius, ut ostendit eruditus Operum ipsius Editor Petrus Gunsavillæus in *Præfatione Tomi III.* 4. Stylus à Gregoriano discrepat. 5. Hunc Auctorem fuisse Monachum apparet, qui frequenter de Monachis, Monasteriorumque regimine ac disciplina sermonem habet, *lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. 3. lib. 4. cap. 4. lib. 5. cap. 3. lib. 6. cap. 5.* Demque Sanctus Gregorius de libris quidem Regum Sermones habuit ad populum, sed illos scripto tradere præ infirmitate non potuit. Excepti autem sunt à quodam Abbate *Claudio*, sed non juxta mentem S. Doctoris, ut ipse queritur *Epistola 22. libri X.*

Commentarius in Psalmos Pœnitentiales, non est S. Gregorii.

IX. *Commentarius in Psalmos Pœnitentiales*, incognitus pariter fuit Auctoribus coævis aut suppatibus S. Gregorio. Nullus extat in Gallia, in Anglia, imò nec Romæ in Vaticana, aut aliis Bibliothecis MS. hujus commentarii Codex, sicut nec Commentariorum in libros Regum, aut in Cantica, teste doctissimo Cardinali *Bona* in Literis ad *Gunsavillaeum* Gregorianorum Operum Editorem, datis die 28. Aprilis anno 1671. Tandem quæ de Regis tyrannide & persecutione in Ecclesiam habet ad versum 9 & 26. Psalmi 5. & in Proœmio Psalmi 7. cum Historia horum temporum non conveniunt: Cùm nec Mauritium, nec Phocam attingant, quorum pietatem & benignitatem Sanctus Gregorius laudavit. Sunt qui Gregorio VII. Commentarium istum adjudicent, quòd hæc loca Henricum IV. Imperatorem Gregorio VII. æqualem, & ipsi infensissimum spectare videantur.

Commentarius in Cantica non est S. Gregorii.

X. *Commentarius in Cantica Canticorum*, non est S. Gregorii. Non extat in MSS. Codicibus melioris Notæ: Et *S. Paterio* ignotus fuit, cujus silentium eloquentius est ut persuadeat hunc non esse S. Gregorii genuinum fœtum, quam S. Ildefonsi testimonium, ut illi tribuendum probetur hoc Opus.

S. Gregorius Linguæ Græcæ nescius.

Græcè nescivit S. Gregorius, ut ipsemet testatur lib. 6. Epistola 29. & lib. 9. Epistola 69. *Nos*, inquit, *nec Græcum novimus, nec aliquod Opus aliquando Græcè conscripsimus.*

Leviora sunt schismata quæ S. Gregorio Dallæus improperat.

Fatendum est, S. Gregorium in interpretatione *Cornustibii*, quod unius è Jobi filiabus nomen est apud Latinum Interpretem, lapsum esse. Id enim sic accepit, ac si esset ex cornu & tibia compositum, *Quia*, inquit, *per cornu & tibiam unum verbum ex utroque composuit* (Interpres Latinus) *utrumque verbum per unam orationis partem, in Latinâ Linguâ transfusum, quò voluit genere licitè vocavit* (Lib. 35. in Job cap. 21.) Movebat scilicet Sanctum Gregorium, quòd Interpres non *cornutibiam*, sed *cornustibium* dixisset, tunc non attendens quid esset Latinè *stibium*, nec advertens quod duæ voces essent, *cornu stibii*. Sed hic error levis est, & Grammaticæ, non dogmatis: Ob quem illiberaliter doctissimo Pontifici insultat petulans Calvinista Dallæus, *Lib. de vero Patrum usu.* Æquè levis est nævus alter quem

Dallæus castigatur.

Dallæus in S. Gregorio notat, quòd scilicet exponens illud è Canticis Canticorum: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, de Insula Cypro accipiat, in quâ, inquit, uberiores vineæ quàm alibi nascuntur: Nec attendit id hîc plantæ odoratissimæ nomen esse. Verùm imprudens Dallæus non attendit ipse, Commentarium in Cantica Canticorum, in quò id habetur, non esse S. Gregorii Magni.

ARTICULUS XVII.

De Mario Aventicensi, & Theophilacto Simocatta.

MARIUS *Aventicensis*, sive *Lausannensis* Episcopus, Concilio Secundo Matisconensi subscripsit. Nomen ejus sacris Fastis pridie Kalendas Januarias adscriptum est. Scripsit *Chronicon* à tempore quo Prosper desinit, sive à Consulibus Valentiniano VIII. & Anthemio, hoc est, à Christi æra vulgari 455. usque ad unum quingentesimum octogesimum primum. Quod ab *Andrea Duchesne Tom. I. Scriptorum Historiæ Francorum* insertum est.

II. THEOPHILACTUS SIMOCATTA, ex Ægypto oriundus, sexto cadente sæculo, & sub initium septimi floruit. De rebus à Mauritio Imperatore gestis libros octo Historiæ perscripsit, quos *Jacobus Pontanus S. I.* Latinitate donavit. Extant *Tomo I. Historiæ Byzantinæ.*

CAPUT V.

De Conciliis Nationalibus, & Provincialibus præcipuis, quibus Ecclesiastica Disciplina sancita, & instaurata est. VI. Sæculo.

ARTICULUS I.

De Concilio Agathensi.

* Agathæ, Agde de sur l'Arrault, en Languedoc, siège Episcopalis sub Archiepisc. Narbonensi.

AGATHÆ, * quæ Galliæ Narbonensis urbs est ad *Arauraris* fluvium, celebrata est Synodus anno Christi DVI. ad quam Episcopi triginta quinque ex variis Galliarum Provinciis convenerunt, *Alarico* Wisigothorum Rege, cui parebant, permittente, ut ex Præfatione patet. Huic præfuit *Cæsarius Arelatensis*. Canones quadraginta septem ad Ecclesiasticæ Disciplinæ in Galliis collapsæ restaurationem editi sunt. Qui enim supra hunc numerum excurrunt, aliunde postea, sed ex Epaonensi potissimùm Synodo depromptos, atque in hanc Synodi cujuspiam alterius auctoritate insertos, nec in antiquis optimæ notæ MSS. Exemplaribus extare, doctissimus *Sirmundus* monuit.

Summa Canonum.

Primus Canon Bigamos, aut internuptarum maritos hucusque ordinatos, nudum Presbyterorum, vel Diaconorum nomen retinere statuit, à Sacris verò Ministeriis in perpetuum removeri. *Secundus*, contumaces Clericos ab Episcopis corrigi jubet: ac si qui prioris gradûs communionem fortè contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, ad peregrinam Communionem, donec emendati fuerint, detrudendos: id est, Ecclesiæ quidem sumptibus ali, sed à suo gradu & dignitate suspensos; ex matricula expungi, non ab Eucharistia arceri. *Tertius Canon* decernit illis non negandam esse communionem, usque ad tempus Synodi, quos proprii Episcopi, vel insontes, vel levibus de caussis excommunicaverint, & à vicinis Episcopis moniti, ad gratiam recipere noluerint: ne fortè ad excommunicatoris peccatum, excommunicati longô tempore morte præveniantur. *Quartus Canon*, eos qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamentis relictas Ecclesiis, vel Monasteriis, retinuerint, aut abstulerint, anathemate percellit, velut *Necatores pauperum*, donec reddiderint. *Quintus*, Clericos Ecclesiæ fures ad peregrinam Communionem ablegat. *Sextus* decernit de testamentis, quæ à Fidelibus in gratiam Episcopi solius, vel Ecclesiæ simul & Epis-

Peregrina Communio.

Excommunicatio.

Donationes Ecclesiis factæ.

copi conduntur. Decernit, inqnam, ut quicquid Episcopo relictum fuerit, non quasi proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter illius facultates censeatur: quia testator *pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis illud obtulit: & justum est, ut sicut Sacerdos habet quod Ecclesia dimissum est, ita & Ecclesia habeat quod relinquitur Sacerdoti.* Excipit ea quæ per fideicommissum, Episcopo, vel Ecclesiæ, in gratiam alterius relicta fuerint. Ea enim Ecclesia retinere non potest.

Canon septimus, casellas, vel mancipiola Ecclesiæ, aut vasa Ministerii, ab Episcopis concedit possideri, *quasi commendata, integro Ecclesiæ jure*. ita ut res Ecclesiæ nec vendere, nec alienare possint. Venditionem autem, aut quamlibet earum alienationem, etiamsi Ecclesiæ necessitas aut utilitas postulent, absque examine & consensu duorum vel trium è Comprovincialibus, aut vicinis Episcopis fieri vetat.

Canon octavus. Clericum, *qui relicto officio suo, propter districtionem*, id est, ut pœnas canonicas vitet, *ad sæcularem Judicem confugerit*, ab Ecclesiæ communione removet, unà cum ipso Judice, *si solatium ipsi defensionis impenderit.*

Clericorum continentia.

Canon nonus, Siricii & Innocentii I. Summorum Pontificum Decreta circa Diaconos, aut Presbyteros conjugatos, qui ad torum uxorum suarum redierint, observari jubet. *Decimus Canon*, extraneis cum mulieribus commorari Clericos, aut ad eas accedere prohibet. *Undecimus*, ancillas, vel libertas, à cellâ, vel à secreto ministerio, & ab ædibus Clericorum penitus removet.

Que 'tagesimale Jejunia.

Canon duodecimus, solos dies Dominicos, non Sabbatha, Statuit à jejunio Quadragesimali excipienda. *Decimus-tertius*, Symbolum Competentibus unâ & eadem die, id est, octo diebus ante Pascha, in omnibus Ecclesiis tradi mandat. *Decimus-quartus*, Altaria non solâ Chrismatis unctione, sed etiam Episcopi benedictione consecrari præcipit.

Publicæ Pœnitentiæ Ritus.

Decimus-quintus. Pœnitentiæ imponendæ ritum præscribit; deponendam scilicet comam, vestimenta mutanda, cilicium super caput, & impositionem manuum à Sacerdote suscipiendam iis, qui Pœnitentiam petunt. Juvenibus Pœnitentiam non facilè committendam, propter ætatis fragilitatem. Viaticum nulli in morte negandum.

Ordinandorum ætas.

Decimus-sextus, Diaconos ante annum ætatis vigesimum-quintum vetat ordinari, conjugatos verò absque uxorum consensu, & conversione, seu professione continentiæ. *Decimus septimus*, Presbyteros, vel Episcopos ante trigesimum ætatis annum consecrari prohibet. *Decimus-octavus*, sæcularibus in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, Communionem imperat. *Decimus-nonus*, Sanctimoniales ante annum ætatis quadragesimum velati vetat, licet vitâ & moribus probatas. *Vigesimus*. Clericos nutrientes comam, ab Archidiacono vel invitos detonderi jubet, & vestimentis, atque calceamentis uti religioni congruis. Ex quo perspicuum est tunc vestes civiles Clericorum à sæcularium vestibus distinctas fuisse.

Clericorum habitus.

Oratoria seu Capellæ domesticæ.

Canon vigesimus-primus. Nobilibus, qui Oratoria in agris habent, extra Parochias in quibus est ordinarius legitimusque conventus, permittit ut in illis Missas celebrari curent, *propter fatigationem familiæ*, exceptis Paschate, Natali Domini, Epiphania, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali S. Joannis Baptistæ, vel aliis præcipuis Festivitatibus, in quibus si Clerici Missas in Oratoriis facere voluerint, nisi ex singulari mandato aut licentiâ Episcopi à Communione pelluntur. His enim diebus in Civitates, aut in Parochias ad Missam, & Officia sacra convenire Fideles omnes debent.

Bonorum Fi-'clii ... fructus Clericis ab Episcopo concessus.

Canon vigesimus-secundus, Presbyteros, vel Clericos, res Ecclesiæ tenere posse decernit, sicut permiserint Episcopi, non vendere, aut donare. Venditionem alioqui rescindendam, resarciendum Ecclesiæ damnum ex propriis ipsorum facultatibus, si quas habeant, & communione privandos. Jam tunc Episcopos usum-fructum bonorum Ecclesiasticorum Clericis concessisse vides: qui nihil aliud est quam Ecclesiasticum Beneficium. *Canon vigesimus-tertius*, probibet Episcopis, ne Juniores Clericos Senioribus præponant, sive qui priùs ordinati sunt: nisi mandata Episcopi pro Ecclesiæ utilitate imposita implere contempserint.

Canon vigesimus-quartus, Canonem Concilii *Vasensis*, de infantibus expositis, decernit observandum. *Vigesimus-quintus*, à Communione removet eos, qui dimittunt uxores, antequam dissidii caussas apud Episcopos Comprovinciales dixerint, & judicio damnatæ fuerint. *Vigesimus-sextus* anathemate ferit, ac restitutionis onere adstringit Clericos, qui suppresserint, negaverint, aut adversariis tradiderint documenta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur.

Divortii caussæ ab Episcopis judicandæ.

De Religiosis domibus.

Canon vigesimus-septimus, Monasterium novum, nisi Episcopo permittente, aut probante, inchoari, vel fundari: Monachos absque Abbatis sui testimonio & consensu ordinari vetat. *Vigesimus-octavus*, Monasteria puellarum procùl à Monachorum Cœnobiis constitui jubet, cùm propter insidias diaboli, tum propter oblocutiones hominum. *Vigesimus nonus* libertis à dominis suis legitimè factis Ecclesiæ tuitionem pollicetur. *Trigesimus* divini Officii ordinem præscribit, diebus omnibus decantandi.

Officium divinum.

Pertinaces inimicitiæ excommunicatione puniuntur.

Canon trigesimus primus pertinaces in odio inimicorum, excommunicatione plectit. Canonem integrum tenere memoriâ operæ pretium est. *Placuit etiam, ut sicut plerumque fit, quicumque odio, aut longinquâ inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diuturnâ intentione nequiverint, à civitatis primitus Sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur.*

Clericorum lites ad quod Tribunal deferendæ.

Trigesimus-secundus prohibet Clericis ne ad sæcularis tribunal Judicis quemquam vocent, aut in criminali negotio sint actores. Sæculares verò qui Ecclesiam, vel Clericum *fatigare per calumniam tentaverint, & victi fuerint*, excommunicatione percutit. Mendosa est istius Canonis lectio apud *Gratianum* XI. *Quæst.* I. Canone *Clericum*: & Concilii Agathensis evertit sententiam. Sic enim habet: *Clericum nullus præsumat apud sæcularem Judicem Episcopo non permittente pulsare, sed si pulsatus fuerit, non respondeat.* Sed legendum esse, *Clericus ne quemquam*, &c. &, *Si vocatus fuerit, respondeat*, antiqui & melioris notæ Codices MSS. docent, ut monuit doctissimus *Sirmondus*; & Concilium *Ephaonense* anno 517. celebratum, quod Canonum istum Agathensem renovat *Canone* XI. his verbis: *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum non præsumant: sed si pulsati fuerint, sequi ad sæculare Judicium non morentur.* Adde, Canonem Concilii Agathensis in Laicos duntaxat animadvertere, qui Clericum per calumniam ad forum sæculare trahunt. Significat ergo licitum fuisse Laïcis caussas Clericorum ad sæcularia tribunalia trahere, modò id sine calumniâ fieret. Denique hæc disciplina jamdudum abrogata est: Clericus enim actor sequitur forum rei, & in Laïcum agens, coram laïco Judice causam suam disceptat. (*Cap. Si Clericus*, §. *De foro competenti.*)

Canon trigesimus-tertius Episcopum perstringit, qui filios aut nepotes non habens, alium quàm Ecclesiam reliquerit hæredem. Cunctas ejus donationes ex Ecclesiæ rebus, non pro Ecclesiæ negotiis & commodis factas, irritas decernit: &, si filios habet, cogendos hæredes ut ex bonis ejus, indemnitati Ecclesiæ consulant. *Trigesimus-quartus*, Judæos qui convertuntur,

convertantur, octo mensibus inter Catechumenos institui jubet. *Trigesimus-quintus*, Episcopos à Metropolitano ad Synodum, vel ad Ordinationem alterius Episcopi invitatos, ad constitutam diem adesse jubet, nisi gravi corporis infirmitate, *aut Præceptione Regiâ prohibeantur*. Si defuerint, usque ad proximam Synodum, caritate Fratrum, & Ecclesiæ communione privantur. *Trigesimus sextus*, stipendia Clericis, *secundùm servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum*, à Sacerdotibus conferri statuit. *Trigesimus-septimus*, homicidas & falsos testes à communione removet. *Trigesimus-octavus*, Clericos sine commendatitiis Epistolis Episcopi evagari vetat, necnon & Monachos. Quibus insuper prohibet, ne ad solitarias cellas à Congregatione discedant, *Nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem, asperior ab Abbate Regula remittatur*. Ita tamen ut intra eadem Monasterii septa, sub Abbatis potestate separatas cellulas habeant. Abbatibus etiam *plura Monasteria* habere secundùm hunc Canonem, illicitum est, sed solùm *receptacula* seu hospitia *intra muros*, propter incursum hostium.

Concilia Provincialia.

Monastica disciplina.

Canon trigesimus-nonus sacros Ministros nuptiarum conviviis adesse vetat, aut cœtibus ubi amatoria cantantur, aut obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur: *Ne auditus & obtutus sacris Mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur*. Quadragesimus prohibet Christianis ne cum Judæis manducent, aut ipsos convivio excipiant. *Quadragesimus-primus* Clericos ebrietatis reos, triginta dierum spatio à communione removet, aut verberibus subjicit. *Quadragesimus secundus*, augures, & qui eos consulunt, arcet à communione. *Quadragesimus-tertius* antiquos, Canones renovat circa Pœnitentium irregularitatem, quos ordinari vetat, ordinatos à sacris Ministeriis suspendit. *Quadragesimus quartus*, benedictionem in Ecclesia super plebem fundi prohibet à Presbytero. *Quadragesimus-quintus*, terrulas, aut vineolas, Ecclesiæ minùs utiles, aut longè positas, absque consilio Coëpiscoporum, distrahendi facultatem Episcopo concedit. *Quadragesimus sextus*, eidem permittit ut servos Ecclesiæ fugitivos vendat. *Quadragesimus septimus*, Missas die Dominico à sæcularibus integras audiri præcipit: *Ita ut ante Benedictionem Sacerdotis egredi non præsumant. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur*.

Quàm casti Clericorum mores!

Integræ Missæ audiendæ Dominico die.

ARTICULUS II.

De Concilio Aurelianensi I.

Synodus *Aurelianensis Prima* anno Christi quingentesimo undecimo celebrata est ab Episcopis regni *Chlodovei*, eodem Rege Christianissimo convocante, ut constat ex Epistola Synodi ad ipsum datâ, quæ sic inscribitur: *Domino suo Catholicæ Ecclesiæ filio, Chlotovecho gloriosissimo Regi, omnes Sacerdotes quos ad Concilium convenire jussistis*. Et ex Præfatione Concilii: *Cum auctore Deo, ex evocatione gloriosissimi Regis Chlotovechi, in Aurelianensi urbe fuisset Concilium Summorum Antistitum congregatum*. Triginta & unum Canones edidit, quorum confirmationem postulavit à Rege, ut executioni faciliùs mandarentur illius auctoritate. Quâ de re his verbis ad ipsum scripserunt: *Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, secundùm voluntatis vestræ consultationem, & titulos quos dedistis, ea quæ nobis visum est definitione respondimus; ita ut si ea, quæ nos statuimus, etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus Regis ac Domini majori auctoritate servandam tantorum firmet sententiam Sacerdotum*.

Aurelianum, vulgò Orleans, ad Ligerim, Sedes Episcop. olim sub Archiepiscop. Senonensi, nunc sub Parisiensi.

Synodus à Rege convocata, qui & ejus Decretis publicæ Legis robur tribuit.

Canones, primus, secundus, & tertius, reorum qui ad Ecclesiam confugiunt, securitati consulunt. Statuunt scilicet secundùm Leges & Canones eos non debere petentibus restitui, nisi datô sacramentô de indemnitate personæ, cujus infractor anathematizatur. *Secundus* aliquid singulare decernit de raptoribus. Nam si puella rapta patrem non habet, nec raptori consensit, statim illam reddi jubet consanguineis: raptori verò, propter favorem & privilegium Ecclesiæ, pœnas corporales condonandas, eâ lege ut puellæ serviat, vel ab eâ se redimat. Si autem puella patrem habet, raptorique consensit, apud patrem excusandam esse, eique restituendam: raptorem verò patri puellæ teneri satisfactione simili. *Tertius*, confugia servorum spectat ad Ecclesiam cujus immunitatem ita tuetur, ut jus dominorum non lædat. Nam servus receptô sacramentô de impunitate, reddi domino debet. Si redire nolit, invitus à Domino occupari potest.

Asylum è Canonum.

Sacri jus asyli.

Canon quartus Clericos ex Laïcis ordinari vetat, *sine jussione Regis, aut voluntate Judicis* vices Regias obeuntis. Clericorum verò filios in Episcopi vult esse potestate. *Quintus* docet quomodo facultates Ecclesiæ dispensandæ sint: Scilicet *in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum* esse expendendas. *Sextus* vetat, eum qui ab Episcopo aliquid repetit, si nihil convicii, aut criminationis objiciat, pro solâ conventione excommunicari. *Septimus* prohibet Clericis, vel Monachis, ne ad Principem, beneficia quævis petituri, sine commendatitiis Episcopi sui literis accedant. *Octavus*, in locum servi, absente, aut nesciente domino in Clerum adscripti & ad Diaconatum aut Presbyteratum promoti, duos alios servos dari domino statuit, vel ab Episcopo, si servum esse noverit ante Ordinationem, vel ab iis qui pro ejus Ordinatione supplicarunt, si nescierit Episcopus. *Nonus* Diaconos & Presbyteros, capitalis criminis reos, officio simul & communione pellit. *Decimus*, Clericos ab hæresi conversos, ad Officium quô eos Episcopus dignos censuerit, cum impositæ manûs benedictione suscipi permittit: Ecclesias verò à Gothis Arianis occupatas, simili ritu quô nostræ innovari solent, consecrari jubet.

Bonorum Ecclesiæ dispensatio.

Canon undecimus, eos qui Religionem professi *ad sæcularia* relabuntur, id est, habitum moresque sæculi induunt, quos susceptâ pœnitentiâ exuerant; & à communione suspendit, & ab omnium Catholicorum conviviis separat. *Duodecimus* Diacono aut Presbytero, qui pro reatu suo se ab altaris Communione sub Pœnitentis professione submovit, baptismum conferre permittit, urgente necessitate, si alii defuerint. De Baptismo cum solemnitate intelligendus est Canon: & de Pœnitentiam voluntariam agentibus propter crimina, quorum nec convictio est, nec publica confessio. *Canon decimus-tertius*, relictas Clericorum, si aliis nupserint, separari jubet: in crimine contumaces excommunicatione plectis cum novis maritis, vel potiùs adulteris.

Pœna Religiosorum ad sæculum relapsorum.

Canon decimus-quartus, & decimus-quintus, prædia omnia, mancipia, & peculia Ecclesiis donata, in Episcopi ceu supremi administratoris potestate esse decernit. Oblationum verò medietatem alteram Clero, viritim, secundùm gradus dispensandam sive distribuendam. Quod de Clero Matricis Ecclesiæ intelligitur. Nam in Parochianis Ecclesiis tertiam duntaxat partem oblationum obvenientium Episcopo vendicat Canon decimus-quintus. *Decimus-sextus* Episcopum pauperibus, vel infirmis, qui præ debilitate laborare non possunt, victum & vestitum, secundùm facultatem suam, largiri debere docet.

Episcopales eleemosynæ.

Decimus-septimus, novas Ecclesias ei subjicit Episcopo, in cujus territorio sitæ sunt. *Decimus-octavus* connubium fratris cum uxore fratris defuncti, aut cum

Ecclesiæ potestas in sæcul. Matrimonii impedimenta.

cum sorore propriæ uxoris prohibet sub pœna animadversionis Ecclesiasticæ. Affinitatem in primo gradu statuunt impedimentum prohibens matrimonium contrahendum Gallicani Patres, non dirimens contractum. Nam separationem sic contrahentium non præcipiunt, sed solùm eos decernunt *Ecclesiasticâ districtione feriendos*.

Monastica Disciplina.

Canon decimus-nonus statuit ut *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra Regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur*. Ut semel quotannis in locum ab Episcopo designandum conveniant: Ut Monachis, qui peculiare aliquid habere præsumpserint, *omnia quæ acquisierint, ab Abbatibus auferantur, secundum Regulam Monasterio profutura*. Ut Monachi vagi, cum auxilio Episcopi, tanquam fugaces, sub custodia revocentur. Ut Monachi alieni non suscipiantur. *Canon vigesimus* prohibet Monachis uti *orario* in Monasterio, vel *tzangas* habere. Hìc propriè orarium significat linteum quo facies tergitur, cujus usum Monachis prohibuit Synodus Aurelianensis, & post ipsam S. Isidorus in *Regula Monachorum*. Cap. 12. Vocabulum istud eo sensu ipsum usurpasse, patet ex eo quod non multò post subdit, non debere Monachum vultûs curam gerere, ne lasciviæ & petulantiæ crimen incurrat. *Tzanga* seu *Zancha*, calceamenta sunt, ἀπὸ τοῦ ἄγχω, quod est *constringo*, à constringendo pede. *Trebellius Pollio*, in *Claudio*, meminit Zancharum Parthicarum, seu calceamentorum è pelle Parthica. Monachis itaque sæcularia calceamenta quæ pedem adstringunt, ornántque, prohibet Canon Aurelianensis, calceos tantùm modestos & follicantes concedit. *Canon vigesimus-primus*, Monachos qui apostatarant, & nubunt, ab Ecclesiastici gradûs Officio in perpetuum arcet. *Vigesimus-secundus* vetat Monachis, ne congregatione Monasterii derelictâ, cellulam construere sine Episcopi permissione, & Abbatis voluntate præsumant.

Canon *vigesimus-tertius* præscriptionem Ecclesiæ opponi non posse decernit, cùm longa annorum spatia transierunt, ex quibus Episcopus, *Humanitatis intuitu, vineolas, vel terrulas Clericis, vel Monachis præstitit excolendas, vel pro tempore tenendas*.

Quadragesima.

Vigesimus quartus statuit *Ut ante Pascha Solemnitatem, non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur*. Quod contra eos constitutum est, qui Sabbatho jejunium intermittebant, & ideo jejunare incipiebant à Quinquagesima. Volunt autem Gallicani Patres, ut unus sit in Galliarum Ecclesiis Jejunii Quadragesimalis ritus, utque soli dies Dominici à jejunio excipiantur, *Canon vigesimus-quintus*, Cives solemnitatem Natalis Domini, Paschæ, & Quinquagesimæ, id est, Pentecostes, in villâ celebrare vetat, nisi fuerint infirmitate detenti.

Integra Missæ auditio.

Vigesimus-sextus populum ante completa Missæ solemnia, & acceptam Episcopi benedictionem, si adfuerit, ex Ecclesia egredi prohibet.

Rogationes.

Canones vigesimus-septimus, & vigesimus octavus, Rogationes, id est, Litanias, & triduanum jejunium, ante Ascensionem Domini decernit celebrari; & servos ac ancillas per hoc triduum ab omni opere relaxari, quò magis plebs universa conveniat: emendandos verò Clericos, qui ad hoc opus sanctum adesse contempserint. *Vigesimus nonus* præcedentium Conciliorum Canones circa familiaritatem extranearum mulierum Clericis prohibitam confirmat. *Trigesimus* eos qui divinationem profitentur, vel qui eis credunt, pellit à communione. *Trigesimus-primus* Episcopum die Dominico adesse jubet Ecclesiæ, cui proximus est.

Ex iis qui Synodo Aurelianensi adfuerunt, Episcopis, Ecclesiæ Fastis sunt adscripti, & sacris honoribus coluntur, *Melanius* Redonensis; *Gilbaredus*, seu *Gildardus* Rotomagensis, *Quintianus* Rutenensis, *Theodosius* Autissiodorensis, *Aventinus* Carnotensis, *Principius* Cenomanensis, *Camillianus* Trecensis, & *Livanius* Sylvanectensis. Cùm Litharedum Oxomensem Episcopum in subscriptionibus legis, Sagiensem Episcopum sub Metropoli Rotomagensi intelligi. *Oximi* * enim, quod Oximensis pagi sub Sagiensi Episcopatu hodie caput est, olim Episcopalis Cathedra fuit, postea *Sagium* * translata.

* Hiesme.
* Sées.

Scholion.

In hoc Articulo, pag. 226. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem velut meam notant: *Clerici Beneficia procurantes apud Papam sine commendatitiis Episcopi sui literis excommunicantur.*

R. Hæc propositio (de qua nihil aliud impræsentiarum dicemus) non est mea, qui Papam eo loci ne quidem nomino. Concilii Aurelianensis I. Canones summatim refero. De septimo sic loquor: *Septimus prohibet Clericis vel Monachis, ne ad Principem Beneficia quæsiti petituri, sine commendatitiis Episcopi sui Literis accedant.* Galliæ Concilium est. An Principis nomine in Galliis, vel in aliis Christiani nominis Regnis, Rebuspublicis, aut Statibus, Romanus Pontifex intelligitur, qui Statum Ecclesiasticis finibus circumscriptum habet, (quem eo sæculo nullum habebat) temporalem principatum? Excommunicationis, non magis quàm Papæ vocabulum aut æquivalentia nomina eo loci apud me leguntur. Nemo tamen de Romano Pontifice piè sentiens sibi persuaserit Christi Vicarium Clericis vagis & ignotis beneficia collaturum.

ARTICULUS III.

De Concilio Tarraconensi.

Tarraco, vulgò Tarragona, ad Mare, sedes Archiepiscopi.

T*Arracone*, * quæ Cataloniæ Metropolitana Civitas est, anno Christi quingentesimo decimo-sexto, sub *Hormisda* Pontificatu, *Theodorico* Rege Hispanis dominante, Synodus Provincialis celebrata est, cui decem Episcopi interfuerunt, & in qua tredecim editi sunt Canones ad Ecclesiasticam Disciplinam restaurandam.

Summa Canonum.

Primus Clericis, & Monachis prohibet ne consanguineas, absque teste fide & ætate probato, invisant, aut apud eas maneant. Qui huic decreto non paruerit Clericus, in ordinem redigitur; Monachus in cellâ Monasterii reclusus, jejunio in pane & aqua castigatur. *Secundus Canon* rejicit à Clero eos *qui emendi vilius, vel vendendi carius studio utuntur*: id est, negotium omne prohibet Clericis, nisi à gradu suo excidere velint. *Tertius* Clericum, qui pecuniam præstiterit ut vinum vel frumentum statuto tempore accipiat, si his speciebus non indigeat, quam dedit pecuniam, sine usurâ recipere jubet.

De moribus & honestate Clericorum.

Quartus Canon Episcopos, Presbyteros, vel Clericos, diebus Dominicis, caussis quibuscunque judicandis prohibet vacare; cæteris diebus permittit, si partes illorum arbitrio & æquitati jura sua commiserint. Criminalium autem negotiorum cognitione illis interdicit. *Quintus* jubet Episcopum, qui à Metropolitano suo non fuerit ordinatus, sed ipso tantùm per literas consentiente, coram eo se sistere post duos ab Ordinatione suâ menses, ut ab illo quæ sunt Officii sui edoceatur. *Sextus* Episcopum ad Synodum à Metropolitano invitatum, & venire contemnentem, cæterorum communione ad proximam usque Synodum privat. *Septimus* statuit ut in Diœcesanis Ecclesiis Presbyteri, vel Diaconi ibidem constituti, suâ quisque hebdomadâ, cùm Clericis, Officium divinum alternis celebrent: ita tamen ut Sabbatho Clerus omnis ad Vesperam conveniat, ut Dominicam diem simul omnes celebrent: eâ etiam lege ut singulis diebus Vespertinum & Matutinum Officium celebretur.

Officii divini Celebratio.

Episcopalis Visitatio.

Octavus Canon decernit ut Episcopus Diœcesanas Ecclesias singulis annis visitet, earúmque reparationem curet. Propterea enim tertiam oblationum partem ex omnibus Ecclesiis ipsum percipere, secundùm

secundùm antiquam consuetudinem, quis reparationum curandum onus ipsi incumbit.

Nonus Canon Clericos dejicit, qui mulieribus adulteris miscentur. *Decimus* Clericos, velut exactores fœnoris, gradu suo movendos decernit, qui more sæcularium Judicum, munera pro impenso patrocinio accipere ausi fuerint, nisi fortè in Ecclesia gratuitò, & impulsu devotionis offerantur. *Undecimus*, Monachos aliquod Ministerium Ecclesiasticum extra Monasterium agere prohibet, absque imperio Abbatis, & negotia forensia procurare, nisi pro Monasterii commodo id illis præcipiat Abbas. Jubet tandem circa illos disciplinam servari Gallicanis Canonibus constitutam. *Canon duodecimus* statuit, ut cùm Episcopus mortuus est intestatus, Presbyteri & Diaconi Breve accuratum, sive inventarium supellectilis illius, & rerum omnium, conficiant. *Canon decimus-tertius* statuit, ut Metropolitanus Presbyteros aliquos non solùm è Cathedralibus Ecclesiis, sed etiam ex Diœcesanis, & aliquos etiam è sæcularibus selectos ab Episcopis, ad Synodum adduci curet. Quibus tamen nullum jus tribuitur in Synodo, sed solùm ut spectatores & testes, sive ut comites & adjutores Episcoporum admittuntur.

ARTICULUS IV.

De Concilio Gerundensi.

* Gerunda, Gerunne Sedes Episcopalis sub Archiepiscopo Tarraconensi.

GErunda, * quæ Cataloniæ urbs est, Tarraconensi Metropoli subdita, congregata est Synodus anno Christi quingentesimo decimo-septimo, *Theodorico* Rege Gothorum Hispanis dominante: in quâ septem considentibus Episcopis, decem Canones editi sunt.

Summa Canonum.

Primus Canon eumdem Missæ, & Psalmodiæ ordinem in totâ Provincia Tarraconensi servari statuit, qui in Metropolitana Ecclesia servatur. *Secundus & tertius* duas Litanias, sive Rogationes, aut publicas supplicationes quotannis statuunt celebrandas: Priores hebdomadâ post Pentecostem, à quinta feriâ usque ad Sabbathum: Secundas, Kalendis Novembris, nisi dies Dominica fuerit: tunc enim in sequentem hebdomadam transferebantur, & eodem ritu celebrabantur quô priores. In utrisque indicta est triduana à carnibus & vino abstinentia. *Canones quartus & quintus* de tempore Baptismi conferendi decernunt: scilicet, solemnem Baptismum diebus tantùm Paschatis & Pentecostes Catechumenis administrandum: infirmis, quocumque tempore: infantibus, etiam eadem die quâ nati sunt, si in periculo versentur. *Canon sextus* Clericos conjugatos, ab Episcopo usque ad Subdiaconum, vel seorsim ab uxoribus habitare, vel concellaneum Clericum vitæ suæ & conversationis assiduum testem habere jubet. *Septimus Canon* extraneas fœminas rei domesticæ gubernandæ causâ in Clericorum domos induci vetat, Matrem, aut sororem solas admittit. *Octavus* laïcis Bigamis, seu qui aliam, post uxorem, cujuscumque conditionis mulierem cognoverint, aditum ad Clerum præcludit. *Nonus Canon* decernit, ut qui infirmitate oppressus, Pœnitentiæ benedictionem, quæ Viaticum censebatur, per communionem acceperit: id est, qui cum simplici reconciliatione & absolutione Sacerdotis, Pœnitentiam susceperit, & restitutâ sanitate, caput Pœnitentiæ luctuosæ in Ecclesia publicè non subdiderit, admittatur in Clerum, si vitiis prohibitis non detinetur obnoxius. *Decimus Canon* Orationem Dominicam, post Matutinum & Vespertinum Officium, singulis diebus à Sacerdote proferri statuit.

Rogationes duæ.

Baptismi tempus.

Sacrorum Ministrorum continentia.

ARTICULUS V.

De Concilio Epaonensi.

EPISCOPI viginti quinque, qui *Sigismundo* Burgundionum Regi parebant, anno Christi quingentesimo decimo septimo, XVII. Kalendas Octobris *Epaonem* sive *Eponam*, * qui locus est non longè Agauno * distans, ut vult *P. Labbeus*, ad Synodum convenerunt. Provinciæ Viennensis Antistites ad illam convocavit Sanctus Avitus, Epistolâ quæ Canonibus proponitur, quibus condendis & ipse præfuit, & primo loco subscripsit. Sunt autem Canones quadraginta.

* Epaon, sive Epone. * S. Mauritio.

Primus Episcopos ad Concilium, aut Ordinationem, à Metropolitano vocatos, adesse jubet. *Secundus* Bigamos & renuptarum maritos: *Tertius* Pœnitentes, à Sacris arcent Ordinibus, & ab omni Clericali Ministerio. *Quartus*, Canes ad venandum vel accipitres, Episcopis, Presbyteris & Diaconis habere vetat: Statuitque ut Episcopus hujus Canonis transgressor tribus mensibus à Communione se suspendat; duobus Presbyter abstineatur; unô Diaconus ab omni Officio & Communione cesset. *Quintus* Presbyterum, absque sui licentiâ Episcopi, in alieni territorii Ecclesiis, aut Oratoriis, Sacra facere prohibet. *Sextus* Clericis, sine Episcopi sui Epistolis ambulantibus, Communionem vetat impendi. *Septimus* alienationes rerum Ecclesiasticarum à Presbyteris factas, irritas declarat, & comparantis actionem in venditorem vertendam. *Octavus* præcipit ut Presbyter, dum Diœcesim tenet, id est Curatus, dum Parochiam regit, de his quæ emit, scribi curet instrumenta, sive contractus, Ecclesiæ nomine; aut excidat ejus Ecclesiæ administratione. Venditiones ab Abbatibus factas, inconsultis Episcopis, rescindit. Mancipia Monachis donata ab Abbate manumitti non vult; *Quia injustum est ut Monachis quotidianum Opus rurale facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.* Ex quo patet, Monachos labore manuum se exercuisse, & agriculturæ vacasse. *Nonus* prohibet Abbates duobus Monasteriis præsidere. Beneficiorum hujusmodi pluralitas exitiosa Patribus visa est. *Decimus* Cellas novas, aut Congregatiunculas Monachorum, vetat institui absque notitia Episcopi.

Summa Canonum.

Venatio Episcopis, Presbyteris, & Diaconis vetita.

Monachi Opus rurale facientes.

Canon undecimus Clericos sæcularia judicia, absque licentiâ Episcopi, adire vetat, pulsatos respondere jubet. Secundùm *duodecimum*, Episcopus res Ecclesiæ suæ, non conscio Metropolitano, vendere non potest; commutare utiliter potest. Ex *decimo-tertio*, Clericus falsi testimonii convictus, capitalis criminis reus censetur. Ex *decimo-quarto*, Clericus ad Summum Sacerdotium alterius Ecclesiæ provectus, restituere debet Ecclesiæ, cui ministravit, & ex quâ assumitur, quicquid ab ipsâ dono accepit. Hæreticorum convivus Clericos, Judæorum mensæ Laïcos etiam Fideles assidere vetat *Canon decimus-quintus*. Pœnæ autem inæquales in Clericos majores & juniores decernuntur. Primis namque anni spatio pax Ecclesiæ sive communio subtrahitur; Alii verberibus excipiuntur. *Canon decimus-sextus* Presbyteris permittit ut hæreticos, quorum desperata valetudo est, si subitò convertantur ad fidem, Chrismate consignent, quò ritu in Ecclesiam suscipiebantur. *Canon decimus-septimus* testamenta Episcoporum, qui de bonis Ecclesiæ aliquid legaverint, mittit in irritum, nisi damnum illius ex propriis bonis resarciverint. *Decimus-octavus* decernit clericos ut proprias sibi vendicare non posse res Ecclesiæ, qualibet præscriptione temporis, etsi *absque precatoriis* eas possederint *ex remuneratione Ecclesiæ, cum auctoritate Principis.*

Decimus-nonus Abbatem reum, qui ab Episcopo suo noluerit accipere Successorem, ad Metropolitani tribunal deduci jubet. *Vigesimus* fœminarum visitationes, sine testibus, horis præsertim meridianis & vespertinis, Clericis omnibus prohibet. *Vigesimus-primus* Diaconissarum consecrationem abrogat, quibus solam Pœnitentiæ benedictionem decernit imponendam. Antea scilicet in Occidentali Ecclesia, sicut in Orientali ordinabantur; sed mos ille in Galliis abrogari cœpit Concilii Epaonensis Decreto. Hic autem Pœnitentiæ benedictio, non est intelligenda manuum impositio quæ fiebat publicis Pœnitentibus, sed propositum continentiæ, quod earum habebat, & precibus suis Deo commendabat Ecclesia. Quæ interpretatio colligitur ex Canone vigesimo Concilii II. *Turonensis*, hunc Canonem laudante.

Fœminarum visitationes sine testibus Clericis prohibitæ.

Diaconissarum Ordinatio abrogatur.

Vigesimus-secundus, Presbyterum, aut Diaconum capitalis criminis reum degradatione plectendum statuit, & in Monasterium detrudendum ad agendam toto vitæ decursu Pœnitentiam, solâ communione concessâ. *Vigesimus-tertius*, professæ Pœnitentiæ desertores excommunicat, nisi ad illam redeant. *Vigesimus-quartus* permittit Laïcis ut cujuscumque gradûs Clericos accusent, modò vera suggerant. *Vigesimus-quintus* Sanctorum reliquias in villarum Oratoriis deponi vetat, nisi Clerici vicinæ Parochiæ *Sacris Cineribus psallendi frequentiâ famulentur.* Qui si defuerint, proprios sive titulares ante ordinari vetat, quàm eis competens victûs & vestitûs substantia deputetur. *Vigesimus sextus* Altaria, nisi lapidea, Chrismatis unctione prohibet consecrari. *Vigesimus-septimus* eundem ordinem & ritum in divinorum Officiorum celebratione statuit observari in omnibus Provinciæ Ecclesiis, ac in Metropoli. *Vigesimus-octavus* licere declarat Episcopo damnatos à suo Decessore absolvere, si pœnitentes sint. Quia in re nimium scrupulosa erat quorumdam Antistitum religio, ne sui Decessoris acta rescindere viderentur. *Vigesimus nonus* lapsos qui ab Ecclesia Catholica ad hæresim defecerunt, post biennii Pœnitentiam, eô modô actam, quo præscribit, admittit ad Eucharistiam, veterum Canonum, qui grandem redeundi difficultatem apostatis sanxerunt, severitate temperatâ.

Sanctorum Reliquiarum cultus.

Canon trigesimus incestis conjunctionibus *nihil veniæ reservandum statuit, nisi cum adulterium separatione sanaverint.* Incestos verò, *nec ullo conjugii nomine prævelandos* declarat: *Qui relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit: Si quis frater germanam uxoris suæ accipiat: Si quis novercam duxerit; si relictam avunculi, vel patrui; si privignam sive filiastram: si consobrinam, vel sobrinam*: Hæc impedimenta dirimentia matrimonium. Unde qui sic conjuncti sunt, *habent ineundi melioris conjugii libertatem*: Consobrinorum tamen matrimonia jam contracta non dirimunt Epaonenses Patres, sed in futurum contrahenda. *Si quis consobrinæ, sobrinæve se societ: Quod ut à præsenti tempore prohibemus, ita ea quæ sunt anteriùs instituta, non solvimus.* Impedimenta matrimonium dirimentia constituit Synodus auctoritate propriâ, non precariâ, & à Principibus emendicatâ: Quibus istud juris nunquam convenit ut matrimonio quatenus Sacramentum est, impedimenta apponerent: Quod infeliciter omninò ipsis vendicare conatus est *Joannes Launoius* in Libro *De Jure Principum in Christianorum matrimonia.*

Ecclesia propria auctoritate constituit impedimenta Matrimonium.

Canon trigesimus-primus Canones Ancyranos circa Pœnitentiam homicidarum, qui sæculi leges evaserunt, observari decernit. *Trigesimus-secundus* relictam Presbyteri, vel Diaconi, ad secundas nuptias convolantem, pellit à Communione, donec à conjunctione illicitâ separetur. Professa namque continentia, cùm ordinati fuerant ipsarum mariti, eas ad aliud matrimonium contrahendum fecerat inhabiles. *Trigesimus-tertius* Ecclesias Catholicorum ab hæreticis occupatas, ad Sanctos usus revocari posse statuit: Quæ verò solis hæreticorum conventibus inservierunt, despiciendas esse.

Trigesimus-quartus, biennii excommunicatione plectit eum, qui servum proprium occiderit sine Sententia Judicis. *Trigesimus-quintus*, cives honoratos in Paschate ac Natali Domini, ad civitatem in qua residet Episcopus, accedere jubet, ut benedictionem accipiant. *Trigesimus-sextus*, Pœnitentibus in mortis discrimine positis constituta Pœnitentiæ tempora relaxat: Si convalescant, statutum per Canones tempus vult observare. *Trigesimus-septimus*, Laïcos, nisi præmissâ conversione, & diu probatos, vetat Clericos ordinari. *Trigesimus-octavus* Clericos, qui Monasteria Virginum ad rem sacram faciendam ingrediuntur, statim egredi præcipit exactô Ministeriô. Aliàs Clericum, aut Monachum juvenem ad Puellarum Congregationem accedere prohibet. *Trigesimus-nonus* servum atrocioris criminis reum, si ad Ecclesiam confugerit, à corporalibus tantùm suppliciis statuit absolvendum. *Quadragesimus*, Episcopos qui his Canonibus subscripserunt, & eorum Successores, reos divinitatis pariter & fraternitatis judiciô futuros declarat, si ipsos violaverint.

Ex Episcopis qui Synodo Epaonensi subscripserunt, Sanctorum Catalogo sunt adscripti, *Avitus Viennensis, Apollinarius Valentinus, Claudius Vesontiensis, Gregorius Lingonensis, Pragmatius Augustodunensis, Viventiolus Lugdunensis.*

Ex *Aviti* Viennensis Epistolâ Canonibus præmissâ discimus, Romanos Pontifices urgisse Metropolitanos frequentibus Epistolis ut Synodos convocarent, quarum celebrationem ad restaurandam, aut fovendam disciplinam maximè conducere noverant. *Conventus*, inquit Avitus, *quos bis per annum à Sacerdotibus fieri, Seniorum cura decreverat, utinam vel singula post biennia faceremus! Nam & Venerabilis Papa Urbis, nobis hanc negligentiam succensens, mordacia mihi nonnunquam Scripta perlata sunt.*

Romani Pontifices Episcopos urgebant ut Concilia Provincialia celebrarent.

ARTICULUS VI.

De Concilio Lugdunensi I.

NON multò post *Epaonense* Concilium, *Lugdunense* * à *Viventiolo* Episcopo Lugdunensi congregatum est: In quo decem Episcopis assidentibus, sex Canones conditi sunt. *Primus* spectat causam *Stephani* cujusdam incestuosi, quem cum *Placidia* cognatâ, cui se nefariè conjunxerat, Synodus ab Ecclesiæ liminibus expulit. Quam tamen Sententiam, rogante Rege *Sigismundo* sic temperarunt Patres *Canone 6.* ut ipsis in Ecclesia orare permitterent, usque ad orationem plebis, quæ post Evangelia legitur.

*Lugdunum, vulgo Lyon, urbs Archiepiscop.

Summa Canonum.

Secundo & tertio Canone, Sanctam quamdam conspirationem caritatis ineunt Antistites, ut unô ipsorum tribulationem quamcumque à Potestatibus patiente compatiantur cæteri, & illum juvent. Quod si se Rex ab Ecclesia, vel Sacerdotum Communione suspenderit, Antistites se in Monasteria recipiant, donec pacem integram restituere pro suâ potentiâ, vel pietate dignatus sit. Ita ut eorum nemo ex Monasterio, in quod secesserit, priùs discedat, quàm cunctis generatim Fratribus pax fuerit promissa, vel reddita. *Quartus Canon*, Episcopos alienas Parochias, aut Ordinationum jura usurpantes, à Communione Fratrum suspendit. Quintus perpetuo ferit anathemate Sedis alienæ invasores, & qui eorum Ordinationi intersunt.

ARTICULUS VII.

ARTICULUS VII.

De Concilio Ilerdensi.

ANNO Christi quingentesimo vigesimo-quarto, *Theodorico* Rege Visigothorum Hispanis dominante, Synodus *Ilerda* * celebrata est, quæ Hispaniæ civitas est, Tarraconensis Provinciæ. Adfuere novem Episcopi: Canones sexdecim editi sunt.

* *Ilerda*, vulgò *Lerida*, urbs Cataloniæ, Sedes Episcop. sub Archiepisc. Tarraconensi.

Summa Canonum.

Primus, Clericos qui in obsidionis angustiis hostilem sanguinem effuderint, duobus annis, non solùm ab Officio, sed etiam à Communione suspendit, & vigiliis, jejuniis, orationibus, eleemosynis expiari jubet. *Secundus*, utriusque sexûs adulteros, post septem tantùm annorum pœnitentiam, ad Communionem recipiendos decernit. Si Clerici fuerint, eos à Ministerio removet in perpetuum: Id unum indulgens, ut in Chorum Psallentium, post receptam Communionem admittantur. Iis verò qui malè conceptos fœtus necare, vel in uteris matrum potionibus quibusdam extinguere studuerint, in exitu duntaxat Communionem decernit tribuendam, si facinora sua omni tempore vitæ defleverint. *Canon tertius*, Synodorum *Agathensis*, & *Aurelianensis* Decreta circa Monachos observari præcipit. Monasteriorum facultates à Diœcesana lege eximit, & ab Episcopis contingi vetat. Prohibet Laïcis, qui Ecclesias suis impensis extruxerunt, ne eas *sub Monasterii specie, ubi Congregatio non colligitur*, id est, ubi non fit Christianæ plebis conventus, *vel regula ab Episcopo non constituitur*, *à Diœcesana lege*, id est, ab administratione Episcopi segregent. *Canon Quartus*, incestûs reos, quamdiu in illicitâ conjunctione perseveraot, usque ad Missam tantùm Catechumenorum in Ecclesiam admitti statuit. *Quintus*, Ministros altaris, subitò carnis fragilitate lapsos, si veram Pœnitentiam agant, citiùs ab Episcopis in sua Officia restitui posse decernit, non tamen ad altiora promoveri: Si relapsi fuerint, non solùm Officio, sed Communione, ad exitum usque privandos. *Sextus*, eos qui Viduis continentibus, aut religiosis Virginibus vim stupri inferunt, à Communione segregat. *Septimus*, cum qui cum aliquo litigans, sacramento se adstrinxit ad pacem cum adversario suo nunquam ineundam, pro perjurio segregat à Communione Corporis & Sanguinis Christi anno integro, quo reatum suum eleemosynis, fletibus, & jejuniis abluet: Ad caritatem verò quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinabit. *Octavus*, Clericos qui servos, aut Discipulos suos ad Ecclesiam confugientes inde extraxerint, vel flagellaverint, expellit è loco sacro qui honorem non detulerunt, donec dignam Pœnitentiam egerint. *Nonus*, eos qui se rebaptizari consenserunt, Pœnitentiam Canone X. Nicænæ Synodi lapsis præscriptam agere decernit. *Decimus*, eos qui ex Ecclesia ob aliquam culpam à Sacerdote exire jussi, non parent ejus mandatis, tardiùs ad veniam recipi statuit in pœnam contumaciæ.

Abortum procurantium pœna Canonica.

Disciplina erga Ministros altaris in carnalia peccata lapsos observata.

Litigantes perjuriosi.

Undecimus, Clericos in mutuam cædem prorumpentes, pro dignitate Officiorum, quibus illata est contumelia, districtiùs ab Episcopo puniri statuit. *Duodecimus*, veniam concedit Canonum hucusque in Ordinationibus Sacris violatorum: suspendendos verò decernit inposterum ab Ordinationibus, qui contra Canones aliquem ordinaverint, & deponendos, qui sic fuerint ordinati. *Decimus tertius*, Oblationem illorum nullatenus in Ecclesia recipiendam sancit: qui filios suos hæreticis obtulerint baptisandos. *Decimus quartus*, Fideles cum rebaptizatis etiam manducare prohibet. *Decimus quintus*, Clericos de mulierum extranearum familiaritate semel & iterum reprehensos, donec se emendaverint, Officio privat. *Decimus sextus*, eos qui spolia defunctorum Episcoporum diripiunt, vel ut sacrilegii reos, diuturno anathemate damnandos, & vix peregrina donandos Communione decernit. Anathema hic sumitur in latiori significatione, pro quacunque pœnâ Ecclesiasticâ. Qui enim ad peregrinam Communionem redacti erant, propriè non erant excommunicati, sed ad statum dumtaxat detrusi peregrinorum Clericorum, qui sine Literis Formatis iter agebant. Omni namque humanitatis officio excipiebantur, nullis tamen sui Ordinis fungi sinebantur muneribus, & nemo cum illis tanquam cum Clericis communicabat. A Communione tamen Eucharistiæ non prohibebantur, quæ nec peregrinis quidem & ignotis negabatur umquam, si se verè Orthodoxos probarent. Putat doctissimus *Albaspinæus* desumptam hanc pœnam ex legibus Romanorum, quibus sancitum erat, ut deportati & extorres jus civitatis, & ea quæ juris erant civilis amitterent, ea tantùm retinentes, quæ sunt Juris gentium, ut docent *Ulpianus lib.* 1. §. 2. & 4. §. *de Legatis III.* Et *Marcianus* ibidem *de pœnis l.* 17. Testatur etiam *Suetonius*, *in Claudio*, *cap.* 6. redactos quandoque Romæ Viros Illustres ad peregrinitatem. *Splendidum virum*, inquit, *Græciæque Provinciæ Principem*, *verùm Latini sermonis ignarum*, *non modò albo Judicum erasit*, *sed etiam in peregrinitatem redegit.* Ita Clerici ad peregrinam Communionem redacti amittebant propria Cleri jura, non autem jura communia Christianorum omnium. Ita *Communionem peregrinam* exponunt *Albaspinæus* & *Sirmondus*: Ille in *Observationibus*, hic in *Historia publicæ Pœnitentiæ cap. ultimo.* Quorum conjectura doctissimo Cardinali *Bona* probabilis quidem visa est, sed solidis atque perspicuis ex Antiquitate argumentis non satis fulta. *Quid igitur verè sit peregrina communio*, inquit laudatissimus Cardinalis, *libenter discam à peritioribus*, *mihi enim non liquet.*

Quid peregrina Communio?

ARTICULUS VIII.

De Concilio Valentino in Hispania.

ANNO Christi quingentesimo vigesimo quarto, *Theodorici* Regis Visigothorum in Hispania regnantis decimoquinto, *Valentiæ*, * quæ celeberrima Hispaniæ civitas est in ora Maris Mediterranei, Regni Valentini caput & Sedes Archepiscopalis, sex Episcopi Synodum celebrarunt, in quâ sex Canones condidere.

* *Valence.*

Summa Canonum.

Primus statuit ut Evangelium, ante munerum illationem, in Missa Catechumenorum legeretur, post Apostolum, ut non solùm Fideles, sed etiam Catechumeni ac Pœnitentes, imò & Ethnici, præcepta Christi, & Sermonem Episcopi, qui proximè post Evangelium habebatur, audire possent. Antea autem legebatur tantùm Evangelium Exclusis Cathecumenis, in Missa Fidelium. *Canon secundus* cavet ne Clerici defunctorum Episcoporum spolia diripiant: jubetque, secundùm Synodi *Reiensis* statuta, ut ad moribundum Episcopum vicinior Antistes accedat, qui celebratis exequiis, Fidelissimam rerum omnium quæ in Episcopali domo reperiuntur, faciat descriptionem, & ad Metropolitanum mittat: Qui Ecclesiasticæ domûs procurationem alicui commendet, quousque fuerit ordinatus novus Episcopus. *Canon tertius* consanguineis Episcopi defuncti, si intestatus obierit, denuntiari jubet, ut sine Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum conscien-

tia, nihil de rebus defuncti auferant, ne fortè cum hæreditariis rebus, aliqua etiam ad Ecclesiam pertinentes, vel permixtas usurpent. Horum Canonum transgressores, sive Clerici, sive Laïci, & Communione, & consortio privantur Ecclesiæ. *Canon quartus*, providet exequiis Episcopi defuncti. Decernit ut Episcopus Commendator, qui eam curare debet, non expectet ejus obitum, sed ad infirmum accedat, ut ipsum admoneat de ordinatione domûs, & postremam ejus voluntatem exequatur, eúmque defunctum, *post oblatum in ejus commendatione Sacrificium Deo*, mox sepulturæ tradat, eáque impleat, quæ superiori Canone constituta sunt. Si autem Episcopus repentinâ morte sublatus fuerit, unô tantum die cum nocte servandum esse decernit defuncti corpus, non sine Fratrum ac Religiosorum frequentiâ, & psallentium excubatione; deinde conditum seorsim in loculo non statim humari, sed honorificè commendari, donec invitato viciniori Episcopo, solemni ritu in tumulum inferatur. *Canon quintus*, vagos & instabiles Clericos, quin etiam Diaconos & Presbyteros, si Episcopo monenti ut Ecclesiæ, cui sunt deputati, assiduum Officium impendant, non paruerint communione & honore privat, donec resipiscant. *Canon sextus* antiqua Decreta renovat, prohibentia ne ullus alienum Clericum ordinet. Vetat insuper, ne quispiam ordinetur, *qui localem se futurum primitus non spoponderit*. Stabilitatis quippe & residentiæ lege tunc quivis Clerici tenebantur.

ARTICULUS IX.

* *De Concilio Arelatensi IV.*

ANNO Christi quingentesimo vigesimo quarto, *Theodorici* Regis Gothorum in Italiâ Imperantis trigesimo secundo, *Arelatem* * quæ tunc Gothis parebat, Concilium à Sancto Cæsario congregatum est, in quo sexdecim assidentibus Episcopis, Canones quatuor conditi sunt. *Primus*, Diaconos ante annum ætatis vigesimum quintum; Presbyteros, vel Episcopos ante trigesimum ordinari vetat: Laïcos, nisi præmissâ conversione probatos. Quam probationem ad annum contrahit. *Canon secundus*, ut Laïci ad Episcopatum promoveri possint, indulget; in hoc autem temperat antiquæ disciplinæ severitatem, *sine præjudicio Canonum*, quia crescente Ecclesiarum numero, plures ordinare Clericos necesse erat, & nonnullos ex Laïcis assumere ad regendam Ecclesiam, etsi diu in Clero non militassent. *Canon tertius*, Pœnitentes; bigamos, vel interruptarum maritos, ordinari vetat, secundùm antiquos Canones; quorum transgressores Episcopos anno integro à Sacris suspendit. *Canon quartus*, eos à Communione removet, qui Clericos vagos & Ecclesiasticæ Disciplinæ regulam subterfugientes susceperint, aut ipsis patrocinium impenderint.

* *Arles.*

Summa Canonum.

ARTICULUS X.

* *De Synodo Carthaginensi, sub Bonifacio.*

CUM post mortem *Trasamundi* Vvandalorum Regis, libertas Africanæ Ecclesiæ ab *Ilderico* restituta esset, *Bonifacius* Carthaginensis Episcopus Synodum ex diversis Africæ Provinciis congregavit, anno Christi quingentesimo vigesimo quinto. In ea Nicænæ Fidei Professione præmissâ, variisque Conciliorum Africanorum Canonibus recensitis; antiqua Ecclesiæ Africanæ politia confirmata est, secundùm quam singulæ Provinciæ habebant Primæ Sedis Episcopos, & omnium Primas erat Episcopus Carthaginensis.

Secundò *Petrus* Abbas cum Senioribus Monasterii sui, libellum supplicem porrexit Bonifacio Carthaginensi, & Synodo, pro Monasterii sui libertate. Scilicet *Liberatus*, Episcopus Primæ Sedis Provinciæ Byzacenæ Monasterium illud Sedi suæ subjicere volebat, utpotè in suâ Provincia constitutum, & Monachos sibi parere renuentes excommunicaverat. Contestati sunt illi se subditos esse Carthaginensi Episcopo totius Africæ Primati, cui se tradiderunt, cùm eorum Monasterium fundatum est. Liberum sibi fuisse, cui vellent, Episcopo Cœnobium subjicere suum, quod suis, parentúmque suorum sumptibus fundatum erat: Et in quod ex diversis locis Africæ, vel transmarinis, congregati fuerant. Se quidem, vacante Sede Carthaginensi, ab Episcopo primæ Sedis Provinciæ Byzacenæ Presbyteros postulasse: Ita tamen ut ex hoc nullum jus illius Successori quæsitum esset: Sed neque vicinis Episcopis ipsos unquam fuisse subditos, sed expectasse Carthaginensis Ecclesiæ libertatem, & Episcopi illius Ordinationem, ut ei Monasterium suum, seque ipsos subjicerent. Plurima esse Monasteria in Africa, quæ illi non suberant Episcopo, in cujus Diœcesi constructa erant, sed alteri, cujus Sedi se primùm addixerant. *Adrumetinum* ipsum Monasterium, prætermisso ejusdem civitatis Episcopo, ex regionibus transmarinis Presbyteros semper habere. Protulerunt iidem Monachi vetera quædam ad probandam Monasteriorum libertatem monumenta: Scilicet fragmentum ex libris Sancti Augustini *de Moribus Clericorum*, seu ex Sermone L. *de Diversis*. Secundò Decretum Synodi Arelatensis, quo controversia inter *Theodorum* Forojuliensem Episcopum, & *Faustum* Lirinensem Abbatem orta, composita est. Tertiò vetus Privilegium à *Bonifacio* Provinciæ Byzacenæ Seniore concessum *Bavagaliensi* Parthenoni, his verbis: *Infinuo semper Servorum Dei, vel Ancillarum Monasteria liberum habere arbitrium à conditione omnium Clericorum, quorum priscorum Patrum sequentes ritum, etiam vestrum Monasterium hoc habere, & in nobis manere usque in ævum. Unde per hanc vos auctoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis, unde volueritis, spiritualem sumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes, &c. Ut quem velitis vobis corrogetis Presbyterum, qui vobis in Monasterio peragat Sacrosancta.*

Monasteriorum Privilegia non rescindenda veterum Canonum servandorum specie.

Liberatus Provinciæ Byzacenæ primæ Sedis Episcopus cum suâ Synodo, datis ad *Bonifacium* Carthaginensem literis, rogaverat ut Canones convelli non permitteret, secundùm quos Monasteria subdita erant Episcopo, cujus in Diœcesi constructa erant. Respondit *Bonifacius*. Privilegia tot Episcoporum auctoritate firmata rescindi non debere veterum Canonum servandorum specie: *Neque enim* inquit, *poterimus statuta mutare, quæ per tot Sacerdotis instinctu divino servata noscuntur. Si enim admiserimus ea, quæ ante constituta sunt, in retractationem vocari, nihil in divinis humanisque actibus, nihil in sacris publicisque rebus obtinere ullam poterit firmitatem: Dum post annorum spatia, tanquam in emendationem Patrum velut instructior nostra videatur mutare posteritas.* Istud tandem à Synodo editum est Decretum: *Erunt igitur omnia omnino Monasteria, sicut semper fuerunt, à conditione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantùm & Deo placentia.* Hujus Acta Concilii edidit *D. Lucas Dacherius*, *Tomo VI. Spicilegii*, ex Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ ab *Holstenio* descripta. Edidit & *P. Labbæus Tomo IV. Conciliorum.*

ARTICULUS XI.

ARTICULUS XI.

De Consilio Vasensi.

ANNO Christi 529. *Athalarici* Regis IV. *Sanctus Cæsarius* Arelatensis Episcopus Concilium *Vasione* celebravit, in quo decem considentibus cum ipso Episcopis, paucos Canones edidit. Quinque exhibent Editiones Conciliorum: quorum *primus* statuit, ut Presbyteri qui sunt in Parochiis constituti, juniores Lectores in domum suam recipiant, ac in lege Domini, & divinâ Psalmodia erudiant, ut sibi dignos provideant successores. Sic ædes Curatorum erant Ecclesiastica Seminaria: eamque ex Italia saluberrimam disciplinam acceperant Provinciæ Episcopi. *Secundus Canon* permisit, non solùm civitatem, sed etiam Parochiarum, id est, ruris Presbyteris, ut in Ecclesiis suis verbum divinum prædicarent: si verò Presbyter infirmitate præpeditus, per seipsum prædicare non posset, Sanctorum Patrum Homiliæ à Diaconis recitarentur. *Tertius Canon* statuit ut *Kyrie eleison* & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperam dicatur: & *Sanctus*, in omnibus Missis, sive Matutinis, sive Quadragesimalibus, sive *pro defunctorum commemoratione*, dicatur eo ordine, quô in Missis publicis, & solemnibus dicebatur. *Quartus Canon* nomen *Domini Papæ*, quicumque Sedi Apostolicæ præfuerit, in Ecclesiis recitari jubet. Quintus, *Sicut erat in principio* post. *Gloria Patri*, dicendum statuit. Lege quæ diximus de Concilio Vasensi I. *Sæculo* IV.

** Vaison.*

Ædes Curatorum Ecclesiasticæ Seminaria.

Ex Præfatione istius Synodi discimus, in Conciliis Provincialibus ante omnia discussam olim fuisse vitam Episcoporum, quæsitum an contra Canones peccassent, & audiras, si quæ proferrentur, contra ipsos querimonias. Sic enim habet Concilii Vasensis Præfatio: *Juxta consuetudinem, antiquorum Patrum Regulas relegentes, propitiante Domino, nullum de præsentibus Domini Sacerdotibus aliquid contra Decreta spiritalia aut præterisse, aut præsumpsisse cognovimus, &c.*

ARTICULUS XII.

De Concilio Toletano II.

TOleti * à *Montano* Metropolitano Synodus Provincialis celebrata est, Anno Christi quingentesimo trigesimo tertio *Theude* Vvisigotorum Rege in Hispaniis regnante, ut testatur Sanctus Isidorus in Chronico; ex quo emendandus Canon postremus *Amalarici* nomen habens. Quinque in eâ sunt editi Canones.

** Tolede.*

Summa Canonum.

Primus, pueros quos à primis infantiæ annis parentes Clero mancipaverint, in domo Ecclesiæ, sub oculis Episcopi, decernit instituendos: ubi verò decimum octavum annum attigerint, optionem illis dandam vel matrimonii, vel continentiæ: quam si profiteantur, ordinari Subdiaconi poterunt anno ætatis vigesimo, Diaconi vigesimo-quinto. Sin minùs, concedendum ipsis est ut nubant, & in inferioribus gradibus maneant, donec fortè perfectam ætatem assecuti, cum uxoris consensu, continentiam pariter promittentis, ad Sacros Ordines promoveantur. Quo ex Canone paret, pueros à parentibus Clero consecratos, jugum Domini excutere non potuisse, ubi ad ætatem adultam pervenissent, sed voto parentum obstrictos fuisse Clericali Militiæ toto vitæ suæ decursu. *Canon secundus*, eos qui sic instituti fuerint, ad aliam Ecclesiam, relictâ propriâ migrare, vetat, aut ab alio Episcopo suscipi absque conscientiâ proprii Sacerdotis. *Canon tertius* extraneis cum mulieribus, sive ingenuis, sive libertis, sive ancillis, commorari Clericos probibet: inobedientes à Clero & communione rejicit. *Canon quartus* agellos, aut vineolas, quas sibi Clerici, sustentandæ vitæ causâ in terris Ecclesiæ fecerint, ad Ecclesiam, non ad eorum hæredes, ipsis morientibus transmitti statuit. *Canon postremus* matrimonia consanguineorum vetat sub excommunicationis pœna, tantò diuturniori, quantò propinquior erit cognationis gradus. Tandem Patres seipsos, & Comprovinciales Episcopos ad horum Canonum observantiam obstrinxerunt sub pœna *totius fraternæ caritatis*, id est. communionis omnium Coëpiscoporum amittendæ Futuram verò Synodum indixerunt, *juxta priorum Canonum decreta*, Toleti celebrandam, & à *Montano* Metropolitano convocandam.

ARTICULUS XIII.

De Concilio Aurelianensi II.

ANno Christi quingentesimo trigesimo tertio, celebratum fuit Concilium Aurelianense * secundum, convocatis Episcopis ex ditionibus trium Regum, *Theodorici*, *Chl…berti*, & *Clotarii*, non tamen ex omnibus Franciæ Provinciis, sed tantùm ex quatuor Lugdunensibus, & tribus Aquitanicis, ut subscriptiones probant. Regum Christianissimorum præcepto convocata est hæc Synodus, ut ex Præfatione paret. *Cum ex præceptione gloriosissimorum Regum*, inquiunt Patres, *in Aurelianensem urbem, de observatione Legis Catholicæ tractaturi, Deo auxiliante convenissemus, &c.* Interfuerunt Episcopi viginti sex, & quinque Presbyteri à totidem Episcopis missi. Canones editi sunt viginti & unus.

** Orleans.*

Summa Canonum.

Primus, Episcopos ad Synodum, vel Ordinationem à Metropolitano vocatos, adesse jubet. *Secundus*, Concilia Provincialia singulis annis celebrari. *Tertius*, Episcopos, non solùm pro Ordinationibus sed etiam pro quibuslibet causis aliquid accipere vetat. *Quartus*, per pecuniam ordinari quærentes, ut reprobos abjicit. *Quintus*, Episcopum, quem ad sepeliendum Coëpiscopum defunctum, sine morâ venire jubet, aliquid præter sumptus necessarios prohibet exigere: ut verò, evocatis Presbyteris domum Ecclesiæ descriptam, cum universâ supellectili, custodiendam idoneis viris tradat, *Canon sextus*, præcipit. Antiquas Regulas in Ordinationibus Metropolitanorum per incuriam neglectas observari statuit *Canon septimus*: ut scilicet *A Comprovincialibus Episcopis, Clericis, vel populis electus, congregatis in unum omnibus Comprovincialibus Episcopis, ordinetur. Octavus* Diaconos in captivitate uxoribus copulatos, à ministerio removet. *Nonus*. Presbyteros *cum sæcularibus habitare* vetat *sine permissione Episcopi sui*: alioqui *ab officiis sui communione* pellendos, id est, ad laïcam detrudendos communionem, *Decimus* sub anathemate prohibet, ne quis novercæ suæ nubat. *Undecimus* fert excommunicationem in conjuges, qui propter alterutrius infirmitatem, matrimonium solverint. *Duodecimus* monet Fideles ne vota sua cantando, bibendo, vel lasciviendo exsolvant, quod votis sic redditis provocetur potiùs ira Dei, quàm placetur.

Presbyterorum habitatio.

Canon Decimus tertius, Abbates, Martyrarios, id est, Clericos qui Martyrum Oratoriis præficiebantur, Reclusos, vel Presbyteros, *apostolia*, id est dimissorias literas, dare vetat. *Decimus-quartus*, dignitate & gradu privat Clericos, qui Officium suum implere, aut vice suâ venire ad Ecclesiam renuunt. *Decimus-quintus* statuit suscipiendas oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, iis exceptis, qui sibi ipsi mortem intulerint. Crimen intellige, de quo ipsos ante obitum pœnituisse probabile sit. *Decimus-sextus*, illiteratum hominem

Diaconissarum Ordinatio prohibita.

num̃em vel qui baptizandi ritum nescit, Presbyterum, aut Diaconum prohibet ordinari. *Decimus-septimus*, fœminas quæ benedictionem Diaconalem contra Canones acceperunt, à communione removet, si nupserint. Cæterùm nulli deinceps fœminæ Diaconalem benedictionem credendam *Canon decimus-octavus* decernit.

Canon decimus nonus, matrimonia Christianorum cum Judæis irrita declarat. *Vigesimus*, eos à Communione removet, qui cibis immolatitiis, aut animalium suffocatorum carnibus vescuntur. *Vigesimus-primus* Abbates qui Episcoporum præcepta despiciunt, à communione excludit, nisi contumaciam susceptâ humilitate deponant. Tunc scilicet Abbates & Monachi subditi erant Episcopis, nec immunitates ullæ ipsos eorum jurisdictioni penitus subducebant.

Inter Episcopos qui huic Synodo subscripserunt, insignes sanctitate fuere *Leo Senonensis*, *Eleutherius Autissiodorensis*, *Gallus Arvernorum*, sive *Claromontanus*, *Innocentius Cenomanensis*, *Lauto Constantiensis*, *Julianus Viennensis*, *Agrippinus Augustodunensis*, & *Flavius* * *Rotomagensis*, qui Monasterium Sanctorum Petri & Pauli, quod hodie *S. Audoëni* * vocatur, ædificavit eodem anno quô Synodus Aurelianensis habita est, aut potiùs ædificari curavit à Clotario Rege. Cùm *Asclepus* Presbyteri subscriptionem, pro *Adelphio* Episcopo *Rauracensi* hac in Synodo legis, frustra hanc in Notitiis Episcopatuum Galliæ Sedem quæres, nisi pro *Rauracensi* quod mendosè positum est, *Ratiatensem* substituas, ut substituendum rectè monuit *Sirmondus*; id est, *Pictavensem*. Nam Pictavenses Episcopi dicti sunt aliquando *Ratiatenses*. *

* Vulgò, S. Filleul.
* S. Ouen.
* De Rets.

ARTICULUS XIV.

De Concilio Arvernensi. *

* Arverna civitas, Clermont en Auvergne, Sedes Episcop. sub Archiepisc. Bituricensi.

ANno Christi quingentesimo trigesimo-quinto, quindecim Episcopi ex *Theodeberti* Regis ditionibus ad Concilium *Arvernense* convenerunt. Consentiente Rege convocatum fuit, ut testantur Patres in Præfatione quæ Canonibus præfigitur. *Cum in nomine Domini*, inquiunt, *congregante Sancto Spiritu, consentiente Domino nostro gloriosissimo piissimóque Rege Theodeberto, in Arverna urbe sancta Synodus convenissemus, ibique flexis in terram genibus pro regno ejus, pro longævitate, pro populo Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis tribuerat potestatem, Regnum ejus Dominus noster fælicitate attolleret, imperio regeret, justitiâ gubernaret, in Ecclesia ex more consedimus, &c.* Sexdecim ea in Synodo editi sunt Canones.

Summa Canonum.

Primus statuit in Conciliis ante alias causas tractanda esse quæ *ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinent.* Secundus, Communione privat eum qui *patrocinia Potentum* ad obtinendum Episcopatum adhibuerit, statuitque ordinandum Episcopum *electione Clericorum vel civium, consensu Metropolitani*; qui sacrum honorem *non votis quærat, sed meritis.* Tertius, pallis, vel *ministeriis divinis*, id est altarium ornamentis, defunctorum corpora obvolvi vetat. *Quartus*, prohibet Magnatibus ne Clericis contra Episcopos patrocinium impendant. *Quintus*, à Communione excludit eos, *qui res Ecclesiæ petunt à Regibus*, ceu qui *egentium substantiam rapiunt*: & concessiones Regum irritas declarat. *Irrita habeantur, quæ obtinent.* Sextus, à communione Ecclesiæ segregat Christianos matrimonium cum Judæis contrahentes. *Septimus*, vetat Corpus Sacerdotis, cùm ad tumulum effertur, *Opertorio Dominici Corporis obvolvi*, nedum *honorantur corpora, altaria polluantur.* Octavus, *Ministeria divina*, id est, ornamenta altaris prohibet ad nuptiarum ornatum & pompam commodari. *Nonus*, cavet ne Christianis Judæi præponantur Judices. *Decimus*, ne Episcopus alterius Parochias invadat. *Undecimus*, ne alienum Clericum absque proprii Episcopi consensu suscipiat, aut ad Sacerdotium promoveat. *Duodecimus*, incestas conjunctiones, quæ *auctoritatem divinæ legis, ac naturæ jura perrumpunt*, anathemate plectit.

Qui ordinandi Episcopi.

Presbyterorum & Diaconorum continentia.

Decimus-tertius, Clericos ad Diaconatum, aut Presbyteratum promotos, si conjugati sint, *fratres uxorum suarum ex conjugibus fieri* jubet: continentiam non servantes, dignitate in perpetuum dejicit. *Decimus-quartus*, munera Ecclesiæ collata fraudantes à communione removet. *Decimus-quintus* Natale Domini, Pascha, Pentecosten, & alias Festivitates præcipuas, cum Episcopo celebrare jubet, tum Presbyteros & Diaconos qui in villulis habitant, & in Oratoriis divina Mysteria celebrant; tum *cives natu majores*, id est capita familiarum. *Decimus-septimus*, extraneas mulieres è domo Episcopi, Presbyteri, & Diaconi eliminat: tantùm aviam, matrem, sororem, vel neptem patitur, si poscat necessitas. Canonum hac in re transgressores Communione privat: Et Episcopum hanc culpam in Presbytero, aut Diacono punire negligentem Sententiæ severitati subjicit.

Episcopi Regem filium vocant.

Hæc Synodus ad Theodebertum Regem Epistolam dedit, quâ rogabat ut Clerici, aliique, qui Regum aliorum domitio subjacebant, possessionibus quas in ejus Regno jure obtinebant, non fraudarentur. Regem *Dominum & filium* vocabant olim Episcopi, ut ex Epistolæ istius inscriptione patet. *Domino inlustri atque præcellentissimo Domino & filio Theodeberto Regi.* Inter istius Synodi Episcopos, sanctitate illustres fuerunt *Gallus Arvernensis*, *Gregorius Lingonensis*, * *Hilarius Gabalitanus*, *Nicetius Treverensis*, *Dalmatius Rutenensis*, * *Domitianus Trajectensis*, *Venantius Vivariensis*, & *Hesperius Metensis.*

* De Javols.
* De Mastrich.

ARTICULUS XV.

De Concilio Aurelianensi III.

ANno Christi quingentesimo trigesimo octavo, Regis *Childeberti* vigesimo-septimo, Concilium Aurelianense Tertium celebratum est. Interfuerunt novemdecim Episcopi cum septem Presbyteris, ex diversis partibus Franciæ, cui tres Reges, *Childebertus*, *Clotarius* & *Theodebertus*, tunc dominabantur. Triginta tres Canones editi sunt. *Primus*, Synodum singulis annis celebrari statuit à Metropolitano: quem suspendit à sacris, si intra biennium non convocaverint: & Episcopos qui, infirmitate non detenti, defuerint, eidem sententiæ subjicit. Nec eorum absentiam *divisione sortis* censet excusandam, id est, ex eo quòd non eidem Regi subjecti sint, cui Metropolitanus. *Canon secundus* Clericos conjugatos, à Subdiacono & supra, qui continentiam non servant, ab Officio deponit, & ad *laicam Communionem* detrudit. Episcopum verò qui ipsos ad Ministerium postea admiserit, suspendit ab Officio ad tres menses. *Tertius* de Ordinationibus Episcoporum, statuit Metropolitanos à Metropolitanis omnibus, si fieri potest, præsentibus Comprovincialibus ordinari, cum consensu Clerici, & civium: Comprovinciales verò cùm eodem, necnon & Metropolitani consensu, *secundùm Decreta Sedis Apostolicæ*, * *& priorum Canonum statuta.* Canon *quartus* familiaritatem extranearum mulierum cum Clericis prohibet: Episcopos, vel Clericos, hac in re Canonum transgressores triennii excommunicatione mulctat. *Quintus* oblationes collatas Basilicis in civitatibus constitutis

Summa Canonum.

Concilia Provincialia.

Majorum Clericorum continentia.

* S. Leo. in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem.

Episcopi auctoritas in bonorum

Ecclesiasticorum administratione.

constitutis ad potestatem Episcopi redigit, qui pro suâ prudentiâ statuat quid in Basilicæ reparationem, quid in alimoniam Clericorum in ea ministrantium cedere debeat. Oblationes verò Ecclesiis pagorum collatas, secundùm locorum consuetudinem administrari permittit. *Canon sextus* renovat Canones antiquos, prohibentes ne Neophyti, ætate juniores, digami, Pœnitentiam professi, semi-corpore, id est, deformiter parvi, vel gibbosi, vel claudi, vel manci, & arreptitii, promoveantur ad Ordines. Episcopos autem, qui hujusmodi homines ordinaverint, per annum integrum à Sacris suspendit. Imò & pœnas extendit ad testes talium Ordinationum, quos anno integro à Communione pelli jubet.

Irregularitates.

Canon septimus, Clericos, qui cùm uxores non haberent, ordinati sunt in legitimâ ætate, absque ullâ reclamatione, & postea uxores duxerunt, cum uxoribus à communione pellit: si inviti, vel reclamantes ordinati fuerint, Officio non communione privat. Ad minores tantùm Clericos pertinet pars illa Canonis. Posterior verò pars honoratos Clericos spectat, id est majores, à Subdiacono & supra, quos ob admissum adulterium deponit ab Officio, laicâ damnat communione, & reliquam vitam in Monasterio agere præcipit. *Canon octavus* Clericos fures, & fallarios deponit: perjuros in causis sub juramento finiendis, biennii insuper excommunicatione plectit. *Nonus*, Clericos qui ante ordinationem ex concubina filios susceperunt, quâ mortuâ duxerunt uxorem; aut vice versâ, primùm uxorem duxere, deinde concubinam, ab Officio non removet, si per ignorantiam sunt ordinati: sed ulteriùs ordinari vetat. Concubinarum nomine hîc non sunt intelligendæ fœminæ assumptæ ad tempus, libidinis tantùm explendæ causâ, quæ in Conciliis passim anathemate feriuntur, & dimitti jubentur: sed fœminæ conjugatæ sine dotalibus instrumentis.

Jus apponendi impedimenta dirimentia Matrimonio, ut Sacramentum est, Ecclesiæ soli, non Principibus convenit.

Canon decimus, eos qui nuptias incestas contraxerunt, ante baptismum, vel antequam Patrum statuta nossent, excusat, nec eorum conjugia solvit. In posterum autem observari statuit, quod in anterioribus Canonibus de incestis matrimoniis interdictum est, ne quis relictam patris filiam uxoris, relictam fratris sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam, relictam avunculi, vel patrui, ducat uxorem. Quòd si qui in hoc *incesti adulterio potius quàm conjugio fuerint sociati, quandiu si non sequestraverint, à Communione Ecclesiastica repellendos.* Matrimonia contra Canones contracta, Ecclesia dispensatione suâ rata facit: contrahenda contra Canones irrita declarat. Unde probatur evidenter jus apponendi impedimenta dirimentia Matrimonio ut Sacramentum est, Ecclesiæ soli convenire, non Principibus, ut *Launoius* contendit in Opere *De Jure Principum in Matrimoniis Christianorum.*

Undecimus, *Clericos Canonicos*, id est, in Canone seu matricula Ecclesiæ conscriptos, si Officium suum non impleant, ulla ex rebus Ecclesiasticis percipere stipendia vetat, aut munera. *Duodecimus*, cavet ne facultates Ecclesiæ alienentur: alienatas, aut in dispendium Ecclesiæ obligatas, per publicum, aut electorum judicium revocari jubet. *Decimus-tertius*, mancipiis Christianis in Judæorum servitio detentis prospicit: Christianos matrimonium cum Judæis contrahentes communione privat, donec separati fuerint: conviviis Judæorum inquinatos, per annum excommunicat. *Decimus-quartus* Missarum celebrationem, in præcipuis solemnitatibus horâ tertiâ inchoari statuit, ut Sacerdotes ad Vespertina Officia convenire possint. *Decimus quintus*, Episcopum in Diœceses alienas, ad alienos Clericos ordinandos, vel altaria consecranda irruentem, per annum à Missarum celebratione suspendit, his, quos ordinavit, depositis. Clericis verò absque Episcopi sui literis peregrinantibus, communionem impendi vetat, secundùm priores Canones. *Decimus-sextus*, raptores Virginum sacratum, aut Viduarum, communione privat ad exitum usque, Viatico in infirmitate duntaxat concessô. Virginem aut viduam raptori consentientem pari pœna damnat. His communicantem Sacerdotem, anno integro à Communione suspendit.

Præbendarum initia.

Canon decimus-septimus, quod à Clericis ex Episcoporum decedentium munificentiâ possidetur, à successoribus auferri vetat: ut qui beneficiis hujusmodi gaudent, *officia Ecclesiæ, obedientiam & affectum Sacerdotibus præbeant*. Permittit tamen Episcopo rerum ita concessarum commutationem, absque Clericorum dispendio. Quæ verò ipse benè meritis contulit, contumacibus auferre potest. Hoc ex Canone perspicuum est, Episcopos Clericis concessisse agros, & prædia Ecclesiæ ad usumfructum, quoad viverent: quæ auferre ipsis Successor non posset: imò nec ipse qui concesserat, nisi contumaciæ rei essent. Quæ Præbendarum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ concessarum quædam fuerunt initia. *Canon decimus-octavus* permittit Episcopo ut Clericos ab Ecclesia Cathedrali ad Abbatiam, Diœcesim sive Parochiam, aut ad Basilicam Martyris translatos, aliquâ parte fructuum prioris Beneficii frui sinat, si fructus ad honestam sustentationem sufficientes ex novis illis Beneficiis non percipiant. Si enim fructus posterioris Beneficii sufficiant, æquum esse censent Patres, ut nihil percipiat de eo quod ante ex Ecclesiastico munere habebat: *Quia facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilicæ, debet plenâ ratione sufficere.* Notandum Clericos non ita fuisse ad Abbatiam translatos, ut Abbates essent, & Monachis præessent, sed ut Abbatiæ administratores essent. Quæ administratio Clericis commissa, quædam erat Commendæ species.

Clerici Abbatiæ administratores.

Communio laica.

Canon decimus-nonus, contumaces Clericos, juxta priores Canones, laïca communione mulctat, additâ certâ fiduciâ recipiendi gradum, si dignâ pœnitentiâ & supplicatione Episcopo satisfaciant: ita tamen ut consuetis stipendiis interim non priventur. *Communio laica* hîc latiori modo usurpatur pro communione peregrina. Communio namque laïca propriè dicta in ordinem laïcorum omnino redigebat Clericos, redeundi in Clerum spe sublata. *Canon vigesimus* permittit Clericis, qui se ab Episcopo suo injustè damnatos, aut duriùs exceptos putat, ut querimonias ad Synodum suas deferant. *Vigesimus-primus*, Clericorum conjurationes in Synodis vindicandas decernit. *Vigesimus-secundus*, eos qui retinent rem Ecclesiæ, vel Episcopi, à Communione suspendit, donec factâ restitutione, tam Ecclesiam, quàm Sacerdotem reddant indemnem. A communione etiam excludit eos qui orationes defunctorum retinent, vel suas revocant. *Vigesimus-tertius*, Abbates, Presbyteros, cæterosque Ministros, res Ecclesiæ alienare, vel obligare vetat sine permissu & subscriptione Episcopi, sub pœna depositionis. *Vigesimus-quartus*, benedictionem pœnitentiæ, id est, pœnitentiæ publicæ impositionem, juvenibus personis, aut conjugatis, nisi ex consensu partium, & ætate jam plenâ, non esse credendam statuit. Ratio est, quia Pœnitentiæ tempore continentia imperabatur. *Vigesimus-quintus*, Pœnitentes ad sæcularem habitum & militiam redeuntes, Viatico concessô, usque ad exitum excommunicatione plectit.

Quæ opera Dominicis diebus prohibita?

Canon vigesimus sextus, servos ordinari vetat: qui ipsos ordinaverint, Episcopos, anni spatio à Missarum celebratione suspendit. *Vigesimus-septimus*, deponit Clericos majores, usuram, aut negotiationem, proprio nomine, vel alieno exercentes. *Vigesimus-octavus* ruralia opera diebus Dominicis illicita declarat, non quæ *ad usorem domus, vel hominis, vel præparationem*

præparationem victûs pertinent, nec iis diebus iter agere cum equis, aut vehiculis prohibitum esse: & ad Judaïcam magis quàm ad Christianam observantiam scrupulosiorem illam ab opere quovis cessationem pertinere. *Vigesimus-nonus*, è Missa discedere prohibet, antequam Dominica dicatur oratio, & detur benedictio ab Episcopo, si fuerit præsens. Missam insuper audire Laïcos cum armis vetat. *Trigesimus* prohibet Judæos à die *Cœnæ Domini*, usque ad *Pascha* inclusivè, procedere inter Christianos, & eis misceri. *Trigesimus primus*, Hæreticos qui Catholicum aliquem rebaptizaverint, à Judicibus apprehendi jubet, ac ad Regis fidem atque justitiam distringendos adduci. Judices qui defuerint Officio, annali excommunicatione plecti. *Trigesimo-secundo* mutua prohibitio fit Clerico & Laïco, ne alter alterum ad sæculare Judicium vocet inconsultô Episcopo. Non ita severa fuerat præcedentium Conciliorum disciplina, quæ Clerico permiserant, ut pulsatus, apud sæcularem Judicem responderet. (*Agathensis Canone XXXII. & Epaonense Canone XI.*) De litibus quæ sive à Clericis in laïcos, sive à laïcis in Clericos movendæ erant, moneri & edoceri volebant Episcopi, ut eas in ipsis exordiis præfocare, aut componere conarentur. *Canon trigesimus tertius* Antistites viventes, & eorum Successores, qui in istos Canones peccaverint, reos divinitatis pariter & fraternitatis Judiciô futuros declarat: *Quia Canones suos nec ignorare quemquam, nec dissimulare, id est, præterire permittitur.* Ex Episcopis qui Concilio Aurelianensi Tertio, vel ipsi propriâ manu, vel per Nuncios suos subscripserunt, sanctitate fuere conspicui, *Lupus Lugdunensis, Pantagathus Viennensis, Leo Senonensis, Lauto Constantiensis, Eleutherius Antissiodorensis, Albinus Andegavensis, Agricola Cabilonensis, Gregorius Lingonensis, Gallus Arvernorum, Arcadius Bituricensis, Agrippinus Augustodunensis, Flavius Rotomagensis.*

Missæ auditio.

ARTICULUS XVI.

De Concilio Barcinonensi.

ANno Christi quingentesimo quadragesimo, Provinciale Concilium *Barcinone* * celebratum est, in quo decem Canones editi sunt, qui publicè Pœnitentes spectant: Quos epulis non interesse, nec operam dare negotiis, sed in suis domibus vitam frugalem agere debere, statuit *Canon septimus*. *Octavus* obligat eos, qui in infirmitate poscunt Pœnitentiam, & à Sacerdote accipiunt, ad eam persgendam, si postea convaluerint: Ita ut à Communione abstineant, quandiu integram & sceleris puram eorum vitam Sacerdos probaverit: Quos tamen subjacere manûs impositioni non vult, id est, ad gradum substrationis dejici: Quis non ob crimina canonica, sed Religionis causâ Pœnitentiam petierant, ac voverant. His autem *Viaticum benedictionem* in infirmitate conferri jubet, id est, absolutionem à peccatis.

* Barcino, vulgo Barcelone, Cataloniæ caput, sedes Episcopi, sub Archiepisc. Tarraconensi.

ARTICULUS XVII.

De Synodo Aurelianensi IV.

ANno Christi quingentesimo quadragesimo primo, ad Synodum Aurelianensem Quartam ex tripartito Franciæ Regno, *Childeberti* scilicet, *Clotarii*, & *Theodeberti*, convenerunt Episcopi triginta octo, cum Presbyteris undecim, & uno Abbate, qui totidem Episcoporum nomine interfuerunt. Conditi sunt Canones triginta & octo, quibus præcedentium Synodorum Decreta, paucis additis, confirmata sunt. Ex his quæ addita sunt, hæc præcipua.

De celebratione Paschæ *Canon primus* decernit: Ut scilicet secundùm Laterculum, seu Canonem Paschalem *Victorii*, ab omnibus uno tempore celebretur, & die Epiphaniæ singulis annis ab Episcopo denuntietur. *Victorii Aquitani*, non *Victoris Capuani*, Canonem intellige. In quo ipsum *Baronium* jam aliàs monuimus in Dissertatione de Celebratione Paschatis, Sæculo II. *Canon quintus* statuit Episcopum ordinandum esse in Ecclesia cui præesse debet; Quod si tempus non patiatur, præsente Metropolitano, aut cum ejus auctoritate, à Comprovincialibus in Provinciâ ordinandus est. *Canon septimus* vetat ne Domini prædiorum peregrinos Clericos ad Sacra facienda in Oratoriis intromittant, nisi ab Episcopo cujus in Diœcesi sunt constituta, probatos. *Canon duodecimus*, de litibus Episcoporum id singulare statuit, ut si inter ipsos de rebus terrenis aut possessionibus orta fuerit contentio, intra anni spatium, *pro studio caritatis, quæ cunctis debet rebus temporalibus anteferri*, per Epistolas Coëpiscoporum affectuosè commoniti, litem componere, vel inter se, vel per Judices electos festinent: Qui distulerit, extraneus habendus à caritate Fratrum judicatur: *Quia injustum est ut qui cunctis præsunt, inter se quacumque causatione dissentiant.*

Summa Canonum.

Canon decimus-tertius, Judicibus prohibet sub excommunicationis pœna, ne Clericos publicis actionibus, aut tutelis gerendis applicent: *Quia quod Lex sæculi etiam Paganis Sacerdotibus & Ministris ante præstiterat, justum est ut erga Christianos specialiter conservetur.*

Decimus-septimus à Communione pellit Christianos, qui ad caput cujuscunque feræ, vel pecudis, invocatis insuper nominibus Paganorum, juraverint, ut est consuetudo Gentilium, si commoniti à Sacerdotibus, ab hac superstitione se non emendaverint. *Canon vigesimus*, de causis Clericorum statuit: Primò ne civitatis Magistratus earum cognitionem inconsulto Episcopo suscipiant. Secundò, ut ad eorum tribunal se sistant Clerici, si jusserit Episcopus. Tertiò, sæculares Judices causas hujusmodi audire non debere ac judicare absque Presbytero, vel Archidiacono. Quartò, posse ipsos causas suas ad civiles deferre Magistratus, cum licentia Episcopi. Canonem integrum repræsento. *Ut nullus sæcularium, personarum prætermisso Pontifice seu Præposito Ecclesiæ, quemquam Clericorum pro suâ potestate, constringere, discutere audeat, vel damnare. Sed & Clericus, si pro causâ, ad petitionem cujuscumque, fuerit ab Ecclesiastico Ordinatore commonitus, se ad audientiam spondeat adfuturum, & respondere nullâ calliditate dissimulet. Sed quæcumque causatio quoties inter Clericum & Secularem vertitur, absque Presbytero, aut Archidiacono, vel si quis esse Præpositus Ecclesiæ dinoscitur, Judex publicus audire negotium non præsumat. Sanè si causam habentibus placuit ire ad Judicium fori ex voluntate communi, permittente Præposito Ecclesiæ, Clerico licentia tribuatur.* Canon vigesimus-primus decernit ut nullus puellam in matrimonium ducere audeat *per imperium Potestatis*, invitis parentibus; *Ne conjugium, quod contra parentum voluntatem impiè copulatur, velut captivitas judicetur.* In eos qui id perpetraverint, excommunicationem decernit. *Vigesimus-quartus*, servorum ad Ecclesiæ septa, sub specie conjugii, confugientium, permittenda non esse matrimonia statuit, sed parentibus, aut dominis, prout ratio poscit, excusatos, acceptâ fide, sub separationis promissione reddendos: Qui postmodum eos, si voluerint, propriâ voluntate conjugant. *Canon vigesimus-sextus*, decernit ut *Clerici in Parochiis, quæ in Potentum domibus constitutæ sunt, Observantes*, id est, Officia divina celebrantes, Archidiaconi jurisdictioni subsint, solvántque quod Ecclesiæ debent. Quod si neglexerint.

Ordo Clericorum causis judicandis constitutus.

Matrimonia sine parentum consensu illicita.

Potentum

Potentium freti patrocinio, secundùm Ecclesiasticam Disciplinam emendentur: Agentes verò Potentum, vel ipsi Domini, qui Clericos ab officio implendo prohibuerint, arceantur à Communione. *Canon vigesimus-nonus*, mulieres impudicas cum Clericis deprehensas in adulterio, ex mandato Episcopi à civitatibus expelli jubet. Clericos secundùm Canones puniri. Ex Principum sanè concessione & gratiâ, non propriâ auctoritate, exilio mulctare meretrices illas Episcopi poterant. *Canon trigesimus-tertius* statuit, ut si quis in agro suo habet, aut postulat habere *[Diœcesim]*, idest, Parochiam, ad quam plebs rustica conveniat, *primum terras ei deputet sufficienter, & Clericos qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.* Parochiarum etiam in agris fundatarum, dotem sufficere volunt Patres, non solùm ad Presbyterum, sed etiam ad Clericos alendos, qui sacra ibi persolvant Officia. *Canon trigesimus-octavus*, antiquos Canones confirmans statuit, ut Synodi Provinciales annis singulis à Metropolitanis convocentur: *Ut dum in unum se Fraternitas jungit, semper & censura*, id est, disciplinæ severitas, *teneatur, & caritas.*

Parochialium Ecclesiarum [illegible]

Concilio Aurelianensi Quarto subscripserunt hi sanctitate celebres Episcopi; *Gallus Arvernorum, Agricola [Cabilonensis], [Eleutherius] Autissiodorensis, Lupo Constantiensis? Firminus [Uceticensis], * Arcadius Bituricensis,* per *Probianum* Presbyterum; *Leontius* Senior *Burdigalensis, Innocentius* Cœnomanensis, *Dalmatius Rutenensis*, * Gallicanus Ebredunensis, * *Cyprianus* Tolonensis, & *Flavius Rotomagensis*.

* [illegible]

* De Bole

* D'Ambrun

ARTICULUS XVIII.

De Synodo Aurelianensi V.

ANNO Christi quingentesimo quadragesimo-nono, Synodus Aurelianensis Quinta ex tripartito Franciæ Regno convocata est à *Childeberto* Rege, cujus in ditione sita erat civitas Aurelianensis, ut ex Præfatione compertum est. *Ad divinam gratiam referendum est* (inquiunt Patres) *quando vota Principum concordant animis Sacerdotum, &c. Igitur cùm clementissimus Princeps, triumphorum titulis invictissimus, Domnus Childebertus Rex, pro amore, sacra fidei, & statu Religionis, in Aurelianensi urbe congregasset in unum Domini Sacerdotes, cupiens ex ore Patrum audire quod sacrum est, &c.* Conditi sunt Canones viginti-quatuor, quorum magna pars repetitio & confirmatio est præcedentium Canonum ac Decretorum: Alii quædam addunt, aut explicant. Hi præ cæteris notandi videntur.

Synodus à Rege convocata.

Summa Canonum.

Primus, quo Nestorii & Eutychetis secta cum earum auctoribus & Sectatoribus anathematizatur, secundùm Sedis Apostolicæ judicium: *Quas etiam sectas*, inquit, *Sedes Apostolica sancta condemnat.* Hæreses illa in Synodis Ephesina & Calchedonensi damnatas non ignorabant Ecclesiæ Gallicanæ Patres: tamen Apostolicæ tantùm Sedis in suo Decreto meminerunt, rati satis esse, cùm de fidei dogmatibus agebatur, si sanciretur Constitutio, quæ Romanæ Sedis niteretur auctoritate, cui refragari nullus deberet.

Summa Sedis Apostolicæ in fidei dogmatibus [illegible] auctoritas.

Secundus Canon statuit, ut nullus Episcoporum quemquam Fidelium pro parvis & levibus causis à Communione suspendat; sed solùm propter crimina, quorum reos ab Ecclesia arceri Patres jusserunt.

Tertius, non solùm extranearum mulierum familiaritatem vitandam sancit Clericis, sed & consanguinearum, *Horis incompetentibus, ne sub concessâ sibi licentiâ parentali, ab earum sequipedis ipsorum vita vel opinio polluatur.* Episcopum contra Canones hâc in re peccantem, à Metropolitano, vel à Comprovincialibus suis ab Officio suspendi jubet: Clericos à propriis Episcopis emendari.

Mulierum famulatus [illegible] Clericis.

Canon septimus, vetat ne tempore interpontificii ullus Episcopus in Ecclesia vacante, aut in tota Diœcesi, Clericos ordinet, altaria consecret, aliasve obeat Episcopalis muneris partes, sub pœna suspensionis à Celebratione Missarum per annum.

Canones nonus & decimus de Electione & Ordinatione Episcoporum decernunt, ut *cum voluntate Regis juxta electionem Cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano, vel quem in vice suâ præmiserit, cum Comprovincialibus, Pontifex consecretur. Et ut nullus invitis detur Episcopus, nec per oppressionem Potentium personarum ad consensum faciendum cives aut Clerici inclinentur. Quod si factum fuerit, Episcopus magis per violentiam, quam per Decretum legitimum ordinatus, ab indepto Pontificatûs honore in perpetuum deponatur.* Primum istud Decretum est, quô Regum Christianissimorum assensus ad electionem Episcopi requiritur. Cujus assensus inducta necessitas ab antiquis Canonibus non abhorrebat. Magnum namque discrimen est inter *Potestatem & Præsidium*. Canone 31. eorum qui Apostolici dicuntur, vetitum erat ne quis *per sæculi Potestates* Ecclesiam obtineat: quod & Concilii Aurelianensis Quinti Canon decimus prohibuit. Per *Potestates* obtinebant Ecclesiæ regimen Clerici, cùm è Palatio mittebantur stipati militibus ad cives invitos, & absque Comprovincialium Episcoporum assensu consecrabantur. Sed præsidium Principis vim non inferebat Clero & Plebi, aut Comprovincialibus Episcopis, imò electionem fovebat regius consensus, & rebellium ac seditiosorum conatus compescebat. His autem rationibus adducti sunt Gallicanæ Ecclesiæ Patres ut jus illud Christianissimis Regibus tribuerent. Primò quia cùm secundùm Canones, populi consensus, Ordinis, & honoratorum, necessarius esset ut Episcoporum electio legitima esset ac rata, æquum esse censuerunt, ut Regi simile jus concederetur in universis Antistitum electionibus, quæ in Regno fierent: Cùm Rex sit caput populi. Secundò, illud Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum putarunt: Cùm Regis consensu promotus Antistes faciliorem & procliviorem tuitionem Regiam expectare deberet. Tertiò Regum munificentia in dandis Ecclesiæ agris & prædiis, ut factum à Clodoveo testatur Synodus Aurelianensis Prima, & in concedendis immunitatibus personis, & rebus Ecclesiasticis, hanc ab Episcopis postulare visa est grati animi significationem. Quartò cùm in Regum concilia & Regni administrationem cum reliquis Proceribus admitterentur Episcopi, juxta monitum Sancti Remigii ad *Clodoveum* Regum Christianissimorum primum; *Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere:* Æquum erat ut invito Principe ad eam non assumerentur dignitatem, neque incogniti aut suspecti, sed potiùs qui essent illi & vitæ meritis & prudentiâ ac fide undequaque probati.

Episcoporum electio & consecratio.

Regis assensus ne electionem in Ecclesia Gallicana Synodus statuit.

Canon decimus-quintus Xenodochium Lugdunense à Childeberto Rege, & ejus uxore fundatum ejusque institutionis ordinem, & expensæ rationem confirmat. *Canon decimus-septimus*, statuit quomodo finienda sint negotia, quæ adversùs Episcopum, vel Actores sive Officiarios Ecclesiæ, quævis aliæ personæ habuerint: Prius scilicet Episcopum ipsum conveniendum esse *caritatis studio, ut familiari aditione commonitus, sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur.* Tantam scilicet Episcopi integritatem esse debere censebant Patres, ut Judex in propria causâ posset appellari. Si autem partibus non faceret satis, negotii cognitionem ad

Causæ quas [illegible] personarum adversùs Episcopum vel Actores Ecclesiæ, quo [illegible]?

Iii Metropolitanum

Metropolitanum deferendam decreverunt. Si autem à Metropolitano monitus per literas Episcopus causam quâcumque transactione amicis mediis non finivisset ; & secundò admonitus litem terminare & componere, vel mittere, aut venire ad Metropolitanum distulisset, ab ipsius Communione suspendebatur. Si verò pateret Episcopum contra justitiam fatigatum, is qui eum injustâ interpellatione pulsaverat, per annum à communione erat alienus. Denique si Metropolitanus à Comprovinciali Episcopo in causâ propriâ appellatus bis fuisset ac distulisset audientiam, causæ cognitio devolvebatur ad proximam Synodum.

Canon decimus-nonus, puellas quæ sive *propria voluntate Monasterium expetunt, sive à parentibus offeruntur*, anno integro in veste sæculari manere decernit in monasteriis, antequam vestimenta Religionis accipiant vel triennio, si clausura perpetua in iis non sit constituta. Sancti propositi prævaricatrices cum his quibus conjugio copulantur, Communione privat. Quod Decretum extenditur ad puellas, & viduas, quæ in domibus propriis commutatis vestibus conversæ fuerint. Nec ad Communionem admittuntur, nisi culpam sequestratione sanaverint. *Canones vigesimus & vigesimus primus*, incarceratos ab Archidiacono seu à Præposito Ecclesiæ, singulis diebus Dominicis visitandos & cùm ipsis, tum leprosis, *victum de Domo Ecclesiæ* subministrandum decernunt. *Canon vigesimus-tertius* Synodum Provincialem singulis annis celebrandam statuit. *Quod præcipuè in omnibus Patrum Conciliis habetur scriptum*.

Synodus Provincialis quotannis celebranda.

Huic Concilio subscripserunt Episcopi quinquaginta, aliotúmque viginti & unius loco Presbyteri decem, Archidiaconi sex, Diaconi tres, Abbates duo. Hos inter Antistites in Sanctorum numerum adscripti sunt, *Albinus Andegavensis, Agricola Cabilonensis, Aurelianus Arelatensis, Gallus Arvernensis, Eleutherius Autissiodorensis, Sacerdos Lugdunensis, Leobinus Carnotensis, Lauto Constantiensis, Firminus Ucetiensis, Nicetius Trevirensis.* Coluntur etiam in suis Ecclesiis *Tetricus Lingonensis, Domitianus Trajectensis*, * *Desideratus Bituricensis, Leontius Burdegalensis, Nectarius Æduensis*, * *Eusychius Viennensis, Aregius Nivernensis, Gallicanus Ebredunensis, & Genebaudus Laudunensis.* * Concilium *Arvernense* secundum paulo post Aurelianense Quintum celebratum, sexdecim ejusdem Canones iterum approbavit, promulgavitque.

De Mastrich.
* *D'Autun.*
* *De Leon.*

SCHOLION.

* Ad hunc articulum, pag. 270. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Sibi contradicit Alexander, dum ait, Papæ solius Decretum sufficere ad Hæresis damnationem.*

R. Pugnantia non loquor. Solius Romani Pontificis Decretum ad Hæresis damnationem sufficere, nullibi negavi. Neque id negant Sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana, quamvis Concilium Oecumenicum superius esse censeant Romano Pontifice, nec Pontificis indeficiens esse judicium nullo accedente Ecclesiæ consensu. His autem Quæstionibus intactis, nullâque earum opinionum mentione impræsentiarum factâ, observo eo loci, primum Concilii Aurelianensis V. Canonem anathemate damnare Nestorii & Eutychetis sectas cum earum Auctoribus & Sectatoribus, secundùm Sedis Apostolicæ judicium. *Quas etiam Sectas*, inquit Synodus, *Sedes Apostolica Sancta condemnat.* Hæreses illas, inquiebam, in Synodis Ephesina & Calchedonensi damnatas non ignorabant Ecclesiæ Gallicanæ Patres: Tamen Apostolicæ tantùm Sedis in suo Decreto meminerunt. *Ratì satis esse cum de Fidei Dogmatibus agebatur, si sanciretur Constitutio, quæ Romanæ Sedis niteretur Auctoritate, cui refragari nullus deberet.* Constans hæc & perpetua Sententia mea, qui & Jansenianam, & novissimè Quietistarum Hæresim à solis Romanis Pontificibus, non ab aliqua Synodo legitimè damnatas agnosco atque profiteor, & Innocentii X. Alexandri VII. Innocentii XI. contra illas Hæreses Constitutionibus neminem refragari debere vel posse, secundùm præclaram illam Ivonis Carnotensis Episcopi Sententiam: SEDI APOSTOLICÆ JUDICIIS ET CONSTITUTIONIBUS DEVIARE, PLANE EST HÆRETICÆ PRAVITATIS NOTAM INCURRERE.

ARTICULUS XIX.

De Synodo Arelatensi V.

ANno Christi quingentesimo quinquagesimo quarto, *Sapaudus* Arelatensis Episcopus Synodum convocavit ex Provincia Viennensi secunda, & ex duabus Provinciis finitimis, scilicet Narbonensi secunda, & Alpinum Maritimarum. Adfuerunt undecim Episcopi, quatuor Presbyteri, Archidiaconi duo totidémque Diaconi ab aliis Episcopi directi. Septem Canones conditi sunt. *Primus*, dona quæ offeruntur altari, ab Episcopis Provinciæ, ad formam Arelatensis Ecclesiæ offerri jubet, *Secundus*, decernit, ut *Monasteria*, vel *Monachorum disciplina* ei subsint Episcopo, in cujus territorio sunt constituta. *Tertius*, Abbates longiùs à Monasterio sine Episcopi sui permissione vagantes, juxta antiquos Canones ab eo regulariter corrigi statuit. *Quartus*, Presbytero prohibet, ne Diaconum vel Subdiaconum deponat inconsultô Episcopo, sub pœna exclusionis à Communione annô integrô. *Quintus*, Puellarum Monasteria curæ Episcopi committit & commendat. *Sextus* Clericos facultates Ecclesiæ, quarum usum ab Episcopo accipiunt, deteriorantes, *Disciplinâ corrigi statuit*, si juniores sint: Si verò seniores, *ut necatores pauperum* puniri. *Septimus*, Episcopis vetat ne alienum Clericum ordinent absque dimissoriâ sui Episcopi Epistolâ. Quod si fecerint, tribus mensibus Communione priventur, iis, quos ordinaverint, depositis.

Summa Canonum.
Monasteria Episcopis subdita.
Abbatum vagantium correctio.
Alieni Clerici sine dimissoriis literis non ordinandi.

ARTICULUS XX.

De Synodis Parisiensibus Secunda, & Tertia.

Concilium Parisiense Secundum, anno circiter quingentesimo quinquagesimo-primo celebratum est, non 555. ut novissimi Conciliorum Collectores notant. Nam Firminus Episcopus Ecclesiæ *Uceticæ*, qui huic Synodo subscripsit, obiit anno 553. ut observet *Carolus le Cointe* Vir doctissimus in *Annalibus Ecclesiasticis Francorum*. Hæc Synodus à Rege *Childeberto* convocata est in causa *Saffaraci* Parisiensis Episcopi: qui gravissimi criminis accusatus, propriáque confessione convictus, secundùm sacros Canones Episcopatu dejectus fuerat, & in Monasterium detrusus. Discussâ iterum ejus causâ, sive Sententiæ in ipsum latæ æquitate, Patres ejus exauctorationem confirmarunt. Ipsi subrogatus est *Eusebius*. Viginti septem subscripserunt Episcopi.

Lutetia Parisiorum, vulgò Paris, Regni Galliarum caput. Sedes olim Episcopalis sub Archiepiscop. Senonensi, nunc Archiepiscopalis.
Saffaraci Parisiensis Episcopi exauctoratio.

Concilium Parisiense Tertium anno quingentesimo quinquagesimo-septimo celebratum est. Statuti sunt in eo Canones decem. *Primus* eos qui res Ecclesiæ pervadunt, aut retinent, etiam specie largitatis Regiæ, quousque restituerint, à Communione excludit ut *necatores pauperum*. Secundus simili pœnâ mulctat pervasores facultatum Episcopi: *Quia res Episcoporum propriæ res Ecclesiarum esse noscuntur.* Tertius cavet ne Episcopi res alienas competant aut retineant. *Quartus* illicita conjugia contra præceptum Domini contrahi vetat à Fidelibus, scilicet cum noverca, relictâ fratris, relictâ patrui, sorore uxoris, relictâ avunculi, nuru, matertera, amita, privigna, & filia privignæ. *Quintus* à Communione removet raptores, aut competentes matrimonia tam viduarum, quam puellarum, quæ mutatione vestium Pœnitentiam, Religionem, aut Virginitatem sunt professæ. *Sextus*, Sacerdotibus, Principi, populo cavendum statuit, ne ullus res alienas competere à Regis audeat potestate: Et ne viduam:

Summa Canonum Concilii Parisiensis tertii.
Illicita conjugia.

viduam, aut filiam alterius contra voluntatem parentum, aut rapiat, aut Regis beneficio postulet ducatque uxorem. Quod si fecerit, à Communione removetur. Posteriorem hujus Canonis partem Regio Præcepto roboraverunt *Childebertus*, deinde *Clotarius*, ac postea *Charibertus*, Reges Christianissimi. *Canon septimus*, ab uno excommunicatos Episcopo, ab aliis recipi vetat. *Octavus* statuit ut libera sit Episcoporum electio, nec *Principis Imperio* violetur. *Quod si per ordinationem Regiam honoris istius culmen pervadere aliquis præsumpserit, à Comprovincialibus, utpotè in lebiso ordinatus, non recipiatur.* Si quis receperit, sit ab omnium Fratrum Communione segregatus. Regis assensum, cujus necessitatem induxit Ecclesia Gallicana in Synodo Quinta Aurelianensi, non sustulit Synodus Tertia Parisiensis, sed cavit tantum ne assensum suum in merum imperium verterent Principes, Rescriptis suis designantes Episcopos Clero & populo invitis, & quandoque repugnantibus. *Nonus Canon* decernit ut servi in eâ maneant conditione sub quâ fuerunt à defunctis dimissi, sive hæredibus, sive Ecclesiæ. Decimus jubet ut Episcopi qui Concilio adesse non potuerunt, ejus Decreta suis subscriptionibus roborent.

Sacrorum electionum libertas.

Huic interfuere Concilio quindecim Episcopi, ex quibus in Sanctorum albo conscripti sunt *Prætextatus Rotomagensis*, *Eufronius Turonensis*, *Germanus Parisiensis*, *Paternus Abrincensis*, * *Samson Dolensis*, *Leontius Burdigalensis*, *Felix Nannetensis*, *Chaletricus Carnotensis*.

* D'Avranches.

ARTICULUS XXI.

De Concilio Bracarensi I. *

* Bracara, Vulgo Brague, in Lusitania, Sedes Archiepiscop.

ANno Christi quingentesimo sexagesimo-tertio, *Bracara*, quæ Gallæciæ civitas est Metropolis, celebrata est Synodus à *Lucretio* Metropolitano, & Comprovincialibus Episcopis, *Theodomiro*, * Suevorum Rege in Hispaniis regnante: à quo etiam convocata est, ut ex Actis patet: *Cùm Galliciæ Provinciæ Episcopi ex præcepto gloriosissimi Theodomiri Regis in Metropolitana ejusdem Provinciæ Bracarensis Ecclesiâ convenissent*, &c. *Lucretius Episcopus dixit: Diu est, Sanctissimi Fratres, quòd secundùm instituta venerabilium Canonum, & decreta Catholicæ & Apostolicæ Disciplinæ, desiderabamus Sacerdotalem inter nos fieri debere Conventum*, &c. *Nunc igitur, quoniam optatum nobis hujus congregationis diem gloriosissimus atque piissimus filius noster, aspirante sibi Domino, Regali præcepto concessit*, &c.

* Mendosè Ariamitus nomen in editis legitur.

Synodus à Rege convocata.

In hâc Synodo recensita sunt primùm quæ in Priscillianum hæresiarcham ejusque hæresim olim constituta fuerant in Concilio Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitanæ, & Bæticæ Provinciarum, ex suggestione S. Leonis coacto. Deinde relecti sunt Canones tam generalium Synodorum, quàm localium. Tertiò Ecclesiastica Disciplina viginti duobus Canonibus sancita est.

Primus statuit ut unus & idem psallendi ordo in Matutinis & Vespertinis Officiis servetur, non permixtis Monasteriorum consuetudinibus. *Secundus*, easdem Lectiones in Vigiliis & Missis ubique legi jubet. *Tertius* uno modo ab Episcopis & Presbyteris populum salutari mandat, dicendo: *Dominus sit vobiscum*, & ut respondeat populus: *Et cum spiritu tuo*, sicut *ab Apostolis traditum* omnis retinet Occidens, & non sicut permutaverant Priscillianistæ. Scilicet Priscillianus non semel tantùm, ut moris est, sed semper Episcopos salutare debere populum contendebat his verbis, *Pax vobis*, nusquam illis, *Dominus vobiscum*; ut conjicit *Garsias Loaisa* in Notis ad hoc Concilium. Apud Græcos nullum esse hujus salutationis usum, nec reperiri in eorum Liturgiis; sed hac formulâ cùm Episcopos, tum Presbyteros populum salutare, *Pax omnibus*, constat ex Liturgiis S. Basilii, & S. Chrysostomi ex eodem Sancto Chrysostomo *Homilia 3. in Epistolam ad Colossenses* & ex *Sancto Cyrillo Alexandrino lib. XII. in Joannem.* Adeóque mendum est in Canone tertio *Bracarensis* Concilii, prout refertur à Conciliorum Collectoribus: *Sicut omnis retinet Oriens*; & pro Oriente substituendus est *Occidens*.

Summa Canonum.

Canones quartus & quintus Missarum celebrandarum & Baptismi ordinem, quem *Profuturus* Bracarensis Metropolitanus à Sede Apostolicâ acceperat, statuunt observari. *Sextus*, ut servatô Metropolitani primatu, cæteri Episcopi secundùm Ordinationis suæ tempus sedeant. *Septimus*, ut res Ecclesiasticæ in tres æquas portiones dividantur, quarum una cedat in usum Episcopi, altera in Clericorum sustentationem, tertiam administrans Archidiaconus Episcopo rationes reddat. *Octavus* vetat ne alienum Clericum Episcopus ad Ordines promoveat, absque dimissoriis proprii Antistitis literis. *Nonus* decernit ut Diaconi supposito scapulæ, non absconso infrà Tunicam utantur Orario, sive Stolâ. *Decimus*, ut soli Subdiaconi, non Lectores, sacra altaris vasa portent. *Undecimus* ut Lectores in habitu sæculari non psallant in Ecclesiâ, neque granos Gentili ritu demittant. Errant *Garsias* & *Binius*, cùm in Notis ad hunc Canonem *granos* genus laïcæ vestis oblungæ interpretantur. Nam prolixos capillos hoc nomine significari constat ex S. Isidoro Hispalensi (Lib. 19. Originum:) *Nonnullæ gentes*, inquit, *non solum in vestibus, sed & in corpore, aliqua propria sibi quasi insignia vendicant, ut videmus cirrhos Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Et ex Epistola Arnulfi Roffensis Episcopi ad Lambertum * *Nos*, inquit, *Carnem Domini intinguimus in sanguine*, &c. *Evenit enim frequenter ut barbati, & prolixos habentes granos, dum poculum inter epulas sumunt, prius liquore pilos inficiant, quam ori liquorem infundant.*

Episcopi sedeant juxta Ordinationis suæ tempus e lege debent.

Alieni Clerici sine dimissoriis non ordinandi.

Clericorum in habitu & capillitio modestia.

Garsias & Binius emendantur.

* Tomo 2. Spicil. pag. 431.

Canon duodecimus statuit, ut præter Psalmos, & Scripturas Veteris & Novi Testamenti, nihil Poëticè compositum in Ecclesiâ psallatur, sicut præcipiunt Canones. *Decimus tertius* statuit ut soli Clerici intra Sanctuarium Sacram Communionem percipiant. *Decimus-quartus*, ut Clerici carnes non comedentes, olera cocta cùm carnibus degustent, ad Priscillianæ hæreseos suspicionem amovendam. *Decimus-quintus*, vetat ne ullus cùm excommunicatis communicet; contemnentem hâc in re Canones, à Communione declarat alienum. *Decimus-sextus*, Commemorationem in Oblatione fieri prohibet pro iis qui sibi mortem consciverunt, & eorum corpora cum Psalmis ad sepulturam deduci: Idémque decernit de iis qui capitalem sententiam pro suis sceleribus subeunt. Idem statuit de Catechumenis sine Baptismo defunctis *Canon decimus-septimus*.

Decimus-octavus prohibet ne corpora defunctorum in Sanctorum Basilicis sepeliantur, sed deforis circa murum Ecclesiæ. *Nam si firmissimum hoc Privilegium usque nunc manet civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quantò magis hoc venerabilium Martyrum reverentia debet obtinere?* (inquit Synodus.) *Decimus-nonus*, Presbyteris prohibet Chrismatis benedictionem, & Ecclesiæ, vel altaris consecrationem, sub pœnâ depositionis. Vigesimus, laicos ad Sacerdotium antè promoveri vetat, quàm anno integro Disciplinam in Officiô Lectoratûs, vel Subdiaconatûs didicerint. *Vigesimus-primus*, quod ex Fidelium collatione, aut ad defunctorum commemorationem offertur, apud unum Clericorum colligi,

Sepulturæ in Sanctorum Basilicis olim prohibitæ.

& femel aut bis in anno inter omnes Clericos dividi statuit, ne ex inæqualitate oriatur discordia, si unusquisque sibi vendicet, quod in suâ hebdomada oblatum est. *Vigesimus-secundus*, antiquos Canones in Concilio relectos jubet observari, sub pœna depositionis transgressoribus contumacibus infligendâ.

ARTICULUS XXII.

De Concilio Lugdunensi II.

Summa Canonum.

Clericorum testamenta sorum usum Ecclesiæ.

C*Oncilium Lugdunense secundum*, anno Christi quingentesimo sexagesimo septimo celebratum est sub *Nicetio* Episcopo, ex solis ditionibus *Guntheramni* Regis: in quo sex Canones conditi sunt. *Primus* controversias Episcoporum Comprovincialium à Metropolitano dirimi: eorum verò qui sunt ex diversis Provinciis, ab ipsorum Metropolitanis conjunctim judicari statuit. *Secundus* decernit, ut rata sint testamenta Episcoporum, Presbyterorum, & Clericorum inferioris ordinis, in gratiam & commodum Ecclesiæ facta, etiamsi stricti juris apices observari in iis non fuerint. *Id specialiter statuentes, ut etiamsi quorumcumque Religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate, aliquid à legum sæcularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus, Deo propitio, custodiri.* Tertius, Communione privat eos, qui captivos per vim & nefas adduxerunt, ac retinent, nisi eos juxta Regis præceptum restituant. *Quartus* renovat Canones prohibentes, ne excommunicati ab uno Episcopo recipiantur ab aliis, donec ab eo fuerint absoluti. *Quintus*, quod præcedentium Episcoporum munificentiâ, Clericis, aut servientibus, sive de rebus Ecclesiæ ad usum: sive de propriis in proprietatem datum est, ab eorum successoribus revocari vetat. *Sextus*, Litanias sive Rogationes, hebdomadâ primâ Novembris, ab omnibus Ecclesiis fieri jubet, sicut ante Ascensionem Domini. In eadem Synodo *Salonius* Episcopus *Ebredunensis*, & *Sagittarius Vappincensis* * ob diversa scelera damnati sunt, *Ex Gregorio Turonensi lib.* 5. *cap.* 25. Huic Synodo suâ, vel Vicariorum manu subscripserunt quatuordecim Episcopi: è quibus in Tabulas Ecclesiasticas relati sunt *Nicetius Lugdunensis*, *Agricola Cabilonensis*, *Syagrius Augustodunensis*. Colitur & *Æoladius* à suis Nivernensibus.

Episcoporum duorum depositio.
* D'Ambrun de Gap.

ARTICULUS XXIII.

De Concilio Turonensi II.

Cæsarodunum Turonum, vulgò Tours, ad Ligerim, fluvii sedes Archiepiscop.

C*Oncilium secundum Turonense* * ad annum Christi quingentesimum sexagesimum septimum refert *Sirmondus*, P. verò *le Cointe* ad annum quingentesimum sexagesimum sextum. Ex solis ditionibus *Chariberti* Regis coactum est, anno Regni ejus sexto, & ejusdem Christianissimi Principis convocatione, ut Patres in Præfatione testantur. *Christo auspice, in Turonica civitate, juxta conniventiam gloriosissimi Domini Chariberti Regis annuentis, coadunati, &c.* In eo Canones conditi sunt viginti septem.

Summa Canonum.

Conciliorum Provincialium celebratio.

Notanda sententia.

Primus Provincialem Synodum bis in anno, aut saltem annis singulis celebrari statuit, à quâ nemo Episcoporum nisi infirmitate præpeditus, abesse possit; *Neque per impedimentum ordinationis Regiæ, neque sub occasione utilitatis, aut causa propria.* Qui venire distulerit, à Communione Coëpiscoporum suspenditur ad proximam usque Synodum. Ratio est: *Quia non debet spirituali operi etiam Regalis præceptio præferri: cùm primum in Ecclesia sit mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Unde non debet præcepto Domini persona cujuslibet hominis anteponi: neque debet terrenæ conditionis actio vel persona terrere, quos Christus spe crucis armavit.*

Canon secundus statuit, ut si dissidium aliquod & discordia inter Episcopos emerserit, *electis ab utraque parte Presbyteris, litis jacula finiant, & vota pacis acquirant*. Si autem reconciliari neglexerint, congruæ Pœnitentiæ à Synodo sunt addicendi. *Canon tertius* prohibet ne Corpus Domini inter sacras imagines super altari ponatur, sed in loco digniori collocetur, sub ipsâ Cruce, quæ in meditullio altaris poni consuevit. *Canon quartus* Laïcos juxta altare in quo Sancta Mysteria celebrantur, inter Clericos, tam ad Vigilias, quàm ad Missas stare vetat. *Quintus* decernit ut unaquæque civitas pauperes & egenos incolas pascat, ne per civitates alias vagentur. *Sextus*, Epistolia, id est, literas dimissorias à solis dandas Episcopis, non à Clericis, aut laïcis. *Septimus*, cavet ne Episcopi Archipresbyterum, aut Abbatem ad nutum amoveant, absque omnium Compresbyterorum & Abbatum consiliô. *Octavus* à Communione suspendit Episcopum, qui excommunicatum ab alio sciens ad Communionem susceperit. *Nonus* Romanum, aut Britannum in Aremorica Episcopum ordinari vetat sine Metropolitani, id est, Turonensis Episcopi, & Comprovincialium voluntate, vel literis. *Decimus*, *undecimus*, *duodecimus*, & *decimus-tertius*, Clericorum castitati & famæ consulunt: extraneas scilicet mulieres ejiciunt è domibus sacrorum Ministrorum, excommunicant Canonum hæc in re transgressores. Jubent ut Episcopus conjugem ut sororem habeat; & ut ad pravam suspicionem amovendam, tam in cella quàm ubicunque fuerit, Presbyteri, vel Diaconi, aut Clerici juniores ipsum comitentur, simulque cum ipso habitent.

Laïci ne stent inter Clericos in Ecclesia.

Monastica disciplina.

Canon decimus quartus, Sacerdotes, ac Monachos in eodem lecto simul quiescere prohibet; aut Monachos binos in eadem cellâ, aut singulos in singulis; sed omnes *in communi Schola*, id est, conclavi, jacere decernit, ut duobus vel tribus vicissim legentibus & excubantibus, non solùm custodia corporum, sed & animarum profectus assiduâ lectione procuretur. *Canon decimus-quintus* Monachos vagos & apostatas coërcet. Uxorem ducentes à communione pellendos, & ab illegitimo consortio separandos, etiam Judicis sæcularis auxilio decernit. Quod si recuset, ipse excommunicatur. *Decimus-sextus* ab ingressu intra septa Monasterii mulieres arcet: Abbates, vel Præpositos, ioiis, statim atque viderint, ejiciendis negligentes excommunicat. *Decimus-septimus* statuit de Jejuniis Monachorum, vel potiùs antiqua de illis statuta renovat: ut scilicet jejunent triduo Rogationum, totâ hebdomada post Pentecostem: deinde, usque ad Kalendas Decembris ter in hebdomada, excepto mense Augusto, quo prandium ipsis conceditur propter quotidianas Missas Sanctorum: à Kalendis Decembris, usque ad Natale Domini: triduo in Kalendis Januarii, quô publicæ in Ecclesia supplicationes fiebant ad Gentilium superstitionem abolendam ac detestandam: post Epiphaniam ter in hebdomada, usque ad Quadragesimam.

Canon decimus-octavus Ordinem psallendi, cùm in Ecclesia S. Martini, tum in cæteris Provinciæ Turonicæ præscribit: ita ut, quò longiores sunt noctes, plures Psalmi ad Matutinum recitari debeant, duodecim æstivo tempore; quatuordecim mense Septembri; viginti quatuor mense Octobri; viginti septem mense Novembri; à mense Decembri usque ad Pascha, triginta. Quicumque verò minùs quam duodecim Psalmos ad Matutinum dixerit, jejunio usque ad vesperam in pane & aquâ emendatur. Quam Pœnitentiam subire si contempserit, æquè arcto jejunio hebdomadâ integrâ macerandus est. Hinc patet obligatos fuisse majores Clericos ad Officium divinum

* Ordo divinæ Psalmodiæ.

Obligatio majorum Clericorum ad Officii divini recitationem etiam privatam.

vinum, etiam privatim persolvendum. Rectè monet doctissimus P. *le Comte*, pro his verbis, *in diebus festis*, quæ in editis hujus Canonis exemplaribus leguntur, esse restituendum, *in diebus æstivis*: quia de diebus festis quæstio non est, sed de totius anni cursu, qui non integer ordinaretur, si hoc loco de festis diebus ageretur, cùm nihil statueretur de tempore æstivo.

Majorum Clericorum conjugatorum cœlibatus.

Canon decimus-nonus Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, qui cum uxoribus ante Ordinationem ductis continentiam non servant, à communione per annum suspendit, à Clero in perpetuum removet, solùm ipsis inter Lectores in Psallentium Choro locum concedit. Archipresbyterum circa tam sanctæ disciplinæ observantiam non invigilantem ab Episcopo in carcere recludi jubet, & mense integro in pane & aqua jejunare. Ne verò Archipresbyter vicanus, qui & ipse conjugatus est, pravæ de se præbeat suspicionis ansam, jubet ut aliquis Clericorum cum illo semper ambulet, & in eadem cella, in quâ ille jacet, lectum habeat pro testimonio.

Canon vigesimus, eos qui sacras Virgines, aut Viduas continentiam professas rapiunt, aut cum iis nubunt, coërcet. Innititur hic Canon Decretis *Innocentii I.* Conciliorum *Milevitani*, *Arelatensis secundi*, & *Epaonensis*, & Legibus Imperatorum, quas laudat. *Canon vigesimus-primus* adversùs incestas conjunctiones multa profert ex veteri Testamento, & ex Legibus Romanis; & confirmat quicquid in Conciliis *Epaonensi*, & *Aurelianensi* I. super eâ re statutum est.

Superstitiones damnatæ.

Vigesimus secundus animadvertit in eos qui Gentilium more *Kalendas Januarii* colebant; qui in festivitate *Cathedræ S. Petri* feralia sacra faciebant cum Ethnicis; & epulas ad defunctorum sepulchra deferebant, existimantes hujusmodi cibus ab animabus circa tumulos errantibus absumi: in eos denique qui, ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca Gentilium, res Ecclesiæ rationi minimè convenientes agebant: Quos à Communione removet. *Vigesimus tertius* non solùm *Ambrosianos*, sed & aliorum Auctorum probatos hymnos cani permittit.

Bonorum Ecclesiæ pervasores.

Vigesimus-quartus, *vigesimus-quintus*, rerum Ecclesiasticorum pervasores ac retentores feriunt: & sacrilegæ pervasionis reum, post tertiam de restitutione faciendâ commonitionem, excommunicatione & solemni maledictione percuti decernunt: ita ut universô Clero congregato, in illum *pauperum necatorem* Psalmus centesimus octavus dicatur, *ut veniat super eum maledictio quæ super Judam venit*, *& non solum excommunicatus*, *sed etiam anathematizatus moriatur*, *& cœlesti gladio feriatur*.

Canon vigesimus-septimus Judices aut Potentes, qui pauperes opprimunt, nec ab Episcopo admoniti, se emendant, à Communione excludit. *Vigesimus-septimus*, præmia pro Clericorum Ordinationibus ab Episcopis exigi vetat, quia id *non solùm sacrilegum*, *sed & hæreticum est*. Simoniacè autem Ordinantes, & Ordinatos, ab Ecclesia segregat usque ad Synodum.

Huic Concilio subscripserunt Episcopi novem, ex Provinciis Lugduensibus secundâ, tertiâ & quarta: quos inter *Eufronius Turonensis*, *Prætextatus Rotomagensis*, *Germanus Parisiensis*, *Domnulus Cenomanensis*, *Felix Nannetensis*, & *Chaletricus Carnutensis* in Sanctorum numero coluntur.

ARTICULUS XXIV.

De Concilio Lucensi*.

* Lucum, vulgo Lugo, nunc Episcopalis sedes sub Archiepiscopo, Compostellano.

ANNO Christi quingentesimo sexagesimo nono, Rex Suevorum *Theodomirus* Lucense Concilium ex Episcopis Gallæciæ Provinciæ in civitatem Lucensem congregavit, in quo ipsû postulante, Sedes Lucensis Metropolitica dignitate ornata est, ita ut duæ in Gallæcia Metropoles essent, *Bracara* & *Lucum*; auctusque est Episcopatuum illâ in Provinciâ numerus.

Auctus à Synodo Episcoporum numerus in Gallæcia.

Rationem ob quam id necessarium videbatur, suggessit Rex Epistolâ ad Patres datâ. *Quia in totâ Gallæcia regione spatiosæ satis Diœceses a paucis Episcopis tenentur, ita ut aliquanta Ecclesia per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari: insuper tantæ Provinciæ unus tantùm Metropolitanus est; & de extremis quibusque Parochiis longum est singulis annis ad Concilium convenire.* Martinus Dumiensis, jam Bracarensis Præsul, Capita quædam ex Græcis Synodis compilata, Lucensis Concilii Patribus misit expendenda, & approbanda.

ARTICULUS XXV.

De Concilio Bracarensi II.

De Bragan.

CONcilium *Bracarense secundum*, anno Christi quingentesimo septuagesimo secundo, ex utraque Gallæciæ Metropoli, Bracarensi nimirum & Lucensi anno secundo Mironis Regis convocatum est, ejusdem Suevorum Regis præcepto, ut patet ex Interlocutione *Martini* Bracarensis Metropolitani, qui Concilio præerat.

Synodus Regis Mandato congregata.

Sic enim ait: *Inspiratione Dei credimus provenisse, ut per ordinationem Domni gloriosissimi filii nostri Regis, ex utroque Concilio conveniremus in unum, &c.* Præmissâ quatuor Synodorum Oecumenicarum mentione, tacito Quintæ Synodi nomine, in Hispaniis nondum receptæ, Canones decem editi sunt.

Summa Canonum.

Primus & secundus, de sacra Episcoporum Visitatione statuunt, ut primùm incumbant examini Clericorum, deinde instructioni Christianæ plebis, tum ut *præter honorem Cathedræ suæ, id est, duos solidos*, * à singulis *Ecclesiis* nihil exigant: neque tertiam oblationum partem sibi vendicent, quæ pro luminariis & reparatione Ecclesiarum servanda est.

* Duos nummos argenteos Monetæ Gallicæ.

Munera pro ordinationibus sacris, pro Chrismate, pro consecratione Ecclesiarum, pro Baptismo, exigi vetant *Canones tertius*, *quartus*, *quintus*, & *septimus*. Addit *quintus*, non esse dedicandam Ecclesiam absque dote sufficiente, per ordinationem Chartulæ confirmatâ. *Canon sextus* quorumdam fundatorum cupiditatem devotionis larvâ obductam insectatur, qui Ecclesias in agris suis & prædiis ædificabant eâ lege, ut mediam oblationum partem perciperent. Statuit Synodus ut nullus Episcopus tam abominabili voto consentiat. *Canon octavus* eos qui Clericum fornicationis accusant, nec duobus aut tribus testimoniis probant crimen, excommunicatione plectit.

Dies proximi Paschatis tempore solemni promulgatur.

Nonus diem proximi Paschatis à Metropolitano promulgari jubet, sub finem Synodi Provincialis, ut ab Episcopis & reliquo Clero in breviculo subnotata, adveniente Nativitatis Dominicæ die, post lectionem Evangelicam nuntietur, ut initium Quadragesimæ nullus ignoret: quâ ineunte, vicinæ Ecclesiæ in unum convenientes, per triduum ad Sanctorum Basilicas ritu solemni supplicantes & psallentes procedant: Tertiâ autem die, celebratis horâ nonâ sive decimâ Missis, præceptum de Quadragesimalis observantiâ Jejunii promulgetur. *Decimus Canon* Presbyteros quosdam coërcet, qui in Missis pro defunctis, non jejuni, Oblationem consecrabant: Eósque depositione plectendos decernit, qui in hanc erroris amentiam ex Priscillianæ hæreseos antiquo fœtore afflatam lapsi fuerint.

ARTICULUS XXVI.

De Concilio Matiſconenſi I.

* Matiſco, vulgò Maſcon in Burgundia. Sedes Epiſcop. ſub Archiepiſcop. Lugdunenſi

Synodus à Rege convocata.

Præcipuorum Canonum ſumma.

PRima Synodus *Matiſconenſis* * anno *Guntchramni* Regis vigeſimo ſecuodo celebrata eſt, ut ex MS. Codice Bellovacenſi probat doctiſſimus *P. le Cointe, in Annalibus Eccleſiaſt.cis Francorum*: qui Guntchtamni Regis annus incidit in annum Chtiſti quingenteſimum octogeſimum tertium. Convocata eſt è ditionibus ejuſdem Chriſtianiſſimi Regis, ac illius auctoritate, ut ex Præfatione conſtat: *Cùm ex evocatione glorioſiſſimi Domini Guntchramni Regis, tam pro cauſis publicis, quàm pro neceſſitatibus pauperum, in urbe Matiſconenſi noſtra mediocritas conveniſſet*, &c. Canones undeviginti editi ſunt, quibus priorum Conciliorum decreta renovantur & confirmantur: de continentia & modeſtiâ Clericorum, & de eorum cauſis. De coërcitione Judæorum, qui tum inter Chriſtianos plurimi degebant, ne illis dominari aut inſultare ſinantur, &c.

Clericorum civilis habitus.

Ex his Canonibus quidam præ aliis ſunt notandi. *Canon quintus* ſtatuit *Ut nullus Clericus ſagum, aut veſtimenta, aut calceamenta ſæcularia induere præſumat*, ſed quæ *religionem deceant*. Qui verò *cum indecenti veſte, aut cum armis* inventi fuerint, à ſeuiore ita coërcendos, *ut triginta dierum incluſione detenti, aquâ tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtententur*. Ex quibus conſtat, Clericorum civilem habitum à ſæcularium veſtibus tunc ex Eccleſiæ diſciplinâ diſtinctum fuiſſe.

Canon ineptus.

Canon ſextus vetat ne *Archiepiſcopus ſine Pallio Miſſas dicere præſumat*. Canonem illum in primum Concilium Matiſconenſe ex quopiam recentiore Concilio tranſlatum, non leviter conjicit *P. le Cointe in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum*: tum quia vox; *Archiepiſcopus*, nondum ſexto ſæculo uſurpabatur in Galliis ad Metropolitanæ Sedis Epiſcopum deſignandum, quod ex ipſius Concilii Matiſconenſis I. ſubſcriptionibus perſpicuum eſt. Huic enim ſubſcripſerunt ſex Epiſcopi Metropolitani, *Lugdunenſis, Viennenſis, Senonenſis, Bituricenſis, Veſontienſis*, & *Tarentaſienſis*, quorum nullus *Archiepiſcopum*, omnes Epiſcopos ſe ſcripſerunt. Nec in ullâ Gallicanarum Synodorum quæ ſexto ſæculo celebratæ ſunt, ullus reperitur Antiſtes qui ſe *Archiepiſcopum* dixerit Nec in Gallicanis Auctoribus illius ætatis, nec in publicis Inſtrumentis probatæ fidei, vox iſta legitur. Denique uſus Pallii ſolis Arelatenſibus Epiſcopis illâ ætate conceſſus erat, ut conſtat ex Epiſtolis Romanorum Pontificum ad eoſdem Epiſcopos Arelatenſes, puta *Vigilii* ad *Auxanium*, atque *Aurelianum*, & *Pelagii* ad *Sapaudum*. Doctiſſimus Archipræſul Pariſienſis *Petrus de Marca, lib. 6. de Concordia Sacerdotii & Imperii*, duplex Pallium diſtinxit, Romanum unum quô ſolus Arelatenſis Epiſcopus in Galliis; alterum Gallicanum, quô Metropolitani omnes Galliarum utebantur. Hâc ſubtiliter excogitatâ diſtinctione, ait ſtatutum eſſe Canone Matiſconenſi, ut Archiepiſcopi Sacrum facientes Gallicano Pallio uterentur, id eſt, Pallio quod ab antiquis temporibus Metropolitæ Gallicani geſtare conſueverant, nec à Romanis Pontificibus poſtulabant, accipiebantve. Sed hanc diſtinctionem ceu nullo fultam fundamento alii jure rejiciunt.

Pallii Romani & Gallicani diſtinctio ſine ratione excogitata.

Canon ſeptimus Clericos, ob quaſcumque cauſas, à Judicibus ſæcularibus plecti, aut cuſtodiæ mandari vetat, abſque *diſcuſſione Epiſcopi*, niſi ſit *cauſa criminalis*, id eſt, *homicidium, furtum, maleficium*. Alioquin Judicem à Communione removendum, quamdiu Epiſcopo viſum fuerit. Si Clerici capitalium criminum rei eſſent, & quæ leges ſæculi morte plectunt, poterant ſæculares Magiſtratus ipſos, inconſultis Epiſcopis apprehendere, in carcerem detrudere, & ſecundùm leges in illos animadvertere.

Clericorum cauſæ criminales, à quibus judicatæ.

Pœna Clericorum Clericos ad ſæcularia tribunalia trahentium.

Canon octavus ſtatuit *Ut nullus Clericus ad Judicem ſæcularem quemcunque alium Fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere quocumque modo præſumat, ſed omne negotium Clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præſentiâ finiatur. Quod ſi quicumque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat*. (Id eſt legitimam diſciplinam quam excedere non licebat) *ſin certè honoratior* (id eſt, à Subdiaconatu & ſupra) triginta dierum concluſione multetur.

Specialia Clericorum jejunia.

Canon nonus ſtatuit ut à feſto Sancti Martini, uſque ad Natale Domini, *ſecundâ, quartâ & ſextâ Sabbathi*, id eſt, diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris, *jejunetur*: utque *Quadrageſimali ordine* celebrentur Sacrificia, id eſt, horâ Veſpertinâ Demum, ut his diebus legantur Canones, ne quis ſe per ignorantiam deliquiſſe cauſetur. De ſolis Clericis intelligendus eſt hic Canon, quorum plura fuiſſe jejunia quàm Laïcorum, ex Eccleſiæ Gallicanæ diſciplinâ, compertum eſt.

Canon decimus, Epiſcopis adhærere Clericos jubet, & cum illis dies feſtos celebrare; contumaces aut per cujuſcumque patrocinium ſe ab illorum obedientiâ ſubducentes, deponendos edicit.

Duodecimus, Moniales, & ſacras Virgines, *conjugia* (ſive potius *ſtupra*) ineuntes, cum procis, ad exitum uſque Communione privat, ſeu *voluntariè*, ſeu *parentibus ſuis rogantibus*, *Religionem profeſſæ, aut benedictionem fuerint conſecutæ*.

Decimus ſeptimus à Communione removet uſque ad exitum, qui ad falſum teſtimonium, aut perjurium alios induxerint: falſos teſtes & perjuros ipſos ultra hanc pœnam ab omni teſtimonio prohibendos declarat, & infamiâ notandos. Intelligendus eſt hic Canon de iis qui in publico judicio falſi teſtimonii aut perjurii convicti fuerint. *Decimus octavus*, accuſatores innocentium, calumniæ convictos deponit, ſi honoratiores Clerici ſint: excommunicat donec publicâ pœnitentiâ ſatisfecerint, ſi Laici. Clericos inferiores Subdiaconis, eidem obnoxios fuiſſe cenſuræ, ac Laïcos, ſi criminis iſtius rei eſſent, patet, cùm illorum pœnam à Clericorum pœnâ non diſtinguat, ſed honoratiores tantùm Clericos à Laïcorum ſorte hac in cauſâ excipiat.

Monialium donationes irritæ.

Canon poſtremus, Agnetem Monacham coërcet, quæ cùm è Monaſterii ſeptis ante annos aliquot fugiſſet, ac in illud eſſet revocata, *agellos, vel quaſcumque res ad ſe pertinentes*, viris potentibus donare velle dicebatur, ut eorum patrociniô, è clauſtrô ſe ſubtraheret, *& ſæculi voluptatibus clandeſtina vel ſingulari habitatione vacaret*. Statuunt autem Patres, ut *Agnes* ipſa, vel quæcumque alia Monialis, ſi facinus hujuſmodi commiſerint, à communione removeantur: Et pari anathemate feriantur illi quibus res ſuas dederint ad fugam ipſarum ex Monaſterio juvandam, donec pœnitentiam egerint, & res ipſas reſtituerint iis à quibus illas acceperant.

Huic Synodo ſubſcripſerunt Epiſcopi ex variis Provinciis viginti unus, quorum ſeptem ſanctitate conſpicui fuere, ſcilicet *Syagrius Auguſtodunenſis, Aunacharius Altiſiodorenſis, Priſcus Lugdunenſis, Evantius Viennenſis, Agricola Nivernenſis, Artemius Senonenſis, & Flavius Cabilonenſis*.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 272. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc velut meam propoſitionem notant: *Magiſtratus ſæculares propter aliqua delicta inconſulto Epiſcopo Clericos comprehendere poteſt.*

R. Quamvis hi ſint Gallicanæ Juriſprudentiæ Mores, hæc tamen propoſitio non eſt mea, nec expono quid in cauſis criminalibus Clericorum poſſit hodie vel non poſſit ſæcularis Magiſtratus, quid in communibus delictis, quid in criminibus

minibus privilegiatis, sed quid decreverit Concilium Matisconense I. cujus ibi Canones summatim recenseo. *Canon septimus (aiebam) Clericos ob quascumque causas à judicibus secularibus plecti, aut custodiæ mancipari vetat*, ABSQUE DISCUSSIONE EPISCOPI, *nisi sit* CAUSA CRIMINALIS, *id est*, HOMICIDIUM, FURTUM, MALEFICIUM. *Alioquin Judicem à Communione removendum, quamdiu Episcopo visum fuerit. Si Clerici capitalium criminum rei essent, & quia Leges seculi morte plectunt, poterant seculares Magistratus ipsos inconsultis Episcopis apprehendere, & in carcerem detrudere, secundùm Leges in illos animadvertere.* Dixi, *poterant seculares Magistratus*, &c. Iudiculi Censorii Autores, interpolata propositione mea effingunt mihi quòd scripserim, *possunt seculares Magistratus*, &c. Cæterùm an Canonis Matisconensis sensum assecutus sim & expresserim, verborum meorum cum ipsius Canonis verbis collatio ostendet. En Canonis verba: *Ut nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui à Seculari judice injuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quod si quicumque Judex cujuscumque Clericum, absque causa criminali, id est, Homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.*

ARTICULUS XXVII.

De Concilio Lugdunensi II.

EODEM anno *Lugdunense Concilium* celebratum est, sed ante Matisconense I. Si quidem illud Kalendis Novembris, hoc verò mense Maio celebratum notatur. In eo sex Canones conditi sunt, quibus ea renovantur quæ de mulieribus extraneis à Clericorum societate repellendis; de puellis Deo devotis quæ à Monasterio recedunt; & de incestis conjunctionibus, prisca Canonum statuta sanxere. Canones etiam decernentes ne Episcopus *Natale Domini, aut Pascha*, extra Ecclesiam suam celebret, renovantur. Excipiuntur infirmitate, aut Regis mandatis præpediti. Denique decernitur ut Episcopos suæ civitatis leprosis alimenta sufficientia, & vestimenta necessaria subministret, ut illis per alias civitates vagandi licentia denegetur. His Decretis octo subscripserunt Episcopi, & Episcoporum Missi duodecim.

ARTICULUS XXVIII.

De Concilio Matisconensi II.

ANNO Christi quingentesimo, octogesimo quinto, Synodus *Matisconensis* congregata est, jussu Gunthramni Regis, ut testatur *Gregorius Turonensis, libro 8. capite vigesimo*. Eâ in Synodo Faustianus, qui ex jussu *Gundobaldi* Comitis, hostis *Gunthramni*, Aquensis Episcopus ordinatus fuerat, eâ conditione exauctoratus est, ut eum *Bertechramnus & Orestes*, sive *Palladius*, qui eum consecraverant, vicibus pascerent, centenosque ipsi aureos annis singulis largirentur. *Nicetius* in ejus locum ordinatus est Episcopus. In eadem Synodo excommunicatus est *Ursicinus* Cadorcensis Antistes, propriâ confessione convictus quòd *Gundobaldum* hostem Regis & Patriæ excepisset. Quæ tamen excommunicatio minùs propriè sumenda est, siquidem ipsi jus communicandi ac sedendi cum Episcopis, necnon administrandi res Ecclesiæ suæ relictum est: sola Missarum celebratio, Clericorum Ordinatio, Chrismatis & Ecclesiarum consecratio, Eulogiarum distributio vetita fuit ad triennium, quô Pœnitentiam agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vinoque & carnibus abstineret. In eadem Synodo quidam Episcopus, qui mulierem non posse hominem vocari contendebat, à Patribus edoctus est. Hæc refert *Gregorius Turonensis*. Viginti Canones edidere Concilii Matisconensis Secundi Patres.

Error Episcopi, qui mulierem non posse hominem vocari contendebat, emendatus.

Summa Canonum.

Primus diei Dominicæ cultum restituit his verbis: *Custodite diem Dominicam, quæ nos denuo peperit, & à peccatis omnibus liberavit. Nullus vestrûm litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones exerceat, nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus juvencorum imponere cogat. Sitote omnes in Hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis proximam habet Ecclesiam, properet ad eamdem, & ibi Dominico die semetipsum precibus lacrymisque conficiat. Sint oculi manusque vestræ toto illo die ad Deum expansa*, &c. Violantes autem Dominicam diem his pœnis emendandos decernit: *Si Causidicus fuerit, irreparabiliter causam amittet; si rusticus aut servus, gravioribus fustium ictibus verberabitur; si Clericus aut Monachus, mensibus sex à consortio suspendetur fratrum.* Noctem denique ipsam sacris vigiliis statuit transigendam. *Canon secundus* Pascha per sex dies festos celebrari statuit, quibus ab omni opere servili cessent Fideles, quotidianis sacrificiis intersint, Deum vespere, mane, & meridie laudent. *Canon tertius* legitimum solennis Baptismi diem solum Pascha statuit, nec infantes ipsos in aliis solemnitatibus ad Baptismum offerri sinit, nisi infirmitas nimia, aut dies extremus ipsos quavis aliâ die baptizare compellat. Hoc Canone abrogata est in Francia consuetudo baptizandi in die Natali Christi & S. Joannis Baptistæ, necnon in festis Martyrum, atque etiam in die Pentecostes; sed post breve tempus rursus in Ecclesia Gallicana antiquissimus usus invaluit, ut non tantùm Pascha sed etiam Pentecoste, legitimum Baptismi solemnis tempus esset. Ex hoc Canone colligitur, non admissos fuisse ad Clerum, qui Baptismum extra diem legitimam susceperant, quamcumque excusationem prætenderent. Jubet enim infantes baptizari legitima die, *Qua possint & honoribus, si vita comes fuerit, Sacerdotalibus fungi, & singularis celebrationis solemnitate frui.*

Religiosa Dominicæ diei observatio.

Solemnis Baptismi tempus.

Canon quartus Oblationes omnibus Dominicis diebus ab omnibus viris & mulieribus fieri præcipit. *Ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel cæteris juste offerentibus promereantur esse consortes.* Inobedientes verò anathemate percellit. *Quintus* Laïcos decimas Ecclesiæ non solventes à communione removet. *Sextus* Missam nonnisi à jejunis celebrari statuit, & Eucharistiæ reliquias infantibus jejunis, intinctas vino, distribui. *Septimus*, libertorum causas, qui in Ecclesia manumissi fuerant, ab Episcopo judicari decernit, aut ab eo cui illarum commiserit judicium. *Octavus* est de reis ab Ecclesia, in quam confugerint, non extrahendis. *Nonus* anathemate ferit Judices sæculares, qui Episcopos de Ecclesia violenter abstractos, ergastulis publicis addixerint, & omnes illorum causas ad Metropolitanum, vel ad Synodum deferri jubet. *Decimus* Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos ex Ecclesia trahi, aut vim ipsis inferri pariter vetat; eorum causas à proprio Episcopo discuti & judicari jubens. *Undecimus* hospitalitatem omnibus Fidelibus commendat, cujus exemplum dare tenentur Episcopi. *Duodecimus* Viduarum & pupillorum causas à sæcularibus Magistratibus judicari vetat, nisi sedente cum ipsis Episcopo, vel Archidiacono, aut Presbytero ab ipsis destinato: quia Episcopus hujusmodi personarum protector est. Judicem verò, aut actorem eis injuriam aliquam inferentes, aut Concilii Decreto non obtemperantes, à communione suspendit. Vides quàm ampla esset Episcoporum jurisdictio, quanta Tribunalis Ecclesiastici reverentia, quot causæ ad illud deferrentur, ex Regum utique Christianissimorum concessione: causæ, Clericorum, viduarum, pupillorum, & libertorum.

Oblationes die Dominica ab omnibus faciendæ.

Eucharistiæ reliquiæ infantibus distribuendæ.

Clericorum immunitas.

Episcopalis ... hospitudo.

Canon decimus-tertius à domo Episcopali canes quoslibet procul arcet, cujus aditus omnibus patere debet hospitibus & miseris; & quæ Hymnis non

Ædes Episcopales ...

non latratibus, operibus bonis, non morsibus venenosis custodienda est. *Decimus-quartus* anathemate ferit Potentes, qui res alienas invadunt. *Decimus-quintus* de honore Clericis exhibendo statuit, ut si sæcularis, Clericum obvium habuerit, & ambo equitent, illum honorificè salutet: Si verò Clericus pedes iter agat, & sæcularis vehatur equo, ad terram hic prosiliat, honorem Clerico exhibiturus. *Qui verò hæc, quæ Spiritu Sancto dictante sancita sunt, transgredi voluerit, ab Ecclesia, quam in suis Ministris dehonorat, quamdiu Episcopus voluerit, suspendatur.*

Honor Clericis à Laicis exhibendus.

Decimus-sextus Matrimonium à Clericorum viduis contractum, irritum declarat. *Decimus-septimus* prohibet cadaveribus nondum consumptis alia super-imponi: Aut aliena sepulturæ jura usurpari, sive mortuorum corpora inferri in religiosa loca aliis ad suam aut suorum sepulturam ab Ecclesia concessa, sine voluntate Domini sepulchrorum. Quod si factum fuerit, corpora superimposita, secundùm leges exhumari statuit.

Canon decimus-octavus incestas conjunctiones execratur. *Decimus-nonus*, Clericos examinationis, aut supplicii reorum spectatores esse vetat, sub pœnâ depositionis. *Vigesimus* Concilium Nationale tertio quoque anno decernit celebrandum, à quo si quis Episcoporum abfuerit absque legitimâ causâ, à Communione fraternâ suspenditur usque ad Concilium universale, id est, ex universâ Francia convocandum. Congregandi autem Concilii Nationalis ex ditionibus *Guntbramni* Regis, id est, ex Burgundiæ Regno, cujus Sedes erat Aurelianum, sollicitudinem Episcopo Lugdunensi Patres imposuerunt: Locum verò Synodi à Rege designandum agnovere. *Et hoc adimplere sollicitudinis sit Metropolitani Lugdunensis Episcopi, unà cum dispositione magnifici Principis nostri, prius definientis locum Mediterraneum* * *ad quem omnes Episcopi sine labore alacres congregentur.*

Clericos tormentorum supplicii spectaculis causâ adesse nefas.

* Id est, in ditionum suarum mediitullio.

Synodo Matisconensi Secundæ subscripserunt Episcopi quadraginta três, item Missi Episcoporum viginti, & tres insuper Episcopi qui Sedes non habebant. Ex Episcopis qui interfuerunt, quindecim in numero Sanctorum habentur, scilicet *Priscus Lugdunensis*, *Evantius Viennensis*, *Prætextatus Rotomagensis*, *Artemius Senonensis*, *Syagrius Augustodunensis*, *Annacharius Altisiodorensis*, *Palladius Santonensis*, *Agricola Nivernensis*, *Flavius Cabilonensis*, *Aredius Vappicensis*, *Sulpitius Bituricensis*, *Veranus Cabellicensis*, * *Theodorus Massiliensis*, *Ferreolus Lemovicensis*, & *Marius Aventicensis*. *

* De Cavaillon.
* D'Avenches.

ARTICULUS XXIX.

De Concilio Autisiodorensi *

* Autisiodorensi, vulgò Auxerre, in Burgundia, Sedes Episcopalis sub Archiepiscopo Senonensi.

PAulò post Concilia Matisconensia, ut videtur *Patri le Cointe*, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, *Annacharius* Autisiodorensis Episcopus Synodum cum Abbatibus & Presbyteris suæ Diœceseos celebravit, in quâ editi sunt Canones quadraginta quinque. Horum plerique Decreta Synodorum præcedentium, præcipuè Matisconensium renovant. Nonnulli rituum ethnicorum, ac superstitionum paganarum observantiam Christianis vetant, scilicet Kalendis Januariis *vetulâ* * *aut cervolo* facere, id est assumptis ferarum ac pecudum formis huc & illuc petulantiùs discursitare. (*Canon* 1.) Item vigilias in Festivitatibus Sanctorum in domibus propriis facere, cum quadam superstitione proculdubio admixtas: *Inter sentes, aut ad arbores sacrivos*, vel ad fontes, vota exsolvere. Per sentes intellige lapides terminales, qui non rarò in sentibus delitescunt, & ab Ethnicis olim sub Dei *Termini* nomine colebantur: *Sacrivos*, id est, consecratos, vel Diis dedicatos. Prohibent etiam *ne sculptilia* aut pede, aut homine ligneo fiant. Id est, ne Christiani statuas in biviis more Paganorum erigant. (*Canone* 3.)

Canones contra varia superstitionum genera.

* Vox superstitione plenam proscribit.

Legit Sirmondus, *homine* loco *pede*, le Cointe, *homine ligneo*.

Cavent præterea ne sortilegos, augures, caragios * Christiani consulant, nec respiciant ad sortes quas Sanctorum vocant, vel de ligno, aut de pane factas. (*Canone* 4.) De his superstitionum speciebus S. Eligius ita loquitur apud Audoënum, in ejus Vita: *Fontes vel arbores, quas sacrivos vocant, succidite. Pedum similitudines, quas per bivia ponunt, fieri vetate, & ubi inveneritis, igni cremate.... Non caragios, non divinos, non sortilegos, non præcantores, nec pro ullâ causâ vel infirmitate eos consulere vel interrogare præsumatis.* Prohibet etiam Autisiodorensis Synodus vigilias quæ in honorem S. Martini observabantur. Non loquitur de Vigiliis ritu Christiano in Ecclesia factis, sed de vigiliis quæ in privatis domibus fiebant; non absque admixtâ superstitione. (*Canone* 5.)

* Caragi, id est, magi promittentes explere quæ non possunt.

De Synodo Diœcesana statuit *Canon septimus*, ut medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in civitatem veniant; & Kalendis Novembris omnes Abbates. *Canon decimus* de celebratione Missarum edicit, ne in uno altari duæ Missæ unâ die dicantur; aut Presbyter Sacrum faciat in altari ubi celebraverit Episcopus. *Canon decimus-nonus* non solùm à Presbyteris jejunis Missas celebrari jubet, quod sanxerat Synodus Matisconensis Secunda, sed etiam Diaconos & Subdiaconos jejunos ministrare, nec in Ecclesia stare, dum Missæ celebrantur. Diacono & Subdiacono id præceptum ob reverentiam Sacrificii cui ministrabant, & ob Communionem quam prætermittere Ministros Sacrificii nefas erat. *Canon vigesimus-tertius* viduas Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum, post eorum obitum nubere vetat: quarum matrimonia irrita declaraverat Synodus Matisconensis Secunda, *Canon* 16. quo vix ullum est illustrius argumentum, quô probetur Ecclesiam proprio jure & auctoritate impedimenta dirimentia matrimonio apposuisse.

Diœcesana Synodus celebranda.

Diaconum & Subdiaconum jejunos altari ministrare decet.

Ecclesia proprio jure impedimenta Matrimonii constituit.

In eodem Concilio quædam statuuntur de Abbatibus & Monachis. Abbas qui Monachos adulterii, furti, aut proprietatis reos vel per se non emendaverit, vel ad Episcopum aut Archidiaconum non detulerit, ad Pœnitentiam agendam in aliud Monasterium retrudendus est. Liberum erat Abbati Monachum in crimen lapsum vel per se emendare, secundùm Canones & Monasticam disciplinam, vel ejus crimen Episcopo aut Archidiacono denuntiare, qui pœnas in illum Canonicas decernebant. Si utrumque neglexisset Abbas, pœnis ipse obnoxius fiebat, ad quas subeundas in alio Monasterio recludebatur. Abbatibus etiam & Monachis prohibetur, ne nuptiis intersint, aut filios de Baptismo suscipiant. (*Canone* 23. 24. & 25.

Pœna Abbatum Monachos proprietatis aut aliorum criminum reos non emendantium, vel non denuntiantium Episcopo.

De fœminis ad Eucharistiam accedentibus statuit hæc Synodus, ut *nudâ manu* Eucharistiam non accipiant, nec Pallam Dominicam contrectent, sed *Dominicale* suum habeant, quando communicare volunt. (*Canonibus* 36. 37. & 42.) *Dominicalis* nomine vulgò intelligunt Auctores mundissimum linteolum, quô mulieres Eucharistiam excipiebant. Scilicet viri nudâ manu: mulieres subjecto linteolo Christi corpus accipiebant, ac deinde ori admovebant. Favet huic interpretationi Auctor antiquus *Sermonis* 252. *de Tempore* inter Augustinianos, dicens: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavent manus, & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Christi Corpus accipiant.... Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi Corpus Christi accipiant, sic corpus castum, & cor mundum exhibeant.* Ita *Baronius*, *Binius*, doctissimus Cardinalis *Bona* lib.

Dominicalis nomine quid intelligendum?

lib. 3. Rerum Liturgicarum cap. 17. P. *le Cointe* in Aonalibus Ecclesiasticis Francorum, *Dominicale* interpretantur. At *Stephanus Baluzius in Notis ad Gratianum, Causa* 33. *Quæst.* 5. *C. Mulier.* censet Dominicale genus quoddam fuisse velaminis, sine quo non licebat fœminis ad Sacram Communionem accedere. Canonem enim Autisiodorensem in veteri Codice sic legi observat; *Si mulier communicans Dominicale suum super caput non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet.*

Canon quadragesimus primus Presbyteris & Diaconia vetat ne quemquam inscribant sive accusent: sed si causam habuerint, aut fratrem, aut quemcunque sæcularem rogent ut vice ipsorum agat. *Canon quadragesimus quartus* sæculares qui Archipresbyteri sui institutionem aut admonitionem humiliter non audierint, & ipsi non paruerint, à Communione removet: mulctâque damnat, quam Rex *Gunthramnus* decreverat. Munus erat Archipresbyteri Canonum observantiam curare in pagis, invigilari vice Episcopi tam super Clerum, quam super plebem Christianam; transgressores Canonum ad Antistitem deferre; viduas, pupillos, pauperes a Potentum oppressionibus tueri; peccatores admonere, docere, corripere. Quandoque Laïci contumaces Archipresbyterorum monita spernebant. Unde opus fuit ut Ecclesia in illos animadverteret excommunicatione, & Rex Christianissimus eos indictâ mulctâ ad parendum Archipresbyteris compelleret. Concilio Autisiodorensi, præter *Aunacharium* Episcopum, subscripserunt Abbates septem, Presbyteri triginta tres; Diaconi Presbyterorum vice, quatuor.

Archipresbyteri munus.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum pag. 302. edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Pag. 237. 260. 302. sibi contradicit Alexander, dicendo, Reges non posse ponere impedimenta Matrimonio.*

R. De hac quæstione non ago pag. 237. Epaonensis Concilii Canones recenseo. Canone trigesimo consanguinitatem & affinitatem certis in gradibus Matrimonium dirimere declaratur: Nullibi Regum mentio. Immo hinc probatur Ecclesiæ auctoritas ad statuendum impedimenta dirimentia Matrimonium: quod fidei dogma est a me propugnatum. Pag. 260. recenseo Canones Concilii Aurelianensis III. Ad Canonem decimum observo, Ecclesiam dispensatione sua Matrimonia contra Canones contracta rata fecisse contrahenda verò contra Canones irrita declarasse. *Unde probatur evidenter* (inquiebam) *jus apponendi impedimenta dirimentia Matrimonio ut Sacramentum est*, ECCLESIÆ SOLI *convenire*, NON PRINCIPIBUS, *ut Launoius contendit.* Pugnantia non loquor, siquidem nullibi scripsi, neque unquam sensi Reges apponere posse impedimenta Matrimonio ut Sacramentum est, aut contractus ad Sacramenti dignitatem evectus: Immo censui semper illam propositionem erroneam esse & damnandam. Pag. denique 302. Concilii Autisiodorensis Canones recenseo. *Canon vigesimus-tertius* (inquiebam) *Viduas Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, post eorum obitum nubere vetat. Quo vix ullum est illustrius argumentum quo probetur Ecclesiam* PROPRIO IURE ET AUCTORITATE *impedimenta dirimentia Matrimonio apposuisse.* Dogma Catholicum istud est quod credidi semper & docui.

ARTICULUS XXX.

De Concilio Toletano III.

CUM *Reccaredus* Rex Gothorum, & Hispaniæ ad Fidem Catholicam cum suis Gothis ejuratâ hæresi Arianâ conversus esset, Nationalem Synodum ex Episcopi Hispaniæ, & Galliæ Narbonensis, quæ ejus regno continebatur, saltem *Septimania*, congregavit *Toletum*, anno quingentesimo octogesimo nono, octavo Iduum Maiarum, cùm ad fidei solemnem Professionem coram Patribus edendam, tum ad Ecclesiasticæ reparationem disciplinæ. Convocatam esse à Rege hanc Synodum, Acta testantur. *Cùm*, inquiunt, *pro fidei sua sinceritate idem gloriosissimus Princeps omnes regiminis sui Pontifices in unum con-*

Synodus à Rege convocata.

A *venire mandasset, &c.* Et ex verbis Regis ibidem: *Non incognitum esse reor vobis, Reverendissimi Sacerdotes, quòd propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam ad nostræ vos Serenitatis præsentiam devocaverim.* Et ex Edicto ejusdem, quò Synodum confirmavit: *Universorum*, inquit, *sub Regni nostri potestate consistentium amatores nos suos divina faciens Veritas, nostris principaliter sensibus inspiravit, ut causâ instauranda fidei, ac disciplinæ Ecclesiasticæ, Episcopos omnes Hispaniæ nostro præsentandos Culmini juberemus.*

Primò suscepit Synodus Professionem Fidei, quam B *Reccaredus* Rex obtulit: cui Symbola Nicænum & Constantinopolitanum subjuncta erant, necnon Definitio Concilii Chalcedonensis, quibus Rex cum Badda Regina uxore suâ subscripsit. Deinde à Gothorum Episcopis, Presbyteria & Proceribus Professio fidei edita est, postulante Synodo, Anathematismis comprehensa viginti tribus. In his tertius observatione singulari dignus est, in quo Processio Spiritus Sancti à Patre & Filio ut fidei dogma asseritur his verbis: *Quicumque Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit a Patre & Filio procedere, eùmque non dixerit coæternum esse Patri & Filio, &* C *coæqualem, anathema sit.* Observatione dignus est & decimus sextus, quò famosus quidam in Romanam Ecclesiam Libellus à Gothia editus, ab iisdem damnatus est: & reprobata etiam est Glorificationis formula ab iisdem hæreticô ingeniô instituta. *Quicumque*, inquiunt, *Libellum detestabilem duodecimò annò Leovigildi Regis à nobis editum, in quò continetur Romanorum ad Arianam hæresim traductio, & in quo Gloria Patri per Filium, & in Spiritu Sancto, male à nobis instituta continetur; hunc Libellum si quis pro vero habuerit, anathema sit in æternum.* In aliis anathematismis expressa habetur Arianæ hæreseos damnatio, & omnium Concilio- D rum eam foventium, nominatim Concilii Ariminensis: & Confessio fidei quatuor Synodorum Oecumenicarum, Nicænæ, Constantinopolitanæ Primæ Ephesinæ, & Chalcedonensis.

Processio Spiritus Sancti à Patre & Filio, ut fidei dogma asseritur.

Famosus in Romanam Ecclesiam libellus damnatur.

Post hæc, Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurationi consuluerunt Patres editis Canonibus viginti tribus. *Primus.* Conciliorum omnium statuta, & Synodicas Sanctorum Præsulum Romanorum Epistolas observari jubet, & ab honoribus Ecclesiasticis arcet indignos: & omnes quos Canones rejiciunt. *Secundus*, Postulante piissimo Rege Reccaredo statuit, *Ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel* E *Galliæ* (Narbonensis, cujus pars Gothis Regibus parebat) *secundùm formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani Symbolum fidei recitetur; ut priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clarâ à populo decantetur: quò & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi Corpus & Sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.* Timotheus Patriarcha Constantinopolitanus anno 510. instituerat ut Symbolum fidei per singulas Synaxes diceretur, cùm antea semel tantùm in anno diceretur in magno die Parasceves: cùm Episcopus Catechumenos instruebat: ut testatur *Theodorus Lector libro* 2. *Collectaneorum.* Hunc morem F Hispani primi inter Latinos receperunt: in Synodo Toletana III. Illud autem cantabant post Consecrationem, & ante Orationem Dominicam: qui ritus adhuc permanet in Missali Mozarabico. Hinc morem illum in Hispania derivatum putat Mariana, qui ad nostram ætatem retentus est, ne ad Sacram Communionem quisquam admittatur, priusquam Christiani Symboli partes omnes, præeunte Sacerdote, pronuntiaverit.

Summa Canonum.

Symboli in Missa cantandi Ritus ab Ecclesia Hispanensi in Occidente primùm receptus.

Canon tertius res Ecclesiæ alienare Episcopis vetat: Si quid Monasteriis, vel Ecclesiis in suâ Diœcesi positis dederint, absque gravi Ecclesiæ Matricis

Kkk incommodo,

incommodo, ratum habet. *Canon quartus* permittit Episcopis, ut aliquam è suis Ecclesiis Parochialibus Monasterium faciant, de consensu Concilii sui, ut in eâ Monachorum Congregatio regulariter vivat, & ut de rebus Ecclesiæ aliquid ad eorum sustentationem donet. *Rei enim bonæ statuendæ*, inquiunt Patres, *Sanctum Concilium dat assensum.*

Sacrorum Ministrorum cœlibatus.

Quintus Canon statuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ex hæresi venientes, ab uxoribus se contineant, nec sub uno conclavi cum eis maneant. Qui verò semper in Clero Catholicæ Ecclesiæ militarunt, si in suas cellulas mulieres, quarum familiaritas infamem gignere suspicionem potest, introduxerint, secundùm Canones plectantur: mulieres verò ipsæ venundentur ab Episcopis, & pretium ipsarum pauperibus erogetur. *Canon sextus* liberos ab Episcopis, vel ab aliis factos, & Ecclesiæ commendatos, libertate frui, & Episcopali patrocinio regi decernit, idque postulandum à Principe. *Septimus* statuit ut in omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum misceatur. *Octavus* prohibet ne Clericos *ex familiâ fisci*, id est, qui ex familiis fisco Principis addictis orti sunt, & qui Ecclesiæ donati sunt à Principe, aliquis repetat, sed Ecclesiæ ministerio semper alligati maneant. Editus est hic Canon innuente & consentiente *Reccaredo* Rege. *Nonus* Ecclesias quondam ab Arianis occupatas, nunc Religioni Catholicæ addictas, Episcopis vendicat, in quorum Diœcesibus constructæ sunt. Decimus libertati viduarum continentiam secundis nuptiis anteponentium, & virginum respuentium nuptias, vult consultum, cavétque ne ab ullo cogantur ad matrimonium ineundum, *citra voluntatem parentum, vel suam. Qui verò propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit*, à Communione rejicitur.

Scripturarum lectio in mensa Sacerdotum.

Pœnitentiæ disciplina.

Canon undecimus peccatores coërcet, qui quotiescunque peccare libuerit, toties à Presbytero se reconciliari, expostulant; & *secundum formam Canonum antiquorum* dari pœnitentias decernit. *Duodecimus* viro Pœnitentiam postulanti non esse dandam, nisi priùs tonso; mulieri verò, nisi mutaverit habitum: ut solemnis Pœnitentiæ professio eos à relapsu prohibeat.

Pœna Clericorum Conclericum ad publica Judicia pertrahentium.

Decimus-tertius animadvertit in Clericos, qui neglecto Episcopo suo Conclericos ad publica Judicia pertrahunt, statuítque, ut *qui hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & à Communione efficiatur extraneus.* Quibus quidem verbis, *Et causam perdat*, rescinditur Sententia in Clericorum causis etiam civilibus & profanis, à Judicibus lata; sed rescinditur non tam auctoritate Concilii, quàm Reccaredi Regis, qui Concilii Decreta rata esse jussit, datô eam ob rem Edicto. Nam ubi Ecclesia, Civilisque Potestas consentiunt, adeò alternâ sive mutuâ auctoritate niti solent, ut videatur Ecclesia verbis tenus in Civilem jurisdictionem excurrere; & Politica potestas sancire ejusmodi leges quæ sint Ecclesiasticæ Jurisdictionis; neutra quidem auctoritate propriâ, sed certa de voluntate & ratihabitione sociæ Potestatis. Ita *Reccaredus* Rex in confirmatione Concilii Toletani III. sancit ut *Si quis Concilii observator esse noluerit, superbâ fronte Majorum statutis repugnans, si Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Clericus fuerit, ab omni Concilio excommunicationi subjaceat.* Neque tamen inde colligi potest excommunicationis ferendæ auctoritatem penes Regem fuisse. Id namque edixit Catholicus Princeps de voluntate Patrum certus, nec tam ipse constituens, quàm promulgans quid edici vellet Ecclesia. Ita cùm Toletani Patres decernunt Clericos, qui sæcularium Judicum tribunalia adierint, causâ casuros, id decernunt consentiente & annuente Rege, qui Concilio aderat, non propriâ tantùm auctoritate.

Jurisdictionis Ecclesiasticæ & Civilis fines. Utriusque potestatis in Disciplinæ bonum consensus.

Canon decimus-quartus Judæis prohibet habere uxores, concubinas, vel mancipia Christiana, aut Officia publica gerere. *Decimus-quintus* statuit ut si qui ex servis fiscalibus, id est, qui Regio fisco procurando sunt addicti, Ecclesias construxerint, easque dotaverint, Episcopus id auctoritate Regia confirmari curet. *Decimus-sextus* decernit cum consensu Regis, ut per Hispaniam & Galliam Narbonensem Sacerdotes locorum unà cum Judicibus in Idololatriæ sacrilegia, quæ per illas regiones inoleverunt, studiosè inquirant, & exterminare satagant, coërceantque hujus criminis reos. Quod si neglexerint, excommunicationem ipsis comminatur. Dominos verò qui hoc malum à possessione suâ, vel familiâ extirpare neglexerint, ab Episcopo excommunicari jubet. *Canon decimus-septimus* Regis pariter auctoritate decernit, ut Sacerdotes Hispaniarum, cum Judicibus, inquirant in parentes, qui filios proprios necant, vel conceptos fœtus excutiunt, ne numerum augeant filiorum: qui non parricidii tantùm, sed & fornicationis quodammodo rei sunt, quia explendæ libidinis, non suscipiendæ prolis causâ se conjunctos fuisse probant. Jubet, inquam, Synodus ut Sacerdotes locorum cum Judicibus in hujus sceleris reos inquirant, & sine capitali vindictâ, acriori disciplinâ prohibeant.

Ecclesiastica & Civilis potestas mutuâ sibi præstant operam ad extirpanda crimina.

Canon decimus-octavus Concilia Provincialia semel quotannis celebrari jubet, dispensans de priorum Canonum statutis, quæ bis in anno illa congregari præcipiunt. Ratio dispensationis est paupertas Ecclesiarum Hispaniæ, & itineris longitudo, propter earum distantiam. Conciliis autem hujusmodi adesse jubet, ex Decreto Regis, Judices locorum, & Actores fiscalium patrimoniorum; *Ut discant quam piè & justè cum populis agere debeant*, ne ipsos angariis, aut immodicis exactionibus gravent. Invigilare etiam & prospicere præcipit Episcopos, *secundum Regiam admonitionem, qualiter Judices cum populis agant; ita ut ipsos præmonitos corrigant, aut de insolentiis eorum* ad Principem referant. *Quòd si correptos emendare nequiverint, & ab Ecclesia, & à Communione suspendant.*

Seculares judices ab Episcopis discant qua ratione in Munere suo se gerere debeant.

Episcopi in Hispania invigilant super Laicos Magistratus, ex Regis Mandato.

Canon decimus-nonus decernit ut dos Ecclesiæ ad Episcopi ordinationem pertineat. *Canon vigesimus* vetat ne Episcopi insolitis exactionibus Presbyteros, aut Diaconos suos fatigent: Clericos tam locales, quam Diœcesanos, id est, tam urbis, quam pagorum, ab Episcopo gravatos, querelas suas ad Metropolitanum deferre jubet. *Canon vigesimus-primus* Ecclesiarum, Episcoporum, Clericorum servos à Judicibus vel Actoribus publicis diversis angariis fatigari, vel publicis, aut privatis negotiis applicari vetat: Judices & Actores, qui hanc immunitatem violaverint, quam omne Concilium à Rege poposcit, excludit ab Ecclesiæ Communione. *Canon vigesimus-secundus* statuit ut Fidelium defunctorum corpora cum Psalmis tantummodo ad sepulchrum deferantur, nec funebre Carmen decantetur defunctis, nec proximi defunctorum pectora sua cædant. *Vigesimus-tertius* vetat ne in Sanctorum solemnitatibus populi qui divinis Officiis interesse debent, saltationibus & turpibus canticis indulgeant. Cujus vitii depulsionem Sacerdotum & Judicum curæ Sanctum Concilium committit. Huic subscripsere Concilio sex Metropolitani, quos inter celeberrimus erat sanctitate & doctrina S. *Leander, Hispalensis, Plantardus* Metropolitanus *Bracarensis*, tam suo quam *Nitigesii Lucensis* Metropolitani nomine subscripsit. Episcopi quinquaginta novem per seipsos, septem per Vicarios subscripserunt. *Reccaredus* Rex pientissimus Edicto Synodum confirmavit, ut ejus Canonca vim publicæ Legis haberent. Eorúmque transgressores Clericos excommunicationi ab Ecclesiâ infligendæ subjacere decrevit: Laïcos verò honestioris loci medietate facultatum suatum mulctari, fisci

Saltationes festis diebus prohibitæ.

fisci juribus profuturâ. Inferioris autem loci personas, & bonorum proscriptione, & exilio damnari.

ARTICULUS XXXI.

De Conventu duplici Episcoporum, in causa Monialium perduellium Monasterii Pictavensis. *

* *Pictavum, vulgò Poitiers, Pictonum caput, sedes Episcop. sub Archiepiscop. Burdegalensi.*

IN Monasterio Pictavensi Beatæ *Radegundis*, anno quingentesimo octogesimo-nono grave scandalum exortum est, cujus causa fuit *Chrodieldis*, *Chariberti* quondam Regis filia. Hæc enim *Leubovera* Abbatissæ suæ, cujus locum affectabat, imperium non ferens, cum *Basina* consobrina, *Chilperici* filia, & aliis ampliùs quadraginta puellis, quas in partes suas traxerat, Monasterio egressa, Turonos ad *Gregorium* Episcopum, inde ad *Guntramnum* Regem in Burgundiam profecta est, multis ubique Abbatissam conviciis falsisque criminibus insectata. Post hæc cum Sodalibus, quas Turonis reliquerat, Pictavos reversa, Sancti Hilarii Basilicam insedit, collectâque perditorum hominum manu, ibi se communivit, negans se ad Monasterium, nisi ejectâ *Leubovera* redituram. Accessit ad sedandum tumultum *Gundegisilus* Metropolitanus Burdigalensis cum *Nicasio* Engolismensi: & *Saffario* Petracorico, qui unà cum *Maroveo* Pictavensi ipsas adhortati sunt ut ad Monasterium redirent: sed cùm obstinatiùs reluctarentur Moniales, *Gundegisilus* & Coëpiscopi, illas à Communione submoverunt. Vibrato excommunicationis fulmine, sic in Antistites turba sicariorum *Chrodieldi* addicta grassata est, ut Clericis sanguine respersis, Episcopi vix evaserint. Tunc apud *Guntramnum* congregati erant decem Episcopi, ad quos *Gundegisilus*, suo & Coëpiscoporum laudatorum nomine, scripsit de Monialium excommunicatione, illorum hac de causâ sententiam rogans. Rescripserunt illi, justam esse excommunicationem in eas latam, eàque suis confirmare se suffragiis, donec in Synodo Kalendis Novembris unà congregati, de ipsarum coercenda temeritate pleniùs decernerent. Interim cum *Chrodieldis* Monasterii villas pervasisset, eisque præfecisset Procuratores, ac Monasterii servos, quoscumque arripere poterat, verberibus affectos sibi manciparet, novasque in Abbatissam insidias quotidie moliretur, novas turbas excitaret; de his monitus Rex *Childebertus*, *Macconi* Comiti dedit in mandatis, ut curas omnes ad sedandos tumultus, & ad Moniales comprimendas adhiberet; Misit etiam *Theutarium* Presbyterum, qui negotium illud componeret: Sed iste nihil promovit. Hæc prolixo stylo refert *Gregorius* Turonensis *lib. 9. Historiæ Francorum cap.* 39. 40. 41. 42. 43.

Anno sequente, quingentesimo nonagesimo, gravius factum est Parthenonis Pictavensis scandalum. Eò enim prorupit audaciæ *Chrodieldis*, ut occupato per conductos satellites Monasterio, vi Abbatissam inde abduceret, ac in carcerem detruderet: Ex quo dira mox secuta seditio, urbem cædibus fœdavit, ne loca quidem sacra reverita. Re ad Principes delatâ, convenit inter eos, ut delecti ex utroque Regno Antistites mitterentur, qui causam Abbatissæ & Monialium cognoscerent ac judicarent secundùm Canones. Tres è Regno *Childeberti* electi sunt Judices, scilicet *Ebregisilus*, *Agrippinensis*, *Gregorius Turonensis*, & *Maroveus Pictavensis*: è Regno verò *Guntramni*, *Gundegisilus Burdigalensis* cum suis Provincialibus, iisdem (ut credere par est) qui de hâc causâ proximô ante annô jam cognoverant, scilicet *Nicasio Engolismensi*, & *Saffario Petracorico*. Illis autem *Pictavum* adire nolentibus donec sæva seditio, quæ per *Chrodieldem* excitata erat, sedata esset, *Childebertus* Macconi Comiti mandavit, ut seditionem, si qui resisterent, vi comprimeret. Quod ubi Comes effecit, Episcopi in Basilica Sancti Hilarii sedentes *Chrodieldem* & *Basinam* ad tribunal suum vocarunt: necnon & *Leuboveram* Abbatissam. Illæ conviciis & falsis criminibus in Abbatissam jactatis, facinora sua excusare, & illam è dignitate dejicere nitebantur. Hæc verò calumnias diluit, seque criminis puram coram Episcopis probavit. Nonnulla se admisisse fassa est, sed erant illa leviora. Ipsam scilicet accusaverant quòd ad tabulas lusisset. Respondit illa: *Etsi lusisset vivente Domna Radegunde, se minus culpa respiceret, tamen nec in Regula per Scripturam prohiberi, nec in Canonibus retulit. Sed ad jussionem Episcoporum repromisit, cervice inflexâ, se per Pœnitentiam, quicquid juberetur implere.* Cunctis accusationum discussis capitibus, nullius rea criminis inventa Abbatissa est, quod depositionem mereretur. De levioribus causis paternâ pietate admonita est ab Episcopis, ne ullius in posterum querimoniæ ansam daret. Discusserunt deinde causam *Chrodieldis*, *Basinæ*, & conjuratarum Monialium. Legitimis probationibus convictæ sunt contumaciæ, seditionis in Monasterio & in urbe excitatæ, violatæ Monasticæ Disciplinæ & clausuræ, perduellionis in Episcopos, direptionis rerum & chartharum Monasterii, conjurationis in perniciem ac necem Abbatissæ. A quâ cùm nec veniam petere vellent, nec emendationem pollicerentur, Episcoporum judicio communione privatæ sunt, donec Pœnitentiam agerent. Abbatissa verò Monasterio restituta est, et confirmatâ dignitate. De causæ demum à se facto examine, & latâ absque personarum acceptione Sententiâ, Episcopi ad *Gunthramnum* & *Childebertum* Reges Epistolam scripserunt, quam refert *Gregorius Turonensis lib. X. Historiæ Francorum cap.* 16. qui & prolixè describit scandali istius Historiam à capite 14. ad 17.

Abbatissa, quod ad tabulas lusisset accusata.

Seditiosæ Moniales excommunicatæ, donec Pœnitentiam agant.

Eodem anno exeunte, *Basina*, quæ jam alieno erat à *Chrodielde* animo, quòd ab ipsâ se despici existimaret, coram Episcopis in Synodo Metensi, in causâ *Ægidii* Remensis *Antistitis*, Majestatis rei, congregatâ sedentibus, solo prostrata veniam petiit, regressum in Monasterium, obedientiam Abbatissæ, Regulæ observantiam pollicita. *Chrodieldis* verò contestata est, nusquam se in Monasterio sub *Leubovera* disciplinâ mansuram. Sed *Childeberto* Rege veniam utrisque à Synodo precante, in Communionem receptæ sunt; & Pictavum regredi jussæ; scilicet ut *Basina* Monasterio restituta religiosè & pacificè cum Abbatissa sua & Sororibus viveret: *Chrodieldis* autem in villâ sibi à Rege concessâ resideret. Hæc habemus ex *Gregorio Turonensi*, *libro X. capite* 20.

Communioni restitutæ rogâte Rege, Quibus conditionibus?

ARTICULUS XXXII.

De Concilio Narbonensi. *

* *Narbo, vulgò Narbone Galliæ Narbonensis caput, sedes Archiepiscop.*

ANno quingentesimo octogesimo nono, quarto regni Reccaredi Gothorum in Hispania Regis, cui tunc Provinciæ Narbonensis ora maritima patebat, *Migetius* ejusdem Provinciæ Metropolitanus juxtà Canonem Toletanæ Synodi decimum octavum, Concilium Provinciale *Narbonam* congregavit Kalendis Novembris: In quo quindecim Canones editi sunt.

Summa Canonum.

Primus vetat ne Clerici vestimenta purpurea induant, *quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem: Quia purpura maximè laicus potestate præditus debetur, non Religiosis.* Canon secundus, statuit ut in fine cujuscumque Psalmi, & per pausationes sive intervalla prolixiorum, qui

ſecantur in duos, *Gloria* dicatur. *Tertius* prohibet ne Clerici ſtent in plateis, ac variis confabulationibus ſe immiſceant. Tranſgreſſores Canonis repellit ab Officio; imò & à Communione, niſi ſe emendaverint. *Canon quartus*, omne opus die Dominica prohibet. Sacram diem violantem, ſi ſit ingenuus, damnat mulcta ſex ſolidorum, Comiti civitatis ſolvendorum; Si ſervus, centum flagellis ipſum plecti decernit. *Canon quintus* conjurationes Clericorum ſub laïcorum patrocinio fieri ſolitas, aut injurias illatas ſenioribus ab iis qui in gradu inferiore ſunt poſiti, pœnitentiâ per annum in Monaſterio agendâ caſtigat. *Sextus* ſtatuit ut cum Clericis, vel honoraris civitatis, qui ad expianda peccata in Monaſterium detruduntur, ſic agat Abbas ſicut ab Epiſcopo fuerit conſtitutum, ad eorum emendationem. *Septimus* Clericum adversùs utilitatem Eccleſiæ aliquid agentem, aut meditantem, è gradu dejicit. *Octavus* Clericos Eccleſiæ bona diripientes, & fraudem facientes, ad reſtitutionem compulſos, biennii Pœnitentiæ addicit. *Nonus* vetat ne Judæi ſuorum corpora defunctorum ad ſepulchrum pſallendo deducant. Quod ſi facere præſumpſerint, ſex uncias Comiti civitatis inferant in pœnam. *Decimus* Clericum Epiſcopo ſuo non obedientem privat ſtipendio, & Communione per annum. *Undecimus* vetat Epiſcopis ne Presbyteros, aut Diaconos literas ignorantes ordinent. Si qui verò fuerint literis ineruditi, nec ad legendum exercitati, eos ſtipendio privat, donec didicerint: Niſi proficiant, detrudit illos in Monaſterium, ut qui populum ædificare non poſſunt. *Canon duodecimus* vetat ne Clerici, dum Miſſa celebratur, de altari ante finem egredi audeant, niſi ſubitâ infirmitate correpti: Nec Diaconi, Subdiaconi, vel Lectores, albâ ſe exuant antequam abſoluta ſit Miſſa. Hujus ſtatuti tranſgreſſores, Presbyteros increpandos, Diaconos privandos ſtipendio, reliquos ſeveriùs puniendos ſtatuit. *Canon decimus-tertius* decernit ut Subdiaconi & inferiores Clerici conſueta obeant officia, *& Senioribus vela ad oſtia ſublevent*; qui id adimplere contempſerint, Subdiaconos verbis corripiendos, & ſi non emendaverint, ſtipendio privandos; cæteros flagris coërcendos. Vela ante portas templorum, & Sanctuarii ſuſpenſa erant, quæ attollere, cùm Epiſcopus, Presbyteri, & Diaconi ingrediebantur, Subdiaconorum, aut inferiorum Clericorum officium erat. *Canon-decimus-quartus* decernit ut qui Magos, divinatores, ſortilegos conſulunt, aut eos non denuntiant, ab Eccleſiæ Communione rejiciantur & ſex auri uncias Comiti civitatis pendere compellantur, ipſos autem ſortilegos, & divinatores, ſeu viros, ſeu mulieres, ſeu liberos, ſive ſervos aut ancillas, publicè fuſtibus graviſſimè caſtigatos venundari jubet, ac pretia ipſorum pauperibus erogari. *Canon-decimus-quintus* eorum ſuperſtitionem emendat, qui diem Jovis feſtivum habebant, eoque deferiabantur. Qui eâ die ab opere vacaverint, nullâ feſtivitate occurrente, ab Eccleſia repellit, & Pœnitentiæ ſubjicit per annum, ſi ingenui ſint: Si verò ſervi, decernit flagellis corrigendos, & conſignandos dominis, qui eos ab iſta ſuperſtitione cohibeant. Synodo Narbonenſi Epiſcopi octo adfuere, ſcilicet *Migetius Narbonenſis Metropolitanus* Concilii Præſes, *Sedatus Biterrenſis*, *Benenatus Elnenſis*, *Boetius Magalonenſis*, *Pelagius Nemanſenſis*, *Tigridius Agathenſis*, *Sergius Carcaſſonenſis*, *Agrippinus Lutevenſis*.

Synodus multam pecuniariam & flagella decernit in Dominicæ diei violatores.

Clerici in Monaſteria ad Pœnitentiam agendam detruſi.

Pœnæ in Magos, divinatores, & ſortilegos & eos qui ... à Synodo conſtitutæ.

❧

ARTICULUS XXXIII.

De Concilio Hiſpalenſi. I. *

ANno Chriſti quingenteſimo nonageſimo nono *Sanctus Leander* Hiſpalenſis Epiſcopus cùm Comprovincialibus Antiſtitibus Synodum in Metropoli ſua celebravit, cujus tres habemus Canones. Duobus primis condendis occaſionem dedit expoſtulatio Diaconorum *Aſtigitanæ* Eccleſiæ adversùs teſtamentum *Gaudentii* Epiſcopi ſui nuper vitâ functi, quô aliquos Eccleſiæ ſervos libertate donaverat, alios proximis ſuis reliquerat. Synodus inſpectis Canonibus declaravit: ſervos hujuſmodi non eſſe legitimè abſolutos, niſi res ipſius in compenſationem Eccleſiæ ceſſiſſent. Canonum tamen ſeveritatem in gratiam iſtorum libertorum Concilium temperavit, decernens ut libertate, quâ eos donaverat Epiſcopus, fruerentur; eâ tamen lege ut in jure Eccleſiæ manerent ut idonei, & peculium ſuum non aliis perſonis, ſed filiis tantùm ſuis relinquerent: ipſis quoque filiis & nepotibus, cum peculio ipſorum, in jure Eccleſiæ permanentibus. *In extraneam eis perſonam non liceat quidpiam tranſmittere: ſed qui eorum ſine hærede diſceſſerunt, peculium eorum veſtra proficiat Eccleſia*: (inquiunt Patres *Canone I.* cum aliis ad *Pegaſium* Aſtigitanum *Gaudentii* ſucceſſorem directo.) Donationem verò mancipiorum Eccleſiæ ab Epiſcopo conſanguineis ſuis factam reſcidit Synodus, niſi Eccleſiam ipſam ex propriis bonis compenſaſſet. *Quia durum eſt & irreligioſum ut Epiſcopus, qui Eccleſiaſticis ſtipendiis vivit, & proprietatem ſuam lucris Eccleſiæ minimè confert, aliorum oblationes à Jure Eccleſiaſtico privet.* Canone tertio ſtatutum eſt, ut extraneas mulieres vel ancillas, quas Clerici ab Epiſcopo ſuo commoniti ſuis è domibus non ejecerint, aut à ſuâ non removerint familiaritate, Judices comprehendant, & in ſuis lucris uſurpare poſſint, id eſt, eas vendere, aut ſibi ſervas mancipare; dato tamen ſacramento ut eas Clericis nullâ arte reſtituant: quod ſi fecerint, excommunicentur; mulieres verò à Sacerdotibus diſtractæ, Monaſteriis puellarum tradantur ſervituræ.

* Hiſpalis, vulgo Sevilla, ad Bætim fluvium, Hiſpaniæ Bæticæ caput, ſedes Archiepiſcop.

Summa Canonum.

ARTICULUS XXXIV.

De Concilio Cæſaraugustano. I I.

ANno Chriſti quingenteſimo nonageſimo ſecundo *ex permiſſu Reccaredi Regis*, anno ſeptimo regni ejus, *Cæſaraugustæ* * Synodus Provinciæ Tarraconenſis celebrata eſt, Præſide *Artemio* Metropolitano. Tres in ea ſunt editi *Canones*. *Primus* ſtatuit ut Presbyteri ex hæreſi Ariana ad Eccleſiam Catholicam converſi, ſi probatæ fidei & caſtimoniæ fuerint, *acceptâ denuo Benedictione Presbyterii*, ad ſacrum Miniſterium admittantur: ſi verò continentes non fuerint, ab Officio depoſiti, in Clero maneant. *Presbyterii denuo accepta Benedictio*, non eſt reordinatio, ſed exterior quædam ceremonia, quâ in Clerum & Officia Sacra reſtituebantur: qui ritus vocabatur *Benedictio Presbyterii*, ſicut ſupplementum Ceremoniarum Baptiſmi in Eccleſia, in iis qui domi baptizati fuerunt, vulgò Baptiſmus appellatur. Sic Nicænum Concilium decrevit Epiſcopos à *Meletio* ordinatos recipiendos eſſe, *Simul atque ſanctiore manus impoſitione confirmati fuerint*. Quem Canonem explicans *Taraſius* Actione 1. Synodi Septimæ Oecumenicæ, ait: *Fortè in benedictione tantum hic manûs impoſitionem dicit, & non conſecrationem.* Sed nihil evidentiùs probat ritum illum non fuiſſe reordinationem,

* Sarragoſſ.

Summa Canonum.

Presbyterii Benedictio denuo accipienda ab Arianis Presbyteris ad Eccleſiam redeuntibus, non eſt Reordinatio.

nem, quàm Hispaniensis ipsius Ecclesiæ disciplina, quæ illum in restitutione Clericorum injustè depositorum adhibebat, ut patet ex Concilio *Toletano* IV. Canone XVIII. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo injustè dejectus, in secundâ Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum; si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum, &c.* Qui ritus & in Gallicanâ Ecclesia solemnis erat undecimo sæculo, ut discimus ex Epistola 25. *Fulberti* Carnotensis Episcopi. *Rebaptizationes*, inquit, *& reordinationes fieri Canones vetant. Propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis ei suos gradus per instrumenta & per vestimenta quæ ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum Ostiarii.... In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Novissimâ autem benedictione lætificabis eum sic concludendo: Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti super te descendat, ut sis restitutus in Ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hostias.*

Reliquiæ probandæ.

Canon secundus Cæsaraugustanæ Synodi statuit, ut reliquiæ de Ariana hæresi in quibuscunque locis inventæ, delatæ ad Episcopos, igne probentur. In Catholicos verò qui eas occultaverint, excommunicationem decernit. Mos ille probandi reliquias per ignem, si in eô positus esset, ut veræ Sanctorum haberentur reliquiæ, quibus ignis parceret, falsæ, quas in cineres redigeret, singularis fuit illius Provinciæ, nec à cæteris Ecclesiis, & maximè à Romana, quæ omnium Caput est, Mater, & Magistra, comprobatus. Miraculum enim à Deo postulando, tentare ipsum videtur, qui sic rei alicujus periculum facit. Sed forsan verba illa: *Igne probentur*; idem significant in isto Canone ac, *In ignem consumenda conjiciantur.* Minori enim periculo obnoxiam rem esse putarunt Hispani Antistites, dubias reliquias comburere, quàm falsas venerationi populorum exponere, & permittere ut Arianorum forsan ossa velut Sanctorum pignora colerentur. *Canon tertius* statuit ut Ecclesiæ, quas Episcopi ab Arianâ hæresi conversi, nondum acceptâ benedictione quâ suis restituerentur Ordinibus, vel Ordinum potiùs ministeriis, consecrassent, à Catholico Episcopo iterum consecrarentur.

ARTICULUS XXXV.

De Concilio Toletano sub Pontificatu Sancti Gregorii.

* Toledo.

ANno quingentesimo nonagesimo septimo, Reccaredi Regis duodecimo, Concilium *Toleti* * celebratum est, cui tredecim Episcopi, & inter illos tres Metropolitani interfuerunt, scilicet *Emeritensis*, *Narbonensis* & *Toletanus*. Duos Canones edidit. *Primus* Presbyteros & Diaconos incontinentes, è gradu suo dejectos, in custodiam, aut Monasterium, detrudendos ab Episcopo decernit. *Secundus* statuit ut Episcopus reditus Ecclesiarum, quas viri pii suis in prædiis ædificaverunt & dotaverunt, non recipiat, sed reditus illi à Presbytero colligantur, ad eumque pertineant qui ibi Sacris operatur. Si verò Presbytero Patrimonium illud non sufficiat, ibi instituatur Diaconus. Si autem adeò tenue sit, ut nec Diacono sufficiat, huic loco deputetur ab Episcopo Ostiarius, qui Ecclesiæ nitorem curet, ac luminaria coram Sanctis Reliquiis singulis noctibus accendat. Quò ex Canone patet, simplicia quædam Beneficia Clericis inferioris gradus in Ecclesiis Hispaniæ sexto sæculo fuisse collata, cum obligatione tamen residendi, & Ordinum suorum Officia in sacris hujusmodi locis implendi.

Simplicia Beneficia.

ARTICULUS XXXVI.

De Concilio Oscensi.

ANno Christi quingentesimo nonagesimo octavo, Reccaredi Regis decimo-tertio, *Osca* * quæ urbs est Episcopalis in Aragonia, sub Cæsaraugustana Metropoli, Concilium Provinciale celebratum est, in quo duo Canones conditi sunt. *Primus* statuit ut singulis annis quilibet Episcopus Abbates Monasteriorum, Presbyteros, & Diaconos in Synodum Diœcesanam congreget, ut eos Ecclesiasticæ Disciplinæ regulas, & normam vitæ ad omnem sanctimoniam, secundum illorum statum, instituendæ edoceat: in eorúmque mores inquirat, an virorum honestorum testimonio probati sint & commendati. *Secundus Canon* est de pudicitiâ Clericorum. Hujus Decreta Synodi confirmata sunt in Concilio *Egarensi*, anno Christi 614. *Sisebuti* Regis anno tertio. *Egara* in ea Provinciæ Tarraconensis parte olim sita erat, ubi est Terracinense oppidum, vulgò *Terrassa*, in Catalonia.

* Osca, urbs Aragoniæ, vulgò Huesca, Sedes Episc. sub Archiepiscop. Cæsaraugustano.

ARTICULUS XXXVII.

De Concilio Barcinonensi.

ANno Christi quingentesimo nonagesimo nono, Reccaredi Regis decimo-quarto, Provinciæ Tarraconensis Episcopi *Barcinonem*, * ad Synodum convenerunt, in quâ Canones quatuor condidere. *Primus & secundus* aliquid pro sacris Ordinationibus, & pro Chrismate exigi vetant. *Tertius* Laïcos non servatis Canonicis interstitiis ad Ecclesiasticos Ordines, & maximè ad summum Sacerdotium sive Episcopatum promoveri prohibet, *Aut per Sacra Regalia; aut per consensionem Clerici, vel plebis; vel per electionem assensionemque Pontificum. Sed cùm per Canonum conscripta tempora, Ecclesiasticos per ordinem, speciali opere desudando, probata vita adminiculo comitante, conscenderis gradus, ad summum Sacerdotium, si dignitati vita responderis, auctore Domino provehatur. Ita tamen ut duobus, aut tribus, quos ante consensus Cleri & plebis elegerit, Metropolitani judicio ejusque Coëpiscopis præsentatis, quem sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis accumulet.* Puellas abjectâ sæculari veste castitatem professas, & quoscunque utriusque sexûs, Pœnitentiæ benedictione à Sacerdote perceptâ, ad terrena connubia transeuntes, ab omnium Fidelium Communione & colloquio removet *Canon quartus.*

* Barcelona.

Canonica interstitia in sacris Ordinationibus servanda.

CAPUT VI.

De Politia Ecclesiastica Sæculi sexti & Septimi.

ARTICULUS I.

De Romano Pontifice.

SEXTO, septimóque sæculo, in Ordinatione Summi Pontificis hæc observabantur. 1. Statim atque Summus Pontifex obierat, nuntius mittebatur ad Exarchum Ravennatem ab iis, qui Sedis Apostolicæ vicem servabant, id est, ab Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio Notariorum. 2. Post justa defuncto persoluta, indictúmque tridui jejunium & supplicationes publicas, eligebatur Pon-

Romani Pontificis electio.

tifex convenientibus Cleri, Optimatum, & populi votis, Decretúmque condebatur, quod ab elegentibus subscriberetur. 3. De electione mox referebatur etiam ad Imperatorem à quo postulabatur electionis approbatio. Referebatur etiam ad Exarchum Ravennæ, cum precibus, ut electionem vel nomine Principis confirmaret, vel confirmandam curaret. 4. Acceptâ confirmatione, electus solemni ritu deducebatur ad *Confessionem Sancti Petri*; ubi ad Sacrum Corpus ipsius fidem profitebatur, ante Ordinationem. Mox ordinatus, iterum fidem exponebat. Denique de fide concionem habebat, ac è Cathedra S. Petri Professionem fidei mittebat ad omnem Ecclesiam, Fideles universos docturus. Ista constant ex libro Diurno Romanorum Pontificum, edito & Notis illustrato à *P. Garnerio S. J. Cap.* 2. varias his de rebus formulas continente. Ante Ordinationem, *Electum* se dicebat, *futurúmque per Dei gratiam Apostolicæ Sedis Antistitem*: Eligebatur enim ex Diaconorum, aut Presbyterorum, non ex Episcoporum ordine, quod ante *Formosum* factum non legimus. Non aliis Episcopis fidem profitebatur Episcoporum Princeps electus, sed ipsi *S. Petro*, è cujus altari Pallium ordinatus accipiebat. Profitebatur autem omnia Fidei Catholicæ dogmata, *sicut in universalibus Conciliis, & Constitutis Apostolicorum Pontificum probatissimorum, atque Doctorum Ecclesiæ Scriptis sunt commendata*, & fidei integritatem se usque ad sanguinis effusionem conservaturum. Sancta quoque sex universalia Concilia se usque ad unum apicem immutilata custoditurum. Et *omnia Decreta Apostolicorum Pontificum, quæque Synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminutè servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quosque simili autoritatis sententia condemnaverunt, vel abdicaverunt, simili autoritatis sententia condemnare* promittebat. *Disciplinam* etiam *& ritum Ecclesiæ, sicut invenerat, & à Sanctis Prædecessoribus traditum repererat, illibatum custodire, Et indiminutas res Ecclesiæ conservare, & ut indiminutæ custodiantur, operam dare. Nihil de Traditione, quod à probatissimis Prædecessoribus servatum reperisset, diminuere, vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; sed ferventer, ut eorum discipulum & sequipedam, totis viribus conatibúsque tradita conservare ac venerari. Si qua verò emergerent contra Disciplinam Canonicam, emendare; sacrósque Canones & Constituta Pontificum nostrorum, ut divina & cœlestia mandata, custodire, utpote districtam in divino judicio rationem redditurum.*

Professio fidei. [?]

Promissio de conservanda fidei & disciplinæ integritate. [?]

Synodi Oecumenicæ Romanum Pontificem ut Patrem venerabantur. Ita Sexta Synodus Agathonem vocat Actione 18. *Sanctissimi Patris nostri & Summi Papæ.* Summam autoritatem ubique Christiani orbis exercebat Romanus Pontifex: ut probat Anthimi Constantinopolitani Patriarchæ depositio, & Mennæ Ordinatio ab Agapeto facta absque Synodo: de qua Liberatus *in Breviario, cap.* 21. Mennas in Synodo Constantinopolitana *Actione* 4. testis accedit: *Nos enim*, inquit, *Apostolicam Sedem sequimur & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus; & condemnatos ab ipsâ & nos condemnamus.* Idem Mennas Trium Capitulorum damnationi eâ conditione subscripsit, *ut Chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret*, Pelagius II. & S. Gregorius, Joannis Constantinopolitani superbiam represserunt, qui se novo ausu *Episcopum Oecumenicum* inscribebat. Cyriaci fastum idem sibi tribuentis, Bonifacius III. invocato Phocæ Imperatoris auxilio coërcuit. (*Ex Paulo Diacono, lib. 4. de gestis Longobardorum & ex Anastasio Bibliothecario*) Lege quæ in hac Synopsi diximus, *Cap.* 11. *De Romanis Pontificibus*, & quæ in Synopsi sæculi septimi dicemus, *cap.* 1. In his enim Ecclesiastica Politia in Summorum Pontificum regimine satis delineata est.

Autoritas in universo orbe Christiano, & in ipsos Patriarchas. [?]

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 322. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Papa tenetur observare Canones Conciliorum Generalium, & suorum Decessorum.*

R. De ipsa Propositione ut nihil aliud dicam impræsentiarum, hæc propositio non est mea. Tantùm ibi refero capita Professionis Fidei, quam electi Pontifices Sexto septimóque Sæculo emittebant. Verba (inquam) ipsa describo Professionis illius in *Libro Diurno Romanorum Pontificum* editæ, ab Ivone Carnotensi laudatæ parte IV. Decreti cap. CXXXII. & Lib. II. Panormiæ cap. CIII. necnon à Gratiano Dist. XVI. & ab Antonio Augustino in Epitome Juris Pontificii veteris, libro V. tit. 2. cap. LIV. integram exejusdem Antonii Augustini chartis exhibet Cardinalis Baronius ad annum 869. ex Manuscripto congentorum circiter annorum integerrimo edidit Joannes Garnerius Societatis Jesu vir eruditus. Hæc si religiosis Censoribus displiceant, censuram suam distringant adversùs Pontifices qui sexto septimóque Sæculo in Sancti Petri Cathedra sederunt, & hanc Fidei Professionem emiserunt.

ARTICULUS II.

De Minoribus Patriarchis, & de Primatibus.

§. I.

De Patriarchis Aquileiensi & Gradensi.

I. CUM dirutâ *Sirmio*; *Aquileia* Illyrici Occidentalis caput evasisse videretur, & Aquileiensis Episcopus amplissimæ Diœcesi præesset, quâ *Istria*, *Venetia*, *Noricum* utrumque, ac *Rhætia secunda* continebantur: Patriarchæ nomen obtinuit. Hujus Patriarchatus origo præcipua, fuit Schisma *Istriæ*. Schismatici enim illius Provinciæ Episcopi, abrupta cum quatuor Sedibus Patriarchicis Communione, jus Patriarchicum in suum Metropolitanum transtulere. Qui non secus ac Patriarchæ cæteri, à Synodo Provinciæ, nullius postulata licentiâ, eligebatur, & consecrabatur, & nullius alterius Jurisdictioni, etiam Romani Pontificis, parere volebat. Extincto Schismate, Patriarchæ nomen retinuit Aquileiensis Episcopus: sed nomen nudum; nullis enim Metropolitanis præerat. Patriarchatûs tamen honorem quemdam, & consessum supra cæteros Italiæ Metropolitanos, Aquileiensibus Episcopis concesserunt *Leo Octavus* anno 980. & *Joannes XX.* anno MXXIII. Sed *Clemens II.* ortâ lite de primatu honoris & consessûs inter Metropolitanos Ravennatem, Aquileiensem, & Mediolanensem, primum Ravennati locum dedit in Synodo Romana, anno MXLVII. Tandem *Gesobaldus* Aquileiensis Antistes, honore Patriarchico ab *Alexandro II.* adauctus est, & Forojulii atque Istriæ dominio ornatus, ac inter Imperii Romani Principes conscriptus, anno MXLIX. & primus locus tum ipsi tum ejus Successoribus, supra omnes Metropolitanos, & post majores quinque Patriarchas collatus est. *Forojulii* * aliquando sedit. Unde & *Forojuliensis* Patriarcha dictus est, nunc *Utini* * sedet, ac *Utinensis* etiam appellatur.

* Friuli.
* Udine.

II. Cùm Imperatores Orientis maritimam Provinciæ Venetæ & Istriæ oram Longobardis ereptam recepissent, fervente Aquileiensi Schismate, Catholicum in *Gradu Insula* Episcopum ordinari, à Romanis Pontificibus obtinuerunt: qui & Patriarcha est appellatus, teste Paulo Diacono. Extinctô Schismate, amplissimum nomen Gradensi Archiepiscopo, non minùs quàm Aquileiensi servatum est. Postremis sæculis *Gradensis* Patriarchatus *Venetias* translatus est à *Nicolao V.* Pontifice Maximo, anno MCDLI.

§. I.

§. II.

De Primate Primæ Justinianæ.

PRimam *Justinianam* patriam suam, quæ antea *Acrida* vocabatur, amplissimis auctam Privilegiis, *Justinianus* Imperator Archiepiscopali Sede ornari à *Vigilio* obtinuit, ejúsque Antistitibus Sedis Apostolicæ vices in subditas Provincias demandari, quas Archiepiscopo Thessalonicensi subtraxit. Id constat ex Novella 131. *Ipsum*, inquit, *à proprio ordinari Concilio, & in subjectis sibi Provinciis locum obtinere Sedis Apostolicæ Romæ, secundum ea quæ definita sunt à Sanctissimo Papa* Vigilio. *Joanni* Primæ Justinianæ Archiepiscopo eundem Apostolici Vicariatûs honorem confirmavit *Sanctus Gregorius*, ut constat ex Epistola 8. libri 4. *Pallium*, inquit, *ex more transmisimus, & vices vos Apostolicæ Sedis agere, iteratâ innovatione decernimus.*

§. III.

De Toletano Primate in Hispaniis.

CArthaginensis totius Provinciæ Metropolitanus fuit ab antiquo Toletanus Episcopus, quam ipsi dignitatem confirmavit Synodus Toletana anno DC. Sed Toletano Primatui initium dedit Synodus Toletana XII. habita anno DCLXXXI. quæ jus illi tribuit probandi & ordinandi omnes Hispaniarum Episcopos, quos Reges Gothorum elegissent. Jus tamen appellationum à Metropolitanorum judiciis illi collatum non est, unde nec Primatus fuit ei concessus eâ significatione, quâ posterioribus sæculis usurpatus est. Privilegium istud à Romano Pontifice collatum fuisse, aut certè confirmatum Toletanæ Sedi, rogante *Cindasuinthi* Rege, scribit *Rodericus*, *lib.* 2. *cap.* 2. Consensûs prærogativâ deinceps potiti sunt Toletani Antistites, ut patet ex quatuor reliquis Conciliis Toletanis. Hispaniis post hæc à Saracenorum exercitu occupatis, *Toletum* sub eorum jugo per trecentos sexaginta & octo annos ingemuit, donec à Barbaris illis urbem *Ildefonsus VI.* Rex Castellæ post diuturnam obsidionem eripuit, & Ecclesiam uberrimis latifundiis eô bellô partis locupletavit. Tunc, id est, anno MLXXXXVIII. *Urbanus II.* rogante *Ildefonso* Rege, Pallium *Bernardo* Archiepiscopo Toletano, simul & Primatum per Hispanias contulit; his verbis ad illum scribens: *Teque, secundùm quòd ejusdem urbis constat extitisse Pontifices, in totis Hispaniarum Regnis Primatem Privilegii nostri sanctione statuimus: & Primatem te universi Præsules Hispaniarum respicient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent.* Tarraconensis Episcopus, qui non *Castellæ*, sed *Aragonii* Regibus parebat, novæ Toletani Antistitis auctoritati subjacere noluit, eâ potissimùm ratione ductus, quòd nullam olim Jurisdictionem in cæteris Provinciis exercuisset, quæ tamen illis per subreptionem hoc Rescripto, ut debita ex antiquo more, concedebatur. Quare ne *Tarraconensi*, aut reliquis Metropolitanis fieret injuria, Pontifex vices suas *Bernardo* Toletano Episcopo per universam Hispaniam, & Narbonensem Provinciam demandavit altero Diplomate, quod refert *Garsias Loaïsa*: Sed Privilegium istud personale fuit, nec Toletanis Episcopis perpetuam in omnes Provincias Hispaniæ tribuit Jurisdictionem, à quâ exercendâ semper abstinuerunt, ut testatur *Mariana lib.* 1 x. *Historiæ cap.* 19. Novum Toletanorum Præsulum dignitati splendorem addidit *Martinus V.* anno MCCCCXXII. jus anteferendæ Crucis per Hispanias illis concedens. Quo quidem jure usi sunt aliquando, sed nusquam pacificè; plerique enim Metropolitani reclamarunt, ut constat ex Veteribus Actis, quæ in lucem edidit doctissimus *Baluzius* in Appendice Dissertationis Illustrissimi & eruditissimi Archipræsulis *Petri de Marca, De Primatibus.* Quô ex fonte & has de Toletano Primatu derivâvimus observationes.

§. IV.

De Primatu Remensis Episcopi in Galliis.

SAncto Remigio vices suas per omne Regnum Clodovei Regis commisit *Symmachus* Romanus Pontifex, ut constat ex ejus Epistola ad ipsum *Remigium*, quæ Hormisdæ perperam tribuitur. *Vices nostras*, inquit, *per omne Regnum dilecti & spiritualis filii nostri Ludovici*, * *quem nuper adminiculante supernâ gratiâ, plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum, miraculis, cum gente integrâ convertisti, & sacri dono Baptismatis consecrasti, salvis Privilegiis, quæ Metropolitanis decrevit Antiquitas, præsenti auctoritate committimus.... Quoties universale poscit Religionis causa Concilium, te cuncti Fratres evocante conveniant: Et si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa Sacrâ Lege determinando certaminá.* Ejusdem Privilegii *Flodoardus*, *in Historia Remensi*, *lib.* 1. *cap.* 19. & *Hincmarus Epistola* 6 *cap.* 18. meminerunt. Ex illius tenore Privilegii constat, nec Provincias quæ *Alarico* Regi Wisigothorum parebant, scilicet tres Aquitanias & Primam Narbonensem; nec eas quæ Regni Burgundici, quod moderabatur *Gundobadus*, colebant Majestatem, scilicet Lugdunensem Primam, Narbonensem Secundam, & omnes ferè Viennenses, Remensi Primati subjectas fuisse. Ipsi ergò solùm clientelares erant Belgicæ duæ, Germanica Secunda, Lugdunensis Secunda, Quarta, & Quinta, * id est, Metropolitani, *Trevirensis*, *Coloniensis*, *Rotomagensis*, *Senonensis*, & *Vesontionensis*.

* Clodovei.

* Maxima Sequanorum olim dicta Lugdunensis V.

An Primatus *Sancto Remigio* collatus Privilegium personale fuerit, an transierit ad ejus Successores, quæstio est inter Eruditos controversa. Qui Primatum illum penes Episcopos Remenses permansisse volunt, nituntur vulgato *S. Remigii* Testamento; quô Successoribus suis Episcopos Trevirensis Ecclesiæ, necnon tres aut quatuor Archiepiscopos Galliarum, ad Synodum aliquando convocare consulit. Hæc tamen Remigiano Testamento à recentiori Interpolatore addita contendit meritò *P. le Cointe*, *in Annalibus Ecclesiasticis Francorum.* Nituntur præterea testimoniô *Flodoardi*, *lib.* 2. *cap.* 5. ubi testatur, *Sonnatium*, Remensem Episcopum, qui sub regno *Clotarii* vixit, quadraginta Episcoporum Synodum celebrasse: Quod facere non potuit ut merus Metropolitanus, sed ut Primas. Tertiò nituntur *Sancti Gregorii* verbis, qui Virgilio Arelatensi Primatum non confirmavit nisi in regno *Childeberti*; cùm ejus Decessores vices suas Arelatensi Episcopo in Gallias universas demandare solerent. *Clotarii* autem ditiones, qui reliquæ Galliarum parti imperabat, eas omnes Provincias complectebantur, quæ *Clodoveo* parebant, cùm per illius regnum Primatum Sancto Remigio detulit *Symmachus* Pontifex. Nulla autem esse ratio videtur, cur Arelatensem Primatum ditionibus *Childeberti* Regis circumscripsisset Sanctus Gregorius, nisi Primatus Remensis fines inviolatos conservare constituisset. Sed alia ratio proferri potest cur in solas *Childeberti* ditiones *Virgilio* Primatum detulerit *Sanctus Gregorius*: Quia scilicet *Childebertus* solus id postulaverat, non verò *Clotarius*: Non solebant autem Pontifices vices

vices suas Episcopis committere in aliquo Regno, nisi Rege postulante.

Qui Primatum soli Remigio datum propugnant, his rationibus moventur. Primâ, quòd anno post Sancti Remigii mortem duodecimo *Vigilius* Pontifex Primatum *Auxanio* Episcopo Arelatensi contulit per ditiones *Childeberti* Regis qui Clodoveani regni, quô *S. Remigii* Primatus continebatur, partem non mediocrem obtinebat. Secundâ: quòd si Primatus Sancti Remigii ad ejus Successores transmissus fuisset, hanc Sedis suæ prærogativam *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis non omisisset, vir dignitatis Ecclesiæ suæ propugnator tenacissimus. At in Opusculo LV. Capitulorum cap. 17. ut sibi asserat Primatûs dignitatem, duo Primatum genera distinguit, quorum alii variis Provinciis præsunt; alii suæ tantùm Provinciæ αὐθέντει, & supremam sub Pontifice Maximo auctoritatem conservant: & in posteriorum numero se locat. Tertiam rationem proferunt, quòd quæcumque manumissionis Remensium Metropolitanorum è potestate Primatum chartæ & tabulæ citantur, *Sancto Remigio* sunt longè posteriores. Statim igitur à *Sancti Remigii* morte in Primatis Arelatensis potestatem relapsi sunt Remenses Archiepiscopi. Postea tamen Primates secundi generis Romanæ Sedis auctoritate facti sunt, & Provinciæ suæ Capita creari, solique Romano Pontifici subjecti, ut constat ex Epistolis *Nicolai I. ad Hincmarum, & Adriani I. ad Tilpinum,* * quibus Remensibus Archiepiscopis hanc αὐτοκεφαλίας dignitatem confirmant.

* *Apud Flodoardum l. . cap. 17.*

ARTICULUS III.

De Episcopis.

Quomodo novi Episcopatus instituti?

I. EPiscopatus Romanorum Pontificum auctoritate in regionibus ad fidem recèns conversis instituebantur. Sic *S. Gregorius Magnus* missô ad *S. Augustinum* Anglorum Apostolum Pallio, dedit ei in mandatis ut metropoles duas institueret, *Londini* unam, alteram *Eboraci*; & sub unaquaque duodecim Episcopos consecraret. *Usum tibi Pallii concedimus,* inquit Epistola 55. L. 7. *ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tua ditioni subjaceant, quatenus Londoniensis* * *Episcopus civitatis semper in posterum à Synodo propria debeat consecrari, atque honoris Pallium ab hac Apostolicâ Sede percipiat. Ad Eboracum* * *verò civitatem te volumus Episcopum mittere, ut ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, ut Metropolitani honore perfruatur; Quia ei quoque Pallium tribuere proponimus, quem tamen tua Fraternitatis volumus dispositioni subjacere. Post obitum verò tuum, ita Episcopis, quos ordinaverit, præsit, ut Londinensis Episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit verò inter Londonia, & Eboraca civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur, qui prior fuerit ordinatus.*

* *Londres.*

* *Yorh.*

Novi Episcopatus absque Metropolitanorum consensu in Regnis Christianis non erecti.

In Regnis Christianis novi non instituebantur Episcopatus absque Metropolitanorum consensu. Quamobrem Rex *Childebertus* Episcopatum *Melodum* instituere volens, *Leonis* Metropolitani Senonensis rogavit assensum. Urbs *Senonum* Metropolitani Episcopi Sede nobilis, in potestate *Theodeberti* Regis erat, *Melodunum* verò patruo *Childeberto* parebat. Eâ de causâ *Childebertus* Sedem Episcopalem erigi volebat Melodini. Sed *Leo* Metropolitanus noluit assentiri, ut ex ejus ad Regem Epistolâ constat. *Quam rem,* inquit, *valde admiratos nos Gloria vestra cognoscat, quod primùm sine jussu gloriosissimi Domini Principis nostri, Filii vestri Theudoberti Regis, cujus summe Regni ordinatione subjecti, injungitis ut ea qua antecacto tempore facta non sunt, nunc præsentiâ nostrâ aut consensu debeant inchoari. Præcipuè nunquam nec suspicari, nec credere potuimus, quòd hanc aut Ordini nostro, aut etiam temporibus vestris velletis injuriam generari, ut Diœcesim nostram à Deo nobis commissam, & usque nunc Pontificali ordine, Deo propitio, custoditam, tanquam negligentes ac desides, ad alterius permittamus potestatem transire, aut sollicitudinem in rationabili deliberatione transferri,* &c. *Nam Gloria vestra optime debet & credere* & *scire, quia si contra statuta Canonum quicumque sine consensu nostro Meledone* * *Episcopum volueris ordinare, usque ad Papæ notitiam, vel Synodalem audientiam, tam hi qui ordinaverint, quàm qui ordinatus fuerit, à nostrâ erunt Communione disjuncti.* Data est hæc Epistola anno 541.

* *Melun.*

Anno 573. cùm Presbyterum quemdam Carnotensis Ecclesiæ nomine *Promotum*, *Ægidius* Episcopus Remensis *Dunensis Castri* * consecrasset Episcopum, quo in loco nulla fuerat unquam Sedes Episcopalis, inconsultis Carnotensi Episcopo cujus Diœcesi continebatur Dunense Castrum, & Senonensi Metropolitano, cui subdita erat Sedes Carnotensis, *Pappolus* Carnotensis Episcopus querelas ad Synodum Parisiensem suas detulit. Synodus facinus *Ægidii* Remensis exectata, ipsi præcepit ut Presbyterum, quem temerè consecraverat, deponeret, ad se evocaret, ac in civitate Remensi retineret. *Si verò,* inquiunt, *memoratus Presbyter, aut propriâ contumaciâ, aut cujuscumque Potestatis assentatione, in prædictâ Dunensi Ecclesia præsumpserit sub hujus suscepti honoris argumentatione ulteriùs residere, vel res ipsius Ecclesiæ ampliùs usurpare, aut altaria benedicere, infantes confirmare, vel Ordinationes per quascumque Parochias facere, aut Episcopo suo fratri nostro Domno Pappolo resistere pravâ intentione præsumserit, ab omni cœtu Episcoporum, vel à Communionis consort io, perpetuô anathemate feriatur,* &c. Iidem Episcopi literas ad *Sigibertum* Regem direxerunt, ut *Promoti* causam non defenderet, cui illum favere suspicio non levis erat; adeò ut *Gregorius Turonensis lib. 7 cap. 17.* scripserit *Promotum* in Dunensi Castro Episcopum institutum *ordinante Sigiberto Rege.* His autem verbis Sigibertum compellarunt Synodi Parisiensis Patres: *Quam rem licet vix credere possumus cum consensu Gloria vestra fieri potuisse, tamen si cujuscumque pravâ suggestione præventi, in hæc tam obscœna & Ecclesiæ universali contraria consensistis, ab hujusmodi scandali defensione Sinceritatis vestræ conscientiam expietis.*

* *Chasteaudun.*

Quomodo electi Episcopi?

II. Episcoporum electiones fiebant à Coëpiscopis, à Clero, & populo, non tamen eodem jure, nec eodem semper modo: Summa autem eligendi potestas erat penes Clerum, Episcopos & Metropolitanum. In Synodo Romanâ sub *Bonifacio II.* Pontifice Maximo, *Stephanus Larissæus Episcopus* de electione suâ ita loquitur: *Decretum factum est communiter tam Cleri, quàm populi, Metropolitani, atque eorum quorum assensus erat altius necessarius; & secundum priscam consuetudinem tribus electis, Alexandro Presbytero, N. Presbytero, ac me exiguo, meliori testimonio sortito, electionis palmam promerui,* &c. Idem constat ex variis *S. Gregorii Magni* Epistolis: Idem ex Conciliis Aurelianensi II. *Canon* 5. & 7. Arvernensi, *Canone* 2. Aurelianensi III. *Canone* 3. Aurelianensi V. *Canone* 10. & 11. Parisiensi II. *Canone* 8. Parisiensi V. *Canone* 1. Remensi sub *Dagoberto* Rege, *Canone* 25. Cabilonensi sub *Clodoveo II. Canone* 10. ex Gregorio Turonensi passim in Historia Francorum, ex Concilio Barcinonensi *Canone* 3. & Toletano IV. *Canone* 18.

Imperatoribus multum tribuit Ecclesia in electione.

Maxima erat Principum in hujusmodi electionibus auctoritas. Imperatorum consensus ad firmandam ipsius Romani Pontificis electionem postulabatur

nibus Episcoporum.

batur. Quam consuetudinem vis potius invexerat, quàm legitima disciplina. Hanc tamen patiebatur Ecclesia, parebátque Principibus, vitandi causa schismatis, & ut ipsorum tuitionem promereretur, ad comprimendos hæreticos, ad executionem Canonum, ad Ecclesiæ bona sarta tecta servanda, maximè necessariam. In electionibus Episcoporum Orientis multùm Imperatoribus tribuebat Ecclesia: Epiphanius Constantinopolitanus Patriarcha de suâ electione ita scripsit ad *Hormisdam* Romanum Pontificem: *Deus qui Sedem Sacerdotalem urbis Regiæ mihi conferre dignatus est sententiâ & electione Christianissimi Principis Justini, & piissimæ Reginæ, quæ est ad omne studium communicans divinum, sequentibusque eorum, his quibus est bona conversatio, & qui Regiis honoribus sunt sublimiores, simul & Sacerdotum, & Monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit.* Mennas ejusdem Regiæ urbis Episcopus à *Justiniano* designatus est, teste *Agapeto* in Epistola quæ lecta est in Synodo Constantinopolitana sub *Menna*, de cujus electione ita scripsit: *Cui licet præter cæteros Serenissimorum Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius Cleri ac populi consensus accessit, ut & à singulis eligi crederetur.* Mortuo Menna, *Eutychius* vir sanctissimus à Justiniano est nominatus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus, ut refert coævus Author Vitæ ipsius apud *Surium*, die 6. Aprilis. *Sancto Clero, sacróque Senatu, liberè consilium suum exposuit Christi studiosissimus Imperator, &c. Omnes conclamaverunt; Dignus est, dignus est.* Cyriacum ad eandem Sedem *Mauritii* Imperatoris voluntate fuisse evectum, discimus ex S. Gregorio *Epistola 6. Lib. 6.* ad eundem Principem datâ. *Non enim*, inquit, *parvæ potuit esse mercedis, quod Joanne sanctæ memoriæ de hac luce subtracto, ad ordinandum Sacerdotem Pietas vestra diu hæsitavit, tempus paulò longiùs distulit, cum metu omnipotentis Domini consilium quæsivit, ut videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Unde & aptum valde in Pastorali regimine fratrem & Consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eundem Ordinem Pietatis vestræ consilia longa genuerunt.* Idem sanctissimus Pontifex ad *Joannem* Primæ Justinianæ Episcopum de ejus electione ita scribit, lib. 4. Epistola 8. *Quia suscepta fratrum & Coepiscoporum nostrorum Relatio, ad locum vos Sacerdotii, totius Concilii unito consensu, & serenissimi Principis declarat voluntate accersiri, gratias Deo retulimus.* Idem ad *Maximum* Salonitanum Metropolitanum, de ejus Ordinatione his verbis scribit lib. 3. Epistola 20. *Cognovimus, quòd vel surreptâ, vel simulatâ piissimorum Principum Jussione, dum vitâ dignus non fueris, te Sacerdotii ordinem cunctis venerabilem præripuisse, &c. Præcipimus ut usque dum Dominicis, vel Responsalis nostri apicibus cognoverimus, quòd non surreptitiâ, sed verâ fueris Jussione ordinatus, nullatenus tu, Ordinatorésque tui attrectare quidquam præsumatis Sacerdotalis Officii.* In Sexta Synodo, *Actione* IX. cùm *Macarius* Antiochenus Patriarcha, unus è Monothelitarum principibus, depositus fuisset, Clerici Antiochenæ Ecclesiæ gloriosissimis Judicibus his verbis supplicarunt: *Petimus vestram Gloriam suggerere piissimo Imperatori, alterum pro Macario ad Pontificalem Sedem Antiochiæ pervenire, ut non sit vidua hujusmodi Sedes.* In eodem Concilio lecta est Scriptura quædam Cyri Alexandrini Patriarchæ, etiam Monothelitæ, cujus hæc erat inscriptio: *Satisfactio facta à Cyro, misericordiâ Dei Episcopo, per divinam sanctionem benignissimorum & triumphatorum Dominorum nostrorum, obtinente locum Apostolicæ Sedis Alexandrinæ.* Ex quibus omnibus perspicuum est, Ecclesiam Imperatoribus multùm tribuisse in electionibus Episcoporum. Inde tamen Ecclesiæ erga Principes indulgentiam & muni-

A ficentiam, non jus Principibus per se conveniens colligas.

Regum Christianissimorum in Episcoporum electionibus potestas, ex concessione Ecclesiæ.

Multùm quoque Regibus Christianissimis tribuit in electione Episcoporum Ecclesia Gallicana, Synodus Aurelianensis V. necessitatem Regii assensus induxit Canone x. *Nulli Episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri ac plebis.* Confirmatum hoc Canone jus istud dici potest potiùs quàm institutum; siquidem Reges Francorum hâc potestate usi sunt ante annum 549. Fortunatus enim Pictavensis, in

B Vita S. Medardi, loquens de ejus electione, quæ contigit anno 520. scribit: *Peractis non sine multo fletu Episcopi sui exequiis, Regis & Optimatum assensu, sanctissimum Sacerdotem Medardum Plebs omnis illa Veromadensis, & omnes ejusdem Provinciæ adjacentes, Episcopum sibi unanimiter acclamabant consecrari.* Eodem anno, *Theodorus & Proculus jubente Beata Chrodielde Regina*, Turonenses *Episcopi* ordinati sunt in locum *Licinii* defuncti (ex Gregorio Turonensi, *lib.* x. *cap.* 10.) Anno 523. *Ommatius* ejusdem urbis Episcopus *ex jussu Clodomiris Regis ordinatus est.* (Ex eodem Authore, *lib.* 3. *cap.* 27. (Anno 526. *Nicetius* à Rege *Theodorico* Episcopus Treve-

C rensis designatus est, populo consentiente, ut scribit Gregorius Turonensis, Vitæ Patrum Cap. 17. *Dato autem consensu populi*, inquit, *& Decreto Regis, ad ordinandum adducebatur.* Undecim antea annis, scilicet anno 515. post *Eufrasii* Arvernorum Episcopi obitum, cùm populus Sanctum *Quintianum* elegisset, *Alcimia* & *Placidina* uxor & soror *Apollinaris* apud *Quintianum* effecere ut jure suo cederet; ac *Apollinarem ad Regem direxerunt. Qui abiens, oblatis multis muneribus in* Episcopatu successit: *Quo quatuor abiens mensibus, migravit à sæculo. Cùm autem hoc Theodorico nuntiatum fuisset, jussit ibi Sanctum Quin-*

D *tianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ.... Et statim directi nuncii, convocatis Pontificibus & populo, eum in Cathedra Arvernæ Ecclesiæ levaverunt.* Ita refert Gregorius Turonensis, *lib.* 3. *cap.* 2. Anno 527. defuncto *S. Quintiano*, cùm Cives Arverni de electione Episcopi cogitarent, *S. Gallus* adhuc Diaconus vocavit unum è Clericis, & *irruente in se Spiritu Sancto, ait: Quid hi mussitant? Quid cursitant? Quid tractant? Vacuum est*, inquit, *opus eorum. Ego ero Episcopus. Mihi Dominus hunc honorem largiri dignabitur. Tu verò cùm me redire de præsentia Regis audieris, accipe equum Decessoris mei stratum, & egrediens in obviam exhibe mihi.... Ait Impe-*

E *ratus Presbyter ad S. Gallum; Audi, fili, consilium meum, nos penitus retardare, sed vade ad Regem, & nuntia ei quæ hic contigerint, & si ei inspirat Dominus ut tibi hoc Sacerdotium largiatur, magnas Deo referemus gratias, &c. Tunc etiam & Aprunculus Trevirorum Episcopus transiit. Congregatique Clerici civitatis illius ad Theodoricum Regem, Sanctum Gallum petebant Episcopum. Quibus ille ait: Abscedite, & alium requirite, Gallum enim Diaconum alibi habeo destinatum. Arverni verò Clerici consensu insipientium facto, multa munera ad Regem ferentes ve-*

F *nerunt. Jam tunc germen illud iniquum cœperat fructificare, ut Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis. Tunc ii audiunt à Rege, quòd Sanctum Gallum habituri essent Episcopum* &c. Anno Christi 554. cùm *Cato* superbus Presbyter ad Arvernensem Episcopatum: defuncto *Sancto Gallo*, electus: *Cautino* Archidiacono molestiam inferret, *Cautinus* ejus sibi conciliare studens benevolentiam, ait: *Sine ullo labore tuo, & absque ullo dolo, ego ad Regem pergam, & Episcopatum tibi obtinebo*, &c. Sprevit *Cato* Archidiaconi amicitiam & promissa. Quare indignatus *Cautinus*, *Theodobaldum* Regem adiit, eique *Sancti Galli*, obitum nuntiavit. *Quod ille audiens, vel qui cum eo erant,*

convocatis Sacerdotibus apud Metensem civitatem, Cantinus Archidiaconus Episcopus ordinatur. Cum autem venissent nuncii Catonis Presbyteri, hic jam Episcopus erat. Tunc ex jussa Regis traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergerent Episcopis & Camerariis, Arvernos eum direxerunt. (Ex Gregorio Turonensi *lib. 4. cap. 6.*) Turonensi Episcopo defuncto, cùm Turonicæ urbis cives ad Catonem accessissent ad poscendum ejus consensum pro Turonensi Episcopatu, ille tumidô animô hanc gratiam respuit: cui cives dixerunt: * *Non enim te nostrâ voluntate expetivimus, sed Regis præceptione.* Quare cùm postea à Turonicis postularetur *Euphronius*, Rex respondit: *Præceperam ut Cato Presbyter illic ordinaretur, & cur est spreta Jussio nostra?* Responderunt, *Petivimus eum, sed noluit venire.* Clotarius Emerium Ecclesiæ Santonensi præfecit, cavitque Decretô suô, ut absque Metropolitani consiliô benediceretur, qui non erat præsens, in Comitatu nimirum, teste Gregorio Turonensi, *lib. 4. cap. 26.* Mortuo *Clotario*, *Leontius* Burdigalensis Metropolitanus, congregatis Provinciæ suæ Episcopis, *Emerium* ab Episcopatu depulit, asserens non fuisse canonicè hoc honore donatum. Cæterùm Episcopi *Heraclium* Presbyterum Burdigalensem elegerunt, consensúmque suum ad Regem direxere, ut ejus judiciô electio probaretur. Sed Rex *Charibertus* injuriam Regiæ Majestati fieri causatus, quòd se inconsultô Episcopum à *Clotario* delectum & admissum expulissent, *Heraclium* electum plaustro spinis pleno imponi & in exilium deportari jussit, *Emerium* restituit, à *Leontio* Episcopo mille aureorum mulctam, ab aliis Episcopis minorem exegit. Hæc gesta sunt annô 562. Mortuo *Sancto Innocentio* Cenomanorum Episcopo, *Domnolus* à Rege *Clotario* illius Ecclesiæ Episcopus designatus fuit. (Ex Gregorio Turonensi *lib. 6. c. 9.*) Jam ante Rex præstolabatur locum, in quo Pontificatus honorem acciperet, ut refert idem Auctor, & Avenionensi Episcopo defuncto, illum istius civitatis Antistitem renuntiaverat; sed Regem adiit ille, ipsúmque rogavit ne velut captivus ab ejus amandaretur aspectu, inter sophisticos Senatores victurus, qui simplicitatem ipsius despicerent, asserens hunc locum sibi potiùs esse humilitatis quàm honoris. Cùm Cenomanensem Ecclesiam annis 22. rexisset Sanctus Domnolus, Theodulfum Abbatem sibi Successorem elegit, consentiente Rege, ut testatur idem Gregorius. Anno 583. mortuo Sancto Felice Nannetensi Episcopo, ipsi Nonnichius, *Rege ordinante* successit. (Ex Gregorio Turonensi lib. 6. cap. 36) Anno 584. *Sulpitius*, post *Remigii* Bituricensis Episcopi obitum, ejusdem urbis Episcopus electus est, *Guntramno Rege favente.* Nam cùm multi munera afferrent, Rex Episcopatum quærentibus respondisse fertur: *Non est Principatûs nostri consuetudo Sacerdotium venundare sub pretio; sed nec vestrum eum præmiis comparare, ne & nos turpis lucri infamiâ notemur, & vos Mago Simoni comparemini. Sed, juxta Dei præscientiam, Sulpitius vobis erit Episcopus.* Anno 615. Concilium Parisiense V. sub Clotario II. Canone 1. libertati electionum consulit, jussitque eum ordinari Episcopum. *Quem Metropolitanus cum Provincialibus suis, Clerus vel populus civitatis, absque ullô commodo, vel datione pecuniæ elegissent: quòd si aliter irrepsisset, Ordinatio ipsius, secundùm statuta Patrum, irrita haberetur.* Concilii istius Constitutionem Rex *Clotarius* modificavit Edictô dato ex Episcoporum & Optimatum assensu in ipsomet Concilio Parisiensi, cujus hæc sunt verba: *Ideóque Definitionis nostræ est, ut Canonum statuta in omnibus conserventur.... Ita ut Episcopo decedente, in loco ipsius, qui à Metropolitano ordinari debet, cum Provincialibus à Clero & populo eligatur: Et si persona condigna fuerit, per Ordinationem Principis ordinetur: vel certè si de Palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.* Postremæ clausulæ sensus est, ab electione Cleri & plebis excipi viros eximios, qui in Palatinis obsequiis lateri Principis adhærentes, hanc gratiam promeriti essent. Anno 630. Concilium Remense sub Dagoberto Rege electionum jura Episcoporum suffragiis, & populi votis vindicavit *Canone* 25. Decrevit tamen ut Edictum Regis *Clotarii* in Concilio Parisiensi datum observaretur. *Judices*, inquit, *qui super auctoritate & Edicto Dominico Canonum statuta contemnunt, vel Edictum illud Dominicum quod Parisius factum est, violaverint, aut contempserint, placuit eos Communione privari.* Sanctus Amandus *jussu Dagoberti Regis* Episcopus Trajectensis ordinatus est, ut testatur Auctor Vitæ Pipini Sanctissimi Ducis apud Duchesnium Tomo I. Sanctus Leodegarius à Bathilde Regina, quæ Clotarii III. filii sui regnum moderabatur, Æduensium Episcopus nominatus est, ut Vitæ ipsius Auctor testatur, apud Duchesnium Tomo I. Sanctus Præjectus Arvernorum Episcopus electus est Clodoveo II. regnante, *Decreto etiam Regis petitionibus populi annuente*, ut refert Vitæ ipsius Auctor apud Duchesnium Tomo I. Ex Formulis Marculfi perspicuum est, Episcopos sub prima Regum nostrorum Dynastia fuisse à Rege designatos, Cleri tamen & populi electione ut plurimùm prævia, quam Principis auctoritate confirmari humiliter supplicabant. Hujusmodi Formularum una hanc præ se fert inscriptionem: *Præceptum de Episcopatu*, in eaque Rex ita scribit: *Cognovimus Antistitem illum ab hac luce migrasse, de cujus Successore sollicitudinem congruam unà cum Pontificibus vel Proceribus nostris plenius tractantes; decrevimus inlustri Viro illi Pontificalem in ipsa urbe committere Dignitatem.* Cleri civiúmque supplicatio his verbis concepta est: *Suppliciter postulamus, ut instituere dignemini inlustrem Virum illum, aut venerabilem virum illum, Cathedræ illius Successorem.*

* Gregor. Turon. cap. 11. & 15.

Multùm etiam tribuit Regibus Hispaniensis Ecclesia, ut constat ex Concilio Toletano XII. *Canone 6.* asserente Metropolitano Toletano jus probandi & instituendi Episcopos, *quoscumque Regalis potestas elegerit.*

Potestas Regum Hispaniæ in electionibus Episcoporũ.

Ubi è vita excesserat Episcopus aliquis eorum, quos ordinare solebat Romanus Pontifex, qui Ordinationum jure per totum Occidentem sibi competenti, in Suburbicariis duntaxat Ecclesiis utebatur, statim ipsum de obitu monebant Clerus & plebs Ecclesiæ viduæ. Monitus Pontifex scribebat Clericis & plebi de electione Episcopi. Vicino interim Episcopo commendabat vacantis Ecclesiæ curam: fiebat electio, concurrentibus Cleri, Ordinisque, & plebis votis, Decretúmque omnium subscriptione firmabatur. Electionis Decretum ad Pontificem mittebatur, cum precibus ut electionem probaret, ac electum ordinaret. Hunc Romam vocabat Summus Pontifex ad Consecrationem, ut constat ex *Diurno Romanorum Pontificum cap. 3. Tit. II.* In Epistola *Vocatoria* notanda sunt hæc verba Pontificis: *Jam fatum virum religiosâ violentiâ tenete, & ad Sanctam nostram Sedem perducere festinate, qui fortè dignior eo erit, si se occultare voluerit.* Electum Archidiaconus Ecclesiæ viduæ, aliique Honorati, Romam comitabantur, & alias Cleri plebisque literas ad Pontificem deferebant, quibus Ordinatio instantiùs urgebatur. Tum solenni ritu Ordinatio Romæ peragebatur, prævio examine de fide & moribus: Monitáque sanctissima Electo inter ordinandum dabantur, quibus ad regendam suam Ecclesiam juvaretur. In Ordinatione autem

Episcopi Suburbicarii Ordinatio à Romano Pontifice facta. Quomodo se gereret eo in negotio Summus Pontifex?

Episcopus

Episcoporum Professio.

Episcopus Professionem fidei emittebat, quâ fidem ab Apostolis traditam, & à Synodis Oecumenicis confirmatam, se servaturum, prædicaturum, defensurum pollicebatur: Nec non *cuncta Decreta Pontificum Apostolicæ Sedis edita adversùs novas quæstiones: & quæcunque damnaverant, se sub anathemate damnare; quæque susceperant: suscipere & totâ fidei integritate venerari*, sanctissimè contestabatur. Profitebatur etiam nunquam se aliquid novi contra Catholicam Fidem & Orthodoxam Religionem esse suscepturum. Nusquam se Parochiam, aut jura alterius usurpaturum.

Dabat etiam electus Episcopus cautionem, quâ Disciplinam Ecclesiasticam observaturum se pollicebatur, secundùm admonitionem ab ordinante Pontifice sibi factam. Spondebat autem, nullum se præmium pro Ordinationibus, aliorúmve Sacramentorum administratione accepturum. Se bona & ornamenta Ecclesiæ diligenter & fideliter servaturum: Si quæ in pignus oblata essent, studio, labore, & sumptu proprio, ut temporis necessitas largiretur, revocaturum, nec ullo unquam alienaturum titulo. Ecclesiæ jura efficaciter ac fideliter se defensurum, servatâ in omnibus justitiâ, quæ universis commodis præponenda est. Canonicam redituum Ecclesiasticorum portionem Clericis, & fabricæ, singulis annis, se absque imminutione præstiturum; nec gratiæ, amicitiæ, commendationis, rationem habiturum se prorsus ullam in promotionibus ad gradus & Officia Ecclesiastica. Se sarta tecta per omnes suæ Diœceseos Ecclesias, singulis annis procuraturum. (Tunc scilicet portio bonorum Ecclesiasticorum fabricis addicta per totam Diœcesim penes Episcopos erat.) Se sine Sedis Apostolicæ Jussione, Comitatum, id est, Aulam Principis non aditurum, nec per alias civitates aut Provincias discursurum, Ecclesiamve suam deserturum absque gravi causa. Se ad Natalem Apostolorum Petri & Pauli, si nulla necessitas prohiberet, annis singulis conventurum. Quicquid sibi legato, vel donatione obveniret, Ecclesiæ, cui præerat, se collaturum. Omni tempore, singulis diebus, à primo galli cantu usque ad ortum solis, cum omni ordine Clericorum suorum, Vigilias & Officia divina in Ecclesia celebraturum. Ista constant ex *Libro Diurno Romanorum Pontificum, cap. 3. Tit. VI. & VII.*

Addebat denique novus Pontifex *Indiculum* de obedientia erga Summum Pontificem, & fidelitate erga Principem servandâ, cujus exemplar ibidem describitur *Tit. VIII.*

Translationes Episcoporum.

III. Translationes Episcoporum, nisi postulante Ecclesiæ bono non permittebantur. Quare *Agapetus* Pontifex *Anthimum* execratus est, non solum ob hæresim de quâ suspectus erat, sed quòd ab Episcopatu Trapezuntino ad Sedem Regiæ Urbis contra divinos Canones migrasset: unde Communionem ipsi polliceri noluit, nisi iis conditionibus, ut *se libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illâ Sede permanere.* (Ex *Liberato, cap. 21. Breviarii.*) Sanctus Gregorius *Tomitanum* Episcopum, cujus urbs Episcopalis ab hostibus occupata fuerat, ac diruta, in Ecclesiam *Aleriensem* jamdiu vacantem transtulit; (ut constat ex ipsius Epistolis 77. & 79. libri I.) *Paulum Nepesinum* Episcopum Neapolim transferre decreverat idem Sanctissimus Pontifex, Clero, Nobilibus, & plebe postulantibus: sed ipsum rogavit Paulus ne à Sponsæ suæ, pauperculæ quidem, sed castæ sinu abstraheretur. (*Lib. 2. Epistola 35.*) De Sancto Gregorio scribit *Joannes Diaconus* lib. 3. cap. 18. *Licet vacantes Episcopos vacantibus civitatibus incardinare studuerit; nunquam tamen Episcopum ab integritate suæ Ecclesiæ vel ipse in aliam commutavit, vel sub quacumque occasione migrare consensit.* Concilium Toletanum X. exauctoratô *Potamio* Bracarensi Metropolitano, in illam Sedem transtulit *Fructuosum* Dumiensem Episcopum. Concilium Toletanum XVI. exauctoratô *Siberto* Metropolita Toletano, *Felicem* Episcopum Hispalensem, *cum consensu Cleri ac populi* Toletani, *secundum prælectionem atque auctoritatem Regis*, qui jam ipsi illius Ecclesiæ Metropolitanæ regimen crediderat, sed nominationem suam Synodo reservaverat confirmandam, in Toletanam Sedem transtulit. Iis sæculis translatione. Episcoporum Sedes Apostolica nondum sibi reservaverat.

Coadjutorum & successorum designatio.

IV. Coadjutores cum futurâ successione sibi designabant Episcopi, si id necessitas, aut Ecclesiæ commodum postularent. Sic *S. Augustinus* Anglorum Apostolus sibi Successorem ordinavit Laurentium, *Ne se defunctô status Ecclesiæ tam rudis; vel ad horam Pastore destitutus, vacillare inciperet*, ut scribit *Beda, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum*. *S. Sacerdos* Lugdunensis Episcopus *S. Nicetium* nepotem suum Coadjutorem à Childeberto obtinuit, teste Gregorio Turonensi, *Vita Patrum* cap. 8. *S. Avitus* Claromontanus Episcopus *Sanctum Bonitum* Successorem suum designavit, missâque ad Regem Theodoricum legatione, ejus consensum impetravit, ut Vitæ ipsius Auctor testatur apud Duchesnium, Tom. I. Historiæ Francorum. S. Bonitus, Nordobertum, Populo & Rege consentientibus, sibi Successorem assumpsit. *S. Remaclus* Trajectensis Episcopus *Theodardum* à Rege & Optimatibus Successorem obtinuit, ut habet ejus Vita apud *Surium* die 3. Septembris. Nusquam autem invitis dari poterat Successor, quantumvis infirmi essent, ac muneris obeundi per ægritudinem incapaces, ut docet S. Gregorius, lib. 9. Epistola 41. ad Anatolium Diaconum Constantinopolitanum, de Joanne Primæ Justinianæ Archiepiscopo, cui Successorem dari volebat Imperator, quòd ipsum ægritudo continua capitis & ab Ecclesiæ regimine, & à curâ conservandæ & custodiendæ civitatis impediret. Idem docet *lib. 11. Epistola VII. ad Aetherium* Lugdunensem Episcopum; de quodam Galliarum Antistite, qui tam vehementem capitis in morbum inciderat, ut mente alienatâ, regendæ Ecclesiæ esset incapax. In Anglia tamen aliquando aliter actum est, quia id recentis Ecclesiæ necessitas postulabat. Eastanglorum enim sive Orientalium Anglorum Episcopo adhuc superstite, sed gravissimâ infirmitate ab administrando Episcopatu prohibito, duo sunt pro illo electi & consecrati Episcopi. *Ex quo*, inquit Beda lib. 4. cap. 5. *usque hodie Provincia illa duos habere solet Episcopos.*

Cessiones Episcopatuum.

V. Cessiones Episcopatuum, nisi gravissimas ob causas, non admittebantur. Paulus Antiochenus Patriarcha, ob odium quô ipsum Clerus & populus insectabatur, annuente *Justino* Imperatore, cessit Episcopatu. Qua de re *Hormisdam* Romanum Pontificem Imperator certiorem fecit, datâ ad ipsum Epistolâ.* *S. Amandum*, Trajectensem Episcopum de Episcopatu dimittendo, ob Cleri plebisque suæ crimina & inobedientiam, cogitantem, ab eo consilio deterruit *Martinus I.* Sanctissimus Pontifex, ipsumque ad patientiam & perseverantiam in Pastoralis Officii laboribus adhortatus est, datâ ad ipsum Epistolâ. Episcopos ob continuam ægritudinem obeundo muneri impares, cedere posse Episcopatu, & ad cessionem consiliis inducendos, quamvis non compellendos, S. Gregorius existimabat, ut docent Epistolæ suprà laudatæ, necnon Epistolæ 50. 51. & 52. *Lib. 7.* de Ariminensi Episcopo, qui dolore capitis quadriennio vexatus, ob idque nec officium implere, nec in suâ etiam Ecclesiâ residere valens, S. Gregorio supplicavit, ut ipsum ab Ecclesiæ regimine absolveret. Viri sanctissimi quandoque solitudinis

** Extat post Epist. 50. Hormisdæ.*

dinis amore onus Episcopatus excusserunt. Sic *SS. Sulpitius* Bituricensem, *Bonitus* Arvernensem, *Leodegarius* Augustodunensem Ecclesias dimisere. In Oriente *Joannes Silentiarius* vir sanctissimus *Coloniæ* Episcopatum, quem ordinante Metropolitano Sebasteno penè invitus susceperat, post decennium reliquit, Metropolitano, Patriarcha, Imperatore inconsultis, cùm Armeniæ Præfectus Ecclesiæ Ministros vexaret, ut testatur Auctor Vitæ illius apud Surium, die 13. Maii. *Theodorus Sicaetes* à Clero & Populo Anastasiopolitano ad illius urbis Episcopatum raptus, post aliquot annos dolens quòd in reformandis populi sui moribus tot curas ac labores penè inutiliter collocaret, à Metropolitano suo, necnon à Patriarcha, & Imperatore, recedendi in Monasterium, à quo per vim abstractus fuerat, licentiam impetravit, ut Vitæ ipsius Auctor testatur apud Surium die 22. Aprilis.

Fugiendus ex humilitate Episcopatus & obedientia suscipiendus.

VI. Episcopatus honorem totis viribus fugiendum, & solo charitatis & obedientiæ motu suscipiendum, exemplo & scriptis docuerunt sexti sæculi Patres. *SS. Cæsarium, Fulgentium, Gregorium Magnum*, coactos sacram dignitatem suscepisse, testantur qui Vitas illorum scripserunt, *Cyprianus, Joannes Diaconus, Ferrandus Diaconus*. Ad Joannem Constantinopolitanum Patriarcham lib. 1. Epistola 4. de onere Pontificatûs à se suscepto ita scribit S. Gregorius: *Quò enim ardore, quò studio, Episcopatûs pondera fugere voluerit Beatitudo vestra, scio: & tamen hæc eadem Episcopatûs pondera, ne vobis deberent imponi, non restitit. Constat ergo quia non me sicut vos diligitis, quia illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis noluistis imponi.* Lib. 6. Epistola 4. ad *Cyriacum* Patriarcham Constantinopolitanum datâ docet quomodo fugiendus, & quando suscipiendus sit Episcopatus. *In scriptis vestris*, inquit, *vos magnoperè requiem quæsisse narratis. Sed per hoc ad Pastoralem sollicitudinem vos congruè venisse ostenditis, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est; ita fugientibus offerendus est.*

Fortunatus Pictavensis Episcopus, *lib. 1. Poematum cap. 16.* de ambitu sacrarum dignitatum fugiendo præclarè scribit: *Gravat Sacerdos Ordinem, qui Episcopatum sic petit. Præcepta qui complectitur, Fugit honoris ambitum. Hoc sicut sit debitum, Coactus ascendat gradum; Non se petente callidè, sed dante Christi munere. Ineptus est, qui Sanctæ se Præferre vult Ecclesiæ; Nam rem sacratam sumere, Electio divina sit. Clarus Sacerdos Ordinum Hilarius non ambiit; Martinus illud effugit, Gregorius vix sustulit. Leges resistant ambitum, Invasor omnis pellitur: Quod respuunt Prætoria, Vitet nefas Ecclesia.*

Episcoporum residentia.

VII. Residendi in Ecclesiis suis sacratissimâ lege teneri Episcopos, & Leges Imperatorum, & Ecclesiæ statuta, sexto sæculo promulgata ostendunt. *S. Gregorius* de *Basilio* Episcopo non residente ad *Romanum* Siciliæ Defensorem ita scribit, lib. VIII. Epistola XI. *Perlatum est ad nos Basilium Episcopum, velut unum de Laicis, in causis sæcularibus occupari, & Prætoriis inutiliter deservire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem annihilat, statim ut Experientia tua hoc præceptum susceperis, eum ita ad revertendum districtâ executione compellat, quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione commorari non liceat.* Et lib. 5. Epistola 25. ad *Anthemium* Subdiaconum Apocrisiarium suum, de *Pimenio* Amalphitano Episcopo pariter non residente ita scribit: *Hac tibi auctoritate præcipimus, ut supradicto Episcopo interminari non desinas, quatenus hoc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesiâ suâ Sacerdotali more resideat, quem si fortè non emendari post tuam interminationem cognoveris, in Monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas, nostrâ iterum præceptione cognoscas.* Et lib. VII. Epistola 8. Sardiniæ Episcopis vetat, ne pro Ecclesiæ suæ emergentibus causis transmarina petant, sine Metropolitani sui cognitione, vel Epistolis, *sicut Canonum ordo constituit*: Exceptô si contra eundem Metropolitanum aliquid causæ contingat, ob quod Sedis Apostolicæ judicium requirant. Absque Arelatensis Episcopi auctoritate, qui Sedis Apostolicæ vices gerebat, Gallicani Antistites è Diœcesibus suis egredi non poterant, ut constat ex Sancto Gregorio, *lib. 4. Epistola 50. & 52.* Trullana Synodus Sententiam depositionis tulit in Episcopos & Clericos, qui absque gravissimis causis, tribus hebdomadibus continuis a suis Ecclesiis abessent (*Canone* 80)

Justinianus Imperator *Novella 6. cap. 2.* de residentiâ Episcoporum ita statuit: *Et illud etiam definimus, ut nemo Deo amabilium Episcoporum foris a sua Ecclesia plusquam per totum annum deesse audeat, nisi hoc per Imperialem fiat jussionem. Tunc enim solum erit inculpabile. Sacratissimis Patriarchis uniuscujusque Diœceseos compellentibus Episcopos, neque in peregrinis demorari, neque annum excedere, quem & ipsum propter misericordiam constituimus, &c. Si verò maneat per omnia inobediens, expellatur à sacro Episcoporum choro, & alius introducat. Si non Metropolita, sed aliorum Episcoporum aliquis sit, qui erraverit, hæc omnia à Metropolita fiant... Hoc enim non habet decentem rationem, ut cum multitudine quam necesse est habere Episcoporum ministeria, insistent peregrè, &c. Circa liceat, si quadam sunt lites sanctissimis Ecclesiis, hoc per Clericos, aut Apocrisiarios, aut Œconomos movere, & petitiones ad Imperium dirigere, impetrare autem sperata.* Si autem necesse sit eos ad Regiam urbem & ad Aulam venire, hanc legem imponit: *Siquidem Episcopus sit, literas accipiat proprii Metropolitæ ad Imperium: Si verò Metropolita sit, literas sumat ejusdem Diœcesis Patriarcha, ejus præsentiam necessariam esse dicentes.* Et *Novella 67. cap. 3.* hanc pœnam adjecit: *Si defuerit Episcopus Ecclesiâ sua amplius tempus, nullam ei mitti expensam de Provinciâ, sed illam quidem circa actus pios, & sanctissimam Ecclesiam expendi.*

A Residentiæ lege censebantur legitimè dispensari Episcopi, qui a suis Ecclesiis ideò aberant, ut Synodis interessent, vel ut maximi momenti legationes obirent nomine Principum, vel à Regibus ad Regni Ministerium assumebantur, aut ipsis erant ab intimis Consiliis, vel ab iis vocabantur ad Aulam. *Sanctus Leander* Hispalensis Episcopus Regum Wisigothorum Hispaniæ legationem obiit Constantinopoli, ubi cum eo suavissimam iniit amicitiam *Sanctus Gregorius*, ejusque hortatu Commentarios libri *Job* suscepit, teste Joanne Diacono, in ejus Vita. *Joannes & Agapetus* Sanctissimi Pontifices antea Regum Gothorum in Italia regnantium legatione ad Imperatorem functi erant. *Gregorius* Antiochenus Patriarcha, susceptâ pro *Mauritio* Imperatore legatione, exercitum qui a suis Ducibus defecerat, ad concordiam & obedientiam reduxit, habita facundissimâ ad Milites Oratione, quam refert *Evagrius Lib. 6. Historiæ cap. 12.* eosque absolvit à Sacramento, quo *Philippico* Duci nunquam se parituros juraverant. *Mauritius* Imperator duos Episcopos misit obviam *Cosroi Junior.* Regi Persarum, qui ad ipsum confugiebat, teste Evagrio cap. 17. lib. 7. *Denique majoris honoris causâ, Domitianum Melitinensem Episcopum cognatum suum, ad eum direxit. Virum singulari prudentiâ ac solertiâ, & tam opere, quàm sermone eximium, & ad maxima negotia perficienda aptissimum. Missus est etiam Gregorius: Qui quidem Cosroem cunctis in rebus admiratione perculit, tum in muneribus, tum in colloquiis, tum in consilio*

qua

qua pro temporis opportunitate prudentissimè suggerebat. Elasius Catalaunensis in Galliis Episcopus *propter causas Brunichildis Reginæ* Legatus in Hispanias missus est, ut refert Gregorius Turonensis, lib. 5. cap. 41. *Childebertus & Chilpericus* Reges Christianissimi pacem mutuis legationibus sanciverunt. *Ægidius* Remensis Episcopus legationem obiit ad *Chilpericum Childeberti* nomine. *Chilpericus Leudovaldum* Episcopum cum primis regni sui direxit, qui datô susceptôque de pace Sacramento, pactionibúsque firmatis, munerati, regressi sunt. (Ex Gregorio Turonensi, *Lib. 6. cap. 3.*) Cùm Britones in *Gontramni* Regis ditiones grassati fuissent, & hic adversùs ipsos destinasset exercitum, illique ut Regem placerent, se omnia, quæ malè gesserant, emendaturos fuissent polliciti, *Rex direxit illuc Legationem, id est, Namatiam Aurelianensem, & Bertramnum Cenomanensem Episcopum, cum Comitibus & aliis viris magnificis.* (Ex Gregorio Turonensi, lib. 9. cap. 18.) *Childeberto & Guntramno* Christianissimis Regibus occasione pactionum antea initarum, quas violare *Childebertus* videbatur, contendentibus, cùm periculum esset ne contentio illa in apertum dissidium ac bellum erumperet, *Childebertus* Episcopos Legatos ad *Guntramnum* misit, quorum unus erat *Gregorius Turonensis.* Horum autem Antistitum industriâ pax inter ambos Reges firmata est. (Ex Gregorio Turonensi, lib. 9. cap. 20.) *S. Cunibertum* Coloniensem & *Arnulphum* Metensem Episcopos, *Dagoberto & Sigeberto* Regibus à Consiliis & à Ministerio fuisse, nemo nescit, qui Francorum Historias legit. Sanctum *Leodegarium* Augustodunensem Episcopum Majorem Domus *Chilperici II.* & Regni Administrum fuisse, eædem Historiæ restantur. Christianissimos primæ Dynastiæ Reges subditis suis in Palatio jus dixisse, adhibito Episcoporum & Optimatum consiliô, ex Formulis *Marculfi* certum est, ubi eorum Edicta his concepta verbis referuntur: *Ergo nos in Dei nomine, in Palatio nostro, ad universorum causas rectô judiciô terminandas, unà cum Domnis & Patribus nostris Episcopis, vel cum plurimis Optimatibus nostris, Patribus, Referendariis, Domesticis, Siniscalcis, Cubicularis, Comite Palatii, & reliquis quàm plurimis nostris Fidelibus resideremus.* Dubium igitur non erat sexto & septimo sæculo, quin à lege Residentiæ legitimè dispensarentur Episcopi, qui à Regibus vocabantur, & retinebantur in Aula, ut ipsis consilia & Ministerium in Reipublicæ Regimine præstarent, vel eorum legationibus fungerentur. Absentibus ob publicas causas, sive Ecclesiæ, sive Civitatum, Provinciarum, aut Regni bonum spectantes, Episcopis, molestiam à creditoribus aliquam inferri, aut eos in jus vocari, donec ad Ecclesias suas redussent, prohibuit Justinianus Imperator Novella 123. cap. 26. *Si verò Episcopi, vel Clerici, pro civitate, aut pro suis Ecclesiis, propter suam Legationem, aut Ordinationem Episcopi, ad Regiam civitatem, vel ad alium quempiam locum proficiscantur; jubemus eos nullam molestiam, aut importunitatem à qualibet personâ sustinere; licentiâ existente eis qui obligatos eos putant se habere, postquam ad Provinciam revertantur, convenire eos, &c.*

Episcoporum exhortatio commonenda Regibus de rebus quæ salutem spectant.

VIII. Episcopi qui Principum familiaritate utebantur, & Aulam frequentabant, Principibus debebant suggerere ea quæ ipsorum salutem spectabant, & eos emendare, peccatorum quæ admitterent futuri alioquin conscii. Quâ de re audiendus Facundus Hermianensis lib. 4. cap. 4. *Quasi verò propter hoc tantùm ordinati simus Episcopi, ut dicemur Principum domus, & cum eis inter maximas Potestates consideamus, tanquam divini Sacerdotii Privilegiis fulti; sicubi autem fallaciis malignorum, quæ nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas Reipublicæ suæ curas subreptum fuerit, quod Ecclesiæ Dei præjudicet, vel Ecclesiæ pacem turbet: non iis debeamus pro ipsorum salute quæ sunt vera suggerere, & si necesse fuerit, religionis auctoritate resistere, ac patienter offensionem quoque illorum, si acciderit, sustinere. Et ubi erit illud Propheticum, Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar? Nisi fortè Pastores quidem ad lac & vellera, ad avertendas verò luporum insidias, & tuenda ovilia desertores.* Et lib. 12. cap. 5. *Si Principes non alieni sunt à populo Dei, & pro ipsis quoque offertur Sacrificium, Sacerdotes etiam ipsorum peccata portent, necesse est. Et ideo nec temeritati, nec arrogantiæ deputetur, si Sacerdos etiam Principem peccare prohibeat. Humanus enim sermo est, & omni acceptione dignus, dicentis: Non aggraves onus meum, quod suscepi pro tua salute portandum. Non enim est aliud, cùm dicit cuiquam Sacerdos, Noli peccare; quàm si dicat: Sarcinam, quam pro te sustineo, noli gravare. Ac per hoc si Princeps quoque pro suis peccatis intercessorem vult habere Sacerdotem, etiam in suis peccatis castigatorem ferre non dedignetur, ut pro illo intercedens possit audiri.*

Et ibidem. *Quamquam sæpe de Barbarorum præliis triumphaverit Theodosius, non tamen ex hujusmodi victoriarum frequentiâ, in quibus Trajano filio gehenna comparari non potest, verùm meruit gloriam, sed de supplici & publicâ peccati sui Pœnitentia, quam expugnatô Regali fastigiô, placidè atque humiliter Antistite Ambrosio castigante suscepit, & indictum sibi debitæ satisfactionis tempus, ab Ecclesiæ Communione remotus implevit: Piè admodum credens, & sapienter intelligens, quòd non temporali potestate, quâ fuerat etiam Sacerdotibus Dei præpositus, sed ex eo pervenire posset ad vitam, quòd ille erat ipse subjectus. Unde credendum est, quia si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodosius non deesset. Sed cùm minor est exigendi fiducia, minor & reddendi devotio.*

Audiendus & S. Gregorius Turonensis in causa Prætextati Rothomagensis Archiepiscopi, qui à Chilperico Rege opprimebatur, Episcopos Concilii Parisiensis his verbis compellans: *Attenti estote, ô Sacerdotes Dei, & præsertim vos qui familiariores esse Regi videmini; adhibete ei consilium sanctum atque Sacerdotale, ne exardescens in Ministrum Dei, pereat ab ira ejus, & Regnum perdat, & gloriam... Nolite silere, sed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata ejus, ne fortè ei mali aliquid contingat, & vos rei sitis pro anima ejus.* Id ipse Gregorius refert, *lib. 5. Historiæ Francorum cap. 18.*

Episcoporum Jurisdictio amplissima.

IX. Episcoporum Jurisdictio sexto septimóque sæculo erat amplissima. Ipsos de omnibus Monachorum & Sanctimonialium causis judicare voluit *Justinianus* Imperator, earum cognitione Judicibus civilibus interdictâ. (Novella 79. cap. 1. & 2.) *Sancimus, si quis quamcumque habuerit causam cum aliquibus venerabilibus Asceteis, aut Sacris Virginibus, aut mulieribus omnino in Monasteriis consistentibus; Deo amabilem civitatis illius Episcopum interpellet, ille verò mittat, & cum omni honestate, quæ sunt de personarum præsentia disponat: sive oportet per Abbates, sive per Responsales, sive per alios quoslibet hoc fieri. Ipse verò cum omni veneratione Sacerdotali causam examinet, & judicet; & civiles non sint eis penitus Judices, neque confundant eorum honestatem, cum idonei sint singularum civitatum Episcopi, & quæ de lite sunt, & de cautela Judiciorum disponere atque judicare honestè atque Sacerdotaliter, secundùm Leges nostras, & divinos Canones. Sed etiam accelerari lites sancimus Monachis illatas, ut non mens eorum occupetur circa lites sollicitudinem, sed velociter liberati, sacris operibus obsecundent.*

Si cui litigantium in foro sæculari suspectus Judex esset, Episcopum adiri, & unà cum ipso judicari sanxit Justinianus, Novella 86. *Si contigerit quemdam nostrorum subjectorum in dubitationem habere Judicem: jubemus Sanctissimum Episcopum adire cum*

clarissimo Judice, ut ambo per amicabilem conventum dissolvant quæ dubia sunt. Si quis jus suum à Judice violatum quereretur, Episcopus interpellari poterat, secundùm eamdem Legem. *Si contigerit quempiam à Judice Provinciæ lædi, jubemus eum adire civitatis Episcopum, & ipsum judicare Judicem, & eum qui putatur lædi ab eo.* Idem confirmavit Leges Arcadii & Honorii Imperatorum, quibus licitum est partibus communi consensu causas suas ad tribunal Episcopi deferre, à cujus sententia provocari non possit. (*Cod. Justin. Tit. de Episcopali Audientia L. 7 & 8.*) Confirmavit etiam Legem Valentiniani & Valentis Imperatorum, quâ statutum est, ut Episcopi invigilent, ne annonæ aut quibusvis mercibus, pretium immodicum à negotiatoribus imponatur, quô graventur pauperes. (*Cod. Justiniani Tit. de Episcopali Audientia L. 1.*) Idem Imperator Episcopis permisit ut de aleatoribus quæstionem haberent, & eos secundùm leges coërcerent. *Quæ de alea, sive (ut vocant) comis, ac de eorum prohibitione à nobis sancita sunt, ea liceat Episcopis & perscrutari,*
Ibid. L. 25. *& cohibere, si fiant.* Gubernatorum Provinciæ, sive Præsidum electionem Episcopis & incolis honoratioribus permisit Novella 149. *Hortamur cujusque Provinciæ sanctissimos Episcopos, eósque qui ex indigenis & incolis primas tenent, ut per communem libellum supplicem, de iis ad nostram Potentiam referant, quos idoneos esse ad Provinciæ suæ gubernationem existiment. His enim Magistratûs insignia gratis tradituri sumus, &c.* In foro Ecclesiastico non mulctæ tantùm pecuniariæ, sed pœnæ carceris, exilii, verberum, servitutis adversùs reos decernebantur. Id ex Epistolis S. Gregorii Magni compertum est. *Lib. 7. Epistola 67. lib. 8. Epistola 5. lib. 9. Epistola 47. & 66. lib 11. Epistola 52. lib. 12. Epistola 31.* Et ex Conciliis Galliæ, Agathensi, *Canone 38. & 41.* Aurelianensi Quarto, *Canone 21.* Matisconensi Primo, *Canone 8.* Narbonensi, *Canone 4. 13. 14.* Et ex Conciliis Hispaniensibus, Emeritensi, *Canone 57. Toletano XI. Canone 5. 7. 11.* Toletano XVI. *Canone 3.*

Judicia & depositiones Episcoporum. X. Episcoporum Judicia Comprovincialium Synodis sexti & septimi sæculi Disciplina permittebat. Id evincitur ex Epistola *Pelagii II.* ad *Joannem* Constantinopolitanum Patriarcham scribentis: *Scitote certam Provinciam esse, quæ habet decem vel undecim civitates, & unum Regem, & totidem minores Potestates sub se, & unum Episcopum, aliósque Suffragatores decem vel undecim Episcopos Judices, ad quorum Judicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac civitatum causæ referantur, ut ab his omnibus, justè, consonâ voce discernantur, nisi majorem auctoritatem fuerit ab his qui judicandi sunt, appellatum.*

Idem evincitur ex S. Gregorio Magno *lib. 4. Epistola L.* ad *Virgilium* Episcopum Arelatensem, cui suas in Galliis vices demandaverat. *Si qua verò*, inquit; *inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficiliùs possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur, atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussâ veritate, ad nostrum Judicium referatur.*

Idem probatur multis exemplis ex Disciplinæ Ecclesiasticæ usu, in Ecclesia præsertim Gallicanâ petitis. Primum est *Contumeliosi* Reiensis Episcopi, quem S. *Cæsarius* Arelatensis damnatum in Synodo ab Episcopatu dejecit. Missa deinde Relatio est ad *Joannem II.* Pontificem Maximum, qui Judicium illud confirmavit, literis datis tum ad *Cæsarium* ipsum, cùm ad Episcopos Galliæ, anno 534. Verùm quia *Contumeliosus* ad Sedem Apostolicam provocaverat. *Agapetus* Papa anno 536. præcepit causæ ejus examen instaurari à Judicibus delegandis in Provincia, secundùm Canones Sardicenses. Legatur Epistola II. Agapeti ad Cæsarium. *Delegaturi*, inquit, *sumus examen, ut secundùm Canonum venerabilium constituta, sub consideratione justitiæ, omnia quæ apud Fraternitatem tuam de hujusmodi negotio acta sunt, diligentissimâ vestigatione flagitentur, &c. Melius autem fecerat Fraternitas tua, si postea quàm Sedis Apostolicæ, appellatione interpositâ desideravit examen, circa personam ejus à tempore Sententiæ nihil permisisses innovari... Nam si in executionem miserit prima Sententia, secunda non habet cognitio quod requirat, &c.* Quâ ex causâ colligitur primò, Judicia Episcoporum ad Concilium Provinciæ spectasse. Secundò, supremam Concilii Provincialis non fuisse auctoritatem, à quâ Summus Pontifex appellari poterat. Tertiò, Summum Pontificem delegasse Judices, qui negotii examen in Provincia instaurarent. Quartò, illo ævo mandatam interim fuisse executioni depositionis Sententiam in Episcopos latam, etiamsi Romam appellassent. Postremò, usum illum Summo Pontifici minùs probatum fuisse, non absque ratione.

Alterum exemplum petitur ex depositione *Salonii* Ebredunensium, & *Sagittarii* Vappicensium Episcopi, qui pervasionum, cædium, homicidiorum, adulteriorum accusabantur, ac immanis insuper facinoris adversùs *Victorem* Trecensem Episcopum perpetrati, propter quod congregatô Lugduni Conciliô exauctorati sunt, ut scribit Gregorius Turonensis. A Synodi verò sententiâ ad Sedem Apostolicam appellantes, & cum Regis *Guntramni* licentiâ Romam profecti, à *Joanne III.* Sedibus suis restituti sunt. Sententiam autem Pontificis executioni mandavit, Rex Christianissimus, cùm priùs illos verbis castigasset. Cùm verò ad ingenium & scelera pristina *Salonius* & *Sagittarius* rediissent, & Majestatis præterea crimine insimularentur, in Cabilonensi Concilio iterum Episcopatu dejecti sunt, anno 579. Rem gestam refert *Gregorius Turonensis, libro V. Historiæ capite XXVIII.*

Tertium exemplum est *Saffaraci* Parisiensis Episcopi, qui criminum capitalium reus, ac de iis propriâ confessione convictus, exauctoratus est in Concilio Parisiensi, ex præcipuis Regni Episcopis convocatô à *Childeberto* Rege, anno 551. & in Monasterium ad agendam Pœnitentiam detrusus. Extat Sententia in ipsum lata *Tomo 1. Conciliorum Galliæ.*

Quartum exemplum est *Emerii* Santonensis Episcopi, quem anno 562. *Leontius* Burdigalensis Metropolitanus in Provinciæ suæ Synodo deposuit, quòd absque illius consensu ordinatus esset, ut refert *Gregorius Turonensis, lib. 4. Historiæ cap. 26.*

Quintum exemplum est *Prætextati* Rothomagensis Episcopi, qui læsæ Majestatis insimulatus, quòd *Merovæum Regis Chilperici* filium cum amita conjunxisset, ac in Regem ipsum conspirasset; ac furti insuper accusatus, oppressúsque malis artibus *Fredegundis* Reginæ, convocatô Parisios Conciliô, anno 577. depositione dignus judicatus est, & Regis jussu, exilio, carcere, & verberibus afflictus. Cum enim intrepidô animô innocentiam suam tueretur, ab aulicis quibusdam & adulatoribus Episcopis seductus, reum se fassus est criminum de quibus perpetrandis ne quidem cogitaverat. Spondebant nempe illi veniam se à Rege impetraturos, atque ita sopitum iri periculosum negotium. Quibus credens incautus Antistes, solo prostratus ait: *Peccavi in cœlum & coram te, ô Rex misericordissime; ego sum homicida nefandus; ego te interficere volui, & filium tuum in solio tuo erigere.* Tunc prolatus est à Rege liber Canonum, in quo erat quaternio novus annexus, habens Canones quasi Apostolicos, continentes hæc: *Episcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus, à Sacerdotio divellatur.* His lectis, cùm *Prætextatus* staret stupens, *Bertramnus* Episcopus ait: *Audi, ô frater Coepiscope, quia Regis gratiam non habes, ideóque nec nostrâ caritate uti poteris, priusquam Regis indulgentiam merearis.* His ita gestis, petiit Rex ut aut tunica

ejus

ejus scinderetur, aut centesimus octavus Psalmus, qui maledictiones Iscarioticas continet, super caput ejus recitaretur, aut certè Judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus restitit *Gregorius Turonensis*, juxta promissumRegis,ut nihil contraCanones gereretur.. Tunc *Prætextatus* in carcerem conjectus est, ex quo noctu fugere tentans, gravissimè cæsus, & in exilium detrusus est: ut testatur *Gregorius Turonensis*, *lib. 5 Historiæ Francorum*, *cap* 19. Ex quibus colligo, Judicia Episcoporum illâ ætate penes Concilia Provincialia fuisse, vel Nationalia, quæ Reges convocabant, maximè ubi de crimine læsæ Majestatis agebatur.

Sextum exemplum est *Ægidii* Remensis Episcopi, qui læsæ Majestatis à Rege *Gunthramno* accusatus est, ejúsque jussu in Metensem urbem raptus, & in carcerem conjectus, convocatique ad istius causæ cognitionem Virdunum Episcopi. *Tunc ab aliis Sacerdotibus increpitus* (Rex) *cur hominem absque audientiâ ab urbe rapi, & in custodiam retrudi præcepisset, permisit eum ad urbem suam redire, dirigens Epistolas ad omnes Regni sui Pontifices, ut medio mense novo ad discutiendum in urbe supradicta adesse deberent. Erant autem pluviæ validæ, aqua immensa, rigor intolerabilis, dissoluta luto via, amnes litora excedentes. Sed Præceptioni Regiæ obsistere nequiverunt. Denique convenientes, pertracti sunt usque Metensem urbem.* Adfuit etiam Ægidius. Curam persequendæ accusationis Princeps delegavit *Ennodio*, qui Dux olim fuerat. Convictus est Episcopus defectionis ad *Chilpericum*, & conjurationis in Patriam, & in *Gunthramnum* Regem. Crimen ipse fassus est, dicens: *Ad Sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen Majestatis reum esse mortis.* Cùm autem Episcopi vitæ gratiam illi fieri obtinuissent à Rege, lectis Canonum sanctionibus, ipsum ab Ordine Sacerdotali removerunt. Qui statim ad Argentoratensem * urbem deductus, exiliô damnatus est. In cujus locum *Romulfus* ordinatus est Episcopus. Sic testatur *Gregorius Turonensis*, *lib. 5. Historiæ cap.* 19. Hæc verò gesta sunt anno 590. Ex quibus rursus colligo, depositiones Episcoporum illô sæculô decretas fuisse in Provincialibus, aut certè Nationalibus Conciliis. Secundò, id Juris quæsitum fuisse Christianissimis Regibus, ut adversùs Episcopos Majestatis reos Concilia convocarent.

* Strasbourg

Septimum exemplum est *Desiderii* Metropolitani Viennensis, qui *Brunichildi* Reginæ pridem invisus, in Concilio Cabilonensi depositus est, instigante *Aridio* Lugdunensi Episcopo, *Brunichildis* adulatore, & in quandam Insulam amandatus. *Domnolus* verò in ejus locum substitutus est, anno 603. ut testatur *Fredegarius*, *cap.* 24.

Octavum exemplum petitur ex Ecclesia Hispaniensi, quæ *Potamium*, Bracarensem Episcopum, impudicitiæ convictum, scelúsque confessum, in Synodo Toletana X. exauctoravit, & perpetuæ Pœnitentiæ addixit.

ARTICULUS V.

De Clericis.

Ordinandorum ætas.

I. PUeri, sexto & septimo sæculo, à parentibus Deo offerebantur, & Clero devovebantur. *Sanctus Cæsarius inter ipsa infantiæ rudimenta*, Clericos factus *est*, teste *Cypriano* in ejus Vita. In V. Synodo Generali, Collatione 5. relecta sunt acta Synodi Mopsuestenæ, in quibus inter eos qui contra *Theodorum Mopsuestenum* olim testimonium dixerant, *Thomas* Presbyter ait: *Sexaginta annorum sum, habeo vero in Clero, licet peccator sim, quinquaginta quinque annos.* In Clero igitur conscriptus fuerat annos tantùm quinque natus. Concilium Toletanum II. Canone I. statuit *de his quos voluntas parentum a Primis infantiæ annis in Clericatûs Officio, vel Monachali posuit.* Episcopi & Presbyteri, ante annum ætatis trigesimum, Diaconi ante vigesimum quintum non ordinabantur, ex illius ævi disciplinâ, ut colligitur ex Concilio Agathensi *Canone* 16. & 17. ex Arelatensi IV. *Canone* 1. ex Aurelianensi III. *Canone* 6. *Sanctus Cæsarius* Diaconos ante trigesimum ætatis annum non ordinabat, nec qui libros omnes Veteris Novique Testamenti non legissent, ut Vitæ ipsius Auctor testatur. *Justinianus* Imperator Episcopos & Presbyteros antè annum trigesimum-quintum inaugurari prohibuit, Diaconos & Subdiaconos ante vigesimum-quintum, Lectores ante decimum-octavum ordinari. (*Cod. de Episcopis & Clericis L.* 9. & *Novella* 123.) *Theodosius* Anastasiapolitanus Episcopus *Theodorum Siceotam* annos tantùm duodeviginti natum, eodem die Subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum ordinavit, ob eximiam adolescentis sanctimoniam de Canonibus dispensans. *Quapropter multi Episcopum incusabant, quod eum ante legitimam ætatem ad Presbyterii dignitatem provexisset. Sed religiosissimus Episcopus Theodosius respondebat; se non ignorare, Canones non permittere ut quisquam ante legitimum ætatis tempus, & sine testimonio Presbyter instituatur... Sed quemadmodum ipse Paulus Timotheum ætate juvenem Episcopum constituit: Sic & ego* (aiebat) *in nomine Domini hunc, propter ejus probitatem, Presbyterum institui. Significavit enim mihi Deus, eum esse dignum hoc munere... His verbis Episcopi omnes assentiebant.* Hæc à *Georgio* Presbytero ejus discipulo referuntur in illius Vita, apud *Surium* die 22. Aprilis.

Clericorum institutio in Seminariis.

II. In Seminariis instituebantur juniores Clerici: Majores etiam plerisque in Ecclesiis in unâ domo sub Episcopi disciplinâ degebant, & communibus stipendiis alebantur. Viguit in Hispaniis sanctissima illa disciplina, ut constat ex Concilio Toletano II. Canone 1. *De his*, inquit, *quos voluntas parentum à primis infantiæ annis, in Clericatûs officio, vel in Monachali posuit, pariter statuimus observandum, ut mox cùm detonsi, vel Ministerio Electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ, sub Episcopali præsentia, à Præposito sibi debeant erudiri. At ubi decimum-octavum ætatis suæ annum compleverint, si gratia eis castitatis Deo inspirante placuerit, hi tanquam appetitores arctissimæ vitæ, levissimo Domini jugo subdantur, ac primo Subdiaconatûs Ministerium, probatione habitâ professionis suæ, à vigesimo anno suscipiant.* Et ex Concilio Toletano IV. *Canone* 23. cujus hæc sunt verba: *Prona est omnis ætas ab adolescentiâ in malum. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno Conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxaria, sed in Disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo Seniori, quem & Magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant. Quod si qui ex his pupilli existunt, Sacerdotali tutelâ foveantur, ut & vita eorum à criminibus intacta sit, & res ab injuria improborum.* Ex Canone verò 22. ejusdem Concilii colligitur, majores Clericos in Episcopali Seminario etiam vixisse, nisi senectus, aut infirmitas Episcopum moverent ut in propriâ domo manere ipsis permitteret. *Similiter placuit, ut quemadmodum Antistites, ita Presbyteri, atque Levitæ, quos fortè infirmitas, aut ætatis gravitas, in Conclavi Episcopi manere non sinit, ut & iidem in cellulis suæ vitæ testes habeant.*

Eamdem in Ecclesia Gallicana viguisse disciplinam, colligitur ex Concilio Turonensi II. *Canone* 12. dicente quòd *Episcopum, ubicunque fuerit, Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum, Deo auctore conservant*, cum ipso habitantes. Gregorius Turonensis de *Baudino* Decessorum suorum uno scribit lib. X. Historiæ: *Hic instituit Mensam Canonicorum*.

aicorum: Id est, communem vitam inter Clericos suos instituit. Canonicorum enim nomine tunc omnes Clerici significabantur, quòd *in* Canone, seu in matricula Ecclesiæ conscripti essent. Idem *cap.* 9. Vitæ Patrum, de *Patroclo* Abbate sanctissimo, postquam ab *Arcadio* Episcopo Bituricensi Diaconus ordinatus est, scribit, eum ita vacasse Jejuniis, *Ut nec ad convivium mensæ Canonicæ cum reliquis accederet Clericis. Quod audiens Archidiaconus, frendens contra eum, ait: Aut cum reliquis fratribus cibum sume, aut certè discede à nobis. Non enim rectum videtur, ut dissimules cum his habere victum, cum quibus Ecclesiasticum imp ere putaris Officium.* Communem Clericorum vitam in Anglicana Ecclesia instituit *S. Augustinus* Anglorum Apostolus, prout ipsi S. Gregorius præscripserat his verbis, referente *Beda*, *lib.* 1. *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum*, cap. 27. *Mos Sedis Apostolicæ est, ordinatis Episcopis præcepta tradere, ut in omni stipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones, &c. Sed quia Fraternitas tua Monasterii Regulis erudita, seorsum fieri non debet à Clericis suis, in Ecclesia Anglorum hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum, ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Si qui verò sunt Clerici extra sacros Ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, & stipendia sua exterius accipere.... Communi autem vitâ viventibus, jam de faciendis portionibus, vel exhibendâ hospitalitate, & adimplendâ misericordiâ, nobis quid erit loquendum? Cùm omne quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum est.*

Clericorum Vestes à Laïcorum vestibus distinctæ.

III. Clerici vestibus à Laïcorum habitu distinctis utebantur, ut colligitur ex Concilio Agathensi, *Canone* 20. Matisconensi I. *Canone* 5. Narbonensi *Canone* 1. Ex Vita S. Cæsarii, quem in Clerum cooptatum memorat, *mutato habitu*. Ex Gregorio Turonensi, *lib.* 5. *cap.* 14. scribente: *Meroveus tonsuratus est, mutatâque veste, quâ Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur.* Ex S. Gregorio Magno lib. 3. Epistola 24. *Paulum Clericum*, inquit, *qui despecto habitu suo, ad laïcam reversus vitam, ad Africam fugerat, prævidimus in Pænitentiam dari.* Et lib. 7. Epistola 11. *Dum in Ecclesiastico habitu, non dissimiliter quàm vixerant, vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare.* Et ex Concilio Trullano, Canone 27. *Nullus eorum*, inquit, *qui in Cleri Catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens: Sed utatur vestibus, quæ iis qui in Clerum relati sunt, attributa fuere. Si quis autem tale quid fecerit, unâ septimanâ segregetur.* Civilis Clericorum habitus eodem interdum nomine vocatus est, quo sacer, scilicet Casula, vel Planeta, forsan ob similem formam, licet iste alio nitidior ac pretiosior esset. De S. Cæsario scribit Cyprianus in ejus Vita: *Ambulans per plateam civitatis, vidit contra in foro hominem, qui à dæmonio agitabatur. In quem cùm attendisset, habens manum sub casula, ut à suis non videretur, crucem contra eum fecit.* Imò sæculo etiam octavo casula commune erat & quotidianum Clericorum indumentum, ut constat ex Concilio Liptinensi Canone 7. quo decretum fuit, ut Presbyteri & Diaconi, *non sagis, laïcorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei.* Quin & pro vulgari Monachorum indumento olim casulæ nomen usurpabatur, ut probant Acta S. Fulgentii, apud *Bollandum* die 1. Januarii cap. 188. *Casulam pretiosam*, inquiunt, *vel superbi coloris ipse non habuit, non Monachos suos habere voluit. Subtus casulam nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit.* Et Regula S. Macarii, cap. 27. inducit Monachum contumacem, dicentem: *Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam*, (id est cucullam) *& ibo ubi voluerit Dominus.*

Tonsura & Corona Clericorum.

IV. Non solùm singulare indumenti genus, sed etiam Tonsura & Corona, Clericos à Laïcis distinguebant. S. Gregorius *lib.* 7. *Epistola* 111. de Neophytorum Ordinatione in Galliis frequenti loquens: *Defunctis*, inquit, *Episcopis tonsurantur, & fiunt repente ex Laïcis Sacerdotes.* Concilium Trullanum Lectorem constitui prohibet, *Nisi Sacerdotali Tonsurâ usus fuerit: & benedictionem à suo Pastore canonicè susceperit.* S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, *In Theoria*, sic de Tonsura & Corona Clericali scripsit: *Tonsura capitis Sacerdotis, & rotunda ejus capillorum media sectio, vice coronæ est spineæ, quam Christus gestavit. Duplex corona circumposita capitis Sacerdotis, ex capillorum significatione, imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri. Quod, cùm missus esset ad prædicationem Domini & Magistri, ei tonsum est ab iis qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis; eique Magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit, & posuit super caput ejus coronam Petra fidei effulgescentem, &c.* Clericalis Tonsuræ apud Gregorium Turonensem mentio frequens, sed & Coronæ in Ecclesia Gallicana communis meminit, *Vita Patrum* cap. 17. *S. Nicetius Episcopus, ab ipso ortûs sui tempore Clericus designatus est. Nam cùm partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum cernebatur; in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem Coronam Clerici fuisse designatam.*

Clericalis Tonsuræ & Coronæ usum, formámque in Hispaniis describit Canon quadragesimus-primus Concilii Toletani IV. *Omnes Clerici, vel Lectores* (inquit) *sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superius toto capite, inferiùs solum circuli coronam relinquant: Non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laïci, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque Hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur; & una sit Tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus.* De Tonsura & Corona disserit *S. Isidorus Hispalensis*, *lib.* 2. *de Officiis Ecclesiasticis cap.* 4. atque Tonsuram esse *Signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo geritur; scilicet ut hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur.* Coronam verò *Sacerdotium, Regnúmque Ecclesiæ figurare.*

In Anglicana quoque Ecclesia similis Disciplina viguit. De *Theodoro*, qui à *Vitaliano* Papa in Angliam missus est, ut Cantuariensi Ecclesiæ præesset, ita scribit *Venerabilis Beda lib.* IV. *Historia Anglorum* cap. 1. *Subdiaconus ordinatus, quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quò in coronam tonderi posset. Habuerat enim Tonsuram more Orientalium, S. Pauli Apostoli.* Orientalium Tonsura vocabatur ab illis *S. Pauli*, quòd Apostolus Nazaræorum more caput totonderit, abrasis undequaque capillis. Quæ verò apud Romanæ Ecclesiæ Clericos in usu erat, dicebatur Tonsura *S. Petri*, quam & Anglicanus Clerus imitatus est, teste *Ceolfrido* Abbate in Epistola quam refert *Beda lib.* 4. *Historiæ cap.* 24. Ubi enim præmisit, Apostolos omnes non uno eodemque modo fuisse attonsos, neque inter Patres aliquam fuisse de Tonsuræ differentiâ controversiam; nec Tonsuræ discrimen iis nocere, quibus pura in Deum fides, & caritas in proximum sincera est: adeóque mirum esse non debere, quòd non una sit per totum orbem Christianum Tonsoræ forma, subjungit: *Nullam magis sequendam jure dixerim eâ, quam in capite suo gestabat Petrus.... Neque ob id tantùm in coronam attondemur; quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est... Oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum Clericatus habent, formam quoque coronæ, quam Dominus*

in

in Passione sua spineam portavit in capite suo, quemque in capite per tonsuram præferre: ut se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant. Atque etiam *Ut coronam vitæ æternæ se semper expectare, proque hujus perceptione, & adversa se mundi, & prospera contemnere designent.* Coronam in formam semicirculi aptatam supra frontem, *Simonis Magi* Tonsuram Angli vocabant, quòd à forma Romanæ Coronæ, quam tribuebant S. Petro abhorreret. *Tonsuram Simonis*, inquit Ceolfredus, *quis non cum ipsâ magiâ detestetur? Quæ aspectu in frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre: sed ubi ad cervicem considerando perveneris, decurtatam eam, quam te videre putabas, invenies coronam; ut meritò Simoniacis, & non Christianis talem habitum convenire cognoscas, qui in præsenti quidem vitâ à deceptis hominibus putabantur digni perpetua gloriâ coronæ; sed in eâ quæ hanc sequitur vitâ, non solum omni spe coronæ privati, sed æternâ insuper sunt pœna damnati. . . . Qui ad coronam te vitæ, quæ terminum nesciat, tendere credis, quid contrario fidei tuæ habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas?*

Clerici Episcopis, à quibus ordinati fuerant, addicti.

V. Episcopis Clericos addicebat Ordinatio. Hinc toties prohibuere Concilia, ne Episcopus alienum Clericum ordinaret. Arvernense, *Canone* 11. Arelatense V. *Canone* 7. Cabilonense, *Canone* 13. Aurelianense III. *Canone* 15. Valentinum in Hispania *Canone* 6. Bracarense *Canone* 8. Hinc S. Gregorius Episcopo Syracusano præcipit, ut Clericos *Bacundæ* Episcopi per Siciliam dispersos, & in aliis Diœcesibus ordinatos, ad ejus Ecclesiam reverti cogat. *Indicavit nobis Bacunda frater* (inquit lib. 3. Epistola 42.) *quosdam de Clero suo in Siciliæ partibus ad Sacros Ordines pervenisse. Qui quoniam neque Presbyterum, neque Diaconos se habere commemorat, eos ad se petiit debere transmitti. Proinde Fraternitas tua, ubicumque illos reperit, huc eos sine dilatione transmittat, quatenus & illi ad Ecclesiam in quâ olim militaverunt, revocentur, & antedictus Episcopus optatum de eis possit habere solatium.* Hinc tot Conciliorum Decreta contra *vagos & instabiles Clericos*, & *non obedientes Episcopo a quo sunt ordinati.* Quos Communione & honore privat Valentina Hispaniæ Synodus *Canone* 5. & quemquam ordinare vetat, *qui se localem futurum primitus non spoponderit*, Canone 6.

Clerici desertores & instabiles damnati.

Et Concilium Hispalense I. *Canone* 3. Clericum, *qui cultum Ecclesiæ suæ deserit in qua dicatus ab exordiis infantiæ fuerat, proprio reformandum*, id est, restituendum statuit *Episcopo*: & desertionis culpam in Monasterio aliquandiu expiare, ab ordine & honore suspensum, sicque ad Ecclesiasticum Ministerium revocari. Honestissimæ istius servitutis hanc rationem profert Synodus: *Scribitur enim in lege mundiali*, id est, in Lege civili, *de colonis agrorum, ut ubi esse jam quisque cœpit, ibi perduret. Non aliter & de Clericis, qui in agro Ecclesiæ operantur, Canonum decreto præcipitur ut ibi permaneant, ubi esse cœperunt.* S. Isidorus Hispalensis lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 3. *Duo sunt igitur genera Clericorum: Unum Ecclesiasticorum sub regimine Episcopali degentium: Alterum Acephalorum, id est, sine capite, quem sequantur ignorantium. Hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos religio retentat divina: sed solutos atque oberrantes, sola vaga vita complectitur, &c. Hippocentauris similes, neque equi, neque homines, mixtúmque genus, prolésque biformis, ut ait Poëta. Quorum quidem sordidâ atque infami numerositate, satis superque nostra pars Occidua polluitur.*

Contra Clericos ex ambitione instabiles tulerat Legem Justinianus Imperator Novella 3. cap. 2. *Quod hactenus indecenter fiebat, nequaquam in Republica geratur, id est, multos Reverendissimorum Clericorum dedignari quidem in iis, in quibus ordinati sunt, sanctissimis Ecclesiis, aut hîc, aut in Provinciis deservire; ad sanctissimam verò Majorem Ecclesiam, & venerabilem Clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere. Quod de cætero fieri omnimodo prohibemus. Nam si prohibemus ex uno Monasterio in aliud transmigrare, multò magis neque Clericis hoc permittimus; lucri & negotiationis habere demonstrationem hujusmodi horum desiderium judicantes.*

Idem Imperator, *Cod. L.* 1. *de Episcopis & Clericis*, *Leg.* 51. ubi Clericis & Monachis immunitatem à tutelis concessit, eos excipit qui vagi fuerint ac desides. *Eos tamen Clericos & Monachos hujusmodi habere beneficium sancimus, qui apud Sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina Ministeria desides. Cùm propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis Ministeriis inhæreant.*

Episcopi ordinarii Beneficiorum collatores.

VI. Ordinaria Beneficiorum collatio ad Episcopos, ex Ecclesiæ disciplinâ, pertinebat. Archidiaconi instituendi jus penes Episcopum fuisse, colligitur ex Concilio Agathensi, *Canone* 23. decernente ut si Archidiaconus *Officium propter simpliciorem naturam implere, aut expedire nequiverit*, id est, si rebus gerendis non fuerit idoneus, *ille loci sui nomen teneat, & ordinationi Ecclesiæ, quem elegerit Episcopus, præponatur.* Idem colligitur ex Concilio Toletano IV. *Canone* 32. declarante, *Conditores Basilicarum, in rebus quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere: Sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus, ad ordinationem Episcopi pertinere.* Idem ex Concilio Toletano X. compertum est, Canone 3. *Agnovimus*, inquit, *quosdam Pontifices præcepti Principis Apostolorum ita esse immemores, ut quibusdam Monasteriis Parochialibusque Ecclesiis, aut suæ consanguinitatis personas, aut sui favoris participes, iniquum sæpe statuant in Prælatum*, &c.

De Merida.

Concilium Emeritense * *Canone* 12. Canonicatuum in Ecclesia Cathedrali collationem Episcopis asserit: *Ut omnibus Episcopis Provinciæ nostræ, si voluerint de Parochianis Presbyteris & Diaconibus Cathedralem sibi in Principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia.* In locum verò Parochiani Presbyteri, qui translatus ad Cathedralem fuerit, alium institui jubet *Pontificali electione*, id est, electione Episcopi.

Romanus Pontifex jure præventionis utebatur.

VII. Jure tamen quodam præventionis tunc Romanus Pontifex utebatur in collatione Beneficiorum, in Provinciis & Insulis Romæ vicinis. Sic Messanensi Monasterio *Paulinum* Episcopum, cujus civitas & Ecclesia Barbarorum incursionibus devastata fuerat, præfecit Abbatem S. Gregorius, eaque de re scripsit ad *Felicem* Messanensem Episcopum (*Lib.* 1. *Epistola* 38.) Scripsit & ad *Petrum* Diaconum Patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Sicilia Curatorem ut *Paulinum* in Monasterii possessionem mitteret, ac ejus Monachos per Siciliam dispersos in idem Monasterium cum cæteris congregaret. *Quam rem*, inquit, *venerabili Felici ejusdem civitatis Episcopo nos significasse cognoscas: Ne præter suam notitiam in Diœcesi sibi concessâ, ordinatum quidpiam contristetur.* (Epistola 39.) Idem Pontifex Parochialem Ecclesiam Rectore destitutam, *Dominico* Presbytero contulit, ac ea de re scripsit ad *Importunum* Episcopum, in cujus erat Diœcesi constituta. *Ea quæ providè disponuntur, Fraternitatem tuam credimus libenter amplecti, & quia Ecclesiam Sanctæ Mariæ quondam Campisonis in tuâ Parochiâ positam Presbytero vacare cognovimus, præsentium portitorem Dominicum Presbyterum in eadem Ecclesia ut præesse debeat, nos scito deputasse. Ideóque Fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesiæ, faciat sine cunctatione præstari, & decimæ fructus Indictionis, qui jam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui: Quatenus ejusdem Ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, Deo adjutore, sollicitè valeat procurare.* (Lib. 2. P. 1. Epistola X.)

Abbatem etiam Neapolitano Monasterio præfecit Sanctus Gregorius, quem tamen priùs ordinandum & in possessionem mittendum non esse statuit, quàm ejus mores ab Episcopo Neapolitano probati essent, ad quem hac de re scripsit Epistolam 92. Lib. VII. *Quia servorum Dei Pater, quem in Neapolitana civitate transmiseram, defunctus est, visum est mihi latorem præsentium Barbatianum Monachum, pro eorumdem Monachorum gubernatione transmittere. Quem ad præsens Præpositum esse decernimus, ut si ejus vita tuæ Fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis eorum Patrem debeas ordinare: Sunt enim bona quæ in eo placent. Sed hoc est in illo vehemens vitium, quia valde sibi sapiens esse videtur... Tua itaque Sanctitas circa eum instanter invigilet, & si hunc & cautum in regimine, & humilem in suo sensu fieri cognoverit, tunc eum ad Abbatis honorem, Deo auctore perducat. Si verò minùs in humilitate proficit, ejus Ordinationem differat mihique renuntiet.*

Romanus Pontifex olim Beneficia in patrimonio Romanæ Ecclesiæ posita conferebat.

Beneficia verò in Patrimonio Ecclesiæ Romanæ ubique terrarum constituta, summo jure conferebat Romanus Pontifex, ut colligitur ex S. Gregorio *Lib.* 9. *Epistola* 56. ad *Candidum* Presbyterum, Patrimonii S. Petri in Galliis Curatorem, quâ ipsi commendat *Aurelium* Presbyterum Gallicanum, ut eum alicui Ecclesiæ, Oratorio, vel Monasterio, Presbyterum, aut Abbatem præficiat. *Ut sicubi*, inquit, *in possessionibus B. Petri Apostolorum Principis Oratorium, aut locus, qui Presbytero indiget, inveniri potuerit, ei debeat committi; quatenus & ipse subsidium vitæ præsentis inveniat, & nos inveniamur petitioni illius paruisse.*

Jure etiam devoluto, in Ecclesiis conferebat.

Jure etiam devoluto Romanum Pontificem eâ ætate Beneficia contulisse, credere par est. Nam Episcopatus ipsos eô jure contulit aliquandò Sanctus Gregorius. Sic vacante *Aleriensi* Ecclesia in Corsica Insula, cùm Clerus & cives Episcopi electionem diu neglexissent, *Martinum* illis Episcopum dedit, ut constat ex *Epistola* 79. ad Clerum & Nobiles Corsicæ. *Et si vos*, inquit, *multò jam tempore sine Pontifice esse Dei Ecclesiam non doletis, nos tamen de ejus regimine cogitare, & suscepti cura compellit Officii*, &c. *Nam si gregi Pastoris cura defuerit, facilè laqueos insidiatoris incurrit. Ea de re, quoniam Ecclesia Aleriensis Sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus Martinum Fratrem & Coëpiscopum nostrum ibidem Cardinalem constituere Sacerdotem.* Cardinalis Episcopus, aut Presbyter, idem est ac proprius sive titularis, Gregorii, & Auctorum sexti sæculi phrasi: unde & *Incardinare* Episcopum Presbyterum, aut Diaconum, idem est Sancto Gregorio, ac alicui Ecclesiæ titulo Beneficii deputare, à quâ deinceps amoveri ad nutum non possit. Jure pariter devoluto *Aprutinæ* Ecclesiæ Episcopum nominavit *Opportunum*, quâ de re ad *Passivum* Fermanum * Episcopum scripsit Epistola 13. lib. X. *Benè novit Fraternitas vestra*, inquit, *quam longo sit tempore Aprutium* * *Pastoralis sollicitudine destitutum. Ubi diu quæsivimus quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus invenire. Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, in Psalmodiæ studio, in amore orationis valde laudatur, & religiosam vitam omnimodo agere dicitur, hunc volumus ut Fraternitas vestra ad se faciat venire. Et si nulla ei crimina, quæ per Legis Sacræ regulam morte mulctanda sunt*, (id est depositione digna) *obviant, tunc hortandus est, ut vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat. Et post aliquantulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad Pastoralem curam debeat promoveri.* Cùm Saraceni regiones Orientis plurimas, & inter cæteras Antiochiam & Hierosolyma tyrannidi suæ subjecissent, & in utraque Sede Patriarchica, & subditis Ecclesiis, legitimæ electiones fuissent interruptæ; Sedesque illas vel ambitiosi homines invasissent, vel Monothelitæ in eas à Constantinopolitano Patriarcha fuissent intrusi, *Martinus I.* Pontifex Sanctissimus primùm *Stephano* Dorylæi Episcopo, deinde *Joanni* Archiepiscopo Philadelphiæ, Sedis Apostolicæ vices demandavit, ut Episcopos, Presbyteros, & Diaconos in Ecclesiis illis instituerent. Ita scripsit ad Philadelphiensem Antistitem: *Ea quæ desunt, corrigas, & constituas, per omnium civitatum Ecclesias, quæ Sedi tam Hierosolymitanæ, quàm Antiochenæ subsunt, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos. Hoc tibi omnimodo facere præcipientibus nobis, ex auctoritate Apostolicâ, quæ data est nobis à Domino per Petrum Sanctissimum & Principem Apostolorum.* Ex quibus colligitur, Summos Pontifices, sexto & septimo sæculis, Ecclesiis vacantibus Episcopos & Presbyteros, Jure devoluto, præfecisse.

* De Fermo.

* Abruzzo.

Jus Patronatus in Beneficiorum collatione.

VIII. Juris Patronatûs in Beneficiorum collatione, vix ulla reperies vestigia in Ecclesiis Italiæ sexto & septimo sæculo. Subdiaconus quidam Messanensis, nomine *Januarius*, Basilicam in Martyrum memoriam fundaverat, pro cujus consecratione supplicaverat Sancto Gregorio Pontifici Maximo. Scripsit S. Pontifex ad *Felicem* Episcopum Messanensem, ut fundationem examinaret, expenderetque an ejus donatio sartis tectis, luminaribus, & Clericorum sustentationi sufficiens esset; quod si ita se habere comperiret, susceptâ fundatione, dedicaret Ecclesiam: *Ennutiaturus ex more, nihil illic Conditoris juri ulteriùs jam deberi, nisi processionis gratiâ* (id est, jus adeundi ad Sacrificium & Orationem) *quæ Christianis omnibus in commune debetur.* Certè si jus Patronatûs Fundatoribus Ecclesiarum quæsitum fuisset, illud excepisset Sanctus Gregorius.

Monachis tamen Siciliæ Presbyterorum nominationem & investituram, qui in Ecclesiis Episcoporum munificentiâ ipsis concessis Sacra facerent, asseruit Joannes IV. *Divinas enim Leges habens, & sæculares* (inquit ille in suo Decreto) *ut cujus est possessio, ejus fiat institutio.*

Abbatiarum Fundatoribus jus nominandi Abbates, vel Abbatissas, qui eas regerent, ab Ecclesia concessum, cùm in Italia, tum in Galliis, nonnulla suadent exempla. Neapolitanæ Abbatiæ Fundatrix *Rustica* Patricii generis fœmina, *Gratiosam* Abbatissam ei præesse voluit, teste Sancto Gregorio *Epistola* 59. *Lib.* 12. ad *Fortunatum* Neapolitanum Episcopum datâ. Sancta *Radegundis* Pictavensi Monasterio, quod extruxerat dotaveratque, *Agnetem* præfecit Abbatissam, teste Gregorio Turonensi, *lib.* 9. *Historiæ cap.* 40. & 41. Nominationem tamen suam electione firmari voluit, ut Abbatissæ, quam elegissent, Moniales parerent lubentiùs ac lætiùs. Id constat ex Epistola *S. Radegundis* ad Episcopos. *Electione etiam nostræ Congregationis*, inquit, *Dominam & Sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate, loco filiæ colui, & eduxi, Abbatissam institui, ac me post Deum ejus ordinationi regulariter obedituram commisi.* Sanctus Audoënus adhuc laïcus, Rasbacensi Monasterio, quod in Patrimonio suo fundaverat, Abbatem præfecit unum ex *S. Columbani* discipulis, ut testatur vetus Auctor Vitæ ipsius, apud *Surium*, die 24. Augusti. *S. Eligius* in *Solemniacensi* Monasterio; quod Regia Dagoberti munificentia ædificaverat, Abbatem constituit, eique ad Episcopatum postea assumpto, dedit Successorem. Parisiis etiam ædificato in ædibus sibi à Rege donatis Parthenoni Abbatissam nomine *Auream* præfecit: ut refert *Sanctus Audoenus* Rothomagensis Episcopus in ejus Vita, *Tomo* 5. *Spicilegii*. In Hispaniæ Ecclesiis, jus nominationis ad Beneficia Fundatoribus collatum est, *Canone* 2. Concilii Toletani IX. celebrati anno 655. cujus hæc sunt verba: *Quia fieri plerùmque cognoscitur, ut Ecclesiæ Parochiales, vel sacra Monasteria, ita quorumdam Episcoporum vel insolentiâ, vel incuriâ, horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc*

oriatur

oriatur ædificantibus mæror, quàm in struendo gaudii extiterat labor; ideò piâ compassione decernimus, ut quamdiu earumdem Fundatores Ecclesiarum in hâc vitâ superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere solicitam, & solicitudinem ferre præcipuam; atque Rectores idoneos in eisdem Basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos. Quòd si tales forsitan non inveniantur ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos, sacris cultibus instituat, cum eorum conniventiâ servituros. Quòd si spretis eisdem Fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare; & Ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam sui alios in eorum loco, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint, ordinet. Fundatoribus Ecclesiarum, quamdiu in hâc vita superstites extiterint, non eorum hæredibus, jus illud tribuit Hispaniensis Ecclesia. Hæc Disciplina citiùs in Oriente instituta est, ubi non solùm Fundatoribus Ecclesiarum, sed illorum etiam hæredibus, jus nominationis ad earumdem Beneficia, Justiniano imperante concessum est; modò & ipsi hæredes sumptus necessarios ad Clericorum illis in Ecclesiis Sacra facientium sustentationem præberent, & dignos Episcopo præsentarent. Si enim nominarent indignos, jus ad Episcopum devolutum erat. Id statuit Novella LVII. cap. 2. *Si quis ædificans Ecclesiam, aut etiam aliter expendens in eâ ministrantibus alimenta, voluerit aliquos Clericos instituere, non esse ei fiduciam ullam, quos vult, per potestatem deducere tuæ Reverentiæ ad ordinandos eos, sed examinari à tuâ Sanctitate, & hos suscipere Ordinationem, qui Dei ministerio digni videbuntur existere.*

Et Novella CXXIII. cap. 18. *Si quis domum Oratorii fabricaverit, & voluerit in eâ Clericos ordinare, aut ipse, aut ejus hæredes, si expensas ipsis Clericis ministrant & dignos nominant, nominatos ordinari: Si verò qui ab eis eliguntur, tanquam indignos prohibent sacræ Regulæ ordinari; tunc Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinare procuret.*

Clericos à suis Beneficiis ad nutum amovere non poterant Episcopi.

IX. Clerici à suis Beneficiis amoveri ad nutum Episcoporum non poterant, sexto & septimo sæculis. Id ex Epistolis *Sancti Gregorii* colligitur, qui *Natalis Salonitani* factum vehementer improbavit, quô Archidiaconum Ecclesiæ suæ, specie ipsius ad Presbyteratus gradum promovendi, exauctoraverat. Quâ de re sic ad illum Episcopum scripsit Sanctissimus Pontifex, lib. 1. Epistola 19. *Gesta quæ nobis in Concilii vestri confecta secretario direxistis, in quibus Archidiaconus Honoratus additur, plena esse cognovimus semine jurgiorum, cùm uno eodémque tempore una persona volens ad Sacerdotii Ordinem provehitur, quæ tanquam immerita, à Diaconatûs Officio removetur. Et sicut justum est ut nemo crescere compellatur invitus, ita censendum puto ne quisquam insons ab Ordinis sui ministerio dejiciatur injustè... Locum & administrationem suam Honorato Archidiacono restituas, admonemus.* Et lib. x. Epistola 24, *Cùm Sanctæ Memoriæ Decessoris mei fueris scriptis prohibitus, ne contra Honoratum Archidiaconum dolorem tam longæ ingratitudinis in corde retineres, tùmque à me sæpè correptus fueris, mandata Dei negligens, sed & scripta nostra contemnens, præfatum Honoratum Archidiaconum tuum, quasi ad fortiorem honorem provehens, conatus es callidâ arte degradare. Unde actum est, ut eo de Archidiaconatûs loco summotô, alium accerseris, qui tuis moribus obtemperare potuisset: Cùm præfatus vir pro nullâ tibi re, ut arbitror, displicuit, nisi quòd vasa sacra & velamina tuis te parentibus dare prohibebat. Quam causam subtili voluimus, & nunc ego, & tunc sanctæ memoriæ Decessor meus discutere: Sed tu tuorum tibi actuum conscius, personam ad Judicium instructam transmittere distulisti. Proinde Fraternitas tua, vel post frequentatam toties admonitionem, à culpa sua errore resipiscat. & præfatum Honoratum in suum, mox ut mea scripta susceperis, locum suscipiat. Quod si fortè facere distuleris, usum tibi Pallii, qui ab hac Sede concessus est, noveris esse sublatum. Si verò, etiam amisso Pallio, in eadem pertinaciâ adhuc persiteris, Dominici Corporis ac Sanguinis te scias participatione esse privatum.* Legendæ sunt & Epistolæ XV. XVI. XVII. & XXXVII. de eadem causa scriptæ.

Idem Sanctissimus Pontifex Abbatem solâ voluntate Episcopi, absque causâ, depositum, restitui jussit, Epistola 1. Lib. XII. ad *Marinianum* Episcopum Ravennatem datâ. *Quia incongruum valde est à susceptò Officio solâ quemquam voluntate suspendi, quem culpa non removet.... Si nulla manifesta depositionis causa extitit, quæ Fortunatum Abbatis Officio removet, eum in suo loco reformare festinet, atque ejus Episcopum dignâ reprehensione increpare non desinat, cur Decessoris sui, nullis provocatus excessibus, destruere Ordinationem molitus sit.* In Galliis, Concilium Turonense II. sanxit, *Canone* 7. Abbatem, aut Archipresbyterum ab Episcopo deponi non posse, nisi congregatis & suffragantibus cæteris Abbatibus, aut Presbyteris.

In Hispania Concilium Hispalense I. *Canone* 6. antiquos Africanæ Ecclesiæ Canones renovavit, quibus cautum erat, ne Presbyteri, aut Diaconi à solo Episcopo deponi possent, sed ut eorum causæ in Concilio discuterentur. *Ut juxta priscorum Patrum Synodalem Sententiam, nullus nostrum sine Concilii examine dejiciendum quemlibet Presbyterum, vel Diaconum audeat. Nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannicâ, non auctoritate canonicâ damnant. Et sicut nonnullos gratiâ favore sublimant, ita quosdam odio invidiâque permoti humiliant. Episcopus enim Sacerdotibus ac Ministris solus honorem dare potest, solus auferre non potest.*

ARTICULUS V.

De Monachis, & Monialibus.

Variæ Monachorum institutiones & Regulæ.

I. SExto & septimo sæculo, Vitam Monasticam in Occidente propagarunt viri sanctissimi, *Cæsarius Arelatensis Episcopus, Aurelianus, Columbanus, Ferreolus Ucecienses, Benedictus, Isidorus, Sanctus Fructuosus.* Sanctus Cæsarius duplicem Regulam scripsit: Unam Sanctimonialibus, in gratiam *Cæsariæ* sororis suæ, & Monialium, quibus præerat in Monasterio Arelatensi, ejus sumptibus extructô & fundatô, anno circiter 536. Legi potest in Codice Regularum *Holstenii*, & apud alios qui veteres Monachorum & Monialium Regulas in lucem emiserunt. Ipsam describit, & prolixè, sed eruditè explicat *P. le Cointe, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum.* Neophytas, sive Novitias, per annum, in veste sæculari, sub senioris alicujus Monialis disciplinâ institui jubet, antequam in Monasterium recipiantur. Sibi proprium nihil reservare. Ancillam suis privatim obsequiis deputatam non habere. Nobilium, sive ignobilium filias, sive nutriendas, sive docendas, in Monasterium non recipi. Opus vel artificium sibi non eligere, sed injunctum à seniore perficere. Nulli licitum seniorem eligere mansionem, nec cubiculum, vel armariolum, quod peculiariùs claudi possit. Tardè non venire *ad Opus Dei*, id est ad Officium divinum; & ad opera quotidiana. Desides increpandas; contumaces ab orationis communione, vel à participatione mensæ communis segregandas. Statuit ut ministerio, etiam coquinæ, per ordinem vacent, exceptis Matre & Præposita. Illis quæ coquunt, singulos meros addi indulget, ad levandum laborem, id est, singula vini vascula. In Vigiliis, privatis diebus, ea opera facere permittit, quæ mentem à lectionis auditu non retrahant; si quæ verò

Regula Sancti Cæsarii pro Monialibus.

somno gravantur, vult eas, reliquis sedentibus, in pedes stare. Decernit ut taceant ad mensam. Ut quovis die duabus horis legant: Reliquis, in unum, pensum operis sui perficiant. Primâ laboris horâ lectio fiat: nusquam meditatio verbi Dei, & oratio de corde cesset. Adduntur plura capita ex Sancti Augustini Regula iisdem pene descripta verbis. Vetat insuper ne Moniales convivium præbeant Episcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis, sæcularibus viris aut mulieribus, etiam parentibus Abbatissæ, vel alterius Sanctimonialis; imò nec ipsi Episcopo civitatis, aut Monasterii Provisori. Vestes Monialium, simplicis coloris esse jubet, non nigras, non lucidas, sed lactinas, sive lactei coloris. Argentum ab ipsarum usu removet, nisi in Oratorii ministerio. Acus picturam, vel texturam phrygionum in Monasterio fieri prohibet, ipsa etiam ornamenta holoserica esse vetat. Picturas in parietibus, vel cameris, non permittit; Quia in Monasterio, quod non humanis, sed spiritualibus tantùm oculis placet; esse debet. Tonsæ non erant Sancti Cæsarii Moniales: Siquidem in Recapitulatione Regulæ jubet eas religare caput & crines ad certam mensuram, quæ incausto, id est, atramento præscripta erat, ne sæcularium instar fœminarum, turrito capite & comâ vanam gloriam aucupari videantur. Abbatissam carnali affectu, aut natalium, vel consanguinitatis intuitu, eligi prohibet sed sanctiorem, sapientiorem, & ad Monasticam disciplinam servandam aptiorem, eligi præcipit. Hanc Sancti Cæsarii Regulam professa est, & Monialibus Abbatiæ suæ Pictavensis dedit observandam Sancta Radegundis, ut ipsa testatur in Epistola ad Episcopos, apud Gregorium Turonensem lib. 9. cap. 42.

Regula Sancti Cæsarii pro Monachis.

Monachis quoque Regulam scripsit *Sanctus Cæsarius*, quæ in plerisque Monasteriis vigebat, in Gallia præsertim Narbonensi. Hanc & *Stellartius*, inter Regulas Ordinum Monasticorum ac Militarium, & *Holstenius*, in Codice Regularum, ediderunt; illamque describit in Annalibus Francorum *P. le Cointe*, ad annum 536. cum Regula Monialium confert, & eruditis Commentariis illustrat. Carnium esu Monachis interdicit Regula Sancti Cæsarii, nisi sint infirmi. Diebus jejuniorum, tria fercula vult ipsis porrigi ad refectionem; cæteris diebus, duo ad prandium, totidem ad cœnam: Biberes, seu potiones æquat numero ferculorum. Jejunia præscribit à Paschate ad Kalendas Septembres, feriis quarta & sexta: à Kalendis Septembris, ad Natale Domini, quotidie, præter dies Dominicos: à Natali Domini, usque ad Sexagesimam, feriis secunda, quarta & sexta: à Sexagesima usque ad Pascha, quotidie, solis pariter Dominicis exceptis. Divini Ordinem Officii præscribit variis anni temporibus accommodatum. In Vigiliis dierum Dominicarum, sex Missas, id est, sex Lectiones fieri jubet, & primam Missam, sive primam Lectionem esse de Christi Resurrectione, quam stantes audiant Monachi. A mense Octobri ad Pascha, duos singulis diebus Nocturnos, & tres Missas indicit, idest, tres Lectiones, & modum quo fieri debent: *Ab una Missa*, inquit, id est ad unam *Missam*, *legat Frater folia tria*, *& orate*; *Legat alia tria*, *& levet se*. Quâ sanctione tria præcipiuntur; ut Lector sedens legat; ut pro singulis Lectionibus tria folia legantur, ut in fine uniuscujusque Lectionis orent Monachi, id est, meditationi aliquantisper vacent, donec is qui Synaxi præest, jubeat Lectionem iterum fieri.

Regula Sancti Aureliani.

S. Aurelianus Arelatensis Episcopus Monachis, constitutis in Monasterio, quod Regis Childeberti munificentiâ Arelate construxerat, Regulam dedit, quam cum aliis edidit *Lucas Holstenius*, in Codice Regularum. Publicavit & alteram ejusdem *S. Aureliani*, Virginibus inscriptam. Utramque describit *P. le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum*, ad annum 548. & Notis illustrat quædam Capitula, quæ vel discrepant à Sancto Cæsario, vel ab eo penitus omittuntur. Probationem Noviriorum per annum non postulat, sed venientibus ad conversionem, Regulam in salutatorio legi, & si professi fuerint se omnia impleturos, recipi jubet: Receptos verò nusquam de Monasterio egredi, sed in eo ad mortem usque manere. Vestimenta verò Religiosa non accipere, nisi de omni facultate suâ chartas donationis, aut venditionis, cui voluerint, faciant; & quod secum exhibuerint, totum in potestatem tradant Abbatis. Capillos etiam in testimonium suscepti Monachatûs tonderi, & partem in Confessionem mitti, id est, in thecam, seu tabernaculum, in quo Sancti alicujus reliquiæ collocatæ sunt, ut Deo Sanctisque consecretur. Laïcos cujuscumque conditionis, in Basilicam, vel Monasterium ingredi vetat; sed in salutatorio colloqui jubet: ad quod nullas mulieres, vel sæculares, vel Religiosas; etiam matrem Monachi, vel Abbatis, vult admitti. In ipsô verò salutatorio cum externis colloqui vetat, nisi præsente Abbate, vel Præposito, vel quocumque aliô Seniore, cui jusserit Abbas, & nunquam altiori voce loqui permittit. Claves cellarii, canavæ, postici, Oratorii, probatis personis credi statuit, quæ ex altari, vel libro Evangeliorum eas accipiant, scientes se Deo reddituras rationem de Ministerio sibi credito. Vestimenta alterius coloris non induenda, nisi lactini aut nigri nativi. Nec lectualia sæcularia & varii coloris in usu habenda. Nec pallas altarium sive ornamenta holoserica, & auro, vel gemmis ornata, comparanda esse; oblata autem à Fidelibus, ut visum fuerit Abbati, vendenda, & pretium in eos usus convertendum, quos necessitas exegerit. Secretiora colloquia prohibet, vespertinis præcipuæ & nocturnis horis. In correctione culparum, legitimam disciplinam, non esse excedendam decernit; id est, triginta novem ictus: Cui disciplinæ, ut omnis severæ, Moniales non subjicit. Quod superest pecuniæ, vestium, frumenti, &c. Pauperibus, peregrinis, aut captivis, dispensandum per manus Provisoris, aut cujuslibet fidelis personæ. Divini Officii Ordinem, pro diversitate temporis, præscribit prolixè & accuratè.

Hanc verò victûs rationem instituit. Carnes nusquam comedendas, nisi ab infirmis. Imò nec pisces, nisi in certis festivitatibus, aut quando Abbas Congregationi indulgere voluerit. Numquam extra mensam communem aliquid cibi, potusve gustandum, exceptis infirmis, senibus, & pueris. Ferculorum numerum eumdem statuit, quem Sanctus Cæsarius, quem tamen nonnunquam augeri concedit in festivitatibus, & cùm voluerit Abbas, & aliqua etiam dulciamina subministrari. Circa numerum potionum, à Sancto Cæsario non discrepat, nisi pro diebus æstivis, quibus propinari vult Monachis, cùm jejunant, vasculum vini, cum tribus caldellis, id est, cum tribus vasculis cervisiæ, aut zithi: diebus quibus non jejunant, tres caldellos concedit, cùm in prandio, tum in cœna; vinum verò subtrahit. Jejunia mensibus Septembri & Octobri, indicit feriis secundâ, quartâ, & sextâ. A Kalendis Novembris, usque ad Nativitatem Domini, quotidie, exceptis diebus Dominicis, & Sabbathis. Ab Epiphania usque ad Quadragesimam, quotidie, Sabbatho, Dominica, & majoribus festivitatibus exceptis. Post Pentecostem verò usque ad Kalendas Septembris, totam jejuniorum rationem arbitrio Abbatis permittit.

Ferr...

S. Ferreolus Ucecienfis Episcopus Monasterium instituit, quod suo de nomine *Ferreolacense* nuncupavit; cujus Monachis Regulam scripsit, quam *Lucretii* Diensis Episcopi, qui magna in existimatione erat in Ecclesia Gallicana, permisit censuræ, anno circiter 558. Eam edidit *Holstenius*, in Codice

Regularum

Regularum. Pleraque illius Capitula consona sunt statutis *S. Cæsarii*; hæc verò singularia.

Fratres suscipiendos, in vicinâ Monasterio cellula, per annum probari statuit, aut saltem per sex menses integros. Vetat Monachos alterius Monasterii suscipi, ne inter Abbates & Monasteria lites inde oriantur. Proprietatem imprimis cavendam sancit, utque Monachus id tantùm judicet proprium, quod cum Fratribus possederit indivisum. Nullum vult ad Monasterium admitti, qui literas ignoret, & qui totum Psalterium memoriter non teneat. Ne quidem eos qui de Congregatione ad pascenda pecora mittuntur, immunes esse vult à recitatione Psalmorum. Ex quo colligitur Monachos jam tunc ad Officium, etiam privatim persolvendum, adstrictos fuisse. Jubet autem singulis hebdomadis Psalterium integrum ordine recitari. Divinum Officium, seu nocturnum, seu diurnum, diebus privatis secretiùs, in Oratorio scilicet interiori; diebus festivis, publicè in Ecclesia celebrari. Frequentem lectionem Sacrarum Scripturarum præcipit quam ne unâ quidem die Monachus prætermittat, sive intra Monasterium, sive foris aliquid operis faciat: ut cùm cessaverit manus ab opere, colatur animus lectione. Tempus autem lectionis designat quovis die, usque ad horam tertiam, nisi ægri fuerint, aut fructuum colligendorum tempore jubeantur Matutinis horis aliquid operis ac laboris exercere. Lineis ad carnem uti prohibet Monachos, quantumvis delicatos; & vestimentis fragrantibus, & nimiùm nitidis, coloris albi, aut nimis rufi, quibus species corporis commendatur, & calceamentis cultioribus, & multis corrigiis constrictis, nec sollicantibus. Injungit ut quotidie aliquid operis faciant, nisi morbo detineantur, utque ii, qui, propter imbecillitatem virium, agriculturam, aut aliud opus difficile nequeunt exercere: legant, scribant, texant retia, aut quid simile faciant, quod tenui conatu suscipi adimplerique possit; alioqui fame castigentur. Excipitur Abbas, qui lectioni magis vacare debet, ut alios doceat. Ante horam tertiam comedere Monachos prohibet, diebus quibus non jejunant: aut fructus hærentes arbori, sive in terram collapsos attingere: alioqui vitium gulæ jejunio castigare cogantur, nec ad mensam communem admittantur; donec omnium fratrum remissione veniam consecuti fuerint.

* Luxovil.

Regula S. Columban.

S. Columbanus, *Luxoviense* * Monasterium condidit anno 590. cùm hactenus in loco, cui nomen *Anagrates*, in Vosago monte cum sociis degisset. Regulam singularem Discipulis suis dedit, quæ extat apud *Holstenium*: in Codice Regularum. Quò longiores sunt noctes, Vigilias, & numerum Psalmorum auget. Per hyemem in noctibus Dominicæ & Sabbathi ad Vigilias, & Laudes Matutinas, *sub uno cursu*, id est, nullò interjectô temporis interstitiô, Psalmos septuaginta quinque recitari decernit: cæteris diebus, mediâ nocte duodecim Psalmos, deinde viginti quatuor ad Matutinum, sive ad Laudes. Paupertatem imprimis præcipit, quæ prima est Monachorum perfectio, aitque quòd *Monachos habere superflua non solùm damnabile est, sed etiam velle*. Cibum vilem & vespertinum esse jubet, olera, legumina, farinam aquæ mixtam, cum parvo paximatio, ne venter oneretur, & mens suffocetur. Vocatur autem cibus Vespertinus, qui non solùm vespere sumitur, sed etiam horâ nona, cùm sol incipit vergere ad Vesperum. Etenim Monachi *S. Columbani* feriâ quartâ & sextâ jejunium solvebant horâ nona, ut constat ex ejus Pœnitentiali, quod Regulæ adjunctum est, & severissimam fuisse ipsius disciplinam ostendit. De mortificatione præclara tradit præcepta, ineóque positam esse docet, ut Monachus non faciat quod vult, comedat quod jubetur, operia sui pensum persolvat, subjiciatur cui non vult, lassus ad stratum veniat, ambulans dormiret, necdum expletô somnô surgere compellatur, passus injuriam taceat, &c. Regulam & *Pœnitentiale* Sancti Columbani inseruit suis Annalibus Ecclesiasticis Francorum *P. le Comte*, ad annum 590. & in locis obscuris, quæ sanè multa sunt, explicandis multùm laboravit.

* Solemniac.

Non solùm *Luxoviense* & *Solemniacense* * sed plurima alia Galliæ Monasteria, utriusque sexus, sub *Sancti Columbani* Regula militabant, ut testantur *Jonas, in Vita S. Eustasii Luxoviensis Abbatis, cap. 6. & S. Audoënus, in Vita S. Eligii, Tom. V. Spicilegii*. Unà cum S. Benedicti Regula passim servabatur. S. Nivardus Archiepiscopus Remensis Altivillarense Monasterium Berchario Abbati & Monachis ipsius fundavit, sub Regula Patrum S. Benedicti & S. Columbani, teste *Flodoardô lib. 2. Historiæ cap. 7.* *Berthoendus* Catalaunensis Episcopus Privilegium concessit *Dervensi* Monasterio, itemque Monasterio Puellarum in villa *Pellemonstier*, duabus circiter à *Dervensi* leucis distante; ex quo constat in illis utramque Regulam, S. Columbani, & S. Benedicti viguisse. *Secundum Regulam*, inquit, *S. Benedicti, vel Domini Columbani, ab eorum Abbate, vel Abbatissa corrigantur.* D. Lucas Dacherius Monachus Benedictinus, plurima fundationum & Privilegiorum exempla protulit: *In Notis ad Lanfrancum* pag. 366. ex quibus compertum est, duas illas Regulas sæpe conjunctim observatas fuisse.

Adversùs S. Columbani Regulam *Agrestinus* Luxoviensis Monachus, *Theodorici* quondam Regis Notarius, cùm obtrectaret, eámque carperet velut superstitiosam, favente *Apollino* Genavensi Episcopo, consanguineo suo, Synodus Clotarii Junioris jussu *Matiscone* celebrata est anno 623. *Agrestinus* superbus Monachus tria objecit adversùs sanctam Regulam, quæ in eâ superflua & Canonicæ institutioni contraria viderentur. Primum quòd toties cochlear cruce signarent, quoties ori admovebant. Secundum, quòd in ingressu & egressu cujuslibet domûs benedictionem postularent. Tertium, quòd S. Columbanus à cæterorum Ecclesiasticorum more descivisset, in sacris Missarum solennis Collectas sive Orationes multiplicans. Ineptas illas objectiones cùm *Eustasius* Luxoviensis Abbas confutasset, confudissetque *Agrestinum*, S. Columbani Regula à Synodo approbata est. Hæc refert *Jonas* Monachus, in Vita ejusdem *S. Eustasii*.

S. Donatus Vesontionensis Episcopus, cùm ex ordine Monachorum S. Columbani ad Episcopatum assumptus esset, Monasterium sub ejus Regula construxit, quod *Palatium* vocabatur. Idem Monasterio Puellarum quod Mater ejus fundaverat, Regulam scripsit ex SS Augustini, Cæsarii, Columbani, & Benedicti Regulis maximam partem defloratam. Ipsam edidit *Holstenius*, in Codice Regularum, p. 111.

Regula S. Benedicti.

S. Benedicti Regula primùm in Italia Vitam Monasticam informavit ac propagavit, deinde in Galliam à S. Mauro ejus Discipulo illata est, quam S. Gregorius Magnus *discretione præcipuam* * vocat. Instrumenta bonorum operum septuaginta duo recenset ex utroque Testamento collecta; duodecim verò gradus humilitatis, quorum priores septem ad interiorem hominem; quinque posteriores ad exteriorem pertinent. A Kalendis Novembris usque ad Pascha, Monachos ad Vigilias surgere horâ noctis octavâ jubet, postquam per sex horas & aliquantò ampliùs quieverint. Interstitium autem, quod à fine Vigiliarum usque ad Matutinas, id est, usque ad Laudes intercedit, à Fratribus, qui Psalterii & Lectionum ignari sunt, in earumdem rerum meditatione seu lectione insumi præcipit, ut Psalmos expeditè legere, atque etiam interpretari discant. Æstatis verò tempore Vigilias & Laudes dici vult, parvo tantùm

* L. 2. Dial. c. 36.

interjectô intervallô, ob noctium brevitatem. Psalterium integrum singulis bebdomadis in Officiis divinis cani sancit. A Monachis, qui longè ab Oratorio laborant, aut in via sunt, opus Dei agi jubet, id est, Horas Canonicas persolvi, *horis constitutis*. Oratinnem brevem & puram esse statuit: Privatam ex affectu inspirationis divinæ gratiæ aliquandò protrahi permittens, nusquam verò publicam. Facto namque signo à Priore, Monachum quemlibet vult cum Sodalibus surgere, ne Congregarionem ac Synaxim interturbet. Proprietatis vitium radicitus amputat, neque codices, neque tabulas, neque graphium, nec ullam omnino rem illis propriam esse debere asserens, quibus ne corpora sua, nec voluntates licet habere in propriâ potestate. Carnium esum solis permittit infirmis. Senibus, & adolescentioribus indulget, ac erga eos districtinnem Regulæ in alimentis non esse servandam decernit; sed concedit ipsis ut præveniant horas canonicas praodii, id est, Sextam, aut Nnnam, cibúmque citiùs & frequentiùs accipiant. Ciborum quovis die mensuram statuit, libram panis propensam, id est, quæ inclinata præpouderet, ex quà, si dies jejunii non sit, tertia pars à Cellerario servetor, reddenda cœnaturis. De libræ pondere, difficultas versatur inter PP. Benedictinos, & quosdam alios Virns Eruditos. *Dominus Jacobus du Breul*, Benedictinus, triplicem libram distinguit, Romauam, Mercatoriam, & Benedictinam.

Libra panis Benedictina.

Primam, dicit esse duodecim unciarum, alteram sexdecim: tertism triginta trinm & semis, quia textum Regulæ sic in suo Declaratorio interpretati sunt Monachi Cassinenses. *Cùm pondus libra, ut habuimus à Monasterio Cassinensi, sit unicarum triginginta trium & semis, ut vix tamèn panis die unâ manducare possit unus frater, voluimus consuetudinem nostram servari, ut scilicet apponatur panis quantùm satis est.* Præterea *Burdigala* in Monasterio *Sanctæ Crucis O. B.* servatur libra ex ære Cyprio, cum bàc inscriptione, *Mensurapanis S. Crucis Burdigalensis*, cujus pondus est unciarum octo & viginti. Alii probabiliùs asserunt S. Benedictum, cùm Italus esset, eam libram intellexisse, cujus tunc usus in Italia erat, & unciis duodecim constabar. Hujus sententiæ validum munimentum occurrere aiunt apud *Cassianum*, Collatione secunda, Cap. 19. ubi *Moyses Abbas* à *Germano* de continentiæ refectionisque mensurà interrogatus, optimum cibi quotidiani modum dicit esse duo paximatia, seu duos parvulos panes, qui pondus unius libræ vix habeant. Panes autem hujusmodi, qui Paxamates à Palladio vocantur, à Cassiano, quem in multis ducem secutus est S. Benedictus, Paximatia, singuli sunt unciarum sex, in *Historia Lausiacu*, cap. 28. qund *De vita Sancti Pauli* inscribitur. Addit Sanctus Benedictus, mensuram panis augeri posse ad arbitrium Abbatis, si Monacho gravior labor incubuerit: & præter quotidianam illam panis mensuram, duo concedit pulmentaria cocta. Mensuram verò potûs statuit *Heminam*: de quâ non levis est apud Eruditos controversia.

Hemina Benedictina.

Quidam ex Sancto Isidoro, *lib. 6. Originum cap. 24. & 25.* colligere sibi videntur Heminam adæquare libram unciis constantem duodecim. Domnus *Petrus du Mas* Congregationis *Casalis-Benedicti* * religiosissimus Reformator, Heminam addito quadrante majorem constituit, & quasi tertiam partem esse vile Quartæ vini Parisiensis. *Domnus du Breul* heminam vini fecit unciarum viginti quinque, & duabus Cheopinis Parisiensibus constanrem. Ejus sententiæ favent Statuta Congregationis *Sanctæ Justina*, quæ ad cap. 40. Regulæ Benedictinæ sic habent: *Hemina vini est multo plus quàm necessitati unius Monachi sufficiat. Ideò de vino damus unicuique quantùm sufficiat: Ita tamen ut juxta Regulam, ebrietas & satietas non subrepat.* Domnus *Hugo Medardus*

* Chezal. Benoist.

Heminam septem duntaxat unciis & dimidia constare colligit ex *S. Isidoro*, loco citato, quia Hemina sex habet Cyathos, & Cyathus decem Dragmis constat: Hemina itaque sexaginta Dragmis componitur: Dragma autem pars octava est Unciæ: in Hemina igitur sunt Unciæ duntaxar septem cum dimidia. Alii duodecim Uncias mensuræ continere Heminam volunt, quæ octo tantùm unciis ponderis æquivalent: Qund ex *Galeno*, *Agricola*, & aliis Auctnribus, qui recentes mensuras cum veteribus compararunt, evidentissimè probant. Igitur Hemina secundùm illos est dimidium Sextarii Parisiensis. Certè verisimilius est Heminam S. Benedictum intellexisse minimam mensuram: Siquidem præmittit vinum non esse omnino Monachorum, si veterum Patrum exempla sequi velint: unde usum vini ex indulgentia tantùm concedit. Præterea annuit, ut si loci necessitas, aut labor, aut ardor æstatis expostulet, Abbas vini mensuram augeat.

Tempus refectionis hoc modo statuit S. Benedictus; ut à Paschate ad Pentecostem, ad Sextam reficiant Fratres, & serò cœnent. A Pentecoste, totâ æstate, quartâ & sextâ feriâ jejunent usque ad Nonam; nisi labores ægrorum, aut æstatis intemperies prohibeant: cujus rei judicium vult esse penes Abbatem. Ab Idibus Septembris usque ad Caput Quadragesimæ ab Nonam refectionem differendam decernit. Toto verò Quadragesimæ tempore jejunium solvi prohibet ante Vesperam; quod tamen ita jubet observari, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes. Silentium, nocturnis præsertim horis, maximè commendat, quocumque tempore: Utque post Vesperam congregatis Fratribus, legat unus Collationes, vel Vitas Patrum, aut aliud quod ædificet audientes, non Heptateuchum, quod septem libros, nempè Geneseos, Exodi, Levitici, Numerorum Deuteronomii, Josue, & Judicum complectitur: Nec etiam Libros Regum; in quibus quædam describuntur Historiæ, quæ Cœnobitis imperfectis obscœnas imaginationes secundùm quietem offerre possint, maximè si sero legantur. Opus manuum quotidianum injungit S. Benedictus, & quotidianam item lectionem: Utque in Capite Quadragesimæ accipiant omnes singulos Codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Indumenta secundùm regionum temperiem, & qualia in Provinciis inveniri possunt, Monachis dari decernit de colore aut grossitie vel tenuitate panni non admodum curans.

Neophytum per duos menses vult priùs probari in cellâ Noviriorum: Tum legi ipsi Regulam, & ejus perseverantiam tentari. Postea probari per sex alios menses, & iterum ipsi legi Regulam, cujus observantiam si promiserit, suscipiendum in Congregationem. Suscipiendum autem in Oratorio coram omnibus, promittere stabilitatem & conversionem morum, déque ista promissione facere petitionem, id est, Scripturam obligatoriam, ad nomen Sanctorum quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis; eique subscribere, & reponere super altare. Res autem, si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut solenni donatione conferat Monasterio, nihil sibi reservans. Posthæc Religiosis vestibus induatur, & Congregationi societur. Abbatem eum constitui præcipit, quem sibi omnis concors Congregatio, sive etiam pars quamvis parva Congregationis, saniori consiliô elegerit. Vitæ autem merito & sapientiæ doctrinâ eligi, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine Congregationis. Quòd si omnis Congregatio vitiis suis consentientem personam elegerit, & vitia ipsa in notitiam Episcopi pervenerint, vel Abbatum, aut Christianorum vicinorum, optat ut pravorum consensum vires obtinere prohibeant, &

domui

domui Dei dignum constituant Dispensatorem.

Monastica Disciplina in Hispania.

Monasticam disciplinam in Hispanias intulit *Donatus* Monachus, Gregorio Turonensi æqualis, qui adjunctis LXX. sociis, ex Africa venit in Hispaniam. Hic Religiosam vivendi rationem certis legibus institutisque temperatam invexit primus in Hispaniam, ut *Sanctus Hildephonsus* scribit. Monachi enim, quorum in Actis Conciliorum Hispaniæ ante hæc tempora mentio extat, aut nullâ votorum Religione constricti erant, aut per silvas dissipati, vitam degebant solitariam, (inquit *Mariana, lib. 5. Historiæ Hispaniæ cap. XI.*) Deinde *S. Isidorus Hispalensis* Regulam Hispaniensibus Monasteriis tradidit, ex Regulis priorum Patrum defloratam. In eâ statuit Monasteria procul ab urbibus esse debere, ne ex earum vicinia labem aliquam contrahant Monachi. Eligendum Abbatem, qui juventute suâ senectutem tetigerit. Monachos nihil sibi proprium vendicare. Neophytos in cella hospitum tribus mensibus probandos, nec recipiendos priùs quàm omnia sua aut indigentibus dividant, aut Monasterio conferant. Monachos inter orationem, lectionem, & laborem manuum omne tempus suum partiri debere. Sic autem operari, ut non solùm vitæ suæ necessaria propriis manibus exhibeant, sed etiam indigentiam aliorum propriis laboribus reficiant. Statuit ut operantes meditentur, aut psallant: si enim sæculares opifices inter ipsos labores amatoria turpia cantare non desinunt; quantò magis servi Christi Psalmis & Hymnis Deum laudare debent, etiam cùm manibus operantur? Sacrarum Vigiliarum, diurnorúmque Officiorum præscribit ordinem, quibus si sanus defuerit Monachus, Communione privatur. Collationes, sive Capitula, tribus in hebdomada vicibus indicit, in quibus Abbas subditos doceat. Habendas autem Collationes hujusmodi, vel pro corrigendis vitiis, instruendisque moribus, vel pro reliquis causis ad utilitatem Cœnobii pertinentibus. Si autem desint hujusmodi causæ, pro consuetudine disciplinæ esse faciendas; in iisque Regularia præcepta Patrum esse recensenda. Gentilium, vel Hæreticorum libros legere Monachos vetat; quia melius est eorum perniciosa dogmata ignorare, quàm per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere. In uno Refectorio vesci, in mensa silere, & sacram lectionem audire jubet. Eum qui tardiùs ad mensam venerit, jejunum ad suum opus, vel cubile redire statuit. Æqualia vult esse omnium fercula: Viles per omnem hebdomadam olerum cibos, & pallentia legumina apponi: Diebus Festis addi aliqua levissimarum carnium alimenta. Qui à carnibus, aut vino abstinere volunt, non esse prohibendos. Furtivam comestionem, & extraordinariam mensam, prohibet sub pœna excommunicationis. Laïcos mensis Monachorum interesse vetat. Tria pulmenta concedit, olerum, & leguminum, ac pomorum. Terna etiam pocula, seu ternas sorbitiones. Per Quadragesimam totam ab oleo & vino Fratres abstinere jubet. A Pentecoste usque ad Autumnale Æquinoctium jejunia tribus in hebdomada diebus definit, propter calores æstivos. Ab octavo Kalendas Octobris ad Natale Domini; & à crastino Circumcisionis usque ad Pascha, jejunium statuit quotidianum. Senes, & adolescentiores à quotidianis jejuniis dispensat. Dominicos dies, & ferias intercurrentes à Paschate usque ad Pentecostem, diem Epiphaniæ, & dies quibus Neophyti ad Monasticam Professionem recipiuntur, necnon dies quibus Fratres ex aliis Monasteriis visitandi gratiâ occurrunt, vacare jejunio declarat. Quibus tamen diebus prohibendos non esse monet qui jejunare voluerint, exceptis diebus Dominicis. Cultum vestium, id est, molles pretiosásque vestes, Monachis prohibet Sanctus Isidorus, quas tamen nec viles nimis esse vult, ne vilitas aut mœrorem, aut vanam gloriam pariat. Lineis ipsos uti etiam prohibet, comam nutrire, speciosam, vel variam supellectilem habere, duos in uno lecto simul jacere, noctu colloqui, separatam à Congregatione cellulam habere: A quâ tamen lege senes, & infirmi excipiuntur, quibus id Monasterii Pater concesserit. Qui nocturnâ illusione aliquid humani passus fuerit, eum id indicare jubet Patri Monasterii, & secretò Pœnitentiam agere, & illâ die stare in Sacrario tempore divini Officii, nec Ecclesiam ingredi, donec sit lotus, & aquis, & lachrymis. Pro culparum leviorum, graviorúmque differentiâ, varios correctionis modos decernit: Statuitque, quamvis graviorum vitiorum voragine sit quisquam immersus, non esse tamen è Monasterio projiciendum, sed juxta qualitatem culpæ coërcendum, ne fortè qui poterat per diuturnam Pœnitentiam emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur. Juniores non esse excommunicatione plectendos, sed congruis affligendos plagis, ut quos ætatis infirmitas à culpa non revocat, flagelli disciplina compescat.

Regula Sancti Isidori.

Jubet omnes Fratres die Pentecostes palam coram Deo profiteri, se nihil peculiare habere, aut habituros esse. Omnem pecuniam, quæ in Monasterium infertur, tres in partes dividi præcipit: Quarum una pro infirmis & senibus sublevandis servetur, & ad aliquid coëmendum ad victum Fratrum, unde festivis diebus paulò cultiùs vivant: Alia seponatur pro egenis: Tertia pro vestimentis Fratrum, & puerorum, vel aliis rebus Monasterio necessariis comparandis. Balnea Monachis solo nitoris, aut voluptatis studio non permittit, sed solùm propter infirmitatem, & nocturnam immunditiam. Infirmorum curam, & hospitalitatem maximè commendat. Monachum, dum ad aliquod Monasterium visitandum mittitur, quamdiu cum eis fuerit, ad quos destinatus est, ita vult ibi vivere, sicut reliquum cœtum Fratrum videt, propter scandalum & perturbationem infirmorum vitandam.

Postremum caput Isidorianæ Regulæ est de sepultura & commendatione defunctorum. Statuit porrò ut transeuntibus ex hac luce Fratribus, antequam sepeliantur, pro dimittendis eorum peccatis Sacrificium Domino offeratur. Corpora Fratrum uno sepelianda esse loco. Pro spiritibus defunctorum alterâ die post Pentecostem Sacrificium Domino offerri; ut beatæ vitæ participes facti, purgatiores corpora sua in die Resurrectionis accipiant.

S. Leander frater Isidori, *de Institutione Virginum ad Florentinam* sororem librum scripsit, qui sacrarum Virginum Regula meritò nuncupatur. Editus est ab *Holstenio*, in Codice Regularum, p. 121.

Regula Sancti Fructuosi.

S. Fructuosus Complutensis Abbas, Dumiensis postea Episcopus, ad Bracarensem Episcopatum Decreto Concilii Toletani X. translatus anno sexcentesimo quinquagesimo-sexto, Monasticum Institutum in Hispaniis propagavit. Ejus duplex extat Regula. Prior XXIII. altera XX. duntaxat constans capitibus. Utraque edita est ab *Holstenio*, in Codice Regularum. Regulam S. Fructuosi laudant *Egbertus* Eboracensis Episcopus, *in Excerptis Canonum*, *S. Benedictus Amanensis Abbas in Concordia Regularum*, & *Smaragdus*. Circa divinum Officium, statuit ut Monachi ante mediam noctem surgentes, Psalmos duodecim per choros recitent. Post paululum pausantes, mediæ noctis persolvant Officium: in quo Responsoria quatuor ternorum Psalmorum divisione concinantur. Post mediam noctem, si hyemis tempus est, sedentibus cunctis, unum in medio legere decernit, & ab Abbate, vel Præposito disserente, quod legitur, simplicioribus explicandum. Sacram lectionem eodem ritu æstivo tempore post Vesperas faciendam. Duodecim rursus Psalmis cantatis, adeunda cubilia: ut post modicam quietem,

quietem, gallicinio jam sonante, recitatis tribus Psalmis cum laude & benedictione sua Matutinum celebrent Sacrificium. Matutinis Laudibus persolutis, ad consuetæ meditationis locum pergendum, ubi Psalmis tribus recitatis, & oratione ex integro finitâ, meditentur usque ad ortum Solis. Meditatio sumitur pro exercitatione in recitatione & cantu Psalmorum, non pro mentali oratione, cujus statæ non erant priscis Monachis horæ: quia Monachos in divinarum rerum contemplatione semper esse defixos debere, Patres censebant. Sabbatorum, & Dominicarum Nocturnis Officiis sex Missas, id est, sex Lectiones adjici jubet, totidémque Missis cum sex etiam Responsoriis Vigilias celebrari, id est, intervallum illud temporis transigi, quod ad Matutinas Laudes intercedit; ut Resurrectionis Dominicæ Solemnitas ampliori Officiorum Psalmodia magis honoretur. Idem in præcipuis Festivitatibus servandum. Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, privatas Orationes præmittendas, tres nimirum Psalmos à Monachis recitandos. Primam noctis horam sex orationibus celebrandam; ac deinde decem Psalmorum concentu consummandam in Ecclesia. Tum Fratres mutuò sibi vale dicere, ac mutuò condonare debita, iisque indulgeri, qui à cœtu fraterno fuerant ob negligentiam segregati. Deinde pergentes ad cubilia, atque in unum coeuntes ob perfectionem pacis, & reorum absolutionem, cantatis tribus Psalmis cum laude & benedictione, Symbolum Christianæ Fidei recitare, ut si quis noctu migret à corpore, commendatam jam fidem suam, & expiatam ab omni scandalo conscientiam proferat ante Deum. Præpositum singulorum lecta circuire, cùm decubuerint, ne mussitationibus aut fabulis vacent, aut ridiculis studeant. Decanum, aut probatum Fratrem, in secessu communi stare, donec dormiant singuli, eorum actibus invigilaturum. Præpositum noctu cæteris priùs surgere, ut cum ejus benedictione signum moveatur, & cunctorum lectula, priusquam consurgant, strenuè visitentur. Opus manuum statis horis præcipit, in silentio peragendum: ita tamen ut nemo peculiare opus exerceat, quasi sibi propriè vindicandum: aut cuilibet, cùm voluerit, suâ præsumptione distribuendum.

Circa cibos; carnium esum vetat, servato tamen moderamine pietatis erga ægrotos, & longiori itineri destinatos. *Si à Principe, vel Episcopo sperantur*, id est, invitantur, *pro benedictione & obedientia degustare carnes non metuant, servantes apud se de reliquo continentiam consuetam. Si quis Monachus contra sanctionem Regulæ, usúmque veterum, vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni & pœnitentiæ addicitur.* Solis oleribus & leguminibus, rarò pisciculis vesci Monachos permittit. Vini portionem indulget, juxta providentiam Abbatis vel Præpositi sic temperandam, ut inter quatuor Frater sextarius dividatur. In præcipuis Solemnitatibus tria pulmenta & totidem potiones concedit. Anticipari vetat communis refectionis horam. Silentium, & lectionem sacram ad mensam indicit, furtivas comestiones prohibet. Ad mensam tardè veniens, cibo privatur.

SS. Fratrum Justi & Pastoris Martyrum festivitas Complutum celebris die 6. Augusti.

De jejuniis ita statuit. A Pentecoste usque ad decimum-octavum Kalendas Octobris interdiana jejunia præcipit, præter unam Quadragesimam, quæ festivitatem SS. Justi & Pastoris præcedit: in quâ usque ad Nonam quotidie jejunandum est, & à vino penitus abstinendum. Abhinc usque ad Pascha, quotidianum jejunium præcipitur: Per Quadragesimam, abstinentia etiam ab oleo & vino.

Vestimenta Monachorum nec multa, nec superflua, esse jubet: ac in una cella, sub manu unius Fratris servanda, qui petentibus congrua staturæ mutatoria tribuat. Nitorem cultúmque vestium prohibet. Quicquid in vestimentis, calceamentis, vel lectariis Monachorum vetustum fuerit, dum nova percipiunt, totum pauperibus erogandum. Peculiaritatem aut in vestimentis, aut in utensilibus, aut quibuslibet rebus, etiam vilissimis, omni modo vitari mandat. Munus quodlibet, sive Epistolas, Monachum recipere vetat, absque licentiâ sui Senioris; aut quidquam suum asserere, dicendo; Codex meus, tabulæ meæ, &c. Hospitum, peregrinorum, infirmorum, curam vult geri singularem: hospitum lavandos pedes, & si ex itinere sunt confecti, oleo perungendos. Infirmos in una domo fovendos tam sedulo ministerio, ut nec propinquorum affectus, nec urbium delicias requirant. Duos in eodem lecto Monachos dormire prohibet: vel alterius manum tenere. Tantam esse vult obedientiam, ut in rebus etiam impossibilibus affectu demonstretur; tantam patientiam, ut nec odio violetur usquam, nec injuriâ, nec contumeliis amittatur: modestiam tantam, ut nec alium respicere, nec appellare quis audeat absque licentia sui Senioris.

Disciplinam erga delinquentes observandam præscribit. Mendaces, fures, percussores, perjuros, ebriosos: & eos qui citra licentiam Abbatis, vel Præpositi litteras scripserint, vel receperint, post correptionem verbis tenus à Senioribus factam se non emendantes, acerrimè flagellari statuit, trium mensium spatio à communione excludi, in cella recludi sub pœnitentiæ districtione, & singulis diebus hordeacei panis sex unciis, & aquæ mensurâ parvula sustentari. Quamlibet causam in conventu communi fratrum ventilari, ne fortè dolo vel malitia Senioris innocens Junior opprimatur. Fratres ab Abbate, Præposito, & Decanis * regi sancit. Ter singulis hebdomadibus Collectam faciendam, sive Capitulum, in quo Regulæ Patrum legantur, Sermo ædificationis vel castigationis proferatur ad fratres, negligentiæ emendentur, excommunicati pœnitentes absolvantur, procacibus iterum irrogetur censura.

* Decanus, Senior qui decem Monachis præest.

Conversum de sæculo in Monasterium non suscipiendum decernit, nisi qui decem dierum spatio ad januam Cœnobii persistens, orationibus, jejuniis, patientiæ & humilitati operam dederit. Anno integro probandum, & in spiritalis Senioris tradendum disciplinam. In interiores Fratrum ædes non esse recipiendum, donec probationis tempus expleverit: sed in exteriori corte Monasterii cellulam ipsi designandam, ubi omnem exerceat obedientiam. Potestatem tamen facit Abbati contrahendi tempus probationis pro merito conversorum. Familiæ integræ, scilicet viri cum uxoribus, & filiis parvulis, in Monasteria recipiebantur quæ sub S. Fructuosi Regula militabant, se omnium facultatum Dominio abdicantes: ita tamen ut fœminæ seorsim à viris in propriis Monasteriis degerent. Vel unum nummum de Postulantium facultatibus in Monasterium inferri prohibet: sed jubet ut ipsi manu sua cuncta pauperibus erogent. Abbatem pro rebus temporalibus litigare vetat; sed *Si aliquis insecutor Monasterii accesserit, & aliquid auferre conatus fuerit, & per vim tollere voluerit, uni de Laïcis causam injungat, & ipsi fidelissimo Christiano, quem vita bona commendat, & fama mala non reprobat: qui & res Monasterii absque peccato judicet, & quærat; & si usus jurandi est, hoc faciat sine juramento & pœna: & non tantùm pro rerum lucro, sed ut persecutorem humilem & mansuetum ad veniam postulandam reducat. Quòd si persecutor in sua perseveraverit contumacia, & plus lucra dilexerit, quàm animam, statim causator cum eo contendere dimittat*.

Priorem Regulam Complutensi dumtaxat Monasterio, quod propriis sumptibus ædificavit, ac dotavit, scripsisse videtur *S. Fructuosus*: alteram instar supplementi adjecisse, pro Monasteriis præfectum

deinceps construendis in Villis. Id patet ex Cap. ıx. *Qui greges Monasterii accipiunt alendos, tantam sollicitudinem super eos gerere debent, ut nulli damnum in frugibus inferant, & tanta vigilantia astutiáque sollicitentur, ne à bestiis devorentur: ut fragosa & abrupta montium, & inaccessibilia vallium prohibeantur, ut ad præcipitium defluant, &c.*

Regula Magistri.

Ad septimum sæculum refertur Regula *Magistri*, sic vocata, quòd Dominus per Vitæ Religiosæ Magistrum Discipulum interrogantem instituat in Monastica Disciplinâ. Hanc laudant *Sanctus Benedictus* Anianensis Abbas, in *Concordia Regularum*, & *Smaragdus* in Commentariis ad Regulam Sancti Benedicti. Constat 95. Capitibus. Edita est ab *Holstenio* in Codice Regularum. Secundùm Regulam *Magistri*, debet Vitæ Monasticæ candidatus, antequam in Monasterium suscipiatur, res omnes suas vendere, & pauperibus erogare, nisi aliquid ex iis Monasterio tradere voluerit. Quod tamen ipsi liberum relinquere debet Abbas, ne introeuntium res desiderare potiùs judicetur, quàm animas. Qui verò se cum rebus suis Monasterio tradere voluerit, promittens stabilitatem, simul breve rerum suarum Deo & Oratorio Monasterii per donationem offerat, subscribentibus Religiosis testibus, Episcopo, Presbytero, Diacono, vel ipsius territorii Clero: Id in ipsa cautione exprimens; quòd si aliquando è Monasterio discedere voluerit, sine rebus suis de Monasterio, vel sine indulgentia peccatorum à Deo discedat. Si nihil se habere asseruerit, dato perseverantiæ fidejussore, sub cautione pœnæ interpositâ, recipitur. Si ignotus fuerit; sola poscitur ab eo sacramenti fides. Dantur induciæ duorum mensium suscipiendis, ut mores Monasterii probent, & à Monasterio ipsi probentur: Quo tempore degent sub curâ Fratrum, qui peregrinos custodiunt. Non esse tonsurandos, nec Religiosis induendos vestibus, nisi post annum Probationis, Regula statuit. Monachum, apud quem aliquid peculiare inventum fuerit, gravi & diuturna excommunicatione plectendum. Etiam ab itinerantibus *Opus Dei perfici*, id est, Officium divinum persolvi debere. Officium Nocturnum, pro noctium brevitate, aut prolixitate, brevius aut prolixius est. Hyeme, ante gallicinium Nocturni complentur: æstate post gallicinium inchoantur, & cum Matutinis Laudibus conjunguntur. Opus manuum injungit Monachis Magistri Regula. Prædia tamen Monasterii locari mavult ac annuas pensiones ex iis suscipi, quàm à Fratribus coli, ut de sola anima cogitent, & ne propter gravem laborem, jejunandi consuetudinem amittant. Ad laborem itaque in Monasterio, artes solas cum horto sufficere statuit. Refectionis horam, quovis tempore, Nonam assignat, exceptis Dominica & Quinta feria: Rationem reddens, quòd antiqua consuetudo prandia ignoraret: Hinc alimenta quæ operariis & militibus erogabantur, annonam fuisse nuncupata observat. Ideò Refectionem reliquo anni tempore ad Nonam differri, ut sit quod addatur in Quadragesimæ, differendo usque ad Vesperam, id est, post *Lucernarium*. A Sexagesima protrahi jubet jejunium usque ad Vesperam, quarta & sexta feria, & sabbatho; ut quod Dominicæ Quadragesimæ de quadraginta jejuniis subtrahuntur, horum dierum jejunio restituatur. Infirmis jejunia remittuntur ex parte; ita ut ad Sextam comedant, cùm cæteri Fratres ad Nonam; & ad Tertiam, cùm reliqui ad Sextam: excipiuntur gravi morbo laborantes, quibus nulla statuitur hora. Infantibus etiam infra duodecimum annum constitutis citiùs parari cibos decernit. Ubi annum duodecimum attigerint, teneri ad formam Majorum. Itinerantes, à Paschate ad VIII. Kalendas Octobris à jejunio dispensantur quarta & sexta feria & Sabbatho; deinceps usque ad Pascha, ipsos jejunium solvere his diebus vetat ante Vesperam. Cæteris diebus, sexta hora prandere; & serò cœnare permittit, propter viæ laborem. Ad refectionem quotidianam tam Sextæ, quàm Nonæ, cocta duo pulmenta concedit, & tertium quodcunque fuerit crudum, cum pomis: medium panem pensantem libram, viritim singulis diebus tribuit: singulos meros cunctis propinari jubet statim atque ad mensam sederint; & caldos præterea quaternos æstivo tempore. Ad cœnam verò tres potiones, cùm non jejunatur. In Quadragesima, unum dumtaxat pulmentum coctum concedit, & panis hordeacei quadras* duas. Ab ipso die Quadragesimæ ad trigesimum, duas potiones, scilicet unum merum, & unum caldum: à trigesima usque ad vigesimam, singulos meros; à vicesima usque ad Pascha, vinum omnibus subtrahit. Ita sensim auget Quadragesimalem abstinentiam. Die tantùm Dominica per Quadragesimam jejunium solvi permittit; ita tamen ut nec ipsis diebus Dominicis cœnent Monachi, sed unicâ refectione sint contenti. Quadragesimale jejunium gratiam hospitum solvi prohibet: quod extra Quadragesimam permittit. Sacerdotes, si propter disciplinæ Regularis amorem in Monasteriis degere voluerint, solo nomine Patres Monasterii censeri statuit; & nihil aliud eis licere, quàm Orationes colligere, complere, & signare; non verò sibi aliquid ordinationis, dominationis, aut dispensationis vindicare; aut obtentu honoris, Abbates, utpote laicos, ab administratione Monasterii excludere. Ex quo perspicuum est, sexto & septimo sæculo Abbates omnes Presbyteros non fuisse; & Presbyteros vix in Monasteria nonnulla susceptos fuisse. Vetat ne Abbas Coadjutorem sibi assumat; permittit ut morti proximus designet Successorem, quem meliorem noverit: qui ab Episcopo confirmetur, & inauguretur. Si verò Abbas è vita subitò migraverit, seligendum Abbatem Sanctissimum ab Episcopo & Clero, cui Monasterium per dies triginta commendetur; quibus in Monasterio degens, consideret diligenter quis observantia Regulari cæteris præstet. Tricesimo verò die, coram Episcopo vel Clero super Evangelia juret, se nullis promissionibus aut adulationibus redemptum fuisse: tum adstante omni Congregatione, subitò ejus manum apprehendat, quem invenit omnibus meliorem in omni observantia mandatorum Dei, vel Regulæ constitutæ: & Episcopo sistat ordinandum. Cujas fuerit hujus Auctor Regulæ, non est omnino certum. Gallum fuisse, Viri Eruditi conjiciunt. Quibus in Monasteriis servata fuerit, & quamdiu, haud exploratum est.

Caldus est vasculum potionum cervisiæ aut zythi unde à mero, seu potione vini distinguuntur.

Quadra est quarta pars panis.

Monasticæ Professionis ætas.

II. Circa Monasticæ Professionis ætatem varia fuit Ecclesiarum disciplina sexto & septimo sæculo. Trullana Synodus anno decimo ætatis pueros & puellas Vitam Religiosam vovere ac profiteri posse statuit, Canone 40. *Qui Monachicum jugum est subiturus*, inquit, *ne sit minor quàm decem annorum natus; ejus quoque rei examinatione in Præsulis arbitrio sitâ, an augeri tempus conducibilius existimet, ad introductionem & constitutionem in Vita Monastica.* Quæ disciplina in Oriente viguit. *Sanctus Gregorius Magnus* pueros in Monasteriis Sancti Benedicti ad Professionem Monasticam susceptos testatur, *lib.* 2. *Dialogorum cap.* 3. 11. 24. & 33. Idem Pontifex, *Epistola* 48. *libri* 1. Pueros in Monasteriis Insularum ante octodecim annorum ætatem recipi vetuit, ob duritiem soli, & austeriorem disciplinam; apertè significans eos Romæ, & in aliis civitatibus ante illam ætatem Monachos fieri consuevisse, anno videlicet decimo-quarto. *Quia autem*, inquit, *dura est in Insulis Congregatio Monachorum, etiam pueros in eisdem Monasteriis antè*

decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus.
A Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in Romanam urbem transmittat. Hoc & in Palmaria, ac quæ Insulis, te per omnia volumus custodire. Sanctus Aurelianus pueros decimo, aut duodecimo ætatis anno ad Monasticam Professionem admisit, cap. 57. Regulæ suæ. Minori ætate in Monasteria non excipiantur, nisi ab annis decem, aut duodecim, qui & nutriri non egeant, & cavere noverint culpas. Inter Capitula Selecta Canonum Hibernensium, Tom. IX. Spicilegii, Caput XI. libri 43. ita statuit: Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ duodecimum non
B velentur. Ibidem inter Selecta Capitula Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, CXVIII. sic habet: Puer quindecim annorum potest se Monachum facere, Puella sexdecim, vel septemdecim, quæ in potestate parentum est. Ex Concilio Toletano X. Canone 6. perspicuum est eam in Hispaniensi Ecclesia viguisse disciplinam, ut pueri decimo ætatis suæ anno devovere se Monasterio possent, Vitámque Religiosam profiteri. Parentibus sanè, inquit, filios suos Religioni contradere, non ampliùs quam usque ad decimum ætatis eorum annum, licentia poterit esse. Postea verò
C an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum, Religionis assumere cultum.

Pueri à parentibus Monasteriis oblati, Vitæ Monasticæ jugum excutere non poterant.

III. Pueri ante pubertatis annos Vitæ Monasticæ poterant à parentibus devoveri, quorum votum exsolvere tenebantur, nec Religiosæ Professionis jugum excutere poterant, ubi adultam ætatem attigissent. De hujusmodi puerorum oblatione à parentibus, deque ejus ritu, Sanctus Benedictus in sua Regula, cap. 59. sic decernit: Si quis fortè de Nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes ejus faciant petitionem quam suprà diximus: Et cum oblatione ipsam
D petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant. Synodus Aurelianensis V. Canone 29. puellas, quæ propriâ voluntate Monasterium expetebant, ab aliis, quæ Deo à parentibus offerebantur, ita distinxit: Quæcumque etiam puella, seu propriâ voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsâ, quâ intraverint, veste permaneant. Eamdem adhibuit distinctionem Concilium Matisconense I. Canone 12. Si qua puella, inquit, voluntariè, aut parentibus suis rogantibus Religionem professa, vel Benedictionem fuerit consecuta, & postea ad conjugium, aut
E illecebras sæculi transgredi præsumpserit, usque ad exitum cum ipso qui se hujusmodi consortio miscuerit, Communione privetur. Concilium Toletanum IV. Canone 48. Monachos in duplici ponit differentia, quorum alios paterna devotio faceret, alios propria professio. Monachum, inquit, aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit: proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus. Et Caonne 55. Non aliter
F & hi qui detonsi à parentibus fuerunt, aut sponte suâ amissis parentibus seipsos Religioni devoverunt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, hi à Sacerdote comprehensi, ad cultum Religionis, actâ prius Pœnitentia revocentur. Et Concilium Toletanum X. Canone 6. Si in qualibet minori ætate, inquit, vel Religionis Tonsuram, vel Religioni debitam vestem, in utroque sexu, filiis unus, aut ambo parentes dederint; certè aut volentibus, aut nescientibus sesè susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia palàmque in Conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis quandòque non licebit; sed convicti quòd Tonsuram, vel Religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad Religionis cultum habitúmque re-

A vocentur, & sub strenuâ districtione hujusmodi observantiæ inservire cogantur. Tandem apud Bedam, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum, cap. 24. legimus, Regem Osuvi filiam suam quæ vix primum ætatis annum excesserat, perpetuæ virginitatis, & Monasticæ Vitæ professioni devovisse. Vovit, si victor existeret, filiam suam Domino sacrâ virginitate dicandam offerre, simùlque duodecim possessiones prædiorum ad construenda Monasteria donare, &c. Pro collatâ victoriâ gratias referens, dedit filiam suam Elfledam, quæ vixdum unius anni ætatem impleverat, perpetuâ ei virginitate consecrandam.... Intravit filia
B Deo dicanda Monasterium.

Monachi bonis omnibus abdicare se tenebantur. An paternam hæreditatem adire possent?

IV. Monachi & Sanctimoniales patrimonio se abdicare tenebantur, donatione pauperibus aut Monasteriis factâ; quidam cùm vitam Religiosam profitebantur; alii postea, cum paternam hæreditatem colligebant. Sanctus Cæsarius in Regula sua statuit, ut viduæ quæ post maritorum mortem Monachæ fiunt; vel nuptæ, quæ ex licentiâ maritorum sese recipiunt in Monasteria, chartas donationis, aut venditionis de facultatibus suis faciant, priusquam in Monasterium admittantur: Virgines verò
C admittantur quidem cum veste laicali, quamvis hujusmodi chartas nondum confecerint; sed Monasticâ non priùs induantur, quàm se bonis omnibus per donationem aut venditionem exuerint, si jam aliquibus fruuntur. Quæ enim paternam hæreditatem liberè nondum possideor, eas Monasticam Vitam profiteri posse decernit, eâ conditione, ut statim ac paternam hæreditatem aut adierint, aut per legitimam ætatem adire potuerint, eam cui voluerint, vel donent, vel vendant. Quæ viduæ, inquit, aut maritis relictis, aut mutatis vestibus, ad Monasterium venerint, non excipiantur, nisi antea de omnibus facultatibus suis, cui voluerint, chartas aut
D donationis, aut venditionis faciant; ita ut nihil suæ potestati, quod peculiariter aut ordinare, aut possidere videantur, reservent. Quam rem etiam & illæ, quæ Virgines convertuntur, si implere noluerint, non excipiantur; aut certè vestimenta Religiosa non permittantur accipere, donec se ab omnibus impedimentis mundi liberas fecerint. Illæ verò quæ adhuc vivis parentibus substantiam suam in potestate habere non possunt, aut adhuc minoris ætatis sunt, chartas tunc facere compellantur, quando res parentum in propriâ potestate habere potuerint. Idem statuit in Regula Monachorum. Sanctus Donatus Vesontionensis Episco-
E pus idem præscribit in Regula Virginum, cap. VII. Sanctus Aurelianus eamdem Religiosis Viris legem imposuit, cap. 47. Regulæ suæ. Qui minoris ætatis sunt, aut vivis parentibus in Monasterium ingrediuntur, chartas tunc facere compellantur, quando ætate probati fuerint, aut res parentum in potestate habuerint. Pueris, quos parentes Vitæ Monasticæ sub Sancti Benedicti Regula offerebant, hæreditatis possidendæ spes omnis præscindebatur. Parentes enim aut promittere tenebantur sub jurejurando, se nullum unquam auxilium puero daturos ad hæreditatem, ejusve portionem occupandam, aut si nollent
F id juramento polliceri, Monasterio donationem ipsius hæreditatis faciebant, usufructuario sibi reservato. Bona enim quæ post eorum obitum ad ipsum puerum hæreditario jure perventura erant, ad alium quempiam non poterant pro arbitrio suo transferre; puerque non cadebat suo jure in hæreditatem obventuram, sed amittebat tantùm liberam facultatem eâ, postquam evenisset, utendi in proprium commodum. En verba Regulæ Benedictinæ, cap. 59. De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certè si hoc facere noluerint,

lucrint, & aliquid offerre voluerint in eleemosynam Monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt Monasterio, donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario. Atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero, per quam decepius perire possit. Regula *Magistri cap.* 91. jubet ut parentes, filiorum, qui Vitæ Monasticæ devoventur, hæreditatem, aut pauperibus totam erogent; aut in tres portiones dividant, quarum una pauperibus cedat, altera in Monasterium inferatur, tertia eorum fratribus, vel parentibus ipsis relinquatur; vel tandem ipsos penitus exhæredent. *Quæ portio ejus*, inquit, *adhuc in vestrâ est potestate, vos tangit de ea Dominicam vocem audire; ut pro filio vestro apud vos nihil remaneat in sæculo nisi Deus. Quod si gravis vobis hæc divina præceptio est, de portione ejus tres fiant partes æqualiter; una Abbatis manibus pauperibus erogetur, aliam vobis, vel Fratribus derelinquat; tertiam verò partem viatici sui utilitate deferat secum, Monasterii Sanctorum usibus profuturam. Quòd si utræque vobis graves sunt voces, ut nec Deum audiatis, pauperibus erogando, & filii animam redimendo; nec nostrum consilium, partibus dividenda, & auferendo ab eo sæcularem substantiam, vel nudum & solum filium Deo largite: Ita ut jurejurando per sancta Evangelia promittatis ei, ultes ius eum de vestrâ patrimonii substantiâ nihil habere.*

In Oriente Monachi paternam hæreditatem adibant, ex Decreto Justiniani, *Cod. l. 1. de Episcopis & Clericis, L.* 54. & 55. quarum hæc sunt verba: *Ut non liceat parentibus impedire, quo minus liberi eorum volentes, Monachi, aut Clerici fiant, aut eam ob solam causam exhæredare. Sed si ipsi testamentum condant, necesse habento, quadrantem illis relinquere*, id est, quartam partem bonorum. *Sin autem hoc non fecerint, locus sit ab intestato.... Quod si illi Monasteria, aut Ecclesias relinquant, atque mundani fiant, omne ipsorum jus ad Monasterium aut Ecclesiam pertineat.* Ab hoc jure excidebant Monachi Apostatæ, secundùm Justiniani Leges. Sic enim Cod. L. 55. *Hujus Legis Beneficia eos volumus obtinere qui in Monasterio perseveraverint. Nam si ad sæcularem conversationem remeaverint, jubemus omnes eorum res ad jura ejusdem Monasterii, à quo recesserint, pertinere.* In Regno etiam Burgundionum non multùm absimiles mores vigebant: ut ex eorum Legibus compertum est, *Tit. XVI.* quarum hæc sunt verba: *De his verò puellis, quæ se Deo devoverint, & in castitate permanserint, si una duos fratres habuerit, tertiam jubemus ut portionem de hæreditate patris accipiat.... Similiter & si quatuor aut quinque fratres habuerit, portio ei debita reservetur. Si autem illa una tantùm habuerit fratrem, non medietatem, sed tertiam consequatur, eâ scilicet conditione, ut post obitum illius quæ fœmina & Sanctimonialis est, quicquid in usufructu de paternis rebus percepit, ad proximiores parentes pertineat, nihil illâ exinde potestatem alienandi habiturâ, nisi forsitan quod ex matris bonis, id est, in recellulis*, seu teculis, *aut bonis mobilibus & supellectilis, vel ornamentis, aut ex suo poterit labore conquirere.*

Bona quæ hæreditario jure sibi post Monasticam Professionem obtingebant, poterant Monachi condito testamento propinquis, amicis, pauperibus, vel Ecclesiis donare, ut colligitur ex S. Gregorii Epistolis, 42. *lib* 1. 21. *lib.* 9. 5. *lib.* 11. Sed eis qui rerum suarum erant domini, antequam ingrederentur Monasterium, Justinianus condendi post Monasticam Professionem testamenti potestatem ademit *Novella* 76. eo quòd emisso voto horum domini ampliùs non existunt.

Monachi ad Clerum, & ad Regimen Ecclesiarum assumpti.

V. Monachi sexto & septimo sæculo Presbyteros ex Congregatione suâ habuerunt, & ad Sacerdotium, regimenque Ecclesiarum assumebantur. Id ex Sancto Gregorio Magno constat, *lib.* 5. *Epistola* 27. & 41. *lib.* 9. *Epistola* 15. & *lib.* 10. *Epistola* 39. & ex Joanne Diacono, lib. 3. de ejus Vita, *cap.* 7. scribente: *Si quando necessitas ordinandi Sacerdotes obrepsit, neque Cardinales Ecclesiæ suæ, neque Monachos Monasterii sui penitus excusavit, quo minùs illis Ecclesiam regendam committeret, qui exemplis & verbis pariter illam ædificare meliùs potuissent.... Ex Monachis Monasterii sui Marinianum Ravennæ, Maximianum Syracusis, Sabinum Callipoli Præsules ordinavit. Sed & Augustinum penes Anglos à Galliarum Episcopis ordinari præcepit; per quem ad Episcopatum in eadem Gente Monachi ejusdem Patris diversa tempore provecti sunt, Mellitus, Justus, Laurentius, & Paulinus.* Apud Bedam, *lib.* 3. *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum cap* 4. de Monasterio Sancti Columbani in quadam Insula Britanniæ majoris constituto legimus, quòd *Habere solet ipsa Insula Rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti; juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus*: Denique ex Concilio Agathensi *Canone* 27. constat Monachos in Galliis interdum ad Sacros Ordines promotos fuisse. Quod & multis aliis monumentis probari potest. Paucos tamen in ipsis Monasteriis inaugurari solitos Sacerdotes, colligitur ex Regula Sancti Benedicti, *cap. sexagesimo*, quo statuit ne Monasterium Sacerdotibus facilè pateat. *Si quis*, inquit, *de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogaverit, non quidem citius ei assentiatur. Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulæ disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur. Concedatur tamen ei post Abbatem stare, & benedicere, & Missas tenere, si tamen jusserit ei Abbas; sin aliàs, nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Et si fortè Ordinationis aut alicujus rei causa fuerit in Monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est Monasterium, non illum qui ei pro reverentiâ Sacerdotii concessus est.* Et cap. 62. *Si quis Abbas sibi*, id est, Ecclesiæ suæ, *Presbyterum, vel Diaconum ordinare petierit, de suo eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum, nec occasione Sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis in Deum proficiat.*

Immunitates Monasteriis concessæ.

VI. Romani Pontifices Privilegia & immunitates Monasteriis concesserunt VI. & VII. sæculo, S. Gregorius Monasterio Massiliensi S. Cassiani privilegium concessit amplissimum, *Lib* 6. *Epistola* 12. Arelatensi Monasterio concessam à Vigilio immunitatem confirmavit, *Lib.* 7. *Epistola* 115 Augustodunensi Monasterio & Xenodochio, Theodorico Rege, & Brunichilde Regina rogantibus, Privilegium etiam contulit, *Lib.* XI. *Epistolis* 8. 9. & 10. quibus Privilegiis Abbatis electio Monachis permittebatur, bonorúmque Monasterii administratio ac dispensatio; non tamen ab Episcoporum Jurisdictione eximebantur, ut jam suprà notavimus. Adeodatus Papa rogatus ab *Ægirico* Abbate S. Martini Turonensis, anno 670. illi Monasterio Privilegium immunitatis concessit, servato duntaxat Episcopo jure ordinandi Monachos, atque conficiendi Chrismatis. Sed præfatus est Pontifex, hoc esse alienum à more Romanæ Ecclesiæ, ut Monasteria ab Episcopi jurisdictione penitus eximantur. Neque hujusmodi concessu immunitatem, nisi Turonensi Episcopo, cæterisque Præsulibus Gallicanis consentientibus. *Parumper ambigimus*, inquit, *idcirco quòd mos atque traditio sancta nostra Ecclesia plus non suppetat à regimine Episcopalis providentiæ Religiosa loca secernere*,

Immunitas Monasterio Turonensi S. Martini à Romano Pontifice concessa.

nere. Verùm ubi & fratris nostri Crotberti Turonensis Præsulis Monachicam libertatem, id est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam, Religiositate ejus exemplaria proferente, comperimus: in cujus Volumine & aliorum per Gallicanam videlicet Provinciam constitutorum Antistitum ad id consensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus; nullatenus jam exortem rationis ac Canonica Regula tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus. Propterea & nos, quod iidem Fratres nostri præsentes conferre providerunt, firmari concessimus. Sed Episcopi & Concilia ante Adeodatum Papam, immunitates absolutissimas Monasteriis quibusdam concesserunt.

Immunitas Monasteriis Africanis à Concilio Carthaginensi concessa.

Africana Monasteria immunitatem consecuta sunt amplissimam ex Decreto Synodi Carthaginensis sub Archiepiscopo *Reparato*, anno Christi 535. Sola potestas ordinandorum Clericorum, & Oratorii dedicandi, Episcopis Diœcesanis servata est, omnis administratio Monasteriorum Abbatibus permissa. *De Monasterio Abbatis Petri*, inquiunt Africani Patres, *quæ temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii, in universali Concilio, nobis etiam præsentibus, acta sunt, inconvulsa permaneant. Cætera verò Monasteria etiam ipsa libertate plenissimâ fruantur, servatis limitibus Conciliorum suorum in hac duntaxat, ut quandocunque voluerint sibi Clericos ordinare, vel Oratoria Monasteriis dedicare, Episcopus in cujus plebe vel civitate locus Monasterii consistit, ipse hujus muneris gratiam compleat, salvâ libertate Monachorum, nihil sibi in eis præter hanc Ordinationem vindicans, neque Ecclesiasticis eos conditionibus aut angariis subdens. Oportet enim in nullo Monasterio quemlibet Episcopum Cathedram collocare, aut qui fortè habuerint, habere: nec aliquando Ordinationem quamvis levissimam facere, nisi Clericorum, si voluerint habere. Esse enim debent Monachi in Abbatum suorum potestate, & quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi sunt, judicio Congregationis eligantur: nec officium sibi hujus electionis vindicet aut præsumat Episcopus. Si qua verò contentio exorta fuerit, ut ista Abbatum aliorum consiliò, sive judicio finiatur.* Extat Fragmentum istud Synodi Carthaginensis *Tomo VI. Spicilegii.*

Immunitates Monasteriis quibusdam Gallicanis ab Episcopis concessæ, rogantibus Regibus.

Episcopi etiam Gallicani, petentibus Regibus Christianissimis, Immunitates & Privilegia Monasteriis nonnullis concesserunt. Anno 658 *Landericus* Parisiensis Episcopus Privilegium Libertatis Monasterio *S. Dionysii* contulit, *Clodoveo II.* postulante, ad normam Privilegii concessi Monachis à Synodo Carthaginensi sub Bonifacio. *Quamquam*, inquit, *Sancta Carthaginensis Synodus facta à beatæ memoriæ Domno Bonifacio, ejusque Coepiscopis, non prohibeat Monachos sub Privilegio proprio residere, vel Sancti Augustini libri de Ecclesiasticis gradibus doceant, Monachos sub quiete regulariter viventes, suâ singulari lege debere quiescere, & ab omni infestatione Clericorum intrepidos permanere, ne sæcularis strepitus eos lædat, quos districta Regula servitutis Domini moderatur. Quod nos considerantes, dum & Canonica Institutio nos hâc de re non præjudicat, vel ideò quia supra dicti Domini Cludovici Regis petitio quasi nobis jussio est, cui difficillimum est resisti, &c. Ut ipsis Monachis secundum sanctum Ordinem vivere liceat, ipsum Privilegium plenâ voluntate, unà cum consensu fratrum meorum, ipsis concessisse visus sum: Per quod decerno, usque ob testificationem divini nominis interdico, ut nec ego deinceps, nec ullus Successorum meorum hoc audeat infringere: vel temerario usu aliquatenus violare.* Hoc porro Privilegio Clericos in Ecclesiis Abbatiæ Sandionysianæ adjacentibus, & subditis, Ministerio divino deputatos, absolvit *ab omni debito, & redditione Circadarum, & Synodorum.* Transfert in Abbatem jus omne animadvertendi in eos qui memoratis Clericis aliquam injuriam irrogaverint. Presbyteris tandem qui has Ecclesias regunt, Chrisma & oleum liberaliter subministrari statuit à Parisiensi Episcopo. Gravissimam pœnam adjicit in eos qui Privilegium violaverint, ut scilicet tribus annis Pœnitentiam agant, à communione fratrum sequestrati: & nihilominus hoc Privilegium Christo protegente, qui & adjuvet illud conservantes, & dissipet illud destruere cupientes, perpetuò maneat incorruptum. Huic Privilegio viginti quatuor Episcopi cum *Landerico* Parisiensi Episcopo subscripserunt; quos inter *SS. Eligius*, & *Audoenus.* Istud Privilegium Edicto suo confirmavit *Clodoveus*, statuens *Ne nullus Episcoporum aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio usurpare præsumeret.* De bonis etiam huic Monasterio collatis eodem Edicto cavit; adeò ut Religiosæ Congregationi, & in spiritualibus consensu suo, & in temporalibus pleno jure Regio prospexerit.

Bertefridus Ambianensis Episcopus, de consensu Coëpiscoporum suorum Privilegium Libertatis Monasterio *Corbeiensi* à *Clotario* Rege, & *Bathilde* Regina condito concessit, anno 664. eodem Rege postulante, quò nihil juris in Monasterium Episcopo Ambianensi relinquitur, præter consecrationem altarium, confectionem Chrismatis, ordinationem Abbatis, quem Congregatio Monasterii ex suo sinu dignum & bonum, *data auctoritate à Principe* elegerit, Clericorum denique majorum & minorum, quos Abbas elegerit sive intra, sive extra Monasterium, consecrationem. *Neque ul â aliâ potestate in ipso Monasterio utatur*, inquit, seu *in rebus*, seu *in personis*; *dum tanti gloriosissimi Principis petitio intercessit.* Visitatio Monasterii, & correctio Monachorum, hoc Privilegio ablata est Episcopo Ambianensi, non minùs quàm auctoritas in bona temporalia Abbatiæ. *Nec ad præfatum Monasterium accedere præsumat ... Et si aliquis de ipsis Monachis contumax fuerit, ab Abbate prædicti Monasterii secundùm canonicam institutionem emendetur.* Addit, Monasteriorum Libertate sive exemptione vulnus Canonibus non inferri: *Quia nihil de Canonicâ Auctoritate convellitur, quicquid domesticis fidei pro tranquillitate pacis, vel pro reverentiâ Sanctorum tribuitur.*

Anno 694. *Clodoveo II.* Rege Christianissimo rogante, *Bertoendus* Catalaunensis Episcopus *Dervensi* * Monasterio, & vicino *Pullarum* * Monasterio privilegium immunitatis concessit, quo ab Episcoporum Jurisdictione omnimodâ exemta sunt: solâ Chrismatis consecratione, Ordinatione Clericorum, & benedictione Abbatis, Episcopo reservatâ. *Et si eis opportunum fuerit Abbatem benedicendi, aut Chrisma consecrandi, vel sacros Ordines percipiendi, hoc tantummodo nobis propter Canonicam Institutionem, & præjudicium Ecclesiæ nostræ, absque ullo motu reservamus.* Extat Privilegium istud *Tomo X. Spicilegii.* Et ex eo discimus, alia multò antea Monasteria similibus Immunitatibus donata fuisse. *Et ne*, inquit, *succidua fraternitas Sacerdotum hæc nos in regionibus propria deliberationis instincta, aut novâ inventione ast mei decreta fecisse; cùm sub hujus Constitutionis norma Sanctorum Agaunensium locus, imòque & Monasterium Lirinense, seu Monasterium Luxoviense, multaque alia Monasteria, necnon & Basilica Domni Marcelli, & innumera in Orientis partibus Monasteria; propriis ex Decreto Pontificum serventur Privilegiis.* Extant apud *Marculphum* solemnes Privilegiorum Formulæ, quarum usus erat, cùm Episcopus & Princeps Immunitates illas concederent. Ac in prima quidem, quæ concepta est sub nomine Episcopi, Decretum Regium cum Episcopali conjungitur, ut rectè constitutas fuisse Immunitates Monasteriorum doceatur.

* Monstier-en-Der.
* Pellemoustier.

Dum

Dum ab antiquitus, juxta Constitutiones Pontificum per Regalem Sanctionem, innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis Privilegium videntur consistere Monasteria. Altera Formula continet Privilegii Episcopalis confirmationem; quæ ideo à Rege decernitur, ut securiùs tranquillitas Monasteriorum procuretur adversùs futuros Episcopos, qui Decessorum suorum Privilegia convellere tentarent. In ea Formula, omnia jura quæ Diœcesanus Episcopus remisit, & recensentur, & Decreto Regio muniuntur.

ARTICULUS VI.

De Bonis Ecclesiæ.

Bonorum Ecclesiæ administratio in potestate penes Episcopos.

I. BONORUM Ecclesiasticorum administratio, sexto & septimo sæculo, summo jure penes Episcopos erat. Id ex multis S. Gregorii Magni Epistolis compertum est, scilicet 13. *Lib.* 2. 24. *Lib.* 5. 28. *Lib.* 9. 34. *Lib.* 10. sed maximè ex 51 lib. undecimi. *De reditibus Ecclesiæ*, inquit, *quartam in integro portionem Ecclesiæ tuæ Clericis, secundum meritum, vel officium, sive laborem suum, ut ipse unicuique dandum prospexeris, sine aliquâ præbere debent tarditate, &c. Reliqua autem omnia mobilia in tua retinens potestate. Immobilia enim Ecclesiasticis reditibus aggregentur, ut multiplicatâ quantitate, Clericorum suorum usibus, Deo largiente, proficiant. Tabularium unà cum consensu Seniorum & Cleri memineris ordinandum, qui annis singulis, ad amputandam fraudis suspicionem, solenniter suas debeat rationes exponere.* Idem ex variis Canonibus Synodorum patet, quorum nonnullos jam suis locis notavimus, alios pariter suo tempore notaturi sumus: quibus prohibetur Episcopis rerum Ecclesiasticarum alienatio, aut venditio, non tamen utilis commutatio; ipsis verò permittitur ut usumfructum aliquorum prædiorum Clericis suis concedant; vel ad Monasterii dotem conferant aliquid ex Ecclesiæ facultatibus; vel ut terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minùs utiles distrahendi habeant potestatem, sine Comprovincialium Concilio.

Episcopi nihilominus Œconomos instituebant, qui bona Ecclesiæ curarent, & administrarent, rationes suas Episcopis ipsis reddituri. Id constat ex Sancto Gregorio. *lib.* 2. *Epistola* 22. & *lib.* 11. *Epistola* 59. Ex Concilio Hispalensi, *Canone* 9. Ex Concilio Toletano IV. *Canone* 48. & ex *S. Isidoro* Illud ipsum ex variis *Justiniani* Imperatoris Legibus compertum est.

Bonorum Ecclesiæ partitio.

II. Ecclesiæ Bona, quatuor in partes distribuebantur, quarum una Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricæ erat deputata. Id constat ex Epistolis S. Gregorii, præsertim ex 64. *lib.* 1. 5. *lib.* 2. 11. *lib.* 3. 26. *lib.* 4. 8. *lib.* 7. 51. *lib.* 11. Idem colligitur ex Concilio Agathensi, *Canone* 36. & ex Aurelianensi 1. *Canone* 5. 14. & 15. In Hispania verò tres tantùm in partes reditus Ecclesiæ dividebantur. Prima Episcopo, Clericis altera, tertia restaurationi Ecclesiarum deputata erat (Ex Concilio Bracarensi I. *Canone* 21. & ex Concilio Emeritensi, *Canone* 14.) Portio itaque pauperum in Hispaniis, cum Episcopi, & Clericorum portionibus permixta erat, qui pauperum curam singularem gerere debebant. Pars autem Clericorum singulis distribuebatur secundùm uniuscujusque meritum, Officium, vel laborem, ut statuit Sanctus Gregorius, *lib. XI. Epistola* 51. ad Panormitanum Episcopum datâ.

Quæ Bona Episcopi & Clerici ad hæredes transmittere possent.

III. Episcopi bona post consecrationem suam acquisita transmittere non poterant ad hæredes, sed solùm quæ ante Episcopatum possederant, vel quæ ipsis postea ex consanguineorum usque ad quartum gradum obvenerant hæreditate. Id ex Legibus Constantini Imperatoris certum est, Cod. lib. 1. de Episcopis & Clericis Leg. 33. *Licentiam habent Episcopus, quæcumque ante Episcopatum probatus fuerit habuisse, & quæcumque post Episcopatum, jure cognationis usque ad quartum gradum, ad eum pervenerunt, ad quos voluerit, ultimâ voluntate transmittere. Ceteris rebus alio modo acquisitis ab eo, dominio Ecclesiæ reservatis, nisi in utilitatem Ecclesiæ, vel opera pietatis consumpta sint. Eadem distinctione habitâ in administrationibus cujuscumque loci Religiosi. Item si quis Episcopus, aut Minister Ecclesiæ moriatur sine testamento, & successore legitimo, vel legitima, successio competit Ecclesiæ in quâ constituti sunt.* Et L. 47. *Convenit igitur hujusmodi eligi & ordinari Sacerdotes, quibus nec liberi sint, nec nepotes. Etenim fieri vix potest, ut vacantes hujus quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium, omnémque cogitationem circa divinam Liturgiam, & res Ecclesiasticas consumant. Nam cùm quidam summâ in Deum spe, & ut animæ eorum salvæ fiant, ad Sanctissimas accurrant Ecclesias, & eis omnes suas facultates offerant & derelinquant, ut in pauperes & egentes, & alios pios usus consumantur, indecens est Episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in propriam sobolem, & cognatos impendere. Oportet enim Episcopum minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium Fidelium spiritualem esse Patrem. De his vero Episcopis, qui nunc sunt, vel futuri sunt, sancimus, nullo modo habere eos facultatem testandi, vel donandi, vel per aliam quamcunque excogitationem alienandi quid de rebus suis, quas postquam facti fuerint Episcopi, possederint, & acquisierint, vel ex testamentis, vel donationibus, vel ex aliâ quacumque causâ, exceptis duntaxat his quas ante Episcopatum habuerunt, vel quæ post Episcopatum a parentibus & thiois, hoc est, patruis, vel avunculis, & à fratribus, ad ipsos pervenerunt, perventuræque sunt. Quæcumque enim post Ordinationem, ex quacumque causâ, extra prædictas personas, ad ipsos pervenerunt, ea jubemus ad Sanctissimam Ecclesiam, cujus Episcopatum tenuerint, pertinere. Quis enim dubitaverit, eos qui ipsis propriæ res relinquunt, aut reliquerint, non potius ipsum Sacerdotium contemplantes, quàm ejus personam, & cogitantes, quia non solùm ab ipsis relicta piè insument, sed & suas ipsorum res adjicient, id fecisse?* Eamdem Legem ad Xenodochiorum, & Nosocomiorum, aliorumque piorum locorum Curatores & Administratores Justinianus extendit.

Poterant tamen Episcopi & Clerici, bonorum, quæ propriâ comparaverant industriâ, non verò ex oblationibus, aut reditibus Ecclesiasticis congregaverant, quem vellent scribere hæredem, modò filios suos, aut parentes, legitimâ suâ non fraudarent: Sicut milites ex peculio castrensi testari poterant. Id patet ex eodem Justiniano, Cod. lib. 1. de Episcopis & Clericis. Leg. 33. *Presbyteros, & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad dominium eorum venientes, habere in suâ potestate præcipimus, ad similitudinem castrensium peculiorum, & donare cui voluerint, secundùm Leges, & in his testari, licet sub parentum potestate sint: Sic tamen ut horum filii, aut his non extantibus, parentes eorum, legitimam ferant partem.* Et Leg. 39 *Sancimus viris Reverendissimis Episcopis & Presbyteris, & Diaconis, qui tale peculium quasi castrense possident, super his tantummodo rebus, quæ quasi castrensis peculii sunt, non solum ultima condere secundùm Leges elogia licere, sed etiam ultimas eorum voluntates super his tantummodo habitas de inofficioso querela minimè subjacere.*

Secundùm has Leges judicabat Sanctus Gregorius, ut constat ex Epistola ipsius 1. *Lib. V.* ad *Marinianum* Episcopum Ravennatem datâ, in quâ de testamento à Joanne ejus Decessore condito ita scribit: *Ut ea quæ de Ecclesia sua, vel de acquisitis in Episcopatu rebus, contra Legum fieri statuta disposuit,*

Fraternitas vestra nec auctoritatem præbeat, nec aliquâ in hoc ratione consentiat. Si quid autem de propriis rebus, quas ante Episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ suæ non contulit, fieri voluit, vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est.

Et lib. 7. *Epistola* 55. de testamento *Importuni* Atellanæ civitatis Episcopi, ad *Anthemium* Campaniæ Subdiaconum datâ: *Quicquid*, inquit, *Ecclesiæ ipsius esse potuerit, a qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc solum, quod eum ante Episcopatus Ordinem proprium habuisse constiterit. Quicquid verò vel ante Ecclesiæ ipsius esse cognoverit, vel in Episcopatûs Ordine prædictum Episcopum acquisisse, in ejusdem Ecclesiæ conservetur dominio.* Et lib. 9. Epistola 14. *Scholasticum* Defensorem, qui patris sui Episcopi defuncti suppellectilem sibi vendicabat, eam restituere jubet *Calumnioso* ipsius Successori. *Questus nobis est, quòd & Episcopium Ecclesiæ ipsius hactenus detineas, & occasione blandiaris, ut Episcopi patris tui vestes tibi, vel alia quæ in Episcopio inventa sunt, applices. Et ideo, si ita est, & ab Episcopio te præcipimus sine mora recedere, & quicquid prædictus pater tuus, Episcopatûs sui tempore, de proprio Ecclesiæ constiterit conquisisse, ne tollas: Quia & sacris Canonum legibus esse noscitur definitum, ut in his quæ Antistes Episcopatûs tempore acquisiverit, non alius, nisi sola succedat Ecclesia.* Quæ huc spectant ex Conciliis, ootavimus, aut notaturi sumus suo loco.

ARTICULUS VII.

De Clericorum Immunitatibus.

Bonorum Ecclesiasticorum immunitates.

Justinianus *Imperator* Ecclesiæ prædia, vel domos ab ordinariis tributis immunes nequaquam esse voluit. Africanis enim Ecclesiis ablata olim ab Arianis prædia restitui jubens, hanc adjecit conditionem: Ut publicas pro illis pensiones conferrent. (*Novella* 37.) Idem Princeps mille & centum officinarum, quarum reditus, ad gratuitam defunctorum sepulturam, Ecclesiæ Constantinopolitanæ deputati erant, immunitatem confirmavit. Cæteras verò officinas, vel ejusdem, vel aliarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, aut Xenodochiorum proprias, ordinaria præstare vectigalia decrevit. (*Novella* 45.) Idem Imperator Ecclesiarum prædia & latifundia à sordidis functionibus, & extraordinariis oneribus libera fecit, exceptis publicarum viarum, pontium, aliorúmque publicorum operum restaurationibus, aut ædificationibus. (*Novella* 131.) Idem possessiones, quas Curiales Ecclesiis liberaliter contulerant, aut Monasteriis, Nosocomiis, Xenodochiis, aliisve hujusmodi locis piis, *à Lucrativorum inscriptionibus*, sive ab obligatione quartæ partis redituum in Curiam inferendæ, immunes fecit. *Cur enim*, inquit, *non faciamus discrimen inter res divinas & humanas? Et quare non competens prærogativa cælesti favori conservetur?* Sanctus Gregorius æquum existimavit, ut Ecclesiæ possessiones tributa Principi præstarent, ut constat ex Epistola ipsius 66. Lib. VII. ad *Vitalem* Sardiniæ Defensorem. *Rustici*, inquit, *possessionis Calaritanæ Ecclesiæ, rura propria deserentes, in privatorum possessionibus culturam laboris exhibent. Ex qua re agitur, ut possessiones Ecclesiæ, proprio in aliis occupato cultore, depereant, atque ad tributa sua persolvenda idonea non existant.* Difficultatem facessunt hæc verba ex *Epistola* 115. *Lib. VII.* ad *Theodoricum* & *Theodebertum* Reges Francorum datâ: *Audivimus autem, quia Ecclesiarum prædia, tributa nunc præbeant, & magnâ super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.* Sed non mirabatur Sanctus Gregorius Ecclesiarum prædia tributis esse obnoxia, quasi id per se & absolutè iniquum esset, verùm privilegiorum Gallicanis Ecclesiis à Christianissimis Regibus concessorum nullam haberi rationem, prudentissimus Pontifex mirabatur. Clodoveus namque Clericis, & agris Ecclesiæ immunitatem concesserat, ut ex Concilio Aurelianensi I. *Canone* 5. compertum est. Hanc Clotarius anno 563. confirmaverat, vel etiam ampliaverat, ut constat ex ipsius Constitutione, quæ refertur Tomo I. Conciliorum Galliæ. *Agraria*, inquit, *pascuaria, vel Decimas porcorum, Ecclesiæ, pro fidei devotione, concedimus. Ita ut Actor aut Decimator in rebus Ecclesiæ nullus accedat, Ecclesiæ, vel Clericis, nullam requirant Agentes publici functionem, qui avi, aut genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt.* Childebertus omne tributum Ecclesiis, & Monasteriis, apud Arvernos, remisit, teste Gregorio Turonensi, lib. 10. Historiæ Francorum cap. 7. Dagobertus II. rogante Sancto Rigoberto Remensium Archiepiscopo, immunitatem *ab omni functionum publicarum jugo*, Ecclesiæ Remensi concessit, *ad Prædecessorum formam Regum*, ut *Flodoardus lib. 2. Historiæ Remensis, cap. 1.* refert. In Hispaniis, Concilium Toletanum IV. Canone 47. *Præcipiente Sisenando Rege, constituit, ut omnes ingenui Clerici, pro officio Religionis, ab omni publicâ indictione atque labore haberentur immunes, ut liberi Deo servirent, nullâque præpediti necessitate, ab Ecclesiasticis Officiis retraherentur.*

Clericorum immunitas à fori sæcularis judicio.

Episcopos, pro qualibet causâ pecuniaria, vel criminali, ad Judicem civilem, vel militarem invitos produci, absque Imperatoris mandato, prohibuit Justinianus, *Novella* 86. *cap.* 8. & 10. Omnes causas Episcoporum, Clericorum, Monachorum à Metropolitanis, in Synodis Provincialibus, quotannis celebrandis, judicari sanxit, (*Ibidem.*) Legatur *Novella centesima vicesima tertia.* Non solùm autem in anniversariis Synodis, sed etiam quoties quidam Sacerdotum, vel Clericorum, vel Abbatum, vel Monachorum, accusabuntur, vel de fide, vel turpi vita, aut ob aliud crimen contra sacros Canones admissum. (*Novella* 137 *cap.* 4. & 5.) Gregorius Antiochenus Patriarcha incestûs propriâ cum sorore admissi per calumniam accusatus, vocatúsque ad tribunal Asterii Præfecti Prætorio Orientis, ad Imperatorem & Synodum appellavit. Ac cùm Patriarchæ omnes partim per se, partim per Vicarios, quæstioni de *Gregorio* habitæ interessent, & causa esset coram sacro Senatu, & multis Metropolitis cognita, post multas & graves contentiones, secundùm ipsum Sententia prononciata est. (*Ex Evagrio. lib* 6. *cap.* 7.)

Immunitatem Clericorum strenuè tuitus est Sanctus Gregorius Magnus, Januarium Calaritanum Episcopum monens, ne Sacerdotes à laïcis Judicibus in Sardinia opprimi pateretur. (*Lib.* 3. *Epistola* 14.) Clericos & Monachos Diœceseos Neapolitanæ ad aliud quàm Episcopi tribunal conveniri prohibuit. Permisit tamen ut, si aliqua ipsis orta esset de Antistite suspicio, & arbitrorum judicium mallent, eos coram ipso eligerent, ut hoc modo nec Episcopus amisisse jurisdictionem, nec Actor apud suspectum litigando, præjudicium sustinere videretur. (*Lib* 5. *Epistola* 11.) Præcipit ut *Si quis contra quemlibet Clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo Judices deputentur; aut si fortè ad arbitros eundum est, partes ad eligendum Judicem compellat.* (*Lib.* 9. *Epistola* 32.) Si quis verò Clericus, vel Laïcus, contra Episcopum causam habuerit, Apocrisiarium suum causæ cognitionem suscipere jubet, aut partes compellere ut Judices eligant. *Nam si sua unicuique Episcopo Jurisdictio non servetur*, inquit, *quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?*

Concilia Gallicana eandem immunitatem propugnarunt, prohibentia ne Clerici quemquam apud

sæculares

sæculares Judices, Episcopo non permittente pulsarent; & ne laïci, inconsultò Episcopò Clericum ad sæculare tribunal vocarent. Ita Concilium Agathense, *Canone* 32. Epaonense *Canone* 2. Parisiense V. *Canone* 4. Aurelianense IV. statuit ut quoties lis inter Clericum & Laïcum verteretur, absque Presbytero, vel Archidiacono, vel alio Ecclesiæ Præposito, Judex publicus audire negotium non præsumeret. (*Canone* 20.) Synodus Autissiodorensis ferijt anathemate Judicem, qui Presbyterum, Diaconum, aut quemvis Clericum, absque voluntate Episcopi, aut Archidiaconi, aut Archipresbyteri, ad suum tribunal adesse cogeret, ac ipsis vim inferret. (*Canone* 43.) Propter capitalia tamen crimina Clerici quodammodo ab immunitatis privilegio excidebant, & à Judicibus sæcularibus poterant in carcerem detrudi. Hanc exceptionem habemus ex Concilio Matisconensi I. Canone 7. *Ut nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui, à sæculari judicio injuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quod si quicumque Judex cujuscumque Clericum absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* Si tamen criminalium hujusmodi causarum cognitio ab Episcopo fuisset occupata, Judex sæcularis Clericos ab Ecclesiæ carceribus & Jurisdictione per vim abstrahere non poterat. Ex Concilio Matisconensi II. Canones 9. & 10. & ex Constitutione Clotarii Secundi Regis Christianissimi post Concilium Parisiense V. edita) Episcopum tamen judicio Clericorum qui criminis capitalis convicti fuerint, adesse jubet, nec aliam ipsis pœnam irrogari, quàm canonicam. *Qui verò convicti fuerint de crimine capitali*, inquit Clotarius, *juxta Canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur. Quòd si causa inter personam publicam & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte Præpositi Ecclesiarum, & Judex publicus, in audientiâ publicâ positi, eam debeant judicare*, Concilium Matisconense II. immunitatem Clericorum & jurisdictionem Episcoporum in causis civilibus atque criminalibus, ex antiquis Canonibus & Legibus Principum pene ab ipso Christiani nominis exordio derivatas asserit. *Licet reverendissimi Canones, atque sacratissimæ Leges de Episcopali audientia in ipso pene Christianitatis principio sententiam protulerint.*

Concilia quoque Hispaniensia Clericorum immunitatem & forum externum Episcoporum confirmant. Omnium instar sit Canon decimus-tertius Synodi III. Toletanæ: *Ut Clerici Conclericos, suo neglecto Pontifice, ad Judicia publica pertrahant, omnimodè de cætero non præsumi: Sed & si quis hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & à Communione efficiatur extraneus.*

Sub Gothis Italiæ Regibus immunitate fruebantur Clerici in causis personalibus, non in realibus.

Theodoricus Rex Italiæ, Arianus licet, Clericos criminis capitalis convictos ad Episcoporum judicium remisit. Id constat ex ipsius Epistola ad *Eustorgium* Mediolanensem Episcopum, apud Cassiodorum lib. 1. Variarum 9. *Quod Beatitudini vestræ gratissimum esse confidimus, præsenti tenore declaramus, Augustanæ civitatis Episcopum, proditionis patriæ falsis criminibus accusatum, qui à nobis honori pristino restitutus, jus habeat Episcopatus omne quod habuit. Nihil enim in tali honore temeraria cogitatione præsumendum est.... Manifesta crimina in talibus vix capiunt fidem. Quicquid autem ex invidia dicitur, veritas non putatur. Volumus enim impugnatores ejus legitimâ pœna percellere. Sed quoniam & ipsi Clericatus nomine fungebantur, ad Sanctitatis vestræ judicium cuncta transmisimus ordinanda, cujus est æquitatem moribus talibus imponere, quam novimus Traditionem Ecclesiasticam custodire.*

Idem constat ex Epistola 18. libri quarti, ad *Annam* Comitem datâ: quâ ipsi dat in mandatis, ut quæstionem habeat de *Laurentio* Presbytero, qui sepulchrum effoderat scrutandi thesauri causâ. Ab ipso aurum inventum auferri jubet, sed criminis vindictam Deo & Ecclesiæ relinquit. *Scelus enim*, inquit, *quod nos pro Sacerdotali honore relinquimus impunitum, majori pondere credimus vindicandum.* Et ex Epistola vicesima-quarta lib. quarti. *Considerantes Apostolicæ Sedis honorem, & consulentes desideriis supplicantium, præsenti auctoritate, moderato ordine definimus, ut si quispiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad Beatissimi Papæ judicium prius conveniat audiendus; ut aut ipse utrosque more suæ Sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam. Et si forte, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad sæcularia fora jurgaturus occurrat, quando suas petitiones probaverit à supra dictæ Sedis Præsule fuisse contemptas. Quod si quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit judicio sacrilegâ mente damnatus, qui reverentiam tantæ Sedi exhibere contemnat, & aliquid de nostris effatibus crediderit promerendum: ante alicujus conventionis effectum, decem librarum auri dispendio feriatur, quæ à Palatinis Sacrarum Largitionum protinus exacta, per manus sæpe memorati Antistitis pauperibus erogentur, carensque impetratis, negotii quoque sui amissione mulctetur.*

Theodorici Regis erga Romanum Pontificem reverentia.

Quamquam verò Clerici, sub Regibus Gothorum, in causis personalibus, plenissimâ immunitate, in Italia, fruerentur; non tamen in causis realibus. Illæ enim ad Curiam Principis deferebantur. Optabat nihilominus Rex *Theodoricus*, ut Episcopi jus sibi ipsi dicerent, nec dubias lites tuerentur, ne causa caderent cum Ordinis sui dedecore. Id constat ex Epistola Theodorici ad *Gauditam* Episcopum, apud Cassiodorum lib. 2. Variarum 18. *Prudentia vestra*, inquit, *pro integritatis suæ proposito, examinatâ veritate discutiat quæ veniunt in querelam: & si desideria petitorum veritate subsistunt, pro implendis muniis eos ad Curiam suam remeare permittat. Si verò Clero vestro creditis in eis aliquid rationabiliter suffragari, ad nostrum Comitatum instructam personam modis omnibus destinate, quæ adversariorum debeat intentionibus obviare. Quòd si de negotii qualitate dubitatis, convenit Sacerdotalibus Institutis, ut ante controversiam, justitiam magis ipse cognoscas, quàm de Judicio victus abscedas. Talem siquidem non oportet publicè superari, quem amatorem æquitatis convenit inveniri.* Et Epistola ad *Petrum* Episcopum, apud Cassiodorum lib. 3. Variarum 37. *Si in alienis causis Beatitudinem vestram convenit adhiberi, ut per vos jurgantium strepitus conquiescat; quantò magis ad vos remitti debet, quod vos spectat actores? &c. Quoniam causarum vestrarum qualitas vobis debet Judicibus terminari, à quo est expectanda magis quàm imponenda justitia. Quòd si hanc causam sub æquitate vestrum minimè definit arbitrium, noveritis supplicis querelam ad nostram audientiam perducendam. Vos enim decetis voces pauperum non debere negligi, quas potest Justitia comitari.* Denique in Epistola ad *Antonium* Polensem Episcopum, apud Cassiodorum lib. 4. Variarum 44. *Decet rerum à vobis corrigi, quod à vestris familiaribus non debuisses admitti. Verumtamen si partibus vestris in causa possessionis momentanea vel principali justitiam adesse cognoscitis, tractatò prius diligenter inspectoque negotio, (quia Sacerdotem non decet protendere improbam litem) instructam legibus ad Comitatum nostrum destinate personam; ubi qualitas negotii agnosci debeat, & finiri.*

Improbas aut dubias lites defendere, indignum est Episcopo.

CAPUT.

CAPUT VII.

De Rebus Imperii.

ARTICULUS I.

De Justino Seniore.

CUM *Anastasius* Imperator Catholicæ Fidei & Concilii Chalcedonensis hostis, Imperium ad annum usque sæculi VI. decimum-octavum administrasset, ipsi demortuo *Justinus* Illyricus genere, Comes Excubitorum, Militum quibus præerat suffragiis Imperator creatus annos 8. successit, præter omnium expectationem cùm multi essent ex Anastasii propinquis Viri nobiles, quibus Imperium deberi jure potiori videretur. *Amantius* Eunuchus, sacri Præpositus Cubiculi, *Theocritum* sibi amicissimum ad supremi fastigium Principatus promovere meditabatur: *Justino* eam ob rem maximam pecuniæ vim tradiderat, ejus ut consilia juvaret: sed hanc ille in proprium commodum insumpsit, eáque redemit Excubitorum benevolentiam ac populi suffragia, à quibus Imperator renontiatos est. Quam sibi dignitatem *Theocrito* & *Amantio* è medio sublatis firmavit. (*Ex Evagrio lib. 4. cap. 1. & 2.*) Sub Catholico Imperatore Ecclesia respirare cœpit, fides triumphare, Concilii Chalcedonensis approbatio, & damnatio *Severi* conclamata est, revocati Episcopi quos in exilium deportari jusserat Anastasius, redintegrata Orientalis Ecclesiæ cum Romana communio, quæ propter Acacii damnationem tam diu fuerat suspensa: exagitati, compressique sacris Edictis Manichæi, Ariani, Nestoriani, omnésque Hæretici. Summa fuit *Justini* erga Sedem Apostolicam observantia quam ejus ad *Hormisdam* Epistolæ & Legationes testantur, necnon ad *Joannem* ejus Successorem, quem etiam Constantinopolim missum à *Theodorico*, perhonorificè suscepit, ab eoque Imperatorum primus Imperii accepit insignia. *Tzathum* Lazorum Regem, qui Persicæ dominationis jugum excusserat, Constantinopolim profectum, & Christianam Religionem amplecti cupientem, è sacro fonte suscepit, eique adversus Persas auxilio fuit. (*ex Cedreno.*) Iberos adversùs Persas, qui ipsos vexabant & ad Fidem Christianam deserendam compellebant, immisso Hunnorum exercitu contra *Cabadem* Regem Persarum, defendit. (*Ex Procopio lib. 1. de Bello Persico, cap 12.*) Tristia fuere ob publicas calamitates *Justini* tempora. Incendiis & terræ motibus succussa & pene absumpta est Antiochia, multa hominum millia periere. *Euphrasius* Episcopus eadem ruinâ oppressus interiit. Urbs quoque *Dyrrachium*, *Corinthus* Achaiæ civitas, & *Anazarbus* secundæ Ciliciæ Metropolia terræ motibus eversæ: *Edessa* inundatione *Scirti* torrentis submersa, quas Urbes Imperator magnis sumptibus instauravit; Edessamque & Anazarbum, mutatis nominibus, *Justinopolim* jussit appellari. (*Ex Evagrio, lib. 4. cap. 5. & 8.*) Florebant iis temporibus *Zosimas*, & *Joannes Chuzibita*, Monachi sanctissimi, & miraculis clari, de quibus idem Historicus, *cap. 7.* Eximiæ fuit munificentiæ *Justinus*: quem cùm *Eulalius* quidam ex divite pauper factus, hæredem testamentô nominasset; jussissetque ut tribus parvulis filiabus suis educationem ac dotem præberet, suáque omnia debita creditoribus persolveret, hæc *Justinus* Regiâ munificentiâ perfecit. (*Ex Cedreno.*) Vitalianum, cujus reformidabat potentiam, & adipiscendi Imperii cupiditatem, specie honoris ex Thracia Constantinopolim evocavit, Magistrum unius ex exercitibus præsentis militiæ, & Consulem postmodum creavit: Sicque deceptum, fraudulenter cædi jussit ad interiorem quamdam Palatii januam (*Ex Evagrio lib. 4. cap. 3.*) Justiniano agente, qui metuebat, ne sibi ad capessendum post *Justini* mortem Imperium impedimento foret *Vitalianus*, hæc patrata cædes. Ipsi fidem, fraternitatemque juraverat *Justinianus*, hausto ad sacram Mensam, unà cum ipso, Christi Domini Sanguine. Sed Imperii cupiditas ipsum ad violandam fidem tam formidandam impulit. (*Ex Procopio, in Arcana Historia.*) Id contigit anno 579. Bis nupsit *Justinus*: *Lupicinæ* primùm, quam coronatam, *Euphemiam* appellari voluit: post ejus verò mortem *Theodoræ*. Anno Christi 517. morbo & senio gravatus, *Justinianum* sororis suæ filium, Augustum nuncupavit. Quôcum menses quatuor, in universum verò tam solus, quàm cùm Collega, per annos novem ac dies tres imperavit. (*Ex Evagrio cap. 9. libri IV.*)

Tum in Italia regnabat *Athalaricus* adhuc puer, *Amalasuntha* ejus matre, ingentis animi fœmina, Regnum administrante. De illius educatione lege *Procopium lib. 1. de Bello Gothico cap. 2* Gothos contra *Amalasuntham* tumultuatos refert, ipsamque coëgisse, ut Pædagogos, qui Regem instituebant, dimitteret. Falsò quippe persuasum habebant, studio literarum effeminari Principem, illudque *Theodorici* effatum allegabant: *Gothorum liberos nunquam hastam aut gladium à specturos mente intrepidâ, si ferulam timuissent.* Amotis à suo latere sapientissimis Præceptoribus, Juvenis Princeps, in temulentiam & fœminarum concubitus præceps ruit, evasitque insigniter nequam, & in matrem contumax. In *Amalasuntham* Gothi conspirarunt. Illa conspirationem incredibili prudentiâ difflavit. De qua *Procopius* loco citato. In Romani Clerici gratiam Lege latâ sanxit *Athalaricus*, ne Clerici ad sæcularia tribunalia sisterentur (*Apud Cassiodorum lib. VIII. Variarum Epistola XXIV.*)

ARTICULUS II.

De Justiniano.

Justiniani Bella. Persicum.

MULTA magnáque, Imperante *Justiniano*, gesta sunt bella. Imprimis Persicum, quod per *Belisarium* Magistrum Militum in Oriente, tam fortiter quàm feliciter confectum est, necnon per *Sittam* Magistrum Militum in Armenia, qui *Gabadis* Regis Persarum exercitum illam in regionem immissum profligavit. *Narses* Dux Persicarum copiarum, cum fratribus ad Romanos deficiens, benignè à *Justiniano* exceptus est, & Quæstoris dignitate auctus. Persia cum auxiliaribus *Alamundari* Saracenorum Regis copiis in Euphratesiam irruentibus, nonnihil detrimenti passæ sunt res Romanorum, cùm exercitus contumax, invito *Belisario* Duce, pugnam inire cum hostibus Sacro Paschatis die voluisset. Æthiopes & Homeritas, legatione missâ, in Belli Persici societatem, *Justinianus* adduxit. Revocato interim ex Oriente ad expeditionem Vvandalicam *Belisario*, *Sittas* successit. Persæ Martyropolim obsederunt. Romani pacem cum *Cosrhoe* Rege Persarum inire sunt coacti. Rebus cum Persis Compositis, Constantinopoli civilis tranquillitas populari seditione turbata est anno 531. *Hypatius Anastasii* Augusti ex sorore nepos, per vim Imperator à seditiosis factus est, & in Circum ductus, collocatusque in solio. De fuga cogitabat Justinianus ut sibi Imperioque consuleret. Hunc *Theodora* Augusta, scissô in partes consiliô, generosâ oratione dissuasit, quam his conclusit verbis: *Mihi vetus illud verbum placet, quô fertur, Præclarum esse linteum sepulchrale Regnum.* Belisarius & Mundus, in quibus tota Justiniani spes erat reposita, in Circum factâ irruptione cæsisque è populo XXXM. & ampliùs, *Hypatium* solio deturbatum ad *Justinianum* adduxerunt.

runt. Cujus jussu cum *Pompeio* fratre postridie confossus est à militibus.

Annum Imperii 13. agebat *Justinianus*, cùm Persæ, violatô fœdere, in Romanorum fines insiluerunt. *Cosrhoës* Bœrœam, & Antiochiam obsedit, occupavit. Quô tempore Antiochenæ duæ mulieres nobilissimæ vim pudicitiæ suæ metuentes ab hostibus inferendam, ad fluvium *Orontem* feruntur cucurrisse, vultus obnupsisse flammeolis, & in profluentem præcipites periisse. Pax iterum cum Persis composita, indecoris Romano Imperio conditionibus. *Apameam* nihilominus cum omnibus copiis se contulit *Cosrhoës*, Urbémque diripuit. Singulare narrat *Procopius* per segmentum Dominicæ Crucis, quod Apameæ servabatur, patratum miraculum, cùm illud exhiberi sibi ab Episcopo rogassent Apameenses, quô ultimùm adoratô, æquiori animô morerentur. Arma deponere noluit *Cosrhoës*, Daram oppugnavit, quapropter pacta conventa rata noluit habere *Justinianus*. *Belisarium* ex Italia revocatum iterum Bello Persico præfecit. Ancipiti marte in hac secundâ expeditione gesta res est. Revocato Byzantium *Belisario*, *Martinus* per Orientem Militum Magister, tertiam adversùs Persas expeditionem suscepit, infelici exitu. Felicior fuit in iis repellendis ab Edessena civitate, quam non multò post oppugnavit *Cosrhoës*, haud absque dispendio. Unde obsidionem solvere, & cum Romanis pacisci compulsus est. Hæc ex *Procopio* discimus in libris duobus *de Bello Persico*.

Bellum Vvandalicum. Vvandalicum Bellum anno 533. inchoavit in Africa *Justinianus Belisario* Duce, ut illatam *Hilderico* injuriam ulcisceretur, quem *Gelimer* è solio deturbaverat, eôque cum ejus fratre *Hoamere* in carcerem conjectô, regnum invaserat, quod sibi postmodum cæde *Hilderici* confirmare tentavit. *Belisarius* cum instructissima classe Carthaginem appulit, Regni tunc Vvandalici caput, eámque expugnavit, Deo exercituum favente. Anno sequenti, Sardiniam, Corsicam, Cæsaream Mauritaniæ, Septum, Ebusam, Majoricam & Minoricam recepit, & *Gelimerem* in potestatem acceptum, captivum adduxit Constantinopolim ad Justinianum. Quô factô sparsam à se affectatæ tyrannidis calumniam abstersit. Triumphum egit Constantinopoli, cujus gloriam omnem ad Imperatorem retulit, pedes ambulans, captivis ante se præmissis, & *Gelimere* ipsô, qui sedentem in circo *Justinianum*, exutâ purpurâ, adorare coactus est, illud identidem repetens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Fundis non contemnendis in Galatia donatus est *Gelimer* à Justiniano, ubi cum suis habitaret: Sed quod Arianam ejurare noller hæresim, Patritiorum ordini non fuit adscriptus. Hæc ex *Procopio* libris duobus *de Bello Vvandalico*, cui ipse cum *Belisario* adfuit, ipsius fortitudinis, & moderationis eximiæ, necnon vigilantiæ circa militarem disciplinam, testis oculatus.

Bellum Gotthicum. Gotthicum bellum nono Justiniani anno cœptum est, quod ad ulciscendam *Amalasuinthæ* Reginæ imperatam à *Theodato* necem, suscepit. Summum belli Imperium delatum est *Belisario* Duci: Qui annô ipsô 535. Siciliam integram Romano recuperavit Imperio. *Theodatus* Gotthorum in Italia Rex *Belisarii* victoriis, & imminente exercitu territos, *Petro* Justiniani Imperatoris Legato, viro facundo & strenuo, ipsi bellum dissuadenti, quòd Philosophum, præsertim Platonicum, qualis erat *Theodatus*, puram ab omni cæde vitam agere deceret: Nihil verò vetare *Justinianum* sibi armis vendicare Provincias jure veteri ad ipsius Imperium pertinentes, Pacis conditiones obtulit, quæ licet honorificentissimæ, & utilissimæ essent Imperio ne tamen gratæ *Justiniano* non essent, ignavus Princeps metuebat. *Agapetum* Pontificem Legationem hac de causâ Constantinopolim obire

A etiam coëgit (ut diximus.) Adeò ipsum terrebat vel solum belli nomen, ut Gotthorum & Italorum Imperium cessurum se *Justiniano* spoponderit, potiùs quam belli discrimen subiturum. Promisit id arcanis literis, quas Legato credidit, tum demum Imperatori reddendas, si pacis conditiones respueret. Anno sequenti, *Belisarius* Neapolim recepit, post difficillimam obsidionem. Quô acceptô nuntiô, Gotthi à *Theodato* defecerunt, Regemque sibi crearunt *Vitigin*, qui occisò *Theodato*, Romanis fortiter restitit. *Vitiges* cum Francorum Regibus *Childeberto*, *Theodeberto*, & *Clotario* pepigit societatem, qui au-

B xiliares copias clàm se missuros promiserunt. Palam enim societatem inire cum Gotthis non poterant, Imperatori in hoc bello opem paulò ante polliciti. Romam interea petiit cum exercitu *Belisarius*. Cui se Romani, suadente *Sylverio* Pontifice Maximo dediderunt, calamitatem Neapolitanæ similem veriti. Samnii & Tusciæ partem maximam exinde recepit *Belisarius*: Cui jam ante se sponte dediderant Calabri, Apulique. Non desperans propterea *Vitiges*, Romam diuturnâ obsidione fatigavit. Quam unum annum & dies novem à Gotthico exercitu

C oppugnatam, liberavit *Belisarius* anno 538. Non ita prosperæ fuerunt in Liguria res Imperii. Gotthi enim captô Mediolano, magnâque ibi editâ strage, trecentis scilicet millibus hominum mactatis, solísque servatis fœminis, quas Burgundionibus donarunt, universam subegere Provinciam. Ex dissidio Ducum, *Narsetis* scilicet Comitis, quem cum novis copiis Imperator miserat, & *Belisarii*, hæc Romanæ rei orta dispendia. Quamobrem *Justinianus Narsetem* ex Italia revocavit, supremum belli Imperium uni deferens *Belisario*. Hic Fæsulis, & Auximo Piceni Metropoli expugnatis, pacis conditionibus, quas Gotthis per Le-

D gatos offerebat Imperator, subscribere renuit. Gotthi fame pressi, fracti ærumnis, ac dominationis *Vitigis* pertæsi, Regnum Belisario detulerant: Quos ille simulata fallens ambitione, Ravennam cum copiis ingressus, detentóque in liberali custodia *Vitige*, Regiam dignitatem repudiavit. Tum à Justiniano revocatus ad bellum Persicum, *Vitigem*. Gotthorum Proceres, Regiásque opes omnes Byzantium deportavit, obtulitque Justiniano. Gotthi *Ildibaldum*, & post eum *Erarieum*, Regem crearunt. Quô demum perempto, *Totilam* Regem salutarunt. Hic collapsam in Italia

E rem Gotthicam non minùs æquitate ac moderatione, quam bellicâ fortitudine restituit, fusis sæpius Romanis, Veronam, & Romam ipsam recepit, diripuit, civibus vacuavit. Quam paulò post occupatam munivit *Belisarius*, *Totilam* cum copiis omnibus irruentem repulit, magnâ Gotthorum editâ strage. Cùm verò Byzantium *Belisarius* redisset, precibus conjugis ab Imperatore revocatus, *Totilas* Romam iterum occupavit, anno Christi 550. belli Gotthici 15. Post duos annos, *Narses* Dux egregius à *Justiniano* missus in Italiam cum exercitu, Gotthorum copias ad Appenninum profligavit. Ex acie fugiens *Totilas* cæsus est, anno Re-

F gni sui XI. Tum *Narses* Narniam, Spoletum, Perusiam munitissimas civitates, Romámque ipsam facilè recepit. Gotthi *Tejam* Regem crearunt, quô in acie cæsô, pacem à *Narsete* postularunt, impetrarúntque, eâ conditione, ut omni Italia cum rebus suis confestim excederent. Sic finis impositus est bello Gotthico, anno Christi 553. cùm annis octodecim exarsisset. *Narsetis* victorias non minùs ejus in Virginem Deiparam pietati, quam bellicæ fortitudini tribuit *Evagrius*, *lib.* 4. *cap.* 23. Illi scilicet B. Virgo tempus opportunum indicabat, quô pugna committenda esset, nec priùs unquam prælium inibat, quàm ab illâ signum accepisset. Le- Narsetis Comitis pietas in Virginem Deiparam [illegible]

gendus *Procopius* in libris 4. *de Bello Gothico*, ex quibus pauca hæc excerpsimus. In iis libris *Belisarium* passim commendat, maximum reverâ Ducem; cujus tamen par virtuti fortuna non fuit, si nonnullos Auctores audiamus. Hunc nempe in suspicionem conjurationis contra *Justinianum* factæ adductum, ab eo redactum in ordinem scribunt, excæcatum, & stipem mendicare coactum. Sed hæc eloquens *Procopii* silentium refellit, qui cùm omnia *Belisarii* & Justiniani gesta, vitia, infortunia, libertate incredibili narret in *Arcana Historia*, postremæ illius exauctorationis & calamitatis non meminit: Sed illius tantùm, quam *Theodora* Augusta obtinuit ab Imperatore, ut *Antonina Belisarii* uxori gratificaretur. Post quam ejusdem Imperatricis precibus in gratiam restitutus est eâ conditione ut *Antonina* salutem se debere suam intelligeret. Quod ante secundam *Belisarii* in Italiam expeditionem contigit. Quod mirum non est observatum non fuisse à Cardinali *Baronio*, * qui Arcanam Procopii Historiam non legerat. Legatur *Procopius cap.* 4. *Arcana Historia*. Virtutum suarum decus obscuravit *Belisarius* insanô in uxorem amore, strenuam quidem, sed moribus perditissimis fœminam, cui tamen instar mancipii serviebat.

Fabula de Belisario cæcato refellitur.

* Baronius ad an. 531.

Extremis *Justiniani* temporibus fœda fuit Imperii etiam Orientalis facies Hunnis frequenter incursantibus, contra quos *Belisarius*, fractâ licet senectute, missus, illos profligavit, & pacem precari compulit, *Agathia* teste, in libris *De Rebus Justiniani*.

Nimium Justiniani studium circa dogmata.

Nimium *Justiniani* studium circa dogmata & quæstiones Ecclesiasticas, penè neglectis Imperii rebus meritò Procopius reprehendit, *lib.* 3. *de bello Gothico*. Quintam Synodum ob trium Capitulorum damnationem convocavit, ut diximus. Eo imperante, Eruli, Abasgi, & incolæ Tanais, Christianam fidem amplexi sunt. (Ex *Evagrio, lib.* 4. *capp.* 20. 22. & 23.) Concilium Chalcedonense sanctissimè coluit, & ejus hostes Acephalos insectatus est, cùm *Theodora* conjux ipsis impensè faveret. (*Ex Evagrio, lib.* 4. *cap.* x.) Collationem Imperavit Catholicorum Episcoporum cum *Severianis*, anno 532. Constantinopoli habitam. *Acemetas* Monachos coercuit, Nestorianam hæresim propugnantes: Contra quos Edictum de Fide Catholica promulgavit, ex consiliô Episcoporum. Sub finem vitæ à Catholicâ fide defecit infelix Princeps, in hæresim *Aphthartodocetarum* lapsus, qui Corpus Christi ante Resurrectionem incorruptibile asserebant: & in Sanctos Patriarchas *Eutychium* Constantinopolitanum, & *Anastasium* Antiochenum, ejus repugnantes impietati, persecutionem movit: (*Ex Eustathio in Vita Eutychii*, * & *ex Evagrio lib.* 4. *cap.* 40.) qui & in hæresi illum obiisse testatur. Unius *Richardus Crakanthorpius* ex Protestantium grege, in suo *Vigilio dormitante*, *cap.* 20. fictitium esse censet Justiniani lapsum in hæresim *Aphthartodocetarum*.

Justinianus in hæresim lapsus.

* Apud Surium & Bollandum, ad annum Aprl.

Restaurando Jure, & meliorem in ordinem redigendo, viros peritissimos & consultissimos præfecit *Justinianus*, quibus hoc in opere *Tribonianus* præerat. Horum curis Jus Civile Romanorum in unum Corpus collectum est: quod libris Isagogicis, Principalibus, & Accessoriis constat. Isagogici sunt quatuor libri *Institutionum*, qui ad primam studentum informationem pertinent. Principales, sunt libri *Pandectarum*, seu *Digestorum*, & *Codicis*, quibus tota ars boni & æqui ex veterum Jurisconsultorum monumentis, & Constitutionibus Principum, plenè perfectèque describitur. Libri accessorii sunt, in quibus vetera Jura emendantur, explanantur, supplentur: Suntque, *Authentica*, seu *Novellæ Constitutiones Justiniani*, & ejusdem Edicta. *Institutiones* agunt de Justitia & Jure, de divisione juris, & de subjectis juris, scilicet de personis, rebus, & actionibus, quæ inter personas de rebus exercentur. *Digesta* dividuntur in tres partes, scilicet *Digestum Vetus*, *Infortiatum*, & *Novum*. Prima pars continet libros XXIV. Altera XIV. Tertia XII. Summa eorum divisio est in τὰ πρῶτα sive priora Juris & Judiciorum; in Jura ipsa & Judicia, & in posteriora Juris & Judiciorum. τὰ πρῶτα Juris & Judiciorum, sunt principia Juris, subjectorum Juris, quæ scilicet personas & res spectant; & principia Judiciorum, quæ sunt tum in Judicibus, tum in Jurisdictione, tum in vocatione in jus & in editione; tum denique in iis quæ pendente lite, intervenire solent, ut sunt conventiones, postulationes, in integrum restitutiones, & arbitria. Judicia vel civilia sunt, vel Prætoria, vel criminalia. Judicia civilia complectuntur actiones civiles, quarum capita summa sunt quatuor. I. Vendicationes, id est, dominia rerum, sive actiones in rem. II. Actiones, seu Judicia in personam, sive commercia, è quibus sunt contractus. III. Conjugum Societas, liberorumque procreatio, & educatio. IV. Successio post mortem. Judicia Prætoria cernuntur in Bonorum possessionibus, sartis tectis & Donationibus, Manumissionibus, possessione, Re judicata, interdictis, Exceptionibus, Stipulationibus. Judicia criminalia versantur circa delicta privata, & extraordinaria, itemque publica. Agunt denique Digesta de posterioribus tum Judiciorum & rerum Juri subjectarum; tum Juris; quæ sunt verborum significatio, & Juris Regulæ.

Jus Romanorum à Justiniano meliorem in formam redactum.

Juris Civilis divisio.

* Institutiones.

Digesta.

Codex Justinianeus duodecim libros complectitur, in quibus eadem penè methodo, quæ in Digestis observatur, Constitutiones Principum spectantes priora Juris & Judiciorum, ipsa Judicia & Jura, & posteriora Juris, describuntur & ordinantur. Priora Juris & Judiciorum sunt partim in iis qui Juri ac Judiciis præsunt: hi sunt Episcopi & Clerici, vel sæculares, de quibus *lib.* 1. partim in iis quæ in principio & serie Judiciorum interveniunt: quæ sunt, in jus vocatio, editio, conventio, postulatio, in integrum restitutio, arbitrium, satisdatio, formula, & jusjurandum, de quibus *lib.* 2. Judicia spectantur in genere, & in specie. In genere *lib.* 3. à Tit. 1. ad 27. In specie, sunt Judicia civilia, Prætoria, criminalia. Judicia civilia pertinent ad res vindicandas, de quibus *lib.* 3. à Tit. 28. ad finem: Ad condictiones & contractus, de quibus *lib.* 4. Ad societatem conjugalem, educationem liberorum, & tutelam, de quibus *lib.* 5. Ad successionem post mortem, de quâ *lib.* 6. Judicia Prætoria decem capita spectant, è quibus manumissio, usucapio, longi temporis præscriptio, & res judicatæ, *lib.* 7. expenduntur: Interdicta, sarta tecta, pignora, exceptiones, stipulationes & donationes, *lib.* 8. De Judiciis criminalibus agitur *lib.* 9. Posteriora Juris & Judiciorum sunt res fiscales, patrimoniales, Palatinæ. Ad res fiscales pertinent bona quæ fisco obveniunt, de quibus *lib.* 10. Tit. 1. ad 31. Personæ, eæque vel municipales, quæ rei fiscali sunt obnoxiæ, de quibus agitur à Tit. 31. ad 69. vel ministeriales, quæ rei fiscali serviunt, de quibus à Tit 69. ad finem libri. Res patrimoniales, vel in personis vel in bonis patrimonialibus spectantur. Personæ sunt, aulicæ, urbicæ, vel rusticæ: Bona, sunt agri, domus, greges. De personis agitur *lib.* 11. à Tit. 1. ad 38. de bonis deinceps ad finem usque libri. Res Palatinæ pertinent vel ad Dignitates Palatinas, vel ad Officia. Scholas, & scrinia Palatina, vel ad Militiam Palatinam, vel ad varios Ministros Palatinos, de quibus *liber duodecimus*.

Codex Justinianeus.

Novellæ Justiniani Constitutiones CLXVII. numerantur, in quibus nonnullæ sunt de personis & rebus Ecclesiasticis. *Novella V.* spectat Monachos & Sanctimoniales. Prohibet ne Monasteria ædificentur absque licentiâ Episcopi, qui per orationem locum Deo consecret, in eoque crucem figat. Ne veste Religiosâ induantur Postulantes, nisi

Novellæ Justiniani.

Quæ in iis spectant Clericos & Monachos.

nisi solidô trienniô probati. Ut Monachi commune dormitorium, & refectorium habeant. Ut Abbas eligatur, non ordine ætatis aut professionis servatô, sed optimus: &c. *Novella VI.* de Ordinationibus Episcoporum, & conditionibus Ordinandorum statuit, quæ Regulis Ecclesiasticis sunt consentanea. Item de Ordinatione Clericorum, de Diaconissarum ætate, quas anno circiter quinquagesimo ætatis ordinari sancit. Clericos etiam minores Clerum deserentes, Curialibus Officiis mancipat. Clericorum numerum in singulis Ecclesiis definitum esse jubet.

Novella CXXIII. Episcopos, Clericos, & Monachos spectat. Vetat Episcopos ordinari ex Curialibus, & Officialibus, nisi Monasticam Vitam quindecim annis professi fuerint. Annos 35. natum eligi jubet, ac *meliorem ordinari, electione & periculo Ordinantis.* Ordinationem differendam esse, si electus accusatus fuerit in causâ, quæ possit secundùm Leges, aut Canones, ejus Ordinationem impedire. Simoniacas Ordinationes prohibet, ac Simoniacos, sive dantes, sive accipientes munera, sive mediatores, ab honore Sacerdotii & Cleri, secundùm Canones, vult removeri. Solitas tamen pro Inthronistico distributiones fieri permittit Episcopis Ordinantibus, & eorum ministris, easque moderatur. Simoniæ labe carebat illa pecuniæ collatio, quia nullô pactô interveniente, sed solâ consuetudine suffragante, honorarii cujusdam instar conferebatur, non exigebatur. Cùm enim ex diversis Provinciæ locis congregandi essent Episcopi ut electum consecrarent, & mora facienda esset pro examine electionis, & Ordinatione, quædam eis pecuniæ summa solvi poterat congiarii subsidiique nomine, ad levandos sumptus, cùm in itinere, tum in morâ faciendos. Ne verò ad immodicam pecuniæ vim porrigerentur illa Inthronisticorum jura, modum illis lege latâ præscripsit Justinianus: *Ne*, inquit, *ex talibus occasionibus Ecclesiæ debitis prægraventur, & Sacerdotia venalia fiant.* Eadem Novella Episcopos & Clericos à tutelarum & curarum onere liberat: quas tamen ipsos permittit suscipere jure & gradu cognationis. Eosdem à muneribus personalibus & sæcularibus negotiis immunes esse jubet. Pro qualibet causâ, pecuniaria, vel criminali ad sæcularia tribunalia Episcopos vocari prohibet. Residentiam in Ecclesiis ipsis imperat, quas relinquere non possint, & ad alias regiones venire, absque licentiâ Patriarchæ, vel Metropolitani, aut imperiali jussione. Bis, aut semel saltem, Concilia singulis annis à Patriarchis & Metropolitanis convocari præcipit, in quibus causæ judicentur, quas Episcopi, Clerici, vel Monachi ad invicem habent. Vetat Episcopis & Clericis, ne ad tabulas ludant, aut cum ludentibus ineant societatem, aut ludentes aspiciant; aut ad quævis conveniant spectacula. Delinquentes, à sacrô Ministeriô suspensos, in Monasterium amandari jubet ad triennium. Presbyteros ante 35. annum, Diaconos & Subdiaconos ante 25. Lectores ante 18. Diaconissas ante 40. fieri prohibet. De Clericorum Celibatu decernit. Item de Clericorum, & Monachorum Judiciis, quos in causâ pecuniariâ vult conveniri coram Episcopo: In causâ verò criminali, coram Episcopo, vel sæculari Magistratu, ad arbitrium Actoris. Si priùs ad Episcopum causa deferatur, hanc formam præscribit Novella, ut ipse convictum criminis ab honore, aut gradu, secundùm Canones, dejiciat: & subinde competens Judex ipsum comprehendat, & secundùm leges causâ cognitâ, finem liti imponat. Si verò priùs ad sæcularem causa deferatur Magistratum, probatô crimine, Gesta cognitionis, sive Inquisitionum Instrumenta, cum Episcopo communicentur, qui reum ab honore, sive gradu dejiciat: Judex autem pœnam decernat Legibus congruentem. Eadem Novella plura statuit de Monachis: scilicet ut Abbatem eligant, propositis sacro-sanctis Evangeliis non amicitiæ intuitu, sed meritorum, quem Episcopus electum ordinabit. Filios, qui Vitam Monasticam amplectuntur, à parentibus ex Monasterio abstrahi, aut hæreditate privari vetat.

Novella CXXXIII. Monasticam restaurat Disciplinam. Monachos in uno conclavi degere, & communia omnia habere jubet. Absque Abbatis voluntate è Monasterio exire vetat, etiam adeundæ Ecclesiæ prætextu, ad quam sacri duntaxat Ministerii tempore se conferent, cum Abbate, Prioribus, & Senioribus suis, & completô Sacrificiô ad Monasterium revertentur. In Ecclesia autem, quam Monasterii propriam, sed ab eo tamen paulisper dissitam aliquando supponit, quatuor vel quinque Seniores ex Monasterio, Presbyteratûs, vel Diaconatûs dignitate adauctos, manere statuit, qui sacram domum custodiant, de divinis eloquiis disputent, advenientes alloquantur, Juvenes in officiô contineant. Monachos Sacrarum Scripturarum lectioni jubet incumbere & labori. A Cœnobiorum ingressu arcet mulieres; ab ingressu Parthenonum viros, etiam occasione exequiarum, aut invisendi fratris, vel sororis, aut alicujus è propinquis: *Quia cognatio Monachis in terrâ non est, cœlestem zelantibus vitam.* Viros in Monasteriis Virginum, & mulieres in Cœnobiis virorum sepeliri vetat. Monasteriorum Exarchos, eorúmque Responsarios, necnon Episcopos locorum, disciplinæ regularis observantiæ invigilare mandat, & contra Regulam peccantes corrigere. Monasteriorum reformationem curis Imperatoris dignam esse ait. *Si enim illi*, inquit, *puris manibus, & nudis animabus pro Republica supplicent Deo, manifestum quòd & exercitus habebunt benè, & civitates benè disponentur. Sed & terra nobis feret fructus, & mare quæ sua sunt dabit, illorum oratione propitiationem Dei ad omnem Rempublicam deducente. Sed & ipsum commune schema hominum reverentius erit, & vivet melius, illorum erubescens puritatem.* Mortuorum sepulturas Constantinopoli gratis fieri decrevit, & Constantini Magni Constitutiones, & assignata eam ob rem Magnæ Ecclesiæ prædia, concessáque Privilegia confirmavit, *Novella 43. & 59.*

Licet verò de rebus & personis Ecclesiasticis Leges tulerit *Justinianus*, in ipsum esset iniquior, qui assereret ipsum Ecclesiæ auctoritatem usurpasse. Veteres enim Canones renovavit duntaxat, aut Legibus suis, velut quibusdam supplementis interpretatus est, novas Ecclesiæ Regulas non præscripsit. Id unum quippe fuit ejus consilium, ut vetustatis vindicem, atque Ecclesiasticæ Disciplinæ assertorem se præstaret, ut ipse profitetur in Rescripto ad *Dacianum* Africanum Episcopum, Concilii Byzaceni caput: *Semper* (inquit) *nostræ Serenitati cura fuit servandæ vetustatis, maximè disciplinæ, quam nunquam contempsimus, nisi & in melius augeremus; præsertim quoties de Ecclesiasticis negotiis contingit quæstio, quæ Patrum constat regulis definita, imò adventu superni Numinis inspirata: Quia constat esse cœlitus constitutum, quicquid Apostolica decernit Auctoritas.* Et infra. *Nos tutores sumus vetustatis, ac vindices.* Quæ itaque de causis Ecclesiasticis constituit Justinianus, vel è Canonibus, vel è moribus in Ecclesia receptis hausta sunt, ut testatur ipse pluribus in locis. Notanda sunt verba, Novellæ LXXXIII. *Si verò*, inquit, *Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiasticâ & mulctâ, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis Provinciæ Judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles Judices, secundùm sacras & divinas Regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur Leges.*

Ecclesiasticam auctoritatem non usurpavit Justinianus, de rebus & personis Ecclesiasticis legem ferens.

Confirmatur testimoniô locupletissimô *Joannis Scholastici*

Scholastici, Patriarchæ Constantinopolitani, in Collatione Canonum cum Legibus, ac præcipuè cum Novellis Constitutionibus Justiniani, cui sic præfatur: *Ad gloriam Magni Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, quæ nunc collata sunt cum sacris Canonibus SS. Apostolorum, & qui eorum vestigia secuti sunt per unamquamque Synodum SS. Patrum, transcripsi è Novellis Constitutionibus à D. Justiniano fœlicis memoriæ post Codicem sparsim editis. Quæ quidem non solùm sequuntur Orthodoxorum Patrum nostrorum Canones, sed etiam ex Principis imperio auctoritatem illis largiuntur, unà cum adjectionibus legitimis & Deo gratis, quæ commodis hominum ad exemplum Dei, conjuiunt.* Ex quibus perspicuum est, Justinianum Canonibus publicatum legum robur addidisse, & nonnulla ad eos suis Constitutionibus adjecisse, quæ eorum observantiam & executionem promoverent.

Id rursus confirmatur ex depositione *Anthimi* Patriarchæ Constantinopolitani, *Agapeti* Pontificis, & Synodi Constantinopolitanæ judicio decretâ, cui suffragium auctoritatis suæ adjungens *Justinianus* sic loquitur, Novella XLII. *Rem non insolitam Imperio & nos facientes, ad præsentem venimus Legem. Quoties enim Sacerdotum Sententia quosdam indignos Sacerdotio de Sacris Sedibus deposuit... toties imperium ejusdem sententia cum Sacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina pariter & humana concurrentia, unam consonantiam rectis sententiis fecere.* Unde Sententiam adversùs Anthimum latam corroborat Imperiali Lege, ac si ab Imperio ipse provenisset. Deinde *Mennæ* Patriarchæ dat in mandatis, ut ad Metropolitas suæ Diœceseos mittat, quæ Sacerdotio visa sunt, & ab Imperio confirmata.

Novellas Justiniani approbat Ecclesia.

Si quas verò novas Leges tulit de Ecclesiasticâ Disciplinâ Justinianus, vim illæ non habuerunt ullam, nisi quia sunt ab Ecclesiâ receptæ & approbatæ. Sicut enim Leges de rebus merè civilibus in Conciliis promulgatæ, nullius sunt roboris, nisi quia ratæ habentur à Principibus Laicis: Ita nec Leges de rebus Ecclesiasticis à sæcularibus Principibus conditæ ullius sunt momenti, nisi ab Ecclesia ratæ habeantur. Porro Ecclesia cum Orientalis, tum Occidentalis, Novellas Constitutiones Justiniani amplexa est. De Orientali, nullum est dubium. De Occidentali verò id constat ex *Sancto Gregorio Magno*, qui *Joannem Defensorem* abeuntem in Hispanias monet, quid sequi debeat in judicio quod illi delegaverat. Et initiò Commonitorii profert *Novellam CXXIII.* quæ penè totius antiqui Juris synopsim complectitur, ipsumque interpretatur. (Lib. XI. Epistola 54.) *De persona Presbyteri*, inquit, *hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius audiri debuit: sicut Novella Constitutio manifestat, quæ loquitur de Sanctissimis, & Deo amabilibus ac Reverendissimis Episcopis, Clericis, & Monachis. Imperator Justinianus Augustus, Petro gloriosissimo Præfecto Prætorio. Si quis contra aliquem Clericum, &c.*

Idem constat ex *Joanne VIII.* Pontifice Maximo, qui Novellam Constitutionem laudat adversùs quosdam Episcopos, qui *Bichertinum* Laicum, sine causæ cognitione, à Communione removere tentabant. (Epistola 163.) *Insuper nostro Apostolatui intimavit, ut eum sine ratione discussâ, excommunicare vultis. Quapropter Apostolicâ Auctoritate jubemus, ut nemo vestrûm eum excommunicet, antequam ad Legis examen perveniat. Scitote quemadmodum in centesimo Capitulo Concilii Africani legitur: Similiter in secundo Novellarum Justiniani libro. Ut nemo Episcopus, aut Presbyter aliquem excommunicet, antequam causa probetur.*

Tertiò id constat ex *Hincmaro* in Opusculo cap. 17. *Sed & Leges Romanæ*, inquit, *ab Imperatore Justiniano promulgatæ, quas probat Ecclesia, decernunt de Episcoporum, sine Metropolitani sui auctoritate profectione.*

Denique *Ivo Carnotensis* Epistola 280. idem testatur. *Dicunt Instituta Legum Novellarum quas commendat & servat Romana Ecclesia*, &c.

In condendis Legibus *Triboniano* Quæstore, ut diximus, administro usus est. Vir quidem erat ille ingenio & eruditione celeberrimus, sed inexplebili avaritia, unicè lucro serviens, erantque apud illum jura venalia. Jamdiù Legum nundinationi deditus, quotidie pretio refigebat alias, alias figebat, prout è re erat atque usu poscentium (*Ex Procopio, lib. 1. de bello Persico.*)

Justinianus non fuit Analphabetus.

Illiteratum adeò fuisse Justinianum, ut *Analphabetus* dictus sit, non semel scripsit Annalium Ecclesiasticorum Parens, mendosâ *Suidæ* editione deceptus. Sed MS. Codex Bibliothecæ Vaticanæ pro *Justiniano* habet *Justinum*. Atque ita legendum confirmat *Procopius*, in *Historia Arcana*, cap. 6. ubi de *Justino Seniore* scribit: *Eâ fretus Justinus Præfecturâ, capessivit Imperium, senex jam licet capularis, &, quod Romanis antehac non evenit, adeo literarum expers, & quod dicitur Analphabetus, ut cùm sui soleat nominis apices libellis indere Princeps, cùm quid imperat faciendum; ipse neque imperare, neque compos esse posset rerum gerendarum; sed Proclus, qui officio Quæstoris fungebatur, eique assidebat, omnia faceret pro arbitrio. Verùm ut aliquod Imperatoris manûs extaret argumentum, à Magistratu, qui id muneris habet, excogitatum hoc est. Tabella lignea perpolita formam quatuor literarum, quæ legi Latinè possint, incidendam curant, eâque Libello imposita, calamus colore imbutus, quò scribere mos est Imperatoribus, huic Principi tradebatur in manum, quam alii prehensantes ducebant, circumagebantque per quatuor illas literarum formas, &c.* Cæterùm Justinianum non fuisse rudem & illiteratum, studium ejus in dogmatum divinorum investigatione, disceptationes de tribus Capitulis & Episcopis habitæ, transactæ frequentiùs cum illis noctes in evolvendis libris sacris, testantur. Quarum rerum fidem faciunt *Eustatius in Vita Eutychii*, apud *Surium* die 6. Aprilis *Victor Tunonensis, in Chronico*, & *Procopius lib. 3. de bello Gothico.* Suffragatur *Agapetus* Diaconus Constantinopolitanus in Parænetico ad Justinianum. *Nostris temporibus ostensum est*, inquit, *prospera vita tempus, quod prædixit quidam ex Veteribus futurum, cùm vel Philosophi regnarent, vel Reges philosopharentur. Nam philosophando, digni habiti Regno estis, & regnando à Philosophiâ non descivistis.* Plures denique libros adversùs Tria Capitula se scripsisse Justinianus ipse testatur in Edicto adversùs illa edito. Et hunc *Analphabetam* aliquis dixerit?

Justiniani mores.

Nihil non mutavit in Republica *Justinianus*, ut nomen suum propagaret. Nam statis Magistratuum formis, legúmque ac militarium ordinum, abrogatis; alias invexit, non jure, non publicô commodô adductus, sed ut omnia nova, & de suo nomine dicerentur. Rei cujus statim abolendæ copia non fuisset, saltem suum indidit vocabulum. Sanguinis & auri nunquam sitim explevit, sed ex opulentissimis pecuniosorum hominum domibus factis sibi manubiis, alios impetebat. Quas fortunarum rapinas illicò vel prodegit Barbaris, vel in insana ædificia insumpsit. *De Justiniani Ædificiis* sex libros scripsit *Procopius*, quibus accuratè & eleganter singula descripsit. Nullâ in re stabilis fuit *Justinianus*, præterquam crudelitate, studióque pecuniæ. Pretio fixit, refixitque Leges, neque ad eas, quas scripsit, Constitutiones exegit Judicia, sed ad quas trahebatur pecunias, seu luculentiores visas, seu promissas munificentiùs. Senatus fuit inane quoddam simulachrum, penes quem neque sententiæ dicendæ, neque tuendi honesti arbitrium

asset;

esset: sed confessum impleret ad speciem quamdam, & ex prisca lege. Insuperhabitâ Constitutione, quam scripserat de Præfecturis gratis dandis, non solùm venales, sed conductitios instituit Magistratus avarus Princeps, qui omnes ad eum locorum proventus convehérent. *Constantinus* Præfectus Prætorio, præter publicum censum, ampliùs ter mille auri pondo quotannis pendebat *Justiniano*, qui eum proventum, nec lege, nec more majorum receptum, sed quasi fortuitò aliunde sibi ex aere adventitium, *Aerium* vocavit. Sceleratissimos quosque publicis muneribus & gerendis Magistratibus præficiebat. Plurima instituit Monopolia; iis divenditâ subditorum libertate, qui impium hoc negotium inirent: Atque his imposito vectigali, rem à pactis conventis pro animi sententiâ administrandam permisit. Annonæ, Impositionum, Descriptionumque decretis quosque prædiorum possessores vexabat. Milites, institores, nummularios afflixit. Causidicis, Medicis, ac liberalium disciplinarum Magistris ademit honorarium & sportulam, quam priores Principes ipsis ab ærario decreverant. Ex pane, quem sibi artifices, & paupêres coëmere cogebantur, durum atque perpetuum sibi censum conflavit, scilicet in annos singulos ad tercentum auri pondo, ut panis sordidus ille foret, atque pulverulentus. Aquæductus effracti restaurationem, sumptibus parcens, prætermisit. Igitur pauperes extremâ laborantes indigentiâ, quibus vescendo panis, potando aqua duntaxat reliqua esset, vexavit Justinianus, hujus difficultate, illius caritate invectâ. Pauperibus qui ad Petri Apostoli templum sedes habebant, tritici è publico tria millia medimnûm quotannis attribuerat *Theodoricus*. Quam ipsis annonam sustulit *Alexander Forficula*, *Justiniano* probante. Frumentum putridum, quod in Byzantinis horreis abundabat, pro ratâ parte atque portione Civitatibus Orientis emendum imperavit longè majore pretiò, quàm optimum quodque esset. Si quæ meretrix consuetudinem ac stuprum alicui falsò objecisset, bonis ejus inhians, statim leges omnes ac jura violabantur, & modò Justinianum turpis lucri participem fecisset, universas opes ejus quem calumnia appetiverat, impunè prædabatur. Ecclesias, Monasteria, Nosocomia, & alia id genus ædificia ex privatorum exuviis excitavit. Venetorum [a] ita fovit factionem, ut Prasinos impunè contrucidandos iis permitteret, eorúmque licentia cædibus, rapinis, incendiis omnia compleret: Magistratus verò qui in Venetos ex lege egissent, capite damnaret.

[a] Duæ Circi factiones, Veneta, *la faction bleuë*: Et Prasina, *La faction verte*.

Justinianus *Theodoram* uxorem babuit, mulierem scenicam, & celebrem meretricem, cujus ut conjugiò frui posset, Constitutionem à *Justino* Seniore edi obtinuit, quâ mulierum scenicarum connubia Principibus viris permittebantur, quæ lege latâ *Constantinus Magnus* prohibuerat: cujus infamem educationem, luxum, impudicitiam, crudelitatem *Procopius in Arcana Historia* describit. Hæc *Silverio* Romano Pontifici, & *Amalasunta* Reginæ Gothorum necem intulit. Chalcedonense Concilium, quoad vixit, tollendum summò studiò curavit. Ad hujus imperium atque libidinem omnia temperabat *Justinianus*. Ut erat maxima utriusque similitudo cupiditatum, sic etiam morum & improbitatis, licet palam discordiam simularent, ut subditos impellerent in exitum. Cibi, somnique parcissimus erat Justinianus, non veneris; mansuetissimus in speciem, re vera inhumanus. Factarum sæpenumero sponsionum, & sacramento vel tabulis confirmatarum, statim oblivionem simulavit, non apud suos tantùm, sed etiam apud hostes. Assentatoribus facillimas aures præbebat, imprimis *Triboniano*, assententi se timere vehementer, ne ob singularem pietatem in cœlum subitò raperetur. Inconstans amicis fuit, inimicis inexorabilis: Occultandæ animi sententiæ absolutissimus artifex: æquè malignus, & deceptu facilis. Formâ corporis *Domitianum* referebat. Tam erat exosus subditis, ut dæmon humanâ indutus formâ, & funesta pestis Reipublicæ passim diceretur. Hæc ex *Procopio* delibata sunt, *in Arcana Historia*, & ex *Evagrio* nonnulla, *Lib. 4. Historia Ecclesiastica cap. 30. & 32.* Obiit *Justinianus* anno Christi 566. Imperii sui 40. ut colligitur ex Chronicis *Victoris Tunonensis*, & *Joannis Biclarensis*. Sapientores certè & feliciores *Justiniano* sanctissimi Monachi *Simeon* & *Thomas*, qui stultitiam pro Christo simularunt. De quibus *Evagrius lib. 4. Historia Ecclesiastica cap. 34. & 35.*

SCHOLION.

In hoc Articulo pag. 461. & 462. Edit. primæ Religiosi Censores hanc ut mi meam Propositionem notant: *Principes sæculares quandoque statuunt quædam pertinentia ad Forum Ecclesiasticum.*

R. Hæc Propositio ibi non legitur. Scripsi tantùm pag. 461. Justinianum Imperatorem *Canonibus publicarum Legum robur addidisse, & nonnulla ad eos suis Constitutionibus adjecisse, qua eorum observantiam & executionem promoverent.* Et pag. 462. Si quas verò *novas Leges tulit de Ecclesiastica Disciplina Justinianus, vim illa non habuerunt ullam, nisi quia sunt ab Ecclesia recepta & approbata.* Quibus verbis nulla tribuitur sæcularibus Principibus potestas in causis Ecclesiasticis, sed sola Legum Ecclesiasticarum executio & protectio.

ARTICULUS III.

De Justino Juniore.

J*Ustinus*, *Vigilantia Justiniani* sorore, & *Dulcissimo* Patre natus, ex Curopalate Imperator coronatus est, unà cum *Sophia* conjuge, *Theodora* uxoris *Justiniani* nepte, statim atque *Justinianus* excessit. Catholicæ Fidei consultum voluit, ut primùm iniit Imperium, promulgatô Edictô, quod descripsit *Evagrius lib. 5. Historia Ecclesiastica cap. 4.* Pacem cum *Cosrhoe* Persarum Rege solvit, magnò Reipublicæ damnô. Apameam, & Daras *Adaarmanes* Persici Dux exercitûs expugnavit, & immensam civium multitudinem mactavit. Cujus cladis acceptô nuntiô *Justinus* in phrenitidem ac dementiam incidit: Quâ commotus *Cosrhoes*, petenti *Sophia* triennales concessit inducias. (*Ex Evagrio, lib. 5. cap. 12.*) Lucidis interim intervallis, ex *Sophia* consilio, *Tiberium* Imperii collegam ascivit. *Justini* Ducis cognati sui, hominis de Republica meritissimi cædem summâ perfidiâ & crudelitate imperavit *Justinus*. (*Evagrio* teste, *lib. 5. cap. 2.*) Mollis fuit ac dissolutus, & deliciis, fœdisque voluptatibus additus. Tantâ pecuniæ cupiditate flagrabat, ut omnia venderet, etiam Sacerdotia: (*Ex Evagrio, lib. 5. cap. 1.*) *Sophia* pientissima Imperatrix, accitis omnibus qui ære alienô obstricti erant, debita eorum creditoribus persolvit, anno Imperii 3. (*Ex Cedreno*) *Justino* regnante, Miraculum celeberrimum factum est, in puero Judæi filio, qui cùm Eucharistiæ reliquias cum pueris Christianorum in Ecclesia Magna Constantinopoli sumpsisset, à patre in fornacem, in quâ vitrum conflabat, conjectus, illæsus servatus est Deiparæ Virginis beneficiô, quam, sub eleganti supra humanam specie fœminæ purpurâ amictæ, ignem extinguentis, & ipsum securô animô esse jubentis, vidit puer: qui cum matre à Patriarcha baptizatus est. Pater verò perfidiæ & crudelitatis impœnitens, actus in crucem est. (*Ex Cedreno.*) Obiit *Justinus* anno Christi 578. cùm solus annis octo & mensibus novem cum dimidio rexisset Imperium; simul autem cum *Tiberio* Cæsare annis 4. ac uno ferè mense. De annis Imperii ipsius Veteres non consentiunt. Varias eorum sententias refert *Valesius*, *in Notis ad cap. 23. lib. 5. Historia*

Celebre Miraculum.

Ecclesiastica Evagrii. Pessimam Legem à se latam rescidisse noo legimus *Justinum*; quâ scilicet, Legem *Bona gratia* instaurans, matrimonia dissolvi mutuô conjugum consensu permiserat.

ARTICULUS IV.

De Tiberio.

TIberius, genere Thrax, collectô centum quinquaginta millium Militum exercitu, *Justiniano* Duce, Persas cæcidit, & ex Romaoi Imperii finibus expulit. Suorum clade afflictus *Cosrhoes*, interiit præ mœrore, cum lege latâ sanxisset, ne posthac Rex Persarum contra Romanos exercitum duceret. (*Ex Evagrio, lib. 5. cap. 14. & 15.*) *Justiniano* deinde, cujus minùs fœlicia adversùs Barbaros arma videbantur, potestatem abrogavit *Tiberius*, ejusque locô *Mauritium* Orientalis Militiæ Magistrum constituit: quô Duce, Persas fudit, ac civitates recepit, quas imperante *Justiniano* occupaverant. (*Ex Evagrio lib. 5. cap. 19. & 20. & Theophane, in Chronico.*) Corpore fuit maximè procerô *Tiberius*, & formâ Imperiô dignâ, lenitate, verò & munificentiâ singulari. Summas esse divitias existimabat, largiri omnibus, & erogare non ad necessitatem solùm sublevandam, verùm usque ad affluentiam. Non enim spectabat qoid accipere deberent rogaotes, sed quid Imperatorem Romanum dare deceret. *Aurum porro illud adulterinum censebat, quod cum lachrimis Provincialium collectum fuerat.* Quamobrem unius anni tributum Collatoribus remisit. A Magistratibus etiam illegitimas munerum oblationes nullas exegit, quibus antea imperatores subditos suos illis vendere consueverant. (*Ex Evagrio lib. 5. cap. 13.*)

Tiberii Munificentia.

Tiberio uxor fuit *Anastasia*, quam Augustam coronavit: Ex quâ duas habuit filias, *Constantinam*, & *Charitonem*; hanc *Germano Duci*; illam collocavit *Mauritio*, utroque designatô Cæsare. Templa, & Xenodochia multa extruxit, iostauravitque pientissimus Imperator. Anno 582. ex serotinâ cucurbitarum comestione in tabem incidit, obiitque, cùm genero *Mauritio* Imperium tradidisset. Eo Imperante, Aotiochia terræ motu vehementi concussa. Populus Constantinopolitanus adversùs *Anatolium* quemdam, qui ex infirmâ plebe ad Magistratus irrepserat, idololatriæ, præstigiarum, aliorúmque flagitiorum convictum, zelo pietatis commotus, in illum, criminumque socios, tulit atque executus est Sententiam, cùm Judices pecuniâ corrupti officio suo defuissent. Cùm ad imaginem Deiparæ, quæ fune appensa erat in carcere, currens *Anatolius* supplicis atque orantis speciem exhibuisset, illa faciem ab homine scelerato Deique hoste penitus retrò avertit. Cujus miraculi custodum carceris, & captivorum omnium testimonio comprobati; fama longè latéque percrebuit. (*Ex Evagrio lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18.*)

Celebre Miraculum.

ARTICULUS V.

De Mauritio Augusto.

MAuritius, post *Tiberium* imperavit, religione ac rei Militaris scientiâ conspicuus Princeps. Bellum Persicum per *Philippicum* Ducem, sororium suum, & alios feliciter gessit. Insignem de Persis victoriam reportavit *Philippicus* ad radices *Izala* montis, cùm sacrâ Salvatoris effigie, quæ divioitùs efformata ferebatur, circumlatâ per castra, militibus animos addidisset. Anno *Mauritii* Imperatoris 8. celeberrima *Romano* Duce de Persis parta est victoria. Ob quam iratus *Hormisda* Rex Persarum, *Varamo* soi exercitûs Duci muliebrem stolam per ludibrium misit. (*Ex Theophilacta Simocatta, lib. 5. Historia cap. 8.*) Dedecoris impatieos *Varamus* ab *Hormisda* cum exercitu defecit. Interim *Bindoes* Princeps privatas ulturus injurias, factô in Regiam impetu, comprehensum *Hormisdam* regno exuit. Ille *Cosrhoen* filium Regno excludendum statuit, ipsique præponi jubet fratrem natu minorem: *Varamo* imprecatur ac perduellibus. *Bindoës* ex conjuratorum consiliô ejus ob oculos uxorem, junioremque filium mactari, miserum verò Regem excæcari jussit. *Cosrhoes* in solio collocatus, Patrem captivum regiô victu sustentare volebat, sed simulatam ejus pietatem contemnens *Hormisda*, ipsique imprecari non desinens, illius jussu fustibus in ilia impactis, & collô ictibus clavarum confractô, miserrimè periit. *Cosrhoes* datis ad *Varamum* literis, missisque muneribus, ipsum ad arma deponenda frustra hortatus est: ejus namque munera superbè recusavit *Varamus*, copias in illum duxit, cæcidit maximam partem exercitûs *Cosrhois*, reliquam ad suas partes traxit. Vix evasit *Cosrhoës* ex summo discrimine, Christianorum Deo se commendans, ipsúmque precatus ut equum suum, quò vellet, deduceret. *Circesium* pervenit, iodéque Legatos misit ad *Mauritium* Imperatorem, auxilium rogaturos. Ipsim precibus annuit *Mauritius*, eùmque adoptavit in filium, regia munera, regaléque satellitium, & uoiversum Romanorum exercitum cum *Narsete* Duce ad ipsum misit: Nec non *Domitianum* Melitinensem Episcopum cognatum suum, & *Gregorium* Aotiochenum Patriarcham, majoris honoris causâ ad ipsum direxit. *Narsete* Duce victus Varamus, *Cosrhoës* io regnum restitutus est. Inde in grati aoimi significationem ob beneficia quæ invocatô *S. Sergii* Martyris nomine, à Deo acceperat, pretiosissima donaria in ejus Basilica consecranda misit ad *Gregorium* Antiochenum. De his *Evagrius lib. 6. à cap. 16. ad 22.* & *Theophilactus Simocatta libris 4. & 5. Historia.*

Bellum contra Avares *Comentiolo* Duce infeliciter gestum initio, deinde fœliciùs, cæsis multiplici prælio barbaris. Seditiosorum aliquot millia leviùs armata, jussu Mauritii, hostibus objecit *Comentiolus*. Quibus partim cæsis, partim captis, *Chaganus* perexiguâ in captivorum pretium taxatâ pecuniâ, nummi scilicet aurei, imò dimidii in caput, quod eos redimere ooller Imperator, XII. millia interfecit Anno Christi sexcentesimo. Mauritium pœnituit avaritiæ quæ cædis tot captivorum causa fuerat; missísque per Monasteria, sacrâque loca omnia literis, Deum orari jussit ut illos delicti in hâc vitâ potiùs quàm in alterâ pœnas daret. Exauditus à Deo est. *Phocas* enim Centurio ab exercitu salutatus Imperator aono 602. Mense Novembri, in portu *Eutropii* ad Chalcedonem, *Mauritium*, trucidatis in conspectu ejus filiis, capite mulctavit. Christianâ constantiâ casum acerbissimum tulit pius Princeps, divina Judicia reveritus his verbis: *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Quin etiam onom ex ejus filiis infantem adhuc occultaore nutrice, & suum pro eo ad cædem objiciente, fraudem ultrò detexit, nec alienum occidi passus est. De his *Theophanes in Chronico*, *Theophilactus Simocatta lib. 8. Historia*, *Cedrenus*, *Nicephorus Callistus.* Annos vigioti regnavit *Mauritius.*

Mauritii cædes, & Christiana constantia.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Regibus Francorum, eorúmque Gestis.

ARTICULUS I.

De Filiis Clodovei.

Bellum Burgundicum.

I. POST Clodovei mortem, quatuor ejus Filii regnum Francorum, æquâ lance inter se partiti sunt. *Theodoricus* Metis, *Chlodomeres* Aureliani, *Childebertus* Parisiis, & *Clotharius* Suessionibus imperaverunt. *Clotildis* Reginæ matris hortatu bellum adversùs Burgundiones *Clodomeres* indixit, & *Sigismundum* prælio victum, cum uxore ac liberis captivum adduxit, anno 523. *Clodomerem* eò in bello fratres adjuverunt, exceptô *Theodorico*, qui filiam *Sigismundi* Regis uxorem duxerat. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 3. Historiæ* cap. 6.) *Godemarus Sigismundi* frater occupatum à Francorum Regibus Burgundionum Regnum recepit. Quam ob rem in furorem actus *Chlodomeres*, *Sigismundum* cum uxore & filiis in puteum projici jussit, frustra dissuadente scelus *Avito* Abbate sanctissimo. Tum novâ in Burgundos irruptione factâ, commissô prælio apud *Vezerontiam* in agro Viennensi, *occisus est. *Gunthengam* uxorem duxerat, quam *Clotarius*, *Aregunde* dimissa, sibi copulavit. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 9. cap. 14.*) Duplicis incesti reus *Clotarius*, qui *Ingunde* legitima uxore superstite, *Aregundem* ejus sororem antea duxerat.

** La Plaine de Vezeronce.*

Anno 525. Bellum Arvernum.

II. *Theodoricus* Rex Francorum adversùs Arvernos perduelles bellum suscepit, totámque devastavit regionem. Militum nonnulli cùm *S. Juliani* Martyris Basilicam, résque pauperum in eâ conditas diripuissent, ab immundo correpti spiritu, seipsos infestis morsibus lacerabant, clamantes: *Cur nos Martyr Sancte sic crucias?* Auctores sacrilegii plurimos extremo addixit supplicio Rex Christianissimus, & quæ ablata fuerant, restituit omnia. *S. Quintiani* Arvernorum Episcopi precibus, ab evertendis muris abstinuit, & vastanda Civitate, quam fortissimis propugnaculis munitam, id est, Sanctis quorum Basilicæ ibi extructæ erant, & magno apud Deum Antistite. Dux *Hilpingus* Regi dixerat. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 3. cap. 12. & De Vitis Patrum cap. 4.*) Ex Prologo Legum à Dagoberto Rege promulgatarum constat, *Theodoricum* Francorum Regem Leges *Boiis* condidisse. Extant in *Codice Legum Antiquarum*.

Anno 526.

III. *Clotarius* mitò cum *Childeberto* fratre consiliô, *Teodobaldum* & *Guntharium Clodomeris* quondam Regis filios, decennem unum, septennem alterum occidit, missô priùs ad *Clotildem* Reginam *Arcadio*, cum forcipe, & ense, & optione permissâ, utrum pueros Principes incisis crinibus vivere, aut mucrone confodi mallet. Quod de Monachatu recentiores Historici perperam interpretantur. Ipsos namque ad plebeiorum ordinem redigere duntaxat volebant, ne *Clodomeris* Patris Regnum capesserent, non verò Monachos facere. Ivtotosi autem manebant Reges Francorum à pueris, idque velut insigne quoddam eximiúmque honoris prærogativa Regio generi apud eos tribuebatur. Subditi enim orbiculatim tondebantur, neque eis prolixiorem comam alere facilè permittebatur (ut scribit *Agathias lib. 1. Historiæ*) Quamobrem capillos tondere nepotibus suis volebant *Childebertus* & *Clotarius*, ut in plebis ordinem redigerentur. Id ex verbis *Childeberti* constat deliberantis cum Clotario quid de parvulis illis Principibus fieri debeat: *Utrum incisâ cæsarie ut reliqua plebs habeantur, an certè his interfectis, Regnum germani sui* (scilicet *Chlodomeris*) *inter ipsos æqualiter dividatur.* Clodoaldus tertius Chlodomeris filius, patruorum furori fugâ ereptus, à sancto *Severino* Monacho institutus est, & postmodum in ordinem Presbyterorum adscriptus, sanctissimè vixit. Sacris honoribus colitur septimo Idus Septembres. *Clotarii* & *Childeberti* sævitiam in nepotes, eorúmque cædem fusè describit *Gregorius Turonensis lib. 3. cap. 18.* His temporibus florebat *S. Eleutherius* Tornacensis Episcopus, qui anno 527. Synodum convocavit, & insignem habuit *de Trinitate* Sermonem, quo Arianos egregiè confutavit. (Ex ejus Vita apud *Bollandum*, die 20. Februarii)

Cæsaries filiorum Clodomeris.

** Apud Gregorium Turonensem.*

Bellum Thuringicum.

Anno 530.

IV. Adversùs Thoringos bellum suscepit *Theodoricus* cum *Clotario* fratre, & *Theodeberto* filio, antiquas ulturus injurias ab ipsis illatas Francorum obsidibus, & violatam recèns ab *Herminefrido* fidem. Thoringiam subegit, & *Herminefridum* ad se venire jussit, datâ fide, quem & amplissimis ditavit muneribus. Hic ex muro *Tulbiacensis* * civitatis præceps actus interiit: cujus cædis suspicionem incurrit *Theodoricus*, maximè quia liberos *Herminefridi* necari jussit. *Clotarius* in prædæ partem, captivos inter, *Radegundem* accepit, *Berthari* Herminefridi fratris, ab eóque cæsi filiam, quam *Hunsenga* mortuâ, cui post obitum *Ingundis* in Regium thorúmque revocatæ, nupserat, uxorem duxit, eámque postea Diaconam fieri & Sanctimonialem permisit. De bello Thuringico legendi *Gregorius Turonensis lib. 3. cap. 7. & 8.* Auctor *De Gestis Regum Francorum, cap. 22.* & *Aimoinus lib. 2. cap. 9.*

** Zulch.*

Anno 531. Bellum Wisigothicum.

V. Vix è Thuringia redierat victor *Theodoricus*, cùm bellum intulit *Amalarico* Wisigotorum in Hispania Regi, junctis cum *Childeberto* fratre viribus, ut *Chrotildis* sororis, quam ob Fidem Catholicam Arianus Princeps diù vexabat, injurias ulciscerentur. Profligatus est eô in bello *Amalaricus*, in Septimania, occisúsque, non à *Childeberto*, ut recentiores Historici scribunt, sed à suis, ut ex *Gregorio Turonensi, lib. 3. cap. 10.* & *S. Isidoro*, in Chronico Gotthorum, colligitur. Victoriâ potitus *Childebertus*, quam ipsi *Eusicius* Eremita sanctissimus prædixerat, Ecclesiam construxit super *S. Aviti* sepulchro, ut voto faceret satis, quod emiserat ante bellum. Solitariam vitam ad Rhodanum in Septimania tunc agebat *S. Ægidius*. Eodem tempore famâ sanctitatis apud Aremoricos florebat *Tugalus* è Cœnobio Trecorensi, * ubi Monasticam Vitam profitebatur, ad Episcopatum Lexobiensem * vocatus anno 532. Falluntur Britones, qui illum, cùm Romam profectus esset, universalis Ecclesiæ Pontificem creatum, vocatúmque *Leonem V.* arbitrantur, eámque Breviariis suis inseruere fabulam, inde satis confutatam, quòd totô sextô sæculo nullus *Leo* legatur in Cathedra S. Petri sedisse, & Leo Quintus decimô sæculo Pontificatum gesserit. Errorem inde exortum verisimile est, quòd Episcopi tunc temporis *Papæ & Venerabiles* dicerentur: unde cùm in veteribus Chartis *Britones* legissent: *Tugalus Papa V.* id est, *Papa Venerabilis*, *Papam Quintum* legendum, ineptè sibi persuaserunt.

** Treguier.*

Britonum error emendatur.

Mors Theodorici. Cui successit Theodebertus filius.

VI. Obiit *Theodoricus* anno 534. cui successit in Regnum *Theodebertus* ejus filius. Hic initô cum patruis Regibus *Childeberto & Clotario* fœdere, unà cum iis expeditionem suscepit in Burgundiam. Fugatô *Gundomaro*, Burgundicum Regnum obtinuerunt, & inter se diviserunt Reges nostri. *Theodebertus* statim atque Regnum Patris obtinuit, *Deuteriam*, qua cum luxuriosè jam vixerat, sibi matrimonio sociavit. (*Ex Gregorio Turonensi lib. 3. cap. 23.*) Sed cùm *Deuteria* maritus apud Biterras adhuc viveret, illa legitimas cum *Theodeberto* nuptias contrahere non potuit.

VII. Ad Reges Francorum *Childebertum*, *Clotarium*,

Francorum auxilium quæsitum.

rium, & *Theodebertum* Legatos misit *Justinianus* Imperator, ut Christianissimos Principes in auxilium contra Gotthos Arianos vocaret. Alioquin *Theodatus* Rex Ostrogothorum ipsos ad suas partes allicere conatus est. (*Ex procopio lib. 1 de Bello Gotthico, capp. 5. & 13.*) Fœdus inierunt cum *Vitige, Theodati* Successore, qui promiserunt se auxilia missuros clam, non Francorum, sed Nationum quibus imperarent. Societatem enim adversùs Romanos palam inire non poterant, Imperatori operam paulò antè polliciti, ut ait *Procopius*. Cessit hâc pactione *Vitiges* Regibus nostris omnem Ostrogothorum ditionem cis Alpes sitam, quæ quatuor Provincias Galliarum integras comprehendebat, Narbonensem secundam, Alpinas duas, & Viennensem secundam, exceptis Diensium, & Vvariensium civitatibus.

Bellum civile miraculo sedatum.

VIII. Ortum inter Reges Francorum anno 536. civile bellum, *Childeberto & Theodeberto* in *Clotarii* perniciem conjurantibus, insigni miraculô, *Clotildis* sanctissimæ Reginæ precibus ad *S. Martini* sepulchrum impetratô, sedatum est. (*Ex Gregorio Turonensi, lib 3. cap. 28.*)

Regum Francorum expeditio in Hispaniam. S. Vincentii Martyris tunica Parisios allata.

IX. Anno 542. *Childebertus & Chlotarius* irruptione in Hispaniam factâ, in quâ tunc regnabat *Teudis* Arianus, maximam ejus Regni partem subegerunt. Cæsaraugustani Civitatis suæ muros cum tunicâ *S. Vincentii* Martyris psallendo circumambulantes, Pœnitentium habito, illam liberarunt. Pietatis enim sensu moti Reges nostri solverunt obsidionem, obtentâ ab Incolis Stolâ *S. Vincentii*, cujus in honorem *Childebertus* Parisios redux Ecclesiam extruxit. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 3. cap. 29.* & Auctore qui *Gesta Regum Francorum* scripsit, *cap. 26*)

Italiæ ager Veneti parte occupatur.

Anno Christi 548. Belli Gotthici 14. Franci maximam agri Veneti partem occuparunt nullô negotiô, cùm nec Romani illos arcere, nec Gotthi utrisque arma inferre possent. (*Ex Procopio lib. 3. de Bello Gotthico, cap. 30.*)

Theodeberti mors & virtutes.

X. *Theodebertus* eodem obiit annô, cùm de bello in Thraciam & Constantinopolim inferendo cogitaret, missâ etiam ad Gipedas & Longobardos, aliásque gentes finitimas legatione, ut eas contra *Justinianum* Imperatorem fœderatas haberet, qui se *Francicum, Alemanicum, Gipedicum, Longobardicum, &c.* inscribebat, quasi omnes hasce gentes subegisset. (*Ex Agathia, lib. 1.*) Ab adulterio resipuit *Theodebertus* duodecim ante obitum annis, & *Deuteriam* pellicem ejecit, assumptâ *Wisigarde* uxore. Justitiâ, veneratione erga Sacerdotes; in Ecclesias, & pauperes beneficentiâ & charitate, laudem sibi peperit maximam. Omne tributum, quod fisco suo ab Ecclesiis Arvernensibus reddebatur, iisdem remisit, teste *Gregorio Turonensi, lib. 3. cap. 25. & 27.* Septem milia aureorum civibus Viredunensibus erogavit, ut eorum paupertatem sublevaret, orante *Desiderato*, qui illius Urbis Sacris præerat. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 3. cap. 33.*) A *Fortunato* egregiè commendatur his versibus:

Ecclesiæ fultor, laus Regni, Pastor egentum,
Cara Sacerdotum, promptus ad omne bonum.
Cujus dulce jugum nullus gemuisse fatetur,
Vivis adhuc meritis, Rex in amore tuis.

Consultus à Theodeberto Vigilius de Pœnitentia incestu imponenda. Baronius emendatur.

Ex Vigilii Romani Pontificis Literis ad *Cæsarium* Arelatensem datis, discimus *Theodebertum* Regem hunc Pontificem consuluisse de Pœnitentia incesto imponenda. Circa istud Historiæ caput lapsus est *Cardinalis Baronius*, cùm scripsit, Pontificem consultum fuisse de Pœnitentiâ, quæ *Theodeberto* Regi propter incestuosas nuptias esset imponenda. Nunquam enim incestuosus fuit Theodebertus, nec fratris uxorem accipere potuit, cum fratrem non haberet. Vixit quidem per triennium cum adulterâ; sed ab illo scelere jam resipuerat, cùm *Vigilium* consuluit. Hac ex Epistolâ Christianissimi Regis pietas elucet, qui in corrigendis subditorum suorum moribus sanctissimos Episcopos æmulatus est.

Theodeberti liberi. Ex Agathia Lib. 2.

XI. Tres reliquit liberos, *Theodobaldum*, qui ipsi in Regno successit, & duas filias. *Theodobaldus Wldetradam* duxit uxorem, *Vvaconis* Longobardorum Regis filiam. Obiit anno Regni sui septimo, nullâ relictâ prole. Interim *Leutharis*, & *Butilinus* Francici Duces exercitus, Italiam infestabant & deprædabantur; sed miserè uterque periit.

Anno 553.

XII. *Clotarius Theodobaldi* Regnum cum ejus thesauris accepit, necnon & ipsius uxorem, quam tamen reliquit, increpitus à Sacerdotibus, teste *Gregorio Turonensi, lib. 4. cap. 4.* Post *Theodobaldi* mortem, *Chramnum* filium suum statim in Averniam direxit *Clotarius*, qui multa ibi nefariè gessit: Indeque digressus Pictavium, contra Patrem rebellavit, initô cum *Childeberto* patruo fœdere. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 4. cap. 66.*)

Mors Childeberti.

XIII. Obiit *Childebertus* anno Christi 558. Regni sui 47. & in Basilica *S. Vincentii*, quam extruxerat, sepultus est. A Fortunato, Carmine 4. libri 6. prædicatur *mitis, sapiens, bonus, omnibus æquus*, & in Vita Sancti Germani, qui eô regnante Parisiensis Ecclesiæ præerat, ob largas eleemosynas commendatur. Constitutionem de abolendis reliquiis Idololatriæ, & de sacrorum dierum Festivitatibus castè & religiosè celebrandis edidit ac promulgavit, ex quâ ferventissimum Christianissimi Regis erga Religionem zelum agnoscas. Ex *Ultrogotha* Regina duas filias reliquit. Successit in ejus ditiones *Clotarius*, & universam Francorum Monarchiam solus obtinuit, legibus Regni, quæ fœminas à Sceptro procul arcebant, ut innuit *Aimoinus*. Quam Legem *Agathias* Græcus Historicus agnovit, cum de Jure succedendi in Regnum apud Francos recepto, ita scripsit Lib. 1. *Filii patribus in Regnum succedunt:* Et lib. 2. ubi Childeberti obitum memorat: *Universum verò Francorum Imperium*, inquit, *ad solum Clotarium est devolutum.* Secundùm istam Legem, *Ragintrude & Bertoara* sororibus Regis *Theodobaldi* à Regni hæreditate exclusis, ipsi successerat *Clotarius*.

Lex Salica.

Chramni altera rebellio, & mors.

XIV. Annum agebat Regni sui 49. *Clotarius*, cùm *Chramnus* ejus filius, regnandi impatiens, iterum in ipsum rebellavit, ad *Chonobrum* Comitem Britannorum confugiens: Cui propterea bellum intulit *Clotarius*, eúmque, cùm terga verteret, occidit: *Chramnum* verò tugurio cujusdam pauperculæ inclusum, injectô in casam igne, cum uxore & filiabus combussit * Annos tres ac viginti *Chramnus* tum natus erat.

* Anno 560.

Mors Clotarii. Pia ejus ante obitum Constitutio.

XV. Obiit anno sequenti *Clotarius*, anno Regni sui quinquagesimo, sæpè ante mortem hæc verba proferens Rege pœnitente digna. *Vah, vah, quàm magnus est Rex ille cœlestis, qui sic humiliat sublimes terræ Reges!* (Ex Aimoino, lib. 2. cap. 37.) Suessione sepultus est, in Ecclesia *Sancti Medardi*, quam ædificare cœperat. Vivendi finem fecit anno Christi 561. Paucis annis ante obitum, Constitutionem edidit Rege Christianissimo dignissimam; cujus hæc præcipua capita, & Divinæ Legis executionem, vel Ecclesiæ cumprimis spectantia commodum: *Si Judex aliquem contra Legem injustè damnaverit, in nostri absentiâ ab Episcopis castigetur, ut quod perperè judicavit, versatim meliùs discussione habitâ emendare procuret.... Nullus per auctoritatem nostram matrimonium viduæ, vel puellæ, sine ipsarum voluntate præsumat expetere, neque per suggestiones subreptitias rapiantur injustè. Sanctimoniales nullus sibi in conjugium audeat sociare. Ut oblationes defunctorum Ecclesiis deputatæ nullorum competitionibus auferantur, præsenti Constitutione præstamus. Agraria, pascuaria, vel*

decimas

decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nostræ devotione concedimus, ita ut actor, aut decimator in rebus Ecclesiæ nullus accedat; Ecclesiæ, vel Clericis nullam inquirant Agentes publici functionem, qui avi, vel genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt. Quicquid Ecclesia, Clerici, vel Provinciales nostri, intercedente tamen justò possessionis initiô, per XXX. annos inconcussò jure possedisse probantur, in eorum ditione res possessa permaneat, nec actio tantis aui spatiis sepulta ulterius contra Legum ordinem sub aliqua repetitione consurgat.

Non eadem semper fuerat Clotarii in Ecclesiæ commoda propensio: Indixerat enim aliquando ut omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum fisco solverent: Cujus indictioni tributi jam omnes Episcopi consenserant. Unus Episcopus Turonensis *Injuriosus* Apostolicâ libertate Regi restitit, dicens: *Si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet; quia iniquum est ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec vale dicens, abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc, quod fecerat, damnans simulque rogans, ut pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret.* (Ex Gregorio Turonensi, *lib.* 4. *cap.* 2.

Injuriosi Turonensis Episcopi Apostolica libertas.

Fabula de homicidio à Clotario perpetrato die Parasceves & erectione Toparchiæ Tvetorii, vulgò Yvetot, in Regnum.

XVI. Meritò rejicitur ut fabula, narratio homicidii à *Clotario* die sancto Parasceves in Ecclesia perpetrati in persona *Galterii* viri nobilis, Toparchæ *Tvetorii* in Neostria; cujus ob expiationem, Toparchiam illam in Regnum erexerit, in gratiam hæredum illustris Defuncti, hanc imperante satisfactionem *Agapeto* Pontifice Maximo. Hujus enim facinoris, & campestris Regni, Veterum nullus meminit, qui Pontificum, aut Regum Franciæ gesta scripserunt: non *Anastasius Bibliothecarius*, non Historiæ Francorum Parens *Gregorius Turonensis*, non priscus Auctor *Gestorum Regum Francorum*, non *Aimoinus*, aut alius quispiam ante *Robertum Gaguinum* Ordinis Maturinensium Generalem Ministrum, qui annis ferè nongentis post *Clotarii* obitum scripsit, regnante scilicet Ludovico XII. obiitque anno 1501. Nullum verò huc-usque prolatum est antiquum monumentum, quod eorum quæ à *Gaguino* referuntur, fidem faciat: Et multa in ejus narratione observant accurati Historiæ Francorum Scriptores, quæ Clotarii temporibus non conveniunt, ut bellum Christianorum cum Saracenis, *Agapeti* cum Collegio Cardinalium, de Pœnitentia Clotario imponenda deliberationem, &c.

Filiorum Clodovei pura sincerâque Religio.

Procopius refellitur.

XVII. Christianissimos fuisse *Clodovei* filios ex Annalibus nostris certum est. In ipsos proinde parum æquus fuit Procopius, & in gentem universam, cùm Francos omnium hominum maximè infidos scripsit, atque ita Christianos, *Ut multos priscæ superstitionis ritus observarent, humanas hostias, aliaque impia sacrificia divinationibus adhibentes.* (Lib. 2. *de bello Gothico, cap.* 25.) Huic verò repugnat *Agathias* pariter Græcus, & ejusdem ævi Scriptor *lib.* 1. Francos plurimùm commendans. *Sunt Franci* (inquit) *non campestres, ut ferè plerique Barbarorum, sed & politiâ ut plurimùm utuntur Romana, & Legibus iisdem: eandem etiam contractuum & nuptiarum rationem, & divini Numinis cultum tenent. Christiani enim omnes sunt, rectissiméque de Deo sentiunt. Habent & Magistratus in urbibus, & Sacerdotes, festa etiam perinde atque nos celebrant, & pro barbarâ natione valde mihi videntur civiles & urbani; nihilòque à nobis differre, quàm solummodo barbarico vestitu, & linguæ proprietate. Ego certè eos, cùm ob alia quibus præditi sunt bona, tum verò ob mutuam inter se concordiam & justitiam summopere miror.*

Francorum elogium.

ARTICULUS II.

De Filiis Clotarii I.

CLotario superstites vixerunt quatuor filii, *Charibertus*, *Guntchramnus*, *Chilpericus*, *Sigibertus*, filiàque *Chlotsinda*. Filiæ nullum jus cessit in paternam hæreditatem, secundùm Regni Leges: *Chilpericus* post funus Patris, thesauros ejus diripuit, & *Childeberti* Regnum, cujus sedes Parisii, occupavit; inde brevî pulsus est à fratribus, qui ipsum iis ditionibus contentum esse jussere, quæ ipsi sorte obtigissent. Regnum itaque sunt inter se partiti. *Chariberto* sors dedit *Childeberti* ditiones, quarum caput Parisii: *Guntchramno* Regnum *Chlodomeris*, cujus Sedes Aurelianensis Civitas; *Chilperico* Regnum *Clotarii*, cujus Sedes Suessionibus, *Sigiberto* Regnum *Theoderici*, cujus Remis. (*Ex Gregorio Turonensi, lib.* 4. *cap.* 22.)

Charibertus

I. *Charibertus Ultrogotham Childiberti* patrui viduam, ejusque filias ab exiliô revocavit, in quod à *Clotario* deportatæ fuerant, ut testatur *Fortunatus*, *lib.* 5. *Carmine* 3. ubi & ipsum ob justitiam, & linguæ Latinæ peritiam plurimùm commendat. Laudat ipsum *Gregorius Turonensis*, quòd ob reverentiam quâ *S. Martinum* prosequebatur, tributum populo Turonensi remiserit. (*lib.* 9. *cap.* 30.) Cùm Leontius Episcopus Burdigalensis, Aquitaniæ secundæ Metropolitanus, congregatâ Synodo, *Emerium*, *Clotarii* Regis imperiô ordinatum, ab Episcopatu Santonensi removisset, electúmque *Heraclium* Presbyterum misisset cum Decreto electionis ad *Charibertum*, ut eo consentiente, posset consecrari, Rex indignatus, *Heraclium* exiliô, *Leontium* mille aureorum mulctâ, cæteros Episcopos mulctis pariter pecuniariis castigavit, restitutô in Sedem *Emerio*: Sicque Clotarii Patris ultus est injuriam. (*Ex Gregorio Turonensi lib.* 4. *cap.* 26.) *Charibertus* vivô patre uxorem duxerat *Ingobergam*, ex quâ filiam tantùm suscepit, quæ nupsit *Ethelberto* Cantiæ * Regi. In *Merofledem* artificis lanarii, & *Theodegildem* opilionis filiam, amore impudico exarsit, & *Merofledem*, legitimâ repudiatâ conjuge *Ingobergâ*, duxit uxorem, & deinde *Marcovefam* sororem *Merofledis*. Quam ob causam à *S. Germano* Parisiorum Episcopo excommunicatus est, (*Ex Gregorio Turonensi, lib.* 4. *cap.* 26.)

* De Kent

Obiit *Charibertus* anno Christi 567. Regni sui 6. anno circiter 46. natus. Vituperatur à Gregorio Turonensi, non solùm ob incestas nuptias, sed ob rerum etiam Ecclesiasticarum pervasionem. Nullam reliquit prolem masculam, sed tres duntaxat filias, scilicet *Adilbergam*, *Ethelberto* Cantuariorum Regi matrimonio junctam, *Berthefledem* Turonis, & *Chrotildem* Pictavii, Monasticam Vitam professas, *Theodegildem* unam ex uxoribus Chariberti, imò potiùs concubinam, quæ ipsum tentaverat, in Monasterium detrusit Rex Guntchramnus. (*Ex Gregorio Turonensi, lib.* 4. *cap.* 26) *Chariberti* Regnum cessit fratribus *Guntchramno*, *Chilperico*, & *Sigiberto*, inter quos Pactiones ita factas observat *Gregorius Turonensis*, ut quisquis sine fratris assensu Parisios ingrederetur, admitteret partem suam, essetque *Polioctus* Martyr cum *Hilario* atque *Martino* Confessoribus, Judex ac retributor ejus.

Sigibertus.

II. *Sigibertus* initiô Regni sui Hunnos in Franciam irrumpentes consertô prælio profligavit, anno 562. cum quibus pacem iniit anno 568. A *Chilperico* fratre bello civili ter lacessitus est. *Brunichildem*, *Athanagildi* Vvisigothorum in Hispaniâ Regis filiam duxit, degeneres *Chariberti* & *Chilperici* nuptias exemplo suô reprehendens. Laudatur quòd *S. Nicetium* Treverensem Episcopum revocaverit ab exiliô, &

Basilicam *S. Medardi* Suessione à *Clotario* patre inchoatam perfecerit. In ultimo bello civili, quod adversùs ipsum movit *Chilpericus*, civitates omnes, quæ circa Parisios sitæ sunt, usque Rothomagum occupavit, & à Francis ritu solenni clypeo impositus, *Victoriaci* * Rex in Chilperici locum acclamatus est. Hinc ad Tornacum obsideodum missis copiis, quò se *Chilpericus* receperat, à sicariis duobus, quos uxor Chilperici *Fredegundis* ad illud facinus impulerat, cultris venenô infectis percussus occubuit, anno Christi 573. Regni sui 14. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 4. cap. 46.*) Apud Lambros * primùm sepultus, Suessionas postea in Basilicam *S. Medardi* translatus est, & juxta *Clotarium* Patrem conditus. Ex *Brunichilde*, quam ab Ariana hæresi cum suis adhortationibus, tum Sacerdotum prædicatione conversam lætus vidit, tres reliquit liberos, *Childebertum*, qui successit in Regnum, *Ingundem*, & *Clodosindem* filias.

* Vitry.

* Lambres

Regnante *Sigiberto* maximâ floruit æquitatis pietatisque laude Dux *Crodindus*, qui dignitatem Majoris-Domus sibi à Rege ob eximia merita collatam modestè recusavit, quod omnibus penè Franciæ Optimatibus affinitatis junctus esset, quorum si dissimularet crimina, iniquus foret; si emendaret, crudelis in suos haberetur, (*Ex Aimoino lib. 3. cap. 4.*) *Crodindi* pietatem ac beneficentiam in pauperes & in Ecclesias *Gregorius Turonensis, lib. 6. cap. 20.* & *Fortunatus lib. IX. Carmine 16.* plurimùm commendant.

Crodindi Ducis modestia singularis.

III. *Chilpericus*, antequam regnaret, tres filios, *Theodebertum*, *Meroveum* & *Clodoveum*, ex *Audovera* conjuge susceperat, quâ post *Clotarii* patris obitum retentâ, superduxit *Fredegundem*. Postea dimisit utramque, ut *Galsuendæ* alteri *Atanagildi* Vvisigothorum Regis filiæ, *Brunichildis* sorori natu majori nuberet, quam cum ingentibus thesauris obtinuit. Repudiatam à *Chilperico Audoveram* ductamque *Fredegundem* pellicem, quòd filiam suam *Basinam* ex sacro fonte *Audovera* imprudens, Fredegunde suadente suscepisset, referunt Anonymus qui *Gesta Regum Francorum* scripsit, & *Aimoinus*; sed hæc mera fabula est. *Chilpericus* enim *Audoveram* non priùs dimisit, quàm *Atanagildi* filiam in uxorem exposceret (ut constat ex *Gregorio Turonensi, lib. 4 cap. 28.*) Neque propriorum filiorum è sacro fonte susceptio his temporibus prohibebat conjuges à reddendo debito. Parentes liberos suos è baptismo suscipere solitos quinto sæculo, discimus ex Epistola 23. S. Augustini *ad Bonifacium* Episcopum datâ, cui consuetudini ante Concilium Moguntinum sub Carolo Magno derogatum non est. *Galsuendam* strangulari jussit *Chilpericus* anno 568. ut *Fredegundis* amoribus liberius frueretur, quam post ejus necem, in Aulam thorúmque revocavit. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 4. cap. 28,*

Chilpericus

IV. Cum *Brunichildis* filium suum *Childebertum* in Regnum *Sigiberti* patris levasset, eam *Chilpericus* Rothomagum relegavit, & *Meroveum* cum copiis Pictavium misit. Ille *Chilperici* patris jussione contemptâ, Rothomagum contendit, *Brunichildem* Sigiberti patrui viduam in conjugem accepturus. *Chilpericus* Rothomagum profectus, *Meroveum* secum adduxit, & deinde sibi ac *Fredegundi* suspectum, in custodiâ detinuit. Tum Presbyter ordinatus est, ac vestem indutus Clericalem, capiteque tonsus, ad *Anisolense* * Monasterium Diœceseos Cœnomanicæ missus est. Sed favente *Guntchramno Bosone*, resumptâ veste sæculari, in Basilicam Sancti Martini Turonensis cum eo se recepit. Ibi cùm patri & novercæ *Fredegundi* detraheret, licet ea parte vera essent, quæ de illis vulgabat crimina, sibi tamen displicere significavit Deus, quod hæc à filio revelarentur. Cùm enim *Gregorium Turonensem* mensæ assidentem suæ rogasset ut legeret aliquid ex Scripturis Sacris, ille acceptô Salomonis libro, hunc primùm occurrentem legit versiculum: *Oculum, qui aversus exasperat patrem, effodiant eum corvi de vallibus.*) Guntchramnus Boso Pythonissam per famulos consuluit, eique mortem *Chilperici* proximè futuram, *Merovæi* in Regnum exaltationem, & ipsi Guntchramno insignem Episcopatum prænuntianti, credidit imprudens. Superstitiosam hominis levitatem risit *Gregorius Turonensis*, cui Deus *Chilperici*, & quatuor filiorum quos tunc habebat, scilicet *Merovæi*, *Samsonis*, *Clodovæi* & *Clotoberti* exitium, in somnis revelavit. *Guntchramnum Bosonem* sibi charum ob *Theodebertum* Chilperici ex *Audovera* filium in prælio occisum, ad *Meroveum*, è Basilica S. Martini educendum impulit *Fredegundis*, ut sicariorum quos præsto esse putabat, insidiis pateret. *Chilpericus* Guntchramnum Bosonem ex azilo Sanctæ Basilicæ abstrahere non ausus, Deum tentavit, scriptâ ad tumulum *S. Martini* Epistola, quâ rogabat Sanctum Confessorem ut ad ipsum rescriberet, num liceret *Guntchramnum* ex azilo vi abducere. Cùm responsum nullum retulisset stolidus ac superstitiosus Princeps, juramentum extorsit à *Guntchramno*, ut sine ejus mandatis è Sancta Basilica non egrederetur; qui sacramenti pallam altaris fidejussorem dedit.

Merovei adversùs patrem Chilpericum rebellio.

* D'Anille.

Chilperici superstitio.

Meroveus interim quid sibi futurum esset, non à dæmone ut *Guntchramnus Boso*, sed à Deo per S. Martinum rescire cupiens, tres Scripturæ Sacræ Libros, Psalterii nempe, Regum & Evangeliorum super Sancti Confessoris tumulum positos, præmissis vigiliis, jejuniis, & orationibus aperuit. In pagina quam reseravit ex libris Regum, hunc primum versum legit: *Pro eo quòd dereliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis post Deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum ejus, ideo tradet vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum.* Ex Psalterio hic Versus occurrit: *Verumtamen propter dolos posuisti eis; dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? Subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Ex Evangeliis verò iste: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius Hominis tradetur ut crucifigatur.* Divinis illis Oraculis turbatus *Meroveus*, fusis ad *Sancti Martini* sepulchrum uberrimis lachrymis, ad *Brunichildem* Reginam fugit, quæ filii *Childeberti* Regnum administrabat: Sed ab Austrasiis non susceptus, à Tarabanneosibus circumventus & in villâ circumseptus, imminente cum exercitu *Chilperico*, Gailenum familiarem suum rogavit ut eum gladio confoderet, ne paternas & hostiles incideret in manus. Desperabundo Principi obsecutus est *Gailenus*. Meroveum à Gaileno cruentum officium non rogasse fama fuit, sed fictum id fuisse & in vulgus sparsum à *Fredegunde*, quæ *Merovei* cædem imperaverat. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 5.*)

Meroveus Deum consulit superstitiosâ ritu.

Anno 577

Fredegundis odio in æmulam *Audoveram*, & privignos impotenti incitata, perniciem eorum juraverat, suos, ut filios in Regnum eveheret. Sed Deus ambitiosæ crudelisque Reginæ spem deludens, proprios ejus filios *Chlodobertum*, & *Dagobertum*, dysenterico morbo extinxit. Correptis morbo lethali pueris, manum Dei persentiscens *Fredegundis* ingemuit, & serò pœnitens his verbis Regem allocuta est Chilpericum: *Diu nos malè agentes pietas divina sustentat.... Jam perdimus filios. Ecce jam eos lachrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt, nec spes remanet cui aliquid congregemus. Thesaurizamus, nescientes cui congregamus ea.... Incendamus omnes descriptiones iniquas, sufficiatque fisco nostro, quod sufficit Patri Regique Clotario.* Tum pectus tundens, omnes descriptionum libros, per *Marcum Referendarium* è civitatibus missos igni tradidit, suòque exemplô, & adhortatione

Fredegundis odium & crudelitas in privignos.

vehementissimâ

vehementissimâ *Chilpericum* impulit ut idem faceret, & futuras descriptiones, seu novas exactiones à se imperatas prohiberet. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 5.*)

Unus superstes erat *Chilperico* ex priori conjuge *Audovera* filius *Clodoveus*, quem ille, instigante *Fredegunde*, Brennacum transmisit, ubi morbus dysentericus grassabatur, ut & ipse post fratres periret. Hic postquam mortis periculum evasit, multa dixit injuriosè de noverca, quæ ejus in illum odium auxerunt. Confinxit calumniam suis de perdendo *Clodoveo* consiliis opportunam: Quòd, per *Fredegundis* ancillam, puellæ matrem quam amabat Clodoveus, *Clodobertum* ac *Dagobertum* extingui maleficiis curasset, ut patris regno solus potiretur. Puellam ante *Clodovei* Hospitium palo infigi præcepit Regina, matrem verberibus laceratam fateri coëgit vera esse quæ per calumniam jactabantur, ultionem petiit à Rege, qui ipsi tradidit *Clodoveum*. Hunc in carcerem conjectum furens noverca cultro confodi jussit, rumorémque spargi, quòd ipse sibi violentas manus intulisset. Reginam quoque *Audoveram* crudeli morte sustulit *Fredegundis*, & *Basinam* ejus filiam, suorum puerorum insolentiæ permissam, ab iisque delusam, in Monasterio Pictaviensi reclusit. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 5. cap. 40.*)

Anno 580.

Ejusdem *Fredegundis* Reginæ malis artibus, *Prætextatus* Rothomagensis Episcopus, in Synodo Parisiis habitâ accusatus à Rege *Chilperico*, quòd *Meroveo* rebelli favisset, eúmque cum amita *Brunichilde* conjunxisset, & commendatas *Brunichildis* pecunias distraxisset, iisque ad fovendam usus esset conjurationem, depositus est, custodiæ traditus, gravissimè cæsus, in Insulam prope Constantiam relegatus. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 7. cap. 19.*) De *Prætextati* depositione egimus *Cap. 5. Articulo 2. Num. 8.* Eundem Antistitem ab exilio reducem, die Dominica in Ecclesia sua Metropolitana Sacris operantem, à sicario percuti jussit nequissima *Fredegundis*. Quæ ut parricidium se execrari simularet, Sanctum Episcopum animam agentem invisit, & in parricidam indignabundâ in speciem voce declamavit. Cujus fraudem apprimè noscens *Prætextatus*, ait: *Et quis hæc fecit, nisi qui Reges interemit, qui sæpius sanguinem innocentem effudit, qui diversa in hoc Regno mala commisit?* Ipsam indicans *Fredegundem*, Cui Medicos offerenti, respondit: *Jam me Deus præcipit de hoc mundo vocari. Nam tu quæ his sceleribus Princeps inventa es, eris maledicta in sæculo, & erit Deus ultor sanguinis mei de capite tuo.* (Ex Gregorio Turonensi, *lib. 8 cap 41*)

Anno 577. — Fredegundis in Prætextatum Rothomagensem Episcopum sævit. — Anno 584.

V. *Chilpericus* mulierosus Princeps *Fredegundi* in omnibus obsequebatur. Bellis civilibus adversùs Fratres non semel susceptis summum sibi dedecus, illatis in Aremoricam armis adversùs *Warochum* illius Provinciæ Comitem, nonnullam gloriam peperit. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 5. cap. 27.*) Britanniæ minoris Comites Regum tunc nostrorum erant feudatarii. Ut enim observat *Gregorius Turonensis*, lib. 4. cap. 4. *Semper Britanni sub Francorum potestate post obitum Regis Clodovei fuerunt, & Comites, non Reges appellati sunt.*

Chilperici bella.

VI. In Sabellianismum lapsus *Chilpericus*, magnâ contentione defendit errorem, sed *Gregorio Turonensi*, & *Salvio Albigensi* Episcopis ipsum intrepidè arguentibus, resipuit. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 5. cap. 45.*)

Chilpericus in Sabellianismum lapsus.

VII. Judæorum conversioni studuit *Chilpericus*, multósque baptizari præcepit, multos excepit è Sancto Lavacro. *Priscum* in perfidiâ suâ pertinacem in carcerem conjecit, *Ut quem credere voluntarie non poterat, audire & credere faceret vel invitum.* (inquit *Gregorius Turonensis*) Improbandus sanè *Chilperici* zelus, vim Judæis, Religionem Christianam ut amplecterentur, inferentis: Qui nec in Ecclesiæ gloriam, nec in ipsorum salutem cessit. *Nonnulli enim eorum corpore abluti tantùm, non corde, Deo mentiti, ad perfidiam regressi sunt, Sabbathum, & diem Dominicum observantes.* (Ex Gregorio Turonensi, *lib. 6. cap. 17.*)

Judæos cogit ad baptismum suscipiendum. — Anno 581.

VIII. *Chilperici* pravos mores *Gregorius Turonensis* describit *lib. 6. cap. 46* his verbis: *Chilpericus, Nero nostri temporis & Herodes.... Regiones plurimas sæpius devastavit, atque succendit. De quibus nihil doloris, sed lætitiam magis habebat, sicut quondam Nero, cum inter incendia Palatii Tragædias decantaret. Persæpe homines pro facultatibus eorum injustè punivit. Cujus tempore pauci quodammodo Episcopatum Clerici meruerunt. Erat gulæ deditus. Nullum se asserebat esse prudentiorem. Confecit duos libros, quasi Sedulium imitatus, quorum versiculi debiles nullis pedibus subsistere poterant. Et alia Opuscula, Hymnos, Missas,* quæ nullâ ratione ferri potuisse idem Auctor testatur. *Causas pauperum exosas habebat.* Sacerdotibus detrahebat. *Nullam rem plus odio habebat quàm Ecclesias, plerúmque dicere solitus: Ecce pauper remansit fiscus noster: Ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli penitus nisi soli Episcopi regnant. Periit honor noster, & translatus est ad Episcopos civitatum.* Testamenta in gratiam Ecclesiarum conscripta rescindebat, ipsasque Patris sui Constitutiones calcabat. In omnem libidinem atque luxuriam erat effusus, *nova semper ad lædendum populum ingenia perquirebat.* Crudelitatis perenne monumentum legere est in his verbis quæ suis Edictis inserebat *Si quis Præcepta nostra contempserit, oculorum evulsione mulctetur.*

Chilperici mores.

IX. A Sicario in villa Calensi * cultro percussus, miserè interiit, anno Christi 584. Regni sui 23. ab omnibus suis relictus, qui diligebatur a nemine, ut sincerè dilexerat neminem. Sepultus est Parisiis in Basilica *Sancti Vincentii*. Ejus erga Tornacensem Ecclesiam munificentiam, illius Ecclesiæ Chartularia testantur. *Fredegarius in Historiæ Epitome cap. 93.* Chilpericum à *Falcone*, quem *Brunichildis* ad id sceleris impulisset, interfectum scribit. *Gesta Regum Francorum cap. 35. Aimoinus, lib. 3. cap. 57.* instigatricem facinoris faciunt *Fredegundem*, quòd à Rege baculô per jocum percussa, *Landericum* procum suum, imprudenter appellasset. Utramque Reginam purgat P. le Cointe, *in Annalibus Ecclesiasticis Francorum*, I. Ex *Gregorii Turonensis* silentio, qui cùm alias cædes quas patrari curavit *Fredegundis* narraverit, hoc unum scelus minimè tacuisset. II Quia post sex annos *Sunnegesilus* necis illatæ *Chilperico* se reum confessus est, teste *Gregorio Turonensi, lib 10. cap. 19.* Nec in *Fredegundem* crimen rejecit, rem facturus pergratam *Childeberto* ac *Brunichildi*, quorum jussu torquebatur, si ipsam accusasset: siquidem *Childebertus* hâc accusatione usus fuisset apud *Guntchramnum*, cui jam persuadere voluerat scelus fraude *Fredegundis* peractum, ut refert *Gregorius Turonensis, lib. 7. cap. 7.* Inde quoque *Brunichildis* insons probatur, quòd si consciam se nosset necis illatæ *Chilperico*, Sunnegesilum tormentis non addixisset. Præterea ubi Rex *Guntchramnus* in auctores & conscios necis *Chilperici* inquisivit, *Fredegundis* Eberulfum Cubicularium reum nominavit, Brunichildem nequidem in suspicionem vocavit sceleris, quamvis eam odiô infensissimo prosequeretur.

* Chelles. — Mors Chilperici. — Ab ejus suspicione purgantur Fredegundis, & Brunichildis.

X. Unicum filium Clotarium Chilpericus reliquit, & duas filias, Basinam, & Riguntham *Clotarius* patri successit. Basina in Monasterio Pictavensi velata est. Riguntbis Reccaredo, Leuvigildi Regis Gothorum in Hispania filio desponsata, ad eum iter faciens, auditâ patris nece, Tolosæ substitit, & innupta consenuit.

XI. Burgundiæ Regnum tenuit *Guntchramnus*. Antequam Patri *Clotario* succederet, filium *Gundobadum*

Guntchramnus.

Uxores conjuges & liberi.

badum habuit ex *Veneranda* concubina. Post mortem *Clotarii*, Mercatrudem uxorem duxit, Magnarii Comitis filiam. Quæ cùm filium ex Rege sponso suscepisset, *Gundobadum* privignum, quem *Guntchrannus* Aureliæ nutriri præceperat, veneno necavit, & filium suum paulò post amisit, justô Dei judiciô: dimissáque à Rege, non multò post mortua est. Postea duxit *Austrigildem*, ex eáque duos suscepit filios, *Clotarium*, & *Clodomerem*, quos anno Christi 577. subitus morbus oppressit, filiisque mater triennio vix superstes vixit. Abhinc in cœlibatu mansit *Guntchrannus*, ad obitum usque. Præter memoratos à Gregorio Turonensi quatuor filios; habuit & duas filias, *Clodebergem*, & *Clotildem*, puellas Deo sacratas, laudatásque in Constitutione Synodi Valentinæ anno 585.

Guntchramni bella. Adversùs Gundobadum Impostorem.

XII. Orbatus filiis *Guntchrannus*, nepotibus patrem se præstitit ac defensorem. Impostor quidam nomine *Gundobaldus*, qui se *Clotarii* Magni filium mentiebatur, partem regni velut sibi debitam, faventibus *Mummolo* Patritio, *Desidera* Septimaniæ Prorege, *Bladasie* Duce, *Vvadone* Majore domus *Rigunthis*; & *Sagittario* Episcopo quondam Vappicensium, repetere ausus est, missis ad *Guntchrannum* Legatis. Quibus ad trocleas extensis, & agnito statu rerum *Gundobaldi*, nepotem *Childebertum* accersiri jussit, hastámque suam ejus manui inseruit, in signum quòd universum Regnum suum ei traderet. Deinde clam indicavit ei quos in consilio habere, quos à colloquio rejicere, quibus se credere, quos fugere, quibus munera conferre, quos ab honoribus repellere deberet. *Ægidium* Remensem Episcopum imprimis vitandum ut perfidum monuit. Deinde jussit exercitui ut *Childeberto* tanquam legitimo Regi pareret. Mox *Guntchrannus* numerosum exercitum in Septimaniam transmisit; à quo expugnatis *Convenis*, quâ in urbe se *Gundobaldus* sesperat, ipse à *Mummolo*, *Vvaddone*, & *Sagittario* traditus Ducibus Regiis, lapide obrutus est à *Bosone*, ejusque cadaver fune per castra tractum, & cæsarie barbáque avulsis, insepultum relictum fuit. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 7.*)

à Comminges

Adversùs Gothos Bellum gerit Guntchramnus.

Bellum in Septimania gessit adversùs *Leuvigildum* Vvisigothorum Regem Arianum, Hermenegildi Martyris mortem ulturus. Æquissima belli causa, infelix exitus: Francorum nempe copiæ, quacumque iter habuerunt, sacra profanáque omnia hostili more populatæ, iratô Deo, à Vvisigotthis profligatæ sunt. Quamobrem *Guntchrannus* Duces gravissimis verbis objurgavit. *Qualiter*, inquit, *nos victoriam obtinere possumus, qui ea quæ Patres nostri fecerunt non custodimus? Illi Ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt. Nos verò non solùm Deum non metuimus, verum etiam sacra ejus vastamus .... Non potest obtineri victoria, ubi talia perpetrantur.*

Gesta Guntchramni cum Childeberto nepote.

XIII. *Guntchrannum Bosone*, qui Regi Austrasiæ *Childeberto*, & *Brunichildi* matri infestus erat, morte damnatô, pax inter *Guntchrannum* & *Childebertum* Reges, ad *Andelaum* * firmata est, anno 587. Conditiones pacis describuntur à *Gregorio Turonensi lib. 9. cap. 20.* Anno sequenti, *Gregorius Turonensis* à *Childeberto* Cabillonem * missus est Legatus ad *Guntchrannum* Regem cum *Felice*. Illo in conventu, quinque maximè de causis actum est, de pace superiore anno initâ, quam Juramento firmavit *Guntchrannus*. 2. De Legationibus *Fredegundis* à *Guntchranno* susceptis, quæ suspicionem adversùs eum movebant Childeberto & matri *Brunichildi*: has ita se suscipere dixit, ut cum *Fredegunde* non iniret amicitiam, quam sæpe sicarios ad necem suam conduxisse noverat. 3. De conjugio *Chlodesvinda*, quam *Recharedus* Rex Gothorum in Hispania, missa Legatione postulaverat uxorem. Huic matrimonio ægrè consensit *Guntchrannus*, quòd *Ingundis Clodesvindæ* soror, uxor *S. Hermenegildi*, mactatô conjuge sanctissimô, interfecta quoque in Africa *Leuvigildi* jussu diceretur. 4. De bello adversùs Longobardos, quod *Childebertus* susceperat; quod ut feliciter conficeret, auxiliares copias rogabat à *Guntchranno*. Quas negavit ille, ne lue per Italiam grassante, extingueretur exercitus. 5. De futurâ Synodo actum est, quam Nationalem optabat esse *Guntchrannus*, Childebertus verò satius esse ducebat in singulis Provinciis Concilia celebrari; quod nullâ exortâ hæresi, nulla generalis Conventûs necessitas videretur. (*Ex Gregorio Turonensi, lib. 9. cap. 20.*) Cùm lues illa, de quâ mox dicebamus, per Gallias etiam serperet, *Guntchrannus* Rex pientissimus publicas Supplicationes, vigilias, & jejunia indixit, eleemosynas largiores & ipse profundens, atque in his pietatis officiis exemplar factus subditorum; *Ut jam tunc non Rex tantùm, sed etiam Sacerdos Domini putaretur*, (inquit Gregorius Turonensis.)

** Andelot, in agro Lingonico.*

** Chalons sur Saone.*

Guntchramni obitus, sanctitas, beneficia in Ecclesiam.

XIV. Obiit *Guntchrannus* anno Christi 593. Regni sui 32. ætatis 71. pœnitentiâ & virtutibus clarus. Ejus nomen Ecclesiasticis Tabulis inter Sanctos adscriptum est, V. Kalendas Aprilis. Sepultus est in Monasterio *S. Marcelli*, quod condiderat in suburbio Cabilonensi. Divionense *S. Benigni* Monasterium Regiâ munificentiâ dotavit, ut testatur *San-Benignianum Chronicon*, Tomo V. *Spicilegii*. Edictum promulgavit Christianissimus Princeps de die Dominico, & cæteris Solemnitatibus religiosè observandis, quod Concilio II. Matisconensi subnexum est. Ad Christiani Regis officium pertinere asserit, ut Dei cultum promoveat, subditorúmque salutem procuret. Omne opus, præter victûs præparationem, diebus Dominicis & festivis prohibet, ac præcipuè causarum disceptationem ac judicia. Sacerdotes hortatur ad emendandos mores Fidelium assiduâ prædicatione: Judices, ut Legum severitatem in eos distringant, quos Canonica non corrigit Disciplina. *Et licet*, inquit, *absque nostrâ admonitione ad vos specialiter prædicandi causa pertineat; attamen reliquorum peccatis vos omninò credimus esse participes, si filiorum vestrorum culpas non assiduâ objurgatione corrigitis, sed silentiò præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnandi superni Regis commisit auctoritas, iram ejus evadere possumus, si de subjecto populo sollicitudinem non habemus. Idcirco hujus Decreti, ac Definitionis generalis vigore decernimus, ut in omnibus diebus Dominicis, in quibus sanctæ Resurrectionis Mysterium veneramur, vel in quibuscumque reliquis Solemnitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula universa plebs conjunctio devotionis congregatur studiô, præter victum, quem comparari convenit, ab omni corporali opere suspendantur, nec ulla causarum præcipuè jurgia moveantur.... Convenit ergo ut justitiæ & æquitatis in omnibus vigore servatô, distringat Legalis ultio Judicum, quos non corrigit Canonica prædicatio Sacerdotum.*

Guntchramni Regis Edictum de Dominicæ diei & Festorum religiosa observantia.

Scholion.

In hoc Articulo Religiosi Censores, hanc Propositionem notant: *Matrimonium in Gallia facilè dissolvebatur.*

R. Quamquam mera sit quæstio facti & Historiæ, hæc tamen Propositio non legitur pag. 487. quam Censores indicant. De Chilperico Francorum Rege Clotarii I. filio ibi tantùm scripsi, illum *Audovera conjuge retentâ superduxisse Fredegundem, postea dimisisse utramque, ut Galsuindæ nuberet.* Factum refero. De jure sentio, credo, & profiteor cum sacra Synodo Tridentino Sessione XXIV. de Matrimonio Canonibus quinto & septimo, qui Matrimonii indissolubilitatem spectant.

ARTICULUS

ARTICULUS III.

De Childeberto II. ejúsque filiis & de Clotario II.

I. CHildebertus II. Austrasiæ Rex, *Guntchramno* Patruo in Burgundiæ Regno successit. *Clotarius II.* novennis puer Neustriæ Regnum, quod fuerat *Chilperici* patris, tenebat, *Guntchramni* tutelâ hucusque securus. Post cujus obitum statim ipsi bellum *Childebertus* intulit. Idem *Childebertus* Regnum Vvarnorum penitus delevit. Obiit anno Christi 596. Regni sui 21. Boiorum Leges à *Theodorico* latas recensuit, ut scribit *Brunnerus lib. 4. cap. 20.* Proprium promulgavit Decretum anno Regni sui 20. quod ad calcem Legis Salicæ reperitur. Quatuordecim constat Articulis, quorum alii civile regimen, alii Disciplinam Ecclesiasticam spectant. Sanciebantur hujusmodi Leges in generalibus Regni Comitiis, quæ quolibet anno Kalendis Martiis celebrari consueverant. Istis Comitiis cùm Episcopi, & Primores laïci interessent, in iis non tantùm de civilibus, sed etiam Ecclesiasticis de causis agebatur. Singulos Articulos eruditè admodum explicat P. *le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum* ad annum 595. Articulus secundus incestas conjunctiones prohibet, & tam nefarii criminis reis interdicit Palatio, & omnes facultates adimit. Articulus quartus pœnam capitis decernit in raptores, & in mulieres ipsas, si raptoribus consenserint, & extra Ecclesiam uterque captus fuerit: si verò confugerint ad Ecclesiam, pœnam mortis commutat exiliô: & ipsorum facultates parentibus legitimis transcribit, salvis fisci juribus. Articulus quintus homicidium sine causâ perpetratum morte plecti decernit, redimi vetat, aut componi. Tunc homicidia & pleraque alia crimina pecuniis luebantur. Pecunia ad illorum redemptionem collata dicebatur *Vveregildus*. Mos ille veterum Francorum à Germanis acceptus erat, de quibus *Tacitus, lib. de Moribus Germanorum* scribit: *Suscipere tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quàm amicitias, necesse est. Nec implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus.* Sex Articuli sequentes pœnam capitis statuunt in fures, jubentque ut Judex & incolæ pagi in quo furtum commissum est, illis, quibus res ablata fuit, valorem statim restituant, si nec fur inveniri, nec res ablata restitui potest. Permittitur autem illis incolis ut alium pagum adeant, quò furem confugisse sciverint, ac deinceps pagus qui furem recepit, cum suo Judice tenetur ad restitutionem faciendam. Articulus XIV. de diei Dominicæ observantiâ statuit his verbis: *Diem Dominicam similiter placuit observare, ut quicumque ingenuus, exceptò quod ad coquendum, vel ad manducandum pertinet, opera alia præsumpserit, si Salicus fuerit, sol. XV. componat, si Romanus, VII. Si servus verò, aut tres solidos reddat, aut dorsum suum componat.* Salicum vocat, qui Salicis; Romanum, qui Romanis legibus utitur.

Childeberti Leges.

II. *Childebertum* ob fidei Catholicæ pietatem egregiè commendavit *S. Gregorius Magnus* lib. 5. Epistola 6. *Quantò*, inquit, *cæteros homines Regia dignitas antecedit, tantò cæterarum gentium regna Regni vestri profectò culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alii, non mirum est, sed esse Catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut enim magni luminis splendor in terra noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit; ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quicquid autem Reges se cæteri gloriantur habere, habetis. Sed ipsi in hac re vehementiùs superantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis.*

Childeberti Pietas.

Childeberti in imponendis moderandísque tributis æquitatem & pietatem probant, quæ à *Gregorio Turonensi*, lib. 9. Cap. tricesimo referuntur. *Childebertus Rex Descriptores in Pictavos, invitante Maroveo Episcopo, jussit abire, id est, Florentianum Majorem-Domus Regiæ & Romulfum Palatii sui Comitem: ut scilicet populus censum, quem tempore patris reddiderat, factâ ratione innovatura, reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant, & ob hoc viduis orphanisque ac debilibus tributi pondus insederat. Quod hi discutientes, per ordinem relaxantes, pauperes ac infirmos, illos quos justitiæ conditio tributarios dabat, censu publico subdiderunt: & sic Turonis sunt delati. Sed cùm populis tributariam functionem infligere vellent, dicentes, quia librum præ manibus haberent, qualiter sub anteriorum Regum tempore dissolvissent, respondimus nos dicentes: Descriptam urbem Turonicam Clotarii Regis tempore, manifestum est, librique illi ad Regis præsentiam abierunt. Sed compuncto per timorem S. Martini Antistitis Rege, incensi sunt. Post mortem verò Clotarii Regis, Chariberto Regi populus hic sacramentum dedit. Similiter etiam & ille cum juramento promisit, ut leges consuetudinésque novas populo non infligeret... Gaiso verò Comes ejusdem temporis, accepto capitulario, tributa cœpit exigere, sed ab Eufronio Episcopo prohibitus, cum exactâ pravitate ad Regis direxit præsentiam, ostendens capitularium in quo tributa continebantur. Sed Rex ingemiscens ac metuens virtutem S. Martini, incendio tradidit. Aureos exactos Basilicæ S. Martini remisit: Obtestans ut nullus de populo Turonico ullum tributum publico redderet. Post cujus obitum Sigibertus Rex hanc urbem tenuit, nec ullius tributi pondus invexit. Sic & nunc decimo-quarto anno Childebertus Rex post patris obitum regnans, nihil exegit, nec ullo tributi onere hæc urbs aggravata congemuit. Nunc autem potestatis vestræ est, utrùm censeatis tributum, an non. Sed videte ne aliquid noceatis, si contra ejus sacramentum ambulare disponitis. Hæc me dicente, responderunt: Ecce librum præ manibus habemus, in quo census huic populo est inflictus. Et ego aio: Liber hic à Regis thesauro delatus non est, nec unquam per tot convaluit annos... Dum autem hæc agerentur, Audini filius, qui librum ipsum protulerat, ipsa die à febre correptus, die tertio expiravit. Post hæc nos transmisimus nuntios ad Regem, ut quid de hac causa juberet, mandata remitteret. Sed protinus Epistolam cum auctoritate miserunt, ne populus Turonicus pro reverentia S. Martini, describeretur.*

Childeberti in tributis imponendis moderatio.

Populus Turonicus ob Martini reverentiam à tributis immunis.

III. *Childebertus Secundus* duos filios reliquit, *Theodobertum*, & *Theodoricum*, quorum ille in Austria, hic in Burgundia regnavit, contra quos statim movit exercitum *Clotarius*, agente Regina matre *Fredegunde*, & Lutetia, aliisque civitatibus finitimis occupatis, consobrinorum Regum fudit exercitum. (*Ex Fredegario, cap. 17.*) Mortua est *Fredegundis* anno sequenti, qui erat Christi 597. Regni *Clotarii* 14 prudens callidáque fœmina, dominandi non minus capax, quàm avida, cui nec ingenium ad consultandum, nec ad consilia exequenda vis & animus deesset. Quæ ab Auctore libri *De Gestis Regum Francorum*, & post eum à recentioribus Historicis de adulterio *Fredegundis* cum *Landerico* Majore domus *Chilperici* narrantur, fabulam olent. *Gregorii Turonensis*, qui alia istius Reginæ crimina commemorat, hac de re silentium, probat ipsam suspicioni de adulterio nec minimum locum præbuisse. Ipsam insigni ornat encomio *Venantius Fortunatus*, lib. 14. Carminum ad Chilpericum Regem, ipsamque ab ingenio, prudentiâ, solertiâ, beneficentiâ, plurimùm laudat.

Childeberti filii.

Fredegundis Reginæ obitus.

Adulterium cum Landerico fictitium.

IV. *Theodoricus* & *Theodobertus*, instigante aviâ

Bella civilia Theodorici.

avià *Brunichilde*, Clotarium Fredegundis consiliô destitutum oppugnaverunt, & acie victum, Regni parte maximâ cedere coëgerunt: Ita ut duodecim tantum pagi inter Isaram & Sequanam ad Oceani usque litora, sub ejus ditione remanserint (*Ex Fredegario, cap. 19 & 20.* Contigit ea clades *Clotario*, anno sexcentesimo. Exinde *Theodoricus* Brunichilde suadente bellum intulit *Theodeberto* fratri, sed cæsô *Protadio* belli incentore, pax inter utrumque coaluit. Simultatis inter eos exortæ causa fuit, quòd *Theodebertus*, ubi *Clotarii* exercitum à *Theodorico* profligatum, captámque Luteriam rescivit, nimiam fratris potentiam veritus, statim pacem cum *Clotario* pepigit. Quam ob rem à fratre se delusum questus *Theodoricus*, mox arma in ipsum convertit. Quod contigit anno 605. Magis exarsit bellum istud civile anno 611. quo *Theodoricus* injurias & contumelias à fratre illatas armis ultus est. (*Ex Aimoino, lib. 3. cap. 98.*) Falsum est quod referunt *Fredegarius cap. 37.* & *Anonymus* qui *Gesta Regum Francorum* scripsit, *capp. 37. & 38.* ideo bellum à *Theodorico*, instigante avia *Brunichilde*, contra *Theodebertum* susceptum, quòd *Theodebertus* ex concubina, & ex adulterio natus esset, adeóque Regno indignus videretur. *S. Gregorii Turonensis* testimoniô refelluntur, qui ad annum Childeberti Regis decimum, *De Theodeberti* ortu magnificè loquitur. *Childeberto Regi filius natus est, quia Magnerico Treverorum Episcopo de sacro fonte susceptus, Theodebertus est vocitatus, de quo tantum gaudium Guntchramnus Rex habuit, ut statim Legatos dirigens, multa ei munera transmitteret, dicens: Per hunc enim Deus erigere Francorum Regnum propriâ Majestatis suæ pietate dignabitur, si hic e pater, aut ipse vixerit patri.* At *Guntchramnus* Princeps sapientissimus & religiosissimus, de puero ex concubina & ex adulterio natô hæc non dixisset; neque gaudium de nativitate Regi *Childeberto* indecora, & Regno inutili, imò potius noxiâ concepisset. Neque *Magnericus* infantem adeò pudendis ortum natalibus de sacro fonte suscipere voluisset. Tandem anno Christi 612. bis in acie fusus à *Theodorico*, *Theodebertus*, primò prope *Tullium*, deinde prope *Tulbiacum*, captus est à *Berthario* Theodorici Regis Cubiculario, cùm trans Rhenum fugeret; deinde *Cabilonem* missus est ad aviam *Brunichildem*, quâ rogante, attonsus est in Clericum, ac paucis post diebus necatus. (*Ex Fredegario, cap. 38.* & ex *Jona*, in Vita Sancti Columbani.) Vixit *Theodebertus* annos viginti sex, obiit anno Regni decimo septimo. Duas duxit uxores, *Belichildem*, & *Theudechildem*. Ex Belichilde natus est ei *Clotarius*, & filia quæ *Adovaldo* Agilulphi Longobardorum Regis filio desponsata est: Ex Theudechilde *Meroveus*. Utrumque *Theodoricus* necari jussit, Burgundiæ Regnum, fratris, nepotumque crudeli cæde consecutus. Quô tamen haud diu potitus est: anno enim sequenti obiit, cùm bellum adversùs *Clotarium* pararet. (*Ex Fredegario, capp. 38. & 39.*) Vixit annos viginti sex, regnavit annos septemdecim. Reliquit quatuor filios, *Sigibertum*, *Childebertum*, *Corbum*, & *Meroveum*. Sanctum *Desiderium* Viennensem Episcopum *Theodoricus* Martyrio sustulit, anno Christi 607. cujus criminis conscia fuit, vel etiam instigatrix *Brunichildis*. (*Ex Jona* in Vita Sancti Columbani, & *Fredegario, capp. 32. & 36.* (*Ado Viennensis* totum crimen in *Brunichildem* rejicit. Falsò scripsit Fredegarius *Aridii* Lugdunensis Episcopi consilio atque instigatione *Desiderium* pulsum in exilium & necatum. Quominus ipsi fides adhibeatur, obstat *Aridii* vindicata sanctitas, cujus memoria in Lugdunensi Diœcesi Officio Ecclesiastico recolitur IV. Idus Augusti. *Ado Viennensis*, in Epistola ad Ecclesiam suam, *S. Desiderium* Brunichildis mandatis primò relegatum, postea necatum scribit, quòd eam ob libidines reprehenderet. Id minus verisimile, cùm sexagenaria tunc esset *Brunichildis*: Nec eam *Gregorius Turonensis* impudicitiæ insimulaverit: & *S. Gregorius Magnus* summis eam laudibus sæpiùs affecerit, id minimè facturus, si malâ famâ laborasset. *Desiderium* à Simoniacis & Neophytis, qui ad Sacerdotium irrepserant, quos ipse acerrimè insectabatur, perduellionis accusatum, malis eorum artibus pulsum à suâ Sede, exiliô damnatum, & necatum, non consentiente *Brunichilde*, conjicit *P. le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum*, sed cum Jonas & Fredegarius, *Brunichildem* necis *S. Desiderii* ream statuant, frustra videtur excusari. Sævit etiam in *S. Columbanum Theodoricus*, cúmque in exilium deportari jussit, teste *Jona* in ejus Vita.

Sigibertum in solio *Theodorici* patris collocavit *Brunichildis*: quem *Clotarius* peremit, ac *Brunichildem* ipsam in camelo circumductam, & equi indomiti tergo alligatam discerpi jussit, cujus cadaver à populo crematum est. (*Ex Anonymo, in Appendice ad Marium Lausannensem*, decimo post mortem Brunichildis anno scribente, ex Jona in Vita S. Columbani, & *Fredegario*.) (Hunc exitum habuit infelix Regina, hanc incestarum cum Meroveo nepote nuptiarum; belli civilis inter *Theodebertum*, *Theodoricum*, & *Clotarium* accensi; armatorum mutuam in perniciem nepotum, Galliæ tot annos turbatæ, necis illatæ *Sancto Desiderio* pœnam referens. (Anno 613.) In *Sancti Martini* Monasterio Augustodunensi ostenditur sepulchrum, quod sibi, florente fortunâ, paraverat. Multas de *Brunichilde* Regina fabulas à *Fredegario* vulgatas, ab *Aimoino* exscriptas, refellit *P. le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum*, Falsúmque esse ostendit, quod ei *Clotarium* objecisse commemorat *Fredegarius in Chronico*, decem Reges, seu Regum filios ipsam interemisse. Quam calumniam & *Pasquierius* refellit in *Disquisitionibus Rerum Francicarum*. Ecclesiam *Sancti Martini*, & Xenodochium Augustodunense condidit, necnon Basilicam *S. Vincentii* in suburbio Laudunensi, & innumeras alias sub nomine *Sancti Martini* fundavit Ecclesias. (*Ex Aimoino, lib. 4. cap. 1.*) Ipsam non semel laudavit *Sanctus Gregorius Magnus*, Epistola scilicet 5. libri sexti ad ipsam datâ: *Excellentia vestra*, inquit, *prædicandam ac Deo placitam bonitatem & gubernacula Regni testantur, & educatio filii manifestat.* Et Epistola 8. Libri XI. *Inter alia bona hoc apud vos præ cæteris tenet principatum, quòd in mediis hujus mundi fluctibus, qui Regentis animos turbulentâ solent vexatione confundere, ita cor ad divini cultûs amorem, & venerabilium locorum disponendam quietem reducitis, ac si nulla vos alia cura sollicitet. Unde quia hujusmodi Præpositorum actio, subjectorum magna solet esse munitio, præ aliis gentibus gentem Francorum asserimus felicem, quæ sic bonis omnibus præditam meruit habere Reginam.* Frustra verò ex his laudibus colligunt quidam, *Brunichildem* nullis maculatam flagitiis. Nam Sanctorum Virorum mos semper fuit, Principes ob nonnulla bona opera laudare, ut eos ad majora pro Dei gloria & Ecclesiæ commodis incitarent, & quæ de ipsis vulgabantur flagitia, non facilè credere: cùm scirent eos invidiæ & inimicitiis patere plurimorum, qui eorum famæ detraherent: & in vitam Regum, ac Reginarum, eorúmque consilia & arcana, non inquirere. Unde cædes ab ipsis imperatas, crudelitati, injustitiæ, ultionis, aut dominationis libidini non tribuebant, nisi manifesta res esset, adeòque ita essent famæ suæ prodigi, ut scelera sua nulla justitiæ specie velarent. Ad annum usque decimum tertium sequentis sæculi progressi sumus in isto Capite, ut filiorum *Childeberti* Historiam continuam oculis Lectorum subjiceremus. Cætera quæ *Clotarii* Regnum spectant, sequenti sæculo persequemur.

Theodeberti Natales à calumnia vindicantur.

Lib. 8. cap. 37.

Mors Theodeberti, & filiorum.

Mors Theodorici.

Ado Viennensis emendatur.

Sigibertus filius Theodorico patri succedit. Necatur.

Brunichildis exitus.

Brunichildis à S. Gregorio Magno laudata.

CAPUT

CAPUT ULTIMUM.

De Hispaniæ Regibus, V. & VI. Sæculo.

Hermenericus. l'Andalousie. Merida.

I. SÆCULO Quinto divisæ erant Gotthos inter, Suevos, & Romanos Hispaniæ. Suevis imperabat *Hermenericus*, quô ex diuturnô morbo sublatô, anno 440. successit *Rechila* filius, qui *Bætica* * subactâ, redactâque in Potestatem *Hispali*, conversis deinde in *Lusitaniam* armis, *Emeritam* * expugnavit, deletis Alanorum reliquiis. Demum *Carpetaniam* & *Carthaginensem* Provinciam occupavit. Obiit *Rechila* anno 448. *Recciario* filio Regni successore relicto, qui primus Suevorum Regnum Christo nomen dedit.

Theodoredus.

II. *Theodoredus* Gotthorum Regnum in Hispania moderabatur, exiguo tractu Provinciæ, ubi nunc *Catalauni* sunt, circumscriptum. Periit in bello, quod ad propulsandum Attilæ impetum, Gotthi, Franci, Romanique fœderati susceperunt, prælio ad *Aurelianum* * commisso. *Theodoredo Thurismundus* filius successit, qui Regni opibus firmatis, *Attilam* insecutus, prælio superavit ad *Ligerim* fluvium. Hunc superbiùs atque crudelius imperantem, *Theodoricus* & *Fridericus* fratres opprimendum curarunt, annô exactô, ex quô Gotthis jura dabat. *Avito Augusto* suadente *Recciarium* Suevorum Regem bello aggressus est, & ad Urbicum flumen Hiberiam præter fluens, atque Asturicam, in Gallæciæ finibus, commissô prælio, *Recciarium* interfecit, ingentémque Suevorum edidit cladem. Bracaram diripuit, arma vertit in Lusitaniam: In Bæticam, cum copiarum parte *Ceurilam* misit; cujus incolæ Provinciæ se Gotthorum potestati permiserunt. In Gallæcia majori contentione bellum gestum est, ac tandem ad urbem *Lucum* * commissâ pugnâ, *Agiulphus* qui Regium nomen apud Suevos usurpaverat, cùm in Gotthorum potestatem venisset, capite mulctatus est. Sanctorum virorum precibus, quos Suevi ad *Theodericum* miserunt, pax Provinciæ concessa, & libertas creandi Regem. Factâ votorum dissensione pars *Frantam*, pars *Masdram* elegit. *Masdra* intra biennium à suis occisô, *Remismundus* ejus filius fœdere cum *Franta* ictô, Lusitaniam ad Romanorum ditionem revocatam; igne ferróque depopulatus, subigere prorsus non valuit. Anno 461. *Severo* imperante, *Theodoricus* Rex Gotthorum Narbonem pristinæ ditioni adjecit, tradente urbem *Ravennio*, quem magnis promissis ad defectionem à *Severo Augusto* sollicitaverat.

Orleans. Lugo. Theodoricus Rex Gotthorum.

III. Apud Suevos in *Frantæ* Regis defuncti locum, factionis suffragiis substitutus est *Frumarius*. Æmulus *Remismundus* universam ditionem gentémque Suevorum armis invasit, obtinuítque, *Frumario* interim ex morbo defunctô. Mox Lusitaniam subegit, & initô cum *Theodorico* Rege Gotthorum fœdere, acceptâque in conjugem ejus filiâ, Regnum firmavit. Arianæ uxoris blanditiis, & *Ajacis* hominis Ariani, quem filiæ comitem *Theodoricus* dederat, calliditate, *Remismundus*, & per eum Suevorum gens universa, lethali hæreseos veneno contaminata est.

IV. Anno Christi quadringentesimo sexagesimo septimo, *Eurici* fraude *Theodoricus* occubuit. Ille Gotthorum Regnum hôc obtinuit parricidiô. Romanis in Hispania universâ ditione Imperióque spoliatis, præter Gallæciam, quæ Suevis parebat, reliquâ Hispaniâ potitus est. In Galliam subinde irrupit: Massilia, aliísque urbibus, & omni, usque ad Rhodanum, Provinciâ occupatâ, Regni Sedem Arelate collocavit. Arianæ Sectæ addictissimus Princeps Catholicos Sacerdotes vexavit, templa, sacráque omnia violavit. Obiit Arelate, anno Christi 483. Gotthorum Regno septemdecim annis administrato. Ipsi successit *Alaricus* filius. Is à *Clodoveo Magno* Francorum Rege in campis *Vogladensibus* fusus atque confossus est, anno Christi quingentesimo septimo.

Alaricus.

V. Gotthorum Proceres, *Amalarici* tum quinquennis, quem ex *Theudicodâ* uxore *Alaricus* susceperat, ætate contemptâ, *Gesalaicum* ejus ex concubina filium rebus præfecerunt. *Theodoricus* Rex Ostrogotthorum, immisso in Galliam Narbonensem ingenti exercitu, nepotis injuriam ultus, *Gesalaicum* profligavit, & Barcinonem primùm se recipere, deinde in Africam fugere coëgit. *Gesalico* profligato, Vvisigotthicum Hispaniæ Regnum, sive suô, sive *Amalarici* nepotis nomine, gubernavit *Theodoricus*, cujus nomen Episcoporum Concilia per hæc tempora in Hispania habita præferunt. Mortuo *Theoderico*, *Amalaricus* Vvisigotthorum in Hispania Regnum liberè cœpit gubernare. Is pacem cum Francis Regibus pepigit, *Crotilde* Magni Clodovei filia in uxorem ductâ: Quam cum ob Catholicæ Religionis professionem indignè & crudeliter exciperet Arianus Princeps, Regum Francorum arma in se excitavit, qui sororis calamitatem miserati, conjunctis viribus in Hispaniam duxerunt. Fugere compulsus *Amalaricus*, militis hastâ trajectus periit, anno 531.

Amalaricus.

VI. Nullam prolem cùm reliquisset, Vvisigotthorum Proceres, *Theudi* Ostrogottho, qui Regnum procuraverat, cùm *Amalaricus* ætate minor esset, summam rerum detulerunt. Is ut Vvandalos de Imperio Africæ jamdudum periclitantes juvaret, superatô fretô, *Septam* urbem Hispaniæ objectam ad freti angustias obsidens, cùm diei Dominicæ religione obstrictus, quiesceret, obsessorum eruptione repente factâ, insignem cladem accepit; Deleta maxima pars exercitus, quæ in castris erat, cùm reliquâ servatus Rex classis beneficio, & in Hispaniam rejectus. Anno Christi 548. Regni sui 18. per quinque menses inchoato, à sicario quodam ense confossus est, extremo spiritu Dei vindictam agnoscens, ob Ducem, cui nomen junior dederat, manu suâ cæsum. Quam ob rem parricidam ab iis qui aderant, violari vetuit, eique jussit condonari facinus.

Theudes. A. C. 548.

VII. *Theudi* sublatô, Procerum suffragiis in solium Vvisigotthorum levatus est *Theudiselus*, ob spectatam bellô Francorum virtutem, & generis nobilitatem. Natus enim erat ex sorore *Totilæ* Ostrogotthorum Regis. Virtutem militarem effusâ libidine brevi obscuravit. Multi subditorum, eô agente, per insidias, aut judiciô affictis criminibus, sublati, ut eorum uxoribus ad libidinem exsaturandam abuteretur. Quæ res populi, Procerúmque invidiam in illum tantam excitavit, ut eum conjuratione initâ perimere destinarent. Hispali, impetu in Regiam factô, inter prandendum à suis obtruncatus est. Regnavit anno uno, mensibus sex, & diebus tredecim.

Theudiselus.

VIII. *Theudiselo*, Procerum electione subrogatus est *Agila*, cui Regnum fuit semper infaustum. Cordubam parere recusantem obsidens, subitâ civium eruptione superatus est, filióque in acie cæso, Emeritam ex fugâ se recipere compulsus. *Athanagildus* ab eô defecit, & auxiliaribus copiis à *Justiniano* Imperatore impetratis, quarum Dux fuit *Liberius Patritius* ex Gallia missus, illum ad Hispalum vicit, fugavítque. Periit *Agila* Emeritæ, Procerum, qui ejus partes sequebantur, ferrô confossus.

Agila.

IX. *Athanagildus*, æmulô sublatô, Gotthorum Regno

Athanagildus.

Regno potitus, Romanos, quos in Hispaniam evocaverat, quique partem regionis illius non exiguam occupaverant, pellere conatus est. Quam ob causam gravissimo per totam vitam bello est implicatus. Ex uxore *Gosvinda* filias duas suscepit, *Galsvindam* quæ *Chilperico*, & *Brunechildem*, quæ *Sigeberto*, Francorum Regibus, nupserunt. Regnavit annis quindecim, mensibus sex. Toleti ex morbo obiit, anno Christi 567.

Suevorum conversio sub Theodomiro Rege.

X. Circa hæc tempora, Suevi hactenus Gallæciæ imperantes, ab Ariana secta, ad quam ab annis fermè centum defecerant, ad Catholicam Religionem traducti sunt, *Theodomiro* genti imperante; Qui filium ex morbo gravi decumbentem *S. Martino Turonensi* commendans, missis ad ejus sepulchrum Legatis, ipsoque sanitati interea reddito, Catholicam Fidem amplexus est cum universa Gente; quâ in conversione diligentiam non vulgarem adhibuit *Martinus Dumiensis*.

Liuva.

XI. Defuncto *Athanagildo*, *Liuva* Galliæ Gotthicæ Præfectus, Rex renuntiatus est, anno Christi 567. Anno Regni secundo, *Leuvigildum* fratrem assumpsit in Regni consortium; ipseque Galliæ Gotthicæ ditione contentus, reliquas Provincias Gotthico nomini subjectas fratri demandavit.

Leuvigildus.

Duxerat Leuvigildus *Theodosiam* uxorem, *Severiani* Carthaginensis Provinciæ Ducis ac Præfecti filiam, *Leandri*, *Fulgentii*, *Isidori*, & *Florentinæ* sororem: Ex quâ duos filios, *Ermenigildum*, & *Reccaredum* susceperat. *Theodosiâ* defunctâ, *Gosvindam* Athanagildi viduam duxit. Romanos multiplici prælio lacessitos & profligatos totâ Bæticæ Provinciâ expulit. Obiit interim *Liuva* frater anno Christi 572. cùm annos quinque regnasset. Per hæc tempora Suevis imperabat *Miro* seu *Ariamirus* Theodomiri filius. Quô egrediente templum sub invocatione S. Martini Turonensis à patre ædificatum, scurræ, generosæ vitis pro foribus templi è pergula pendentes uvas, contra Regis præceptum decerpere aggressi, repente manus exaruit: Sed. *S. Martini* invocatione sanitati reddita est. Anno 573. cùm Hispani Paschatis festum XII. Kalendas Apriles celebrassent, Galli XIV. Kalendas Maii factum idem Festum peragerent, eô die *Osseti* oppidi fons sacer, quotannis sponte aquis impleri solitus Sabbatho Sancto, de more scaturiit. Eô miraculo sæpe per hæc tempora legitimum Pascha indicatum, *Gregorius Turonensis* testatur.

Leuvigildus de Regni successione in domo suâ stabilienda cogitans, *Ermenigildum*, & *Reccaredum* Regni consortes dixit, ditione tripartita. *Leuvigildus* Regni sedem Toleti fixit. *Ermenigildus* Hispali. *Reccaredi* nomine ad *Tagi* & *Guadiela* confluentes, prope *Paternianam*, sive *Pastranam*, urbs *Reccopolis* fundata est. *Ingundis* Sigiberti Francorum Regis ex Brunichilde filia, *Ermenigildo* connubio juncta est; quæ à *Gosvinda* avia blandimentis primùm, deinde conviciis, contumeliis, & verberibus tentata, ut Catholicâ desertâ Religione, Arianam hæresim, instauratô baptismatis lavacrô, profiteretur, non solùm de fidei integritate & animi constantiâ nihil remisit; verùmetiam *Ermenigildum* conjugem ad Catholicam fidem traduxit, *Leandro* Hispalensi Episcopo Principis animum ad omnem veræ pietatis partem sanctissimis præceptis informante. Ex hac Religionis mutatione grave diuturnúmque bellum patrem inter & filium ortum est. Regni studia divisa; Catholici, *Ermenigildi*, Ariani, *Leuvigildi* partes sequebantur. Numismata aurea percussa, quæ essent pro tessera militari, *Ermenigildi* nomen & faciem exprimentia ex alterâ parte, in alterâ victoriæ signum, his adjunctis verbis, *Homo, Regem devita*. Quibus ad Apostoli sententiam fit allusio, Hæreticum hominem, post unam & alteram monitionem devitari præcipientis. Romani, qui *Ermenigildo*, fœdere inito, ejúsque uxore & filio acceptis obsidibus; se obstrinxerant, magnô auri pondere *Leuvigildo* sunt conciliati. Hic ut Catholicos in *Ermenigildi* partes ob studium Religionis abstractos revocaret, Arianorum Præsulum Conventum *Toleti* haberi jussit, ad quamdam concordiæ speciem. In eo rebaptizandi mos Gotthis Arianis familiaris sublatus est. Patri Filium æqualem esse, verbo tenùs sancitum; cùm errorem animis retinerent. His artibus multi Catholicorum circumventi, & ab *Ermenigildo* distracti. *Mironem* Suevorum Regem cum suorum manu *Leuvigildo* junctum, obiisse in Hispalis obsidione, tradunt Hispani Scriptores. *Gregorius Turonensis* ipsum *Ermenigildi* partes secutum ait, & confectô bellô, fœdus fecisse cum *Leuvigildo*, ac in patria paulò post defunctum. *Ermenigildus* desperatâ Hispalensis urbis defensione, ad *Ossetum* oppidum se contulit cum trecentis delectis Militibus (teste Gregorio Turonensi) aut Cordubam, ut alii scribunt. Utut est, in castra Patris deductus, Regiis insignibus detractis, Hispalim in custodiam missus est. *Biclarensis Abbas* Valentiam relegatum, Taracone occisum scribit. Hispali monstrari turrim *Sancti Ermenigildi* custodiâ nobilem, *Mariana* testatur *lib. 5. cap. 12.* Arianum Episcopum ad se missum à Patre die Paschatis, ut Sacram Communionem de ipsius manu susciperet, verbis castigatum cùm repulisset, jussu Patris eô facto exacerbati, securi percussus est; Martyrii palmam fidei puritate & constantiâ promeritus.

S. Ermenegildi Martyrium.

Filio trucidato, *Leuvigildus* Catholicos Episcopos, qui ipsi faverant, vexavit. *Leandrum* Hispalensem Præsulem, *Fulgentium* Astigitanum, *Mausonam* Emeritensem, in exilium expulit; plures alios Episcopos relegavit, Arianis in eorum locum substitutis. Ecclesiarum bona fisco suo addixit, Clericorum antiquavit privilegia, multos Procerum sustulit, affictis criminibus. His malis plerique fracti aut territi, ad Arianam hæresim defecerunt. *Vincentius* Cæsaraugustanus Episcopus perfidiæ exemplô multos in præcipitium traxit.

His temporibus *Eboricus* Rex Suevorum, *Mironis* filius, ab *Andeca*, viro, cùm suis copiis, cum *Sigegunda* Eborici novercæ nuptiis potentissimô, Regnô spoliatus, compulsus est Regia insignia cum veste Monastica commutare. *Leuvigildus* ut fœderati Regis ulcisceretur injuriam, victum, & detonsum *Andecam*, Pacem Juliam relegavit. *Malarico* tandem, qui favore gentis Regium nomen occupaverat, in ordinem redacto, universâ Gallæcia in Provinciam redactâ, Suevorum Regnum, quod centum septuaginta quatuor annis Hispaniæ partem tenuerat, penitus extinctum est, anno Christi quingentesimo octogesimo sexto.

Eodem anno, *Leuvigildus* Toleti decessit, anno Regni 18. Ipsum sub vitæ finem, cùm salute corporis desperatâ, ex morbo decumberet, Arianam impietatem repudiasse, nonnulli Auctores testantur. Ipsum veritatem quidem agnovisse fatentur alii, sed temporibus servientem, atque factionis metu animum debilitante, palam Arianam sectam abdicasse negant. His favet *Sanctus Gregorius Magnus*, qui etiam testatur ipsum *Leandro* sanctissimo Hispalensium Episcopo *Reccaredum* filium enixè commendasse, optaréque se vehementer significasse, ut ejus præceptis *Ermenigildo* fratri persimilis evaderet. *Leuvigildus* Gotthorum Leges temporum injuriâ depravatas, quibusdam additis, aliis detractis, castigavit. Primus Gotthorum Regum veste à populo discretâ usus est, primusque Regia insignia gestavit, ut scribit *Mariana*.

Reccaredus. Gotthorum Arianorum

XII. *Flavius Reccaredus*, Leuvigildo patri successit. Ejus exemplô & auctoritate Gotthi universi popularitet

ad Catholicam Fidem conversio.

popularitet in Ecclesiæ Catholicæ castra commigrarunt. Susceptæ Religionis status in Concilio Toletano III. publico totius Gentis consensu, & solemni Ecclesiæ Judicio firmatus est. Quam Synodum Rex convocavit. Multiplicem in Regis Catholici caput conjurationem excitavit conversio recens. Primæ auctor fuit *Sunna* Episcopus Arianus, qui *Mausona* Orthodoxo Antistite in Sedem Emeritensem restituto, se ex illa Sede, in quam à *Leuvigildo* fuerat intrusus, deturbatum dolebat. Conjurationis conscius fuit *Vuittericus*, quam tamen indicavit, pœnitentiâ conceptâ. *Claudius* Dux, cujus fidei Lusitania universa concredita erat, quique urbem Emeritam præsidio militari obtinebat, conjuratorum plurimos in potestatem redegit, cæsis reliquis. Exsilio & bonorum illatione in fiscum Proceres puniti. *Sunna*, cùm aut Hispaniæ deserendæ, aut superstitionis abdicandæ optio ei data esset, in *Africam* navigavit. Alterius conjurationis *Gosvinda* Reccaredi noverca, mulier animô tam deformi, quam corpore (unô enim capta erat oculô) fuit incentrix. Religionem illa simulabat Catholicam, & in Catholica Ecclesia solita erat Eucharistiam de manu Sacerdotis sumptam occultè spuere, se violatæ religionis ream arbitrata fore, si eam in stomachum trajiceret. In eadem simulatione versabatur *Uldida* Episcopus, quô cum obtruncandi Regis nefarium consilium communicavit. Favente Deo, conjuratio detecta est. *Uldida* mulctatus exiliô: *Gosvinda* fato concessit. Tertia excitit in Regem conjuratio, ex quâ non minori Dei ope evasit. Ejus auctor fuit *Argimundus* Regio cubiculo Præfectus. Conjuratione detectâ, de sociis habita quæstio est, sumptúmque continuò supplicium. Dux decalvatus, & præcisâ manu, asino impositus, per Toleti plateas ad ludibrium traductus est, & capite plexus. A *Guntchramno* Rege Francorum bello lacessitus *Recaredus*, superior semper fuit. Ad *Sanctum Gregorium Magnum*, ubi creatus Pontifex fuit, salutandum, obsequiúmque deferendum, misit Legatos cum literis, *Probinum* Presbyterum, & selectos Abbates. Addidit ex auro munera, & trecentas vestes in usum pauperum Ecclesiæ *S. Petri*. Eâ enim ætate Collegia pauperum Ecclesiæ reditibus sustentabantur. Regem, datis ad eum literis, in susceptâ religione confirmavit Sanctissimus Pontifex, ipsique gratulatus est, quòd grandi pecuniâ à Judæis tentatus, ut legem quandam in eos promulgatam abrogaret, adduci non potuerit. *Bada* Regina defunctâ, *Clodosindam* alteram *Childeberti* Francorum Regis sororem, conciliandæ studio pacis, uxorem duxit. Obiit anno Christi sexcentesimo primo, cùm annos quindecim, mensem unum, dies decem regnasset. Tres filios reliquit, *Liuvam* natu maximum, *Suinthilam*, & *Geilam*.





IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI SEXTI DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO PRIMA.

De Synodi Romanæ Palmaris Judicio in causâ Symmachi Pontificis Maximi.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum ista Synodus causam Symmachi Papæ judicare summo jure potuerit?

PROPOSITIO.



omana Synodus causam Symmachi Pontificis Maximi judicare summo jure non potuisset, nisi se illius judicio subjecisset Symmachus.

Probatur primò ex Actis Synodi. *Memorati Pontifices, quibus allegandi innumeris occasio, suggesserunt, ipsum; qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes quia ejus Sedi primùm Petri Apostoli meritum vel Principatus, deinde secuta Jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem; nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse Judicio, in propositione simili facile forma aliqua testaretur.*

Romanus Pontifex nunquam minorum subjacuit Judicio.

Launoius refellitur.

Joannes Launoius Epistolarum P. I. in Epistola ad *Claudium Santeulium*, respondet, *Minores* appellari non posse Antistites, quos & Symmachus, & Symmachi Decessores, collegas, fratres, comministros, consacerdotes, & coëpiscopos appellant. Repugnare Symmachum ne *minorum* nomine intelligantur Episcopi, siquidem ad *Æonium Arelatensem* scribit: *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites Sacerdotium.* Romanæ Synodi Episcopos Symmacho non dixisse: Judices tui non sumus, te ipsum judica, tu post Prophetam Deo dicere potes: *Tibi soli peccavi*, tibi soli meam debeo innocentiam; sed de Symmacho secundùm allegata & probata judicasse: Hinc removendum esse Visitatorem; inde restituendum esse Sedi suæ Symmachum decrevisse. Restitutum Sedi suæ Symmachum ad objecta crimina coràm Synodo respondisse. Synodum verò, auditis responsionibus, Symmachum absolvisse quidem, sed non absolvisse simpliciter, etiamsi purus & innocens apud homines appareret. Sed quia occulta poterant esse crimina, totum divino transcripsisse judicio. Ad Episcoporum itaque Concilium verba illa non pertinere; *Romanæ Sedis Antistes minorum non subjacet judicio*: sed ad Romanos plures Clericos, ad Senatum, & populum, qui sese in Symmachi causa, ferventiori, quàm par fuit, studio interposuerant.

Minorum nomine Episcopos intellexit Romana Synodus.

Verùm Synodi Romanæ Patres *minorum* nominè solos Clericos, Senatores, aut plebem, non intellexisse, sed Episcopos ipsos, ex eo probatur, quòd palam contestati sunt *ipsum* Symmachum *qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes quia ejus Sedi Petri Apostoli meritum vel Principatus, deinde secuta Jussione Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Potestatem autem à Domino traditam *Petro* & sacrum Principatum ad Successores *Petri* transfusum, atque à venerandis Conciliis assertum, non in Clericos tantùm, & Plebem Christianam, sed in Episcopos etiam ipsos extendi soli Hæretici diffitentur. Proinde & ipsi *minorum* nomine intelligendi veniunt, *quorum judicio Romanæ Sedis Antistes non subjacet.* Alioqui nec Dominus *singularem Petro* præ cæteris Apostolis, nec *Sedi* Romanæ *Petri meritum vel Principatus singularem in Ecclesiis tradidisset potestatem*, sed communem cum cæteris Episcopis, eorúmque potestati æqualem.

Neque verò contrarium probant verba Symmachi in Epistola ad Æonium Arelatensem, *Ad Trinitatis instar unum esse per diversos Antistites Sacerdotium*: sive (ut scripserat S. Cyprianus) *Unum esse Episcopatum, cujus à singulis pars in solidum tenetur.* Nam etsi sit unum Sacerdotium: non tamen unus est ex institutione Christi Sacerdotii gradus, sed Petro & ejus Successoribus illius Sacerdotii supremus apex collatus est. Certè nisi Symmachus alios Episcopos *minores* seipso existimasset; Arelatensem & Viennensem Antistites ad tribunal suum non vocasset, rationes suas dicturos in controversia quæ inter utramque Ecclesiam, de illarum privilegiis movebatur: neque causam illam judicasset, nec adegisset Episcopos illos ad servanda

Sancti Leonis Decreta: quod tamen præstitit (ut constat ex Epistola ipsius II. & IX.) Nisi major fuisset cæteris Episcopis *Symmachus*, non scripsisset ad ipsum Cæsarius Arelatensis: *Sicut à persona Beati Petri Apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat*: Nisi major cæteris Episcopis fuisset Symmachus, vices suas in Galliis non contulisset *Cæsario*, & potestatem convocandarum Synodorum Nationalium & dandi Formatas Epistolas tam Gallicanis, quàm Hispanis Episcopis Romam ituris. (*Epistola X.*) Nisi major fuisset cæteris Episcopis Symmachus, ipsi non supplicassent Orientis Antistites velut ei *cujus Beatitudini Cathedram Petri credidit Christus optimus Pastor*, ut eos propter *Acacii* prævaricationem anathemate confixos, & ab Ecclesiæ unitate segregatos, in Communionem susciperet: *Quia* (inquiunt) *non in ligando tantùm potestas est tibi data, sed in solvendo quoque diu vinctos ad imitationem Magistri: neque in tradendo tantùm Satanæ in interitum carnis, sed & in charitate formando longâ aversione dejectos, &c. Non enim ignoras ejus ingenium, qui quotidie à sacro Doctore tuo Petro doceris oves Christi per totum mundum creditas tibi pascere, non vi, sed sponte coactas.... Quare deprecamur disrumpi novum Chirographum nostrum, sicut Salvator & dux noster Christus vetus illud in Cruce disrupit.*

Episcopi sedere in Synodo ad causam Symmachi discutiendam noluerunt, ante quàm illis constaret ab illo fuisse convocatam.

Nec sequitur Synodi Romanæ Episcopos minores Symmacho non fuisse, quia ejus de caussa judicarunt: Perspicuum enim est ex Actis Synodi, eos non judicasse, nisi consentiente Pontifice, imò & judicandi auctoritatem ipsis deferente: qui nequidem sedere in Synodo priùs voluerunt, quàm ipsis constaret, eam fuisse à Symmacho ipso convocatam. *Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, &c. Sed potentissimus Princeps, ipsum quoque Papam in colligendâ Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit; unde à Mansuetudine ejus paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat, &c. Et dum in venerabili Collectione sermo de incipiendo haberetur negotio, Sanctus Papa Symmachus Basilicam Julii in quâ Pontificum erat Congregatio, ingressus est, & de evocatione Synodali Clementissimo Regi gratias retulit, & rem desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de Sacerdotum animis* (*quæ de Concilio nondum firmato tristitiam ministrabat*) *abscissa est: auctoritatem Ordinis corrigendi, sicut poscebant Ecclesiastica Statuta in omnium, qui ibidem convenerant, Episcoporum præsentia, se dare professus est, &c.*

Tandem Synodus liberum & immunem ab illatis criminibus *Symmachum* pronuntiavit, *quantum ad homines respicit*: sed *totam causam Dei Judicio reservavit*, ut Acta testantur.

Probatur secundo ex *Apologetico Ennodii Ticinensis*, cui à Synodo V. Romana canonica auctoritas delata est. *Dicatamen*, inquit, *latorem juris, definitionis sua, nisi velit, terminis non includi: & nisi Princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, jus vocatur. Lex probitatis & nominis est, quæ hominem viventem sine lege castigat. Propriè moribus impendit, qui necessitati non debet disciplinam. Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio... Voluit Beati Petri Apostoli Successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indaginis inviolatam exhibere conscientiam.* Hujus autem Privilegii rationem inde petit *Ennodius* quòd Romanus Pontifex omnium Episcoporum sit Caput. *Uni dictum: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: &: Quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et rursus sanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid Fidelium est, ubique submittitur dum totius corporis Caput esse designatur: de quâ mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium? Et ubi relinquetis gloriam vestram?*

S. Petri Successores cœlo tantùm debent innocentiam.

Launoii Responsio retunditur.

Respondet *Launoius*, *Ennodium* Sedis Apostolicæ traditionem ignorasse, & quòd ignoraverit, excusari propter ætatem, quia annos tantùm triginta natus erat, cùm scripsit *Apologeticum*. Sed miserabilem illam responsionem elidit Quintæ Synodi Romanæ auctoritas, quæ *Ennodii Apologeticum* probando, suum fecit. Hanccine Synodum Romanæ Sedis traditionem ignorasse dixisset *Launoius*? En Patrum verba: *Libellus qui Synodali auctoritate, contra eos, qui adversùs Quartam nostram Synodum, quæ habita est Romæ, palam mutire præsumpserunt, ab Ennodio conscriptus est, coràm omnibus deferatur, & in præsentia omnium legatur atque roboretur. Quô recitato, & ab omnibus consonâ voce roboratô, Sancta Synodus dixit: Hæc futuris temporibus conserventur, atque ab omnibus teneantur, & in omnibus serventur. Hic libellus integerrimè Synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter Quarta & Quinta Synodorum nostrarum Actiones interponatur, & ita sicut harum Synodorum Decreta habeatur: Quia Synodali auctoritate conscriptus est & roboratus. Ad quæ ter Beatissimus Papa respondit: Juxta vestram omnium fiat voluntatem, & ut judicatis, Apostolicâ habeatur auctoritate, & inter Apostolica, quod dicitis, interponatur Decreta, & sicut cætera Apostolica, ab omnibus teneatur, Decreta.*

Instat *Launoius*, *Ennodium* nescivisse, vel, quod est acerbius, dissimulasse, quæ de *Sylvestro* traduntur in Romani Concilii Epistola ad Imperatores Gratianum & Valentinianum: *Accipite aliud quoque, quod Vir Sanctus* (Damasus) *vestra magis conferre Pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed Principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla Majorum, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Sylvester Papa à sacrilegis accusatus, apud Parentem vestrum Constantinum causam suam persecutus est.* Tunc à *Silvestro* Pontifice non dicebatur, quod annis post illum centum & octoginta plus minùs ab *Ennodio* dictum est. Impositum *Silvestro* sacrilegii crimen divino sine quæstione reservatum non est Judicio; *Silvestri* innocentia, quæ cœlo tantùm deberetur, non obtenditur. Concilia duo proponuntur, Ecclesiasticum unum, Imperiale alterum, in quibus quod crimen *Silvestro* impingitur, discuti possit. Hæc est Apostolicæ Sedis traditio, cujus cognitione caruit *Ennodius*.

Verùm *Ennodii* sententia cùm laudatæ Epistolæ verbis non pugnat. *Silvester* namque ad *Constantini* tribunal causam detulit suam, ut contra vim & insidias sacrilegorum accusatorum se dignitatemque suam tueretur; quod Canonicum esse non negamus. Principes enim, qui non sine causâ gladium portant, & Dei Ministri sunt ad vindictam malefactorum, laudem autem bonorum; & qui Ecclesiæ, ac Pontificum Protectores ac Defensores constituti sunt, jure possunt adiri, ut Ecclesiæ & Capiti ipsius visibili opem ferant, cùm vexatur & opprimitur. Sic apud Imperiale Concilium se defendere Episcopus Romanus potest, si Concilio Oecumenico ejus causa non creditur, vel si ipse Concilii Nationalis aut Provincialis examini ac judicio causam suam non permittit. Sic *Damasus* causæ suæ cognitionem permisit Synodo Italiæ, ut constat ex Epistola Synodica quæ in Objectione laudata est: *Quod verò ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse Judiciis Sacerdotum a quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, &c.* Sic idem Pontifex Imperatores contra vim, seditiones, & calumnias Schismaticorum appellavit, non *Silvestri* tantùm exemplum secutus, sed Apostoli, ut habetur in eadem Epistola: *Et de*

Scripturis

Scripturis similia exempla suppeditant, quòd cùm à Præside Sanctus Apostolus vim pateretur, Cæsarem appellavit, & ad Cæsarem missus est. Hæc tamen non prohibent quin rectè scripserit Ennodius: *Beati Petri Apostoli Successores cœlo tantùm debere innocentiam: & Deum Romanæ Sedis Præsules suo sine quæstione reservasse arbitrio:* Quia in eorum vitam inquirere, eos in jus vocare, damnare, aut punire, nulli Episcopi, nullæ Synodi, nisi in causa hæreseos, aut schismatis, possunt; idque non Provinciales, Nationales, aut Patriarchales, sed Oecumenicæ. Unde *Hadrianus II.* in Synodo Romana contra *Photium*, Cap. III. ait: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo verò quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est quia fuerat super hæresi accusatus; propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus respuere. Quamvis & ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam, quamlibet de eo fas fuerit proferendi Sententiam, nisi ejusdem Primæ Sedis præcessisset auctoritas.*

Probatur tertiò, ex Epistola *S. Aviti* Viennensis Episcopi ad *Faustum* & *Symmachum* Senatores, quam scripsit suo & Gallicanorum omnium Antistitum nomine, de Synodo Romana & judicio in eâ de causa Symmachi Papæ, *Theodorici* Regis auctoritate constituto expostulans, Italiæque Episcopos perstringens, quòd de eminentiore judicium inferiores receperint. *Dum de causa Romanæ Ecclesiæ*, inquit, *anxii nimis ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito Vertice sentientes... perlata est sollicitudini nostræ ab Italia inexemplaribus Sacerdotalis formula Decreti, quam de Papa Symmacho apud Urbem collecti Italiæ Antistites ediderunt. Quam Constitutionem licet observabilem numerosi reverendique Concilii reddat assensus, intelligimus tamen Sanctum Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potiùs, quàm recipere debuisse judicium: quia sicut subditos nos esse terrenis Potestatibus jubet Arbiter Cœli, staturos nos ante Reges & Principes in quacumque accusatione prædicens, ita non facilè datur intelligi, quâ ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cùm celebri præcepto Apostolus clamet,* * *Accusationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in Principatum generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est? Quod Synodus ipsa venerabilis laudabili Constitutione prospiciens, causam, quam (quod salva ejus reverentiâ dictum sit) penè temerè susceperat inquirendam, divino potiùs servavit examini: Perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi, vel gloriosissimo viro Theoderico Regi, de his quæ Papæ dicebantur objecta, patuisse. Quibus cognitis, quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor, ut in conspectu vestro non sit Ecclesia minor quàm Respublica status; quodque vobis Deus posse præstitit, prosit & nobis; nec minùs diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in Civitate apicem mundi... In Sacerdotibus cæteris potest, si quid fortè nutaverit, reformari. At si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare... Reddet rationem qui Ovili Dominico præest, quâ commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Cæterùm non est gregis Pastorem proprium terrere, sed Judicis.*

S. Aviti Viennensis & Gallicanorum Episcoporum pro Symmacho Papa studium ac sollicitudo.

* 1. ad Timoth. 5.

Si Papa vocatur in dubium, non solùm Episcopus, sed Episcopatus vacillare videtur.

Respondet *Launoius*, de modo judicandi, non de re, id est, de judicio non disputare Avitum; judicandi modum improbare, non judicium; quod Symmachus à suis Consacerdotibus recepit; & non loqui de Italiæ Antistitibus, sed de Regibus & Principibus, cùm ait: *Non datur facilè intelligi, quâ vel ratione, vel lege, ab inferioribus eminentior judicetur.*

Sed quàm sit inanis ista responsio, hæc *Aviti* verba ostendunt: *Synodus causam, quam penè temerè susceperat inquirendam, divino potiùs servavit examini.* Qui Episcopos coarguit, quòd causæ cognitionem susceperint, non solum judicii modum, sed judicium ipsum improbat. Præterea, per judicium inferiorum, quod subire non debebat Symmachus, *Avitum* non intellexisse judicium Principum sæcularium, sed Episcoporum, hæc verba demonstrant: *Intelligimus Sanctum Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potiùs, quàm accipere debuisse Judicium: quia sicut subditos nos esse terrenis Potestatibus jubet Arbiter Cœli, staturos nos ante Reges & Principes in quacumque accusatione prædicens; ita non facilè datur intelligi, quâ vel ratione, vel lege, ab inferioribus eminentior judicetur.* Inferiores illos in judicando nominat *Avitus*, quorum *solatium potiùs quàm Judicium recipere debuit Symmachus*: Hi autem sunt Symmachi *Consacerdotes.*

Tertiò, discrimen statuit *Avitus* inter cæteros Sacerdotes, & Papam Urbis, quòd in iis, *si quid fortè nutaverit, reformari potest*, id est, possunt à Synodis Provincialibus, vel Nationalibus emendari, deponi, excommunicari: Non sic Romanus Pontifex. Qui si in dubium vocetur, si judicio inferiorum Synodorum subjiciatur, si sententiam excipere ab ipsis cogatur, *Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare*, id est, in ultimum discrimen adducetur.

Objicit *Launoius*, *Symmachum* se Provinciæ Conciliorum legibus obligatum agnovisse, primùm in Romana Synodo, quam de bonis Ecclesiæ non alienandis celebravit, cap. IV. *His ergo perpensis, mansuro cum Dei nostri consideratione Decreto sancimus, ut nulli Apostolicæ Sedis Præsuli, à præsenti die, donec, disponente Domino, Catholica Fides manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum, quantæcumque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, sub perpetuâ alienatione ad cujuslibet jura transferre.* Deinde cap. VI. *Pari etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis Titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicumque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia nefas est obligatione, quâ se per charitatem Christi connectit Summus Pontifex, eâ hominem secundi in Ecclesia Ordinis non teneri.* Atque inde colligit Launoïus, *Symmachum* à Concilio Provinciali potuisse judicari.

Launoii Objectionibus respondetur.

Secundò in Epistola VII. Apologetica, quam scripsit adversùs famosum *Anastasii* Imperatoris Libellum: *Dicis me esse Manichæum*, inquit, *numquid ego Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maximè Manichæorum suffragatur errori? Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, utrum à Fide Catholica, quam in Sede B. Petri Apostoli veniens ex paganitate suscepi, aliquâ ex parte deviaverim. Procedat aliquis, & qualibet ratione convincat, alioqui convitia sunt ista, non criminum probamenta.* Hæc cùm ita differit, in hæresim labi se posse innuit, ac proinde, quod necessariò consequitur, ab Episcoporum Concilio judicari.

Respondeo ad primum, *Symmachum* obligatum non fuisse Concilii Provincialis legibus, quâ Provincialis Concilii leges erant, sed quâ Sedis Apostolicæ Decreta erant ex sacris Canonibus promulgata in Synodo: quas leges sibi suisque Successoribus imposuerat; vel potiùs à Deo positas, decreverat integerrimè observandas. Cùm enim Pontifices ipsi bonorum Ecclesiæ dispensatores sint, non domini; solus autem ille bona aliqua possit alienare, qui dominus illorum est, non qui dispensator supra familiam Domini constitutus ut filiis ejus ac servis congruo tempore det cibum: Jure ipso naturæ prohibita est Sacerdotibus, Episcopis, & ipsi Papæ, bonorum Ecclesiasticorum alienatio, absque consensu Ecclesiæ ad quam spectant, vel Ecclesiæ universalis, eam ob majus bonum decernentis aut

 permittentis.

permittentis. Sed etsi lex illa, de bonis Ecclesiæ non alienandis, Ecclesiastica tantùm esset, eâ tamen fuisset adstrictus Pontifex; postquam sibi illam imposuit; sicut Princeps suis ipse legibus obligatur quæ cum ejus dignitate non pugnant, maximè si earum executionem juraverit. Non tamen sequitur quòd Princeps supremus, & hereditario jure Sceptrum tenens, ab Ordinibus Regni, & multò minus ab Ordinibus alicujus Provinciæ judicari possit, si leges violaverit, quas in Conventu illorum Ordinum condidit, promulgavit, sibique ipsi imposuit. Ita non sequitur, ut perperam colligit *Launoius*, Symmachum Romanum Pontificem à Synodo Provinciæ potuisse judicari, licet legibus, quas ipse condidit in illâ Synodo, se adstrinxerit.

Ad secundum respondeo, quòd etsi Pontifex ut privata persona est, in hæresim labi possit, idque agnoverit Symmachus; non sequitur ipsum à Synodo Provinciali judicari posse, sed à Synodo tantum Oecumenica, quæ *Repræsentatia est totius nominis Christiani.* Quamquam alia longè ratio sit hæreseos, cujus convictus Pontifex ipsô factô depositus esset, atque à Fidelium Communione segregatus, nisi monitus errorem exueret ac pertinaciam; & aliorum criminum, propter quæ non exciderent auctoritate suâ Pontifices: cujus generis flagitium illud erat de quo accusatus est Symmachus.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione ad pag. 524. & 525. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Episcopi quo sensu sint Papa inferiores.*

R. Ex loci Romanum Pontificem ratione Primatûs à Christo S. Petro collati, & ad ejus Successores divino pariter jure transmissi, superiorem esse Episcopis assero & doceo: *Joannem Launoium* Theologum Parisiensem refello, contendentem in Epistola ad *Claudium Sanjolium*, Episcopos non intelligi *Minorum* nomine in Actis Romanæ Synodi Palmaris habitæ in causa Symmachi, ubi declaratur, *Sedes Apostolica Antistitem Minorum non subjacere judicio.* Quid igitur reprehendant, aut quid sibi velint Religiosi Censores, non capio.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 530. Edit. primæ Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Papa in Conciliis Provincialibus judicari.*

R. Hæc Propositio non est mea, nec ibi legitur vel alibi in Operibus meis. Hic Damasum & Symmachum *causâ suâ cognitionem Synodo Italiæ permisisse dixi.* Ibidem addidi: *In Summorum Pontificum causam inquirere, eos in jus vocare, damnare, aut punire, nulli Episcopi, nulla Synodi, nisi in causa hæreseos aut schismatis possunt; idque Non Provinciales, Nationales, aut Patriarchales, sed Oecumenicæ.* Ennodium rectè scripsisse: BEATI PETRI *Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam: & Deum Romanæ Sedis Præsulis sui sine quæstione reservasse arbitrio.*

DISSERTATIO II.

De Fide Monachorum Scythiæ.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Scythæ Monachi Eutychiani fuerint?

PROPOSITIO I.

Contra Baronium.

Scythæ Monachi ab Eutychiana hæresi prorsus alieni fuerunt; quam ipsis perperam affinxit Annalium Ecclesiasticorum Parens.

Probatur. Qui duas in Christo naturas inconfusas post unionem professi sunt; qui *Eutychi*, *Dioscoro*, *Timotheo*, *Petro*, *Acacio*, & aliis, qui cum istis communicarunt, dixerunt anathema; qui Concilium Chalcedonense venerabundi amplexi sunt; quorum fidem approbarunt & commendarunt Catholici & Sanctissimi atque doctissimi Episcopi: illi ab Eutychiana hæresi prorsus alieni fuere. Porrò Scythæ Monachi duas in Christo naturas inconfusas post unionem professi sunt; *Eutychi*, *Dioscoro*, *&c.* dixerunt anathema; Concilium Chalcedonense maximâ cum veneratione susceperunt; eorum fides à sanctissimis & doctissimis Episcopis approbata fuit & laudata. Itaque ab Eutychiana hæresi penitùs alieni fuere.

Probatur minor, primò ex Libello fidei, quem Legatis *Hormisdæ* Romani Pontificis, Constantinopoli, suo & Sociorum nomine, obtulit Joannes Maxentius. *Sequentes*, inquit, *in omnibus fidem Sanctorum Patrum, confitemur Unum eumdémque Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, perfectum eumdem in divinitate, perfectum eumdem in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, Homousion Patri secundùm divinitatem, Homousion nobis eumdem secundùm humanitatem, per omnia similem absque peccata. Ante sæcula quidem de Patre natum secundùm divinitatem; in novissimis autem diebus eumdem propter nos & nostram salutem, ex Maria Virgine Dei genitrice, secundùm humanitatem. Unum eumdémque Christum Filium Dei unigenitum, in duas naturas inconfusè, incommutabiliter, indivisè, inseparabiliter cognoscendum. In nullo naturarum diversitatem propter unitatem, perimendam, salvâ potiùs proprietate utriusque naturæ, in unâ personâ, unaque subsistentia concurrente.* Addit, se cum suis Monachis non alio sensu asserere *unum de Trinitate Crucifixum*, nisi referendo passiones ad carnem, non ad divinitatem, qui sensus ab Eutychiana hæresi procul est. *Quid enim est quod nos sapimus? In hac ipsâ essentiâ, quâ constat & unitus est Filius Patri & Spiritui, non dicimus eum passum, sed carne, quæ ex nobis, & pro nobis est factus. Non autem alius est factus, nisi unus de Trinitate, & crucifixus est carne, quâ factus est, & non est passus divinitate, &c.*

Idem probatur ex aliâ Fidei Professione Joannis Maxentii. *Nemo*, inquit, *potest esse Catholicus, nisi qui in Verbo Dei Filio unigenito duas fuerit professus post adunationem semper indissolubiliter manere naturas, id est, Verbi & carnis, Dei & hominis, divinitatis & humanitatis. Quia sicut unus de Trinitate est, & in principio Verbum Deus est, ita etiam idem ipse ex nobis est homo perfectus & verus.*

Probatur secundò ex Confessione Fidei à *Petro Diacono* & aliis Monachorum Scytharum Oratoribus ad Africanos Episcopos in Sardinia exules, quorum unus erat S. *Fulgentius* missâ, sive ex Libro De Incarnatione & Gratia. *Igitur*, (inquiunt) *juxta Sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis; id est, divinitatis & humanitatis, in unâ personâ sive subsistentiâ confitemur. Nec illis acquiescentes, qui unam Dei Verbi naturam Incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis Concilii fidem refugiunt; nec illas admittentes, qui duas naturas deleiè pronuntiantes, unam Verbi Dei naturam incarnatam nunquam confitemur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium. Quasi aliquid aliud quam duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet, B. Cyrillo Alexandrinæ civitatis Antistite ad Succensum ita scribente, &c.* Ex quibus colligitur, quàm levi fundamento asserat Baronius, Joannem Maxentium & Monachos Scythas Eutychianâ hæresi pollutos fuisse, quia unam Dei Verbi naturam Incarnatam dixerunt. Licet enim Eutychiani aliquando illum dicendi modum ex S. Cyrillo usurpaverint, tamen nusquam sunt confessi duas naturas ineffabiliter unitas, & inconfusas, quod

cum

cum suis Monachis disertè & dilucidè professus est *Joannes Maxentius*. Nemo igitur illos Eutychianos jure dixerit.

Quòd autem *Eutychem*, *Dioscorum*, & eorum Sectatores, atque fautores damnaverint, & Synodum Chalcedonensem cum veneratione maximâ susceperint, probatur ex eorum Fidei Confessione, quæ primò laudata est, & extat Tomo IV. Bibliothecæ Patrum Editionis Parisiensis: ubi recensitis variis SS. Patrum testimoniis, hæc habent: *Secundùm horum igitur omnium Catholicorum Sanctorum Patrum Catholicum sensum, suscipimus quatuor Synodos, id est, Nicænam trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta qui in hac Regia Urbe convenerunt, & eam quæ in Epheso congregata est, cui præfuerunt Celestinus & Cyrillus Beatissimi Patriarchæ, cum omnibus quæ ibi contra Nestorium, sive contra quamlibet hæresim acta sunt; nec non etiam, quam sequimur & amplectimur, venerandam Synodum Chalcedonensem, omniaque Scripta Patrum Sanctorum qui unum & idem, secundùm horum Conciliorum definitiones senserunt. Anathematizamus autem omnes; si quis dubitat, aut retractat, aut imperfecta judicat, aut quæ ea à fide Sanctorum Patrum æstimat aliena. Similiter igitur anathematizamus omnia scripta Theodori Mopsuesteni, & Nestorii discipuli ejus, & omnes qui similiter illis sapiunt: his adjicientes Eutychem, Dioscorum, Timotheum, cum omnibus Sectatoribus eorum & successoribus, communicatores & complices, aut qui quacunque sorte, eorum maculantur contagione, aut memorias eorum celebrant, qui in ipsâ damnatione defuncti sunt, aut innocentes defendunt.*

Probatur tertiò ex *Joanne Maxentio* in Libello contra Acephalos, in quo disertè ostendit duas in Christo post adunationem esse naturas, ex quibus, & in quibus subsistit singularis Christi persona. Sic incipit iste Libellus: *Catholicæ Fidei professione breviter expositâ, pergimus nunc illorum respondere definitionibus, qui lapsu miserabili corruentes, novis & exquisitis argumentationibus nefarium dogma Christi Ecclesiis moliuntur inferre, & Deum & hominem, Verbum & Carnem confitentes, unam post adunationem in Christo naturam, stultè nimis impudenterque conantur adstruere, &c.* Et infrà: *Et ideo constat duas, id est, divinitatis & humanitatis, in Filio Dei, post adunationem, esse naturas, ex quibus & in quibus subsistit una & singularis Christi persona.*

Cardinalis Baronii Responsio refellitur.

Respondet *Baronius*, Scythas Monachos, ut persuaderent Catholicis se esse Catholicos, pro ratione temporis & personarum, Fidei Formulas diversas habuisse. In Professione Fidei ad Africanos missâ, nomen Verbi posuisse, quod in illâ Legatis Constantinopoli datâ, non fecerant, ne quovis modo hæreseos convinci possent.

Sed inanem esse hanc *Baronii* responsionem, patet ex collatione utriusque Professionis Fidei, quæ à Monachis illis edita est, cùm illius quam Legatis Hormisdæ porrexerunt; tum illius quam ad Africanos Episcopos misêre, & omnium, quæ habemus, Operum *Joannis Maxentii*. Ubique enim Eutychianam hæresim expugnant, duas in Christo, post adunationem, naturas confitentur. Verbum ubique nominant *Unum de Trinitate, qui pro nobis passus est carne*. In Libello Legatis tradito hæc habent: *Deum Verbum unigenitum Filium Patris Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus.* Et *Joannes Maxentius* Dialogos contra *Nestorium* his verbis includit: *Nec ego te unquam aliud quàm hæreticum judicabo, qui Deum Verbum Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum esse ex Sancta & individua Trinitate non approbas.* Quæ verba & Nestorianum, & Eutychianum errorem æquè confodiunt.

Probatur quartò ex *Hormisda* Pontifice, in Epistolis ad *Possessorem*, & ad *Justinianum*, ubi Scythas Monachos *novarum ... quæstionum* vocat, & *procacem verborum novitatem* eis objicit, hæresim verò nusquam.

Probatur quintò ex *S. Fulgentio*, qui *Petri Diaconi* Libellum, Professionem Fidei ipsius, sociorumque Monachorum Scytharum continentem, cum Africanis Episcopis probavit ceu rectæ fidei conformem. Ita enim scribit cap. 1. libri sui *de incarnatione & gratia*, quem ad eos pro responso misit: *Beatus frater noster Joannes Diaconus a vestra Societate directus, literas nobis, quas misistis, exhibuit, quibus relectis, vestram simul alacres & fidem cognovimus, & salutem: imò in agnitione fidei vestræ simul salus innotuit.* Et cap. 2. *Dicitis itaque vos, juxta SS. Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, id est, divinitatis & humanitatis, in unâ personâ sive subsistentiâ confiteri, &c.* Itaque teste *S. Fulgentio*, aliisque Patribus Africanis, recta erat *Joannis Maxentii*, & Scytharum Monachorum fides. Denique iidem Africani Episcopi in Sardinia exules Scythis Monachis de fidei integritate gratulantur, eósque ad perseverantiam adhortantur, in Epistola Synodica. *Vos itaque, dilectissimi Fratres, per gratiam Dei estote stabiles & immobiles: ac tenentes veram fidem, exhibete fratribus aliter sentientibus Charitatem.*

PROPOSITIO II.

PRopositiones istæ: Christus unus est è Sancta Trinitate: & , Unus de Trinitate crucifixus est carne, quas ardore tanto Scythæ Monachi propugnabant, sunt Catholicæ. Unde istis Monachis perperam affingitur hæresis.

Probatur primò ex *Joanne II.* Pontifice Maximo, qui Acœmetas Monachos velut Nestorianos damnavit in Synodo Romana, quòd Propositiones illas negarent: & Propheticis, Apostolicis, & Patrum testimoniis probat istarum Propositionum veritatem. Primò ex *Genesis* 2. ubi Trinitas ipsa ait: *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis.* Secundò ex Apostolo 1. *ad Corinthios* 8. dicente: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Tertiò ex Symbolo Nicæno, quo sic profitemur: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum.* Quartò ex *S. Augustino*, *cujus doctrinam Romana sequitur & servat Ecclesia*, Lib. xi. *De Civitate Dei*, dicente: *Credimus, & tenemus, & fideliter prædicamus, quòd Pater genuerit Verbum, hoc est, sapientiam, per quam facta sunt omnia, unicus unicum, æternus coæternum, summè bonus æqualiter bonum, &c.* Et lib. 2. contra Maximinum Arianum: *Et Pater Deus est*, inquit, *& Filius Deus est, & Spiritus Sanctus Deus est, & hi simul tres unus Deus est, nec hujus Trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo, quàm unus est.* Quintò ex *S. Gregorio Nazianzeno* in Sermone de Epiphania Domini, ubi ait: *Nos uno lumine illustrari simul & tribus; tribus quidem, secundùm uniuscujusque proprietates, uno secundùm substantiam, vel Deitatis ratione. Dividitur ergò (ut ita dicam) indivisibiliter, conjungitur divisibiliter, una est in tribus Deitas.* Sextò ex *Sancto Gregorio Nysseno*, in Epistola ad Ablavium: *Æstimet*, inquit, *hæc opera, utrum uni assignentur personæ earum quæ in Sancta Trinitate creduntur, an per tres eas virtutis effectus.* Septimò ex Epistola S. Procli ad Occidentales: * *Super hæc autem*, inquit, *confitemur unum ex Trinitate increatâ atque ineffabili, Deum Verbum factum hominem.* Et rursus. *Quid enim nos sapimus atque sentimus, quia in ipsâ divinâ naturâ quâ conjunctus est Filius Patri, Sanctóque Spiritui, non dicimus eum deitate passum fuisse,*

* Ita citat S. Proclū Joannes II. sed eo Tomo ipsius ad Armenos verba illa decerpta sunt.

fuisse, sed carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis. Unus igitur ex Trinitate crucifixus est carne. Quæ testimonia liquidò probant *Christum esse unum è Sancta Trinitate.*

Post hæc multis etiam probat *Joannes II.* Deum passum esse carne: Et gloriosam semper Virginem Mariam, sic propriè & veraciter Dei Genitricem; ac demum ita colligit: *His igitur evidenter ostensum est, illustret & magnifici Filii, ... Christum Dominum unum esse Sancta Trinitatis, ex duabus naturis cognoscendum, hoc est in deitate, & humanitate perfectum, &c.* Hæc ille, *Epistola III. ad Senatores.*

Confirmatur ex Dionysio Exiguo, qui à Feliciano Pastore rogatus ut Epistolam Sancti Procli ad Armenos Latinitate donaret, præmisit Præfationem quâ Monachorum Scytharum Propositionem propugnavit, Demonstrat Nestorianos Theodori Mopsuesteni discipulos Symbolum depravasse, *Beatam Trinitatem sic unius essentia prædicantes, ut Christum Dominum nostrum conditorem universitatis, unum ex Trinitate nullatenus faterentur:* Unde sequebatur duas fuisse juxta ipsos personas in Christo, quam impiam hæresim Synodus Ephesina confixerat. Addit, Proclum eamdem confutantem docuisse; Christum *Deum Verbum unum de Trinitate esse, &c. & pro salute nostra eumdem verum hominem factum, unum mansisse Filium, nec quartam in Trinitate crevisse personam. Et quia nunc ob aliquibus injectum scrupulum, de vera fide trepidatur, unum quemlibet ex Beata Trinitate pronuntiare diffugiunt.* Ubi eamdem Propositionem S. Augustini testimonio confirmat ex Libro XI. de Civitate Dei, cap. 24.

Probatur secundò ex *S. Fulgentio, lib. de Incarnatione & Gratia Jesu Christi;* Cap. X. *Igitur,* inquit, *non Trinitas, id est, non simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec solus Pater, aut solus Spiritus Sanctus, sed solus Filius, ... id est, una ex Trinitate persona Christus Dei Filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus & natus est de ventre Virginis Matris.... Non Trinitas, sed splendor paternæ gloriæ Christus, est pro nobis passus carne, qui de Patre Deo solus natus est impassibilis Deus.*

Probatur tertiò ex *Facundo Hermianensi, lib. 1. Cap. 3.* ubi multis ad illam propositionem vindicandam præmissis, *Unus de Trinitate pro nobis crucifixus est;* subdit: *Quocirca rectè dicitur & unus ex Trinitate crucifixus, & una ex Trinitate persona. Sed unam dicere personam, Nestorianorum nova subterfugia minus excludit: qui convicti innumeris testimoniis Patrum, quòd Deus Verbum, & assumptus homo, una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel existimant dictum, vel existimare se fingunt. Ut sic homo Jesus Christus dicatur Verbi gessisse personam, sicut etiam gessit Apostolus, qui scribens ad Corinthios dicit: Nam & ego quod donavi propter vos in persona Christi, &c. Non ut unus idemque esset Deus & homo. Cùm verò & unus ex Trinitate, & una ex Trinitate persona pro nobis crucifixa rectè dicatur, hanc utilitatem, quâ fraus Nestorianorum à Sancta & Magna Synodo sufficienter exclusa est, intelligere & approbare jam debent, qui dici nolebant, Unum de Trinitate pro nobis incarnatum, vel passum, vel crucifixum. Qui etiam si nulla invitaret utilitas, neque hoc esset tanta Synodi auctoritate firmatum, modestiùs facerent acquiescere Sapienti Gregorio, qui de vocabulorum diversitate diffidendum non esse decrevit.*

Probatur quartò ex *Ferrando* Carthaginensis Ecclesiæ Diacono, *in Epistola ad Anatolium* R. E. Diaconum. *Duos Filios,* inquit, *ignorat Fides Catholica. Quaternitatis assertores omnino detestatur: & idcirco nunc, quantum arbitror, quibusdam rectæ fidei custodientibus regulam placuit, Unum de Trinitate passum fateri. Nihil quippe aliud sententia hæc insinuare cognoscitur, nisi ipsum esse passum carne, qui de Patre Deo natus est, id est, Christum; ne putetur homo purus tolerasse passionis injurias. Hoc ergo dicit, quicumque de Trinitate passum dicit. Non est quarta persona, qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei Filius impassibilis secundum divinitatem, per susceptionem naturæ passibilis, passioni subjacuit.* Et infrà: *Unusquisque eorum, id est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, dum de Trinitate esse dicitur, à creaturis sequestratur. Omnis enim res aut Deus est, aut creatura. Si Deus est, creatura non est; Si creatura est, Deus non est. Deus autem Trinitas est unius substantiæ, vel essentiæ. Creatura per multimoda diversarum substantiarum distribuuntur genera. Qui ergo Deus est, & propriè idem veraciter Deus est, aut Pater, aut Filius, aut Spiritus-Sanctus est. Et quia neque Pater solus, neque Filius solus, neque Spiritus Sanctus solus Trinitas est, sed simul Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: & Pater unus est de Trinitate, & Filius unus est de Trinitate, & Spiritus Sanctus unus est de Trinitate. Quid ergo dicit, quicumque dicit, Unus de Trinitate Filius, nisi nolle eum quærere inter creaturas? Filius ergo secundùm divinitatem, quia non est creatura, sed Creator, unus est de Trinitate. Et quia, secundùm humanitatem dignatus est pati, propter hoc unus de Trinitate dicitur passus. Tale est itaque, quantum conjicio, imò potius quantùm credo, Unus est de Trinitate passus, quale est dicere, Deus est passus. Sicut autem quisquis Deum prædicat passum, non substantiam divinitatis facit passibilem, sed divinitatis impassibilis, & humanitatis quæ subjacuit passioni, unam monstrat esse personam: Sic Unum de Trinitate passum prædicans, unitatem personæ commendat in utrisque naturis, excludens Nestorianæ hæreseos nefariam perfidiam, quæ doctrinam duos filios inducentis neget.*

Et inferiùs, egregiè ostendit, nullatenus favere Eutychianis illam propositionem, imò ipsam Eutychetis errores pariter perimere, ac Nestorii. *Nihil planè diutius cogitans reperire valeo,* inquit, *ut de possit hac sententia (quod à quibusdam jactatur) Eutychianis favorem præbere. Primum enim mendacium delirantis Eutychetis hoc fuit, Unigenitum Deum, quando fieri homo dignatus est, non sibi assumpsisse carnem de utero Virginali. Secundum verò, non esse nunc in Christo substantias duas; divinitatis & humanitatis, sed ex duabus his unam factam substantiam. Retractemus igitur diligenter utrasque sententias, & si vel uni earum coaptari possit ista sententia, quæ Unum de Trinitate passum fatetur, sollicitiùs inquiramus. Quid, rogo, proficit ad negandum Filio Dei materni corporis veritatem, quando Unus de Trinitate passus asseritur? Nonne si unus de Trinitate est, verè Filius Dei est; & si passus est, verè habet materni corporis veritatem? Alioquin tolle corpus ex Matre sumptum, & quomodo pati potuit pura Divinitas? Perpende qualis est caro Mariæ: sine dubio passibilis & mortalis. Ut ergo esset caro Verbi passibilis & mortalis, ex illâ carne habet originem, quæ fuit passibilis & mortalis. In Prole igitur cognosce similitudinem generis per testimonium passionis, & expugnari magis Eutychianos, quàm foveri, quando Unus de Trinitate passus asseritur, velis, nolis adverte.... Sine dubio enim sub his verbis etiam prædicator unius in Christo substantiæ confutatur. Ut sit enim Christus unus de Trinitate, ad divinitatem pertinet; ut credatur passus, ad humanitatem. Non esset, qui passus est, unus de Trinitate, nisi unam haberet cum Patre & Spiritu Sancto divinitatem. Non esset passus, qui unus est de Trinitate, nisi consubstantialem Matri haberet humanitatem. Silens ergo unius natura in Christo prædicator; Duas enim naturas commemorat qui unum de Trinitate passum fatetur. Unum de Trinitate passum, Nestorianis non immeritò displicet: Introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychiani*

chianis autem, Unum de Trinitate passum non rectè placet, si tamen placet: Ipsi enim duas Christi permanere naturas evidenter contendunt negare, quibus per hoc Capitulum manifestâ ro contradicitur.

Addit Ferrandus, quòd *Quia forsan nimiùm suspiciosus, aut omnino tardus auditor vult, ut cùm dicimus, Unum de Trinitate passum, inferamus, Secundùm carnem, ne aut tota Trinitas passionem suscepisse; aut ipse Filius in substantiâ divinitatis, quæ est illi cum Patre communis, passus putetur: in hac parte morigerandus est talibus; & si sic audire desideravit, sic nos eum loqui convenit: Unus de Trinitate, id est, Filius, una persona de tribus personis, passus est secundùm carnem quam suscepit ex nobis, ut dignaretur passionem tolerare pro nobis. Addamus verba manifesta, nec occasionem demus interpretationi malitiosæ, putetùrque aliud credere, quàm sentimus. Omnis ergo Catholicus aut unum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat; aut loquens cautè, non tamen infideliter, unam personam de tribus passam fateatur. Nec ideo quempiam judices hæreticum, qui unum de Trinitate passum illo sensu dicit, quò etiam ipse unam personam de tribus passam veraciter dicit: Simúlque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes. Hoc est quippe Unum de Trinitate, quod est, unam personam de tribus personis: quoniam si dicat, Una est persona Christus, nihil aliud dicis, quàm Unus est Christus.*

Probatur quintò ex firmiori momento, & quod cæteris præmitti debuit, scilicet ex Canone X. Concilii V. Oecumenici: *Si quis*, inquit, *non confitetur Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & unum de Sanctâ Trinitate, talis anathema sit.* Igitur tantùm abest ut Scythæ Monachi, supra memoratas propositiones propugnantes, hæretici fuerint, ut potiùs hâc inusti sint notâ, post Quintam Synodum, qui eas oppugnarunt. Eandem propositionem sub anathemate proposuit credendam Concilium Lateranense sub Martino I. Canone 2. *Si quis*, inquit, *secundùm Sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem ipsum unum Sanctæ & consubstantialis & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cælo descendisse, & Incarnatum ex Spiritu Sancto & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, &c. condemnatus sit.*

Cardinalis Baronii Objectionibus respondetur.

Objicies primò cum *Baronio* Cardinali, Scythas Monachos in errorem *Petri Fullonis* impegisse, qui Trisagio addidit hæc verba: *Qui crucifixus est pro nobis.* Cum quibus ista propositio, *Unus de Trinitate crucifixus est*, sensu convenire videtur.

Respondeo, Hanc Scytharum Monachorum propositionem à blasphemia *Petri Fullonis* longè abesse. Hic enim Crucem Trisagio addebat, id est Hymno sacro, quò Deus *ter Sanctus* proclamatur, quò innueret, Filium Dei, in substantiâ Deitatis, vel Trinitatem totam passam esse; duas enim in Christo naturas negabat. Scythæ verò Monachi, naturas in Christo duas inconfusas; conceptis verbis fatebantur, & *Unum de Trinitate*, scilicet Filium Dei, non, in substantiâ deitatis, sed *carne passum* propugnabant. Suam, Sociorumque suorum sententiam dilucidè aperit *Joannes Maxentius*, in *Professione fidei de Christo*, eámque *S. Procli* Constantinopolitani Archiepiscopi, cujus doctrinam recepit Synodus Chalcedonensis, auctoritate confirmat, in Tomo ad Armenos dicentis: *Si proferas mihi dicens: Quia qui confitetur crucifixum Deum Filium, & Patrem, Spiritum Sanctum confitetur, super aquam scribis, & super arenam ædificas. Attende igitur Catholicæ Fidei nervos, & ablue imprudentiam tuam. Quid enim est quod nos sapimus? In hac ipsâ essentiâ, quâ constat & unitus est Filius Patri & Spiritui, non dicimus eum passum, sed carne, quâ ex nobis, & pro nobis est factus. Non autem alius est factus, ut si unus de Trinitate, & crucifixus est carne, quæ factus est, & non est passus divinitate, quâ unitus est Patri & Spiritui, ut & ipsos crucifixos dicamus. Si autem diceremus, cum divinitate crucifixum, reverà in Trinitate passionem induceremus. Si autem dicimus quòd in carne suâ passiones Verbum suscepit, confitemur, quia & unus est de Trinitate qui passus est, de Trinitatis naturâ impassibilis mansit.*

Et iterum: *Si autem incarnatus* (inquit) *non esset passus, haberet fortassis rationem versutissima objectio. Si autem incarnatus passus est evidenter, quoniam causa Incarnationis est Crux, hoc crucifixum est, quod incarnatum est. Si autem quod incarnatum est, crucifixum est, Pater autem & Spiritus Sanctus non est crucifixus: Unus ergo de Trinitate est crucifixus. Divinitatem, verò quâ communicat Patri & Spiritui, servavit impassibilem. Carne autem, quâ ipse solus est factus, ipsâ & solus idem est passus.* Quibus *S. Procli* verbis recensitis, ita *Joannes Maxentius* colligit: *Quapropter siquis hanc hujus Beatissimi Patris, super splendorem solis lucentem sententiam reprehendere audet, unam totius Trinitatis subsistentiam, id est, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, manifestè, cum Sabellio credere reprehenditur.*

Objicies secundò, *Dioscorum* unum è Legatis *Hormisdæ*, hanc propositionem, *Unus de Trinitate crucifixus est*, ut alienam à Catholica Fide, & à doctrina Synodorum & Patrum, ut propositam ab Eutychianis in Synodo Chalcedonensi & ab *Anastasio* Imperatore, ejusdem Sanctæ Synodi hoste, defensam, exagitasse, & ad *Hormisdam* Pontificem detulisse. Hæc enim sunt ejus verba in relatione ad Hormisdam: *Unum de Trinitate crucifixum, nec in Sanctis Synodis dictum est, nec in Epistolis S. Papæ Leonis, nec in consuetudine Ecclesiastica. Quod si permittitur fieri, mihi videtur dissensiones & scandala non mediocria nasci inter Ecclesias. Istud Anastasius Imperator magnoperè Catholicis imponere festinavit. Istud & Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt... Iste sermo ideo numquam est in Synodis à Patribus introductus, quia procul dubio Catholicæ Fidei minimè poterat convenire. Cujus sermonis si subtiliter attendatur intentio, ad quantas hæreses pateat, quoniam longum est, præsentes poterimus insinuare. Unde mihi justum videtur & utile, & ad pacem Ecclesiarum conveniens, nihil aliud responsum dari, nisi: Sufficit sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur. Sufficit una Epistola Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Ecclesiam inducere, nec volumus, nec debemus.*

Respondeo, *Dioscorum* sententiam Scytharum Monachorum fideliter non retulisse. Non enim illi simpliciter asserebant, *Unum de Trinitate crucifixum*, sed, *crucifixum carne*: quæ vox æquivocationem omnem excludebat, & Eutychianam confodiebat hæresim. Ignoravit præterea *Dioscorus*, vel dissimulavit, Monachorum Scytharum propositionem à *S. Proclo* assertam antea ac defensam, & consequenter à Synodo Chalcedonensi, quæ *S. Procli* doctrinam recepit, approbatam. Et quamvis *Carosus* & *Dorotheus* hæretici Monachi, in Synodo Chalcedonensi, *Actione* IV. Salvatorem nostrum Jesum Christum unum ex Trinitate, passum esse professi sint, nemo Patrum eos propter hanc assertionem reprehendit; quæ tamen pravo sensui obnoxia erat, cùm *passum carne* non dicerent. Quæ vox ita sensum hujus propositionis determinat, ut Eutychianam hæresim, non minùs quàm Nestorianam expugnet. A qua determinatione recipiendâ *Anastasius Imperator* Acephalorum patronus & Concilii Chalcedonensis hostis multùm abfuit. Certè quàm fuerit à veritate alienum *Dioscori* de Monachorum Scytharum propositione judicium, patet ex Synodo Chalcedonensi, quæ laudatam *Procli* Epistolam approbavit; ex Synodo

Quinta Oecumenica, quæ negantes *Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, unum esse de Sancta Trinitate*, anathemate confirit: ex *Joanne II.* qui Monachos Acœmetas *Negantes esse confitendum Unum de Trinitate incarnatum & carne passum*, damnavit, teste *Liberato cap.* 20. *Breviarii*: ex *Agapeto* Pontifice *Joannis II.* Successore, qui Professionem Fidei à *Justiniano* Imperatore ad *Joannem II.* missam ab eóque approbatam, auctoritate etiam suâ confirmavit, *Prædicans hujusmodi fidem omnibus Patrum nostrorum regulis convenire, & Apostolicæ Sedis concordare dogmatibus.* Quô in libello Fidei *Justinianus* professus est, *Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium Dei, unum esse Sanctæ & consubstantialis Trinitatis, passibilem carne, eundémque impassibilem deitate.* Item ex *Facundo Hermianensi*, ex *S. Fulgentio* & Africanis Patribus, ex *Ferrando* tandem Carthaginensi. Horum sanè Conciliorum, Pontificum, Patrum testimonia locupletissima, *Dioscori* Legati auctoritati præponderare æqui rerum æstimatores judicabunt. Mirum autem ac incredibile videri non debet, *Dioscorum* illum fuisse in Scythas Monachos iniquiorem, qui conflato contra Bonifacium II. Schismate, postea Sedem Pontificiam invasit.

Respondetur secundò, Dioscorum cæterósque Legatos, Propositionem Scytharum Monachorum non damnasse ut hæreticam, sed tamquam Catholicæ Fidei dogma in Libellum Fidei, uti Monachi contendebant, referre constanter recusasse; ipsamque rejecisse, ut novam, ut æquivocam, & quæ pravo sensui obnoxia videri posset. Scripserunt enim Legati communi nomine ad Hormisdam, se coram Imperatore ac Senatu dixisse: *Extra Synodos quatuor: Extra Epistolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus. Quicquid non continetur in prædictis Synodis, aut quod non est scriptum à Papa Leone, non suscipimus.* Scripsit singulariter Dioscorus: *Unde sanum mihi videtur & utile, & ad pacem Ecclesiarum conveniens: nihil aliud responsum dari, nisi, Sufficit Sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur: Sufficiant Epistolæ Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Ecclesia introducere nec volumus; nec debemus.* Ea ergo Scytharum Monachorum Propositio per Legatos damnata non fuerat: unde in communi ad Hormisdam Epistola addiderant: *Nobis quod visum est scripsimus: in vestra potestate est deliberare, quod vobis Deus imperaverit*; quòd esset adhuc integra causa ad Sedem Apostolicam delata. In fine verò Epistolæ hæc leguntur: *Et qua solet Dominus noster vigilantiâ cogitetis, & quomodo suspendendi sunt, qui à nobis qualiter recesserunt, & à nostra communione fuerunt sejuncti*, &c. *quia eos omnes Constantinopolitana exhorret Ecclesia.* In Vaticano Codice legi, *Quomodo suscipiendi sunt*, Vir Doctissimus * observat. Illis verò verbis: *Et à nostra Communione fuerunt sejuncti*, non significari Monachos à Legatis Catholica Communione privatos fuisse, sed ipsosmet Monachos à Communione cum Legatis abstinuisse, eisdem petulanter iratos quòd suas Propositiones tanquam fidei Canones approbare recusassent. Eamque simplicem communionis dissociationem fuisse ostendit, cujusmodi plura exempla in vetustis Ecclesiæ monumentis occurrunt.

* Cardinalis Norisius.

Objicies tertiò cum *Baronio*, Scythas Monachos, cùm abhorrerent dicere, unam Trinitatis personam esse passam in carne, dolosè conatos fuisse explodere receptum in Ecclesia personæ nomen.

Respondeo, Injustam esse, & nullo fultam fundamento, illam doctissimi Cardinalis adversùs Monachos Scythas criminationem. In Libello enim Fidei Legatis oblato, unam in Christo personam disertis verbis professi sunt. *Unam verò*, inquiunt, *duarum naturarum subsistentiam, sive personam, quam nobis veneranda Chalcedonensis Synodus tradidit, nullius alterius nisi Dei Verbi, incarnati & hominis facti confitemur. Propter quod nec illam sententiam, quam quasi contrariam quidam Synodo æstimant, id est, Unam naturam Dei Verbi Incarnatam, avertimus, quia nihil aliud nisi unam subsistentiam, sive personam in duabus naturis docet unitis:* Et infra: *Quapropter impiè quidam personam quidem homini, subsistentiam, vero Deo Verbo credunt à Synodo deputatam. Non quod nesciant, apud Synodum idipsum esse subsistentiam, quod & personam, sed ne apertè videantur duas subsistentias, aut duas personas introducere, hoc pessimo abutuntur argumento. Nos autem unum & idem sentientes subsistentiam esse quod personam, non dicimus Trinitatem in Christo inhabitare, sicut consueverunt Theodori Mopsuestiensis, & Nestorii sectatores, quasi quid extra Trinitatem sit Christus; sed Deum Verbum unigenitum Filium Patris, Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, Unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus.*

Non itaque rejiciebant Scythæ Monachi hanc propositionem: *Una Trinitatis persona passa est carne*, sed eos inconsequenter contendebant ratiocinari, qui hanc admittentes cum Orthodoxis omnibus, explodebant istam cujus idem est omnino sensus: *Unus è Trinitate crucifixus est carne.* Id constat ex Responsione *Joannis Maxentii* ad Epistolam Hormisdæ. *An fortè illos*, inquit, *rationi cedere, non imperare judicat, qui Christum unam personam quidem ex Trinitate, non autem unum ex Trinitate esse fatentur? Sed qui hoc dicunt, potiùs rationi velle imperare, non cedere, penitus convincuntur. Quis enim tam stultus & vecors sit, qui dicere audeat, Paulum ex Apostolis unam esse personam, non autem unum esse ex Apostolis Paulum?* Addit, Hæreticos à quibus *Dioscorum* Legatum Apostolicum stare iniquè scribit, Christum unam personam ex Sanctissima Trinitate prædicantes, unum ex Trinitate Christum renuere confiteri: sed eo sensu asserere Christum unam personam esse ex Trinitate, quòd Dei Verbi in se habitantis personam habeat, quæ est una ex Trinitate, ut vicarius quodammodo, sive minister sit Dei Verbi Christus, non autem ipse Deus Verbum sit Christus. *Qui autem*, inquit, *non Dei Verbi personam Christum habere fatentur, sed ipsum Deum Verbum Christum credunt & confitentur, sicut unam personam ex Trinitate, ita & unum ex Trinitate prædicant Christum. Quia si Deus Verbum est Christus, & Christus Deus Verbum, sicut Catholica credit sanitas, quomodo non est Christus unus ex Trinitate, si una persona est Deus Verbum ex Trinitate? Nisi fortè Deum Verbum, sive Christum aliquid aliud præter naturalis personæ asserunt vocabulum. Si autem Deum Verbum, sive Christum, non aliud aliquid, sed naturalis personæ vocabulum esse intelligunt; quomodo non est Christus unus ex Trinitate, si una naturalis persona est idem Christus ex Trinitate?* Lege & Caput 21. *Dialogi II. contra Nestorianos*, ab eodem *Joanne Maxentio* editi, ubi eadem inculcat.

Objicies quartò, cum *Baronio*, rationes quibus permoti Legati Apostolici, sententiam de Uno ex Trinitate passo, minimè recipiendam putarunt. Prima est, quia sequeretur aliam esse Trinitatem, & alium qui *Unus è Trinitate* diceretur: sicut rectè colligitur alium esse Patrem à Filio, cùm de Patre Filius esse dicitur; & alia civitas, aliúsque homo, qui de civitate esse narratur. Secunda ratio est, quia cùm dicitur, *Unus de Trinitate passus*, sequi videtur divinitatis substantiam esse passibilem. Tertia ratio est, quia dicentibus: *Unus de Trinitate passus est*, inquisitor acerrimus dicet, *Quid unus?* Et Respondentibus, *Filius*; iterum dicet: *Ergo si unus est Filius de Trinitate, vel unus est Trinitatis, Filiorum est Trinitas*: aut

aut Trinitatis est Filius. Respondentibus, *Deus dicet: Quomodo & quispiam unus Deus de Trinitate, cùm non sit unus Deus nisi Trinitas?*

Respondeo ad hæc tria momenta cum *Ferrando* Carthaginensi Diacono, in Epistola ad Anatolium. Ad primum, nego consecutionem & paritatem. *Nam Pater, quamvis habendo Filium Pater sit, ipse tamen Patris nomine non se esse Filium monstrat; & ideo dum de Patre esse Filius dicitur, alter esse Pater alter Filius intimatur, & civitas hominum est multitudo, non homo. Et ideo, dum de civitate quispiam dicitur, alter ipse esse, altera civitas invenitur. Trinitas autem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus est, ideo securus dicis: Filius unus est de Trinitate. Nec potest esse alius Filius, & alia Trinitas, quia sine Filio nulla est Trinitas.*

Ad secundum respondeo, *Impossibilem Catholicis mentibus semper apparere* consecutionem illam, *ut suspicari hoc, malitia potiùs quàm cautela sit: maximè quoniam dum Unus de Trinitate dicitur passus, & Trinitas personarum habeat distinctionem: cuivis facilè apparet, propter unam personam Verbi impassibilis, cui nisque passibilis, Unum de Trinitate passum pronuntiari.*

Ad tertium respondet Ferrandus, *Huic dubitationi facilè occurri, si quid sit Trinitas consideremus. Trinitas enim personarum est Trinitas. Quid ergo Trinitas, nisi tres personæ? Quæ sunt tres personæ, nisi Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus? In hac ergo Trinitate, neque Patres tres invenis, neque Filios tres, neque Spiritus Sanctos tres. Et propterea securus dicis, Unum de Trinitate Filium, quia non est in Trinitate Filius, nisi unus. Cujus personam significantes, dicamus, Unum de Trinitate passum, qui ipse tantùm rectè creditur passus, qui cùm esset verè & propriè Deus, verè & propriè factus est homo.*

Objicies quintò. Si rectè dicitur *Unus de Trinitate passus Jesus Christus*, rectè etiam dicitur *Unus de humanitate passus*: sicut dicimus Deum, & rursus dicimus hominem. Porro secundus iste modus loquendi alienus est ab Ecclesiæ sensu; igitur & prior.

Respondeo cum *Ferrando*, nego consecutionem & paritatem. *Deum quippe cùm dicimus, rectè etiam hominem dicimus; quia & Deus, & homo, nomina substantiarum sunt. Unus autem, quia propriè personam significat, unus, & unus, nequaquam cogimur dicere, ut duas videamur asseverare personas. Ideo planè Unum de Trinitate confitemur, & non Unum de humanitate, quia Deus veniens ad uterum Virginis, & adventu suo munus ei largiens fœcunditatis; sine sorde libidinis, humanam sibi naturam potenter usque ineffabiliter adunavit, tantò vinculo unitatis, ut persona Verbi fieret persona carnis, & deinceps una Verbi persona esset & carnis. Ideo dicere nullatenus possumus, Unum de Trinitate, & Unum de humanitate, vel Unum Trinitatis, & Unum humanitatis; quia in Christo Jesu Personam propriam non habet separatim humanitas, sed persona Verbi Dei, à quo suscepta est, ipsa illi facta est propria. Distinguimus ergo naturas duas Christi in vocabulis, in officiis, non in personis.*

Objicies sextò, Eum qui dicit *Unum ex Trinitate*, divisionem facere Trinitatis.

Respondeo, nego consecutionem. *Si enim quicumque dixerit unum ex Trinitate Christum, qui pro nobis est carne passus, divisionem facere deprehenditur Trinitatis; ergo & quicumque Deum ex Deo dixerit, divisionem efficit Deitatis: quod si Deum ex Deo dicere, divisionem non facit divinitatis, præsertim cùm una sit divinitas Trinitatis, multò magis unum ex Trinitate dicere, divisionem non facit Trinitatis. Quia non secundùm id quod unus est Deus, & una divinitas Trinitatis, sed secundùm id quod tres sunt, id est, Pater, & Christus, & Spiritus Sanctus unus Deus,*

A *Christus dicitur unus de Trinitate, qui pro nobis passus est carne.* Hæc Ferrandus.

Objicies septimò *Trifolii* Presbyteri luculentissimam contra Scythas Monachos Epistolam ad *Faustum Senatorem*. In quâ expendens hanc propositionem: *Unus de Trinitate crucifixus est*, quam illi Monachi propugnabant, ait: *Ista doctrina de fonte Arii prodivit, & est conveniens omnibus hæresibus... Qui unum de Trinitate dicunt passum, si Ariani non sunt, dicant de quibus tribus unus passus est. De tribus Patribus, aut de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus Sanctis, aut certè de tribus Diis, sicut dicit Arius?...*
B *Qui unum de Trinitate Filium dicunt passum, duos aut tres Filios colunt, ex quibus unus passus est, duo manent impassibiles. Si verò de Trinitate est Filius, non est de Patre secundùm Divinitatem, neque de matre secundùm carnem, sed de Trinitate. Trinitas, & unus de Trinitate quatuor fiunt, sicut dicit Nestorius. Filius Mariæ associatus est Filio Dei, & factus est communis Trinitati, & passus est unus de Trinitate.... Eutyches duas naturas unici Filii Dei commiscet; & jam nec Deus, nec homo, nec Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus est, sed est ille Unus de Trinitate.* Addit, *Carosum & Dorotheum Archimandritas, in Concilio*
C *Chalcedonensi, confitentes Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui descendit, & incarnatus est à Sancta Virgine Maria, & hominem indutus est, & crucifixus, unum de Trinitate esse passum*, accepisse damnationem cum Eutychete. Epistolam denique Procli, quâ nitebantur Scythæ Monachi, ab iis in pravum sensum esse detortam asserit. *Semper quippe Hæretici male interpretando dicta Patrum, hæreses suas confirmare conantur.*

Respondeo, *Trifolium Presbyterum* Professiones Fidei, & libros Monachorum Scytharum non legisse, ex quibus cognovisset ipsos Orthodoxo planè
D sensu hanc Propositionem propugnare, *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, id est, Filius, qui est una Sanctissimæ Trinitatis persona, carne pro nobis assumptâ crucifixus est. Quamobrem licet Hæretici pravos in sensus hanc propositionem detorquere possent, iniquum erat Catholicos, qui illam secundùm proprium & nativum (ut ita loquar) sensum propugnabant, hæreses Arii, Apollinaris, Nestorii, Eutychetis, conceptis & perspicuis verbis damnantes, & contraria his Hæresibus dogmata, secundùm Sanctarum Synodorum definitionem, & SS. Patrum doctrinam Professi, velut cum omnibus Hæreticis consentientes traducere. Sed *Trifolio* Presbytero
E condonandus est error, qui à *Fausto Senatore* de hac propositione interrogatus per Epistolam, nec certior factus de fide & doctrina Scytharum Monachorum, sed de turbis duntaxat ab ipsis Constantinopoli & Romæ excitatis, faciliùs sibi persuasit ipsos celebrem illam propositionem hæretico sensu asserere; maximè cùm & Legatos *Hormisdæ* Romani Pontificis adversarios haberent, & Pontificem ipsum. Præterea nec ipsa Propositio Scytharum fideliter ad *Trifolium* relata est: quæsivit namque ab ipso *Faustus Senator*, quid de illa propositione sentiret: *Unus de Trinitate crucifixus est.* Hæc non erat propositio Monachorum Scytharum, sed ista: *Unus de Trinitate*
F *crucifixus est carne.* Ita rem se habuisse probat initium Epistolæ Trifolii. *Mandare mihi dignatus es, Monachos Scythas à Constantinopoli advenisse, qui unum de Trinitate prædicant crucifixum, sperans à Parvitate mea, si tale aliquid in doctrina Patrum reperirem.*

Tertiò, faciliùs demonstratur hanc Monachorum Scytharum propositionem Hæreses omnes refellere, quàm probasset *Trifolius Presbyter* ipsam omnibus hæresibus convenire. Ut enim ait Ferrandus Diaconus Carthaginensis Ecclesiæ doctissimus in Epistola ad Anatolium, hæc propositio

expugnat magis Eutychianos, quàm foveat. *Sine dubio enim sub his verbis etiam prædicatur unius in Christo substantia confusatur. Ut sit enim Christus unus de Trinitate, ad divinitatem pertinet: at credatur passus, ad humanitatem. Non esset, qui passus est, unus de Trinitate, si unam haberet cum Patre & Spiritu Sancto divinitatem. Non esset passus, qui unus est de Trinitate, nisi consubstantialem Matri haberet humanitatem. Sileat ergo unius natura in Christo prædicator. Duas enim naturas commemorat, qui unum de Trinitate passum fatetur. Suspiciones suas inaniter prodet, quisquis bene dicta, dum malè conatur intelligere, calumniari potius quàm doceri studeat. Unum de Trinitate passum, Nestorianis non immeritò displicet. Introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passionem. Eutychianis autem Unum de Trinitate passum, non rectè placet, si tamen placet. Ipsi enim duas Christi permanere naturas evidenter negare contendunt, quibus per hoc Capitulum manifestâ re contradicitur: insinuatâ unâ substantiâ per hoc, quod passus infertur. Passio enim commemorata, testimonium est naturæ passibilis: natura passibilis intellecta, maximè in illo qui Unus est de Trinitate, duarum substantiarum clarissimam reddit distinctionem.*

Quòd verò scribit *Trifolius*, *Carosum* & *Dorotheum* Eutychianos Archimandritas, in Concilio Chalcedonensi effutientes, *Unum de Trinitate passum*, explosos fuisse, jam à nobis dilutum est: sed *Ferrandi* verbis *Trifolio* rursus respondemus. *Nemo vere quempiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit Apocrisarius in Chalcedonensi Concilio. Sæpe etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in Concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronuntiarunt Catholicum, nec ipsam sententiam Catholicis tunc inserere Definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis potius approbasse, quàm verba. Mirabiliter tamen Spiritus Sanctus postea Fideles admonuit, etiam per hanc sententiam revinci Eutychianistas, in quâ duarum plena est prædicatio naturarum.*

Denique *Trifolio* obscuri nominis Presbytero, Synodos, Pontifices, Patres Sanctissimos & eruditissimos opponimus, à quibus hæc propositio, *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, asserta est, vindicata, & inter dogmata Fidei reposita.

Objicies octavò cum *Baronio Cardinali*, Scythas Monachos Propositionem istam obtrudentes, *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, adversatos fuisse Synodo Chalcedonensi, quam eo additamento supplendam contendebant, quasi carentem ipsâ esse dicerent imperfectam, cui proinde haud tutò credi posset.

Respondeo, Id esse falsissimum: illam enimverò propositionem Synodi Chalcedonensis Definitioni adjiciendam non contendebant Scythæ Monachi, aut sacram Synodum absque ipsa esse imperfectam: Sed istam propositionem adversùs Hæreticos, & maximè adversùs Nestorianos & Eutychianos propugnare se contestabantur: Atque ab omnibus Orthodoxis pariter propugnandam aïebant. Id constat ex Confessione Fidei, quam *Hormisdæ Papæ* Legatis tradiderunt. *Catholicam Fidem augmentum aliquod posse recipere*, inquiunt, *improbum est credere, quia cùm sit perfecta, & plena in omnibus, augmentum recipere non potest: Hoc enim sine dubio augmentum recipit, quod est imperfectum. Si autem non de intelligentia Fidei, sed de verbis agitur, hoc non est semper contrarium, quia aliquando explanationem Fidei verborum facit adjectio, aliquando corruptionem... Quòd si omnis adjectio verborum Catholicæ Fidei noxia creditur, cur B. Cyrillus ad destruendam Nestorii impiam interpretationem Sancti Symboli, in Concilio Ephesino, tam multas Sanctorum Patrum sententias proferens, nullam reprehensionem dignum recipere augmentum creditur? Quod si ideo augmentum recipere non creditur, quia non in ipso Sancti Symboli mathemate ipsas Sanctorum Patrum sententias inseruit, sed eas extrinsecùs proferens, sincerissimum sensum ejusdem Sancti Symboli reddidit manifestum: Æquè ergo & de nostrâ parvitate convenit judicare, qui non in ipso Termino venerabilis Chalcedonensis Concilii inserimus Patrum sententias, sed eas extrinsecùs contra inimicos pro ipsius defensione proferimus.... Nemo rectè reprehenditur retractare Synodum, nisi qui de ipsius statutis judicans, non pro ipsa, sed contra ipsam, Patrum proferre tentat sententias, sicut Hæretici faciunt. Qui autem non contra ipsam, sed pro ipsâ Patrum sententias proferunt, defensores sunt, non retractatores Concilii. Frustra ergo omnino nos Synodum retractare arguunt, quos vident, non contra ipsam, sed pro ipsa, Patrum proferre sententias. Quin Synodus alteram fidem, aut mathemata, præter Sanctorum Patrum, tradere his, qui ad Catholicam Fidem confugiunt, prohibuit; Non autem Hæreticorum pravitati, aut eis, qui sensum ejus moliuntur corrumpere, rationabilibus documentis vetuit obviare. Unde superfluum est etiam illud quod nobis objicitur; Quod Synodus non dicit, nullatenus dici debere. Quia multa sunt quæ non dicuntur à Synodo, nec in ullâ Scripturâ Canonicâ, & tamen cùm ratio postulaverit, ea nullatenus proferre ambigimus: Sicut est Trinitas, aut cùm de Patre dicimus, Quia ingenitus est: & alia plura.* Ita præfati sunt Scythæ Monachi ad Professionem Fidei, quam Legatis Hormisdæ tradiderunt. In ipsâ verò Professione, eos anathemate confodiunt, qui Synodum Chalcedonensem retractaverint, aut imperfectam judicaverint. *Sequimur*, inquiunt, *& amplectimur venerandam Synodum Chalcedonensem, omniâque Scripta Sanctorum Patrum, qui unum & idem secundùm horum Conciliorum Definitiones senserunt. Anathematizamus autem omnes, si quis dubitat, aut retractat, aut imperfecta judicat, aut quæ ea à fide Sanctorum Patrum æstimat aliena.*

Objicies nonò. *Hormisdas* Pontifex Monachorum Scytharum Propositionem rejecit, illosque ut Hæreticos insectatus est. Illa itaque Propositio habita est ut hæretica, ipsique Hæretici audierunt.

Respondeo, Nego Antecedens, quoad secundam partem. Illos quidem ut contentiosos, superbos, pertinaces, laudatus Pontifex coarguit, * sed Hæreseos dicam ipsis non scripsit. Illos insectatus meritò est ut *contemptores auctoritatum Veterum*, ut *novarum cupidos Quæstionum, eoúsque tumoris elatos, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putarent inclinandum esse judicium, nec in numero Fidelium deputarent sequaces Traditionis Paternæ, si sua viderent cedere nolle sententia.* Ut ad seditionem proclives exhorruit, *Qui in publicum usque prodiere conventum, ad concussionem quietis circa Regum etiam statuas inclamantes.* Sed nusquam ipsos ut Hæreticos traduxit.

* In Epistola ad Possessorem.

Primam verò partem Antecedentis distinguo: *Hormisdas* Pontifex Scytharum Propositionem rejecit, ceu novam, inutilem, & quæ multis scandalo esse posset, concedo; ut hæreticam, nego. Quanquam verbis tenus nova videri posset, ubi accuratè fuisset expensa & discussa.

Objicies decimò, Propositionem istam, *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, asseri atque propugnari non posse, nisi priùs asseratur, omnipotentis Dei unam substantiam, & tres esse personas: Ex quibus una persona, id est, Filius, Deus permanens, homo factus, passus sit, neque Patre, neque Spiritu Sancto pariter incarnatis, quamvis opus nostræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata. Sic passum esse Filium ut non potuerit pati in ipsâ substantiâ, quâ cum Patre & Spiritu Sancto unus Deus est, sed in illâ, quam sine Patre & Spiritu Sancto suscepit ex Matre. Et ideo passum dici, quia ipsius est caro quæ passa est, & ad ejus personam pertinet. Unus Filii Dei Do-

mini

mini nostri Jesu Christi duas esse naturas: Per Incarnationem Filii Dei non crevisse Trinitatem, nec quartam accessisse personam. Quibus præmissis, Fidelis Catholici lingua dicere potest, *Unum de Trinitate passum*, quem tamen significet secundùm divinitatem esse unum de Trinitate, secundùm humanitatem verò passum. Hanc postulat cautionem *Ferrandus, in Epistola ad Anatolium*, ut Unus de Trinitate passus dicatur. Hæc itaque propositio per se Catholica non est: & Scythæ Monachi hanc propugnantes, in suspicionem hæreseos meritò venerunt.

Respondeo, Nego consequens. Primò enim Scythæ Monachi omnem hujusmodi cautionem adhibuerunt, quam postulat *Ferrandus*, ut constat ex eorum Professionibus Fidei, & Libris. Secundò, cùm non dicerent duntaxat, *Unum de Trinitate passum*, sed *Unum de Trinitate passum carne*, necessaria hujusmodi cautio non erat. Sic enim & *Sanctus Proclus* locutus fuerat in Tomo ad Armenos, & Sanctus Cyrillus Anathematismo XII. cujus hæc sunt verba: *Si quis non confitetur Dei Verbum secundùm carnem passum, secundùm carnem crucifixum, mortémque secundùm carnem gustasse, & Primogenitum tandem ex mortuis factum esse, quatenùs videlicet vita est, & vivificum ut Deus, anathema sit.*

Tertiò, nec tantam cautionem *Ferrandus* postulat propter istius Propositionis pravum sensum, sed propter contradicentes, aut malè suspiciosos auditores, quibus obscura videtur & ambigua. *Dicturus ergo Unum de Trinitate Christum*, inquit, *priùs ista, quæ diximus, dicat; maximè quando contradicentibus, aut malè suspicantibus loquitur, & alium non ædificat, qui cum malo sensu talia putat instruere. Nolo Prædicatorem verbi Dei testimonio tantùm conscientiæ suæ esse contentum: Perducere conetur ad cor aliorum, quid rectè ac fideliter sentiat; nec pigritiâ aut superbiâ revocetur tanquam inculcaret rem dubiam, donec omni careat ambiguitate. Sit multiloquus, quantùm necessitas coëgerit, dum tamen obscurâ brevitate neminem scandalizet.*

Quartò. *Ferrandus* parem cautionem vult adhiberi ab eo qui hanc propositionem profert: *Maria Deum propriè genuit*, quæ tamen Propositio dogma Fidei est. *Similiter*, inquit, *dicturus Beatam Mariam verè & propriè Deum genuisse, priùs illa omnia confiteatur, divinitatem Filii Dei jam de Patre natam, nec nasci, nec propriè nasci asserat potuisse, nisi carnem nostri generis, & animæ rationalis substantiam, id est plenum hominem suscepisset: neque initium Divinitati per nativitatem temporalem datum fuisse, sed carni. Priùs enim confiteatur, nec ea quæ sunt Divinitatis, posse ab humanitate, nec ea quæ sunt humanitatis, posse à Divinitate Christi separari; sed sive illud quod secundùm Divinitatem, sive illud quod secundùm humanitatem, dictum, gestum, toleratúmve est, utrique substantiæ ejus esse commune, propter unam personam quam prædicat recta Fidei prædicator; quamvis noverit, secundùm humanitatem, de visceribus Matris propriè natam fuisse Divinitatem. Securus tamen dicit: Maria Deum propriè genuit; illum genuit, qui sic homo creditur, ut Deus non negetur. Ille autem qui has dubitat proferre sententias, si cuncta quæ solent sub hæretico latere sensu, manifestis absolutisque sermonibus audierit refutari, careat suspicionibus, omittat contentiones, & de cætero Unum de Trinitate passum, vel Mariam propriè Matrem Dei esse sic accipiens, quomodo dicitur à Catholicis, etiamsi aliter hoc affirmare nitantur Hæretici, Doctoribus Orthodoxis aures simplices præbeat.*

Objicies, Eutychianos fuisse Scythas Monachos, probare luculentissimè primum & tertium eorum Anathematismum. Primum, quia in eo prædicant: *Unam naturam Verbi Incarnatam*; Tertium verò, quia damnat eum qui non confitetur *Substantialem sive naturalem unitatem; sed subsistentialem; sive personalem.*

Respondeo, Nego Antecedens. Hæc enim propositio, *Una Verbi Natura Incarnata*, Catholica est, ut probavimus in Dissertatione adversùs hæresim Eutychetis, in Panoplia adversùs Hæreses Quinti Sæculi. Hancque propositionem non alio sensu Monachi Scythæ usurparunt, quàm quo à *Sancto Cyrillo* usurpata, & à Synodo Chalcedonensi intellecta fuerat, ut ipsos Anathematismi verba demonstrant: *Si quis*, inquiunt, *non confitetur in Domino nostro Jesu Christo duas naturas unitas, hoc est, divinitatis & humanitatis, ac sic unam naturam Dei Verbi Incarnatam, sicut duas unitas in unâ substantiâ atque personâ, secundùm quod nobis tradidit veneranda Synodus Chalcedonensis*. Unde *Petrus Diaconus*, *Joannes Leontius*, cæterique Scythæ Sodales, in lib. *De Incarnatione & Gratia Domini nostri Jesu Christi* ad Sanctum Fulgentium & alios Episcopos Afros, *Cap.* 2. scribunt, *Igitur juxta Sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, id est, divinitatis & humanitatis, in unâ persona sive subsistentiâ confitemur. Nec illis acquiescentes, qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Concilii Chalcedonensis fidem refugiunt, nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronuntiantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minimè confitentur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: Quasi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet.*

Catholicum etiam est asserere substantialem sive naturalem unitatem, subsistentialem verò, sive personalem negare, qualem Nestoriani perversè & fraudulenter admittebant, qui unum confitebantur Filium Dei & Filium Virginis Mariæ, unitione duarum personarum, nempe divinæ & humanæ: Et hanc vocabant unitatem seu unitionem subsistentialem sive personalem; item socialem, per inhabitationem Verbi in assumpto homine, Verbóque unito secundùm affectum & gratiam, & dignitatem, & conjunctionem, & societatem. At negabant Deum Verbum de Virgine natum esse, & nascendo univisse sibi humanitatem secundùm quam de Virgine naturaliter natus est, sine assumptione novæ hypostaseos; quam unitionem nascendo factam, Orthodoxi Patres, non solùm secundùm hypostasim, seu personalem, diverso à Nestorianis sensu, sed etiam physicam seu naturalem vocabant, quia non priùs erat homo ille quàm ei Deus Verbum uniretur; neque assumpta est in societatem persona humana, sed ipse Deus Verbum, sine amissione aut conversione, aut diminutione, aut commistione suæ Deitatis factus est caro, ipse conceptus & natus est homo, ideóque anathema denuntiarunt Sancti Patres negantibus unionem naturalem, ut patet ex Anathematismo tertio Sancti Cyrilli à Synodo Ephesina approbato, cui secundùm sensum geminus est Anathematismus tertius Maxentii his verbis conceptus: *Si quis non confitetur substantialem sive naturalem unitatem; secundùm id quod manens naturâ Deus Verbum naturæ est unitus humanæ; sed subsistentialem sive personalem dicit unitatem, aut secundùm illustrationem, sive secundùm dilectionem, aut secundùm affectionem, Anathema sit.* Mentem suam prolixiùs explicat in suâ Professione de Christo. *Has igitur*, inquit, *duas naturas Dei Verbi Domini nostri Jesu Christi, hoc est, divinitatis & humanitatis, naturaliter sive substantialiter, secundùm traditionem Sanctorum Patrum, credimus & confitemur unitas, eò quòd natura inviolabilis Dei Verbi naturæ est unita passibili: Beatissimo simul atque doctissimo Athanasio dicente: Verbum caro, non caro Verbum factum est. Verbum autem caro factum dicitur, quia Verbi facta est caro, & non alicujus hominis; hoc est: Deus homo factus est, & dicitur caro, ne prætereatis carnis nomen. Cur ergo non sufficit nobis naturalis unitio Verbi ad propriam*

carnem, & quia Deus homo factus est? Huic congruè Sanctissimus Theologus Cyrillus ad Nestorium: Non enim, inquit, *dicimus quòd Dei natura conversa aut immutata, facta sit caro, vel quòd in totum hominem, qui est ex animâ & corpore, transformata sit; sed illud magis, quòd carnem animatam, & animam rationalem sibi copulaverit Verbum, & Filius Dei subsistentialiter, ineffabiliter, incomprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit Filius hominis, nec unâ tantùm voluntate, nec assumptione personæ, sed quòd diversæ quidem naturæ in unam convenerint, unus tamen ex utraque Christus & Filius, non evacuatâ aut sublatâ naturarum diversitate propter unionem. Horum igitur Sanctorum Patrum doctrinam sequentes, abominamur omnia eorum deliramenta, qui Filium Filio copulatum, aut alterum inhabitantem in altero, alterum autem alteri consitentur unitum secundùm affectum, aut gratiam, aut dignitatem, aut æqualem honorem, sive auctoritatem, aut connuncupationem, sive secundùm inoperationem, aut personalem factam credunt unitionem; Beato Cyrillo in Capitulo tertio contra Nestorium dicente: Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, solâ eas societate connectens secundùm dignitatem, aut auctoritatem, aut potentiam, & non magis conventu ad unitatem naturalem, Anathema sit. Similiter B. Gregorius in Epistola ad Cledonium: Si quis*, inquit, *sicut in Propheta, secundùm gratiam dicit inoperasse Deum Verbum, & non substantialiter factam confitetur unitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem & plenus deterioris. Unam verò duarum naturarum subsistentiam sive personam, quam nobis veneranda Synodus Chalcedonensis tradidit, nullius alterius nisi Dei Verbi Incarnati & hominis facti confitemur.* Hæc Maxentius. Ex quibus patet, præcipitem esse *Margarini Bignei* Censuram; Eutychianos fuisse Monachos Scythas, ex primo & tertio eorum Anathematismo colligentis, *Tomo iv. Bibliotheca Patrum Edit. Parisiensis.*

Objicies, *Hormisdam* in Epistola ad *Possessorem* Episcopum Afrum, locutionem illam Monachorum Scytharum, *Unus è Trinitate crucifixus*, vocare diabolicæ semina nefanda zizaniæ. *Etmsi*, inquit, *Fidelis populi constantia restitisset, per diabolica semina nefanda zizania apud eos dissensionem & discordiam commovissent.* Igitur Hormisdas Scythas Monachos hæreticos judicavit.

Respondeo, *Hormisdam* non Propositionem ipsam secundùm se spectatam, sed pertinax Monachorum studium, novam Ecclesiæ Quæstionem inferentium, quæ minimè necessaria esset, ac pacem seditiosis contentionibus turbantium, vocasse *Diabolica semina nefanda zizania.* Lege quæ in Responsione ad nonum argumentum diximus.

Joannis II & Hormisdæ Romanorum Pontificum Decreta non pugnant.

Ex his collige, *Joannis II.* Decreta *Hormisdæ* non esse contraria, cùm *Hormisdas* propositionem non damnaverit, quam approbavit *Joannes*, nec oppositam proposuerit Fidelibus credendam, quam anathemate *Joannes* confixit. Unde perperam *Forbesius lib.* 3. *Instructionum Historico-Theologicarum*, Cap xxi. Num. 30. scripsit: *Hic habent, in quo ingenia sua exerceant, infallibilitatis Pontificia assertores. Nam sententiam hanc, quâ unus ex Trinitate dicitur passus carne, neque ab Orthodoxis Patribus usurpatam esse, usque posse fidei Catholica convenire, sed esse procacem verborum novitatem, & nefandum semen diabolica zizania, pronuntiavit ex Cathedra Pontificali, pro universitatis informatione, Hormisdas Pontifex Romanus, & loquutionis hujus defensores expulit & damnavit; & eamdem sententiam Joannes Pontifex Romanus, ex Cathedra Pontificali, cum ab Orthodoxis Patribus usurpatam esse, cum Catholica Fidei optimè convenire, pronuntiavit; & contradicentes ab Ecclesia communione ejecit, certè non mediocri solertia, & haud vulgari opus esse videtur artificio, ut quisquam ista concilies, & Lectori*

Calumniæ argutiæ Forbesii.

cordatè veraciter ac seriò persuadeat, & perspicuè ostendat, non pugnare inter se adversis frontibus ista duorum Pontificum Cathedralia Responsa. Mera verò calumnia est, *Hormisdam* hanc Propositionem, *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, ex Cathedra damnasse, quam ne quidem examinare tunc voluit, hanc disceptationem intempestivam judicans, & turbandæ potiùs Ecclesiæ, quam ædificandæ opportunam. Unde satis habuit coërcere tumultuantes Monachos, intactâ & indiscussâ Propositione, cujus prædicationem tunc nocituram potiùs prævidebat, quòd nonnullam specie tenus affinitatem cum *Petri Fullonis* recèns proscriptô dogmate habere videri posset iis, qui rem subtiliùs non discuterent: & quòd absque ejus ope Synodus Chalcedonensis *Eutychetis* & *Nestorii* hæresim confixisset.

Scholion.

In hac Dissertatione, ad pag. 569. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Papa ex Cathedra num damnaverit aliquam propositionem quam alter approbavit?*

R. Nescio quid sibi velint, aut quid reprehendant. Hujusmodi quæstionem non instituo nec propono. En loci dumtaxat ostendo Joannis Secundi & Hormisdæ Romanorum Pontificum Decreta non pugnare. *Ex his collige (inquam) Joannis Secundi Decreta Hormisda non esse contraria, cum Hormisdas propositionem non damnaverit, quam approbavit Joannes, nec oppositam proposuerit Fidelibus credendam, quam Anathemate confixit. Unde perperam Forbesius*, &c. Calumniam Forbesii Heterodoxi Scriptoris adversus Hormisdam refello, Pontifices duos hîc ab errore vindico, quid causæ est cur animadversione censoria percellar?

DISSERTATIO III.

De V. Synodi Oecumenica convocatione, Præside, Auctoritate.

ARTICULUS I.

Quis Synodum V. Oecumenicam convocaverit?

Propositio.

Synodum Quintam Oecumenicam Justinianus Imperator convocavit, non repugnante Vigilio Romano Pontifice.

Probatur primò ex Sacra ipsius Justiniani ad Synodum, quæ Collatione Primâ lecta est. *Semper*, inquit, *studium fuit Orthodoxis & piis Imperatoribus Patribus nostris, pro tempore exortas hæreses, per Congregationem Religiosissimorum Episcoporum amputare, & rectâ fide sincerè prædicatâ, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire. Quapropter & Constantinus congregavit Nicaa ex diversis Diœcesibus trecentos decem & octo Sanctos Patres... Sed & Theodosius Senior... congregatis in Regia Urbe centum quinquaginta Sanctis Patribus... fecit rectam prædicare fidem... Theodosius Junior congregavit priorem Ephesinam Sanctam Synodum... Piæ recordationis Marcianus congregatis Chalcedone Sanctos Patres... Nos igitur sequentes Sanctos Patres, & volentes rectam fidem sine maculâ in Dei Ecclesiis prædicari, & impiorum conatum resecare, primùm quidem & in vestris vos degentes Ecclesiis interrogavimus de prædictis impiis tribus Capitulis, & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, pro qua & comprobavimus vos, quòd indubitanter & cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, & impiam condemnastis. Quoniam verò & post condemnationem à vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam, eadem impia Tria Capitula vindicantes, ideo vocavimus vos ad Regiam Urbem, hortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem, iterum manifestare.* Justinianus Imperator testatur se Quintam Synodum

dum convocasse. Quis hac in re fide dignior ?

Probatur secundò ex Evagrio *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 37. *Januario*, inquit, *cùm Vigilius Antiquæ Romæ, & Mennas Novæ primùm, deinde Eutychius, Alexandriæ autem Apollinarius, & Domnus Antiochiæ Episcopatum gessit, Justinianus Quintum Concilium convocavit.*

Probatur tertiò ex *Mansueto* Mediolanensi Episcopo, in Synodica ad Constantinum IV. Imperatorem Epistola. *Tunc*, inquit, *à Justiniano Imperatore in urbe Regia Constantinopoli, Concilio congregati sunt centum sexaginta venerandi Patres.*

Probatur quartò ex Nicephoro, *lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 27. *Imperator*, inquit, *Justinianus Sanctam Oecumenicam Synodum, Episcopis Ecclesiarum omnium convocatis, coëgit.* Ex his omnibus constat Quintam Synodum Oecumenicam fuisse à Justiniano Imperatore convocatam.

Probatur secunda pars, quòd scilicet Concilii convocationi Vigilius non repugnaverit, immò consenserit, ex ipsius Epistola ad *Eutychium* & Episcopos sub ipso constitutos *Vestrum*, inquis, *desiderium cognoscentes, annuimus ut de Tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari Conventu, servatâ æquitate, mediis Sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis Fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens his quæ à Sanctis quatuor sunt definita Conciliis.* Data est hæc Epistola VIII Idus Januarias, Imperii Justiniani anno XXVII post Consulatum Basilii anno XII. quatuor ante Synodum Quintam mensibus, quæ eodem anno celebrata est IV. Nonas Maias.

Probatur secundò ex Quinta Synodo, Collatione VIII. ubi de Vigilio aiunt Patres : *Postea tamen & consensit in scriptis in Concilio convenire, & disceptare unà nobiscum de his Tribus Capitulis, ut Definitio communiter ab omnibus nobis proferatur fidei recta conveniens.*

Probatur III. ex Synodo VI. Oecumenica, in Sermone Acclamatorio ad Imperatorem. *Sicut*, inquit, *& Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonuit, & V. Concilium constitutum est, ut eorum Opuscula, quæ latenter reperta sunt plena abominatione, anathematizarentur.*

ARTICULUS II.

Quis præfuerit Synodo V. Oecumenicæ ?

PROPOSITIO.

Concilio Quinto Oecumenico præfuit Eutychius Constantinopolitanus Patriarcha Præesse tamen jure suo poterat Vigilius Romanus Pontifex.

Probatur prima pars ex Actis Concilii, in quibus Eutychius primo loco sedisse, & omnia egisse memoratur, quæ Præsides Conciliorum agere solent. Prima Collatio dicitur habita *Considentibus in Secretario venerabilibus Episcopis, Eutychio Sanctissimo Patriarcha Regiæ Constantinopolis novæ Romæ, Apollinario Sanctissimo Archiepiscopo Alexandrinæ Civitatis, Domno Sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ Civitatis.*

Probatur secunda pars ex Epistola *Eutychii* Constantinopolitani Patriarchæ ad Vigilium. *Necessarium est*, inquit, *conferri de Tribus Capitulis, unde quibusdam quæstio nata est. Et ideo petimus, Præsidente nobis vestrâ Beatitudine, sub tranquillitate & Sacerdotali mansuetudine, propositis Sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem Quæstioni imponi Deo placitum, & convenientem his quæ à Sanctis quatuor Conciliis definita sunt.* Præesse igitur jure suo poterat Concilio V. Generali Vigilius Romanus Pontifex.

Probatur secundò. Is de jure Quintæ Synodi Oecumenicæ Præses erat, ad quem majora Ecclesiæ negotia, ratione Primatûs esse referenda, ipsi Quintæ Synodi Patres agooverunt. Atqui majora Ecclesiæ negotia ad Vigilium Romanum Pontificem, ratione Primatûs, esse referenda, ipsi Quintæ Synodi Patres agnoverunt. Igitur Vigilius de jure Quintæ Synodi Oecumenicæ Præses erat ; quamvis revera non præfuerit, quia Concilio adesse noluit.

Probatur minor ex Relatione Mopsuestenæ Synodi contra *Theodorum Mopsuestenum* celebratæ, ad *Vigilium*, quæ in Quinta Synodo, *Collatione V.* lecta & approbata est. *Decebat verò*, inquit, *cùm primam inter Sacerdotes Dignitatem sortiti estis, Sanctissimi, ea quæ ad Sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ divinitus honoratæ Beatitudini fieri. Hoc benè & Christianissimus noster Imperator considerans, & ad vestram scientiam quædam, quæ de Theodoro quondam Mopsuestenæ Ecclesiæ Episcopo mota sunt, jussit referri.* Igitur Mopsuestena Synodus, & Quinta Oecumenica, agnoverunt majora Ecclesiæ negotia, ad Vigilium Pontificem Maximum, ratione Primatûs esse referenda, adeóque & Trium Capitulorum causam : prioindéque illum Synodi ad eorum examen convocatæ, de jure Præsidem esse, si adesse voluisset.

Probatur tertiò ex *Photio* in libro *de septem Synodis* ita scribente : *Sanctum & Oecumenicum Concilium Quintum centum quinquaginta Episcoporum præsentiâ & concursu celebratum est. Præfuerunt Mennas primùm, deinde Eutychius ipsius Regiæ Civitatis Antistites, & Vigilius Romæ Episcopus, qui in civitate quidem aderat, sed Concilio non aderat : Et quamvis ad sacri cœtus conventum promptus non esset, communem tamen Patrum fidem Libello comprobavit : Apollinarius Alexandriæ, Domnusque Antiochiæ Episcopi, & Didymus & Evagrius, Eustochii Hierosolymorum Episcopi vicem gerentes.* Vigilius Romæ Episcopus Concilio, cui nec per se nec per Legatos aderat, non præfuit. Non aliâ itaque ratione à Photio inter Oecumenici Concilii Quinti Præsides recensetur, nisi quia jus præsidendi penès ipsum erat, quo jure non est usus, quia Concilio adesse noluit. Secum ipse pugnavit Photius, nisi sic intelligatur. Quamquam in eo errat, quòd huic Synodo Mennam primùm, deinde Eutychium scribit præfuisse. Duo namque Concilia diversis temporibus Constantinopoli habita in unum confundit. Primum celebratum est anno quiogentesimo trigesimo sexto, quo Agapetus Romanus Pontifex excessit è vita : Alterum coactum est anno quingentesimo quinquagesimo tertio, quo Vigilius Romanam regebat Ecclesiam. In primo nulla de Tribus Capitulis mota quæstio est. Secundum ad istius Controversiæ examen ac Judicium convocatum fuit. Primo præfuit Mennas : alteri Eutychius Mennæ Successor, ut ex utriusque Concilii Actis compertum est. Cùm autem Patriarchas omnes Concilii Præsides facit *Photius*, impropriè loquitur, sicut & *Cedrenus* in Compendio Historiarum, *Zonaras* Tomo III. Annalium, *Nilus* in libro *de Synodis*, & Author *Libell. Synodici*, qui cum Photio Patriarchas omnes Concilio Quioto Oecumenico præfuisse scribunt. Ille enim verò propriè præest, qui dignitate Sedis cæteris antecellit. At *Eutychius* Constantinopolitanus Patriarcha, *Vigilio* Romano Pontifice absente, dignitate Sedis cæteris antecellebat, utpote Secundæ Sedis Antistes, secundùm jus Orientalium Ecclesiarum. Solus itaque propriè loquendo præerat, quamvis alii Patriarchæ, qui post ipsum, suo quisque ordine, ante omnes Metropolitanos & Episcopos sedebant ; suo quodam modo, & impropriè præfuisse dici possint.

Photii error emendatur.

Objicies testimonium *Zonaræ*, Tomo III. Annalium scribentis : *Sub hoc Eutychio Concilium V. est coactam CLXV. Sanctorum Patrum, quorum primus*

ac

ac præcipuus fuit Vigilius. Item *Nili* Rhodiensis Episcopi testimonium in lib. *de Synodis*, ubi de Quinta Synodo ita scribit: *Præerant Synodo Vigilius Papa Romæ, Eutychius Constantinopolis, &c.* Vigilius itaque præfuit Concilio.

Respondeo, Errasse illos Authores, nisi fortè cum *Photio* intellexerint Vigilium de jure Præsidem fuisse Concilii, quamvis reverà non præfuerit, quia adesse noluit: & vetuerit ne Tria Capitula, quæ damnavit Concilium, damnarentur.

Objicies secundò: Una ex præcipuis Synodi Oecumenicæ conditionibus est ut illi præsit Romanus Pontifex per se, vel per Legatos. Itaque vel Constantinopolitana Secunda Synodus non est Oecumenica, vel ipsi præfuit Vigilius Pontifex Maximus.

Respondeo, distinguo Antecedens: Et hanc conditionem supplet Sedis Apostolicæ approbatio, & totius Ecclesiæ consensus, concedo; Et hæc conditio ita necessaria est ut suppleri non possit, nego. Hæc responsio nititur auctoritate *Gelasii Primi* Romani Pontificis *Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ*, in quâ malè, & benè gestam Synodum sic describit: *Ubi etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas Regulas, quam tota meritò Ecclesia non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probavit; per benè gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm Traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas Regulas, pro Fide Catholica & Communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit, & debuerit & potuerit immutari.* Vides Gelasium Papam inter conditiones benè gestæ Synodi non recensere, quòd sit à Romano Pontifice convocata, aut quòd ipsi à Romanus Pontifex per se, aut per Legatos præfuerit: & quòd hanc secundam conditionem Sedis Apostolicæ approbatio & Ecclesiæ consensus supplere possunt. Cùm itaque Vigilius & ejus Successores Quintam Synodum confirmaverint, eamque tota receperit Ecclesia ut Oecumenicam; nihilo minus Oecumenica est, etsi Romanus Pontifex ipsi non præfuerit.

ARTICULUS III.

Utrum Quinta Synodus approbata sit ab Ecclesia?

PROPOSITIO.

Quinta Synodus à Vigilio Romano Pontifice, & ejus Successoribus approbata est, & totius demum Ecclesiæ consensu recepta. Unde inter Oecumenicas Meritò numeratur.

Probatur ex Epistola *Vigilii* ad *Eutychium Archiepiscopum Constantinopolitanum, & ad omnium præjacentem Sanctam Synodum*, cujus authentiam satis probavimus in Synopsi, *Cap.* 2. §. IX. Quâ Epistolâ *Constitutum*, & alia quæ pro Trium Capitulorum defensione scripserat, vel gesserat, rescidit. *Si in omni negotio*, inquit, *sapientia ratio postulat, ut id de quo quæritur, retractetur, neque pudori esse debet, cùm ea quæ ab initio omissa, studio deinde veritatis inveniuntur, in publicum eduntur; quantò magis Ecclesiasticis disceptationibus convenit, eamdem rationem in illis quoque observari; præcipuè cum manifestum sit, Patres nostros, & maximè Beatissimum Augustinum, qui in Divinis Scripturis claruit, Romanæ eloquentiæ Magistrum, propria scripta retractasse, dictaque sua correxisse, atque illa quæ omiserat, ac deinde invenerat, addidisse. Nos quoque similiter illis exemplis invitati, in controversia Trium Capitulorum supra memoratorum nunquam destitimus, quin investigaremus quid de prædictis Tribus Capitulis in Patrum nostrorum Literis verius inveniri posset.* Deinde *Theodori Mopsuesteni*, *Theodoreti* in Scriptis contra *S. Cyrillum*, & *Ibæ* in Epistola ad *Marim Persam* recensitis erroribus, ita pronuntiat: *Prædicta itaque Tria impia Capitula anathematizamus, & condemnamus; scilicet impium Theodorum Mopsuestiæ unà cum impiis ejus Scriptis, & quæcumque impiè Theodoretus scripsit, atque etiam Epistolam, quæ dicitur ab Iba scripta fuisse, quâ superiùs dicta profana blasphemia comprehenduntur. Quin etiam quemcumque, qui crediderit, aliquo ullo tempore ea Capitula debere suscipi, aut defendi, vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subvertere, simili anathemati subjicimus. Quoscumque verò, qui rectam fidem servantes à dictis Synodis prædicatam, memorata Tria Capitula condemnaverunt, vel etiam condemnant, Fratres & Consacerdotes esse definimus. Quæ verò aut à me, aut ab aliis, ad defensionem prædictorum Trium Capitulorum facta sunt, præsentis hujus Scripti nostri definitione evacuamus.* Data est Epistola ante VI Idus Decembres, Imperii Justiniani anno XXVII. Post Consulatum Basilii anno XII. Ultima Collatio Quintæ Synodi habita fuerat IV. Nonas Junias ejusdem anni. Sex itaque duntaxat mensibus à Synodi celebratione & fine elapsis, ipsam *Vigilius* Romanus Pontifex confirmavit.

Idem probatur ex *Eustathio* Presbytero Constantinopolitano in Vita Eutychii Patriarchæ, *Cap.* 13. ubi cùm quatuor Patriarchas, *Vigilium Romanum, Eutychium Constantinopolitanum, Domnum Antiochenum*, & *Apollinarem Alexandrinum*, tempore Quintæ Synodi in Regia Urbe fuisse præmisisset, addit: *Cùm igitur ex quatuor Pastorum concordiâ reliquo sensu factum esset unum Ovile, atque unus Pastor, & omnis disciplinæ moderatio per Sacerdotes & Sacerdotum Præsules conquievisset, discesserunt ad suas singuli civitates & populos magno cum gaudio.* Concordes autem non fuissent quatuor Patriarchæ, si *Vigilius* à cæteris dissensisset, nec Synodum Constantinopolitanam, & factam in ea trium Capitulorum damnationem approbasset. Major autem *Eutychio* coævo Authori, & oculato testi fides est adhibenda, quàm *Anastasio Bibliothecario*, qui *Vigilium* in exilium à *Justiniano* pulsum scribit, quòd Synodi Quintæ Decreta recipere noluisset.

Id confirmat *Cyrillus Scythopolitanus*, in Vita *S. Saba*, laudatâ Actione 1. Septimæ Synodi. *Itaque*, inquit, *cùm Sancta universalis Quinta Synodus Constantinopoli esset congregata, communi & generali anathemate rejecti sunt Origenes, Theodorus Episcopus Mopsuestiæ, & quæcumque ab Evagrio & Didymo dicta sunt de præexistentia; Probarunt autem id quatuor Patriarchæ præsentes.* Itaque Vigilius Quintam Synodum approbavit, antequam Constantinopoli discederet. Non est igitur in exilium ob pertinacem ejus improbationem deportatus.

Idem significant hæc *Liberati* Capitulorum Trium defensoris acerrimi verba Cap. XXII. Breviarii: *Ab ipsa hæresi afflictus Vigilius; nec coronatus, qualem vitæ terminum habuerit, notum est omnibus.* Justiniani studia adversùs Tria Capitula, & eorum Defensores, nec non contra Quintæ Synodi, quæ illa proscripsit, Impugnatores, hæresim vocat; ab eâ afflictum ait Vigilium, quia multis affectus est injuriis ut ab eo Trium Capitulorum damnatio ex torqueretur: sed coronatum non fuisse scribit; quia non fuit in sententiâ constans, & ipsorum damnationem in Synodo factam approbavit. Si autem à sententia quam suo firmaverat Constituto, non recessisset Vigilius, & propterea deportatus fuisset in exilium, quantis putas præconiis ipsum *Liberatus* Trium Capitulorum acerrimus propugnator celebrasset?

Idem colligitur ex *Victore Tunonensi*, qui cùm post Basilii Consulatum anno XIII. coactam Synodum V. scripsisset, præsentibus Constantinopoli

Primatum

Primarum Sedium Episcopis, Vigilio Romano, Eutychio Constantinopolitano, Apollinari Alexandrino, & Domno Antiocheno, subdit: *Ibi Tria Capitula cum defendentibus ea, damnationi subjicimus, sibique ipsis pœnitentiæ regressum pœnaliter intercludunt, tali se perpetuò anathemate obstringentes, &c. Quorum Decretis Rusticus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Felix Guillensis Monasterii Provinciæ Africanæ Hegumenus contradicentes scriptâ, Thebaida in exilium cum sociis transmittuntur.* Certè qui totum exilium ob Trium Capitulorum defensionem memoriæ commendavit, earumdem partium Author, Vigilii exilium hîc minimè siluisset, cujus commemoratio maximi fuisset ponderis ad æquitatem sententiæ illius comprobandam, quæ Tria Capitula nolebat damnari. Non enim nullius erat momenti Romani Pontificis in illorum defensione usque ad exilium constantia, ut prætermitteretur. Quamobrem in Victoris Turonensis Chronicoo mendum irrepsit, ubi anno post Consulatum Basilii XVII. concessam scribit Vigilio Papæ facultatem Romam redeundi, eúmque in itinere obiisse. Nam plures Pelagii I. qui Vigilio successit, Epistolas legimus, ad *Childebertum* Regem Francorum, ad *Sapaudum Arelatensem*, ad *Episcopos Tusciæ* datas anno post Consulatum Basilii XV. Christi DLVI. Ante illum igitur annum obierat *Vigilius*. Qua ratione igitur dici potest ipsum anno post Consulatum Basilii XVII. Christi DLVIII. à Justiniano, Romam remissum, quod viri eruditi,* *Sirmondus, Halloixius*, & *Lupus Christianus*, mendoso *Victoris Turonensis* loco decepti, scripserunt? Equidem *in Auctario Marcellini Comitis* legimus, anno post Consulatum Basilii XIII. *Vigilium* ab Imperatoribus Romanis exilio, solutum, cùm Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi obiisse. Sed videtur illius Auctarii Scriptor absentiam ab Urbe, & longiorem Constantinopoli moram exilii nomine significasse. Ut ut est de illius Scriptoris mente, certum est *Vigilium* in gratiam *Justiniani* receptum fuisse mense Augusto anno XIII. post Basilii Consulatum Christi DLIV. ut probat ejusdem Imperatoris Constitutio in bonum Romanorum à *Vigilio* Constantinopoli tunc temporis præsente impetrata, quâ ipsis concessit ut his mensuris & ponderibus uterentur, quæ *Vigilio* mox in Urbem redituro perferenda tradiderat. Satis itaque fecerat Justiniano Vigilius damnando Tria Capitula, & Quintam Synodum approbando. Diuturnum itaque illius exilium à Viris Eruditis assertum, merum & inane commentum est, ut egregiè probavit *Norisius*, in Dissertatione Historica de Synodo V. Id confirmatur ex *Photio, in Epistola Encyclica*, ubi de Vigilio & V. Synodo ita scribit: *Vigilius aderat apud Urbem quidem, Synodo tamen non interfuit, eo quòd nolebat sponte se ad illum aggregare Conventum. Ille autem nihilominus fidem communi Patrum suffragio editum Libello suo confirmavit.*

* Sirmond. in Synopsi Chron. not. ad lib. Facundi, Lupus in Notis ad V. Synodum.

Pelagium Primum Vigilii Successorem, qui ob pertinacem Trium Capitulorum defensionem à Justiniano Imperatore missus in exilium fuerat, cùm Vigilii Apocrisiarium ageret, ea damnasse, & Synodum Quintam recepisse, antequam eligeretur Pontifex, testis est Victor Tunonensis, in Chronico. Idque ejus Epistolæ ad *Narsem*, & ad Episcopos Tusciæ Schismaticos, liquidò probant. Epistola v. ad *Narsem* contra *Paulinum Aquileiensem*, Schismaticæ factionis caput, qui Provinciali coactæ Synodo, Quintum Concilium damnaverat, ita scribit: *Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare: sed quoties aliqua de universali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, aut sponte ii qui salutem animæ suæ desiderant, ad Apostolicam Sedem pro recipiendâ ratione conveniant: aut si fortè ita obstinati & contumaces extiterint, ut doceri non velint, eos ab iisdem Apostolicis Sedibus aut attrahi ad salutem quoque modo necesse est; aut (ne aliorum perditio esse possint) secundùm Canones, per seculares comprimi Potestates.* Ubi & Synodum Constantinopolitanam adversùs Tria Capitula celebratam *Universalem Synodum* vocat, & Schismaticos illius Impugnatores, invocato etiam sæcularium Potestatum auxilio coërcet. Et Epistola III. ad eundem: *De Liguribus atque Veneticis, & Istriis Episcopis quid dicam? Quos idonea est Excellentia vestra, & ratione, & potestate reprimere, & dimittitis eos in contemptum Apostolicarum Sedium, de sua rusticitate gloriari: Cum, si quid eos de Judicio Universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, fortè movebat, ad Sedem Apostolicam, electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possint, dirigere debuerunt; & non clausis oculis Corpus Christi Dei nostri, hoc est, Sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare hujusmodi homines Principali vel Judiciali Auctoritate comprimere.*

III. *Pelagius Secundus* Synodum Quintam confirmavit, ut constat ex ipsius Epistola ad *Eliam Aquileiensem*, & Istriæ Episcopos, ab Ecclesia Romana ob Trium Capitulorum defensionem divulsos, in quâ hæc habet: *Per ea quæ piæ memoriæ Justiniani Principis temporibus acta sunt, Fraternitas vestra suspicatur Sanctam Chalcedonensem Synodum fuisse convulsam: Sed absit hoc à Christiano opere, à Christiana cogitatione. In ipsa quippe, Nicæna, Constantinopolitana, ac prima Synodus Ephesina firmata est: & quisquis illam parte aliquâ convellere nititur, illas nimirum funditus, quæ per hanc firmata sunt, destruere conatur.* Testatur in eadem Epistolâ, Decessores suos, quia Tria Capitula primùm propugnaverant, *Vigilium* scilicet ad *Pelagium I.* eorum tandem consensisse damnationi, & Quintam Synodum approbasse. *Quid enim*, inquit, *divini consilii fuisse credimus, Fratres, quòd diu Saulum omnipotens Deus repugnatorem suæ fidei esse permisit, & sic eum suæ fidei Prædicatorem fecit; nisi ut cunctis, quibus per illum fuerat prædicaturus, ostenderet quia valde verum est Dei Evangelium, quod & tantâ duritia inclinata prædicaret.... Debet ergo perpendere vestra Dilectio, quia Prædecessorum nostrorum consensus in hac causâ tantò post tantò non fuit, quantò priùs duris contradictionum laboribus insudavit.*

IV. *S. Gregorius Magnus* eandem Synodum confirmavit, ut constat ex ipsius Epistola ad *Joannem* Episcopum Constantinopolitanum, 24. lib. 1. *Sicut Evangelii quatuor libros*, inquit, *sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Ephesinum etiam Primum, in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense verò, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrimâ approbatione custodio: Quia in his velut in quadrato lapide, Sanctæ Fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit... Quintum quoque Concilium pariter veneror; in quo Epistolâ quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: Et Theodorus, personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur: Scripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: Quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliter sapit, anathema sit.*

Et Epistola 36. Libri II. Episcopos Istriæ Schismaticos

maticos ad Ecclesiæ unitatem invitans, Quintæ Synodi Judicium in causa Trium Capitulorum æquissimum fuisse probat. *Nam in Synodo*, inquit, *ut quâ de Tribus Capitulis actum est, apertè liquet nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum; sed, sicut scitis, de quibusdam illic solummodo personis est actitatum. Quarum una cujus Scripta evidenter à rectitudine Catholicæ Fidei deviabant, non injustè damnata est.* Et infrà. *Ut igitur de Tribus Capitulis, animis vestris, ablatâ dubietate, possit satisfactio abundanter infundi; Librum, quem ex hac re sanctæ memoriæ Decessor meus Pelagius scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si, deposito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde, sæpius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram nihilominus reversuros esse confido. Porro autem si post hujus Libri lectionem, in eâ, quâ estis, volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Unde iterum Caritatem vestram admoneo, ut quoniam, Deo suffragante, fidei nostræ integritas in causa Trium Capitulorum inviolata permansit, mentis tumore deposito, tantò citiùs ad Matrem vestram, quæ filios suos expectat & invitat, Ecclesiam redeatis, quantò vos ab eâ quotidie expectari cognoscitis.* Et in Epistola ad *Secundinum Monachum*, 57. Libri VII. *Synodus*, inquit, *quæ post Chalcedonensem generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia ejusdem Synodi in omnibus sequax, honorem illius auctoritatemque custodit.* Et in Epistola ad *Constantiam Mediolanensem*, 37. Libri III. *De illa*, inquit, *Synodo quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ a multis Quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel senserit: Quippe quia in eâ de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de iis personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur: Sed post expressos Canones facta contentio, & extrema Actio de personis ventilata est.*

Theodorus Mopsuestenus.

V. *Sanctus Maximus Martyr*, in Disputatione cum *Pyrrho* Monothelita, Quintæ Synodi auctoritate illum urget. *Quinta verò Synodus*, inquit, *ut omnia prætermittam, cùm decrevit ipsis verbis, ut amplecteremur omnia Scripta Sanctorum Athanasii, & Basilii, & Gregorii, & aliorum, cum adjunctione egregiorum Doctorum, in quorum Scriptis sunt duæ voluntates, & duas voluntates tradiderunt.*

VI. *Martinus I.* Pontifex Maximus in Concilio Lateranensi adversùs Monothelitas, *Secretario IV.* legi jussit V. Concilii Definitionem cum hac Epigraphe: *Definitio Sancta Quintæ Synodi.*

VII. *Sophronius* Patriarcha Hierosolymitanus, in Synodica, quæ relecta est Actione XI. Concilii VI. Oecumenici, Quintam Synodum se suscipere & venerari profitetur, *Super his autem magnis & universalibus venerandis quoque ac Sacratissimis Sanctorum Patrum honore coæquandis quatuor Conventibus, etiam Sanctum Quintum præter istos, & post istos, aliud Concilium universaliter constitutum suscipio, omnésque ejus præclaras Definitiones; Quod ad confirmationem quidem nominatissimi Chalcedonensis Concilii congregatum est, &c.*

VIII. Synodus Sexta, in Definitione Fidei, *Actione XVIII.* Quintæ Synodo se adhærere profitetur. *Super has*, inquit, *& ultimæ harum Quinta Sancta Synodo* (adhæremus) *quæ hic congregata est adversùs Theodorum Mopsuestenum, Origenem, Dydimum, Evagrium & scripta Theodoreti adversùs XII. Capitula laudabilis Cyrilli, & Epistolam quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam, &c.* Hanc pariter inter Synodos Oecumenicas commemorat *Leo II.* in Epistola confirmatoria VI. Synodi ad Constantinum Imperatorem.

IX. *Diurnus Romanorum Pontificum*, in Indiculo Pontificis, sive in Professione fidei, quam recèns electus Pontifex emittebat, Quintam Synodum cum aliis Oecumenicis connumeratam & receptam ostendit, *Sancta quoque universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum I. Chalcedonense, & secundum Constantinopolitanum, quod Justiniani piæ memoriæ Principis temporibus celebratum est, usque ad unum apicem immutilata servare.*

X. Constantiensis etiam Synodus in Formula Professionis Fidei à Romano Pontifice mox eligendo faciendæ, quam *Sessione XXXIX.* edidit, Constantinopolitanam adversùs Tria Capitula Synodum inter Oecumenicas recenset. *Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & Beato Petro Apostolorum Principi, corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere sanctam Fidem Catholicam, secundùm traditionem Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum: maximè autem octo Conciliorum Universalium, videlicet Primi Nicæni, Secundi Constantinopolitani, Tertii Ephesini, Quarti Chalcedonensis, Quinti, & Sexti, Constantinopolitanorum. Septimi item Nicæni, Octavi quoque Constantinopolitani, necnon Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis, Generalium etiam Conciliorum.* Ex quibus patet, Quintam Synodum à *Vigilio* & ejus Successoribus approbatam fuisse, & universalis Ecclesiæ consensu receptam. Quamobrem *Halloixii* temeritatem qui excusaverit, temerarium ipse se prodet. Is in *Origene defenso*, Quintam Synodum *magis ab Ecclesia toleratam esse ac permissam, quàm grato & volenti animo admissam ac receptam*, scripsit: Et has adversùs illam evomuit, omnium Catholicorum execratione detestandas voces: *Quomodo Justiniani Conciliabulum instigante diabolo concitatum & confectum, potest ulla veneratione esse dignum?* Et hæc Virum Religiosum, & Sacerdotem scribere! Proh pudor!

Refellitur Halloixius.

Objicies, Ecclesiam Hispaniensem Quintam Synodum non recepisse, quæ tamen communione conjuncta semper fuit cum Romanis Pontificibus, aliisque Episcopis ab Ecclesiis hanc Synodum recipientibus. Igitur varias in sententias circa illius auctoritatem distracti fuerunt Catholicæ Communionis Antistites; & liberum cuilibet fuit illam rejicere, vel admittere modo Ecclesiæ non violaret unitatem. Concilium autem Oecumenicum sic pro suo arbitrio rejicere non licet aliquibus Ecclesiis.

Probatur Antecedens ex Fidei Professione, quam *Reccaredus* Hispaniæ Rex Toletanæ Synodo III. obtulit; & Synodus probavit, in quâ primas quatuor duntaxat Synodos oecumenicas se recipere profitetur, Quintam Synodum nequidem memorat. *Reccaredi* & Tertiæ Synodi Toletanæ vestigia secuti sunt Rex *Recesuintus*, & VIII. Synodi Toletanæ Patres. Et Synodus Toletana XIV. Acta Sextæ Synodi Oecumenici Constantinopoli contra Monothelitas celebratæ approbans *Canonibus 6. & 7.* ipsam post Chalcedonense Concilium continenter memorat, & post ipsam ordine suo recipiendam decernit, nullâ prorsùs factâ Quintæ Synodi adversùs Tria Capitula celebratæ mentione. En ejus verba: *Habebunt ergo* (illius Concilii Acta & Decreta) *sui ordinis locum, quæ sublimationis habent & meritum. Unde his Conciliis ea ipsa subnectendo decernimus, quorum & auctoritate fulta probamus. Post Chalcedonense igitur Concilium, hæc debito honore, loco & ordine collocanda sunt, ut cujus glorioso themate fulgent, ei & loci & ordinis coaptentur honore.* Denique Sanctus Isidorus Hispalensis, in Catalogo Virorum Illustrium, tam longè abest à Quinta Synodo recipiendâ, ut *Theodorum Mopsuestenum* ab eâ in injuriam Chalcedonensis Concilii damnatum asserat, eúmque Clarissimum Ecclesiæ

Ecclesiæ Doctorem vocet. *Hunc*, inquit, *Acephalorum Episcopi, in præjudicio Chalcedonensis Concilii, Justiniano Principe compellente, damnare post mortem, cum Iba & Theodoreto Episcopis censuerunt: dum constet eum, laudabilium Virorum testimoniis, Clarissimum Ecclesiæ Doctorem fuisse.* Idem *Facundi Hermianensis* libros pro defensione Trium Capitulorum commendat, *Quorum stylo elucet præfata Tria Capitula in proscriptione Apostolicæ Fidei, & Synodi Chalcedonensis impugnatione fuisse damnata.*

Respondeo, Totius Ecclesiæ Orientalis, & reliquarum Occidentis Ecclesiarum, præter paucos Schismaticos; & maximè Romanæ Ecclesiæ Judicium & consensum, quo Synodus Quinta inter Occumenicas recepta est, invictissimè probare sacram illius auctoritatem, & Decreta illius adversùs Tria Capitula totius Mundi reverentiâ consecrata esse. Nec ullius momenti est Hispanorum diuturnus dissensus. *Nam civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus vel Regni errori, universalis Concilii Decreta præponi debent. Et si quando paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certè multò plurium Catholicorum confessionem rebellaverit, præferenda est perditæ corruptioni, universitatis integritas* (inquit Vincentius Lirinensis, commonitorii 1. Cap. 4.)

Præterea, Romani Pontifices dissensum illum Hispanorum, qui servatâ Ecclesiæ pace & unitatis vinculo, Synodum Quintam adversùs Tria Capitula non recipiebant, non approbarunt, sed œconomiâ, quidam dissimularunt & tolerarunt, donec errorem facti dedocerentur, quò persuasum ipsis erat, Quintam Synodum Chalcedonensi esse contrariam. Quod progressu temporis factum est. Hac autem œconomiâ tantò lubentiùs usi sunt Summi Pontifices, quòd Hispani Episcopi Synodum Quintam palam & procaciter non impugnarent, sed modesto silentio ipsam prætermitterent duntaxat, & *Anathema* dicerent illi, *qui Concilia omnia Episcoporum Orthodoxorum, consona Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino Primo, & Chalcedonensi non recipit*, ut constat ex Concilio Toletano III. Ideò autem erga Catholicos & pacificos Antistites hâc dispensatione aliquamdiu utendum existimarunt Pontifices Romani, quia *Non de Fide, sed de personis tantummodo*, in Quinta Synodo, quam nondum recipiebant Antistites illi Hispani, actum erat. Et ipsorum in dissentiendo à cæteris Ecclesiis modestia, reverentia erga Sedem Apostolicam, erga cæteros Coëpiscopos caritas, & ad pacem comparatus animus, spem faciebant maximam, quòd, errore facti brevi deposito, ad sententiam Ecclesiæ accederent universæ. Quamobrem Summi Pontifices in ipsos summo jure agere noluerunt.

SCHOLION I.

In Dissertationis hujus Articulo 1 & 11. pag. 571. & 574. Edit. primæ R. igiosi Censores Propositiones duas notant, in istam compleram ab ipsis redactas: *Synodus ab Imperatore convocatur, cui præsidet Patriarcha Constantinopolitanus.*

R. De Quinta Synodo Oecumenica agitur. Hanc à Justiniano Imperatore convocatam, eique præfuisse Eutychium Constantinopolitanum Patriarcham invictis momentis ibi probo, sed ab Imperatore convocatam assero & ostendo, *Non repugnante Vigilio Romano Pontifice, qui jure suo eam ipse poterat.* Hæc dissimularunt suppresseruntque, Indiculi Censorii Autores.

SCHOLION II.

Articulo III. Dissertationis ejusdem pag. 579. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa retractat quod antea docuerat.*

R. Vigilium Papam *Constitutum*, & alia quæ pro trium Capitulorum defensione scripserat vel gesserat, rescidisse ac tandem Quintam Synodum approbasse & confirmavisse, probat ejus *epistola ad Eutychium Archiepiscopum Constantinopolitanum & ad omnem præsidentem Sanctam Synodum.* Quod & aliis momentis ibi confirmo. Hæc virorum eruditorum Sententia, Petri De Marca Parisiensis Archiepiscopi, in singulari Dissertatione *De Quinta Synodo*, & *Henrici Norisii* S. R. E. Cardinalis in Dissertatione Historica de eadem, cap. VIII. Retractandi verbo ipse Vigilius utitur, & S. August ni scripta sua retractantis, & docta corrigentis exemplum se sequi profitetur.

DISSERTATIO IV.

De Trium Capitulorum damnatione.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Quinta Synodus Tria Capitula justè damnaverit?

PROPOSITIO.

QUINTA Synodus Theodorum Mopsuestenum & ejus Libros, Theodoreti Scripta contra Sanctum Cyrillum, & Epistolam Ibæ ad Marim Persam meritò damnavit.

Theodorus Mopsuestenus, ejusque scripta, jure damnatus.

Probatur prima pars. Ille meritò damnatus est à Quinta Synodo, ejusque scripta anathemate confixa, qui hæretica dogmata propugnavit, Librisque editis asseruit, & cujus nomen ex Ecclesiæ Diptychis multò ante Synodi Quintæ tempora expunctum propterea fuerat. Atqui Theodorus Mopsuestenus hæretica dogmata propugnavit, librisque editis asseruit ac propagavit, & ejus nomen ex Ecclesiæ Diptychis propterea fuerat expunctum longè ante Quintæ Synodi tempora. Itaque cum ipse Theodorus, tum ejus Scripta, meritò à Quinta Synodo damnata sunt.

Probatur prima pars Minoris, ex ipsis Theodori Mopsuesteni scriptis, quæ supersunt: Et primò ex ipsius Symbolo, quod Latinitate donatum ad posteros transmisit *Marius Mercator*, illudque confutavit. Eo in Symbolo Christum purum hominem facit, eúmque Filium Dei esse ait, non naturâ, sed adoptione & gratiâ. Duas etiam in Christo personas adstruit, non verbis quidem, sed reipsa. Nam Deum & hominem assumptum, unum tantùm esse moraliter asserebat, eâ scilicet unitate, quæ foret secundùm dignitatem & honorem, adeóque secundùm relationem, non secundùm hypostasim. *Deus Verbum*, inquit, *hominem suscepit naturâ perfectum, virtute & potentiâ Spiritûs Sancti in Virginis utero figuratum; inenarrabiliter copulavit sibi atque conjunxit... Propter quod ab omni creatura adorabilis suscepit venerationem; tanquam inseparabilem cum divinâ naturâ habens conjunctionem... Et neque duos dicimus Filios, nec duos Dominos, quoniam unus Filius secundùm essentiam Verbum Deus, unigenitus Filius Patris, cui iste conjunctus, particeps deitatis, communem habet Filii nuncupationem & honorem; nihilominus Dominus secundùm essentiam Deus Verbum est, cui conjunctus iste & sociatus, communionem habet honoris cum illo. & propterea neque duos dicimus Filios, neque Dominos duos, quoniam in manifesto existente, qui secundùm essentiam Dominus & Filius est, inseparabilem habens ad eum conjunctionem & societatem, is qui pro nostrâ salute assumptus est, confertur, tam nuncupatione, quam honore, & Filii, & Domini: Non sicut unusquisque nostrûm ex se existens, appellatur Filius Dei.... Unum igitur Deum dicimus, & Dominum Jesum Christum, per quem omnia facta sunt, principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, qui secundùm essentiam Filius Dei est & Dominus; Pariter etiam cogitantes eum, qui susceptus est, Jesum à Nazareth, quem unxit Deus Spiritu Sancto & virtute, tanquam ad Deum Verbum habentem conjunctionem, & participantem Filii & Domini dignitati.* Quibus verbis, Jesum

alterum esse significat à Deo Verbo, & vocabulô tantùm, non naturâ appellandum esse Filium Dei; & cætera habere privilegia, non genuina, sed per gratiam præstita, dissimulans quod scriptum est: *Verbum caro factum est; & habitavit in nobis.* Quod cùm ipsi objicerent Catholici, calumniabatur quòd Deum in carnem versum esse sentirent. Fallebat autem imperitos verborum fuco, negans se duos dicere Filios. Quomodo enim duos dicere & sentire non convincitur, dividens unum ab altero, unum temporalem, alterum verò ab æterno, secundùm essentiam & naturam; & illum temporalem participatione & solo vocabulo asserens honorandum, non autem ex naturâ esse Filium Dei & Deum? Sic ratiocinatur *Marius Mercator* in Confutatione Theodoriani Symboli: & tandem colligit: *Hanc non novella, sed vetera, partim Pauli Samosateni, partim Ebionis, partim Marcelli Galata, & Photini, esse cum impietate locutum.* Et cùm *Theodorus* his verbis Symbolum suum absolvisset: *Hac Ecclesiasticorum Dogmatum doctrina; atque adeo omnis, qui contra hac sentit, anathema sit:* Marius Mercator ejus Confutationem his verbis exorsus est: *Imò nos tibi Catholici dicimus, qui talia ore impurissimo & linguâ scelestissima protulisti, incessabiliter, anathema, & omnibus consentaneis tuis.*

Hoc Symbolum à *Charisio* Presbytero oblatum damnavit Ephesina Synodus, *Actione VI.* Hoc *S. Cyrillus* in Epistola ad Proclum, *nihil sanum habere* scribit, & *Nestoriana impietatis quasi scaturiginem* vocat. Id cùm in Quinta Synodo perlectum est, exclamarunt Patres: *Hoc Symbolum Satanas composuit. Anathema ei qui hoc in Symbolum composuit. Hoc Symbolum Ephesina prima Synodus unà cum Auctore ejus anathematizavit.*

Easdem blasphemias libris *De Incarnatione Domini* inseruit, quorum Fragmenta Latinè vertit *Marius Mercator.* Ait enim, Hominem à Verbo assumptum & Verbum assumens unum esse, sicut vir uxor sunt una caro, esse *Unum conjunctione; qua indivisam venerationem, quod susceptum est, cum suscipiente sortitur, velut templum ejus individuum perseverans.* Ibidem, ex hoc Dialectices principio, quo statuitur non coalescere in numerum, nisi quæ sunt ejusdem denominationis, nec ejusdem esse denominationis, nisi quæ eodem modo eandem formam habeant, colligit *Theodorus Mopsuestenus*, quòd licet Verbum & homo non uniantur hypostaticè, sed habitudine solâ & relatione, duo tamen filii, duóque domini dici non possunt; quia etsi filietatis ac dominationis eandem formam habeant, non tamen eodem modo: Verbum siquidem *secundùm substantiam filius ex sui & dominus, homo verò conjunctione. Itaque*, inquit, *sicubi filium hunc qui sumptus est, divina Scriptura commemorat, relatione suscipientis, juxta unitatem, dicimus eum filium nuncupari. Cùm enim dicit, De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem; nondum Verbum dicit, sed formam servi susceptam: non enim Deus est secundùm carnem, nec Deus ex semine David factus est, quem filium B. Paulus evidenter appellat, intelligimus autem eum filium, non quod per se dicatur filius, sed quod illa conjunctione, quam habet cum eo qui verè est filius, taliter nuncupetur.* Et explicans hæc verba (Luc. 2.) *Jesus proficiebat sapientia & atate*, ait: *Non enim ei mox formato vel edito omnem propriam sapientiam Deitatis contulit; sed hanc particulatim corpori tribuebat.*

Et rursus. *Homo ungitur Jesus Dominus noster, Verbum non ungitur: Verbum namque majus est Christo, quia Christus per sapientiam magnus effectus est. Verbum enim desursum est, Jesus autem Christus homo hinc est. Maria non peperit Verbum, nec enim Maria erat Deus; sed hominem nobis similem genuit, meliorem verò per omnia, quia de Spiritu Sancto.*

Et in alio loco eorumdem librorum. *Perfectus ante sæcula Filius, perfectum eum, qui ex David probatur, assumpsit, Filius Dei, filium David. Dives ergo mihi: Duos filios prædicas. Non dico duos filios David: Numquid Deum Verbum filium David asseruit? Sed nec duos Filios Dei secundùm substantiam dico: numquid enim duos filios assero de Dei substantiâ genitos ante sæcula? Dico autem Deo Verbum habitasse in eo quod ex David semine comprobatur.*

Et alibi. *Non sic*, inquit, *in eo quod est ex semine David, sicut in Prophetis habitavit Deus Verbum. Illi enim particulari quadam & modica quantitate Sancti Spiritûs gratia fruebantur: Hic autem in his, in quibus interdum erant illi, jugiter permanebat, & gloriâ Verbi ac sapientiâ replebatur. Alter intelligendus procul dubio præter eum, & subsistens propriè Filius ac separatim: Non enim Verbum semetipsum sapientiâ replebat & gloriâ; sed alteri potiùs hac, qua sunt insignia, conferebat.*

Et alibi. *Adoramus purpuram propter indutum, & templum propter habitatorem: formam servi propter formam Dei; Agnum propter Pontificem; assumptum propter assumentem; formatum in utero Virginali, propter omnium Conditorem. His confessis rebus, unam offer venerationem; non nocebit adoratio una, si res fuerit ante confessus.*

Et alibi. *Non invideo*, inquit, *Christo, cùm factus est Deus; quod enim ipse factus est, ego factus sum, quia mea natura est.*

Hæc *Theodori Mopsuesteni* Fragmenta leguntur apud *Marium Mercatorem.* Apud eundem Auctorem legere est *Excerpta* ex ejusdem *Teodori* libris adversus *S. Augustinum*, quibus & peccati originalis extantiam & traductionem impugnat, & Adam peccando mortalem negat factum esse. *Theodorus* igitur & Nestorianam præformavit hæresim, & Pelagianam sectatus est ac propugnavit. Quam ob rem & ipse, & Scripta ejus à Quinta Synodo justè damnata sunt.

Theodori Mopsuesteni blasphemias & hæreses ex multis librorum ipsius Excerptis Quinta Synodus recitari jussit *Actione IV.* Lectum est Fragmentum ex lib. 3. *contra Apollinarium*, ubi ait: *Non existimandum nobis est Deum de Virgine natum esse: nisi fortè idem existimandum nobis est, & quod natum est, & quod est in nato templo, & qui in templo est Deus Verbum... Natus est ex Virgine, qui ex substantiâ Virginis constat. Non Deus Verbum ex Maria natum est Natus autem est ex Maria, qui ex semine est David... Mox autem in ipso plasmato Deus Verbum factus est... Erat fortè in ipso & nascente, & cùm in materno utero esset à primâ statim plasmatione: dispensationi enim quæ circa eum erat, ordinem imponebat, utpote & particulatim ipsum ad perfectionem perducens.*

Lectum est Fragmentum ex libro sexto Commentariorum ejusdem in *Joannem*, ubi explicans illa Christi verba: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, &c.* ait: *Nemo sic demens est, ut alii cuidam convenire diceret, nisi templo Dei Verbi, assumpto pro nostra salute hominis; qui & mortuus est, & resurrexit, & ascensurus in cælos, Patrem sibi adscripsit cum Discipulis suis Deum, & ipse gloriâ adoptionem meritus; & Deum suum appellat, quia cum cæteris hominibus similiter ut esset, accepit. Unde propter communitatem quidem natura*, Patrem meum & Patrem vestrum *dicit*, & Deum meum & Deum vestrum. *Divisis autem iterum suam personam ab ipsis; præcipuum gratia significans, propter quam ad Deum Verbum conjunctionem in loco veri filii ab omnibus honoratur hominibus.*

Lectum est & Fragmentum ex ejusdem Theodori Commentariis in Actus Apostolorum, in quo *Baptizari in nomine Jesu Christi*, simile esse dicebat illi quod de veteribus Judæis scriptum est, *Baptizati sunt in Moyse*: & vocari Christianos, sicut vocantur

vocantur *Platonici*, & *Epicurei*, & *Manichæi*, & *Marcionitæ*, ab Inventoribus dogmatum.

Lectum est & Fragmentum ex *Theodori* Commentariis *in Evangelium S. Lucæ*, ubi ait hæc verba Patris æterni, HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI COMPLACUIT, *in baptismate adoptionem demonstrare, secundum comparationem Judaicæ adoptionis; quia & ad illos dixerat; Ego dixi Dii estis, & Filii excelsi omnes: Ejus adoptionis præcipuum; eo quod dixit, Dilectus, & in quo mihi complacuit, ostendens: propter hoc & vox Patris fiebat adoptionem confirmans, & Filii nominatione, per adoptionem secundùm gratiam, eum qui vere Filius est, demonstrabat.*

Lecta sunt & Fragmenta plurima ex libris Theodori *de Incarnatione*, in quibus unitatem Dei Verbi & inhabitationem, nec secundùm substantiam, nec secundùm operationem, factam esse ait, sed secundùm bonam voluntatem. Et, honorem omnem attribui Christo tanquam Imagini Imperiali, cùm quasi in ipso sit divina natura, & in ipso spectetur, & in eo non solus Filius, sed etiam Pater & Spiritus Sanctus inhabitent. Non sequi Jesum esse Deum, ex eo quòd nomen Jesu Salvatorem significet; quia & Filius Nave Jesus appellatus est, & quidem fortuitò. Christum animi passionibus magis obnoxium fuisse, & gravius ab illis certamen subiisse, quàm à cupiditatibus corporis, & meliore animo libidines vicisse, mediante deïtate ad perfectionem.

Lecta sunt & alia ex aliis *Theodori Mopsuesteni* Operibus Fragmenta, ex quibus probatum est ipsum negasse Prophetias, & Psalmos ad Christum referri, & librum Job velut Ethnicam fabulam & Canone rejecisse, & *Canticum Canticorum*, ut carmen amatorium.

Præterea, Patres *Theodorum Mopsuestenum* ut hæreticum insectati sunt, quòd ex libris *S. Cyrilli* adversùs prava ipsius *de Incarnatione Domini* dogmate scriptis, in Quinta Synodo probatum est, *Collatione V.* ubi multa ex ipsis Excerpta recitata sunt.

II. Ex Libellis ab Episcopis, Clericis, & Monachis Armeniæ & Persidis ad *Proclum* Constantinopolitanum Patriarcham contra *Theodorum Mopsuestenum* transmissis, in quibus dicitur, *Verè quidem & principaliter à Paulo Samosateno descendens, licet Photino & cæteris Hæresiarchis in libro de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, in toto suo proposito, ipsis verbis inveniatur usus, & si quid pejus.* Ibidem recensentur nonnullæ *Theodori Mopsuesteni* blasphemiæ ex ipsius libris exceptæ; & quomodo *Persuasit multis, & Nestorio, quod Christus Filius Dei vivi, qui de Sancta Virgine Maria natus est, non est qui ex Patre natus Deus Verbum, consubstantialis Genitori, sed homo, pro quantitate sua voluntatis, ex Deo Verbo cooperationem suscipiens.* Et ne *Theodoro* affingere videantur, hoc blasphemiarum ipsius dant specimen: *Quomodo*, inquit, *homo & Deus unum per unitatem esse potest? Qui salvat, & qui salvatur? Qui ante sæcula, & qui ex Maria apparuit? Dominus & servus, Factor & factura?* Denique, postulant, ut sicut nominatim ab universali Synodo Ephesina sacrilegus *Nestorius* damnatus est, *si antea condemnatus sine nomine, sacrilegior in varia impietate Theodorus, nominatim condemnetur.* Prolati sunt hi Libelli in V. Synodo, *Collatione V.*

III. Idem probatum est ex Tomo *S. Procli*, ad Armenos, quo Excerpta ex libris *Theodori Mopsuesteni*, velut hæretica dogmata confutavit, & *Judæorum blasphemiam superare scripsit.*

IV. Ex Epistola *S. Cyrilli* ad Clericos, & *Lamponem* Presbyterum, scribentis: *In Codicibus Theodori de Incarnatione multò pejores Nestorii blasphemiis positas esse. Pater enim fuit Nestorii perfidiæ, & illius mala locutus.* Quibus gemina sunt, quæ de eodem *Theodoro* scripsit S. Cyrillus in Epistolis ad *Acacium Melitinensem*, ad *Rabbulam Edessenum*, & ad *Monachos.*

V. Ex Epistola Rabbulæ Edesseni Episcopi ad S. Cyrillum, in quâ de *Theodoro Mopsuesteno*, scripsit: *Primum exposuit, non esse verè Dei Genitricem Sanctam Virginem, tanquam Deo Verbo non suscipiente secundùm nos nativitatem.* Et infra: *Nec enim dicunt, secundùm substantiam, vel secundùm subsistentiam, unitam esse Deo Verbo hominem, sed bona voluntate quadam.... Iste & Dominum nostrum Jesum Christum dicit non oportere adorare sicut Dominum, sed relatione Dei honorari, sicut imaginem quamdam.... Iste & carnem Domini pronuntiavit nihil omnino prodesse, dissipans Domini vocem, quæ est: Caro nihil prodest. Iste & Apostolum dicit non cognovisse Christum quòd Deus erat, sed supra fidem quæ est in homine, ædificatam esse Ecclesiam.* In V. Synod. Collat. V.

VI. Ex *Hesychio* Hierosolymorum Presbytero, in *Historia Ecclesiastica* scribente, *Theodorum* à primâ ætate Clero adscriptum, ad libidines sæculi deinde reversum, à *S. Chrysostomo* revocatum ad pœnitentiam; post hæc, ordinatum Episcopum Mopsuestiæ, prima elementa doctrinæ suæ ex Judaïco vaniloquio incipientem, Commentarium in Psalmos rescripsisse, in quos negavit ullas in Psalmis extare de Christo Prophetias. Hinc cùm omnium querimonias adversùs se concitasset, simulasse Commentarios igni se tradere, sed latenter conservasse Judaïcæ impietatis viaticum. Senem edidisse libros adversùs Incarnationem Domini, in quibus asserit, *Christum Jesum, non incarnatum Verbum, sicut Evangelicis vocibus edocti sumus, sed hominem per vitæ provectionem & passionum perfectionem conjunctum Deo Verbo.* In V Synodo Collat. V.

VII. *Theodorum Mopsuestenum* pro hæretico habitum, probatum est in V. Synodo, *Collatione V.* ex Legibus Imperatorum *Theodosii*, & *Valentiniani*, quæ in *Theodorum* pariter & *Nestorium* latæ sunt: quibus, *Impiissimo & instabili Nestorii & Theodori proposito consentientes, Simonianos vocari*; & *Sacrilegos Codices Theodori & Nestorii comburi*, &, *Si quis Theodoro & Nestorio assenserit*, in ipsum *gladii ultione* animadverti, & *omnem ejus substantiam fisco addici*, Religiosissimi Principes decrevere.

VIII. Recensitas superiùs blasphemias *Theodori Mopsuesteni*, quas *S. Cyrillus* confutavit, verè ipsius esse, probatum est ex his quæ *Theodoretus*, illius defensionem suscipiens, contra *S. Cyrillum* scripsit.

Hæc omnia momenta quibus Theodori damnatio fulta erat; cùm *Pelagius II.* in Epistola ad *Eliam Aquileiensem & Episcopos Istriæ*, recensuisset, ita concludebat: *Deductas itaque tot testibus blasphemias has ejus esse quis dubitat? Et tantis blasphemiis illius cognitis, eum damnatum jure quis neget?*

IX. Quòd autem *Theodori Mopsuesteni*, velut hæretici, nomen ex sacris Diptychis, jam olim ante Quintæ Synodi tempora, expunctum fuerit, quæ secunda pars erat prioris argumentationis, probatur ex Actis Mopsuestenæ Synodi, jussu *Justiniani Imperatoris* congregatæ, ut hoc in factum inquireret. In ea verò Seniorum Clericorum, & Civium testimoniis, probatum est, *Theodori Mopsuesteni* nomen in sacris Diptychis non fuisse recitatum, ex quo vivebant; nescire verò tempus, quò ex iis expunctum erat. Id unum certum esse, *S. Cyrilli Alexandrini* nomen ipsi substitutum fuisse. quòd se à Majoribus accepisse juraverunt: & quod ex Diptychorum inspectione ita se habere compertum fuit. Quâ de re Synodicæ Relationes cùm ad *Vigilium* Papam, tum ad *Justinianum* Imperatorem missæ sunt. Ex quibus colligere est, *Theodorum Mopsuestenum*, post mortem, habitum fuisse ut hæreticum longè ante Synodi V. tempora. Enimverò si *S. Athanasius*, in Apologia quam pro S. Dionysio Alexandrino scripsit, ipsum rectæ fidei fuisse probat, neque ab aliis Episcopis de impietate convictum, nec hæresim propugnando ab ea recessisse; quia *Ejus memoria hactenus cum Patribus*

celebrata est, & in Catalogum relata: rectè probatur à contrario, *Theodorum Mopsuestenum* pro Hæretico habitum fuisse longè ante V. Synodi tempora, quia ejus nomen ex Ecclesiæ Tabulis, in quibus nomina Episcoporum Orthodoxorum conscripta erant, & ex quibus in sacris Missarum Solemniis, post lectionem Evangelii, recitabantur, expunctum erat, ipsique *S. Cyrilli*, à quo fuerat reprehensa & confutata ejus impietas, nomen substitutum.

X. *Vigilius* etiam Papa, LX. *Theodori Mopsuesteni* Capitula, in Constituto, damnavit anathemate, ceu *plena execrabilibus blasphemiis, & Orthodoxæ Fidei valdè inimica, & procul à Christianis sensibus repellenda, atque à Sanctis Patribus olim sine dubitatione damnata.* Quamvis ipsum *Theodorum* anathemate damnare noluerit.

Ex his omnibus compertum est I. *Theodori Mopsuesteni* libros blasphemiis & hæresibus scatere. II. *Theodorum* prava illa dogmata, non ex incogitantia, sed meditatum protulisse, docuisse, scripsisse, atque in iis docendis fuisse pertinacissimum; siquidem non uno in loco, aut uno in libro, sed passim in omnibus penè libris, illa tradidit & propugnavit. Quin etiam libros *de Incarnatione Domini*, non aliô edidit consiliô, quàm ut monstra illa blasphemiarum in lucem emitteret, & hæresim informaret ipse, specie contra Hæreticos pugnandi. Unde *Leontius*, lib. *De Nestorianorum impietate secreto tradità principio*, &c. hos *Theodori Mopsuesteni* libros vocat *Bella ficta & simulata contra hæreticos adversarios, verè autem contra veritatem suscepta; quam cum oppugnare propositum illi esset, & susceptum perfici non posse cognosceret, inscriptionem belli contra veritatem, inscriptione belli contra Hæreticos commutavit.* III. Compertum est, *Theodorum* à Patribus impugnatum fuisse velut Hæreticum. IV. Nomen ejus post mortem damnatum in ipsa Ecclesia *Mopsuestena*. Quæ cùm ita sint, æquissima fuit *Theodori Mopsuesteni*, & Scriptorum ejus à Synodo V. damnatio. Meritò exclamavit Synodus (Collatione IV.) *Anathema Theodoro Mopsuesteno. Anathema Theodoro & conscriptis ejus. Hæc aliena Ecclesiæ sunt: Hæc aliena Orthodoxis sunt: Hæc aliena Patribus sunt: Hæc impietate plena sunt: Hæc aliena Synodis sunt: hæc divinas Scripturas impugnant. Unus Theodorus. Unus Judas.* Et rursus: *Anathema Theodoro Mopsuesteno. Iste Evangelia reprobavit, iste Dispensationem injuriavit. Anathema illis qui non anathematizant eum. Defensores ejus Judæi sunt, sequaces ejus Pagani sunt.* Meritò denique, *Canon XII.* contractis in epitomen *Theodori Mopsuesteni* blasphemiis, hoc intorquet Anathema: *Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia ejus conscripta, in quibus tam prædictas, quàm innumerabiles alias blasphemias effudit contra magnum Deum & Salvatorem Jesum Christum, & non anathematizat eum, & impia ejus conscripta, & omnes qui suscipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxe eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo, vel impiis ejus conscriptis, &c. talis Anathema sit.*

XI. *Theodorum Mopsuestenum* justè à Synodo V. damnatum fuisse confirmant, quæ de ipsius erroribus scripsit *Leontius* Auctor accuratissimus in libro *De Nestorianorum impietate secreto tradita principio*, &c. quo ipsius errores recenset ac refellit. Refert ipsum Nicænô Symbolô sublatô, alterum tradidisse; necnon aliam Missam, præter illam quæ à Patribus tradita est, in quâ blasphemiis, non precationibus, Mysterium Eucharistiæ conficere docuit. Hunc metum judicii inferorúmque sustulisse, malè sensisse de gratia & libero arbitrio, de peccati origine, de Angelorum conditione, & maximè de Christo, quem non Deum hominem factum, sed hominem Dei appellatione honoratum, & paulò excellentiorem Prophetis affectum, ignorantem, nec purum peccatorum cogitationis, paulatim purgatum & perfectum factum, & invitum in Crucem actum. *Theodorum* præterea Sanctorum Doctorum in interpretandâ Scripturâ Sacrâ labores irrisisse, *Leontius* refert, & plures in sacram utriusque Testamenti Scripturam perversas expositiones composuisse, sed magis virulentas in Epistolas Sancti Pauli, & Evangelia tria Sanctorum Matthæi, Joannis, & Lucæ; Apologiam insuper pro *Sancto Basilio* contra *Eunomium*, sed quæ *Sancti Basilii* accusatio videri possit, *Eunomii* defensio. Subjungit tandem *Excerpta ex libris Theodori de Incarnatione*, quæ ipsum in 5. Propositionibus erroris convincunt. I. Quòd Verbum non sit reipsa factum homo, sed visum duntaxat fieri. II. Quòd Christus sit solus homo in quo Verbum inhabitaverit: jam inde à primâ formatione. III. Quòd homo iste sit adoptione tantùm Dei Filius. IV. Quòd Mater Christi non sit Deipara. V. Quòd duæ in ipso personæ existant: quamvis personæ unitatem verbis tenùs asserat, sed qualis virum inter & uxorem reperitur, de quibus scriptum est: *Erunt duo in carne una.*

Scripta Theodoreti jure damnata.

XII. Probatur Propositio de *Theodoreti* Scriptis contra S. Synodum Ephesinam, & *S. Cyrillum*. Quæ enim Scripta doctrinam à Synodo Oecumenica approbatam impugnant, & Hæreticis ab eâ damnatis patrocinantur, Propositionésque per se hæreticas continent, justè meritóque damnantur ab Ecclesia. *Theodoreti* autem Scripta contra Synodum Ephesinam & *Sanctum Cyrillum*, doctrinam impugnant à Synodo Oecumenica approbatam, & Hæretico ab eâ damnato, scilicet Nestorio patrocinantur, & propositiones per se hæreticas & Nestorianas continent. Justè igitur *Theodoreti* Scripta adversùs Ephesinam Synodum & Sanctum Cyrillum damnata sunt V. Synodo.

Quòd *S. Cyrilli* doctrina de Incarnatione, illius præsertim Epistolis ad *Nestorium* duabus, & XII. Anathematismis comprehensa, fuerit approbata ab Ephesina Synodo, probavimus Dissertatione VIII. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi V. *Theodoretum* verò illam impugnasse, compertum est ex Reprehensione XII. Anathematismorum S. Cyrilli, quam edidit, & ex *Pentalogio*, cujus vel sola Præfatio ejus odium in *S. Cyrilli* doctrinam & Ephesinam Synodum, cùm hæc scriberet, prodit. *Priusquam*, inquit, *Conventus apud Ephesum celebraretur, duodecim Capitulis strictim apertéque restitimus .... Quia verò se manifestum, qui ista protulit, in Concilio declaravit, & plures ex his qui convenerant, imperiti potiùs, nec ulla dogmatis imbuti notitiâ, pia hæc arbitrati sunt; operæ pretium visum est, iterum contra niti, sermonémque distendere, & succisam blasphemiam multipliciter confutare, ut ignorantibus evidentiùs approbemus, quemadmodum Evangeliis declarentur adversa, quæ nunc ab istis maximè proferuntur.*

XIII. Idem probat Epistola *Theodoreti* ad *Andream Samosatenum* Episcopum Epheso scripta, in quâ *S. Cyrillum*, & Ephesinæ Synodi Patres his verbis perstringit: *Insanit iterum Ægyptus adversùs Deum & bellat cum Mose, & Aaron, & famulis ejus, & plurima pars Israel adversariis consensit; nimis verò pauci sunt sani, qui & pro pietate labores sponte sustinent. Peculcata sunt pietatis venerabilia. Illi qui depositi sunt, Sacerdotalia Ministeria peragunt, & qui deposuerunt,* domi sedent gementes. Talem induunt Synodum Ægyptii, & Palæstini, & Pontici, & Asiani, & cum his Occasus. Plurima enim pars orbis terrarum morbum suscepit. Quales nimi ridiculorum in tempore impietatis, sic pietatem in comœdia deluserunt?*

* Joannes scilicet Antiochenus, & Orientales Episcopi, quorum unus ipse erat, qui S. Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Ephesinum, in Schismatica Synodo deposuerant.

Idem probat Epistola *Theodoreti* ad *Domnum* Antiochenum Patriarcham, in quâ licet paci inter Orientales & *S. Cyrillum* initæ consensisset, XII.

ejus

ejus Capitula ceu *temerè sancita* perstringit, hortatúrque, ne in Synodo Ephesina II. sub *Dioscoro* mox cogenda, illa approbet. *Infelix anima mea suspirat*, inquit, *lugétque*, *nihil expectans boni*. *Neque enim infitum in XII. Capitibus venenum norunt, qui aliarum sunt Diœcesium; sed ejus, qui illa scripsit claritatem attendentes, nihil sinistrum suspicantur: & qui ejus Sedi successit, omnia opinor movet, ut alterâ Synodo illa confirmet*... *At te, Domine, neminem eorum, qui infitum in his hæresim norunt, adductum iri ut ea recipiat, quamvis duplò plures decernant; jam siquidem, etiamsi plures temerè ista sanxissent, restitimus apud Ephesum: nec priùs illi, qui hæc scripserat, communicavimus, quàm iis, quæ exposueramus, assentiens, consonam his doctrinam accommodavit, nullam Capitum illorum faciens mentionem.*

XIV. Idem probatur ex Epistola *Theodoreti*, post *S. Cyrilli* mortem scriptâ, non quidem ad *Joannem Antiochenum* jam vitâ functum, sed ad *Domnum*. Joannis successorem, ut emendandum monent Viri Eruditi: quâ in Epistolâ sanctissimi Patriarchæ Alexandrini Manibus insultabat his verbis: *Serò tandem & vix malus homo defunctus est. Boni enim & benigni ante tempus inde demigrant; mali verò in multo tempore vitam producunt*.... *Illum verò miserum; non ad similitudinem aliorum dimisit nostrarum animarum Gubernator divinus eorum potius quæ videntur esse delectabilia: sed crescentem quotidie Viri malignitatem sciens, & corpori Ecclesiæ nocentem, quasi quamdam pestem amputavit, & abstulit approbrium à filiis Israel. Lætificavit quidem superstites illius discessio: contristavit verò forsitan mortuos, & timor est ne prægravati ejus conversatione, iterum ad nos remittant*... *Oportet tuam Sanctitatem jubere collegio mortuos asportantium, lapidem aliquem maximum & gravissimum sepulchro imponere, ne iterum huc perveniret, & instabilem voluntatem iterum demonstraret. Inferis nova dogmata afferat; ibi diu noctuque, sicut vult, sermocinetur*, &c. Existimavi diu Epistolam illam Theodoreti non esse; mihi enim persuadere non poteram ipsum post initam pacem Orientales inter & S. Cyrillum, tam diuturnas tamque obstinatas in ipsum gessisse inimicitias, maximè cùm ab eo frequentes Epistolas accepisset, ac mutuas dedisset, ut testatur ipse *in Epistola ad Dioscorum*. Existimabam pariter Fragmentum Sermonis Antiochiæ habiti à *Theodoreto*, post obitum S. Cyrilli, quod legitur in V. Synodo, *Collatione V.* suppositițium esse. Sed *Mari Mercatoris* coævi Scriptoris testimonium, illud inter Excerpta ex *Theodoreto*, Latinè à se reddita, describentis, fecit ut Sermonem illum *Theodoreti* esse sentiam, ejusdemque esse putem Epistolam illam, siquidem æquè infensum S. Cyrillo animum, æquè sanctis ejus Manibus insultantem, Sermo & Epistola demonstrant. En verba Sermonis: *Nemo jam neminem blasphemare compellit. Ubi sunt qui dicunt, quia Deus est qui crucifixus est? Non est crucifixus Deus, sed homo crucifixus est Jesus Christus. Deus autem templum suum ex David suscitavit, sicut idem David antè prædixit: Homo generat hominem. Naturâ autem Dei Filius est Deus Verbum, Christus autem filius est David: sed Dei Filius templum non est. Contentio ultra jam non est, sub uno jugo Ægyptus & Oriens convenerunt, mortua est invidia, & consepulta illi est hæresis. Jam quiescunt qui passum prædicant Deum.*

Theodoretus post S. Cyrilli Alexandrini Manibus insultavit.

XV. Idem probatur ex lib. 5. *Pentalogii*, in quo *Theodoretus* Sanctam Synodum Ephesinam, velut hæreseos *Apollinaris* instauratricem insectatur. Excerptum ex hoc libro apud *Marium Mercatorem*, cum aliis legimus, cui hæc præmittit Mercator: *Idem hanc calumniam Sanctæ Synodo, quæ Nestorium jure perculit, execrandus iste* (Theodoretus) *struere nititur, ut audeat, dicere, Beatos Patres qui apud Ephesum convenerunt, non recti dogmatis intentione, sed timore potiùs, illam protulisse sententiam; quatenus Apollinaris olim sepulta perfidia, per eos renovata esse videatur. Hanc autem contumeliam in Sanctos Dei Pontifices his perfidus verbis exaggerat*, &c.

Tantùm valuit invidia, cui vos mancipastis, ut quæ olim per unum aut duos, & hos latentes, Appollinaris loquebatur; hæc nunc per multos Ecclesiæ Præsules Congregationibus Ecclesiarum sacris exhibeat, & tales herba per Pastores gregibus offerantur, luporúmque morsus, Rectorum ministeriô, rationalibus ovibus infligantur; & qui in duabus, aut tribus civitatibus, extra murorum septa, paucos alloquebatur, quos etiam variis cantitis seducebat, nunc iste per vos in mediis tripudiat urbibus: ejus enim prædicatis errores, & vocum novitatibus decoramini, reparantes ejus blasphemiam, quæ jam fuerat consumpta temporibus.

Verba Theodoreti.

XVI. Quòd verò Nestorio à Sancta Synodo Ephesina damnato patrocinatus fuerit *Theodoretus*, probatur 1. ex illius Epistola ad *Nestorium* ipsum datâ post initam pacem inter Orientales & *S. Cyrillum*, quam in Latinum sermonem vertit *Marius Mercator*, & quæ refertur in V. Synodo, Collatione VI. *Nullus*, inquit, *tuæ persuadeat Sanctitati, quòd ego Præsul esse desiderans, clausis oculis, velut recta dogmata, Ægyptia Scripta* * *susceperim: nam per ipsum fateor veritatem, sæpius ea revolvens, & diligenter examinans, ab hæretica pravitate libera deprehendi, & aliquam illis imponere maculam formidavi; non tamen velut is approbetur,* * *qui toti Mundo causa perturbationis extiterit*.... *His autem quæ contra tuam Venerationem injustè atque iniquè patrata sunt, nec si mihi utramque manum quis abscinderet, potero præbere consensum.*

* Literas S. Cyrilli Alexandrini sic vocat.

* Cyrillum lacerat.

Idem probatur ex Epistola *Theodoreti* ad *Andream Monachum* Constantinopolitanum, cujus Fragmentum refert *Marius Mercator*, in quâ de *S. Cyrillo*, & Episcopis Ægypti, sic loquitur: *Ecce enim qui Salvatoris Christi naturas impiâ ratiocinatione confuderant, & unam naturam ausi fuerant prædicare, ac deitati passiones adjungere: propterea etiam Sanctissimo & venerando summi Dei Pontifici Nestorio insultarant, velut quodam chamo & freno, secundùm Prophetam, maxillis omnino confractis, & à pravis ad recta perducti, veritati iterum addixerunt, sententes ejus assertione qui pro veritate bella sustinuit. Pro una namque naturâ duas impræsentiarum confitentur, & deitatem Christi impassibilem venerantur*, &c. *Talia namque nunc ab Ægypto scripta delata sunt.*

Idem probatur ex Epistola *Theodoreti* ad *Andream Samosatenum* Episcopum, cujus hæc sunt verba: *Magnificus vir Aristolaus ab Ægypto Magistrianum cum Literis Cyrilli destinavit, quibus anathematizat Arium, Eunomium, Apollinarem, eosque qui deitatem Christi passibilem dicunt, & qui confusionem atque permixtionem duarum asserunt naturarum; & super hoc quidem gavisi sumus, quamvis propositionem nostram ille diffugerit. Exigit autem subscriptionem factæ dudum damnationis, & ut anathematizetur Sancti Episcopi dogma Nestorii. Scit autem vestra Sanctitas, quod si quis indiscretè * doctrinam anathematizet ejusdem Sanctissimi & venerabilis Episcopi, idem est ac si pietatem anathematizare videatur. Oportet ergo, si omnino compellimur, eos anathematizare, qui purum dicunt hominem Christum, aut qui in duos filios unum Dominum nostrum Jesum Christum dividunt*... *Existimo præ omnibus maximè satisfactum esse domino meo Sanctissimo & venerando Joanni Episcopo, quòd nullatenus acquiescam in damnationem domini mei sanctissimi & venerandi Nestorii Episcopi præbere consensum, nec violare communem promissionem, quæ in Tarso, & Chalcedone, & Ephesò facta est.*

* Indiscretè, id est, nullâ distinctione factâ, & sine ulla dogmatis & personæ discretione.

Idem probatur ex Epistola *Theodoreti* ad *Himerium* Episcopum Nicomediensem. *Si domini mei*,

inquit,

inquit, *venerabilis & sanctissimi Episcopi Nestorii fuerit dogma damnatum, nec ego his, qui hoc faciunt communicabo.*

Et in alia ad eumdem Antistitem Epistolâ, postquam rescivit *Joannem Antiochenum* anathematizasse dogma Nestorii. *Non* (inquit) *tuam lateat Sanctitatem, quod postquam legi Epistolam, qua Imperatori directa est, nimis animo dolui: quia manifeste cognosco, quòd is, qui hanc scripsit, idipsum sentiens, indiscretè usque iniquè damnavit eum,* * *qui nihil præter doctrinam sanam, novit aliquid & docuit. Sed anathematismus insertus, licet idoneus sit amplius, quàm consensus damnationis ejus, turbare lectorem; tamen quia non indiscretè, sed sub quâdam consideratione positus est, solatium præstitit. Nec enim dixit: Anathematizamus doctrinam ejus, sed Quæcumque aliter dixit, aut sensit, quàm doctrina Apostolica continet.*

* Nestorium intelligit.

XVII. Denique quòd Propositiones per se Nestorianas & hæreticas *Theodoreti* Scripta contineant, probatur primò ex *Reprehensione XII. Capitulorum S. Cyrilli*, in quâ istæ Propositiones leguntur: *Deus Verbum, cùm sibi templum in Virginali utero complasmavit, cum illo erat qui complasmatus & conceptus, & formatus, & natus est. Quapropter & Sanctam illam Virginem Dei Genitricem appellamus, non quòd Deum naturâ genuit, sed quòd hominem Deo unitum, qui eum complasmavit.* (In Anathemat. 1.)

Unum quidem Christum confitemur, divinis doctrinis Apostolorum obedientes, & eumdem per unitatem Deum & hominem nominamus: unitatem verò qua est secundùm subsistentiam, omnino ignoramus tamquam novam & alienigenam divinarum Scripturarum, & Patrum qui eas interpretati sunt. (In Anathem.) 11.

Quis est qui laboribus virtutis perfectus est, & non naturâ perfectus existens? Quis est qui experimento cognovit obedientiam, & istam ignorans ante experimentum? &c. Non Deus Verbum. (In Anathem. 10.)

Probatur secundò ex *Pentologio*, in quo similes Propositiones, & loquendi formulas Nestorianas legere est. *Emmanuel, & ejus qui sumpsit, & ejus, qui assumptus est, naturas insinuat: Nobiscum enim Deus interpretatur, Deus in templo humano. Deus propter unitatem ejus quem ex nobis accepit*, (lib. 1.)

Angeli ad Beatissimam Virginem voces sic interpretatur. *Considerate, quòd hic etiam cuncta dicantur humanitùs.* Erit *(inquit)* magnus, *non dixit*, est: Et Filius Altissimi vocabitur: *non dixit*, vocatur, *aut*, est: *Non dixit*. Habet Sedem David patris sui, *sed* Dabit ei: & regnabit: *non* dixit, Regnat. *Super quos?* Super domum Jacob; *non dixit*, Super Angelos & Archangelos. *Et iterum*: Sanctum vocabitur Filius Dei, *non dixit*, vocatur. (lib. 2.) Quod Fragmentum & *Pelagius II.* exscribit, *in Epistola ad Episcopos Istriæ.*

Cùm inveneris: * *Dominus autem plenus Spiritu Sancto regressus à Jordane; & iterum: Egressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam. Non Dei Verbum cooperatione vel auxilio eguisse Spiritûs arbitreris; sed visibile templum, quod variis Spiritûs Sancti donationibus fruebatur.* (lib. 2.) Quem pariter locum exscribit. *Pelagius II.*

* Luca 4.

Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. Quomodo ipse idem heri, & hodie, & in sæcula, & temporalis, & æternus, & in tempore, & super tempora? Nam si æternus est, temporalis non est: & si in tempore est, super tempus non est. (Lib. 2. quem locum etiam exscribit *Pelagius II.*

Quod Dominus de viro & uxore ait, Ut jam non sint duo, sed una caro, naturis procuidubio constantibus, sed discretionem habentibus: & sicus ibi nihil obest duorum numerus, quominus una caro dicatur; certum est enim qualiter una dicatur: ita & hic personæ unitas nihil obest differentia naturarum. Denique cùm naturas discernimus, Dei Verbi naturam integram dicimus, & personam sine dubitatione perfectam: nec enim sine persona fas est asseverare substantiam; perfectam quoque naturam humanam cum sua persona similiter confitemur. Cùm verò ad conjunctionem respicimus, tunc demum unam personam meritò nuncupamus. (Lib. 5.) Quibus verbis unam in Christo personam agnoscere videtur, qualis viri est ac uxoris post conjugium; unam, inquam, moraliter & jure tenus, non physicè & substantialiter, (ut Theologi de Schola loquuntur.) Quem locum & *Pelagius II.* exscripsit, *in Epistola ad Episcopos Istriæ.* Hæc ex *Theodoreti* Pentalogio Excerpta, Latino sermone à se donata: *Marius Mercator* ad posteros transmisit. Ex quibus compertum est, Scripta *Theodoreti* propositiones per se hæreticas & Nestorianas continere.

Quamobrem à Quinta Synodo jure damnata sunt his verbis, Canone XIII. *Si quis defendit impia Theodoreti Conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra Primam Ephesinam Sanctam Synodum, & Sanctum Cyrillum, & XII. ejus Capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis, & pro aliis qui eadem prædictis Theodoro & Nestorio sapuerunt, defendens eos & eorum impietatem, & propter hoc impios vocans Doctores Ecclesiæ, qui unitatem secundùm subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur; & non anathematizat ea, & eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, insuper autem & omnes qui scripserunt contra rectam fidem, & Sanctum Cyrillum, & XII. ejus Capitula, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt; talis anathema sit.*

XVIII. Probatur tertia pars Propositionis, quæ * spectat Epistolam *Ibæ* Edesseni Episcopi ad *Marim Persam*. Epistola quæ Synodum Ephesinam, & S. Cyrillum calumniatur, illam præcipitis judicii in *Nestorii* causa, istum hæreseo Apollinaristarum in XII. Capitulis assertæ, quam & Synodi Ephesinæ Patres approbaverint: Quæ insuper *Theodorum Mopsuestenum* laudat ut Prædicatorem veritatis, & Ecclesiæ Doctorem: Quæ tandem propositionem per se Nestorianam continet; jure à Quinta Synodo damnata est. Atqui *Ibæ* Epistola ad *Marim Persam*, Synodum Ephesinam accusat præcipitis judicii in causa *Nestorii*: *Cyrillum* æquè ac *Nestorium* vituperat, & doctrinam XII. Capitulorum ipsius ab Ephesina Synodo approbatam, ut hæreticam explodit; laudat etiam *Theodorum Mopsuestenum* ut Prædicatorem veritatis & Doctorem Ecclesiæ, propositionem denique continet per se Nestorianam. Itaque *Ibæ* Epistola ad *Marim persam* justè à V. Synodo damnata est.

* Epistola Ibæ ad Marim Persam, jure damnata.

Probatur Minor quoad singulas partes. Primò quòd Epistola illa Synodum Ephesinam accuset præcipitis judicii in *Nestorii* causa, constat ex his verbis: *De Episcopatu Nestorium dejecerunt, judicio & quæstione non factâ.*

Quòd Sanctum Cyrillum æquè ac Nestorium vituperet, hæc verba ostendunt: *Factum est certamen duobus hominibus istis, Nestorio, & Cyrillo, & conscripserunt contra se verba noxia, quæ scandala erant audientibus. Nestorius enim dixit in suis libris, Quòd Beata Maria Dei genitrix non est, ut putaretur pluribus de Secta Pauli Samosateni esse, dicentis, hominem purum esse Christum. Cyrillus verò volens verba Nestorii refutare, lubricavit, & inventus est cecidisse in dogma Appollinaris*, &c. *Nestorium* verò propter hæresim exilio damnatum dissimulat. *Nestorius verò*, inquit, *quoniam odio habebatur sua civitati, & majoribus in eâ constitutis, illuc reverti non potuit.* De Sancti Cyrilli Capitulis hæc habet: *Duodecim Capitula conscripta à Cyrillo contra Constituta Fidei veræ proposuerunt & confirmaverunt, & eis consenserunt ut veræ fidei consonantibus.*

Quòd

Quòd *Theodorum Mopsuestenum* ut Ecclesiæ Doctorem laudet *Ibæ* Epistola, hæc verba probant: *Quo nunc, ex ipsis est Beatus Theodorus Prædicator veritatis, & Doctor Ecclesiæ, non solum in vitâ suâ hæreticos percussit in veram suam fidem, sed etiam post mortem arma spiritalia in suis libris filiis Ecclesiæ dereliquit. Illum ausus est, qui omnia audet, in Ecclesia manifestè anathematizare, qui propter zelum Dei non solum suam civitatem ab errore in veritatem convertit, sed etiam longè ægrotantes Ecclesias erudivit suâ doctrinâ.*

Denique propositionem per se Nestorianam Ibæ continet Epistola. *Quomodo*, inquit, *possibile est accipi Verbum, quod ab initio est, pro templo quod ex Maria natum est?* Et: *Non præsumit aliquis dicere, quod una est natura deitatis & humanitatis; sed confitentur in templum & inhabitantem in eo, qui est unus Filius Jesus Christus.* Distinctio illa templi ab inhabitante, templi quod ex Maria natum est, à Verbo quod ab initio est, *Nestorio* familiaris fuit, hisque verbis suam expressit hæresim. Nec minùs suspecta esse debuit in Epistola *Ibæ* hæc loquendi formula, quia *Unum Filium Jesum Christum*, & unam personam profitetur: *Duæ naturæ*, inquit, *una virtus, una persona, quod est unus Filius Dominus Jesus Christus.* Nam & *Nestorius* unum Filium, & unam personam dixit & scripsit; sed unam auctoritate dignitatis, unam χάριν non φύσιν unam moraliter & jure tenus, non physicè & substantialiter. Unde *Facundus Hermianensis*, acerrimus Epistolæ *Ibæ* & aliorum Capitulorum defensor, hanc propositionem, Una est in Christo persona, dolos Nestorianorum prorsus non excludere fatetur, lib. 1. cap. 3. *Unam dicere personam*, inquit, *Nestorianorum nova subterfugia minùs excludit: Qui convicti innumeris testimoniis Patrum, quòd Deus Verbum, & assumptus homo, una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel existimant dictum, vel existimare se fingunt. Ut sic homo Jesus Christus dicatur Verbi gessisse personam, sicut etiam gessit Apostolus, qui scribens ad Corinthios dicit: Nam & ego quod donavi, propter vos, in persona Christi; non ut unus idemque esset Deus & homo.* 1. Cor. 2.

Suspicionem verò de Nestorianâ hæresi adversùs Epistolam *Ibæ* conceptam confirmat hominis ingenium, qui Nestoriana Capitula quædam in linguam Syriacam vertit, & per Orientem latè sparsit. Quam ob causam à pluribus Clericis, Monachis, & civibus Edessenis apud *Sanctum Proclum* accusatus est: Qui gravissimam ad *Joannem Antiochenum* Patriarcham Epistolam dedit, ipsius vigilantiam adversùs Ibam excitans, ut illum compelleret, Judaicam illorum Capitulorum impietatem vivâ voce & subscriptione anathematizare, & subscribere *Tomo*, quem ipse *Proclus* scripserat ad Armenos. Extat hæc Epistola in V. Synodo, *Collatione VI*.

Eandem suspicionem confirmat repetita *Ibæ* accusatio apud *Domnum*, Joannis in Antiochena Sede successorem, apud Flavianum successorem Procli in Constantinopolitana, & apud *Theodosium* Imperatorem, Judiciúmque de eo habitum in Synodo Beritensi, ubi cùm accusationum capita ex Epistola ipsius ad Marim Persam adversùs illum peterentur, accusationem effugiens, dixit se, ante initam inter *Sanctum Cyrillum* & Orientales pacem, hæc scripsisse, quæ in Epistola habentur. Quæ ipsius responsio falsitatis convinci facilè potuit ex Epistolâ ipsâ, quæ pacis initæ meminit. Abnegatione Ibæ contenti Judices, ipsum nihilominus compulerunt palam in Ecclesia anathematizare *Nestorium*, & impia ejus dogmata, & Ephesinam Primam Synodum suscipere tamquam à Sancto Spiritu congregatam; ut notant quatuor Episcopi *Collatione VI. Synodi V.*

Justè itaque *Ibæ* Epistolam hoc anathemate confixit V. Synodus, Canone XIV. *Si quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de Sancta Dei Genitrice semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse; dicit autem purum hominem ex ipsâ natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, & alius homo; & Sanctum Cyrillum, qui rectam fidem Christianorum prædicavit, tamquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur, & inculpat Primam Ephesinam Sanctam Synodum, tamquam sine examinatione & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim Capitula Sancti Cyrilli impia & contraria rectæ fidei vocat eadem impia Epistola; & defendit Theodorum & Nestorium, & impia eorum dogmata & conscripta. Si quis igitur memoratam impiam Epistolam defendit, & non anathematizat eam, & defensores ejus, & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem ejus, & eos qui scripserunt vel scribunt pro eâ, vel pro impietate quæ in eâ continetur, & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem, nomine Sanctorum Patrum, vel Sancti Chalcedonensis Concilii, & in his usque ad mortem permanent; talis anathema sit.*

Objicies, *Theodorum Mopsuestenum* à Patribus ante Synodum Chalcedonensem fuisse laudatum. Viventem laudarunt *Sanctus Gregorius Nazianzenus*, & *Sanctus Joannes Chrysostomus*, cujus Epistolam Theodori laudibus plenam ejus Defensores protulerunt. Mortuum laudavit *Joannes Antiochenus*, in Epistola ad *Proclum* Constantinopolitanum, quâ Tomum ejus ad Armenos approbavit. *Non solum*, inquit, *nos viventes tales calumnias ab his qui conturbare volunt Ecclesias, continuè sustinemus: Sed & qui bene de vita profectus est B. Theodorus, & quinque & quadraginta annis clarè in doctrinâ præfulsit, & omnem hæresim expugnavit, nullam alicubi detractionem ab Orthodoxis in vita suscipiens; post longi temporis hinc discessum, & post multa certamina, & post decem mille libros adversùs hæreses conscriptos, & posteaquam in conspectu Sacerdotum, & Imperatorum, & populorum probatus est, periclitatur quæ hæreticorum sunt sustinere, & illis proximus prædicari.* Objecta omnibus Facundi Hermianensis & aliorum qui tria Capitula defenderunt, respondetur.

Et in Epistola ad *Theodosium* Imperatorem: *Theodorus enim, quem quando dicimus, virum dicimus in Episcopatu clarum finem habentem, & quinquaginta pene annis fortiter repugnantem cunctis hæresibus. & in expositionibus quas in omnibus Ecclesiis Orientalibus faciebat, & quibus in Regia civitate valde esse comprobatus apparet, à nullo quoquam neque majorum, neque similium, judicatus est hæreticus: è contrario autem ab omnibus Sacerdotibus, propter eam, quæ illi aderat, doctrinæ gratiam, in admiratione semper est habitus.... Iste ille est Flaviani Magni Antiochensium Sanctæ Dei Ecclesiæ Pontificis amantissimus discipulus, & B. Joannis Constantinopolitani Episcopi condiscipulus, cujus memoriam redivivam fecistis, maximam hinc gloriam Pietatis vestræ Imperio facientes.* Joannis Antiocheni Epistolam ad *Proclum* Synodus Chalcedonensis, in Allocutione ad *Marcianum* Imperatorem approbavit & Laudatores *Theodori Mopsuesteni* suscepit ut Patres: quamobrem absque injuriâ Patrum & Synodi Chalcedonensis, damnari non potuit *Theodorus*.

Sed & *Sanctus Cyrillus*, apud *Facundum*, *Libro VII. cap 6.* pro Theodoro Mopsuesteno suffragium dicit his verbis: *Scripti sunt à magno Theodoro adversùs Arianorum & Eunomianorum hæreses, XX. forte & adhuc ampliùs libri; & alia præter hæc Evangelica & Apostolica Scripta interpretatus est. Et hos quidem labores nullus ausus est increpare, sed dextro decreto honorari studium rectorum dogmatum, quod in eis est.* Ex quibus verbis ita colligit Facundus: *Quomodo Nestorium culparet, velut Nestoriana, vel cujuslibet*

cujuslibet hæresis inventorem, cùm neque XX. & ampliùs libros irreprehensibiliter scribere contra hæreticos posset; neque Evangelica & Apostolica Scripta rectè interpretari, si malè quidquam de Christianâ Fide sentiret: Si quidem omnes hæreticos non aliunde magis quàm de Scripturis Evangelicis atque Apostolicis refutamus. Et est omnino sibi contrarium, ut simul dicatur quisquam Evangelica & Apostolica Scripta rectè interpretatus fuisse, & non rectè de Christiana Fide sensisse.

Theodorum Mopsuestenû non absolvunt laudes quibus à Patribus ornatus est.

Respondeo, Etsi Patres aliqui Theodorum Mopsuestenum laudaverint, non sequi quòd Scripta ejus hæreseos pura sint; quòd rectè de Incarnatione Filii Dei, de peccato originali, & multis aliis Fidei Capitibus senserit; quòd tandem injustè fuerit à Quinta Synodo damnatus. Nam, ut ait *Benignus* Heracleæ in Paphlagonia Episcopus, vices agens Thessalonicensis Archiepiscopi, *Collatione V.* Synodi Quintæ, *Nihil prodest impiè agentibus, si contigerit quosdam, vel ignorantiâ, vel præsumptione, vel etiam dispensatione quadam, scripsisse aliquid pro iis. Nam Basilius Sanctus* * *quadam scripsit de Apollinario, sed non propter hoc eum condemnatione liberavit. Et Athanasius diversas Epistolas ad Apollinarium scribit, tanquam eadem in fide sapientem: Et tamen postea libros integros, etiam post mortem Apollinarii, scripsit adversus eum, cognitis illius in scripto blasphemiis. Et nihil Apollinario profuerunt, quæ ante ad illum, tanquam eadem in fidem sapientem scripta sunt. Sed etiam Leo Sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, & suscepit Eutychem, & rescripsit, comprobans eum, & tamen postea condemnavit & anathematizavit eum tanquam hæreticum. Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos. Necnon etiam Origenem, si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superius aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatum: Quod etiam nunc in ipso fecit & vestra Sanctitas, & Vigilius Religiosissimus Papa antiquioris Romæ.* Sanctus Gregorius Nazianzenus, Theodorum Tyanensem, non Theodorum Mopsuestenum laudat. Quod spectat Epistolam *Sancti Joannis Chrysostomi*, laudes *Theodori* continentem, quam ejus Defensores citabant, respondit idem *Benignus*, falsam esse Epistolam, nec ullam legi à *Sancto Chrysostomo* ad ipsum datam, nisi quâ illum graviter increpat ob desertam Vitæ Monasticæ Professionem, quod probat ex Historiæ Ecclesiasticæ monumentis. Quamquam verò hujusmodi Epistolam *Sanctus Joannes Chrysostomus* scripsisset, id fecisse *Theodori* blasphemias ignorantem. *Joannes Antiochenus* Patriarcha non eò usque *Theodoro Mopsuesteno* patrocinatus est, ut eum erroris purum assereret, sed ut negaret cum hæreticis damnandum: propter egregiam Ecclesiæ navatam operam, & quòd in Ecclesiæ pace defunctus videretur. De eo namque ista scribit *Joannes Antiochenus*, ut refertur in Libello Clericorum Armeniæ ad *Proclum*, & in Epistola *Pelagii II.* ad Episcopos Istriæ: *Multò tempore perseverans Theodorus, persuasit multis, & Nestorio, quòd Christus Filius Dei vivi, qui de Sanctâ Virgine Maria natus est, non est qui ex Patre natus est Deus Verbum; consubstantialis Genitori, sed homo pro qualitate sua voluntatis ex Deo Verbo cooperationem suscipiens.*

* S. Basilius Epist. 82. ad Patrophilum

Mirum verò est quòd *S. Cyrillum* inter *Theodori* Patronos *Facundus* numeraverit: qui etsi libros ipsius *adversus Arium & Eunomium*, propter Catholicam de Trinitate fidem commendaverit, non tamen ejus libros *de Incarnatione Unigeniti*, libros *contra Apollinarium*, & alios, in quibus blasphemias evomuit. Certè *Theodori Mopsuesteni* de Incarnatione doctrinam à *Sancto Cyrillo* impugnatam fuisse ut hæreticam, ostendunt libri illius *adversus Theodorum*, Epistola ad *Lamponem*, & Epistola ad *Acacium Melitinensem*, in quâ testatur *Sanctum Proclum* Tomo suo ad Armenos, quem ad *Joannem Antiochenum* & Orientales Episcopos misit, adjunxisse *Capitula quædam collecta è Theodori Codicibus, quæ consonantem Nestorii perfidiæ intellectum habent, & adhortatus est eos etiam illa anathematizare*. Præterea, Facundus S. Cyrilli testimonium fideliter non refert. Non enim sic habet: *Et hoc labores nullus ausus est increpare, sed dextro decreto honorare studium rectorum dogmatum, quod in eis est*: sed hic: *Quos quidem labores nollet aliquis increpare, magis autem decreto studium honoraret, si inesset eis dogmatum rectitudo. Ergo quoniam in his libris inventa sunt quædam ultimæ impietatis plena, quomodo erat consequens velle tacere? Dividit enim individuum Christum, & pro uno Filio, dualitatem colit à veritate excidentem*, &c. Hunc locum integrum V. Synodus exhibet. *Collatione V.* ex lib. 2. *Cyrilli De eo, Quòd unus est Christus*, contra Theodorum. Ex quo Facundus malæ fidei convincitur, & ostenditur S. Cyrillum doctrina Theodori non laudasse.

Pelagius II. objectionem ex laudibus, quibus Patres aliqui *Theodorum Mopsuestenum* ornarunt, petitam, non alio modo dissolvit in Epistola ad Episcopos Istriæ. *Dixerunt*, inquit, *Responsales vestri, Theodorum à Joanne Antiochenæ urbis Episcopo mirâ per Epistolam attestatione laudatum: quod verum nos nullo modo credimus. Si tamen & sale aliquid fortasse reperitur, plus fidei Primæ Ephesinæ Synodo, plus Cyrilli libris, plus Hesychii, quàm aliis, qui innotescere nunc usque nequiverunt, Epistola commodamus.* Tum dato quòd ita se res habeat, sic respondet: *Scitis quòd res quæ dubietati subjacet, in partem semper est interpretanda meliorem. Quid itaque abstat, si dum de ejus errore occultum adhuc & dubium fuit, ab uno Patre laudatus est; & innotescente post perfidiâ, penè omnium magnorum Patrum sententiis, velut immanis bestia, quasi crebrescentibus jaculis est confossus? An non & malos a bonis aliquando laudatos novimus, nec tamen iisdem laudibus defensos? Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid in Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nesciat in libris suis quantis Origenem præconiis Eusebius attollat? Sed quia Sancta Ecclesia suorum Fidelium corda benigniùs, quam verba districtiùs pensat, & plus in Hæreticis sensum proprium; nec Origenem testatio Eusebii absolvere potuit; nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnavit. An non & Gregorius Nyssæ urbis Episcopus, cum Canticum Canticorum exponit, magnis Origenem laudibus præfert? An non & Hieronymus nostræ Ecclesiæ Presbyter, & singulari Hebræi sermonis Interpres, tanto erga Origenem favore intenditur, ut penè Discipulus ejus esse videatur? Sed quia plus causa quam verba pensanda sunt, nec istis sua benignitas nocuit, nec illum à reatu proprio favor alienæ attestationis excusavit.*

Objicies secundò *Proclum*, *Joannem Antiochenum* & *S. Cyrillum*, æquum non existimasse, ut *Theodorus* post mortem anathemate configeretur, quia in pace Ecclesiæ obierat. Proclus, in Epistola ad Joannem Antiochenum: *Quando*, inquit, *ego scripsi tua Sanctitati, oportere Theodorum anathematizari judici?* Joannes Antiochenus in Epistola ad *Sanctum Cyrillum de Theodori* scriptis ita censet: *Ut autem anathema eis imponatur, arbitramur audax, & asperum apparere, etsi persona cum dictis non anathematizarentur.* Sanctus Cyrillus in Epistola ad Proclum: *Si adhuc in vivis esset* (Theodorus Mopsuestenus) *& Nestorii blasphemiarum fautor, aut suffragari vellet iis quæ scripsit, ipse anathema etiam in propriâ personâ subiisset: Quoniam verò ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, & quæ absurdè ab ipso scripta sunt, rejici ab iis qui rectè sentiunt.* Et in Epistola

Epistola ad Joannem Antiochenum, *Theodoro* defuncto insultari vetat, quòd Ephesina Synodus ipsi nominatim anathema non dixerit: *Cedo*, inquit, *existimantibus grave esse insultare defunctis licet seculares sint, quantò magis eis qui in Episcopatu è vitâ decesserunt?* Iniquè igitur Synodus V. anathemate confodit non solùm *Theodori Mopsuesteni* scripta, sed ipsum etiam Auctorem.

Respondeo, omissâ postulatione falsi, quam adversùs Epistolam *Sancti Cyrilli* ad *Joannem Antiochenum* ingessit *Benignus*, in V. Synodo, *Collatione V.* singularem fuisse *Joannis Antiocheni*, & quorumdam fortassis aliorum sententiam, quòd anathemate percelli non deberet post mortem *Theodorus Mopsuestenus*: sed Ecclesiæ in Synodo V. congregatæ judicium illi esse anteponendum. Sancti verò *Proclus*, & *Cyrillus*, Theodorum anathema meritum fuisse agnoverunt ob hæretica dogmata, eòque quamvis defunctum percelli posse, si summo jure adversùs ipsum ageretur; at dispensatione potiùs tunc utendum & remissiore jure agendum existimasse, ut à Nestoriano errore perfectè illos abducerent, qui *Theodori* personæ & memoriæ favebant. Plerique enim Orientalium adeo erant *Theodori* studiosi, ut palam in Ecclesiis exclamarent: *Crescat fides Theodori: sic credimus, sicut Theodorus*, ut testatur *Sanctus Cyrillus* in Epistola ad *Acacium Melitenum*. Et qui nefarias hæreses libris ipsius contineri plerique omnes tectè sapientes non dubitabant, ægrè tamen ferebant virum cujus tantum erat in Oriente nomen, scriptis suis adeo celebrem, & in Communione Ecclesiarum defunctum, anathematizari, ut testatur idem *Sanctus Cyrillus* in Epistola ad *Proclum*. Quam ob rem *Sanctus Cyrillus* ab anathemate *Theodoris Mopsuesteni* tunc temporis censuit abstinendum, ne grave dissidium in Oriente excitaretur, ut scribit etiam *Leontius* lib. *de Sectis*: Actione VI. *Proclus* itaque acceptis à *Sancto Cyrillo* scriptis, acceptis etiam ab Orientalibus plurimis deprecationibus, ne anathema *Theodoro* & ejus scriptis diceretur, adhortatus est eos ut saltem prava ipsius dogmata anathematizarent, sicque omni suspicione se eximerent. Quoniam verò ejusmodi œconomiæ non acquieverunt, sed *Theodori Mopsuesteni* doctrinam, seu Patrum scriptis consonam, propugnare non destiterunt plurimi, videns *Sanctus Cyrillus* crescentem impietatem, & inde simpliciorum fidei timens: libros *Adversùs Theodorum* scribere coactus est, & adversùs ejus blasphemias, & post mortem ejusdem *Theodori*, & hæreticum, & impium, & super Paganos, & super Judæos blasphemum eum ostendere, inquit *Benignus* Heracleensis Episcopus in V. Synodo, *Collatione V.* quod adductis Sancti Cyrilli testimoniis confirmat. Addit, dispensationis, quam *Sanctus Cyrillus* prudenter adhibuit, tempus præteriisse, nunc præstandum quod perfectionis est; Sicut *Paulus*, cùm ad tempus Circumcisionem Hebræis concessisset, nec non ipse circumcidisset *Timotheum*, propter dispensationem; postea, quod est perfectum, docens ad *Galatas* 5. ait: *Ecce ego Paulus dico vobis, quòd si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest.* Majoris autem perfectionis esse, ut anathema dicatur *Theodoro* tot blasphemiarum Auctori. *Apostolus*, inquit, *Legalem dispositionem, & quasi corporalia Legis recusans, docet, quòd interdum dispensatio per congruum tempus prodest, & interdum efficit læsionem ad temporis qualitatem. Cùm enim opus est ignorantes, vel errantes docere, tunc maxima dispensationis utilitas est. Quando vero in doctrina perfectionis tempus est, tunc relinquentes patientiam, ad perfectionem dogmatum pervenimus.*

An percelli possint anathemate, qui

Objicies tertiò: Eos qui in Communione & pace Ecclesiæ defuncti sunt, anathemate percellerè non licet: Arqui *Theodorus Mopsuestenus* in pace Ecclesiæ defunctus erat: iniquè igitur ipsum anathematizavit V. Synodus.

in Communione & pace Ecclesiæ obierunt?

Probatur major 1. exemplo *S. Dionysii Alexandrini*, qui *Nepotis* Episcopi Ægyptii libros, quibus fabula de millenario in terris Christi regno asserebatur, damnavit; *Nepotem* verò ipsum, quia in pace Ecclesiæ obierat, nullâ injuriâ aggressus est, ut refert *Eusebius*, *lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ*. Secundò, ex *S. Leone*, in Epistula ad Theodotum Forojuliensem scribente: *Nec necesse est nos eorum, qui sic obierunt, merita actionesque discutere: cùm Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale Ministerium implere non potuit sua justitia reservaverit.* Tertiò, ex *Gelasio* Pontifice Maximo in Epistolæ quam ad Episcopos Dardaniæ, de causa *Acacii* scripsit: *Qui postquam*, inquit, *in Collegium recidens pravitatis, jure meruit ab Apostolicâ Communione secludi, in hâc autem persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes nec quæsivit omnino, nec meruit, mortuus jam non potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaveritis super terram, & quæ solveritis super terram. Cæterùm jam de eo, qui in divino est judicio constitutus, nobis fas aliud decernere non est, præter id in quo eum dies supremus invenit.* Et in Gestis Synodalibus de *Miseni* absolutione, *Totum*, inquit, *quod supra facultatis est modulum, divino judicio relinquamus: non autem nobis poterunt imputare, cur prævaricationis offensam viventibus remittimus; quod Ecclesia, Deo largiente, possibile est; nec nos jam mortuis veniam præstare deposcant: quod nobis non esse possibile manifestum est; quia cùm dictum sit: Quæ ligaveritis & solveritis super terram, hos quos super terram jam non esse constat, non humano, sed suo Deus Judicio reservavit: Nec audet Ecclesia sibimet vendicare, quod ipsis Apostolis conspicit non fuisse concessum: Quia alia est causa superstitum, alia defunctorum.* His momentis *Vigilius*, in *Constituto*, probat defunctos in Ecclesiæ pace non esse anathematizandos. Quartò, addit hanc Regulam in Sanctorum *Joannis Chrysostomi*, & *Flaviani* Constantinopolitani venerandâ memoriâ esse servatam, qui licet violenter exclusi sint, non tamen pro damnatis sunt habiti, eo quòd semper inviolatam eorum Communionem Romani Pontifices servaverunt; nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, vel poterunt; quos sibi inconvulsè unitos, Apostolica judicavit Auctoritas.

Quintò de *Theodoro Mopsuesteno* addit, ipsum à Synodo Ephesina damnatum nominatim non fuisse, quamvis ejus Symbolum proscriptum sit, & Synodum *Ecclesiasticam moderationem circa mortuum sapientiâ sacerdotali servantem, noluisse nomen ejus, ne Monumentis quidem Synodalibus, propter regulam, quæ de mortuis in Sacerdotio servanda est, contineri*; ut scribit *Sanctus Cyrillus*, in Epistola ad *Joannem Antiochenum*.

Sextò, *Facundus* probat illos qui mortuorum judicium usurpant, in ipsius Symboli Apostolici Fidem peccare, quo Christum solum vivorum & mortuorum judicem profitemur. *Ubi est ergo*, inquit, *quòd Christiani videri volunt, aut dici, Symbolique se custodire Fidem inani multiloquio jactitant, qui judicium sibi, quod soli Filio Pater dedit, superbâ satis, nimiùmque dolendâ temeritatis audaciâ usurpaverunt, cùm per hujusmodi præsumptionem etiam diaboli supergredi probentur insaniam? Siquidem ille superbissimo cordis appetitu dixit: Ero similis Altissimo: Hi autem præveniendo judicium Dei, & opere mortifero damnationem mortuorum vivorumque non sibi consentientium perpetrando, non jam æquales aut similes, sicut ille adhuc de futuro dixit, Ero, sed superiores esse suo Domino, quantum ad eorum attinet intentionem, constituerunt.*

Respondeo, distinguo Majorem: Eos qui in pace Ecclesiæ defuncti sunt, & ab Ecclesiâ non meruerunt segregari, dum viverent, concedo: Si meruerint ab Ecclesiâ segregari dum vixerunt, propter hæresim, schisma, aut atrocissima crimina, in quibus certum sit eos obiisse, nego. Tunc enim specie tenus in pace Ecclesiæ defuncti probantur, animo verò à Christi corpore divulsi. *Theodorus* autem *Mopsuestenus*, propter hæreses, & pertinacissimam in iis docendis & scribendis voluntatem, ab Ecclesiâ abscindi vivens meruerat, & anathemate confodi. Justè itaque poterat & mortuus anathematizari. Unde *Benignus* Episcopus mendacii & calumniæ reos agit *Theodori* Defensores, qui illum in pace Ecclesiæ defunctum esse conclamabant. *Ille enim*, inquit, *in communicatione & pace Ecclesiarum defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesia dogmata & servavit, & prædicavit. Quòd verò Theodorus non servavit, nec prædicavit recta Ecclesia dogmata, certum est ex ejus blasphemiis.*

Sancti Dionysii Alexandrini erga *Nepotem* œconomia *Theodoro Mopsuesteno* non favet. Longè alia enim est utriusque ratio. *Nepos* errorem quidem in suis libris propugnaverat, sed nondum ab Ecclesia damnatum, imò assertum à Sanctissimis Patribus, & in obscurissimâ quæstione, quæ præcipua fidei Mysteria & Symboli Apostolici capita non spectaret. Unde postulabat æquitas ut eadem erga ipsum, quæ erga priores Patres, quos errantes secutus erat, moderatio servaretur. At *Theodorus Mopsuestenus* errores jam proscriptos in *Paulo Samosateno* asseruit, librisque editis tuitus est, impugnavit capitalia Fidei dogmata, scilicet Christi divinitatem, & Deiparæ nomen ac dignitatem in Beata Virgine: Quæ dogmata nemo Sanctorum Patrum ante ipsum non propugnaverat: meritò igitur fuit anathemate percussus post mortem, etsi vivens tutus fuisset ab Ecclesiæ fulminibus, quia *Necessitas impugnandi Sectas majores ejus dogmata tegebat*; ut ait: *Leontius*, libro *de Sectis*. Et quamquam nominatim in Synodo Ephesina non fuerit anathemate confossus, œconomiâ quadam, in *Nestorio* tamen satis damnatus est, & in Decreto adversùs impium Symbolum suum editô. Hinc & ex Ecclesiæ Mopsuestenæ Diptychis expunctum fuerat post Ephesinam Synodum ejus nomen. Hinc *Rabbulas* Edessenus Episcopus ipsum anathematizavit. Quamobrem rectè *Pelagius II.* in Epistola ad Episcopos Istriæ ait: *Theodorum mortuum Sancta Synodus Prima Ephesina damnavit. Nam cùm ab ejus discipulis dictatum ab illo Symbolum in eadem Synodo fuisset prolatum, illico illic à Sanctis Patribus cum Auctore damnatum est. Et quidem ipsi Sancti Patres in eadem Synodo residentes ad Dominum jam recepti sunt postquam Theodorum damnavere: & si damnari mortuum non debuisse dicimus, proculdubio mortuos accusamus, & incipimus committere, quod nitimur prohibere.*

Sanctorum *Leonis* & *Gelasii* Pontificum testimonia probant solùm defunctos absolvi non posse à peccatis, aut ligari; nec eorum statum immutari posse quovis Ecclesiæ judicio; imò nec ipsos in judicium vocari posse ab Ecclesia, aut litem adversùs illos instrui ex partium interrogationibus & responsis: Sed non negant quin de eorum doctrinâ judicium ex eorum libris ferri possit, & consequenter de ipsorum personis, ut eorum nomen invidiosum sit & execrandum, si hæretici, vel schismatici fuisse ex scriptis probentur, nec inter Ecclesiæ Auctores nominentur, imò rejiciantur & impugnentur ut hostes. Ea vis est anathematis quod mortuis impingitur. Posse autem defunctos anathemate percelli, agnovit *Vigilius*, & qui priùs dispensatione usus, sola *Theodori* Scripta damnari voluit, non nomen, tandem è re Ecclesiæ esse judicavit ut nominatim anathematizaretur. Et Synodum V. confirmans: *Condemnamus*, inquit, *& anathematizamus unà cum aliis omnibus Hæreticis, qui damnati & anathematizati sunt à prædictis Sanctis quatuor Synodis, & ab Ecclesia Catholica, Theodorum olim Mopsuestia Episcopum, & impia ejus Scripta.* Facundi Hermianensis, quem in Schismate permansisse occubuisséque, citata probat Epistola, nulla est hac in controversiâ auctoritas. Lege quæ in Synopsi dicta sunt de Scriptis *Facundi Hermianensis.*

Sanè verò posse mortuos anathematizari, si hanc pœnam & ignominiam vivi meruerint, validissimis argumentis in V. Synodo, Collatione V. probatum est. Primò ex Canone Africanæ Ecclesiæ, quo sancitum est ut Episcopi qui Hæreticis facultates suas relinquunt aut extraneis, etiam post mortem anathematizentur. *Canon LXXXVI.* est in Codice Ecclesiæ Africanæ, his verbis conceptus: *Si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate suâ, vel Hæreticos etiam consanguineos, aut Paganos, Ecclesia prætulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.*

Anathemate confodi possunt mortui, qui hanc pœnam & ignominiam vivi meruerunt.

Secundùm idem probatum est disertissimis S. Augustini testimoniis, scilicet ex Epistola ad *Bonifacium Comitem*, ubi ait: *Quamvis etsi vera essent quæ ab eis* (Donatistis) *objecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus: sed tamen Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus.* Et in Collatione Carthaginensi, ait: *Non in hominibus spes ponenda est Ecclesia, si boni sunt: neque si mali sunt, judicanda est Ecclesia Dei periisse, sed tamen etiam ipsorum causam tamquam fratrum nostrorum suscipimus, &. si nobis ostendi potuerunt criminosi, hodie illos anathematizamus: non tamen propter illos Ecclesiam à Deo promissam & exhibitam deserimus aut relinquimus.* Et lib. 3 adversùs *Crescomum Grammaticum*, cap. 39. *Sed dicis, licere mihi etiam hodie de mortuis judicare, quia judicium non tantùm de vivis, sed etiam de mortuis fieri potest. Ecce volo judicare, sed vos causam ipsam non vultis agere.*

Tertiò idem probatum est ex *S. Cyrillo*, lib. 1. *De eo quod unus est Christus*, contra *Theodorum Mopsuestenum*, dicente: *Hæreticos nobis recusandos esse, sive in vitis sint, sive non:* Et in Epistola ad *Martinianum* & alios Monachos, ubi Ephesinam Synodum, non solum Nestorium, sed & eos qui ante ipsum eosdem errores docuerant, vel post ipsum erant docturi, cum eo damnasse observat. *Jam quidem*, inquit, *& Sancta Synodus Ephesi collecta Dei voluntate, contra Nestorii perfidiam justam & subtilem sententiam proferens, & aliorum vaniloquia, qui post ipsum erunt, aut ante ipsum fuerunt, æqualia sapientes ei, & dicere, aut scribere præsumpserunt, cum illo condemnavit, similem eis condemnationem imponens. Consequens enim erat, uno semel propter tam profana vaniloquia inculpato, non contra unum magis pervenire, sed contra omnem eorum Sectam, sive calumniam quam fecerunt adversùs pia Ecclesia dogmata, duos colentes Filios, & dividentes individuum.*

Quartò, addidit *Benignus* Heracleensis Episcopus, *Valentinum*, *Marcionem*, & *Basilidem* à nullâ Synodo anathematizatos, tamen eò quò alienum pietatis erat dogma quod tuebantur, etiam post mortem ab Ecclesia anathematizari.

Quintò, quosdam ex iis, qui cum *Eusebio Nicomediensi*, & *Theognide Nicano*, Ario faverant, ejúsque adhæserant erroribus, post mortem anathemate confossos, & ex Ecclesia expulsos, ut *S. Athanasius* scriptis prodidit. Nec *Origenis* mentio omissa est, qui post mortem damnatus fuit etiam à *Vigilio*.

Sextò,

* Vel potiùs Antipapa contra Bonifacium II.

Sextò, Romanam Ecclesiam, ante paucos annos, *Dioscorum*, qui fuit Papa ejusdem Ecclesiæ, * & post mortem anathematizasse, cùm nec in fidem peccasset: & hoc scire omnes qui Romæ degunt, & maximè qui in dignitatibus existunt, qui etiam eidem *Dioscoro* communicatores permanserunt usque ad mortem.

Ex his omnibus manifestum est, posse mortuos anathematizari, si hanc pœnam & ignominiam vivi meruerint, hæresim maximè profitendo: *Cùm culpa in fide perpetrata, nec morte interveniente laxetur* (ut ait *Pelagius II.*) Ad exemplum scilicet perduellionis reorum, quorum memoria post mortem damnatur, & bona addicuntur fisco, licet cætera omnia crimina mortalitate extinguantur, ut ex Papiniano observat doctissimus Præsul *Petrus de Marca* in Dissertatione de Vigilii decreto pro Quintæ Synodi confirmatione.

Objicies quartò: *Theodoretus* à Synodo Chalcedonensi inter Patres susceptus est, ejúsque fides laudata: damnari itaque illius Scripta non potuerunt absque injuria Synodi Chalcedonensis.

Respondeo, distinguo antecedens: Susceptus est, postquam dixit Anathema *Nestorio* & ejus erroribus concedo: antequam diceret Anathema *Nestorio* & ejus pravis dogmatibus, nego. Illo autem anathemate sua pro *Nestorio* & contra *S. Cyrillum* Scripta consequenter damnavit *Theodoretus*. Quamobrem Quinta Synodus ejus Scripta, non omnia, sed contra S. Synodum Ephesinam, & *S. Cyrillum* edita condemnans, nihil molita est in Synodi Chalcedonensis injuriam. Ita respondet *Pelagius II.* in Epistola ad Episcopos Istriæ, ubi quibusdam Fragmentis ex Scriptis *Theodoreti* recensitis, ait: *Quis hæc plena omni impietate non videat? A quibus tamen constat, quòd se postmodum ipse correxit, qui in Sancta Chalcedonensi Synodo Nestorium anathematizare consensit. Quis non videat quantâ temeritate plenum sit, Theodoreti Scripta superbiendo defendere, quæ eumdem ipsum constat, recta post profitendo, damnasse? Dum vero ejus & personam recipimus, & ea quæ dudum latrarant, prava Scripta reprobamus, in nullo à Sancta Synodi actione deviamus; quia sola ejus hæretica Scripta respuentes, & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo Theodoretum profitentem recta veneramur. Alia verò Scripta illius non solùm recipimus, sed eis etiam contra adversarios utimur.*

Quinta Synodus Theodoreti Scripta contra S. Cyrillum damnans, injuriam Synodo Chalcedonensi non fecit.

Objicies quintò: Non solùm Ibas in Concilio Chalcedonensi susceptus est, verùmetiam Legati Sedis Apostolicæ dixerunt, se *relectâ ejus Epistolâ, agnovisse eum Orthodoxum*. Atqui non fuisset agnitus Orthodoxus relectâ Epistola, si illa hæretica foret. Itaque Ibæ Epistola Catholica visa est Chalcedonensibus Patribus. Quinta igitur Synodus Epistolam Ibæ iniquè damnavit, eámque damnando, Synodo Chalcedonensi vulnus non leve intulit. *Hinc Ferrandus* Carthaginensis Diaconus, in Epistola ad Pelagium & Anatolium R. E. Diaconos, Epistolam *Ibæ* damnari non posse asserit, absque Synodi Chalcedonensis injuriâ. *Quid si procedentes è tumulis suis*, inquit, *coram Deo cui vivunt, apud quem fideliter requiescunt, in novissimâ resurrectione dicant Viri Religiosi:* (scilicet Chalcedonenses Patres) *Cur Epistolam reprobastis, cujus Catholicam esse dictionem sensimus, diximus, judicavimus, & judicium nostrum subscribendo firmavimus? An quia venerabilis Ibas Alexandrinæ Ecclesiæ Pontificem S. Cyrillum vituperavit? Sed idem S. Cyrillo postea se communicasse significavit. Si merebatur pro B. Cyrilli vituperatione culpam, merebatur pro restauratâ communione non minimam gratiam. Ut S. Cyrilli Capitula, propter ambiguitatem & locutionis obscuritatem, cum Orientalibus Episcopis parum intelligendo culparet, humanæ fuit infirmitatis: ut dicta sua benè interpretanti faciliùs crederet ac libentissimè* A *consentiret, omnino Sacerdotalis fuerat charitatis, sine ullo dispendio veritatis ... Ipse S. Cyrillus non uni Ibæ, sed pluribus Orientalibus Episcopis auferre scandalum malæ intelligentiæ properavit benè interpretando Capitula sua: & nos pro injuriis ejus, Historiâ modo quod contigerat exponentem reprobaremus Epistolam? Si contraria veræ fidei Regulis in illâ Epistola Venerabilis Ibas Episcopus locutus fuisse firmatur, propter aliquanta vel ambigua, vel obscura, quæ faciunt hoc videri; nostra debet esse sententia melior, quia non ex ore ejus qui dictavit Epistolam, sensum valuimus investigare verborum. Postremò quare putaremus Epistolam* B *favere Nestorio, cujus Auctor nobis præsentibus, jubentibus, audientibus, voce vivâ minimè dubitavit anathematizare Nestorium, suscipiens Tomum Papæ Leonis, & Confessionem veræ Fidei nobiscum subscribendo confirmans? Hæc audientes quale responsum daturi sumus tot inclytis Rectoribus & Magistris Ecclesiarum?* Hæc Ferrandus contra Acephalos.

Epistola Ibæ à Concilio Chalcedonensi approbata non fuit.

Respondeo, distinguo majorem: Relectâ ejus Epistolâ, agnoverunt eum Orthodoxum, propter contestationem in eâ factam quòd paci inter Orientales & S. Cyrillum initæ consensisset, concedo: C propter dogmata, nego: Certè cum Synodus Chalcedonensis Berytensis de Ibâ Synodi judicium approbaverit, quo ad Sacram Synodum Ephesinam suscipiendam, & anathema dicendum *Nestorio* compulsus est, non potuit Epistolam *Ibæ*, quâ Synodus Ephesina perstringebatur, & *Nestorius*, inquisitione non factâ, damnatus dicebatur, approbare. Non potuit, inquam, Epistolam approbare suæ menti ac doctrinæ penitus contrariam. At Synodo Chalcedonensi omnino adversatur *Ibæ* ad *Marim Persam* Epistola. *In Gestis namque ejusdem Synodi & Scriptis Leonis, Cyrillus prædicatur* (inquit Pelagius II.) *in Epistola vero illa Ibæ, Cyrillus in Apollinaris do-* D *gma corruens, reprobatur: In Gestis, Nestorius ut Redemptoris nostri adversarius jure damnatus ostenditur: verbis verò Epistolæ damnatus injustè memoratur. In Gestis Synodi, in Dei & Domini nostri unâ personâ duas naturas Cyrillus confessus ostenditur; in verbis Epistolæ unam naturam tradere dicitur, atque ab hoc sensu correptus, vix resipuisse narratur. In Gestis Synodi, anathematizatus Nestorius etiam post mortem dicitur: in verbis verò Epistolæ, etiam post depositionem suam, pro solo civium suorum odio, ad civitatem suam non rediisse perhibetur. In Gestis ac Definitionibus Synodi, unus Filius Jesus Christus dicitur: at juxta doctrinam Theodori atque Nestorii, Deus tacetur: & in Gestis* E *Synodi nusquam Theodorus veritatis Doctor dicitur; in verbis vero Epistolæ, idem, cujus blasphemias supra protulimus, veritatis Doctor clamatur: qui si vera dixit, falsa erunt quæ de veritate Synodus protulit. Quisquis igitur Epistolam quæ Ibæ dicitur, ostendere quod sit de Synodo nititur, quid aliud quàm Gesta ejusdem Synodi destruere conatur? Si enim sibimetipsis diversa sunt, nullâ proculdubio auctoritate subsistent: quia quæ se impugnando destruunt, alios ædificare non possunt. Sed cur tantummodo Sanctam Chalcedonensem Synodum convelli dicimus, si auctoritatem suo Epistola reprobemus? Quæ nimirum si vera creditur, etiam tota sancta Ephesina Synodi fides ac reverentia dissipatur?* F *Hæc quippe ait, quòd in ea Cyrillus præmiorum medicamine Sapientum oculos excæcavit. Quid ergo illic de veritate certum dicitur, ubi ipsa veritas Sacerdotibus vendita esse perhibetur? Reprobetur ergo una Epistola mentiens, ne utraque Sancta Synodus tantæ falsitatis crimen sustineat.* Synodus itaque Chalcedonensis Epistolam Ibæ non approbavit ut Catholicam, sed relectâ ejus Epistolâ, judicavit eum esse Catholicum: quia contestando se post initam pacem *S. Cyrillum* non oppugnasse, Epistolam, quantùm in ipso erat, abnegabat. Nec tamen propterea suspicionem omnem eluit Nestorianæ hæreseos, donec à Sancta

Synodo coactus, diceret anathema Nestorio *Exclamaverunt : Omnes eadem dicimus : Nestorium modò anathematizes, & Eutychetem & ejus dogma modò anathematizes. Ibas Reverendissimus Episcopus dixit : Et jam scripto anathematizavi Nestorium, & nunc anathematizo eum decies millies. Quod enim semel est ad satisfactionem fit, si fiat decies millies, non contristat. Anathema Nestorio, & Eutycheti, & unam dicenti naturam : & omnem eum qui non sapit sicut hæc sancta Synodus, anathematizo.*

Quod autem *Ferrandus* Epistolam *Ibæ* damnandam non esse, nec, absque Synodi Chalcedonensis injuria damnari posse senserit, ipsi condonandum est, cùm ante Synodum Quintam scripserit, cujus auctoritas privati cujusvis Doctoris auctoritati anteponenda.

Respondeo secundò, Ab uno tantùm Episcopo Epistolam Ibæ, in Concilio Chalcedonensi judicatam esse Catholicam, scilicet à *Maximo* Antiocheno, qui sic in ejus gratiam suffragatus est : *Orthodoxa est ejus declarata dictatio.* At in Conciliis, non unius, aut alterius interlocutionem attendere oportet, sed quæ ab omnibus, vel à majori parte definiuntur, ut quatuor Archiepiscopi observarunt Collatione VI. Synodi Quintæ. Alii autem Synodi Chalcedonensis Patres non solùm ejus Epistolam non suscepere; sed nec ipsum, nisi postquam certissima orthodoxiæ, & pœnitentiæ argumenta dedit, dicendo Anathema Nestorio, & subscribendo Epistolæ S. Leonis. Id constat ex suffragio *Anatolii* Constantinopolitani Patriarchæ; *Omnem in præsenti suspicionem de eo abjicio*, inquit, *quoniam consentit & subscribit ei, quæ nunc de fide sententia data est à sancto Concilio & Epistola sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis.* Juvenalis Hierosolymorum Episcopus ita sensit : *Qui convertuntur, hos Scriptura divina suscipi jubet. Quapropter & eos qui ab hæreticis revertuntur, suscipimus. Unde perviden Reverendissimum Ibam impetrasse clementiam, quia & senex est, & ut habeat Episcopatus gradum, Orthodoxus existeat.* Eunomius Metropolita Nicomediensis ita suffragatus est : *Dudum ex relectis innoxius demonstratus est Reverendissimus Ibas : In quibus etiam visus est culpare malè loquens Beatissimum Cyrillum ; in posterioribus rectè confessus respuit illa, quibus culpaverat.* Denique Patres omnes ante restituendum Sedi suæ non esse censuere, quàm anathema *Nestorio* dixisset, unâ enim voce exclamaverunt : *Omnes eadem dicimus, Nestorium modò anathematizet.* Id ubi præstitit *Ibas*, visus est denegare Epistolam esse suam, vel eam omninò improbare : unde nequaquam sequitur Epistolam approbatam fuisse ut Orthodoxam, quia ipse ut Orthodoxus susceptus est. Fulcitur hæc postrema responsio testimonio S. Gregorii Magni, *Lib. VII. Epistola 54. ad Secundinum*, cap. 3. *Epistolam verò*, inquit, *quam in ea Reverendissimus Ibas denegat suam, quod in extremâ parte Synodi jaceat, agnoscis. Quæ videlicet Epistola Nestorium inauditum, & inquisitione non factâ, damnatum asserit, Cyrillum verò in Apollinaris dogma cecidisse suspicatur. Et si totus superior textus prædictæ Synodi legitur, quantùm hæc Epistola eidem Synodo adversetur, invenitur : quia scilicet Sancta Synodus & Nestorium sicut est, hæreticum denuntiat, & Beatum Cyrillum Patrum Catholicum veneratur, Epistola ergo, quæ illum defendit, qui à Synodo damnatus est, & eum accusat, qui à Synodo veneratus est, proculdubio Definitioni Sanctæ Synodi probatur adversa. Sed quia ejus Defensores solent dicere quòd hanc Ibas eo tempore scripsit, quo adhuc Cyrillus, propter XII. Capitula, quæ nondum exposuerat, dubius habebatur, in ipsâ hac Epistola perpende; quia legitur quòd inter Orientales Episcopos & B. Cyrillum pax fuerit celebrata. Si ergo post concordiam pacis, post satisfactionem amotæ dubitationis, hæc eadem Epistola scripta est, constat quia non est Catholica, quæ Patrem Catholicum, atque in toto Synodi volumine laudatum, Hæreticum appellat.*

Respondeo tertiò, Etsi à Concilio Chalcedonensi approbata demonstrari posset, omnésque Episcopi ipsi subscripsissent, meritò tamen revocatam fuisse ad examen & damnatam à V. Synodo : quia Definitione Fidei conscriptâ in Synodo Chalcedonensi, *Actione 6.* & conditis Canonibus eidem Actioni subnexis, de singularibus & privatis Episcoporum causis actum est; quarum judicium retractari potuit. Inter illas autem cognita fuit *Ibæ* causa illarum porro causarum judicium à *S. Leone* confirmatum non fuit, qui auctoritatem Synodi Chalcedonensis in solâ Fidei Definitione constrinxit. Quâ de re ad *Maximum* Antiochenum ita scripsit : *Si quid sanè ab his Fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice meâ misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis : quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede sunt directi, ut excisis hæresibus, Catholicæ essent Fidei defensores. Quicquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem.* Quibus verbis, ut observat *Pelagius II. in Epistola ad Episcopos Istriæ*, apertè licentia tribuitur, ut quicquid illic, extra fidei causas, de personis gestum est, retractetur. *Specialis quippe Synodalium Conciliorum causa est fides. Quicquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revocetur.* Addit *Pelagius II.* Episcopos ipsos, qui Synodo Chalcedonensi interfuerunt, ipsam ceu Oecumenicam veneratos non fuisse in privatarum judicio causarum. Id probat 1. ex plerisque Græcis antiquioribus Codicibus, qui sex duntaxat Actiones laudatæ Synodi cum adjunctis Canonibus continent. 2. Ex Epistola *Alypii* Episcopi Cæsareæ Cappadociæ ad *Leonem Augustum*, quâ testatus se ea non legisse quæ in Synodo Chalcedonensi particulariter examinata sunt, & gesta, quia *Thalassius* tunc Episcopus nihil aliud in suam Ecclesiam detulerat quàm Acta in causa fidei, quibus adjuncti erant Canones. Ex quibus *Pelagius II.* ita colligit : *Attestante ergo Alypio perdocemur, quia præter causam fidei, nihil de Synodo in veneratione Thalassius tenuit, qui ille & præter causam fidei Episcoporum negotiis privatis interfuit. Si igitur in Actione VI. Professio Fidei consummatur, mòxque Canonum regulæ figuntur; si Beatus Leo negaturis, quæ illic privatè mota sunt, contradicit : Si hoc quod ultra fidem gestum est, nec is qui fecit Thalassius tenuit : cur nos Hæreticam Epistolam retractasse reprehendimur, qui hâc in re cunctorum nos præcedentium auctoritate roboramur? Et quamvis ab eadem Epistola alienum se Ibas responderet ; quamvis quia approbata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstretur, liceret tamen unicuique eam reprehendere, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent : quia postquam Beato Leone scribente, Jus retractandi, & dijudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat eorum, qui interfuerant, in privatis negotiis auctoritas, vacuatur.* Sanè hujusmodi negotiorum judicia posse à Conciliis posterioribus retractari, & emendari, probat luculentum *S. Augustini* testimonium, *lib. 3. de Baptismo*, cap. 3. *Ipsa Plenaria Concilia*, inquit, *sæpe priora à posterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ullâ inflatâ cervice arrogantiâ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sanctâ humilitate, cum pace Catholicâ, cum caritate Christianâ.*

Causa Ibæ à Quinta Synodo retractari jure potuit.

Objicies sextò, *Vigilium* & Occidentales Episcopos, trium Capitulorum damnationi diu restitisse ; proculdubio quia illorum damnationem iniquam esse intelligebant.

Respondet

Mutatio sententiæ in causa Trium Capitulorum vitio verti non debet Vigilio Summo Pontifici.

Respondet *Pelagius II.* in Epistola ad Episcopos Istriæ: *Latinos homines, & Græcitatis ignaros, errorem tardè cognovisse.* Unde tantò eis celerius credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quievit: quorum consensum certè Fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab iis laboratum est, & longo tempore ad injurias usque certatum, hinc vestra Fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sunt, agnovissent. Probat autem duobus exemplis eum esse divini consilii ordinem, ut sæpe veritatem commendet eorum operâ, qui diu contra ipsam lu[illegible]ti sunt. *Paulum* contumacem adversùs Evangelium sic suæ fidei Prædicatorem fecisse, ut cunctis, quibus per illum fuerat prædicaturus, ostenderet veritatem Evangelii, quod tanta duritia inclinata prædicabat. Addit alterum *S. Petri* exemplum, qui reprehensus à S. Paulo, quòd Gentes ad fidem conversas, ad Judaïsmi ceremonias impelleret, consilium mutavit. *Si igitur* (inquit Pelagius II.) *in trium Capitulorum negotio aliud cùm veritas quæreretur, aliud inventâ veritate dictum est; cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quæ à cunctâ Ecclesia in ejus Auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensûs in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deserens, verba permutet?* Porro Vigilium sententiam mutasse, & tandem Trium Capitulorum damnationi subscripsisse, ex ejus Epistola *ad Eutychium & præjacentem Sanctam Synodum*, probavimus, cùm in *Synopsi*, tum superioris Dissertationis *Quæstione III.*

SCHOLION

In hac Dissertatione, pag. 645. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa sententiam mutat.*

R. Vigilium Papam sententiam mutasse, & tandem trium Capitulorum damnationi subscripsisse repeto, & confirmo Pelagii secundi verbis in Epistola ad Episcopos Istriæ mox descriptis. Addo & Doctissimi viri *Henrici De Noris*, S. R. E. Cardinalis verba in Dissertatione Historica *De Synodo Quinta*, Cap. VIII. *Fuit Vigilius Pontificiæ Auctoritatis atque ad Principis contemptum tenacissimus assertor, ut ex rebus ab eo gestis inclaruit. Animi inconstantia, mutandæque Sententiæ facilitas ratio eidem vertitur; nam in Causa Trium Capitulorum varius, atque à se ipso diversus non semel apparuit. Initio quidem, cùm adhuc in Sicilia esset, Tria Capitula defendebat; at illa se damnaturum dudum Theodoræ Augustæ promiserat, si Victori fides est. Cùm Byzantium advenisset, ob damnata tria Capitula Mennam Sacris interdixit: ac paulò post Mennæ conciliatus eadem & ipse in Judicato damnavit. Deinde post triennium à Sententia Judicati discedens, emisso novo Constituto eadem damnari posse negavit. Sed paucis mensibus in hac Sententia stetit; nam datâ ad Eutychium Epistolâ tum Constitutum infregit, atque ad Synodum accedens tria Capitula proscripsit. Vir doctissimus Petrus de Marca Libro III. De concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. XIII. hanc Vigilii inconstantiam à doctis prudentiam appellari testatur, quam ipse dispensationem vocat, quâ nunc juris & Canonum rigore agebat, nunc illorum remissione, fidei ac publicæ quietis studio.* Hæc Cardinalis Norisius.

DISSERTATIO V.

De sensu Anathematismorum V. Synodi.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Anathema latum à V. Synodo solos Nestorianos feriat? An etiam Catholicos Trium Capitulorum Defensores?

PROPOSITIO.

ANathema latum in Quinta Synodo præcipuè feriit Nestorianos, qui Trium Capitulorum doctrinam propugnabant, quòd illam suæ consonam hæresi, ut reverà erat, agnoscerent. Sed nihilominus Catholicos etiam Trium Capitulorum Defensores petere videtur, qui Capitula illa erroris pura, post Synodi Oecumenicæ Judicium, assererent, & ideo iniquè damnata. Unde temeritatis notam incurrerent, & periculum subirent anathematis, qui pro Tribus Capitulis, aut aliquo ex illis Apologias scriberent.

Probatur prima pars, ex ipsis Anathematismis Quintæ Synodi, qui singula illa Capitula ut Nestorianam continentia hæresim perstringunt. Duodecimus in *Theodorum Mopsuestenum* editus sic habet: *Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum qui dixit, Alium esse Deum Verbum, & alium Christum, &c. Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia ejus conscripta in quibus tam prædictas, quàm alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum & Salvatorem Jesum Christum, & non anathematizat eum, & impia ejus conscripta, &c. talis anathema sit.* Eos certè, qui non solùm *Theodorum* ipsum sed ejus etiam errores propugnarent, petit istud Anathema Collatione IV. Synodi V. *Anathema Theodoro Mopsuesteno: Ille Evangelia reprobavit, iste dispensationem injuriavit. Anathema illis qui non anathematizant eum. Defensores ejus Pagani sunt: Sequaces ejus Judæi sunt.*

XIII. Anathematismus, *Theodoreti* Defensores perstringens, his verbis conceptus est: *Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam Sanctam Synodum, & contra S. Cyrillum & duodecim ejus Capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis, &c. talis anathema sit.*

XIV. Anathematismus contra Defensores Epistolæ *Ibæ ad Marim Persam* ita decernit: *Si quis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de Sancta Dei Genitrice semper Virgine Maria incarnatum hominem factum esse, &c. Si quis igitur memoratam impiam Epistolam defendit, & non anathematizat eam & Defensores ejus, & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem ejus, & eos qui scripserunt, vel scribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præsumunt eam defendere, vel inserere ei impietatem nomine sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilii, & in iis usque ad mortem permanent, talis anathema sit.*

Ex his colligere est, Anathema latum in V. Synodo contra Trium Capitulorum Defensores, præcipuè ferire Nestorianos, qui illa ideo propugnabant, quòd Nestorianum dogma in iis agnoscerent. Quod luculentiùs confirmat Sententia Synodi, *Collatione VIII.* his verbis: *Quoniam igitur videbamus, quòd Nestorii sequaces conati sunt per Theodorum impium, qui Mopsuestiæ fuit Episcopus, & impia ejus conscripta, & insuper per ea quæ impiè Theodoretus conscripsit, & per Epistolam sceleratam, quæ ab Iba dicitur ad Marim Persam scripta esse, suam impietatem*

tem Dei Ecclesia applicare, ideo ad eorum, quæ movebantur, correctionem surreximus, & pro Dei voluntate, & jussione piissimi Imperatoris, vocati ad hanc Regiam Urbem, convenimus.

Probatur secunda pars, ex iisdem Anathematismis, quibus perstringuntur ii, *Qui Theodorum defendunt, & non anathematizant eum, & omnes qui suscipiunt, vel defendunt eum, & dicunt, Orthodoxè eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo.* Item damnant eos *Qui defendunt Theodoreti scripta contra Sanctum Cyrillum. Tandem qui defendunt Epistolam Ibæ, & non anathematizant eam & defensores ejus, & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem ejus, & eos qui scripserunt, vel scribunt pro eâ, &c.* Atqui Tria Capitula, & tres illos auctores soli non defendebant Nestoriani, qui suos in scriptis *Theodori Mopsuesteni*, *Theodoreti*, & Epistola *Ibæ*, errores agnoscebant; sed etiam Catholici, qui recto sensu hæc *Scripta* exponebant, contendebántque illa Nestorianos errores non continere; vel *Theodorum* anathemate percelli non posse, quòd in pace Ecclesiæ defunctus esset. Cùm itaque Synodus Quinta non solùm anathemate percellat eos, qui impia *Theodori Mopsuesteni*, *Theodoreti*, & *Ibæ* scripta, sive contentam in iis impietatem defendunt; sed etiam qui ea defendunt absolutè, *& dicunt recta esse*; & *qui Theodorum defendunt*, & dicunt eum *rectè exposuisse*, colligere est anathema latum in Canonibus V. Synodi non solos ferire Nestorianos, sed etiam Catholicos, qui Tria Capitula pertinaciter defendebant. Unde Synodus disertè distinguit condemnationem Hæreticorum à se factam, & eorum qui Tria Capitula defenderunt, vel defendunt. *Factâ autem à nobis*, inquit, *& condemnatione contra Hæreticos, & eorum impietatem; necnon etiam contra eos qui defenderunt, vel defendunt prædicta impia Tria Capitula, & permanserunt in suo errore, vel qui permanent: Si quis conatus fuerit contra hæc quæ piè disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere; si quidem Episcopus vel Clericus sit, iste tanquam aliena à Sacerdotibus & Statu Ecclesiastico faciens, denudabitur Episcopatu vel Clericatu: Si autem Monachus, vel Laicus sit, anathematizabitur.*

Probatur secundò, testimonio *Facundi Hermianensis*, qui non solùm in Nestorianos, sed in Catholicos; qui Tria Capitula pertinaciter defendebant, quorum ille unus erat, latum à Quinta Synodo anathema intellexit, (lib. 2. cap. 3.) *Ubi*, inquit, *omittimus dicere, quoniam si communicemus eis, qui nobis jam dixerunt anathema, non solùm condemnationi Synodi Chalcedonensis communicabimus, veriùm & sententias in nos eorum, ipsâ eorum communicatione firmabimus. Sed hoc potiùs dicimus: Quoniam si ullus apud eos esset divinæ religionis, vel rationis humanæ respectus, ipsis quoque profanum & nimis turpe videri debuit, communicando nobis, anathema, quod in nos decreverunt, in semetipsos ultrò convertere... Proinde beneficio magis quàm injuriæ deputent, quòd eis non communicamus, donec de medio tollant istud anathema, quod velut magnum chaos interjacens, à vidit à populo spiritu pauperc, in sensu paternæ fidei & sententia quiescente, inquietos ac superbissimos præsumptores, qui sibi tantùm videntur abundare sapientiâ, ut ablactati super Matrem suam, Ecclesiæ instituta contemnant.*

Probatur tertiò ex *Sancto Gregorio Magno*, qui, ad *Constantium* Mediolanensem Episcopum scribens, de *Laurentio* ejus Decessore, ait quòd ab unitate Ecclesiæ præcisus fuisset, si Tria Capitula se minimè damnasse jurasset. *Cives Brixiæ*, inquit, *vobis mandant, ut eis Epistolam transmittatis, in quâ jurare debeatis vos Tria Capitula minimè damnasse: quod si Decessor Fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, à vobis quæri non debet: Si autem fecit, aut cum universali Ecclesia non fuit, aut cautionis suæ juramenta transcendit. Sed quia eumdem virum suâ credimus sacramenta servasse, atque in unitate Catholicæ Ecclesiæ permansisse, dubium non est, quod nulli Episcoporum suorum juraverit se Tria Capitula minimè damnasse.* Anathemati itaque obnoxii erant, qui Tria Capitula se minimè damnasse, aut damnare nolle profitebantur, quamvis impia dogmata non propugnarent, sed illa in dictis Capitulis negarent contineri: & qui illa damnare recusabant, quod eâ damnatione vulnus infligi Concilio Chalcedonensi arbitrarentur. Ita erant animo comparati Episcopus & cives Brixienses, qui juramentum à *Constantio* Mediolanensi exigebant. Unde Sanctus Gregorius ipsi non jubet ut ad illos scribat, se non posse Nestoriana dogmata non damnare; sed ut eorum offensioni medeatur, contestando se nihil de fide Synodi Chalcedonensis, aut de reverentiâ ipsi debitâ imminuere. *Sed ne ii, qui nobis ista scripserunt, scandalizari videantur*, inquit, *transmittat eis Epistolam, in quâ sub anathematis interpositione fateamini, neque vos aliquid de Fide Chalcedonensis Synodi imminuere, neque eos qui imminuunt, recipere: & quoscunque damnavit, damnare, & quoscumque absolvit, absolvere. Unde credo eis posse felicissime satisfieri.*

Probatur quartò, ex *Diurno Romanorum Pontificum*, Tit. VI. ubi Episcopus in Promissione seu Professione Fidei coram Summo Pontifice factâ, postquam fidem quatuor Synodorum Oecumenicarum se integram servaturum promisit, hæc addit: *Eos autem, quicumque ab iisdem Sanctis Patribus in memoratis quatuor Synodis, vel Quinta sub piæ memoriæ Justiniano confectâ, diversis vicibus damnati leguntur, ego, mecque Ecclesia, eorumdem venerandam Patrum auctoritatem sequentes, insolubili damnatione percellimus.* Istam Fidei Professionem ad annum Christi sexcentesimum octogesimum quintum referendam probat *P. Garnerius*. Hinc perspicuum est, Ecclesiam eo tempore exegisse ab Episcopis damnationem Trium Capitulorum. Igitur Anathematismi Quintæ Synodi ferire videntur & Catholicos Trium Capitulorum Defensores.

Probatur tertia pars. Temerarii essent, qui Ecclesiæ Judicio in Synodo Oecumenica lato, à Romanis Pontificibus confirmato, & omnium deinde Ecclesiarum consensu recepto refragarentur: Periculum verò incurrerent anathematis, qui scripta ab Ecclesia damnata, vel notatos Auctores, quorum Defensoribus pœna anathematis inflicta est ab Ecclesia, defenderent: Sed qui pro Tribus Capitulis, aut aliquo illorum Apologias scriberent, Synodi Oecumenicæ Judicio, à Romanis Pontificibus confirmato, & totius Ecclesiæ consensu recepto, refragarentur; & defenderent Scripta, vel Auctores, quorum Defensoribus irrogata est anathematis pœna. Temeritatis igitur notam incurrerent, & anathematis periculum subirent.

Præterea, *Sanctus Gregorius Magnus* anathemati obnoxios agnoscit, qui præsumunt absolvere, id est, excusare personas, quas Oecumenica quinque Concilia damnarunt: & Quintam Synodum, quoad Judicium de Tribus Capitulis latum, se recipere, post quatuor priores Synodos Generales, pari veneratione, profitetur. *Quintum quoque Concilium pariter veneror*, inquit, *in quo Epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: In quo Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur: & in quo Scripta quoque Theodoreti, per quæ Beati Cyrilli Fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector. Quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, Anathema sit.* Quæ Professio exigebatur dubio procul à Schismaticis

Schismaticis omnibus qui ad Ecclesiæ unitatem redibant. Quam etiam omnes Patriarchæ & Episcopi recèns creati emittebant. Habetur *lib. 5. Epistolâ 24. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, Eulogium Alexandrinum, & alios Patriarchas data.*

Tertiò, non aliter recipi solitos à *Sancto Gregorio*, quorum fides suspecta erat, quam ubi Quintæ Synodi Judicium de Tribus Capitulis se recipere professi essent, constat ex illius Epistola ad *Anastasium Presbyterum*, quem post Fidei Professionem, à suspicione hæreseos absolvit. *Fidem tuam exponens*, inquit, *omnes generaliter hæreses, vel quicquid adversùs Catholicæ Fidei, vel Professionis integritatem est, apertissimè condemnasti; & cuncta quæ Sancta quatuor universales Synodi recipiunt, te semper recepisse, ac recipere; & quæ condemnant, condemnasse, condemnaréque professus es. Eam quoque Synodum, quæ Justiniani Imperatoris temporibus de Tribus Capitulis facta est, & suscipere, & custodire promisisti.*

Objicies in secundam partem Propositionis: Episcopi, qui Synodo Quintæ interfuerant, & Tria Capitula damnaverant, autQuintæ Synodi adversùs illa receperant Judicium, invitabant illorum Defensores ad Communionem secum servandam, & cum illis, quantùm in ipsis erat, communicabant, etsi prædicta Capitula damnare nollent. Igitur anathema latum in V. Synodo non ferit Catholicos Trium Capitulorum Defensores.

Probatur Antecedens testimonio *Facundi Hermianensis*, lib. 2. cap. 3. *Considera, quæso*, inquit, *cujus levitatis, cujus confusionis est atque dedecoris, ut nos sibi communicare compellant, permanentes in eâ sententiâ, quâ non solùm ei* (Epistolæ Ibæ) *anathema non dicimus, sed etiam negamus esse dicendum.*

Præterea, Hispani & Gallicani plerique Episcopi, Sedis Apostolicæ, & omnium Ecclesiarum communione fruebantur, quamvis Tria Capitula non damnarent. Itaque Catholici Trium Capitulorum Defensores non erant obnoxii anathemati lato in V. Synodo.

Tertiò. *Sanctus Gregorius Magnus*, cùm à *Constantio* Mediolanensi Episcopo intellexisset *Theodelindam* Longobardorum Reginam Literis suis, in quibus Quintæ Synodi honorificè meminerat, offendi posse, & propterea *Constantium* has literas ejus non reddidisse Majestati, laudavit Episcopi prudentiam, & alias ad eandem Reginam Literas dedit, in quibus nullâ Quintæ Synodi factâ mentione, Quatuor Synodos Oecumenicas se recipere professus est: anathema dicens illi, qui illatum, & maximè Chalcedonensis, Fidei addere, vel demere præsumeret. His autem verbis laudavit prudens *Constantii* consilium: *Quod autem scripsistis*, inquit, *quia Epistolam meam Reginæ Theodelindæ transmittere minimè voluistis, pro eo quòd in ea Quinta Synodus nominabatur; si eam exinde scandalizari posse credidistis, rectè factum est ut minimè transmitteretis. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodò laudaremus.* Itaque *Sanctus Gregorius* non putavit Catholicos Trium Capitulorum Defensores obnoxios esse anathemati lato in V. Synodo.

Respondeo ad primam objectionem, distinguo Antecedens: Eos invitabant ad Communionem servandam, & ad deponendum errorem quo Tria Capitula defendebant, concedo: & illis permittebant Trium Capitulorum defensionem, & impugnationem Quintæ Synodi, nego. Et cùm illis, quantùm in se erat, communicabant, œconomiâ & dispensatione usi, concedo: Summo jure servato, nego. Itaque cùm Romani Pontifices, cæterique cùm Orientis, tum Occidentis Episcopi, Schisma jam factum viderint à pertinacissimis Trium Capitulorum Defensoribus; eos ut ad Ecclesiæ unitatem revocarent, dispensatione usi sunt, & de Canonum rigore ac disciplinæ severitate aliquid remiserunt, anathema latum à Quinta Synodo, ad tempus suspendentes, ut bonum Ecclesiasticæ pacis curaretur. Sicut ergo Vigilius Papa Tria Capitula damnaverat in Judicato ad Mennam κατ' οἰκονομίαν, sive secundùm dispensationem canonicam, (ut ipse testatur in Encyclica adversùs *Theodorum Cæsareensem*) ad pacem cum Orientalibus retinendam: *Pro scandalo refrænando*, inquit, *condescendentes quorundam animis, quos aliquâ dispensatione credidimus temperandos, quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda, &c.* Sicut, inquam,

B Tria Capitula Papa *Vigilius* damnavit primùm, secundùm dispensationem, ne Schisma in Orientali Ecclesia oriretur, deinde priorem sententiam retractavit in Constituto, ut præsentius Schismatis periculum ab Ecclesia Occidentali averteret; ac tandem summo jure agens, Tria Capitula peremptorio Judicio damnavit, & Quintam Synodum confirmavit: Ita cum ipse, cum ejus Successores, cæterique ad eorum exemplum Episcopi, dispensatione usi sunt in executione Sententiæ latæ à Quinta Synodo in Trium Capitulorum Defensores. Eos enim qui illa damnare recusabant, modò non vituperarent Ecclesiam, quæ illa damnaverat, nec eam errasse diceren, aut turbas excitarent, Communione sua si-

C nebant, sperantes eos ad Ecclesiæ sententiam citò accessuros, cùm illis ostensum fuisset, Synodo Chalcedonensi nullum vulnus à Quinta Synodo illatum fuisse. Sed dispensationis elapso tempore, cùm pauci superessent dictorum Capitulorum Defensores, summo jure cum ipsis egere, nec priùs ipsos receperunt ad Communionem, quàm professi fuissent se Quintam Synodum pari cum aliis quatuor Oecumenicis veneratione suscipere, ut *Sancti Gregorii* luculentissimo testimonio probavimus. Scilicet prudentissimi Pontifices regulam *Sancti Augustini*, de non infligendo anathemate *ubi Schismatis periculum est*, ob-

D servandam judicabant. Unde statim post Quintam Synodum hortabantur Trium Capitulorum Defensores, ne à Communione discederent, & eos dispensatoriè tolerabant, qui servatâ unitate, Quintam Synodum nondum recipiebant. Id tamen non probat quòd Anathema latum à Quinta Synodo eos Catholicos non feriret, qui invictâ pertinaciâ Quintam Synodum, & Judicium illius de Tribus Capitulis impugnabat. Quod apprimè vidit *Facundus*, qui post verba in Objectione laudata, subdit: *Si communicemus eis, qui nobis jam dixerunt anathema, non solùm condemnationi Synodi Chalcedonensis communicabimus, verùm & Sententias in nos eorum, ipsâ eorum com-*

E *municatione firmabimus.*

Ad secundam Objectionem respondeo, Sedem Apostolicam eadem dispensatione usam esse erga Hispanos, & Gallicanos pleròsque Episcopos, tantò æquiùs, quòd nullas ipsi turbas excitabant, nec Synodum Quintam, & Ecclesias ipsam recipientes, & Tria proscribentes Capitula damnabant, sed modestè dissentiebant, foventes Communionem cum aliis Ecclesiis.

Ad tertiam Objectionem respondeo; S. Gregorium eamdem erga *Theodelindam* adhibuisse dispen-

F sationem, quò faciliùs ipsam doceret, adduceretque ad Trium Capitulorum damnationem, & ad susceptionem Quintæ Synodi. Quod tandem fœliciter effecit, ut colligitur ex Epistola 7. libri XII. quâ testatur *Theodelindam* ad se transmisisse Objectiones *Secundini Abbatis* contra laudatam Synodum, & contra Judicium latum in Tria Capitula, ut illas dilueret. Quod ob gravissimos podagræ dolores præstare tam citò non potuit Sanctissimus Pontifex, sed Acta Quintæ Synodi transmisit, cum *Secundino* communicanda, qui ex eorum lectione disceret, hanc Synodum Chalcedonensi non esse contrariam, & Tria Capitula justè damnasse. *Eam tamen Synodum*, inquit, *quæ*

quæ pia memoria Justiniani tempore facta est, per latores præsentium transmisi, ut prædictus filius noster dilectissimus ipsam legem agnoscat, quia falsa sunt omnia, quæ contra Sedem Apostolicam, vel Catholicam Ecclesiam audierat. Absit enim nos cujuslibet sensum Hæretici recipere, vel à Tomo Sanctæ memoriæ Leonis Prædecessoris nostri in aliquo deviare; sed quæcumque à Sanctis quatuor Synodis sunt definita, recipimus; & quæcumque reprobata sunt, condemnamus.

Objicies in tertiam partem, Ecclesiæ Judicium non esse indeficiens, cùm propositiones & doctrinam alicujus Auctoris, post illius mortem, sub ejus nomine & in ejus sensu condemnat, nisi Propositiones tales sint, quæ rectum sensum nullatenus admittant. Nam certò assequi mentem Auctoris, cujus Scripta recto & pravo sensui obnoxia sunt, difficillimum est, ne dicam impossibile, secundùm regulam à Sancto Augustino traditam in libro *De Utilitate credendi* cap. 5. *Quibus argumentis mortui hominis voluntatem ita intelligam, ut de illâ jurare possim?* Non essent igitur temerarii, neque periculum anathematis incurrerent, qui pro Tribus Capitulis, aut aliquo ex illis Apologias scriberent.

Indeficiens est Ecclesiæ judicium in factis doctrinalibus, in quibus cognitio causæ ex Auctorum scriptis instruitur.

Respondeo, distinguo antecedens: Si nulla istius Auctoris Scripta supersint, concedo; Si supersint aliqua, in quibus hujusmodi propositiones asseruerit ac propugnaverit, nego. Tunc enim Ecclesia Spiritu veritatis illustrata, sensum illarum Propositionum, facto diligenti examine ex antecedentibus & consequentibus, & ex totius Operis ingenio, certò assequitur, deque eo judicat. In hujusmodi autem Judicio Ecclesiam errare non posse, persuasum habuere Veteres. *Maximus* Aquileiensis Episcopus, in Synodo Lateranensi sub *Martino I.* adversùs Monothelitarum Principes sic interloquitur, Secretario I. *Si placet vestræ Beatitudini, convenienter de his quæ proponuntur, cognoscamus per conscripta eorum adversùs fidem exposita, & quæ sine accusantis persona redarguere apertissimè demonstrantur. Propterea enim accusatio extranea superflua esse dignoscitur, quoniam à suis temerariis conscriptis apertiùs accusantur, quibus omnem Mundum conturbasse noscuntur. Ita namque Dominus ait: Ex ore tuo judicabo te. Et, Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Contra Theodorum, & Origenem in Sancta Quinta Synodo accusator quidem nullus, sed tantummodò eorum conscripta ad accusationem ipsorum & reprehensionem sufficisse noscuntur.*

Ejusdem verò Synodi Canon XVIII. damnat eos, qui non respuunt & anathematizant animo & ore omnes Hæreticos, quos respuit & anathematizat Ecclesia, & nominatim Sanctæ Synodi universales quinque, cum omnibus eorum impiis scriptis, usque ad unum apicem. Septemdecim priores Canones de fide Synodus illa celebertima & ad Oecumenicas proximè accedens, edidit; decimum octavum istum statuit de personis & libris ab Ecclesia damnatis. *Si quis*, inquit, *secundùm Sanctos Patres, consonanter nobis pariterque fide non respuit & anathematizat animo & ore omnes, quos respuit & anathematizat nefandissimos Hæreticos, cum omnibus impiis eorum conscriptis, usque ad unum apicem, Sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica, hoc est, Sancta & universales quinque Synodi, & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres, id est, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apolinarem, Polemonem, Eutychem, Dioscorum, Timotheum Ælurum, Severum, Theodosium, Colluthum, Themistium, Paulum Samosatenum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum Persam, Origenem, Didymum, Evagrium, & compendiosè omnes reliquos Hæreticos, qui à Catholicâ Ecclesiâ reprobati atque abjecti sunt, &c. Talis condemnatus sit.* Ex scriptis itaque judicium de personis ferri posse, & sic institutum Ecclesiæ Judicium indeficiens esse, *Martinus I.* & centum quinque Lateranensis Concilii Patres existimarunt & statuerunt.

Et duobus antè sæculis, *Theodoretus* sententiam in se latam in Latrocinio Ephesino, velut in hominem Nestorianum, rescindi à *S. Leone* postulans, Judicium de fide suâ ex libris & Commentariis à se scriptis institui rogat. *Sunt mihi* (inquit, Epistola 113. ad S. Leonem) *quæ partim ante annos viginti, partim ante octodecim, partim ante quindecim, partim ante duodecim scripsi, quædam contra Arianos & Eunomianos, quædam contra Judæos & Gentiles, quædam contra Magos, alia de universali Providentiâ, & alia rursus de Theologiâ, deque divinâ Incarnatione. Exposita etiam sunt a me, per divinam gratiam, tum Apostolica Scripta, tum Prophetica Oracula. Et facile est ex his cognoscere, an stabilem Fidei Regulam servarim, an ab ejus rectitudine deflexerim?* Et Epistola 116. *Et rogamus*, inquit, *ne Judicium ex scriptis constituatur, Libros enim scripsi ampliùs triginta adversùs Arium & Eunomium, adversùs Macedonium, adversùs Gentiles, adversùs Judæos: interpretatus sum quoque divinam Scripturam, & facile est, si quis velit deprehendere me per Apostolica vestigia incessisse, unum prædicando Filium, &c.*

Objicies. Ecclesiæ Judicium in meri facti quæstionibus non est indeficiens. At quæstio de Tribus Capitulis erat meri facti, & nullatenus cum dogmate connexi. In illius ergo Judicio errare poterat Ecclesia. Itaque periculum anathematis non incurreret, qui pro Tribus Capitulis, aut aliquo ex illis scriberet Apologiam.

Probatur Minor, ex *Pelagio I.* in Epistola ad *Childebertum* Regem Francorum scribente, tunc Capitula quædam in Oriente *extra Fidem* agitata fuisse: ex *Sancto Gregorio, lib. 2. Epistola 26. ad Istria Episcopos*, asserente, in eâ Synodo *De quibusdam solummodo personis actitatum*, vel, ut *Pelagii II.* verbis utar, *Nihil aliud nisi de personis* actum: & ex ipso *Vigilio*, in Epistola confirmatoria Quintæ Synodi, dicente: Humani generis hostem effecisse, ut divideretur à Fratribus Tria damnantibus Capitula, cum quibus ejusdem erat Fidei. *Ita ut nosmetipsi*, inquit, *qui ejusdem cum illis eramus & sumus de Fide sententiæ, insuperhabitâ dilectione fraternâ, in discordiam abiremus.* Libera fuit igitur, estque etiamnum in hac quæstione censendi facultas, absque ullâ Christianæ Religionis injuriâ.

Respondeo, distinguo Majorem: Si causæ cognitio instruatur ex hominum testimoniis, & Instrumentis, criminis vel innocentiæ probationem continentibus, concedo: Tunc enim testes fallere possunt, & nova postea proferri instrumenta, quibus probetur crimen antea non plenè probatum, aut innocentia vindicetur. In privatis hujusmodi negotiis facta personalia & criminalia spectantibus, ipsa Plenaria Concilia priora possunt à posterioribus emendari, *cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*, ut ait *Sanctus Augustinus, lib. 2. de Baptismo, cap. 3.* Si de facto doctrinali quæstio sit, & cognitio causæ instruatur ex libris Auctoris, qui erroris accusatur, nego. Ecclesiæ enimverò cùm sanam doctrinam ab hæreticâ Judicio suo discernere datum sit à Christo, & quælibet doctrina libris aliquibus contineatur, operæ pretium erat ut Ecclesia in Judicio, quod de libris, in quibus de Fidei & Moralis Christianæ quæstionibus agitur, tulerit, deficere non posset. Ut enim Pastorem, qui noxia pascua discernere certò non queat semper à salubribus, sed in eorum delectu errare possit, nemo dixerit idoneum esse qui oves pascat: Ut Medicum, qui venena distinguere certò semper non possit ab antidotis, sed in eorum cognitione fallatur, nemo dixerit curandis ægrotis adhibendum esse, nemo prudens elegerit: Ut Ducem, cui interdum ita caligent

caligent oculi, ne Reipublicæ milites ab hostibus distinguere non valeat, nemo ad regendum exercitum aptum judicaverit: Ita si Ecclesia Christi ovibus pascendis, sanæ fidei conservandæ, Christiano populo regendo præfecta, in Censura & damnatione librorum falli posset, nec Spiritus Sancti lumine ad eorum pravum sensum erroresque cognoscendos illustraretur, à Christo Sponso iis omnibus instructa dotibus & aucta privilegiis non videretur, quæ ad pascendos, sanandos, regendósque Fideles necessariæ sunt.

Etsi verò meram facti quæstionem fuisse demus, quæ de Tribus Capitulis disceptata est, non sequitur liberam fuisse & etiamnum esse cuivis de illis censendi facultatem, absque Ecclesiæ injuria: Quia violatæ reverentiæ & obedientiæ, quam debet Ecclesiæ Matri, reus est, qui in ejus Judicio non acquiescit, illámque se perspicaciorem in hujusmodi factorum cognitione non arbitratur. Proinde periculum anathematis incurrit, quòd non in hæreticos tantùm, sed etiam in procaces & contumaces filios, & reverentiam atque observantiam Matri debitam non exhibentes, ab Ecclesia latum est.

Objicies, *Theodorum* Africanum Episcopum, Trium Capitulorum acerrimum defensorem, qui propterea diu à *Justiniano* Imperatore in exilio detentus est, cùm Constantinopoli anno quingentesimo sexagesimo quinto obiisset, annis post Synodum Quintam duodecim, honorificè sepultum fuisse in Ecclesia juxta Sanctos Confessores, quibus linguæ abscissæ fuerant *Hunnerici* Vvandalorum Regis mandato, ob confessam & propugnatam Filii Dei divinitatem, teste Victore Tunonensi *in Chronico*. Igitur anathemate confixi non erant Trium Capitulorum Defensores.


Respondeo, nego consequens. Sed Ecclesia summâ œconomiâ his temporibus utebatur, quibus nondum omnium Ecclesiarum Occidentis Antistites Quintam Synodum pro Oecumenica habebant, & piâ dispensatione, communionis suæ sinu fovebat eos, qui citra Schisma, Tria Capitula propugnabant, patientiâ suâ sperans hoc malum sanatum iri. Verisimile autem est *Theodorum* Africanum Episcopum Schismaticis non adhæsisse; sed quamvis in defensione Trium Capitulorum pertinacem, vixisse & obiisse in Communione Ecclesiæ, licet id sileat Victor Tunonensis. At postquam Synodus Quinta ab Ecclesiis omnibus summo consensu ut Oecumenica suscepta est, anathematis periculum incurrerent, qui Tria Capitula, aut aliquod ex illis, ab errore vindicarent, & pro iis Apologias scriberent.

Objicies ultimò, Viros doctrinâ & pietate insignes edidisse Apologias pro *Origene*, pro *Theodoreto*, pro *Abbate Joachimo*, *&c.* & libros eorum, quamvis ab Ecclesia in Conciliis Oecumenicis damnatos, ab erroribus, quos in ipsis damnavit, immunes probasse. Istósne verò temerarios vocabimus, & anathematis periculum subiisse dicemus?

Respondeo, Temeritatis esse hujusmodi Apologistas, quicumque sint, cùm Ecclesiæ Judicium, ut par est, non revereantur, seque Synodis, Pontificibus, & Patribus perspicaciores putent. Ægrè hanc notam Viris Eruditis inuro; sed cogit amor veritatis & Ecclesiæ, quibus nullum hominum usquam anteponam. Sanè si hâc defendendi Auctores, quorum damnata doctrina est, libertate impunè fruantur Literati; & Nestorium, & Eutychetem defendere licebit: Quod ausus est *Lutherus*, teste *Jansenio*, in *Spongia* Quod etiam tam infelici, quàm impio conatu tentavit quidam Calvini catulus nostrâ ætate. Quidni & *Lutherus*, & *Calvinus*, audaces æquè Patronos, si id liceat, obtinebunt? Quos Auctores non licuit olim defendere, cur liceat modò, cùm nihil præscribere possit veritati, non spatia temporum, non intervalla regionum, non patrocinia personarum? Post Quintam Synodum compellebantur Episcopi ad subscribendum Trium Capitulorum damnationi (licet erga Hispanos, & Gallos plerósque, œconomiâ uterentur Summi Pontifices, nec ipsos adeo urgerent.) *Datâ Formulâ subscribendi, quam non liceret excedere, passim & ubicumque reperti, ad augendum numerum, alieno Decreto subscribere compelluntur Episcopi; quod per diversas circumlatum Provincias, omnium Sacerdotum videretur subscriptione firmari* (inquit *Facundus Hermianensis, lib. 2. cap. 3.*) Et modò impunè pro illis Capitulis, vel aliquô illorum, Apologiæ scribentur? Quasi antiquitas, quæ majorem Synodis Oecumenicis & Pontificum Decretis conciliare venerationem debet, efficiat ut non solùm negligi, sed impugnari jure possint. De similibus Quæstionibus quæ circa facta versantur, idem esto judicium. Relegatur Dissertatio nostra XIV. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi Quinti.

Temeritatis notam incurrunt Apologistæ Auctorum, quorum errores damnavit Ecclesia.





PANOPLIA
ADVERSUS HÆRESES
SEXTI SÆCULI.

DISSERTATIO VI.

Adversus Aphthartodocetas; quâ probatur Christi Corpus ante Resurrectionem corruptibile fuisse.



Anc hæresim refellunt omnia Scripturæ Sacræ testimonia, quæ Christum esurisse, defatigatum, passum, & mortuum probant. Ipsam refellunt & SS. Patres. *Justinus Martyr*, Oratione contra Gentes. *Cùm formasset Deus hominem à principio*, inquit, *fecit, ut quæ naturâ erant, ex voluntate ejus penderent; fecitque unô mandatô experimentum. Fecit enim ut si hoc servasset, vitam immortalem sortiretur; si non servasset, contrariam. Sic factus homo, cùm ad violationem mandati statim respiceret, corruptionem naturaliter admisit: corruptione autem ad naturam accedente, necesse erat ut qui salvare volebat, ipsam substantiam corrumpentem deleret. Hoc autem aliter fieri non poterat, nisi quæ erat secundùm naturam vita, copularetur cum eo quod corruptionem cepisset, & corruptionem deleret; immortale verò in posterum servaret, quod corruptum fuerat. Idcirco opus fuit ut Verbum in corpore esset, ut à morte naturalis corruptionis nos liberaret. Si ergo, ut dicitis, solo nutu mortem à nobis avertit, & non accessit quidem ad eum propter voluntatem mors, nihilominus rursus corruptibiles sumus, naturalem in nobis ipsis corruptionem circumferentes.*

Sanctus Athanasius, lib. de Incarnatione: *Corpus Christi communem habens cum cæteris substantiam: quippe corpus erat humanum; tametsi novô & inusitatô miraculô ex solâ Virgine conflatum: nihilominus mortale cùm esset, itidem ut alia similia mortem obiit.* Ibidem: *Patiens quidem corpus propter naturam corporum, mortuum est: habebat autem fidem incorruptibilitatis ex Verbo habitante in eo. Non enim mortuô corpore immoriebatur Verbum, sed erat ipsum incorruptibile. Imò quia erat in corpore, prohibebat illud à corruptione:* Prout scilicet corruptio ultima est, in ea, ex quibus constat, resolutio corporis ac dissipatio.

S. Basilius Oratione De gratiarum actione. *Sicut igitur suscepit Dominus famem solidô cibô exhalatô, & sitim admisit, humore corporis consumptô, & defatigatus est, musculis & nervis ex itinere nimiùm extensis, non divinitate labore domitâ, sed corpore, quæ* A *ex naturâ sequuntur, recipiente; sic & lachrymas admisit, permittens ut fierent, quod naturâ accidit carni.*

Et in Epistola ad Sozopolitanos. *Proprium quidem carnis est secari, & extenuari, & dissolvi; rursus carnis animatæ defatigari, & dolere, & fame, siti ac somno vinci: animæ verò corpore utentis, tristitia, & angores, & cura, &c. Horum alia quidem sunt naturalia & necessaria animali, alia verò ex pravâ voluntate, propter difficilem vitæ institutionem, & animum ad virtutem inexercitatum, introducta. Unde apparet quòd Dominus naturales quidem passiones suscepit, ad confirmationem veræ incarnationis, & non falsò apparentis; passiones verò vitiosas, quæcumque* B *quod purum est vitâ nostrâ inquinant, tanquam purâ divinitate indignas rejecit.*

S. Gregorius Nyssenus, lib. contra Eunomium. *Sic vera vita, quæ in carne posita erat, cùm post passionem ad se rediisset caro, quæ circum ipsam erat, simul ab immortalitate divina elevata est, à corruptione ad incorruptibile erecta.*

S. Joannes Chrysostomus, Homilia 86. in Joannem. *Sicut igitur cùm contemplamur ambulantem super undas ante crucem, non dicimus ex alia naturâ fuisse corpus illud, quàm nostra est: Sic post Resurrectionem, cùm* C *videmus habere eum signa clavorum, non dicemus esse jam corruptibile: Propter Discipulum enim hæc ostendit.*

S. Gregorius Nazianzenus, Oratione in Sancta Lumina. *Quia ferre divinitatem ejus puram, non erat naturæ ortum & interitum capientis, idcirco quæ à mixtione aliena erant, miscentur; non solùm cum ortu Deus, cum carne mens divina; cum tempore, quod sine tempore est; cum mansione, quòd à circumscriptione vacat; sed etiam cum virginitate, procreatio; cum passione, impassibile, cum corruptibili, immortale.*

S. Ambrosius, in lib. De Fide, ad Gratianum, *Alia est carnis infirmitas, & aliud quod est divinitatis proprium: ac carnis quidem mors, potentia verò immorta-* D *litas. Si autem hoc fecit divinitas, ut caro non videret corruptionem, subjecta scilicet corruptioni secundùm naturam; quomodo poterat ipsa divinitas mori?*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, in Epistola ad Successum: *Post Resurrectionem verò erat quidem ipsum illud corpus, quod passum erat, sed non jam humanas infirmitates in se habebat. Non enim jam ampliùs famem, aut lassitudinem, aut aliquid hujusmodi sentire poterat; quin potiùs incorruptibile deinceps erat, neque solùm hoc, sed vivificum: Corpus enim Vitæ est, id est, Unigeniti.*

His Patrum testimoniis Aphthartodocetas refellit *Leontius Byzantinus*, *lib. 2. contra Nestorium & Eutychem*. His addendi sunt, *S. Augustinus*, qui *lib. 2. de Peccatorum Meritis*, *c. 29.* docet, Christum ad mortem senescendo venturum fuisse, nisi mori antè voluisset. *Sed quia in eo erat similitudo carnis peccati*, inquit, *mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsâ exorsus infantiâ: ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus. Quæ tamen mors in carne peccati inobedientia debita redditur; in similitudine autem carnis peccati, obedientiæ voluntate suscepta est.*

S. Leo, Sermone 1. de Nativitate Domini. *Salvâ igitur proprietate utriusque substantiæ, & in unam coëunte personam, suscipitur à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili.*

S. Anastasius Sinaïta, qui *Justiniano* Imperatori errorem de Corporis Christi, ante Resurrectionem, incorruptibilitate propugnanti, missâ ad ipsum Relatione, palam contradixit, & manifestissimè simul ac dissertissimè in eadem Relatione ei demonstravit, *Corpus Domini in perpessionibus naturalibus & quæ in reprehensionem non cadunt, corruptioni obnoxium fuisse, atque ita divinos Apostolos & SS. Patres sensisse, & posteris tradidisse.* Ita refert *Evagrius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ c. 40.* Legatur alterius *Anastasii* ὁδηγὸς seu *Via Dux*, Cap. *De Corruptibili*.

S. Fulgentius, in Epistola ad *Reginam*, qui super hac quæstione ipsum interrogaverat, *Utrum caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis fuerit?* Ubi distinxit duplicem corruptionem, unam quæ in solâ culpâ, alteram quæ in pœnâ consistit: & hanc rursus posteriorem partitus est in eam quæ pœna peccati simul est & peccatum, vel ad peccatum augendum pertinet: & eam quæ nec animam, nec corpus fidelis hominis polluit, sed affligit; quia nec ad inquinandum hominem, sed ad humiliandum militat peccatorem: Ubi, inquam, hanc divisionem præmisit, ita Quæstionem solvit. *Facillime invenimus quam partem corruptionis susceperit Christus in corpore. Nam quamvis carnem pro nobis susceperit, tamen accepit immunem ab omni peccato originali & actuali. Ipsam tamen carnem non solùm infirmam, sed etiam veraciter cognoscitur accepisse mortalem. Proculdubio in quantum corpori ejus inerat suscepta mortalitas, in tantùm ei potuit inesse corruptionis infirmitas. Ad talem corruptionem pertinet fames & sitis: facilè siquidem esuriendo & sitiendo corpus mortale corrumpitur; quando per hæc etiam ad ipsius mortis exitum pervenitur. Per quam mortem venitur ad corruptionem, dum deserente animâ, in tantum corpus corrumpitur, ut in putredinem ac pulverem redigatur. Hanc corruptionem caro Christi non vidit, quæ die tertiâ resurrexit: Famem tamen, sitim, fatigationem corporis ac dolorem veraciter sensit.* Id ubi probavit ex Scripturâ Sacrâ, sic colligit:

Restat itaque, ut & Christum fuisse in aliquâ corruptione ad quam non rediit, & non fuisse in eâ quam non vidit, per Sacram Scripturam dictamus. Ad corruptionem pertinet corporis animalis, & mors quæ præcedit putredinem, & putredo quæ sequitur mortem. Proinde Christi corpus, quod est verè mortuum, & die tertio sine aliquâ putredine, suscitatum, unam partem corruptionis vidisse, aliam non vidisse dicendum est. Fuit quippe in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis.... Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit his omnibus, in quibus nostra seminationis ac resurrectionis certissimam qualitatem verbis Apostolicis S. Augustinus » *ostendit*, dicens * *Constat itaque, neque ullo modo* » *dubitandum est, Corpus Christi, quod licet corruptio-* » *nem putredinis in sepulchrô non senserit, quia scriptum* » *est: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* » *clavis tamen & lanceâ corrumpi potuit, nunc omnino* » *in incorruptione persistere; & quod in contumeliâ pas-* » *sionis mortisque seminatum est, nunc esse in gloriâ vitæ* » *æternæ: Et quod ex infirmitate potuit crucifigi, nunc* » *in virtute regnare: & quod erat corpus animale, quo-* » *niam ex Adam sumptum est; nunc spirituale esse, quo-* » *niam spiritui nunc inseparabiliter copulatum est.*] *His* » *verbis Augustinus ostendit, quale corpus Christi post resurrectionem sit, & quale ante passionem fuerit. Evidenter confirmat corpus Christi omnino nunc in incorruptione persistere...1. Sed corpus non est omnino incorruptibile, quod dolorem potest per vulnera sentire. Quocirca apparet Christum ante passionem, imò usque ad passionem & mortem, mortale atque animale corpus habuisse, & pro nobis in eodem corpore veram famem, veram sitim, fatigationémque sensisse, vera clavorum ac lanceæ percepisse vulnera, & ex hoc verum dolorem, non necessitate, sed voluntate sensisse, veraque mortis acceptatione, pro nobis animam suam propriâ potestate posuisse.*

* Epist. 146. ad Consentium.

Objiciebant Hæretici: Aliud esse corruptibile esse corpus, aliud patibile. *Patiuntur enim in cruciatu* (apud inferos) *corpora peccatorum cum ipsis animis, non tamen patiendo mortem vel interitum capient.* Adeòque malè colligi aiebant, Christi corpus naturâ suâ corruptibile fuisse, quia pati potuit.

Respondet *Leontius*, libro supra laudato, Multùm differre perpessiones illas, quibus in hâc vitâ corpus afficitur, ab illis damnatorum cruciatibus. *Horum enim non est proprium naturam subjectam corrumpere. Si enim audacter dicendum est, conferunt etiam aliquid roboris & cruciatis ad permanendum, &c. Humana verò & naturales passiones carnis, quas Dominus suscepit, quodammodo erant naturâ aptæ ad debilitandam carnem, & defatigandum, ac dolore afficiendum, & demque ad dissolvendum; quod quidem in cruce factum esse cognovimus. Dissolutionem vero, quantum in naturâ est, corruptio sequitur.*

Objiciebant præterea: Christi corpus ei simile fuisse quod Adamus habuit ante peccatum; eò quòd novus Adam appellatus est. Incorruptibilis autem erat Protoplastus, antequam peccaret. Incorruptibile igitur etiam fuit corpus Domini: Siquidem sine peccato perseveravit semper.

Respondet *Leontius*, primò, negando quòd corpus Adami fuerit incorruptibile, aut immortale: alioqui ligno vitæ illi non fuisset opus. Secundò, negat Filium Dei ejusmodi carnem assumpsisse, qualem habuit Adam ante peccatum; sed talem sibi copulavisse contendit, qualem habuit Adam post peccatum damnatus, & qualem nos habemus ex eadem massâ procreati, exceptâ tamen concupiscentiæ labe. *Non enim propter illum tantùm venit, sed propter nos etiam. Cùm enim communis esset morbus, valde absurdum & à ratione alienum erat, unius quidem esse similem, cæterorum verò omnium dissimilem; qui quidem ad rationem medicinæ faciendæ eadem similitudine indigebant.*

Objiciebant illud Psalmistæ oraculum * de Christo: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

* Psalm. 15.

Respondet *S. Joannes Damascenus*, ab *Euthymio* laudatus *in Panoplia*, Tit. XVI. *Corruptionis nomen duplicem habere significationem. Significat enim humanas affectiones, famem, sitim, laborem, clavorum ictus, mortem, seu animæ à corpore sejunctionem, & alia ejusdem generis. Quâ quidem significatione corpus Domini dicimus corruptibile. Hæc enim omnia sponte suscepit. Significat etiam corruptio perfectam corporis in elementa, ex quibus compositum est, dissolutionem & interitum. Hanc Domini corpus non est expertum, ut ait Propheta David: Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Hæc etiam distinctio apud Leontium legitur, lib. de Sectis, Actione X.

DISSERTATIO

DISSERTATIO VII.

Contra Agnoetas.

HÆRESIS ista refellitur ex Evangelio *S. Joannis*, cap. 1. *Vidimus gloriam ejus*, inquit, *quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et ex Apostolo, *ad Colossenses* 2. ubi de Christo loquens, ait, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

II. Refellitur hæc hæresis testimoniis Patrum, scilicet *Origenis*, in Commentario ad cap. XXII. *S. Matthæi*, ad illa verba Christi, *Intellexistis hæc omnia?* Ad quæ istud adnotat. *Qui novit quæ sunt in cordibus hominum Christus Jesus: sicuti de hoc docuit in Evangelio Joannis, non ignarus interrogat: sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus quæ sunt hominis: quorum unum illud est, interrogare. Nec mirandum si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus moribus hominum sese accommodat, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo, percontetur: velut in hoc, Adam ubi es? Et, Ubi est Abel frater tuus?*

S. Augustini, lib. 2. *De Peccatorum Meritis*, cap. 29. dicentis: *Quàm planè ignorantiam nullò modò crediderim fuisse in Infante illo, in quô Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.*

Leporii in Libello Emendationis, qui Africanorum Antistitum, & inter eos *S. Augustini* subscriptione approbatus est. *Ut autem*, inquit, *& hinc nihil cuiquam in suspicione derelinquam, tunc dixi, immò ad objecta respondi, Dominum nostrum Jesum Christum secundùm hominem ignorare. Sed nunc non solùm dicere non præsumo, verùm etiam priorem anathematizo prolatam in hâc parte sententiam: quia dici non licet, etiam secundùm hominem ignorasse Dominum Prophetarum.*

Auctoris *Quæstionum ad Orthodoxos*, adscriptarum *Sancto Justino*, in Responsione ad *Quæstionem LVIII.*

Eulogii Alexandrini Patriarchæ, in libro adversùs *Agnoëtas*, apud *Photium*, in Bibliotheca *Cod.* 230. ubi ait; *Christum Jesum Dominum nostrum, neque secundùm humanitatem quidem, multò minus secundùm divinitatem, ignorasse sepulchrum Lazari, neque etiam illum ultimum diem. Neque enim humanitas Christi in unam inaccessibilis, & substantialis sapientiæ hypostasim admissa, quidquam velut rerum præsentium, ita futurarum poterit ignorare. Neque falsum esse potest quod dicit: Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. An ergo & Patri nihilum audentes ignorantiam adscribent?*

Eulogii Alexandrini librum contra *Agnoetas* laudat *S. Gregorius Magnus*, Epistola 42. libri VIII. ad eum datâ: *Quia*, inquit, *de doctrinâ vestrâ contra Hæreticos qui dicuntur Agnoëtæ, fuit valde quod admiraremur; quod autem displiceret, non fuit.*

Refelluntur denique hi Hæretici à *S. Joanne Damasceno* lib. 3. *De Fide Orthodoxa cap.* 22. ubi plenitudinem scientiæ in Christo ex unione hypostaticâ repetit. Nam de profectu illius in gratiâ & sapientiâ agens, scribit illos: *Qui in eâ progressum habuisse dicunt ipsum, tanquam ad illas aliqua facta sit accessio, non à primo existendi initiò unitionem carnis esse factam arbitrari; nec eamdem unitionem hypostaticam statuere. Sed vanissimo Nestorio potius auscultantes, hanc ipsam copulationem, solius habitudinis, ac meræ inhabitationis falsè esse fingere..... Nam si verè caro est conjuncta Deo Verbo, ab ipso extandi primordio; vel potius in ipso extitit, & hypostaticam cum illo identitatem habuit; quî fieri potuit ut non perfectè omni*

A *sapientiâ & gratiâ locupletata sit? Non ut ipsa gratiam participaret, neque ut ex gratiâ in communionem admitteretur eorum quæ ad Verbum pertinent: sed eâ potiùs ratione, quòd propter unitionem hypostaticam, humanis ac divinis omnibus unius Christi propriis factis (quandoquidem Deus & homo simul erat) illa ipsa caro gratiam & sapientiam, plenámque bonorum omnium copiam, in mundum, fontis instar, exundaverit.*

Objiciebant Agnoëtæ Christum ignorasse sepulchrum Lazari, de quo Sanctas Sorores interrogavit

B his verbis: *Ubi posuistis eum?* Ignorasse etiam extremi Judicii diem, de quò Discipulis ait: *De die* Joan. 11. 34
illâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, Matth. 13. 32
nisi solus Pater. Itaque Christus ut homo aliquid ignoravit.

Id etiam agnoverunt SS. Patres, *Athanasius*, ad finem libri ad Serapionem; *Basilius*, Epistola 391. ad Amphilochium; *Gregorius Nazianzenus* Oratione 36. *Cyrillus Alexandrinus*, *lib.* 22. *Thesauri*, & in Refutatione *Theodoreti*, ad Anathematismum IV.

Respondet *Eulogius* Alexandrinus, Christum interrogasse de sepulchro Lazari, non quòd ignoraret, sed ut præsentes Judæi scirent, eorúmque memoriam

C firmaret. Addit, quædam de Christo dicta κατ' οἰκονομίαν *secundùm figuram*; alia κατ' ἀλήθειαν *secundùm veritatem.* Figuratè dicitur *illum pro nobis peccatum & maledictum factum esse. Neque enim fuit quidquam horum. Sed veluti sibi caput vendicat ea quæ sunt reliqui corporis, ita Christus ea quæ corporis sunt sibi assignat. Secundùm rei veritatem autem dicitur homo factus, & esuriisse, & sitivisse, & hoc genus similia. Quòd si verò quis velit dicere eum figuratè & anaphoricè aliquid ignorare, eo quòd corpus non sit extra ignorantiam; aut humana vox, cujus ipse caput est, is non absurdè loquetur.*

Quod autem de extremo judicii die dixit Christus

D Illum nosse neminem, *Neque Angelos, neque Filium, nisi solum Patrem:* quidam ob eam rationem dictum existimant, ut Discipuli arbitrari quotidie ultimum diem imminere, semper vigilarent. *Sed nihil obstat*, inquit Eulogius, *quominus & hoc figuratè dictum interpretemur, quemadmodum & illud: Tu scis insipientiam meam. Sunt qui sentiant, illum dixisse quod ignoraret ultimum diem, ut humanæ naturæ signum proprium, quod illi inest, declararet, & ostenderet, non quod ipse ignoraret. Sed cùm, ut B. Cyrillus docet, subtili mentis conceptu, & animi imaginibus, per contemplationem, rem à re dividimus, tum videmus pro-*

E *prias naturæ utriusque, ut in se est, notas & proprietates. Aut, ut Gregorius Theologus tradit, quando natura ratione distinguuntur, etiam nomina naturarum simul dividuntur. Sed nudæ puræque humanitatis signum proprium est ignorantia. Hâc ratione erga Christi humanitatem, ut simplici & puræ humanitatis naturæ, consideratæ præcisè secundùm ea quæ à seipsâ habet, adscribi poterit ignorantia. Et hoc est quod Theologus explicavit, quando dixit: Scit quidem ut Deus, nescit verò ut homo.*

Addit *Eulogius*, Si qui ex Patribus ignorantiam

F in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt, id ut dogma non tradidisse, sed quadam veluti concessione, ut Arianorum insaniam reprimerent, qui omnia, quæ in Christo erant, humana, ad Unigeniti divinitatem transtulere, ut increatum Dei Verbum creaturam ostenderent. Dici etiam potest SS. Patres figuratè locutos esse, cùm ignorantiam Christo ut homini tribuerunt. Lege quæ diximus in Panoplia adversùs Hæreses Sæculi quarti, Dissertatione 39. in Responsione ad objectionem tertiam, quorum importunam repetitionem hîc vitamus.

Dices, Agnoëtis favere verba illa *S. Lucæ*, cap. 2. Evangelii: *Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud Deum, & apud homines.*

Respondeo

Respondeo primò, Profectum illum non esse intelligendum propriè, & secundùm rei veritatem, sed secundùm externam speciem, & ostensionem; quia pedetentim majoribus ac perfectioribus indiciis latentem in se gratiam, ac sapientiam prodebat. Ita explicat *S. Gregorius Nazianzenus*, *Oratione XX.* ubi de Christo loquens, ait: *Ille proficiebat, ut ætate, ita & sapientiâ & gratiâ, non quòd incrementum ista caperent: qui enim eò quod ab initio perfectum extitit, potest esse perfectius? sed quòd hæc paulatim aperirentur, ac sese proderent.*

Ita *S. Hieronymus* in hæc verba Jeremiæ 31. *Fœmina circumdabit virum*: quæ interpretatur de Christo, *Qui juxta incrementa quidem ætatis, per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientia & ætate: sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebitur.*

Ita *S. Cyrillus Alexandrinus*, lib. 3. adversùs Nestorium: *Credimus*, inquit, *ex ipso ventre uteróque Virginis Emmanuëlem ipsum, qui Deus erat, hominem prodiisse, plenum omnino sapientiâ, & gratiâ, quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur incrementum caperet ille, in quô sunt omnes thesauri sapientiæ, qui cœlestis gratiæ unà cum Deo Patre largitor est? Quomodo igitur profecisse dictus est? Nimirum, ut ego arbitror, quod Deus Verbum cum incremento, & ætate corporis sui, divinorum bonorum significationem commensus fuerit.* Eodem modo hunc in Christo sapientiæ & scientiæ progressum explicat *Venerabilis Beda*, Homilia in Dominicam 1. post Epiphaniam, cujus locus in Glossa Ordinariâ, & à Magistro Sententiarum in III. Dist. 13. *Gregorii Papæ* nomine laudatus est.

Ita *S. Bernardus*, Homilia 2. in illa verba Evangelii, *Missus est*: Quod, inquit, *de sapientiâ & gratiâ hic dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est; non quia videlicet aliquid novum ei accideret, quod ante non haberet, sed quòd accidere videretur, quando volebat, ipse ut videretur. Tu, homo, cùm proficis, non quando, nec quantumvis proficis: sed te nesciente, tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer Jesus, qui disponit suam, ipse disponebat & suam, & quando volebat, & quibus volebat, sapiens apparebat: quando & quibus volebat, sapientior: quando & quibus volebat, sapientissimus, quamquam in se nunquam esset nisi sapientissimus.*

Si qui verò Patres Christum reipsa profecisse sapientiâ, videntur affirmare, ut *S. Ambrosius*, libro *De Incarnatione*; & *S. Fulgentius*, libro ad *Trasamundum*, cap. 7. de scientiâ acquisitâ commodè explicari possunt, in quâ non minùs quàm in ætate profecit, non autem in scientiâ beatâ, vel infusâ. Legatur *S. Thomas*, *III. P. Quæst. XII. Art. II.* Verba *S. Ambrosii* hæc sunt: *Quomodo proficiebat Sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, ut secundum hominem credere dictum. Ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientiâ hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia. Jesus autem proficiebat ætate & sapientiâ. Quis sensus proficiebat? Si humanus, ergo & ipse susceptus est. Si divinus ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in melius. Sed quod divinum est, non mutatur. Quod ergo mutatur, non utique divinum. Sensus igitur proficiebat humanus. Sensum ergo suscepit humanum.*

Ita verò S. Fulgentius. *Anima igitur humana, quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum, malúmque in infante Christo nescisse dicitur, quæ secundum Evangelicam veritatem in puero Jesu sapientiâ & gratiâ profecisse narratur. Nam sicut carnis est ætate proficere: sic est animæ sapientiâ & gratiâ profecisse. Quæ tamen in sapientiâ nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam, quæ hominibus rationis causâ concessa est, non haberet.*

Quæres, an Agnoëtis accensendus esset, qui Christum ut hominem aliquid ignorasse assereret eorum, quorum scientiam quovis modo habere homo potest?

Respondeo, Hunc non fore Agnoëtam; quia Hæretici illi ignorantiam Christo, non solùm secundùm naturam humanam, sed absolutè secundùm naturam omnem affingebant: Unam enim duntaxat in Christo naturam post Incarnationem agnoscentes, nullam in eo agnoscebant naturam, per quam sciret illa, quæ antiqui Patres dicunt illum secundùm humanam naturam nescivisse; at secundùm deitatem perfectissimè cognita semper habuisse. Quando igitur Themistiani Monophysitæ dicebant, Christum ut hominem ignorare diem Judicii, intelligebant eum penitus ignorare diem illum, adeò ut secundùm nullam naturam ipsum cognoverit. Quod perinde erat ac si cum Arianis disertè assererent, Dominum nostrum Jesum Christum non scire secundùm deitatem omnia quæ scit Pater: Nescire enim illum diem Judicii. Id colligitur ex *Leontio*, lib. *De Sectis*, Actione X. *Agnoetæ*, inquit, *confitentes omnia, sicut Theodosiani, discrepant in hoc quòd Christi humanitatem* (quam in unam coaluisse naturam cum divinitate propugnabant) *ignorare Theodosiani negant, illis ignorare affirmantibus. Aiunt enim, Per omnia Christum nobis assimilari. Quod si nos ignoramus, & ipsum ignorasse: & in Evangeliis ipsummet ita loqui, ut neminem dicat illum diem & horam nosse, ne Filium quidem, nisi solum Patrem: & rursus: Ubi Lazarum posuistis? Hæc enim omnia verba, inquiunt, ignorationem significant. Verùm alii respondent, Ista dixisse Christum secundùm dispensationem, ut Discipulos averteret à spe discendi ex ipso horam consummationis. Nempe dicunt, post Resurrectionem rursus ab eis interrogatus, non amplius dicebat, Ne Filius quidem, sed, Nemo vestrûm. Nos autem dicimus. Non adeo de his subtiliter inquirendum: Quippe nec Synodus curiosius de hoc dogmate solicita fuit. Secundum tamen complures ex Patribus ac propemodum universos videri dicere, quòd ignoret. Nam cùm per omnia nobiscum unius esse substantiæ dicatur, & nos ignoremus, nimirum ignorabat & ipse. Quin & ipsa Scriptura dicit, Eum profecisse staturâ & sapientiâ: nempe discentem id quod nesciebat.* Si autem in eo posita fuisset propriè Agnoëtarum hæresis, ut Christum secundùm humanam naturam aliquid ignorasse dicerent, in hanc sententiam *Leontius* non propenderet, compluribus Patribus consentaneam existimans. In hoc ergo delirabant Agnoëtæ, quòd dicerent, non quidem Christum, ut homo est, aliquid ignorasse, sed humanitatem Christi, non solùm secundùm se sumptam, & secundùm conditionem creatæ naturæ spectatam, sed prout in Verbô subsistentem; in quo cum Deitate tertiam (ut fingebant) naturam componebat: ex quo erat omnino consequens, ipsi Verbo ignorantiam tribui. Id magis elucescit ex *Sancto Gregorio Magno*, *Epistola 42. libri VIII.* Agnoëtarum errorem refellente. Ait enim: *Incarnatum Unigenitum, factúmque pro nobis hominem perfectum, in naturâ quidem humanitatis novisse diem & horam judicii, sed tamen hunc non ex naturâ humanitatis novisse. Quod ergo in ipsâ novit, non ex ipsâ novisse; quia Deus & homo factus, diem & horam judicii nonnisi per deitatis suæ potentiam novit. Sicut cùm & in nuptiis Mater Virgo diceret vinum deesse, respondit: Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea. Ac si apertè diceret: Unde facere miraculum possum, hoc mihi ex Patre, non ex Matre est. Ex Matre enim mori poterat, qui ex naturâ Patris miracula faciebat. Unde & in cruce positus, eamdem Matrem moriens recognovit, quam Discipulo commendavit, dicens: Ecce Mater tua. Ait ergo: Quid mihi & tibi est Mulier? Nondum venit hora mea. Quod est dicere: In miraculo, quod ex tuâ naturâ non habeo, te minimè recognosco. Sed cùm hora mortis venerit, cognosco te Matrem; quia unde mori possum* hoc

Agnoëtis Hæreticis annumerandos non esse, qui Christo ut homini certarum aliquarum ignorantiam tribuerent.

hoc ex te habeo. Itaque scientiam, quam ex humanitatis naturâ non habuis, ex quâ cum Angelis creatura fuit, hanc se cum Angelis, qui creaturæ sunt, habere denegavit. Diem ergo & horam judicii scit Deus & homo. Res autem valdè manifesta est: quia quisquis Nestorianus non est, Agnoëta esse nullatenùs potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, quâ mente valet dicere, Esse aliquid quod Dei Sapientia ignoret?

Hinc *Sanctus Isidorus Hispalensis, lib. VIII. Originum, cap.* 5. sic hæresim Agnoëtarum describit: *Agnoëtæ, & Tritheitæ à Theodosianis exorti sunt: Ex quibus Agnoëta ab ignorantia dicti; qui perversitati, à quâ exorti sunt, id adjiciunt, quod Christi divinitas ignoret futura quæ sunt scripta de die & hora novissima: Non recordantes Christi personam in Isaia loquentis:* * *Dies judicii in corde meo.* S. Isidori judicium secutus est, & verba transcripsit *Rabanus Maurus*, lib. 2. *De Institutione Clericorum*, *cap.* 58.

* Isaiæ 63.

Idem colligitur ex Sancto Joanne Damasceno, lib. de Hæresibus, in quo Agnoëtas sic describit: *Agnoëtæ, qui iidem Themistiani vocantur, impiè & improbè Christum ignorare diem Judicii palam docent, eùmque ignaviæ timiditatisque arguunt. Hi sunt quædam secta Theodosianarum. Themistius enim qui eorum sectæ & disciplinæ Princeps fuit, unam in Christo naturam compositam fuisse tradidit.* Quocirca *Maldonatus*, Commentarii in *Matthæum* cap. 24. asserit Agnoëtas simpliciter & sine ullâ distinctione ignorantiam Christo tribuisse: *Habiti, sunt, inquit, Themistiani cognomento Agnoëtæ pro Hæreticis, quòd docuerint Christum diem Judicii ignorasse: ut Damascenus lib. de Hæresibus auctor est. Verùm illi, ut ex eodem Damasceno colligitur, simpliciter & sine ullâ distinctione divinæ humanæque naturæ, ignorantiam Christo tribuebant; quia credebant divinitatem in humanitatem fuisse conversam.*

Nicephorus Agnoëtarum hæresim aliter refert, * sed antiquis patribus postponendus est, maximè cùm ibi multa alia habeat à veritate penitus aliena. Nam 1. ait, *Themistium Philosophum sub Valente Imperatore Principem hujus Sectæ extitisse*: Themistium Philosophum Ethnicum cum *Themistio* Diacono, Monophysita confundens, & putidum committens anachronismum. 2. Ait, *Agnoëtas dixisse, Deum quidem Verbum omnia nosse, humanitatem verò secundùm subsistentiam ei unitam, permulta ignorare. Nescire sanè horam & diem Mundi totius consummationis, utpotè Patre minorem, propterea quòd in Evangelio dicat: De die autem illâ & horâ nemo novit, &c. Et hujusmodi vocibus Arium, & Aetium, & Eunomium hæresiarchas impiè usos esse, ut inde inferrent, alterius esse natura Patrem*..., Ideo hæresim Agnoëtarum *rivum quemdam Ariani dogmatis* appellat *Nicephorus*, sed nullus antiquiorum testatur Agnoëtas Christo scientiam diei ultimi, post Incarnationem, secundùm ullam naturam concessisse. Præterea, secum ipse pugnat *Nicephorus*: Nam Ariani non concesserunt Verbum omnia nosse, imò Patris & Filii inæqualitatem ex ipsius Dei Verbi, secundùm ejus Deitatem, ignorantiâ adstruere satagebant. Si igitur Arianorum error ab Agnoetis suscitatus est, ignorantiam soli humanitati Christi Agnoëtæ non tribuerunt.

* Lib. 18 Histor. Eccles. cap. 30.

Quæres secundò, an possit absque errore asseri, Christum, ut hominem, diem Judicii, & alia, quorum scientiam à Deo consequi mens creata potest, ignorasse?

Respondeo, Id absque errore dici non posse, ut constat ex locis Scripturæ Sacræ supra laudatis, & ex *Sancto Augustino*, Ecclesiâque Africana, quæ *Leporium* propositionem illam retractare, & anathemate configere coegit, quâ dixerat, *Dominum nostrum Jesum Christum, secundùm hominem ignorare*. Et *Eulogius Alexandrinus*, Agnoëtarum errorem refellens, utitur argumento à minore ad majus, nempe Christum non ignorare sepulchrum Lazari, diem Judicii, &c. ne secundum humanam quidem naturam: Ideoque multò magis eum non ignorare ista secundùm divinitatem. Quamobrem immaniter errat *Forbesius*. *lib.* III. *Instructionum Historico-Theologicarum, Cap.* XXI. asserens Christum, secundùm humanitatem, diem Judicii verè nescivisse, & quidem nescientiâ propriè dictâ, quamvis non ignorantiâ privativâ, sed tantùm negativâ. Sed nihil mirum quod à vera Theologia aberrent, qui Fidei lumini clauserunt oculos, quo affulgente, in Theologiæ Oceano errorum scopuli devitantur, & ad Deum, Christo duce pervenitur, qui *Via* est, *Veritas & Vita*.

Absque errore dici non potest, Christum ut hominem diem Judicii, & alia quorum scientiam à Deo consequi mens humana potest ignorasse.

TRIBUE, Servator optime! ut sequar te, per te, ad te. Tu via sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ! Hanc viam alacriter ingredi, hanc tenere constanter veritatem, hanc vitam fœliciter assequi concede. Sequor te, Domine Jesu! sed ut sequar, accerse, quia sine te nullus ascendit. Suscipe me quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita. Fac ne seducat ab hoste, qui via es; ne illudar per falsa, qui veritas es; ne in morte permaneam, qui vita es. Deus meus, via mea, per te tendam; veritas mea, te semper quæram, & ad te perveniam; vita mea, in te permaneam. Adjuves incredulitatem meam, ut quæram te; spem augeas, ut tendam ad te; des servèsque caritatem, ut perveniam ad te, ac æternùm te diligam & laudem, cui honor, & gloria in sæcula. Amen.





HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SÆCULI SEPTIMI SYNOPSIS.

CAPUT I.

De Pontificibus, qui Romanam & universalem Ecclesiam rexerunt Sæculo VII.

ARTICULUS I.

De Sabiniano, Bonifacio III. & Bonifacio IV.

Sabinianus.

I. SANCTO GREGORIO MAGNO ad Superos evocatô, anno 604. Romanæ Pontifex Ecclesiæ creatus est *Sabinianus*, quem olim Constantinopolim Apocrisiarium miserat, imperante *Mauritio*. Sedit mensibus duntaxat quinque, & diebus novemdecim. Nihil egit memorandum. Grassante fame, modium frumenti triginta solidis venalem exposuit, Sanctissimi Decessoris sui beneficentiam non imitatus. Narrant *Sigebertus*, & *Baronius*, ipsum à *Sancto Gregorio* per visum ter increpitum ob avaritiam & duritiam in pauperes, quartâ vice in capite percussum, dolore ex illo ictu relicto obiisse. Sed hæc appocrypha, cùm nullô antiquitatis monumentô nitantur.

Bonifacius III.

II. *Sabiniano*, post undecim mensium & viginti sex dierum Interpontificium *Bonifacius III.* patriâ Romanus successit, XV. Kalendas Martias creatus Pontifex. A *Phoca* Imperatore Edictum obtinuit, quô Oecumenici Episcopi titulus uni Pontifici Romano servatus, Constantinopolitano Antistiti illud usurpare pergenti ademptus est. Habitâ Romæ Synodo, sub anathematis pœnâ prohibuit, ne Romano Pontifice, aut quovis Episcopo vitam agente de Successoris ipsius electione ageretur, aut partes fierent: sed tertiô tantùm ab ejus obitu die hoc de negotiô tractaretur. Sedit mensibus octo, diebus viginti tribus. (*Ex Anastasio Bibliothecario.*)

Bonifacius IV.

III. Decimô post mense, electus est *Bonifacius IV.* oriundus ex Valeria civitate Marsorum, qui statim domum suam in Monasterium erexit. Is Pantheon, concedente *Phoca* Imperatore, expurgatum à veteris idololatriæ sordibus, in honorem Deiparæ Virginis & omnium Sanctorum Martyrum Deo consecravit. Congregata Romæ Synodo, anno sexcentesimo decimo, III. Kalendas Martias Monachorum hostes coërcuit, qui ipsos etsi auctos Sacerdotiô, ab administratione Sacramentorum arceri volebant. Extat ejus hac de re Decretum in Collectionibus Conciliorum, & refertur à *Gratiano*, Causa XVI. Quæst. I. Obiit VIII. Idus Maii, anno 614. cùm annos sex, menses octo, dies duodecim sedisset. Laudatur in Epitaphio, quòd *Sancti Gregorii monita & exempla, vita, opere, ac dignis moribus secutus sit.*

ARTICULUS II.

De Papa Deusdedit, & Bonifacio V.

I. CUM post obitum *Bonifacii quarti* Sedes Pontificia mensibus quinque & diebus duodecim vacasset, *Deusdedit*, gente Romanus, vir eximiæ sanctitatis, quem, cùm inviseret ægrotos, Leprosum osculô sanasse, memoriæ proditum est, ejus in locum successit. Ejus in Clerum amorem ac beneficentiam Auctor Pontificalis commendat. Sedit annis duobus, mensibus undecim, diebus viginti sex: obiitque anno Christi sexcentesimo decimo septimo, die octava Novembris, quô ipsius memoria in Ecclesia ritu solenni celebratur. Epistolam, quam sub ejus venerando nomine refert *Baronius*, supposititiam esse multa probant. Primùm quòd inscribatur *Gordiano* Hispalensi Episcopo. At nullus in Ecclesia Hispalensi *Gordianus* sedit sub *Deusdedit* Pontificatu. Nam *Sanctus Isidorus* eam rexit Ecclesiam ab anno Christi sexcentesimo ad sexcentesimum trigesimum sextum, ut ex *Sancto Ildefonso* colligitur. Subscripsit Conciliis Hispalensi II. anno Domini sexcentesimo vigesimo, & Toletano IV. anno Dom sexcentesimo trigesimo tertio: Adeóque superstes fuit non solùm *Deusdedit*, sed etiam *Bonifacio V.* Secundò hæc Epistola Isauriam Orientis Provinciam, cujus olim Metropolis fuit Seleucia, civitatem absurdissimè vocat. Tertiò, *Julii*, *Innocentii*, & *Celestini* Decreta comminiscitur, quibus conjuges, qui proprios filios ex baptismo suscepissent, separandos edixerant, eorúmque solutum pronuntiaverant matrimonium. At nihil fuisse hujusmodi à laudatis Pontificibus statutum; imò nec spiritalem cognationem impedimentum fuisse

Epistola Deusdedit Summo Pontifici supposita.

matrimonii circa medium octavi sæculi, colligitur ex Epistolis *Bonifacii* Moguntini Archiepiscopi XI. XV. & XXII. Quartò Christi legi adversatur, conjuges, quos Deus conjunxit, separare prohibentis, sive matrimonii vinculum dirimere; siquidem uxoribus, quæ filios ex baptismo susceperint, permittit ut expletô annô dotales tabulas recipiant, novúmque matrimonium contrahant. *Sancti Gregorii Magni* sententiam *Deusdedit* non ignorasset, Epistola 39. libri IX. dicentis: *Si dicunt religionis causâ conjugia debere dissolvi; sciendum est, quia etsi hoc Lex humana concessit, Lex divina tamen prohibuit; per se enim Veritas dicit: Quæ Deus conjunxit, homo non separet. Quæ etiam ait: Non licet dimittere uxorem, nisi causâ fornicationis. Quis ergo huic cælesti Legislatori contradicat?*

Bonifacius V. Decreta, & Epistolæ.

II. *Deusdedit* post Interpontificium unius mensis & aliquot dierum, successit *Bonifacius V.* patriâ Neapolitanus, mansuetudinis laude insignis. Ejus hæc Decreta refert Pontificalis Auctor: Quòd Testamenta rata esse jusserit secundùm Leges Principum. Quòd jus azylorum sacrorum vindicaverit, aliquem ab Ecclesiis abstrahi prohibens, qui ad eas confugisset. Quòd Acolythis prohibuerit ne reliquias Martyrum levarent, solisque id permiserit Presbyteris. Scripsit ad *Justum* Roffensem prius in Anglia Episcopum, tunc Archiepiscopum Cantuariensem, ei de *Edbaldi* Regis conversione gratolatus est, eúmque Pallio donavit. *Eduinum* Northumbrorum Regem ad Fidem Christi suscipiendam, datâ ad eum Epistolâ hortatus est: Et *Edelburga* Reginæ ejus conjugi per literas testatus est quantam de ipsius conversione lætitiam concepisset; eique vehementer suasit, ut in Regis conversionem studiis omnibus incumberet. Has Epistolas descripsit Venerabilis Beda, in *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum*, *lib.* 2. Sedit *Bonifacius V.* annos septem, menses decem, & diem unum.

ARTICULUS III.

De Honore I. Severino, Joanne IV. & Theodoro.

Honorius.

I. *Bonifacio V.* suffectus est *Honorius I.* natione Campanus. Novellæ Anglorum Ecclesiæ curam gessit maximam. *Eduinum* Regem, qui recèns Christo nomen dederat, ad perseverandum in Christiana Religione suis literis hortatus est; cujus etiam precibus ad *Honorium* & *Paulinum* Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem duo Pallia misit, ut alterô defunctô, alter in locum ejus Successorem ordinaret. *Honorii* quoque solertiam & zelum in verbi divini prædicatione laudavit & excitavit. Has Epistolas descripsit Venerabilis Beda, in *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum* lib. 2. *Fortunato* Gradensi Patriarcha, Reipublicæ proditore dejectô, *Primogenium* Subdiaconum Regionarium Ecclesiæ Romanæ in ejus locum substituit, & consecravit, ut constat ex illius Epistola ad Episcopos Venetiæ, & Istriæ. Plures Romæ Basilicas extruxit, restauravit, ornavit *Honorius*, laudatissimus Pontifex, nisi gloriam suam *Sergio* Monothelitarum Duci nimis connivendo maculasset, sacras duarum operationum voces obrui silentiô jubens, neque nascentem hæresim pro Officii sui ratione extinguens, & Hæreticos comprimens. Quâ conniventiâ meruit ut ipsi Anathema in Sexta Synodo Oecumenica diceretur, ut ex Actis ejusdem Synodi compertum est. Quâ de re infra agemus, in Historia Hæreseos Monothelitarum, & in Dissertatione singulari contra *Baronium*, & alios, qui ipsum vel damnatum non fuisse contendunt, sed interpolata VI. Synodi Acta in his quæ ipsum spectant; vel injuriâ damnatum.

A Sedit annos duodecim, mensibus quatuor, diebus viginti septem: Ejus Epitaphium, & Vetus alia inscriptio à *Canisio*, Tomo 6. Antiquæ Lectionis relata, Schisma Istriæ ipsum extinxisse testantur, quæ laus est non minima.

Severinus.

II. *Honorio* successit *Severinus*, cùm anno integro & ampliùs Sedes vacasset; cujus Interregni tempore Lateranensis Ecclesia ab *Isaacio* Italiæ Exarcho devastata est, sacrúmque expilatum ærarium. Misit interim *Heraclius* Imperator perfidam *Ellibesim* ad Exarchum, cui subscribere cogeretur *Severinus* electus Pontifex, ut confirmationem à Principe pro more acciperet. Sed Monotheliticæ hæresi favens Edictum *Severinus* constantissimè rejecit, ut constat ex Concilio Lateranensi sub *Martino I.* Secretario III. Sanctimoniâ, benignitate, beneficentiâ in pauperes commendatissimus Pontifex, paucis mensibus sedit.

Joannes Quartus.

III. *Severino* subrogatus est Joannes Quartus, natione Dalmatâ, anno Domini sexcentesimo trigesimo nonô. Coactâ Romæ Synodo Monothelitarum hæresim anathemate confixit, illique faventem *Heraclii* damnavit Ecthesim. Cujus Synodi *Theophanes* & *Cedrenus* meminerunt. Apologeticam pro *Honorio* Decessore suo, cujus Epistolis errorem
C suum protegebant Monothelitæ, Epistolam ad *Constantinum* Imperatorem *Heraclii* filium scripsit, quâ ipsum absolvit ab errore dogmatis: & Principem rogavit ut Ecthesim rescinderet. Extat hæc Epistola inter Collectanea *Anastasii Bibliothecarii*, & in Editionibus Conciliorum. Cùm ab Episcopis & Presbyteris Scoriæ scriptam ad *Severinum* Decessorem suum, sibique redditam Epistolam reserasset, quorumdam ex illâ Gente pervicaciam Luna XIV. Pascha celebrantium, damnavit, ac reviviscentem in illa regione Pelagianam hæresim, datâ ad eos Epistolâ, quam refert Venerabilis Beda, *lib.* 2. *Historia Ecclesiastica Anglorum cap.* 19. Dissidium
D Clericos inter & Monachos exortum sedavit. Ecclesias Monachis ab Episcopis concessas, per Presbyteros ab ipsis Monachis institutos & præpositos regi Clerici ægrè patiebantur. Secundùm Monachos judicavit Pontifex, datâ ad *Isaac* Syracusanum Episcopum Epistolâ, cujus hæc verba notanda sunt: *Consiliô multorum fratrum diligentissimè exquisitô decernimus, ut amodo Ecclesia Monachis tradita per suos Sacerdotes instituantur. Divinæ enim Leges habent & sæculares, ut cujus est possessio, ejus fiat institutio. Et si in dando quod majus est facilis fuit caritas, sit facilior in concedendo quod minus est sancta largitas. Majus enim
E fuit possessionem dare, quàm sit vestituram concedere. Quomodo autem possessoris jura cognoscentur, & suorum sibi tributa reddentur, ubi quod suum est per alterum datur, & cùm voluerit aufertur?* Sedit *Joannes IV.* anno uno, mensibus novem, & diebus tredecim. Ejus effusam in redimendis captivis, quos Sclavi per Dalmatiam grassati abduxerant, largitatem commendat liber Pontificalis: necnon piam curam de transferendis Romamè Dalmatia Sanctorum Martyrum *Venantii*, *Anastasii*, *Mauri* & aliorum reliquiis, quas in Oratorio juxta Baptisterium, quod *Constantini* vocatur, in Lateranensi Basilica constructo, variisque ornatô donariis, honorificè
F condidit.

Ecclesias Monachis ab Episcopo concessas per Presbyteros ab ipsis Monachis institutos regi decrevit Joannes Quartus.

Theodorus.

IV. *Joanni IV.* successit *Theodorus*, anno Christi 642. 25. Novembris, secundùm Annales Ecclesiasticos. Hic *Pyrrhum* Monothelitam, Constantinopolitanum Patriarcham, hæresim fictè ejurantem, in communionem recepit; eumdemque ad vomitum reversum damnavit, intinctô in Christi sanguinem calamo ejus damnationi subscribens, ut refert Theophanes. *Paulum* etiam Constantinopolitanum Patriarcham, qui Catholici assumptâ larvâ, Synodicas ad ipsum literas direxerat, & quem suis

suis etiam fuerat dignatus, hæreseos Monothelitic æ convictum, damnavit. *Stephano* Dorensi Episcopo vices suas in Palestina commisit, ut Hierosolymitanam Ecclesiam ab Hæreticis Monothelitis ipsi incubantibus liberaret. Id constat ex Libello ejusdem *Stephani* oblato *Martino* Papæ in Concilio Lateranensi. Sedit *Theodorus* annos septem, menses quinque, dies viginti, secundùm *Baronium*: at sex duntaxat annos, menses quinque, dies octodecim ipsi tribuit Auctor Pontificalis.

ARTICULUS IV.

De Martino I.

Martinus I. Monothelitarum damnat Hæresim.

ANno Domini 649. Sedem Apostolicam conscendit *Martinus*, patriâ Tudertinus, quæ Tusciæ civitas est, vir sanctissimus. Qui statim atque creatus est, congregata Romam Synodo, Monothelitarum hæresim, ejusque Auctores, necnon Ecthesim *Heraclii* & Typum *Constantis* damnavit, misitque Encyclicam ad universos Fideles de eorum damnatione Epistolam. Scripsit etiam ad *Constantem* Imperatorem, transmisitque ad ipsum Synodi Acta, eum ad hæresim suâ quoque auctoritate damnandam hortatus est, licet frustra. *Joannem* Philadelphiæ Episcopum, suum in Oriente Vicarium constituit, cum potestate ordinandi Episcopos & Presbyteros in omnibus Ecclesiis, & Lapsos ad Fidem redeuntes in pristinos gradus restituendi. *Macedonii & Petri* Pseudoëpiscoporum factam ab hæreticis electionem in irritum misit. Temperare permisit severitatem Canonum erga eos, qui ex ignorantiâ peccassent non erga eos qui metû malitiâ, Canonúmque contemptu.

Macedonium Antiochiæ, Petrum Alexandriæ.

Romanus Pontifex Canonum defensor & custos, de iisdem dispensat.

Defensores enim divinorum Canonum & custodes sumus, inquit, *non prævaricatores*. Et veniam infracti Canonis concedit, *nullatenus inde Canoni præjudicio facto. Novit enim Canon afflictorum temporum persecutoribus veniam tribuere, in quibus contemptus non præcessit, prævaricationem redarguens; Sed angustiâ magis & penuriâ, qua propter necessitatem, ex misericordiâ cogit multam diligentiam prætermittere.* Paulum Thessalonicensem Episcopum in hæresim lapsum, qui & Sedis Apostolicæ Apocrisiarios in eamdem erroris foveam præcipites traxerat, anathemate confodit, & exauctoravit, ut constat ex Epistolis ipsius 12. & 13. Acta Romanæ Synodi contra Monothelitas misit in Gallias, cùm ad *Sigebertum* Regem, *Dagoberti* filium, qui in Austrasia regnabat, tum ad *Clodoveum*, *Sigeberti* fratrem, qui in Neustria & Burgundia imperabat. Viros Fidei integritate, & doctrinâ præstantes à Christianissimis Regibus postulavit, qui Ecclesiæ adversùs Monothelitarum hæresim suppetias laturi, Romam se conferrent, ut constat ex illius ad *Amandum* Trajectensem Episcopum Epistola, & ex Vita *S. Eligii*, lib. 1. cap. 33. ex quâ discimus *S. Eligium*, & S. *Audoënum* istius Vitæ Scriptorem ad id munus summo Gallicanorum Antistitum consensu electos, quodam intercedente impedimento, Romam profectos non fuisse. Gallicanis Episcopis selectiâ Legationem ad Imperatorem committere decreverat Sanctissimus Pontifex, ut fidei causam in Oriente tuerentur, & *Constantem* adhæresim damnandam, coërcendosque Hæreticos adducerent. Tantùm de nostrorum Antistitum zelo, scientiâ, prudentiâ, & magnanimitate in gerendis Ecclesiæ rebus sperabat. *Sanctum Amandum* absolutionem ab Episcopatu rogantem, ob Clericorum vitia, in statione suâ manere jussit, & secundùm Canones in Clericos impudicos agere. *Nullatenus*, inquit, *in hujusmodi peccato delinquentibus ad destructionem Canonum compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam Ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullúmque gradum Sacerdotii poterit adipisci: Sed sufficiat ei lamentationibus fletibúsque assiduis, quoúsque vixerit, in eadem pœnitentiâ perdurare, ut commissum delictum divinâ gratiâ extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullúmque vitæ contagium mentes & corpora præpediat: quantò magis si post Ordinationem suam quispiam in lapsum eciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis Mysterium nostræ salutis tractare?*

S. Martinus I. viros pios & eruditos à Christianissimis Regibus postulat, quorum operâ adversùs Monothelitas utatur.

Clericos impudicos in perpetuum à Sacris Muneribus prohibendos Martinus I. docuit.

Viris Apostolicis *S. Landoïno* Cameracensis Ecclesiæ Presbytero, *S. Amando* Trajectensi Episcopo, & *S. Foilano* Hiberno, prædicandi Gentibus munus demandavit *Martinus I.* de propaganda, ac de tuenda adversùs hærese Ecclesia æquè solicitus.

Monothelitarum damnatio, & anathema dictum Typo *Constantis* in Synodo Romana, maximam apud illum Sanctissimo Pontifici conflavit invidiam. Id enim cùm accepisset Hæreticus Imperator, ipsum à Constantinianâ Basilicâ vi abductum, in exilium relegavit, anno Christi, secundùm *Baronium* 650. vel 653. secundùm Sirmondum. Verùm ne Tyrannus in toto orbe Christiano *Constans* audiret, alias in eum damnationis causas confinxit, quibus ejus exilio & neci speciosum colorem inderet. Tria igitur, conductis testibus, ipsi objecit crimina: 1. Quòd mutasset traditam à majoribus fidem. 2. Quòd adversùs Romanum Imperium aliquid molitus esset cum Saracenis. 3. Quòd contra Deiparæ Virginis cultum nescio quid statuisset; denique quòd contra Canones in Sedem Pontificiam fuisset intrusus. His adversùs eum criminibus confictis, *Calliopas* Italiæ Exarchus, cum *Theodoro* Cubiculario Romam veniens, cum militari manu Lateranensem Basilicam ac Palatium ingressus est, indeque Sanctum Pontificem à Clericis abstraxit, clamantibus: *Anathema habeat quisquis dixerit, vel crediderit, quia Martinus usque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus est: & anathema habeant, qui in Orthodoxâ Fide suâ usque ad mortem non permanserint.* Navi noctu & clanculùm impositus Sanctissimus Confessor, in Insulam Naxam deportatus est. Ibi annô solidô egit exul, continuâ ægritudine afflictus, & laboribus plurimis oppressus, ut narrat ipse ad *Theodorum* scribens *Epistolis* 14. & 15.

Martinus I. in exilium fictis criminibus damnatur à Constante.

Anno sequenti Constantinopolim appulit; è navi conjectus est in carcerem, in quo diebus 93 absque omni suorum solatio vel alloquio seclusus mansit. Quibus elapsis, judicio sisti jussus est, ipsâ die Parasceves. Multis illum calumniis falsi testes oppressere, agente Imperatore, & Proceribus, ut Majestatis reus constitueretur, atque ita in discrimen capitis, nullô reclamante, veniret. Ipsum accusarunt initæ cum *Olympio*, Ravennæ nuper Exarcha contra Imperatorem conspirationis. *Dorotheus* Siciliæ Patritius, inter falsos testes insignis, dixit: *Quinquaginta capita si haberet, non oporteret eum vivere, eo quòd solus subvertit & perdidit universum Occidentem, & delevit: & revera unius consilii fuit cum Olympio, & inimicus homicida Imperatoris, & Romanæ urbanitatis.* Eductus è loco Judicii, magis autem ex aula Caïphæ vir Apostolicus, Pontificiis insignibus exutus est, ferreis vinculis innexus, per mediam civitatem summo cum dedecore à carnificibus tractus, & conculcatus. Adductus in Prætorium, conjectus est in ima carcerum cum homicidis; in *Diomedis* custodiam mox translatus, tantâ vi, ut crura ejus dilaniarentur, & sanguis efflueret.

Martinus I. calumniis opprimitur.

De Sancto Pontifice jam tunc actum erat, nisi *Paulus* Constantinopolitanus Patriarcha hæreticus gladium ab ejus cervicibus, conscientiâ stimulante, depulisset. Ita se res habuit. Imperator *Paulum* lethali morbo decumbentem invisit, eique aperuit omnia quæ in *Martinum* acta erant & decreta. His auditis, in-

gemiscens *Paulus*, has in voces erupit: *Hem hi! & hoc ad abundantiam Judiciorum meorum actum est. Numquid Domine, non est miserabile talia pati tantum Pontificem?* Sic Imperatorem adduxit ut ejus sanguini parceret. Verùm morti ereptus est Sanctissimus Confessor ut mortem diuturniorem in exilio pateretur. Chersonam enim relegatus, omnium rerum inopiâ & morbis attritus est. Ista constant ex Epistola *Anastasii* ad Occidentales, quæ post Epistolam 15. *Martini I.* legitur. & ex ipsiusmet Sancti Pontificis Epistolis 17. & 18. Ærumnis & inediâ confectus, Martyrum coronas percepturus migravit in cœlum, 12. Novembris anno Domini 654 cùm annos quinque, menses quatuor & dies duodecim in *S. Petri* Cathedra sedisset. Ejus Martyrium celebrat *S. Audoenus* Rothomagensis Episcopus, in Vita *S. Eligii*, nec minorem ejus gloriam esse scribit, quàm eorum qui Paganorum persecutione sublati sunt.

ARTICULUS V.

De Eugenio I. Vitaliano, Adeodato, & Dono.

Eugenius I.

I. SAncto *Martino* adhuc superstite, *Calliopas* Exarchus Romanum Clerum compulit ad electionem Pontificis. Electus est *Eugenius*, Clero ab incunabulis adscriptus. Hic Vicariâ solùm potestate gregem gubernavit ad obitum usque *S. Martini*, quem eô defunctô, ut canonicus Pastor exemplô pavit ac doctrinâ. *Petri* Constantinopolitani Patriarchæ, Monothelitæ, Synodicas literas, ambagibus involutas, rejecit. Obiit 2. Junii anno 655. cùm septem circiter mensibus ab obitu *S. Martini* sedisset.

Vitalianus.

Ejus erga Constantem Imperatorem Oeconomia.

II. *Eugenio* suffectus est *Vitalianus*, patriâ Signiensis, qui statim Apocrisiarios misit Constantinopolim, & *Petrum* Patriarcham ad Fidei Catholicæ professionem hortatus est. *Constantem* Imperatorem Romam venientem, quamvis hæresim non ejurasset, nec persecutionis sanctissimis fidei Defensoribus illatæ egisset pœnitentiam, honorificè & amanter suscepit, œconomiâ prudenti, quâ Ecclesiam erga Reges uti convenit. À Rege Northumbrorum Anglorum *Osvvi* acceptâ legatione, ipsi fidem gratulatus est, eúmque ad curandam in Insula Paschatis celebrationem legitimô tempore, secundùm Apostolicam Traditionem, hortatus est. *Theodorum* Monachum Græcum, probum moribus, ætate venerandum, sæculari & divina literaturâ Græcè & Latinè instructum, Archiepiscopum Anglis ordinavit, anno Christi 668. ut testatur Venerabilis Beda, *lib.* 4. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 1. *Joannem* Lappensem in Insula Cretensi Episcopum, contra Canones à *Paulo* Cretensi Metropolitano depositum in Synodo Provinciæ, Romam appellantem, cognitâ causâ, restituit in Sedem, & Metropolitanum increpuit ob violatos Canones, & quòd Episcopo Romam appellanti facultatem illuc se conferendi non dedisset. Legantur Epistolæ *Vitaliani* 1.2.3.&4.

Episcopi in Synodo Provinciæ depositi causam judicat.

Epistola Vitaliano supposita.

Supposititia est, quæ sub ejus nomine fertur Epistola ad Monachos Siculos, doctissimo Cardinali Baronio judice. Monachos enim Benedictinos civitates & castra plurima tunc in Sicilia possedisse, quod illa testatur Epistola, verisimile non est, quando nec ipsa Romana Ecclesia vel unius oppiduli domina esset. Obiit *S. Vitalianus* VI. Kalendas Februarii, cùm sedisset annos tredecim, & menses quinque.

Adeodatus.

III. In locum ejus *Adeodatus* Romanus, ex Monacho creatus est Pontifex, cujus affabilitatem singularem, & beneficentiam erga peregrinos, *Anastasius Bibliothecarius* commendat.

Primum Privilegium immunitatis Monachis S. Martini Turonensis ab Apostolica Sede concessum.

Monasterio *S. Martini* Turonensis Privilegium immunitatis à jurisdictione Episcoporum concessisse fertur, *Crotberto* Archiepiscopo Turonensi, aliisque Galliarum Episcopis consentientibus, quorum subscriptiones *Ægiricus* Abbas protulit. Primum istum Immunitatis Privilegium fuisse dicitur ab Apostolicâ Sede Monachis concessum, quod maturô judiciô contulerit *Adeodatus*, rationi & Canonibus contrariam non esse judicans Gallicanorum Antistitum eâ de re sententiam: quorum de consensu nisi certior factus esset, Privilegium non concessisset Monasterio contra Romanæ Ecclesiæ Traditionem. *Parumper autem ambigimus*, inquit, *ideirco quod mos atque Traditio Sancta nostra Ecclesia plus non suppetat à regimine Episcopalis providentia Religiosa loca secernere.*

Privilegium illud expenditur.

Minimè tamen dissimulandum est, Privilegium istud apud severiores quosdam Criticos in suspicionem suppositionis venire, tum ob alias rationes, tum ob varietatem lectionum, quam in Privilegii exemplari Tomo I. Conciliorum Galliæ edito, & in altero ex Tabulario insignis Capituli Sancti Martini descripto observarunt. In primo Exemplari legitur: *Æquitatis nos commonet norma, quam apprimè custodire præcipimur.* In altero; *præcipimus.* In primo: *Canonica Sanctorum Patrum Consulta.* In altero: *Canonica Sanctorum Patrum constituta.* In primo: *Utpote functi Apostolorum Principis auctoritate.* In altero: *Utpote functi Apostolicâ primatiâ.* Quæ locutio Romanis est inusitata Pontificibus. In primo: *Privilegium Auctoritate Apostolica subnixum.* In altero: *Privilegia Auctoritate Apostolica subnixa.* Verùm quamvis Privilegium illud ut legitimum admittatur, perspicuum & exploratum erit omnibus qui illud consideratissima ratione expenderint, eo Privilegio Monasticam duntaxat libertatem Religiosis Viris concedi, in eo positam, I. Ut Abbas in iis quæ Disciplinæ Regularis observantiam spectant Monasterium ordinario jure moderetur, independenter ab Episcopo. *Salvâ profectò Monachicarum Regularum custodiâ, Religioso Abbate, quicumque pro tempore præerit præfato venerabili Monasterio, id procurante: ut erga quod prisca traditione ejus articulus contineat, & ipse conservare nitatur, & quicumque sub ejus reguntur dispensatione, solerter custodire commoneat, districtéque compellat.* Quod tamen non prohibebat quin Episcopus in casibus extraordinariis, ubi ejus auctoritate opus erat ad Regularem Disciplinam restaurandam, auctoritate suâ & Jurisdictione præsto esset; ut constat ex Formulis Marculfi Lib. 1. Formula 1. quæ inscribitur *De Privilegio*, quâ Episcopus Immunitatem ac Libertatem Monasterio concedens ad instar immunitatis & libertatis ab Episcopis concessæ per Regalem Sanctionem Monasteriis Lirinensi, Agaunensi, Luxoviensi, &c. hæc habet: *Et si aliquid ipsi Monachi de eorum Religione tepidi aut secus egerint, secundùm eorum Regulam ab Abbate, si prævalet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa civitate coërcere debeat: quia nihil de Canonica Auctoritate convellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.* Tertiò in eo posita erat Monastica illa Libertas Adeodati Privilegio concessa, ut temporalia Monasterii bona Abbates ac Monachi per se administrarent. *Verùm*, inquit, *ubi & prædicti fratris nostri Crotberti Turonensis Ecclesia Præsulis, Monachicam Libertatem, hoc est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam, Religiositate ejus exemplaria conferente comperimus… Nullatenus jam exsortem rationis ac Canonica Regula tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus.* Quartò in eo posita erat Monastica illa Libertas, ut Monasteria nullis oneribus gravarentur sub prætextu discussionis & Visitationis, neque ullis injuriis perturbaretur illorum quies. *Ut Apostolica fulti Auctoritate, per privilegii seriem nullas gravedines à quolibet Episcoporum, sub prætextu discussionis, Religiosus Abbas, vel Monachi ibidem degentes sustineant neque & rursus hospitandi sibi apud eos licentiam vindicantes, dispendia his atque insolentias angariarum imponant; neque per occasionem Regularis Disciplinæ rimanda*

manda atque servanda quaslibet eis importent injurias. Cæterùm Sancti Martini Turonensis Monachos à Diœcesana Lege & ab Episcopi Turonensis Jurisdictione in iis quæ Pontificalia spectabant, Adeodatum Papam immunes non fecisse, constat ex his Privilegii verbis: *Reverendissimo verò Episcopo, in cujus Parœcia memoratum venerabile Monasterium, vel res ejus ac possessiones constiterint, faciendæ tantùm Ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Levitarum vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia: Dispositionem verò venerabilis loci gerere ac conversationem Monachicam exquirere, Religioso Abbati, ejusque Præposito vel qui probatissimi fuerint in eodem Monasterio, quod etiam præfati Præsules consonâ sententiâ definierunt, decernimus.* Proprium igitur Episcoporum Claustralem ut haberent Monachi Sancti Martini, aliumve benevolum vocarent vel adirent, à quo Sacras Ordinationes susciperent, & qui Chrisma Sacrum ipsis conficeret, non concessit Adeodatus Pontifex Maximus. Denique totum istud Privilegium personale est, non locale; id est personis, non loco; Monachis, non Ecclesiæ collatum; aut certè Ecclesiæ quatenus Monasterium erat. Quamobrem ut Privilegium Loco Sacro concessum cessat mutatione loci, ex eo scilicet quòd profanus evadat, ita Privilegium concessum Monasterio & Monachis cessat mutatione Status, cùm scilicet Monachi togam sæcularem induti Professionis Monasticæ jugum excutiunt. Sedit Adeodatus annos 7. menses duos, dies 17. Obiit VI. Kalendas Julias anno Domini 676.

Domus.

IV. Adeodato *Domus*, Romanus, substitutus est, ad quem *Constantinus Pogonatus* Imperator Epistolam de pace Ecclesiarum, & de Synodi Generalis proximè futurâ celebratione dedit, quam non recepit, morte præventus, cùm anno uno & quinque mensibus Ecclesiam rexisset. Obiit 3. Idus Aprilis anno Domini 678.

ARTICULUS VI.

De Agathone, Leone II. & Benedicto II.

Agatho Monothelitas damnat.

I. POst *Adeodatum*, electus est Romanus Pontifex *Agatho*, natione Siculus, professione Monachus. Is Synodo Romæ habitâ, Monothelitas damnavit, & VI. Synodo Oecumenicæ præfuit per Legatos, ejúsque Synodica Epistola, ceu ex ore S. Petri prolata, suscepta est à Patribus. Sub ejus Pontificatu, Australes Saxones *S. Vuilfridi* Eboracensis Archiepiscopi prædicatione ad Christi fidem conversi sunt, ut narrat Venerabilis Beda, *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum, cap. 13. & 14.* Ortâ in Britannica Ecclesiâ dissensione, cùm ob alias causas, tum ob Vuilfridi Eboracensis Archiepiscopi factam contra Canones depositionem, *Joannem* Abbatem S. Martini misit in Britanniam, ex Synodi sententiâ, ut Ecclesiæ illius negotia componeret, & *Vuilfridum* ab eadem Romana Synodo Sedi suæ restitutum juvaret. Lege Vuillelmum Malmesburiensem, *lib. 3. de Gestis Pontificum.* Obiit *S. Agatho* IV. Idus Januarii, quô memoria ipsius in Romano Martyrologio celebratur, anno Domini 682. cùm annis duobus & sex mensibus sedisset.

Leo II. Synodum sextam Oecumenicam confirmat.

II. Agathoni, post anni unius & septem mensium Interregnum, successit *Leo II.* ex Sicilia oriundus, scientiæ & eloquentiæ laude celebris, paupertatis amator, & in pauperes beneficentissimus, ut *Anastasius* testatur. Synodum VI. Oecumenicam confirmavit. Obiit IV. Kalendas Julii, anno Domini 684. cùm sedisset menses octo, & dies decem. Ejus nomen sacris Ecclesiæ Fastis adscriptum est.

Benedictus II.

III. Mensis Augusti ejusdem anni die vigesima, *Benedictus Secundus* creatus est Pontifex, splendore virtutum & divinarum Scripturarum scientiâ par maximæ dignitati. Quæ ejus nondum inaugurati Pontificis nomine inscribuntur Epistolæ I. ad *Petrum* Notarium Regionarium, II. ad *Ervigium* Regem, à Doctissimo Cardinali *Baronio* ut spuriæ meritò rejiciuntur. Hispanorum Episcoporum literas cùm accepisset è Synodo Toletana XIV. datas quibus Sextæ Synodi adversùs Monothelitas Decreta se recepisse, & confirmasse significabant, quasdam in iis Propositiones expositione indigere monuit, quarum hæc una erat: In Deo, *Voluntas genuit voluntatem:* Altera: *Tres sunt in Christo substantiæ.* Id constat ex Concilio Toletano XV. celebrato anno 688. *Juliano* Toletano Archiepiscopo Præside, in quô has propositiones exponunt & tuentur. Sedit *Benedictus II.* menses octô cum diebus septemdecim. Ejus nomen Tabulis Ecclesiasticis adscriptum est, 7. die Maii.

Quasdam Episcoporum Hispanæ Propositiones explicatione indigere judicat.

ARTICULUS VII.

De Joanne V. & Conone.

Joannes V.

I. B*Enedicto Secundo* subrogatus est *Joannes* hujus nominis Quintus, natione Syrus, *Agathonis* Romani Pontificis olim ad Sextam Synodum Legatus. Sedit annum unum, & dies undecim.

Conon.

II. Post. *Joannis Quinti* obitum, dissensione factâ in Successoris electione, quòd Clerus *Petro*, Archipresbytero suffragaretur, Exercitus verò *Theodoro* Presbytero faveret, Reverendissimus Clerus communi consiliô in electionem tertii conspiravit, scilicet *Cononis*, quem veneranda canicies, simplex animus, quieti mores, religiosa vita, sacra eruditio, hoc præstabant loco dignissimum. Ejus electionem Senatus, exercitus, Exarchus, gratissimam habuerunt. *Kilianum* Sanctissimum Hiberniæ Monachum, Apostolicâ donatum missione, & Episcopali Dignitate auctum, ad Franconiorum conversionem destinavit, ut testantur Acta ejusdem S. Martyris apud *Surium*, die 8. Julii. Cùm *Theophanis* Patriarchæ obitu Ecclesia vacaret Antiochena, *Constantinum* Ecclesiæ Syracusanæ Diaconum ordinavit *Conon*, inconsultô Clero, eique Pallium ex more concessit, infelici exitu; nam factiosum hominem, & ad conflandas discordias natum, Imperatorii Magistratus, qui Siciliam administrabant, carceri addixerunt; quod alicujus imprudentiæ notam *Cononi* Pontifici inussit, qui hujusmodi hominem Antiochenæ Sedis Episcopum designasset. Tanti periculi est Pontifices, & Episcopos absque consiliô homines haud satis probatos ad Ecclesiasticas Dignitates & Ministeria promovere. Obiit *Conon* die 13. Octobris anno Domini 687. cùm Ecclesiam undecim duntaxat mensibus & diebus viginti tribus rexisset.

ARTICULUS VIII.

De Sergio. I.

POst septem dies à *Cononis* obitu, de Successoris electione agi cœptum. Populo duas in factiones diviso, Schisma factum est. Pars una *Theodoro* Archipresbytero, *Paschali* Archidiacono favebat altera. Schisma nascens ut sopirent Clerici, Magistratus, & exercitus Duces, summo consensu tertium elegerunt, *Sergium* scilicet, natione Syrum, Panormi in Sicilia educatum, quem *Adeodatus* Pontifex in Romanum Clerum cooptaverat, & *Leo II.* ordinaverat Presbyterum. Legitimo Pontifici sponte cessit Theodorus: *Paschalis* in Schismate pertinax, coactus ipsum salutavit. Sed suæ factionis hominibus Ravennam missis Exarchum Romam advocavit spe pecuniæ, qui ipsi Pontificium nomen ac dignitatem assereret. Exarchus, cùm *Sergium* legitimis suffragiis, & communi consensu

consensu vidisset in Sede *S. Petri* collocatum, *Paschali* suffragari non valuit: Sed à *Sergio* exegit centum auri libras, quas ipsi promiserat *Paschalis*. Quas cùm se nec promisisse contestaretur *Sergius*, nec illis solvendis Ecclesiam satis esse, & ad flectendum Exarchum cantharos & coronas, quæ ante sacrum altare & confessionem *B. Petri* ex antiquo pendebant, deponi jussisset, & in pignus tradi, nihilominus commotus est homo pecuniæ avidus, nec Ecclesiæ molestus esse desiit, donec centum auri libras accepisset. Non multò post magiæ convictus *Paschalis*, Pontificis sententiâ ab Archidiaconatus Officio dejectus est, & in Monasterium detrusus, ubi post quinquennium impœnitens obiit.

Sergius Legatos *Juliani* Toletani Archiepiscopi suscepit, qui Hispanorum Antistitum sententiam circa Capitula à *Benedicto II.* reprehensa, eorúmque factam in Synodo Toletana XV. expositionem obtulerunt: quam Summus Pontifex probavit, ut à *Roderico* Toletano Archiepiscopo memoriæ proditum est. *Ceadvallam* Britannorum & Occidentalium Saxonum Regem, qui relictô propter Dominum Regno, Romam suscipiendi gratiâ baptismatis venerat, *Sergius* sacro fonte tinxit, eique *Petri* nomen imposuit: quem adhuc in albis positum Christus ad Regnum evocavit cœleste. (Ex Venerabili Beda *lib.* 5. *Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap.* 7.) *S. Vuillebrordo* & aliis Viris Apostolicis ejus sociis, quos *S. Egbertus* ad id opus excitaverat, prædicandi munus Evangelii & propagandæ apud Germanos, Frisones, Danos, finitimásque Gentes Ecclesiæ, munus imposuit, (teste Beda, *lib.* 5. *cap.* 12.) Synodi Constantinopolitanæ in Trullo celebratæ, quæ dicitur Quinisexta, Canones rejecit, *Justiniani* Junioris precibus & minis haudquaquam fractus. Miserat Imperator *Zachariam* Protospatharium suum, qui Pontificem Constantinopolim deportaret, sed ille à Militia Italiæ repulsus est, & Pontifex periculô liberatus, qui & *Zachariam* à militum furore incolumem servavit.) ex Beda, *lib. de sex Ætatibus*, ex Anastasio Bibliothecario in Vita *Sergii I.* & ex Paulo Diacono, *lib.* 6. *de Gestis Longobardorum cap.* 11.) *S. Villebrordum* Romam redeuntem, postulantibus Frisonibus, quos ad Christi fidem converterat, Episcopum ordinavit, & *Clementem* cognominavit. (ex Beda, *lib.* 5. *cap.* 12.) Sanctum etiam *Hubertum* Leodiensem Episcopum consecravit, dignum *S. Lamberti* Martyris Successorem. Qui quò suos Leodienses in Romanæ Ecclesiæ fide, communione, & observantiâ firmiùs contineret, & posteros eodem vinculo obligaret, publicum sigillum Urbi tradidisse memoratur, in quo *S. Lamberti* Martyris sculpta erat imago cum hac inscriptione: *Sancta Legia Romanæ Ecclesiæ Filia.* (Ex Molano, in Indice SS. Belgicorum.) Produnt Acta *S. Adhelmi*, apud *Surium*, die 25. Maii, *Sergium* calumniam passum, quasi stupri reus esset, infantis novem tantùm dies nati illum patrem suum esse negantis, ullóque cum fœmineo sexu commercio inquinatum, testimonio absolutum fuisse: cui nempe ut loqueretur in nomine Jesu præceperat *Adhelmus*, ut Pontificem ab infamiâ liberaret. Litanias in die Purificationis Beatæ Virginis instituit *Sergius*, teste *Alcuino*, vel alio potiùs Auctore libri de *Divinis Officiis*. Decrevit etiam ut in Missa, tempore confractionis Hostiæ, *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miserere nobis*, à Clero & populo decantaretur, teste *Anastasio*. Et *Sergius* quidem instituit ter dici, *Miserere nobis*; sed multis postea ingruentibus Ecclesiæ adversitatibus, ut ait *Innocentius III. lib.* 6. *de Mysteriis Missæ, cap.* 6. sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit ut in tertio diceretur: *Dona nobis pacem*: qui ritus ubique receptus est, exceptâ Basilicâ Lateranensi, in quâ adhuc servatur mos antiquus dicendi ter, *Miserere nobis*. In antiquis Missalibus MSS.

Ritus canendi in Missa: *Agnus Dei* &c. à Sergio I. institutus.

ante annum Millesimum hanc orationem tertiò reperi cum clausula, *Miserere nobis*, Doctissimus Cardinalis *Bona* testatur, *lib.* 2. *Rerum Liturgicarum*, *cap.* 16. A quo verò Pontifice mutata fuerit, nusquam se legisse.

Scripsit *Sergius I.* Epistolam ad *Ceolfridum* Abbatem Anglicani Monasterii, in quo Beda Domino serviebat, jubens ut Venerabilem Presbyterum Romam mitteret. Obiit laudatissimus Pontifex anno Christi septingentesimo primo Pontificatus sui 14. V. Idus Septembris, quo die ejus memoria in Romano Martyrologio celebratur.

SCHOLION I.

Capitis istius Articulo secundo pag. 4. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant tanquam meam: *Matrimonium potest dissolvi ex eo quòd quis susceperit è Fonte proprios filios.*

R. Hæc Propositio non est mea. Quinimo contradictoriam huic erroris Propositionem ibi doceo. Loquens scilicet de Epistola Decretali venerando *Deusdedit* Romani Pontificis nomini suppositâ, inter suppositionis rationes has affero: *Tertiò, Julii, Innocentii, & Celestini Decreta comminiscitur, quibus conjuges, qui proprios filios ex Baptismo suscepissent, separandos edixerant, eorúmque solutum pronuntiaverant Matrimonium. At nihil fuisse hujusmodi à laudatis Pontificibus sancitum; imò nec spiritualem cognationem impedimentum fuisse Matrimonii circa medium octavi sæculi, colligitur ex Epistolis Bonifacii Moguntini Archiepiscopi XI. XV. & XXIII. Quartò, Christi Legi adversatur, conjuges, quos Deus conjunxit, separare prohibentis, sive Matrimonii vinculum dirimere: Siquidem uxoribus, quæ filios ex Baptismo susceperint, permittit ut expleto anno dotales tabulas recipiant, novúmque Matrimonium contrahant.* Errorem quem disertis verbis refello ceu Christi Legi contrarium, mihi tribuere non verentur Indiculi Censorii Autores.

SCHOLION II.

Articulo III ejusdem Capitis; pag. 6. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Honorius fuit optimus Pontifex, nisi suam maculasset famam connivendo Monothelitis.*

R. Hæc tam reprehendenda & damnanda sunt, quàm Epistola Leonis Secundi Synodi Sextæ Oecumenicæ confirmatrix in quâ hæc leguntur: *Pariterque anathematizamus novi erroris inventores... Necnon Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ Traditionis doctrinâ lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit.*

SCHOLION III.

Articulo quarto, pag. 9. Edit. primæ; Religiosi Censores hanc notam opponunt: *Dispensatio quanta moderatione facienda, quia Papa est custos & non destructor Canonum.*

R. De S. Martino I. Romano Pontifice ibi scripsi: *Temperare permisit severitatem Canonum erga eos qui ex ignorantia peccassent, non erga eos qui merâ malitiâ. Canonumque contemptu. DEFENSORES ENIM DIVINORUM CANONUM ET CUSTODES SUMUS (inquit,) NON PRÆVARICATORES.* Hæcne Sanctissimi Pontificis sententia damnatione digna videtur Religiosis Censoribus?

SCHOLION IV.

Articulo quinto, pag. 15. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Romana Ecclesia nec unius oppiduli domina septimo sæculo.*

R. Sub Vitaliani Pontificatu Romanam Ecclesiam nec unius oppiduli fuisse dominam verè scripsi: Siquidem ante Pippini & Caroli Magni Regum Christianissimorum Donationes magnificas temporalem in Urbes & Provincias non habuit Principatum, ut jam agnoscunt Viri omnes Eruditi. Mera facti quæstio est.

SCHOLION V.

Eidem Articulo pag. 24. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam opponunt: *Papa quantâ œconomiâ procedere debeat cum Regibus etiam Hæreticis.*

R. Narro eo loci quo modo se gesserit Vitalianus Pontifex erga Constantem Imperatorem Monothelitam, his verbis: *Constantem Romam venientem honorificè & amanter suscepit, œconomiâ prudenti, quâ Ecclesiam erga Reges uti convenit:* Mansuetudinem erga Reges, etiam hæreticos, à Summis Pontificibus exercendam, ut eorum conversio procuretur, vel certè ne severitate nimia exasperati magis noceant Ecclesiæ, nemo prudens negaverit.

CAPUT II.

CAPUT II.

De Hæresibus Sæculi VII.

ARTICULUS I.

De Monothelitarum Hæresi.

§. I.

De palmari Monothelitarum errore.

PALMARIS Monothelitarum error in eo positus fuit, quòd unicam in Christo operationem, adeóque unicam voluntatem propugnarent. Contendebant namque naturam humanam ita esse unitam Verbo, ut licet mente, aliísque facultatibus, quæ naturæ sunt appendices, prædita esset, ipsa tamen propriam non exereret actionem; sed unica esset actio, profecta quidem à Verbo ut à causa principe, ab humanitate verò ut à causa instrumentaria. Id patet ex Epistola *Cyri* Alexandrini Monothelitarum Patriarchæ ad *Sergium* Constantinopolitanum Patriarcham, Monothelitarum Principem, quâ in Epistolâ eam à *Sergio* se accepisse sententiam profitetur, amplioremque ejus explicationem ab eo postulat. *Ad vestram*, inquit, *à Deo eruditam doctrinam confugere didici, venerabiles ejus syllabas postulans promereri, liquidiùs declarantes, qualiter duas operationes post unitionem dicere recusantes, in unâ, id est, singulari operatione, in omnibus divinis eloquiis possumus considerare, tam quod passibile, quàm quod impassibile est ipsius ineffabilis dispensationis Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Idem constat ex Epistola *Cyri* ad *Sergium*, quæ refertur in Concilio Lateranensi sub *Martino I.* Secretario III. in quâ disertè docet, *Eumdem Christum operari Deo decibilia & humana, unâ operatione, quia omnis divina & humana operatio ex uno eodemque Incarnato Deo Verbo procedebat.*

Idem ex *Theodori Pharanitani* Fragmentis ibidem insertum perspicuum est: *Oportet*, inquit, *ita sapere, & dicere nos omnia quæ in Incarnatione Christi dicuntur, unam operationem esse; hujus autem opificem & creatorem Deum Verbum, organum verò humanitatem.*

Et in Sermone ad Sergium Arsenoïtam, *Siquidem* inquit, *primordialiter propter divinam quamdam sapientissimámque dispensationem, somnum, fatigationem, injuriámque & sitim admisit, utique quando voluit; jure etiam optimo horum omnium motum quietemque omnipotenti illi ac sapientissimæ applicamus operationi Verbi, & ex hoc unum unius ejusdémque Christi operationem appellamus.*

Macarius Antiochenus Patriarcha, Monothelita insignis, dixit in VI. Synodo: *Si membratim incidar, & jactor in mare, neque duas voluntates, neque duas operationes dico in Domino nostro Jesu Christo, uno Sanctæ Trinitatis.*

Et Actione VIII. *Confitemur*, inquit, *unam voluntatem subsistentialem in uno Domino nostro Jesu Christo, & Deivirilem ejus operationem. Neque enim quæ divina sunt secundùm Deum; neque quæ humana sunt, secundùm hominem operatus est; sed humanati Dei Verbi Deivirilem operationem in conversatione demonstratam confitemur, secundùm B. Dionysium.* Et in eadem Sexta Synodo interrogatus à *Theophane* Abbate, *Utrùm Christus habuerit humanam voluntatem?* Respondit: *Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus, divinam verò etiam; absque carnalibus voluntatibus, vel cogitationibus humanis, sicut prolatum testimonium Sancti Athanasii continet: Voluntas enim Deitatis tantùm.*

Idem *Macarius*, in libro ad *Lucam* Presbyterum, cujus aliqua Fragmenta recitata sunt Actione XI. Sextæ Synodi ait: *Sanctam Christi carnem ad singula quæ fiebant, cooperariam & Divinitatis adjutricem fuisse*, sicut nempe instrumentum suo quodam modo cooperatur causæ principi; quæ operatio cùm propria non esset humanæ naturæ, sed Verbi Dei, ideò humanitatem Christi non operari, sed tantummodò pati asserebant. Sic *Pyrrhus* in Dialogo cum Sancto Maximo: *Non dicimus unam operationem, ad tollendam humanam operationem; sed quia cùm distinguendo opponatur divinæ operationi, passio hâc ratione dicitur.* Sic & *Sergius*, in Epistola ad Honorium: *Operatur quidem verè Deitas per corpus quod circa ipsum est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.*

Hinc illa Monothelitarum phrasis: *Nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim & ex appetitu proprio contra nutum sibi subsistentialiter uniti Dei Verbi naturalem motum suum efficit, sed quando, & qualem, & quantum Deus Verbum volebat.*

Sergius in Epistola ad *Honorium*, & *Macarius* in VI. Synodo, Actione VIII. dogma illud suum hoc exemplo illustrabant: *Quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, & disponitur ab intellectuali, & rationali anima nostra; ita & in Domino Christo tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, Deimobilis erat, secundùm Nyssenum Gregorium.*

Cæterùm quanta fuerit Monothelitarum in exponendo vel propugnando errore suo, quamque inconstans levitas, patet ex testimonio *S. Maximi*, in Disputatione cum *Pyrrho*, quem sic alloquitur: *Rem ipsam loquor: nihil me ita à tuo Antecessore* (Sergio scilicet) *alienavit ut mutabilitas ejus & inconstantia, id est, in alias alio tempore transire sententias, & in nullo sensu permanere. Aliquando enim eos, qui hanc unam voluntatem divinam appellabant, approbans, eum qui erat incarnatus, docebat tantum Deum. Aliquando his assentiens, qui dicebant esse consultatricem voluntatem, hominem solum eum adstruebat more nostro consultantem, nihil à Pyrrho Maximo differentem. Quandoque verò vocans hanc voluntatem hypostaticam, cum differentia personarum simul inducebat differentiam voluntatum in Personis ejusdem substantiæ.*

§. II.

De Auctoribus & Fautoribus Hæreseos Monothelitarum.

Heraclius Imperator hæresi obstetricatur.

I. ANno Imperii *Heraclii* decimo-tertio, Christi sexcentesimò vigesimo secundo, Monothelitarum hæresis ex inferis erupit. Ipsi obstetricatus est Imperator imprudens, in duplici quem habuit cum hæreticis hominibus congressu, primo in Armenia, cum *Paulo* Severiano hæretico, cujus meminit *Sergius* in Epistola ad *Honorium*, quæ habetur Actione XIII. Sextæ Synodi: altero cum *Athanasio* Jacobitarum Catholico, anno vigesimo Imperii sui, Christi sexcentesimo vigesimo nono, quem *Theophanes* in Chronico commemorat. In utroque congressu, dogma de una in Christo voluntate & operatione propinavit, novum pro antidoto venenum.

Sergius Hæreseos parens.

II. Verùm dogma illud perversum ipse non est fabricatus *Heraclius*. Illud accepit à *Sergio*, quo cum tanta ipsi necessitudo intercesserat, ut etiam adversùs Persas profecturus, filios suos ejus curæ ac fidei commisisset. Ipsum præterea in partes novæ hæreseos traxit æmulatio & odium *Cosrhois* Regis Persarum, qui Nestorianis adversùs Catholicos impensè favebat, ut testatur *Theophanes* in Chronico. Unde

in Eutychianorum factionem Nestorianis infensissimam propensior fuit, non quidem ut unam in Christo naturam assereret, quo ab errore in Concilio Chalcedonensi damnato maximè abhorrebat; sed ut unius assertione voluntatis atque operationis, cujus par non animadvertebat periculum, ipsos demereretur, eorumque unionem cum Catholicis (ut ipsi videbatur) procuraret.

Monothelitarum igitur parens fuit *Sergius*, Syrus genere, parentibus Jacobitis natus, ut testatur *Theophanes*. ad Sedem Constantinopolitanam post obitum *Thomæ* Patriarchæ evectus, nec minimam spem de se faciens sacræ administrationis initio, ut refert *Eleusius* in Vita *Sancti Theodori Siceotæ*, apud *Surium*, ad diem 22. Aprilis, Fautor verò Monothelismi fuit *Heraclius* Imperator, qui habito cum *Paulo* Severiano congressu, Jussionem adversùs ipsum promulgavit, quâ, inter alia duplicem in Christo dici operationem prohibebat. Hanc ad illustriores Episcopos misit, ad *Sergium* in primis & *Cyrum* Alexandrinum, ad *Arcadium* Archiepiscopum Cypri, &c. Hæsitavit primùm *Cyrus*, his verbis *S. Leonis* ad suspendendum inductus assensum: *Operatur utraque forma, cum alterius communione, quod suum est.* Sed *Sergii* suggestione in errore confirmatus, scrupulum omnem excussit, ut discimus ex Epistola ipsius ad *Sergium*: qui pravum dogma, quod *Heraclium* Imperatorem docuerat, ejus Jussione stabiliri vehementer gavisus est, illamque Jussionem approbavit. Hanc verò *Arcadius*, & *Sergius* ipsius in Cypri Archiepiscopatu Successor, improbarunt & rejecerunt, ut discimus ex Concilio Lateranensi, *Secretario II.*

Cyrus Alexandrinus alter Hæreseos Assertor ac Defensor.

III. Tenues hæ videri poterant scintillæ erroris, quæ in magnum eruperunt incendium, cùm *Cyrus* Alexandrinus Episcopus, in Conciliabulo quodam, suam in Urbem congregato, specie unionis Acephalorum cum Ecclesia, anno Christi 633. novem edidit Capitula, quorum septimo asseruit: *Eumdem unum Christum & Filium operari Deo decibilia & humana, unâ Deivirili operatione, secundum S. Dionysium.* S. Dionysii textum interpolavit perfidus, & pro *nova Deivirili operatione*, substituit, *unam*, quam fraudem alii Monothelitæ secuti sunt. Celebratâ Synodo, scripsit ad *Sergium* Constantinopolitanum, Epistolæque suæ novem illa Capitula Alexandriæ fabricata & promulgata adnexuit. Gratulatoriam rescripsit ad *Cyrum* Epistolam *Sergius*, insertam Synodo Lateranensi, Secretario III. quâ ejus Capitula palam approbavit, immensisque laudibus prosecutus est, asseruitque, *Eumdem unum Christum operari Deo decibilia & humana, unâ operatione: quia omnis divina & humana operatio ex uno eodémque incarnato Deo verbo procedebat.*

Fraudulenta Sergii œconomia, ab Honorio R. P. probata.

Cyrum & Sergium frustra hortatus est ad errorem malè conceptum in ortu præfocandum, *Sophronius* Monachus, & mox Hierosolymorum Patriarcha Sanctissimus. Frustra septimi Capituli in Conciliabulo Alexandrino fabricati abrogationem flagitavit. Frustra Encyclicam ad *Honorium* Pontificem, & *Sergium* Constantinoplitanum Epistolam dedit, cùm Hierosolymorum Antistes inauguratus est, qua duas operationes in Christo disertè professus Monothelitas anathemate confixit. Non enim propterea deposuit errorem *Sergius*, sed texit. Acceptâ namque *Sophronii* Synodicâ, Literas dedit ad *Honorium* Romanum Pontificem, insertas Actioni duodecimæ Sextæ Synodi. In his œconomiæ sive dispensationi perniciosæ viam aperuit, ut scilicet neque una, neque duæ in Christo operationes deinceps dicerentur, ob emergens ex illarum vocum usu scandalum: Sed unus idémque Filius unigenitus verus Deus Dominus noster Jesus Christus diceretur operatus tam divinam quàm humanam, & omnem Deo decibilem & homine dignam operationem.

Literas vicissim ad *Sergium* dedit *Honorius*, quibus laudavit ipsum vocabuli novitatem auferentem quod scandalum simplicibus parere posset, sicque prolixam Epistolam conclusit: *Hæc nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut & ea nos vobiscum unanimiter prædicamus, hortantes vos ut unius, vel geminæ novæ vocis; inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitùs atque humanitùs, Fide Orthodoxâ & unitate Catholicâ prædicetis.* Dedit & alteram ad eumdem Sergium Epistolam, quâ decrevit, ut *Unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione eximeretur, quia unius operationis, vel duarum esse, vel fuisse Mediatorem Dei & hominum Dominum Jesum Christum, sentire & promere, satis ineptum est.* Quæ *Honorii* Epistolæ uberem insigni controversiæ præbent materiam, de illibatâ fide, vel Monothelismo *Honorii*: Quidam enim illum in dogmate errasse contendunt; alii in solâ, quam præscripsit, silendi œconomia. Qua de re in Dissertationibus agemus.

Heraclius Imperator promulgatâ Ecthesi, Sergii consilia juvit, vafrìque adhibuit astu.

IV. Vulgatâ *Sophronii* Synodicâ, puduit *Heraclium* assertæ palam hæreseos: nolens verò propria convellere, nec alioqui probrum ferens, Edictum promulgavit, quô caveretur, ne quis unam aut duas in Christo confiteretur operationes (inquit Cedrenus) sed & unicam in Christo voluntatem disertè asseruit; & Sanctos Patres in hoc siqui se effutiit imperitus Princeps. Extat *Heraclii* Ecthesis Secretario III. Lateranensis Concilii: Cujus hæc sunt verba præsentem controversiam spectantia: *Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere sive docere operationes in divinâ Domini Incarnatione, sed magis, sicut sancta & universales tradiderunt Synodi, unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum confiteri, operari divina & humana, & omnem Deo congruam & homini operationem ex uno eodémque incarnato Deo Verbo indivisè & inconfusè procedere: eò quòd unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta est; tamen turbat extraneas quorundam aures, arbitrantium in interitum eamdem prolatam esse duarum naturarum, quæ in unâ subsistentiâ unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote à nemine dictam Sanctorum & præcipuorum Patrum: Sed & sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates contrariè ad invicem venientes... Unde Sanctos Patres in omnibus & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur, utpote in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis separatim & ex proprio impetu naturalem ejus producere motionem, sed quando, & qualem, & quantam ipse Deus Verbum voluerat.*

Hujus Ectheseos Auctor fuit *Sergius*, qui eam *Heraclii* nomine inscripsit ac vulgavit, majorem ut ipsi conciliaret apud Palatinos Clericos, & apud populos auctoritatem. Id testatur *Martinus* Papa in Synodo Lateranensi, Secretario III. *Nova*, inquit, *Ectheseos audiamus commentum memorati Sergii, quam Ecthesim suasit in tempore, suo nomine, Heraclium quondam Imperatorem titulare.* Edita est Ecthesis anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, quam *Sergius* in Conciliabulo Constantinopolitano Symmistarum Episcoporum confirmavit, & sub anathemate suscipiendam sanxit. Hujus Conciliabuli Fragmentum habetur in Concilio Lateranensi Secretario III. Ecthesim hæreseos infamiâ inustam, suam esse postmodùm negavit *Heraclius*, datâ ad *Joannem IV.* Romanum Pontificem Epistolâ, cujus verba refert *Sanctus Maximus*, in Collatione

* Inter Collectanea Anastasii.

Collatione cum Principibus, in Secretario.

Pyrrhus & Paulus duo Sectæ Monothelitica columina.

V. Post *Sergii* Constantinopolitani Patriarchæ obitum, qui contigit anno sexcentesimo trigesimo nono, evectus est ejus in Sedem *Pyrrhus* Chrysopolitanus Monachus & Presbyter, ejusdem assertor & defensor hæreseos. Is coacto Conciliabulo, Ecthesim approbavit & confirmavit. Hujus Conciliabuli Fragmentum habetur in Concilio Lateranensi, Secretario III. Mortuo *Heraclio*, & *Constantino* filio ejus post quatuor Imperii menses sublato Martinæ novercæ insidiis, quarum particeps existimatus est *Pyrrhus*, teste *Zonara*: cùm Imperium *Constanti* alteri Heraclii filio delatum esset, populus in Patriarcham gravi suspicione conspirationis in *Constantinum* cum *Martina* Augusta initæ laborantem commotus, in Sacrarium irrupit. Quo tumultus perterritus *Pyrrhus*, pejoráque metuens, sequenti nocte Templum ingressus est: Ubi sacra omnia exosculatus, detractóque Pallio & in sacrâ Mensâ deposito, *Non Sacerdotio*, inquit, *me abdico, sed contumaci populo abrenuntio.* Id testatur *Sanctus Nicephorus*, in *Chronographia*. Inde opportunitatem nactus, navigavit Chalcedonem: Inde trajecit in Africam, anno Christo 642. In *Pyrrhi* locum à *Constante* Imperatore intrusus est *Paulus*, & ipse Monothelita. Is statim post inaugurationem suam direxit Synodicam ad *Theodorum* Pontificem Romanum, quâ se Catholicum ita simulavit, ut fidem ejus laudaverit Pontifex his verbis; *Et quoniam lecti apices Dilectionis vestræ limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hausisse, & sicut prædicamus, prædicare manifestarunt, &c.* Ægrè tulit *Theodorus* Papa *Paulum* substitutum *Pyrrho* canonicè non deposito, & cui seditio popularis jus sedis non abstulerat; quâ de re graviter conquestus est, cùm Epistola ad *Paulum* ipsum, tum alterâ ad ejus Ordinatores datâ, quarum meminit Synodus Lateranensis sub *Martino I.* Quamquam verò se Orthodoxum *Paulus* simularet, ut sedem sibi firmaret, quam canonicè non fuerat adeptus, connivere tamen hæresi videbatur, quòd Ecthesim *Heraclii* Monothelismi confirmatricem non rescinderet: Quâ de re gravem ad ipsum Epistolam scripserunt Africani Episcopi, quæ refertur in Concilio Lateranensi sub Martino I. Secretario II.

Tandem cùm à *Theodori* Papæ Apocrisiariis *Paulus* urgeretur ut Fidei Professionem ad illum dirigeret, suamque de Christi voluntate aperiret sententiam, scriptâ ad Summum Pontificem alterâ Epistola, quam diu dissimulaverat, prodidit hæresim, unam Christi voluntatem disertè asserens, specie excludendæ in Christo voluntatum contrarietatis. *Unde*, inquit, *& unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi intelligimus, ut contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidémque personæ Domini nostri Jesu Christi applicemus, aut ipsum sibi expugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus.* Et laudatus inferiùs Sanctis Gregorio Theologo, Athanasio & Cyrillo, ait: *Sed & omnes pietatis Doctores & Prædicatores, hujusmodi unius voluntatis mente detinentur. Quorum si opus est, requisitione proveniente, & competenter relegimus testimonia. Quibus concordes & consonantes facti sunt piæ memoriæ Sergius & Honorius, unus quidem Novæ, alter antiquæ Romæ, Summi Sacerdotii Sedem decorantes. Igitur de his ita nos habemus, sic intelligimus, sic prædicamus. In his Orthodoxia manifestata, in his Ecclesiæ laus, in his salutis nostræ spes.* Data est hæc *Pauli* Epistola anno Christi sexcentesimo quadragesimo sexto: legitur Secretario III. Concilii Lateranensis sub *Martino I.*

Anno præcedenti, scilicet 645. *Pyrrhus* in Africa extorris, regionem illam hæreseos Monothelitica contagio inficere conabatur; sed ipsi obstitit Sanctissimus Abbas re & nomine *Maximus*. Is præsentibus Episcopis Africanis, & *Gregorio* Patritio Præfecto Prætorio Africæ, Disputationem habuit cum *Pyrrho*: Quâ se victum fassus est Hæreticus Patriarcha, & ex ignorantiâ se, & Decessorem suum, lapsos esse, prava dogmata se anathemate damnaturum spopondit, tacitis Auctorum nominibus; idque ut præstaret, Romam se contulit cum *Sancto Maximo*, & *Theodori* Papæ pedibus advolutus, abjuravit errorem, ut ex Actis celeberrimæ istius Disputationis à *Sancto Maximo* conscriptis constat, necnon ex *Theophane*, & *Anastasio Bibliothecario*. Sed fictam fuisse Pyrrhi conversionem, ut Orthodoxæ fidei simulatione Romanum Pontificem & Occidentales Episcopos sibi conciliaret, eórumque opera & auctoritate posset Sedi restitui, probavit eventus: Siquidem ipsi patefactâ viâ per Exarchum Italiæ ad unionem cum Orientalibus, ut canis ad vomitum reversus est.

Monothelismus Typo Constantis Imperatoris occultè asseritur.

VI. Interea *Paulus* Monothelita Constantinopolitanæ Sedi incubans, ab Africanis Episcopis, & à *Theodoro* Papa admonitus ut ejuraret errorem, alioqui se anathemate feriendum ac exauctorandum certò sciret, dolum excogitavit, quò hæresim stabiliret famæque nihilominus consuleret suæ. Auctor enim fuit *Constanti*, ut Edictum proponeret, quô silentium indiceretur unius vel duarum in Christo voluntatum, & chartas Monothelismo faventes, præ foribus Ecclesiæ Majoris affixas, dilacerari præciperet. Has artes adhibuit vafertimus Hæreticus, ut silentio saltem damnari videretur Catholica de duabus Christi voluntatibus sententia. Hanc ejus mentem aperiunt Patres Lateranensis Concilii sub Martino I. *Quoniam*, inquiunt, *& ipsum Typum in eversionem paternorum dogmatum fieri sine dubio persuasit... Qui relinquentes Catholicæ Ecclesiæ Paternas, Synodalésque definitiones ac sermones, ad sæculares Typos callidè properaverunt, pariter quidem tam suam occultantes perfidiam, quàm aliis iniquè irrogantes querelas.*

Promulgatus est Typus à *Constante*, anno Christi sexcentesimo quadragesimo octavo. Habetur in Concilio Lateranensi, *Secretario IV.* Exponit primò controversiæ recentis statum, & dissensionum, quas immaculatæ fidei zelo compescere se velle simulat, originem. *Cognovimus*, inquit, *in multâ perturbatione esse nostrum Orthodoxum populum, utpote dicentibus quibusdam unam voluntatem in Dispensatione magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & eumdem ipsum operari divina & humana: Aliis autem dogmatizantibus duas voluntates, & duas operationes in eadem dispensatione Incarnati Verbi: & illis quidem in satisfactione, propter unam personam esse Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis inconfusè & indivisè volentem & operantem divina & humana: aliis autem propter convenientes naturas indivisè in ipsâ unâ personâ, & ut salvetur & maneat earum differentia, eumdem ipsum unum Christum naturaliter operari divina & humana: & ex hoc in multam dissensionem, & contentionem Christianissimam nostram Rempublicam perduci.* Post hæc medium proponit extinguendæ veteris dissensionis, silentium utrique parti indicens. *Quapropter*, inquit, *sancimus nobis subjectos, qui consistunt in Orthodoxâ & immaculatâ nostrâ Christianorum Fide, qui sunt Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, non habere licentiam invicem à præsenti de una voluntate, aut unâ operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum, qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam.* Sufficere addit Scripturas & Traditiones universalium V. Conciliorum, & voces Patrum usu consecratas, quorum dogmata Regularum instar Ecclesiæ sunt: Proinde idem silentium imperat, quod ante ortam controversiam servabatur.

Yyy ij

Mirum

Vasquesii error in Historia Ecclesiastica.

Mirum est *Vasquesium*, eruditum alioqui Theologum, ignorasse quid sit Typus, & ex Edicto *Constantis* hominem hæreticum, *Pauli* Constantinopolitani Discipulum fecisse. En præclarum illius Commentarium in III. P. S. Thomæ Disputatione LXXIII. Cap. 1. *hujus Hæresis* (Monothelitarum) *Auctores fuerunt. Macarius Antiochenus Patriarcha, Cyprus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, quos commemorat S. Thomas, & Typus. ut constat ex Concilio Lateranensi sub Martino I. Consultat. V. Canon. 18. Martinus I. Typum inquis fuisse Discipulum illius Pauli, quem immeritò aliqui confundunt cum Cypro vel Cypo, quorum error multis confutari potest.*

Petrus Monothelita, Pyrrhi in Sede Constantinopol. Successor.

VII. Mortuo *Paulo* Monothelita, *Pyrrhus* Constantinopolitanam sedem iterum conscendit: Cujus post obitum, Petrus ejusdem Sectæ homo, Patriarcha creatus, Monothelismum sustentavit. Ad *Eugenium* Romanum Pontificem Synodicam obscurissimam, & ambagibus involutam direxit, quam *Eugenius* cum Romano Clero rejecit, ut testantur *S. Nicephorus* in *Chronographia*.

Macarius Antiochenus, Stephanus, & Polychronius.

VIII. Tempore Sextæ Synodi Oecumenicæ, *Macarius* Antiochenus Patriarcha Sectæ Monothelitic æ caput erat: cujus etiam Discipuli, *Stephanus* Presbyter, & *Polychronius* præstigiator, hæresim summâ pertinaciâ propugnarunt; ut constat ex Actis Sextæ Synodi.

Post Synodum VI viguit Monothelismus apud Chaldæos, Armenos, & Maronitas.

IX. Tandem hæresis Monothelitarum, etiam post Sextam Synodum, viguit apud Chaldæos, qui illam sub *Pauli V.* Pontificatu ejurarunt: & apud Armenos, ut constat ex Invectiva secunda *Isaaci* Armeniæ Catholici, qui floruit Sæculo XI. & apud Maronitas, ut testatur *Timotheus* Presbyter Constantinopolitanus, in Opusculo de his qui accedunt ad Sanctam Ecclesiam.

§. III.

A quibus impugnati sint, & damnati Monothelitæ?

Monothelitas impugnarunt Sanctus Joannes Eleemosynarius.

I. PRimus in Monothelitas insurrexit *S. Joannes Eleemosynarius*, Alexandrinus Patriarcha, qui cùm intellexisset, quòd *Sergius* ad *Georgium* cognomento *Arsam*, Paulianistam scripsisset, rogans ut mitteret sibi auctoritates de unâ operatione, hanc Epistolam ab *Arsa* manu abstulit. Unde cùm vellet etiam eum ob ipsam deponere, impeditus fuit ab incursu tunc à Persis in Ægyptum facto. Verba sunt Sancti *Maximi*, in Dialogo cum Pyrrho.

Sophronius Hierosolymitanus.

II. Acriùs hanc hæresim impugnavit *Sophronius* Hierosolymitanus Patriarcha, de quo *Stephanus* Dorensis in Concilio Lateranensi, Secretario II. *Non tantùm*, inquit, *in Oriente validissimè contradixit, contestans eos & admonens ut à propriâ hæresi quiescerent & ad rectam Patrum fidem remearent: verùm etiam in duobus libris sexcenta dedit testimonia Patrum, ad evictionem impietatis eorum, & veritatis ostensionem.* Idem ubi Hierosolymorum inauguratus est Antistes, Concilium Episcoporum Palestinæ congregavit, ex quo Encyclicam misit ad Patriarchas, quâ disertissimis Sanctorum Patrum testimoniis duplicem in Christo voluntatem & operationem prædicavit. Recitata est hæc *Sophronii* Epistola in VI. Synodo, Actione XIII. Misit etiam *Stephanum* Dorensem Episcopum Legatum ad *Honorium*; ut eum ad novorum dogmatum damnationem incitaret, ut ipse *Stephanus* testatur in Concilio Lateranensi, *Secretario II.*

Episcopi Cypri.

III. *Arcadius* Archiepiscopus Cypri, nascenti etiam fortiter obstitit Monothelismo. Is enim, ut superiùs innuimus, *Heraclii* adversùs *Paulum* Severianum transmissam ad se Jussionem, quâ una operatio adstruebatur, reprobavit ceu Catholicæ A fidei adversam. Ejus etiam in Metropolitana Cypriorum Ecclesia Successor *Sergius*, & alii Cypri Antistites idem *Heraclii* Edictum exploserunt, ob illam de unâ Christi operatione hæresim, ut iidem testantur in Epistola ad *Theodorum* Papam datâ, quæ lecta est in Synodo Lateranensi, *Secretario II.* Quamquam anathemate non confoderunt novi dogmatis Assertores, non quòd ferendum illud arbitrarentur, sed quòd illos indulgentiâ quam districtione faciliùs emendandos, & ad sanam doctrinam revocandos confiderent. *Usque ad hanc igitur diem*, inquiunt, *dispensationem aliquam quærentes, tacuimus, arbitrati ad meliora immutare eos proprias doctrinas.*

Baronius emendatur.

B Ex his liquet, quàm falsò *Baronius* ad Annum 633. scripserit: *Cæterùm qui rem bonâ fide agi putarunt, hoc ipsò exordio emergentis hæresis Monothelitarum, utcumque toleranda hæc existimarunt, ex eâ parte quâ unam operationem refer re ipsi viderentur ad unam personam operantem, &c.* Et infra: *Hæc tolerata sunt, donec latere in herbis anguem Catholici intellexerunt.* Tantùm enim abest ut id Catholicis tolerandum visum sit, quin potiùs novo dogmati palàm refragati sint & obstiterint *Joannes Eleemosynarius, Sophronius, Arcadius & Sergius* Cypri Metropolitæ, cæterique C ejusdem Insulæ Episcopi.

Nec *Baronium* juvat, quòd *Sophronius* & alii Orthodoxi vocem Deivirilis operationis identidem usurpaverint. Ex hoc enim perperam colligitur, tolerandam Catholicis visam fuisse unius in Christo operationis assertionem: longè enim differunt, *Deivirilis operatio, & Una Deivirilis operatio. Deivirilem operationem* ex sententia Patrum dixerunt Orthodoxi: *Unam Deivirilem operationem* dixerunt Hæretici. Quamobrem Synodus Lateranensis sub *Martino I.* hanc loquendi formulam damnavit anathemate, Secretario V. *Si quis*, inquit, *secundùm scelerosos Hæreticos, Deivirilem, operationem, quod* D *Græci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter; non autem duplicem esse confitetur, secundùm Sanctos Patres; hoc est divinam & humanam; aut ipsam Deivirilis, quæ posita est, novam vocabuli dictionem, unius esse designativam, sed utriusque mirificæ & gloriosæ unitionis demonstrativam, condemnatus sit.*

Severinus Papa Heraclii Ecthesim reprobavit.

IV. Heraclius Imperator impiam Ecthesim ad *Severinum* Romanum Pontificem electum, per *Isaacium* Italiæ Exarchum transmisit, futurum sperans ut ab eo comprobaretur, quò suæ confirmationem electionis, pro illorum temporum more, à Principe obtineret. Verùm spe suâ cecidit *Heraclius*. E Ecthesim namque Pontifex optimus reprobavit, & anathemate damnavit, ut colligitur ex testimonio *Martini I.* in Concilio Lateranensi, *Secretario III.*

Joannes IV. Monothelitarum hæresim & Ecthesim Heraclianam damnavit in Synodo.

Defuncto post breve Pontificium *Severino* successit *Joannes Quartus*, qui ut primùm Pontificiâ auctus est dignitate, coactâ Romæ Synodo, Monothelitarum hæresim, & impiam Ecthesim *Heraclii* proscripsit, ut refert *Theophanes*: qui addit, & in Africa, in Provinciis Bizacena, Numidia, & Mauritaniis, diversos Episcopos convenisse, & Monotheliarum hæresim anathemate confodisse. Est verò notandum, *Joannem Quartum* damnasse tantùm dogma, F non personas. Id colligitur ex ipsius Epistola ad *Constantinum* imperatorem, quâ ipsum rogavit, ut *Heraclii* Ecthesim rescinderet. Ibi eâ enim *Sergium* appellat *Reverendæ memoriæ Episcopum*, quod non commisisset, si nomen ejus confixisset anathemate. Id etiam colligitur ex Dialogo *S. Maximi cum Pyrrho*, ubi Sanctissimus Abbas Hæretico Patriarchæ medium quærenti quo posset emendare errorem, & Antecessorum famæ consulere, respondit: *Alius non est modus, quàm taceri personas, & anathemate affici talia dogmata.* Quod non dixisset, si *Joannes IV.* personis anathema dixisset.

V. Claruit

S. Maximi certamina adversùs Monothelitas.

V. Claruit maximè in sacro adversùs Monothelitas bello *S. Maximus*, pluréſque in eo palmas tulit. *Pyrrhum* confutavit in celebri Diſputatione cum ipſo habitâ, dum in Africa verſaretur, eumque ad ejurandum errorem compulit. Hujus Diſputationis immortale reliquit monumentum, *Dialogum cum Pyrrho*, quo Monothelitarum dogmata funditus evertuntur. Ejuſdem adversùs impiam hæreſim glorioſa certamina teſtantur Collatio habita cum *Theodoſio* Cæſareæ Epiſcopo, & duobus Patritiis *Theodoſio* & *Paulo*, quos ad ipſum miſerat *Conſtans* Imperator, cum in oppido Byziæ exul ageret: & altera Collatio habita Conſtantinopoli cum Principibus, in Secretario: Quarum monumenta tranſmiſit ad poſteros. Scripſit præterea plura Opuſcula, quibus Monotheliſmum planè confutavit. Nec doctrinâ ſolùm, ſed paſſionibus fidem Catholicam defendit, contumeliis, triplici exilio, verberibus, linguæ & dexteræ manûs abſciſſione vexatus. In exilio tandem obiit anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Iſta certâ ſunt ex *Actis S. Maximi*, ex ejus Operibus, ex Hypomneſtico *Theodoſii* ac *Theodori* Monachorum, aliiſque monumentis.

Pyrrhus à Theodoro Papa damnatus.

VI. Cùm *Pyrrhus* ad publicam hæreſeos, quam fictè ejuraverat, profeſſionem ac defenſionem rediiſſet, *Theodorus* Romanus Pontifex, convocatis Epiſcopis & Clero ad ſepulchrum Principis Apoſtolorum, ſententiam anathematis & depoſitionis in *Pyrrhum*, & eos qui cum ipſo communicarent, tulit, ipſique ſubſcripſit calamo in Calice tincto, Sanguine Domini loco atramenti uſus, novo ſed terribili exemplo, ut Hæreſeos, Hæreticorúmque damnatio celebrior eſſet, ac firmior videretur, majorque terror incuteretur Monothelitis & eorum Fautoribus. Id teſtatur *Theophanes*.

Theodorum Papam Paulum non depoſuiſſe Combeſiſius noſter contendit contra Baronium.

VII. Idem *Theodorus Paulum* Conſtantinopolitanum, cùm per literas, tum per Apocriſiarios ſuos canonicè admonuit, ut hæreſim ejuraret, anathematis & depoſitionis ſententiam, ſi pertinax maneret, intentans. *Paulum* ab Apoſtolica Sede exauctoratum ſcribit *Anaſtaſius Bibliothecarius*. Quòd Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Parens ad *Theodorum* Papam refert, quem etiam Typum *Conſtantis* damnaſſe putat convocatâ Synodo. *Combeſiſius* noſter in Hiſtoria Monothelitarum *Baronium* refellit his conjecturis. Prima eſt, quòd *Martinus I.* perſecutionem Apocriſiariis *Theodori* à *Conſtante* Imperatore & *Paulo* Patriarcha Conſtantinopolitano illatam in ſolam refundit Apocriſiariorum admonitionem, auctoritate Apoſtolicæ Sedis dicto *Paulo* factam, ut ab hæreſi recederet. At ſi damnaſſet ipſum *Theodorus*, hæc potiùs allata fuiſſet à *Martino I.* perſecutionis Apocriſiariis illatæ cauſa (in Concilio Lateranenſi Secretario IV.) Secunda conjectura eſt, quòd *Benedictus* Epiſcopus Ajacenſis, aliique Epiſcopi in Concilio Lateranenſi *Pauli* damnationem urgentes, ſatis indicant nullum hucuſque anathema *Paulo* inflictum. Nam ſi quæ lata fuiſſet à *Theodoro* in *Paulum* ſententia, & quidem in Synodo, laudata fuiſſet in Concilio Lateranenſi, ut graviſſimum adversùs ipſum præjudicium.

Potior Baronii cauſa.

Sed conjecturas doctiſſimi P. *Combefiſii*, negantis tantùm argumenti vim habentes, evertit poſitivum ac diſertum teſtimonium Abbatum & Monachorum Græcorum, in Libello oblato Synodo Lateranenſi ſub Martino I. & lecto Secretario II. *Cum quibus*, inquiunt, *& Typum, qui nunc contra Orthodoxam Fidem factus eſt ex ſubreptione, non ex ſtudio aut mente piiſſimi noſtri Imperatoris, ſed ſuaſione importuna, & falſiloquio Pauli depoſiti à Prædeceſſore veſtra Sanctitatis Theodoro, ſanctiſſimæ recordationis Papa veſtræ Apoſtolicæ Sedis, eidem anathemati ſubmittimus.*

Monothelitæ à Martino I. & Synodo Romana damnati.

VIII. Anno Chriſti 649. cùm è vitâ migraſſet *Theodorus* Pontifex, *Martinus* in ejus locum creatus eſt. Ejus electioni cùm Imperator pro more illius temporis, conſenſiſſet, conatus eſt Typi confirmationem, ab ipſo extorquere; qui execratus facinus, tantùm abfuit ut *Conſtanti* præberet aſſenſum, quin potiùs convocavit Synodum Romam, cui centum & quinque Epiſcopi interfuerunt, in quâ Monothelitarum hæreſim damnavit, ejuſque Auctores ac Sectatores anathemate confixit. Damnavit etiam *Heraclii* Ecteſim, Typumque *Conſtantis*. Quinque Secretariis ſeu Conſultationibus hæc Synodus abſoluta eſt. Tanta autem ſemper fuit ejus auctoritas, ut poſt quinque Synodos Generales Profeſſionibus Fidei olim insereretur, ut obſervat *Baronius* ex Synodo Anglicana ſub *Theodoro* Archiepiſcopo, cujus meminit *Beda*, lib. IV. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis Anglorum*, cap. 17.

Baronius ad annum 649.

Typus Conſtantis juſtè damnatus & cur?

Typus vel eo ſolo nomine rejici poterat, quòd à Laïco Principe editus eſſet, cujus non erat de fidei controverſiis decernere: aliâ tamen ex causâ damnatus eſt, quòd ſcilicet prohibens unam deinceps aut duas in Chriſto dici operationes, & voluntates, ſimili ſorte Catholicum dogma cum hæretico involveret. *Quoniam* (inquit Synodus, Secretario IV.) *omnino eſt inconveniens Catholicæ Eccleſiæ Regulæ, in quâ utique adverſa tantummodo jubentur merito ſepeliri ſilentio: non autem Orthodoxa cum contrariis confiteri, aut quoquo modo denegare. Aſſerit enim ita, Quoniam alienum eſt Chriſtianorum, cum rectâ fidem impietatem ſuſcipere, & non diſcernere recta à malis. Qualis namque participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut qualis communio lumini cum tenebris?*

Hæreticorum autem damnationem, necnon Heraclianæ Ecteſeos, & Typi *Conſtantis*, Sancta Synodus his verbis decrevit, *Canone XVIII.* poſt veterum Hæreticorum execrationem: *Cum quibus meritò, utpote ſimiles eis, pariquæ errore præditos, ex quibus dogmatizare noſcuntur, hoc eſt, Theodorum quondam Epiſcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Conſtantinopolitanum, vel ejus Succeſſores Pyrrhum & Paulum, in ſuâ perfidiâ permanentes, & omnia impia illorum conſcripta, & eos qui ſimilia cum illis uſque in finem obſtinatè ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur, hoc eſt, unam voluntatem & unam operationem deitatis & humanitatis Chriſti: & ſuper hac impiiſſimam Ecthesim, quæ perſuaſione ejuſdem Sergii facta eſt ab Heraclio quondam Imperatore adversùs orthodoxam fidem, unam Chriſti Dei voluntatem, & unam ex concinnatione definientem operationem venerari; ſed & omnia quæ pro ea impiè ab eis ſcripta, vel acta ſunt, & illos qui eam ſuſcipiunt.... Et cum illis denuo ſceleroſum Typum, qui ex ſuaſione prædicti Pauli nuper factus eſt à Sereniſſimo Principe Conſtantino Imperatore contra Catholicam Eccleſiam, utpote duas naturales voluntates & operationes, divinam, & humanam, quæ à SS. Patribus in ipſo Chriſto Deo vero & Salvatore noſtro, piè prædicantur, cum unâ voluntate & operatione, quæ ab Hæreticis impiè in eo veneratur, pariter denegare, & taciturnitate conſtringi promulgantem, & propterea cum SS. Patribus & ſceleroſos Hæreticos ab omni reprehenſione & condemnatione liberari injuſtè definientem.... Si quis igitur conſonanter nobis omnia hæc impiiſſima hæreſeos illorum dogmata, & ea quæ pro illis à quolibet impiè conſcripta ſunt, & denominatos Hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, & Sergium, Pyrrhum, & Paulum, non reſpuit & anathematizat.... hujuſmodi condemnatus ſit.* Prudenti œconomia erga *Conſtantem* Imperatorem ſe geſſit *Martinus I.* & Synodus Lateranenſis: Typum namque ſub ejus nomine damnare noluit, nec anathemate ferire Principem, ne Schiſma faceret, ne Hæreſim promoveret audaciùs, ne perſecutionem inferret Eccleſiæ, ne denique ſpem omnis alienationis ipſius ab Hæreticis

Oeconomia Pontificis & Synodi erga Principem.

Hæreticis eo succideretur anathemate, quô fuisset ab Ecclesia præcisus. A

Monothelitarum hæresis damnata in VI. Synodo.

IX. Denique Monothelitarum hæresis ultimo ictu confixa est in Sexta Synodo Oecumenica, cujus brevem Historiam subjicimus.

§. IV.

De Sexta Synodo Oecumenica.

Constantinus Pogonatus convocat VI Synodum.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo octavo, *Constantinus, Pogonatus, Constantis* filius, debellatis Saracenis & Imperii pace firmatâ, de B Ecclesiarum pace cogitavit. Sedebat tunc temporis Constantinopoli *Theodorus*. Is cùm ordinatus esset Regiæ Urbis Patriarcha, admonitus ab Imperatore ut Synodicam ad Romanum Pontificem scriberet, parere renuit. Post hæc Pius Princeps quæsivit à *Theodoro* & *Macario* Antiocheno, quænam controversia inter Apostolicam Sedem & Constantinopolitanam de fide verteretur. Qui responderunt, Verba quædam novitatis introducta fuisse à nonnullis ex imperitia, ab aliis ex temeritate: & ex hoc tempore convenire non potuisse utramque Ecclesiam.

C His permotus Imperator, Concilium convocavit Constantinopolim, ac eâ de re scripsit ad *Donum* Pontificem Maximum, ad quem etiam misit *Epiphanium* Virum Illustrem, qui erat ipsi à Secretis, acturum cum illo, ut Legatos tum Sedis Apostolicæ, cùm Occidentalis Synodi, ad Concilium Oecumenicum mitteret, cum libris, ex quibus dirimi posset controversia. Id constat ex Sacra Jussione *Constantini* Imperatoris, quæ legitur in limine Sextæ Synodi *Dono* Pontifice defuncto, *Agatho*, qui ipsi successerat, acceptis Imperatoris literis, Legatos misit Constantinopolim, ad Concilium Oecumenicum celebrandum, anno Christi sexcentesimo octogesimo. D Sedis Apostolicæ legationem *Theodoro* & *Georgio* Presbyteris, & *Joanni* Diacono imposuit. Legationem verò Synodi Occidentalis *Joanni* Portuensi, *Joanni* Regii, & *Abundantio* Paternensi, Episcopis. Id constat ex Epistola *Constantini* Imperatoris datâ ad *Georgium*, qui ejecto *Theodoro*, ob pertinaciam in hæresi, & erasum ex sacris Diptychis *Vitaliani* Pontificis nomen, inauguratus recèns erat Regiæ Civitatis Antistes. Legatorum electio facta est in Concilio Romano centum & viginti quinque Episcoporum, collecto ab *Agathone*, cujus Synodica ad Imperatorem recitata est in VI. Synodo, E *Actione IV*.

Agatho Pontifex mittit Legatos.

Quando cœpta Synodus?

Cœpta est Oecumenica Synodus Sexta, die 7. Novembris, anno sexcentesimo octogesimo, *Agathonis* Papæ tertio, *Constantini Pogonati* Imperatoris decimo-tertio. Celebrata est Constantinopoli, unde Tertia Synodus Constantinopolitana vocatur.

Numerus Episcoporum.

Non conveniunt Auctores de numero Episcoporum. Ducentus octoginta novem *Theophanes* & *Cedrenus* numerant. Actio postrema Synodalis subscriptos habet centum sexaginta sex. Non longè recedit ab hoc numero *Photius*, in Libello de Synodis recensens centum & septuaginta. F Interfuit Concilio *Constantinus* Imperator cum selectis Judicibus. Quin etiam celebratum illud dicitur, *Præsidente piissimo, & Christo amabili magno Imperatore Constantino*. Quô sensu id intelligendum, exponam in Dissertationibus. Dicere hic sufficiat, præfuisse quodam sensu Religiosissimum Principem ut Defensorem fidei, & ordinis Judiciorum custodem, non ut Judicem controversiarum fidei. Porrò cum Gloriosissimos Judices passim in Synodo nominari audis, ne existimes Laïcos Magistratos ab Imperatore assumptos esse, qui de fidei rebus decernerent, sed qui Conservatores essent Synodi ac libertatis partium.

Adfuerunt Imperator, & Magistratus.

Alberti Pighii temeritas arguitur.

Unde in Græco habetur, ἄρχοντες, id est, *Proceres*, non δικ. id est, *Judices*. Sedebant à sinistris Imperatoris Romani Pontificis Legati, à dexteris *Macarius* Antiochenus, & *Georgius* Constantinopolitanus. In quo sessionis ordine nihil præter morem Ecclesiasticum commissum est: nam & in Concilium Nicæno *Eustathius* Antiochenus Episcopus primus ad dexteram sedebat, *Osio*, aliisque *S. Silvestri* Legatis sedentibus ad sinistram. Et in Concilio Chalcedonensi Legati *S. Leonis* ad lævam sedebant, *Dioscorus* verò Alexandrinus Patriarcha ad dexteram, propositis in medio Evangeliis. Nec mirum, cùm sinistra in Ecclesia sit honoratior dextera, ut alibi observavimus. Ex his patet, quàm temerè *Albertus Pighius* Acta Sextæ Synodi supposititia effutiat, aut legitimam & Ecclesiasticam Synodum non fuisse, cujus hæc Acta sint, cui præfuerit Imperator, interfuerint sæculares Judices, Apostolici Legati à sinistris sederint. *Pighii* errores & temeritatem pro meritis castigat doctissimus *P. Combefisius*, in Dissertatione Apologetica pro Actis Sextæ Synodi.

Lecta est in Synodo Epistola Agathonis, in qua multa observatione digna.

Actione IV. lectæ sunt Epistolæ duæ dogmaticæ, una *Agathonis*, altera Synodi Occidentalis, ad Constantinum Imperatorem, quibus geminæ in Christo voluntatis & operationis Catholicum dogma luculentissimè ex fidei regulis demonstratur. In Agathonis Epistolâ nonnulla notanda sunt. Primò, non fuisse admodum eruditos Legatos, quos ad Concilium misit. Scribit enim se eos non misisse pro confidentia de eorum scientia, sed pro obedientiâ quam Imperatori debebat. Doctorum virorum penuriam in mala Italiæ tempora refundit. *Nam apud homines in medio Gentium positos*, inquit, *& de labore corporis quotidianum victum summâ hæsitatione quærentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia? Nisi quod quæ regulariter à sanctis atque Apostolicis Prædecessoribus & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate à Patribus traditæ fidei conservamus: Unum ac præcipuum bonum habere semper operantes atque studentes, ut nihil de iis quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis, & sensibus, illibata custodiantur.*

Secundò, observatione dignum est, quanti fecerit semper Ecclesia SS. Patrum doctrinam, ex his verbis Agathonis; *Quibus* (Legatis) *& testimonia aliquorum SS. Patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut facultatem suggerendi à benignissimo vestra Christianitatis Imperio consecuti, ex his duntaxat satisfacere studeant, dum Imperialis Mansuetudo præceperit quid hæc spiritalis Mater vestrum ac à Deo propagati Imperii, Apostolica Christi Ecclesia credat & prædicet.* Hæc ab Hæreticorum hujus ævi ingenio longè aliena sunt, qui spretâ Sanctorum Patrum auctoritate, ad solas Scripturas provocant.

Causa fidei ad SS. Patrum doctrinam expenditur.

Tertiò observandum, quod ait: *Apostolicam Romanam Ecclesiam nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexisse.*

Romana Ecclesia nunquam à via veritatis deflexit.

Actionibus V. & VI. Macarius Antiochenus Patriarcha, Monothelita pervicacissimus, urgente Imperatore, protulit testimonia SS. Patrum, quibus una Christi voluntas asseri videbatur. Hæc verò testimonia truncata esse à *Macario*, & ejus Symmistis exceperunt Sedis Apostolicæ Legati, & quæ Patres de voluntate divinâ manifestè dixerunt, ab iis ad voluntatem Christi post Incarnationem fraudulenter fuisse translata.

Actione VII. Legati recitarunt testimonia SS. Patrum, qui duas voluntates & operationes prædicabant. Interrogati verò ab Imperatore *Georgius* Patriarcha Constantinopolitanus, & *Macarius* Antiochenus, an Definitioni Agathonis consentirent, petierunt exemplar Definitionis, & inducias, ut laudata

ctata Sanctorum Patrum loca cum Codicibus Ecclesiæ Constantinop. conferre possent.

Georgius Constantinop. Patriarcha fidem Orthodoxam in Synodo profitetur.

Actione VIII. Georgius ab Imperatore interrogatus respondit, se diligenti Codicum collatione factâ cum authenticis exemplaribus, cognovisse, recensita in Relationibus *Agathonis* testimonia SS. Patribus consona esse. Ideoque se Relationes *Agathonis* & Occidentalis Synodi amplecti professus est, eamdemque fidem sectari. Egregium Orthodoxiæ specimen dedit *Georgius* in eadem Sessione, cùm *Vitaliani* Pontificis nomen sacris Diptychis restitui postulavit, quod malis artibus Macarii fuerat expunctum. Id obtinuit ab Imperatore. Ejus fidem festivâ acclamatione commendavit Synodus: *Georgio Orthodoxo Patriarchæ multos annos.* Omnes Episcopi Sedi Constantinopolitanæ subditi cum *Georgio* se sentire, *Agathonis* Epistolam suscipere, fidem profiteri, hæresim anathematizare, contestati sunt.

Theodorus Episcopus rudis & rusticus à Monothelitis deceptus.

Theodorus Episcopus Melitinæ, vir in dicendâ sententiâ rudis, & ex propriâ confessione rusticus, scripto suffragium tulit. Porrexit Chartulam Synodo, quâ nihil de fide tradendum aut prædicandum asserebat, præter id quod à Sanctis quinque Synodis definitum esset. Satis esse Orthodoxis, si duas naturas in Incarnatione Domini nostri Jesu Christi inconvertibiliter, ac inconfusè & indivisè in unâ subsistentia profiterentur. Proinde nullum prædefunctorum accusationi aut reprehensioni obnoxium esse debere, *sive unam operationem & unam voluntatem, sive duas operationes & duas voluntates docuisset. Se confiteri unum eumdémque Christum in duabus naturis, & unâ persona, indivisè & inseparabiliter operantem divina & humana.* Tradita fuerat *Theodoro* hæc suffragii formula à *Stephano* Abbate Monothelita, *Macarii* Antiocheni socio, ut ipse fassus est.

De fide Macarii & Stephani quæstio habetur.

Post hæc, in *Macarii* fidem inquisitum. Palam ille cùm interrogaretur, an duas in Christo voluntates & duas operationes naturales, inconfusè & indivisibiliter, confiteretur, & Epistolam *Agathonis* susciperet, urgenti Imperatori responder: *Non dico duas voluntates, aut duas operationes in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, sed unam voluntatem & Deivirilem operationem.* Jussi deinde *Macarius*, & *Stephanus* fidem suam exponere, editâ Fidei professione confessi sunt se consentire tam Sanctis quinque Synodis, quàm *Honorio, Sergio, Paulo, Petro*, & reliquis quorum in Codicibus à se porrectis meminerant, & credere *Unam voluntatem subsistentialem in uno Domino nostro Jesu Christo, & Deivirilem ejus operationem.*

Macarii pertinacia.

Recitata subinde est uberior Fidei professio à *Macario* ante oblata, continens testimonia Sanctorum Patrum, quibus unicam in Christo asseri propugnabat voluntatem. Quâ recensitâ, interrogatus iterum *Macarius* ab Imperatore & Synodo, utrum duas naturales voluntates, & duas naturales operationes confiteretur in Christo, respondit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, nec si membratim incidar, & mittar in mare.*

Patrum testimonia truncata protulit Macarius: quod Hæreticis solenne esse Synodus observat.

Collatis denique Patrum testimoniis, quæ protulerat *Macarius*, ad authenticos Codices, Convictus est falsi, quòd nempe Sanctorum Patrum testimonia detruncasset, ac intercisis verbis, eorum sensum depravasset. Unde Sancta Synodus dixit; *Non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deflorare: Hæreticorum potiùs hoc proprium est.* Fassus est inverecundus *Macarius*, se illas auctoritates ita deflorasse, ut opinionem suam stabiliret. Tunc demum has in voces erupit Sancta Synodus: *Hæreticum seipsum manifestè demonstravit. Novo Dioscoro anathema. Hujusmodi deponatur. Novum Dioscorum foras mitte. Novo Apollinario malos annos, Merito ab Episcopatu alienetur. Nudetur circumposito ei Pallio.*

Macarius & Stephanus damnati.

Actione IX. Sententia depositionis in *Macarium* & *Stephanum* prolata est. Episcopis & Clericis, qui errorem ejuraverant, servata est dignitas, eâ lege ut Fidei libellos cum jorejurando Synodo offerrent.

Actione X. Facta est coram Synodo collatio testimoniorum quæ ex SS. Patribus laudaverat Agatho in Codicillo per Legatos ad Synodum transmisso, ad duas in Christo voluntates comprobandas, cum authenticis Codicibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Collata sunt etiam Hæreticorum testimonia, qui unam voluntatem, & unam operationem prædicabant. Lectus est & fidei libellus ab Episcopis & Clericis dato coram Sanctis Evangeliis Sacramento oblatus, quô sinceram fidem professi, à Synodo recepti sunt.

Actione XI lecta est Synodica *Sophronii* Hierosolymitani Patriarchæ ad *Sergium*: Tum postulantibus Sedis Apostolicæ Legatis, & jubente Imperatore, excerpta sunt ex libris *Macarii & Stephani* loca quædam, & cum veterum Hæreticorum sententiis collata, ut cum illis istos convenire, omnibus persuasum esset.

Actione XII. lectæ sunt Epistolæ *Sergii* Monothelitarum principis ad *Cyrum*, & ad *Honorium* necnon *Honorii* Pontificis Romani Epistola I. ad *Sergium*. Quærentibus verò Proceribus, an *Macarius* in Sedem restituendus esset, si fortè revocaret errorem, sancta Synodus dixit: Nullatenus divinam regulam pati ut in Sede Doctoris ulteriùs resideret.

Actione XIII. lata est sententia in Monothelitas, cum quibus damnatus est & *Honorius*; non quidem ut Hæreticus; sed ut Hæreticorum fautor: quâ de re in Dissertationibus dicemus. Lectæ sunt Epistolæ duæ *Cyri* Alexandrini ad *Sergium* Constantinopolitanum, novem ejusdem *Cyri* Capitula, Fragmenta ex libris *Theodori Pharanitani* ad *Sergium* scriptis; Epistola *Pauli* Constantinopolitani quondam Patriarchæ Monothelitæ ad *Theodorum* Pontificem Romanum; Epistola *Petri* Constantinopolitani Patriarchæ Monothelitæ ad *Vitalianum* Papam, quibus relectis, innotuit ipsos unam voluntatem, & unam operationem in Christo impiè prædicasse, ob idque ab *Agathone*, & à Concilio Romano anathema meritò percussos.

Thomas, Joannes, & Constantinus Regiæ Urbis Patriarchæ Orthodoxi.

Jussu deinde Magistratuum, qui ordinem Concilii, absente Imperatore disponebant, relectæ sunt Synodales Epistolæ *Thomæ*, *Joannis & Constantini* Patriarcharum Constantinopolitanorum, qui *Petro* Monothelitæ successerant, in quibus nihil inventum est Orthodoxæ Fidei contrarium. Tunc postulatum est sacramentum à *Georgio* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono & Cartophylace, quô assereret, se modis omnibus perscrutatum, nusquam reperisse Libellos scriptos fuisse à quibusdam, atque oblatos prædictis tribus Patriarchis, *Thomæ, Joanni & Constantino*, unam voluntatem, & unam operationem in Christo adstruentes. Cùm *Georgius* Patribus morem gessisset, Sancta Synodus edixit, *Hos sanctæ memoriæ tres Viros, id est, Thomam, Joannem & Constantinum, in unitate manere, atque in sacris Diptychis Sanctarum Ecclesiarum recitari, utpote qui in omnibus immaculati atque irreprehensibiles inventi essent circa rectam nostram Christianorum fidem.*

Emendatur Baronius, ad annum 616.

Ex quibus patet, quam falsò *Baronius* Thomam Constantinopolitanum Patriarcham Orthodoxum fuisse neget, quem Sexta Synodus causâ cognitâ, Orthodoxum pronuntiavit: quem præterea *Tharasius* Actione secunda Synodi VII. asserit non fuisse reprobatum à Sexta Synodo, sicut nec *Joannem*, & *Constantinum* ejusdem Sedis Patriarchas, licet ab Hæreticis ordinati essent. *Quin potiùs* (inquit) *&*

pluree

plures eorum qui in VI. Synodo confederunt à Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro, Præceptoribus videlicet hæresios, unam voluntatem in Christo prædicantibus ordinati erant : cùm hi vicissim Constantinopolitanam Sedem sortiti essent, ac à Petro, qui ex his novissimus eidem Sedi præfedit, usque ad Sextam Synodum, non plures anni transierant, quàm quindecim : quinque intermedio eo tempore Pontifices fuerunt, Thomas, & Joannes, & Constantinus, à prædictis Hæreticis fuerant ordinati, nec propterea reprobati sunt. Ad quinquaginta enim annos tunc hæresis duravit. Verùm Sexta Synodi Patres illos quatuor anathematizaverunt, quanquam eorum Ordinatio essent.

Baronius refellitur.

Respondet *Baronius*, corrupta esse VI. Concilii Acta. Sed quæ fides dicenti, non probanti? Depravationem suspicatur ex eo quòd *Georgius* Cartophylax protulisse dicatur Synodica, quæ facta fuot à *Thoma* Constantinopolitano Patriarcha ad *Vitalianum* Romanum Pontificem ; quæ mittere non potuit propter obsidionis Regiæ Civitatis à Saracenis, quæ biennio duravit. Fictam porro ait illam obsidionem doctissimus Cardinalis, cujus nec *Theophanes*, nec Græci alii Historici meminerint. At satis habet ponderis *Georgii* Cartophylacis assertio coram plenâ Synodo ad id evincendum : ipsique rem adhuc recentem narranti major fides adhibenda est, quàm *Baronio* post octingentos annos contrarium sine testibus asserenti. Negans enim argumentum Historiæ positivo suppatis Autoris testimonio assertæ veritatem evertere non potest.

Objiciet *Baronius*, Sanctum Maximum cum Thoma Patriarcha, utpote Hæretico, communicare noluisse, ut Acta *Sancti Maximi* testantur. At in Actis à Doctissimo Cardinali laudatis nihil hujusmodi legitur. Nullum enim Patriarcham Constantinopolitanum nominant præter *Petrum* ; quô sedente, & ante *Thomæ* inaugurationem, consummatus est *Sanctus Maximus*. Nam à Petro, qui Monothelitarum postremus Constantinopoli sedit, ad Sextam usque Synodum, plures anni non effluxerunt, quàm quindecim, quô temporis intervallô *Thomas, Joannes*, & *Constantinus*, huic Ecclesiæ præfuerunt. Porrò Petrus sedit annis duodecim, ut constat tum ex *Nicephori Chronico*, tum ex *Zonara*. Evectus est in Sedem Patriarchicam anno Christi sexcentesimo quinquagesimo tertio, cùm *Pyrrhus* post obitum *Pauli* in Episcopatum restitutus, quatuor duntaxat menses vixisset (ut fatetur *Baronius* :) Sedit ergò ad annum usque sexcentesimum sexagesimum quintum, quò in defuncti locum suffectus est *Thomas*. Sanctus verò *Maximus* consummavit Martyrium anno Christi sexcentesimo quinquagesimo septimo (ut observat *Baronius*) Falso igitur scripsit Illustrissimus Auctor, *S. Maximum* cum *Thoma* jam Patriarcha Constantinopolitano communicare noluisse. Nec majori fide sessionem *Petri* contrahit ad biennium, *Nicephoro* & *Zonara*, qui duodecim annos illum sedisse tradunt, nullum æqualis fidei Auctorem opponens.

Pyrrhi, & Honorii Epistolæ combustæ ex Synodi sententia.

Antequam finis imponeretur Actioni decimæ-tertiæ, lecta est Epistola altera *Honorii* Romani Pontificis ad *Sergium*. Lecta pariter Epistola *Pyrrhi* Constantinopolitani ad *Joannem IV*. Pontificem Maximum ; quæ visæ sunt in eamdem impietatem concurrere, & ideo igni coram Synodo traditæ sunt.

Actione XIV. lecti sunt libelli *Mennæ* ad *Vigilium*, & *Vigilii* ad *Justinianum* Imperatorem, & *Theodoram* Augustam : Quos Patres universi confictos & suppositos fuisse pronuntiaruot, ipsaque Acta V. Concilii, dolis Stephani Hæretici, qui Macarii Antiocheni consors erat, interpolata. Unde exclamarunt : *Anathema libro qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, sive scripserunt : Anathema Libellis qui dicuntur facti fuisse à Vigilio ad Justinianum, & Theodoram divæ memoriæ, qui & sunt falsi demonstrati. Anathema simul omnibus, qui falsaverunt Acta Sancti & universalis Quinti Concilii.*

Baronius, & Binius emendantur.

Malè conjectant *Baronius*, & *Binius*, Epistolam *Vigilii*, quæ refertur à *Liberato* in Breviario de causa Nestoriano & Eutychiana, suppositam esse, ex his Sextæ Synodi verbis. Istud enim Synodi Sextæ Judicium illos solùm spectat Libellos, quibus anathematizabat Vigilius *Theodorum Mopsuestinum*, & Epistolam *Ibæ*, & scripta *Theodoreti* contra XII. Capitula *S. Cyrilli*, his verbis : *Anathematizamus autem & Theodorum quondam Episcopum Mopsuestenum, utpote qui alienus semper ab Ecclesiis exstitit, & Sanctissimis Patribus adversarius, qui non confitetur incarnatum esse, Dei Verbum, id est, Christum esse unam subsistentiam, & unam personam, & unam operationem.* At in Epistola *Vigilii*, quam refert Liberatus, nihil hujusmodi legitur : Illi itaque Libelli *Vigilio* suppositi, non sunt iidem cum *Epistola Vigilii*, quam refert Liberatus : Lege quæ de illâ Epistola observavimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ V. Sæculi, cap. III. Artic. XV. ubi de Concilii Chalcedonensis hostibus & impugnatoribus actum est, §. VIII.

Polychronius impostor damnatur.

Actione XV. suggerente *Donato* Episcopo Prusiados, *Polychronius* Presbyter & Monachus, *Macarii* & *Stephani* discipulus, in consessum vocatus, & interrogatus de Fide non solùm se Monothelitam, sed & præstigiatorem prodidit, & publicum Impostorem. Is enim Carthulam, in quâ scripta erat hæc propositio : *Qui non confitetur unam voluntatem, & unam Deivirilem operationem, non est Christianus* : super mortuum poni postulavit, spondens illum se suscitaturum, ut fidei suæ veritatem comprobaret, quam cælestibus visionibus jam confirmatam mentiebatur. Indignam licet conditionem subire coacta est sancta Synodus, ne fidei Sacramentum in discrimen adduceretur, & plebeculæ falsorum promissione miraculorum, & revelationum figmentis deceptæ, ipsi adhærerent. Factum est itaque miraculi periculum. Appositum est coram *Polychronio* defuncti recèns hominis cadaver, extra locum Synodi, populo ad spectaculum insolens certatim confluente. Pluribus horis apertâ scenâ personam egit perfidi impostoris *Polychronius*, defuncto in aures insusurrans ; suamque tandem impotentiam professus est. Tunc populus ludi spectator exclamavit : *Novo Simoni anathema. Polychronio seductori populi anathema.* Post hæc rursus in Concilio à Patribus interrogatus, Duasne voluntates, & duas operationes naturales in Christo crederet? In errore pertinax, tanquam seductor populi, & manifestus hæreticus, omni Sacerdotali Ordine & Officio denudatus est.

Actione XVI. Constantinus quidam Ecclesiæ Apamensis Presbyter ad Concilium accessit, rogavitque Patres, ut liceret sibi proponere novum quoddam Henoticon, seu modum conciliandi eos qui de unâ, vel duabus voluntatibus & operationibus inter se dissentirent. Is porro ineundæ concordiæ modus erat, Ut Christus habuisse quidem voluntatem humanam diceretur, sed quam exuisse in morte, cum carne & sanguine ; adeòque divinam tantùm in eo mansisse voluntatem post resurrectionem. Sed explosa atque damnata est hæc Assertio, Patribus exclamantibus : *Hæc Secta Manichæorum est : Hæc est fides Apollinaris. Anathema illi cum dogmatibus suis : Novo Manichæo anathema, foras mittatur Manichæus, omnibusque Hæreticis anathema.*

Expulso isto Hæretico, *Georgius* Constantinopolitanus Patriarcha, unà cum Episcopis Sedi suæ subjectis, Patres rogavit, ut si possibile esset, non anathematizarentur nominatim Decessorum suorum personæ, id est *Sergius*, *Pyrrhus*, *Paulus*, & *Petrus*

Synodus

Synodos respondit nominatim anathemate confodiendos esse. *Georgius* Synodo consensit. Securæ sunt acclamationes : *Constantino Imperatori Orthodoxo, pacifico, novo Theodosio, novo Marciano, novo Justiniano, Conservatori rectæ fidei, multos annos. Agathoni Papæ Romano multos annos*, &c. Adjuncta sunt anathemata in singulos nominatim Hæreticos, & eorum fautores : In *Theodorum* nempe Pharanitanum, *Sergium, Cyrum, Honorium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Macarium, Stephanum, Polychronium, Aspergium* Pergensem Pamphiliorum Metropolitam ; omnes denique Hæreticos & qui Hæreticis suffragantur.

Actionibus XVII. & XVIII. edita est & promulgata Fidei Definitio, quæ omnium Patrum subscriptionibus munita est. Post hæc Imperator sciscitatus est, an cum omnium Episcoporum subscriptione promulgata esset ? Qui ad unum exclamarunt : *Omnes ita credimus. Una fides. Omnes idipsum sentimus. Omnes consentientes & amplectentes subscripsimus. Orthodoxè omnes credimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum.* Tunc iteratæ sunt acclamationes, & ingeminatum anathema in *Theodorum Pharanitam, Sergium & Honorium, Pyrrhum & Paulum, Cyrum & Petrum, Macarium, Stephanum, & Polychronium*, & omnes qui prædicaverunt, vel prædicant & docent, ac docturi sunt unam voluntatem & unam operationem in dispensatione Domini nostri Jesu Christi Dei nostri. Gratias deinde cùm egisset Imperator Sanctæ Synodo ob extinctam hæresim, Sermo Acclamatorius ipsius Majestati compositus palam recitatus est, quo ipsum etiam rogabant Patres ut Edicto Concilium firmaret, quatenus his quæ gesta erant, nullus contradiceret, aut novam quæstionem moliretur. Istud Edictum spectabat *Leo Secundus* in Epistola ad ipsum *Constantinum* Imperatorem : ita scribens : *Synodali igitur Sententiâ, & Imperialis Edicti censurâ, tanquam ancipitis Spiritûs gladio, cum priscis hæresibus etiam nova pravitatis error expunctus est.*

Patres postulant Synodi confirmationem ab Agathone.

Scripserunt etiam Patres Synodicam Relationem ad *Agathonem* Pontificem Maximum, quam cum Actis Synodi transmiserunt per Legatos, confirmationem Concilii ab ipso postulantes his verbis : *Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus : Quam ut iterum per honorabilia vestra Rescripta confirmetis, vestram oramus Paternam Sanctitatem.*

Cùm denique mors *Agathonis* vulgata esset, ac Legati Apostolici in Aula interim morarentur ob negotia Ecclesiæ ; donec electionem futuri Pontificis Imperator pro more confirmasset ; *Leonis II.* inauguratione cognitâ, ad ipsum scripsit *Constantinus* pro confirmatione Concilii, per Legatos Romam redeuntes. Rescripsit Pontifex ad Imperatorem, ad ipsúmque direxit Epistolam Synodi Sextæ confirmatricem. Synodum autem confirmavit his verbis : *Sancta igitur universalis & magna Sexta Synodus, quam nutu Dei vestra Clementia & sedulò convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit, Apostolicam in omnibus Regulam, & probabilium Patrum doctrinam secuta est. Et quia Definitionem rectæ fidei prædicavit, quam & Apostolica Sedes Beati Petri Apostoli (cujus, licet impares, ministerio fungimur) veneranter suscepit : idcirco & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica, concorditer ac unanimiter his quæ definita sunt ab ea, consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam Petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem. Propterea sicut suscepimus atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum I. Chalcedonense, & Constantinopolitanum, quæ & omnis Christi*

Leo Secundus Romanus Pontifex confirmat VI. Synodum.

Ecclesia approbat & sequitur : Ita & quod nuper in Regia Urbe pio vestræ Serenitatis annisu celebratum est, Sanctum Sextum Concilium, ut eorum pedissequum, & ea interpretans, pari veneratione atque censurâ suscipimus, & hoc cum eis dignè connumerari, tanquam unâ & æquali Dei gratiâ congregatum decernimus : & qui in eo fideliter convenerunt, Christi Ecclesiæ Sacerdotes, inter Sanctos Ecclesiæ Patres atque Doctores adscribendos æquè censemus.

Philippicus Bardanes impugnat VI. Synodum.

Attriti Synodi Oecumenicæ anathemate jacebant Monothelitæ, cùm spem illis fecit resurgendi *Philippicus Bardanes*, qui anno Christi septingentesimo undecimo invasit Imperium. Illi fausta omnia, & Imperium ipsum auguratus fuerat Inclusus quidam Monothelita, modo Sextam Synodum se sublaturum è medio juraret, cùm summâ rerum potiretur. Facilè fidem commodavit Incluso Hæretico, qui Judiciariam Astrologiam profitebatur. Et cùm ipse Discipulus fuerat *Stephani* Abbatis Monothelitæ, non ægrè juravit se deleturum Synodum, in quâ damnata fuerat hæresis, quam à puero imbiberat, & anathemate cum aliis Hæreticis confossus *Stephanus*. Impium juramentum summâ implevit diligentiâ. Ut primùm enim Regno potitus est, convocato Episcoporum suæ nequitiæ devotorum Conciliabulo, Sextam Synodum Oecumenicam anathemate damnari jussit, ejusdem Sanctæ Synodi imaginem sustulit, ejus loco seipsum, cum *Sergio* Monothelitarum principe, pingi curavit ; Acta ejusdem Sanctæ Synodi igni tradidit, *Constantinum* Romanum Pontificem, datâ ad eum Epistolâ, trahere conatus est in partes, sed frustra : persecutionem intulit Orthodoxis abrogationi Sextæ Synodi subscribere renuentibus ; *Cyro* Constantinopolitano Patriarcha per vim exturbato, *Joannem* ejus in locum præfecit Sedi Regiæ Urbis. Favebat ille Monothelitis, non quidem apertâ hæreseos professione, sed duplicis voluntatis & operationis silentiô. Sed *Philippico* redacto in ordinem ; & *Anastasio* Catholico Principe & Sextæ Synodi Professore evectô ad Imperii fastigium, Sextam quoque Synodum Patriarcha professus est, quæ ignavè sub tyrannide Philippici gesserat, excusatâ datâ ad *Constantinum* Papam Epistola. Hæc discimus ex *Theophane*, ex *Agathone* Diacono, Sextæ Synodi Notario, in *Peroratione*, & ex laudatâ *Joannis* Patriarchæ Constantinopolitani ad *Constantinum* Papam Epistola.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 48. & 49. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *In Romana Ecclesia non erant viri docti.*

R. De Agathonis Pontificis Epistolâ Dogmatica, Actione quarta Synodi Sextæ Oecumenicæ lectâ, ibi loquor. In ea nonnulla observo : Primò, non fuisse admodum eruditos Legatos quos ad Concilium misit. Scribit enim se eos non misisse pro confidentia de eorum Scientia, sed pro obedientia quam Imperatori debebat. Agathonem Doctorum virorum penuriam in mala Italiæ tempora refundere Mehusina, quæso, noverint Religiosi Censores quis esset Italiæ & Romanæ Ecclesiæ status temporibus Agathonis, quàm ipse Agatho ? In hac facti quæstione si deceptum me putent, Agathoni succenseant, cujus verbis sum deceptus.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 53. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Damnatus est Honorius tanquam fautor Hæreticorum in Sexta Synodo.*

R. Id didici à Leone Secundo Pontifice Maximo ad Episcopos Hispaniæ scribente : *Qui verò adversùs Apostolicæ doctrinæ puritatem perduelles extiterant, obeuntes quidem æterna condemnatione mulctati sunt, id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitani*, CUM HONORIO, QUI FLAMMAM HÆRETICI DOGMATIS, NON UT DECUIT APOSTOLICAM AUCTORITATEM, INCIPIENTEM EXTINXIT, SED NEGLIGENDO CONFOVIT.

ARTICULUS II.

De falsâ Mahometanorum Religione.

SECVÆ Auctor *Muhammedes*, seu *Moamedus*, aut *Mahometus*, Cyrenæus, puer à prædonibus Saracenis raptus, & in Arabiam deportatus, Ismaëlitæ cuidam mercatori diviti venditus est, cui nomen erat *Abdemonaplis*. Ipsi venustas & industria heri conciliavit amorem, qui ipsum negotiationi camelorum, quam exercebat, præfecit. Mortuô *Abdemonaple*, in Viduæ ipsius amorem se insinuavit, eamque duxit uxorem. His nuptiis locupletatus, mercaturam dedignatus est, militiámque professus, Principatum ambire cœpit. Calliditate ingenii, facundiâ, largitionibus, prædonum Saracenorum, ac Militum omnium sibi devinxit animos, eorúmque ingentem numerum aggregavit. Tum adjutore *Sergio* Monacho Nestoriano; cujus beneficio Judaïcarum & Christianarum Literarum nonnullam acceperat notitiam, novam excogitavit Religionem, Legémque nefariam meditatus est, conscripsit, promulgavit, quam *Alcoran* Arabicè nuncupavit, id est, *Volumen præceptorum*: quàm paulatim per tomos ab Archangelo Gabriele ad se delatam mentitus est. Colloquii cum Archangelo confingendi occasionem dedit morbus comitialis, quô interdum vexatus, domi corruebat. Mœrenti ob id uxori persuasit, se Prophetam inauguratum, & *Gabrielis* alloquiô donatum, ejus splendore sic affici & consternari. Vulgavit fabulam muliercula, *Sergius* sciens volens imposturam testimoniô suo roboravit, ac inter Arabes propalavit; cui tandem arma fidem & auctoritatem conciliarunt. Sectam, quam decem annorum spatiô parturiverat, novemdecim aliis vi ferróque propagavit *Mahometus*, imperante *Heraclio*, ut *Theophanes* testatur Arabiam omnem cùm armorum terrore, tum ineptæ ad verum discernendum plebis suffragiô, quæ ipsum ut Dei Internuntium & Prophetam colebat, verebaturque, in suam potestatem redegit. Obiit anno 631. rerum summâ *Abubachari* cognato suo delatâ quô, & *Omaro* illius successore, Ducibus, Arabes Palestinam, Syriam, Ægyptum, Persidem invaserunt. Sepultus est in oppido cui nomen *Mecha*. Sepulchrum ejus sublime pendet in mediô templô, vi magneticâ elatum, lapidibus ornatum pretiosis. Ad illud, Mahometani religionis ergô frequentes conveniunt. Lege *Laonicum*, *lib.* 3. *de Rebus Turcicis*.

Legis Mahometanæ summa.

Hæc autem Legis Mahometanæ summa I. Deum unum prædicat cum Christianis & Judæis, eumque universi conditorem profitetur, pium, misericordem, solum colendum, solum invocandum, bonorum remuneratorem, malorum judicem.

II. Deum Filium habere negat, idque eo probat argumentô, quòd nullius rei sit indigus. Proinde Christum Filium Dei, Deúmque esse inficiatur, eósque incredulos vocat, qui ipsum Deo consimilem & æqualem statuunt. Jesum à Deo increpitum, quòd se, matremque suam velut duos Deos ab hominibus coli jussisset, se excusasse ac purgasse fabulatur, his verbis: *Tu scis me nihil hominibus nisi mandata tua dixisse, scilicet quòd te Deum meum atque suum invocent & adorent*. (Azoara XIII. & XIV.)

III. Cæterùm de Jesu magnificè loquitur. Ipsum à Spiritu divino auxilium atque testimonium habuisse ait, (Azoara x.) *Christum* passim vocat, Prophetarum excellentissimum, cui Deus animam suam, vim atque virtutem præ cæteris tribuerit. (Azoara 4.) *Verbum Dei* ipsum appellat, & *Faciem omnium gentium in hoc futuroque sæculo*. Quod ex *Genesis* 49. hausisse videtur, ubi *Jacob* de Messia venturo vaticinatur: *Et ipse erit expectatio Gentium*: Et ex *Isaia* 11. ubi dicitur de eodem Messia: *Ipsum Gentes deprecabuntur*. Ipsum vocat *Dei Nuntium*, *Spiritum*, *& Verbum Mariæ cælitus missum* (Azoara xi.) Ejus Evangelium *Lumen & confirmationem Testamenti Veteris* appellat (*Azoara* 12.) Agnoscit ipsum, leprosum & cæcum natum curavisse, mortuos suscitasse: Et fingit ipsum volatilia ex luto condidisse, eísque insufflando vitam præbuisse ac volatum. (*Azoara* 13.) Divinâ virtute conceptum, & natum de Virgine fatetur: Sed Mariam Virginem sororem Moysi vocat, putidô anachronismo, & de divino ejus partu multa fabulatur. Ait ipsam juxta palmam Christum peperisse, & propter dolores partûs animô defecisse, Christúmque ex uterô ejus locutum, jussisse palmæ ut fructus excuteret, quorum esu recrearetur. Ipsum prænuntiasse mortem suam & resurrectionem. (*Azoara* 29.) Ipsum filiis Israël Doctorem præpositum: & suppliciis gravissimis in novissimo Judiciô subdendos, qui ipsi non crediderunt. (*Azoara* 53.)

IV. Christum Mariæ filium à Judæis peremptum negat Alcoranum, sed alium ei similem ipsos crucifixisse asserit: Quia Deus eum ad se transmigrare fecit. Judæos porro in ipsum quandoque credituros. (*Azoara* 11.)

V. De Maria Virgine Jesu Matre tradit, ipsam Deo devotam à matre suâ statim à conceptu, omnibus viris & mulieribus splendidiorem atque mundiorem, soli Deo perseveranter studuisse. Ab Angelis ipsi annuntiatum fuisse conceptum & partum Jesu, quem virgo pareret. (*Azoara* 59.) Ipsam unà cum Filio hominibus miraculum facientem, locum bonum & aquis amœnum incolendum à Deo in præmium accepisse. (*Azoara* 33)

VI. Tradit Joannis Zachariæ filii nativitatem Patri seni fuisse à Deo promissam, & insigni miraculô ex matre sterili natum. Hunc virum bonum, virginem, magnúmque Prophetam fuisse, qui verbum Dei confirmaverit; eúmque rerum discretionem habuisse à puero. (*Azoara* 5. & 59.)

VII. Testamenti utriusque historiam interpolat passim & fabulis admiscet. Scientiam Salomoni ministerio dæmonum datam scribit, augurandi præcipuè artem, & magiam. (*Azoara* 1.) Deum Abraham Legem suam docuisse. Ipsum templum Mechæ condidisse; & Dei cultum propagasse. (*Azoara* 2.) Deum per Moysem Legem dedisse filiis Israël, quam sequuti, penitus Deo conjungerentur. (*Azoara* 42.) Ismaëlem inter Prophetas collocat. (*Azoara* 11.)

VIII. Mortuórum resurrectionem asserit, probatque ea rerum creatione, & ex hominis formatione: necnon ex Historia Septem Dormientium, quam in fabulam ridiculam vertit. (*Azoara* 28.)

IX. Paradisum voluptatibus corporis affluentem describit atque pollicetur, aquis limpidissimis, cibo indeficienti, umbra dulcissimè amœnum: In quo credentes & benè facientes, annulos, & torques aureos, & ornatus sericeos virides & deauratos possidebunt, & in lectis aulæaris accumbent: In quô fluunt rivi lactis suavissimi, vini generosissimi, mellis defæcatissimi, & puellæ formosissimæ & nunquam ab hominibus vel diabolis devirginatæ ducentur. (*Azoris* 23. 28. 54. 57. 62 & 65.) Malos verò & incredulos igni perpetuo addicendos. (*Azoara* 66.)

X. Purgatorium quoddam admittit, ignem scilicet quem omnes experiantur; & ex quo soli impii nusquam sint liberandi. (*Azoara* 29.) Hinc orationes pro mortuis fundendas agnoscit: *Nec ego*, inquit, *super vestri quemquam orationes fundam, nec ad ipsius mortui foveam accedam, tum ob hoc quod Deo, Legatoque suo contradixerunt, tum quoniam increduli mortui sunt*: (inquit Azoara 29.) & *Azoara* 46. sic Deum inducit loquentem: *Si vellemus, oculos vestros*

vestros clauderemus, ne Purgatorium ignem transeundum videretis.

XI. Omnium viventium originem ex unâ esse animâ statuit. (*Azoara* 13.) Homines ex umbrâ, diabolos ex igne creatos ait. (*Azoara* 63.) Sed sibi non constat: nam alibi dæmones ait ex nihilo conditos, & hominem ex lutô fictum, eique Deum animæ suæ portionem inspirasse: Illum ab Angelis Dei jussu adoratum fingit: Solum Beelzebud humiliare se noluisse: Ideò in inferos amandatum. (*Azoara* 48.) Angelos custodes hominibus à Deo datos agnoscit, qui ipsis, si fideles & probi fuerint, Paradisum & gaudium promissum in die judicii nuntiabunt. (*Azoara* 31.)

XII. Fato agi homines docet. (*Azoara* 30. & 67.) quod tamen aliunde quàm ex Decretis Dei ineluctabilibus non repetit. *Nullum*, inquit, *animabus vestris nocumentum in terrâ perpetrabitis, nisi quod ante vestri creationem in libro prænotatum fuit à Deo cuncta complectente.*

XIII. Deum seductionis humanæ auctorem facit, cujus hæc verba refert Azoara 16. *Incredulis quidem & in tenebris manentibus modum suæ sectæ sibi formosum apparere fecimus.*

XIV. Lapsûs Adæ meminit non semel: cujus peccatô & mortem, & pudendam concupiscentiam invectam fatetur. (*Azoara* 30.)

XV. Alcoranum suum, & seipsum ubique commendat. Se Dei Legatum jactat & Prophetam à Christo prænuntiatum, suumque Alcoran illius præcepta confirmare. Sibi vult credi absque miraculis. Quamquam nonnulla comminiscitur Impostor nequissimus. Se videlicet ex Mecha Hierosolyma, inde in cœlum raptum ait, ut divinas virtutes & mirabilia doceretur. (*Azoara* 27. & 73.) Se in cœlum ascendere solitum discendi causâ, sed postea iter præclusum invenisse, & excubitoribus pervigilibus munitum. (*Azoara* 81.) Eam esse vim Alcoran asserit, ut montes liquefacere, & diabolos convertere possit. (*Azoara* 69. & 56.)

XVI. Prohibet Sectatoribus suis Mahometus, ne probationem inquirant eorum quæ ab ipsô tradita sunt; disputationes de divinis præceptis mentem impiam arguere ait. Disputare volentes de Alcorano, Azoara 32. ad ultimum diem esse remittendos. *Tecum disputare volentibus*, inquit, *dic, Deum solum omnes actus tuos cognoscere, qui die postremâ lites omnes & contrarietates discutiet.* Cæterùm qui nullas eorum, quæ in Alcorano statuit, proferre vult aut potest rationes, demonstrationem ipse petit ab iis, qui illius Religionem impugnant. *Asserunt*, inquit, *neminem præter Judæum & Christianum ingressurum Paradisum. Quod si verum est, demonstratione probent.* (Azoara 2.) In dubiis ad Deum & Prophetam ejus *Mahomet* confugiendum. (*Azoara* 9.)

XVII. Discrimen mortalis & venialis peccati agnoscit; illud à Deo numquam remitti affirmat, Azoara 50. *Deus*, inquit, *nequaquam criminalia, sed illis minora, quibus vult, condonat; cùm criminale gerens, in longissimum errorem abjiciet.*

XVIII. Suos Sectatores passim ad bellum hortatur, utque ipsô mortuo Religionem armis defendant. Paradisum non patere asserit, nisi fortibus & magnanimis in bello. Non esse audiendos à bello deterrentes & à præda: cum Deus veniam tribuat iis qui in expeditione moriuntur, illique nequaquam mortui dicendi sint, quia de bono Dei dilectionéque gaudentes, apud Deum vivunt (*Azoara* 6.) Contra Incredulos, id est, contra Christianos maximè arma vertenda statuit. Fugientibus in bellô adversùs ipsos gerendo ignem perpetuum comminatur. Quintam prædæ partem Deo ac Prophetæ illius *Mahometo*, & propinquis, ac orphanis, mendicis ac pauperibus deberi docet. Bellum committendum, *non populi favore, sed deitatis amore.* In bello captos, vel perimi, vel servituti subdi præcipit. Victores ne securi sint, admonet. Vult ut qui sponte se dedunt, in fidem recipiantur. Si fidem fallant illi, Deum adfuturum vindicem, cujus absque nutu pax firmari non potest. (*Azoara* 18.) Incredulis, id est, Christianis præcipuè, si à suâ Religione ad Mahometanam Legem deficiant, parci jubet, aliis insidias viis omnibus strui, & ipsos occidi. (*Azoara* 19.) Ex duodecim mensibus, quatuor impugnandis hostibus vult esse consecratos. (*Azoara* 19.) Secum pugnat, nam alibi non cogendos ait incredulos ad fidem, sed ipsis duntaxat explicandum esse Alcoranum, cui si credere noluerint, eos Dei Judicio relinquendos.

XIX. Eos qui vi & coactione à fide deficiunt, si fidem legémque corde retineant, non damnandos asserit. (*Azoara* 26.)

XX. Prædestinationis & gratiæ aliquam umbram attingit *Mahometus* Azoara 38. *Qui pœnituerit*, inquit, *& credens benefecerit, Deo propitiante, bonis associabitur. Deus enim incredulorum dicta minimè curans, ore prolata cordéque retenta perspiciens, cui soli gratia debetur omnis in hoc sæculóque futurô, omnéque judicium, & ad quem omnium fiet reditus, quem vult, eligit, omnéque velle ad effectum suum perducit .... Tu nullos, nisi Deo faciente, in viam rectam diriges.*

XXI. Omnes Deum adorantes & benè viventes, salvandos asserit. (*Azoara* 11.)

XXII. Circumcisionem ex Judaïca Religione acceperunt Mahometani: non octavâ die ipsam celebrant, Legis Mosaicæ ritu, sed anno decimo-tertiô, quòd ea ætate circumcisus fuerit *Ismaël*, quô parente gloriantur.

XXIII. Uxores plures simul ducere permittit Lex Mahometana, modò quis pacem inter eas servare se posse confidat: earúmque numerum pro facultatibus temperandum. Viris dimittere licet, ac mutare, quas non dilexerint. Castas, & fidei consortes duci jubet. Cum sororibus, amitis, neptibus, materteris, nutricibus, nurubus, & duabus germanis initi prohibet matrimonia (*Azoara* 8. & 9.) Adulteras ad mortem usque in domo detineri edicit: procaces, & maritis morem non gerentes, verberibus emendari. (*Ibidem.*) Dimissas, aliis nubere permittit post quatuor menses à repudiô, ac deinde maritis renubere prioribus. (*Azoara* 3.)

XXIV. Commercium cùm infidelibus, quô nomine Christianos potissimùm intelligit, & fidem illis adhibere, vetat. (*Azoara* 6.) Et tutum erit Christianis cum Mahometanis fœdus pangere?

XXV. Porci, morticini, sanguinisque esum prohibet. (*Azoara* 12.) Vino interdicit, non uvis. (*Azoara* 3. & 16.) Ludum etiam illiberalem vetat. *Sciscitantibus de vino, scachis, talis, & aleis, & hujusmodi, dic peccatum maximum esse hujusmodi potum & ludum*, (inquit *Azoara* 3.) Ratio prohibendi vini fuit gentis in ebrietatem propensio, adeò ut multi ad interitum usque biberent, ut Arabes Auctores testantur.

XXVI. Jejunii diebus, protractâ ciborum ad vesperam usque abstinentiâ, totam noctem in crapulâ & libidine transigere concedit. Est autem Mahometanis lege statutum solenne jejunium mense *Romodan*. quô Alcoranum cœlitus datum fingunt. Ab eô infirmi duntaxat & viatores dispensantur. Consuetudinem damnat apud Divites inolitam, redimendi jejunium eleemosynis. Utrúmque conjungendum officium esse docet. (*Azoara* 2.) Edere sine invocatione nominis Dei super cibos, sive benedictione, peccatum esse tradit. (*Azoara* 17.)

XXVII. Frequentem commendat orationem, vultu ad Mecham conversô, præmissâ lotione corporis, nisi aqua defuerit: Quô casu terræ mundæ

pulverem ad purificationem jubet adhiberi planè ridiculo ritu. (*Azoara* 3. & 9.) Diem Veneris festivum statuit, eòque die convenire suos ad orationem, & à foro, atque negotiis feriari præcipit (*Azoara* 72.)

XXVIII. Eleemosynarum studium pariter commendat. Fœnerari Domino asserit, qui miseretur pauperis; idque grani similitudine exponit. *Sua pro Deo distribuens*, inquit, *grana septem spicas, quarum singula centum obtinent grana, emittenti similis existit.* Occultè faciendam eleemosynam docet, hancque remittere peccata. *Vestras*, inquit, *eleemosynas ostendendo, ne perdatis. Sua namque distribuens ut sciant homines, nec Deum die Judicii postulans adjutorem, terra lapidosa pulvere paucò cooperta supernè comparatur, cui pluviâ superveniente, nil nisi lapis remanet. Substantiam verò suam propter Deum dissipantes, & in bonô perseverantes. grano locô sterili seminato, unde superveniens imber immensus quadruplum, imber verò parvus minus educit, conferuntur. . . . . Eleemosynam palàm facere bonum censetur, clàm verò melius. Et hæc peccata tollit.* De bonis injustè partis erogandas eleemosynas non esse, quòd rapinam Deus oderit etiam in holocausto. Verecundis maximè pauperibus & occultis benefaciendum. Eleemosynarios & beneficos omnes, quales sunt credentes, & orationibus insistentes; Deum *suâ dilectione, summóque bonô ditare.* Morientes vult hæredibus suis erogandas eleemosynas testamentô commendare, quod illis immutare aut negligere sit nefas. (*Azoara* 3. & 4.) Ante mortem facultates dispensandas, ne cogente necessitate, id fiat.

XXIX. Usuras prohibet ac damnat. *De fœnore viventes*, inquit, *nonnisi quasi dæmoniaci resurgent. cùm ipsi fœnerare, quòd Deus nefas & illicitum statuit, licitis annectant: dicentes fœnus esse, qualis est mercatura. . . . A fœnore digrediens, capitale solùm accipiat: nihil quidem ex alienô, nec alii de suô: debitore persolvere nequeunte, suam possibilitatem expectet, ac eleemosynas agat.* Sanior hâc in parte Alcorani, quàm Auctorum quorumdam Christianorum Moralis. Proh. pudor! (*Azoara* 4.)

XXX. Solum Juramentum ex animô factum reos coram Deo efficere docet qui illud violaverint. Expiari facinus istud pascendo vel induendo decem pauperes, aut captivum redimendo: vel, si facultates ad id præstandum non suppetant, trium dierum jejuniô. (*Azoara* 13.)

XXXI. Cædis vindictam æqualem esse sanxit, ut liber scilicet pro liberô, captivus pro sui simili, fœminâque pro fœmina mortem subeat: nisi quis pro pecuniâ condonare volens, secundùm Dei præceptum leviùs homicidæ pacificetur. (*Azoara* 2.)

XXXII. Terrenarum opum contemptum prædicat Evangelii simia. *Mundana pecunia, dives*, inquit, *in sæculô futurô perdetur.* (Azoara 38.) Et Azoara 51. sic loquentem Deum inducit: *Volens bonum alius sæculi, suscipiet illud manu nostrâ. Studioso quoque bonorum hujus sæculi, dabimus illa: sed nullam in aliô portionem habebit.* (Azoara 51.) *Apud Deum summarum diviciarum est summa copia, qui muneribus omnibus abundans, timentibus se peccatorum veniam atque salutem præbebit.* (Azoara 18.) *Dissimulatores & avari non efficaciter intelligunt, bona sua sibi sæpius malum gravissimum generare, Deo totius hæreditatis cœli terræque Domino facta sua sciente.*

XXXIII. Raptum, & fucum mulieribus factum, necnon fornicationem execratur & damnat. (*Azoara* 8.) Velari mulieres jubet. (*Azoara* 43.)

XXXIV. Cuilibet salutanti salutationem reddi jubet, vel amicis ipsum verbis prosequi. (*Azoara* 9) Sic urbanitas apud Mahometanos ipsos religionis officium habetur. Ad id Christiani attendant, nec se à Turcis humanitatis officiis superari patiantur. Noverint urbanitatem à charitate impetrari, & mutuis urbanitatis officiis charitatem foveri.

XXXV. Peregrinationes ad Mechæ Templum frequentes commendat, quod ab *Abrahamo* conditum fabulatur. Strenuos tamen milites peregrinantibus ad Mecham præfert. (*Azoara* 19.) Cùm illùc peregrinantur, nemini licet propriam uxorem cognoscere, sed aliam sibi pacto quodam conducere oportet, & suam alterius locare libidini. Hinc libidinosorum utriusque sexûs infinita eò confluit turba ad effrænatam explendam in honorem *Mahometi* cupiditatem, quod sæpissimè ex condicto faciunt, cùm domi agentes; maritorum & Magistratûs metu præstare non audeant. Ita refert *Abrahamus Echellensis*, in Historia Arabum, cap. 5. Addunt alii, ipsos Mechæ templum inconsutilibus tegumentis indutos circuire, & lapides per media femora jacere, ad lapidandum, ut ineptè fingunt, Diabolum. Tribuit ipsis *Cedrenus*, quòd lapidem *Bachtan* osculentur & adorent, cujus adorationis rationem quidam afferunt, quòd super eô *Abraham* ancillam *Agar* cognoverit; alii quòd camelum illic alligaverit, cùm ad *Isaaci* immolationem se compararet. Addit quasdam esse apud ipsos cultûs *Veneris*, cui olim addicti erant, reliquias In quadam enim profanarum precum suarum hæc habent: *Alla*, *Alla*, *Va*, *Kubar*, *Alla*: id est, *Deus*, *Deus*, *Major Venus*, *Deus*.

XXXVI. Maxima duo divinæ Legis mandata evertit Mahometana Lex, de Dei dilectione, & proximi. Deum scilicet solum diligi jubet æqualiter, aut plus quàm patrem, non ex totô corde, ex totâ animâ, ex totis viribus. (*Azoara* 2.) Dilectionem verò inimicorum prohibet. (*Azoara* 60.) Et immane illud principium statuit: *Vindicans se post injuriam illatam, nequaquam reus existit.* (Azoara 32.)

Ista constant non solum ex Alcorano locis citatis, sed ex *Sancto Joanne Damasceno*, in lib. *de Hæresibus*, ex *Evotio* Monacho apud *Euthymium*, in *Panoplia*, *Tit.* 24. ex *Cedreno*, in Compendio Historiæ; ex *Petro Venerabili* Abbate Cluniacensi, in *Summula contra Hæreses & Sectam diabolicæ fraudis Saracenorum*, & ex *Dialogo Petri Alphonsi* ex Judæo Christiani. Porro Alcoranum in Azoaras seu Capita CXXIV. distributum, ex linguâ Arabicâ quâ à Mahomete scriptum est, in Latinam vertit *Robertus Ketenensis*, Anglus, rogante & sumptus subministrante *Petro Cluniacensi*: cujus etiam versioni navavit operam *Hermanus* Dalmata, quorum laborem *Petrus Cluniacensis* commendat in Epistola ad *S. Bernardum*.

Rectè autem animadvertit Venerabilis Abbas, egisse Diabolum pro versutiâ suâ, ut Christum in Lege suâ commendaret *Mahometus*; quia noverat sibi nullatenus fidem adhibendam, si omnem ipsi dignitatem derogaret. Parum verò curat Christi & membrorum ipsius hostis quicquid de Christo credatur, modò Deus non credatur. Sic illum egisse in ipsis Christianæ Religionis exordiis per *Porphyrium* observat, vel potiùs à *S. Augustino* in libris de *Civitate Dei*, observatum refert. *Porphyrius* scilicet scripsit in libris adversùs Christianos editis, Oracula de Christo se interrogasse: illa autem respondisse, Christum fuisse virum optimum, sed ejus Discipulos graviter peccasse, qui divinitatem ipsi adscribentes, quod de se ipse non dixerat, confinxissent. Quod iisdem penè verbis à Pseudo-Propheta *Mahomete* in Alcorano scriptum legitur.

Qui contra Mahometanã Sectam scripserunt.

Contra *Mahometanam* Sectam scribere decreverat *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis. Idem *S. Bernardum*, ut illorum errores confutaret, adhortatus est. Neutri per gravissimas occupationes id licuit. Sunt qui *Petrum Cluniacensem* V. libros eô de argumento edidisse asserunt: sed nullibi inveniuntur:

niuntur: Scripserunt verò contra hanc Hæresim Anonymus eruditus, cujus Disputationem *Vincentius Bellovacensis* libro XXIV. *Speculi Historialis* inseruit; *Pius II.* Pontifex maximus in Epistola ad *Morbisanum* Turcarum Principem doctissimâ & elegantissimâ: Cardinalis *de Cusa*, libris tribus, quos *Alcorani Cribrationem* inscripsit, Pio II. dicatis: *Dionysius Carthusianus*: *Joannes Cantacuzenus* Græcorum Imperator, quatuor Apologiis pro Christianâ Religione, & totidem Orationibus contra Mahumetanam Sectam editis: *Richardus Florentinus*, Ordinis FF. Prædicatorum, cujus opus inscriptum, *Confutatio Legis à Mahometo Saracenis lata*, Demetrius Cydonius versionia è Latina in Græcam linguam honore donavit. Venerabilis Pater *Hieronymus Savanarola*, ejusdem Ordinis, in Commentariuncula quâ probat, *Mahumetanorum Sectam omni ratione carere*.

ARTICULUS III.

De Paulicianorum Hæresi.

ANno Christi circiter 653. *Constantis* Imperatoris 13. Paulicianorum Secta orta est, seu potiùs Manichæorum Hæresis novam appellationem habuit, ac reformationem à *Paulo* quodam Samosatia in Armenia errores spargente. Caput Manichææ hæreseos servarunt, scilicet errorem de duobus principiis. Sanctissimæ Deiparæ Virgini obtrectabant, divinam ejus negantes maternitatem: quam tamen verbis tenus confiteri videbantur, ut simplicibus illuderent, dicentes: *Credo in Sanctissimam Deiparam, in quam intravit, & ex quâ exivit Dominus.* Quibus verbis Jerusalem cœlestem ex condictô Sectæ significabant, in quam præcursor pro nobis ingressus est Christus. Impiè quoque de divinis Mysteriis sanctæ Communionis pretiosi Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi garriebant, dicentes, Christum verba sua Apostolis dedisse, eaque jussisse accipere, edere, atque bibere, non panem & vinum; quorum etiam oblationem, consecrationem, & conversionem in substantiam Corporis & Sanguinis Christi negabant. Christum Crucem esse effutiebant, omnemque Ligno vivifico adimebant venerationem. Prophetas, & Sanctos cæteros explodebant, præcipuè verò infamabant *S. Petrum* Apostolorum Principem, à salute prorsus alienum prædicantes. Pro Baptismo habebant verba Evangelii, quòd Christus aquam vivam se dixerit. Mendacium, & simulationem Religionis licitam existimabant. Evangelium & Apostolicas Literas integras servabant, sed earum sententias suis accommodabant erroribus. N[illegible]um, occasione datâ, Evangelium adorabant, quòd Christi verba contineat. Morbis afflicti, Crucem interdum sibi imponebant, quam, recuperatâ sanitate, frangebant, conculcabant, aut in ignem mittebant. Quidam ex illis infantes suos ab Ecclesiæ Catholicæ Presbyteris curabant baptizari; nonnulli in Catholicorum templia ad sacram Communionem accedebant, ut hæresim occultarent. In omne libidinis & spurcitiæ genus erant effusi. Hæc habemus ex *Cedreno*, in *Compendio Historiarum*, & ex *Euthymio*, in *Panoplia*, ubi eorum errores refellit, *Titulo XX.*



CAPUT III.

De Conciliis Nationalibus, & Provincialibus, quibus sancita est & restaurata Disciplina Sæculo VII.

ARTICULUS I.

De Consilio Parisiensi V.

ANno Christi sexcentesimo decimo-quarto, Synodus totius Ecclesiæ Gallicanæ à Clotario II. Rege Christianissimo Parisios evocata est. Septuaginta novem Episcopos adfuisse proditum est in vetere quadam Collectione, quot in nullô antea Francorum Concilio fuisse memorantur. Synodus Generalis vocatur in Concilio Remensi sub *Sonnatio*. Quindecim supersunt illius Canones. Plures edidisse manifestissimè patet ex Clotarii Regis Edicto, quod ipsis subnectitur. *Primus* irritas decernit, secundùm Statuta Patrum, Episcoporum Ordinationes, quæ absque Metropolitano & Comprovincialibus, & Cleri, ac civium electione & consensu, aut simoniacè factæ fuerint. Rejicit Episcopos *qui Potestate subrepserint*, id est, *Principis imperiô*, quod antea non semel contigerat. *Secundus Canon* sancit, ut nullus Episcoporum Successorem eligat: vetat ne Episcopo superstite, ullus ipsi subrogetur, nisi gregem suum regere non possit. Tunc enim ipsi Successor dandus est, si Episcopatu cedat, vel Coadjutor cum futurâ successione, quod S. Gregorius Magnus expressiùs declarat lib. 11. Epistola 7. & 8. ad *Ætherium* Lugdunensem Episcopum, & *Brunichildem* Reginam Francorum datis.

Summa Canonum.

Canon tertius perstringit Clericos, qui adversùs proprium Episcopum, Principis, aut Magnatum patrocinia quærunt. Eos non recipiendos esse statuit, nisi veniam supplices rogaverint; & eorum fautores ab Episcopis admonitos priorum Canonum severitati subjacere: id est, communione privari cum perduellibus Clericis, prout Agathense Concilium, *Canone* 8. sanxerat.

Canon quartus Judicem sæcularem, qui Presbyterum, Diaconum, vel Clericum aliquem, aut etiam Juniores Ecclesiæ, absque consensu Episcopi distrinxerit, ab Ecclesia tandiu sequestrat, quandiu reatum suum corrigat & emendet. Juniores Ecclesiæ vocat servitores, cum relatione ad dominos, qui *Seniores* illa ætate nuncupabantur.

Canon quintus, libertorum, qui Ecclesiæ commendati sunt, defensionem Episcopis injungit. *Sextus*, à Communione removet eos, qui de rebus Ecclesiæ legatis aliquid distraxerint. *Septimus*, res Episcopi, Prebyteri, aut cujusvis Clerici defuncti, ante cognitum testamentum à quoquam contingi vetat, etiamsi Sententiâ Judicis, aut Præcepto, id est, Regio Diplomate muniatur: sed eas ab Archidiacono & Clero servari jubet. Eos verò qui huncce Canonem violaverint, ut *Necatores pauperum*, Communione privat. *Canon octavus*, bona relicta ab Abbatibus & Presbyteris morientibus, ab Episcopo, vel Archidiacono diripi vetat, sed ea in locis ubi à moriente relicta fuerint, perpetuò manere præcipit. *Canon nonus*, prohibet ne quis Episcoporum, in alterius Episcopi Diœcesi, res Ecclesiæ, vel Clericorum pervadat, sub quocumque prætextu, etiam defensionis Regnorum, & sequestrationis Provinciarum; si nempe contingeret Franciam iterum in plura Regna separari, & unam Diœcesim ad sortes duorum Regum pertinere, quod antea sæpe visum erat: aut si, sectô in varias ditiones Franciæ Regno, Regum unus

aliquas Provincias debellatus amitteret. Quibus, aut aliis occasionibus emergentibus, res alterius Episcopi, vel Ecclesiæ pervaserint, à communionis gratiâ sequestrantur, quousque res ablatas cum fructibus restituerint.

Canon decimus, Episcoporum & Clericorum testamenta & donationes ratas esse jubet, etiamsi aut necessitate, aut simplicitate Testatorum seu Donatorum, à Juris solennibus aberratum fuerit. Qui de rebus legatis aliquid distraxerit, ab Ecclesiæ communione & Christianorum convivio, donec restituat, pronuntiatur alienus.

Canon undecimus, de litibus Episcoporum decernit, ut à Metropolitano finiantur. Si spreto Metropolitano, publicum Judicem adierint, ab ejus communione suspenduntur, donec in proxima Synodo facti hujus reddiderint rationem. De causis profanis Canon ille intelligendus est. Constitutionem eâ de re anteriorem laudat, scilicet Canonem primum Synodi Secundæ Lugdunensis.

Canon duodecimus, de Monachis & Monialibus vagis statuit ut à Communione removeantur, donec in Monasteriis septa se receperint. *Canon decimus-tertius*, Viduas & Puellas quæ abjecto Religionis habitu, quem propriâ voluntate, aut voluntate parentum, in domibus propriis assumpserunt, nuptias inierint, à Communione Ecclesiastica, & Christianorum convivio, cum maritis, tandiu sequestrat, quamdiu non emendaverint quod illicitè perpetrarunt. Statutis Patrum & præceptis Canonum se niti profitentur Gallicani Præsules in eô condendo Decretô.

Jus Ecclesiæ in statuendis impedimentis Matrimonii.

Canon decimus-quartus, incestas conjunctiones dissolvi jubet, sive contracta matrimonia cum relictâ fratris, cum sorore uxoris, cum privigna, consobrina, sobrina, relictâ patrui, vel avunculi, & puellâ quæ Religionis habitum assumpserit. Ejusmodi conjunctiones prohibitæ quoque sunt in Synodo Arvernensi Prima anno Christi 535. in Aurelianensi Tertia, anno 538. in Aurelianensi Quarta, anno 557. in Parisiensi III. anno 566. in Turonensi II. anno 566. in Autisiodorensi, anno 586. Ex quibus perspicuum est jus Ecclesiæ in statuendis impedimentis dirimentibus Matrimonium, quod *Joannes Launoius* in libro *de Regia in Matrimonium potestate*, labefactare frustra tentavit.

Judæi ad baptismum suscipiendum aliquando compulsi.

Canon decimus-quintus, statuit ne nullus Judæus publicam actionem ullam super Christianos exerceat: & præcipit ut Judæus, qui prædictam sanctionem violaverit, ab Episcopo, cum omni familiâ suâ, baptizetur. Ex quo patet, hanc olim in Galliis viguisse consuetudinem, ut Judæi ad baptismum suscipiendum compellerentur, quæ convenienter abrogata est meliori disciplinâ.

Edictum Clotarii II. quo Synodi Canones temperavit.

Clotarius II. Rex Christianissimus Edicto suo Synodum confirmavit, & Canones aliquos temperavit. Circa electiones Episcoporum, adjecit Regii consensus, & Præcepti, sive Diplomatis Regii necessitatem, ut fieret Ordinatio. Aurelianensis Concilii Quinti Canone, & prisco usu jus illud habebant Christianissimi Reges. Huic non derogavit Synodus Parisiensis V. sed quòd illius non meminisset, *Clotarius* illud Constitutione suâ tueri voluit. *Episcopo decedente*, inquit, *qui à Metropolitano ordinare debet cum Provincialibus, à Clero & populo eligatur, & si persona condigna fuerit, per Ordinationem Principis ordinetur; vel certè si de Palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur* Canonem tertium adversùs Clericos, Principis, aut Magnatum patrocinia contra Episcopum suum quærentes ita moderatur: *Et si pro qualibet causa Principem expetierit, & cum ipsius Principis Epistola ad Episcopum suum fuerit reversus, excusatus recipiatur.* Canonem quartum de litibus ad sæculares Judices non deferendis, ad causas civiles restringit. Criminalia verò negotia Magistratuum sæcularium cognitioni permittit, qui tamen cum Episcopis Clerici capitali crimine accusati causam examinent, & juxta Canones puniant. *Ut nullus Judicum*, inquit, *de qualibet ordine Clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia, per se distringere, aut damnare præsumat, nisi convincitur manifestus, exceptò Presbytero, aut Diacono. Qui verò convicti fuerint de crimine capitali juxta Canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur. Quòd si causa inter personam publicam, & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte Præpositi Ecclesiarum, & Judex publicus in audientiâ publicâ positi, ea debeant judicare.* Huic Edicto Clotarii II. accepta fertur origo Instituti, quo Clericos capitalium criminum reos, quæ nunc Privilegiata dicuntur, à Judice Ecclesiastico & sæculari conjunctim judicari, mos in Galliis invaluit. Canoni 13. addidit Rex Christianissimus pœnam capitis in raptores Viduarum, & Religiosarum puellarum: pœnam verò exilii in virum & mulierem, si hæc præstitisset consensum, & in Ecclesiis nupsissent; & eorum bona propinquis hæredibus addixit.

Novas exactiones & tributa rogantibus Episcopis relaxavit Clotarius II.

Rogantibus Episcopis, novas exactiones & tributa relaxavit idem Christianissimus Princeps, *Ubicumque*, inquit, *census novus impiè additus est, & à populo reclamatur, justâ inquisitione misericorditer emendetur. De teloneo, ut per ea loca debeat exigi, vel de speciebus ipsis, de quibus præcedentium Principum tempore, id est, usque ad transitum bonæ memoriæ Domnorum Parentum nostrorum, Gunthramni, Chilperici, Sigeberti Regum est exactum.* Hoc Edictum in Synodo ipsâ dedit Clotarius, quæ Generalis veluti Regni Conventus censeri debet, cùm non soli Episcopi, sed etiam Optimates adessent, quorum consiliô & suffragiis Rex hanc suam Constitutionem edidit, ut ipse testatur. *Quicumque verò hanc deliberationem, quam cum Pontificibus, vel cum magnis viris Optimatibus, aut fidelibus nostris, in Synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit, in ipsum capitali sententiâ judicetur, &c.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 83. Edit. primæ. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Magistratus sæcularis quasdam causas Privilegiatas Clericorum cum Episcopo cognoscere potest.*

R. De Gallicanis moribus & Jurisprudentia Gallicana loquor, non de aliis Ecclesiis & Regionibus. Postquam scilicet circa Concilii Parisiensis Quinti Canones, & Edictum Clotarii II. Regis Christianissimi quædam observavi, addo: *Huic Edicto Clotarii accepta fertur origo instituti, quo Clericos capitalium criminum reos, quæ nunc Privilegiata dicuntur, à Judice Ecclesiastico & sæculari conjunctim judicari*, MOS IN GALLIIS INVALUIT. Gallicanos Mores & Jurisprudentiam novimus & oculis ipsis usurpamus. Propositio mea non est indefinita, ut illa quam [illegible] Judiciculus Censorius.

ARTICULUS II.

De Concilio Hispalensi II.

Hispalis, Seville, Bæticæ Provinciæ urbs clarissima, Archiepiscop.

ANno salutis sexcentesimo decimo nono, *Sisebuti* Regis Hispaniarum septimo, Synodus Hispali habita est, octo Episcoporum, *S. Isidoro* præside. In ea, Secta Acephalorum damnata est quæ pridem in Oriente compressa, in Hispania resurgere cœperat, Syri cujusdam Episcopi operâ & fraudibus, quô à Patribus convicto, & Sectam palàm abdicare coactô, fides de duabus in Christo naturis exposita est & confirmata. (*Can. 13. & 14.*)

Summa Canonum.

Quorumdam Episcoporum Diœceses, de quibus erat disceptatio, certis finibus sunt circumscriptæ, statutumque, Parochias, quæ bellorum tempestate avulsæ fuerant, iis restituendas, quibus fuerant antea contributæ: *Quia non est objicienda præscriptio temporis, ubi necessitas intercesserit hostilitatis.* (Canone I.) Aliâ triginta annorum præscriptione firmari jus possidentis statuit, secundùm

cundùm Edicta Principum, & Præsulum Romanorum Decreta. (*Canone* 2.) In Clericos Ecclesiarum pro quibus ordinati sunt, desertores animadvertit; quòd, sicut Legibus Principum cautum est ut agrorum coloni maneant in locis ubi commorari cœperunt; ità Canonibus sancitum sit, ut Clerici qui in agro Ecclesiæ operantur, in iis locis permaneant, pro quibus sunt ordinati. Quamobrem Clericum ad aliam Ecclesiam migrantem, restitui jubet à Sacerdote illi Ecclesiæ quam deserit, sub amittendæ communionis periculô. Desertorem verò cingulô honoris atque Ordinis sui exutum, in Monasterium aliquandiu detrudi jubet. (*Canone* 3.) Viduarum maritos ad Diaconatum promotos dejicit, ceu Irregulares, & hujusmodi viros contra Divina & Ecclesiastica Jura in posterum ordinari prohibet. (*Canone* 4.) Unius Presbyteri, duorúmque Diaconorum Ordinationes irritas declarat, quibus Episcopus manum quidem imposuerat: sed quoniam dolore captus erat oculorum, benedictionis dandæ, seu proferendorum verborum quibus Ordinationis forma concepta est, munus demandaverat Presbytero. (*Canone* 5.) *Fragitanum* Cordubensem Presbyterum ab Episcopo suo injustè depositum, in gradum ac ministerium pristinum restituit: & auctoritati Episcoporum, sive potiùs auctoritatis exercitio modum ponit, qui Presbyteros & Clericos indiscussos, id est, nullâ habitâ quæstione, damnabant, & à gradu ac beneficio amovebant, *potestate tyrannicâ, non canonicâ auctoritate*. Nullum Presbyterum aut Ministrum damnari posse declarat, nisi Synodi judiciô: Quia *Episcopus Sacerdotibus ac Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest*. Et indignum est ut ad nutum Episcoporum honore Ecclesiastico priventur, qui sacris altaribus sunt mancipati: cùm in sæculo servi, qui à dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutem non revocentur, nisi publicè apud Prætores aut Præsides fuerint accusati. (*Canone* 6.) *Agapii* Cordubensis quondam Episcopi carpit ignorantiam, qui Presbyteris frequenter munus demandaverat erigendi altaria, Ecclesiasque consecrandi. Utque simili abusui eat obviàm, declarat illicitam esse Presbyteris, vel Chorepiscopis, Presbyterorum & Diaconorum Ordinationem, Virginum, Ecclesiæ, vel altarium consecrationem, Chrismatis confectionem, Confirmationem, solennem reconciliationem Pœnitentium, Formatarum Epistolarum missionem: hæc, inquam, omnia ipsis illicita declarat, *Quia Pontificatûs apicem non habent*. Quin etiam communibus Sacerdotii muniis, ut baptizandi, sacrum faciendi, prædicandi, benedicendi officio illos fungi vetat Episcopo coram, sine ejus mandatis. (*Canone* 7.) Libertum superbum, & qui vitæ Episcopi, à quo fuerat libertate donatus, veneficis artibus insidiatus fuerat, revocat ad servitutem. (*Canone* 8.) Oeconomos rerum Ecclesiasticarum ab Episcopis assumi vetat ex Laïcis; sed munus istud alicui ex propriô Clero ipsos committere jubet, secundùm Chalcedonensem Canonem. Qui autem sine testimonio Oeconomi Ecclesiæ bona dispensaverint, vel ipsorum procurationem Laïcis commiserint, eos non solùm ut contemptores Canonum, & fraudatores rerum Ecclesiasticarum, *à Christo de rebus pauperum judicandos* reos, sed etiam Concilii judicio obnoxios fore comminatur. (*Canone IX*.) Monasteriorum, quæ in Provincia Bætica nuper condita fuerant, securitati consulit, & diris omnibus devovet Episcopos, qui cupiditate, vel fraude, quodlibet Monasterium dissolvere, aut convellere tentaverint. *Anathema effectus* (ait Canone X.) *maneat à regno Dei extraneus; nec proficiat illi bonum fidei, vel operis ad salutem, qui tantæ & tam salutaris vitæ destruxerit tramitem*. Ad hæc addit, *Ut universi Bæticæ Provinciæ Episcopi congregati, eumdem sacri Cœtûs eversorem à Communione suspendant; convulsum Monasterium, cum rebus suis, restaurent, & quod impiè unus subverterit, omnes piè reforment*. Tantùm scelus existimaverunt Patres, tantáque dignum execratione, vexare Monachos, & Monasteria subvertere, vel dissolvere. Denique statuit hæc Synodus, Canone XI. ut Monasteria Virginum, præsidio & administratione Monachorum regerentur in Provincia Bætica. Monachis verò colloquio Virginum interdictum, ipsique Abbati, & ei cui illarum cura demandata est, veritum loqui vel cum ipsâ Parthenonis Præfectâ solâ; sed duabus aut tribus Sororibus præsentibus; *Ita ut rara sit accessio, & brevis omnino locutio*. Mutuam verò operam sibi præstare jubet Monachorum Cœnobia, & Monasteria Virginum; ut scilicet Monachi Christi ancillis unum è suo cœtu probatissimum commodent, qui prædia ipsarum, ædificia, resque cæteras procuret ac tueatur: illæ verò Fratribus in grati animi significationem vestes ex operibus suis subministrent.

Clericorum mansio in Ecclesiis pro quibus sunt ordinati.

Clericos ab Ecclesiasticis Beneficiis ad nutum amovere Episcopus non potest.

Functiones Chorepiscopis prohibitæ.

Anathemati devoventur Episcopi qui Monasteria subvertunt.

Monasteria Virginum, præsidio & administratione Monachorum, in Provincia Bætica reguntur.

Interfuerunt, cum Episcopis, Concilii Actionibus, Rector rerum publicarum Sisiselus, & rerum Fiscalium Rector Suanilanes, ut testes rerum gerendarum, vel Ecclesiasticæ Libertatis Conservatores.

ARTICULUS III.

De Concilio Remensi.

ANno sexcentesimo vigesimo-quinto, Synodus Remensis celebrata est, Præside *Sonnatio* illius Ecclesiæ Episcopo. Viginti quinque sunt editi Canones, quos recenset *Flodoardus* lib. 2. cap. 5. *Primus* statuit de bonis Ecclesiæ per precariam impetratis, ne diuturnitate temporis ab aliquibus usurpentur. *Secundus*, Clericos in Episcopum conjurantes è gradibus suis dejicit. *Tertius*, Synodi Quintæ Parisiensis Decreta confirmat. *Quartus*, Episcopos hortatur ad Hæreticorum conversionem, si qui sint adhuc in Galliis. *Quintus* temerè quemquam excommunicari vetat. Injustè excommunicatis querimonias ad Synodum deferre permittit. *Sextus*, Judices qui Clericos publicis actionibus implicare, aut pro quibuslibet causis, distringere, absque consensu Episcopi ausi fuerint, arcet à Communione. Eos, quos publicus census spectat, sive qui in publicis rationibus inscripti sunt, Clericos aut Monachos fieri prohibet, absque licentiâ Principis, vel Judicis. *Septimus*, eos qui reum ad azylum Ecclesiarum confugientem inde abstraxerint, sacramento de illius securitate non dato, à Communione removet. *Octavus*, incestarum conjunctionum reos, nisi Pœnitentiam sequestratione testentur, non solùm à Communione sed à militiâ, & à causarum advocatione repellit; idcóque eos ad Regem, vel ad Judices deferri jubet. Ipsorum verò bona propriis parentibus addicit; eâ lege, ut neque ea redimere, nec parentum cessione, nec Regis auctoritate, nec quibusvis artibus ea recipere possint, nisi separati Pœnitentiam agant. *Nonus*, Homicidis, ad obitum usque communione interdicit. Eos excipit, qui vim non facientes, sed repellentes, aliquem occiderint. *Decimus* ab Ecclesiis, ut *Necatores pauperum*, excludi jubet eos, qui oblationes parentum Ecclesiis relictas retinuerint, aut proprias abstulerint. Hic Canon exsceptus est ex Synodo Agathensi, quam his verbis laudat: *Sicut ante Synodus Sancta constituit*.

Canon undecimus, Christiana mancipia Judæis venundari prohibet: aut Judæos ipsos ad actiones publicas admitti. *Duodecimus* Clericos, absque sui Episcopi Epistolis, in alias urbes & Provincias profectos, recipi vetat. *Decimus tertius* prohibet ne Episcopus mancipia, vel res Ecclesiæ, vendat, aut quovis modo alienet. *Decimus quartus*, publicæ Pœnitentiæ addicit eos, qui auguria observant, vel quosvis ethnicæ

Summa Canonum.

Incestarum conjunctionum pœna.

ethnicæ superstitionis ritus imitantur, nisi admoniti, errorem emendent. *Decimus-quintus* servis jus accusandi negat; & accusatores, qui in unius criminis probatione defecerint, ad aliorum accusationem statuit non recipiendos. *Decimus-sextus* à Communione Christianorum penitus abdicat eos, qui morientis Episcopi, vel Ecclesiæ res & supellectilem contigerint, ante reserationem testamenti, vel audientiam. *XVII.* In eos qui ingenuum quempiam servituti addicere voluerint, excommunicationem decernit. *XVIII.* Clericos pro causis Ecclesiasticis, aut propriis agendis forum adire vetat, absque licentiâ Episcopi.

Canon XIX. Archipresbyteros ex Laïcis repentè ordinatos præponi vetat. *XX.* Quod Episcopo donatione aut testamento relinquitur, sive cum Ecclesia, sive seorsim, nullâ factâ Ecclesiæ mentione, in censum Ecclesiæ referri jubet: *Quia justum est, ut sicut Sacerdos habet quod Ecclesia dimissum est, ita & Ecclesia habeat quod relinquitur Sacerdoti.* *XXI.* Episcopum, qui res alienas usurpat, ut pauperum necatorem deponit. *XXII.* Episcopum sacra vasa frangentem ab Officio dejicit, nisi arcta necessitas pro redemptione captivorum ea frangere compulerit. *XXIII.* Raptores Viduarum, aut Puellarum Deo consecratarum perstringit: & raptoribus aut procis consentientes Communione privat. *XXIV.* Judices qui Clotarii II. Edictum Parisiis datum violaverint, aut contempserint, excommunicatione ferit. *XXV.* In locum defuncti Episcopi, totius populi votis, & Comprovincialium Episcoporum suffragiis, loci indigenam eligi jubet.

Ex Episcopis qui Remensi Concilio ex omnibus penè Galliarum Provinciis adfuerunt, multi fuere sanctitate conspicui, scilicet *Sulpitius* Bituricensis, *Modoaldus* Treverensis, *Arnulphus* Metensis, & *Chunebertus* Coloniensis, qui Tabulis Ecclesiasticis inscripti sunt. Item *Syndulphus* Viennensis, *Donatus* Bisuntinus, *Chainoaldus* Laudunensis, *Anserieus* Suessionensis, *Cæsarius* Arvernensis, *Hadoindus* Cænomanensis, *Palladius* Autissiodorensis, *Agomarus* Silvanectensis, *Magnebodus* Andegavensis.

ARTICULUS IV.

De Concilio Toletano IV.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo quarto, *Sisenandi* Regis anno tertio, septuaginta circiter Præsules ab eo Toletum convocati, Ecclesiasticæ Disciplinæ, quæ vitiô temporum collapsa erat, novis legibus adstringendæ causâ, ad diem quintum Decembris, in *S. Leocadia* templo Synodum habuerunt, *S. Isidoro* Hispalensi Præside, præsente *Sisenando* Rege, qui genibus nixus coram patribus, preces pro se ut divinum Numen propitiaretur, fundi petiit, Patrésque hortatus est, ut suis Decretis Ecclesiasticam sancirent Disciplinam. Præmissâ Fidei Professione, LXXIV. Canones ediderunt. I. Unum psallendi & Missas celebrandi ritum per omnem Hispaniam, & Galliam Gotthicam servari jubet. II. Synodos quotannis celebrari statuit, vel Generalem totius Hispaniæ, & Galliæ Gotthicæ, si id fidei causa, vel communis Ecclesiarum utilitas postulet, vel in singulis Provinciis proprias, si hujusmodi causa nulla subsit: congregandas XV. Kalendas Junii: & Regium Virum postulandum à Principe, qui sæculares Judices, Potentes, aut cujuslibet ordinis homines, contra quos fortè deferetur ad Synodum querimonia, sistere se cogat coram Patribus, & Decreta Synodi mandet executioni. III. Celebrandi Concilii forma ratióque præscribitur: ut scilicet Episcopi sedendo & sententias dicendo, Consecrationis antiquitatem sequantur. Ut Presbyteri, quos interesse necessum erit, à tergo Episcoporum resideant, in eorum verò conspectu stent Diaconi: Ut Proceres, quos interesse visum erit, ad Conventum admittantur. Ut summo mane, templi ubi Conventus est habendus, januæ claudantur, unâ exceptâ Patribus admittendis, adhibitâ præterea Janitorum custodiâ. Ut proponendi ea de quibus à Patribus disceptandum vel statuendum est, jus sit Metropolitani. Ut Concilium nullus solvere audeat, nisi cuncta statuta fuerint, ac finita, quorum causâ conventum est.

S. Isidorus Hispalensis Concilii Præses.

Summa Canonum.

Episcopi in Synodo sedere & sententiam dicere debent secun-

Idem Consecrationis antiquitatem

IV. Canon decernit, ut tribus ante Epiphaniam mensibus, quoto die Pascha sit celebrandum, Metropolitani inter se communicent, & Comprovincialibus Episcopis idem literis significent.

V. De trina vel simplici mersione in baptismo probat Responsum *S. Gregorii Magni* ad *Leandrum* scribentis, * utrumque morem, semel, vel tertiò mergendi, rectum esse ac legitimum. Cæterùm, propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, unicam in Ecclesiis Hispaniæ retinendam esse mersionem.

Lib. 1 Epist. la 41.

VI. Pravum morem emendat, quô in quibusdam Provinciis, die sancta Parasceves, occlusis templorum jannuis, nec celebrabatur Officium, nec Passio Salvatoris nostri populo prædicabatur.

VII. A Paschali Communione repellit eos, qui solidâ Parasceves die non jejunaverint, sed jejunium ad horam nonam solverint, præter parvulos, senes, & languidos. VIII. Statuit ut Gallæciæ Ecclesiæ reliquæ Hispaniæ institutum sequantur in Cerei Paschalis benedictione. IX. Corrigit abusum quem Sacerdotum quorumdam invexerat ignorantia, qui solô die Dominico Orationem Dominicam recitabant. Jubet ut quotidie cùm in publico, tum in privato recitetur Officio.

X. Prohibent *Alleluia* per Quadragesimam decantari. XI. Jubet ut in Missa, post Epistolam statim legatur Evangelium, Laudes verò Evangelio subjungantur. Laudum nomine perperam intelligit *Garsias Loaysa* Hymnum trium Puerorum; sed Versiculus intelligendus est cum *Alleluia*, ei prorsus similis, qui ritu Romano post Responsorium cantatur. Ad ritum autem Mozarabicum, quô tunc utebatur Hispania, pertinet hic Canon, quem cùm quidam Sacerdotes pervertetent, in eos Patres Hispani animadverterunt, excommunicationis pœnam in eos decernentes, qui hunc ordinem violarent. Tanti momenti est ritum ordinemque Ecclesiæ suæ religiosè sequi. XII. Hymnos in laudem Dei compositos, & ab Ecclesiis receptos, qui rejiciebant, reprehendit. XIII. Hymnum Trium Puerorum Dominicis diebus, & in solemnitatibus Martyrum, in Missa solenni, è pulpito cani præcipit. XIV. In fine Psalmorum dici jubet, *Gloria & honor Patri*, non simpliciter, *Gloria Patri*: Qui hanc formulam prætererint, communione privantur. XV. Ad finem Responsoriorum subjiciendum esse *Gloria*, in lætis; in tristioribus, repetendum principium.

Missæ & Officii divini Ritus Mozarabicus.

XVI. Librum Apocalypsis S. Joannis Evangelistæ inter Divinos Libros recipiendum, & à Pascha usque ad Pentecostem, Missarum tempore, Dei verbum ex eo prædicandum, sub excommunicationis periculô.

XVII. Communionem Sacerdotis in Missa statim post Orationem Dominicam fieri vetat: Sed post Orationem Domini, & Hostiæ Calicisque conjunctionem, sive commixtionem, dandam esse populo Benedictionem; & tunc demum sacram Eucharistiam sumendam; eo ordine, ut Sacerdos & Diaconus ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus.

XVIII. Repellit ab Ordinibus criminis alicujus reos, publicæ quondam Pœnitentiæ ob scelus addictos, lapsos in hæresim, & ab hæreticis baptizatos

Irregularitates.

zatos

zatos, vel rebaptizatos; qui se absciderunt, aut aliquô membro mutilatos, bigamos & viduarum maritos, servos, ignotos, illiteratos, Curiales. Ab Episcopatu arcet Neophytos, triginta minores annis, Simoniacos, & qui à Decessoribus sunt electi. Episcopos electione Cleri & populi, Metropolitani auctoritate, Comprovincialium assensu, constituendos edicit, die Dominica, saltem à tribus Episcopis consecrandos, ubi Metropolitanus voluerit; Metropolitanum verò in Metropoli, convenientibus omnibus ipsi contributarum Ecclesiarum Episcopis. XIX. Presbyteros ante trigesimum ætatis annum; Diaconos ante vigesimum quintum deinceps ordinari vetat. XX. Castos & irreprehensibiles esse debere docet Sacerdotes, ut mundi corpore, purgati mente, possint ad Sacrificium Christi digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari. XXI. Episcoporum famæ consulit, statuitque ut in Conclavi suo probabiles vitæ & conversationis suæ testes habeant; ut & Deo placeant per conscientiam puram, & Ecclesiæ per optimam famam. XXII. Idem statuit de Presbyteris, & Diaconis, quos infirmitas, aut ætatis gravitas, in Conclavi Episcopi manere non sinit.

Sacerdotes Scripturam Sacram & Canones scire debent.

XXIII. Juniores Clericos in uno Conclavi, sive Seminario institui jubet à probatissimo Seniore, pupillos tutelâ Sacerdotali foveri: petulantes Monasteriis deputari, ut severiori regulâ distringantur. XXIV. Ignorantiam, cunctorum errorum matrem, à Sacerdotibus maxime vitandam docet; illos Scripturas Sanctas & Canones scire debere, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrinâ consistat; & ædificent cunctos, tam fidei scientiâ, quam operum disciplinâ. XXV. Statuit Presbyteris, qui Parochiis præficiuntur, Libellum Officialem, seu Rituale tradendum, ne per ignorantiam in Sacramentorum administratione offendant. XXVI. Ut iidem coram Episcopo se castè & purè victuros profiteantur.

XXVII. Decernit ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi injustè depositi, vindicatâ in secunda Synodo illorum innocentiâ, gradus amissos coram altari, cum Ordinum suorum insignibus recipiant.

XXVIII. Clericos artem aliquam superstitiosam exercentes, vel qui artium illarum Professores adierint, depositos, in Monasterium ad perpetuam Pœnitentiam detrudit.

XXIX. Regni securitati providet, cavens ne Sacerdotes hostium ditionibus finitimi, ab extraneâ Gente mandatum aliquod clam accipiant, vel dirigant: Criminis istius convictus Regi denuntiator, & à Synodo condignâ animadversione multator.

XXX. Edicit ne Sacerdotes de reis Majestatis quæstionem habeant Sacrâ Jussione Principis, nisi Princeps jurejurando supplicii promittat indulgentiam: alioqui proprii gradûs periculum subeunto.

Protegendi populi curam Episcopis à Deo impositam.

XXXI. Episcopis impositam docet à Deo protegendi populi curam: ideóque ipsis incumbere, ut Judices, & Magnates, qui pauperes opprimunt, priùs admoneant, ac redarguant; si non emendentur, de eorum insolentiâ & tyrannide Regem certiorem faciant, ut quos Sacerdotalis Admonitio non flectit ad justitiam, Regia Potestas ab improbitate coërceat.

XXXII. Avaritiam Sacerdotum damnat, qui oblationes Basilicis factas in usus suos convertunt: & tertiam duntaxat partem oblationum, frugum, tributorum, ad ipsos pertinere declarat, secundùm Canones. Fundatoribus Ecclesiarum nullum jus in earum dotem superesse, sed ejus administrationem Episcopo concreditam.

XXXIII. & XXXIV. Litium semina præfocant, quæ de Parochiarum possessione inter Episcopos oriri possent: triginta annorum præscriptionem jus possessionis firmare docet, secundùm Leges: quæ tamen nulla erit, si Parochia sit extra Provinciam. Si tamen novæ Basilicæ in territorio construantur, ei contributæ erunt Episcopo, cujus erit conventus, quem possessio quantumvis diuturna non admit. Nomine conventûs, populum intellige. Triginta itaque annorum possessio territorium præscribit, non Jurisdictionem Episcopalem.

Diœcesis ab Episcopo singulis annis lustranda.

XXXV. Episcopum omnes Diœceseos suæ Parochias singulis annis lustrare jubet. Quod si per se explere ob infirmitatem, aut alia negotia non potuerit, Presbyteros, aut probatissimos Diaconos mittat, qui in reditus Basilicarum, & Ministrantium vitam inquirant, ac reparationes curent.

XXXVI. Quibus aliquid ab Episcopo promissum est, ob commodum Ecclesiæ procuratum, ab eo solvi mandat ex rebus Ecclesiæ. Fidelibus, qui aliquid Ecclesiæ ex propriis facultatibus contulerunt, vel eorum filiis, ad inopiam redactis, ab Ecclesia subveniri statuit. XXXVII. Diaconorum superbiam reprimit, qui in primo Choro stabant, Presbyteris in secundo constitutis. XXXVIII. Diaconis unô tantùm Orario, eóque porò, nec ullis coloribus, aut aurô ornatô, uti concedit. XXXIX. De Tonsura Clericorum decernit. XL. A domibus Clericorum fœminas quasvis arcet, præter matrem, sororem, filiam, vel amitam. XLI. Clericos, qui mulieribus extraneis, vel ancillis suis ad libidinem abutuntur, Pœnitentiæ addicit: Mulieres ab Episcopo in pœnam venundari statuit.

Clericorum Immunitas.

XLII. Vetat Clericis inferioribus, quibus nubere licet, ne viduas, repudiatas, aut malæ famæ fœminas ducant. XLIII. Clericos, qui in quacumque seditione arma sumpserint, in Monasterium amandat ad Pœnitentiam. XLIV. Clericos sepulchrorum violatores, quod facious sanguine expiandum Leges sanciunt, Clericatu exuit, & triennii Pœnitentiâ multat. XLV. Clericis immunitatem ab omni publicâ indictione atque labore concedit, *Præcipiente Sisenando Rege*. XLVI. Res Ecclesiasticas per Oeconomos ex proprio Clero selectos ab Episcopis administrari jubet, secundùm Canonem Synodi Calchedonensis.

Monachi, illustris portio gregis Christi.

XLVII. Monachis aditum ad sæculum intercludit, sive parentum oblatione, sive propriâ professione Vitam Religiosam amplexi sint. XLVIII. Clericis Monachorum propositum amplecti cupientibus licentiam ab Episcopo dari statuit, *Quia meliorem vitam sequi cupiunt.* XLIX. Episcoporum jura in Monachos explicat, ipsorumque partes esse declarat, illos ad conversationem sanctam promovere, Abbates, aliáque Officia instituere; si quid in Regulam peccent, corrigere. Cæterùm prohibet ne aliquid ex Monasterii rebus usurpent, & (quod nonnulli faciebant) Monachos servili operi mancipent: Quia indignum est ut *Illustris portio gregis Christi ad ignominiam servitutemque perveniat.* L. Statuit de Monachis Apostatis, & falsi nominis conjugium ineuntibus, ut ad Monasterium revocati, Pœnitentiæ subdantur. LI. Religiosorum genus quoddam percellit, *Qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habebantur:* Eósque vel in Clero conscribi, vel Monasteriis deputari decernit.

LII. Publicè Pœnitentes, qui mortale aliquod peccatum publicè confessi fuerint, ad Clerum, vel ad Honores Ecclesiasticos admitti prohibet: à quibus eos non repellit, qui letaliter ægrotantes, Pœnitentiam sponte susceperint, nulla manifesta scelera confessi.

LIII. & LIV. Apostatas à Vitâ Monasticâ, vel à Pœnitentiâ ritu solenni professâ, necnon Virgines, & Viduas, virginitatis, aut continentiæ votum violantes percellit anathemate, si ad Pœnitentiam revocari non possint.

Judæi ad suscipiendâ...

Decem Canones sequentes de Judæis statuunt,

Baptismum non cogendi.

1. Ut ampliùs ad Religionis Christianæ professionem non adigantur : qui autem a Religiosissimo Principe *Sisebuto* compulsi, Christo nomen dederunt, in datâ fide perstare cogantur. 2. Ne Judæis contra fidem Christianam patrocinentur Sacerdotes, sub pœna anathematis. 3. Ut Judæi dudum conversi, qui ad Judaicos ritus defecerunt, & filios aut servos circumciderunt, coërceantur, & ad Ecclesiam revocentur : filii verò ab ipsis circumcisi, ab eorum separentur consortio, servi libertate donentur. 4. Ut Judæorum filii ab ipsis separentur, & Monasteriis, vel viris aut mulieribus Deum timentibus, in Christiana Fide & moribus instituendi tradantur. Si Judæi olim baptizati, a Christo deficiant, & secundùm Leges damnentur, bonis eorum fideles filii ne fraudantor. 5. Ut Judæi ad fidem Christi conversi, eorum vitent consortium, qui Ritum Veterem pertinaciter retinent. 6. Ut Judæi, qui Christianas uxores habent, ab ipsis separentur, nisi & ipsi dare nomen Christo velint. Filii autem ex illis nati, vel ex patre Christiano, & matre infideli, Christiani parentis conditionem sequuntor. 7. Judæi a Christianâ Religione Apostatæ ad testimonium dicendum ne admittuntor. *Non potest enim erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidelis.* 8. Judæis Officia publica ne committuntor. 9. Judæi Christianos servos non habento.

Canon LXVI. Servos, quos Episcopus ille libertate donavit, qui nihil ex rebus suis contulit Ecclesiæ, à Successore ipsius ad jus Ecclesiæ revocari posse statuit. *LXVII.* Præscribit modum quo servi Ecclesiæ ab Episcopo manumitti possunt : quibus accusandi, vel testificandi licentiam adversùs Ecclesiam ademptam declarat, etiam cùm fuerint libertate donati. Libertos quoscumque Ecclesiæ patrocinio commendatos, à Sacerdotibus Canon *LXVIII.* defendi jubet, sive eorum libertas petatur, sive peculium : *LXIX.* Plenâ & absolutissimâ libertate donatos ad Clerum promoveri permittit. *LXX.* Decernit ut liberti Ecclesiæ, etsi Presbyteri vel Diaconi per Parochias constituti sint, bona sua ad extraneas personas transmittere non possint ; sed Ecclesiæ sint post eorum obitum.

Qui fidelitatis sacramentum Regi præstitum violaverint, anathemate damnantur.

Canone ultimo, cavet Synodus, ne sacramentum fidelitatis Regi præstitum violetur : utque nullus ad Regnum accedat, nisi Procerum & Antistitum liberis suffragiis. *Quicumque igitur*, inquiunt, *à nobis, vel totius Hispaniæ populis qualibet conjuratione, vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gotthorum statu, vel conservatione Regiæ salutis pollicitus est, temeraverit, aut Regem nece attrectaverit, aut potestate Regni exuerit, aut præsumtione tyrannica Regni fastigium usurpaverit, Anathema sit in conspectu Dei Patris, & Angelorum, atque ab Ecclesia Catholica, quam profanaverit perjurio, efficiatur extraneus ; & ab omni consortio Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ sociis : quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos similis error invenerit implicatos.* Iterum & tertio idem Anathema conclamatum à Patribus : & a Clero populóque responsum, *Anathema, Maranatha.*

Post hæc, Regem ejusque Successores admonet Synodus, ne concessâ ad tuitionem & salutem subditorum potestate ad tyrannidem abutantur : Ut regnent cum humilitate cordis, cum studio bonæ actionis : Ne in causa capitis, aut civili, soli Sententiam ferant, sed consensu publicô servatâ sibi gratiæ faciendæ potestate. Ut demum ita se gerant, *Ut & Reges in populis, & populi in Regibus, & Deus in utrisque lætetur.* Qui contra reverentiam Legum superbâ dominatione & fastu Regio, potestate abusi fuerint, anathemate feriuntor. Tandem *Suinthila*, ejus uxor, filii, & frater, diris devoventur Christiano ritu, ob ea quæ impiè & crudeliter gesserant, Regia abusi Potestate. Quo Decreto Patres Regnum *Sisenando* confirmarunt. Sex Metropolitani Concilii Decretis hoc ordine subscripsere. Primus *Isidorus* Hispalensis, deinde *Selva* Narbonensis, tertiò *Stephanus* Emeritensis, quartò *Justus* Toletanus, qui omnibus sermonibus solitus *Helladii* Prædecessoris mores actionésque carpere, ob morum asperitatem à suis Clericis in lecto, constrictis faucibus suffocatus periit, paulò post solutum hocce Concilium. Quinto loco subscripsit *Julianus* Bracarensis. Postremò *Audax* Taraconensis. Leges Gotthicas, inquit *Mariana, lib. 6. cap.* 5. Viri eruditionis laude & eruendæ antiquitatis diligentiâ præstantes, non exiguô numerô, persuadere conantur, *Isidori* potissimum operâ, Regis *Sisenandi* auctoritate ; (quod & pervetusti earum Legum Codices adscriptum initiô habent) in Concilio IV. Toletano esse in unum corpus collatas. Alii malunt eam diligentiam & laudem ad *Egicam* referre, quòd consequentium Regum nomine plures in eô Volumine Leges extent. Ab exiguo principio, in justum Volumen temporis progressu crevisse, verisimilius putat laudatus Auctor.

ARTICULUS V.

De Concilio Toletano V.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo sexto, *Cinthila* Rex post *Sisenandi* obitum, recèns electus, suam electionem inaugurationemque Patribus probari volens, duo & viginti Episcopos Toletum congregavit, adfuitque ipse cum Optimatibus & Senioribus sui Palatii, supplex se omnium orationibus commendans. Conventui præfuit *Eugenius* Toletanus Episcopus. In eo octo Canones conditi sunt. Primo sancitum, ut quotannis novæ Litaniæ, sive publicæ Supplicationes, Idibus Decembris, triduo celebrarentur. Cæteri in *Cinthila* Regis electione confirmandâ versantur, filiorúmque ejus patrocinio, quos ab omni injuriâ, defunctô etiam patre, tutos fore mandat *Canon II.* Vetitum est *Canone III.* sub pœna anathematis, ad Regnum accedere, nisi liberâ electione, atque suffragiis, iis maximè qui ex antiquâ Gotthorum nobilitate nati non essent. *Canon IV.* Ante Regis mortem de Successoris electione tractare, quoniam tumultuum & proditionum seminarium erat, nefas haberi mandat, & in eos qui tractaverint, excommunicationem decernit. *V.* Eadem Censurâ ferit eos, qui maledicta in Principem evomuerint. *VI.* Cavet ne Regum Ministri rebus ipsorum munificentiâ concessis à Successoribus priventur. *VII.* In omnibus Hispaniæ Conciliis legi jubet universalis Concilii, id est, Toletani IV. Decretum, quô Principum saluti consultum est. *VIII.* Potestatem indulgentiæ his, qui in Leges istas peccaverint, concedendæ, Principi reservat. Tandem Patres gloriam & laudem Deo, Regi gratias agunt, eique fausta omnia adprecantur.

Canonum Summa.

ARTICULUS VI.

De Concilio Toletano VI.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo septimo, ante diem quintum Januarii, quinquaginta ampliùs Episcopi, ex totâ ditione Gotthorum à Rege convocati, Toletum convenerunt, celebraturi Synodum. In quâ præmissâ Fidei Professione, pro more Conciliorum, septemdecim Canones promulgati sunt. 1. 14. 15. 16. 17. & 18. præcedentis Concilii Decreta de novis Litaniis, & de reverentiâ ac salute Principum renovata sunt & confirmata.

Summa Canonum.

Item

Sacramentum à Rege Hispaniæ præstandum; ut nemınem in Regno suo degere permittat, qui non sit Catholicus.

Item rata habita sunt quæcumque in Synodo Toletana IV. de Judæis sancita erant, additúmque, ut Rex legitimis suffragiis electus, non ante solium conscenderet, quàm inter reliquas conditiones sacramento pollicitus fuisset, non passurum se Catholicam Fidem violari, nec degere in Regno suo aliquem qui non sit Catholicus. Quod à *Cinthila* Religiosissimo Principe Lege sancitum gratulati sunt Patres, utque bonum ab eo cœptum perseveraret, Successores ad ejusdem Legis observantiam sacramento adstringi voluerunt, latô in prævaricatores anathemate. Canon ille, quoniam sacramentum spectat à Regibus præstandum, accedente Regis auctoritate, & Procerum consensu conditus est; ut ibidem legitur. *Canon IV.* Simoniacos ab Ordinibus, & sacris Ministeriis amovet. *V.* Jubet, ut qui res Ecclesiæ sub precariæ nomine, ab Episcopis obtinent, eâ de re professionem scriptô tradant, ne damnum Ecclesiæ inferatur. Decreti condendi ratio fuit, *Quòd proprietati originis obsistat longinquitas temporis. VI.* Monachos & Sanctimoniales à religioso proposito deficientes, inflictô anathemate compelli mandat ad officium, & in Monasteria revocari. *VII.* Desertores Pœnitentiæ, ab Episcopis comprehensos, rursus ejus Legibus in Monasteriis vel invitos subdi mandat. *VIII.* Pœnitentibus, quorum junior est ætas, ob incontinentiæ periculum, indulget ut connubio antea initô utantur. *IX.* & *X.* De libertis Ecclesiæ statuta in prioribus Conciliis confirmant. *XI.* Ante damnari vetat quolibet crimine accusatum, quàm quæsitum fuerit an sit ab accusatore legitimô delatus. Excipitur crimen Majestatis. *XII.* Confugium ad hostes in damnum Patriæ, excommunicatione & diuturnâ Pœnitentiâ plectendum statuit. Quòd si criminis hujusmodi reus ad sacrum asylum confugerit, ad intercessionem Sacerdotum, & ob loci reverentiam, Regis justitia pietate temperetur. Proceribus honorem à Junioribus, sive inferioribus exhibendum; his à Senioribus dilectionem & patrocinium impendi jubet Canon XIII. *Selva* Narbonensis Metropolitanus, *Julianus* Bracarensis, *Eugenius* Toletanus, *Honoratus* Hispalensis, *Sancti Isidori* Successor, *Protasius* Valentinus, *Braulius* Cæsaraugustanus, qui propter ingenii eruditionisque laudem, Concilii Actiones rexisse fertur, & Decreta scripsisse, inter hujus Synodi Patres eminebant.

ARTICULUS VII.

De Concilio Toletano VII.

Summa Canonum.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo septimo, *Chindasuinthus* Regni sui sextum jam annum agens, Episcopos ex totâ ditione Toletum convocavit, de iis quæ ad Religionem & Rempublicam pertinebant, maturô consiliô deliberaturos. Adfuerunt statâ die vigesimâ octavâ Octobris triginta Episcopi. Sex Canones editi sunt. *Primus* conjurantes in Regis aut patriæ perniciem anathemate perpetuo damnat, quô nisi in extremo vitæ spiritu solvi non possint; quam tamen pœnam ad Regis arbitrium edicit temperandam, sive contrahendam. II. Statuit ut Sacerdote infirmitate correptô dum Sacrum celebrat, alter cœptum compleat Sacrificium. III. Ex Valentini Concilii instituto, Episcopo cuivis animam agenti mandat è viciniis Episcopis aliquem ad id vocatum adesse, defunctique funus præsentem curare: qui vocatus venire neglexerit, anathematis ignominiâ notatus anni spatiô è gradu atque dignitate dejicitur. IV. Exactionibus Episcoporum Provinciæ Galliciæ modum ponit, ne ampliùs quàm duos solidos, id est, duos nummos argenteos monetæ Gallicæ, à singulis Diœceseos suæ Parochiis annuatim exigant, secundùm Synodi Bracarensis Decretum. In Visitationibus verò numerum quinque equorum ne excedunto, ne cuiquam sint oneri. V. Monachos vagos, vel etiam reclusos, quos ad Vitam Monasticam sola ignavia compulit, quique & ignorantiâ, & pravis moribus, sunt Ecclesiæ dedecori ac scandalo, Monasteriis deputari jubet, ubi Sancti Ordinis meditantes doctrinam, primùm possint discere quæ sunt à Patribus instituta, ut post valeant docere, quæ sunt sanctâ meditatione percepta. VI. Statuit, ut pro reverentiâ Principis, ac Regiæ Civitatis honore, necnon pro Metropolitani solatio, vicini Toleto Episcopi, cùm ab Archiepiscopo Toletano moniti fuerint, ad eam Urbem accedant, & singulis quique mensibus ibi commorentur. Excipiuntur messis & vindemiarum tempora. Tandem Patres *Cindasuintho* Regi benè precati, Conventum solverunt. Decretis subscripsere *Orontius* Emeritensis Metropolitanus, *Antonius* Hispalensis, *Eugenius* Toletanus, *Protasius* Tarraconensis: & post hos Episcopi alii antiquitatis ordine. Tum absentium Episcoporum Vicarii, qui & ipsi non consentientes tantùm, sed & *definientes* subscripserunt, novô exemplo, neque à Tridentini Concilii Patribus nostrâ ætate usurpato, ut notat *Mariana*.

Vicini Toleto Episcopi, ab Archiepiscopo Regiæ tunc Urbis moniti, ad eam accedere debebant, ac per mensem ibi morari.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Cabilonensi. *

* Cabilo, *Châlon sur Saone*, Urbs Galliæ Celticæ, Episcop. sub Archiepiscopatu Lugdunensi.

ANno circiter sexcentesimo quinquagesimo, Synodus à Clodoveo II. ex illius ditionibus Cabilonum convocata, *Canderico* Lugdunensi Archiepiscopo Præside celebrata est, in Basilica *S. Vincentii*, VIII. Kalendas Novembres. Quod de Canonibus fuerat prætermissum, vel per negligentiam, aut ignorantiam vitiatum, XX. Canonibus emendatum est.

Summa Canonum.

Primus Canon statuit ut Fides Nicæna, prout à SS. Patribus exposita est, & in Concilio Chalcedonensi firmata, ab omnibus, & in omnibus conservetur. *Secundus*, ut ab omnibus intemerata serventur Canonum statuta. *Tertius*, Clericos extraneis fœminis familiares è gradu dejicit. *Quartus* duos in unâ civitate Episcopos esse vetat. *Quintus* sæculares viros à regimine Parochiarum, & rerum Ecclesiasticarum administratione omnino removet. *Sextus*, Necatorem pauperum haberi decernit, qui res Ecclesiasticas ante audientiam invaserit. *Septimus*, bona defuncti Presbyteri, vel Abbatis, ab Episcopo, vel Archidiacono intacta manere jubet. *Octavus*, Pœnitentiam à Sacerdotibus, iis qui peccata apud ipsos confessi fuerint, indici approbat. *Nonus*, prohibet ne mancipia Christiana extra Regni fines vendantur, ne vel captiva fiant, vel Judæis mancipentur. *Decimus*, Episcopos à Comprovincialibus, Clero, & civibus eligi mandat: alioquin electio irrita esto. *Undecimus*, Judices publicos per Parochias & Monasteria, Episcoporum more discurrentes, & Monachis, vel Clericis molestos coërcet, & nisi ab Archipresbytero, vel Abbate invitatos, aliquid præsumere vetat; alioqui ab omnium communione Sacerdotum sequestrantor. *Duodecimus* prohibet duo Abbates eidem Monasterio ne præficiantur; si autem Abbas Successorem elegerit, Successor designatus de Monasterii facultatibus administrandis ne se immisceat. *Decimus-tertius* cavet ne quis alienum Clericum, absque proprii Episcopi licentiâ retineat, vel ordinet. *Decimus-quartus* Clericos in Oratoriis, quæ Magnates in villis suis fundaverant, Sacra facientes, vel ministrantes, Episcopo in omnibus subesse jubet, ac ab Archidiacono coërceri.

Capellani Magnatum in omnibus Episcopo subditi.

coërceri. *Decimus-quintus*, prohibet ne Abbates, Monachi, vel Agentes Monasteriorum, sæcularis penitus utantur patrocinió, & Principem sine sui licentiâ Episcopi adeant: qui secùs fecerint excommunicantor. *Decimus-sextus* simoniacè ordinatos exauctorari mandat. *Decimus-septimus* sæculares, qui in Ecclesia, vel in ipsius atrio simultates excitare, arma trahere, ad aliquem interficiendum, aut vulnerandum insurgere, aut scandalum quodvis perpetrare ausi fuerint, decernit excommunicatione plectendos. *Decimus-octavus* veteres Canones renovans, ruralia opera diebus Dominicis prohibet. *Decimus-nonus* fœmineos choros, turpia interdum & obscœna cantantes in Basilicarum Dedicatione aut festivitatibus Martyrum, arceri mandat ab Ecclesiarum septis, porticibus, & atriis: si se emendare noluerint, excommunicatione feriuntor. *Agapium* & *Bobonem* Dienses Episcopos, qui contra Canones in multis peccaverant, dopooit. An alter alterius creatus fuerit Coadjutor; an paribus uterque suffragiis factus Episcopus, & quia nec unus priorem, nec alius parem vellet, tumultus excitaverint; an aliâ ratione deliquerint, incertum.

Episcopi in Synodo depositi, vel suspensi.

Theodosium tandem Arelatensem Episcopum suspenderunt Patres ad proximam usque Synodum. Publicam ille professus fuerat Pœnitentiam; quam ob causam irregularis factus erat, secundùm Canones. Missa ad eum Suspensionis sententia, solutô jam Conventu, ut probat inscriptio: *Domino semper peculiari suo Theodosio, Cœtus Episcoporum, qui nuper est Cabilono urbe, cum Christi gratiâ, adunatus.*

Ex Episcopis qui concilio subscripserant, insignes sanctitate fuere *Audoënus* Rothomagensis Archiepiscopus, *Donatus* Vesontiensis, *Gratus* Cabilonensis, *Eligius* Noviomensis, qui sacris honoribus coluntur.

ARTICULUS IX.

De Concilio Toletano VIII.

ANno salutis sexcentesimo quinquagesimo-tertio, Concilium à *Recesuintho* Rege Toletum convocatum est, inter ejus urbis Concilium octavum. Episcopi duo & quinquaginta adfuere, statâ die 16. Decembris. Eô die Rex ad Patres ingressus, Codicillum obtulit, in quo Fidei Catholicæ de scripto confessa Professio continebatur. Edita pariter est Professio fidei à Patribus. Undecim editi Canones. *Primò* jusamenta & vota illicita, irrita fore sancitum est. 2. Simoniam in sacris Ordinatiooibus damnat, hujusque reos criminis deponendos, & communione privandos edicit. 3. 4. & 5. De Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum continentiâ statuunt. 6. Eos, qui se invitos ordinatos fuisse causabantur, & ideo ad pristina conjugia redire volebant, ut apostatas communione privandos, & in Monasteria detrudendos ad Pœnitentiam perpetuam decernit, si id tentaverint: ipsorumque inanem esse excusationem docet exemplo ductô à Baptismate, quod licet non solùm volentibus, verùmetiam nescientibus parvulis conferatur, à nullô penitus profanari pesmirritur. 7. Ordinari vetat, nisi quem morum innocentia, & literarum splendor reddunt illustrem. 8. Illos qui Quadragesimalem abstinentiam violaverint, à Paschali Communione removeri jubet, & anno solidô ab esu carnium in pœnam abstinere. Illos verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante cibis prohibitis uti, quàm à Sacerdote licentiam accipiant. 9. De Regis electione statuit, vel in urbe Regia, vel in loco ubi Princeps obierit, faciendam, à Pontificibus & Majoribus Palatii, non conspiratione paucorum, aut rusticarum plebium seditioso tumultu. Electos jurare Catholicæ Fidei defensionem ab omni Judæorum & Hæreticorum injuria: Exactiones aut vectigalia nova non impositusos subditis. Hujus Decreti violatores, sive Clerici, sive Laïci, non solùm Communione, verùmetiam sui Ordinis dignitate privantor. *Decimus* Synodorum Decreta executioni mandari jubet: qui ea violaverit, communionis & honoris sui amissione multator. In Synodis verò, si pauciores per nescientiam vel contentionem fortè dissentiant, aut commoniti plurimorum sententiæ cedunto: aut annuæ excommunicationis sententiâ feriuntor. *Undecimus*, Concilii Toletani IV. Decreta circa Judæos observari mandat. Denique Patres Deo gratias agunt, Regi gratulantur, & Legem ab eo latam pro coërcenda Principum cupiditate approbant: ut scilicet bona ab ipsis parta, ex quo ad Regnum pervenere, *Maneant in ipsorum potestate, non habenda parentali successione, sed possidenda Regali congressione, ita ut justè sibi debita quisque percipiat; & de reliquis ad remedia subjectorum, quæcumque elegerit, Principis voluntas, exerceat.*] Orontius Emeritensis, Antonius Hispalensis, Eugenius Toletanus, Potamius Bracarensis, Metropolitani, primas in eo Conventu partes occuparunt: Secundùm hos Præsules alii, atque etiam Abbates, novû exemplô, in quibus Ildefonsus numeratur: Præterea Proceres, tum Duces, tum Comites, quorum certè curæ Reipublicæ pars aliqua permissa erat. Nec mirum: hæc enim Toletana Concilia veluti Regni Comitia erant, ubi non tantùm de Religione, sed etiam de Republica, communi omnium consensu disceptabatur.

Summa Canonum.

Majorum Clericorum continentia.

Pœna violantiû Quadragesimalem abstinentiam.

ARTICULUS X.

De Concilio Toletano IX.

ANno sexcentesimo quinquagesimo quinto, Nonum Concilium Toletanum *Reccesuinthi* Regis diligentiâ habitum est, Kalendis Novembris. Sexdecim adfuerunt Episcopi. In his *Eugenius* Toletanus, cùm alii abessent Metropolitani, principem locum obtinuit. Septemdecim Canones editi sunt. *Primus* cavet ne Sacerdotes & Ministri, aliquid ex rebus Ecclesiæ sibi vendicent, aut ex bonis Parochialium Ecclesiarum decerpant aliquid Ecclesiæ Principali uniendum. Ne id fiat invigilare permittit Fundatorum filios, nepotes, & propinquos, & ad Episcopum, vel Judicem publicum querimonias eâ de re suas deferre; vel ad Metropolitanum, si fraudis hujus fortè reus sit Episcopus; aut ad Regem, si reus sit Metropolitanus. Qui contra hoc Decretum deliquerint, & malè rapta restituunto, & excommunicationis annuæ Sententiam subeunto. *Secundus Canon* statuit ut fundatores Ecclesiarum, quamdiu vixerint, Rectores idoneos earum nominent, ac offerant Episcopis ordinandos. Si quos invitis Fundatoribus, Episcopus instituerit, institutio irrita esto. *Tertius* jubet, ut cùm Sacerdos, vel Minister, de rebus Ecclesiæ suæ alicui sub præstationis obtentu aliquid concesserit, causam præstiti confectô Instrumentô exponat. *Quartus* Sacerdotes, vel rerum Ecclesiasticarum Administratores quoscumque, quibus nullus, vel exiguus erat rei familiaris census, si quid administrationis suæ tempore emerint, Ecclesiæ asseri jubet confectis instrumentis. Qui verò fuerint patrimoniô divites, eorum bona post Ordinationem quæsita, inter Ecclesiam & consanguineos, etiamsi intestati obeant, dividuntor. *Canon V.* permittit Episcopo, qui in Diœcesi suâ Monasterium extruere voluerit, ut illi ad dotem conferat quinquagesimam partem bonorum Ecclesiæ cui præsidet, ut hâc temperamenti æquitate servatâ, & cui tribuit, competens subsidium conferat; & cui tollit, gravia

Summa Canonum.

Jus Patronatus.

Bonorum Ecclesiæ administratio & usus in Ecclesiæ favorem ac utilitatem.

A via damna non infligat. *Sextus* permittit Episcopo, ut tertiam rerum Ecclesiasticarum partem sibi debitàm, aut ipsi Ecclesiæ à quâ illam accipit, aut alteri, cui voluerit, Ecclesiæ conferat. *Septimus*, Episcopi morientis hæredes adire vetat hæreditatem, inconsultô ejus Successore, vel Metropolitano: & Presbyteri, vel Diaconi hæredes, rem ejus adire inconsultô Episcopo. *Octavus*, In Scripturis à Sacerdotibus vel Ministris de rebus Ecclesiæ factis contra Patrum sanctiones, annorum numerum, nisi ab eorum obitu non censeri decernit: ita ut ad tricennium, quô elapso, præscriptionis jus obtendi potest, non pertineat ejus vitæ tempus, qui contractum iniquum iniit. B *Nonus* vetat, ne Episcopus, qui ad Coëpiscopum sepulturæ mandandum accesserit, factâ descriptione thesauri Ecclesiæ, & bonorum quæ in Episcopali domo relicta sunt, ampliùs accipiat pro honorario vel expensis itineris, quàm libram auri, si Ecclesia sit dives; vel dimidiam, si modici fuerit census. *Decimus* Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos incontinentes, canonicis pœnis subdit: filios verò ab iis genitos arcet ab hæreditate parentum, & perpetuæ Ecclesiæ addicit servituti. *Undecimus* & sequentes usque ad decimum-sextum, leges sunt Ec- C clesiæ libertis positæ. *Postremus*, Judæos baptismo initiatos, præcipua Ecclesiæ Festa in civitatibus publicísque conventibus celebrare jubet, ut eorum fides & conversatio Episcopo innotescant.

ARTICULUS XI.

De Concilio Toletano X.

ANno sequenti, Præsules viginti, *Recesuintho* Rege pariter vocante, Toletum convenerunt, alteram Synodum celebraturi. Septem in eâ conditi Canones. *Primo* Festum Annuntiationis B. Virginis, D quotannis ad octavum Kal. Aprilis celebrari solitum: quoniam is dies Quadragesimæ celebritate, & Christi morte commemoranda occupatus erat, in diem decimum octavum Decembris transferri sancitum est. *Secundò* cautum ut Clerici, vel Monachi, qui generale Sacramentum pro salute Regis præstitum violassent, gradu & honore exuerentur, servatâ Regi potestate pœnam Canonicam moderandi. *Tertiò* prohibitum, ne Episcopi propinquis suis, aut aliquo sibi favore devinctis, Parochiarum, vel Monasteriorum Præfecturas committant, (quod de Laïcis intelligendum,) Alioqui collatio irrita esto, E & Collator annuâ excommunicatione feritor. *Quartò & quintò* Viduis, & Virginibus Religionem professis, jubet pallio, seu velamine purpurei vel nigri coloris capita contegere, & Professionem suam subscriptione propriâ roborare. Voti prævaricatrices excommunicatione & ærumnis arduæ Pœnitentiæ plectuntor. *Sextò* statutum, ut pueri a parentibus Religiosæ Vitæ per Tonsuram aut vestem Monasticam devoti, jugo sanctæ observantiæ semper addicti manere cogantur. Parentes ad decimum usque duntaxat ætatis annum filios Religiosæ vitæ devovendi licentiam habento. *Septimò* vetitum ne Christiani Judæis vendantur. In hâc præterea Synodo, *Potamius* Bracarensis Episcopus, quòd libidinis lapsu se F contaminasset, gradu motus est, Episcopi tantùm nomine servatô. Id temperamenti adhibitum pœnæ Canonicæ, quòd ipse libello supplici Patribus oblatô, culpam ultrò confessus esset, seque novem mensium spatiô cultôs victúsque asperitate macerasset, divinæ misericordiæ impetrandæ studiô. Ejus in locum suffectus est *Fructuosus*, ex Complutensi Abbate Dumiensis Episcopus pridem factus: qui & Concilii Actus, post *Eugenium* Toletanum, & *Fugitivum* Hispalensem, tertius ipse, absque inter Metropolitanos postremus subscripsit.

Summa Canonum.

Annuntiatio Deiparæ Virginis olim mense Decembri celebrata in Hispania.

Pueri Monasticæ Vitæ à parentibus devoti, sacrum jugum excutere non possunt.

Potamii Episcopi depositio.

A Aliud à Concilio Decretum editum est, cujus occasio fuit exorta de *Martini* Dumiensis olim Episcopi testamento controversia. Hujus executio testamenti Suevorum Regibus à *Martino* ipso commendata erat: in quorum jura Gothorum Reges successerant. *Vvamba* Palatinus, Regis permissu, quid statuendum in eâ re foret, Patres consuluit. Illi totius controversiæ arbitrium penès *Fructuosum*, quem novò honore, auxerant, esse voluerunt. Sacris honoribus apud Bracarenses, Eborenses, Compostellanos, ob eximiam sanctitatem *Fructuosus* colitur, festo dicato ad diem decimam sextam Kal. Maii.

B

ARTICULUS XII.

De Concilio Emeritensi. *

ANno sexcentesimo sexagesimo-sexto, duodecim Lusitaniæ Episcopi Emeritam * convenientes, viginti duobus Decretis Disciplinam Ecclesiasticam sanxerunt, præmissa Fidei Professione. *Primum* spectat Officii Vespertini ordinem. *Alterum* preces pro Regis & exercitus salute, belli tempore C statuit offerendas. *Tertium*, decernit ut Metropolitanus coram Comprovincialibus Episcopis, & quilibet eorum coram Metropolitano placitum faciant sive jusjurandum emittant, de vitâ castè, sobriè, rectéque instituenda.

Canon quartus Episcopos ad Synodum voluntate Metropolitani, & Regia jussione congregatam, convenire mandat: qui infirmitate, vel mandatis Principis detenti, adesse non potuerint, absentiam suam apud Metropolitanum excusare; & mittere Archipresbyterum, vel Presbyterum, qui præsentiam suppleat suam, non verò Diaconum. *Quintus* Episcopum qui à Metropolitano suo vocatus ad festa D Nativitatis Domini, vel Paschatis, cum eô celebranda, venire noluerit, excommunicatione decernit feriendum, nisi eum infirmitas, aut nimia aëris intemperies excusent. *Sextus*, Concilia quotannis celebrari statuit in locis à Rege designandis. Episcopum, qui Synodo non adfuerit, suspendit ad proximum usque Synodum, & in loco quem Metropolitanus, aliísque Episcopi designaverint, Pœnitentiam agere jubet, ejúsque Ecclesiam, & bona ad eam pertinentia, alteri interim administranda committi. *Septimo* composita est controversia inter quosdam Episcopos mota ob certas Parochias: & decretum, E ut in his etiam tricennalis possessio præscriberet. *Octavo* prohibitum, ne pro Chrismate, aut Baptismatis administratione aliquid exigatur. *Nono* sancitum, ut aliquid Episcopus in Cathedrali suâ habeat Archipresbyterum: Archidiaconum, & Primiclerum. Qui si observantiæ Episcopo debitæ defuerint, excommunicantor. *Decimo* emendati Presbyteri & Abbates, qui à decedente Episcopo Ecclesiarum suarum obtinentes immunitatem, ejus Successori reverentiam & justam obedientiam negabant: eum Ecclesias suas, juxtà præscripta Canonum, visitantem suscipere jussi, & necessaria illi præparare Presbyteris & Diaconis vetitum, sine Episcopi sui licentiâ, sæculares causas agere. Qui secùs fecerint, excommunicatione plectuntur. *Undecimus* permittit Epis- F copis, ut Clericos ex Parochiis ad Cathedralem suam transferant. Sic verò translati, quamvis aliquo stipendio ab Antistite donentur, ab Ecclesiis in quibus antea ministrabant, & à rebus earum extranei ne sunto; sed Presbyterum nominent ab Episcopo in iis Parochiis eorum locô instituendum, cui victum & vestitum procurent. Hæc Primitivorum videtur Curatorum origo. *Duodecimus*, quòd Episcopi proficientibus in sacro Ministerio Clericis aliquid de rebus Ecclesiæ largiantur, approbat. *Decimus-tertius* Oblationes ita dividi statuit, ut pars una cedat

* Emerita, vulgo Merida, ad Anam fluvium, in Extremadura.

Summa Canonum.

Concilia Provincialia quotannis celebranda.

Curatorum primitivorum origo.

Episcopo; altera Presbyteris & Diaconis distribuatur; tertia inter Subdiaconos & inferiores Clericos à Primicero dividatur. *Decimus-quartus* vetat ne Episcopi, vel Presbyteri, servos reos criminum, quæ publicæ Leges puniunt, mutilatione membrorum multent; sed si in aliquâ hujusmodi culpâ deprehenduntur, Judici sæculari traduntor. Episcopus verò pœnam moderandi potestatem habeto. *Decimus-quintus*, tertiam oblationem partem, quam secundùm antiquum morem ex singulis Parochiis Episcopus percipiebat, in restaurationem templorum jubet impendi. *Decimus-sextus*, eos qui defunctis Episcopis detrahunt, cujuscumque sunt Ordinis, vel pœnitentiâ, vel excommunicatione statuit castigari. *Decimus-septimus*, Curatis, secundùm facultates Parochiarum suarum, Clericos adlegere jubet, quos instituant, & quibus cùm ad Officium sanctum dignè peragendum, tum ad obsequia domestica utantur. *Decimus-octavus* statuit ut Presbyter, cui plures Parochiæ regendæ commissæ sunt, quòd singulæ uni alendo Presbytero non sufficiant, singulis Dominicis Missas celebret, & eorum qui Ecclesias illas fundarunt, vel dotarunt, nomina recitet ad Altare. *Decimus-nonus* de libertis est ab Episcopo factis, & quid circa eos observandum sit, præscribit. *Vigesimus* dotationes ab Episcopo factas amicis suis, servis, aut libertis, ratas esse jubet, si multò plura ex rebus propriis contulerit Ecclesiæ. *Vigesimus primus* horum Canonum violatores & contemptores sancit excommunicatione plectendos. Post hæc Patres laudibus Deo peractis, & *Reccesuintho* Regi prospera omnia precati, subscriptis Canonibus, Conventum solverunt.

ARTICULUS XIV.

De Concilio Augustodunensi.

* *Augustodunum* vulgò *Autun* in Burgundia, Sedes Episcop. sub Archiepiscop. Lugdunensi.

Monastica Disciplina sancitur.

ANno Christi sexcentesimo septuagesimo, Synodus Augustoduni * habita est, agente *S. Leodegario* hujus urbis Episcopo. In eâ nonnulli editi Canones, quibus Monastica Disciplina sancita est, vetitúmque ne Monachi peculium habeant; ne compatres fiant; ne in civitatibus vagentur; ne cum extraneis mulieribus familiares sint; ne in Monasteria fœminas ingredi patiantur; ne quis Monachum alienum absque licentiâ Abbatis retineat. Jussum præterea, ut Monachi vagi ad cellam revocentur, juxta merita coërcendi. Ut quicquid Canonicus ordo, & S. Benedicti Regula docet, observari curent Abbates; *Quia si regularis vigeat observantia, & numerus Monachorum, Deo propitio, augebitur, & Mundus omnis per eorum orationes omnibus carebit contagiis.* Ut Monachi in commune laborent; ut denique hospitalitatem exerceant. Qui hos Canones violaverint, Abbates anno uno, Præpositi annos duos à Communione suspenduntor; Monachi annos tres à communione arcentor, aut fustibus verberantor.

ARTICULUS XV.

In Anglia.

De Concilio Herudfordiæ.

Summa Canonum.

ANno Christi sexcentesimo septuagesimo tertio, Lotharii Cantii Regis anno 1. Concilium Herudfordiæ celebratum est, præside *Theodoro* Cantuariensi, quô decem præcipuè Capita sancita sunt. *Primum* de Paschate eadem diem ab omnibus celebrando, scilicet Dominica proximè sequente Lunam XIV. Primi Mensis. *Secundum* de Diœceseon finibus, vetitúmque est ne Episcopus alterius Parochiam invadat. *Tertium* de Monasteriis, ne ipsis molesti sint Episcopi, & res eorum usurpent. *Quartum* de Monachorum stabilitate, quibus prohibitum, ne à Monasterio in quo conversi sunt, in aliud migrent sine licentiâ Abbatis. *Quintum* de residentia Clericorum, quibus extra Diœcesim, absque licentiâ Episcopi, migrare vetitum. *Sextum* Episcopus & Clericos peregrinos Officio Sacerdotali fungi prohibet absque licentia Episcopi, cujus in Diœcesi versantur. *Septimum* bis quotannis Synodos congregari jubet. *Octavum* Episcopos ordinem inter se servare secundùm tempus consecrationis statuit. *Nonum* plures in Anglia Episcopos consecrari mandat crescente numero Fidelium. *Decimum* est de conjugio, quod legitimum esse jubet, incestásque nuptias damnat: Uxorem dimitti nisi causâ fornicationis; & eâ dimissâ, alteram ducere, secundùm Evangelium, prohibet. De hoc Concilio legatur Venerabilis Beda *Lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum, cap. V.*

Episcopi ordinem inter se servare debent secundùm tempus consecrationis.

ARTICULUS XVI.

De Concilio Toletano XI.

ANno Christi sexcentesimo septuagesimo quinto, *Vvamba* Regis anno quarto, ad septimum Idus Novembris, septemdecim Episcopi, ex Carthaginensi ferme Provincia, & septem præterea Abbates, Toletum convenerunt, Synodum celebraturi. In eo Conventu, secundùm Deo & Regi gratias actas ob instauratum morem veterem Concilia celebrandi, qui decem & octo annorum spatiô intermissus erat, Canones quindecim sunt editi. *Primò* Episcopi, qui Concilium tumultu, contumelus, aut risu immodesto perturbaverint, cum ignominia è sacro Cœtu ejiciuntur, & tridui excommunicatione plectuntur. *Secundus* Episcopos lectioni & prædicatione incumbere jubet, ac invigilare ut Clerici, & Christianæ plebes divinæ legis traditionibus imbuantur. *Tertius* singulas Ecclesias in Ordine & ritu divini Officii Metropolitanam Sedem sequi mandat, ut quæ unicuique Sacerdotalis mater est dignitatis, sit & Ecclesiasticæ magistra rationis. Ab hac regula ne Monasteria quidem excepta, quoad Officia publica. *Quartus* de Sacerdotum discordiis odiisque sanandis agit. Horum oblationes, juxta Canonem Concilii Carthaginensis IV. nullo modo recipiendas edicit. Eos ad altare accedere vetat, & sanctæ Communionis gratiam accipere, donec reconcilientur; & geminatô tempore per pœnitentiam compensare jubet, quod discordiæ servierunt. Si unus, aliô contemnente, ad caritatem redierit, ac satisfecerit, ut pacificus intra Ecclesiam recipitor. *Quintus* insolentiam & furorem Sacerdotum compescit, qui ante judicium, res alienas pervadebant, aut vim alicui inferebant; congruis pœnis castigandos edicit, atque ex bonis propriis, si quæ habeant, illata damna resarcire. Justum esse negat, pro pravis actibus Sacerdotum, satisfactionem ab Ecclesiis exigi; cùm Ecclesia Rectores suos ad honestatem, non ad litem sofoemet. Nullis vitam Præsulum perturbari debere moribus docet, cùm *Throni Dei* vocentur, & *Arca Justitiæ* esse debeant. *Sextus* capitalem ferre Sententiam, aut membrorum mutilationes decernere, Sacerdotibus vetat. Qui hanc legem transgressi fuerint, gradu & honore dejiciuntur in perpetuum, & in morte duntaxat Communione donantur. *Canon septimus* cavet ne Episcopi clandestinis Judiciis pœnas in subditos decernant. Hancque à *S. Leone* olim traditam regulam commendat: *Plus erga corrigendos agere debet benevolentia, quàm severitas; plus cohortatio, quàm commotio; plus caritas, quam potestas.*

Summa Canonum.

In odio & dissidiis pertinaces, à communione excluduntur.

Præsulum vita nullis moribus perturbari debet.

Episcopalis mansuetudo.

Octavus excommunicatione plectit Sacerdotes exigentes pecuniam pro Baptismo, Chrismatione, aut Ordinationibus. Episcopus qui crimen istud in subditis non emendaverit, duobus mensibus abstinetor;

Simoniacorum pœnæ.

abſtinetor : Preſbyter qui illud commiſerit, tribus menſibus ; Diaconus quatuor ; Subdiaconus & inferiores Clerici tali infigno commercio ſervientes, & verberibus, & excommunicatione plectuntor. *Nonus*, Epiſcopos ante Ordinationem jurejurando aſſerere jubet, ſe pro ſacri honoris conſecutione præmium cuiquam nullum dediſſe, daturoſve fore. Simoniacè Ordinatus biennii excommunicatione, Pœnitentiâ, & exiliô multat : Si congruâ Pœnitentiâ ſatisfecerint, communionis, gradus, & miniſterii recuperandi ſpem facit. *Decimus*, Clericos omnes, qui ad ſacros Ordines promoventur, datô ſacramentô polliceri mandat Fidei Catholicæ cuſtodiam, Canonum obſervantiam, & reverentiam erga Præpoſitos. *Undecimus*, Canonem Toletani Concilii Primi confirmat & explicat, quo ſacrilegii damnatur, qui Euchariſtiam a Sacerdote porrectam expuerit. Pœnâ Canonis infirmos non teneri declarat, qui nauſeante ſtomacho inviti Sacramentum evomunt. Excipiuntur & infantes, quibus adhuc in Hiſpaniæ Eccleſiis dabatur Euchariſtia poſt Baptiſmum ; & adulti, qui ſui compotes non ſunt. Fideles, hujus ſacrilegii reus, Communione in perpetuum privatos : Infideles, verberibus, & exiliô plectitor. *Duodecimus*, reconciliationem, ſive abſolutionem, moribundis Pœnitentibus diu non differendam ſtatuit : eorum verò, qui acceptâ Pœnitentiâ, non reconciliati, ſive abſoluti, obeunt, memoriam in Eccleſiis commendandam, & Oblationem pro eorum ſpiritibus ſuſcipiendam. *Decimus-tertius*, energumenos a Sacris Miniſteriis removet. *Decimus-quartus*, decernit Sacerdotibus Sacra facientibus Adjutorem ſemper adeſſe, qui in eorum locum ſuccedat, ſi ſubitâ fuerint ægritudine correpti. *Decimus-quintus*, Concilia Provincialia quotannis in Eccleſia Metropolitana celebrari jubet, tempore quô Metropolitano & Regi viſum fuerit. In hac Synodo Sedium Epiſcopalium diviſionem factam, habet ejus inſcriptio in vulgatis Conciliorum Editionibus ; ſed veriſimile non eſt cauſam communem, & quæ ad omnes pertinebat, paucorum judiciô atque ſententiis fuiſſe diſceptatam, & finitam.

ARTICULUS XVII.

De Concilio Bracarenſi IV.

Summa Canonum.

EOdem anno, Bracaræ in Luſitania Concilium celebratum eſt. Novem editi Canones. Plures Sacerdotum abuſus emendati. Vetitum ne abſque Orariis Miſſam celebrarent : Ne Euchariſtiam vinô madidam populis porrigerent : Ne Martyrum reliquias, ut moris erat, è collo ſuſpenſas, in ſellis ipſi ſublimes, ſuccolantibus Diaconis : ſed Diaconi in thecis geſtarent. Ne lac, aut uvas non expreſſas, in divinis Sacrificiis offerrent, ſed Panem tantùm & Calicem vinô & aquâ permixtum. Ne in profanos uſus vaſa ſacra converterent, ſub exauctorationis periculo. Prohibitum item Epiſcopis, ne honorabilia Eccleſiæ membra, ſcilicet Preſbyteros, Abbates, Diaconos, verberibus caſtigarent, niſi graviorum criminum convictos ; Qui ſecus fecerint, excommunicatione, & exiliô plectuntor. Simoniacos juxta ſententiam Calchedonenſis Concilii puniendos, ſtatutum. In eos tandem animadverſum, qui de propriis commodis ſolliciti, res Eccleſiæ negligebant. Interfuit iſti Synodo *Iſidorus* Aſturicenſis Epiſcopus, humanarum rerum contemptu, & eruditionis opinione eâ ætate cumprimis clarus, ut ejus ingenii Monumenta teſtantur.

ARTICULUS XVIII.

De Concilio Toletano XII.

ANno ſalutis ſexcenteſimo octogeſimo primo, *Ervigio* Regnum malis artibus quæſitum ſtabilire cupienti optimum viſum eſt religionis ſpeciem obtendere. Quamobrem Toletum ex univerſâ ditione Præſules ad Synodum convocavit. Ad quintum Idus Januarii menſis triginta quinque convenerunt. Duodecim edita Decreta. *Primo* Ervigio Regnum quod arripuerat, Patrum ſententiâ firmatum eſt, qui Gotthorum Proceres plebémque, ſacramenti religione, quô *Wambæ* adſtricti erant, ſolutos, ipſius *Wambæ* abdicatione, declararunt. Cæterùm *Wambam* ab eâ Synodo fuiſſe depoſitum, quod nonnulli affirmarunt, falſiſſimum eſt, ut in Diſſertationibus oſtendo.

Summa Canonum.

Secundò ſtatutum eſt ut qui in extremis poſiti, Pœnitentiæ habitum & benedictionem, amiſſo etiam ſenſuum uſu, neſcientes ſuſcepiſſent ; quamvis eam non poſtulaſſent, dum erant compotes ſui, ipſam implere cogerentur, nec militare cingulum reſumere ipſis fas eſſet. Ratio quâ hoc nitebatur Decretum, hæc erat, quòd ſicut Baptiſmus à neſcientibus parvulis acceptus, in fide parentum, ipſos nihilominus ad Fidem & Legis Evangelicæ perpetuam obſervantiam adſtringit : Sic æquum eſſet ut qui Pœnitentiam ritu ſolenni, etſi neſcientes, ſuſceperant, eam implere compellerentur, & ſecundùm ejus Leges vivere. An hæc ratio accurata ſit, non expendimus. Satis ſit noſſe, hanc fuiſſe Hiſpanienſium Eccleſiarum diſciplinam. Nihilominus Sacerdotes qui Pœnitentiam non petentibus & ſenſu deſtitutis dederint, excommunicatione per annum plectuntor.

Pœnitentiam profeſſi, & pœnitentium more vivere debebant, quibus ritu ſolenni fuerat impoſita in extremis, etſi neſcientibus.

Singularis hæc Hiſpanienſis Eccleſiæ diſciplina.

Tertius Canon, excommunicatos ob crimen contra Regem, aut Patriam, in Eccleſiaſticam Communionem ſuſcipiendos edicit, cùm in gratiam Regis recepti fuerint. *Canon quartus*, Epiſcopatus à Concilio Toletano XI. cùm in oppido *S. Pimenii*, tum in aliis pagis & vicis, necnon in Æde Prætorienſi *Petri* & *Pauli*, quæ in Toleti ſuburbiis erat, *Wambæ* Regis pio ſane, ſed imprudenti conſilio inſtitutos, & adversùs Canones, ſuſtulit, Rege etiam levitatis accuſatô. *Quinto* ſancitum eſt, ut cùm plures unâ die Miſſas Sacerdos celebrat, ut ſingulis Communionem ſumat. Qui in poſtremô tantùm Sacrificio Corpus & Sanguinem Chriſti ſumpſerit, anno unô à communione ſuſpenditor. *Canone ſextô*, ordinandi & confirmandi, totâ ditione, Epiſcopos, quos Rex nominaſſet, Archiepiſcopo Toletano jus datum. Eâ prærogativâ, Toletani Primatus in cæteras Eccleſias Hiſpaniæ fundamenta poſita ſunt. *Septimò* durior quædam Lex *Wambæ* Regis, *Ervigio* volente, temperatur. *Octavò*, uxorem, exceptâ cauſâ fornicationis, dimittere vetitum, ſub excommunicationis, & amittendæ etiam Palatinæ Dignitatis periculô. *Nonò*, Leges ab *Ervigio* Rege in Judæos latæ confirmantur. *Decimò*, ſacrorum aſylorum ſecuritati conſultum, ſancitùmque, conſentiente & jubente Rege, ut qui ad Eccleſias confugiſſent, iis ad triginta paſſos in toto Eccleſiæ circuitu impunè progredi liceret. Qui ipſis moleſti fuerint, excommunicationis, & ſeveritatis Regiæ Sententiâ feriuntor.

Toletani Primatus poſita fundamenta.

Canon undecimus Idololatriæ reliquias, & ſacrilegas ſuperſtitiones, ab Epiſcopis, & Judicibus, omni ſtudiô eradicari jubet : Ingenuos homines horum criminum reos, perpetuâ excommunicatione & exiliô plecti : Servos verberibus coerceri, & vinctos dominorum cuſtodiæ tradi. *Duodecimus* antiqua Decreta renovat & executioni mandari jubet, quibus ſancitum, Synodos Provinciales quotannis, Kalendis Novembris celebrandas : quibus

Concilia Provincialia quotannis celebranda.

bus si quis Antistitum defuerit, excommunicationi subjacebit.

His Canonibus subscripserunt *Julianus* Hispalensis, *Julianus* Toletanus, *Liuva* Bracarensis, *Stephanus* Emeritensis, Metropolitani. Secundùm hos alii Præsules, Abbates, Episcoporum Vicarii; Proceres denique Gothicæ Gentis. Hæc Decreta lege latâ confirmavit *Ervigius*, quæ extat ad calcem Concilii Toletani XII. Legum Regni emendandarum potestatem Synodo fecerat Religiosus Princeps his verbis: *Nam & hoc generaliter obsecro, ut quicquid in nostra Gloria Legibus absurdum, quicquid justitiæ videtur esse contrarium, unanimitatis vestræ Judicio corrigatur.*

Rex Ervigius Synodo potestatem dedit emendandi Leges à sua Majestate conditas.

ARTICULUS XIX.

De Concilio Toletano XIII.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo tertio, *Ervigii* Regis jussu, Episcopi triginta octo, Vicarii Episcoporum viginti sex, Abbates novem, Proceres prætereà non pauci, in urbem Regiam convocati, in Æde *Petri* & *Pauli* Prætoriensi Concilium Toletanum XIII. celebrarunt, pridie Idus Novembris. Duodecim eô in Conventu editi Canones. Primò, *Pauli* conjurationis adversùs *Wambam* Regem & Patriarcham conscius, Regiâ benignitate, Patrúmque Decreto, venia concessa. *Secundò*, Leges quædam latæ & promulgatæ, Regis & Synodi auctoritate, in Palatinorum & Sacerdotum judicio servandæ. *Tertiò*, vectigalia Regia, quorum gravitate Provinciales fessi erant, imminuta, & quæ fisco debebantur, condonata liberalitate Principis: lata à Patribus excommunicatione in eos qui Sacra Mandata violarent. *Quartò*, in Regis gratiam Canon conditus est, quò Reginæ *Liubigotonæ*, atque filiorum, si quid humanitus Regi accidisset, præsidium continebatur; ne popularis invidiæ flammâ, quod non immeritò metuebatur, *Ervigii* posteri deflagrarent. Qui vim ipsis intulerint, anathemate feriuntur. *Quintò* Reginas viduas conjuges ducere, vel adulterinâ pollutione contaminare, etiam Regibus Successoribus vetitum. Qui id tentaverint, diris omnibus Christiano ritu devoventur. *Sextò*, quoniam ad Officia Palatina & Magistratus homines ignobiles, & liberti, malis artibus irrepebant; & Gothorum nobilitas confusô cum plebe sanguine, magnâ ex parte extincta contaminataque esse videbatur, ei malo remedium afferri mandatum est. *Septimò* coerciti, qui privatorum jurgiorum molestiâ afflicti, altaria nudabant, luminaria extinguebant, sacra Officia, & ipsam incruenti Sacrificii oblationem intermittebant, vindictæ animô. In illos exauctorationis pœna decreta est. *Octavò*, mandatum Episcopis, ut a Rege, vel Metropolitano vocati, sive ad præcipua festa, Paschatis scilicet, Pentecostes, & Nativitatis Dominicæ, unà cum illis celebranda, sive ad Consecrationes Antistitum, sive ad necessariam Collationem, sive alias ob causas, venirent; qui defuissent absque ratione legitimâ, excommunicatione percussi. *Nonò*, confirmata Concilii Toletani Duodecimi Decreta. *Decimò*, Gaudentio Valeriensi Episcopo, qui in infirmitate positus, Pœnitentiam solenni ritu susceperat, crimen mortale nullum confessus, permissum, secundùm Canones, ut Sacra Ministeria obiret. *Undecimò*, susceptores alienorum Clericorum, & Monachorum fugitivorum, excommunicatione, vel annuâ Pœnitentiâ puniri jussi. *Duodecimò*, Episcopis prohibitum ne Clericos, vel Monachos ad Metropolitanum causam contra eos deferentes, excommunicatione feriant, donec judicatum sit, illane pœnâ digni sint: alioqui illis, quos ligaverint, absolutis, in se illam poverint retorqueri Sententiam. Secundùm hæc, datis Deo laudibus, & gratiis *Ervigio* Regi peractis, omniumque subscriptione munitis Canonibus, Conventus solutus est. Decreta Concilii lege latâ confirmavit *Ervigius*. Aliâ Lege, fisco debita ad primum usque Regni sui annum remiserat, ac tributa temperaverat, ut diximus. Utraque ad calcem istius Synodi legitur. Prioris Edicti notanda illa sententia: *Illud semper ante Dei oculos perfecta miserationis Sacrificium approbatur, quò fit relevatio miserorum: Ex hoc salvatio inducitur terræ, per quod pressura subvenitur humanæ. Judicium est quippe salutare in populis, quando sic commissa reguntur, ut nec incauta exactio populos gravet, nec indiscreta remissio statum gentis faciat deperire.*

Summa Canonum.

Reginis Viduis Gothorum in Hispania imperata continentia.

Temperare tributa Regis decet.

ARTICULUS XX.

De Conciliis Toletanis XIV. & XV.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo quarto, Toletanum Concilium decimum quartum habitum est, decimo-octavo Kalendas Decembris, *Ervigii* Regis curâ, *Leonis II.* Romani Pontificis jussu & auctoritate: ut Sexti Concilii Generalis, quod nuper Constantinopoli habitum erat, Acta, Episcoporum Hispaniæ assensu rata essent. Cùm totius ditionis Antistites convenire instantis hyemis rigor non permitteret, septemdecim, ac ferè omnes ex Carthaginensi Provincia congregati; & Vicarii Episcoporum decem, in quibus Taraconensis, Narbonensis, Emeritensis, Bracarensis, atque Hispalensis, Procuratores erant; Constantinopolitani Concilii Acta & Definitionem probarunt, illudque proximè post Chalcedonense ponendum judicarunt. Nondum scilicet Quintam Synodum *Justiniano* Imperatore habitam ut Oecumenicam admittebant. Monothelitæ igitur in hac Synodo damnati, secundùm Synodi Sextæ Judicium, & adversùs Hæreticos ad Romanum Pontificem Apologia missa est, in quâ Catholicæ Religionis summa capita continebantur; *Juliani Toletani* doctissimi Præsulis opus. Quod cùm *Benedictus*, Leonis Successor, accepisset, nonnulla in eo improbavit; atque in his quod de Sanctissima Trinitate disserens dixisset: *Sapientiam ex Sapientia, voluntatem ex voluntate procedere*: & quòd *Christum Dominum ex tribus substantiis conflatum affirmasset.*

Sexta Synodus generalis suscepta.

Pro his propositionibus Apologeticum edidit *Julianus* in Concilio Toletano XV. Quod ab Episcopis sex & sexaginta anno Christi sexcentesimo octogesimo-octavo, Idibus Maii celebratum est. Patrum auctoritate probatus *Juliani* Apologeticus, sancitúmque, Nihil enim videri adversùs Christianam pietatem committere, qui in Deo voluntatem ex voluntate procedere affirmarit: Christúmque Deum ex tribus substantiis conflari. Qua de re Rodericus Toletanus Archiepiscopus lib. III. *De Rebus Hispaniæ*, Cap. XIV. scribit: *Librum de tribus substantiis quem dudum Romam miserat Primas Sanctissimus Julianus, & minùs cautè tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprehendum, ob id quod Voluntas genuit voluntatem, Sanctus Julianus veridicis testimoniis in hoc Concilio ad exactionem præfati Principis per oracula eorum quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit, & Apologeticum fecit, & Romam misit per suos Legatos Presbyterum, Diaconum & Subdiaconum viros eruditissimos, & in omnibus Dei servos, & in divinis Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundùm quòd & olim transmiserat de laude Romani Imperatoris. Quòd Roma dignè & piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque Papa acclamando, Laus tua Deus in fines terræ, lectum* sæpius

Julianus Toletanus Archiepiscopus Apologeticum edit pro propositionibus à Romano Pontifice improbatis quæ à Synodo Toletana XV. approbantur.

sæpius notum fecit, qui & Rescriptum Domino Juliano per supra fatos Legatos cum gratiarum actione, & cum honore remisit, & omnia quæcumque scripsit, justa & pia esse deprompsit. In editis Roderici Libris legitur, *Imperator acclamando, &c.* At in MSS. haberi, *At Papa acclamando*, testatur Ambrosius Morales lib. XII. Cap. LVIII. Garsius Loaisa in Notis ad Concilium Toletanum XV. ita hunc locum Roderici legit & profert: *Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè & piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque acclamando, Laus tua Deus in fines terræ, lectum sæpius notum fecit, &c.* Verùm loco Benedicti reponendum, *Papa*, secundùm Moralis MS. Tunc enim sedebat Sergius I. cæterùm *Benedictum II. incurioså lectione* libri S. Juliani *deceptum* Toletana Synodus XV. ait.

In istô prætera Concilio, rogante Rege *Egica*, qui illud convocaverat, de Sacramenti formâ atque vi disceptatum est, quô *Ervigius* ejus Decessor ante annos aliquot ipsum & Regni Proceres implicarat, adegeratque viduæ Reginæ, & filiorum ejus præsidium incolumitatémque jurare. Ii quoniam plurima per injuriam Provincialium occupabant, tanquam certô jure possessa; quærebatur an jurisjurandi religione prohiberentur tum ii qui injuriam pertulissent, res suas judicio repetere, tum Rex secundùm eorum jura & merita pronuntiare: Maximè cùm Regnum adeundo jurasset, se jus populi servaturum. Patrum Sententiâ statutum est, jurisjurandi sanctitatem haudquaquàm sceleri patrocinari, exolvique potiùs religionem calamitatibus hominum sublevandis, æquitate sanciendâ. Proinde jusjurandum non prohibere privatos, quorum bona ab *Ervigii* filiis occupata erant, ipsa repetere, aut Regem *Egicam* conquerentibus jus dicere, tandem *pari affectu populos & cognatos tractare debere, quasi unius Patris germinisque filios.* Toletano Concilio Decimo-quinto subscripserunt *Julianus* Toletanus, *Sunieffredus* Narbonensis, *Florisindus* Hispalensis, *Faustinus* Bracarensis, *Maximus* Emeritensis, Metropolitani. Secundùm hos alii Episcopi, deinde Abbates, Episcoporum Vicarii, & Proceres. Concilii Decreta ab *Egica* Rege lege latâ confirmata.

ARTICULUS XXI.

De Concilio Cæsaraugustano III.

Summa Canonum.

ANno Christi sexcentesimo nonagesimo primo, Synodalis Conventus, *Egica* Regis jussu, Cæsaraugustæ habitus est. In eo quinque editæ Leges. *Prima*, ut Episcopi solis diebus Dominicis Ecclesiarum consecrationes peragerent. *Secunda*, ut Episcopi omnes à Metropolitano sui tempus inquirerent Paschalis festivitatis. *Tertia*; ne sæculares in Monasteriis commorari sinerentur, vel ut hospites intra claustra reciperentur, iis exceptis, quos vitâ probabiles & egenos Abbas cognoverit. *Quarta* de libertis Ecclesiæ. *Quinta*, de Reginis viduis, ut defunctô Rege, in Virginum Deo sacratarum Collegium, veste mutatâ cooptarentur, ne cujusquam libidini atque contumeliæ, vel calumniis paterent.

ARTICULUS XXII.

De Concilio Toletano XVI.

Summa Canonum.

ANno Christi sexcentesimo nonagesimo tertio, Concilium Toletanum Sextum decimum celebratum est, sexto Nonas Maii, *Egica* Rege convocante. Episcopi unus & sexaginta adfuere. In eo Conventu, præmissâ Fidei Formulâ, decem Canonibus disciplina sancita est. *Primò*, Lex contra Judæos à Rege edita confirmatur. Qui sincerô animô Christianam Religionem professi fuerint, nobilitate, atque vectigalium immunitate, Regis gratiâ, probantibus Patribus, donantur. *Secundò*, Idololatriæ reliquiæ, & sacrilegæ superstitiones extirpari jussæ: Magistratibus hac in re operam Ecclesiæ commodare negligentibus, suspensio ab Officio, & annua Pœnitentia indicta. Qui Judicibus & Sacerdotibus hoc in negotio restiterint, Nobiles, tribus auri libris in fiscum inferendis mulctantor: Plebeii ad ignominiæ notam decalvantor, centenis verberibus flagellantor, medietate bonorum fisco applicandâ privantor. *Tertiò*, in Sodomitici criminis reos, si Clerici majores essent, exauctorationis & exilii perpetui pœna decreta est: In cæteros Clericos & Laïcos, excommunicatio perpetua, cujus vinculis, nisi in morte, solvi non possent, centum verberum inflictio, decalvatio ignominiosa, & perpetuum exilium. *Quartò*, qui sibi ipsis violentas manus desperabundi inferre tentassent, bimestri excommunicatione emendati. *Quintè*, vetitum, ne plures Ecclesiæ uni Presbytero committerentur: & ne Episcopi ampliùs quàm tertiam Oblationum partem à Parochianis Ecclesiis exigerent: quam percipientes, restaurandarum subirent onus Basilicarum. *Sextò*, correcti Sacerdotes, qui non panes mundos, & studio præparatos in Sacrificio offerebant, sed crustulam ex pane usitato in orbem decerptam. Sanctitum itaque ut *Panis integer, nitidus, & studio præparatus, nec grandis*, sed *modica tantùm Oblata*, in altari à Sacerdote consecranda proponeretur. Ex eo Canone constat, pane fermentato his temporibus usam fuisse Hispaniensem Ecclesiam. Si enim debuissent illi Sacerdotes azymum panem consecrare, ipsos ante omnia redarguisset Synodus, quòd non azymum, secundùm morem in Hispania receptum, sed panem usitatum & communem, adeòque fermentatum consecrarent. At hac de re ne verbum quidem Synodus habet; sed eos tantùm increpat, quòd nitidos panes, & peculiari studiô, ut par erat, ad Sacrificium præparatos non offerrent, sed fortuitò & indecenter de communi mensâ acceptos, frustulô ex pane communi decerptô. De hujus Canonis sensu lege doctissimum Cardinalem *Bona* lib. I. *Rerum Liturgicarum*, *Capite* 23. *Num. XIV.*

Ecclesia Hisp. panem azymum in S. Sacrificio Eucharistiæ olim non usa.

Septimò sancitum est, Provincialium Synodorum Decreta, intra sex menses ab earum celebratione, Clero populóque promulganda. *Octavo Canone*, filiorum, filiarum, generorum, nepotúmque Regis, ipsô defunctô, præsidium continetur: jubeturque prætereà, ut ad omnia templa, diebus singulis, pro Rege, ejus filiis, totâque stirpe Regia, preces in Sacrificio Missæ fundantur.

Nono, *Sisbertus* Toletanus Episcopus, qui rerum novarum studio elatus, in Regis caput conspiraverat, anathemate, depositione, mulctâ bonorum omnium, & exiliô perpetuô damnatus est. *Decimò*, conspirantibus in Regis aut patriæ perniciem, dira omnia ter imprecati sunt Patres; sanxerúntque ut Conjuratorum filii omni Palatina Dignitate, & nobilitatis insignibus exuti, fisco ad perpetuam servitutem manciparentur. Severiorem sententiam ideò se tulisse Patres testantur, ut liberorum caritas parentes cum Republica fortiùs devinciret, & ab omni cogitatione scelerum retardaret: *Ut qui suum*, inquiunt, *non formidat exitium, saltem filiorum, cunctaque suæ posteritatis pertimescat interitum.* Post hæc, Deo gratias, egêre, & *Egicæ* Regi fausta precati sunt omnia. Tum in *Sisberti* locum *Felicem* Hispalensem Antistitem, cum Cleri populique consensu, in Toletanam Sedem transtulere: *Faustinum* verò à Bracarensi in Hispalensem. Eâ nimirum ætate nondum sibi transferendorum jus Episcoporum reservaverat Apostolica Sedes, sed translationum hujusmodi potestatem

Episcopus conjuratione in Regem deponitur.

Translationes Episcoporum olim à Synodis factæ, ob solum Ecclesiæ bonum.

Nationalibus, & Provincialibus Conciliis permittebat, quæ inquirerent an essent ex Ecclesiæ bono, quod in his unum ab Ecclesiâ semper spectatum est, & spectari debet; non verò privatorum commoda. Romam enim ambitioni aut cupiditati favere semper nefas arbitrata est, qui *Virgines pauperculæ societate contemptâ, ditioris adulteræ quærunt amplexus*; id est, è minori ad majorem, nobiliorem, & ditiorem Ecclesiam migrare conantur. Rex *Egica* Decreta Concilii lege latâ confirmavit, jussitque ut Narbonensis Provinciæ Præsules, qui inguinali peste grassante convenire Toletum non potuerant, cum suo Metropolitano congregati, ista subscriptione sua probarent.

ARTICULUS XXIII.

De Concilio Toletano XVII.

ANno Christi sexcentesimo nonagesimo quarto, Toletana Synodus Decima-septima, in *Sanctæ Leocadiæ* templo suburbano, septimâ Novembris die celebrata est, *Egica* Regis mandatô. Octo sancita disciplinæ Capita.

Summa Capitum.

Primò, ut in Conciliis trium priorum dierum spatio, quos jejunio consecrari mos erat, de fide tantùm, & moribus Sacerdotum corrigendis, nullô præsente Laico ageretur. *Secundò*, ut initio Quadragesimæ Baptisteria solenni ritu clauderentur, & Episcoporum annulo obsignarentur, die Cœnæ Domini ritu quoque solenni reseranda. *Tertiò*, ut die Cœnæ pedum ablutionem exemplô Christi Antistites celebrarent. *Quartò* sacrilegi damnantur & à communione in perpetuum removentur, qui vasa sacra confregerint, profanaverint, dilapidaverint. *Quintò*, superstitiosam & impiam consuetudinem emendarunt Patres, quâ nonnulli Sacerdotes Missam pro defunctis institutam ac præscriptam, pro vivis, aut potiùs contra vivos homines celebrabant, hoc Sacrificio mortem illorum accelerandam arbitrati: *Et quod cunctis datum est in salutis remedium, quibusdam esse expetentes in interitum.*] Sextô, sancitum ut singulis mensibus Exomologeses & Litaniæ celebrarentur pro statu Ecclesiæ, pro incolumitate Principis, pro salute populi, pro veniâ peccatorum obtinendâ. *Septimò* susceptum *Cixilonis* Reginæ, & filiorum, Rege defunctô, patrocinium. *Octavò* Judæi in Christum perduelles, & in Regem conjurati, æternæ servituti, Patrum sententiâ mancipati: bona eorum publicata: sancitúmque in posterum ut filii eorum septennes à parentibus abstracti, Christianis hominibus educandi instituendique traderentur. Demum gratiæ Deo actæ, precésque pro Rege fusæ: qui hæc Decreta Lege latâ confirmavit.

Missam defunctorum pro vivis celebrare, damnata superstitio.

ARTICULUS XXIV.

De Concilio Nannetensi.

Nannetæ sive Namnetes, urbs Armoricæ, à Sede Apost. sub Archiepiscopo Turonensi.

COncilium istud septimo sæculo celebratum Viri censent Eruditi. Quô anno, incertum: Quamvis illud ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum sextum Doctissimus *P. le Cointe* referat. Viginti in eo sunt editi Canones.

Summa Canonum.

Duo priores, alienos Parochianos ad Missam recipi vetant à Curatis, nisi in itinere fuerint, vel Placitum ibi habuerint. Eos etiam qui inter se litem implacabilem habuerint, & reconciliari noluerint, ab Ecclesia ejici mandat, donec ad caritatem redeant. *Tertius*, mulierum familiaritate Presbyteris interdicit, & simul cum illis in eadem domo commorari vetat etiam eas quas Canones concedunt, scilicet matrem, amitam, sororem: quia instigante diabolo, etiam in illis, aut in pedissequis illarum, scelus frequenter perpetratum reperitur. Idem Canon prohibet ne fœminæ ad altare accedant, Presbytero ministrent, aut intra cancellos stent vel sedeant.

Synodus prohibet Presbyteris mansionem cum mulieribus, etiam consanguineis quas alii Canones concedunt.

Quartus præscribit modum quô Presbyter infirmos visitare, & eos alloqui debet. *Quintus* est de infirmis qui confitentur peccata sua, seque reconciliari exposcunt; quos sub eâ conditione reconciliari jubet, ut si sanitatem recuperaverint, secundùm modum delicti pœnitentiam agant. *Sextus Canon* statuit ut pro sepulturâ nihil exigatur; & nullus sepeliatur in Ecclesia, sed in atrio, vel portico, aut extra Ecclesiam, id est, in loco contiguo vel adjacente.

Sepulturam in Ecclesia Synodus prohibet.

Canon septimus Clericos Diœceseos alienæ latenter aut furtivè quocunque munere aut favore, ordinari vetat, sub pœnis à Synodo Chalcedonensi latis. *Octavus* decernit ut nullus Presbyter plures habere præsumat Ecclesias, nisi alios Presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum Officium solemniter adimpleant, & Missarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis Primitivos, ut postea vocati sunt, Curatos spectat secunda pars Canonis, quibus permittitur, ut plures Ecclesias Parochiales regant, non immediatè per seipsos. *Quia sicut Episcopus non plus potest habere quàm unam civitatem, & vir unam uxorem, ita Presbyter unam tantùm Ecclesiam* (inquit idem Canon) sed per alios Presbyteros ad id institutos, quasi Vicarios Perpetuos.

Plures Ecclesias Parochiales unus Presbyter habere non potest.

Nonus Canon est de Eulogiis, seu Pane Benedicto, jubétque ut ex panibus quos Fideles offerebant ad conficiendam Eucharistiam, & consecrationi superarant, vel de iis qui in usum Eulogiarum offerebantur, vel ex propriis, Presbyter partes incisas io vase nitido convenienter habeat, eásque præscriptâ sacrâ prece lustret, ut qui participes Eucharistiæ facti non fuerint diebus Dominicis & festis, post solemnia Missarum accipiant Eulogias in symbolum communionis in unâ eadémque fide cum suô Presbytero.

Panis benedictus Communionis symbolum.

Decimus Canon est de Decimis, & oblationibus, quas *pauperum, & peregrinorum, & hospitum stipendia esse docet*, iisque Presbyteros *non quasi suis, sed quasi commendatis uti* debere; eásque in quatuor partes divisas, secundùm Canones, dispensare.

Decimæ & oblationes.

Canon undecimus præscribit quomodo per tres dies continuos sint examinandi, qui ad sacros Ordines, promovendi sunt. *Duodecimus* est de pœnitentia adulterii, statuítque uxorem adulteram à viro dimitti posse; hunc tameo, illâ superstite, aliam ducere non posse. Adulteram verò publicâ septem annorum pœnitentiâ jubet expiare scelus. Viro cum illâ reconciliari permittit, eâ conditione ut septem annorum pœnitentiam cum illâ pariter agat. Eadem lex esto mulieris cujus vir adulter fuerit. *Decimus-tertius Canon* crimen simplicis fornicationis publicâ trium annorum pœnitentiâ jubet expiari. *Decimus-quartus* fœdam soluti cum conjugatâ, aut solutæ cum conjuge commixtionem quinque duntaxat annorum pœnitentiâ decernit castigandam: quia æqualis pœnitentia danda ooo est his, quibus sufficere poterat, ad explendam libidinem suam, conjugum amplexus; & illis qui conjuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.

Publica pœnitentia adulteris & fornicantibus præscripta.

Decimus-quintus est de Confraternitatibus, quarum officia omnia obsequio religionis, videlicet oblatione, luminarium subministratione, orationibus mutuis, exequiis defunctorum, eleemosynis, & cæteris pietatis officiis describit. Convivia & indebitas eam ob rem exactiones vetat. Qui hoc Decretum violaverit Presbyter vel Clericus, gradu privator: Laïcos, aut fœmina, ab Ecclesia, usque ad satisfactionem, segregantor. Si autem necesse fuerit convenire Confratres, post peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ Religioni conveniunt, permittit ut charitatis & fraternæ consolationis ergô ad refectionem conveniant, eâ lege ut Eulogias à Presbytero accipiant, & panem tantùm frangentes, singulos accipiant biberes, id est, unum scyphum

Pia confraternitatum officia.

Abusus emendantur.

scyphum vini singuli, aut unam cujuslibet alterius liquoris sorbitionem, & nihil ampliùs contingere præsumant, & sic unusquisque ad sua cum Benedictione Domini redeat.

Jus patronatus Laicum

Canon decimus-sextus vetat ne quis vacantem Ecclesiam per ambitionem petat. *Si quilibet*, inquit, *Presbyterorum defunctus fuerit* (eorum scilicet qui Parochias regunt, sive Curatorum) *vicinus Presbyter apud sæcularem seniorem* (id est, loci Dominum, unde Gallica vox; *Seigneur*,) *nullâ precatione, vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, sed neque Capellam, sine consultu Episcopi.* Jus Patronatus tunc fuisse penès Dominorum sæcularium aliquos inde colligitur: Pœnam addit Concilium in Statuti tam Sancti violatores, eamdem scilicet quam Canonica decrevit Auctoritas in Episcopum, qui per ambitionem majorem civitatem appetierit, ut illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam usurpare tentavit.

Parochiales Ecclesiæ per ambitionem non petendæ.

Homicidii voluntarii & fortuiti pœnitentia.

Canones decimus-septimus & decimus-octavus sunt de Pœnitentiâ homicidii voluntarii & casualis. Voluntarii homicidii & manifesti reus, si laïcus est, solidô quinquenniô à communione orationum removetor. Post quinquennium solâ communione orationum fruitor; in eôque Pœnitentiæ gradu, quem Antiqui *Consistentiam* vocarunt quatuordecim annos transigito: ac tandem ad plenam Communionem cum oblationibus, id est, ad Eucharistiam, recipitor. Fortuiti verò homicidii reus, quadraginta diebus in pane & aquâ pœnitentiam agito; tum biennio, non solùm à Communione & oblatione, verùmetiam ab oratione Fidelium segregator. Elapsô bienniô, ad communionem orationis, non ad Eucharistiam recipitor. Post quinquennium, ad plenam Communionem. Abstinentia ciborum esto in arbitrio Sacerdotis.

Canon decimus-nonus vetat ne fœminæ publicis conventibus & placitis se immisceant, quarum est in gynecæis de lanificiis & textilibus, aliisque muliebribus operibus disputare, non in conventibus publicis quasi Senatoriam usurpare Auctoritatem; quod & Canonibus, & Theodosianis Legibus, & Scripturæ Sacræ, & Juri gentium adversatur. Nulla itaque Sanctimonialis Virgo vel Vidua conventus generales adito, nisi a Principe fuerit evocata, aut ab Episcopo suo: nisi propriorum negotiorum ad id impellat necessitas, & hoc ipsum cum Episcopi licentiâ. *Canon vigesimus* cultum superstitiosum ad arbores & ad lapides abolendum statuit.

CAPUT IV.

De Auctoribus Ecclesiasticis Sæculi VII.

ARTICULUS I.

De S. Columbano, & Cumeano.

INITIO sæculi septimi, magnâ sanctitatis & doctrinæ laude florebat S. COLUMBANUS, Hibernus patriâ, Monasteriorum Luxoviensis * in Gallia, & Bobiensis * in Italia fundator & primus Abbas, Regum pravorum terror & vindex, ut *Baronius* appositè vocat: Regulæ Monasticæ, variarum Instructionum sive Sermonum, Libelli de modo seu mensura Pœnitentiarum, aliquot Epistolarum & Poëmatum Auctor: obiit anno sexcentesimo decimo-quinto, ut habet Annalium Ecclesiasticorum Parens: Ejus memoria in Romano Martyrologio celebris est: ad diem vigesimam primam Novembris. Ab altero *Columbano* Seniore, qui in Britannia vixit, & Evangelium prædicavit anno Christi quingentesimo sexagesimo quinto: cujus meminit Beda lib. 3. cap. 4. distinguendus est.

* *De Luxovil.*
* *De Bobio.*

II. Secundùm hunc floruit CUMEANUS, Scoto-Hibernus, Hiensis, ut putatur, Abbas, *Sapiens* nuncupatus, libelli *De Mensura Pœnitentiarum* Auctor. Extat Tomo XII. Bibliothecæ Maximæ Patrum, Edit. Lugdunensis.

ARTICULUS II.

De Auctore Chronici Alexandrini.

CHRONICON ALEXANDRINUM, ab Auctore Anonymo scriptum, & ab orbe condito ad annum vigesimum *Heraclii* productum, hujus etiam sæculi fœtus est. Quòd Præfatiuncula nomen *Petri Alexandrini* habeat adscriptum, ejus fortè qui anno Christi sexcentesimo quadragesimo Patriarcha fuisse legitur in Chronologia Juris Græco-Romani, *Chronicon Alexandrinum* vocatum est. Fasti Consulares inde deprompti, *Fasti Siculi* nuncupati sunt ab *Onuphrio Panvinio*, & aliis, quia hic liber in Sicilia primùm repertus in antiquâ Bibliotheca ab *Hieronymo Surita*, Operâ *Antonii Augustini* Rotæ Auditoris Romam advectus est.

ARTICULUS III.

De Joanne Moscho, & aliis.

JOANNES MOSCHUS, aliàs dictus *Eviratus*, Auctor *Prati Spiritalis*, initio sæculi septimi floruit. Hic liber à Synodo VII. *Actione IV.* & à S. Joanne Damasceno *Oratione 1. de Imaginibus* laudatur sub *Sophronii* Hierosolymorum Archiepiscopi nomine. Laudatur & à Joanne Diacono, lib. 4. de Vita S. Gregorii Magni, *cap. 63.* tacito Auctoris nomine. Quod *Sophronio* aliquando hoc Opus tributum sit, inde factum est quòd illi nuncupatus sit à *Joanne Moscho*, cujus discipulus fuit in Vita ascetica, & peregrinationum ejus comes, ac rerum, quæ in eo narrantur, plurimarum testis. Cæterum *Joannem Moschum* verum ejus parentem esse, constat ex Epistola illius ad *Sophronium* libro præfixa, ex libro ipso, & ex *Photio* in *Bibliotheca*, *Cod. centesimo nonagesimo nono*, ubi sic de illo censet: *Lectus est liber quatuor & trecentis constans narrationibus. Hic quoque Monastica potissimum Vita conducit .... Vitas narrat eorum qui jam inde usque ad Heraclii Imperium, & deinceps, virtute magis claruerunt.* Pratum *autem titulum libro indidit Auctor, quem &* Hortulum novum *quidam appellant. Auctor ejus Joannes quidam* Moschi *cognomento qui in B. Theodosii primùm Monasterio sæculum valere jubens, cum iis deinde Monachis convixit, qui in deserto ad Jordanem exercebantur, quique nova in Laura magni Saba certabant. Unde rursum ad Antiochiæ oras & Alexandri Urbem, proximámque eremum, ad Oasim usque delatus, multorum magnorúmque virorum res præclarè gestas aggregavit, quas partim oculis ipse spectavit, partim recenti tunc auditione didicit. Eadem porro de causa cùm etiam Insulas Romam versùs navigans lustrasset, hisce similibus ibi quoque conquisitis & cognitis, hoc Opus conscripsit, quod dedicat Sophronio, seu Sophrone discipulo suo..... Operis autem hujus dictio ad humiliorem ac rudiorem vergit stylum: Narrationum ad hæc non eundem servatum numerum in omnibus libris deprehendas, cùm in quibusdam ad duo & quadraginta supra trecentas se extendant; idque vel ex capitum quorundam divisione, vel certè aliorum interjectione, adaucto numero. Cæterùm ex his omnibus industrius quisque & Dei amans, fructum capiens, nunquam hujus scripti nimiam prolixitatem accusarit.* Nunc ducentis & undeviginti capitibus constat, quorum aliqua Latinè duntaxat habentur, maxima pars etiam Græcè, Tomo II. Bibliothecæ

Joannis Moschi stylus.

Patrum Græco-Latinæ. Et Tomo II. *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* à Joanne Baptista Coteletio editorum.

Eo in Libro Sanctorum Monachorum gesta, apothegmata, miracula insignia narrantur. Senis cujusdam in Monasterio Turrium Jordanis commendatur humilitas, qui cùm Abbas à Fratribus electus esset, rogaretque ut sibi permitterent flere peccata, cùm animarum gerendæ curæ impar esset; his magis atque magis urgentibus ut sacram susciperet Præfecturam, trium dierum postulavit inducias, facturum se spondens quicquid Deus juberet. Dies tum erat Parasceves: Ille verò Dominica die raptus in cœlum est ad humilitatis coronam. (*Cap. VII.*) Commendatur alterius Senis ejusdem Monasterii patientia, cui oomen *Myrogenes*. Qui cùm ob austeriorem vitam in hydropisim incidisset, Senibus eum invisentibus dicebat: *Orate pro me, Patres, ut interior homo hydropicus fiat. Ego enim ut in hac infirmitate diutius durem, Deum oro.* (Cap. VIII.) Laudatur Abbatis *Olympii* præclarè dictum ad Fratrem quemdam ab ipso verbum salutare audire cupientem: *Ne sedeas cum Hæreticis, & contine linguam ac ventrem, ac ubicunque sederis, dic assiduè, Peregrinus sum* (Cap. XII.) Laudatur Abbas *Marcus*, qui per annos sexaginta tres hebdomadas integras jejunabat, manibus die noctùque operabatur, pauperibus omnia distribuens, à nemine quicquam accipiens. (*Cap. XIII.*) Narratur de *Joanne* Abbate Monasterii *Cuziba* ipsum videre solitum Spiritus Sancti visibiliter adventientis indicia, cùm rem sacram ad altare faceret: ea non vidisse die quadam, quòd simplex Frater consecrationis verba super panes offerendos in via protulisset. Eam ob rem statuisse, *Ut nullus deinceps sanctæ Oblationis verba addisceret, nisi qui Ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret, quocunque tempore, absque loco consecrato.* (Cap. XXV.) *Alexandri* Antiocheni Patriarchæ clementiam commendat, cui cùm unus ex ejus Notariis aurum furatus esset, ac deinde fugiens in captivitatem incidisset, illum octoginta quinque numismatibus redemit, eùmque ad se reversum tanta charitate excepit, fovitque, ut lepidè quidam ex civibus Antiochenis ejus occasione dixerit: *Nihil esse utilius, quam in Alexandrum peccare.* (Cap. XXXIV.) *S. Ephremii* Antiocheni Patriarchæ fides prædicatur, qui Stylitem quemdam Severianum hæreticum, ipsum provocantem ut simul in ignem juxta accensum ingrederentur, veræ fidei periculum facturi, atque conditionem subire deinde recusantem, ad fidem convertit, cùm Stolam suam in ignem conjectam, post tres horas integram recepisset. (Cap. XXXVI.) Sanctus quidam Episcopus, qui Episcopatu cesserat humilitatis studio, & Antiochiam veniens vili sordidóque habitu ministrabat architectis, panem quantùm ad victum necessum erat multo labore sudoréque comparans & carnem affligens, *Ephremio* Patriarchicam Digoitatem prædixerat. (Cap. XXXVII) Studium Abbatis *Cosmæ* erga Sanctos Patres commemorat, qui ipsi *Moscho* aliquando de Sancti Athanasii Scriptis dixerit: *Cùm inveneris aliquid ex Opusculis S. Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud.* Idem Abbas de se ipso narravit, quòd *Nocte sancta Dominica à vespere usque mane staret psallens & lugens, & in cella suâ, & in Ecclesia, neque omnino sedens. Orto autem Sole, cum implesset Canonem*, id est, cùm Officium divinum persolvisset, *sedebat legens in sanctis Evangeliis usque ad Collectam.* (Cap. XL.) Narrat de *Cyriaco* Lauræ *Calamonis* Abbate, ipsum aliquando Beatæ Virginis, & SS. Joannis Baptistæ & Joannis Evangelistæ visione recreatum, cùm Deiparam oraret ut cellam ipsius præsentiâ suâ sanctificaret, repulsam passum, severiúsque respondisse S. Virginem: *Habes intra cellam tuam Inimicum meum, & vis ut ingrediar?* Nestorium designabat, cujus libri duo inserti erant volumini, quod ab *Isychio* Hierosolymorum Presbytero mutuò acceperat, de his libris nihil omnino sciens. Quem eventum cùm ad ipsum *Isychium* retulisset, duos ille *Nestorii* libros ex volumine rescissos protinus in ignem conjecit, dicens: *Non manebit in cella mea Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Inimicus.* (Cap. XLVII.) Monumentum Salvatoris nostri honoratiâ adoratione coli solitum à Fidelibus, constat ex Cap. XLVIII. & XLIX. Ibidem Eucharistia vocatur *Sacrum Corpus & pretiosus Sanguis magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Abbatem Stephanum narrat, cùm tres Senes, qui ad eum venerant, de rebus spiritalibus coràm eo colloquerentur, & aliquid ad animæ profectum ab ipso audire cuperent, silentium servasse, illisque mirantibus, respondisse: *Ignoscite mihi, usque modò non animadverti quid locuti sitis. Verumtamen quod habeo, hoc dico vobis: Ego diu noctùque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum in ligno pendentem.* (Cap. 64.) Idem Abbas Sanctissimus *Stephanus*, cùm gravi infirmitate laboraret, carnibus vesci coactus est Medicorum consilio. Quam ob rem frater ejus vir sæcularis, sed pius, scandalum passus est: sed monente Angelo, quòd perperam offenderetur, Stephanúmque necessitate & obedientia compulsum abstinentiam solvisse, *conversus vidit illum crucifixum cum Domino.* Hinc patet Orientales Monachos à carnibus abstinuisse, nisi gravis infirmitas dispensationem indiceret. (Cap. LXV.)

Preces ex Prato spirituali. — Patientia in morbis. — Sacro-Sanctum Missæ Sacrificium. — Clementia mirabilis. — Officium divinum à Monachis privatim recitatū. — Pietas erga Deiparam Virginem. — Eucharistia. — Passionis Christi Meditatio. — Monachi à carnibus abstinebant extra infirmitatem.

A *Palladio* Abbate se accepisse refert, homicidam quemdam, cùm in Arsenoïte civitate Thebaïdis capite plectendus ad supplicii locum duceretur, sequenti Monacho dixisse: *Nunquid, Abba, non habes cellulam & opus manuum? Quare ergo non resides in cella & desles peccata tua?* Respondisse verò Monachum: *Vere frater mi, valde me ipsum negligo, compunctionémque anima mea non habet: idcirco venio ut aspiciam te, dum morieris, ut vel sic in compunctionem veniam.* Ad quem reus: *Vade frater, sede in cella tua, & gratias age Salvatori nostro Jesu Christo. Ex quo enim ille homo factus est, & pro nobis peccatoribus mortuus est, homo jam non moritur æterna morte.* (Cap. 71.) Orientales itaque Monachi in cella residebant, oratione, abstinentiâ, opere manuum exercebantur. Insigne illud Palladii Abbatis apothegma refert: *Nihil schismata & hæreses introduxit in Ecclesiam, nisi quod non Deum, & nos invicem diligimus.* (Cap. 74.) Miraculum in Eucharistia factum Seleuciæ commemorat, sub Dionysio Episcopo. Servus Catholicus Hæretici cujusdam Severiani, die Cœnæ Dominicæ sacram Communionem in domum detulerat, juxta Provinciæ morem, & in armario reposuerat. Interim Constantinopolim profectus est, clavi domino suo relictâ. Is anno sequente, servum non rediisse videns, sacras particulas, comburere voluit, sed insigni miraculo eas culmos & spicas germinasse reperit: easque ad *Dionysium* Antistitem detulit cum suis publicè supplicans, & clamans, *Kyrie eleison.* (Cap. 79.) In Monasterio *S. Theodosii* totum triticum in horreis germinasse memorat, ob consuetæ eleemosynæ cessationem temporis famis. (Cap. 85) Sanctæ Crucis adorationem apud Fideles usurpatam indicat (Cap. 105.) Narrabat *Joanni Moscho* Abbas *Eusebius* Presbyter Monasterii *Raythu*, Dæmonem in habitu Monachi profectum ad cellam cujusdam Senis: quem Vir Sanctus cùm orare compelleret, semel & iterum dixit: *Et nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Sene verò urgente ut diceret, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, Dæmonem evanuisse. (Cap. 119.)

Mansio in cella, oratio, opus manuū, priscorum Monachorum characteres. — Causa Schismatum. — Miraculum in Eucharistia factum. — Eleemosyna.

Marcelli Scitiotæ Abbatis vita & peæclare dicta describuntur

describuntur Cap. centesimo quinquagesimo secundo. Is in *Sceti* annos triginta quinque mansit, omnésque de reditu in orbem tentationes, recordatione cujusdam aurigæ, nomine *Philerenus* repulit: qui cùm in equorum agitatione Apameæ superatus esset, qui ab ejus partibus stabant, inclamavere: *Philerenus coronam in civitate non accipit.* Quod identidem apud se repetebat *Marcellus*, cùm urgebat tentatio de eremo dimittenda. Idem aiebat, nihil ita commovere dæmones ut *perpetuam Psalmorum meditationem*: quòd iis non solùm Deum laudemus, sed dæmonibus insultemus. *Naturam excitare concupiscentias: jugem abstinentiam illas extinguere. Nihil ita Deo Monachos familiares efficere, ut castitatem, quæ honestatem & perseverantiam jugiter Domino vacandi sine distractione præstat.* Cap. CLVI. Abbatis cujusdam silentium commendatur, qui Philosophis duobus, qui ad eum venerant ædificationis verbum audituri, cùm nihil responderet, illis ut loqueretur rogantibus, dixit: *Vos pecunias vestras expendistis, ut loqui disceretis, ego vero mundum deserui ut tacere discerem.* Cap. CLIX. Abbas *Sophronius* commendatur qui circa Mare Mortuum solitarius per annos ferme septuaginta quinque mansit, solas herbas in cibum sumens. Abbatis *Menæ* Præfecti Cœnobii Severiani memoratur sententia cumprimis Ascetis observanda: *Fugiamus, fili! sæcularium colloquia solent enim nocere junioribus Monachis.* De quorumdam Anachoretarum admirabili paupertate & nuditate id refert se à *Stephano* Cappadoce Abbate in monte Sina audivisse, quòd ante paucos annos in *Raythu*, feria quinta in Cœna Domini, cùm esset in Ecclesia, Patrésque omnes assisterent, viderat duos Anachoretas Ecclesiam ingredi, qui nudi erant; neminem verò Patrum præter ipsum animadvertisse quòd nudi essent. Qui cùm communicassent Dominico Corpori & Sanguini, Mare Rubrum pedibus ingressi, in eremum rediere. (*Cap. CXXII.*) Abbatis *Alexandri* præclarè dicta, *Cap.* 168. celebrantur, qui Fratribus dicebat, *Patres nostri deserta & tribulationes persequebantur: nos autem civitates & requiem sequimur. Sub Patribus nostris virtutes ista vigebant, nuditas & humilitas: in nobis autem avaritia & superbia regnant. Patres nostri nunquam facies suas lavabant: Nos lavacra publica balneaque frequentamus. Heu mihi, fili! quia conversationem verè Angelicam destruximus! Væ tibi Alexander, væ tibi, quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabantur?*

Solitudo.

Psalmodia.

Castitas.

Silentium.

Secularium colloquia Monachis fugienda.

Admirabilis quorumdam Monachorum paupertas.

Vita nostra cum vita SS Patrum comparanda.

Cap. 171. Abbatis *Theodori* Philosophi, & *Zoili* Lectoris Ascetarum Alexandrinorum virtutes commendantur, quorum tanta paupertas erat, ut præter penulam & paucos libros, nihil omnino possiderent. *Theodorus* semper discalceatus, infirmis licet oculis, Vetus omne ac Novum Testamentum didicit. Cap. 176 Abbatis *Andreæ* narratio refertur de Judæo quodam, qui baptismum ab illo & sociis petiit, letali ægritudine in eremo correptus, ubi non erat aqua: quem unus ex sociis *Andreæ*, tertiò effusâ super caput ejus arenâ, prolatâque baptismi formâ his verbis: *Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, de baptismi defectu consolatus est. Statim convaluit Judæus insigni miraculo, & ad *Dionysium* Episcopum perductus, ab illo missus est ad Jordanem, ut ibi baptizaretur. Cap. 194. refertur Senis cujusdam admonitio juniori Monacho facta, qui Alexandriam profectus, ut opus manuum suarum venderet, tabernam ingressus erat. *An nescis*, inquiebat, *quia habitum Angelicum fers? Nescis quia & per oculos, & per aures, & per figuras varias & habitus Monachi in civitatibus læduntur? Tu autem in cauponas intrepide ingrederis, & quæ non vis audis, & quæ sunt noxia, vides, inhonestisque & viris & mulieribus conjungeris. Noli, fili, sic agere, sed fuge in eremum.* Respondit Juvenis: *Perge, Senior, Deus non quærit nisi cor mundum.* Tum Senex, expansis ad cœlum manibus, ait: *Gloria tibi, Deus! ecce enim ego habeo in Sceti annos quinquaginta quinque, & mundum cor non habeo: hic autem in tabernis conversatus, cordis munditiam possidet.* Mox ad juvenem Fratrem conversus ait: *Deus te servet, & me non confundat à spe mea.* Capp. 185. & 195. insignibus duobus miraculis, quorum unum *Evagrio* Philosopho & *Synesio* Cyrenensi Episcopo contigit, probatur illum qui tribuit pauperi, Deo fœnerari.

Studium Monachorum cum paupertate conjunctum.

Votum baptismi.

Baptismus.

Vestis Monastica Habitus Angelicus, sancta conversatione & [illegible] ornandus.

Cap. 199. refertur Senis cujusdam historia, simplicis quidem & innocentis, qui cum Sacrosanctum Sacrificium offerret, Angelos videre solitus erat, quamvis consecrationis ritui quædam Fidei Catholicæ contraria, ex ignorantia, admisceret, quæ ab Hæreticis acceperat. Is emendatus à Diacono divinorum dogmatum perito, ipsius admonitionem insuperhabuit, eóque monere pergente, consuluit Angelos; qui Diacono ut auscultaret jusserunt. A quibus cùm quæreret, cur eum ipsi non emendassent, hoc retulit responsum: *Deus ita disposuit, ut homo per homines corrigatur.* Hi Prati Spiritalis flores pulcherrimi, ex quibus sertum istud concinnare volui, cujus odore Lectores Religiosi recreentur.

Homo per homines, non per Angelos corrigitur.

Rem Christianam Scriptis illustrarunt iisdem temporibus ac *Joannes Moschus* Prati Spiritalis Auctor, *Antiochus* Monachus Palæstinus in Laura *S. Sabæ* Abbatis, cujus extat *Pandectes Divinæ Scripturæ*, in Homilias CXXX. distinctus. *Georgius Pisides* Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus & Carthophilax, auctor *Cosmographiæ*, seu Poëmatis *De Opere sex dierum*: cujus *Suidas*, & *Nicephorus*, *lib.* 18. *cap.* 48. meminere: *Leontius* Neapoleos in Cypro Episcopus, Vitæ *S. Joannis Eleemosynarii*, & quarumdam Homiliarum Auctor. Florebat initio sæculi VII. *Hesychius* Hierosolymorum Patriarcha: sed hic inter Auctores Ecclesiasticos numerandus non videtur: neque ipsius sunt Commentarii in *Leviticum*, sed *Hesychii* ejusdem Ecclesiæ Presbyteri. Lege quæ de *Hesychiis* scripsimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi V. *Cap. IV. Art. X.*

ARTICULUS IV.

De S. Isidoro Hispalensi.

SANCTUS ISIDORUS Hispalensis Episcopus, *Leandri*, *Fulgentii*, *Florentinæ* Virginis germanus frater fuit, ætate minimus, animi & virtutum indole Patri *Severiano*, quem nonnulli Carthaginensis Provinciæ Ducem faciunt, suísque fratribus æqualis: eloquentiæ, doctrinæ, atque ingenii laude multò major: Ecclesiam sibi, post obitum *Leandri* fratris, demandatam quadraginta circiter annos rexit. Obiit anno circiter sexcentesimo trigesimo sexto, pridie Nonas Aprilis: quô die quotannis ejus memoria in Hispania dicatô festo celebratur. Corpus ejus Hispali Legionem translatum, ibi summa cum veneratione asservatur. De beato ejus obitu legenda *Redempti* Diaconi Narratio. Quòd ipsâ Natalis Christi nocte Romam iverit, redierit; quòd geminæ candelæ ex arte ab ipso confectæ, in ejus sepulchro, Ferdinando Primo Rege repertæ sint, inextinctô lumine: quòd *Mahometem* Cordubâ pepulerit, fabulæ sunt ab accuratis Scriptoribus explosæ, & inter cæteros à *Mariana*, *lib.* 6. *Rerum Hispanicarum*, *Cap.* 7. Operum *S. Isidori* Hispalensis Catalogum *Braulius* Cæsaraugustanus Episcopus, & *S. Ildefonsus* texuerunt. Liber *De Vita & Morte Sanctorum*, quem habemus, supposititius fœtus est *S. Isidori*, ut censet Doctissimus Cardinalis *Baronius*, ad annum octingentesimum decimum-sextum, & in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 5. Maii, 25. Julii, & 25. Augusti. Dixi, quem habemus: quia

Liber De Vita & Morte Sanctorum, non est S. Isidori.

Sanctum Isidorum scripsisse librum *De ortu & obitu Patrum, in quo gesta eorum, dignitatem quoque, & mortem eorum, atque sepulturam, sententiali brevitate subnotavit*: testis est *Braulias* Cæsaraugustanus Episcopus.

Etymologiarum Codicem, ab eo, titulis, non libris distinctum, & imperfectum relictum, *Braulius* Cæsaraugustanus quò rogante illud Opus scripserat, recensuit, & in viginti libros divisit. *Sententiarum* libros tres, quos floribus ex Moralibus *Sancti Gregorii Magni* collectis passim ornavit, laudati sunt à Conciliis Toletano VIII. *Cap.* 2. Aquisgranensi sub Ludovico Pio, & Parisiensi VI Harum Synodorum prima hoc ipsum exornat encomio: *Nostri seculi Doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus; præcedentibus ætate postremus, doctrina comparatione non infimus: atque quod majus est, jam sæculorum finitorum doctissimus, cum reverentiâ nominandus Isidorus.* Hunc à Deo novissimis temporibus suscitatum ad restauranda Antiquorum Monumenta, *Braulius* Cæsaraugustanus scribit, cui non immeritò illud Philosophi accommodetur: *Nos in nostrâ urbe peregrinantes errantesque tanquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt: ut possimus aliquando qui & ubi essemus agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu Sacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domesticam publicámque disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarúmque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti.*

Isidori elogium.

Epistola ad Massanum, sive *Massonem*, *De lapsu Sacerdotis & reparatione*, S. Isidoro falsò adscribitur, & citatur sub ejus nomine à *Gratiano*, *Dist.* 50. *C. Domino Sancto*. Quæ enim ibi traditur doctrina de restitutione Clericorum in pristinos honores & Ordinum Officia, postquam Pœnitentiam criminum egerint, Ecclesiæ Hispanicæ disciplinæ, & doctrinæ *S. Isidori* manifestè repugnat. Id patet ex illius Epistola ad *Helladium* & cæteros Episcopos cum eo congregatos, de Cordubensi Episcopo in vitium carnis lapsû, quem è gradu in perpetuum dejiciendum scribit, nec ipsi spem aliam superesse, quàm remissionis peccatorum. *Cum effusione*, inquit, *lacrymarum vestram Sanctitatem deposcimus, ut idem Lapsus Sancto Cœtui vestro præsentatus, agnitò à vobis confessionis eloquio, Synodali Sententiâ à gradu Sacerdotii deponatur. Melius est illi ut temporaliter judicetur à vobis, quàm æternò damnetur judiciò. Levior est illi præsentis temporis ignominia, quàm futura gehennæ tormenta. Sciat enim se amisisse nomen & Officium Sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis. Quapropter Judicii vestri Decretò Pœnitentia perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret: Plangat Sacerdotii culmen, quem malò vivendo perdidit: Lugeat animæ suæ statum, quam tantò putredinis cœnò coinquinavit: Fortasse porriges illi manum quandoque Spiritus Sanctus, ut per dignam satisfactionem mereatur peccatorum remissionem.*

Epistola ad Massanum. S. Isidoro supposita.

Sacerdotes in peccatum carnis lapsi, degradatione plexi.

Et lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 5. *Quod autem*, inquit, *quis post Baptismum aliquò mortali peccatò corruptus, ad Sacerdotium non promoveatur, Lex ipsa testatur. Moyses enim in Lege præcepit Sacerdotibus, ut aliquod pecus vitiatum ad aram Deo offerant... Si enim is qui in Episcopatu mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre panes Domino: quantò magis ante Ordinationem peccator inventus, repudiari debet ut non ordinetur? Quapropter quia Lex peccatores à Sacerdotio removet, consideret se unusquisque sciens quia potentes potenter patiuntur tormenta: retrahat se ab hoc non tam honore, quam onere, & aliorum locum qui digni sunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus Sanctus sit, & in nullò reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus.*

Sacerdos à peccato debet esse alienus.

Epistola ad Redemptum pariter supposita est *Sancto Isidoro*; nam in ea probat Sacrificium non in pane fermentato, sed azymo esse conficiendum. At eâ ætate Hispanicæ Ecclesiæ fermentatum consecrabant. Scripta est hæc Epistola post exortas Græcos inter & Latinos de azymo contentiones, adeóque post Photianum schisma, ut patet ex istis verbis: *Quia verò Orientales, Romanorum sive nostras consuetudines impudenter obtrectando, reprehensionis abolitione impugnare nituntur; ad arma divini Oraculi concurrentes, nos quamium potuerimus, easdem defendere pravia veritate insurgemus.*

Epistola ad Redemptum S. Isidori nomen falso gestat.

Romani Primatum Pontificis jure divinô, egregiè asserit *Sanctus Isidorus* in Epistola *ad Claudium Ducem* Cap. 1. *Sic nos scimus*, inquit, *præesse Ecclesiæ Christi, quatenus Romano Pontifici reverenter, humiliter, & devotè, tanquam Dei Vicario, præ cæteris Ecclesiæ Prælatis, specialiùs nos fateamur debitam in omnibus obedientiam exhibere. Contra quod quemquam procaciter venientem, tanquam hæreticum, à consortio Fidelium omnino decernimus alienum. Hoc verò non ex electione proprii arbitrii, sed potius auctoritate Spiritûs Sancti habemus firmum, ratúmque credimus, & tenemus.*

Primatum Romani Pontificis jure divino, S. Isidorus asserit tanquam Dogma Fidei.

Et in Epistola *ad Eugenium Toletanum Episcopum*, ait: *Quod verò de paritate agitur Apostolorum, Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit: Tu vocaberis Cephas: Tu es Petrus, &c. Et non ab alio aliquò, sed ab ipsò Dei & Virginis Filio, honorem Pontificatûs in Christi Ecclesiâ primus suscepit. Cui etiam post Resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est: Pasce agnos meos; Agnorum nomine Ecclesiarum Prælatos notans. Cujus dignitas potestatis etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialiùs tamen Romano Antistiti, singulari privilegio, velut Capiti, cæteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, à capite sejunctus, Acephalorum schismati se reddit obnoxium: Quod, sicut illud Sancti Athanasii de Fide Sanctæ Trinitatis, Sancta Ecclesia approbat & custodit, quasi sit Fidei Catholicæ articulus: Quod nisi quisque fideliter firmitérque crediderit, salvus esse non poterit.*

Qui debitam Romano Pontifici obedientiam non exhibet schismaticus est, salvus esse non potest.

Liber *De Ordine Creaturarum*, sub nomine Sancti Isidori Hispalensis à doctissimo P. Luca Dacherio editus est *Tomo I. Spicilegii* Alius non videtur esse Isidori, cùm illius *Braulio* non meminerit. Licet enim eos solùm libros enumerare se *Braulio* profiteatur, qui ad notitiam suam pervenere, quo satis intelligitur & alios scripsisse, quorum ille non meminit; non potuit tamen non pervenire hic, ipso proponente, per modum responsionis scriptus, ad ipsumque sub hoc epilogo directus: *Ecce Venerabilis Pater! De Ordine Creaturarum tibi proposuisti, juxta ingenioli mei modulum, compendioso sermone summatim respondi, &c.* Præterea tanta animi demissione ad *Braulium* amicum suum, nec in gradu Episcopali sibi æqualem, scribere non solet Sanctus Isidorus, quantam præ se fert hujus Libelli Auctor. Inscriptus est hic liber in Codice S. Remigii Remensis ex quo in Spicilegio editus est, *Braulio Episcopo Urbis Romæ* Addidit eruditus Editor, *Hoc est, Cæsaraugustæ*: Etsi Cæsaraugustam apud Scriptores ullos Romam nuncupari, se non legisse fateatur. Bollandi Continuatores suspicantur scriptum Episcopo Urbis Romæ, non *Braulioni*, sed *Bonifacio V*. Cujus nomen per solam initialem literam B. scriptum, occasionem errori dederit; sed conjecturam hancce suam nulla probatione fulciunt.

Liber De Ordine Creaturarum in Spicilegio editus, non est S. Isidori.

Sanctus Isidorus Hispalensis ab eo distinguendus est, cujus corpus Bononiæ colitur. Bononienses nominis identitate deceptos, suum Isidori Episcopi Siculi vice Hispalensem credidisse & vocasse;

Constantinus

Cooſtantinus Abbas *Caietanus* in ſuo de *S. Iſidoro* Teactatu aibitratur.

ARTICULUS V.

De Sophronio, Aponio, S. Maximo, Theodoro Raythuenſi, Joanne Carpathiorum, & aliis.

S. Sophronius.

I. SANCTUS SOPHRONIUS, Philoſophus, *Joannis Moſchi* diſcipulus in Monaſtica Vita, Hieroſolymitanus Epiſcopus, & Fidei Catholicæ defenſoc acet rimus adveisus Monorhel tas, Synodicæ ad *Honorium* Epiſtolæ, Otationum aliquatum, & Vitæ *Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ* Pœnitentis Auctor, obiit anno ſexcenteſimo ſexto, die Martii undecimâ; quâ ejus memocia in Menologio Græcorum, & in Romano Martyrologio celebratur. Ejus cum laude meminerunt *S. Joannes Damaſcenus* Ocatione III. *de Imaginibus*, Septima Synodus Genetalis, Actione IV. *Photius*, *Cod.* 231. *Nicephorus lib. VII. cap.* 3. Hunc *Sophronium* cum altero malè confundit *Poſſevinus*, Auctore libri *Pro Baſilio contra Eunomium*, de quo *Photius*, *Cod. V.*

Andræas Cretenſis.

II. Coævus fuit Sophronio ANDRÆAS, Hieroſolymitanus cognominatus, patriâ Damaſcenus, Cretenſis Archiepiſcopus, vir Sanctiſſimus, variorum Canonum, & Orationum Auctot, præcipuè in Salutationem Angelicam, io Exaltationem S. Ccucis, in Maciam Ægyptiacam. Hieroſolymitanus dictus eſt, quòd Monaſticam Vitam Hieroſolymis coluerit.

Aponius.

III. APONIUS, Auctor Expoſitionis in Cantica Canticorum, in ſex libros diſtinctæ, à *Beda*, *lib.* 4. *Commentariorum in Cantica*, *Cap.* 25. & ab Angelomo Luxovieoſi Monacho, in *Stromatis*, ſivè explieatione cotumdem Canticorum non ſemel laudatus: vixit circa annum ſexcenteſimum ſexageſimum.

S. Deſiderius.

IV. SANCTUS DESIDERIUS, Cadurcenſis in Aquitania I. Epiſcopus, Variarum Epiſtolarum Auctor, quas in Bibliothecis Patrum legere eſt, obiit die decima-tertia Kalendas Decembris anni ſexcenteſimi ſexageſimi, cùm annis viginti tribus Eccleſiam rexiſſet.

S. Maximus.

V. SANCTUS MAXIMUS Abbas & Martyr, doctiſſimus Theologus, glorioſus Monothelitarum debellator, cujus cum laude meminerunt, *Photius*, *Codicibus* 192. 193. 194. & 195. ejus, quæ legerat, recenſens Opera, *Anaſtaſius Bibliothecarius in Collectaneis*, *Theophanes in Chronico*, & alii; obiit in exilio die 13. Auguſti, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo. Ejus Opera Cleri Gallicani mandato doctiſſimus Pater *Combefiſius* Ordinis Prædicatorum *ἱματῖτας*, collegit, vertit, aut recenſuit, illuſtravit, edidit.

Theodorus Raythuenſis.

VI. THEODORUS Raythuenſis Monaſterii Presbyter, ad quem ſcripſit SANCTUS MAXIMUS Epiſtolam & varia Capitula, de voluntatibus & operationibus in Chriſto, de eſſentiâ, naturâ, hypoſtaſi, & perſonis, iiſdem temporibus librum *De Incarnatione Chriſti* ſcripſit, quem Bibliothecæ Patrum exhibent.

Alii Auctores Eccleſiaſtici, ſæculo VII.

VII. PETRUS LAODICENSIS; Auctor Expoſitionis in Orationem Dominicam, & THALASSIUS MONACHUS, qui ſcripſit ad *Paulum* Presbyterum; de ſincera caritate, verâ continentiâ, necnon de regimine mentis, Hecatontades quatuor, & ESAIAS Abbas, qui viginti novem Homilias ad Monachos ſuos ſcripſit, non procul ab his temporibus floruerunt. His addendi, BARANGOSUS Abbas ad *S. Maximinum* extra muros urbis Trevirenſis, qui ſcripſit *De Laude & Inventione Crucis Dominicæ*, libros tres; *De Myſterio Ligni Dominici*, librum unum, & *Sermones varios*: JOANNES Carpathiorum Epiſcopus, Documentorum ſpiritualium nonaginta ſeptem ad Indos Monachos Auctor; GEORGIUS Metropolita Nicomedienſis, Orationum, ſive Sermonum aliquorum Auctor, in laudem præſertim Virginis Deiparæ; Et JACOBUS Monachus Græcus, Auctor Orationis in Nativitatem ejuſdem Sanctiſſimæ Dei Genitricis, Horum extant Opera Tomo XII. Bibliothecæ Maximæ Patrum, Edit. Lugdunenſis.

ARTICULUS VI.

De S. Eligio, S. Audoeno, & Jona.

I. SANCTUS ELIGIUS Noviomenſis Epiſcopus, cujus Vitam *Sanctus Audoenus* Rothomagenſis Archiepiſcopus ſcripſit, ſexdecim Homiliarum Auctor, quæ in Bibliothecis Patrum leguntur, & *Sermonis ad plebem*, qui extat in appendice Tomi IX. Operum *Sancti Auguſtini*; à die Maii decima-quarta anni ſexcenteſimi quadrageſimi ſexti ad diem ſecundam Decembris, anni ſexcenteſimi ſexageſimi quinti, quâ ad vitam immortalem tranſlatus eſt, ſuam rexit Eccleſiam, ſub *Clodoveo II.* & *Clotario II.* Francorum Regibus. Vita S. Eligii extat *Tomo V. Spicilegii.*

II. JONAS, Italus, *Seguſio*, vulgò *Suze*, oriundus, Bobienſis Monachus, ac incerti Cœnobii Abbas, cujus *Beda*, *lib.* 5. *Hiſtoria Anglorum Cap.* 17. *Sigebertus*, & *Trithemius* meminere, Vitas *S. Columbani*, & *S. Joannis* Reomaënſis Monaſterii Fundatoris primique Abbatis ſcripſit, necnon *S. Attalæ* Bobienſis Abbatis, *S. Euſtaſii* Abbatis Luxovienſis, & *S. Bertulfi* Abbatis Bobienſis.

ARTICULUS VII.

De Sancto Ildefonſo.

SANCTUS ILDEFONSUS, Toleti, nobili genere natus, in S. Iſidori Hiſpalenſi Collegio liberalibus diſciplinis & pietatis præceptis inſtitutus, in Cœnobio Agalienſi Monaſticam Vitam profeſſus eſt, cujus deinde Abbas fuit. *Eugenio* Toletano Archiepiſcopo defunctô: in ejus locum cooptatus & conſecratus, ab anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo octavo ad ſexcenteſimum ſexageſimum ſeptimum, quô obiit, die Januarii vigeſima tertia, hanc rexit Eccleſiam. Contra *Pelagium* quemdam & *Helladium*, qui veteris *Helvidii* inſaniæ ſcintillas in Hiſpania exſuſcitare cœperant, Mariam Virginem Deiparam negantes perpetuò virginitatem retinuiſſe, editô librô, illibatæ virginitatis B. Mariæ patrocinium ſuſcepit. Operæ Dei Matri navatæ merces veſtis ab eadem Deipara de cœlo allata fuit: Quod memoriæ prodidit *Cixila* Ildefonſi Succeſſor. Lapis ubi B. Virgo veſtigiô conſtitit, in ipſo templi Toletani aditu monſtratur: Eodem, vel proximo anno, die nono Decembris, qui *Leocadiæ Virginis* memoriâ ſacer eſt, dum ſacris operaretur *Ildefonſus*, præſente Rege, fertur, ſepulchri lapide ſponte ſublatô, tumulô egreſſam *Leocadiam* Ildefonſi manum tetigiſſe, atque in hæc verba prorupiſſe, *Ildefonſe, per te vivit Domina mea.* Abſciſſa pars veli quô Virginis caput tegebatur, antequam ſe in ſepulchrum reciperet, in ſacro Toletani templi ærario conſervatur, & viſitur. In prædio Debienſi Collegium Virginum ſuis impenſis fundavit atque conſtituit, nondum Epiſcopus. Mos triginta pauperes quotidie alendi, quod fit Toleti in ædium Archiepiſcopalium eâ parte, quæ templo conjuncta eſt, *Sancti Ildefonſi* inſtitutum eſſe creditur. Præter librum *De perpetuâ Virginitate B. Mariæ*, quem ſcripſit hortatu *Quirici* Barcinonenſis Epiſcopi, ut teſtantur mutuæ utriuſque Epiſtolæ Tom. I. Spicilegii Acheriani editæ, alia ejus Opera memorat *Julianus Toletanus* in Appendice ad librum *De Viris Illuſtribus*, quem *Ildefonſus* poſt

S. Ildefonſus perpetuæ virginitatis Sanctæ Mariæ, Matris Dei vindex.

post *Sanctum Isidorum* continuavit. Ejus corpus in Ecclesia *S. Leocadiæ* tumulatum ad *Eugenii* Decessoris viri quoque sancti & Auctoris Ecclesiastici pedes, in vastatione Hispaniæ funestâ atque generali *Senticam* sive *Zamoram* translatum est, ubi in Sancti Petri Apostoli templo magnâ religione colitur. Vestis de cœlo allata *Oveti* servatur. Vitam ejus à Cixila seu Zixila aut Zixilane, & S. Juliano II. Toletanis Episcopis scriptam & à Don. *Thoma Tamaio de Vargalo*, Regis Catholici Historiographo è veteribus MSS. erutam edidit *Bollandus* inter Acta Sanctorum Mensis Januarii, ad diem XXIII. Edidit & Dom. *Mabillonius* Sæculo II. Benedictino. Franciscus Fevardentius Theologus Parisiensis in Bibliotheca Patrum nonnulla S. Ildefonsi Opuscula vulgavit; inter alia Librum *De Virginitate S. Mariæ contra tres infideles*, cujus hic prologus: *Deus lumen verum*, &c. & initium, *O Domina mea atque dominatrix mea*, *&c.* cui librum alium S. Ildefonso adscriptum subjecit. *De perpetua Virginitate S. Mariæ, & de ejus parturitione*, cum hoc exordio: *Quamvis omnium Ecclesiarum virginitas beata & gloriosæ Genitricis Dei Mariæ sit decus*, *&c.* Primum Librum esse *S. Ildefonsi*, alterum *Radberti* Corbeiensis Abbatis, Viri Eruditi jam consentiunt.

ARTICULUS VIII.

De Juliano Toletano

JULIANUS TOLETANUS, Eugenii II. Toletani Archipræsulis discipulus, cum *Gudila* Archidiacono ejusdem Ecclesiæ arctâ conjunctus amicitiâ; *Quirico* in Sede Toletana successit: Præfuit Conciliis Toletanis XII. XIII. XIV. & XV. Eámque texit Ecclesiam ab anno sexcentesimo octogesimo ad diem octavam Martii, anni sexcentesimi nonagesimi, quô vitam immortalitate mutavit, *Egicæ* Regis anno tertio. Ejus corpus in Ecclesia *S. Leocadiæ* tumulatum: vitæ sanctitas cœlestium numero inseruit, fastisque, ut Martyrologia testantur. Ingenio fuit facili, copioso, suavi; eruditione eximiâ, quam relicta monumenta testantur, ac præsertim Opus quod *Prognosticon futuri sæculi* inscripsit, in tres libros distinctum, in quibus *SS. Cypriani* & *Augustini* verbis frequentiùs loquitur quàm suis. Extant ejusdem libri tres *De Demonstratione Sextæ Ætatis adversus Judæos*, jussu *Ervigii* Regis, cui & illos nuncupavit, scripti; quibus Messiam venisse, & frustra jam à Judæis expectari probat, huncque esse Jesum. Scripsit etiam Commentarios in *Nahum* Prophetam, qui ab *Henrico Canisio*, ex MS. Cod. Bavaricæ Bibliothecæ editi, in Bibliothecas Patrum transcripti sunt. Libros ejusdem habemus duos ἀντικειμένων, hoc est, *Contrapositorum*, sive pugnantium in speciem utriusque Testamenti locorum. Cætera ejus Opera à *Felice* Toletano, in Appendice ad *S. Ildefonsi Catalogum Virorum Illustrium*, laudata, injuriâ temporum desiderantur, præter *Historiam Gestorum Regis Vvambæ in Galliis*, quam ex naufragio literarum eripuit *Duchesnius*.* Multis Orationibus & Missis *Officium Gothicum* sive *Mozarabicum* auxit, ut idem *Felix* ipsius Successor testatur. Gothicum & Mozarabicum dictum est, quia originem habuit eò tempore quo Reges Gotthorum Hispaniæ dominabantur: & quia cùm Arabes Hispaniam penè omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes*, & corruptô vocabulô *Mozarabes*, id est, mixti cum Arabibus dicti sunt.

* Tom. I Hist. Francor.

Officium Mozarabicum, à quo editum?

A quibus & quo tempore hoc Officium institutum fuerit, incertum est. Cardinalis *Baronius*, ad annum sexcentesimum trigesimum tertium, ejus Auctorem fuisse putat *S. Isidorum Hispalensem*, cui à Concilii IV. Toletani Patribus id sit demandatum munus. Favet librorum inscriptio, quibus hæc Officia continentur: *Officium Gothicum, sive mixtum, secundùm regulam S. Isidori, dictum Mozarabes.* Hanc *Baronii* opinionem refellit doctissimus Cardinalis *Bona*, lib. 1. *Rerum Liturgicarum Cap. IX. Num.* 1. Ex silentio *Braulionis* Cæsaraugustani, & *S. Ildefonsi* qui inter *S. Isidori* Opera hoc Officium non memorant. 2. Quòd Concilium IV. Toletanum aliquot hujus Officii ritus *Canone undecimo* & sequentibus, tanquam jam antea frequentatos recenseat: & Concilium III. Toletanum, quod Quarti celebrationem annis quadraginta quatuor præcessit, *Canone* 2. statuerit, in singulis Ecclesiis Symbolum recitari priusquam Oratio Dominica dicatur, qui ritus est Missæ Mozarabicæ singularis. 3. Quòd *S. Isidorus* lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, S. Leandri fratris sui ac Decessoris Scripta recensens, testetur ipsum in Ecclesiasticis Officiis non pravô studiô laborasse, & in Sacrificii laudibus atque Psalmis multa dulcisonè composuisse. 4. Quòd in Missa *S. Martini*, in Oratione *post nomina*, hæc verba legantur: *Hunc Virum, quem ætatis nostræ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus.* Sanctus autem *Martinus* obiit anno Domini quadringentesimo secundo, & primus ex Confessoribus paulò post obitum dicato festo, & sacris Officiis coli cœpit. Itaque ante *SS. Isidorum* & *Leandrum*, sæculo quinto jam istud Officium in usu erat, quod deinde à *SS. Leandro, Isidoro, Ildefonso, Juliano*, auctum & illustratum est. Hoc Officium in Hispanica Ecclesia diu viguit, donec *Gregorii VII.* Pontificis Maximi auctoritate in Romanum mutatus est: quâ de re legenda est ejus Epistola sexagesima quarta libri 1. ad *Alfonsum* Castellæ; & *Sancium* Arogoniæ Reges. & ad Episcopos in eorum ditionibus constitutos directa.

ARTICULUS IX.

De Marculfo, & Formulis ab eo editis.

MARCULFUS *Monachus*, sub *Landerico* Parisiensi Episcopo vixit, cui *Formularum* libros duos nuncupavit. Sedebat autem *Landericus* Clodoveo II. Dagoberti filio regnante, circa annum Christi sexcentesimum sexagesimum. Ex his Formulis, quas vir illustris & eruditus Hieronymus *Bignonius* primus in lucem edidit, ac Notis illustravit, multa discimus Capita prisci Juris, aut morum veterum, qui in Galliis sub prima Regum nostrorum Dynastia vigebant. Discimus primò Episcopos consecratos non fuisse, nisi illorum electioni Rex præbuisset assensum, eámque Mandatis suis confirmasset. Id patet ex Formula quæ inscribitur, *Concessio civium pro Episcopatu*, quæ habetur Cap. 7. libri primi. *Quoniam sanctæ memoriæ Vir Apostolicus ille, illius urbis Episcopus, fine appropinquante, ab hac luce migravit, ne destituta sint oves, decedente Pastore: in loco ejusdem suppliciter postulamus, ut instituere dignemini Illustrem Virum illum, Cathedræ illius Successorem, in quo est perspicuitas sublimis, ingenuitas nationis elegantia refulgens, diligentia castitatis, charitatis locuples voluntas.* Et ex Formula quæ inscribitur: *Præceptum de Episcopatu*, Cap. 5. ejusdem libri. *Ille Rex, Viro Apostolico illi Episcopo... Et quia cognovimus sanctæ recordationis Dominum illum, urbis illius Antistitem evocatione divinâ ab hâc luce migrasse: de cujus Successore sollicitudinem congruam, una cum Pontificibus vel Proceribus nostris pleniùs tractantes, decrevimus Illustri Viro, aut Venerabili illi, in ipsâ urbe Pontificalem in Dei nomine committere Dignitatem. Quem plerúmque apud animos nostros & actio probata commendat, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudinis & prudentiæ honestas exornat. Quâ de re statuta præsentibus ordinamus: ut cum*

Episcopi olim in Galliis non consecrati, nisi Rex illorum electioni præbuisset assensum.

adunasorum

adunatorum catervâ Pontificum, ad quos tamen nostræ Serenitatis devotio Scripta pervenit, ipsum, ut ordo postulat, benedici vestra Industria studeat, &c. Idem constat ex Formula sequenti, quæ inscribitur: *Indiculus Regis ad Episcopum, ut alium benedicat.*

Nullus olim absque Regis licentiâ ordinatus in Galliis Clericus.

II. Ex iisdem Formulis discimus, absque Regis licentiâ nullum ordinatum Clericum. Id constat ex Formula quæ inscribitur: *Præceptum de Clericatu*: Cap. 9. lib. 1. *Si eis qui se ad onus Clericatûs transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus... Ille ad nostram veniens præsentiam, petiit Serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus Clericatûs deponere deberet, & ad Basilicam illam, aut Monasterium deservire deberet. Quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo præstitisse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & Polyptyco publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare, & ad suprascriptam Basilicam, vel Monasterium deservire.* Ea disciplina viguit à Clodovei temporibus, quô regnante, Concilium Aurelianense I. *Canone* 4. decreverat, ut nullus sæcularium ad Clericatus Officium promoveretur, *Nisi aut cum Regis Jussione, aut cum Judicis voluntate.* Hanc tamen Regii consensûs necessitatem Concilium Remense, regnante *Dagoberto* habitum, ad eos restrinxit, qui in publicis rationibus censiti & inscripti essent. *Hi vero* (inquit Canone 6.) *quos publicus census spectat, sine permissa Principis vel Judicis, se ad Religionem sociare non audeant.*

Hanc Regii consensûs necessitatem ad eos qui publicum Censum spectarent, Concilium Remense restrinxit.

Immunitates Ecclesiis & earum bonis à Regibus concessæ.

III. Et iisdem Formulis discimus, Reges ab Episcopis rogatos Immunitates & Privilegia Ecclesiis & earum bonis concessisse. Id patet ex Formula cui titulus est: *Immunitas Regia*: Cap. 3. lib. 1. *Statuentes ergo ut neque eos, neque Juniores, neque Successores vestri, nec ulla publica Judiciaria Potestas, quocumque tempore in villis ubicumque in Regno nostro, ipsi Ecclesiæ, aut Regiâ, aut privatorum largitate collatis, aut qui in antea fuerint, collaturis, aut ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de quibuslibet causis exigere, nec mansiones, aut paratas, vel fidejussores tollere non præsumatis; sed quicquid exinde, aut de ingenuis, aut de servientibus, cæterisque nationibus quæ sunt infra agros, vel fines, seu supra terras prædictæ Ecclesiæ commanentes, fiscus aut de fredis, aut undecumque poterat sperare, ex nostrâ indulgentiâ pro futurâ salute, in luminaribus ipsius Ecclesiæ, per manum Agentium eorum, proficiat in perpetuum.* Freda, sunt compositiones fisco debitæ. Mansiones, sunt hospitia Magistratibus, aut Regis Missis vulgò debita. Parata, est rerum ad eos excipiendos necessariarum præparatio, sive domorum, suppellectilis, aut etiam evectionum apparatus. Ab his oneribus Ecclesias, & earum villas, & loca Reges Christianissimi frequenter absolvebant.

Immunitatis beneficium ab Episcopis, & Regibus Christianissimis Monasteriis concessum.

IV. Immunitatis quoque beneficium concedebant Monasteriis Reges, & Episcopi, ut patet ex Formula quæ inscribitur *De Privilegio*, Cap. 1. Libri 1. *Dum ab antiquitus, juxta Constitutionem Pontificum, per Regalem Sanctionem, Monasteria SS. Lirinensis, Agaunensis, Luxoviensis, vel modò innumerabilia per omnem Regnum Francorum, sub libertatis Privilegium videntur consistere, &c. Quid verò vos, vel Successores vestri, Sancto suadente Spiritu deinceps custodiatis, imo Sancta illius Ecclesiæ Episcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inserendum. Hoc est, ut de vestra Congregatione qui in vestrô Monasteriô sancta debeant bajulare Officia* (id est, ad Ordines promoveri) *cùm Abbas, cum omni Congregatione poposcerit à nobis, vel à Successoribus nostris sacros percipiat gradus. Nullum pro ipsorum honore præmium percepturus, altare in ipso Monasterio prædictus Episcopus benedicat, & Sanctum Chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reverentiâ loci, sine pretio concedat. Et juxta dispensationem divinam, cùm Abbas de ipso Monasterio à Domino migraverit, quem unanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex semetipsis, optimè Regulâ comparatum, & vitæ meritis congruentem, similiter sine præmio memoratæ urbis Episcopus ipse promoveat Abbatem. Nullam penitus aliam potestatem in Monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus ibidem jam collatis, aut deinceps Regio munere, aut privatorum collaturis, vel in reliquâ substantiâ Monasterii, Nos, Successoresque nostri Episcopi, aut Archidiaconi, seu cæteri Ordinatores, aut qualibet alia persona prædictæ civitatis habere præsumat: aut quodcumque de eodem Monasterio, sicut de Parochiis, aut cæteris Monasteriis, muneris causâ audeat sperare, aut ferre. Nec de hoc quod à Domino inventibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, aut in sacris Voluminibus, vel quibuscumque speciebus, ad ornatum divini cultûs pertinet, aut præsens collata vel collatura fuerint, auferre præsumat. Et nisi rogatus à Congregatione illâ, vel Abbate, pro Oratione lucrandâ, nulli nostrûm liceat Monasterii adire secreta... Et si aliquid ipsi Monachi, de eorum Religione tepidi, aut secus egerint, secundùm eorum Regulam ab Abbate, si prævalet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa civitate coërcere debet: quia nihil de Canonica Auctoritate convellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.* Hæc Privilegii ab Episcopo concessi Formula: cui gemina est Formula sequens Privilegii à Rege concessi Monasterio, Episcopo rogante. Ex quibus patet 1. nondum generales fuisse Monasteriorum immunitates. 2. Pontifices Maximos nondum sibi solis jus illas concedendi reservasse. 3. Episcopum quemlibet potuisse Privilegium immunitatis tribuere Monasterio, quod ipse, vel aliud in Diœcesi suâ fundaverat; quanquam de Coëpiscoporum consiliô & assensu id facerent. 4. Quò firmior esset illa immunitas, à Rege fuisse roboratam. 5. Episcopos in Monasteriis eâ immunitate donatis jure Visitationis cessisse, & nisi rogatos ab Abbate & Monachis, vel orationis causâ, Cœnobia non adiisse. 6. Ipsos jus tantùm habuisse inaugurandi Abbatis, quem Congregatio elegisset, non instituendi circa electionem. 7. Ipsis non licuisse Monachos immunitate donatos corrigere, si fortè contra Regulam publicè peccarent, nisi Abbas officio suo deesset. 8. Ipsos ab hujusmodi Monasteriis exigere non potuisse jura, munera, sive pensitationes, quas à Parochiis, aut Monasteriis nullô Privilegiô donatis exigebant.

Circa immunitates Monasteriorum sæculo VII. multa observantur.

V. Sæpe sæpius Reges sub suâ tuitione Ecclesias & Monasteria suscipiebant, vel ea credebant tuitioni Majorum Domus Regiæ, ut ipsa, eorúmque res, vel homines, aut Gasindi, id est, homines familiaribus obsequiis adhibiti, vel amici, ab externis injuriis protegerentur: & eorum causæ evocarentur ad Palatium, si in pagis absque illorum dispendio finitæ non fuissent. Id constat ex Formula quæ inscribitur: *Charta de Mundeburde Regis & Principis*, Cap. 24. lib. 1.

Ecclesias & Monasteria sub sua tuitione Reges Christianissimi suscipiebant.

VI. Discimus ex his Formulis, Reges Christianissimos subditorum causas graviores in Palatio suo, cum Episcopis, & Optimatibus, judicasse. Id patet ex Formula XXV. *Ergo nos in Dei nomine, in Palatio nostro, ad universorum causas rectè judicio terminandas, unà cum Dominis & Patribus nostris Episcopis, vel cum pluribus Optimatibus nostris illis, Patribus illis, Referendariis illis, vel Seniscalcis, Cubiculariis, & illo Comite Palatii, vel reliquis quamplaribus fidelibus nostris resideremus: ibique veniens ille illum interpellavit, &c.*

Subditorum causas cum Episcopis ac Optimatibus judicabant.

VII. Discimus sub primâ Regum nostrorum Dynastia

Mos pœnitentiæ & Evangelii

contrario, Matrimonia dissolvendi mutuo consensu conjugum, viguisse olim in Galliis.

nastia morem illum pessimum & Evangelio repugnantem in Galliis viguisse, ut matrimonia bonâ gratiâ, seu mutuô conjugum consensu, ob solam discordiam & rixas continuas dissolverentur: & utrique licitum esset vel Monasticam Vitam amplecti, vel alias nuptias contrahere; indictâ etiam mulctâ illi, qui, post repudium, conjugi propterea negotium, facesseret. Id constat ex Formula cui titulus est: *Libellus repudii*. Cap. 30. libri 2. *Dum & inter illum, & conjugem suam illam, non caritas secundum Deum, sed discordia regnat, & ob hoc pariter conversare minimè possunt: placuit utriusque voluntate, ut se à consortio separare deberent, quod ita & fecerunt. Propterea has Epistolas inter se unô tenore conscriptas fieri, & adfirmare decreverunt: ut unusquisque ex ipsis, sive ad servitium Dei in Monasterio, aut copula matrimonii sociare se voluerit, licentiam habeat, & nullam requisitionem ex hoc de parte proximi sui habere non debeat. Si quis verò, aut aliqua pars ex ipsis hoc mutare, aut contra parem suum repetere voluerit, inferat pari suo auri libram 1. & ut decreverunt, à proprio consortio sequestrati, in eâ, quam elegerint, parte permaneant: Facta Epistola sub die illô, anno illo, regnante illo Rege.* Id quidem in Galliis Legibus Principum, sicut olim Romæ Legibus Imperatorum, licitum fuisse videtur. Sed *Aliæ sunt Leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcepit* (inquit S. Hieronymus Epistola XXX. ad Oceanum) *Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, exceptâ causâ fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in fœminas*, &c. Nec Ecclesia Gallicana Leges hujusmodi, aut morem pessimum approbavit.

Sorores cum fratribus paternam hereditatem in Galliis olim non dividebant.

VIII. Discimus hanc in Galliis tunc fuisse consuetudinem, vel lege firmatam vel ipsam vim legis habentem, ut filiæ cum fratribus paternam hæreditatem non dividerent. Potuisse tamen patres filias ex asse hæredes scribere & jubere ut paterna bona æquâ lance cum fratribus partirentur. Id constat ex Formula cui titulus est: *Ut filia cum fratribus in paterna succedat alode.* Cujus hic est tenor: *Dulcissima filia mea illi, ille. Diuturna, sed impia inter nos consuetudo tenetur, ut de terrâ paternâ sorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi à Domino æqualiter donati estis filii, & ita à me sitis æqualiter diligendi, & de rebus meis, post meum discessum, æqualiter gratulemini; ideòque per hanc Epistolam, te, dulcissima filia mea, contra germanos tuos, filios meos illos, in omni hæreditate mea, æqualem & legitimam esse constituo hæredem*, &c.

Homicidia olim in Galliis pecuniâ redimebantur.

IX. Homicidia sæpiùs pecuniâ redimebantur, defuncti filiis, fratribus, nepotibus, aut cognatis solutâ. Sacerdotes, aut Illustres Piique Viri, auctoritate suâ obtinebant ab interfecti familia & cognatione, ut hujusmodi satisfactione acceptâ, Legum ultionem, pœnamque capitis adversùs interfectorem non reposceret. Quâ de re Instrumentum scribebatur, & Libellus securitatis dabatur, cum homicidæ, tum ejus domui universæ, ut docet Formula cui titulus est: *Securitas pro homicidio facto.* (Lib. 2. Cap. XVIII.

SCHOLION.

In isto Articulo pag. 270. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Matrimonia mutuo consensu dissolvi poterant in Galliis, etiam absque causa fornicationis, & contrahi cum altera.*

R. Hæc Propositio non est mea. Non scripsi Matrimonia dirimi potuisse, sed mutuo conjugum consensu, ob solam discordiam & rixas continuas, dirimi solita. Factum probo ex formulis Marculfi. De Quæstione juris ita pronuntio: *Morem illum pessimum, & Evangelio repugnantem fuisse. Id quidem in Galliis Legibus Principum, sicut olim Romæ Legibus Imperatorum licitum fuisse videtur: sed* ALIÆ SUNT LEGES CÆSARUM ALIÆ CHRISTI, &c. *Nec Ecclesia Gallicana Leges hujusmodi aut morem pessimum approbavit.*

S. Hieronymus Epist. 30 ad Oceanum.

Quid in his reprehensione dignum? An quòd facti veritatem secundùm Leges Historiæ referam? An quòd eiusdem pravùmque morem secundùm Theologiæ & Christianæ Disciplinæ Principia refellam? Factum, id est, pravum illum & contra mum Evangelii morem olim in Galliis viguisse sub prima Regum nostrorum Dynastia, confirmant veteres Formulæ Andegavenses, Childeberto I. regnante conscriptæ, adeòque Marculfianis antiquiores, quas publici Juris fecit Dom Joannes Mabillonius Tom IV. *Veterum Analectorum.* LVI. sic inscribitur: *Formula dissolvendi Matrimonii*, quæ his concepta verbis est: *Domina mea dulcissima, sed amarissima & exsecrantissima jugalis meus ille, illa. Dum non est incognitum qualiter faciente inimico, & interdicente Deo in simul esse non potemus: Proinde convenit nobis ante bonis hominibus, ut ad invicem nos relaxare deberemus. Quod ita & fecimus. Ubicumque jocalis meus mulierem ducere voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Similiter & illa convenit ut ubicumque ipsa femina super us nominata sibi maritum accipere voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Et si fuerit post hunc diem unus ex nos ipsisque contra hanc Epistola ista ingere aut repetere præsumpserit, solidos tantum ad pare suo componat una cum judicia intercedentem, & quod repetit nihil valeat vindicare, & hæc Epistola firma permaneat.*

ARTICULUS X.

De Theodoro Cantuariensi, & Adamanno.

I. THEODORUS, natione Græcus, Cantuariensis Archiepiscopus, ex Monacho, à *Vitaliano* Romano Pontifice missus in Angliam, vir sanctus, & eruditus, Ecclesiasticæ Disciplinæ acerrimus vindex, quem Venerabilis *Beda lib.* 5. *Historiæ Ecclesiastica Cap.* 8. & alibi passim, *Simeon Dunelmensis*, in Historia de gestis Regum Anglorum, *Joannes Brompton*, in Chronico de Regno Cantiæ, *Gervasius*, de Actibus Pontificum Cantuariensium, *Radulfus Cantuariensis*, in Epistola ad *Callixtum Papam* contra *Thurstinum* Archiepiscopum Eboracensem, commendant: *Pœnitentiale* scripsit, quod cum variis ejusdem Capitulis edidit ac Notis illustravit *Jacobus Petit*. Obiit anno Christi sexcentesimo nonagesimo, ætatis suæ octogesimo octavo, ut *Beda* testatur.

In Pœnitentiali Theodori Cantuariensis quædam duriora & erronea.

In ejus Pœnitentiali nonnulla sunt duriora: & à Traditione & Evangelio aliena, ut illud, quod tradit Cap. 2. *Presbyter fornicans, si postquam compertum fuerit, baptizaverit, iterum baptizentur illi quos baptizavit. Si quis Presbyter ordinatus, deprehendit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizavit.* Et illud Capitis XI. *Si cujus uxor fornicata fuerit, licet dimittere eam, & aliam accipere; hoc est, si vir dimiserit uxorem suam propter fornicationem, si prima fuit uxor, licitum est ut aliam accipiat uxorem: illa verò si voluerit pœnitere sua peccata, post duos annos alium accipiat virum.* Et infra: *Si mulier discesserit à viro suo, despiciens eum, & nolens reverti, & reconciliari viro, post quinque annos cum consensu Episcopi aliam accipere liceat uxorem.*

II. ADAMANNUS, Scotus, Hiensis Monasterii à *S. Columbano* constructi Abbas, libros tres *De situ & locis Terræ Sanctæ*, ex *Arculphi* Gallicani Episcopi, ex Syria reducis relatione composuit, septimo inclinante sæculo. Ejus cum laude meminerunt Venerabilis *Beda*, *lib.* 5. *Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum*, & Sigibertus lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis Cap.* 64. Hos libros *Serarius*, anno 1619. Ingolstadii edidit, cum Epitome eorumdem à Venerabili *Beda* adornatâ, Capp. decimo-septimo & decimo-octavo *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum.*

CAPUT

CAPUT V.

De Rebus Imperii.

ARTICULUS I.

De Phoca.

OCcisô Mauritio, *Phocas* regere cœpit Imperium anno Christi sexcentesimo secundo, Indictione sexta, Novembris die 23. feria 6. qua illum *Cyriacus* Patriarcha coronavit. *Narses* Romani Dux exercitus adversùs Persas, contra Tyrannum rebellis, Edessam occupavit, & *Cosrhoem* Regem Persarum ad Romanos lacessendos, datis impulit literis. *Phocas Germano* Duci jussit Edessam ut obsideret. Intestinis Romanorum dissidiis in spem victoriæ elati Persæ, in Romanos duxere. Victi Romani: *Germanus* obiit ex vulnere: ejus loco exercitus Præfectus *Leontius* Eunuchus, virile gessit nihil. *Cosrhoës* copias fudit Romanorum, plurimósque captos mactavit. Ob infelicem successum iræ impotens *Phocas*, vinctum *Leontium* Constantinopolim adduci jussit, *Domentziolum* nepotem suum, ut ait Theophanes, vel fratrem, ut scribit Cedrenus, Ducem exercitus creavit, ac deinde Curopalatem. Is verborum & jurisjurandi fide *Narseti* datâ, cúmque injuria ab Imperatore nullâ affectum iri pollicitus, ipsi persuasit ut ad illum rediret, gloriosiùs pro Republica pugnaturus. *Phocas* violatâ fide & sanctitate sacramenti, quod ejus nomine *Domentziolus* præstiterat, vivum comburi jussit *Narsetem*. Cujus exitium publicus mœror secutus est; quòd Persis adeo formidandum *Narsetis* nomen fuisset, ut eô prolatô; pueros quoque suos terrerent. Leve istud immanitatis *Phocæ* specimen; Principum enim virorum mortibus delectabatur, nec satiabatur cruore. Amicorum Imperatoris *Mauritii* pepercit nemini. *Constantinam* Augustam, cum filiabus tribus, in portu Eutropii, ubi *Mauritius* fuerat occisus, capite truncari jussit. Domi degebat rerum omnium securus; & in omnem effusus libidinem, dum interim Persæ Mesopotamiam, Syriam, Palæstinam, atque Phœniciam; Galatiam, & Paphlagoniam longè latéque popularentur, Chalcedonem usque comite victoriâ progressi. Intus à Tyranno, foris ab hoste Rempublicam infestari dolens *Priscus* Patritius, *Heraclio* Patritio Africæ Duci jam ad defectionem prono persuasit, ut *Heraclium* filium, & *Nicetam* filium *Gregoræ* Patritii, cum copiis adversùs *Phocam* mitteret. Alienabantur magis ac magis à *Phoca* plebis animi; ita ut palàm in circo ipsi insultarent contumeliosis vocibus Prasini: *Exorere Phoca!* inquiebant: *Rursus vinum bibisti, rursus mentem amisisti.* Sed & in ejus caput à *Theodoro* Prætoriorum Præfecto, & *Elpidio* Armamentarii Præposito, conjuratum est: ab *Anastasio* Largitionum Comite arcani conscio facinus revelatum. Habita de reis quæstio. *Theodorus*, *Elpidius*, *Anastasius* ipse conjurationis particeps, capite truncati. Interim *Heraclius* cum navibus turritis, in quarum malis arculæ, & Deiparæ imagines appensæ, ingenti exercitu ex Africa & Mauritania advecto, Servatoris quoque non manu mortalium factam imaginem ad præsidium secum ferens, Constantinopolim ad Sophiæ portum applicuit, commissóque certamine *Phocam* Tyrannum, favente Deo, vicit. Profligatus, in Regiam se recepit. *Photinus*, cujus uxori stuprum intulerat, comminùs secutus, in Regiam cum militum manu irrupit, comprehensúmque & Imperatoriis insignibus exutum, ad *Heraclium* deduxit. Tyrannum conspiciens Heraclius: *Miser*, inquit, *itane Rempublicam gubernasti?* Cui Phocas lugubri voce: *Tuum est rectius eam gerere.* Tum Victoris jussu manibus, pedibus, pudendis, ac demum capite truncatus. Trunci reliquum à militibus in foro Bovis combustum. Adjuvit *Heraclii* conatum *Priscus* * Phocæ gener, quem *Heraclius*, potitus Imperio, Cappadociæ præfecit: Sed non multò post seditionem conflantem in Senatum produxit, exprobratâq; proditione his verbis: *Miser qui ne Socero quidem fidem servaveris, quid faceres amico?* Ipsum Clero nomen dare coëgit, ac solum vertere. Occisus est *Phocas* anno Christi sexcentesimo decimo, tyrannidis octavo. Ista constant ex *Nicephoro* Patriarcha Constantinopolitano in *Chronico*, ex *Theophane*, & *Paulo Diacono* seu alio Auctore Historiæ Miscellæ lib XVIII. & *Cedreno*.

Phocæ crudelitas.

Phocas ab Heraclio victus ac truncatus.

* Crispum vocat Cedrenus Priscum, Theophanes. Huic filiam suam Domentziam locaverat.

ARTICULUS II.

De Heraclio.

TYranno sublatô, *Heraclius* levatus est Imperator, & à *Sergio* Patriarcha coronatus. *Eudocia* Augusta ejus sponsa eodem die nuptiali imperialique corona ornata est. Assumptô Imperiô, rem omnem Romanam labefactatam & penè pessumdatam reperit. Europam Barbari, Asiam Persæ fuerant populati, urbes integras adduxerant in captivitatem, Romanúmque exercitum bellis consumpserant continuis. Eorum sistere non poterat victorias. Factâ enim in Syriam irruptione, cùm vix imperare cœpisset, Apameam, Edessámque occupavere, & Antiochiam usque pervenere, Romanô funditus deletô exercitu. Subinde Cæsarea Cappadociæ potiti; alteráque in Syriam factâ expeditione, Damascum cepere. Per totam denique Palæstinam grassati, captis Hierosolymis, & ingenti Clericorum, Monachorum, Christianorum utriusque sexus editâ strage, tùm propriis, cùm Judæorum, qui emptos mactabant, manibus, *Zacharia* etiam Patriarcha captivô factô, vivificam Christi Servatoris Crucem in Persidem asportarunt, anno sexcentesimo decimo-quarto. Anno sequenti, Persæ Ægyptum, Alexandriam, & Lybiam, usque ad fines Æthiopiæ, subegere: & Chalcedone obsessâ, captáque, recesserunt. Carthaginem Chalcedonis loco perperam substituit *Paulus Diaconus*, cujus errorem *Baronius* retinuit, Theophane repugnante.

Bellum Persicum.

His perculsus calamitatibus *Heraclius*, pacem supplex à *Cosrhoë* petiit. At ille conditionem nullam fore pacis superbè respondit, nisi crucifixum Deum, Solem adoraturi, abnegarent. Tunc temporis, ad malorum cumulum, Thraciæ imminebant Avares, cujus Provinciæ multa depredati sunt oppida, spe pacis delusô *Heraclio*. Qui tandem cum eorum Duce *Chagano* pactâ pace, collectis omnibus Imperii viribus, in Asiam duxit, conflatis ad belli sumptus vasis sacris, cùm pecuniam vel cum fœnore invenire non posset: Relictoque in Urbe filio, quâ *Sergii* Patriarchæ, & *Bonosi* Patritii consilio Rempublicam regeret. Sexenniô bellum acriter gestum. Sæpius cum *Cosrhoës* Ducibus acie dimicavit *Heraclius*, de Deo benè confisus, & pietate non minùs quam armis hostes superans, imparibus sæpe numerô copiis. Anno tandem sexcentesimo vigesimo septimo in Persidem irrupit. *Cosrhoës*, desperatis rebus, *Merdasen* juniorem filium, ex *Sirem* conjuge susceptum, in fuga Regni Successorem dixit. Quod ægrè ferens *Siroës* major natu, cum Persarum Primoribus in Patrem conspirans, eum in Tenebrarum æde, quam juvenis construxerat, recondendísque thesauris muniverat, inclusit, pane & aquâ parcè subministratis, hæc verba proferens ad contumeliam: *Aurum quod frustra collegit, propter*

quod

Pax cum Persis inita. Crux Christi ab illis Heraclio reddita.

quod etiam plurimos fame necavit, & orbem ipsum effecit desertum, manducet. Eum denique ludibrio prius habitum, & jugulatos coram filios omnes, ipsumque imprimis *Merdasen*, quem Regno destinaverat, coactum cernere, sagittis confodi jussit. Regnum parricidio adeptus, pacem cum *Heraclio* pepigit, Captivis liberatis, & *Zacharia* Patriarcha, necnon Sacrosancta Christi Cruce restitutâ, anno Christi sexcentesimo vigesimo octavo, quam insequenti Vere *Heraclius* Hierosolyma summâ veneratione transtulit, Judæósque ultra tertium ab Urbe lapidem amandavit. Inde profectus Edessam, Ecclesiam *Cosrhois* temporibus à Nestorianis occupatam, Orthodoxam restituit. Tot merita Monothelitarum suscepto patrocinio, quorum hæresi, proposito publicè Edicto, sive (ut appellant) *Ecthesi*, vires addidit non minimas, obscuravit fœdavitque.

Heraclius Monothelitis favet, *Ecthesi* promulgata.

Hinc provocatâ Numinis irâ, Imperium Syria, Palæstina, Ægypto, vidit à Saracenis imminutum. Obiit ex aqua intercute, undecimâ die Martii, anno ætatis suæ sexagesimo-sexto, Christi sexcentesimo quadragesimo primô, cùm annos triginta, menses quatuor, & dies sex imperasset. Tres reliquit filios, *Constantinum* ex Eudocia, & *Heracleonam* ex *Martina* Augusta nepte suâ, quâ cum incestas nuptias mortua *Eudocia*, contraxerat. Hæc habentur ex Theophane, Cedreno, & Paulo Diacono sive alio Auctore Historiæ Miscellæ lib. XVIII.

ARTICULUS III.

De Constantino, Heracleona, & Constante.

CONstantinus, post *Heraclium* patrem quatuor menses imperavit, & à noverca *Martina* venenô peremptus est: post quem *Heracleonas*, cum *Martina* matre, sex mensibus Imperium tenuit. Quibus exactis, nares illi Senatusconsulto, Martinæ lingua præcisa, ambo in exilium deportati; *Constans* Constantini filius levatus Imperator. Hic Monothelitarum hæresim fovit promulgatô Typo, *S. Martinum* Papam, & *S. Maximum* fidei Defensores egregios vexavit: quorum in ultionem scelerum, ab Arabibus & Saracenis, volente Deo lacessitus, à *Mavia* illorum Duce navali prælio victus est, horrenda cum suorum strage, ad Phœnicem, Lyciæ locum, anno sexcentesimo quinquagesimo quarto.

Constans Monothelitas fovet Typo promulgato.

Anno superiori, *Mavias* occupatâ Rhodo, Colossum Rhodium, mille trecentis & sexaginta annis postquam positus fuerat, disjecit, unum ex septem Orbis miraculis. Quem Judæus quidam Edessenus cùm emisset, nongentos ex ære quô constitus erat, camelos oneravit. Statua erat ærea, quam Rhodii maris Domini Soli erexerant, alta cubitos octoginta, cui ob magnitudinem, Colossi nomen inditum.

Colossus Rhodius.

Constans fratrem suum Theodosium Diaconum interficit.

Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo nono, Imperii sui 18. *Constans* fratrem suum *Theodosium* interfecit, quem antea, ex invidiâ, inaugurari Diaconum à *Paulo* Patriarcha curaverat, eóque propinante Christi sanguinem biberat. Parricidæ pœna fuit animus, quamdiu vixit, inquies, & quæ semper obversabatur ante oculos sceleris imago. Scilicet crebrò in somnis ipsi se ingerebat importuna *Theodosii* fratris umbra, habitu Diaconi, qui poculum sanguine plenum porrigens, diceret: *Bibe frater!* Ejus visi horrore sedes mutare decrevit infœlix, & in Siciliam transfretavit; sed conscientia sceleris ubique comitatur ac premit sceleratum. Sex annis hæsit in Sicilia, uxorem ac filios Constantinopolitani retinuere. Tandem Syracusis in balneo, ab *Andrea* quodam *Troili* filio interfectus est, anno Christi sexcentesimo sexagesimo octavo, postquam annos viginti septem imperasset. Hæc memoriæ prodidere Theophanes, Cedrenus, & Paulus Diaconus sive alius Auctor Historiæ Miscellæ lib. XVIII. & XIX.

Pœna sceleris.

ARTICULUS IV.

De Constantio Pogonato. *

Pogonatus dictus ob barbam, quod scilicet Constantinopoli, tenerâ adhuc lanugine folvisset, promissámque barbam à Sicilia retulisset.

EXtinctô Constante, Syracusani perduelles *Mizizium* quemdam Armenum, cujus facies Imperiô digna videbatur, sceptra capessere compulerunt. Id ubi accepit *Constantinus*, Constantis filius, cum ingenti classe transfretans, ad Syracusas applicuit, Tyrannúmque comprehensum cum Patris interfectoribus internecioni dedit. Rebus in Occidente compositis, Constantinopolim redux, ambos fratres *Tiberium* & *Heraclium* Imperii Collegas adscivit; quos anno Imperii sui decimo-quarto redegit in ordinem, naribus mutilatos, & cum *Justiniano* filio solus Rempublicam gessit. Saracenorum arma infesta habuit, atque Bulgarorum. Bellum Saracenicum septem annos exarsit, quô tempore Constantinopolis diu obsessa, Deiparæ Virginis ope liberata est. Recessere tandem Barbari multis cladibus fracti, & aliunde à Mardaïtis Libani incolis lacessiti, pacémque in annos triginta cum Imperatore pepigerunt, his conditionibus, ut quotannis librarum auri tria millia Romanis penderent, virorum selectorum capita quinquaginta, equos nobiles quinquaginta. Per id tempus ignis ille qui Græcus dicitur, à *Callinico* quodam excogitatus est Heliopolensi homine, cujus vi Arabum classis incensa. Avares quoque & alii Barbari pacem rogarunt ac impetrarunt. Non ita felix fuit Bulgarici belli successus. Cùm enim Bulgari torrentis instar Thraciam exundassent, & dirutis quaquaversùm urbibus, oppidisque, omnia deprædarentur, Imperator pacem cum eis facere, & pactam annuatim pecuniam eis persolvere coactus est, non sine magno Romani nominis dedecore.

Ignis Græcus.

Procuratâ Reipublicæ tranquillitate, ad pacem Ecclesiæ curandam animum adjecit *Constantinus*, quam Hæresis Monothelitarum, patrocinio superiorum Imperatorum roborata, perturbabat. Eam ob rem Generale Concilium Sextum Constantinopoli celebrandum indixit, quod anno Imperii ipsius duodecimo cœptum est.

Constantini Pogonati procurante Synodus convocatur.

Constantini Pogonati pietati Romana debet Ecclesia, quòd eam à pensitatione illâ pecuniæ liberaverit, quam Gothorum Reges Ariani persolvendam recens creatis Pontificibus indixerunt, & quam exigere postea consueverant Imperatores. Debet etiam restitutam libertatem consecrandi statim Pontificis absque Imperatoris confirmatione, quam expectare antea ex more necessum erat. Id testatur Anastasius Bibliothecarius in Vitis Agathonis, & Benedicti II. Obiit Constantinus Pogonatus anno Christi sexcentesimo octogesimo quinto, cùm imperasset annis septemdecim. De eo legendi *Theophanes*, *Cedrenus*, & Auctor Historiæ Miscellæ, libro XIX.

Ejus in Romanam Ecclesiam merita.

ARTICULUS V.

De Justiniano Rhinotmeto, Leontio, & Tiberio Apsimaro.

I. J*Ustinianus Secundus*, à naribus præcisis cognomento *Rhinotmetus*, Constantino patri successit, annos natus sexdecim. Qui levitate puerili perfundedit Rempublicam. Initiô Imperii pacem cum *Abimelecho* Saracenorum Duce firmavit his conditionibus, ut Imperator Mardaïtas Libani incolas comprimeret

Justinianus II.

comprimeret, eorúmque excursiones prohiberet: *Abimelech* verò in singulos dies mille nummos aureos, & equum, & servum Imperatori penderet; & uterque Princeps æquâ lance Cypri, Armeniæ, & Iberiæ vectigalia inter se divideret. Conditiones pacis impleturus *Justinianus*, Mardaitarum duodecim millia de Libano detraxit, munitissimum Romani Imperii vallum, Saracenisque formidandum evertens. Pactam à patre cum Bulgaris pacem dissolvit, ductô in Bulgariam & Thraciam exercitu. Bulgaros obviàm factos primo impetu repulit, & Thessalonicam usque excurrens, immensum Sclavorum numerum, quâ domitum armis, quâ sponte deditum, ad Opsicii partes, trajectô Abydi freto, transtulit. At in reditu intra montium angustias à Bulgaris interceptus, magnam suorum stragem passus est, vixque ipse evasit. Anno Imperii sexto, pacem cum Saracenis initam, imprudenter dissolvit *Justinianus*, Sclavorum fretus auxiliis, quorum ad triginta millia facto delectu, aciem instruxit, quam *Superabundantem* nuncupavit, illiúsque Ducem *Nebulum*. Primo conflictu victi Arabes. At Sclavorum Duce pecuniâ corruptô; & cum viginti suorum millibus ad Saracenos deficiente, Romani turpiter fugati sunt. Quô ex tempore *Muhamed* Arabum Princeps Imperii fines impunè vastavit. Interim ædificiis intentus *Justinianus*, iis curandi præfecit *Stephanum* Persam Sacellarium * suum, Eunuchorum spectatissimum, virum crudelem, qui non solùm artifices manuarios, sed & operarum duces verberabat, lapidabátque; & Imperatore peregre profectô, *Anastasiam* Augustam Imperatricem Matrem loris, puerorum more, flagellare ausus est. Huic ferociâ non absimilem *Theodotum* Monachum; qui priùs in Thraciæ finibus ad Freti angustias inclusus vixerat, Generalis Logothetæ * munere adauxit. Qui in munere non ærarii tantùm Administratores, sed Primores Urbis Imperiique Viros insolitis & injustis exactionibus gravans, cùm solvendo satis non erant, funibus suspensos, palearum inferiùs accensarum fumô vexabat. Urbis etiam Præfectus insignes plerósque viros Imperatoris mandatô in carcerem conjectos diu detinuit. Adhæc, levissimus Princeps *Callinicum* Patriarcham urgebat, ut preces ritu solemni funderet, ad Ecclesiam Deiparæ Virginis, quæ *Metropolita* vocabatur, evertendam: cujus in loco fontem, & Venetæ factionis Imperatorem illic excepturæ sedilia extruere meditabatur. Ignotum Ecclesiæ ritum peragere noluit Patriarcha, sed Imperatore importuniùs urgente, dixit: *Gloria Deo, qui etiam hæc patitur, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Quo auditô, Imperator Ecclesiam dirui jussit, & præconceptum ædificium excitari. Eam ob rem, & multò magis ob Ministrorum ferociam & crudelitatem, populare incurrit odium: quod ipsi Imperii insignia detraxit, die ipsâ quâ *Stephano* Patritio & exercitûs Duci præceperat, ut multam plebis stragem ederet, ac à Patriarcha cædis duceret exordium. Factionis caput fuit *Leontius* Patritius, Orientalium Dux quondam copiarum, ex carcere, in quô tres annos detentus fuerat, à *Justiniano* missus ad regendum per Græciam exercitum. Consilii ipsi auctores fuere *Paulus* & *Gregorius* Monachi amicissimi, qui ipsum in carcere crebriùs invisentes, Imperium illi ex syderum peritiâ prædixerant. *Leontius* itaque Monachis amicis, necnon aliis quibusdam illustribus viris, quos reseratis carceribus solverat, comitibus ac juvantibus, plebem commovit omnem, *Justinianum* naso mutilatum in Chersonam relegavit, ac Imperator salutatus est. Exauctoratus fuit *Justinianus* anno imperii sui decimo, Christi 695. Quô abdicato, in *Theodotum* Monachum Logothetam Generalem, & *Stephanum* Sacellarium, sævit populi furor; quos ad *Forum Bovis* combussit.

Bellum Bulgaricum.

Bellum Arabicum.

Thesaurier.

Surintendant des Finances.

Justiniani II. impietas.

Justinianus exsul.

II. Tres annos Imperium gessit *Leontius*. Anno tertio Arabes impressione in Africam factâ, armorum vi eam cœperunt, (Annus erat Christi sexcentesimus nonagesimus octavus.) Ad hanc recuperandam navalis à *Leontio* missus exercitus, Patritio *Joanne* Duce, hostes in fugam vertit, omnésque Africæ munitas urbes in libertatem restituit, præsidiaris militibus in iis relictis. Sed diu non stetit à Romanorum partibus victoria. Arabici namque Consilii Princeps, numerosiori & potentiori instructâ classe, Romanam classem Ducémque fugavit, & humili terræ vallo circumcinctum, undequaque obsidere decrevit. Ægrè periculô expeditus *Joannes*, ad Imperatorem, copias majores quæsiturus, redibat, cùm exercitus rei malè gestæ pudore, & *Leontii* metu, ad ipsum reverti nolens, ex Ducum cæterorum consiliô, à *Leontio* defecit, & *Apsimarum* quemdam, impositô ei *Tiberii* nomine, renuntiavit Imperatorem. *Apsimarus* comitante classe, Constantinopolim advectus, ex adverso Urbis ad Portum Sycænum appulit. *Leontius* à Principibus Extraneorum, in unico eóque levi Blachernarum muro collocatis, quibus claves muri terrestris, horrendo prorsus jurejurando ex sacrâ Mensâ interpositô commissæ fuerant, hostibus proditus est, Urbsque *Apsimaro* dedita. Qui *Leontium* naribus mutilatum, in Dalmatæ Monasterio recludi, & arctiùs custodiri jussit.

Leontius.

Tiberius Apsimarus.

Anno *Tiberii Apsimari* imperantis secundo, septimi sæculi postremo, Romani impressione in Syriam factâ, Samosatum usque penetravere, vicinásque regiones populati, Saracenorum ducenta millia ceciderunt, spoliáque opima, & captivos innumeros abduxere. Hæc ex *Theophane*; *Cedreno*, *Zonara*, & ex Historia Miscella excerpta, Libro XIX. & quatuor primis libri XX. Capitibus.

CAPUT VI.

De Regibus Francorum.

ARTICULUS I.

De Clotario II.

RES gestas *Clotarii* ad annum usque hujus Sæculi XIII. Tomo superiori perstrinximus: Nunc ab eo anno illius Historia resumenda est, quô sublatis nepotibus, & *Brunechilde*, universam Francorum Monarchiam obtinuit. Tunc, ut ait Fredegarius, *firmatum est omne Regnum Francorum, sicut à priore Clotario fuerat dominatum.* Nec tamen abolita fuit Franciæ divisio in tria Regna, Burgundiæ, Austriæ, & Neustriæ. Unde *Clotarius*, Vvarnacharium, Burgundiæ, Radonem Austriæ, Majores Domûs præfecit, ut observat *Fredegarius*. Amicitiam perpetuam cum Longobardis firmavit, quibus præerat *Adaluvaldus*, anno Christi sexcentesimo decimo octavo. Post Concilium Parisiense V. quod eô convocante celebratum est, Regiam Constitutionem edidit, de quâ superiùs diximus *Cap. III. Articulo I.* Tres uxores duxit, scilicet *Haldetrudem*, *Bertetrudem*, & *Sichildem*. Ex *Haldetrude*, suscepit *Meroveum*, qui puer occubuit, *Dagobertum*, quem Regem Austrasiæ instituit anno Christi sexcentesimo vigesimo secundo, & *Emmam* quæ nupsit *Eadbalda* Regi Cantuariorum. Ex *Bertetrude* suscepit *Charibertum*, qui patri superstes vixit, aliúmque filium, qui puer obiit anno Christi sexcentesimo decimo octavo, necnon *Enymiam*, quæ Deo virginitatem vovit. Nullam verò prolem reliquit ex *Sichilde*, quam habuit pro mœcha, ut *Fredegarius* testatur cap. 54. *Bosonem* enim *Audoleni* filium, de pago

Clotarii II. liberi.

Stampensi, jussit ab *Arneberto* Duce interfici, *reputans eum stuprum cum Regina Sichilde*. Cùm inter ipsum & *Dagobertum* filium disceptatio de Regni Austrasiani juribus orta esset, duodecim Francorum, tum Episcoporum, quos inter eminebat *Sanctus Arnulphus* Metensis Præsul, cùm Procerum arbitrio componendam permisit, ut constat ex Anonymo Scriptore Gestorum *Dagoberti* Regis, in Collectione *Duchesnii*. *Tomo I.* Ex hac vitâ discessit *Clotarius II.* anno Christi sexcentesimo vigesimo-octavo, cùm Monarchiam Francorum solus per annos sexdecim rexisset, pacem habens cum universis Gentibus vicinis, ut *Fredegarius* testatur, *cap.* 42. qui & ejus commendat patientiam, timorem Dei, cultum literarum, beneficentiam in Ecclesias, Sacerdotes, & pauperes, & benignitatem singularem, ipsi verò vitio vertit nimiam in venationibus assiduitatem, & quòd mulierum puellarúmque suggestionibus nimiùm annueret. Lutrensi* Monasterio in Diœcesi Vesontionensi, cujus Monachi sub *Sancti Columbani* Regula militabant, amplissimas facultates concessit, ut ex Vita *Sancti Deicoli* Abbatis constat, apud *Bollandum*, die 18. Januarii. Laudatur à Boiis, quòd in Boicis Legibus condendis, emendandisque tertius operam impenderit, ut ex Prologo *Dagoberti* constat. *Clotarii II.* corpus Parisiis in Ecclesia *Sancti Vincentii*, quæ nunc *Sancti Germani à Pratis* vocatur, conditum est. Ejus uxores duæ, *Haldetrudis*, & *Bertetrudis*, Rothomagi in Basilica Principis Apostolorum, quæ *Sancti Audoëni* ibidem quiescentis nomine appellatur, sepultæ sunt. Hæ Reginæ *Clotarii Primi* uxores perperam dicuntur in Vita *S. Audoeni*, apud *Surium* die 24. Augusti.

Clotarii II. virtutes & vitia.

* L'Abbaye de Lure.

ARTICULUS II.

De Dagoberto.

DAgobertus in Regnum *Clotarii* patris successit. Natus erat anno circiter sexcentesimo tertiô. Multa de eo narrantur ab Anonymo qui Gesta *Dagoberti* Regis Francorum scripsit, ab *Andrea Duchesnio* edita, quæ fabulam olent, & hoc nomine ab eruditis Historicis refelluntur. Quæ de cervo refert, qui insequente *Dagoberto*, in Basilicam *S. Dionysii* Catulliaci perfugerit, inter fabulas reposuit *Hadrianus Valesius lib.* 18. Quod de *S. Arnulfo* Metensium Episcopo ipsi in bajulum & Præceptorem à *Clotario* patre dato scribit idem Anonymus, falsi convincitur ex Auctore coævo qui Vitam *S. Arnulfi* scripsit. Is enim testatur *Dagobertum* non priùs *S. Arnulfo* commendatum fuisse, quàm Austrasiorum Regno præficeretur. Quô tempore annos undeviginti natus erat. Huic Auctori suffragatur *Fredegarius* Cap. 58. Quæ de *Sadragesilo* Duce à *Dagoberto* adhuc puero dehonestato idem Anonymus commemorat, & ex eo *Aimoinus*, aliique Historici, *Hadrianus Valesius* refellit *Tomo III. Rerum Francicarum, lib.* 18. Quàm multa, inquit, invenias in eâ narratione ridicula, absurda, ac ne veri quidem similia? An *Sadragesilus*, quô *Clotarius* Consiliario & adjutore principalium onerum uteretur, tam fatuus esse potuit, ut apud quos sciret Regibus filios succedere solere, vivô *Dagoberto Clotarii* filio, *Clotario* ipso quadraginta annis minore, Regnum Francorum speraret? Aut tam confidens & temerarius, ut Principis sui filium hæredémque contemneret? Quis putet *Dagobertum* puerum adeo paternæ Majestatis irreverentem fuisse, ut amico ejus ac Consiliario plagas imponi, barbam radi juberet? Aut etiam volenti ac jubenti quemquam obedire ausurum? Non Pædagogum puerilem animum mitigaturum, aut saltem atrocia aliquâ mandata elusurum? Non cæteros Optimates quotquot aderant, quamvis *Sadragisilo* inimicos, eum unâ voce deterrituros ne facinus admitteret, cujus Rex auctores ipsos esset habiturus? Præterea qui paulò ante audacter & magnô animô se à *Sadragesilo* vindicaverat, idem (si tamen idem dici potest adeo sui dissimilis) Patre reversô trepidus latebram quærit; solus, ac ne *Sadragisili* quidem flagellatoribus comitatus, per aliquot passuum millia fugit ab urbe Lutetia Parisiorum, aut à villa Clippiaco, *S. Dionysii* Basilicam petit. Moderatore ac omnibus Ministris suis vel inscientibus, vel abeuntem non retinentibus: & Regius Puer, tanquam servus Dominum iratum, aut mortem denuntiatam metuens, solâ se loci religione defendit: cum *Sadragesilum* querelam suam Regi deferentem occupare, & rationem facti reddendo patrem placare posset. Adjice jam satellites ad Puerum tanquam ad furem aliquem aut homicidam comprehendendum semel atque iterum missos; & Regem ipsum post multas minas plurimis comitantibus venientem &c. Fabulam itaque apage.

Fab. in.

Dagoberto Austrasiæ Regi à patre creato dati sunt ab eodem præcipui Consiliarii *Arnulfus* Metensis Episcopus, & *Pippinus* Major-Domûs, teste *Fredegario*. *Arnulfo* ad eremum profecto, *Dagobertus* in administrando Austrasiæ Regno usus est consilio *Chuniberti* Coloniensis Antistitis, ut *Fredegarius* tradit, *Cap.* 58. Defunctô Patre, Franciæ totius obtinuit Imperium, exceptâ Aquitaniæ parte; quam *Chariberto* fratri cessit.

Charibertus Vvascones: qui jugum Francorum ab aliquot annis excusserant, in suam potestatem redegit anno sexcentesimo trigesimo. Nec diu victoriæ suæ superstes fuit. Eodem enim anno mortuus est, anno circiter vigesimo tertio ætatis. Impuberem filium *Chilpericum* reliquit, quô brevi post patrem defuncto, *Dagobertus* Franciam obtinuit universam. Mox bellum Sclavis* intulit *Dagobertus*, infelici exitu. Eodem annô copias transmisit in Hispaniam, ut *Sisenando* adversùs *Senzilam* seu *Senzilanem*, qui *Suintbila* quoque nuncupatus est, suppetias ferrent, *Habundantius* & *Venerandus* exercitum Cæsaraugustam usque duxere; quorum auditô adventu, omnes Gothorum copiæ ad *Sisenandum* transierunt, eúmque Regem salutarunt. Sub idem tempus, Bulgarorum novem millia cum uxoribus & liberis ex Pannonia ab Avaribus expulsi, ad *Dagobertum* confugerunt, rogantes ut eis, aliquem in Gallia locum incolendum concederet. Quos in Bajoaria hyemare jussos, ad unum omnes interfici mandavit, veritus ne res novas molirentur. Anno superiore, Judæos omnes qui Christianam Religionem profiteri, & sacrum Baptisma suscipere noluerant, Regno expulerat. Id rogante *Heraclio* Imperatore factum scribit *Fredegarius*, quòd minùs verisimile est, cùm ex *Theophane* & *Cedreno* constet, *Heraclium* Judæos extra Provincias Imperii Romani non abegisse. Sin autem urbibus Imperii Judæos non submovit, quis *Dagobertum* ab illo rogatum credat, ut eos è Franciæ finibus expelleret? Vvascones perduelles & semper inquietos, anno Regni sui decimo-quarto domuit *Dagobertus*. Anno sequente, Vvasconiæ Seniores ad *Dagobertum* Clippiaci degentem supplices venere, ipsi, filiisque & Regno Francorum, fidem perpetuam juraturi. *Quod, more solito, sicut semper fefellerunt, ut post hac probavit eventus* (inquit, *Fredegarius*. Cap. 78.) Britonibus, nisi illata Francis damna resarcirent, & Francorum se dederent ditioni, minatus est se Burgundicum in Aremoricam exercitum immissurum, quod ubi denuntiatum est *Judicaili* Britanniæ Comiti, protinus Clippiacum ad *Dagobertum* se contulit cum muneribus; *Ibique veniam petens, cuncta quæ sui Regni Britanniæ pertinentes Leudibus Francorum inlicitè perpetraverant, emendandum spondidit, & semper se, & Regnum quod*

* Sclavorum Rex erat Samo, Francus, quondam negotiator.

Aremorica sub Francorum potestate.

quod regebat Britannia, subjectum ditioni Dagoberti, & Francorum Regibus esse promisit. Judicialem perperam Regem vocat *Fredegarius*, nisi forsan Regium nomen usurpaverit; quod de viro cujus ipse commendat religionem, vix credi potest. Tunc namque Comites, non Reges habebat Britannia minor jam inde ab obitu Clodovei Magni. *Semper Britanni*, (inquit, Gregorius Turonensis lib. 4 Cap. 4.) *sub Francorum potestate, post obitum Clodovei Regis fuerunt, & Comites, non Reges appellati sunt.*

Dagoberti vitia.

Justitiæ, pietatis, & temperantiæ, ad quas fuerat ab *Arnulfo*, *Cuniberto*, & *Pippino* Duce religiosissimo informatus, præcepta negligens *Dagobertus*, libidini & cupiditati supra modum indulsit, ex subditorum spoliis novos thesauros cumulare satagens, pluresque in deliciis habens puellas, seu Regio cultu, seu concubinatum nomine. Uxores duxit *Gomatrudem*, *Nanthildem*, *Ragnetrudem*. Ex *Gomatrude* prolem suscepit nullam. Quamobrem ipsâ ob sterilitatem repudiatâ, *Nanthildem* egregia forma puellam ex *Gomatrudis* Reginæ Ministris, conjugem accepit.

Nanthildis Dagoberti uxor Monialis non erat.

Monialem fuisse vulgò produnt Historici, quia excusi *Fredegarii* Codices *Puellam de Monasterio acceptam* habent. At in MS. *Fredegarii* Codice qui fuit *P. Sirmondi*, à doctissimo *P. le Cointe* in Annalibus laudato, & in MS. Cœnobii Metensis *S. Arnulfi* Chronico, & in MS. Codice *Thuano*, ab *Hadriano Valesio in Præfatione Tomi* 2. laudatis, Nanthildis *una ex puellis de Ministerio*, Reginæ utique *Gomatrudis*, dicitur. Quam lectionem genuinam esse & retinendam confirmant Auctores Chronicorum *S. Benigni*, & *Besuensis*. Cum *Nanthilde Vvulfgundem*, & *Berchildem* Regio cultu & nomine in deliciis habebat, & plurimas concubinas, ut testatur *Fredegarius*. *Nanthildi* superduxit *Ragnetrudem*, ex quâ filium suscepit *Sigibertum*, ex *Nanthilde* verò *Clodoveum*. S. Amandus postea Trajecti ad Mosam Episcopus, *Dagoberti* Nathan fuit, illúmque reprehendit ob libidinem, quæ toti Regno, imò Europæ universæ scandalo erat, & ob avaritiam.

S. Amandus Dagobertum reprehendit.

Impunè non tulit Apostolicam libertatem *Amandus*: Illum enim irâ commotus Princeps mox in exilium amandavit: quamvis Pœnitentia ductus ipsum anno sequenti revocaverit; ut *Sigibertum* filium sacrô Baptismate regeneraret: quod Aureliæ factum est. Infans quadraginta duntaxat dierum, *Amen*, respondit, ut *Baudemundus* in Vita *S. Amandi* testatur.

Dagoberti Pœnitentia.

Post hæc resipuisse creditur *Dagobertus*, cùm ad pietatis opera se totum applicuerit, erectísque Ecclesiis, patrocinium Sanctorum ambierit, & pauperibus eleemosynam supra modum erogaverit, ut delictorum veniam à Deo consequeretur. Basilicam imprimis *S. Dionysii* ad quintum à Lutetia milliarium magnificentissimè condidit, & amplissimis opibus locupletavit, Sanctorúmque Martyrum *Dionysii*, *Rustici*, & *Eleutherii* donatam corporibus, Monachis Benedictini Ordinis tradidit, qui perennem ibi psalmodiam, ut fiebat in Agaunensi Monasterio, celebrarent.

Fundatio Abbatiæ S. Dionysii.

Perennis in ea Psalmodia instituta.

Primum celeberrimi illius Cænobii Abbatem fuisse *Dodonem* probat *P. le Cointe* in Annalibus; & qui *Aigulfum* primum Abbatem inscripserunt, deceptos fuisse his Fredegarii verbis: *Psallentium ibidem, ad instar Monasterii sanctorum Agaunensium, instituere jusserat*, (Dagobertus) *sed facilitas Abbatis Aigulfi eamdem institutionem noscitur refragasse.* Quibus verbis non indicat *Fredegarius* tempus quô Regalem Abbatiam *Aigulfus* gubernavit, sed solummodò docet, ejusdem *Aigulfi* facilitate, vel remissiore disciplinâ factum esse, ut in Monasterio Sandionysiano non ampliùs observaretur ordo psallendi, quem Rex *Dagobertus* instituerat.

S. Dionysii Basilica à Dagoberto extructa non fuit intra muros urbis Parisiensis.

Sancti Dionysii Basilicam à Dagoberto extructam fuisse intra muros civitatis Parisiensis, ibique tumulum Sancti Dionysii fuisse, non quinto ab Urbe Milliario, recentiores quidam Hypercritici affirmarunt, freti testimonio *S. Audoeni* in Vita *S. Eligii*, scribentis, Eligium *Mausoleum S. Martyris Dionysii in Parisiensi civitate fabricasse. Et in eadem S. Dionysii Basilica sepultum esse Regem magnum & Inclytum Dagobertum.*

Joannes Launoius refellitur.

Quod & *Gregorii Turonensis* testimonio *lib. 5. Historia Capp. 33. & 35.* confirmant Basilicam & tumulum *S. Dionysii*, apud *Parisios* collocantis: & ex *Fredegario*, *Cap. 54.* commendare *Loca SS. Domni Medardi Suessionis, & Domni Dionysii Parisius*: Ex ex *Dynamio* in Vita *S. Maris* Bodanensis* Abbatis; quem Parisios profectum scribit, ut *S. Dionysii* limina visitaret.

* De Bevons.

Sed impropriè locuti sunt isti Auctores, & vocibus illis, *Parisius, in Parisiensi civitate, apud Parisios*, significarunt Parisiense territorium, non Urbem ipsam. Qui loquendi modus Historicis & Martyrologis solennis est. Sic *Gregorius Turonensis*, lib. 4. *De Miraculis*, *Cap. 6* vocat *Aredium*, *Lemovicina urbis Abbatem*; quamvis Attanum ubi *Aredius* Monasterium condidit, rexitque, leucis octo distet ab urbe Lemovicis. Sic *Avitus*, quem idem *Gregorius* lib. 5. Historiæ Cap. 6. *Abbatem Miciacensem* vocat, in Gestis Regum Francorum cap. 20. *Abba in Aurelianensi civitate* dicitur: quamvis *Miciacum* duabus ab Aurelianensi urbe leucis distet. Sic in antiquis Martyrologiis plerúmque legimus, Romæ in Cœmeteriis *Callisti*, *Prætextati*, *Pontiani*, *Priscillæ*, &c. sepultos esse Martyres, cùm tamen nullum in Urbe Cœmeterium fuerit. Sic apud *Helgaldum*, *Robertus* Rex qui Meloduni obiit, dicitur *Parisius deportatus & sepultus apud S. Dionysium juxta patrem suum*; *Hugonem* videlicet Regem; cujus tamen tumulus non Lutetiæ, sed quinto à Lutetia milliario, in Ecclesia *S. Dionysii* visitur, cum hâc inscriptione: *Hugo Capet Rex.* Itaque vox Parisius plerúmque pro agro pagóve Parisiensi sumitur. Lege Viros Eruditos, *Hadrianum Valesium* in Dissertatione *De Basilicis quas Primi Francorum Reges condiderunt*, cap. 8. Et *P. le Cointe*, *Tom. 2. Annalium* ad Annum 630. Num. IX.

Viri sanctitate insignes.

Regnante *Dagoberto*, Vitâ Sanctitate insignes floruerunt, *Audoenus* & *Romanus*, Rothomagenses Episcopi, quorum prior *Dagoberti* Cancellarius & Sigillorum Custos, alter ab intimis Consiliis fuit; *Eligius* Noviomensis, eidem Regi gratissimus, qui Solemniacense* Monasterium, nondum Episcopus, condidit; *Arnulfus* Metensis, quem *Dagobertus* Consiliorum habuit Moderatorem; *Remaclus* Monasterii Solemniacensis primus Abbas, *S. Amandus* Gandentium Apostolus, Gandensis* & Blandiniensis* Cœnobiorum conditor, & Trajecti* ad Mosam Episcopus; *S. Vvandregisilus** in aulâ *Dagoberti* Regis educatus, Fontanellensis Cœnobii in pago Rothomagensi postea conditor, & primus Abbas; *S. Goar* Aquitanus; *S. Richarius** Presbyter, Centulensis Monasterii* Conditor: de quo legendum *Chronicon centulense* Tomo IV. Spicilegii; *S. Desiderius* Cadurcensis Episcopus; *S. Paulus* Virdunensis Præsul, Sancta *Rusticula* Arelatensis Abbatissa, &c.

* Solignac.

* Gand.

* Blandin.

* Mastrich.

* S. Vvandr.

* S. Riquier.

Quod narratur de Serpente à S. Romano Archiepiscopo Rothomagensi domito. Viri Eruditi fabulam censent.

De Serpente inusitatæ immanitatis ad Sequanam in agro Rothomagensi stabulante, navésque demergente, homines pecudésque corripiente & trucidante, quem *S. Romanus* domuerit quæ vulgô narrantur, nonnulli fabulam putant, quod nihil horum in Vita *S. Romani* à veteri Authore scriptâ, quam *Nicolaus Rigaltius* in lucem edidit, nec in Breviarii Rothomagensis Lectionibus habeatur. Hanc de serpente à Sancto Antistite domitô narrationem inde compositam conjiciunt Viri quidam Eruditi, quod tumentes Sequanæ aquas ruptis aggeribus inundantes ac penè mergentes Rothomagum, in Christi nomine recedere, ac in alveum se recipere jusserit *S. Romanus*. Contigisse autem, ut pro inundatione illâ, quam Græcè ὄφιν dixisse fas erat, subsequentibus sæculis terribilem

sibilem excetram quis comminisceretur, sicut Poëtæ fabulati sunt in causâ Herculis; Nam teste *S. Isidoro Hispalensi* lib. XI. Originum, Cap. 3. *Dicunt hydram esse serpentem cum novem capitibus, quæ Latinè excetra dicitur, quod unò cæsò, tria capita excrescebant: sed constat hydram locum fuisse evomentem aquas vastantes vicinam civitatem, in quò, unò clausò meatu, multi erumpebant, quod Hercules videns, loca ipsa exussit, & sic aquæ clausit meatus: Nam hydra ab aqua dicta est.*

Dagobertus filium suum Sigibertum Austrasiæ Regem creat.

Dagobertus anno Regni sui duodecimo, Christi sexcentesimo trigesimo tertio, cùm Sclavi jussu *Samonis* in Franciam identidem excurrerent, & per Thoringiam agrósque vicinos grassarentur, ex Pontificum Procerúmque consiliô *Sigibertum* filium suum Austrasiæ Regem instituit, *Chuniberto* Coloniæ Antistite Sanctissimo, & *Adelgiso* Duce ipsi in Regni Administros datis, donec adolesceret, tractandísque negotiis par fieret, ut *Fredegarius* Cap. 75. testatur.

Clodoveum alterum filium suum Regni Burgundiæ & Neustriæ heredem instituit.

Obiit *Dagobertus* anno Christi sexcentesimo trigesimo octavo, ætatis circiter 35. cùm filium *Clodoveum* Regni Burgundiæ & Neustriæ hæredem dixisset, ipsúmque cum *Nantilde* Regina uxore sua *Ega* Majorisdomûs tuitioni commisisset, ac ditionis utriúsque Pontificibus & Optimatibus commendasset. Annum Regni decimum sextum numerabat. Hos annos alii à tempôre quo vivente Patre Clotario Rex Austriæ constitutus est, alii dumtaxat à Patris obitu numerandos existimant. Posteriorem sententiam quam secuti sunt recentiores ferè omnes, uno aut altero excepto, refellit *Hadrianus Valesius*, Rerum Francicarum lib. XVIII. ubi multis docet præferendam prioris calculi rationem. Valesio accedit *Carolus Cointius* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum Tom. II. & III. His subscripsit Dom. *Mabillonius* Præfatione in II. Sæculum Benedictinum, & in Dissertatione singulari *De anno mortis Dagoberti* I. *& Clodovei Junioris*, Tom. III. *Veterum Analectorum* editâ, & firmis argumentis ostendit annos Regni Dagoberti numerandos à tempore quo vivente Patre Rex Austrasiæ constitutus est. *Bollandi* verò Continuatores ejus annos numerandos contendunt ab obitu Patris. Utriusque sententiæ argumenta videri possunt apud Auctores. In Basilica *Sancti Dionysii*, quam condiderat, & ditaverat, quinto à Lutetia milliario, sepultus est. Visio quam Anonymus Gestorum *Dagoberti* Scriptor, & Auctores Chronicorum *Sanbenigniani & Besuensis* memorant, quæ etiam exhibetur intra Basilicam *S. Dionysii*, ad ipsius sepulchrum in lapide sculpta, ubi dæmones ipsum in cymba per mare agitantes, & Sancti de cælo descendentes, eumdémque è manibus dæmonum eripientes ac imprimis *Sanctus Dionysius*, repræsentantur, commentum existimatur à Viris Eruditis, fretis silentiô *Fredegarii*, qui suum Chronicon scripsit post annos viginti à morte Dagoberti, aliisque non infirmis momentis. Ad commendationem *Dagoberti* non minimum facit, quòd veteres Leges Francorum, Alemannorum, & Bajuvariorum recensuerit, & in melius transtulerit, Id constat ex Prologo præfixo Legibus Bajuvariorum, in Legum Antiquarum Codice, quem *Fridericus Lindenbrogius* publicavit. In Legibus Bajuvariorum cùm multa notatu digna sint, illud observatione dignissimum, quod de die Dominico sancitum est, Tit. 6. Cap. 2. *Si quis in die Dominico operam servilem fecerit liber homo, id est, si bovem junxerit, & cum carro ambulaverit, dextrum bovem perdat. Si autem sepem clauserit, fænum siccaverit, aut messem secaverit, aut collegerit, vel aliquod opus servile fecerit die Dominico, corripiatur semel vel bis; & si non emendaverit, rumpatur dorsum ejus L. percussionibus. Et si iterum præsumpserit operare die Dominico, auferatur de rebus ejus tertia pars; & si nec sic cessaverit, perdat libertatem suam, & sit servus, qui noluit in die sancto esse liber. Servus autem pro tali crimine vapuletur, & si non emendaverit: manum dextram perdat. Quia talis causa vetanda est, quæ Dominum ad iracundiam provocat, & exinde flagellamur in frugibus, & penuriam patimur. Et hoc vetandum est in die Dominico, ut quamvis in itinere positus cum carro vel cum nave, pauset die Dominico usque in secundam feriam.... Et qui hoc in itinere, vel ubicumque, observare neglexerit, cum XII. Sol. condemnetur.* Regum nostrorum qui his Legibus reformandis manum admoverunt, ac præcipuè *Dagoberti* religionem Caput istud commendat.

Visio fide indigna.

Leges à Dagoberto [illegible].

Religiosa Dominicæ diei observantia.

ARTICULUS III.

De Sigiberto III. & Clodoveo II.

I. *Sigibertus* post *Dagoberti* patris obitum regnavit in Austrasia, quam ab ipso vivente acceperat, *Pippino* Majoredomus Regni Administro, qui ab Auctore Vitæ ipsius, quem *Andreas Duchesnius* publicavit, dicitur *Vir probatissimæ vitæ ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, Consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis munimentum patriæ, Curia Ducum & disciplina Regum.* Beatus jure merito nuncupatur. Ipsi in munere successit filius *Grimoaldus*: quô rem administrante, bellum adversùs *Radulphum* Turingiæ Ducem rebellem à *Sigiberto* gestum est, parsque Turingici exercitus cæsa, vel captiva facta, cujus Dux erat *Farus* filius *Chrodoaldi*. Illustrior fuisset victoria, nisi consiliorum dissensio fuisset. Id contigit anno Christi 640. Dehinc pacatissimæ fuerunt *Sigiberti* ditiones. Vetuit ne absque suo consensu Episcopi Aquitaniæ primæ, quorum Diœcese ad Austrasiæ Regnum pertinebant, cum Metropolitano Bituricensi, cujus Episcopatus in Regno *Clodovei* situs erat, ad Synodum convenirent. Id constat ex ipsius Epistola 17. ad *Desiderium* Cadurcensem. Se totum pietatis operibus dedit *Sigibertus*: cujus pietatis monumenta Monasteria plurima sunt, quæ Regiâ munificentiâ extruxit. Celebriora sunt *Malmundariense* * in Episcopatu Coloniensi, & *Stabulense* * in Ardennæ finibus, in Episcopatu Trajectensi; *Sancti Martini* in suburbio Metensi; & *Casacongadunum* * in Episcopatu Trajectensi, ad amnem *Sesmarum*. * Stabulensis & Malmundariensis Cœnobiorum primus Abbas fuit *Sanctus Remaclus*. Sigibertus uxorem duxit *Immechildem*, ex quâ filium suscepit *Dagobertum*. Obiit anno Christi 654. & Metis in Abbatia *Sancti Martini in Campis*, quam erexerat, dotaveratque, sepultus est. Ad illam olim per totam Octavam Ascensionis frequens concurrebat populus, ut reliquias Sanctissimi Regis veneraretur: quibus nunc gaudet Primatia Nanceiana. * Annos vixit 24. regnavit annos 21. *Grimoaldus* Majordomûs Austrasiæ *Childebertum* filium suum Regem constituit, pulsô in exilium *Dagoberto Sigiberti* Regis filio, Regni legitimo hærede. At paucos post menses *Childebertus* & *Grimoaldus* exauctoritati sunt; *Grimoaldus* vitam in vinculis ac tormentis clausit.

B. Pippinus Majordomûs & Regni Administer.

Sigiberti Regis pietas.

Malmedy.

Stavelo.

Congnon.

La Simoy.

De Nancy.

II. *Clodoveus II. Dagoberto* patri successit in Burgundiæ Neustriæque Regna: quibus Austrasiæ Regnum, ejectô *Childeberto* Tyranno, *Grimoaldi* filio, post obitum *Sigiberti* fratris, adjunxit. Perduelles Vvascones domuit, ut ex Vita *S. Geremari* colligitur. Insigni fuit pietate, & in Ecclesiam paupere̊sque munificentiâ, Princeps. Monasteria *S. Crucis* Burdigalæ, & *Sancti Sergii* Andegavi condidit. Fossatense * & Longoretense * ditavit. Præceptum pro Cœnobio *S. Dionysii* dedit anno 653. quô Regalis Abbatiæ bona sarta tecta esse jussit. In eô commemorat

Clodovei II pietas.

Fossez, in Episcopatu Parisiensi.

Lonrey, in Episcopatu Bituricensi.

Privilegium Abbatiæ S. Dionysii à Clodoveo II concessum : Quâ conditione :

memorat Privilegium à *Landerico* Parisiensi Episcopo eidem Monasterio concessum. Eâ conditione Privilegium istud à Clodoveo concessum est, ut perennis Psalmodia in eo Cœnobio celebraretur quemadmodum fuerat à *Dagoberto* parente instituta. *Eâ videlicet ordine, ut sicut tempore Domini & Genitoris nostri, ibidem chorus Psallentium per turmas fuit instituta, vel sicut ad Monasterium S. Mauritii Agaunis, & S. Martini Turonis, die noctúque tenetur, ita in loco ipso per omnia futura tempora celebretur.* Habuit Regni Administros & Majores domus in Regno Neustriæ *Egam*, cui *Erchinoaldus* eô in munere successit : in Burgundia *Flaocatum*. Uxorem duxit *Bathildem*, ex quâ tres suscepit filios, *Clotarium*, *Childericum*, & *Theodoricum*. Quòd grassante fame argenteum tegumentum quô *Dagobertus* parens absidem sub quâ Sanctorum Martyrum *Dionysii* & Sociorum corpora quiescebant, conflari, & in pauperes erogari jusserit, nullô vituperiô, quin immò laude maximâ dignum est : cùm viva Christi templa lapideis sint anteponenda. Anonymus fabulator, * qui Gesta Regnum Francorum scripsit, *Clodoveum* in amentiam incidisse, & in omnem libidinem effusum mentitor. Quam fabulam Sandionysianus Monachus, qui Gesta Dagoberti & Clodovei Regum literis prodidit, & Anonymus *Fredegarii* Continuator, impudenter exscripserunt. Expertem amentiæ *Clodoveum* satis indicant ea quæ post *Sigiberti* fratris Austrasiæ Regis obitum prudenter æquè ac strenuè gessit. Obiit anno Christi 655. Vixit annos unum ac viginti, regnavit annos octodecim.

Clodoveus II. à calumnia vindicatur.

Cap. 45.

Viri sanctitate illustres.

Sigiberto III. & *Clodoveo II* regnantibus, sanctitate in Galliis floruerunt, *Babolenus* Monasterii *Fossatensis* * à Blidegisilo Parisiensis Ecclesiæ Archidiacono constructi primus Abbas ; *Audoënus* Rothomagensis, & *Eligius* Noviomensis, Episcopi ; *Sigirannus*, *Millepecensis* * Monasterii in Diœcesi Bituricensi, & *Longaretensis* * sub eodem Episcopatu conditor & primus Abbas ; *S. Salaberga* Monasterii Laudunensis *B. Mariæ*, quod postea *S. Joannis Baptistæ* dictum est, fundatrix, primáque Abbatissa ; *Sulpitius Pius* Bituricensis Episcopus, Cœnobii *Navensis* * quod *S. Sulpitii* postea dictum est & alterius Monasterii Virginum in urbe Bituricensi conditor & fundator, qui abdicatô Episcopatu, pauperibus sublevandis totum se consecravit. *S. Bonitus* Massiliæ Præfectus, *Hadoindus* Cenomanensis Episcopus, *Auroïnensis* * Cœnobii fundator ; *S. Baldomerus* * in Cœnobio Lugdunensi *S. Justi* sub *Viventio* Abbate Monachus, cui pia illa verba semper in ore versabantur : *In nomine Domini, Deo gratias semper.* S. Goësnovius Aremoricus, qui prope portum Brestium * ex munificentia *Comorri* Comitis insigne Monasterium erexit, cui nomen *Landt-Goëznou*. S. Fato Meldensis Episcopus, Monasterii Sanctæ Crucis prope Meldas, quod hodie *S. Faronis* * vocatur, fundator. *S. Rodingus* * Monasterii Bellilocensis * in Diœcesi Virodunensi conditor. *S. Jonatus* Cœnobii Marcianensis * in Diœcesi Attrebatensi à *S. Amanda* conditi primus Abbas. *Sanctus Mono* Martyr, qui in villa Nassonia * Diœcesis Leodiensis colitur. *S. Gratus* Cabilonensis Episcopus, qui munus Pontificale dimittens, secessit in cellulam, quâ per septennium inclusus, actioni pœnitentiæ vacavit. *Sancta Rictrudis* Parthenonis Marcianensis fundatrix, Beati *Adalbaldi* Ducis Vidua. *S. Bavo* Gandensis Anachoretha. S. Germanus ex Monacho Luxoviensi primus Abbas * Grandivallensis Cœnobii, in Diœcesi Vesontionensi. *S. Goar* Presbyter, qui apud Rusticum Trevirensem Episcopum accusatus, innocentiam suam miraculis tuitus est, & septennem pro eodem Episcopo in flagitium carnis lapsô, & infatuli ore proditô, egit pœnitentiam. *S. Furseus* * Latiniaci * Monasterii in agro Parisiensi conditor & primus Abbas, patriâ Hibernus. *S. Vuandregesilus* * Monasterii Fontanellensis * in Diœcesi Rothomagensi conditor & primus Abbas. *S. Geremarus* * Monachus & Abbas Pentalli * in pago Rothomagensi ad *Lirizinum* * Monasterii Iosulæ, & *Flaviacensis* * Cœnobii in Episcopatu Bellovacensi conditor. *S. Austreberta* Tatuanensis Virgo, Portensis ad Somonam Cœnobii Monialis & Præposita, *S. Framehildis* * filia *S. Gertrudis*, Hamaticensis * Abbatissa, *Rigomari* quondam uxor, ab altera *Gertrude* Virgine, Nivellensi Abbatissa distinguenda. *S. Vincentius S. Vualdetrudis* maritus, Monasterii Altimontensis * in Episcopatu Cameracensi conditor. *S. Frodobertus*, conditor & primus Abbas Monasterii Cellensis * in Diœcesi Trecensi. *S. Tancha* * Virgo & Martyr, & *SS. Serenus*, * *Blitarius*, & *Victor* Presbyteri, qui eadem quâ *S. Frodobertus* ætate, vitam in agro Tricassino degisse perhibentur. *S. Gislenus* plurium Monachorum sub Regulâ S. Basilii in Belgio Pater. *S. Emmeramnus* incertæ Sedis in Aquitaniâ Episcopus & Martyr. *S. Fiacrius* Hibernus, in Diœcesi Meldensi Eremita. *S. Lupus* Cabilonensis Præsul, S. Donatus Vesontionensis Antistes, Regulæ Monasticæ Auctor, quam Monasterio Virginum à matre Flavia condito tradidit. *Agrippanus* * Aniciensis * Episcopus & Martyr. *S. Romaricus* Abbas duplicis Monasterii Sancti Montis in Episcopatu Tullensi conditor, quod ab ejus nomine vocatur *Remiremont*. S. Lenogisilus * Buxiacensis * Abbas, in Diœcesi Cœnomacensi. *S. Malardus* Carnotensis Episcopus. *S. Annemundus* * Lugdunensis Episcopus & Martyr, *Sanctus Landericus* Parisiensis Episcopus. *Sanctus Gundelbertus* Senonensis Episcopus, Monasterii Senoniensis * in Episcopatu Tullensi conditor. De SS. Vvandregisilo, & Gundelberto, & conditis ab illis Cœnobiis, legenda sunt Chronica Fontanellense, & Senoniense, à D. Luca *Dacherio* edita Tom. III. Spicilegii.

S. Maur les Fossez. — Meobec. Louroy. — La Nef. — D'Yvron. — S. Garmier. — Brest. — S. Faron. — S. Rouyn. — Beaulieu. — Marchiennes. — Nassoin. — Granfel. — S. Fursi. Lagny.

S. Vvandrille. — S. Germer. Pentallium, sur la Riviere Lisle. Isle. Flaix. — Sainte Framencefe. Hamaage. — Haumont. — Moustier la Celle. — Sainte Tanche. S. Serein. S. Blier. S. Victor. — S. Aggrive. Du Puy. — S. Longis. La Boissiere. — S. Chaumont. — Senome.

ARTICULUS IV.

De Clotario III & Childerico II.

I. POst *Clodovei* Patris obitum in universa Francia solus regnavit *Clotarius*. sed agente *Bathilde* Regina Matre, Austrasiam cessit *Childerico* fratri anno Christi sexcentesimo sexagesimo. Defunctô *Erchinoaldo*, Majore-domûs, hoc munere auxit *Ebroinum*. Dona quæ *Clodoveus* ejus pater Monasterio Fossatensi contulerat, suo Præceptô statim confirmavit auxitque. Præcepto quoque suo confirmavit donationem terræ factam à *Clodoveo* Cœnobio Insulæ Germanicæ * prope Trecas. Corbeiense Monasterium cum *Bathilde* Regina Matre fundavit, multísque villis, domibus, silvis, pratis, pascuis, farinariis ditavit. Quâ de re extat ejus Præceptum *Tomo I. Conciliorum Galliæ*. Obiit anno Christi sexcentesimo sexagesimo nono, cùm annum Regni decimum-quartum ageret. Regnante *Clotario* Floriacense * Monasterium ad Ligerim conditum est * à *Leodeboldo* Abbate *S. Aniani*, ad muros Aurelianenses. Primus Abbas factus est *Rigomarus*.

Ile. — Fleury. Anno 656.

II. *Childericus II.* paulò post *Clotarii* fratris mortem, universâ Franciâ potitus est, *Theoderico* fratre juniore in Monasterium missô. *Theodoricus* à Regno dejectio : quod mensibus aliquot tenuit post obitum patris, ex odio Procerum in *Ebroinum* ortum habuit, qui ipsis non vocatis, *Theodericum* in Regnum levaverat. Superbiæ pœnas dedit *Ebroinus* : in Monasterium enim Luxoviense deportatus est exul, intercedente *S. Leodegario* Augustodunensium Episcopo, ut mors quam inferre volebant Neustriæ & Burgundiæ Proceres, exiliô ad Pœnitentiam agendam opportunô commutaretur. Hanc inimicô

jam tunc infensissimo gratiam fecit sanctissimus Præsul. Ista constant ex Auctore Anonymo, sed coævo Vitæ S. Leodegarii] *Ebroino* amandato & attonso, *Vvulfoaldum* ut priùs in Austrasia, sic & in Neustria, Burgundiáque Majorem-Domûs instituit. Maximâ tunc gratiâ pollebat apud *Chilpericum* S. Leodegarius, ejúsque consiliis Rex plurimùm deferebat. Sed gratiâ Regis postmodum excidit, hâc occasione. *Prajecto* Arvernorum Episcopo, & *Hectori* Patritio Massiliensium Comiti lis fuit; quòd *Hector Claudia* fœminæ Arvernæ filiam rapuisset, & prædia quæ *Claudia* Ecclesiæ contulerat, sibi reddi iniquè postularet. Causâ ad Regem delatâ, in partes Aula scissa est. *Vvulfoaldus* Major-domûs favit Episcopo, *Leodegarius* circumventus partes *Hectoris* ardentiori zelo tuitus est, sibique plurimorum Aulicorum aliter de *Hectore* sentientium invidiam atque odium concitavit. Causam vicit *Prajectus*. *Hector* Comes cùm in fugam se dedisset, captus, jussu Regis occisus est. *Leodegarius* secedere jussus Luxovium, ubi *Ebroinum* jam Clericum invenit, qui cum eo rediro visus est in amicitiam. Hæc ex Actis *Sancti Prajecti* constant. Alias addit causas Auctor anonymus Vitæ S. Leodegarii, quibus Regis animus in eum commotus sit. Ait imprimis *Childericum* à *Leodegario* sæpius objurgatum *cur Consuetudines patrias, quas converti in melius præceperat, tam subito immutasset: itemque quòd Regina, quam habebat conjugem, filia sui esset avunculi.* Deinde asserit eos, *qui justitiam cupiebant evertere, & indisciplinatè juvenilia opera Regis faciebant exercere*, Vvulfoaldo Majore-domûs ad suas partes attracto, mendacem fabulam de *Leodegario* & *Hectore* commentos esse, *quasi ideò venissent insimul conjuncti ut Regiam dominationem everterent, & potestati sibi jura vendicassent.*

S. Leodegarius à gratia Clodovei II. excidit.

Conjuratio in Childericum II. Merovingum.

Diu superstes non fuit *Childericus*: cùm enim Francos opprimeret, & *Bodilonem* virum nobilem ad stipitem vinctum contra Leges cædi crudeliter jussisset, seditionem in se concitavit. *Bodilo* cum aliis conjuratis ipsum occidit in Lauchonia sylva Calæ* villæ Regiæ proximâ. Confossa cum ipso est sicariorum gladiis Regina prægnans nomine *Bilihildis*. Ex ea alia alium filium susceperat nomine *Chilpericum*, qui ipsi superstes vixit, nec tamen paternam hæreditatem adiit ante annum Christi septingentesimum decimum quintum. Vixit *Childericus* annos unum & viginti, regnavit annos quatuordecim, levis ac temerarius Princeps Sepultus est cum uxore in Basilico *S. Vincentii*, quæ hodie *S. Germani à Pratis* nomen gerit. *S. Rodingo* Abbati Bellilocensis Monasterii Regale Præceptum pro ejusdem Cœnobii tuitione concessit, donatâ etiam villa quadam, cui nomen *Domeriaca*, cùm Austrasiæ tantùm Rex esset. Quod ex Vita *S. Rodingi* constat. Sandionysiano quoque Monasterio nonnullas contulit immunitates, ut Antiquitates illius Cœnobii docent.

Chelles.

Viri sanctitate insignes

Sub his Regibus sanctitatis præclarum nomen in Galliis adepti sunt *S. Nivardus* Remensis Episcopus, Monasterii Altivillaris fundator, cujus primus Abbas *Sanctus Beorcharius* Monachus Luxoviensis. *S. Leuconius** Trecensis Episcopus, Monasterii Puellaris S. Mariæ Trecensis conditor. *S. Bathildis* Regina Kalensis Monasterii amplificatrix & Monialis. *S. Bertila* ex Moniali Iotrensi* Kalensis Abbatissa. *S. Gertrudis* Virgo B. Pippini Ducis filia, Nivellensis Abbatissa. *S. Magnus** Episcopus Avenionensis. *S. Agilus* Abbas Monasterii Resbacensis* à *Sancto Audoeno* conditi in Episcopatu Meldensi. *S. Clarus* Abbas Monasterii S. Marcelli Viennæ. *S. Aldegundis* Virgo Trajectensis, à *S. Amando* velata. *S. Vvaningus** Fiscanensis Monasterii conditor *S. Godo** S. Vvandregisili nepos, Cœnobii Augiæ*. in Episcopatu Trecensi fundator & primus Abbas. *S. Gundebertus S. Nivardi* Remensis Episcopi frater, & Avennacensis* Parthenonis in eadem Diœcesi fundator. *S. Berta* ejusdem Monasterii Abbatissa. *S. Philibertus* Gemmeticensis* Cœnobii in Diœcesi Rothomagensi conditor ex munificentiâ *Clotarii III.* Regis & Christianissimi. *S. Austreberta* è Monasterio Portensi ad Pauliacense* Monasterium, quod quatuor leucis à Rothomago ab *Amalberto* viro potenti conditum est, regendum ab ipso Fundatore evocata. *S. Germanus* trium in Diœcesi Bisuntina Monasteriorum Abbas, scilicet *Sancti Ursicini** *S. Pauli ad insulam**, & *Grandivallensis**, idemque Martyr. *Sanctus Trudo** Presbyter Hasbaniæ* Apostolus, Sarchiniensis* Monasterii conditor & Rector, in Episcopatu Trajectensi: quod Cœnobium ab ejus nomine vocatur *S. Trudonis*. *S. Judocus** Presbyter, in Pontivensi* territorio Eremita. *S. Bodo* Tullensis Episcopus, conditor Monasterii, quod ab ejus nomine *Bodonis-Monasterium** appellatur. *S. Aurea* Parisiensis Monasterii à S. Eligio conditi sub nomine S. Martialis prima Abbatissa, quam aliquis inseitè confudit cum S. Aurea Virgine ac Martyre sub Alexandro Imperatore, quæ III. Sæculo vixit. *S. Hermelandus** è Monacho Fontanellensi Autrensis* Monasterii in Episcopatu Nannetensi à *Pasquario* Episcopo fundati primus Abbas. *S. Vincentianus* Confessor, qui in Diœcesi Lemovicensi colitur. *S. Audomarus* Episcopus Tarvannensis. * *Theodardus* Episcopus Trajectensis & Martyr. *Sancta Hunnegundis* Monasterii Humolariensis, Abbatissa, in Episcopatu Noviomensi. *S. Frembertus*, ex Monacho Fontanellensi Tolosanus Episcopus. *S. Prajectus** Avernorum Episcopus & Martyr.

Hautvillier. *S. Leugon.* *Jouarre.* *S. Magne.* *Rebais.* *Fescam.* *S. Gen. Y. Oye.* *Avenay.* *Jumieges.* *Pavilly.* *S. Ursitz. S. Paul. Zu Voord. Granfel.; S. Tron, Hesbaye.* *S. Josse.* *Le Pontiau.* *Bodon Monstier.* *S. Herbland. Aindre.* *S. Omer, Teroanne.* *Homblieres.* *S. Prix.*

Anno *Chilperici* Regis postremò, Christo sexcentesimo septuagesimo quarto, *Adeodato* Romano Pontifice. Translatio *Sanctorum Benedicti & Scholasticæ* ex Monte Cassino in Galliam facta est ab *Aigulfo* Monacho & Sociis. Corpus *S. Benedicti* in Monasterio Floriacensi depositum; corpus *Sanctæ Scholasticæ* Cœnomanensibus concessum. Hac de Translatione magna controversia est Cassinenses Monachos inter & Floriacenses, utrisque sacra pignora sibi vendicantibus. Favet Floriacensibus *Paulus Diaconus* capitalis Gallorum hostis, ac deinde Cassinensis Monachus circa annum Christi septingentesimum octogesimum octavum factus, *lib. 6. de Gestis Longobardorum*, cap. 2. ubi ossa S. Patriarchæ, & Sanctæ Sororis ejus in Gallias asportata memorat, licèt ejusdem carnes in pulverem redactæ apud Cassinenses manserint, quas postea *Cap. 40.* non dubitat *Corpus B. Benedicti* appellare. Idem testantur *Florus* Ecclesiæ Lugdunensis Subdiaconus in Additionibus ad Martyrologium Bedæ: *Vvandelbertus* Monachus Prumiensis, qui vixit sub annum Christi octigentesimum quadragesimum, in Martyrologio ad V. Idus Julii: *Ado Viennensis* qui floruit anno Christi octingentesimo septuagesimo, in Martyrolgio, ad eamdem diem: *Regino* Prumiensis Abbas *lib. 1. Chronicor.* quem scripsit anno Christi nongentesimo octavo; *Reginonis* coævus *Notkerus* Monachus Sangallensis in Martyrologio V. Idus Julias, *Adrevaldus Adone Viennensi* antiquior in libro singulari; Joannes VIII. Pontifex Romanus in Concilio Trecensi anno 878. *S. Odo* Cluniacensis Abbas, *Froduardus* Canonicus Remensis, &c. *Leo Ostiensis*, qui *Chronicon Cassinense* post annum Christi millesimum octogesimum octavum scripsit, hanc Translationem primus impugnavit futilibus argumentis, quæ refutata legere potes apud *Hugonem Menardum*, in Observationibus ad Martyrologium *Benedictinum* die 11. Julii, & Dom. *Joannem Mabillonium* Dissertatione prævia in Historiam Translationis Corporum S. Benedicti, & S. Scholasticæ in Galliam, in Sæculo secundo Benedictino.

Translatio S. Benedicti ex Monasterio Cassinensi in Floriacense.

ARTICULUS

ARTICULUS V.

De Theodorico III. & Dagoberto II.

I. THeodoricus *Childerici* frater natu minor, auditâ ejus morte, dimissus fuit è Monasterio *S. Dionysii* ubi fuerat inclusus, regnóque recuperatô, in villa Novingento resedit, teste Anonymo in Vita S. Leodegarii. *Dagobertus II. Sigiberti III.* filius, pulsus quondam in exilium post patris mortem, auditâ *Childerici* morte statim rediit in Austrasiam, rerumque potitus est. Tunc *Ebroinus* Luxovio egressus, in Neustriam contendit, *Leudesium* Majorem-domûs interemit, turbas excitavit maximas, *Pseudo-Clodoveo*, quem *Clotarii* quondam Regis filium confinxerat, & à cujus partibus stabat pars Austrasiorum, Rege proclamato adversùs *Theodoricum*. Hanc tamen factionem haud multò post deseruit, & à *Theodorico* Majoratum-domûs Regiæ, quem pridem sub *Clotario* gesserat, iterum recepit. Pristinæ dignitati restitutus, promulgatô mox Edictô, quæ flagrante bello, à quavis persona & quovis in loco, contra jus fasque fieri contigisset, perpetuæ dari voluit oblivioni, solósque auctores necis illatæ *Childerico* poscendos ad pœnam judicavit. Hoc prætextu *Gairinum* Comitem *S. Leodegarii* fratrem, & *Leodegarium* ipsum, adversùs quos inveteratam invidiam odiúmque fovebat, per calumniam oppressit. Lapidibus obrutus *Gairinus*: *Leodegarius* linguâ mutilatus, & in Fiscanensi Monasterium deportatus, ubi restitutô cœlitùs linguæ officio, Deum laudabat indeque eductus post biennium, *Chrodoberto* Comiti Palatii ab *Ebroino* traditus ad necem, coronam Martyri, ad quam frater ejus prævolaverat, accepit anno Christi sexcentesimo septuagesimo octavô. Lege Acta *Sancti Leodegarii* ab Anonymo scripta, & alia ab Ursino ejus æquali ad *Anjoaldum* Pictavensem Episcopum.

Ebroinus Major-domus S. Leodegarium & Gairinum Comitem ejus fratrem per calumniam opprimit.

Dagoberti II. munificentia in Ecclesias & Monasteria.

Dagoberti II. munificentia erga Monasterium Vveissemburgense, & Ecclesiam Argentoratensem*, à *Coccio* commendatur. Item erga Monasterium Horreense, quod *Irmina* ejus filia Treviris condidit, ibique Christo se cum aliis Virginibus consecravit. Hujus etiam liberalitate condita sunt *Surburgense* * *Regiopontanum* * *Haselacense*, *Scutteranum*, & *S. Sigismundi*. Ex *Mechtilde* uxore, quam in Hibernia duxerat, quinque suscepit liberos, *Irminam*, *Sigibertum*, *Ratbildem*, *Adelam*; & *Ragintrudem*. Obiit anno Christi sexcentesimo octogesimo, Regni sui septimo. Violentâ morte creditur periisse, quia bellum gessit adversùs *Theodoricum* Neustriæ Regem (ut testatur coævus Auctor, in Vita *S. Salaberga*) & ejus corpus in hostili mansit potestate, sepultúmque fuit Rothomagi à *Sancto Audoëno*, in Basilica *S. Petri*. Sublatus eodem tempore est *Sigibertus* ejus filius, quem *S. Argobastus* Argentinensis Episcopus ante aliquot annos à mortuis suscitarat.

Weissembourg.
De Strasbourg.
Surbourgh, Konigsbruck, Aslach, Schutter.

Extincto *Dagoberto*, *Martinus* & *Pippinus* Austrasianæ militiæ Duces contra *Theodoricum* Regem & *Ebroinum* acie ductâ, ut gentis injuriam, Regisque *Dagoberti* necem ulciscerentur, profligati sunt. *Martinus* per *Ebroini* dolum interfectus est. Anno Christi sexcentesimo octogesimo-septimo, *Pippinus* in *Theodoricum* Regem & *Bertharium* Majorem-domûs rursùs bellum movit. Prælium commissum est in loco qui dicitur *Textricio* * inter Quintinopolim & Peronam: Victi fugatique *Theodoricus* Rex & *Bertharius*: subsecuta mors ipsius *Betharii*, tum obsidio Parisiensis, deinde pax cum *Pippino*, qui Majoratum-domûs Regiæ in universâ Franciâ obtinuit ac deinceps exercuit. Legendi Anonymus in Historia Francorum jussu *Childebrandi* Comitis scriptâ, *Cap*. 100. Anonymus alter in Gestis Regum Francorum, *Cap*. 48. & Annales Metenses.

Terty.

Anno Christi sexcentesimo octogesimo nono, bellum contra *Radbodum* Frisiorum Regem à *Theodorico* Rege Francorum gestum est, *Pippino* Duce. Victus fugatúsque *Radbodus*, Francis cessit citeriorem Frisiam, in quâ Trajectum * erat. Frisiorum Regnum Oceano adjacebat, & à Rheno ad Eidoram * usque amnem protendebatur. Citerior Frisia Rhenum inter & Flevum, ulterior Flevum inter & Eidoram erat. De bello isto Frisico legendi Annales Metenses, & Acta *S. Suiberti*.

Bellum contra Frisios à Theodorico III confectum.
Utrech.
La Riviere d'Eider.

Theodorici III. munificentia erga Ecclesias & Monasteria plurima commendatur. Monasterium condidit in agro Rothomagensi, cujus primus Abbas fuit *Sanctus Sidonius* Monachus Gemmeticensis, quod hodiéque Sancti Sidonii appellatur, & Sanctimonialium est. *Adalrici* Ducis bona fisco suo adjudicata, Besuensi * Monasterio tradidit. Extat hujusce Donationis Diploma datum anno 677. die IV. Septembris. Locum in Diœcesi Suessionensi *Reolo* Remensi Episcopo dedit, ad Orbacense * Monasterium condendum. Præceptum dedit pro Monasterio Corbeiensi, quo *Eremberti* Abbatis factam à Monachis ex ipsorum cœtu electionem, ex *Theodofredo* Ambianensi Episcopo probatam; ratam habuit, anno Christi sexcentesimo nonagesimo nono. Bona Monasteriorum Malmundariensis & Stabulensis Diplomate firmavit, rogante *Goduino* Abbate. Vedastinum etiam Monasterium auxit ædificiis & reditibus, suámque munificentiam confirmavit, datô, ut moris erat, Immunitatis Præcepto. Monasterium etiam in honorem *Sancti Joannis Baptistæ* construxit in Monte intra muros urbis Morinensis, vel Taruanensis. Insigne Privilegium concessit *Sancto Audoëno* Rothomagensi Episcopo. Vetuit scilicet ne quis Episcopus, Abbas, Comes, aut Judex in totâ Provincia Lugdunensi secunda constitueretur præter eum, quem *Audoenus* aut elegisset, aut eligi consensisset. Id constat ex Codice MS. Fridegodi. *Agliberto* Cœnomanensium Episcopo privilegium concessit cudendæ monetæ, *Sancti Gervasii*, cujus titulô dedicata erat primaria Cœnomanensis urbis Ecclesia, & Regio nomine. Privilegium datum est Compendii, anno 685. Privilegium quoque ab *Agliberto* concessum Parthenoni Cœnomanensi confirmavit *Theodoricus*. *Innocentis* Cœnomanensi Episcopi temporibus, inter civitatem Cœnomanensem & Sartham fluvium erectum fuerat Monasterium Virginum, cui facultates suas *Haregarius* & *Truda* conjuges donaverant, iis legibus, ut Moniales peregrinos, qui *Sanctorum Gervasii* ac *Protasii* Basilicam ex remotis oppidis ac pagis adibant, hospitio exciperent, eorumdémque, si fortè in morbum inciderent, curam singularem haberent, ac præterea tergendis lavandisque ipsius Basilicæ ornamentis sedulò invigilarent. *Aglibertus* autem ejusdem civitatis Episcopus Moniales illas, quibus tunc *Adrechildis* ejus propinqua præerat, à prædictis oneribus exemit, ut divinæ contemplationi liberiùs vacare possent. Id Privilegii *Theodoricus* Regali Diplomate confirmavit apud Compendium, tertio Nonas Martii. *Amalfridi* etiam viri prædivitis, qui Monasterii Hunocurtensis * à se constructi donationem *Bertino* Sitivensi * Abbati, ejúsque Successoribus, sub certis conditionibus à se factam, traditione sui Testamenti confirmaverat, ratum habuit Testamentum, Edictô datô Kalend. Aprilis anno XIV. Regni, in Carisiaco Palatio, ut *Jacobus Malbrancus* ex membranis Sitivensibus observat, *lib*. 4. *De Morinis cap*. 19. Cùm *Sanctum Amatum* Senonensem olim Episcopum, & Monasterii Broilensis * in Diœcesi Tarvanensi Abbatem multis post obitum inclarescere

Theodorici III munificentia erga Ecclesias.
S. Saens.
Bése, in Episcop. Lingonensi.
Orbez.
Hunecourt, in Episcop. Cameracensi.
Sitiu in Episcop. Taruanensi.
De Breul.

inclarescere Theodoricus vidisset miraculis, irrogatæ ipsi injuriæ supplex ad ejus sepulchrum veniam petiit; quòd scilicet *Ebroini* consiliô ipsum in exilium ejecisset, & Broilensibus Monachis multa bona contulit. *Marcoli* * seu *Maraculi*, vici Attrebato * milliari cum dimidio distantis, Attrebatenses Episcopi, ex *Theodorici III.* concessione, temporales Domini sunt. Monasterium tandem *Sancti Martini* prope muros Turonenses situm ditavit, ut constat ex Diplomate dato IV. Kal. Julii, Regni ipsius XIII.

Marœuil. D'Arras.

Obiit *Theodoricus III.* anno Christi sexcentesimo nonagesimo primo. Vixit annos triginta novem. Regnavit novemdecim. Ex *Clotilde* conjuge tres filios suscepit: *Clodoveum*, *Childebertum*, & *Clotarium*. Illius Epitaphium, quod Attrebati in Monasterio *Sancti Vedasti* legitur, *Dodam* ipsius uxorem vocat, eúmque obiisse tradit anno Christi sexcentesimo nonagesimo-quarto. Ad Epitaphium istud Auctoris esse longè recentioris probat *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum *Tomo IV.* quòd componatur octo versibus Leoninis ob insignes hemistichiorum rhythmos adeo excellentibus, ut illud post ætatem Leonii Regularis ante annos circiter quingentos in Abbatia Parisiensi S. Victoris Canonici, verisimiliùs sit exaratum.

Theodorico III. & *Dagoberto II.* regnantibus, sanctitatis famâ in Gallis celebres fuerunt *Condedus* Presbyter & Monachus Fontanellensis, insignis Monasterii in Belsinnaca Insula conditor & primus Abbas. *S. Arbogastus* Argentinensis Episcopus, qui *Sigibertum Dagoberti II.* Regis filium adhuc puerum, in venatione ab apro percussum, & calcibus equi protritum, occisúmque suscitavit. *Florentius* Monachus, & *Arbogasti* in Sede Argentinensi Successor, qui filiam ejusdem Regis à nativitate cæcam & mutam sanavit. *Sanctus Genesius* * Lugdunensis Episcopus. *S. Vincentius* Abbas Sonegiensis * in Episcopatu Cameracensi * *Sanctus Agilbertus* Parisiensis Episcopus. *S. Calmelius* * Monasterii Mauziacensis * in Episcopatu Arvernensi, & Calmeliacensis * in Episcop. Aniciensi conditor, quod hodie *S. Theofredi* nomen gerit. *S. Siviardus* Abbas Anisolensis. * *S. Berarius* Episcopus Cœnomanensis. *S. Humbertus* Abbas Maricolensis * *S. Vulfrannus* Episcopus Senonensis, dimissô deinde Episcopatu, Fontanellensis Monachus, & Frisiorum Apostolus. *S. Sacerdos* * Lemovicensis Episcopus. *S. Ansbertus* ex Fontanellensi Monacho Rothomagensis Archiepiscopus. *S. Angadrisma* * *Sancti Ansberti* quondam sponsa, *Oratorii* * in Episcopatu Bellovacensi Abbatissa. *S. Aldegundis* Melbodiensis * Monasterii in Episcop. Cameracensi conditrix, primaque Abbatissa. *Sanctus Deodatus* Nivernensis Episcopus, vitæ deinde solitariæ Professor, & Monasterii *Juncturarum* * in Episcopatu Tullensi conditor. *Sanctus Mummolinus* Episcopus Noviomensis & Tornacensis. *S. Flaccus* seu *Flaccellus* Presbyter Cœnomanensis, Monialium Monasterii *Sanctæ Scholasticæ* Pater Spiritualis. *Sanctus Bercharius* Martyr, trium Monasteriorum conditor, scilicet *Pullarum* * in Episcopatu Tricassino, *Altivillarensis* * in Remensi, & *Dervensis* * in Catalaunico. *S. Bertulphus* Monasterii San Dionysiani apud *Rinsicam* * seu *Rentiacum* primus Abbas, in Diœcesi Tarvanensi. *Sanctus Vigilius* Autisiodorensis Episcopus & Martyr. *Sanctus Salvius*, Monasterii quod ipsemet in honorem B. Mariæ Virginis & Principis Apostolorum erexerat, ex Monacho Abbas, & Ambianensis postea Episcopus. Sancta Bertilia, quæ cum Guthlando conjuge castitatem servavit. *Sanctus Balduinus* Diaconus Laudunensis & Martyr. *Sancta Vvaldetrudis* Castrilocensis * Abbatissa *S. Avitus* Arvernensis Episcopus. *S. Desideratus* Ruiriacensis Abbas in Diœcesi Bituricensi.

Viri sanctitate illustres. S. Genis. S. Agny. S. Camery. Mauzac. S. Chaffre. Anille. Maroilles. S. Sadou. Angadresme. D'Oroir. Maubeuge. Bas Jointures. S. Flaceau. Pellemonstier. Haut-villiers. Monstier-en-Der. Renty. Chasteau-lieu.

Sanctus Leufredus conditor & Abbas Monasterii ad Aucturam fluvium, in Diœcesi Ebroicensi, in eodem loco ubi Sancto Audoëno Rothomagensi Episcopo Clippiacum * eunti Crux olim cum multô splendore apparuerat. Monasterium in honorem vivificæ Crucis & SS. Apostolorum, ac S. Audoëni conditum est. Cui nomen primum fuit *Crux Sancti Audoeni* per aliquot sæcula, postea *Crux* * *S. Leufredi* ad hodiernum usque diem. *S. Amatus* Senonensis Episcopus. *S. Landrada* Belisiensis Monasterii in Episcopatu Trajectensi fundatrix & prima Abbatissa. *Sancti Landelinus* & *Ursmarus* Lobienses * Abbates, in Episcopatu Cameracensi. *Sancta Maxellendis* ob virginitatis votum sanguine obsignatum in territorio Cameracensi conspicua. *S. Gerebaldus* * Bajocensis * Episcopus, *Liberaci* * Monasterii conditor. *S. Hildevertus* Meldensis Episcopus. SS. *Cumbertus* Coloniensis, *Arnulphus* Metensis, *Remaclus* Tungrensis, *Modoaldus* Trevirensis, Antistites, qui Regum nostrorum Aulam sanctitatis suæ radiis illustrarunt. De quibus antiquus & eruditus Scriptor *Stephanus* Leodiensis Abbas, in Vita *Sancti Modoaldi* Trevirensis Episcopi, apud *Surium*, die XII. Maii, sic loquitur Cap. IX. *Considerari nunc libet, quale erat illud tempus, quam acceptabile, quam serenum, quando Regibus quidem Regnantibus, sed Reges, cum Regno, justis & timoratis Viris regentibus, justitia, fides, veritas, modestia cæteraque artes bonæ, tam in bello, quam in pace custodiebantur: quando ad lineam æquitatis divina omnia regia potestatis negotia dirigebantur. Quale, quam sanctum erat illud Palatium, ex quo tam claros, tamque illustres suscipiebat Ecclesia Sacerdotes! Ex quo procedebant sectatores, non Simonis, sed Petri: non mercenarii, sed veri Ministri Christi, & qui Curias Regum non quærerent, sed potius à Regibus quærerentur: non ipsi honores per ambitionem appeterent, sed magis oblatos per humilitatem refugerent. Ex quorum numero (erant enim plurimi) fuit Arnulphus Metensis, Cumbertus Coloniensis, Tungrensis Remaclus, Trevirensis noster Modoaldus.*

Clipy. La Croix S. Leufroy. Lobbes. S. Gerbold. Bayeux. Livray.

ARTICULUS VI.

De Clodoveo III. & Childeberto III.

I. CLodoveus, *Theodorici* Regis filius natu maximus patri successit. Anno primo Regni sui Donationes ad illum usque diem Sitivensi Monasterio factas, rogatus à *Bertino* Abbate, datô Præcepto confirmavit. Ejusdem Præceptum pro Monasteriis Stabulensi & Malmundariensi, refert *P. le Cointe*, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum Christi 673. Condatescensi Monasterio in Diœcesi Lugdunensi, quod hodie *S. Claudii* vocatur, multa dona restituit, multásque pensiones à Decessoribus Regibus concessas. Erga Monasterium *S. Arnulphi* prope Metas munificus fuit. Obiit anno Christi sexcentesimo nonagesimo quarto, ætatis decimo-nono, Regni secundo, absque prole.

II. *Childebertus III.* hæreditario jure fratri successit. Ejus erga Monasterium Fontanellense munificentiam commendat ejusdem Cœnobii Chronicon. Castrum de *Rubulis* * Ecclesiæ *S. Luciani* Bellovacensis concessit, ut refert *Louvetus* lib. 2. *Histor. Bellovacensis*, cap. 7. *Solemium* * villam in pago Falmarcensi * ad Sabim * positam Sandionysiano Monasterio contradidit, ut ex Sandionysianis Antiquitatibus constat. Privilegia Monasterio *Sanctorum Sergii & Bacchi* in Episcopatu Andegavensi à Decessoribus Regibus concessa confirmavit. Præceptum eâ de re datum *Sammarthani* Tomo IV. Galliæ Christianæ describunt. Obiit anno Christi septingentesimo undecimo, ætatis circiter trigesimoquinto, Regni decimo-

De Bulles. Solemmes. Famars. La Sambre. S. Serge.

Chaussy sur Epte.

decimo-septimo. In *Causiaco* * Monasterio sepultus est. Filium unicum *Dagobertum III.* Regni reliquit hæredem. *Vir inclitus*, & *Rex Justus* prædicatur in Gestis Regum Francorum, in Genealogia Regum Francorum edita ab *Andrea Duchesnio*, Tom. I. quæ desinit in filiis *Ludovici Pii*, & in Gestis Abbatum Lobiensium à *Fulcuino* conscriptis. Quo encomio satis refelluntur ii, qui *Childebertum III.* desidem, ignavum, pusillanimem, ac Regem titulò tenùs fuisse fabulantur.

Pipini Majoris-Domus auctoritas.

Sub Regum istorum Principatu maxima fuit in Regno Francorum *Pipini* Majoris Domûs auctoritas. Qui gerendæ Reipublicæ peritiâ, bellicâ fortitudine, munificentiâ erga Ecclesias & Monasteria, reverentiâ & humanitate erga Episcopos, Religiosósque, viros omnium amorem sibi conciliavit, viámque posteris suis aperuit ad Regnum. *Plectrudem* uxorem duxit, quâ repudiatâ, superinduxit *Alpaidem*: ac demum illicitorum pœnitens amorum, *Plectrudem* uxorem legitimam revocavit, fœminam pientissimam.

Bello contra Suevos seu Alemannos fœliciter confectô, obiit anno Christi septingentesimo decimo quarto, *Dagoberto III.* regnante. Suscepit quatuor filios, *Drogonem* & *Grimoaldum* ex *Plectrude*, *Carolum*, & *Childebrandum* ex *Alpaide*. Luxit mortem *Drogonis* & *Grimoaldi*; Priorem amisit anno Christi septingentesimo octavo, posteriorem paulò ante obitum suum. Reliquit igitur superstites duos tantùm filios, *Carolum* & *Childebrandum*. Sex verò nepotes, *Hugonem*, *Arnoldum*, & Anonymum, filios *Drogonis*: *Theudoaldum* filium *Grimoaldi*: *Carolomannum* & *Pippinum* filios *Caroli*.

Viri sanctitate insignes.

Utrech.

Clodovei III. & *Childeberti III.* temporibus sanctitate insignes floruerunt in Galliis S. *Vvillebrordus* Trajectensis * Episcopus, & Frisiorum Apostolus. S. *Edilburga*, Annæ Anglorum Orientalium Regis filia, Brigensis Monasterii cui postea nomen *Sanctæ Faræ* inditum, in Episcopatu Meldensi Abbatissa. *Earcongotha* Virgo, *Ercomberti* Cantiæ Regis filia, ejusdem Monasterii Monialis. S. *Claudius*, Jurensis Abbas ex Bisuntino Præsule. S. *Eustadiola* Bituricensis Abbatissa. SS. *Reolus*, & *Rigobertus* Remenses Episcopi, quorum posterior ærarium commune Canonicis primus instituit, palmámque cæteris præripuit, qui similiter per Galliam reformationi Canonicorum incubuerunt. *Tillo* Solemniacensis Abbas, & deinde Anachoreta. *Bonitus* ex Arvernensi Episcopo Magnilocensis * Monachus. S. *Agricolus* * Avenionensis Episcopus. *Veredemus* ejusdem Sedis Episcopus ex Anachoreta. *Notburga* Virgo in Monasterio S. *Mariæ* apud Coloniam Agrippinam Sanctimonialis. S. *Gaudinus* Suessionensis Episcopus & Martyr. S. *Odilia* Hohemburgensis * Monasterii in Episcopatu Argenturatensi Abbatissa. S. *Ebregesillus* Meldensis Episcopus. S. *Ildevertus* Centulensis * Abbas, qui Gornaci * in Ecclesia Collegiata quiescit, solennique festo colitur tum V. Martii, tum XXV. Augusti: A S. *Ildeverto* Meldensi Episcopo distinguendus, qui apud Gornacum, ubi vivus Ecclesiam construxerat, sepultus fuit, septimo à Meldis lapide, & colitur septimo Kalendas Junii in Martyrologiis Gallicano ac Benedictino. S. *Adela* Vidua, *Dagoberti II.* filia; Palatiolensis prope Treviros Monasterii fundatrix, primaque Abbatissa. S. *Erminus* Monachus Lobiensis. S. *Hidulphus* Dux. S. *Oda*, *Boggis* Aquitanorum Ducis vidua, & S. *Huberti* Leodiensis Episcopi amita. S. *Aulus* Vivariensis Episcopus, S. Landricus Sonegiensis * Abbas. S. *Autbertus* Episcopus Abrincensis, cui apparuit S. *Michael* Archangelus, monuitque ut Ecclesiam Deo in ejus honorem construeret in loco maris, qui propter eminentiam *Tumba* vocabatur; qui locus à posteris dictus est *Mons S. Michaëlis* in procella

Maulion.
S. Agricol.
Homburg.
S. Riquier, in Episcop. Ambianensi.
Gournay, in Diœcesi Rothomagensi Oppidum.
Soignies.
Avranches.

maris, vel in periculo maris, aut in Tumba. Hanc Apparitionem commemorat *Sigebertus ad* annum *Childeberti III.* Regis duodecimum, qui Christi septingentesimus sextus fuit. S. *Lambertus* Trajectensium ac Leodiensium Episcopus, & Martyr. S. *Tetricus* Autissiodorensis Episcopus, & Martyr. S. *Suibertus*, Episcopus, qui prædicato in Frisia, in Hollandia, in Dania Evangelio, ad *Pippinum* Majorem-Domûs Regis Francorum Coloniam venit, ab eóque & ejus uxore *Plectrude* vicum *Vverdam* obtinuit, ubi Monasterium ædificavit, in quo vixit, præfuitque usque ad obitum. Locus ille posteris temporibus dictus est *S. Suiberti insula*, hodie *Cæsaris Insula* nuncupatur, vulgò *Keyserswert*.

CAPUT VII.

De Hispaniæ Rebus Sæculo VII.

ARTICULUS I.

De Liuva, Vvitterico, & Gundemaro Hispaniæ Regibus.

I. RECCAREDO patri in Regnum successit *Liuva*, non impar ipsi futurus nisi *Vvitterici* proditione intra biennium periisset.

II. Eô sublatô, Regnum occupavit parricida, factionis armis sublevatus, annísque sex, mensibus decem administravit, non absque bellicæ fortitudinis laude. Romani siquidem reliquias exercitus, ad *Segontiam* in Celtiberis profligavit. Sed cùm ipsum de Ariana secta restituendâ consilia agitare fama vulgasset, à conjuratis impetu in Regiam factô trucidatus est, ejúsque cadaver per plateas unco tractum.

III. *Gundemarus Vvitterico* occisô, Regnum obtinuit, Francorum viribus adjutus, ut *Mariana* conjicit ex annuo vectigali, quod Francis à *Gundemaro* solvi solitum probat ex *Bulgaram* Comitis Galliam Gotticam pro Rege eâ ætate gubernantis literis, quæ *Compluti* & *Oveti* inter veteres Schedulas servantur. *Gundemarus* Vascones rebellantes coërcuit, & Romanas copias, felici belli exitu lacessivit. Obiit anno Christi sexcentesimo duodecimo, cùm annos duos non integros regnasset, nullâ prole relictâ.

ARTICULUS II.

De Sisebuto, Suinthila, & Rechimiro Regibus.

I. *Gundemaro* Procerum suffragiis suffectus est *Sisebutus*, Belli & pacis artibus, religionisque amore eximius Princeps. Astures, Rucconésque perduelles domuit & parere compulit. Romanorum reliquias bis collatis vexillis vicit, urbésque non paucas illis ereptas in suam redegit potestatem in Bætica & Lusitaniâ. Victoriæ gloriam laus clementiæ cumulavit, hostibus magno numero qui ab ipsius militibus capti erant, in libertatem restitutis pretióque redemptionis ex Regio ærario iisdem militibus numeratô. *Cæsarius* Patritius, qui rem Romanam in Hispania gubernabat, pacem à *Sisebuto* impetravit, sequestre *Cæcilio* Mentesano Episcopo. *Heraclii* Imperatoris hortatu, Judæos in suis ditionibus degentes minis & suppliciorum metu ad Christianam Religionem amplectendam, suscipiendúmque Baptismum coëgit, lege latâ, quæ in Gotthicarum Legum Volumine legitur: Verùm factum istud Antistitibus haud probatum est. *Eusebium* Barcinonensem Episcopum à Sede dejecit *Sisebutus*, aliúmque in ejus locum substituit, ut testantur ejus Literæ à Mariana laudatæ,

Sisebutus Judæos cogit ad Religionem Christianam amplectendam.

quòd in Theatro quædam ab histrionibus agi permisisset, quæ ex Ethnica superstitione traducta, Christianam pietatem offendebant. Templum S. Leocadiæ nomine Toleti construxit. Ejus auctoritate Hispalense Concilium convocatum est. Obiit Princeps de Religione & Republica benè meritus anno Christi sexcentesimo Vigesimo-primo, cùm annos octo, menses sex, diebus sexdecim regnasset. Filium hæredem Regni reliquit *Reccaredum*, ætate puerum, qui tribus duntaxat mensibus patri superstes vixit.

II. Eô sublatô, *Suinthila* Magni *Reccaredi* filius, Procerum suffragiis, Regnum conscendit. Quod adeptus, Vvascones gentem ad tumultus & seditiones pronam, Taraconensis Provinciæ fines ferrô flammâque vastantem coërcuit, urbemque *Ologitum* suis sumptibus ædificare jussit. Romanos Hispaniæ possessione decedere penitùs compulit. Anno Regni sui quinto, Christi sexcentesimo vigesimo sexto, *Rechimirum* filium Regni consortem declaravit. Quô factô cùm Gotthorum mores & jura everterentur, quibus Regnum populi suffragiis deferebatur ab antiquo, gentis animi ab eô maximè sunt abalienati. Vitia, quibus frænum laxavit, invidiam auxerunt. *Sisenandi* factione, cui *Dagobertus* Rex Francorum favit, missis *Abundantio* & *Venerando*, cum firmissimis Burgundionum copiis, cum *Rechimiro* filio, & *Theodora* uxore Regno expulsus est, quòd decem annis tenuerat, anno salutis sexcentesimo trigesimo primo. *Suinthila* regnante, sanctitate in Hispaniis floruerunt *Joannes* Cæsaraugustanus Episcopus, *Vincentius* S. Claudii Legionensis Abbas, ob defensionem fidei ab Arianis occisus, & S. *Ramirus* ejusdem Cœnobii Monachus.

ARTICULUS III.

De Sisenando, Chintila, & Tulga.

I. *Sisenandus* exauctorato *Suinthila*, quò Regnum sibi firmaret, Religionis prætextum popularibus obtendere decrevit, quô nihil est in speciem fallacius. Ideo convocatâ Toletum Nationali Synodo, specie restaurandæ disciplinæ, *Suinthila* Acta reprobari curavit communi Decreto, sibique Præsulum, Procerum plebisque fidem adstringi. Obiit anno sexcentesimo trigesimo-quinto, cùm annis tribus, mensibus undecim, diebus sexdecim regnasset.

II. Congregatis Comitiis, in ejus locum *Chinthila* Rex creatus est. Electionem suam, inaugurationémque duplici congregatâ Synodo confirmari curavit. Obiit anno salutis sexcentesimo trigesimo nono, nullâ re gestâ ad memoriam insigni. Regnum summâ pace administravit annos tres, menses octo, diebus novem. His temporibus *S. Isidorus* Hispalensis Præsul, *Eugenius II.* Toletanus Episcopus, & *Braulius* Cæsaraugustanus, sanctitatis laude florebant.

III. Chintilæ *Turga* Procerum suffragiis subrogatus est, Princeps bello strenuus, consiliô bonus, liberali ingenio, & profusâ in egenos beneficentia. Falsò scripsit *Sigebertus* Gemblacensis, ipsum ingeniô levi fuisse, vitiorum licentiâ suorum animos exacerbasse; demum à subditis Regno pulsum. *Sancti Ildefonsi* coævi Scriptoris auctoritate refellitur. Obiit *Tulga* præmaturâ morte, juventute florente, anno Christi sexcentesimo quadragesimo primo, Regni III. per quatuor menses inchoato.

ARTICULUS IV.

De Chindasuintho, Reccesuintho, Vvamba, & Ervigio.

I. *Chindasuinthus*, Tulga defunctô, Regnum vi atque armis occupavit, gessit optimè, inaugurationis vitium probitate, justitiâ, prudentiâque compensans. *Tajum* Cæsaraugustanum Episcopum Romam misit ad *Theodorum* Romanum Pontificem, ut *S. Gregorii Magni* Commentaria in libros *Job.* S. Leandro Episcopo Hispalensi olim nuncupata, quorum exemplaria in Hispania exciderant, fideliter descripta referret. Filium *Flavium Reccesuinthum* Regni consortem declaravit anno Christi sexcentesimo quadragesimo octavo. Solus Rempublicam gubernavit annos sex, menses octo, dies viginti. Vixit exinde annos tres, menses quatuor, dies undecim. Quod tempus in filii Regno ponitur, quòd ob affectam patris ætatem solus ipse Regnum gubernaret. *Chindasuintho* jubente, Concilium Toletanum Septimum celebratum est. Eo regnante, celebre fuit *Fructuosi* nomen. Is Regio Gothorum sanguine oriundus, *Tonantii* Palentini Episcopi præceptis ad pietatem institutus, ad Virgidunensem tractum, in solitudinem se abdidit. Ubi Cœnobium ex suo patrimonio extruxit *Justi & Pastoris* Martyrum nomine. Alia præterea Monasteria condidit vir sanctissimus, qui ex Abbate Complutensi Dumiensis Episcopus factus est, ac deinde ad Bracarensis Ecclesiæ regimen translatus.

Celebre S. Fructuosi nomen.

II. *Reccesuithus* Vvasennes, qui in vicinas Provincias populabundi irruperant, bellô domuit, Octavum, Nonum, Decimumque Concilium Toletanum, ac Emeritense congregavit, Gotthorum Leges emendavit, novísque auxit Sanctionibus. Iis temporibus Saraceni in Africa grassabantur, in quâ profligatis Romanis, novum Imperium constituerunt. Reges qui non modò Rempublicam, sed etiam Religionem, ex gentis moribus, curabant, *Miramolini* vocati sunt. Quæ vox *Credentium Principem* significat. In Asia verò ejus nationis Principes *Caliphæ* dicebantur. *Reccesuintho* regnante, floruit *S. Ildefonsus.* Floruit & *Sancta Irene* Virgo Lusitana, quæ ab insano amatore *Britaldo*, cujus nuptias illa contempserat, interfecta, Virginitatis gloriam Martyrii palmâ cumulavit. Obiit *Reccesuinthus* Kalendis Septembris, anno Christi sexcentesimo septuagesimo secundo. Regnavit, ex quo à Patre consors Imperii factus est, annis viginti tribus, mensibus sex, diebus undecim; solus autem annis viginti duobus, unô mense minùs.

III. *Reccesuintho* absque prole defunctô, *Vvamba* vir nobilitate conspicuus, & bello strenuus, Procerum suffragiis Rex renuntiatus, imperium ægrè suscepit. Regni ejus initio Vvascones rebellarunt, *Hilperico* Nemausi Comite belli civilis incentore. Adversùs perduelles missus cum ingenti delectu *Paulus*. Reccesuinthi Regis propinquus, magno vir ingenio, magnóque rei militaris usu, à *Vvamba* ipse defecit, factionisque tumultuosis vocibus inter arma Rex acclamatus est. Duxit contra Tyrannum Rex Vvamba, urbésque ab ipso cùm in Catalaunia, tum in Gallia Gotthica occupatas, expugnavit, recepit; perduellium exercitum profligavit, *Paulum* Regni insignia ponere compulit. De Conjuratis sumptum supplicium mansuetudine temperatum. Rex Tolotum reversus, sextô mense ex quô inde discesserat triumphali pompâ susceptus est. De hâc Vvambæ Regis expeditione legatur *Juliani* Toletani Episcopi Commentarius *Tomo I. Scriptorum Historiæ Francorum* ab *Andrea Duchesnio* collectorum. Ex *Juliano Toletano* discimus, *Vvambam* ingenii modestissimi

Vvambæ Regis modestia.

destissimi Principem fuisse, qui precibus lachrymisque imperandi onus deprecatus sit, semum excusans, nec priùs deprecari destiterit, donec Ducum unus districtô gladiô mortem minitatus est, nisi Regnum capesseret. Ex eodem Scriptore discimus, cùm *Vvamba* Rex inunctus est à *Quirico* Toletano Præsule, ex ejus capite columnæ specie vaporem excitatum, apimque sublimè volare visam. Severissimâ disciplinâ milites in officio ipsum continuisse, idem Auctor testatur, & in ipsis memorati belli exordiis, eorum, qui Virgines violassent, amputari jussisse præputia, ne impunitate libido impura petulantiùs grassaretur. Toletum urbem Regiam *Vvamba* munivit, amplificavit, ornavit. Eô jubente, Concilium Toletanum Undecimum celebratum, necnon Tertium Bracarense. Leges tulit optimas ad militarem disciplinam restaurandam, quâ ad propulsandos Saracenos Hispaniæ imminentes erat opus: quorum ingentem classem ducentis & septuaginta navibus instructam, cœpit, incendit, profligavit.

Ejusdem præclare gesta.

Ervigii Comitis malæ artes, ut ad Regnum sibi viam aperiat.

Saracenorum classem in Hispaniam evocasse *Ervigium* Comitem, Scriptores nonnulli tradunt. Hunc ambitio regnandi ad id facinus impulit, quod ubi secùs cedere vidit quàm speraverat, aliud aggressus est. *Vvambæ* Regi potionem, in quâ spartum erat maceratum, propinandam curavit. Eô veneni genere in morbum incidit gravissimum, adeò ut mox interiturus videretur. Hoc in discrimine Christianis Sacramentis à Toletano Præsule expiatus, Monachorum in morem detonsus, & Religiosâ veste indutus est. Malis *Ervigii* artibus id factum, quò nimirum Pœnitentiæ & Religionis specie, à regnandi spe excideret, si fortè convaluisset, quod Toletani Sexti Concilii Decreto cautum videbatur. Accessit ut inter morientibus vocibus, menteque vi potionis alienatâ, *Ervigium* ipsum Regni Successorem nominaret, quòd Regio Diplomate statim confirmatum est. *Ervigium* coronam illicò suscepit. Vvamba ex morbo convalescens, magnitudinis animi & Christianæ pietatis specimen dedit singulare, Vitam scilicet Monasticam, cui sensuum usu destitutum illum devoverat Episcopus Toletanus, sprêtô Regno amplexus, vitæ reliquum in *Pampliga* Monasterio piissimè transegit. Regno spoliatus est anno Christi sexcentesimo octogesimo, quod annis octo, mense uno, diebus quatuordecim tenuerat. Ejus corpus *Alfonsi Sapientis* Regis jussu ex Monasterio, in quo obierat, Toletum translatum, in *Sanctæ Leocadiæ* templo, ad aram maximam tumulatum est. *Vvamba* Rege curante, facta fertur Episcopatuum in Hispania nova divisio, de quâ legendus *Mariana* lib. *6. De Rebus Hispaniæ, cap. XV.*

Vvambæ Regis magnanimitas & pietas.

IV. *Ervigius* Regnum malis artibus quæsitum ut sibi firmaret, Synodum Toletanam Decimam-tertiam convocavit. Eô etiam jubente, Concilium Decimum-quartum in eadem civitate celebratum est. *Egicam* Vvambæ Regis propinquum, generum adoptavit, *Cixilona* filiâ in conjugium datâ. *Vvamba* Leges nonnullas paulò severiores antiquavit, aut esse temperavit. Obiit Toleti decimo septimo Kalendas Decembris anno Christi sexcentesimo octogesimo septimo, cùm annos septem, & mense penè unô regnasset.

ARTICULUS V.

De Egica Rege.

Egica injuriam Vvambæ Regi illatam ulciscitur.

I. ERvigius pridie mortis suæ *Egicam* generum Successorem designaverat. Is ut rerum summâ potitus est, injuriam *Vvambæ* Regi illatam ulcisci decrevit. Vindictam auspicatus est à *Cixilonis* filiæ *Ervigii* repudio. De Proceribus, quorum operâ *Vvamba* in fraudem impulsus & exauctoratus fuerat, supplicium sumpsit. Belli & pacis artibus clarus, prudentiâ Rempublicam gessit maximâ. Eô jubente, Concilia Toletana Decimum-quintum, Decimum-sextum & Decimum-septimum celebrata sunt. Judæos Christianæ Religionis & Patriæ hostes æquissimis Edictis exagitavit, eos æternæ servituti mancipari, eorúmque bona publicari decernens. Floruit, eo regnante, *Julianus* Toletanus Antistes, sanctitatis & eruditionis laude. Cujus ab ingenio moribúsque alienissimus fuit *Sisbertus* ejus Successor, conjurationis in Regis caput auctor, bellíque fax civilis. *Vvitizam*, filium, quem ex *Cixilone* susceperat, Regni consortem renuntiavit, cùm solùm ipse decem annos regnasset. Obiit mense Novembri, anno salutis septingentesimo primo.

Leges in Judæos ab Egica latæ.

CAPUT VIII.

De Rebus, Angliæ sexto, septimo, & octavo Sæculis.

ADeo confusa est Anglicana Historia Sæculis sexto, septimo, & octavo, propter divisionem Britanniæ in multa Regna, ut perspicuitatis gratiâ visum sit in unum caput conjicere, & uno velut aspectu proponere, quæ tribus illis sæculis in Insula contigerunt. Illa verò hîc describo, quia plura pertinent ad sæculum septimum. Cùm autem ad illa pervenerim tempora, quibus varia illa Angliæ Regna in unam coaluêre Monarchiam, res à singulis gestas Regibus, singulis etiam sæculis, ordine persequar, prout facio in aliorum Historia Regnorum, atque Regum.

§. I.

De Anglorum adventu in Britanniam, eorúmque Bellis.

CUm Britanni circa medium quinti sæculi à Scotis & Pictis lacessiti, à Romanis derelicti, sat virium ad hostes propulsandos non habere se animadverterent, *Vvortigero*, quem Regem creaverant, auctores fuere, ut Saxones Anglos famâ rei militaris illustres, pecuniis, donis, promissis, ad opem ferendam ex Germania in Britanniam allicerет. Saxones stipendii faciundi avidi, delectâ fortissimorum juvenum manu, atque in naves impositâ, *Hengisto* & *Horso* (Ii fratres erant) Ducibus, Insulam confestim petiverunt, illúcque anno quadringentesimo quadragesimo-nono appulêre. A Rege benignè suscepti, & in Pictos ac Scotos regionem latè vastantes ducti, insignem ipsi victoriam suâ virtute procurarunt. Cantium ipsis ad incolendum in præmium concessum est. Major ac numerosior militum manus, jubente Rege, ex Germaniâ accersita. Tres Germaniæ populos ferocissimos, Saxones, Vitas, & Anglos unà venisse, tradit *Beda*, & ex Vitis ortos Cantuarienses, & Vectuarios, id est, qui Vectem Insulam incolunt; ex Saxonibus, eos profectos, qui Orientales, Meridiani, & Occidentales Saxones nuncupantur: ab Anglis verò originem traxisse Orientales & Mediterraneos Anglos, Mercios Northumbros. Rex *Vvortigerus*, *Romeiæ*, *Hengisti* Ducis filiæ formâ captus, factô priore cum uxore divortiô, eam in matrimonium duxit. Ea res Britanniæ Principes offendit, Anglis verò animos addidit, & spem Regni sibi in Britanniâ vendicandi fecit illa sui generis cum Rege affinitas. Facto agmine, certatim in Insulam advolarunt, & ita aucta est ac multiplicata gens nova, ut ipsis indigenis esset formidini. Mox pace cum Pictis initâ, quibuscum etiam tum bellum erat, rupto societatis fœdere, in Britannos arma verterunt

eísque

eisque manus intentantes, superbissimè impetrarunt profusiorem annonam, quâ gens Saxonum vivere in Insula posset. Quod cùm Britanni minùs præstitissent, tum per agros vicinásque civitates certatim effusi, omnia igne ferròque sunt populati. De his lege *Gildam* in lib. *De Britannia Excidio*, Venerabilem *Bedam lib. 1. Historia Gentis Anglorum* cap. 15. *Villelmum Malmesburiensem lib. 1. cap. 1.* & *Polydorum Vergilium lib. 3. Anglica Historia.*

Ubi verò hostilis exercitus, exterminatis dispersisque Insulæ indigenis, domum reversus est; cœperunt & illi vires animosque paulatim resumere, emergentes è latibulis quibus se abdiderant, & *Ambrosio Aureliano* Duce, qui solus fortè ex Romano genere in Britannia reliquis fuerat, hostes aggressi, ipsos fugarunt, *Horso*, Hengisti fratre cum magnâ suorum parte interfectô.

Nec tamen propterea Saxones defecit animus: paucis enim post diebus, novis copiis aucti, multâ spe in Britannos eruperunt. *Ambrosius* cum hoste congressus ad ripam fluminis, quod hodie *Dunum* vocant, non longè ab Eboraco, Saxones fudit, occiso ipsorum Duce *Hengisto*.

Hengistus duos reliquit filios, *Oscam*, & *Otham*, qui paratis paucis copiis, in eam Insulæ partem, quæ in Occidentem spectat, se commovent, tutum non arbitrati in Cantium redire. Ibi cùm incendio ferróque vastarent omnia, *Ambrosius* illos insecutus, commissô prælio rursus fudit: sed accepto vulnere, ex quo paucis pòst diebus interiit, suæ, haud, diu potitus est victoriæ gloriâ. Tunc apud Britannos regnabat *Vortimerius* filius *Vvortigeri*. Huic successit *Utherius* cognomento *Pendraco*, qui patriam à Barbarorum metu liberare valuisset, nisi civiles prohibuissent discordiæ.

Interea Angli Saxones, renovatô cum Pictis fœdere, majores copias contrahunt, Cantiique petendi causâ, Londinum versùs iter conferunt. Britanni, cognitô hostium motu, collectitium magis quàm veteranum exercitum faciunt, séque ad resistendum utcumque comparant. Recèns appulerant in Britanniam *Germanus* & *Lupus* sanctissimi doctissimique Galliarum Episcopi, Insulam ab hæresi Pelagiana purgaturi. Imminebat sacratissimus Paschatis dies; pars major exercitûs à sanctis Sacerdotibus Baptismo initiata, solenni ritu celebrata Dominicæ Resurrectionis festivitas. Peracto die festo, *S. Germanus*, non armis, sed fide, pietate, & innocentiâ munitus, sese agminis Ducem profitetur. Eligit expeditos, loca circumjacentia lustrat, è regione quà hostium expectabatur irruptio, vallem circumdatam montibus intuetur, ibique ordinat exercitum, de Numinis auxilio, magis quàm propriis viribus sperantem. Ferox hostium advolat multitudo, quasi secura victoriæ. Signum pugnæ dat Sanctus Antistes *Germanus*, ter magnâ voce *Alleluia* canens. Eamdem vocem toties repetit exercitus, tantúmque clamoris edit, ut Anglo Saxones repentino metu correpti, abjectis armis, & salute desperatâ, se dent in fugam, pluréfque in tranando flumine pereant. De his *Beda*. lib. 1. cap. vicesimo.

S. Germani Autissiodorensis Episcopi fide & precibus Britanni ab Anglo-Saxonum irruptione liberantur.

Post hæc levibus præliis interdum pugnatum est, Nunc cives, nunc hostes vincebant, usque ad annum obsessionis *Badonici* montis, ut *Gildas* testatur. Hunc montem esse putat *Vergilius*, qui vulgò vocatur *Bluchemora*, & pertinet ad *Ab... sum* flumen, quod Eboracensem agrum à Dunelmensi dividit, & ostium habet, quò commodùm ex Germania venientes suas naves appellunt. Hunc ergo montem Anglo-Saxones occuparunt. Eò Britanni concurrere & locum obsidione cingere. Saxones commeatûs inopiâ urgente, erumpunt in planitiem, magnámque faciunt hostium stragem. *Osca* & *Otha* Saxonum Duces in prælio cecidere. Annus tum agebatur ab Anglorum adventu quadragesimus-quartus, Christi quadringentesimus nonagesimus secundus.

Per idem tempus obiit *Utherius* Rex Britannorum, cui successit filius, *Arthurus*, magni animi Princeps; de quo, rametsi juvenis admodum è vita sublatus sit, vulgus fabulatur quòd tres bello superarit Saxonum Duces, quòd Scotiam cum vicinis Insulis in suam potestatem redegerit, quòd Romanos cum *Lucio* quodam eorum Duce profligarit, Galliam devastarit, dùmque Romam bello sibi subjicere meditaretur, à *Mordredo* nepote, qui Regnum ambierat, bello civili impetitum, quem interfecit, & ipse in certamine vulneratus cecidit. Post *Arthurum*, *Constantinus*; post *Constantinum*, *Conanus*, *Vortiporius*, *Maglocunus*, *Carentius*, *Caduanus*, & *Cadovallo* regnarunt, plerique solis vitiis insignes, cædibus perjuriis, adulteriis, incestibus, ob quæ scelera irato Numine, Britanniæ excidium maturatum est. De his *Gildas* in libro seu Epistola *De Britannia Excidio*. Cadovalloni successit *Cadovalladrus* filius, qui Regnum incendiis ac cædibus vastatum, jámque in casum pronum, bonis artibus, consiliô, atque, armis, aliquandiu ab hostium injuriâ defendit. Sed in adversam valetudinem cùm incidisset, Britannis de ejus salute desperantibus, orta est inter Duces, ex ambitione Principatûs, discordia. Ad bellum civile fames & pestilentia accessere. Ex morbo confirmatus *Cadovalladrus*, in Britanniam Continentis trajecit, ubi statim post conflatô exercitu, reditum in patriam parabat. Sed voce cælitùs delapsa quæ Britannici Regni casum denuntiabat, à bello fertus deterritus, Románque profectus, ubi sanctissimè vivendi finem habuit. (*Ex Polydoro Vergilio, lib. 3. Historia Anglica.*) Annus tum reparatæ salutis quingentesimus vertebatur.

Fabulæ de Rege Arthuro.

§. II.

De Britanniæ in multa Regna divisione.

SExto ineunte Sæculo, Angli-Saxones totius Insulæ, præter Scotiam, & loca quæ Picti habebant, imperio potiti, eam inter se partiti sunt. Quod quidem, ut *Polydorus Vergilius* observat, non communi consiliô, aut certâ ratione factum est, sed prout fortissimus quisque sibi partem aliquam terræ vindicare potuerat, in ea suum Principatum instituit. Britannis verò, qui ex patriæ excidio evaserant, portionem Insulæ dedere, quæ ad Occidentem Solem spectat, quam deinde Angli *Vvalliam*, & Britannos ejus incolas *Vvallos* dixerunt, quasi externos & peregrinos homines. Porrò Insulam in septem portiones ac Regna divisam Historiæ testantur. Primum fuit Regnum *Cantii*. Alterum, Australium Saxonum, sive *Sud-Saxia*. Tertium, Orientalium Anglorum, sive *Estanglia*. Quartum, Orientalium, Saxonum seu *Est-Saxia* Quintum, Mediterraneorum Saxonum, sive *Merciorum*, id est, *Middelanglia*. Sextum, *Northumbrorum*, sive *Berniciorum*, quod & in *Deirorum* Regnum dividebatur. Septimum, Occidentalium Saxonum, sive *Vvest-Saxia*. De his Regnis, eorúmque Regulis sigillarim agendum.

§. III.

De Regibus Cantii.

REgnum Cantianum habuit, ab Oriente Sole & Meridie, Oceanum; à Septentrione, *Thamesim* flumen: ab Occidente, fines Regni Australium Saxonum, & per totum illud terræ spatium protendebatur, quò Cantuariensis & Roffensis Diœceses constant. Primi Reguli fuere *Hengistus*, *Osca* & *Otha* ejus filii, ac Hirmericus. Huic successit *Ethelbertus*,

Rex Ethelbertus Christianam Religionem amplectitur.

bertus, magno Princeps animo; bellica fortitudine, & morum integritate insignis. Fines Regni usque ad *Humbrum* amnem propagavit. Uxorem duxit è Regio Francorum sanguine, *Bertam* nomine, quæ Christianam Religionem, ut pactum erat, liberè profitebatur, *Lethardo* Sanctissimo Episcopo ex Galliis cum ipsâ misso eam dirigente, ac Sacra faciente.

Gens ad Christum conversa.

Augustinum & *Mellitum* sanctissimos Monachos à *Sancto Gregorio* Romano Pontifice ad prædicandum Anglis Evangelium missos, humanissimè suscepit, anno salutis sexcentesimo tertio, eorúmque prædicatione & hortatu, Christianam Religionem amplexus est, & sacramentro Baptismatis initiatus: innumera Popularium multitudo, Regis exemplum sequuta. Quorum fidei & conversioni sic gratulatus est Princeps optimus, ut tamen nullum ad Christianæ Religionis professionem cogeret, sed tantummodò credentes arctiori dilectione, tanquam suos in Regno cœlesti concives complecteretur. Didicerat enim à Doctoribus Auctoribusque suæ salutis, servitium Christi voluntarium, non coactum esse debere, inquit *Beda*, *lib.* 1. *cap.* 26.

S. Augustinus Cantuariensis Archiepiscopus.

Archiepiscopus creatus *Augustinus*, apud *Sanctum Gregorium* egit, ut Sedes Archiepiscopalis, quæ jam inde ab initio Christianæ fidei à Britannis, *Lucio* Rege, receptæ, Londini fuerat, Dorovernium, quæ hodie Cantuaria est; regni Cantiani caput, Regiámque Urbem, transferretur. Londinensis Ecclesiæ *Mellitus*, Augustini socius, Episcopus factus est. *Gregorius* Pontifex Maximus genti ad Christum recèns conversæ, disciplinæ leges quasdam constituit, consulente *Augustino*, literásque humanissimas ad *Ethelbertum* Regem dedit, quibus eum ob susceptam fidem ac pietatem collaudabat & ad Christianam Religionem in Regno propagandam vehementer hortabatur. Harum exemplar *Beda lib.* 1. *cap.* 32. & *Joannes Bromton*, *in Chronico*, referunt. *Augustino* rogante, in SS. Apostolorum *Petri & Pauli* memoriam Deo templum erexit Rex *Ethelbertus*, deindè ipsius *Augustini*, ac Regum Cantianorum sepulchris insigne: necnon aliud speciatim *S. Paulo* Londini, & *S. Andrea* alterum Rocestriæ, quæ donariis ornavit amplissimis. Erat Dorovernïæ templum magnificum, quod olim à Romanis Fidelibus erectum ferebatur, & paganis postea cerimoniis violatum. Id Christianæ Religioni vindicarat Augustinus, ac in nomine *Sancti Salvatoris* consecraverat, ibique Sedem collocarat Metropolitanam. Ædes verò SS. Apostolorum *Petri* & *Pauli*, Monasterio juncta erat, cujus primus Abbas fuit *Petrus* Presbyter vir Sanctissimus, quem *Beda* commendat *lib.* 1. *cap.* 33. *Sanctus Augustinus*, cùm annos quindecim Dorovernensem Ecclesiam rexisset, ac fidem Christianam apud Anglos propagasset, mortem obiit, *Laurentio* Successore designato.

Rex Ethelbertus inter Sanctos relatus.

Rex verò *Ethelbertus* è vitâ decessit: anno, ex quo fidem Christi susceperat, vicesimo-primo, Regni quinquagesimo-sexto. Corpus ad Ædem Apostolorum delatum, ibique sepultum. Plurimis clarus miraculis inter Sanctos relatus est. Ipsum inter cætera bona, quæ genti suæ contulit, Leges optimas, patrio scriptas idiomate, tulisse testatur *Beda*, cujus tempore habebantur: & observabantur.

Edbaldi Regis vitia.

II. *Ethelberto* in Regnum successit *Edbaldus* ejus filius, admodum juvenis, qui paternorum præceptorum, atque exemplorum oblitus, effreni se permisit libidini, & quæ nec inter gentes auditur, ita ut novercam suam in matrimonium duceret. Deinde Christianam Religionem repudiavit, ac insectatus est. Inde factum ut multi, partim Regis metu, partim suapte insaniâ, deficerent à fide & lege Christi, seque totos vitiis immergerent. Numinis flagella perfido Regi emendando non de-

fuere. Crebrâ enim mentis vesaniâ, & Spiritûs immundi invasione premebatur. Frustra illum officii admonebat *Laurentius* Archipræsul: penè frustra Christianos adhortabatur, ut in sanctissimo Instituto permanerent. Multos pessimi Regis exemplum & odium in Christianæ legis Professores ad defectionem quotidie impellebat. Quam ob rem tædio ac mœrore affectus *Laurentius*, Cantio abscedere, & in Gallias cum *Mellito* & *Justo* trajicere decreverat. Verùm illum ad iter se expedientem, Apostolorum Princeps per quietem reprehendit, ac flagellis acrioribus afficiens, quòd gregem sibi creditum, supplicii metu deserere vellet, à proposito deterruit.

Edbaldi Regis conversio.

Quod ubi *Edbaldo* Regi renuntiavit, plagasque ostendit divinitùs inflictas, repudiatô penitus turpi connubio omnique idololatriæ cultu abdicato, baptizatus est, & Ecclesiæ rebus, quantùm valuit, consulere ac favere studuit. Atquè imprimis revocavit *Justum & Mellitum* qui in Gallias trajecerant. Et Justus quidem Rocestrum rediit, cujus urbis Sacris antea præfuerat. *Mellitum* verò Londinenses, qui adhuc idolis serviebant, recipere noluerunt. Nec enim tanta erat *Edbaldi* ac patris ipsius potestas, ut etiam repugnantibus Paganis, Episcopum suæ restituere posset Ecclesiæ. In Cantio itaque mansit interim *Mellitus*, ac defuncto paulò post *Laurentio*, Archiepiscopus Cantuariensis creatus est ab *Augustino* tertius. Sedit *Laurentius* annis sexdecim, ut *Joannes Bromton* in Chronico testatur. Neque novæ tantùm Anglorum genti, sed veteribus Britanniæ incolis, & Scotis, quos ad Paschatis legitimâ die celebrandi morem Catholicum adhortatus est, Pastoralem sollicitudinem impendit. *Mellitus*, cùm annis quinque Cantuariensem rexisset Ecclesiam, & bene multa edidisset miracula, inter quæ non minimum illud fuit, quòd incendium suæ civitatis orando extinxisset, è vita migravit octavo Kalendas Maias, anno Christi sexcentesimo vicesimo-quarto. *Mellito* successit *Justus*, à Roffensi Ecclesia ad Cantuariensem translatus. Is verò Ecclesiæ Roffensi *Romanum* Præsulem dedit, auctoritate à *Bonifacio V*. Romano Pontifice acceptâ, Episcopos non solùm in ditionibus *Edbaldi* Regis, sed in aliis etiam Insulæ regionibus consecrandi. Interim *Edbaldus*, cujus sinceram fidem Bonifacius Pontifex in Epistola ad *Justum* Archiepiscopum commendat, è vita migravit, anno postquam regnare cœperat, vicesimo quinto. Hæc habentur ex *Beda lib.* 2 *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum Capp* 4. 6. 7. & 8. ex *Joanne Bromton*, in *Chronico*, ex *Simeone Dunelmensi* in *Historia de Gestis Regum Anglorum* & ex *Vvillelmo Malmesburiensi*, *lib.* 1. Duos reliquit liberos *Edbaldus*, *Eormenredum*, & *Ercombertum* ex *Emma* Regis Francorum filia susceptos.

Ercomberti Regis pietas.

III. Post *Edbaldum*, regnavit in Cantio ejus filius *Ercombertus*, religione in Deum, pietate in patriam, juxta insignis. Hic omnia falsorum Numinum fana, quæ adhuc extabant, complanavit, nullum ut sacrilegii vestigium ad posteros manaret.

Quadragesimale jejunium recens apud Anglos Religione imperatum.

Quadragesimale jejunium per totum regnum suum servari, lege latâ sanxit, Regiam potestatem non ob aliud sibi datam arbitratus, quàm ut Christi Regnum apud subditos suos stabiliret, propagaret, confirmaret. *Sexburgam* filiam *Annæ* Regis Orientalium Anglorum, sive Estangliæ, duxit uxorem, ex qua duos filios suscepit, *Egbertum*, & *Lotharium*, & duas filias, *Ermenildam* scilicet quæ *Vvolfero* Merciorum Regi in matrimonium tradita est, & *Ercongotham* Virginem Sanctissimam, quæ in Gallias Religiosæ vitæ studio trajiciens, in Monasterio S. Faræ * se Deo devovit, ibique vitam duxit omnium virtutum splendore conspicuam.

Faremoutier

Cujus Sanctitas miraculis quoque comprobata est. *Ercombertus*

etiam

In Kalend. Parthenone ipsam vixisse scripsit Vvillelmus Malmesburiensis.

cùm Regnum sanctissimè rexisset, rebus domi, forisque pacatissimis, anno Principatus quinto & vicesimo, ad gloriam immortalem migravit. Post ejus obitum *Sexburga* Regina secessit in Monasterium Eliense, cui præerat Sancta *Etheldreda* ejus soror. Cujus sub disciplina cùm vitam Religiosam professa esset, eâque migrasset ad Sponsum, ipsi in Monasterii regimine successit. *Etheldreda* corpus, post annos sepulturæ sexdecim effossum, penitus incorruptum inventum est. Huic *Sexburga* sanctitate non impar, cùm Eliense Monasterium annos aliquot gubernasset, ac suarum perfudisset odore virtutum, ad gaudia sempiterna migravit. Ejus corpus juxta *Etheldredam* sororem, & filiam *Ermenildam*, in eodem Monasterio sepultum est. Hæc habentur ex *Beda* lib. 3. cap. 8. ex *Historia Jorvallensi*, seu *Chronico Joannis Bromton*, ex *Simeone Dunelmensi* in Historia *De Gestis Regum Angliæ* & ex *Vvillelmo Malmesburiensi lib. 2. de Gestis Regum Anglorum*, Per idem tempus, *Justus* Cantuariensis Archiepiscopus discessit è vita, cùm eam Ecclesiam tribus annis rexisset, & paulò antè *Paulinum* Eboracensem creasset Episcopum, qui ejus socius cum *Mellito* missus à Sancto Gregorio. *Justo* successit *Honorius*, qui annis sex & viginti sedit; *Honorio*, *Deusdedit*, sive *Theodatus*, qui annis decem: & *Theodato*, *Theodorus* à *Vitaliano* Papa inauguratus.

Egbertus Rex Nepotum suorum neci consentit.

IV. *Ercomberto* Regi successit filius ejus *Egbertus*. Novem, quibus regnavit, annis, gessit nihil ad memoriam clarum, nisi Principatus ipsius gloriæ imputetur *Theodori* Cantuariensi Archiepiscopi, & *Adriani* Abbatis, virorum sanctitate & doctrinâ illustrium, in Insulam appulsus, quæ familiare Philosophiæ domicilium per ipsos effecta est. *Ethelbertum* & *Ethelredum*, suos ex *Eormenreda* nepotes, post obitum utriusque parentis, in Aula suâ Regio cultu educatos, aut interemisse, aut interimi æquanimiter passum esse, *Chronicon Joannis Bromton* & *Vvillelmus Malmesburiensis*, *libro* 1. *de Gestis Regum Anglorum* testantur, *Simeon Dunelmensis*, qui ab eorum Vita & Passione Historiam suam penè exorditur, parricidium à nefario quodam homine *Thunor* nuncupato, patratum asserit, qui suggesserit Regi, tollendos è medio Principes, quos in familiæ suæ ruinam educare videretur, & qui Regnum aliquando ejus liberis forsan essent erepturi. Regem negasse consensum facinori; sed *Thunoro* id sæpiùs inculcante, usque in exilium deportarentur, aut sibi traderentur jugulandi, vehementer urgente; *dum tepidè & non arguè prohibuit, audacia temeritatem, ut perderentur, insuliisse*. Eorum innocentiam, pretiosamque mortem Deus multis miraculis illustravit. Eorum corpora in Vvactinense Monasterium illata sunt. *Timnor* parricida terræ hiatu absorptus. Locus *Thunnerhleap* ab incolis vocatus, ad miraculi memoriam. *Eormenburga* sive *Domneva*, Martyrum soror, *Mearuvoldo* Regi Merciorum nupta, *Egberto* Rege concedente, in Insula *Tenet*, Ecclesiam in Deiparæ Virginis honorem, & in memoriam innocentum Christi Martyrum fratrum suorum construxit, ibique postmodùm filiam suam *Mildridam*, Virginem in transmarinis partibus Religiosæ vitæ disciplinis institutam, cum selectis aliis septuaginta Virginibus ab Archiepiscopo *Deusdedit* consecratis, ad serviendum immortali Sponso, collocavit. De his prolixè *Simeon Dunelmensis* in Historia *De Gestis Regum Anglorum*.

Mors illorum pretiosa, & miraculis illustrata.

V. *Egberto* Regi successit frater ejus *Lotharius*, qui per annos duodecim, infestante *Edrico* nepote, *Egberti* filio, frequenter, & varia sorte bellis civilibus conflictatus; demum in pugna adversùs Australes Saxones, quos contra ipsum *Edricus* concitarat, jaculo confossus, inter medendum, animam efflavit. Anno Regni ejus septimo, Christi 679. xv. Kalendas Octobris Indictione VIII. *Theodorus* Cantuariensis Archiepiscopus, Plenarium habuit Britanniæ totius Concilium, in loco qui *Hatfeld* nominatur, omnibus Insulæ Provinciis jam ad Christi fidem conversis. Quâ in Synodo, status Religionis & Catholicæ fidei quasi de integro fundatus est: siquidem Ecclesia Anglicana quinque Concilia Oecumenica susceperat, ac Romanum à *Martino Primo* nuper contra Monothelitas celebratum. Huic Synodo adfuit *Joannes* Romanæ Ecclesiæ Cantor & Abbas Monasterii *Sancti Martini*; à *Ceolfrido* Abbate Monasterii *Sancti Petri* juxta ostium *Vvyri* fluminis, in Britanniam perductus, annuente *Agathone* Romano Pontifice, ut Monachos Anglos Romanum cantum edoceret. Hic Romanæ Synodi sub *Martino* Papa Acta contra Monothelitas in Angliam secum detulerat; acceperatque in mandatis ab *Agathone*, ut de fide Anglorum, & de statu Britannicæ Ecclesiæ ipsum certiorem faceret. Hæc habentur ex *Beda* lib. 4. cap. decimo-septimo, & decimo-octavo & ex Chronico *Joannis Bromton*.

Plenarium Britanniæ Concilium à Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi.

VI. Mortuo *Lothario*, *Edricus* Regnum invasit, sed tyrannidis fructu hauddiu potitus est, vix enim elapso biennio, vita & Imperio à suis civibus privatus est. Tunc *Ceduvalla* Rex Occidentalium Saxonum, unà cum *Molone* fratre in Cantium irrupit, & omnia longè latèque devastans, Regnum sibi subjicere conatus est: sed Cantiani coacto in hostem agmine, ipsum profligarunt, & reliquis in fugam datis, *Molonem* in tugurium quoddam compulsum injecto in illud igne, necarunt. In tam desperatis rebus Cantii sexennio circiter, à Regia successione claudicatum, donec *Vvithredus* filius *Egberti*, summo Provincialium consensu Rex salutatus est. Is Christianam Religionem sanctissimè coluit, Rempublicam sapientissimè gubernavit, pacis amantissimus Princeps, cum ab *Ina* Occidentalium Saxonum Rege, iratum *Ceduvalla* sicut & sceptri hærede, contra se conflari exercitum accepisset, pacem ab eo pecuniâ redimere maluit, quàm suorum subditorum fortunas vitasque in discrimen adducere. *Vvithredus* Rex obiit anno salutis septingentesimo vicesimo-quinto, ut *Beda* testatur in Epitome Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum. Annis triginta tribus cum fœlicissimè regnasset, tres sui non dissimiles reliquit liberos, qui secundùm eum regnarunt, *Edbertum*, qui annis tribus & viginti, *Edilbertum*, qui annis undecim, & *Alricum*, qui annis triginta quatuor, paterno in solio sederunt, non dispari gloriâ, nisi quòd *Edilbertus* fortuito urbis incendio, *Alricus* infausto adversùs Mercios certamine paululum à paterna fœlicitate cecidisse visi sunt. Ista constant ex Chronico *Joannis Bromton*, & ex *Vvillelmo Malmesburiensi*.

VII. Post *Vvithredi* Regis filios nobile Cantianorum Regum germen exaruit. Tunc audacissimus quisque, prout opibus, clientelis, & factione valebat, Regia usurpabat insignia. Degeneres illos Reges compendiô recensent Historiæ: scilicet *Edilbertum* cognomento *Pren*, qui majora viribus temerè in Mercios ausus, in eorum potestatem venit, ac paulò post dimissus, à suis non est receptus: & duobus duntaxat annis regnavit. *Cuthredum* inani Regis nomine octo annos insignitum. *Baldredum* denique Regiæ dignitatis abortivum, qui post annos octodecim otiosi Principatûs, ab *Egberto Vvest-Saxonum* Rege captus & exauctoratus est. Ita Cantianum Regnum cum Occidentalium Saxonum Regno coaluit, postquam annos circiter trecentos sexaginta steterat; scilicet ab anno quadringentesimo nono, quo prima ejus fundamenta posuerat *Hengistus*, ad annum octingentesimum undecimum, quo *Egbertus Vvest-Saxonum* Rex *Baldredum* Cantianorum

tianorum Regum postremum subjugavit. De his *Vvillelmus Malmesburiensis lib. 1. de Gestis Regum Anglorum* & *Polydorus Vergilius lib. 4. Anglica Historia.*

§. IV.

De Regibus Australium Saxonum sive Sud-Saxia.

REgnum Austtalium Saxonum anno tricesimo-secundo ab Adventu Anglorum in Britanniam fundatum est ab *Ella* Saxone, qui Australem Insulæ pattem occupavit, ac fois Regio nomine possidendam reliquit. Fines Regni fuisse creduntur, quibus, continentur Vintoniensis & Cicestrensis Diœceses. Post *Ellam* quinque duntaxat Reges memoramus, *Sisca*, *Ethelvachius*, *Edricus*, *Bertuius*, & *Aldinius*, qui ab *Ina* Occidentalium Saxonum Rege debellatus, vitam simul & Regnum amisit: Sicque Sud-Saxiæ Regnum à Regno Vvest-Saxiæ absorptum est. Regum Sud-Saxiæ celebèrrimus, ob Christianæ fidei pietatisque studium, fuit *Ethelvachius*, quô regnante, gens illa ad Christi fidem à sancto *Vvilfrido* Episcopo conversa est anno Christi sexcentesimo octogesimo primo. Is Baptismum paulò ante susceperat in Mercorum Provincia, suggerente Rege *Vvlfhere*, quem etiam de sacro fonte Susceptorem habuit. Cujus adoptionis gratiâ, duabus ab illo Provinciis donatus est, Vecta videlicet Insula, & Meanuarorum Provincia in gente Occidentalium Saxonum. Evangelium autem prædicans Australibus Saxonibus *S. Vvilfridus*, non solùm eos *ab ærumna perpetuæ damnationis*, *verùm & à clade nefanda temporalis interitus eripuit: si quidem tribus annis ante adventum ejus in Provinciam, nulla illis in locis pluvia ceciderat: unde & fames acerbissima plebem invadens, impia nece prostravit. Denique fertur, quia sæpe quadraginta simul aut quinquaginta homines inediâ macerati procederent ac præcipitium aliquod sive ripam maris, & junctis miseri manibus, pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus absorbendi deciderent. Verùm ipsô die quo Baptisma fidei gens suscepit illa, descendit pluvia serena & copiosa, refloruit terra, redditque viridantibus arvis annus lætus & frugifer. Sicque abjectâ priscâ superstitione, exsufflatâ idololatriâ, cor omnium & caro omnium exultaverunt in Deum vivum: intelligentes eum, qui verus est Deus, & interioribus se bonis, & exterioribus, cælesti gratiâ ditasse.* Hæc *Venerabilis Beda* lib. 4. Historiæ cap. 13. Ibidem testatur *Ethelvachium*, sive *Edilvachium* Regem *S. Vvilfrido* terram octoginta septem familiarum dedisse, quæ *Seolesey* Saxonicè, *Insula vituli marini* Latinè vocabatur. Cujus loci incolas cùm sacro Baptismate perfudisset, ac servos & ancillas ducentos quinquaginta duplici libertate donasset Sanctus Antistes, Monasterium ibi fundavit, illicque Fratres, quos habebat in comitatu, collocavit. *Bedæ* consentit Chronicon *Joannis Bromton*. Alia complura Cœnobia ædificavit S. Vvilfridus HRipense & Hagustaldense in Diœcesi sua Eboracensi, quædam in Cantuariensi.

S. Vvilfridus Australes Saxones ad Christianam Religionem convertit.

Inque locis istis Monachorum examina crebra,
Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum,
Sedulus instituit:

Ut habet ejus Epitaphium. *Regula Patrum* vocatur Regula S. Benedicti. Vitam S. Vvilfridi à Fridegodo metro scriptam, & ab *Eadmero* soluta oratione, edidit Dom. *Mabilonius* Sæculo III. Benedictino & Observationibus prævijs illustravit.

§. V.

De Regibus Orientalium Anglorum, sive Estangliæ.

I. REgnum Orientalium Anglotum eâ Britanniæ parte continebatur, quæ ad Orientem Solem spectat, eô terræ spatio circumscriptum, quo Diœceses *Nordovicensis* & *Elyensis* complectuntur; in tres divisum Comitatus, *Suthfolchiam*, *Northfolchiam* & *Cantabrigiensem*. Primos Reges habuit, *Vffam*, *Titullum*, sive *Tytilum*, aut *Ticulum*, & *Redwaldum*. Hic cum *Ethelfreda* Northumbriæ Rege singulari certamine fœliciter congressus, ipsô interfectô, Regnum *Eduvino* restituit. Christianæ fidei Sacramentis in Cantio initiatus, eum postea repudiavit, suadente uxore; & Christi, falsorumque Numinum cultum conjungens, in eodem Templo & altare habuit ad Christianæ Religionis Sacrificium, & aram ad victimas Dæmoniorum, ut *Beda* testatur *lib. 2. Historiæ Anglorum Cap. XV.*

II. Successit impio patri *Carpualdus* filius, ad pietatem natus, qui *Eduini* Regis *Northumbrorum* consiliô, relictis Idolorum superstitionibus, fidem & Sacramenta Christi suscepit ac eorumdem suscipiendorum genti suæ factus auctor est. Verùm tam divinum consilium perducere penitus ad exitum non potuit: siquidem haud multò post à viro Gentili, nomine *Richberta*, occisus est. Martyris sanguis Christianorum semen in Regno fuit.

III. *Sigbertus* enim ejus frater, qui fidei Sacramentis, dum in Gallia exul degeret, imbutus fuerat, Regnum post tres annos adeptus, Christianam Religionem per omnem ditionem propagavit, piis ejus consiliis obsecundante *Felice* Episcopo Burgundo, quem *Honorius* Cantuariensis Archiepiscopus illi genti Prædicatorem destinaverat. Rex litterarum amantissimus, & juxta eruditus, Scholas in Regno suo restituit, ut pueri ab ineunte ætate statim erudirentur. Cantabrigiense Gymnasium sua illi debet initia. Annus tum vertebatur salutis per Christum reparatæ circiter sexcentesimus trigesimus. *Sigbertus* majori cœlestis Regni flagrans amore, terrenô se Regno abdicavit: * quod cum *Egrico* cognato suo tradidisset, in Cœnobium se abdidit, Vitamque Monasticam professus est. Verùm cùm post aliquot annos *Penda* Rex Merciorum Orientales Anglos bello premeret, illique viribus diffiderent, *Sigbertum* è Cœnobio egredi compulsum, exercitum ducere & militum animos confirmare coegerunt. Ille Professionis non immemor suæ, solam virgam in prælio gerens, cum Rege *Egrico* occisus est, & profligatus, vel dispersus exercitus. Sanctum *Fursæum* ex Hibernia venientem, *Sigbertus* Rex pientissimus, perhonorificè suscepit, Evangelicique muneris in Orientalium Anglorum Provincia obeundi fecit ipsi potestatem: quin etiam locum ipsi dedit extruendo Monasterio, in Castro quod linguâ Anglorum *Cnobbersburg*, id est, *urbs Cnobberi*, vocatur. Hæc ex *Beda* habentur, *lib. 2. Historia Ecclesiastica gentis Anglorum cap. XV. & lib. 3. Capp. XVIII. & XIX.*

Alii *Sibertum*, vel *Sigebertum* vocat

Vitam Monasticam in Angl. Reges profitentur.

IV. *Sigberto* successit *Annas* filius *Eni*, fratris *Redwaldi* qui à *Penda* Rege Merciorum pariter occisus est. Fuit hic sobole sanctissima gloriosus & fœlix. Tres enim filias ex uxore sua suscepit sanctimoniâ insignes: *Edelburgam*, quæ in Gallias missa, in *Sancta Fara Monasterio*, Christo consecrata est, illique præfuit post *Sanctam Faram*: *Sexburgam*, *Ercomberto* Religiosissimo Cantiæ Regi matrimonio junctam: *Etheldredam* seu *Edildridam*, *Tomberto* Australium Girviorum Regi, & post ejus mortem

Principes fœminæ in Angliâ virginitatem vovent & vitam Monasticam profitentur.

Ecgfrido Regi Northumbrorum in uxorem datam: quibuscum perpetuam virginitatem sæculari gratiæ dono servavit. Quæ cùm annos duodecim *Ecgfrido* convixisset, ab ipso impetravit licentiam in Monasterium secedendi in quo à Sancto *Vuilfrido* Episcopo velata est. Post annum, facta est Abbatissa in regione quæ vocatur *Eige*, ubi constructo Monasterio, Virginum plurimarum Mater extitit ipsa Virgo, easque sanctissimis exemplis & monitis ad vitam planè cœlestem informavit. Huic successit in Monasterii regimine *Sexburga* soror, mulier pariter sanctissima. De Reginæ *Edildrida* vita & virtutibus, lege *Venerabilem Bedam*, ex quo ista excerpsimus, *lib. 4. Historia Cap. XIX. & XX.* quo postremo Capite Hymnum egregium describit, Elegiaco Carmine à se editum in ejusdem Reginæ laudem. *Annam* Estangliæ Regem, *Virum bene Religiosum, ac per omnia mente & opere egregium*, Beda vocat. Annos Regni decem ipsi tribuit *Chronicon Joannis Bromton.*

V. Post *Annam* regnavit *Ethelerius* frater, qui cùm fœdus temerè iniisset, cum *Penda* Rege Merciorum, fratris & cognati sui interfectore, eique auxilio esset adversùs *Osuvium* Northumbrorum Regem, cum ipso *Penda Osuvii* gladio periit. Secundùm hunc regnarunt *Ethelwaldus* ejus frater, & illius filii *Adulphus*, & *Elwoldus*. Hos *Beorna*, & *Ethelredus* secuti sunt. Hunc excepit *Ethelbertus* filius, Princeps sanctissimus eruditus, &, quæ rara virtus Regum est, humillimus, qui in ore & in animo sæpissimè habebat divinas illas Sententias: *Quanto major es, humilia te in omnibus. Humiliamini sub potenti manu Dei. Qui se humiliat, exaltabitur. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Cœlibem vitam ducere vehementer optabat, sed Procerum suorum, & *Osuvaldi* maximè Comitis victus consilio, *Alfredam*, Offæ Regis Merciorum filiam, uxorem postulavit. Quam sibi pactam ducturus, cum ad *Offam* profectus esset, ejus mandato per summam perfidiam cæsus est. Facinoris instigatrix fuit *Quendreda Offa* uxor, immanis animi fœmina, & quæ ambitione magis quàm amore moveretur Regnum scilicet Orientalium Anglorum posse à marito facilè occupari prævidebat, si Rex juvenis è medio tolleretur. Nec ipsam spes fefellit: *Ethelberto* enim occiso, statim ejus Regnum invasit *Offa*. *Alfreda* verò sponsi cognitâ nece, parentum execrata facinus, virginitatem Deo consecravit, & in palustrem locum, cui nomen *Crolandia*, quasi in eremum secedens, ibi sanctissimè vitam egit. *Ethelberti* verò Sanctitas miraculis illustrata est; eique, ceu Martyri, sacri honores exhibiti, & Ecclesiæ in ejus memoriam Deo dicatæ.

Ethelbertus Rex sanctus.

Hæc fusius commemorat Joannes *Bromton*, in Chronico, eaque ex antiquioribus Historiis se referre significat. Hunc sequitur *Polydorus Vergilius*, *lib. 4. Anglica Historia.*

VI. Regnum deinde Orientalium Anglorum modò à Merciis, modò ab Occidentalibus, aliquoties à Cantianis Regulis possessum est, donec illud *Edmundus* ex Anglorum gente ultimus tenuit, qui à Danis nono sæculo in Angliam irrumpentibus occisus est. In Sanctorum Principum & Martyrum censu habitus fuit. Post hunc *Guthormus*, & *Ericus* Daci Tyranni regnaverunt. Demum *Eduardus Senior*, suo, id est, Vuest-Saxonico Regno, Estangliam subjugatam, expulsis Danis, adjecit. Sed de his aliàs. Hæc ex Chronico *Joannis Bromton*, ex *Vuillelmo Malmesburiensi*, *Henrico Huntedomensi*, & *Polydoro Vergilio.*

§. VI.

De Regibus Orientalium Saxonum, sive Est-Saxia.

I. Regnum Orientalium Saxonum, quod à Cantiano per fluvium *Thamesim* dirimitur, iisdem circumscriptum fuit finibus, quibus Londinensis Diœcesis. A Rege *Erchenvino* fundatum est, cui *Sladda*, & *Sibertus* successere. Hunc cum gente sua *Mellitus* ad Christi fidem convertit. Tres filios Regni reliquit hæredes *Serredum*, *Sevardum*, & *Sigibertum*, Idololatriæ palam servientes: qui eò insaniæ venerunt, ut Eucharistiæ participes esse vellent, etsi lavacro salutari non purgati: quod cùm negaret *Mellitus*, eum è Regno expulere. Interea Reges impii cum Occidentalibus Saxonibus congressi, cum exercitu suo profligantur, & hostium gladio corruunt. Nec tamen plebs eorum exemplo ad Idololatriam, aliàque scelera excitata, potuit, corrigi, atque ad simplicitatem fidei & caritatis, quæ in Christo est, revocari. (*Ex Beda lib. 2. Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum Capp. 5. & 5.*

II. His successit *Sigibertus* cognomento *Parvus*, qui *Osuvii* Regis Northumbrorum sibi amicissimi hortatu, Religionem Christianam amplexus est, atque à *Finano* Episcopo in Villa Regia, quæ cognominatur *Ad murum*, baptizatus. Ipsi ad gentis conversionem præsto fuit *Cedd* vir sanctissimus, quem *Finanus* Episcopum *Est-Saxio* ordinavit. Non multò post à suis occisus est *Sigibertus*. Parricidæ interrogati cur facinus patrassent, respondère, ob hoc se in Regis perniciem conspirasse, *quod nimis inimicis suis parcere soleret inimicis, & factas ab eis injurias, mox obsecrantibus, placida mente dimitteret*: ut refert *Beda lib. 3. cap. XX.* Qui addit, veram Sigiberti culpam innoxiâ morte dilutam. *Habuerat enim unus ex his, qui eum occiderunt, Comitibus, illicitum conjugium, quod cum Episcopus prohibere & corrigere non posset, excommunicavit eum, atque omnibus præcepit ne domum ejus intrarent neque de cibis illius acciperent. Contempsit Rex hoc præceptum, & rogatus a Comite, intravit epulaturus domum ejus. Qui cum abiisset, obviavit ei Antistes. At Rex intuens eum, mox tremefactus exilivit de equo, ceciditque ante pedes ejus, veniam reatûs sui postulans.* Antistes Regem virgâ, quam manu tenebat, leniter tetigit, ipsique mortem infaustam in pœnam inobedientiæ auguratus est. *Quia*, inquit, *noluisti te continere a domo perditi & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes.* Addit tandem *Beda*, credendum esse quòd mors Religiosi Principis tam infausta non solum ejusmodi culpam diluerit, sed etiam meritum ejus auxerit, utpotè quæ ob causam pietatis, & propter mandatorum Christi observantiam illata est.

Rex Sigibertus ob Communionem cum excommunicato initam spreto Episcopi mandato, infausta morte Deo vindice perit.

III. *Sigiberto* successit *Suidhelmus*, qui baptizatus est à *Cedd* Episcopo, in Provincia Orientalium Anglorum, & ab *Edeluvaldo* Rege de sacro fonte susceptus. Secundùm hunc regnarunt *Sigherius*, & *Sebba*, Merciorum tamen Regis *Vulferii* feudatarii. Tunc contigit ut pestifera lues per Est-Saxiam grassaretur. Quo flagello tantùm abfuit ut emendaretur *Sigherius*, ut potiùs, cum Optimatum & plebis parte maximâ, ad idololatriam defecerit. Contra verò *Sebba* Regni consors, in fide & pietate constans cum suis permansit. Inter hæc Rex Merciorum *Vulfherius* misit *Jarumannum* Religiosissimum Antistitem, qui *Sigherium*, ejúsque subditos ad viam justitiæ reduxit. (*Ex Beda libro 3. Historia Ecclesiastica Cap. 30.*) Tandem Rex *Sebba*, cùm annos triginta Principatus, in precibus assiduus, eleemosynis, omnibúsque pietatis officiis transegisset, infirmitate correptus, impetratâ, quam à multis annis

Sebba Rex Sanctus.

annis enixè rogarat, uxoris veniâ, Monasticam Vitam professus est, thesauris in pauperes erogatis. Divinis visionibus, morti proximus, recreatus est, diémque migrationis, Deo revelante, cognovit. Ejus etiam funus miraculis est illustratum. (*Ex Beda, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 11.*) Huic *Sigehardus*, & *Senfredus* filii in Regni administratione successere.

Reges vitam Monasticam profitentur.

IV. His successit *Offa Sigberii* filius, miræ indolis adolescens, qui hortatu *Kineswitha*, *Pendæ* Regis Merciorum filiæ, quam uxorem duxerat, vel expetierat, unô Dei amore flagrare doctus, eique se totum devovere, Romam ex pietate profectus est, ibique positâ comâ, Vitam Monasticam professus in ejus obsequiis ætatem transegit omnem, cui servire regnare est. (*Ex Beda, lib. 5 Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, Cap. XX.*) Post *Offam* regnavit *Selredus*, sive *Seribredus*, aut *Suithredus*, quem Egbertus Rex Occidentalium Saxonum Regno spoliavit.

Offa Rex Sanctus.

§. VII.

De Regibus Merciorum, sive Mediterraneorum Saxonum.

I. MErciorum Regnum eos fines habuisse judicant Historici, quibus *Lincolniensis*, *Conventrensis*, *Lichefeldensis*, ac *Vigorniensis* Diœceses terminantur. Partem etiam *Herefordensis* Diœceseos intra fines hujus Regni fuisse docent. *Creoda* Saxo, vir copiis ac famâ potens, cum Britannis bellando, paulatim in eâ Britanniæ parte Principatum obtinuit, fundatúmque Regnum *Vibba* filio reliquit. Fines propagavit iste, Britannis finitimis passim devictis. Post hunc regnavit *Cearlus*, cui *Penda Vibba* filius successit, Princeps rei militaris scientiâ, consiliô, & animi magnitudine præstans, ob eásque dotes multùm laudandus, nisi eas ingentibus vitiis fœdasset, immanitate præsertim, perfidiâ, & effrænatâ Regni per fas & nefas amplificandi cupiditate, quæ effecit ut non hostes modò, sed fœderatos bello lacesseret, ac *Edwinum*, & *Oswaldum* Reges Northumbrorum; *Sigebertum*, sive *Sigebertum*, *Egricum*, & *Annam*, Reges Orientalium Anglorum, partim vi, partim dolo, vicerit, oppresserit, interemerit. *Kenwalchium* quoque Vvest Saxonum Regem, bello his térque lacessitum, in exilium compulit. Ex Regina *Kineswitha* quinque filios suscepit, *Pedam*, *Vulpherum*, *Ethelredum*, *Merewaldum*, *Mercelinum*. & filias duas, *Kimburgam*, & *Kineswitham*, ambas sanctâ continentiâ præcellentes. *Merewaldus* ex *Ermenburga* uxore, filia *Ermenredi*, fratris *Ercomberti* Regis Cantuariorum, tres filias habuit sanctimoniâ insignes, *Milburgam*, *Mildritham*, & *Milgitham*, quæ in Sanctarum Virginum numerum relatæ sunt; & filium nomine *Merefinum*. *Kimburga Pendæ* filia *Alfrido* Regi Northumbrorum in matrimonium collorata est. *Penda* major-natu filius, quem alii *Vvedam* vocant, Regno Mediterraneorum Anglorum, sive *Middelanglorum*, à Patre præpositus est, optimæ Princeps indolis, ac Regio nomine dignissimus. Hic filiam *Oswi* Regis Northumbrorum, *Alcfledam* nomine, uxorem eâ conditione obtinuit, ut fidem Christi ac baptisma, cum gente suâ susciperet. Annuit ille, & auditâ prædicatione veritatis, maximè ab *Alcfrido* Principe, filio *Oswi* qui Sororem ejus *Kimburgam* uxorem duxerat, lubenti sinceróque animo se Christianum professus est, & à *Finano* Episcopo, cum suis, baptizatus: & quatuor Presbyteris assumptis, qui gentem Christianæ fidei præceptis imbuerent, ac Sacramentis initiarent, partem Provinciæ maximam Christo addixit.

Penda Rex ad fidem Christi conversus.

Nec prohibuit Rex *Penda* ejus pater Prædicatores Evangelicos ne *Merciis* verbum salutis annuntiarent. Quin potiùs odio habebat eos, ac despiciebat, quos fide Christi imbutos, opera fidei non habere deprehendebat, *Contemnendos ac miseros esse* dicens, *qui Deo suo, in quem crederent, obedire contemnerent.* (Ex Beda, *lib. 3 Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum Cap. XXI.*) Post duos annos, *Oswi* Rex Northumbrorum, *Pendam* suas ditiones quotidianis irruptionibus infestantem, divinâ magis ope, quam humanis viribus, fugavit, deletóque ejus exercitu, interemit. (*Ex Beda, lib. 3. Historia Ecclesiastica Anglorum Cap. XXIV.*)

II. *Oswi* Merciorum Regnum jure belli adeptus gentem ad Christianæ fidei gratiam convertit. Primus in Provincia Merciorum, simul & Lindisfarorum, ac Mediterraneorum Anglorum, consecratus est Episcopus *Duma*; secundus *Cellach*, uterque Scotus; tertius *Trumhere* ex Anglis oriundus, sed eruditus & ordinatus à Scotis, Abbas Monasterii quod dicitur *Ingetlingum*. *Peda*, seu *Vveda*, *Pendæ* Regis filio, Rex *Oswius* partem Merciæ Australem concessit, quô diu non est usus beneficio. Conjugis enim proditione occisus est. (*Ex Beda, ibidem.*)

III Post tres annos à *Pendæ* Regis nece, Merciorum Duces, milites, ac populus, qui victori *Oswio* ægerrimè paruerant, recuperandæ ardore libertatis incensi, rebellarunt, levato in Regem *Vulphero*, altero *Pendæ* Regis filio. Hic rem Christianam in Regno suo promovit, fovítque. Bellum illi fuit adversus *Cenovalchium* Vvest-Saxonum Regem, quem prælio victum multavit possessione Insulæ *Vectæ*. Merciorum genti annis decem & septem præfuit *Vulpherus*. quô regnante, sederunt *Trumhere*, *Jaromanus*, *Ceaddam*, & *Vvinfridus* Episcopi. (*Ex Beda* loco supra laudato.) *Ceadda*, qui ex Monasterio fuerat ad Episcopatum assumptus, Rex *Vulpherus* terram donavit quinquaginta familiarum ad Monasterium construendum, in loco qui dicebatur *Eibarue* id est, *Ad nemus*, in Provincia *Lindissi*. De Vita *Ceaddæ* sanctissima, gloriosóque & divinis signis illustri obitu, legendus *Beda*, *lib. 4. cap. III.* Qui ipsi in Episcopatu successit *Vvinfridus*; vir bonus ac modestus, ex ejus Clero assumptus est, ab ipsóque fuerat institutus, ac Diaconus ordinatus. Hos Episcopos *Theodorus Cantuariensis*, seu totius Britanniæ Primas constituit. Recèns ille in Britanniam pervenerat, anno sexcentesimo sexagesimo sexto. Miserant scilicet *Ecgbertus* Rex Cantuariorum, & *Oswi* Rex Northumbrorum, *Vvighart* Presbyterum Anglum, virum in Disciplinis Ecclesiasticis doctissimum, ad Romanum Pontificem, Rogantes ut Anglicanæ Ecclesiæ ordinaretur Episcopus. *Vvighart*, & omnes penè ejus socii, lue pestiferâ Romæ sublati. *Theodorus* Monachus, natus ex Tharsu Ciliciæ, vir & sæculari, & divinâ literaturâ, Græcè & Latinè instructus, probus moribus, & ætate venerandus, anno ætatis suæ sexagesimo sexto, Britannis Episcopus ordinatus est, anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto, ut docet *Beda* Anno post consecrationem altero, ad Ecclesiam sibi destinatam pervenit, totâque mox Insulâ peragratâ, quaquaversùm Angli dominabantur rectum vivendi ordinem, celebrandique Paschatis ritum canonicum, comite & cooperatore *Adriano* Abbate, constituebat. Et *perlustrans universa, locis opportunis ordinabat Episcopos*, & ea quæ emendatione indigebant, ipsis quoque juvantibus, corrigebat. In quibus cùm *Ceaddam* Episcopum argueret, quòd rite non fuisset consecratus, Vir Sanctus respondit: *Si me nosti Episcopatum non rite suscepisse, libenter ab officio discedo: quippe qui neque me unquam hoc esse dignum arbitrabar, sed*

Monasteria à primis Anglorum Episcopis fundata.

Theodori Cantuariensis in Britanniam adventus.

Episcoporum consecratio.

Ceadda Episcopi humilitas.

obedientiæ causâ jussus subire, quamvis indignus, consensi. Quam demissatus humilitatem *Theodorus*, Ordinationem ejus Catholico ritu consummavit, cúmque postmodùm Ecclesiis Merciorum & Lindisfarorum præfecit, ut diximus. Hæc *Beda*, *lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum Capp. 1. & 2.* Rex *Vvulpherus* ex *Ermenbulda* uxore, filia *Ercomberti* Regis Cantuariorum, *Kinredum* filium, & *Vverburgam* Virginem sanctissimam suscepit.

IV. Ipsi in Regnum successit *Ethelredus* frater, Princeps religiosissimus. Regni fines tueri magis studuit, quàm propagare. Duo bella gessit; unum adversùs Cantianos; alterum adversùs *Egfridum* Northumbriæ Regem, fines Merciæ temerè ingressum. Consertô gravi prælio, ad fluvium Trentam, *Elbuinus*, sive *Elfuvinus*, *Egfridi* Regis frater, decem & octo annorum adolescens, utriúsque provinciæ deliciæ, cæsus est. Quæ cædes, cùm belli acrioris occasionem daret, *Theodori* Cantuariensis Archiepiscopi consiliis & hortatu pax composita est, quam *Ethelredus* pecuniâ redemit. Ad conciliandos Regum animos multùm quoque valuere *Ostbridis* Reginæ preces. Soror hæc erat *Egfridi*, quam *Ethelredus* uxorem duxerat. Hæc *Beda*, *lib. 4. cap. XXI.* In eô quô *Elbuinus* cæsus est, C prælio, captivus quidam *Tunna* Presbyteri & Abbatis sanctissimi frater, qui pro eo, mortuum credens,

Sacrificii Missæ oblatio in Anglia recens Christianæ.

Missas fecerat, vinciri nusquam potuit. Toties enim soluta sunt vincula, quoties injecta, Deo miraculum illud operante *per intercessionem fraternam, & oblationem Hostiæ salutaris.* Quô signô, multi accensi sunt in fide ac devotione pietatis ad orandum,

Missæ, preces eleemosynæ pro defunctis.

vel ad eleemosynas faciendas; Vel *ad Offerendas Domino victimas sacræ Oblationis, pro ereptione suorum, qui de sæculo migraverunt. Intellexerunt enim quòd Sacrificium salutare ad redemptionem valeret, & animæ & corporis, sempiternam.* Hæc *Beda*, *lib. 4. Cap. XXII.* Qui subdit, hanc Historiam D se audivisse ab iis, qui eam ab ipso viro, in quo miraculum patratum est, didicerant. Tandem *Ethelredus*, anno, postquàm regnare cœperat, vicesimonono, vel tricesimo, Monasticam Vitam amplexus est, anno Christi septingentesimo quarto, teste *Beda, in Epitome Historiæ.*

Sacræ Peregrinationes Romam à Regibus susceptæ, & vita Monastica Regno præposita.

V. *Ceolredum* filium ex *Ostbride*, sive *Ostgilda* Regina susceperat; quô tamen prætermisso, Regnum reliquit *Kenrendo* nepoti, *Vvlpheri* fratris sui filio. Hic patrui virtutes æmulatus, cùm annos sex Rempublicam sanctissimè gessisset, Regnum tradidit *Ceolredo*, *Ethelredi* filio, & cum *Offa* Saxonum E Orientalium Rege Romam profectus, Monasticam vitam professus est, *Constantino* Pontifice; & ad Apostolorum limina in precibus, jejuniis, eleemosynis, reliquum vitæ cursum confecit. (*Ex Beda, lib. 5. Cap. XX.*) Annus salutis tum vertebatur septingentesimus-nonus, ex Beda, in *Epitome Historiæ.*

VI. *Ceolredus* anno Regni sui septimo fortitudinis invictæ specimen præbuit, bellum ab *Ina* Vvest-Saxonum Rege difficillimum sustinens. Obiit anno Christi septingentesimo decimo sexto, cùm annos octo regnasset, & *Licefelda* sepultus est. Flagitiosus Princeps exitum habuit improbæ vitæ parem: de F quo S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus ita scribebat ad Ethelbadum: *Colredum Prædecessorem tuum, stupratorem Sanctimonialium, & Ecclesiasticorum Privilegiorum fractorem splendidè cum suis epulantem malignus Spiritus arripuit, & sine Confessione & Viatico, cum diabolo sermocinanti, & legem Dei detestanti, animam extorsit.*

VII. Sceptri reliquit hæredem *Edibaldum*, sive *Ethelbaldum*. Is uno & quadraginta annis regnavit. Incursionis tyrannicæ in Northumbriam incusatur, dum Rex Northumbrorum *Egbertus* bello A difficili contra Pictos occupatus esset, anno salutis septingentesimo quadragesimo (*Ex Beda, in Epitome Historiæ Ecclesiasticæ*) Cum *Cudredo* Rege Vvest-Saxiæ adversùs Britannos fœlici exitu pugnavit, contra ipsum *Cuthredum* ancipiti Marte. Tandem perfidiosè occisus est à *Berureda*, anno septingentesimo quinquagesimo-septimo (*Ex Beda, in Epitome Historiæ.*)

S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus libidinosum Regem Ethelbaldum arguit Apostolica libertate.

Rex *Ethelbaldus* nonnullas virtutes ut studium justitiæ, defensionem viduarum & pauperum, eleemosynarum erogationem, vitiis fœdavit gravissimis, ob quæ ipsum increpuit *Sanctus Bonifacius* in Epistola ad ipsum datâ.

Apud Vvillelmum Malmesbur. lib. 1. De Gestis Anglorum.

Quod verò, inquit, legitimum matrimonium spernis, si pro B *castitate faceres, esset laudabile: sed quia in luxuria & in adulterio quoque cum Sanctimonialibus volutaris, est vituperabile, & damnabile.... Quapropter pœniteat te, & memora quàm turpe sit, ut tu, qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad injuriam ejus sis libidinis servus. Audivimus præterea quòd Optimates pene omnes gentis Merciorum tuâ exemplô legitimas uxores deserant, & adulteras & Sanctimoniales constuprent.... Parce ergo animæ tuæ, fili carissime, parce multitudini populi tuo pereuntis exemplo, de quorum animabus redditurus es rationem.* Ipsum deinde ab adulterio & fornicatione abhorrere docet C Ethnicorum ipsorum exemplo. *In antiqua Saxonia, ubi nulla est Christi cognitio, si virgo in paternâ domo, vel maritata sub conjuge fuerit adulterata, manu propriâ strangulatam cremant; & supra fossam sepultæ corruptorem suspendunt: aut cingulô tenus vestibus abscissis, flagellans eam casta matrona, & cultellis pungunt, & de villa in villam missæ novæ accurrunt flagellatrices, donec interimant.... Si ergo Gentiles Deum ignorantes tantum zelum castimoniæ habent, quid tibi convenit, fili carissime, qui Christianus, & Rex es?...., Præterea nunciatum est nobis, quod multa privilegia Ecclesiarum & Monasteriorum auferens,* D *ad hoc audendum Duces tuô exemplô provoces. Sed recogita, quæso, quam terribilem vindictam Deus in anteriores Reges exercuit ejus culpæ conscios, quam in te arguimus.* Hæc ad Ethelbaldum Apostolicâ libertate & caritate scribebat *S. Bonifacius*. Ethelbaldo regnante, hortatu S. Bonifacii, Concilium à *Cutberto* Merciorum Episcopo *Clovesbovia* celebratum est, Rege ipso *Ethelbaldo* opem ferente, ad Cleri populíque mores reformandos, secundùm *Zachariæ* Romani Pontificis sanctissima monita. Adfuit Concilio *Ethelbaldus* cum Proceribus tribus & triginta. De hoc agemus in Historia Sæculi sequentis. E S. Bonifacii & Cutberti adhortationibus increpationibúsque *Ethelbaldum* Regem Pœnitentiæ sensu compunctum fuisse, & pro peccatis satisfacere decrevisse, verisimile est. Nam in Synodo laudatâ Præceptum emisit, quô, animam suam ab omni vinculo peccatorum (ut ait) liberam efficere studens, omnes Regni sui Ecclesias & Monasteria à publicis vectigalibus, operibus, & oneribus absolvit.

Ethelbaldum Regem pœnitentiam egisse, verisimile est.

Istud Præceptum refert *Vvillelmus Malmesbur. lib. 1. de Gestis Regum Anglorum.* Totam præterea *Crolandiæ* Insulam Benedicti Ordinis Monachis ad Cœnobium ædificandum, dono dedit Rex *Ethelbaldus*. Ejus donationis Chartam *Ingulphi* Abbatis F Historia repræsentat.

VIII *Berúredus*, qui Regnum parricidio occuparat, primô invasionis suæ anno ab *Offa* devictus ac cæsus est: Qui interfectô, hoste, potitus est Regno. Fuit hoc in Principe, in primo ætatis flore, vitiorum virtutúmque certamen. Imperii per fas & nefas amplificandi libidine, finitimos Reges bello vexavit; Northumbros & Cantianos maximis affecit incommodis: Cum *Kinevulpho* Vvest-Saxonum Rege congressus, victoriam reportavit: *Ethelbertum* Orientalium Anglorum Regem, virum innocentissimum, cui filiam suam uxorem desponderat,

rat, per insidias interficiendum curavit, ejusque Regnum invasit. Ut suum Regnum tam Pontificiâ quàm Regiâ potestate nulli cedere gloriari posset, Archiepiscopatum *Lichefeldiæ* institui ab *Adriano Primo* per obreptionem obtinuit, & Cantuariensem Archiepiscopatum multis Episcopatibus mutilari, qui Lichefeldensi addicti sunt. Occasionem dedere id urgendi professæ cum *Lamberto* Cantuariensium Archiepiscopo inimicitiæ. Inexhaustâ pecuniæ siti, multarum Ecclesiarum prædia, civiúmque bona expilavit. Interea ut Regni potentiam fœderibus firmaret, *Ethelburgam* filiam *Brithrico* Vvest-Saxonum Regi in matrimonium collocavit. Ortâ ipsum inter & *Carolum Magnum* Francorum Regem dissensione, ita ut utrinque navigatio interdicta negotiantibus esset, pacem quantociùs cum Rege Maximo redintegrare studuit. Vallum ingens inter Britanniam atque Merciam, idest, à mari usque ad mare fieri curavit, quò Mercii à cæteris Britanniæ populis disterminarentur, teste *Simeone Dunelmensi*. De peccatis tandem expiandis seriò cogitans, bonorum omnium decimam partem Ecclesiis dedit: Ecclesiam imprimis Herefordiæ, in quâ Ethelbertus Rex & Martyr sepultus erat, multis prædiis locupletavit.

Sacrarum Reliquiarum cultus in Ecclesia Anglicana.

Reliquias Sancti Albani in scrinio auro & gemmis ornato collocatas, in Cœnobium quod in ejus honorem construxerat, honorificentissimè transferri curavit, quod Monasterium multis ditavit possessionibus, templúmque magnificum novis donariis ornavit, ibique collocavit Monachorum Ordinis Benedictini familiam. Romam deinde profectus, veniâ peccatorum ad Apostolorum sepulchra humillimè exoratâ, Romano Pontifici Hadriano Primo, ejúsque Successoribus Regnum suum vectigale fecit, imposito tributo ex singulis nummis argenteis, quos denarios vocabant, domesticatim in annos singulos conferendis. Id factum anno salutis septingentesimo septuagesimo-quinto. Domum reversus, paulò post è vita migravit, anno Regni sui tricesimo-nono. Ista constant ex Chronico *Joannis Bromton*, ex *Vvillelmo Malmesburiensi lib. 1. de gestis Regum Anglorum* & *Polydoro Vergilio*, *lib. 14. Anglica Historia*.

Rex Offa Regnum suum Sedi Apostolicæ vectigale facit.

IX. *Offæ* successit filius *Egfertus*, sive *Egfredus*, pius & magnæ expectationis Princeps, qui statim ab initio Principatus ad Ecclesiarum Privilegia, quæ à patre suo imminuta fuerant, resarcienda animum adjecit. Vix quatuor menses regnarat, cùm immatura mors spes maximas, quas tam præclara initia excitarant, cum illo extinxit ac sepelivit.

X. Hæredem Regni fecit *Kenulphum*, qui ad *Pendam* genus suum referebat. Princeps fuit religione ac morum integritate, animi magnitudine, sapientiâ, cum quovis optimo Principe meritò comparandus. Adversùs Cantianos bellum gerens, Regem eorum *Edilbertum* cognomento *Pren* vinctum abduxit, sed deinde misericordiâ motus, libertate donavit. Egit apud *Leonem Tertium* ut imminuta Cantuariensis Ecclesiæ dignitas restitueretur. Legationem obiit ad Summum Pontificem Regis nomine *Athelardus* Cantuariensis Archiepiscopus. *Leo* re maturè discussâ, jus consecrandi Episcopos in duodecim Ecclesiis Cantuariensibus Archipræsulibus confirmavit, emendans quæ ab *Adriano* Decessore suo Rex *Offa* per obreptionem impetraverat. *Kenulphi* Regis & *Leonis* Papæ mutuas Epistolas describit *Villelmus Malmesburiensis*, *lib. 1. de Gestis Regum Anglorum*. Apud *Vvinchelcumbam* Cœnobium templúmque magnificum Extruxit, in eóque Monachos Ordinis Benedictini collocavit. Vivere desiit anno octingentesimo decimo-nono, cùm annis quatuor & viginti regnasset.

XI. Filium reliquit parvulum *Kenulphus*, nomine *Kenelmum*, Regni hæredem ac pietatis. Hunc soror *Quendreda* mulier ambitiosa, impia, crudelis ab ipsius educatore præmiis corrupto, & in spem Regni secum possidendi excitato, jussit jugulari. Multa in ejus morte, & in corporis, quòd loco deviò humatum erat, revelatione, patrata ferunt miracula, de quibus *Joannis Bromton Chronicon* legi potest. In Cœnobio *Vvinchelcumbensi* sepultus est, ibique sacris honoribus colebatur. Martyres inter conscriptus fuit, more his temporibus solenni, ut quicumque viri sancti ab impiis, quamvis ob causam occidebantur, Martyres dicerentur.

Post hæc Merciorum Regnum labefactatum inclinare cœpit in ruinam, sub Regibus *Ceolvulpho*, *Bernulpho*, *Ludecamo*, *Vthlaco*, Principibus nulla neque vitæ integritate, neque rerum gestarum gloriâ claris. Regno paulò dignior fuit *Bertulphus*, qui tamen à Dacis victus & Regno exutus est. Post hunc *Burthredus* collapsam Rempublicam erigere conatus, viginti annos regnavit, multis præliis cum Daco satis fœliciter commissis: sed tandem victus, ac patriâ pulsus, Romam voti gratiâ petiit, ubi privatus non multò post mortuus est. Huic à Dacis substitutus est *Seivulphus*, sive *Ceoulphus* ejus servus, quem *Alvredus* Rex Occidentalium Saxonum nullo negotio superavit, ac in ordinem redegit. Ita Merciorum Regnum jure belli cessit Vvest-Saxæ Regi.

§. VIII.

De Regibus Northumbriæ.

I. NOrthumbria, sic dicta quòd vergat ad Septentrionem, ac umbrosa sit propter altitudinem montium, quos frequentes habet, in duas partes dividebatur, in *Berniciam*, quæ ad Scotiam pertinet, & in *Deiram*. Hujus Regni latitudinem eam fuisse conjiciunt Historici, in quam Diœceses, *Eboracensis*, *Carliolensis*, & *Dunelmensis* patent. Principio Duces habuit *Ochtam*, & *Ebusam*, *Hengisti* fratrem, nepotemque, à quibus regio illa primum occupata est post Anglorum in Britanniam adventum.

II. Primus Regio nomine Northumbris dominatus est *Idas*, vir genere illustris, & bellicosus, anno salutis circiter quingentesimo quadragesimo septimo. Regni fines à flumine Humbro, ad fretum usque Scoticum propagavit, *Lotho* Pictorum, & *Conrano* Scotorum Rege acie victis, 14. annos regnavit.

III. Ipsi successit *Alla* ex eodem genere, qui annis triginta præclarè gessit Rempublicam. Eo regnante, contigit quod *Beda*, cæterique Anglorum Historici commemorant. Venales pueri ex Britannia Romam deducti, ob candorem corporis, venustatem vultûs, egregiamque comam, urbis admirationem rapuere, *Gregorio* nondum Pontifici moverunt commiserationem. Qui cum de eorum Gente, Provinciâ, Religione, Rege interrogasset, ac responsum esset Anglos esse, ex Provinciâ Deirorum, Regis *Alla* subditos; reposuit eleganter ad nomina alludens; Benè Anglos vocari, quorum facies esset Angelica, & quos deceret esse Angelorum in cœlis cohæredes: *Deiros* ex irâ Dei eruendos, & ad misericordiam Christi vocandos: in Regno Regis Alla *Alleluia* cantari oportere. Mox accedens ad Romanum Pontificem, rogavit ut aliquos verbi Ministros in Britanniam mitteret ad Anglorum conversionem: seipsum ultrò obtulit, idque perfecisset vir Apostolici pectoris, nisi ejus ex urbe discessum Cives prohibuissent. Tandem Pontifex creatus, quod exequi non poterat ipse, per alios perfecit, Augustinumque & Socios ad Anglorum

Eventus qui [illegible] Anglorum [illegible] in Angliam [illegible] dedit.

rum conversionem delegavit. Hunc eventum, quis volente ac agente Deo saluti gentis occasionem dedit, *Alla* regnante, ex Antiquorum traditione se accepisse *Beda* testatur, *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1.*

IV. *Alla* successit *Ethelricus* filius *Idæ*, & quinque annos regnavit, nullâ rerum gestarum gloriâ nobilis. Secundùm hunc regnavit *Ethelfridus*, filius, egregius bellator. Britannos, qui se in eam Insulæ partem, quæ *Vvallia* dicitur, receperant, aggressus, fudit, fugavitque, priùs in Monachos Banchorienses debacchatus, qui pro salute exercitûs supplicaturi frequentes convenerant. Scotos etiam in fugam dedit, quorum Rex *Edanus* secundis ejus rebus invidens, in bellum, etiam repugnantem impulerat. *Thedbaldus* frater *Ethelfridi* in acie cecidit. Externis hostibus debellatis, ut se quoque domi omni molestiâ & metu liberaret, *Eduinum Allæ* Regis filium, Regiis dotibus ornatissimum Juvenem, quem ipse paterni Regni hæreditate fraudaverat, in exilium ejecit.

Ille ad *Reduvaldum* Orientalium Anglorum Regem confugit. Transfugam reperiit *Ethelfredus*, ac *Reduvaldo*, hospitii jura violare nolenti, ac præstantissimum adolescentem inimico tradere, bellum indixit. Accensis utrinque animis, Reges ad bellum venere: acriter utrinque pugnatum. *Reinerus Reduvaldi* filius in prælio cæsus: interfectus primum *Ethelfridus* magno cum numero suorum. *Reduvaldus* potitus victoriâ, Regnum paternum *Eduvino* restituit. Annos viginti-quatuor *Ethelfredus* regnavit, usu quidem rei militaris nulli secundus, sed idololatriæ deditus. Ex *Acca* filia *Allæ*, sorore *Eduvini* susceperat *Osvvaldum*, *Osuvium*, *Enfredum*, & *Osricum* filios: quintum addunt alii, *Offam* nomine: qui auditâ patris nece, in Scotiam ad *Eugenium* Regem confugerunt, quos ille benignè accepit, in Christianâ Religione instituendos & Baptismo initiandos curavit. Fratres in Scotiam secuta est *Ebba* Virgo, & ad *Forthea* ostium delata, à quâ Promontorium proximum nomen traxit, quod hodie *Ebbum* vocant. Hæc ex *Beda*, *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum cap. XII.*

V. *Eduvinus* paternum Regnum amplificavit, Mevaniis Insulis ditioni suæ adjectis. Scotos, Pictosque intra fines suos manere coëgit, ab armisque cessare. *Caduvallonem* Britannorum Regem prælio superavit. Solos Cantianos habere maluit fœderatos, quàm hostes. Justitiam in Regno suo magis regnare curavit, quàm se ipsum. Nihil deerat strenuo sapientique Principi ad veram gloriam, quàm Christianæ Religionis professio: quam ut amplecteretur, occasioni primum fuit cœleste visum, quò dum *Ethelfredi* furorem fugiebat, degebatque apud *Reduvaldum* Orientalium Anglorum Regem, recreatus est, promissaque incolumitas & Regnum, modò salutis doctrinam se auditurum ac sectaturum polliceretur. Contulit maximè ad ejus conversionem, fœdus & affinitas, quam cum *Edbaldo* Rege Cantii junxit, ducta ejus sorore *Etheiberga*. Tantum verò negotium ad exitum perduxit *Paulini* sanctissimi Antistitis prædicatio, quem Justus Cantuariensis Archiepiscopus cum Regina miserat, tum ut ipsam ejusque Ministros in fide confirmaret, ac rem sacram in ejus Aula faceret; tum ut ethnicam Northumbriæ gentem ad fidei gratiam prædicando perducere satageret. Vertebatur annus Christi sexcentesimus vicesimus-quintus. Quô anno vix ullum in eo Regno laborum fructum tulit *Paulinus*: Sic Deus hujus sæculi excæcaverat mentes Infidelium, ut fulgeret eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi. Anno autem sequenti, *Quicelmus* Rex Vvest-Saxiæ, *Eduvini* fœlicitati invidens, nefarium sicarium misit, qui ipsum venenato pugione confoderet. Regem aggressus est parricida nefarius die sacra Paschatis. Cujusdam è suis familiaribus sese ipsum inter & percussorem injicientis beneficio furorem illius evasit, levi nihilominus vulnere affectus. Nocte præcedente *Ethelberga* Regina filiam fœliciter peperit nomine *Eanfledam*. Opportuna hæc fuit occasio *Paulino* Episcopo adhortandi Regem, ut pro utroque beneficio, non falsis Numinibus, sed Christo gratias referret. Audivit libenter Rex Præsulis monita, promisitque se Christianam Religionem quamprimum amplexurum, si pugnans adversùs Regem Vvast-Saxonum, qui tam nefarias ipsi struxerat insidias, victoriam bene juvante Christo, consequeretur: & in pignus promissionis implendæ, filiam recèns natam Christo consecrandam *Paulino* tradidit, qui eam confestim primam omnium ex gente Northumbrorum, cum aliis duodecim ex ejus domo baptizavit. Mox *Eduvinus* curato vulnere, colligit exercitum, Occidentales Saxones aggreditur, vincit, Regem ipsum occidit. Reduci postquam victoriam gratulatus est *Paulinus* Præsul, ipsum urget vehementer ut promissa impleat, Christoque det nomen. Rex nihil imprudenter agere solitus, abstinet quidem à cultu Idolorum, sed Christianis Sacramentis priùs non vult initiari, quàm Religionis nostræ veritatem fuerit edoctus, & cum Regni sui Sapientibus eâ de re contulerit. Interea Rex literas accepit à Romano Pontifice, quibus ad fidem Christianam multis argumentis incitabatur. Epistola Pontificis apud Bedam *Bonifacii nomen* præfert, Is erat *Bonifacius V*. Idem Pontifex ad *Ethelbergam* seu *Edelburgam* Reginam litteras dedit, quibus ipsam adhortabatur, ut salutem Regis mariti sui curaret, ejusque conversioni cooperaretur. Inter hæc, cum Rex in tam necessario negotio nimirùm cunctaretur; *Paulinus* ad eum ingressus, dexteram capiti ejus imposuit, & hoc datô signô, revocavit ipsi in memoriam cœleste visum, & Oraculum quò fuerat recreatus, dum apud *Reduvaldum* Regem profugus ageret. Tandem *Eduvinus* post alteram cum Proceribus & Sapientibus Regni sui collationem, post aras Idolorum eversas, fanaque succensa ab ipso Ethnicæ superstitionis Pontifice, cum cunctis Regni sui Nobilibus, & Plebis multitudine maxima, baptizatus est Eboraci, die Paschatis, in Ecclesia *Sancti Petri*, quam ex lignis strui jusserat ad tempus donec majorem & augustiorem ex lapide quadrato Basilicam ædificaret. Quod opus statim à suscepto Baptismate inceptum, immatura morte præreptus, *Osuvaldo* Successori perficiendum reliquit. Baptizatus est *Eduvinus* anno salutis sexcentesimo vicesimo-septimo, Regni sui undecimo. Paternæ fœlicitatis fuere participes *Eduvini* filii *Offridus* & *Eadfridus*, quos ex *Quemburga*, *Cearli* Regis Merciorum filia susceperat, & *Edilhimus* ac *Buscfrea* ex *Edelburga* Regina geniti, cum *Edilfrida* sorore. Primi adhuc in albis positi atque è Baptismo recentes, rapti sunt è vita, & Eboraci sepulti. Tantus autem erat fidei fervor, & desiderium lavacri salutaris in *Berniciis* & *Deiris*, ut triginta diebus continuis à Catecheseos & Baptismi sacro Ministerio *Paulinus* Antistes non cessaret. In fluviis Baptismum conferebat, nondum extructis, in illo Ecclesiæ apud Northumbros nascentis exordio, Ecclesiis ac Baptisteriis. His acceptis nuntiis, *Honorius I.* Romanus Pontifex, qui *Bonifacio Quinto* successerat, gratulatorias, & exhortatorias ad *Eduinum* Regem Literas dedit; paternâ illum charitate accendens, ut in fide veritatis permaneret ac proficeret. Misit etiam Pallium ad *Paulinum*, quem Eboracensem Archiepiscopum creavit, & *Honorium*, qui *Justo* in Archiepiscopatu Cantuariensi successerat: statuens ut cùm Cantuariensis vel Eboracensis Antistes è vitâ migrasset, qui superstes

Eduvinus, Rex Northumbrorum cum gente ad fidem Christi conversus à Paulino Episcopo.

superstes esset amborum, ordinaret Successorem, ne Romam usque pro Archiepiscopi consecratione proficisci necesse esset.

Caduallon vocat Beda.

Regnum Northumbrorum Eduino imperante florentissimum & tranquillissimum *Caduvallonis* * Britonum Regis defectio turbavit. Auxilio ipsi fuit *Penda* Rex Merciorum. Ambo, junctis viribus, in Northumbros magno sese impetu contulerunt. Acriter utrinque pugnatum in campo, cui nomen *Hethfelth*. In prælio cecidit Rex *Eduinus*, quarto Idus Octobris, anno salutis sexcentesimo tricesimo tertio, anno ætatis quadragesimo septimo, Regni verò decimò septimo. Ante ipsum *Osfridus* ejus filius concidit, *Edfridus* filius alter, necessitate compellente, ad *Pendam* Regem transfugit; à quo postmodum, regnante *Osuvaldo*, contra fidem jurisjurandi, peremptus est. Deletus *Eduini* exercitus. Ecclesiæ & genti Northumbrorum calamitosa cum primis hoc dies fuit. In illa clade, cùm nihil alicubi præsidii nisi in fuga esse videretur, *Paulinus* Archiepiscopus, cum *Edelburga* Regina, *Enfreda* filia, & *Vulefrea* filio *Eduini*, & *Issi* ejus nepote, filio scilicet *Osfridi*, ad *Edbaldum* Regem Cantii confugit. Vacabat eò tempore Ecclesia Roffensis per obitum *Romani* Præsulis, qui à *Justo* Archiepiscopo Cantuariensis Legatus missus ad *Honorium* Pontificem Maximum, naufragio absorptus fuerat. Quamobrem *Paulinus*, *Honorio* Cantuariensi, & *Edbaldo* Rege rogantibus, Roffensis Ecclesiæ administrationem suscepit, ejúsque Sacris præfuit ad mortem usque. Hæc de Regis *Eduini* gestis, conversione, & morte habemus ex *Beda lib.* 2. *Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum* capite nono, & decem sequentibus; ex Chronico *Joannis Bromton*, & aliis Anglorum Historicis.

VI. Post necem *Eduini*, Northumbrorum Regnum inter *Osricum* & *Enfredum* ejus nepotes, *Ethelfridi* Regis filios divisum est. Huic *Bernicia*, illi *Deira* obvenit. Ii Religionem Christianam, quam exules apud Scotos susceperant, repudiarunt, baptismumque polluerunt idololatriæ sordibus. Sed tam execrandam perfidiam, Deus inultam diu non reliquit. Vix enim annus intercesserat, cùm à *Caduvallone* Rege Britonum peremptus uterque est. Infaustus ille annus propter Apostasiam Regum, & Britonis Regis tyrannidem, *Osuvaldi* Regno assignatus est ab Annalium Anglicanorum Scriptoribus expunctâ perfidorum Regum memoriâ. (*Ex Beda, lib. 3. cap.* 1.)

Osuvaldus Regis fides & pietas.

VII. *Osuvaldus*, *Ethelfridi* filius natu major, fratrum necem ultutus, cum exercitu viribus longè impari, sed fide Christi, quam integerrimam servaverat, munitus, *Caduvallonem* Tyrannum aggressus est, eumque commissâ pugnâ interemit, ejusque copias penitus delevit. Hujus theatrum victoriæ locus fuit, quem Angli *Denisesburn*, id est, *Rivum Denisi* vocabant. In magna etiam veneratione fuit locus, in quo *Osuvaldus* ad hanc pugnam se comparans, signum sanctæ Crucis erexit, ac Deum exercituum invocavit, Crux illa miraculis illustrata est. Locus Anglorum linguâ vocatus *Hevenfeld*, id est, *Cœlestis Campus*. Hùc *Hagulstadensis Ecclesiæ Fratres* quotannis confluere solitos post *Osuvaldi* necem, pridie obitûs ipsius, ut *Vigilias pro salute animæ ejus facerent; plurimaque Psalmorum laude celebratâ, victimam sacræ Oblationis pro eo manè obtulisse*, testatur *Beda*, *lib.* 3 *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum*, *cap.* 2.

Missa & preces pro defunctis in Anglicana Ecclesia celebratæ.

Regno, victoriáque potitus *Osuvaldus*, Religioni in suo Regno propagandæ operam dedit.

S. Aidanus Lindisfarnensis Episcopus.

Quocirca *Aidanum* Episcopum sanctissimum è Scotia vocatum in Lindisfarnensi constituit Insula, anno salutis sexcentesimo quadragesimo. Cùm *Aidanus* nondum Anglicam linguam apprime calleret, & suo, id est, Scotico idiomate, Christianum dogma populos doceret, Rex *Osuvaldus*, qui Scoticæ linguæ probè sciens erat, interpretis officiò fungebatur, sicque Regi juxta & Episcopo plebs innumera salutem suam debuit. Multæ Regiò munere extructæ Ecclesiæ, multa ædificata & dotata Monasteria. Cùm Ecclesia propagabatur Disciplina Regularis: Monachi namque erant, qui sacram Evangelicæ prædicationis susceperant provinciam. Monachus ipse Episcopus *Aidanus*, ex Insula Hyi destinatus. Quæ *Insula habere semper solebat Rectorem Abbatem Presbyterum cujus juri & omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato deberent esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus*; ut refert *Beda*, *cap.* 4. *libri tertii*.

Episcopi & Monachi in Ecclesia Anglicana.

Hâc in Insula institutus fuerat *Aidanus* vir Apostolicus, cujus vitam describit, *Beda*, *lib.* 3. *cap.* 5. In eâ id notandum maximè, quod sanctiorem disciplinam spectat, ejus exemplis apud Anglos constitutam. *In tantum*, inquit, *vita illius a nostri temporis segnitia distabat, ut omnes, qui cum eo incedebant, sive attonsi, sive Laici, meditari deberent; id est, aut legendis Scripturis, aut Psalmis discendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius, & omnium, qui cum eo erant, Fratrum, ubicumque locorum devenissent. Et si fortè evenisset ut ad Regis convivium vocaretur, intrabat cum uno Clerico, aut duobus: & ubi paululum reficiebatur, accelerabat ocyus ad legendum cum suis, sive ad orandum exire. Cujus exemplis informati tempore illo Religiosi quique viri ac fœminæ, consuetudinem fecerunt per totum annum, exceptâ remissione Quinquagesimæ Paschalis, quartâ & sextâ Sabbathi jejunium ad Nonam usque horam protelare.*

Nusquam floruit magis, quàm *Osuvaldo* Rege, Northumbriæ Regnum. Britannos, Pictos, Scotos, & Anglos diversarum linguarum nationes, in ditionem accepit. Mira fuit in tantæ majestatis fastigio *Osuvaldi* pietas, humilitas singularis, & in pauperes ac peregrinos caritas & beneficentia infinitis laudibus celebranda.

Osuvaldus Rex Sanctus.

Inter pietatis opera, quæ ab ipso passim edebantur, illud æternâ memoriâ dignum, quod *Beda* refert, cap. 6. libri tertii. Die Sancto Paschatis, *Aidano* Antistite cum ipso ad mensam discumbente, nunciatum est à Ministris, antequam manus ad *panem benedicendum* extendissent, pauperum undequaque advenientium multitudinem maximam juxtà fores Palatii circumstare, qui eleemosynam rogarent. Mox pius Princeps Regias dapes, in disco argenteo sibi appositas, pauperibus deferri jussit, confractúmque discum inter eos minutatim dividi. Quò pietatis heroicæ facinore delectatus Antistes ad Regem conversus, manu ejus apprehensâ, benè precatus est dicens: *Nunquam inveterascat hæc manus*. Quod juxta benedictionis votum evenit. Cùm enim eo cæsò in pugnâ, manus à reliquo corpore essent resectæ, manserunt semper incorruptæ, & in capsâ argentea in Villa Regia, in *Sancti Petri* templo conditæ, summâ cum veneratione servatæ sunt. Reconciliatis denique Berniciorum & Deirorum animis, quos inter diuturna fierat dissensio, ad cohibendas *Pendæ* Regis Merciorum ferocissimi excursiones, habitis delectibus, in hostem ivit. Grave prælium commissum, in quo cæsus est *Osuvaldus* anno ætatis tricesimo octavo, Regni nono, Christi sexcentesimo quadragesimo-octavo. Multis miraculis ejus sanctitatem Deus comprobavit, memoriam illustravit. De *S. Osuvaldi* gestis, morte, miraculis, legendus *Beda*, ex quo maximè hæc excerpsimus, *lib* 3 *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum*, sex prioribus Capitulis, & à Cap. 9. ad 14. De his etiam *Simeon Dunelmensis*, in Historia Dunelmensis Ecclesiæ, capp. 1. & 2. Chronicon

nicon *Joannis Bromton*, *Vvillelmus Malmesbur. lib.* 1. *de gestis Regum Anglorum*, & alii rerum Anglicarum Scriptores.

VIII. Post Regis *Osuvaldi* mortem, Northumbriæ Regnum iterum divisum est. *Osuvius*, *Osuvaldi* frater, Beroiciam obtinuit; *Osuvinus* filius *Osrici*, *Eduvini* Regis abnepos, Deiram potiundam accepit. Hos initio Principatûs concordes, imperii cupiditas consortis impatiens in bellum domesticum impulit: Collectus utrinque exercitus: sed longè viribus inferior *Osuvinus*, existimans sibi utilius fore impræsentiarum cedere, quàm dimicare, dimissô exercitu, uno tantùm stipatus milite, in domum Comitis *Hunvaldi*, quem sibi amicissimum arbitrabatur, clàm se recepit. *Hunvaldus* homo perfidus egregium Principem *Osuvio* necandum prodidit. Peremptus est *Osuvinus* 3. Kalendas Septembris, annô Regni sui nono, salutis sexcentesimo quinquagesimo-septimo, in loco qui dicitur *Ingethlingum*, ubi postmodùm ad hujus expiationem facinoris Monasterium constructum est, *in quo pro utriusque Regis, & occisi videlicet, & ejus qui occidere jussit, animæ redemptione, quotidie Domino preces offerri deberent*; ut *Beda* testatur, lib. 3. cap. 14.

Preces Domino pro defunctis oblatæ in Ecclesia Anglicana.

Osuvinum proceritas corporis, oris venustas, comitas morum, profusa in omnes, nobiles juxta & ignobiles, munificentia, eximia in Deum pietas & religio, cunctis amabilem fecerant. Humilitate & modestiâ cumprimis enituit; ejus insigne exemplum *Beda* commemorat. Cùm equum ingentis pretii, quo vehi solebat, Regio stratum apparatu sanctissimo Episcopo *Aidano* utendum donasset, illúmque pauperi fortè obvio dedisset misericors Antistes, Rex id ægrè tulit, viliorem equum, aut pecunias, vel alias species erogari potuisse pauperi innuens: quem leniter emendans Episcopus, his verbis compellat. *Quid loqueris, Rex! Num tibi carior est filius equæ, quàm Filius Dei?* Hærent Principis animo Præsulis verba, cujus ad pedes mox prostratus, delicti veniam exorat, ac *Aidano* potestatem facit ut de Regiis pecuniis, quid vel quantum voluerit, *Filiis Dei*, id est, pauperibus, tribuat. Regem erigit & consolatur Episcopus, sed ubi animo vultuque Principis reddita lætitiæ serenitas, Antistes ingemiscit, illachrymatur. Socius Presbyter linguâ patriâ causam rogat. Cui Aidanus: *Scio*, inquit, *quòd non multô tempore victurus est Rex: nunquam enim vidi antehac humilem Regem: unde animadverto citiùs illum ex hac vita rapiendum. Non enim digna est hæc gens talem habere Rectorem.* Nec multô post infaustum Episcopi præsagium impletum est. Duodecim duntaxat dies *Osuvino* Regi superstes fuit *Sanctus Aidanus*, cujus miracula *Beda* commemorat capitibus decimo-quinto, decimo-sexto, & decimo-septimo libri tertii Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum, ejusque virtutes celebrat, unum in eo improbans nævum, quò à Paschatis legitimâ die celebrandi canonico more aberraret. Illud enim celebrabat vel Lunâ ipsa decimâ quarta, si in eam Dominica dies incideret. Qui Scotorum erat error eâ tempestate.

Osuvini Regis clementia & modestia.

Humilitas in viro Regem.

Osuvius Regno integro potitus, cùm pacem à *Penda* Rege Merciorum, qui *Osuvaldum* ejus fratrem occiderat, Northumbriam continuis incursionibus infestabat muneribus redimere non posset, bellum difficillimum adversùs ipsum suscepit, signáque cum eo contulit, copiis longè imparibus, sed divinâ benè fretus ope, nuncupatóque voto, quod obtentâ victoriâ religiosè implevit, se filiam *Elfledam* perpetuâ virginitate Deo consecraturum, & duodecim prædia totidem construendis Monasteriis donaturum, si victor Dei munere evaderet. Inito certamine, primò in fugam versus, mox deletus est Paganorum exercitus; Rex ipse *Penda* in prælio cecidit, *Osuvius* Mercios in deditionem accepit, tenuitque sub potestate per triennium. (*Ex Beda, lib. 3. cap. 24.*)

Votorum nuncupatio, consecratio Virginum, Monasteriorum fundatio in Ecclesia Anglicana.

Osuvius deinceps de Religione bene mereri studuit. Dissensionem de die legitimâ celebrandi Paschatis, quæ Ecclesiam Anglicanam perturbabat, tollere conatus est collatione habitâ in Monasterio *Strenaeshalch*, quod Latinè dicitur *Sinus fari*, cui præerat *Hilda* Abbatissa. Scotorum morem propugnabant *Colmannus* Lindisfarnensis Antistes, & ejus Clerici, *Cedda* Episcopus, & *Hilda* Abbatissa cum suis. Has in partes inclinabat Rex *Osuvius*. Romanum & Catholicum morem tuebantur *Agilbertus* Occidentalium Saxonum Antistes, cum *Vvilfrido* Abbate, & *Agathone* Presbytero, *Romano* item Presbytero, & *Jacobo* Diacono. His favebat *Alchfridus* Princeps, *Osuvii* Regis filius, à *Vvilfrido* institutos. Post longam disceptationem, Rex *Osuvius* victores dixit, qui Romanæ Ecclesiæ morem defendebant. Hunc amplexus est *Cedda*: *Colmannus* verò pertinax in Scotiam secessit, rem cum suis communicaturus. Ejus in locum, Ecclesiæ Lindisfarnensi præfectus est *Tuda*. Erat is annus salutis sexcentesimus sexagesimus-quartus, *Osuvii* Regis vicesimus-secundus. In ea Collatione, de Tonsura quoque Ecclesiasticâ disceptatum. Sexto post anno, Christi scilicet sexcentesimo septuagesimo, ætatis quinquagesimo-octavo, Regni vicesimo-octavo, in morbum incidit Rex *Osuvius*, ex quo & mortuus est 15. Kalendas Martias. Statuerat, si ex infirmitate convalesceret, Romam proficisci, ibique ad loca sancta vitam agere, duce itineris *Vvilfrido* Episcopo. Quinque ex *Enfreda* Regina, *Eduvini* filia, liberos suscepit, mares duos, *Egfridum*, & *Alvinum* *, filias tres, *Ostham*, *Alucfredam*, & *Edelfredam*.

Rex Osuvius Romanum morem celebrandi Paschatis legitimâ die in Regnum suum introducit.

Beda lib. 3. cap. 25. & 26.

* sive Elwinum.

IX. Regni paterni hæres fuit *Egfridus*, optimus Princeps. Hujus anno tertio, Concilium *Herudfordiæ* celebratum est à *Theodoro Cantuariensi*, Disciplinæ Ecclesiasticæ sanciendæ causâ. Anno Regni sui nono bellum habuit cum *Edilredo* Merciorum Rege, acriter pugnatum utrinque. Cæsus est *Egfridi* Regis frater. Pax auctore *Theodoro* Cantuariensi Archiepiscopo composita. (*Ex Beda lib. 4. cap. 21.*) Anno sequenti, qui Christi numerabatur sexcentesimus octogesimus, obiit *Hilda Abbatissa*, ex Regia *Eduvini* stirpe nobilis & Religiosa Virgo, de cujus Vita lege *Bedam*, *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum Capp. decimo tertio & decimo-quarto.* Anno Christi sexcentesimo-quarto, *Egfridus* Rex, ducto in Hyberniam exercitu, gentem innoxiam, & Anglorum genti semper amicissimam immani bello lacessivit; ita ut nec Ecclesiis, nec Monasteriis parceretur. Postea *Eugenium V.* Scotorum Regem, amicis licet ab eo bello deterrentibus, aggressus est, exitu infœlici. Demum ductô in Pictos exercitu, hostibus fugam simulantibus, in angustiis inaccessorum montium, cum copiarum parte maximâ oppressus atque cæsus est, anno ætatis quadragesimo, Regni decimo quinto. Id boni Ecclesiæ præstitit Anglicanæ ante obitum, quòd *Cudbertum* virum sanctissimum Lindisfarnensis Ecclesiæ Episcopum ordinari curavit. *S. Cudberti* Vitam Prosa & Metro seorsim scriptis Beda Venerabilis, de quo & plura commemorat, *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum, cap. vicesimo-septimo, & sequentibus*, Monachus fuit, Abbas, & Prædicator, Apostolicus, ante suam inaugurationem Cudbertus. *Crebrò de Monasterio egressus, aliquoties equo sedens, sæpius pedibus incedens, circumpositas veniebat ad villas, & viam veritatis prædicabat errantibus. Erat quippe moris, eô tempore populis Anglorum, ut veniente in villam Clerico, vel Presbytero,*

Beda lib. 4. cap. 26.

Veterum Anglorum erga Presbyteros & Clericos reverentia.

tero, cuncti ad ejus imperium verbum audituri confluerent, libenter ea quæ dicerentur audirent, libentius ea quæ audire & intelligere poterant, operando sequerentur. Porrò Cudberto tanta erat dicendi peritia, tantus amor persuadendi quæ docuerat, tale vultûs Angelici lumen, ut nullus præsentium latebras ei sui cordis celare præsumeret, quin omnes palam, quæ gesserant, confitendo proferrent: & confessa dignis (ut imperabat) pœnitentiæ fructibus abstergerent. Hæc & alia plura de *S. Cudberto*, & Ecclesiæ Anglicanæ statu his temporibus *Beda Venerabilis*. Plura etiam de ipso *Simeon Dunelmensis*, sive *Turgotus*, in Historia suæ Ecclesiæ.

Confessio sacramentalis in usu apud Anglos veteres.

X. *Ecgfrido* successit *Alfridus*, *Osuvii* Regis ex concubina filius, Regnumque per annos undeviginti pacificè rexit, non tamen iisdem finibus quibus pater & frater, quia Picti victoriâ hostiliter cupidéque usi, plurima ab Aquilone invaserant. Floruit per hæc tempora sanctissimus Hagustaldensis Ecclesiæ Episcopus *Joannes*, insignis miraculorum effector, quorum plurima *Beda* commemorat libro quinto à capite secundo ad septimum.

XI. Post *Alfridum* regnavit *Osredus* octo annorum puer, annis undecim. Adolescentiam stupris polluebat, cùm *Kenredi* & *Osrici* insidiis cæsus est. *Kenredus* deinde post annos Regni duos, *Osricus* post annos undecim, parricidii, tyrannidisque pœnas pari exitu dedere. Osricum *Celvulphus* excepit, sive *Ceolulphus*, Princeps literarum amans, & ipse cumprimis eruditus, cui *Venerabilis Beda* Historiam suam Ecclesiasticam gentis Anglorum dicavit. Is cùm annis octo regnasset, Regnum *Egberto* patrueli tradidit, & Vitam ipse Monasticam professus est anno Christi septingentesimo tricesimo-septimo. Iste pariter post alterum & vicesimum annum, purpuram cum veste Monastica commutavit, cùm priùs Regnum filio suo *Osvulfo* tradidisset, anno salutis septingentesimo quinquagesimo octavo. Hic anno sequenti à suis occisus est. *Osvulfum* secutus est *Edilvualdus* cui cognomen *Molloni*. Is undecim annis gestâ Republicâ, insidiis *Alredi* occubuit. *Alredus* anno Regni decimo, abdicare compulsus. In cujus locum substituitur *Ethelbertus* filius *Mollonis*. Sed quinto post anno expellitur gentis inconstantiâ. Post hunc *Celvuoldus*; sive *Alsvvoldus*, aut *Asvaldus*, Rex acclamatur, & undecimo post anno populi seditione opprimitur. Illi successit *Osredus* nepos, qui anno vix elapso, sortis similis formidine, se privatim ad vitam recepit. Postremò *Ethelberthus*, filius *Edilvualdi Mollonis*, Regni administrationem tot antea Regulis exitialem suscipere ausus est, qui tamen fatum superiorum Principum effugere non valuit: Post annos enim quatuor & ipse à suis occisus est. Triginta deinceps annis & ampliùs Northumbriæ Regnum vacavit, nullo id sibi petere audente; & tam finitimorum popolorum, quàm Barbarorum, Danorum præsertim incursionibus & deprædationi expositum est, donec *Egbertus* Rex Vvest-Saxiæ, devictis, pulsísque Danis, suo illud adjecit Imperio, anno salutis octingentesimo vicesimo-septimo.

Reges Vitam Monasticam profitentur.

§. ULTIMUS.

De Regibus Occidentalium Saxonum, seu Vvest-Saxiæ.

I. Fines Regni Vvest-Saxiæ in eamdem longitudinem & latitudinem patuisse, in quam *Bathoniensis*, *Vellensis*, *Sarisberiensis*, ac *Exoniensis* Diœceses patent, Scriptores conjiciunt. Ipsi initium dedit *Cerdicius* anno circiter humanæ salutis quingentesimo vicesimo-primo. Post sexdecim annos fato functus, Regnum transmisit ad filium, cui *Cenrico* nomen fuit. Hic Regnum paternâ virtute partum fundatúmque cùm nonnihil amplìasset, post annos viginti-sex filio *Ceaulino* hæreditate reliquit possidendum. Princeps ille fuit bellicâ fortitudine spectatissimus. *Ethelbertum* Cantii Regem alienos fines avidiùs incursantem aggressus, fusis copiis ad sua fugavit. Britannos urbibus *Glocestria*, *Circestria*, & *Bathonia* expulit. Demum Anglis & Britonibus unà rebellantibus & conspirantibus, deletô exercitu, anno postquam regnare cœperat altero & tricesimo, privatam ad sortem redactus, exul obiit. Regnum ejus casu nutabundum rexere *Celricus* annis sex, & *Ceolfus* annis quatuordecim. Secundùm hos regnarunt *Cinegislus*, & *Quicelmus Celrici* filii. Bella plurima, vel contra Britannos, vel contra *Pendam* Regem Merciorum, fœliciter satis gessere. *Quicelmus* magnam infamiæ labem contraxit, quòd *Edvinum* Regem Northumbriæ, subornatô sicariô, insidiis appetiverit. Superstes *Quicelmo Cinegislus*. Eo regnante, Occidentales Saxones *Byrino* Episcopo, quem *Honorius I.* Pontifex Maximus miserat, prædicante, fidem Christi susceperunt. Ipse *Cinegislus* Christo nomen dedit, & è sacro fonte ab *Osvvaldo* Rege Northumbrorum susceptus est. Sedes Episcopalis *Dorcinea* constituta. Anno Regni sui altero & tricesimo *Cinegislus* obiit.

Occidentales Saxones cum Rege suo ad Christum conversi.

II. In Regnum *Cinegisli* patris successit *Kenevalchius*, Regni exordiô pessimus, mediô & ultimô tempore, Principibus optimis comparandus. Ut enim Regno potitus est, paternæ pietatis degener adolescens, Christianam Religionem, simul & uxorem legitimam repudiavit. Sed à *Penda* Rege Merciorum, cujus sorori repudium dederat, bello impeditus, victúsque, ad *Annam* Orientalium Anglorum Regem confugit: ubi & adversis rebus eruditus, & à religiosissimo Principe monitus increpitusque propter violatam Christi fidem, legitimíque matrimonii abruptum fœdus, ad Christum rediit, uxorem recepit, Deóque juvante, Regnum trienniô post integrum recuperavit. Ipsi cum Dei amicitiâ restitutæ vires. Britannos duplici prælio profligavit: & in *Vvulpherum Pendæ* filium paternam ultus injuriam, illum parte Regni multavit maximâ. Pietatis cultor egregius, templum opere magnificum Vvintoniæ erexit, in quo Sedes Episcopalis locata est. Præclaras animi dotes fovèrunt *Angilbertus* & *Eleutherius* Episcopi. *Angilbertus* natione Gallus, in Hibernia divinis Scripturis imbutus, sponte ministerium Evangelicæ prædicationis apud Occidentales Saxones assumpsit. Cujus eruditione atque industria cognitis, *Kenevvalchius* Rex ipsum rogavit ut Episcopatum suæ gentis susciperet. Hunc verò postea, propter linguæ peregrinitatem, minùs gratum habens, Provinciam in duas Diœceses divisit, alterique præfecit *Vvini* hominem Anglum. Inde meritò offensus *Angilbertus*, quòd ipsô inconsultô, Rex hujusmodi divisionem contra Canones aggressus esset, in Gallias rediit, & Parisiensis Episcopus factus est. Non moltò post *Angilberti* discessum, *Vvini* Regi invisus esse cœpit, ad eóque pulsus, ad *Vvulpherum* confugit Merciorum Regem, & numeratâ pecuniâ Londinensem Episcopatum à sacrilego Principe emit novus Simon. Exinde aliquot annos absque Episcopo fuit Occidentalium Saxonum Provincia. Per id tempus *Kenevvalchius* Rex clades non minimas passus ab hostibus, seriò cogitavit, Regnum Antistite destitutum qui Religionem curaret, justè divino præsidio destitui. Continuò itaque missis in Galliam Legatis, *Angilbertum* Episcopum rogavit ut ad pristinam Sedem rediret. Morem se Regi gerere non posse rescripsit *Angilbertus*, quòd Ecclesiæ Parisiensi adstrictus esset. In amoris tamen sui erga

Occidentalium Saxonum Ecclesiam gentémque pignus, *Eleutherium* nepotem suum, Episcopatu dignissimum eò misit, qui, si Regi luberet, ordinaretur Episcopus. Qui à Rege, populóque perhonorificè susceptus, & à *Theodoro Cantuariensi*, consecratus, multis annis *Vvest-Saxonum* Ecclesiam sanctissimè rexit. (*Ex Beda lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. VII.*) *Eleutherio* Episcopo multùm debuisse Malmesburiense Monasterium, cui & *Adelmum* virum sanctum & eruditum Abbatem præfecit, testatur *Villelmus Malmesburiensis lib. 5. de gestis Regum Anglorum* Cap. 12. *Kenenvalchius* post annos unum & triginta, ex quo regnare cœperat, è vita migravit, Regni administratione *Sexburga* uxori relictâ. Huic satis erat animi sapientiæ, ac virtutis ad Rempublicam bene gerendam: sed intra annum defuncta, dotes supra sexum præstantes ostentare non valuit.

Tum Regnum *Escuinum* inter & *Kentuinum* divisum est, ambos fortitudinis bellicæ gloriâ insignes: siquidem ille Mercios, hic Britannos clade affecit. Decem annis regnarunt. Quô tempore, defunctô Eleutherio, *Heddi* ejus in locum Episcopus à *Theodoro Cantuariensi* consecratus est.

III. Post istos, ut *Beda* vocat, *Subregulos*, Imperium obtinuit *Ceduvalla*, Ceaulinicæ fratre Cuda pronepos, cujus ingenti animo invidentes Vvest-Saxiæ Proceres, cùm adhuc privatus esset, ipsum, conspiratione factâ, patriâ ejecerant. Illi bellicæ virtutis ostentandæ exilium occasionem dedit. Cum selectâ coim Juvenum manu, qui ipsum fuerant secuti, in Australes Saxones irruens, Rege *Ethelvachio* occiso, Provinciam longè latéque depopulatus est. Paulò post insperatus rediit, Regnúmque obtinuit, pulsis æmulis. Australibus Saxonibus semper infestos, *Ethelvachis* Successorem *Edricum* cæcidit. Cantianos etiam bello vexavit. Vectam Insulam hostiliter ingressus, parum adfuit quin delevetit. Ad illam expeditionem se accingens, nondum licet Christianus, votô se obstrinxerat, quartam Insulæ, necnon & prædæ partem, si victor evaderet, Domino oblaturum. Quod implevit, reportatâ victoriâ. Terram enim trecentarum familiarum *Vvilfrido* Episcopo tradidit possidendam. Hic eam *Bernuino* nepoti uni ex suis Clericis commendavit, adjungens illi Presbyterum nomine *Hildilam*, qui Evangelium Insulanis prædicaret, ac Sacramenta ministraret. Sic Vecta Insula in Christi ditionem transit. Tandem Rex ipse *Ceduvalla* Christo nomen dedit, & ad limina Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Christianis Sacris initiari cupiens, relictô Regnô terrenô, cœleste quæsiturus, Romam profectus est. Ibi à *Sergio* Papa baptizatus die sancto Paschalis Sabbathi, anno salutis sexcentesimo octogesimo-nono in albis adhuc positus, prout vehementer optaverat, in cœlum migravit, duodecimo Kalendas Maias. In Ecclesia S. Petri, cujus nomen ipsi fuerat à *Sergio* Papa impositum, sepultus est: eique, jussu Pontificis, istud ad perennum memoriam inscriptum monumentum:

Regis Ceduvallæ votum.

Peregrinatio ad Apostolorum limina.

Rex Ceduvalla Romæ à Sergio Papa baptizatur.

Culmen, opes, sobolem, pollentia Regna, triumphos,
Exuvias, Proceres, mœnia, castra, lares:
Quæque patrum virtus, & quæ congesserat ipse,
Ceadual armipotens liquit amore Dei:
Ut Petrum sedémque Petri Rex cerneret hospes,
Cujus fonte meras sumeret almus aquas;
Splendificúmque jubar radiante carperet haustu,
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiénsque alacer rediviva præmia vitæ,
Barbaricam rabiem, nomen & inde suum
Conversus convertit ovans, Petrúmque vocari
Sergius Antistes jussit, ut ipse Pater
Fonte renascentis: quem Christi gratia purgans,
Protinus ablatum vexit in arce poli.
Mira fides Regis, clementia maxima Christi,
Cujus consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, pérque vias,
Urbem Romuleam vidit, templúmque verendum
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit:
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis Sceptrorum insignia credas,
Quem Regnum Christi promeruisse vides.

Obiit anno ætatis circiter tricesimo, cùm annos duos regnasset. Hæc ex *Beda lib. quarto Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum capp. 15. & 16. & lib. 5. cap.* 7. De his etiam *Vvillelmus Malmesburiensis lib. 1. de gestis Regum Anglorum & Henricus Huntindoniensis lib.* 4. Anno sequenti *Theodorus* Cantuariensis Archiepiscopus de Ecclesia Anglicana optimè meritus, obiit anno ætatis octogesimo octavo.

IV. Post *Ceduvallam*, Rex creatus est *Ina*, *Cinegisli* ex fratre *Cuthbaldo* pronepos, Princeps fortitudine, consiliô, religione, nulli secundus. Cantianis bellum indixit; sed illi armis ejus territi, virtutísque famâ, pacem grandi auri pondere redimere maluerunt, quàm belli fortunam tentare. Deinde in *Aldinium* Australium Saxonum Regem arma convertens, ipsum penitus profligavit, Regnóque exuit. Totus fuit deinceps in pietatis operibus. *Vvellæ* templum ædificavit magnifico apparatu, quod *S. Andreæ* Apostolo dicatum, ibíque Sedes Episcopalis ejusdem Regis curis collocata, Ecclesiaque multis possessionibus locupletata. Extruxit etiam *Glasconiense* Cœnobium, O. B. illúdque munificentissimè dotavit. Regnum suum Romano Pontifici vectigale fecit, singulis argenteis nummis in singulas domos impositis, anno circiter septingentesimo quadragesimo. Inde origo *Denarii Sancti Petri*. (Ex Polydoro Vergilio lib. 5. Historiæ Anglicæ) Leges sanctissimas Rex *Inas* condidit, ex consilio Episcoporum & Sapientum Regni sui, ut ipse præfatur. Præcipit imprimis Canonum executionem, & Ecclesiasticæ Disciplinæ observantiam; cui invigilare, ac eam promovere, Christiani Principis officium est. Deinde conjugia illegitima prohibet, & judicia rectô ordine fieri mandat. *Imprimis*, inquit, *præcipimus ut Ministri Domini rectam disciplinæ sanctæ Regulam justè custodiant. Postea volumus ut totius conjugia populi sint & judicia devotè consecrata.* Præcipit deinde *Ut puer infra triginta noctes baptizetur*, & si non sit, *triginta solidis emendetur* (mulctâ scilicet parentibus indictâ) *Si moriatur sine baptismo, emendetur totâ pecuniâ.* Tertiò decernit adversùs Dominicæ diei violatores, ut *Si servus operetur Dominica die per præceptum domini sui, sit liber, & Dominus emendet & triginta solidos ad Vvitam* (id est, ad mulctam, ut interpretatur *Guillelmus Somnerus* in Glossario (*Si servus sine testimonio domini sui operetur, corium perdat* (id est, *virgis cædatur.*) *Si liber operetur illa die jussu domini sui, perdat libertatem suam.*) Quartò *Cyrisceatta.* (id est, censum Ecclesiasticum, sive decimas, ut *Somnerus* in Glossario explicat) solvi jubet in festo *Sancti Martini*. Qui tunc non solverit, sexagiota solidorum mulctâ emendatur, & decimam duplò majorem solvere cogitur. Quintò, immunitati Ecclesiarum consulit, statuens ut *Si quis sit mortis reus, & ad Ecclesiam fugiat, vitam habeat, & emendet sicut rectam consulet. Si quis corium suum forisfaciat* (id est, si virgis cædi mereatur) *& ad Ecclesiam incurrat, sit ei verberatio condonata.* Cæteras Leges quæ civilem Politiam, vel causas crimioales ferè spectant, prætermitto. Ipsas legere poteris in Chronico *Joannis Bromton*, & in Codice Legum antiquarum, inter Leges Saxonicas.

Ina Rex Saxonum.

Origo Denarii S. Petri in Anglia.

Leges latæ ab Ina Rege.

Rex *Ina* Regno se abdicat, Romámque Religionis causâ proficiscitur.

Saxonicas. Postremò Rex *Ina* hortante uxore *Ethelburga*, muliere religiosissima, nuntium rebus sæcularibus remisit, cùmque *Ethelardo* consanguineo suo Regnum tradidisset, Romam se contulit, ibique comâ depositâ, ignotus (ut quidam scribunt) in plebio habitu Deo serviens consenuit; sive (ut alii memorant) Monasticam Vitam professus est. *Ethelburgam* Reginam Sanctimonialem quoque factam asserunt in Monasterio quod positum est ad ripam Thamesis fluminis, in pago cui nomen *Berchyngium*.

V. *Ina* successit *Ethelardus*, bello primùm lacessitus ab *Osuvaldo* Merciorum Rege, deinde Regnum pacificé tenuit, annos quatuordecim. *Ethelardum* secutus est *Guthredus*, sive *Cuthredus*, qui contra Mercios & Britones Regni fines strenuè ac fortiter tutatus est. Post hunc Regnum obtinuit *Sigibertus*, homo domi crudelis & sævus, foris væcors & ignarus; qui propterea omnium conspirantibus odiis, post annum soliô deturbatus est, unicâ Provinciâ, perexiguâ quidem in obsequio retentâ. Verùm cùm adversis non minùs quàm secundis rebus ferox esset, *Cumbrani* unius è suis Consiliariis nece, cæteros in suum exitium armavit. Quorum furorem metuens, in loca sylvestria se abdidit, ubi à vilissimo *Cumbrani* servo qui porcos pascebat, trucidatus est. (*Ex Vuillelmo Malmesburiensi lib. de gestis Anglorum* Polydoro *Vergilio lib. 5. Historia Anglica*, & ante omnes ex Chronico *Joannis Bromton*)

VI. *Sigiberto* substitutus est *Kineuvulfus* qui uno & triginta annis nec ignavè, nec immodesté regnavit. Unô tantùm adversùs *Offam* Merciorum Regem commissô prælio victus est. *Kineardum Sigiberti* fratrem, quem suspectum habebat, in exilium amandavit. Is postea contractâ perditorum hominum manu, cupidus ultionis, clam in patriam redut, Regémque ruri furtivis amoribus servientem improvisò circumsedit, & ad certamen compulit, in quô fortiter pugnans occisus est. Cognitô facinore, subitò advolavit Regia cohors quæ haud procul erat; renovatóque certamine, *Kineardus* ejusque consortes ad unum sunt contrucidati. Post *Kineuvulphum*, *Brithricus* Rex creatus est, vir pacis quàm belli studiosior: qui *Offe* Regis Merciorum potentissimi, cujus filiam duxerat, affinitate fultus, *Egbertum* Regii sanguinis unicum Principem, sibi ob virtutem formidandum, in Gallias amandavit. Otium quo deinde securus fruebatur, paululum turbavit Danorum Piratarum in Insulam appulsus, quos relictâ prædâ, ad naves quam citò redire compulit. Annos sexdecim regnavit *Brithricus*. Cujus auditâ morte, *Egbertus* ex Galliis in patriam reversus avitum solium summô omnium applausu conscendit anno salutis octingentesimo





IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI SEPTIMI DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO PRIMA.

De Convocatione, & Præsidentia Sexti Concilii Oecumenici.

QUÆSTIO I.

Quis Synodum Sextam Oecumenicam convocaverit?

PROPOSITIO.



ONSTANTIUS *Pogonatus Synodum Oecumenicam Sextam convocavit, re cum Romano Pontifice communicatâ.*

Probatur primò ex Epistola Imperatoris ad *Donum* Romanum Pontificem. *Postquam igitur*, inquit, *tempus non recipit perfectam Congregationem fieri, adhortamur vestram Paternam Beatitudinem per præsentem nostram piam Sacram dirigere viros utiles ac modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, induntos personam vestræ Apostolicæ Sedis, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes, &c. Personas verò quæ dirigentur à Paterna vestrâ Beatitudine, decernet, ex vestrâ quidem Ecclesiâ Sanctâ (si utique videbitur ei) tres personas sufficientes: quod si & plures, quanta ei placuerint dirigat. De Concilio verò usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos: De quatuor verò Monasteriis Byzantenis, ab unoquoque Monasterio Monachos quatuor. Nam si reciperet tempus: ut dictum est, & perfectam Congregationem potuissemus facere: Sed quoniam tempus non admittit; Deus autem noster propriò consilio protulit, quod nos differebamus in hoc tempore, per omnia volumus vestram Paternam Beatitudinem minimè effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere.*

Probatur secundò ex Literis ejusdem Imperatoris ad *Georgium* Constantinopolitanum Episcopum. *Necessarium*, inquit, *judicavimus, præsenti nostrâ piâ Sacrâ ad vestram Paternam Beatitudinem uti, per* A *quam adhortantes eam, fancimus congregare vestram Paternam Beatitudinem omnes, qui ad ejus Sanctissimam Sedem pertineat, Sanctissimos Metropolitas & Episcopos in hanc à Deo conservandam nostram Regiam Urbem, quatenus cooperante omnipotente & misericordi Deo nostro, diligentissima inquisitio dogmatis fiat ... Innotesces quoque super hoc & Macario venerabili Archiepiscopo Antiochenæ magnæ Civitatis quatenus & ipse de propria Synodo Deo amabiles Metropolitanos & Episcopos præparatos faciat pro hoc ipso huc congregari. Jam enim super hoc adhortati sumus per nostros pios apices adhuc inter vivos existentem Donum Sanctissimum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ Præsulem: & illo de hoc sæculo migrante, Agatho Sanctus nuper ordinatus Papa in Apostolica Sede prædi-* B *ctæ antiquæ Romæ ejusmodi nostros pios suscipiens apices, destinavit in præsenti, propriam ejus induros personam Theodorum & Georgium Deo amabiles Presbyteros, & Joannem Diaconum: ex persona verò totius ejus Concilii, Joannem & Abundantium, & Joannem venerabiles Episcopos, cum cæteris Clericis & Monachis.*

Probatur tertiò ex Epistola *Agathonis* Papæ ad *Constantinum, Heraclium*, & *Tiberium* Augustos. *Secundùm piissimam Jussionem*, inquit, *à Deo protegendæ Mansuetudinis vestræ, pro obedientia quam debuimus, non pro confidentiâ eorum scientia quos dirigimus, famulos nostros Abundantium*, &c. *Satisfaciendum est nostro exiguo famulatui apud Serenissimorum* C *Dominorum nostrorum Clementiam pro tarditate missarum ex Concilio nostro personarum, quas dirigi per suam Sacram augustissimam vestrum Piissimum Fastigium jussit.*

Probatur quartò ex omnibus Actionibus Synodi, quæ se congregatam ubique profitetur *secundùm Imperialem Sanctionem*. Et ex Synodica ad *Agathonem*, cujus hæc est inscriptio: *Sanctum & universale Concilium, quod per Dei gratiam & piam Sanctionem Piissimi ac fidelissimi Imperatoris Constantini congregatum est in hac Regia Constantinopoli Nova Roma: Sanctissimo & Beatissimo Papæ Senioris Romæ Agathoni.* Cùm itaque nemo meliùs noverit à quo Sexta Synodus congregata fuerit, quàm ipsius Synodi Patres; quàm *Agatho* Pontifex, sub quo congregata

gregata fuit; quàm *Constantinus Pogonatus*, qui tum imperabat, & hi testentur illam ab ipso *Constantino* Imperatore convocatam fuisse, id omninò asserendum est. Rem tamen cum *Dono* primùm, deinde cum *Agathone* Romanis Pontificibus communicavit Imperator, ad quos ante scripsit, quàm ad cæteros Patriarchas, Sedis Apostolicæ Primatum reveritus.

Probatur quintò ex veteri Romanæ Ecclesiæ *Diurno*, ubi recèns creati Pontifices in Fidei Professione de VI. Synodo aiunt: *Quæ per Decretum Christianissimi ac Piissimi à Deo coronati Constantini magni Principis congregata est.*

Probatur sextò testimonio variorum Auctorum Ecclesiasticorum, quorum nomina & loca indicare satis erit; scilicet Venerabilis *Beda* in Libello *De temporibus*, cap. 22. *Pauli Diaconi* lib. 19. Historiæ, *Freculphi* Lexoviensis Episcopi, *Chronici Tom.* 1. Cap. 27. *Hincmari* Remensis Archiepiscopi, *Opusculo XXXIII.* cap. 20. *Adonis Viennensis*, in *Chronico*, *Ætate* VI. *Anastasii Bibliothecarii*, in Vita *Agathonis*, & *Leonis II.* Romanorum Pontificum. *Reginonis* Prumiensis Abbatis, lib. 1. Chronicorum, *Lamberti Scafnaburgensis* lib. de Rebus Germanorum, *Cedreni* in Compendio Historiæ, *Zonaræ* lib. IV. Aonalium.

QUÆSTIO II.

Quis Sextæ Synodo Oecumenicæ præfuerit?

PROPOSITIO I.

Agatho Romanus Pontifex Sextæ Synodo præfuit per Legatos, Theodorum & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum.

Probatur ex Actis Synodi, Actione I. *Conveniente*, inquit, *Sacra & universali Synodo, id est, Theodoro & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Joanne venerabili Diacono, vicem agentibus Agathonis Sanctissimi & Beatissimi Archiepiscopi antiquæ Romæ, &c. Georgio venerabili ac Sanctissimo Archiepiscopo magnæ Constantinopolis, Petro Presbytero & Monacho Apocrisiario Theodori venerabilis Vicarii Sedis Hierosolymorum, Joanne Episcopo Portuensi, Abundantio Episcopo civitatis Paternensis, Joanne Episcopo civitatis Rhegitanæ, locum repræsentantibus centum viginti quinque Episcoporum venerabilium Sancti Concilii antiquæ Romæ.* Et ibidem Legati sic Imperatorem alloquuntur: *Secundùm directam Sacram à Deo instructâ vestrâ Fortitudine ad Sanctissimum Papam, demandati sumus ab eo ad piissima vestigia à Deo confirmatæ vestræ Serenitatis, unà cum ejus suggestione*, &c.

Idem probatur ex Actione XVIII. ubi Actis Concilii ante omnes Patriarchas subscribunt *Theodorus*, & *Georgius* Presbyteri S. R. E. & *Joannes Diaconus*, *locum gerentes ter Beatissimi & universalis Papæ urbis Romæ.* Subscribunt deinde *Georgius* Constantinopolitanus Patriarcha, *Petrus* Presbyter Alexandrini Patriarchæ Legatus, *Theophanes* Antiochenus Patriarcha, *Georgius* Presbyter Sedis Hierosolymitanæ Legatus. Post hos subscribunt Legati Archiepiscoporum Thessalonicensis, Trimithuntensis, & Ravennatis. Post quos subscribunt quatuor Episcopi, *Legati totius Concilii Sanctæ Sedis Apostolicæ urbis Romæ.*

Probatur secundò ex Diurno Romanæ Ecclesiæ, in Fidei Professione quam recène creati Pontifices edebant: *Inter hæc veneranda & universalia quinque Concilia, etiam Sextum Concilium Generale centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, quod favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis nostri Domini Constantini clementer implente, in Urbe Regia, eo Præsidente, celebratum est, cui Apostolicæ recordationis Agatho Papa per Legatos suos & Responsales præfuit.*

Probatur tertiò ex Græcis Auctoribus, qui cùm, pro more suo Patriarchas omnes, istius, sicut & aliarum Synodorum Oecumenicarum Præsides faciant, Legatos *Agathonis* Romani Pontificis primo loco nominant; scilicet ex *Cedreno*, in Compendio Historiæ; *Zonara* Tomo III. Annalium, *Nilo* in lib. *De Synodis*, & *Libello Synodico*, *Num.* DCLXXXI.

Objicies primò Venerabilis *Beda*, & *Lamberti Scafnaburgensis* testimonium, ex eo referentis Chronicam Synopsim annorum ab Adamo usque ad annum Christi DCCII. Libro *De rebus gestis Germanorum.* Deinde testimonium *Hincmari* Archiepiscopi Remensis *Opusculo contra Hincmarum Laudunensem* cap. 20. & *Mariani Scoti*, *lib. II. Ætate VI.* qui *Georgium* Constantinopolitanum, & *Macarium* Antiochenum, Sextæ Synodo præfuisse scribunt.

Respondeo, Auctores illos immaniter deceptos fuisse, & erroris convinci ex Actis Concilii, in quibus *Agathonis* Romani Pontificis Legati nominantur primi, & primi subscribunt, & post ipsos Patriarchæ Constantinopolitanus & Alexandrinus. In eum autem errorem impegerunt, quia falsò existimavere eos Synodo præfuisse, qui ad dexteram Imperatoris sedebant, non qui ad lævam. Porrò sedebant ad dexteram *Constantini* Imperatoris *Georgius* Constantinopolitanus, & *Macarius* Antiochenus, Patriarchæ; ad lævam Legati *Agathonis.* Sed præsidendi partes ex sessione ad dexteram non esse æstimandas, ex ordine quo sederunt in Concilio Chalcedonensi *S. Leonis* Legati compertum est, & lævam in Ecclesia honoratiorem esse dexterâ, jam alibi demonstravimus. Mirum est quòd *Macarium* propter pertinaciam in hæresi propugnandâ in Concilio Sexto damnatum, eidem præfuisse scripserunt Auctores nominati.

Objicies secuodò, Synodum Sextam dici habitam *Præsidente piissimo & Christo dilectissimo magno Imperatore Constantino*; idque scriptum haberi in primis undecim Actionibus, & in XVIII. Idem haberi in Diurno Romanorum Pontificum: In Romanæ etiam Ecclesiæ Breviario, quod anno 1482. Venetiis, & anno 1543. Lutetiæ in lucem prodiit, *Constantinum* Sextæ Synodi *Præsidem* vocari, in Nocturni 1. Lectione 1. quæ Lectio tota desumpta est ad verbum ex Leonis II. Vita, quam *Anastasius Bibliothecarius* scripsit. Unde vehemens suspicio est, antiquiores Anastasii Codices recentioribus præstare, ubi *Residente*, non *Præsidente*, legitur. Non igitur *Agatho* Romanus Pontifex per Legatos, sed *Constantinus* Imperator Sextæ Synodo Oecumenicæ præfuit.

Respondeo, Imperatorem dici præfuisse, non ut Judicem controversiarum fidei, sed ut Ecclesiæ & Concilii Defensorem; præfuisse, inquam, non potestate, sed loco solo & honore, quia scilicet primo & honorificentiori loco sedebat. Unde in Actione XII. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. à quibus aberat Imperator, non scribitur: *Præsidente Imperatore Constantino*, sed: *Proposito sessu piissimi & Christo amabilis magni Imperatoris Constantini.* Quibus indicatur, ipsum solo sessionis honore, non auctoritate præfuisse. Quod ipsius verba ampliùs confirmant à *Gregorio II.* in Epistola ad *Leonem Isaurum* laudata: *Neque cum illis*, (Patribus Synodi) *tanquam Imperator sedebo, aut imperiosè loquar, sed tanquam unus ex illis: & prout statuerint Pontifices, exequar. Et eos qui rectè loquuntur, admittemus; eosque qui malè loquuntur, expellemus, & exilio relegabimus. Si pater meus quidquam ex intemeratâ puráque fide perverterit, ego primus illum anathematizabo.* Sic *Constantinus Magnus* Nicænæ Synodo adsuerat, *& medio primus*

Conventu

Conventu stiterat, Eusebio teste, libro 3. de Vita A Constantini, Cap. X. Sic adsuetat Synodo Chalcedonensi *Marcianus* Augustus, & honoratiori loco sederat, *Non ad potentiam ostendentiam, sed ad fidem confirmandam.* His exemplis præfuisse dicitur Sextæ Synodo *Constantinus Pogonatus*, quia primo loco sedens, ordini judiciorum suis interlocutionibus imminebat. Unde primâ statim Actione, cùm *Macarius* Antiochenus, Monothelitarum illis temporibus Princeps, sententiam suam cum prioribus Conciliis, & traditione majorum convenire contenderet, mandatum illi est ab Imperatore, ut impleret exceptionis probationem. Concilii itaque ordini, non de- B finitioni dogmatum præfuit Imperator. Hinc post omnes Episcopos subscripsit. Legati verò Agathonis Romani Pontificis primi omnium subscripsere. Et Episcopi quidem subscripserunt hâc formulâ. *N. Episcopus.. definiens subscripsi.* Imperator verò his verbis: *Constantinus in Christo Deo Rex ac Imperator Romanorum, legimus & consensimus.* Ex quibus compertum est, ipsum Concilio subscripsisse, ut fidei Defensorem, non ut Judicem. Unde in Epistola Synodica ad *Agathonem*, Patres *Constantino* Imperatori id unum tribuunt, quòd eos ad decernendum hortatus fuerit, & sacram Synodum adjuverit auctoritate suâ, C non quòd ipse decreverit. *Perlectis vera Confessionis Literis à vestrâ Paternâ Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, Constantino nobis ad decernendum hortatore, qui divinè imperat; quò adjutore, impietatis errorem evertimus.* Sanè in VII. Synodo, Actione VIII. Imperatrix *Irene* Concilio præfuisse dicitur. *At verò, quæ sanctissimè præfulget à Deo custodita Imperatrix, bono initio consilio diem statum dixit, quo synodicè cum Episcopis præsideret, quod & factum est in Palatio quod Magnaura vocatur. Itaque propositis sanctis Dei Evangeliis, Præsidente ipsa cum simul regnante Filio, & universa Synodo, &c.* D Nec tamen ibi verbum *præsidere* significat aliud quàm sessionem honorariam: cùm mulier Concilio præsidere non possit, quam Apostolus in Ecclesia loqui vetat. Deinde tota Synodus non præsidet, sed Primates Synodo præsident. Sessio itaque honorifica Imperatorum in Conciliis, præsidentia quandoque vocata est. Denique nec digniori loco sedit Imperator in Synodo VI. Oecumenica, si propriè loquamur, adeòque non præfuit: Nam ille dicitur digniori loco sedere, cujus respectu alii loco minùs digno sedent, seu respectu cujus aliorum sedes disponuntur. At regula consessûs non E erat sedes Imperatoris, sed remanebat extra ambitum consessûs, ita ut respectu ejus nec dextera, nec sinistra sumeretur. Evangelia verò in medio & summo loco erant constituta.

PROPOSITIO II.

SExta Synodus Agathonem Romanum Pontificem ut Caput & Doctorem Ecclesiarum venerata, secundùm ejus Epistolas, de fidei dogmate sententiam tulit.

Probatur ex Actis ipsius Synodi: Actione enim I. Legati Sedis Apostolicæ statim significarunt quænam esset ejusdem Sanctæ Sedis sententia, Pontificis *Aga-* F *thonis* literis expressa. *Benignissime Domine*, inquiunt, *secundùm directam Sacram à vestra Fortitudine à Deo instructâ ad Sanctissimum Papam demandati sumus ab eo ad piissima vestigia vestræ Serenitatis, unà cum ejus Suggestione, necnon cum alterâ æquè factâ ad vestram à Deo custoditam Pietatem a subjacentibus ei Venerabilibus Episcopis.*

Actione VIII. *Georgius* Constantinopolitanus Patriarcha, collatâ Epistolâ *Agathonis* cum authenticis Codicibus, qui in Patriarchii Constantinopolitani scriniis asservabantur, cùm descripta loca SS. Patrum testimonia hujusmodi Codicibus consona esse cognovisset, Epistolam *Agathonis* suscepit, & secundùm illam se credere professus est. In eamdem ivere sententiam omnes Episcopi.

Inter alios *Sergius* Episcopus Selymbriæ dixit: *Sequor Suggestiones Patris nostri Agathonis sanctissimi Papæ Romæ & ita suscipio & amplector eas, tanquam Epistolas sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris ejus Beatitudinis, & profiteor in Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro duas voluntates naturales, similiter & duas earum operationes.*

Domitius Episcopus Prusiados dixit: *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis Sedis antiquæ Romæ, tanquam a Spiritu Sancto dictatas per os sancti ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito te beatissimi prædicti Papæ Agathonis scriptas, suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio, duas naturas in uno Sanctæ Trinitatis Domino nostro Jesu Christo, vero Deo nostro, & duas naturales voluntates, & duas operationes naturales in unâ personâ, &c.*

Et cæteri omnes Episcopi sub Sede Constantinopolitana positi in has voces eruperunt: *Etenim, Piissime Domine, mentem accipientes Suggestionis directæ ad Mansuetissimam vestram Fortitudinem ab Agathone sanctissimo ac beatissimo Papa antiquæ Romæ, & alterius Suggestionis quæ facta est a subjacente ei Concilio, & sequentes sensum qui in eâ continetur, sic sapimus, & credimus, & profitemur, in uno Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro, duas naturas inconfusè, inconvertibiliter, indivisè, & duas voluntates naturales, & duas operationes naturales; & omnes qui docuerunt & dicunt unam voluntatem, & unam operationem in duabus naturis unius Domini nostri Jesu Christi, veri Dei nostri, anathematizamus.*

Petrus Episcopus Nicomediæ, cum aliis Episcopis & Clericis, relictis partibus *Macarii*, palinodiam recantans, in Libello porrectô Patribus Actione X. ita professus est: *Unde & duas ejusdem Domini nostri Jesu Christi naturales voluntates; & naturales operationes confiteor, secundùm vigorem testimoniorum sanctorum ac probabilium Patrum, quæ posita sunt in Suggestione missâ ad piissimum Dominum & Magnum Victorem Imperatorem ab Agathone sanctissimo ac beatissimo Papa antiquæ Romæ: & similiter in omnibus consentio & permaneo, in cunctis Capitulis, quæ continentur tam in prædictâ Suggestione ejusdem sanctissimi viri; quàm in alterâ Suggestione Concilii, quod circa eum est.*

Actione XIII. Patres universi dixerunt: *In medium venientibus tam dogmaticis Epistolis, quàm scripsit, quæ fecerunt Pyrrhus, Paulus & Petrus quondam Patriarchæ hujus Regiæ Urbis, necnon quæ à Theodoro qui fuit Pharan Episcopus, & Cyro qui fuit Papa Alexandriæ, & ante nos vestrâmque Gloriam relectis, auditur apertè unam voluntatem, & unam operationem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri eos impiè prædicasse. Declarantibus igitur nobis, vestra Gloria debet percipere, quòd benè atque justè eos jam abjecit Agatho sanctissimus Papa antiquæ Romæ, per suggestionem quam fecit ad piissimum atque Triumphatorem magnum nostrum Imperatorem. Et nos quoque consonanter cum eo, hos, utpotè adversa rectæ fidei sentientes, expelli de sacris Dypticis, & anathemate percelli censuimus, eorúmque scripta ut impietate repleta abominamur, & exterminio submitti decernimus.*

Actione XVIII. Synodus in Definitione Fidei profitetur se *Fideliter suscipere, & expansis manibus amplecti, tam Suggestionem, quæ à sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum, quæ nominatim abjicit eos, qui docuerunt, vel prædicaverunt unam voluntatem & unam operationem in Incarnationis dispensatione, Domini* nostri

nostri Jesu Christi veri Dei: & alteram Synodalem Suggestionem, quæ missa est à Sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa, centum viginti quinque Episcoporum: ut pote consonantes sancto Chalcedonensi Concilio sacerrimi ac beatissimi Papæ antiquæ Romæ Leonis, & Epistolis S. Cyrilli adversùs Nestorium, & ad Orientales Episcopos.

Et in Sermone Acclamatorio ad Principem. *Proinde inspiratione Sancti Spiritûs cooperantes, & ad invicem omnes consonantes atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri & summi Papæ dogmaticis Literis ad vestram Fortitudinem missis consentientes*, &c. Et infra: *Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem & Sedis successorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti Mysterium illustrantem per Literas. Confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem à Vespertinis partibus extulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.*

S. Petrus per Agathonem Papam locutus.

Et in Literis Synodicis ad *Agathonem* ita scribunt Patres. *Maximi morbi majoribus indigent auxiliis; atque idcirco Christus verus Deus noster sapientem dedit medicum vestram à Deo honoratam Sanctitatem, contagia hæretica luis fortiter propulsantem remediis Orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque Tibi ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram: libenter perlectis veræ confessionis Literis à vestrâ paternâ Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis; quas ut à summo Apostolorum vertice divinè perscriptas agnoscimus: per quas exortam nuper multiplicis erroris factam hæreticam depulimus, Constantino nobis ad decernendum hortatore, qui divinè imperat, quo adjutore, impietatis errorem evertimus, Hæreticorum nefariam doctrinam quasi obsidione adorti. Inde fundamenta execrandæ hæreseos eorum prorsus convellentes, eósque armis spiritualibus paternisque aggredientes, & linguas eorum, ne inter se accommodatè loquerentur, confundentes, extructam ab iis impiissimæ hæresis turrim subruimus: ac ipsos, ut lapsos circa fidem ac peccatores, in matutinis extra castra atriorum Dei (ut Davidicè loquamur) anathematibus interfecimus, ex Sententiâ per sacras vestras Literas de iis priùs latâ.*

Synodus Oecumenica Romano Pontifici stanti super firmam fidei petram relinquit quid gerendum sit.

Et *Constantinus* Imperator in Literis ad Concilium Occidentale transmissis post Sextæ Synodi celebrationem, & *Agathonis* mortem, sic Episcopos Occidentales alloquitur: *Interfuistis namque & Vos cum universali Principe Pastorum, simul cum ipso divinitus loquentes, tam in spiritu, quámque literâ. Suscepimus enim non tantum ex Beatitudine ejus; verùmetiam à Sanctitudine vestrâ directas nobis literas, quæ prolatæ, lectæ sunt, & veritatis verum stylum declaraverunt, orthodoxámque fidem depinxerunt. Tota enim convenienter & non differenter posita sunt ad imitationem, & tam Synodicis, quàm & Paternis Doctrinis consentiunt. Neque enim neglexinus, sed diligentiùs eas expendimus. Idcirco & omnes consonanter mente & linguâ concredidimus, & similiter confessi sumus: & tanquam ipsius divini Petri vocem, Agathonis Relationem supermirati sumus.*

Synodus Sexta damnavit Hæreticos ex Sententia jam lata à Romano Pontifice in illos prius lata.

Literæ Agathonis in Concilio diligenter expensæ, cum reverentia susceptæ.

Denique *Leo II.* in Epistola ad *Constantinum* Imperatorem, confirmatrice Sextæ Synodi: *Hanc igitur*, inquit, *rectæ atque Apostolicæ Traditionis normam Prædecessor meus Agatho Apostolicæ memoriæ Papa, cum sua Synodo prædicavit. Hanc scriptis percurrentibus in sua suggestionis paginâ vestræ Pietati per suos Legatos emisit, approbans & confirmans testimoniis sanctorum ac probabilium Ecclesiæ Doctorum, quam sancta nunc & magna Synodus, Domini, & vestro favore celebrata suscepit, & in omnibus vobiscum amplexa est, utpote Beati Petri Apostolorum Principis sinceram doctrinam in eâ agnoscens, & immutilatæ pietatis in hac signa contrectans.*

DIESSRTATIO II.

De Honorii damnatione in VI. Synodo Oecumenica.

TRIA de *Honorio* quæri possunt. Primum, an revera fuerit in Sexta Synodo damnatus? Secundum, an fuerit justè damnatus? Tertium, an fuerit Monothelita?

PROPOSITIO I.

HOnorius I. Romanus Pontifex in Sexta Synodo Oecumenicâ damnatus est.

Probatur contra doctissimum Cardinalem *Baronium* ex Actione XIII. Synodi VI. in quâ Patres uno ore illud de *Honorii* Epistola ad *Sergium*, & de *Honorio* ipso Judicium ferunt: *Secundùm promissionem quæ à nobis ad vestram Gloriam facta est, retractantes dogmaticas Epistolas, quæ tanquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conservandæ Regiæ Urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quàm ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: similiter & Epistolam ab illo, id est, Honorio, rescriptam ad eumdem Sergium: hasque invenientes omninò alienas existere ab Apostolicis Dogmatibus, & à Definitionibus Sanctorum Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas Hæreticorum, eas omnimodo abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem impia execramur dogmata, horum & nomina à sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, id est, Sergii quondam Præsulis hujus à Deo conservandæ Regiæ Urbis, qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri & Pauli, qui & ipsi Præsulatu functi sunt in Sede hujus à Deo conservandæ Civitatis, & similia eis senserunt: adhæc, & Theodori quondam Episcopi Pharan: quarum omnium personarum mentionem fecit Agatho Sanctissimus ac ter Beatissimus Papa antiquæ Romæ in Suggestione quam fecit ad Piissimum Dominum nostrum & magnum Imperatorem: eósque abjicis, utpote contraria rectæ fidei nostræ sentientes, quos anathemati submitti definimus. Cum his verò simul projici à sancta Dei Catholica Ecclesia, simúlque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quod invenimus per Scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.*

Cardinalis Baronius refellitur.

Idem probatur ex Actione XVI. ubi nominatim anathematizantur Hæretici & eorum Fautores hoc tenore: *Theodoro Pharanitano hæretico anathema. Cyro hæretico anathema. Honorio hæretico anathema*, &c.

Et in Definitione fidei, Actione XVIII. dicitur *Dæmon plenitudine Ecclesiæ erroris scandala suscitasse per Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Regiæ Urbis Antistites, insuper & Honorium qui fuit Papa antiquæ Romæ.* Post subscriptiones iterum conclamatum est: *Sergio & Honorio anathema.*

Et in Sermone Prosphonetico, seu Acclamatorio ad Principem: *Superfluas autem vocum novitates, & harum adinventores procul ab Ecclesiasticis septis abjicimus, & anathemati meritò subjicimus: id est, Theodorum Pharanitanum, Sergium, & Paulum, Pyrrhum, simul & Petrum, qui Constantinopoleos Præsulatum tenuerunt: insuper & Cyrum, qui Alexandri-*

norum

norum Sacerdotium gessit, & cum eis Honorium, qui fuit Romæ Præsul, utpote qui eos in his secutus est.

Et in Epistola Synodica ad *Agathonem* Romanum Pontificem: *Anathematibus interfecimus, ex Sententia per sacras vestras Literas de iis prius latâ, Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum.*

Respondet Cardinalis *Baronius*, Acta VI. Synodi corrupta esse, ubicumque anathema dicunt *Honorio*, vel ipsum Hæreticis accensent. Depravationem autem illam factam esse conjicit à *Theodoro*, qui cùm antea fuisset in ordinem redactus, defuncto *Georgio*, in Sedem Constantinopolitanam, emissâ fidei Professione, restitutus est, ac summâ rerum potitus, nomen suum ex Actis Synodi expunxit, & *Honorii* nomen intrusit. Verùm gravissimis argumentis refellitur ista Responsio.

Acta Sextæ Synodi Occumenicæ non sunt corrupta.

Primò. Nemo Patriarcharum suos non habebat Notarios, qui Concilii Acta exciperent. Tradita sunt singulis, vel eorum vices gerentibus, exemplaria authentica, & imprimis Legatis Apostolicæ Sedis, quæ cùm detulissent Romam, *Leo II.* Synodum confirmavit. Verisimile igitur non est corrupta esse Acta VI. Synodi. Nam etsi ea interpolasset *Theodorus*, quæ Constantinopoli in Scriniis Patriarchicis & Imperialibus asservabantur, non tamen illa corrupisset, quæ Romam detulerant, Legati Apostolici, quibus inspectis *Leo II.* Synodum VI. confirmaverat. Nec dici potest, ipsa statim interpolata fuisse, antequam Legatis traderentur: quia imposturam facilè detexissent, ac reclamassent. Igitur germana sunt & integra VI. Synodi Acta, etiam in his quæ spectant *Honorii* damnationem.

Probatur antecedens ex VI. Synodo, *Actione XVIII.* in quâ Patres Imperatori post Sermonem Acclamatorium his verbis supplicarunt: *Ad majorem Orthodoxæ fidei stabilitatem, & confirmationem, ut subscripta exempla Definitionis relecta, præsente vestrâ Serenissimâ Potestate, edantur quinque Patriarchalibus Sedibus, una cum propriâ vestra subsignatione.* Id pollicitus est Imperator, & executioni mandari jussit. Tradita sunt igitur quinque Patriarchalibus Sedibus autographa Definitionis fidei hoc modo inscripta: *Apostolicæ Sedi Sancti & Principis Apostolorum Petri, nempe Agathoni Sanctissimo Papæ Senioris Romæ.*

Sedi sanctissimæ Catholicæ & Apostolicæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, sive Georgio sanctissimo & Beatissimo Patriarchæ.

Apostolicæ Sedi sancti Evangelistæ Marci, qui honoratur in Alexandrinorum magnâ civitate, per Petrum Deo amabilem Presbyterum, Monachum & Vicarium.

Sedi Antiochensium, sive Theopolitarum magnæ civitatis, per Theophanem venerabilem & sanctissimum Patriarcham.

Sedi Sanctæ Christi Dei nostri Resurrectionis, id est, Hierosolymorum, obtinente locum ejusdem honorabilissimæ Sedis Theodoro Deo amabili Presbytero, per Georgium Presbyterum, Monachum Sebastenum.

Edita est illa Peroratio in P. Combefisio in Auctorio Bibliothec. PP.

Confirmatur ex *Peroratione* * *Agathonis* Diaconi Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & scriniorum ejusdem Thesaurarii, qui etiam in VI. Synodo Notarii munere fungebatur. *Omnes porro Tomos Actorum præfatæ Synodi*, inquit, *mundo codice, propriâ ipse manu, Ecclesiasticis literis consignavi: qui & sub signaculis, unà cum Fidei Definitione, quam sancta Synodus palam edidisset, Patrum subscriptione munitâ, in Imperatoris Palatio fuerunt repositi ac tuto servati: Quin & quinque Patriarchalibus Sedibus tradita Definitionis ejusdem, eadem Patrum subscriptione munita exemplaria, eodem conscripsi modo, ita jubente piæ recordationis Imperatore Constantino, ac sic fieri præcipiente, quò fidei Orthodoxæ sinceritas atque veritas nullis pateret insidiis.* Interpolari sanè Acta sextæ Synodi in Palatio Imperatoris conservata, nisi connivente & permittente ipso Imperatore vix potuissent. Id autem permisisse Principem religiosissimum & Sextæ Synodi studiosissimum, incredibile est. Imò nec verisimile est aliquem, ipso regnante tam audax tentasse facinus. Itaque *Honorii* damnatio in Acta intrusa non fuit, sed revera facta est in Synodo, quemadmodum in Actis legitur, & in Definitione Fidei, quæ singulis Patriarchis, aut eorum Legatis tradita est, *Agathonis* Diaconi & Notarii fidelissimâ manu descripta.

Idem *Agatho* testatur impium *Bardanem* Tyrannum decrevisse Ut *Sergii, Honoriique, ac cæterorum pariter ab eadem Sancta Synodo ejectorum, ac anathemati subjectorum nomina, in sacra sanctissimarum Ecclesiarum Diptycha præconio publico referrentur, eorumque per loca imagines erigerentur.* Locupletius testimonium proferri non potest testimonio *Agathonis*, qui Sextæ Synodi Notarius fuit, ut liquidò cognoscatur quinam in illâ Synodo damnati sint. Is autem asserit *Honorium* cum *Sergio* & cæteris Monothelitis fuisse anathemate damnatum, & è sacris Diptychis expunctum; ejusque & aliorum proscripta nomina impium *Bardanem* Tyrannum Monothelitarum fautorem amicissimum, & Synodi VI. hostem infensissimum, restituisse, & imagines erexisse. Merum itaque figmentum est, quòd interpolata fuerint Sextæ Synodi Acta in iis quæ *Honorii* damnationem spectant.

Leo Secundus Honorii damnationem in Sexta Synodo conclamatam confirmat.

Probatur tertiò verè damnatum fuisse in Synodo VI. *Honorium*, ex Epistola *Leonis II.* Romani Pontificis ad *Constantinum* Imperatorem, quâ VI. Synodum confirmavit. In ea namque post *Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum Paulum, Petrum*, Constantinopolitanos Præsules, damnat etiam anathemate *Honorium*; *qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ Traditionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam maculari permisit.* An interpolata etiam *Leonis II.* Epistola? Figmentum apage.

Idem Pontifex Acta Concilii Sexti Oecumenici misit ad Episcopos Hispaniæ anno Christi 684. Corrupta-ne, precor, an germana? Si corrupta, ipsi igitur Sedis Apostolicæ Legati in Sexta Synodo depravationi consenserunt, illaque Romam detulerunt interpolata, Honorii nomen inter Hæreticos à Synodo damnatos intrusum habentia. Aut igitur prævaricatores fuere, adversùs plagium manifestum non reclamando; aut stupidi, non animadvertendo. Si verò sincera & integra Acta misit in Hispanias *Leo II.* nec in illis erat *Honorii* nomen, vel ipse, vel Successores ipsius, vel ipsi Hispaniarum Episcopi, detegere fraudem & imposturam facilè potuerunt.

Leonis Secundi Epistola ad Episcopos Hispaniæ genuina & sincera.

Antecedens probatur ex Epistola *Leonis II.* ad Episcopos Hispaniæ datâ, in quâ & *Honorium* in Synodo VI. damnatum memorat. Hanc verò Epistolam ut spuriam immeritò rejiciunt *Baronius* & *Binius*, quod, inquiunt, Concilium Oecumenicum nona Indictione absolutum fuisse inculcet; cùm tamen Acta novissimarum Actionum testentur ipsam Synodum X. Indictione absolutam esse. At falluntur Viri Docti: Pontifex enim non dixit, omni ex parte absolutam VI. Synodum Indictione IX. sed tantùm celebratam, quod verissimum est. Præterea, duæ tantùm Actiones XVII. & XVIII. jam inchoatâ Constantinopoli decimâ Indictione, diebus undecimâ, & decimâ-sextâ Septembris celebratæ sunt, antequam Romæ & in Occidente reliquo, Indictio decima à die vigesima quarta ejusdem mensis numerari cœpisset, ut rectè observat P. Labbæus ad marginem Epistolæ laudatæ. Triplex namque distingui solet Indictio, Constantinopolitana,

nopolitana, Cæsarea, quæ & Constantiniana nuncupatur, & Romana seu Pontificia. Prima incipit à Kalendis Septembribus, secunda ab VIII. Kalendas Octobris; Tertia à Kalendis Januarii. Tempore VI. Synodi, Cæsarea Indictio in usu erat Romæ & in toto Occidente.

Idem Antecedens probatur ex Concilio Toletano XIV. Cap. 2. *Clara*, inquit, *omnes actio populos Hispaniæ implet, quòd decurrentis evoluti temporis serie, per Romani Præsulis bajulum Gesta Synodalia Societati nostræ advecta sunt; quibus Constantinopolim Constantino pio & religioso Principe mediante, magnâ & sublimi copiâ aggregatâ Pontificum, Appollinario dogmate comperimus fuisse destructum. Cum quibus etiam Gestis, Leonis quoque antiquæ Romæ invitatoria Epistolaris gratia Consulta suscepimus, per quæ omnis ordo Gestorum, Gestaque Ordinem dilucidè, ut acta sunt, nostris sensibus patuerunt; in cujus etiam gratiosa Epistola Tractu, ad hoc omnes Præsules Hispaniæ invitati sunt, ut prædicta Synodalia instituta, quæ inferat, nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta, omnibusque per nos sub Regno Hispaniæ consistentibus patescerent divulganda.*

Id est Monothelitarum errorem cum Apollinaris dogmate convenientem.

Et Cap. 3. *Præfatas Gestorum Regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, approbantes in his de utrarumque Jesu Christi Filii Dei differentia naturarum, quæ gemina in eo voluntas & operatio prædicatur, recti dogmatis sensum, inculpandæ disputationis edictum, Apostolicæ traditionis stylum.* Lego igitur Secundus Acta Sextæ Synodi ad Episcopos Hispaniæ misit, integra utique & sincera, qualia Legati *Agathonis* è Synodo attulerant; proindeque si *Honorii* damnatio postea in alia ejusdem Synodi VI. exemplaria intrusa fuisset, *Leo* ipse, vel ejus Successores, & Hispaniarum Episcopi, interpolationem evidentem detexissent, palàmque arguissent.

Probatur quartò damnatio *Honorii* in VI. Synodo, ex Concilio VII. Oecumenico, in quo Monothelitæ damnantur, & cum iis *Honorius*; quod argumento est in Actis VI. Synodi damnatum tunc lectum fuisse *Honorium*; nec Orientales, aut Romani Pontificis Legatos vel levem de Actorum hujusmodi interpolatione suspicionem concepisse.

Honorii Papæ damnatio repetita in Septima Synodo Oecum. n. 68.

Probatur Antecedens I. ex Epistola *Tharasii* Patriarchæ Constantinopolitani ad alias Sedes Orientales. *Subjicit anathemati*, inquit, *Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, & omnes eorum Sectatores. Dogma quoque ipsorum ut Sodomiticam vitem, & Gomorriticam propaginem amaritudinis botrum habentem abjici.*

II. Ex Epistola Synodica *Theodori*, quæ etiam habetur Actione III. *Postquam*, inquit, *Sancta Sexta Synodus, quemadmodum alius Sol emicuit 289. SS. Patrum Regiam Urbem sortita pro reque, in quâ celebrata, eos qui duas proprias voluntates, & operationes, in dispensatione carnis Dei nostri denegant, & unam voluntatem, & unam portentosè asseruit operationem Salvatoris nostri deitatis pariter & humanitatis, anathematizavit, id est, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Honorium.*

III. Ex Actione VII. *Deinde quoque & duas voluntates, & operationes, secundùm proprietatem naturarum prædicamus in Christo, quemadmodum & Constantinopoli VI. Synodus exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium, Pyrrhum, Macarium, & eos qui sine voluntate sunt putatis.*

IV. In Epistola *ad Clericos universos* eidem Actioni inserta, de Iconomachis sic loquitur: *Ad nihilum redegit eos Dominus: & cum Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinario, Nestorio, Eutychete, ac Dioscoro, Sergio, Honorio, atque cum omni pessimâ eorum sectâ connumeravit turbulentum factionis eorum Concilium.*

Probatur quintò Propositio ex VIII. Synodo, Actione VII. in quâ legitur & approbatur Epistola *Adriani II.* Romani Pontificis, quâ *Photium* sic perstringit: *Intolerabilis est ista præsumptio, Dilectissimi, & hanc aures præcordiorum, fateor, sustinere non possunt. Quis vestrûm unquam tale quid audivit? Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus; de eo verò quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus Anathema post mortem sit dictum; Sciendum tamen est quod fuerat super hæresi accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus Majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus liberè respuendi: quamvis nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam, de eo fas fuerit proferendi Sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensûs præcessisset auctoritas.* Constat itaque ex *Hadriano II.* & Synodo Octavâ, *Honorium* in VI. Synodo fuisse damnatum.

Adrianus Secundus Honorium in sexta Synodo damnatum agnoscit.

Probatur sextò ex Venerabili *Beda* lib. De sex Mundi Ætatibus. *Macarius verò*, inquit, *cum suis sequacibus, simul & Prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizatus.*

Probatur septimò ex *Anastasio Bibliothecario*: Præfatione in sua *Collectanea ad Joannem Diaconum*, ubi damnatum agnoscit *Honorium* à VI. Synodo. *Licet*, inquit, *huic Sancta Sexta Synodus quasi hæretico anathema dixerit.* Idem ipse, vel alius Auctor testatur in vita Leonis II. Romani Pontificis. His adde Sanctum Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum in Synodica ad *Leonem III.* Pontificem Maximum.

Probatur octavò ex *Adone Viennensi*, in *Chronico*. Denique idem confirmatur ex *Humberto* Sylvæ candidæ Episcopo, S. R. E. Cardinali, *Leonis IX.* ad Imperatorem Orientis Legato. Is in Libro adversùs *Nicetam Pectoratum* de VI. Synodo ita scribit: *Et Gregorius quidem correctus est: Macarius autem cum suis sequacibus, simul & Prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro, anathematizati.* Sanè *Humbertus* Constantinopolim missus cum Apostolicæ Sedis legatione, illam opinionem tueri debuit, quæ Romanæ Ecclesiæ magis favebat, si posset illa citra veritatis dispendium propugnari. Cùm itaque asseruerit *Honorium* in VI. Synodo fuisse damnatum, persuasum ipsi fuit contrariam sententiam citra veritatis dispendium propugnari non posse. His adde *Cedrenum* ex Græcis, *Marianum Scotum* ex Latinis; &c. & Remensem Archiepiscopum *Hincmarum*, lib. *De non trina Deitate* scribentem pag. 446. *Nec sacra Concilia pepercerunt Episcopis nominatissimarum Sedium, videlicet Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, Constantinopolitana, Nicomedia. Insuper & Honorium magnæ Romæ Papam, quia contra fidem sensisse, & pravè sentientibus consensisse detectus, & evidentissimè comprobatus est, sicut in Sexta Synodo invenitur, etiam post mortem anathematizaverunt, in hoc sæculo manifestata culpâ, justo Dei concordante judicio, quod jam egerat in occulto. Nam si idem Honorius hoc in præsenti sæculo non meruisset, & cum ipso merito de hoc sæculo non exisset, sibi potius quàm illi nocerent, maledictum jaculantes, non judicio justitiæ, sed livore vel temeritate.*

Objicies 1. cum *Baronio* Cardinali, Sextæ Synodi Patres in Epistola ad *Agathonem* profitentur, se damnasse Monothelitas juxta tenorem Sententiæ ab ipso in eosdem latæ; *Ex Sententiâ*, inquiunt, *per sacras vestras Literas de iis priùs latâ.* Atqui *Agatho* Pontifex non proscripsit *Honorium* cum cæteris, *Sergio* nimirum, *Cyro*, *Pyrrho*, *Petro*, *Paulo*. Non est itaque damnatus *Honorius* in VI. Synodo.

Baronii Cardinalis Objectionibus respondetur.

Respondeo, *Agathonem* præcipuos duntaxat Monothelismi

nothelismi Auctores, ac Sectæ velut Antesignanos nominatim damnasse, non autem Sectatores omnes ac Fautores. *Nunc necesse est*, inquit, *ut novi dogmatis inventio, quosnam secuta sit, & quorum doctorum auctoritate fulciatur, annotemus.* Tum omnes perstringit à *Cyro* usque ad *Petrum* Hæreseos Auctores & Doctores impietatis. Quos inter non mirum quòd prætermiserit *Honorium*, & illum nihilominùs damnaverit Sexta Synodus. Ipsum namque non damnavit *Agatho* nominatim, quia Author aut Sectator hæreseos non fuit. Ipsum verò damnavit Sexta Synodus, ut hæreseos fautorem, usque Hæreticorum communione maculatum. Etsi igitur *Agatho* paucos illos Hæresiarchas notaverit, non tamen in eos solos ferendam à Synodo definivit Sententiam: quin potius in omnes universim cùm Auctores, tum Sectatores, ac Fautores hæreseos pœnam significavit extendendam. *Restat*, inquit, *ut a Deo coronata vestra Clementia piis favoribus, victoriæ coronam redimita veritas fulgeat, & novitatis error cum suis Inventoribus, & iis qui eorum doctrinam sequuti sunt, propriæ præsumptionis pœnam exolvat.* Sicut igitur malè quis colligeret, *Macarium*, *Stephanum*, *Polychronium* à Sexta Synodo non fuisse damnatos, quia illos nominatim non damnavit *Agatho*, cujus Sententiam Synodus secuta est; ita malè colligit *Baronius*, *Honorium* à Sexta Synodo non fuisse damnatum, quia eum nominatim non proscripsit *Agatho*.

Contra: Synodus Romana in Epistola Synodica ad *Constantinum* Imperatorem, eos tantùm se damnare significat, qui in errore perseverarunt ac pertinaces fuerunt. Recensitis enim erroribus Monothelitarum, ait: *Quorum auctores extiterunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani, vel quivis eis consentanei usque in finem demonstrati sunt.* Atqui probari non potest Honorium *usque in finem* perseverasse in opinione semel conceptâ, vel favisse Monothelis. Igitur damnatus non fuit à VI. Synodo.

Respondeo, Satis id compertum fuisse Sextæ Synodi Patribus ex ipsius *Honorii* Epistolis, quas expenderunt, & quas nusquam retractavit: nullumque prolatum fuisse Monumentum, quod *Honorium* excusaret, eúmque Monothelitis imprudenti & damnanda Oeconomia non favisse probaret, & cum ipsis non communicasse; ac eorum loquendi modum usurpasse.

Objicies secundò, cum *Baronio*, silentium Legatorum *Agathonis* in Sexta Synodo evincere de Honorii damnatione nullatenus actum esse. Incredibile namque est quòd ne verbum quidem in ejus defensionem protulissent. Si enim cùm in eodem Concilio prolati sunt duo Libelli *Vigilii* Papæ ad *Justinianum* Imperatorem, in quibus manifestus error continebatur, protinus reclamarunt Sedis Apostolicæ Legati, eósque Libellos fallaces ac supposititios comprobarunt, ut Actione XVI. videre est: Quidni & adversùs *Honorii* damnationem reclamassent?

Respondeo, Legatos Apostolicos in VI. Synodo nihil in defensionem *Honorii* protulisse, quia ipsum à favore Monothelitis impenso, à communione cum ipsis initâ, ab ignavâ conniventiâ & Oeconomia damnandâ, ab approbatione sententiæ *Sergii* unam vel duas operationes dicere in Christo Domino prohibentia, purgare non poterant. Præterea, è bono Ecclesiæ erat ut *Honorium* damnari sinerent Legati Sedis Apostolicæ, non immeritum, ne Orientalium forsan Patriarcharum damnationem prohiberent Episcopi, quibus illorum cara erat memoria, reverendaque nomina, si *Honorium* cum ipsis eodem penè modo locutum, illísque impensiùs faventem, & cum illis in unius vel duarum operationum supprimendis nominibus conspirantem

A defendissent, damnatique noluissent Sedis Apostolicæ & Occidentalis Concilii Legati. Adde, Legatos illos nec doctrinæ laude, nec rerum agendarum peritiâ, insignes fuisse, sed homines idiotas & indisertos, ut *Agatho*, & Romana Synodus, in Epistolis Synodicis ad *Constantinum* Imperatorem testantur. Unde non mirum, si nequidem ea quæ à *S. Maximo*, & quæ à *Joanne IV. Honorii*, post *Severinum*, Successore in ejus excusationem dicta sunt, protulerint.

Contra. *Agatho* Pontifex auctoritatem Legatorum suorum restrinxerat, ut constant ex ejus Synodica, quâ dat eis, *Tantummodo licentiam, sive auctoritatem simpliciter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil proferre præsumant, augere, minuere, vel mutare, sed Traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut à Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus institutam, simpliciter enarrare.* Non poterant itaque assentiri damnationi *Honorii*, qui non fuerat ab *Agathone*, & à Romana Synodo damnatus. Reclamassent itaque, si in VI. Synodo de illius damnatione actum esset.

Respondeo, *Agathonem* prohibuisse Legatis ne aliquid minuerent, augerent, mutarent, aut quovis C modo innovari sinerent circa dogmata, non circa personas. Unde *Macarii*, *Stephani*, *Polychronii*, damnationem cum cæteris Sextæ Synodi Patribus decreverunt, qui damnati antea non fuerant. Et tamen illos anathemathe confodiendo, sibi præscriptos ab *Agathone* limites excessisse non dicuntur ab Eminentissimo *Baronio*. Cur ergo eosdem transgressi dicantur, si *Honorium* ab *Agathone* & Synodo Romana minimè prædamnatum anathemate feriri permiserunt? Adde, facultatem damnandi cùm cæteris *Honorii* forsan Legatis non quidem palam in Epistola Synodica, sed privatis in mandatis datam, ut D in negotiis odiosis fieri solet. Quod spectasse videtur *Hadrianus II.* in Epistola quæ lecta est Actione VII. Synodi VIII. Cùm enim dixisset, *Honorio* post mortem anathema dictum ab Orientalibus, subdit: *Quamvis nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam, de eo quamlibet fas fuerit proferendi Sententiam, nisi ejusdem Primæ Sedis Pontificis præcessisset auctoritas.*

Objicies tertiò cum *Baronio*. Cùm in Concilio Lateranensi anathema nominatim dictum sit Monothelitis, omniaque Scripta ipsorum errori faventia damnata sint, nulla nota *Honorii* nomini, aut Epistolis, inusta est. Quas tamen credibile non est omissurum E fuisse *Martinum I.* Sanctissimum Pontificem, & Patres cum eo congregatos, si revera Monothelita fuisset, vel Monothelitarum fautor *Honorius*. Quâ enim, amabo, fronte anathema dixissent Patriarchis Orientalibus, *Cyro*, *Sergio*, *Pyrrho*, & *Paulo*, suppresso nomine *Honorii*, cujus eadem caussa esset? Quomodo ipsorum literas damnassent, sicut *Ecthesim Heraclii*, & *Typum Constantis*, intactis Epistolis *Honorii*?

Confirmatur ex Epistola *Martini I.* ad Ecclesias Antiochenam & Hierosolymitanam, in quâ recensitis Monothelismi Auctoribus, vel Promotoribus, F quos inter numerat tres Patriarchas Constantinopolitanos, ipsis opponit Romanos Pontifices; *Qui non permiserunt eos fidei surripere thesaurum.* Porro si *Honorius* Monothelita fuisset, vel Monothelitis favisset, *Martino I.* insultassent Orientales Romanæ Sedis æmuli, ipsúmque mendacii arguissent, objiciendo *Honorium* revera thesaurum fidei surripuisse. *Scire enim vos volo, fratres*, inquit, *de rebus præsentibus, id est, de furibus, qui temporibus nostris insurrexerunt contra Orthodoxam Fidem, nempe Theodoro, qui fuit Episcopus Pharan, & Cyro, qui Alexandriæ, & Sergio qui Constantinopolis, & ejus Successoribus Pyrrho & Paulo: quod hi per propriam hæresim va'le*

moliti sunt perfodere, & thesauros, sive dogmata Ecclesiæ Catholicæ expilare. Nos verò, id est, hujus Apostolicæ Sedis Pontifices, ad custodiam domûs pervigiles, juxta præceptum Domini, non permisimus eos hanc effodere, vel surripere fidei thesaurum.

Respondeo, *Martini I.* & Patrum Lateranensium silentium tacitam potiùs fuisse *Honorii* damnationem, quàm defensionem. Enimverò statim ac *Cyrus* visus est suspicionem ingessisse vel levissimam receptæ à *Severino* Ecthreseos, eò quòd scripsisset: *Quam debet profiteri communis frater noster Severinus Sanctissimus, qui creatur Romæ.* Statim inquam, atque hæc facta est suspicio, insurrexit *Martinus I.* & sua spe delusum ostendit hæreticum hominem, cùm Apostolica Sedes impiam Ecthesim reprobaverit. At verò cùm recitata est in eodem Concilio Lateranensi, Secretario IV. *Pauli* Constantinopolitani Synodica, quâ laudat *Honorium* ut *Sergio* concordantem & consonantem, ne verbum quidem protulit *Martinus*, aut quivis alius Episcoporum, in defensionem *Honorii*. Quod argumento est, nihil ipsis occurrisse quo labem consensionis cum *Sergio*, saltem in suppressione vocabulorum unius, vel duarum operationum, & similis penè in omnibus cum ipso loquendi modi, ab *Honorio* depellerent.

Ad Confirmationem respondeo, illa verba: *Nos verò, id est, hujus Apostolicæ Sedis Pontifices, non permisimus eos fidei surripere thesaurum*, non referri ad *Honorium*, aut ad alios *Martini I.* Decessores: Sed ad *Martinum* ipsum, & Episcopos Romano Patriarchatui subditos, qui Monothelismum Synodaliter damnarunt, ut ex verborum sequentium tenore constat. *Nos verò, id est, hujus Apostolicæ Sedis Pontifices, ad custodiam domûs pervigiles juxta præceptum Domini, non permisimus eos hanc effodere, vel surripere fidei thesaurum: sed ipsos catenis impiæ eorum & adulterinæ doctrinæ constringentes, accuratâ demonstratione, & examinatione eorum quæ ab ipsis contra Fidei Christianæ integritatem scripta sunt, tum ipsos, tum ea quæ impiè docuerunt, igne Canonicæ Sententiæ, veluti mala zizania exurentes, Synodaliter condemnavimus, ubique omnibus eorum hæresim publicantes.*

Objicies quartò cum *Baronio*, Acta illius Synodi interpolata sunt, in quibus reticetur alicujus Hæretici nomen in illâ nominatim damnati. In Actis porro VI. Synodi reticetur alicujus Hæretici nomen in ea nominatim damnati, *Theodori* scilicet Patriarchæ Constantinopolitani. Acta igitur VI. Synodi sunt interpolata: ex iisque deletum est *Theodori* nomen in damnatione Monothelitarum, ejus verò loco intrusum nomen *Honorii*.

Probatur minor. Omnes Patriarchæ Constantinopolitani Monothelitæ nominatim damnati sunt à VI. Synodo; Orthodoxi verò Patriarchæ cum laude nominati, & in sacris Diptychis conscripti. Cùm itaque *Theodorus* Monothelita fuerit; eum à VI. Synodo nominatim fuisse damnatum censendum est. Quòd autem fuerit Monothelita, probatur testimonio *Anastasii Bibliothecarii* libro De Vitis Romanorum Pontificum, in Vita *Agathonis*, ubi asserit, prolatum fuisse in VI. Synodo ab Imperatore *Tomum ad relegendum, in quo vanum hæreticum dogma Macarii erat conscriptum; ejus manu subscriptum, apertissimè unam voluntatem in Domino affirmantis, sub ipsius scriptione, & Theodori, utique juxta eum tenorem ibi subscriptio erat.*

Respondeo, In VI. Synodo nominatos quidem fuisse Patriarchas, qui obiissent, vel Chatholici, vel Hæretici; ut Sancta Synodus aliorum memoriam consecrans, alios verò anathemati devovens, hæresim penitus profligaret, fidémque stabiliret Orthodoxam. At nominati non sunt, qui adhuc superstites erant, nisi qui post explicatam satis, probatámque ex Synodis & Patribus veram fidem manserunt in errore pertinaces, omninòque hæretici. Cujus obstinationis Probationem in *Theodoro* nullam profert *Baronius* Sanè absentem fuisse à Synodo constat, qui antea Patriarchatu abdicatus esset, vel cessisset, (quam ob causam, incertum est) *Georgio* in ejus locum suffecto. Citatum fuisse à Patribus, ne levis quidem indicat conjectura. Nullum in Synodo prolatum Instrumentum est quo probaretur hæreticus: nam Confessio *Macarii* à solo subscripta *Macario* relecta est; non item à *Theodoro*. Et verò licet subscripsisset Hæreticæ hujusmodi Confessioni, ut refert *Anastasius*, (quod tamen dubium est, cùm in Acta Synodi relatum non sit, nec ab aliis Auctoribus narretur) non rectè inde colligeretur, ipsi nominatim dicendum fuisse anathema in VI. Synodo. Quid enim si pertinax in errore non fuit? Quid si *Macarius* memoratam subscriptionem dolo ab ipso extorsit? Sanè Orthodoxum fuisse *Theodorum*, aut saltem in errore, cui subscripsisset incautus, minimè pertinacem, & Synodi Oecumenicæ expectasse judicium, eique obsecutum fuisse, probat illius in Sedem Constantinopolitanam restitutio, à Constantino Pogonato, Imperatore Religiosissimo & Monothelitis infensissimo facta, absque novo Fidei Libello.

Denique pugnantia scribit *Baronius*, cùm interpolata fuisse Acta asserit à *Theodoro*, paucis post Synodum mensibus, cùm in Sedem Constantinopolitanam, defuncto *Georgio*, restitutus esset. Atqui paucis mensibus post celebratam Synodum, *Theodorus* necdum Patriarcha erat, necdum summâ rerum potiebatur; necdum quippe obierat *Georgius*, qui tribus annis à Synodo superstes vixit, ut *Theophanes* in Chronico disertè testatur. Figmentum igitur est quòd Acta VI. Synodi *Theodorus* interpolaverit: Sed neque *Georgio* commentitia illa depravatio jure tribui potest, Patriarchæ in primis Orthodoxo, ex quo Monothelismum in VI. Synodo solenniter ejuravit. Nec verisimile est, *Georgium Theodoro* magis quàm sibi ipsi favisse, ejúsque nomen expunxisse ex Actis, in quibus *Georgius* ipse non obscurè notabatur,

Propositio Secunda.

Honorius in VI. Synodo justè damnatus est, ut nascentis Monothelismi, Monothelitarúmque fautor.

Probatur. Qui duarum operationum sacras voces sileri jussit, qui morem hâc in re gessit Hæreticis, quique communem cum ipsis habuit loquendi modum in controversia de duabus Christi voluntatibus & operationibus, justè damnatus est ut nascentis Monothelismi Monothelitarúmque fautor. Atqui *Honorius* duarum operationum voces sileri jussit nascente hæresi, morem in hoc gessit Hæreticis, & communem cum ipsis habuit loquendi modum in controversia de duabus Christi voluntatibus & operationibus. Itaque justè damnatus est in VI. Synodo, ut Monothelismi fautor.

Honorius duarum operationum voces sileri jussit.

Probatur Minor quoad primam & secundam partem, ex Epistola ipsius *Honorii* ad *Sergium*, relectâ Actione XII. Synodi VI. in quâ primò laudat *Sergium novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare.* Secundò, confitetur *Dominum nostrum Jesum Christum Mediatorem Dei & hominum operatum divina mediâ humanitate Verbo Deo naturaliter unitâ, Eumdemque operatum humana, ineffabiliter, atque singulariter assumptâ carne.* Tertio fatetur, *Unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa: illa quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Quartò ait, *Neque Evangelicas, neque Apostolicas Litteras, neque*

Synodales

Synodales, *apices unam vel duas energias explanasse*, licet Doctorum nonnulli *Balbutiendo*, *ad informandas parvulorum mentes his vocibus usi sint*, *qua ad Ecclesiastica Dogmata trahi non debent*, *qua unusquisque in sensu suo abundans*, *videtur secundam propriam sententiam explicare*: *Nam quia Dominus noster Jesus Christus Filius ac Verbum Dei*, *per quem facta sunt omnia ipse sit unus operans divina & humana*, *plenè sacra Littera demonstrant. Utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis*, *una an gemina operationes debeant dici*, *vel intelligi*, *ad nos ista pertinere non debent*, *relinquentes ea Grammaticis*, *qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare.* Quintò denique ait: *Novas voces refutandas*, *quia quidem noscuntur Sanctis Dei Ecclesiis scandala generare*, *ne parvuli*, *aut duarum operationum vocabulo offensi*, *Sectatores Nestorianorum*, *nos vesana sapere arbitrentur*: *aut certè*, *si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse senserimus*, *stultum Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.*

Et in Secunda Epistola, quæ relecta est Actione XIII. ait: *Unius autem operationis*, *vel duarum esse vel fuisse Mediatorem Dei & hominum Dominum nostrum Jesum Christum*, *sentire & promere*, *satis ineptum est*... *Auferentes ergo*, *sicut diximus*, *scandalum novella adinventionis*, *non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare*, *sed pro unâ quam quidam dicunt*, *operatione*, *oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridicè confiteri*: *& pro duabus operationibus*, *ablato gemina operationis vocabulo*, *ipsas potius duas naturas*, *id est*, *divinitatis & carnis assumpta*, *in unâ personâ Unigeniti Dei Patris*, *inconfuse*, *indivise*, *atque inconvertibiliter vobiscum prædicare propria operantes.*

Ait denique se scripsisse ad Sophronium & Cyrum, *Ne nova vocis*, *id est*, *unius vel gemina operationis vocabulo insistere*, *vel immorari videantur*: *Sed abrasâ hujusmodi novæ vocis appellatione*, *unum Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis divina vel humana prædicent operantem.*

Ex quibus omnibus colligitur, *Honorium* fileri jussisse sacras duarum Operationum voces, atque in hoc morem gessisse Hæreticis, qui *Nullum sermonem de cætero de unâ vel duabus operationibus moveri* cupiebant (ut scribit *Sergius* ad *Honorium*.) Porrò qui voces illas usurpari vetat, quibus profligatur hæresis, & Orthodoxa Fides confirmatur, dubio procul Hæreticis favet. Enimverò habitus esset Arianorum fautor, qui vocem [illegible] de Filio Dei dici prohibuisset. Habitus esset Nestorianorum fautor, qui vocem, *Deipara*, de B. Virgine dici vetuisset. Habitus fuisset Eutychianorum fautor, qui Christum dici noluisset *Ex duabus*, *& in duabus* naturis subsistentem. Cùm igitur *Honorius* obrui jusserit silentio piam duarum operationum vocem, meritò dicendus est fautor Monothelitarum.

Confirmatur. Synodus Lateranensis sub *Martino I.* jure damnavit *Ecthesim Heraclii*, & *Typum Constantis*, quia hæc Edicta unam vel duas operationes silentio damnabant, quamvis assererent, sicut asseruit in suis Epistolis Honorius, *Unum eumdemque Filium Dominum nostrum Jesum Christum*, *operantem divina & humana*, *& omnem Deo congruentem & homini operationem.* Eáque solùm ratio fuit proscribendi *Typi* quòd piam vocem, & hæreticam, eidem sorti addiceret, *Damnans justum cum impio* (ut Secretario IV. Concilii Lateranensis videre est) Atqui nihil minùs egit *Honorius* suis Epistolis ad *Sergium*. Monothelismi igitur fautor pariter fuit.

Confirmatur secundò. *Honorius*, cùm accepisset ex Epistolis *Sergii*, *Cyrum* Alexandrinum Patriarcham unionem Theodosianorum procurasse, promulgato Capitulo VII. de una Christi operatione, operam non dedit ut Capitulum illud abrogaretur solùmque inhiberet, ne una deinceps diceretur operatio: Nascenti igitur hæresi favit.

Nec patrocinatur *Honorii* Oeconomiæ studium spésque pacis: nam & pacis consiliò Typum *Constans* Imperator edidit, qui nihilominus à *Martino I.* Sanctissimo Pontifice, & Synodo Lateranensi damnatus est. Quâ de re *Troilus Patricius*, *& Sergius Eucratas* Monothelitæ in Collatione *S. Maximi* cum Principibus in Secretario dixerunt: *Ne contristes Imperatorem*, *qui propter pacem tantummodo fecit Typum*, *non in ademptionem cujusquam eorum qua in Christo intelliguntur*, *sed ad pacem*, *silentium vocum*, *qua faciebant dissensionem*, *dispensans.* At *Troilo* idem inculcanti respondit *S. Maximus* in Collatione cum Theodosio: *Silentium verborum*, *interemptio est verborum. Per Prophetam enim dicit Spiritus Sanctus*: *Non sunt loquela*, *neque sermones quorum non audiantur voces eorum.*

Honorii Oeconomiam [illegible] excusare posse.

Et rursus. *Qui pariter cum scelestis & immundis Hæreticis Sanctos ejecit*, *Deum liquidò cum diabolo pariter condemnavit. Itaque si examinantes novitates*, *quæ temporibus nostris effecta sunt*, *eas ad hoc devenisse invenerimus summum malum*, *videte ne forte pacem prætendentes*, *apostasiâ reperiamur languere.*

Hinc denique Synodus Lateranensis sub *Martino I.* Secretario IV. *Typum* expendens, ait: *Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur*, *dissonantem autem virtutem intentus continet. Bonum est namque procul dubio*, *& omnibus timentibus Deum desiderabile*, *cohibere dissensiones & altercationes pro causa fidei*; *sed non est utile & bonum cum malo destruere bonum*, *id est*, *cum Hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata.* Idem adversùs œconomiæ *Honorii* defensores meritò dici potest.

Nec favet etiam Honorii œconomiæ, *S. Basilii Magni* dispensatio, qui Macedonianis indulsit ut silentium de Spiritûs Sancti divinitate servaretur, quò eos ad rectæ fidei professionem revocaret. Longè enim dissimilis *S. Basilii*, & *Honorii* œconomia. Siquidem S. Basilius, *Licet vocem Deitatis dispensares ad tempus*, *adhuc tamen aliis vocibus è Scripturâ petitis*, *testimoniisque minimè dubiis*, *eamdem vim habentibus*, *necessariisque argumentis Adversarios ita comprimebat*, *ut nullo modo repugnare*, *usque in contrarium niti possent*: ut testatur S. Gregorius Nazianzenus. *Honorius* verò geminæ operationis & voluntatis vocem ita fileri jussit, ut æquivalentia vocabula in ejus locum non substitueret, nec Monothelitas impugnaret atque comprimeret, ut *S. Basilius* Macedonianos: imò eodem modo ac illi, in hac controversiâ loqueretur, séque *Sergio* Sectæ Principi assentiri palàm profiteretur. Unde potiùs Arianorum œconomiæ, qui sacram vocem [illegible] fileri volebant, quàm dispensationi *Sancti Basilii* similem esse. *Honorii* œconomiam ex *S. Maximo* Martyre *in Collatione cum Principibus*, *in Secretario*, colligitur, ubi aiebat: *Ariani aliquando prætenderunt in scriptis sub Magno Constantino dicentes*: *Auferamus dictum unius substantia*, *& alterius substantia*; *& uniantur Ecclesia. Non id adhiserunt Deiferi Patres nostri*; *sed elegerunt potiùs persecutionem pati & mori*, *quàm tacere vocem comprobantem unam Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti supersubstantialem Deitatem.* Addit. *S. Maximus*, si nefaria hæc filendi œconomia in controversiâ de duabus Christi voluntatibus & operationibus admittatur, hinc sequi quòd œconomiâ cum Judæis uti possimus, illisque uniri, Baptismo & Circumcisione pariter abrogatis: *Siquidem*, inquit, *cras nefandi Judæi dicent*; *Dispensemus ut alterutros pacem*, *& uniamur*: *& amputemus nos*

nos quidem Circoncisionem, vos verò Baptismum: & non jam invicem impugnemur.

Nec etiam *Honorii* œconomiæ favet exemplum *Vigilii*, qui œconomia usus est in controversia de tribus Capitulis, & utrique parti silentium indixit usque ad Synodi celebrationem: quia alia ratio est Controversiarum quæ circa facta versantur, & earum quæ aliquod Fidei Catholicæ caput spectant. In his prudenter imperari silentium potest studio Ecclesiasticæ pacis; in illis non potest.

Honorio communis loquendi modus cum Hæreticis.

Jam verò quòd *Honorius* communem habuerit cum Hæreticis loquendi modum in controversia de duabus Christi voluntatibus & operationibus, facilè probatur. *Honorius* unam voluntatem asserit in Christo, ne duas admittere videatur contrarias: Sileri jubet vocem unius operationis propter Nestorianos, duarum verò propter Eutychianos. Fatetur Christum operatum divina mediâ humanitate, & humana, assumptâ carne. Confitetur duas naturas operatrices cum alterius communione; Divinam, quæ Dei sunt, operantem; humanam, quæ carnis sunt, exequentem. Atqui non alio modo locuti sunt *Sergius* in Epistola ad Honorium, *Constans*, in *Typo*. *Macarius* in Confessione fidei relectâ in VI. Synodo. Actione VIII. *Honorius* igitur modum habuit loquendi cum Monothelitis communionem.

Probatur minor ipsis *Sergii* verbis in Epistola ad *Honorium* quæ relecta est Actione XII. Synodi VI. Ait enim se scripsisse ad *Syrum* Alexandrinum Patriarcham; *Ut postquam unitatem cum his qui pridem separabantur, composuit, de cætero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro; magis autem (sicut sancta & universalia tradiderunt Concilia) unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum, operatum confiteri tam divina, quamque humana, & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem ex uno eodemque Incarnato Deo Verbo indivise procedere, & ad unum eumdemque redigi: eò quod unius quidem operationis vox, quamquam à quibusdam Sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videatur, & perturbare aures quorumdam suspicantium hanc proferri ad peremptionem inconfusè atque secundùm subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum, quod non est usquam, nec fiat. Similiter autem & duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote à nullo Sanctorum Ecclesiæ Institutorum edita. Insuper & consequens sit prædicare duas voluntates contrarietatem circa invicem habentes; tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate verò ejus obsistente ejus voluntati, & proinde duo volentes contraria introducantur, quod impium est.* Hæc *Sergius*: cum quo verbis, sententiis, ratiociniis *Honorius* convenit, ut ex collatione Epistolæ utriusque perspicuum est. Modum igitur loquendi communem habuit cum *Sergio*.

Nec *Honorium* absolvunt illa verba ex Epistola 2. *Quantum ad Dogma Ecclesiasticum attinet, utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem; & humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* Qui loquendi modus ex S. Leone desumptus est, dicente: *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit: Verbo quidem, operante quod Verbi est; carne autem exequente quod carnis est.* Hæc (inquam) *Honorium* non absolvunt, quia Monothelitæ sub iisdem verbis hæresim suam occultabant, & utramque naturam operare sibi propria non ægrè fatebantur, sed carnem à Verbo assumptam ita exequi intelligebant quæ carnis sunt, sive propria operari, ut id non præstaret nisi ut mota à Verbo, vique ejus & nomine, ut ipsius instrumentum. Unde carnis operationem passionis potiùs quàm actionis rationem habere asserebant, quæ proinde cum operatione Verbi ut operatio altera connumerari non posset. *Honorius* itaque verbis laudatis fidem de duabus Christi operationibus & voluntatibus dilucidè professus non est ac explicuit, nec Hæreticum sensum exclusit.

Id ut fiat evidentius, profero verba *Sergii*, & *Macarii*, eodem modo loquentium quo *Honorius* in Epistola 2. locutus est. *Oportet*, inquit Sergius, *permanere in tritâ Patrum doctrinâ, quam omnes consonanter confitentur de hujusmodi quæstione, & confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul & homo est, eumdem operari divina & humana & ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo, inseparabiliter, atque indivisè, omnem divinam atque humanam operationem procedere. Hoc namque nos Leo Dei portitor instruit, manifestè perhibens: Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium habet.* Clariùsne, ambo, locutus est *Honorius*? Itaque si his non obstantibus, justè *Sergius* damnatus est ut Monothelitarum Princeps, *Honorius* etiam justè damnatus est saltem ut Monothelitarum fautor: quippe qui in Epistola 1. ad *Sergium*, ei se in omnibus adhærere, & ejus sententiam sequi se profiteatur. *Hæc*, inquit, *nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus, hortantes vos ut unius, vel geminæ, novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxâ atque unitate Catholicâ prædicetis.*

Quòd verò *Macarius* eodem etiam modo sententiam suam exposuerit, quô *Honorius*, constat ex ejus libro ad *Lucam* Presbyterum, cujus Fragmentum in VI. Synodo, Actione XI. descriptum est. *Quapropter*, inquit, *& ad singula quæ fiebant, ut cooperatricem quamdam ac adjutricem, præsertim autem ad hoc sanctam carnem suam assumere nitebatur, ut ostenderet vivificare valentem, ac velut jam unum cum eâ factam, non utique secundùm naturam, sed secundùm dispensationis unionem, & virtutem insolubilis vitæ, quâ ineffabilis Humanatio nobis effulsit. Etenim quando Archisynagogi filiam suscitabat dicens: Puella, surge; tenuit manum ejus, vivificans quidem ut Deus omnium opifice præcepto; vivificans autem iterum & per tactum sanctæ carnis suæ, unam atque cognatam per utraque operationem ostendens. Certus quomodo dicens,* Operari utramque formam propter adjunctam communionem cum alterâ, *unam earum operationem pronuntiavit. Neque enim ex illo verbi gratiâ vivificans ut Deus; vivificans autem & per tactum: jam secundùm novos istos Dogmatistas; duas vivificationes, & duas operationes intelligere nos docuit.* Macarius fatetur, sicut *Honorius*, carnem operari quæ sunt propria, puta, tactum manûs puellæ defunctæ, quô omnium opifici præcepto cooperata est: & nihilominus unam Deitatis & carnis operationem asserit, duas omnino negat, eòque detorquet sententiam illam celebrem S. Leonis: *Agit utraque forma, cum alterius communione, quod proprium est.* Summa itaque fuit in modo loquendi *Honorii* cum *Macario* consensio.

Idem confirmatur ex Confessione Fidei à *Macario* editâ, & relectâ Actione VIII. *Quoniam verò*, inquit, *alteram personam, post etiam Humanationem, Unus ille Sanctæ Trinitatis non assumpsit, propter hoc nec aliquid peccati dicimus eum assumpsisse, quia absque carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, in imagine novitatis confitemur unum Dominum nostrum Jesum Christum: Ipse enim unam habens voluntatem ad susceptionem harum omnium passionum, unam eandemque habuit virtutem ad tolerantiam harum*

harum omnium secundùm Sanctum ac acceptabilem Augustinum. De hac enim & Confessionem fidei jam pridem exposuimus, & consentimus tam Sanctis quinque Synodis, quamque Honorio à Deo erudito, Sergio, & Paulo, &c. Confitentes unam voluntatem subsistentialem in uno Domino nostro Jesu Christo, & Deivirilem ejus operationem. Principium ex quo *Macarius* unam esse colligit in Christo voluntatem hypostaticam, est, quòd naturam expertem peccati assumpserit in imagine novitatis; qualis scilicet fuit Adami natura ante lapsum. At *Honorius* ex eodem principio unam voluntatem in Christo asserit, quamvis ipsam hypostaticam non vocet, ut Macarius. Ait enim: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa: illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Igitur communem cum Monothelitis loquendi modum, communia ratiocinia habuit *Honorius*.

Refellitur Auctor recentior Historiæ Monothelitarum editæ Patavii anno 1678. Joannes Baptista Tamagnus, Venetus.

Respondet recentior Auctor Historiæ Monothelitarum, corruptam esse Epistolam *Honorii*: ipsum non dixisse *unam Christi voluntatem*, sed *novam*. Id probat ex Epistola *Sancti Maximi* ad *Marinum*, in quâ testatur se accepisse ab *Anastasio* Abbate, *Anastasium* autem à *Joanne Symponio* Abbate, qui jussu *Honorii* hanc scripserat Epistolam, ipsum *Nullo modo mentionem fecisse unius omnimodis voluntatis*. Sed hanc responsionem leviorem esse, Sanctus ipse *Maximus* agnovit, qui in eadem Epistolâ maximè laboravit in exponendo sensu Catholico, quo *Honorius* unam Christi voluntatem dixit. Frustra autem in eo laborasset, si hanc *Honorii* Propositionem: *Unde & unam voluntatem fatemur, Domini nostri Jesu Christi*, à Monothelitis interpolatam certò existimasset.

Præterea *Joannes IV.* in Apologia *Honorii*, hanc propositionem ut germanam ipsius agnovit: *Fatemur unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi*: Quamvis Catholico sensu ipsam exposuerit. Id etiam agnovit *Anastasius Bibliothecarius*, Præfatione in sua ad *Joannem Diaconum* Collectanea. Sed, quod majoris ponderis est, VI. VII. & VIII Synodus, *Leo II.* & *Hadrianus II.* Pontifices Maximi, *Honorii* Epistolam à Monothelitis interpolatam non sunt suspicati, quamvis Recentioribus Auctoribus non minùs perspicaces essent.

Objicit novus Auctor tres conjecturas, quibus evincere se confidit, *Honorium* in suâ Epistolâ posuisse *novam* cum *Dionysio*, non verò *unam* cum Monothelitis in Christo voluntatem. Prima est, quòd *Honorius* studet ubique cum Sanctis Patribus effari. Inde enim convenienter colligitur ipsum eô in loco cum *Sancto Dionysio* fuisse locutum. Altera conjectura est, quòd indignum sit non planè stolido viro, nedum docto Pontifice, qui *Clerum in multis erudierit*, definire ne una vel gemina in Christo prædicetur voluntas; quod ibi decernit apertè, si interim ipse & unam defenderet, & unam apertè prædicaret. Tertia conjectura est, quòd ratio quam subdit *Honorius* propositioni celebri, nulla prorsus sit & inepta, si dicamus eum scripsisse *unam voluntatem*, cùm tamen consonet intentum, si pro *unâ*, substituamus *novam*. Ratio quam subdit, hæc est: *Quia à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa.* Quid intererat ad conficiendum, *unam esse in Christo voluntatem*, asserere, assumptam fuisse à Christo humanitatem peccato non fœdatam? Plurimùm verò refert asserere, quòd Christus non assumpserit peccatum, nec carnem peccato fœdatam, ad inferendum, novâ præditum fuisse voluntate, quâ scilicet careant reliqui homines in Adamo lapsi.

Respondeo, tres illas conjecturas inanes esse. Primâ nihil levius est, nihil minùs verisimile: Nam *Honorius* cum SS. Patribus loqui minimè curat, qui ipsorum insuper habitâ doctrinâ, duas in Christo operationes dicere vetat, atque ipsos cum duas dixerunt, id balbutiendo docuisse ait ad informandas parvulorum mentes, & ad Ecclesiastica Dogmata hæc eorum dicta trahenda non esse. Præterea *Sergius* se Patres sequi, æquè ac *Honorius*, gloriabatur, & nihilominus unam in Christo voluntatem propugnabat.

Secunda conjectura nihilo gravior est: Ita enim prohibet *Honorius* unam vel duas operationes dici, ut tamen illam destruere sententiam totis viribus conetur, quæ duas asserit, illam verò adstruere, quæ unam prædicat. Si duæ prædicentur, hinc fore contrarias in Christo voluntates colligit. Quod vitans fictitium incommodum, unam potiùs in Christo profitetur voluntatem; quamvis hoc ipsum dogma, quod in privatâ Epistolâ adstruit, palam prædicari vetet ad vitandos tumultus, & silentium de una & duabus operationibus ac voluntatibus in Christo, imperet, œconomiæ causâ. Sic & *Sergius* in Epistola ad Honorium, unam aut duas operationes proferre prohibet in Christo Deo nostro & tamen unam operationem & unam voluntatem docet ac pro viribus propugnat. Siquidem ex duarum operationum assertione consequens esse ait, prædicare duas in Christo voluntates contrarias. Et Deitatem operari contendit per corpus omnium salutem, ut carnis quidem passio Dei autem sit operatio. Frustra porrò *Honorii* eruditio commendatur, cujus hâc in controversiâ specimen nullum præbuit.

Tertia conjectura Viri Eruditi æquè levis est. Non enim necesse est *Honorium* rectè ratiocinatum fuisse, sicut nec *Sergius*, nec *Macarius*, qui ex iisdem principiis eamdem propositionem collegerunt, rectè sunt ratiocinati. Et utinam in ratiocinio tantùm peccasset infelix Pontifex! Certè *Honorium* consequenter non esse ratiocinatum, & pugnantia etiam scripsisse, observavit *Constantinus* Imperator in Edicto Fidei, quod habetur in VI. Synodo, Actione XVIII. *Hujusmodi contagione* (inquit) *Ecclesias contaminarunt etiam hi, qui ante nostra tempora sacrilegi Sacerdotes Ecclesias perversè gubernarunt. Sunt autem hi, Theodorus &c. & Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator.*

Probatur secundò Propositio. Qui communicat cum Hæreticis, qui ipsos laudat, qui ipsos comprimere & damnare negligit, cùm id ipsi incumbit ex officio, ipse anathemate dignus est. Sic præter alia capita, *Theodoro* Papæ *Pyrrhus* Monothelitas depositione dignus visus est, quòd in Epistolis suis, *Laudibus extulisset Heraclium, qui anathematizavit Catholicam Fidem, & Patres orthodoxè sentientes*; ut constat ex Epistola *Theodori* ad Episcopos qui *Paulum* Constantinopolitanum consecrarant.

Quòd verò negligentiam spectat eorum qui Ecclesiam regunt, verè *Sanctus Leo* scribit Epistola 14. ad Januarium Aquileiensem: *Inferiorum ordinum culpa ad nullos magis referenda sunt, quàm ad desides negligentésque Rectores: qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Eòdem spectant verba *Felicis II.* à *Victore* Carthaginensi Episcopo laudata in Synodica ad *Theodorum* Papam. *Imminendum est*, inquit Victor, *ne corpore desidia oppressi, culpa taciturnitatis teneamur obnoxii, & quasi favorem impendentes judicemur, dum adversa Catholicæ Fidei propulsare negligimus. A Beato namque Felice Apostolico vestræ Sanctitatis Prædecessore dictum est: Negligere quippe, cùm possis deturbare perversos, nihil est aliud quàm fovere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Acqui *Honorius* cum Monothelitis communicavit, laudavit

In Edit. P. Quesnelli.

Sergii consilia & Epistolam, nefariámque œconomiam, eique se in omnibus adhærere professus est: comprimere & damnare neglexit Monothelitas, *Cyrum*, ac *Sergium*; cùm id ipsi ut Ecclesiæ universæ Rectori, Fidei vindici, omniúmque Christianorum Doctori, ex officio incumberet. Justè igitur à Sexta Synodo *Honorius* Pontifex damnatus est.

Parroni Cardinalis Objectionibus respondetur.

Objicies cum doctissimo Cardinali *Baronio*, Pontifices *Agathonis* Decessores semper confirmasse fratres in fide, Sedem Apostolicam hæreticis novitatibus depravatam nusquam succubuisse, nusquam vel tenuem rumorem Episcopos Romanos aspersisse, quòd eum hæreticis sentirent. Atqui secùs res se haberet, si *Honorius* justè damnatus fuisset in Sexta Synodo. Igitur damnatus non est *Honorius*; vel injustè damnatus est.

Probatur Antecedens ex Epistola *Agathonis* ad Imperatorem, quæ in VI. Synodo, Actione IV. lecta est, & approbata Actione VIII. *Tanquam à Spiritu Sancto dictata per os Sancti ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri.* Sic in ea scribit Agatho: *Hac est vera fidei Regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit ac defendit hac spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia: qua per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed, ut ab exordio Fidei Christiana percepit, ab Auctoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenùs permanet, secundùm Christi ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Apostolorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: Petre, ecce Sathan expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: Quod Apostolicos Pontifices mea Exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum; quorum & Pusillitas mea, licèt impar & minima, pro suscepto tamen divinâ dignatione Ministerio, pedissequa cupit existere.* At ita loqui non potuisset *Agatho* absque mendacio, si *Honorius* ob proditam fidem fuisset à VI. Synodo damnatus; neque Concilium ejus Epistolam approbare potuisset ut à Spiritu Sancto per os *Beati Petri* dictatam. Igitur *Honorius* vel damnatus non fuit à VI. Synodo, vel injustè damnatus est.

Confirmatur ex Epistola *Nicolai I.* ad *Michaëlem* Græcorum Imperatorem, in quâ de Romanis Pontificibus sic loquitur: *Nos enim nec tenuis saltem rumor aspersit aliquando cum prava sapientibus sapere, quantò minùs concertare?*

Romanus Pontifex ut privatus Doctor in fide errare potest.

Respondeo, quod *Agatho* de suis Decessoribus dixit, ipsos *semper confirmasse fratres in fide*, intelligendum esse de Pontificibus, quatenus ex assistentia singulari Spiritus Sancti, ut omnium Christianorum *Patres* ac *Doctores*, aliquid credendum, judicando & definiendo proposuerunt; non verò de iisdem in singulis vitæ suæ gestis, vel in privatis Epistolis ad singulos datis.

Quod autem ait *Agatho*, Apostolicam Christi Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam erravisse nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse, si quid pro *Honorio* conficeret, id conficeret unum, ipsum damnatum non fuisse ut Hæreseos Doctorem ac propugnatorem pertinacem; non evinceret damnatum non fuisse ut hæreseos & Hæreticorum fautorem. Quamquam Apostolica Christi Ecclesia distinguenda sit à Romano Pontifice quà homo privatus est, nec idem utrique conveniat indeficientis judicii privilegium. Dandum sanè est aliquid, sin Historiis, saltem Canonibus, quos conditione impossibili ludere non est existimandum. Cap. *Oves* 2. Quæst. 7. dicitur: *Oves quæ suo Pastori commissa sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exorbitaverit, nec accusare ullatenus possunt.* Cap. *Si Papa. Dist.* 40. posse corrigi Pontifex in eâ tantùm hypothesi dicitur, *Si fortè fuerit à fide devius.* Id agnovit *Innocentius III.* laudatus à Cardinali *De Turrecremata*, lib. 2. *de Ecclesia, cap.* 93 cùm ait in Sermone de Consecratione Romani Pontificis: *In tantùm mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari.*

Indeficiens est Romani Pontificis judicium, cum de fidei controversiis pronuntiat Ex Cathedra.

Indeficientis itaque judicii privilegium Romanis Pontificibus ita non convenit, ut errare non possint, vel hæresim asserendo, vel eam fovendo, & connivendo Hæreticis, quà homines privati sunt, & cùm Epistolas privatas scribunt ad aliquos Patriarchas, aut Episcopos, qualem *Honorius* ad *Sergium* scripsit, non autem encyclicas quibus Ecclesiæ fidem in controversiis emergentibus exponant, & Christianos omnes doceant: quæ Epistolæ encyclicæ judicium Sedis Apostolicæ de quæstione fidei continentes, accedente Ecclesiæ consensu comprobentur.

Quid est, Romanum Pontificem Ex Cathedra pronuntiare?

Id Theologi de Schola, & Polemici etiam non pauci, aliis verbis explicant, quorum inde sensus est: Indeficiens non esse Romani Pontificis judicium asserentes, nisi cùm pronuntiat ac decernit *Ex Cathedra*, ad Scripturam scilicet, ac Traditionem quæ in Romana Ecclesia à temporibus Apostolorum incorrupta servatur, & ad ipsum continuâ ac nusquam interrupta Pontificum successione transmissa est, assistente Spiritu Sancto attendens; & controversiis de quibus agitur per doctissimos Theologos ad sacras illas fidei nostræ Regulas expensis, adhibitô sacri Ecclesiæ Romanæ Senatus, ac vicinorum Antistitum consilio & suffragio, fusis ad Deum publicis precibus, aliquid Fidelibus universis credendum, aut ubique observandum proponit, ac præcipit: ejusque Constitutiones ac Decreta ACCEDENTE ECCLESIÆ CONSENSU roborantur.

Unde accepta hæc loquendi formula?

Hæc loquendi formula de Romano Pontifice EX CATHEDRA definiente, accepta est à Sanctissimo Doctissimóque Gallicanæ Ecclesiæ Præsule *Ivone Carnotensi*: Ille enim agens de potestate Summi Pontificis, *Epistola CCXXXIII.* & expendens Evangelicam Sententiam, quæ docet servanda illa, quæ Scribæ & Pharisæi dicerent, qui *Super Cathedram Moysi sedebant*; hæc habet: *Vult enim hæc Sententia,* PRÆCEPTA PRÆSIDENTIUM AD CATHEDRAM PERTINENTIA, *obedienter impleri, etiamsi tales sint, quales erant Pharisæi, non eos factiosâ conspiratione à suis sedibus removeri. Si verò ea præcipiant, quæ sint contra Doctrinam Apostolicam, vel Evangelicam: ibi non esse obediendum, exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato non rectè incedenti ad veritatem Evangelii, in faciem restitit, non tamen abjecit.* Idem aliis verbis explicuerat *Carolus Calvus* Imperator cùm ad *Hadrianum II.* Pontificem Maximum scripsit, esse servanda Sedis Apostolicæ Judicia, quæ *Ex Privilegio B. Petri* lata sunt; id est, quæ Canonica æquitate nituntur.

Similem loquendi modum úsurpaverunt Synodi Tricassinæ Patres Anno DCCCLXXVIII sub *Joanne VIII.* habitæ, qui latam Romæ adversùs *Lambertum* excommunicationem, Synodi illius consensione firmari voluit. Ore enim *Hincmari* dixerunt: *Se damnare eos omnes, quos Apostolica Sedes per Beatum & Dominum nostrum Papam, Privilegia Beati Petri damnaret: & quòd in omnibus secundùm Scripturarum tramitem, sacrorumque Canonum Decreta,*

Decreta, Sedes Romana tenet, per omnia, & in omnibus prosequi & tenere.

Eodem loquendi modo usi sunt Episcopi Gallicani, cùm scriptô responderent petitioni *Joannis VIII.* de eadem *Lamberti* excommunicatione, scilicet illius Judicio se adhærere, quod tulerat *Privilegio B. Petri, & Sedis Apostolicæ, juxta sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, & secundùm ejusdem Romanæ Sedis Pontificum Decreta.*

Eodem sensu dicitur in Synodo Ticinensi *, quæ in Synodo *Pontigonensi* * recepta est: illa omnia à cunctis suscipi debere summâ veneratione, quæ *Joannes VIII.* decreverit *secundùm sacrum Ministerium suum, Auctoritate Apostolicâ.*

* De Pavie.
* De Pontyon.

Modus loquendi Gallicanorum Antistitum, à *Sancto Leone* acceptus est, Sermone III. in Anniversario suæ Assumptionis die, cujus hæc sunt verba: *Dicitur à Domino Beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum;* &c. *Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus constitutio commeavit. Sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri Privilegium, ubi ex ipsius æquitate fertur Judicium.* Quâ ex sententiâ colligebat *Carolus Calvus*, vel potiùs *Hincmarus* Caroli Calvi nomine ad *Hadrianum II.* scribens: *Quia non manet Petri Privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium. Cum enim Ubicumque, dicitur, sicuti nullus locat, ita nemo Rector Ecclesiæ ex Petri æquitate judicium ferens excipitur, vel contra illius æquitatem judicium ferens commendatur. Et quia ubicumque, sine ullâ exceptione, non manet Petri Privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium; obaudiemus jussum, vel recipiemus judicium, quod non ex Petri æquitate fuerit prolatum; ac per hoc ipsius privilegiô fuerit destitutum?* Hæc porro idem significant, quod vulgus Theologorum ait: Romanum Pontificem tunc demùm indeficientis judicii prærogativa frui, cùm pronuntiat *Ex Cathedra.*

Sedes Apostolica à tramite Traditionis Apostolicæ nunquam errat.

Sane *Apostolicam Sedem à tramite traditionis Apostolicæ nunquam errare, nec hæreticis novitatibus depravatam succumbere, sed ut ab exordio Christianæ Fidei percepit ab Auctoribus suis, illibatam fine tenus permanere, secundùm Christi ipsius divinam pollicitationem*, ut ait *Agatho* Pontifex, inde perspicuum est, quòd ad *S. Petri* Sedem controversias Fidei, & dubiæ Disciplinæ, seu *majores causas* referri, perpetuâ Ecclesiæ traditione, & solenni consuetudine sancitum sit: Quod testantur Synodus Arelatensis I. in Epistola ad *Silvestrum*, *Siricius* in Epistola ad *Himerium* Taraconensem Episcopum, *Innocentius I.* in Epistola ad *Exuperium* Tolosanum, *Sanctus Leo* Epistola LXXXIX. *Hilarus* Papa Epistola VII. Agapetus Epistola I. Africani Episcopi in Epistola ad *Theodorum* Papam, quæ extat Consultatione II. Concilii Lateranensis sub *Martino I* &c. Et cur ad illam Ecclesiam omnes Fideles jam inde ab Apostolicis temporibus *propter potentiorem Principatum* undequaque convenire necesse fuisset, ut ait S. Irenæus? Cur *S. Petrus in propria Sede vivens & Præsidens præstare quærentibus fidei veritatem*, à S. Petro Chrysologo diceretur? Cur S. Theodorus Studita in Epistola ad *Naucratium*, Romanam Sedem vocaret *Supremum verticalem Thronum, in quo Christus Fidei claves posuit, adversùs quem non prævaluerunt unquam, nec prævalebunt usque ad consummationem sæculi portæ inferi, ora scilicet Hæreticorum, sicut pollicitus est qui non mentitur?* Ex quibus verbis *Gennadius* Constantinopolitanus Patriacha, in Expositione pro Concilio Florentino, Cap. V. Sectione XVII. ita colligit adversùs Græcos schismaticos: *Si nunquam prævaluerunt Hæretici adversùs Christi Ecclesiam; quomodo audetis dicere, eam errare, quæ inerrans à Doctoribus prædicatur?* Cur idem Sanctissimus Confessor *Theodorus* in Epistola ad *Michaëlem* Imperatorem, Episcoporum, & Abbatum Orientalium nomine scripsisset: *Si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra divina Magnificentia, ejus rei explicatio à Pontifice petenda est postulanda. Magna & à Deo firmata manus vestra, ut publica cupida utilitatis, jubeat à veteri Roma capere declarationem, ut à principio à Patribus nostris est traditum. Ea inter omnes Ecclesias supremum obtinet locum, cujus Petrus tenuit primam Sedem: ad quem dixit Dominus: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam?* Cur idem Pater in Epistola ad *Paschalem* Papam scripsisset: *Vos igitur verè illimis fons ac sincerus jam inde à principio veræ fidei. Vos ab omni Hæreticorum procella longè positi, securus totius Ecclesiæ portus. Vos à Deo electa civitas ad salutis refugium?* Cur *S. Bernardus* ad *Innocentium II.* scribens Epistola CXC. dixisset: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala Regni Dei, præsertim quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi resarciri damna Fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando: Ego pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua?* Cur *Hugo Æterianus*, lib. III. *De Hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt*, Cap. XVII. quod Opus *Alexandro III.* Pontifici Maximo nuncupavit, scripsisset: *Petri Coryphæi, & Successoris ejus, gentium Principatus & Regna gubernaculo subduntur. Hujus Ecclesiæ de se splendorem emittit semper, & non tenebrescit: A qua exit lex & judicium, ad quam homines undique terrarum conveniunt, & merito?* &c.

Atque etiam eodem sensu dixere Sacræ Facultatis Parisiensis Theologi, *Dogma ejusdem Facultatis non esse, quòd Summus Pontifex infallibilis sit, nullo accedente Ecclesiæ consensu.* Quia videlicet potissimum signum quô innotescit Fidelibus acquiescendum esse & firmiter inhærendum Judicio à Romanis Pontificibus lato circa controversias Fidei, in Ecclesia emergentes, est Ecclesiæ consensus, vel antecedens, vel concomitans, vel subsequens. Antecedens, cùm variis Conciliis Nationalibus eliquatam veritatem Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ ut Dogma Catholicum credendam proponit. Sic variis Synodis contra Pelagianam hæresim in Palæstina, & in Africa celebratis, *Innocentius I.* eamdem damnavit: cujus post Judicium S. Augustinus dixit: *Causa finita est, utinam & error finiatur!* Sic *Zosimus* Africanorum *Conciliorum Decretis Sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladiô Petri dexteras omnium armavit Antistitum*; mittendo Tractoriam Epistolam per totum orbem de *Pelagii & Cœlestii* damnatione, *quæ SS. Patrum subscriptionibus roborata est*: ut testantur *Marius Mercator* in *Commonitorio*. & *Sanctus Prosper* in lib. *contra Collatorem*. Quo in exemplo & subsequentem Ecclesiæ consensum videre est. Concomitans adest, cùm Romanus Pontifex *Concilio* Oecumenico: ut * *Caput membris*, per se præsidens, controversias Fidei judicat & finit, *Sacro approbante Concilio.* Quod ab *Innocentio III.* in Concilio Lateranensi IV. Albigensium hæreses & *Joachimi* Abbatis errorem damnante: à *Clemente V.* Beguardorum & Beguinatum delitia in Concilio Viennensi proscribente: ab *Eugenio IV.* Græcorum errores in Concilio Florentino conterente, præstitum est. Subsequens demum Ecclesiæ consensus est, cùm Romanus Pontifex de Fidei quæstione judicat, & suam deinde Sententiam mittit ad Oecumenicam Synodum per Legatos, qui ipsius nomine sacro totius Eccle-

Ecclesiæ consensus vel antecedens, vel concomitans vel subsequens potissimum signum est quo Fidelibus innotescit firmiter & immobiliter inhærendum esse judicio Romani Pontificis de fidei controversiis lato.

Romanus Pontifex de Fidei controversiis judicare potest absque Synodo.

Sanior pars Episcoporum est, quæ Romano Pontifici fidei depositum tuenti adhæret.

ſiæ Conventui præſint; vel abſque univerſali Synodo, quam neceſſariam tunc non judicat, ad orbis univerſi Epiſcopos. Si enim Epiſcoporum major aut ſanior pars, (ſanior autem eſt, quæ Eccleſiæ Romanæ *cæterarum Matri & Magiſtræ*, & Summo Pontifici *Chriſtianorum omnium Patri & Doctori* Fidei depoſitum tuenti adhæret) illius definitionem ac Sententiam, *ut ore Sancti Petri prolatam* receperit, dubium eſſe debet nemini Catholicè ſentienti, quin Romanus Pontifex in ea ferendâ Fidei Regulas ſecutus ſit, cùm errare non poſſit Eccleſia, *Quæ eſt columna & firmamentum veritatis.* Sic in Conciliis Epheſino Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano III. Nicæno II. controverſiæ Fidei ſecundùm Sententias & Epiſtolas dogmaticas *Celeſtini I. S. Leonis*, *Agathonis*, *Hadriani I.* judicatæ ac finitæ ſunt. Sic Novatianorum hæreſis ſecundùm *S. Cornelii* Judicium ubique damnata eſt. Sic Donatiſtarum hæreſis, ſecundùm *SS. Melchiadis*, & *Silveſtri* Sententiam, ubique Chriſtianarum gentium damnata. Sic *Berengarii* hæreſis ſecundùm Sententias & Decreta *Leonis Noni*, *Victoris Secundi*, *Nicolai Secundi*, *Gregorii Septimi*, *Urbani Secundi*, toto orbe diris devota eſt, Sic noviſſimè quinque Propoſitiones in libro *Janſenii Epiſcopi Yprenſis*, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, aſſertæ, Conſtitutionibus Summorum Pontificum *Innocentii X.* & *Alexandri VII.* ut Hæreticæ damnatæ ſunt; quæ Conſtitutiones totius Eccleſiæ maximo conſenſu ſunt exceptæ, & ſecundùm illarum tenorem, earumdem Propoſitionum ceu Hæreticarum damnatio, ab omnibus Catholicis conclamata eſt.

Hac autem Eccleſiæ conſenſûs ad Romani Pontificis Definitiones & Decreta acceſſione, *Quæ Chriſtus illius miniſterio priùs definerat*, *UNIVERSÆ FRATERNITATIS IRRETRACTABILI FIRMAT ASSENSU: Ut verè à ſe prodiiſſe oſtendat, quod priùs à prima omnium Sede formatum, totius Chriſtiani orbis Judicium receperit: ut in hoc quoque capiti membra concordent.* Verba ſunt *S. Leonis*, Epiſtola LXIII. ad *Theodoretum*, in Editione *Quenelli* XCIII. Idem probant ejuſdem Sanctiſſimi Pontificis verba Epiſtola LXXXIX. ad *Marcianum Auguſtum* ſive LIX. ſecundùm veterem editionem. *De quo quidem*, inquit, *ratio non fuit ambigendi, cùm & Fidei omnium ſubſcribentium* CONSENSUS ACCESSERIT, *quæ à me ſecundum formam Apoſtolicæ Doctrinæ, ac Paternæ Traditionis emiſſa eſt.*

S. Martinus I. Epiſcoporum Galliæ conſenſu damnationem hæreſis Monothelitarum à ſe factam firmari poſtulat.

Hinc *Martinus I.* Sanctiſſimus Pontifex Gallicanorum Epiſcoporum conſenſum vehementer optavit, & ſollicitè poſtulavit, quô accedente, vis major adderetur iis quæ contra Monothelitas in Synodo Romana decreverat. Id conſtat ex illius Epiſtola ad *S. Amandum* Epiſcopum Trajectenſem; ad quem miſit Relationem omnium in dicta Synodo geſtorum, cum cæteris Galliæ Epiſcopis communicandam *Credimus etenim*, inquit, *ad vos perveniſſe, quomodo in conturbatione rectæ fidei, & Catholicæ Eccleſiæ conculcatione, ante hos annos plus minùs quindecim, à Sergio falſo Epiſcopo Conſtantinopolitano, in auxilio habente tunc Imperatorem Heraclium, execranda & abominanda hæreſis pullulavit, Apollinariſtarum, & Severianorum, Eutychianiſtarum atque Manichæorum errorem renovans: quam Succeſſor ejus Pyrrhus, idemque Epiſcopus, qui ambitionis faſtu Conſtantinopolitanam Sedem arripuit, in deterius auxit. Pro quâ re ſæpius Apoſtolica Sedes perſuaſionibus, conteſtationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab hujuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapſi ſunt, remearent. Et non ſolùm hoc facere nullatenus voluerunt: Sed & nunc Succeſſor ejus Paulus, temerator fidei, aliud nequius excogitavit in præjudicium Catholicæ Fidei conamen, quaſi quæ à Deceſſoribus ſuis hæreticè expoſita fuerunt, deſtruens, & Imperialem Typum, ſacrilego auſu, totius plenum perfidiæ, à Clementiſſimo Principe noſtro fieri perſuaſit, in quo promulgatum eſt, ut omnes populi Chriſtiani credere debuiſſent. Ideóque neceſſe habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commiſſa ſunt, culpæ reatu adſtringamur, Cœtum generalem Fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum in hac Romana Civitate congregare. In quorum præſentia memoratorum Hæreticorum ſceleroſa conſcripta examinata atque denudata ſunt; & Apoſtolico mucrone, Patrúmque definitionibus, uno ore, unóque ſpiritu condemnavimus, ut cognoſcentes univerſi errorem qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina Geſtorum Synodalium in præſenti vobis dirigere, unà cum Encyclica noſtra. Ex quorum ſerie omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum ut filii lucis extinguere. Idcirco ſtudeat Fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur, quanque ſuæ ſalutis ſacramenta addiſcere valeant, atque Synodali conventione omnium Fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum partium illarum effectâ, ſecundùm tenorem Encyclicæ à nobis directæ, ſcripta unà cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent,* CONFIRMANTES ATQUE CONSENTIENTES EIS QUÆ PRO ORTHODOXA FIDE ET DESTRUCTIONE HÆRETICORUM VESANIÆ NUPER EXORTÆ A NOBIS STATUTA SUNT.

Ex his non ſolùm *Agathonis*, ſed & *Nicolai I.* verba in Objectione laudata facilè explicantur,

PROPOSITIO TERTIA.

Honorius ab Hæreſi tam verè excuſatur, quam piè.

Honorius Papa non fuit Hæreticus.

Probatur. Ille cujus Epiſtolæ Catholico ſenſu poſſunt explicari, prout eas expoſuere Viri Maximi, quorum veneranda eſt in Eccleſia auctoritas; & qui ſi in errorem contra fidem impegiſſet, in illum ex pravâ electione lapſus non videretur, nec in eo fuiſſe pertinax, ab hæreſi piè excuſatur & verè: Atqui *Honorii* Epiſtolæ Catholico ſenſu explicari poſſunt, prout eas expoſuere Viri Maximi quorum in Eccleſia veneranda eſt auctoritas; & ſi in errorem contra fidem impegiſſet, in illum ex pravâ electione lapſus non videretur, nec in eo fuiſſe pertinax, quam ob rem *Honorius* ab hæreſi piè excuſatur & verè.

Ejus Epiſtolæ Catholico ſenſu explicari poſſunt.

Probatur Minor *Joannis IV.* Pontificis Romani, *S. Maximi Martyris*, & *Anaſtaſii Bibliothecarii* locupletiſſimis teſtimoniis. Sic loquitur Joannes IV. *In Apologia pro Honorio ad Conſtantinum* Imperatorem *Heraclii* filium: *Omnes Occidentales partes ſcandalizatæ turbantur, fratre noſtro Pyrrho Patriarcha per literas ſuas huc atque illuc tranſmiſſas, nova quædam, & præter fidei regulam prædicante, & ad proprium ſenſum, quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Papam attrahere feſtinante, quod à mente Catholici Patris erat penitùs alienum. Igitur ut veſtra Benignitas cauſam totam rei diſcere poſſit, quæ ante brevis intercapedinem temporis geſta ſunt, enarrabo.*

Sergius reverendæ memoriæ Patriarcha, prædictæ Sanctæ recordationis Romæ Urbis Pontifici ſignificavit, quod quidam in Redemptore noſtro Domino Jeſu Chriſto, duas contrarias dicerent voluntates. Quô præfatus Papa compertô, reſcripſit ei, quia Salvator noſter ſicut eſſet Monadicus unus, ita & valde mirabiliter ſuper omne genus humanum conceptus & natus eſſet. De Sancta quoque ipſius incarnatâ diſpenſatione docebat, quia Redemptor noſter, ſicut eſſet Deus perfectus, ita eſſet & homo perfectus: ut quam Primus Homo per prævaricationem amiſit, ſine aliquo peccato natus, primam imaginis nobilem ſpeciem renovaret.

varet. Natus est ergo Secundus Adam nullum, habens nascendo, vel cum hominibus conversando, peccatum. Etenim verbum caro factum, in similitudinem carnis peccati, omnia nostra suscepit, nullum reatûs vitium ferens ex traduce prævaricationis exortum. Similitudinem ergo intelligimus, non carnis ejus, sed peccati .... Ergo similitudinem carnis peccati Sanctus dicit Apostolus, quam similem nobis peccatoribus, sine peccato, cum animâ rationali suscepit, & idcirco unam voluntatem, secundùm primam formationem Adæ, naturalem humanitatis suæ Dominus noster Jesus Christus habere dignatus est, non duas contrarias, quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adæ geniti .. Unde scientes, quod nullum in eo, cùm nasceretur & conversaretur, esset peccatum, decenter dicimus, & veraciter confitemur unam voluntatem in sancta ipsius dispensationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus; secundùm quod quidam Hæretici velut in puro homine delirare noscuntur. Secundùm hunc igitur modum, jam dictus Decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur, Quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione Primi Hominis. Honorium itaque unam voluntatem Christi scribentem, de humanæ duntaxat naturæ voluntate *Joannes IV.* intelligendum esse docet, cujus duas esse voluntates contrarias, mentis nimirum & carnis, orthodoxo sensu negavit: quia illa pugna appetituum, peccati fructus est: *A Verbo autem assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ per prævaricationem vitiata* (inquit *Honorius* ad *Sergium* scribens) Hæc *Joannes IV.* Sanctissimus Pontifex in *Honorii* defensionem piè scripsit, compulso etiam Amanuensi qui eam Epistolam scripserat, ad *Honorii* mentem exponendam.

Eodem modo ab Honorio hæreseos labem abstersit *S. Maximus Martyr*, primò in *Dialogo cum Pyrrho*, ubi cùm dixisset Hæreticus Patriarcha, *Quid habet de Honorio dicere, qui ad Prædecessorem meum scribens, unam Domini nostri Jesu Christi voluntatem apertè dogmatizavit?* S. Maximus respondet: *Quis Epistolæ illius fide dignior erit Interpres? Qui eam ex persona Honorii composuit, & vivit adhuc, inter alia sua bona hoc etiam conspicuus, quòd pietatis dogmatibus universum illustravit Occidentem? An Constantinopolitani de corde suo loquentes?* Pyrrhus: *Qui eam composuit* Maximus. *Ille idem igitur ad Divum Constantinum quondam Imperatorem scribens rursùm ex persona Sancti Papæ Joannis de ipsa: Unam*, inquit, *voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus & humanitatis, sed solius humanitatis. Cùm enim scripsisset Sergius, esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis (inquam) & spiritûs; sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est. Id ita esse, evidenter ex eo demonstratur, quòd membrorum & carnis facta est mentio, quæ divinitati quoque ejus non possunt attribui.*

Et in Epistola ad *Marinum*, quæ extat inter *Anastasii Collectanea*, sic eumdem Pontificem vindicat: *Honorium etiam Romanum Papam non dissitere reor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem, in Epistolâ quam scripsit ad Sergium, eò quòd unam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, & hanc fortassis etiam constabilire; Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris & naturalis voluntatis, sed quòd nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem processerit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa. Sola namque voluntas divina atque paterna, per Filium unigenitum per semet operantem propriam Incarnationem, Sanctique Spiritûs conventionem, hanc operata est. Et quod hunc sensum sectetur, hinc est manifestum. Cùm enim dixisset, Quia propter ineffabilem unitatem humanæ ac divinæ naturæ, Deus diciturpati, & humanitas de cœlo cum divinitate descendisse: & hoc modo ostendisse eorum quæ naturaliter insunt utrique naturæ unius Christi & Dei Filii per commutationem, summam redditionem, subinfert:* Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi: *quomodo ait:* Quia profectò à divinitate assumpta est natura nostra, non culpa. *Propemodum cum magno effatus Athanasio, qui hæc contra Apollinarium impium scribit: * Natus est ex muliere, de primâ plasmatione hominis formam sibi erigens in ostensione carnis absque carnalibus voluntatibus, & humanis cogitationibus in imagine novitatis. Voluntas enim sola divinitatis est, quoniam natura tota divinitatis est.*

S Anathaß vet.

Et infrà, cùm hæc *Honorii* verba recensuisset, *Alia enim Lex in membris, ejus voluntas diversa vel adversa non fuit in Salvatore*, hæc habet: *Hinc ostendit, non quòd non habuerit humanam voluntatem & naturalem (non enim hoc dixisse videtur) sed quòd sicut homo, neque secundùm corpus per membra quamlibet habeat præter naturæ leges operationem: neque rursus secundùm animam, voluntatis contrarium, vel sine ratione motum, velut nos: Quia & supra legem natus est humanæ naturæ.*

Et infrà: *Unde cùm nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicis assumptam, unius mentionem facit. Illud autem quod introducit: Non veni facere voluntatem meam, in medium verbo proponit, omisso numerò. Non sunt*, inquit, *hæ diversæ voluntatis, idest, contrariæ atque adversatricis: ex quò duas secundùm naturam existere in Salvatore voluntates, manifestè colligitur. Si enim contrariam non habuit naturalem habuit tanquam homo. Quod enim non est contrarium, naturale profectò est.*

Subdit denique: *Et ego quidem sic fo illius habere sensum existimo, ab omni suspicione purgatum. Certiorem autem mihi hanc sanctissimus fecit Presbyter, Dominus videlicet Anastasius Abbas à seniori Româ reversus, vir scilicet incomparabilis, virtuteque divinâ & prudentiâ venustatus: qui asserens, quòd multum sermonem moverit ad sacratissimos magnæ illius Ecclesiæ viros, propter Epistolam quæ ab eo fuerat ad Sergium scripta, percontans cujus rei gratiâ, vel qualiter in eâ inserta fuerit una voluntas; & invenit hæsitantes in hoc, & rationem reddentes. Insuper & eum qui hanc per jussionem ejus Latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Joannem sanctissimum Symponum, affirmantem, quod nullò modò mentionem in eâ per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis: licet hoc nunc sit fictum ab his, qui hanc in Græcam vocem interpretati sunt: verùm nec quamlibet exinanitionem vel abolitionem naturalis secundùm humanitatem Salvatoris voluntatis, sed ejus quæ nostra est, & reproba facta, perfectam dejectionem & interemptionem, juxta quod & in invicem, eorum, quæ unius generis sunt, efficitur bellum: ostendere volens, ab omni esse peccato mundam assumptam carnem secundùm sacratissimorum Eloquiorum, & paternarum doctrinarum Traditionem.*

In hoc itaque posita est Honorii defensio à *S. Maximo* adornata, quòd *Sergium* intelligens de contrariâ in carne & membris Christi voluntate, qualem ex Primi Parentis prævaricatione contraximus, non de naturali, quæ in omni statu naturæ humanæ est proprietas, & comes individua, ejusmodi tantùm voluntatem contrariam negaverit, talem asserens à Verbo assumptam naturam, qualem Deus condidit, exceptô duntaxat impassibilitate. Legenda est ejusdem *S. Maximi* Epistola ad *Petrum Illustrem*, quæ in Collectaneis *Anastasii* pariter habetur.

Anastasius Bibliothecarius, Præfatione in sua ad *Joannem Diaconum Collectanea*, sic *Honorius* ab

hæresi vindicat: *Almanus nostras venire contigit Apologiam Joannis IV. Romani Pontificis pro Honorio Papa à calumniatoribus impetito, quod unam Domini nostri Jesu Christi tantum scripserit voluntatem. Quæ videlicet Apologia, satis hunc, ut reor, excusabilem reddit, licet huic VI. Synodus quasi Hæretico anathema dixerit, & in Dei solius jam judicio positum, reprobationis telo perfoderit: cùm Hæreticus non ex erroris tantùm deceptione, quantùm ex electione non rectâ, & contentiosâ pertinaciâ generetur. Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrum ipse pro certo dictaverit Epistolam, de quâ illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt, cùm & ex Scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio, quid contingere tale potuerit? Quamvis non ignoremus, docente S. Maximo in Epistola sua, quam Marino scripsit Presbytero, Sanctissimum hanc scripsisse Joannem Abbatem. Esto & ipse* (Honorius) *dictator extitit; quis hunc illum interrogavit? Quis intentionem investigavit? Quis hunc corrigere voluit; & ille percontanti, aut emendare volenti restitit, vel contentionibus serviens resultavit? Præsertim cùm in Evangelio illo quò dicitur: Nolite judicare, & non judicabimini*, &c. *Nihil aliud præcipi magnis etiam Magistris Ecclesiæ videtur, nisi ut ea facta, quæ dubium est quò animò fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippe quædam facta media, quæ ignoramus quò animò fiant, cùm bono & malo fieri possint, de quibus temerarium est judicare, maximè ut condemnemus.*

Nullus in S. Petri Cathedra sedit Hæreticus, protegente Deo.

His addendus est *Æneas* Parisiensis Episcopus in Præfatione libri *Adversùs Græcos*, nullum Romanorum Pontificum, ad sua usque tempora, in hæresim lapsum asserens, cùm multi Hæretici Constantinopolitanæ Sedi incubarint. *Est autem dictu lamentabile*, inquit, *quia eadem sedes, quæ caput levare conatur ad superos, pro rectæ Fidei Præsulibus, doctrinâ fœdatos Rectores olim habuit hæreticâ, quos Tripartita denotat Historia, & SS. Patrum in Canonibus damnat solertia. Non verò in Romana Sede, Deo rectore, tale unquam contigit dedecus, ut aliquis Hæresiarches eidem præsideret, quam summus Apostolorum Princeps sua sessione illustravit, & suo sanguine consecravit; cui suas regendas Oves Dei Filius speciali curâ commisit. Nec mirum, quia ipsi dictum fuerat:* Tu es Petrus & super hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo Claves Regni Cœlorum. *Ergo cui propriâ auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem cùm Petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit. Liberius tamen Papa à B. Petro XXXVII. quamvis à Fidei tramite non deviaret, exilio & minis Arianæ Principis territus, non virtute quâ debuit, perfidis Arianis viriliter repugnavit.* Idem de *Honorio* dicendum, à Fidei tramite illum non deviasse, sed non virtute quâ debuit perfidis Monothelitis viriliter repugnasse.

Objicies. Absolvi non potest ab Hæresi, quem VI. Synodus damnavit ut Hæreticum, si justè illum damnaverit: atqui *Honorium* VI. Synodus ut Hæreticum damnavit: hunc verò justè damnatum diximus: excusari igitur ab hæresi non potest.

Probatur minor ex VI. Synodo *Actione XIII* ubi Patres *Honorii* Epistolas execrantur ceu *omnino alienas ab Apostolicis Dogmatibus, & à Definitionibus Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequentes verò falsas doctrinas Hæreticorum*. Tum damnatis Monothelitarum Principibus, subdunt de Honorio: *Cum his verò simul projici à Sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quòd invenimus per scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit*. Denique *Actione XVI.* non semel dictum est: *Honorio Hæretico anathema*. Itaque Sexta Synodus *Honorium* ut Hæreticum damnavit.

Respondeo, VI Synodum *Honorium* damnasse ut Hæreticum communione, favore ac patrocinio Hæreticis impenso; non autem ut hæreticum sententiâ, ac electione pravâ & pertinaciâ, quas ad formalem (ut Scholastici vocant) & propriè dictam hæresim necessarias nemo nescit. Hunc esse sensum anathematis *Honorio*, ceu Hæretico dicti in Synodo VI. constat ex *Leone II.* optimo Concilii interprete, in Epistola ad *Constantinum Pogonatum* pro confirmatione Synodi, in quâ recensitis omnibus Hæreticis, quos Catholica Ecclesia rejicit & damnat, subdit: *Pariterque anathematizamus novi erroris Inventores, id est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ subsessores, magisquàm Præsules: nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ Traditionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam maculari permisit.*

Id est, Insessores, ut Binius vocat, quamvis Latinus Interpres vertat, Successores, inepto sensu.

Et in Epistola ad Episcopos Hispaniæ. *Qui verò*, inquit, *adversùs Apostolicæ Doctrinæ puritatem perduelles extiterant, abeuntes quidem æternâ condemnatione mulctati sunt, id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Constantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam Autoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.*

Idem constat ex *Constantino Pogonato* in Edicto quod legitur post Actionem XVIII. Synodi VI. *Super hæc omnia*, inquit, *anathematizamus eos, qui supervacuorum & novorum dogmatum Hæretici Auctores, atque Fautores sunt. Dicimus autem Theodorum, qui fuit Pharanitanus Episcopus, & Sergium qui fuit hujus à Deo conservandæ nostræ Regiæ Urbis Antistes... Ad hæc & Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa: horum hæresis in omnibus fautorem, concursorem, atque confirmatorem.* Distinguit disertè *Constantinus*, qui Concilio interfuit, illudque autoritate suâ roboravit, & mentem Patrum dubio procul assecutus est, hæreseos & Hæreticorum fautores ab Hæreticis novorum dogmatum authoribus & propugnatoribus; & Honorium quidem inter fautores, non inter Auctores Monothelismi damnatum commemorat.

Pontifices olim in Professione Fidei damnabant Honorium ut fautorem Monothelitarum.

Id tandem confirmatur ex *Diurno Romanorum Pontificum*, ubi in Professione Fidei quam Pontifex recèns creatus edebat, anathemate feritur & *Honorius* cum Monothelitis ceu qui pravis eorum dogmatibus favorem impenderet. *Inter veneranda universalia quinque Concilia, etiam Sanctum Sextum Universale Concilium centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, quod favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis nostri Domini Constantini clementer implente, in Urbe Regia, eo præsidente, celebratum est, cui Apostolicæ recordationis Agatho Papa per Legatos suos & Responsales præfuit, cujus venerabilem Tomum celebriter assequentes, eos qui novo & hæretico dogmate immaculatam Dei Ecclesiam polluere nitebantur, & errasse manifestè probaverunt, & cum sui erroris Auctoribus usque Fautoribus, perpetuo anathemate damnaverunt... Auctores verò novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Constantinopolitanos, unà cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit*, &c.

Honorii porro Epistolæ dicuntur à Patribus Sextæ Synodi *Alienæ ab Apostolicis Dogmatibus, & à Definitionibus Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas Hæreticorum*; non minùs quàm Epistolæ Sergii, quia in modo loquendi cum *Sergio* convenit *Honorius*, & in damnanda Oeconomia, quâ silentiò obrui jussit, sicut ille, duarum Christi operationum & voluntatum sacras voces. Quæ Oeconomia dogmatibus & exemplis

exemplis Apostolicis adversatur. Ideo *Typus Constantis* in Concilio Lateranensi, & in Sexta Synodo damnatus est, ut *factus contra immaculatam Christianorum fidem*. Similiter dicitur *Honorius mentem Sergii in omnibus secutus, & impia dogmata confirmasse*; non consentiendo, sed connivendo; nec approbando pravum dogma, sed silentium indicendo de una vel duabus operationibus. Eodem sensu exponendum est quod Actione XIV. dixit Synodus de libellis, chartis, & Opusculis Hæreticorum à Chartophylace prolatis ac lectis, necnon de duabus Epistolis *Honorii*; illas *In unam eamdemque impietatem tendere*. Dispari enim modo in eamdem impietatem tendere intellexit *Honorii* Epistolas, & Hæreticorum scripta; ista pravi dogmatis assertione; illas Catholici Dogmatis dissimulatione.

Nec aliud colligi potest ex verbis Actionis decimæ octavæ, quibus dicitur, *Dæmonem per organa sua, id est, Theodorum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, & Honorium ac Cyrum, atque Macarium, & Stephanum, Ecclesiæ convenienter erroris scandala excitare, unius voluntatis & operationis in duabus naturis Christi hæresim in populum Catholicum spargendo*. Hæresim namque docendo sparserunt cæteri; *Honorius* docentibus non resistendo, ut par erat, sed eumdemcum ipsis loquendi modum usurpando, & per imprudentem silentii jussionem ipsis connivendo, ad eam spargendam & ipse contulit.

Honorius à Sexta Synodo damnatus non fuit ut Hæreticus, sed ut Hæreticorum fautor, & reus negligentiæ in illis coercendis.

Concludamus itaque *Honorium* à Sexta Synodo damnatum non fuisse ut Hæreticum, sed ut hæreseos & Hæreticorum fautorem, utque reum negligentiæ in illis coercendis; & justè fuisse damnatum, quia eadem culpâ erroris fautores, ac Auctores ipsi tenentur. Unde *Celestinus I.* ad Episcopos Galliarum scribebat; *Timeo ne connivere sit hoc tacere: timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori.* Hinc *S. Leo* in Epistola ad *Theodoretum*, ait: *Ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exerendi fiduciam, ut vincatur adversitas, ne quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur oppressum.* Hinc *Honorius* & *Theodosius* Imperatores in Rescripto ad *Aurelium* Carthaginensem Episcopum dato V. Idus Junias, *Monaxio* & *Plinta* Coss. exauctorationem, secundùm Canones comminantur Episcopis, qui segniter se gesserint adversùs Pelagianos, & præter expulsionem à civitatibus, interdictam quoque in perpetuum Communionem: *Una enim*, inquiunt, *eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando, conniventiam; aut non damnando, favorem noxium præstiterint.* Hinc *Sanctus Theodorus Studita*, in Epistola ad Monachorum Præpositos, qui silentium in causa sacrarum imaginum sub *Leone Armeno*, fuerant polliciti, ait: *In hoc temporis articulo, non solum qui dignitate & scientia præcellit, certare is debet recta fidei doctrinam proferens; sed & discipulus quoque ipse fiduciam sumere, & veritatem intrepida ac libera voce profiteri. Non mea sunt hæc verba, qui peccator sum, sed divini Chrysostomi; quin immo & aliorum patrum.* Addit, *Consensus par esse silentium; id esse, prodere veritatem, & Præfecturam abnegare, & subditos sibi subvertere.* Quamvis igitur *Honorius* Pontifex hæreticus non fuerit, justè tamen damnatus est à Sexta Synodo, ob negligentiam in damnanda Monothelitarum hæresi, ob favorem & patrocinium ipsis impensum, ob œconomiam causæ fidei prorsus noxiam, ob modum tandem loquendi cum Hæreticis communem.

Objicies. Qui in controversia de Christi voluntatibus & operationibus locutus est sicut Hæretici Monothelitæ, verè excusari ab hæresi non potest: atqui *Honorius* in controversia de Christi voluntatibus & operationibus locutus est ut Hæretici Monothelitæ loquebantur: excusari ergo non potest ab hæresi.

Respondeo, distinguo majorem: Si latens sub eorum verbis venenum perspexerit, & eodem sensu locutus sit, concedo: Si pravam eorum mentem non fuerit assecutus, & alio sensu, eóque Catholico verba ipsorum usurparit, nego. Sanè verba Patribus & hæreticis quandoque fuere communia. Antiochenæ Synodi contra *Paulum Samosatenum* Patres consubstantialem Patri Filium in Sancta Trinitate negarunt, eamque vocem rejecere, quod postea fecerunt Ariani; sed longè diverso sensu, ut probavimus Dissertatione XIV. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi IV. *S. Cyrillus* dixit *Unam naturam Verbi incarnatam*, eademque verba Eutychiani usurparunt: sed alio planè sensu. Ita *Honorius* cum *Sergio, Cyro*, & *Macario* Monothelitis locutus est, sed mente Catholica; & sensu ab eorum errore penitus alieno: si quidem absolutè duas voluntates Christi non negavit, sed voluntates pugnantes; ut supra ostendimus. Legatur Editor Diurni Romanorum Pontificum, in Appendice ad Notas eruditas eidem subjunctas.

SCHOLION.

Huic Dissertationi pag. 302. Edit. s. hanc notam Religiosi Censores ornarunt: *Tota Dissertatio de Honorii damnatione in sexta Synodo Oecumenica ad pag. 340. expungenda.*

R. Primam scilicet & secundam Propositionem earumque probationes, & solutiones objectionum expungendas censent. Utramque tamen propugnant viri quotquot sunt in Galliis eruditi. Ante me propugnatam P. Franciscus Combefis pius & eruditus Ordinis FF. Prædicatorum Theologus, in Dissertatione Apologetica pro Actis sextæ Synodi cap. 111. § 121. Joannes Garnerius Societatis Jesu Theologus Dissertatione II. ad Diurnum Librum Romanorum Pontificum aliique plurimi; & communis hac ætate in Scholis Sorbonicis opinio antequam animum ad scribendum appellerem. Ita Combefisius loco nunc laudato: *Non desunt, inquit, Viri catholici, damnantes ipsa hæresi Honorium, eoque nomine contendentes verè à Sexta Synodo damnatum, ita omnino significat noster Canus lib. VI. de Locis, Karanza in Compendio Conciliorum; Torrensis etiam apud nostrum Gravinam, prosuero Deposito, cap. XIV. errorem in Honorio fatentur. Alii quoque velut Stapleto, Gravina, &c. nihil periculi agnoscunt, ut tamquam Doctor privatus, quomodo se habuit scribenda ad Sergium, suo ipsius nomine, nec alio conscio quàm Amanuensi, errare potuerit ac falsum rescribere... Nihil ergo absonum, aut minus fundis Apostolica Privilegio consonum, in Honorium privatis hujusmodi litteris, nihil æque Fratrum consilio datis, erraverit, aut hæreticum aliquid protulerit, Apostolica interim Sede illibatam fidem retinente.*

Joannes Garnerius propugnat Honorium Monothelitam non fuisse, ejusque Epistolas hæresim non continere; sed tamen in sexta Synodo verè fuisse damnatum: Acta illius Synodi non fuisse depravata. Justam fuisse Honorii damnationem, non propter hæresim, cujus purus extitit, sed propter *inconsultam œconomiam* & *favorem* Monothelitis impensum, quia scilicet *voluit ac jussit de una vel gemina operatione taceri; cùm tamen Religionis causa exigeret, aperte geminam defendere. Ne scilicet ab Eutychianorum reliquiis fides de duabus naturis inconfusis, impermixtis, & ind[i]stinctis, quæ obliquè probabatur, mutaret.* In eadem institi via, tertiam hanc statuens Propositionem pag. 346. *Honorius ab Hæresi tam verè excusatur, quàm piè.* Sed tamen damnatum a sexta Synodo, & justè quidem, ob favorem Monothelitis præstitum, firmissimis argumentis ostendo. Cùm damnatum in Sexta Synodo Honorium, Actáque minimè depravata propugno, maximam eruditorum virorum partem sequor. Ut enim ait P. Garnerius §. 6. Num. LI. *Baronius, etsi piè summum ingenii, doctrinæque, quibus valebat plurimum, vim adhibuerit ad eam commendam Honorii defendendi rationem, quam nuncam valere credidit, paucis tamen Eruditis fecit utcumque satis: Maxima pars ausultare non destitit antiquis Scriptoribus, quibus numquam in mentem venit arguere vitii, imò nec in dubium revocare Acta Sextæ Synodi, multò minus alia publicæ fidei instrumenta suppositionis damnare.* Cùm damnatum in Sexta Synodo Honorium asserui, veterem Ecclesiæ Romanæ sententiam in hac facti quæstione secutus sum, quæ ad initium usque nostri Sæculi in suo Breviario hæc legebat in Festo S. Leonis Secundi, in tertia quintaque Matutini Officii Lectione: *Hic suscepit sanctam Sextam Synodum... In qua condemnati sunt Cyrus, Sergius,* HONORIUS, *Pyrrhus, Paulus & Petrus, necnon Macarius cum Discipulo suo Stephano: sed & Polychronius*

Archiepiscopus, *locum tenens totius Synodi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Contra fidem etiam *Anastasii Bibliothecarii*, qui in libro de Vitis Romanorum Pontificum, in Vita *Sergii I.* scribit: *Hujus Pontificis temporibus, Justinianus Imperator Concilium in Regia Urbe fieri jussit, quò & Legati Sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant.*

Præses.

IV. *Callinicum* Patriarcham Constantinopolitanum fuisse hujus Synodi Auctorem & Præsidem scribunt *Baronius* & *Binius*, absque ratione, absque teste, contra manifestam subscriptionum fidem. Subscripsit enim Canonibus *Paulus Callinici* Decessor, B quod ex veterum Codicum auctoritate confirmat *Blastares* in Nomocanonis Præfatione. Adfuerunt Episcopi supra ducentos. Canones CII. edidit.

Synodi Epocha.

V. Hanc Synodum celebratam scribit *Theopanes* anno Mundi sexies millesimo centesimo nonagesimo nono, anno secundo *Justiniani* in Imperium reducti, viginti septem annis post VI. Syoodum. Sed *Theophanes* aberravit. Canones enim Trullanæ Synodi editi sunt sub Sergii I. Pontificatu, ut *Anastasius Bibliothecarius*, & *Venerabilis Beda* testantur: *Sergius* autem ad illud tempus non pervenit, quo *Joannes VII.* jam* sedebat. De hoc *Theophanis* anachronismo vide C *Leonem Allatium* lib. 1. De Perpetuo Consensu cap. 27.

Refellitur Baronius.

Cardinalis Baronius vult celebratam anno Christi sexcentesimo nonagesimo secundo, *Sergii* Papæ Quinto, *Justiniani junioris* octavo. Sententiam suam probat ex III. Canone, quò celebrata indicatur statim post quartam Inctidionam. Ita enim habet Canon laudatus: *Omnes simul decernimus, ut qui duobus pridem Matrimoniis implicati fuere, & usque ad decimum quintum præteriti mensis Januarii præteritæ quartæ Indictionis anni sexies millesimi centesimi nonagesimi noni, peccato servierunt, & non ab eo resipiscere voluerunt, depositioni canonicæ subjaceant; &c.* At oon est subodoratus D Annalium Parens mendum quod in Canonem III. irrepsit, vitiatô Indictionum numerô. Facillimum sanè fuit ut excideret apex, & quarta Indictio loco decimæ quartæ, detractâ denarii notâ remaneret. Porro si post Indictionem decimam quartam celebrata est, figi debet anno Christi sexcentesimo octogesimo octavo, quinque circiter annis post VI Synodum. Rem verò ita se habere subscriptiones probant *Paulus* enim Constantinopolitaous Patriarcha Synodo subscripsit, qui decem annis post Synodum Sextam superstes non erat. Jam enim sedebat *Callinicus*, ut *Baronius* fatetur. Et certè facilius fuit E numerum unum in alium mutari, quàm nomen unius Episcopi in nomen alterius, *Callinicum* in *Paulum*.

Confirmatur locupletissimô testimoniô *Tharasii* Patriarchæ Constaotinopolitani in VII. Synodo *Actione* IV. dicentis: *Quidam ignoratione languentes scandalizantur in hos Canones, asserentes; Putas Sextæ Synodi sunt? Cognoscunt autem qui hujusmodi sunt, quod Sancta & Magna Sexta Synodus sub Constantino fuerit celebrata contra illos qui unam voluntatem & unam operationem dicebant in Christo; in quâ Hæreticis anathematizatis, & explanata fide, domum reversi sunt, decimo quarto anno Constantini. Ergo post quatuor, sive quinque annos, iidem ipsi Patres convenientes sub* F *Justiniano filio Constantini, præsignatos Canones exposuerunt, & nemo dubitat de illis. Illi enim qui subscripserant sub Constantino, ipsi & sub Justiniano præsenti Chartæ subscripserunt, ita ut hoc manifestum sit ex eorum propriæ manûs scriptura immutabili similitudine.* Eosdem tamen Episcopos non exhibent subscriptiones Sextæ & Trullanæ Synodi: quamobrem vel magna ex parte mendosæ sunt, vel *Tharasius* erravit, quod ægrè crediderim, cum ab illâ Synodo non multùm distaret, ejusque Canones, & quæ de eâ in suæ Ecclesiæ monumentis habebantur, ipsum legisse verisimile sit.

Omnes Canones Synodi Trullanæ non sunt ab Ecclesia Romana approbati: sed nec improbati sunt universi.

VI. Omnes Canones Trollanæ Synodi non sunt A ab Ecclesia Romana approbati; nec improbati sunt universi, sed plurimi laudati, juréque laudandi. Non est approbatus *Canone III.* quo octoginta quinque Apostolorum Canones & Constitutiooes decernuntur admittendæ. Nec *Canon XIII.* quo Lex Ecclesiastici cœlibatûs concutitur, & castissima Romanæ Ecclesiæ reprehenditur disciplina, quâ sacris Ministris usu conjugii interdicitur. Quin etiam eos, qui Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, conjunctionem & consuetudinem cum legitimâ uxore prohibuerint, anathemate fecit iste Canon. Non est etiam ap- B probatus *Canon LV.* quò Jejunium Sabbathi in Romanâ Ecclesia celeberrimum damnatur, his verbis: *Quoniam intelleximus in Romanorum Civitatibus, in Sanctis ejus Sabbathis jejunari, præter Ecclesiasticam traditam observationem, Sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesiâ inconcussè vires habeat Canon qui dicit: Si quis Clericus inventus fuerit in Sancto die Dominico, vel Sabbato jejunare, præter unum & solum, deponatur; sin autem Laicus, segregetur.* Non est approbatus *Canon LXVII.* abstinentiam à sanguine & suffocato Clericis, sub depositionis pœnâ, Laïcis sub pœnâ excommunicationis prohibens, C eamque abstinentiam velut ex divinæ Scripturæ mandato etiamnum obligante imponens. Non est approbatus omni ex parte *Canon LXXXII.* quô prohibetur ne Christus Salvator depiogatur io imagine Agni, sicut ostensus est Patribus in figurâ, sed in imagine hominis, quâ demum omnes sunt adimpletæ figuræ. Non est, inquam, approbatus ille Canon, siquidem Agnorum imagines ex cerâ benedictâ Sabbato Sancto fieri solitas, & Dominica in Albis populo distribui post Communionem in Ecclesiâ Romanâ, ex Ordine Romano, ex *Alcuino*, sive alio potiùs Auctore Libri *De Divinis Officiis Alcuino* adscripti, & ex *Amalario* compertum est.

D *Sergius I.* Pontifex Maximus; quo sedente Synodus Trullana celebrata est, illius Canones, quorum confirmationem *Justinianus* urgebat, approbare noluit, ut testantur *Anastasius Bibliothecarius*, *Venerabilis Beda*, & *Humbertus* Cardinalis. Et *Anastasius* quidem in *Sergii I.* Vita hæc habet: *Hujus temporibus Justinianus Imperator Concilium in Regia Urbe jussit fieri, in quo & Legati Sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant. Compellebatur autem & ipse subscribere, sed nullatenus acquievit. Pro eò quòd quædam Capitula extra ritum Ecclesiasticum fuerant in eo annexa, quæ & quasi Synodaliter definita,* E *& in sex Tomis descripta à tribus Patriarchis**, *id est, Alexandrino, Constantinopolitano & Antiocheno, vel cæteris Præsulibus, qui eo tempore illuc convenerant, subscripta erant, manuque Imperiali confirmata, in hanc Urbem ad confirmandum, vel in superiori loco subscribendum, Sergio Pontifici, utpote Capiti omnium Sacerdotum direxit. Qui Beatissimus Pontifex penitus eidem Justiniano Augusto non acquievit, nec eosdem Tomos suscipere, aut lectioni pandere passus est. Porro eos ut invalidos respuit, atque rejecit, eligens ante mori, quàm novitatum erroribus consentire.*

* Falsò scribit Anastasius, tres Patriarchas ad Synodum Trullanam convenisse: si tamen Anastasius est. His enim pugnantia ipse scribit Præfatione in VII Synodum mox proferendâ.

De iisdem Synodi Trullanæ Canonibus, quos F Græci Sextæ Synodi Canones simpliciter vocant, ita scribit laudatus *Anastasius* io Præfatione VII. Synodi ad Joannem VIII. *Sanè notandum est*, inquit, *quædam ex Apostolorum, & VI. universalis Synodi Canonibus & Sententiis in hâc Synodo inveniri, quæ penes nos interpretata nec habentur, nec admittuntur... Ergo Regulas, quas Græci à VI. Synodo perhibent editas, ita in hâc Synodo Principalis Sedes admittit; ut nullatenus ex his illa recipiantur, quæ prioribus Canonibus, vel Decretis sanctorum hujus Sedis Pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adversa: quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognita, quia nec interpretata; sed nec in cæterarum Patriarchalium Sedium, licet Græcâ utantur linguâ, reperiantur archivis:*

ui mirum quia nulla earum, cùm ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inventa est. Quamquam eosdem Patres illas Græci promulgasse perhibeant, qui in VI. Synodo sunt inventi: sed hoc nullis probare certis possunt indiciis.

Idem in Præfatione VIII. Synodi ad *Adrianum II.* Pontificem Maximum. *Græci*, inquit, *& aliâ ostendunt Regularum numerosa & præsumptuosa satis Capitula, priscæ Traditioni penè omnia valde contraria, quæ à VI. Synodo prohibet promulgata, cùm VI. Synodus nullam protulerit præter fidei Regulam: sed quas etiam asseverant Regulas, longe post VI. Synodum apud ipsos constat penes se pro arbitrioque depromptas.*

De iisdem *Venerabilis Beda*, libro *De sex Ætatibus*, ubi de Justiniano Juniore agit, sic loquitur: *Hic Beatæ Memoriæ Pontificem Romanæ Ecclesiæ Sergium, quia Erraticæ suæ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere & subscribere noluit, misso Zacharia Protospathario suo, jussit Constantinopolim deportari: sed præveniens Militia Ravennæ urbis, vicinarumque partium, jussa Principis nefanda contemnens, & eumdem Zachariam cum injuriis & contumeliis ab Urbe pepulit.*

De iisdem *Humbertus* Cardinalis, Sylvæ Candidæ Episcopus, adversùs *Nicetam Pectoratum* scribit: *Non mirum si Agathoni Papæ, & SS. Patribus VI. Synodi vestra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupistis, aut finxistis Capitula, cùm etiam ipsi Domino Jesu & Apostolis ejus imputetis figmenta. Unde nos scientes VI. Synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas Institutiones congregatam, Capitula quæ nobis sub ejus auctoritate exponitis, omnino refutamus, quia Prima & Apostolica Sedes nec aliquando ea accepit, nec observat; quia aut sunt nulla, aut, ut vobis libuit, depravata.*

Trullanos Canones, quos à *Sergio I.* rejectos doluerat *Justinianus*, missâ ad *Joannem VII.* Legatione, confirmari ejus auctoritate postulavit, anno postquam recuperavit Imperium, altero: sed Pontifex Canones nec improbatos, ne principem offenderet; nec approbatos, ne proderet officium, per eosdem Legatos remisit ad Principem. Testis est *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Joannis VII. Illico*, inquit, *ut Palatium ingressus est, propriumque adeptus est Imperium Justinianus, Tomos, quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ memoriæ Pontifice Romano direxerat, in quibus diversa Capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos Metropolitanos Episcopos demandavit dirigens per eos & Sacram, per quam denominatum Pontificem conjuravit ac adhortatus est, ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæque ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, renuendo excluderet. Sed hic humanâ fragilitate timidus, hos nequaquam Tomos emendans, per suprafatos Metropolitas direxit ad Principem.*

Constantinum Romanum Pontificem *Justiniani* Imperatoris Sacrâ Jussione Constantinopolim evocatum, anno 709. & honorificentissimè exceptum, testatur *Anastasius Bibliothecarius*, in Vita *Constantini*, pientissimumque Imperatorem, Communione ab ipso perceptâ, omnia privilegia Ecclesiæ renovasse. Comes erat Pontificis *Gregorius* Romanæ Ecclesiæ Diaconus, qui ipsi in Romana sede successit. *Hic a Justiniano Principe inquisitus de quibusdam Capitulis, optimâ responsione unamquamque solvit quæstionem*. Ex quibus Cardinalis *Baronius*, & nonnulli alii Viri Docti colligunt, de Canonibus Synodi Quinisextæ tunc fuisse tractatum, cùm his temporibus nulla alia verteretur quæstio inter Orientales & Occidentales, & *Constantinum* Papam eos quidem laudatæ Synodi Canones approbasse, qui Juri divino, priscarum Synodorum Regulis, Pontificum Summorum Decretis, & Romanæ Ecclesiæ moribus non repugnant, alios verò improbasse. Sic etiam illos approbavit *Adrianus I.* in Epistola ad *Tharasium* Patriarcham Constantinopolitanum. *Invenimus*, inquit, *in prædictâ Synodicâ Epistolâ Sanctitatis vestræ, post plenitudinem fidei, & professionem sacri Symboli, & omnium sanctarum sex Synodorum, & de sacris venerabilibus caracteribus miraculum laude ac veneratione dignissimum contineri. Quare & easdem sanctas Synodos suscipio, cum omnibus Regulis, quæ jure ac divinitus ab ipsis promulgatæ sunt.* Ex quibus constat VII. Synodi auctoritatem, quæ *Canone I.* Trullanos Canones sub nomine Canonum Sextæ Synodi recipit, non evincere quòd absque exceptione ab Ecclesiâ recepti sint, cùm Synodi VII. laudatum Canonem *Adrianus* Pontifex Maximus non confirmaverit, sed approbationem Trullanorum Canonum, ad eos restrinxerit, *Qui jure ac divinitus promulgati sunt.*

Denique, quod supra diximus, plurimos Trullanæ Synodi Canones jure meritóque laudari, ex illorum lectione, & examine compertum est. *Primus*, namque fidem à sex Conciliis Oecumenicis confirmatam, & ab Apostolis traditam, inviolabiliter servandam esse docet. *Secundus*, jubet observantiam Canonum Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsareensium, Gangrensium, Antiochenorum, Laodicenorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium. In hoc solùm peccat, quòd Canones Apostolorum LXXXV. eorumdem Constitutiones, & Canones Constantinopolitanæ Synodi à Romanâ Ecclesiâ non probatos, pariter suscipiendos statuat. *Tertius* Presbyteros, Diaconos, aut Subdiaconos Bigamos vel deponit, vel in perpetuum suspendit à ministerio. IV. Clericos sacrarum Virginum stupratores deponit. V. Subintroductas mulieres, vel ancillas arcet à domibus Clericorum, deponit qui ipsas admiserint. VI. Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, Matrimonium post Ordinationem contrahere vetat. VII. Coërcet Diaconorum superbiam ante Presbyteros aliquibus in locis sedentium. VIII. Synodos Provinciales quotannis præcipit congregari. IX. Cauponariam tabernam habere, aut tabernas alienas ingredi, Clericis vetat. X. Clericos fœneratores è gradu Ordinis Ecclesiastici dejicit. XI. Communione & societate cum Judæis interdicit Christianis; Clericis quidem sub pœna depositionis; Laicis sub pœna excommunicationis. XII. Episcopos cum uxoribus eadem in domo manere vetat, quòd hinc scandalum populis crearetur. XIV. Presbyteros ante annum xxx. Diaconos ante xxv. non esse ordinandos; Diaconissam verò ante annum xl. statuit, secundùm veterem Disciplinam. XV. Subdiaconos antè annum xx. ordinari prohibet; deponendos statuit, qui ante legitimam ætatem in quolibet Sacerdotii gradu fuerint ordinati. XVI. Diaconorum numerum septenario majorem Actibus Apostolorum non adversari probat. XVII. Clericos sine proprii Episcopi scripta dimissoriâ, in aliena Ecclesia constitui vetat XVIII. Clericos, qui propter incursiones Barbarorum ex Ecclesiis suis migrarunt, pacatis rebus in eas redire compellit. XIX. Statuit, ut *Qui Ecclesiis præsunt*, Episcopi scilicet ac Parochi, *Dominicis præcipuè diebus omnem Clerum & Populum doceant pietatis, & rectæ Religionis eloquia, ex Divinâ Scripturâ colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum Traditionem. Sed etsi ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria & Doctores suis scriptis exposuerunt.* XX. A ministerio Episcopali suspendit Episcopos, qui in alienâ Diœcesi publicè docere præsumpserint. XXI. Canonicorum criminum reos, & propterea perpetuâ depositione mulctatos, Clericorum habitum & Tonsuram deferre vetat, nisi sponte peccatum defleverint, & ab eo se penitus alienos effecerint. XXII. Simoniacè ordinatos, & Ordinantes deponit. XXIII. Prohibet ne Sacerdotes, aut Diaconi Eucharistiam Fidelibus distribuentes, pecuniam exigant:

Summa Trullanorum Canonum laude dignorum.

Bigamorum irregularitas.

Tabernarum ingressus Clericis vetitus.

Ætas ordinandorum.

Obligatio prædicandi Verbum Dei, Episcopis & Curatis incumbit.

exigant: si qui exegerint, eos ut Simoniaci erroris & maleficii æmulatores deponit. XXIV. Clericos sub gradûs sui & honoris periculò spectaculis scenicis, & agitationibus, aut cursibus equorum, adesse vetat. XXV. Villarum Parochias iis Episcopis subjici decernit, qui triginta annorum spatio, eas sine vi possidentes administraverint.

Spectaculo Clericis vetita.

XXVI. Presbyterum per ignorantiam illicitis nuptiis implicatum solo permittit Cathedræ honore frui, ab omni Ministerio Sacerdotali suspendit. XXVII. Clericos vestibus Clericalibus sive in civitate, sive in itinere non indutos, unâ hebdomade à Communione segregat. XXVIII. Pessimam quorumdam locorum consuetudinem eradicat, quâ Sacerdotes uvam ad altare allatam incruento Sacrificio conjungentes, simul cum Eucharistia plebi Christianæ distribuebant. XXIX. Quadragesimale jejunium Feria V. in Cœnâ Domini non esse solvendum edicit, & Communionem à jejunis quovis tempore percipiendam. XXXI. Clericos in Oratoriis, seu Parochiis intra nobilium domos constitutis baptizantes, aut Sacrum facientes absque licentiâ Episcopi, deponit. XXXII. Pravam Armenorum consuetudinem emendat, qui aquam vino consecrando in Sacrificio Altaris non admiscebant. XXXIII. Alium eorumdem pessimum corrigit morem, quò nullum ordinabant Clericum, nisi qui esset ex genere Sacerdotali. XXXIV. Clericos reos conjurationis adversùs Episcopos, aut Conclericos, è proprio gradu dejicit. XXXV. Bona defunctorum Episcoporum, vel Ecclesiæ viduatæ, invadi vetat à Metropolitano: Cleri custodiæ credi jubet adusque novi Episcopi Ordinationem. XL. Pueros ante X. Puellas ante XVII. annum ætatis, ad Monasticam Professionem recipi vetat. XLI. Anachoreticam vitam, & perpetuam clausuram in remotis ab hominum societate cellulis agere cupientes, triennii spatio priùs in cellula probari, deinde altero anno extra clausuram, decernit. XLII. Vagos Eremitas coërcet, ac in solitudines amandat, aut Vitam Cœnobiticam amplecti & profiteri jubet. XLIII. Neminem Christianorum ob crimina in quæ ante conversionem prolapsus est, arcendum esse ab ingressu Monasteriorum & Vitæ Monasticæ professione statuit, quia Religiosæ vitæ Institutum Pœnitentiæ agendæ congruum est. XLIV. Monachos fornicationis, aut initi falsi nominis Matrimonii reos, canonicis fornicatorum pœnis addicit. XLV. Pessimam consuetudinem emendat in nonnullis Parthenonibus regnantem, in quibus mulieres habitu Religioso induendæ, sericis vestibus, gemmis, & omni mundi muliebris apparatu ornatæ, velut sæculi sponsæ, ad altare ducebantur, Benedictionem sacri habitûs percepturæ. XLVI. Sanctimoniales, & Monachos ex Monasteriis egredi prohibet, nisi urgente necessitate, & eorum permissione ac benedictione Superiorum: ne solas exire aliquando sinit Moniales, sed cum aliquibus vetulis. XLVII. Viros in Parthenonibus, mulieres in Cœnobiis virorum pernoctare & dormire vetat. XLVIII. Uxorem ejus qui ad Episcopatum promovetur, Monasterium ingredi procul ab ædibus Episcopi, & ejus frui providentiâ statuit. XLIX. Monasteria in sæcularia habitacula converti prohibet. L. Clericis, sive Laïcis, aleæ ludis, bis sub excommunicationis, istis sub depositionis pœnâ, interdicit. LI. Mimica spectacula, & scenicas saltationes, Clericis sub depositionis periculo, Laïcis sub pœna excommunicationis vetitas declarat. LII. Omnibus Quadragesimalis jejunii diebus, præterquam Sabbatho & Dominica, & Sancto Annuntiationis die, Missam ex Præsanctificatis celebrari statuit. LIII. Affinitatem spiritualem à Susceptoribus ex sacro Fonte, cum patre ac matre Baptizati contractam, impedimentum esse ac matrimonium dirimens statuit: & fornicatorum pœnis subjicit contrahentes, prius separatos. LIV. Gradus consanguinitatis, & affinitatis matrimonium impedientes, & dirimentes exponit, & decernit irritum deinceps matrimonium fore, quod quis cum filia patrui contraxerit, vel quod inierint pater & filius cum matre & filia, aut pater & filius, vel duo fratres cum duabus sororibus, aut mater & filia cum duobus fratribus. In his autem gradibus contrahentes, septennii etiam Pœnitentiæ addicit. LVI. Armenorum & aliorum consuetudinem improbat, qui Sabbatis, & Dominicis Quadragesimæ ova & caseum comedebant. Qui ab iis non abstinuerint in posterum, depositionis pœnæ subjiciuntur Clerici, Laïci excommunicantur. LVII. Lac & mel in Altari vetat offerri. LVIII Laïcos sibi ipsis Eucharistiam, præsente Episcopo, Presbytero, vel Diacono, ministrare prohibet. LIX. Baptismum in privatis Oratoriis, extra mortis periculum, conferri interdicit. LX. Eos qui se à dæmone correptos mentiuntur, severè puniri statuit, omnibúsque afflictionibus & laboribus subjici, quibus Energumeni ex Ecclesiæ disciplinâ subjiciuntur. LXI. & LXII. Varia superstitionum genera insectantur: Statúuntque ut nec vir veste muliebri, nec virili veste mulier induatur aliquando. LXIII. Falsò confictas à veritatis hostibus Martyrum Historias igni tradi jubet; eos anathemate feri, qui fidem illis adhibuerint. LXIV. Laïcum publicè disputare de divinis dogmatibus, vel docere vetat. LXV. Superstitionem eorum damnat, qui ignes in Noviluniis ante suas domos accendebant, & super eos saltabant. LXVI. Paschale Festum per octo dies continuos celebrari præcipit, totáque septimanâ Fideles vacare Psalmis, & Hymnis, & spiritalibus Canticis, & divinarum Scripturarum lectioni, & sanctis Mysteriis jucundè & lautè frui. Sacris verò his diebus equorum cursus, vel publicum aliquod fieri spectaculum prohibet. Canon LXVIII. Cavet ne Scripturæ Sacræ, vel SS. Patrum Codices corrumpantur, vel conscindantur, vel unguentariis, aliísve mercatoribus tradantur, nisi à tineis corrosi, vel aquâ deleti, inutiles redditi fuerint. Qui sanctos illos libros corruperint, discerpserint, & ad merces involvendas vendiderint, & qui emerint, per annum à communione segregantur. LXIX. Laïcos intra septa altaris ingredi vetat: Imperatorem excipit dona offerentem, ex antiqua Ecclesiæ Constantinopolitanæ consuetudine. LXX. Mulieres divini Sacrificii tempore silere jubet. LXXI. A communione removet eos qui Legum civilium studiis dant operam, si Gentilium moribus utantur. LXXII. Orthodoxorum cum Hæreticis connubia irrita declarat. Infidelium verò matrimonia dissolvenda non esse decernit, si alter conjugum ad fidem conversus voluerit cum infideli cohabitare, quî scilicet fideli absque Creatoris injuriâ cohabitare consentit. LXXIII. Signum Crucis in pavimentis construi vel adumbrari prohibet, ne victoriæ Christi, ac nostræ, conculcetur trophæum. LXXIV. Agapas, seu epulas charitatis nomine in Ecclesiis fieri solitas improbat; quas si qui exhibuerint, segregat eos à communione. LXXV. Inordinatas vociferationes à cantu Ecclesiastico removeri statuit: huic admisceri vetat ea quæ Ecclesiæ non conveniunt: Jubet denique cum magnâ attentione & compunctione psalli Deo, qui occultorum inspector est. LXXVI. Ciborum species, aut quidvis aliud intra sanctorum locorum ambitum, puta in Cœmeterio, aut in porticu Ecclesiæ, vendi vetat; negotiatores, aut cauponarios in hocce Decretum peccantes à communione segregat. LXXVII. Promiscua cum mulieribus balnea prohibet Clericis sub periculo depositionis, Laïcis sub pœna excommunicationis. LXXVIII. Competentes Symbolum reddere jubet. V. Majoris Hebdomadæ Feria. LXXIX. Festum Secundinarum Deiparæ Virginis meritò abrogat. Cæterùm quòd docet, ipsam absque ullis

Vestes Clericales.

Canones Monasticam disciplinam spectantes.

Aleæ ludi prohibiti sub gravissimis pœnis, nec non mimica spectacula, & scenicæ saltationes.

Impedimenta Matrimonii ab Ecclesia constituta.

Pœna eorum qui se Energumenos mentiuntur.

Confictæ Martyrum Historiæ.

Paschale Festum per octo dies celebrandum.

Sacri Codices & SS. Patrum libri summa reverentiâ tractandi.

Matrimonii impedimenta ab Ecclesia statuuntur.

Signum Crucis.

Divina Psalmodia.

In Cœmeterio aut porticu Ecclesiæ aliquid vendere nefas.

Festum Secundinarum Deiparæ Virginis meritò abrogatum in Oriente.

tempus officiis vehementer augebat. Ergo cùm neque Vvamba superstite fore se voti compotem speraret, neque defunctô, si Procerum liberis suffragiis res ageretur, propter Theodefredum Reccesuinthi fratrem: sibi spem nullam Regni, nisi in scelere ratus, primùm Saracenorum classem in Hispaniam immisisse creditur. Ea via quia fraude non processit, aliâ tentavit, incautum fallax opprimere, clàm aquam, ubi spartam erat maceratum, præbendam illi curavit. Eô veneni genere venis conceptô, repente Rex morbo gravissimô implicatus, Sacris Christianis atque Pœnitentiâ, Quirici Toletani Præsulis operâ expiatus, sub primam noctis horam, cùm jam videbatur animam agere, positâ comâ, atque in Sacerdotis morem detonsus, Monachi ritu cucullum induit. Eo videlicet ritu divinum numen amplius propitiari credebatur. Ervigii ea quoque artes fuerunt (sic creditum est) quò nimirum regnandi spe, si maximè superviveret, penitus caderet, ut in Concilio Toletano sexto cautum erat* (Canone septimo, quô regressus ad sæculum sub anathematis pœna prohibitus est iis, qui Pœnitentiam ritu solenni professi fuissent, & Monasticam vestem induissent.) *Addidit am præterea, ut intermorientibus vocibus, mentéque vi noxii veneni alienatâ, Ervigium ipsum Successorem diceret: idque extemporariâ Syngraphâ, atque Diplomate Regio confirmatum. Accidit id pridie Idus Octobris, die Dominico, Luna decima-quintâ. Unde intelligitur Vvambam anno salutis sexcentesimo octogesimo, Regno fuisse spoliatum. Nam sequenti luce, morbo tantisper remittente, ad se rediens, ex potenti quamvis paulò ante Rege Monachum repente factum se considerans, mutare noluit: sive animæ magnitudine rursus spernentis, quæ alii per ignes ferrúmque petunt; sive desperatione Regnum recuperandi, cum Ervigius rerum potiretur, intra eumdem diem coronâ susceptâ. Itaque Vvamba in Pampligæ Monasterium, quod nonnulli suspicantur in Magnonii valle fuisse situm, se contulit: ubi septem annos, & menses tres (alii diutius tradunt) purissimô Religionis studiô vitæ reliquum propagavit.*

* Quirici loco restituendus Julianus.

Probatur secundò ex Canone primo Concilii Toletani Duodecimi, quô testantur Ecclesiæ Hispanæ Patres, *Vvamba* Regem susceptâ Pœnitentiâ, *Ervigium* Successorem nominasse, & mandasse ut Rex inungeretur à *Juliano* Toletano Episcopo. Id constare & *Vvambæ* renuntiatione & mandatis scripto exaratis, & ejus Syngrapha munitis. Quamobrem declararunt illo Canone, subditos vinculo jurisjurandi, quô *Vvambæ* adstricti erant, spontanea ejus abdicatione solutos, *Ervigio* jam legitimo Regi fidem & obedientiam debere. En Canonis verba: *Sub quâ parte, vel ordine, Serenissimus Ervigius Princeps Regni conscenderit culmen, regnandique per Sacrosanctam Unctionem susceperit potestatem, ostensa nos Scripturarum evidentia edocet: in quibus & præcedentis Vvambæ Principis Pœnitentiæ susceptio noscitur, & translatus Regni honor in hujus nostri Principis nomine derivatur. Idem enim Vvamba, dum inevitabilis necessitudinis* teneretur eventu, susceptô Religionis debitô cultu, & venerabili Tonsuræ sacræ signaculo, mox per Scripturam definitionis suæ, hunc Inclytum Dominum nostrum Ervigium, post se prælegit regnaturum, & Sacerdotali benedictione ungendum. Vidimus, intuitu, prælucente perspeximus hujus præmissi ordinis Scripturas, id est, Notitiam manu Seniorum Palatii roboratam, eorum quibus antecedens Princeps & Religionis cultum, & Tonsuræ sacræ adeptus est venerabile signum: Scripturam quoque Definitionis ab eodem editam, ubi gloriosum Dominum nostrum Ervigium post se fieri Regem exoptat: Aliam quoque Informationem jam dicti Viri, in nomine honorabilis & sanctissimi fratris Juliani, Toletanæ Sedis Episcopi; ubi eum separavit pariter & instruxit: ut sunt omni diligentia ordine jam dictum Dominum nostrum Ervigium in Regno ungere deberet, & sub omni diligentia Unctionis ipsius celebritas fieret. In quâ Scripturâ & subscriptio nobis ejusdem Vvambæ Principis claruit, & omnis evidentia confirmationis earumdem Scripturarum sese manifestè monstravit. Quibus omnibus approbatis, atque perlectis, dignum satis nostro Cœtui visum est, ut prædictis Definitionibus Scripturarum nostrorum omnium confirmatio apponatur; ut qui ante tempora, occultis Dei judiciis præscitus est regnaturus, nunc manifesto in tempore, omnium Sacerdotum habeatur Definitionibus consecratus. Et ideo soluta manus populi ab omni vinculo juramenti, quò prædicto viro Vvambæ, dum Regnum adhuc teneret, alligata permansit, hunc solum Serenissimum Ervigium Principem grato servitiis famulatu sequatur & libero, quem & divinum judicium in Regno prælegit, & Decessor Princeps Successorem sibi instituit, & quod superest, quem totius populi amabilitas exquisivit. Unde his præcognitis atque præscitis, serviendum est sub Deo cœli prædicto Principi nostro Ervigio Regi cum piâ devotione; obsequendum etiam promptissimâ voluntate, ugendum & enitendum quicquid ejus saluti proficiat, quicquid genti vel utilitatibus Patriæ suæ consuluerit. Unde non erit jam deinceps ab anathematis vinculô alienus, aut à divina animadversionis ultione securus, quisquis superbè contra salutem deinceps, aut erexerit vocem, aut commoverit cædem, aut quamcumque exquisierit lædendi occasionem.*

* Id est, lethalis ægritudinis.



PANOPLIA ADVERSUS HÆRESES SÆCULI SEPTIMI.

DISSERTATIO V.

Adversùs Hæresim Monothelitarum.

I.  ONOTHELSTARUM error Scripturæ Sacræ testimoniis imprimis refellitur, maximè ea illis Christi verbis, Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Et Lucæ 22. *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Et Joannis 6. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Multis aliis Scripturæ Sacræ locis urget Monothelitas *S. Maximus* in Disputatione cum Pyrrho. *In Evangeliis*, inquit, *dictum est de Domino, quod & posterâ die voluit Jesus intrare in Galilæam.* Perspicuum est, quia quatenus non aderat illic, voluit intrare. Non aderat autem humanitate, divinitate enim nusquam abest. Igitur quatenus homo, & non quatenus Deus, voluit intrare, poteratque quatenus homo velle. Et in aliô locô rursus: *Volo ut ubi ego sum, & ipsi sint.* Si Christus quatenus Deus, est supra ubi: igitur quatenus homo, vult ut ubi est, sint etiam ipsi. Atque ita idem quatenus homo potestate voluntatis præditus erat. Et alibi dicitur: *Ambulabat Jesus in Galilæa; non enim volebat in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Si ambulatio natura erat carnis, & non divinitatis secundùm hypostasim ei unitæ: igitur quatenus homo ambulans in Galilæa, nolebat ambulare in Judæa; & poterat velle, quatenus homo. Item in alio loco Discipuli dicunt: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Si esus Paschæ est eorum qui sunt sub Lege; fuit autem Dominus, quatenus homo, non quatenus Deus, sub Lege: Igitur quatenus homo, volens comedit Pascha. Alibi dicitur: *Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, & voluit præterire eos.* Si quis hoc de eo, quatenus Deus erat, dictum esse caperat, cogetur is dicere, interceptam esse divinitatem terminis corporeis, supra (inquam) & infra, & post, dextro & sinistro. Sin verò hæc dicta esse de eô, quatenus homo erat, dixerit: Igitur poterat velle quatenus homo. Præterea Divinus

Monothelitæ refelluntur ex Scriptura Sacra.

A Apostolus in Epistola ad Hebræos de Christo ait: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Volens igitur obedivit, an non volens? Si quidem non volens, tyrannis meritò, & non obedientia dicetur. Sin verò volens; obediens autem, non quatenus Deus, sed quatenus homo fuit: Igitur quatenus homo, poterat velle. Item David in Christi persona ait: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi.... In capite Libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui.*

B Quod autem Pater dicatur Deus Christi, quatenus Christus homo est, & non quatenus Deus; sicut & Pater dicitur ejus quatenus Deus, & non quatenus homo, nec adversarios arbitror dubitare. Si igitur quatenus homo est, & non quatenus Deus, ejus Deus est Pater: igitur etiam quatenus homo, & non quatenus Deus, voluit voluntatem Patris & suam facere. Voluntas enim Patris, ipsius est, cùm & ipse substantialiter sit Deus. Quod si ita est, non solùm, quatenus Deus, & ejusdem cum Patre substantiæ, poterat velle, sed etiam quatenus homo, & ejusdem nobiscum substantiæ.

Item Moyses Deum introducit dicentem in creatione hominis: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem.*

C Si igitur homo est imago divinæ naturæ, natura autem divina liberæ potestatis est: igitur & imago, siquidem similitudinem archetypi servat, naturâ est liberæ potestatis. Quod si ita est; factum est autem, quod erat naturâ archetypum, etiam naturâ imago: Igitur idem secundùm ambas suas naturas poterat naturâ velle. Demonstratum enim priùs est voluntatem esse potestatem naturâ liberam. Est autem sciendum, dici liberam potestatem æquivocè, sicut & naturam. Aliter enim accipitur in Deo, in Angelis, in Hominibus. In Deo quidem

D supersubstantialiter. In Angelis verò tanquam concurrente aggressione cum habitu, & omnino interpositionem temporis non admittente: in hominibus autem, tanquam habitu priùs tempore ipsâ aggressione cogitatô. Si enim Adam volens obedivit; & volens spectavit, & cùm voluisset, comedit; igitur voluntas est in nobis, quæ primùm afficitur. Quòd si voluntas in nobis primùm patitur, hanc autem Verbum, cùm caro factum est (ut isti sentiunt) non assumpsit: Non ergo positus sum ego extra peccatum: quod si extra peccatum non sum

positus,

positus, non sum consecutus salutem: siquidem quod non est assumptum, non est curatum.]

Quæ hactenùs dicta sunt, disertè probant humanam in Christo voluntatem. Quod autem & divinam habuerit, demonstrat S. Maximus ex his ipsius verbis: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas!* ... *Quoties volui congregare filios tuos? &c.* perspicuum enim est, quòd non quatenus homo hoc dixit, siquidem recenter factus fuerat homo; sed quatenus Deus, qui varios modos sapientis providentiæ suæ circa hominem demonstravit, quibus voluit naturam ab errore externorum abducere, & sibi aggregare, ipsa autem noluit. Rursus ait: *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat. Sicut*, adverbium est comparationis: comparationes autem sunt in his quæ sunt ejusdem substantiæ. Non potest igitur dici hoc de Christo secundùm humanitatem. Igitur docuit nos Salvator, quòd sicut Pater Deus existens, voluntate mortuis tribuit vitam; sic etiam ipse, quippe cùm ejusdem substantiæ sit, & ejusdem voluntatis, quibus vult, vitam præbet.

Monothelitæ refelluntur testimoniis & rationibus SS. Patrum.

II. Refellitur Monothelitarum error testimoniis SS. Patrum; scilicet S. Dionysii lib. 4. De Divinis Nominibus c. 2. *Discreta est autem*, ait, *benignissima circa nos Dei operatio, per hoc quòd secundum nos ex nobis integrè & verè substantialiter plasmari voluit Verbum, & operatum est & passus quanta humana ejus operationi congruunt præcipua. In his namque Pater & Spiritus nullâ ratione communicavit &c.* Hoc testimonium protulit Agatho Papa in suâ Synodicâ.

III. S. Basilii lib. 4. adversùs *Eunomium*, ubi hoc principium statuit: *Eorum quæ diversa sunt substantia, non potest esse similis operatio.* Ex quo sequitur duas Christi esse operationes, sicut duas naturas. Et in lib. *Contradictionum adversus Apollinarem* laudatô in VI. Synodo: *Qualem*, inquit, *voluntatem asserit verborum scriptor, quam non vult Dominus fieri, dicens ad Patrem, Non mea voluntas, sed tua fiat? Putasne intelligis in qualem delapsus est sermo ejus controversiam? Appropinquat passio & tunc hujusmodi facta est oratio. Qui deprecatur, homo est an Deus? si Deum esse qui deprecatur, existimat, parem ei cum hominibus inspicit impotentiam. Quomodo igitur Deus, qui nullum habet inditum bonum, sed supernum invocat adjutorium? Debine quando reprehendebat divinitas propriam voluntatem, bonum fuit, an malum quod volebat? Et siquidem bonum, quomodo non ad effectum perducitur quod volebat? Si autem malum, quæ est divinitati ad malum familiaritas?* Et infra: *Quia igitur alia est humana voluntas, alia divina, loquitur quidem & quasi ex homine, quod infirmitati naturæ congruit, qui nostras passiones assumpsit: adjungit autem secundam vocem, sublimem & Deo decibilem voluntatem præter humanam firmari pro hominum salute volens. Qui enim dixit: Non mea, humanam hoc sermone significavit: addens verò, Tua, ostendit conjunctionem suæ Deitatis ad Patrem, cujus nulla voluntatis est differentia propter communitatem ad Patrem. Nam Patris dicens voluntatem, etiam Filii demonstravit.*

IV. Refellitur idem error ex *S. Joanne Chrysostomo*, Homilia LXVII. in *S. Joannem*. Qui locus in Synodo VI. laudatus est: ubi ad illa Christi verba, *Nunc anima mea turbata est*, adnotat, hunc in se carnis affectum suscepisse Christum, ut mortem timeret, ne dicerent homines, non magnum illum facere, qui ad mortem perferendam cœteros hortaretur, cùm ipse extra illius sensum esset. Quare ipsum angorem illum & anxietatem revera pertulisse. *Hæc autem assumptæ naturæ sunt*, inquit, *non divinitatis. Idcirco dicit: Nunc anima mea turbata est: (quandoquidem nisi ita se res habeat, quomodo consequens est quod dicitur, Pater, salva me ex horâ hac? Et ita turbata est, ut & liberari inde postulet, si quidem effugere posset. Hæ sunt humanæ naturæ imbecillitates.* Et paulò post: *Quod multùm humanæ affectionis indicat, & naturam mori detrectantem, ac præsentis vitæ retinentem. Quâ re ostendebat, non se ab humanis esse affectionibus immunem. Ut enim esurire crimini non vertitur, neque dormire: ita neque præsentem appetere vitam. At verò Christus corpus habuit, uti purum ab omni labe peccati, sic à naturalibus necessitatibus nunquam alienum; alioqui corpus non esset.*

V. Expugnatur idem error ex *S. Cyrillo* Libro XXXII. *Thesauri*: qui locus in VI. Synodo laudatus est, in quô Christum esse Deum, & æqualem Patri ac consubstantialem esse probat, ex operandi consortiô. *Non enim*, inquit, *unam utique esse dabimus, operationem Dei & opificii: ut aut creaturam ad divinam provehamus substantiam: aut divinæ naturæ præstantiam in eum, qui rebus factis convenit, redigamus locum. Nam quibus operatio & virtus citra ullum discrimen est una, in specie quoque constare necesse est unitatem.*

Et libro *ad Theodosium*, ubi Verbum animam cum carne assumpsisse dixit: *Per ambo*, inquit, *præclarè Incarnationis gerebatur Mysterium. Usus est natem carne propriâ velut instrumentô, ad exequenda carnis opera, & naturales infirmitates, & ab omni reprehensione remotas: animâ vero propriâ ad humanas, & minimè vituperandas affectiones subeundas. Nam & esurisse dicitur, & ex longinquis itineribus lassatus fuisse; pavorem etiam ac metum, tristitiam, & angorem, ac mortem, in cruce sustinuisse.* Hic etiam locus in VI. Synodo laudatus est.

VI. Eumdem refellit errorem *Ephræmius* Antiochenus Patriarcha, in libro Apologetico pro Synodô Chalcedonensi, ubi propugnat *S. Leonem rectè utramque formam in Christo uno eodemque Filio; sed differentem amborum operationem statuisse.* Ibidem docet Christum ambulantem supra mare, proprietatem humanæ servasse naturæ. *Siquidem*, inquit, *vel ipsa species operationis persuadere sibi potest, uti carnem in propriâ mansisse naturâ fatare. Nam pedibus ambulare, si non solâ specie & adumbratione fiebat, manifestum est pedum operationem fuisse naturæ nostræ propriam. Ita operationis genus ipsum carnem intra pristinos modos servatam esse demonstrat; & ingressum hujusmodi corporeum & sensibilem omnes asserunt.* Hic locus prolatus est in VI. Synodo.

Ibidem laudatur insigne testimonium *Anastasii Antiocheni*, in Apologetico pro Epistola S. Leonis: *Si*, inquit, *illa per quæ Deum agnosci oportebat ipsum, divinitus operabatur: ex quibus autem necesse erat hominem eumdem videri, humanitas efficiebat: altera prorsus est divinæ naturæ, altera humanæ operatio.* Ibidem laudatum est testimonium *Joannis Scythopolitani* Episcopi, ex libro 8. *contra Severi blasphemias*, ubi in Christo duas operationes necessario distinguendas esse probat, quia Deus Verbum divinitate sua creaturas omnes complectitur, eisque providentiâ suâ consulit: quæ divinæ naturæ operatio est. Anima verò Christi Deo Verbo secundùm hypostasim unita, non est intelligentiæ & cognitionis expers. Novit enim se unitam esse Deo; se creatis omnibus esse superiorem; se in uterô Beatæ Virginis cum carne assumptam à Verbo, &c. *Igitur*, inquit, *unius & ejusdem Domini nostri Jesu Christi duas operationes videmus, deitatis ejus, & humanitatis, inseparabiliter, & incommutabiliter.*

VII. *S. Maximus Martyr* Monothelitarum hæresim evertit cùm in *Dialogo cum Pyrrho*, cum in *Capitibus quinquaginta*, in *Tractatu contra eos qui dicunt oportere dicere unam Christi operationem secundùm exuperantiam, quia dicunt divinam operationem, tanquam efficaciorem, superare humanam.* Item in Epistola ad Nicandrum, de duabus operationibus in Christo:

Christo: In Epistola ad Præpositos & Monachos Siciliæ, & in Gnomis demonstrativis duarum in Christo voluntatum. Quô in Opusculo maximè ex duplici naturâ duplicem Christi voluntatem demonstrat. *Si quibus*, inquit, *Verbum unitatem habet cum carne, his à Patre separatur, & quibus unitatem habet cum Patre, his à carne disjungitur: est autem una voluntas cum carne, opinione istorum: igitur voluntate à Patre separabitur.* Item, *Si quibus unitum est Verbum cum Patre & Spiritu Sancto, his à carne differt; est autem communi sententiâ Christianorum unitum voluntate cum Patre & Spiritu Sancto: igitur voluntate carnis à Patre & Spiritu Sancto differt.* Præterea: *Hanc unam voluntatem necesse est istos dicere, vel naturalem, vel hypostaticam esse. Si naturalem dicant*, consequens est eos *dicere unam naturam Verbi & carnis: sin autem hypostaticam, cogentur propter tres hypostases, tres voluntates dicere.* 3. *Si voluntas divina naturæ Verbi est creatrix omnium quæ facta sunt; hæc autem* (secundùm ipsorum opinionem) *est voluntas carnis; planè creatrix est omnium quæ facta sunt, caro Verbi: atque ita sublata est gloria Christianorum, esse scilicet creatam carnem. Quomodo enim creatura est, quæ ex nihilo creat, & quæ præcipuam divinæ naturæ proprietatem habet?* 4. *Si quia una est voluntas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, una etiam eorum natura esse à Sanctis Patribus demonstrata est; una autem voluntas est Verbi & carnis eorum opinione, erit etiam una Verbi & carnis natura. Quod si una voluntas Verbi & carnis unam naturam non inducit, ac concludit: Nec in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, una voluntas unam naturam inducet, & concludet: & inanis est fides nostra, & inanis est prædicatio Patrum.*

VII. Refellit eumdem errorem *S. Joannes Damascenus*, Oratione *De duabus Christi voluntatibus*. Quam Latinè vertit Doctissimus *P. Combefisius* in Auctario Bibliothecæ Patrum. *Si quidem*, inquit, *non assumpsit humanam voluntatem Christus, quâ voluntate factus est Patri obediens? Si non assumpsit humanam voluntatem, quâ voluntate factus est sub lege? Si non assumpsit humanam voluntatem, quâ voluntate implevit omnem justitiam? Si non assumpsit humanam voluntatem, non attulit ei remedium quod primum in morbum inciderat. Quod enim non assumptum fuit, non est curatum* (ut ait Gregorius Theologus) *Quid enim offenderat, nisi voluntas? Quod ergo offenderat, quod peccaverat, id demum amplius curatione egebat. Quod si neges id ab eô assumptum quod peccaverat; fateare necesse est, nec peccatricem quidem ac ægram naturam eum assumpsisse. Quòd si non assumpsit, nec humanam assumpsit naturam: ipsa quippe est quæ peccaverat. Si non assumpsit humanam voluntatem, quomodo antequam cognoscat bonum ac malum, non acquiescet* Esai. 7. *malitiæ ut eligat bonum? Non enim divina voluntas velut suasione vel non acquiescit, vel acquiescit, aut eligit. Itaque non acquiescit, aut paret malitiæ, liberè, ut homo, parens ac obtemperans voluntati paternæ.*

Ibidem probat *S. Joannes Damascenus*, voluntatem esse naturæ, non personæ; atque ita duas esse in Christo voluntates, sicut duæ naturæ sunt. Præmittit bifariam sumi voluntatem; primò pro vi quâ volumus, ac pro re quæ à naturâ voluntati subjecta est. Secundò pro modo usûs voluntatis, ac pro eo quod sic volumus, quodque pro nostro arbitratu ac libidine voluntati subjicitur. Subsumit autem, falsum esse quod vis voluntatis, seu velle simpliciter, ad personam pertineat: quod ita probat. Omnis homo vim habet voluntatis, & ut absolutè velit. Quæ autem in singulis quibusque sub eadem constitutis specie perspiciuntur, ad naturam spectant, non ad personam ad hypostasim. Non autem homines idipsum, aut eadem volunt ratione, quamobrem vis quidem voluntatis ac velle simpliciter ad naturam pertinet: velle autem hoc aliquid ac sic velle, diversum est in unaquaque personâ, ac velut accidens hypostaticum. Testem laudat *S. Joannem Chrysostomum* Homilia XIV. in Epistolam ad Hebræos dicentem: *Voluntas quidem innatum quiddam est, ut à Deo: talis autem voluntas nostra, ac nostri judicii est.*

Præterea. *Si quidem voluntatis ipsa facultas ad personam pertinet; sicut Filius diversa est persona à Patre, ita etiam diversa erit ab eô voluntate.*

Item. *Quæ naturæ sunt, non egent doctrinâ. Nullus enim docetur esurire, sitire, dormire, respirare: sic neque quis docetur velle, sed sic ac tali modo velle, id est, benè aut malè, ac hoc aliquid docetur velle. Non enim divina lex velle docet, quippe cùm hoc nobis à naturâ sit datum à Deo: sed docet benè velle, ac hoc aliquid velle. Ergo velle quidem ad naturam pertinet; hoc autem, aut sic velle, ad hypostasim, ac diversum est, præterquam in Sanctâ Trinitate.*

Denique, *Facti sumus ad Dei imaginem, quâ intellectus ac arbitrii liberâ facultate præditi. Si quidem ergo Christus non mentem ac liberam voluntatem, neque quod est ad imaginem assumpsit.*

Duas verò esse in Christo operationes rursus ita probat S. Joannes Damascenus. *Actio naturalis est cujusque substantiæ tam virtus, quàm motio. Quid est ergo quamobrem Christus naturæ humanæ actionem non habeat, cùm præsertim sublatâ naturali cujusque actione, natura interitus consequatur? Si ergo non fuit in eâ natura humana naturalis actio, ne natura quidem humana in eô fuit. Quorum enim natura diversa sunt, eorum etiam tam voluntates, quam actiones differunt.*

Ex Patribus quoque Latinis Monothelitarum error confutatur, scilicet ex *S. Hilario* libro 9. De Trinitate, quem locum *Agatho* Pontifex Maximus in suâ Synodicâ laudavit. *Natus igitur*, inquit, *unigenitus Deus ex Virgine homo, secundùm plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, hunc per omnia Evangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, & hominis Filium prædicari admoneret: locutus & gerens homo universa quæ Dei sunt; loquens deinde & gerens Deus universa quæ hominis sunt: ita tamen ut in ipso illô utriusque generis sermone nunquam nisi cum significatione & hominis locutus sit, & Dei; unô tamen Deo Patre semper ostensô, & se in naturâ unius Dei per nativitatis veritatem professo, & tamen se Deo Patri & Filii honore, & hominis conditione subdente: cùm & unitas omnis se referat ad auctorem, & caro se universa secundum Deum profiteatur infirmam. Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes Hæreticis occasio est, ut quæ ab eô secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ divinæ infirmitatem mentiantur: Et quia unus atque idem est loquens omnia, quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendant.... Nostri igitur causâ hæc omnia Jesus Christus manens, & corporis nostri homo natus, secundùm consuetudinem naturæ nostræ locutus est: non tamen omittens naturæ suæ esse quod Deus est. Nam tametsi in partu, ac passione, ac morte, naturæ nostræ rem peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit; dum sibi ipse origo nascendi est, dum pati vult, quod eum pati non licet; dum moritur, qui vivit. Et tamen cùm hæc Deus per hominem agit, ex se natus, & per se passus, & ex se mortuus, non & hominem se non egit, dum & natus, & passus, & mortuus est.*

Sancti etiam *Ambrosii* testimonio, *Lib. 2. De Fide ad Gratianum*, Cap. 3. eadem hæresis refellitur: quod quidem ab *Agathone* Pontifice Maximo in Epistola Synodica laudatum est: *Suscipit ergo*, inquit, *voluntatem meam, suscipit tristitiam meam; confidenter tristitiam nomino, quia Crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit; quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus, & ideo ait: Non*

sicut ego volo, sed sicut tu vis. Mea est tristitia, quam A *meo suscepit affectu.*

Et Cap. 4. *Æqualis in Dei formâ, minor in susceptione carnis & hominis passione. Nam quomodo eadem posset minor esse æqualisque natura? Quomodo autem, si minor est, eadem similiter facit, quæ Pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diversæ esset potestatis? Nunquid sic potest minor, quemadmodum major operari? Aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?*

Et in Cap. S. *Lucæ* 22. *Suam*, inquit, *ad hominem retulit; Patris ad Divinitatem. Voluntas enim hominis naturalis: voluntas divinitatis æterna.* B

Refellitur eadem hæresis ex S. *Augustino*, Lib. 3. contra *Maximinum* Arianum, Cap. 20. qui locus ab *Agathone* laudatus est. *Ubi autem dixit Filius Patri: Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis: Quid te adjuvat quòd tua verba subjungis, & dicis: Ostendit verè suam voluntatem subjectam suo Genitori: Quasi nos negemus hominis voluntatem voluntati Dei esse debere subjectam. Nam ex naturâ hominis hoc dixisse Dominum, citò videt, qui locum ipsum Evangelii paulò attentiùs intuetur. Ibi enim dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Nunquid ex naturâ unici Verbi* C *possit hoc dici? Sed homo, qui putas auturam, gemere Spiritûs Sancti, cur non etiam naturam Verbi Dei Unigeniti tristem dicas esse potuisse? Ille tamen ne quid tale diceretur, non ait, Tristis sum (Quamvis etiam si hoc dixisset, nonnisi ex naturâ hominis oportuisset intelligi) sed ait: Tristis est anima mea; quam sicut homo utique habebat humanam. Quanquam & in hoc quod ait: Non quod ego volo, aliud se ostendit voluisse, quàm Pater, quod nisi humano corde non posset; cum infirmitatem nostram in suum, non divinum, sed humanum transfiguraret affectum. Homine quippe non assumptô, nullô modô Patri diceret unicum Verbum: Non quod ego volo. Nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater.*

Et lib. 5. adversùs *Julianum* Pelagianum, quid sit voluntas, his definit verbis: *Motus animi quid est nisi motus naturæ? Animus enim sine dubitatione natura est: Proinde voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi.* Et ibidem: *Ab illo est voluntas cujus est voluntas, ab Angelo scilicet voluntas Angeli, ab homine hominis, à Deo Dei; & si operatur Deus in homine voluntatem bonam; id agit ut oriatur ab illo bona voluntas, cujus est voluntas.... Cur ergo negas clausis oculis vos apertas, de naturâ hominis exoriri hominis voluntatem?* Quo ex principio ita ratiocinatur Agatho. *Quibus testimoniis claret unamquamque earum,* E *quas hic spiritualis Pater dinumeravit naturas, propriam naturalem habere, & unicuique assignari debere voluntatem. Neque enim poterit Angelica natura divinam habere voluntatem, aut humanam: neque humana natura voluntatem Dei, aut Angeli. Cùm hæc ita veritas habeat, certissimè claret, quòd in Domino nostro Jesu Christo duas, id est, Dei & hominis naturas; sive substantias confessi in unam ejus convenisse subsistentiam sive personam, necesse est & duas ner naturales in eô fateri voluntates, divinam scilicet & humanam: quia neque divinitatem ejus, quantùm ad naturæ rationem pertinet, humanam habuisse voluntatem dicendum est; neque humanitatem ejus divinam habuisse naturaliter voluntatem credendum est.* F

Refellitur eadem Hæresis ex S. *Leone* in Epistola ad *Flavianum*. Cap. 4. *Sicut Deus*, inquit, *non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis, & sicut Verbum ab æqualitate Paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit.*

Et in Epistola ad Leonem Augustum: *Secundùm* A *quidem formam Dei*, inquit, *ipse & Pater unum sunt: Secundùm autem servi formam, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum.* Ex quibus colligit *Martinus* I. in Synodo Romana, S. *Leonem* duas Christi voluntates agnovisse, secundùm naturas duas, dicendo voluntatem formæ servi, quæ est humana ejus voluntas, & dicendo voluntatem ejus qui misit eum, quæ secundùm naturam, divina est.

In Eadem Epistolâ, utriusque naturæ proprias operationes disertè distinguit S. Leo *Licet ergo*, inquit, *in uno Domino Jesu Christo, vero Dei atque ho-* B *minis Filio, Verbi & carnis una persona sit, quæ inseparabiliter atque indivise communes habeat actiones: Intelligenda tamen sunt ipsorum operum qualitates, & sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ provehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo divinitatis, quid sit quod caro sine Verbo non agit: & quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia, nec conciperet caro, nec pareret: & sine veritate carnis obvoluta infantia non jaceret. Sine Verbi potentiâ non adorarent Magi Puerum, Stellâ indice declaratum: & sine veritate carnis non juberetur in Ægyptum transferri Puer, & ab Herodis per-* C *secutione subduci. Sine Verbi potentiâ non diceret vox missa de Cælo; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite: Et sine veritate carnis non protestaretur Joannes; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Sine Verbi potentiâ non fieret redintegratio debilium, & vivificatio mortuorum; & sine veritate carnis nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremò sine Verbi potentiâ non se Dominus Patri profiteretur æqualem: & sine veritate carnis non idem diceret Patrem se esse majorem.*

Cæteros Patres, quorum testimoniis Monothelitarum hæresis evertitur: appellare nolim, ne sim immensus. Quæ enim protuli testimonia, sufficiunt D ad demonstrandum Catholicum dogma de duabus Christi volontatibus & operationibus, non solùm ex Scripturis sacris, sed etiam ex Traditione Ecclesiam docuisse, & contra Monothelitas definivisse, cùm in Synodo Lateranensi, Præside *Martino I.* Sanctissimo Pontifice, tum in Synodo VI. Oecumenica, *Actione XVIII.* in quâ Definitio Fidei edita est, quæ Christianis omnibus confitendum decernit: *Unum eumdémque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis, inconfusè, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivisè cognoscendum, nusquam extinctâ harum naturarum differentiâ, propter unitionem, salvatâque magis proprietate utriusque naturæ; & in unam personam* E *& subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, vel divisum, sed unum eumdémque unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Jesum Christum, juxta quod olim Prophetæ de eô, & ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum: & duas naturales voluntates in eô, & duas naturales operationes, indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, secundùm Sanctorum Patrum doctrinam prædicandas.*

Duas in Christo voluntates & operationes esse contra Monothelitas definivit Ecclesia.

In Concilio verò Lateranensi sub *Martino I. Consultatione V.* editi fuerant hi contra Monothelitas Anathematismi. *Si quis secundùm Sanctos Patres* F *non confitetur propriè, & secundùm veritatem, duas unius ejusdémque Christi Dei nostri operationes cohærenter unitas, divinam & humanam, ab eò quod per utramque ejus naturam operator naturaliter idem extitit nostræ salutis, condemnatus sit.*

Si quis secundùm scelerosos Hæreticos unam Christi Dei nostri voluntatem confitetur, & unam operationem, in peremptionem Sanctorum Patrum confessionis, & abnegationem ejusdem Salvatoris nostri Dispensationis, condemnatus sit.

Si quis secundùm scelerosos Hæreticos, in Christo Deo, in unitate substantialiter salvatis, & à Sanctis

Patribus

Patribus nostris piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, divinâ & humanâ, contra doctrinam Patrum unam voluntatem atque unam operationem confitetur, condemnatus sit.

Si quis, secundùm sceleratos Hæreticos, Deivirilem operationem, quam Græci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundùm Sanctos Patres, hoc est, divinam & humanam: aut ipsam Deivirilis, quæ posita est, novam vocabuli dictionem, unius esse designativam; sed non utriusque mirificæ & gloriosæ unitionis demonstrativam, condemnatus sit.

Post Synodum VI. Concilium Toletanum XIV. anno 684. Canone 8. idem dogma Catholicum confirmavit: *Unus igitur*, inquit, *in utrâque naturâ consistens, & Divinitatis signis effulget, & humanitatis passionibus subjacet. Nec enim alter ex Patre, alter ex Matre est genitus: etiamsi tamen aliter de Patre, aliter de Matre sit natus: ipse tamen in utroque naturarum genere non divisus, sed unus idémque Dei & hominis Filius: ipse vivit moriens, ipse moritur vivens; habens ex Deitatis naturâ non posse mori: habens ex humanitatis substantiâ & velle posse mori: Ex unâ immortalis habetur; ex alterâ mortalium conditione resolvitur; habens in æterna Divinitatis voluntate quô susceptum hominem sumeret: habens in suscepti hominis voluntate ut humana voluntas Deo subdita esset. Unde & ipse dicit ad Patrem: Pater non mea voluntas, sed tua fiat: alteram videlicet ostendens voluntatem, quâ susceptus est homo; alteram hominis, quâ obediendum est Deo.... Et ideò secundum harum duarum differentiam naturarum, duorum quoque inseparabilium proprietates prædicandæ sunt voluntatum & operum.*

Monothelitarum argumentis respondetur.

Objiciebant Monothelitæ *S. Dionysii* auctoritatem in Epistolâ ad Caium: *Unam esse in Christo Deivirilem operationem* asserentis.

Illud non favet S. Dionysio.

Respondet *Martinus I.* in Concilio Lateranensi, Monothelitas hunc *S. Dionysii* locum interpolasse. Id esse familiare Hæreticis, ut SS. Patrum testimonia violarent, iisque abuterentur. Ipsis convenire hæc verba *Jeremiæ*, cap. 16. *Et post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, de omni colle, & de cavernis petrarum, quia oculi mei super omnes vias eorum:* SUNT *enim foramina petrarum* (inquit S. Pontifex) *ipsæ Sanctorum Patrum de Christo mysticæ traditiones. Conantur namque & in his foraminibus dolosè se abscondere Hæretici, ut putentur sanctissimi, & non scelerosi parvuli.* Addit, malas eorum artes impræsentiarum manifestatas, siquidem relectô *S. Dionysii* testimoniô, falsi convicti sunt. Nam illô asserente *Novam quandam Deivirilem operationem*, Cyrus & Sergius *novam in unam* mutarunt. *At non unam*, secundùm illos, *ostendere volens operationem S. Dionysius, sed duplicem duplicis naturæ, compositivo sermone abusus est, duas unius ejusdemque in unitate operationes ostendens. Et ideò prudentissimè ait: Neque secundùm Deum divina operatus, neque secundùm hominem humana: Summam nobis unitionem denuntians sicuti naturarum, ita & ejusdem naturalium operationum: quoniam summæ unitioni est proprium, per immutationem sublimiter operari utrumque, id est, eumdem humanè divina, & divinè humana. Nec enim nudâ Deitate divina, neque purâ humanitate humana, sed per carnem quidem intellectualiter animatam, atque unitam etiam substantialiter, operabatur sublimiter miracula; & iterum per potestatem validissimam vivificarum ejus passionum sponte provobit experimentum suscipiebat, ut & unitionem ostendat, & differentiam manifestat. Et unitionem quidem, per alteram ostensionem, sive conglomerationem operationum suarum, differentiam autem ex conservatione naturalis proprietatis. Hæc enim erat, secundùm quòd ait Doctor, omnium novitatum supereminens novitas.*

Pyrrhus Monothelita, & alii, *S. Dionysii* locum sincerum & integrum adversùs Catholicum dogma proferebant, qui sic habet: *Etenim, ut unô verbô dicamus, nec homo quidem erat: non quòd non esset homo, sed quòd ex hominibus ultra homines existeret, ut supra hominem reverâ esset homo, qui non secundùm Deum divina gessit, nec humana secundùm hominem: Verùm Deo virô factô, novam quandam Deivirilem nobis operationem expressit in vitâ.*

Respondet *S. Maximus*, S. Dionysium his verbis unam operationem non significare, *cùm novitas qualitas sit: sed novum & arcanum modum demonstrationis operationum naturalium Christi, & novam atque admirabilem, ac naturâ rerum ignotam conversationem inexplicabilem & arcanam. Si autem unam operationem declarat illa vox, aliam operationem præter operationem Patris habebit Christus, ut Deus: Siquidem operatio Patris non est Theandrica, id est Deivirilis, quæ nimirum naturam Deivirilem signat, & constituit. Operatio enim quæ naturalis est, naturam testatur, & character naturalis ejus est.*

Actione XI. Synodi VI.

Respondet secundò *S. Maximus* in Scholiis ad Epistolam IV. *Sancti Dionysii*, Theandricæ nomine operationis unum tantùm genus operationum Christi significare. Triplex namque distinguit in eo genus operationum, sicut & *Sophronius* Patriarcha Hierosolymitanus, in *Synodica*. Siquidem nonnullæ sunt, quas per solam naturam divinam operatur, ut est mundi creatio, & conservatio, & miraculum quô puerum Centurionis absens sanavit. Aliæ sunt soli humanæ naturæ peculiares, ut edere, bibere, flere, pati. Aliæ sunt mistæ, in quibus agit utraque natura; ut cùm solò attactu curabat ægros, vel mare pedibus ambulando calcabat. In istis enim partim divinum aliquid inest, partim humanum. Tertium autem illud operationum genus voce illa *Deivirilis operationis* designari *Sanctus Maximus* asserit.

Respondet pariter *S. Joannes Damascenus* in Oratione *de duabus Christi voluntatibus*: S. Dionysium, cum *Novam quandam Deivirilem operationem*, in Christo asseruit, unicam operationem non significasse, sed modum singularem operationum Christi. *Quæcumque*, inquit, *humanâ voluntate voluit ac egit, salus mundi fuerunt. Non enim divinô more agebat divina (haud quippe Deo nudè & sine carne ut contactu ac manuum extensione miracula patraret) nec more humano agebat humana: nec enim ita comparatum est, ut puri hominis passiones mundo salutem allaturæ sint. Sed cùm Deus esset, ac factus esset homo, novam quamdam ac inauditam actionem Dei ac hominis edidit: Divinam quidem, sed quæ humanâ operaretur: Humanam, sed quæ divinæ ministraret, quæque divinitatis sibi conjunctæ signa præ se ferret. Quemadmodum enim ignis & ferri diversa est natura, aliaque & alia munera & actiones: neque enim ignis secat, sed incendit ac illuminat eâ vi agendi, quàm tribuit ei natura: neque rursus ferrum sic à naturâ comparatum est, ut urat, aut illuminet, sed ipsum secat, ac nigrum est: Cùm autem ea conjuncta fuerint conjunctè jam ac indivisè suum munus utrumque exequitur. Simul enim cum sectione existit ustio; ignisque ferri adminiculô tum incendit, tum illuminat: Cùm interim non una sit naturalis actio, sed duæ; una ignis, quâ urit; altera ferri, quâ secat: ac utriusque effectus proprius est; ignis quidem ustio, ferri autem sectio. Sic in Domino nostrô Jesu Christo agebat utraque natura cum alterius communione quod proprium erat: cùm interea nec una duæ essent, nec duarum una esset effectio ac officium: sed humana ejus natura divino esset liberè imperio ac voluntati obedire, atque servire, suâque voluntate manum porrigere, & tangere puellam, obsequendo (inquam) voluntati divinæ: Deitatis autem contactu efficacis esset suscitatio puellæ. Quocirca nec magnus*

Dionysius Dei & hominis actionem dixit, sed simpliciter Novam, id est, inusitatam. Utraque enim inusitata erat, ac divino-humana. Neque enim illis verbis numerum expressit, sed modum inusitatum.

Objiciebat *Pyrrhus* testimonium *S. Athanasii* in libro *De salutari Adventu Christi*, dicentis: *Ille vir natus est ex muliere, qui ex prima creatione sibi formam hominis erexit & excitavit in ostensione carnis: sed sine voluntatibus carnalibus, & sine humanis cogitationibus, in imagine novitatis: Voluntas enim erat solius divinitatis.*

Monothelitis non favet S. Athanasius.

Respondet *Sanctus Maximus*, Testimonium illud ita clarum esse, ut interpretatione non indigeat. Non enim de ratione naturali Christi loquitur *Athanasius*; sed de modo quo secundùm carnem extitit Deus Verbum: cùm vellet demonstrare incarnationem fuisse opus divinæ & solius voluntatis, complacente Deo Patre, ac per se operante Filio, ac cooperante Spiritu Sancto; non autem opus motûs carnalis, & cogitationum humanarum, id est, ordinis & consecutionis nuptialis. Non enim rationem naturæ novavit factus homo, qui erat Deus universorum: quoniam nec fuisset homo, qui non habuisset perfectam & immutabilem in omnibus rationem naturæ; sed modum, id est, conceptum è semine, & ortum per corruptionem. Rationes igitur naturales utriorum non negaverunt divini Ecclesiæ Doctores: quin potiùs consentientes cum Evangelistis, & Apostolis, atque Prophetis, Dominum nostrum & Deum Jesum Christum ambabus naturis suis salutem nostram voluisse, & operatum esse dixerunt. Hæc *S. Maximus*.

Cùm idem *S. Athanasii* testimonium *Macarius* objecisset, *Theophanes*, Presbyter & Abbas, Actione octavâ VI. Synodi, respondit; *Si testimonium quod detruncasti, in integro posuisses, invenicbatur quod carnales voluntates & humanas cogitationes culpabiles & voluptuosas accepit Sanctus Pater Athanasius, quæ ex seminatione diabolicâ illata sunt humanæ naturæ, sicut idem Sanctissimus Pater superiùs asseruit. Nam & ego dico non habuisse Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum nostrum ex superfatione voluntatem carnalem, aut peccabiles cogitationes; absit: Sed naturalem voluntatem, quam ipse Deus creans Adam, ei indidit.*

SS. Gregorius Nazianzenus & Gregorius Nyssenus Monothelitis non patrocinantur.

Objiciebat *Pyrrhus* testimonium Sancti Gregorii Nazianzeni, *Oratione 2. de Filio*, dicentis: *Velle enim illius in nullâ re erat Deo contrarium, totum deificatum.* Quibus ex verbis colligebat unam esse tantùm in Christo voluntatem.

Respondet *S. Maximus*, Contrarium colligi ex istô testimoniô. Sicut enim inflammatio inflammatum & inflammantem secum infert, & refrigeratio refrigeratum, & refrigerantem; intelligentia intelligentem & rem intellectam: quia non potest habitudo sine duobus terminis intelligi, aut dici: sic consequenter deificans & deificatum. Præterea, inquit Sanctus Maximus, si voluntatis deificatio est contraria duabus voluntatibus, (sicut isti sentiunt) deificatio etiam naturæ erit contraria duabus naturis: utrobique enim posuit Gregorius idem verbum deificationis. Secundò, Voluntas deificata, non est voluntas divina: Quod enim naturâ divinum est, deificari non indiget: quod verò deificatur, non est profectò, naturâ divinum (inquit *Agatho* in suâ Synodica.)

Sergius in Epistola ad Honorium Act. 12. VI. Synodi.

Objiciebant Monothelitæ S. Gregorii Nysseni testimonium, contra *Eunomium* scribentis: *Ita divinitatem per corpus quod induit, communem omnium salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei verò sit operatio.*

Respondet *S. Maximus*, Passiones carnis, sive affectiones operationum censeri numero, quamvis creatis in rebus passionum vocabulo potiùs si-
A gnificentur, quia creatæ res omnes eô ipsô patiuntur, quô moventur: quia scilicet alterius moventis impressionem admittunt, & in se recipiunt. Notat itaque *Sanctus Maximus* in Disputatione cum Pyrrho, *Sanctos Patres variis nominibus effecisse humanæ naturæ motionem, prout ejus diversæ notiones postulabant. Appellarunt ipsam & facultatem, & operationem, & differentiam, & motionem, & proprietatem, & qualitatem, & passionem. Hanc autem usurparunt, non quatenus opponitur divinæ; sed quatenus quidem continet ac conservat, & est immutabilis, eam facultatem nominarunt: Quatenus verò character*
B *est & nota propria, quæ in omnibus eadem comprehensis specie invariabilem quamdam rationem ostendit, energiam vocarunt: Ut autem distinguit ac discernit differentiam: Ut indicandi vim habet, motionem: Ut constituit, ac soli ipsi, & non alteri naturæ inest, proprietatem: Ut speciem facit, qualitatem: Ut movetur, passionem nuncuparunt. Etenim omnia quæ ex Deo sunt, & post Deum, eâ ipsô patiuntur, quò moventur: utpote quæ non sunt ipsa motio, ipsaque vis ac virtus.*

Secundò, *SS. Maximus* & *Joannes Damascenus*, ille *in Disputatione cum Pyrrho*, hic *lib. 3 De Fide Orthodoxa cap. 15.* argumentum quod ex hoc *Sancti*
C *Gregorii Nysseni* loco Monothelitæ conficiebant, in ipsos retorquent. Si enim propterea una Christi operatio esse debet, quòd operatio sit solius divinitatis, passio verò humanitatis; pariter colligendum erit unicam esse in Christo naturam, scilicet divinam, quæ sola est operatrix, cùm humana passibilis potiùs dicenda sit.

Objiciebant Monothelitæ *Sancti Cyrilli* testimonium, *Lib. 4. Commentariorum in Joannem*, dicentis: *Christum unam cognatam operationem per ambas ostendisse.*

S. Cyrillus Alex. otr. Monothelitas non juvat.

Respondet *Sanctus Maximus* in Disputatione cum
D *Pyrrho*: Non pugnare ullô modô hanc auctoritatem cum duabus operationibus; sed contra, eas defendere. Non enim dixit *Unam naturalem operationem divinitatis Christi, & humanitatis ejus:* alioqui non dixisset alibi: *Auctoris & operis eamdem esse operationem, nunquam aliquis sanæ mentis concesserit.* Sed potiùs illud dixit, cùm vellet demonstrare unam esse divinitatis sine carne, & cum carne operationem: Sicut si quispiam unam esse ignis operationem cum materiâ, & sine materiâ ostendere volens, diceret ignem cùm materiâ, & sine materiâ urere. *Sic Pater Cyrillus non dixit unam operationem duarum naturarum, sed unam operationem dixit divinam & paternam, quæ essentialiter in Verbo Deo incarnatô inerat; quâ non solùm jussu suô omnium rerum effectore,*
E *miracula incorporaliter faciebat, sicut ipse ait: Siquidem etiam post incarnationem habebat eamdem operationem cum Patre incorporee operante: Sed tactu etiam proprii carnis hæc ipsa miracula corporaliter ostendebat. Hoc cùm significat, quod ait: Per ambas; ut visu reddita puellæ per Verbum & jussum omnia operantem, vel aspectus cæco restitutus, vel mundatio leprosi, vel benedictio panum, cognationem haberet secundùm naturam cum operatione per tactum corporeâ consummatâ, ut demonstraret carnem quoque esse vivificam, quia ejus propriè erat, & non alterius, propter summam cum eâ unionem. Per utraque enim hæc:*
F *per jussum, inquam, & tactum, divina operatio in ipsis rebus apparebat, nequaquam naturalem operationem carnis naturæ nostræ humanæ, & patientem lædens, sed contra potiùs etiam conservans ad propriam manifestationem. Sicut & anima tamquam per instrumentum proprii corporis, & per naturalem operationem ejus, ea quæ sibi propria sunt, & suam operationem naturalem profert. Extensio enim manûs, & tactus, & mixtio luti manu facta, ac fractio panis, & denique id omne quod manu, vel aliô membrô fiebat, naturalis operationis humanitatis Christi*

Christi erat, quâ tanquam homo ipse naturâ Deus operator erat, & divina naturaliter operabatur, ut per utraque, (divina scilicet & humana) utraque secundum naturam probaret, perfectum Deum, & perfectum hominem, absque solo peccato se vere esse ostendens. Non igitur ignoravit Pater Cyrillus proprietatem præcipuam uniuscujusque naturæ, & eam, quæ alias naturales proprietates comprehendit; operationem dico creatricem & vivificatricem ex animâ corpori ejus impertitam, quas Verbum incarnatum servant in seipso, sinceras, & non confusas demonstravit.

Respondet secundò *Sanctus Maximus in Epistola ad Nicandrum* Unam & eamdem à *S. Cyrillo* vocari actionem duarum naturarum, & cognatam, propter arctissimam earum unionem, quâ fit ut, quemadmodum natura hominis assumpta, sic hujus actio divina fit, & Verbi propria. Itaque in idem opus, cujusmodi erat mortui ad vitam revocatio, vel visûs restitutio, ambæ concurrebant, ab eadem personâ, diversis ex principiis manantes. *Quamobrem*, inquit, *unam dico ejus, & sanctæ carnis, & cognatam per ambo operationem monstrare, unam quidem unione, cognatam verò partibus, utpote quæ ejusdem fuerit in omnium efficiente imperiû & tactu sanctæ carnis. Per ambo enim hanc operationem magnificè ostendebat, tanquam Deus, monstrans vivificando per eam, quòd ipsa caro facta est per totum vivifica: Sicuti ignis per ferrum urens, unione suâ cum ipsô ferrô, ferrum reddit urendi vi præditum, ut deinceps non solùm ignis secundum naturam sit adustio, sed etiam ipsius ferri, propter unionem: ac similiter divina Verbi in miraculis operatio, non sit ipsius Verbi tantum propter naturam, sed sanctæ carnis, propter unionem cum ipsâ secundum hypostasim. Eam enim adhibet sibi cooperariam in divinis, ut ait Magister: sicut anima corpus suum adhibet ad perficienda opera sua.*

Quòd verò vocabulum συγγενῆ spectat, docet idem *S. Maximus*, illa dici cognata à Patribus, tam quæ sunt ejusdem, quàm quæ diversæ substantiæ, ut cùm *S. Gregorius Nazianzenus* in Oratione funebri Cæsarii fratris, de animâ quæ corpus resumet in Resurrectione, sic loquitur: *Paulo post verò cum cognatam carnem receperit. Carnem vocat animæ cognatam, non propter naturam, sed propter unionem* (inquit S. Maximus.)

Oratione verò in Sancta Lumina de unigenito Filio loquens: *A cognato*, inquit, *Spiritu Sancto contestatus*. Ibi cognatum propter naturam, non propter unionem dixit. Sanctus autem *Cyrillus* hanc vocem iis etiam accommodat, quæ substantiâ & hypostasi distinguuntur. In Commentariis enim in *S. Joannem* loquens de curatione quæ fit per Baptismum, ait ipsam *cognationem habere cum corpore & Spiritu. Spiritu quidem sanctificare spiritum hominis, aquâ verò corpus.*

Monothelitarum sophismatis cum S. Maximo respondetur.

Objiciebant Monothelitæ; Quemadmodum instrumenti, & ejus quod movet, una est operatio; sic divinitatis & humanitatis una itidem est operatio.

Respondet *S. Maximus*, apud *Euthymium*, *in Panoplia* Tit 18. *Si vos quidem instrumentum naturale esse dicitis, Verbum, ex opinione vestrâ, carni erit æquale tempore; vel caro erit coæterna Verbo. Quicquid enim naturali utitur instrumento, habet hoc æquale tempore; quemadmodum corpus Anima. Ac jam tempus est ut naturam divinam inter creaturas numeretis; aut certè corpus esse dicatis increatum. Quod si instrumentum artificiale esse statuitis, inanimum hoc esse vultis, ac separatim consistens, & divisum, nec perpetuò motum, sed tunc solùm cùm operanti id in manus sumere, & operari visum fuerit. Ac demum vel cum insano Nestorio idem vos ostenditis sapere, qui naturas duas in eamdem Christi hypostasim unamque personam convenientes divisit ac disjunxit: Vel Apollinaris impii discipulos vos esse proditis, qui Christi corpus anima ac mentis expers asserebat esse.* Naturalis nomine instrumenti, conjunctum omne instrumentum non intellexit *Sanctus Maximus*, sed illud tantùm quod in naturæ unitatem convenit, sive quod eamdem cum alio naturam componit: Sicut corpus hominis naturam cum animâ constituit; & manus naturæ humanæ integritatem cum cæteris partibus componit. Hoc autem sensu natura humana Christi naturalis Verbo dici non potest, sive naturale illius instrumentum. Siquidem non eamdem cum eô naturam constituit, neque propriam ipsius naturam induit, sed hypostasi duntaxat cum illo copulatur. Negat itaque *Sanctus Maximus*, eodem modo humanam naturam instrumentum esse Verbi, quô corpus animæ, vel securis artificis instrumentum est. Hujusmodi quippe instrumenta nihil ex se & citra principalis causæ motionem operantur. At natura hominis sic ad agendum adhibita est à Verbo, ut per se aliquid conferret ad opus.

Respondeo secundò, Unam esse instrumenti, & ejus à quô movetur, operationem; si sermo sit de actione quæ instrumento imprimitur ex motione alterius, quâ ad idem opus concurrit: non autem si sermo sit de actione instrumenti, quæ ex propria ejus formâ oritur. Quamvis itaque una esset operatio naturæ humanæ ac divinæ, quatenus humana natura ad opera creaturæ captu majora adhibebatur & movebatur à Verbo, verbi gratiâ, ad illuminationem cæci, aut mortui suscitationem: quædam tamen operatio propria erat hominis, ex ipsius naturâ sive formâ progrediens, puta tangere, spuere, loqui, velle etiam & imperare humanâ voluntate. Lege *Sanctum Thomam*, *III. P. Q. XIX. Articulo* 1.

Objiciebat *Pyrrhus* in Disputatione cum *Sancto Maximo*: Christus unus est: ergo tanquam unus omnino volebat: igitur unica est Christi voluntas, non duæ.

Respondet *Sanctus Maximus*, negando consecutionem: Quia licet Christus sit unus, est tamen naturâ Deus & homo. Volebat igitur Christus ut Deus & homo: Dupliciter itaque, & non unô modo volebat, licet unus esset. Etenim si nihil aliud est Christus præter naturas suas, ex quibus, & in quibus est; perspicuum est quòd conveniente naturis suis Christus, id est, ut unaquæque apta nata erat, & volebat, & operabatur. Erant autem duæ naturæ ejus: duæ igitur voluntates ejus naturales, & quæ cum ipsis numerô totidem sunt substantiarum operationes. Sicut enim numerus naturarum unius & ejusdem Christi, si piè intelligatur, & dicatur, non dividit Christum, sed differentiam naturarum etiam in unione custoditi demonstrat: Sic numerus voluntatum & operationum, quæ secundùm substantiam, in ejus naturis insunt, non divisionem inducit, sed earum etiam in unione custodiam tantùm & incolumitatem declarat.

Instabat *Pyrrhus*. Voluntates secum inferunt volentes: Si igitur duæ sunt voluntates in Christo, non erit Christus.

Respondet *Sanctus Maximus*, negando principium cui ratiocinium istud nititur. Si enim, inquit, concedatur inferri cum voluntatibus volentes, reciprocâ consecutione inferentur cum volentibus voluntates, eritque in Deo una hypostasis, quia una est in eô voluntas; tres verò voluntates, quia tres sunt personæ ac proinde tres naturæ. Siquidem, secundùm definitiones & regulas Patrum, differentia voluntatum differentiam infert naturarum.

Urgebat *Pyrrhus*. Si velle naturæ est; cùm Pa-

tres dixerint, Unam esse Dei, & Sanctorum voluntatem; una erit Sanctorum, & Dei natura. A

Responder *Sanctus Maximus*, distinguendam illam propositionem propter homonymiam vocum. Voluntas enim diei solet *Vis volendi qua volenti inest, & causa volendi, seu objectum quod est extra volentem*. Igitur cùm Patres unam Dei & Sanctorum voluntatem esse dixerunt, substantialem Dei voluntatem & effectricem, seu vim volendi in Deo non intellexerunt; quia sic intelligendo, non solùm Sanctos ejusdem cum Deo naturæ fecissent, sed etiam sibi ipsis repugnassent, cùm disertè scripserint; *Non posse diversas substantias communem habere voluntatem*. Spectarunt igitur rem volitam; atque ita *secundùm causam*, sive (ut quibusdam loqui placet, *per abusionem*) voluntatem appellaverunt Patres eam rem quam quis vult. B

Objiciebat *Pyrrhus*. Si velle naturæ est, à nobis ipsis, & ab aliis natura dissidemus; imò & infinities mutamus naturam: Siquidem voluntatibus à nobis ipsis, & ab aliis dissidemus, & nunc quidem hoc volumus, nunc autem illud nolumus.

Respondet *Sanctus Maximus*: Modum quidem volendi, quô ab aliis dissidemus, infinities mutari, non ipsam voluntatis naturam: Non enim est idem velle, inquit, & aliquô modô velle: Sicut non est idem videre, & aliquô modô videre. Nam velle, sicut & videre, naturæ est, & omnibus, qui ejusdem naturæ sunt, inest. At verò aliquô modô velle, sicut aliquô modô videre; id est, velle deambulare, & nolle deambulare; videre ad dexteram, vel ad lævam; vel ad libidinem, vel ad perspicientiam rationum, quæ in rebus insunt, modi sunt utendi voluntate & aspectu; & hic modus inest utenti tantùm, & ab aliis eum distinguit secundùm differentiam communiter dictam. Si autem ipsam naturam habemus hoc testantem: igitur velle comedere, & nolle comedere, non tollit illud velle quod naturæ est, sed velle aliquô modô; id est, eorum quæ volumus, est ortus & interitus. Neque enim si ponamus, quæ à Deo facta sunt, quæ sunt ea quæ ipse voluit, interire; cum his etiam voluntas, quæ ante ea cogitatur, & est eorum effectrix secundùm substantiam, simul interibit. Hæc *Sanctus Maximus*. C D

DISSERTATIO VI.

Adversùs Mahometanam Sectam.

QUAMVIS Mahometanis Evangelium prædicare, aut cum ipsis disputare non possimus, quia nec Prædicatores recipere & audire, nec de Religione disputare volunt: operæ tamen pretium est hâc in Panoplia arma adversùs hanc Sectam subministrare Theologia: quibus incumbit omnem altitudinem, extollentem se adversùs scientiam Dei, destruere. Certè in Republica Magni Regis quædam fieri ad tutelam notum est, quædam ad decorem, quædam ad utrumque. Nam ad tutelam facta sunt à Salomone pacifico arma, licet ipsius tempore minùs necessaria. Præparati sunt à Davide sumptus, parata & ornamenta Templi divini constructioni & ornatui deputata: Sed nec illa ejus tempore alicui usui profecerunt; sed in usus divinos post ejus tempora transierunt: (inquit *Petrus Cluniacensis in Epistola ad Sanctum Bernardum.*) Quamobrem non inutilis erit ista Dissertatio: Imò si ipsam omitterem, viderer maximè arguendus, qui extinctas quandoque hæreses hoc in Opere confutaverim hanc ob rationem quòd reviviscere possint: & nefariam Sectam orbis parte maximâ dominantem & grassantem negligerem oppugnare ac refellere. E F

P R O P O S I T I O.

MAhometanæ Religionis falsitas ex ipso Alcorano, & rectâ ratione demonstrari facilè potest.

Demonstrationes contra Mahometanam Sectam.

Prima demonstratio hæc esto. Falsa illa Religio est, quæ non est à Deo tradita: Solus enim Deus docere potuit homines quid de illo credere, quâ ratione illum colere deberent, & ad illum possent pervenire. Atqui Mahometana Religio non est à Deo tradita: falsa itaque est & explodenda.

Demonstratio prima.

Probatur Minor. Quæ à Deo tradita est Religio, legem habet à Deo datam hominibus. At Lex Mahometana, scilicet Alcoranum, non est à Deo data hominibus: falsa itaque est Mahometana Religio, quæ Lege illa nititur.

Probatur Minor. Dei Leges maximè sunt inter se connexæ, & mutuum sibi testimonium perhibent. Sic Moyses Christo, Christus Moysi suffragatur: sic veterem Legem in Evangelio impletam, & Novæ Legis Mysteria in Veteri adumbrata demonstramus. Sic omnes Prophetias ad Christum collineare ostendimus. At nulla connexio est Mahometanæ Legis cum Mosaïca & Evangelica, quas Mahometus in Alcorano divinas esse agnoscit: nec Moyses, neque Prophetarum ullus, neque Christus, maximus ut (ut ait) Prophetarum, Mahometo, & ejus Legi testimonium perhibent. Imò Christus dixit: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*: ut post *Joannem Zachariæ* Filium, quem & Alcoranum commendat, nullum Prophetam futurum indicaret, qui de altero ad mundi reformationem mittendo esset vaticinaturus. Impostor itaque *Mahometus* fuit, non Propheta.

Luc. 16.

Mahometanorum responsio refellitur ex ipso Alcorano.

Respondent Mahometani, Christum de *Mahometo* vaticinatum fuisse his verbis, quæ in Alcorano leguntur, (Azoara 71.) *O Filii Israel! ego vobis à Deo missus nuntius, quod de Testamento meis insit manibus affirmo, vobisque nuntium affero de nuntio post me venturo, cui nomen Mahometus*. Judæos autem interpolasse Legem & Prophetas, Christianos Evangelium corrupisse: in quibus propterea nihil sit veri; nisi quod in Alcorano legitur.

Sed inanem esse hanc responsionem, ex ipso probatur Alcorano. Ait namque in Capite de Jona: *Si de quibus vobis revelavimus, dubitatis, quærite ab his qui priùs quàm vos Librum legerunt*. Porrò qui ante Mahometanos Librum legerunt, Christiani sunt & Judæi, qui Legem Moysi, & Evangelium susrepere, ut ipse *Mahometus* exponit. Secundùm ipsum itaque de rebus ambiguis Christiani & Judæi sunt interrogandi. Igitur, *Mahometi* ætate, Christianorum, Judæorumque Libri corrupti non erant. Nunquid enim illorum Propheta *Mahometus* ipsos falsis testibus fidem adhibere jussisset? Item in Capitulo *Elmaida*, quod significat mensam, refertur Deus Mahometo dicens de Judæis: *Si venient ad te, judica inter eos justè: Deus enim amat eos qui faciunt justitiam. Et quomodo hi quærunt justitiam à te, cùm apud eos sit Testamentum, judicium Dei docens, viamque rectam, & lucem ac sapientiam præstans, suis cordibus & mentibus ad gerendorum notitiam demonstrorum, cum quo Propheta, timentesque Deum & Sacerdotes judicant.*

Azoara XII.

Præterea corruptionem illam Scripturarum communi Christianorum omnium, aut Judæorum conspiratione factam, & soli notam *Mahometo*, impossibile est. Si à privatis facta esset, multi mansissent in orbe illibati codices. Cùm itaque in omnibus mundi regionibus, & in omnibus Linguis Lex & Evangelium nullam aliam nisi idiomatis diversitatem præ se ferant, argumento est ea non fuisse à Judæis & Christianis interpolata. Ad hæc, cùm quatuor Evangelia nec eodem tempore, nec eodem loco,

loco, nec ab eodem Auctore, nec eodem idiomate edita sint, commentum est quòd ipsorum Scriptores Historiam & verba Christi intepolaverint.

Præterea, Prophetiarum veritas & integritas luculenter probatur ex ipsis Codicibus, quos portant servantque Judæi, velut Capsarii nostri; io quibus illa prædicta legimus, quæ modo impleta videmus.

S. Augustinus Epist. 3. & Lib. 1. de Consensu Evangelist. Cap. 26. & Cap. 32. Sermo in Psalmum 40. & in Psalmum 56.

Quod novum Testamentum spectat, facilè demonstratur Apostolos non alia de Christo prædicasse & scripsisse, quàm quæ Christus ipse de se docuit: Quicquid enim de Christo prædixerunt Prophetæ, illud omne de se Christus ipse docuit. At quicquid Christi Discipuli de Christo docuerunt, illud omne de Christo prædixerunt Prophetæ; ergo quicquid de Christo docuerunt ejus Discipuli, illud omne de se Christus ipse docuit. Major patet; quia Christus vir sapientissimus & summus Prophera, ut *Muhammedus* agnoscit, non docuit contra fidem divinarum de eo Prophetiarum, neque necessariam ullam doctrinam omisit: omne autem illud necessarium est, quod prædixeruot Prophetæ. Minorem collario doctrinæ Apostolicæ cum Prophetica demonstrat. Neque fides deroganda est Prophetis, quorum prædictiones tantâ manifestatione completæ sunt.

S. Augustinus Lib. 1. de Consensu Evangelistarum.

Denique, de doctrina Christi prudentiùs & tutiùs creditur ejus Discipulis, qui ipsum viderunt, & audiverunt, quos ipse elegit, & accuratissima educatione familiariter instruxit, quibus ipse etiam testimonium coram Patre celesti perhibuit, quòd ipsi à Patre dati sint, & sermonem Patris servaverint: & quòd verba quæ ipsi dederat Pater, dedetit illis, & illi acceperint & crédiderint: quos Patri servandos à malo, & in veritate saoctificandos commendavit: quibus Christus ipse promisit sessuros eos super thronos, & judicaturos duodecim tribus Israel: & quos misit in mundum, sicut ipsum misit Pater in mundum: quibus promissum Paracletum à Patre misit, qui omnem suam doctrinam testimonus Legis & Psalmorum & Prophetarum clarissimè confirmarunt, & miraculis approbarunt: Prudentiùs inquam, & tutiùs his creditur de doctrinâ Christi, quænam ea fuerit, quàm *Muhammedi*, qui neque ipse Christum vidit, neque cum eis qui eum viderunt, sermonem habuit: sed multis post Christum natum sæculis impiam suam Legem promulgavit. Sanè cùm Apostoli & Evangelistæ ea scripserint quæ Christus eos scribere jussit internô Spiritus Sancti afflatu, eodem habenda sunt loco, ac si illa Christus ipse scripsisset. Quod *Sanctus Augustinus* Lib. 1. De Consensu Evangelistarum, cap. ultimo eleganter persequitur his verbis: *Proinde qui Prophetas ante descensionem suam præmisit, ipse & Apostolos post Ascensionem suam misit. Omnibus autem Discipulis suis, per hominem quem assumpsit, tanquam membris sui corporis caput est. Itaque cùm illi scripserunt quæ ille ostendit & dixit, nequaquam dicendum est quòd ille non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante Capite cognoverunt. Quicquid enim ille de suis factis & dictis legere nos voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium, & in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus Discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit.*

Demonstratio secunda.

Altera demonstratio sic informatur. Vera Religio ad benè beatéque vivendum, & ad cordis puritatem, veritatisque contemplationem ordinata est. At Mahometana Religio terrenam, & brutam duntaxat fœlicitatem, in expletione libidinis, & gulæ positam, atque in omnium sensuum voluptate, pollicetur. Falsa est itaque *Mahometi* Religio. Sanè Christus, quem *Mahometus* ut Dei Spiritum & maximum Prophetarum commendat, fœlicitatem in Dei cognitione constituit. *Hæc est vita æterna* (inquit) *ut cognoscant te solum verum Deum.* Et *Beatos* pronuntiat *mundos corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Fideles suos in regno cœlorum futuros ait similes Angelis Dei, qui ouptias non norunt: & qui vident faciem Patris. Et *Moysen* quem etiam commendat *Mahometus*, se felicem non fore duxit, nisi Deum videret, cui ait: *Ostende mihi faciem tuam.* Ipsi verò Deus respondit: *Non videbis me homo & vives:* Spem ipsi faciens, quòd post vitam hanc mortalem à sinceris adoratoribus suis videndus esset. *Mahometus* verò *Azoara* 2. pollicetur Paradisum, *Ubi dulcissimas aquas, pomáque multimoda, fructus varios, & decentissimas, ac mundissimas mulieres, omneque bonum sui in æternum possidebunt.* Et Azoara 86. *Cum vasis vitreis & argenteis illis potus, velut Zinziber saporifer, ex fonte zelzabil administrabitur. Aderunt & Juvenes velut Margarita speciosi, omniúmque divitiarum & bonorum copia. Vestes sericas & deauratas illi Juvenes induent. Vinum quoque benedictum illic, Deo dante, sufficiet.* Et Azoara 88. *Timentes verò illic possidebunt hortos palmarum, & vitium, puellásque consocias & consimiles... vasáque plena. Hoc est donum, optimáque renumeratio Dei.* Et Azoara 54. *Timentes autem locum hortis & fontibus fœcundum possidebunt, vestibusque sericis & purpura vestiendi, puellas ducent cum oculis claris & immensis, quorum albugines candidissimæ, & pupilla nigerrima.*

Nec est quòd aliquis suspicetur *Mahometum* in illis Paradisi descriptionibus parabolicè locutum: Sicut in Evangelio, sub cibi, & vini, & mensæ typis æterna fœlicitas adumbratur. Cùm enim nihil aliud de summo hominis bono tradat uspiam in sua Lege *Mahometus*, & fœdas illas voluptates optimam esse Dei remunerationem asserat, nec aliam intelligant beatitudinem ejus Sectarores, non est ipsi affingendus alius seosus ab eo quem Alcorani verba præ se ferunt. Quam autem sit à ratione alienum, felicitatem hominis in iis operationibus constituere, quæ ipsi cum brutis animantibus communes sunt, quæ ipsius desiderium oon explent, quæ animum oon perficiunt; quæ Deo, qui solus est summum rationalis creaturæ bonum, non conjungunt, facilè intelligerent Mahometani, si rationem consulerent: & *Platonem*, ac *Aristotelem*, sapientiùs ac veriùs *Mahometo* suo de hominis felicitate judicasse faterentur.

Demonstratio tertia.

Tertia demonstratio. Vera Religio miraculis confirmatur: illaque sunt veræ Prophetiæ signacula, cùm divinam auctoritatem testentur. Cùm enim Dei tantùm virtute vera miracula fieri possint, ut quæ vim omnem naturæ creatæ superent; veram esse Religionem illam necesse est, cujus ad confirmationem patrantur; cùm Deus mendacium auctoritate suâ confirmare non possit, qui summa veritas est. Hinc *Moyses*, & Prophetæ reliqui, miracula patrarunt, ut sibi populorum fidem conciliarent: Christus etiam missionem suam ac prædicationem miraculis approbavit... Mahometana autem Religio nullis miraculis confirmata est. Nullam se miraculorum patrandorum habuisse potestatem passim fatetur *Mahometus*. Azoara 30. *Sed, inquiunt: Si divinis cum virtutibus advenisset. Nonne testimonium de prioribus Libris attulimus?* Et Azoara 5. *Sed hi quidem inquiunt se credituros, si se Deus illis alloquiô virtutibusque patefaceret. Nonne satis res arduas virtutesque sublimes sapius sapientium testimoniô peregimus?* Et Azoara 13. Deum sic ad se loquentem inducit. *Tu quidem nequaquam ad eos, cum Dei miraculis manifestis venies,*

nies, quoniam ea velut odiosa atque contraria rejiciunt & veritati ad se venienti contradixerunt. Armis, pro miraculis, usus est *Mahometus*; prædam & bellum suis Sectatoribus præcepit. *Viri boni*, inquit, *Deum timentes, factis per qua vos ipsi propinqui sitis, studeatis, ipsiusque nomine, usquequo vos meliores & elatiores efficiamini, prædatores & expugnatores estote.* (Azoara XII.) *Viri boni! quid cum illis incredulis, quasi duabus cohortibus, quorum capita Deus ob errorem suum subverterit, communicatis? .... Vos neminem eorum vobis negotiatorem, seu socium, vel amicum, nisi prius rectâ Dei viâ pugnatum seu prædatum iverint, associate. Sin autem eos, ubicumque repertos, si sit possibile, capite, & interficite.* (Azoara X.) Contra verò Christiana Religio, *Fide inchoata, spe nutrita, charitate aucta, miraculis confirmata est*, in nomine Jesu Christi patratis: quibus si non credant Mahometani, majus certè miraculum conversionis omnium gentium ad fidem Christi negare non poterunt. Ante Christi namque adventum orbis penè universus idolis serviebat, & præsertim Romani, qui cœteris gentibus imperabant: quos inter multi sapientiæ & eloquentiæ laude celeberrimi. Mortuô verò Christo, & in cœlos receptô, prædicantibus Apostolis, hominibus quibus neque natalium splendor, nec divitiæ, nec potestas, nec Philosophia aut eloquentia conciliabant auctoritatem sed ignobilibus, pauperibus, rudibus & imperitis sermone, Christiana Religio Romæ & in orbe totô suscepta est; & simplicitas Piscatorum palmam tulit de facundia Oratorum.

S. Augustinus.

Mahometanorum Responsio occupatur & refellitur.

Respondebunt fortè Mahometani: Miraculô non minori susceptam & propagatam *Mahometi* Legem, quam maxima pars orbis sectatur. At hujus vanitatem responsionis ostendere non est operosum. Quodnam enimverò miraculum est, armis, cædibus, rapinis, subdi gentes novi Imperii, vel potiùs Tyrannidis, novæque Religionis jugo? Immò quid mirum si eam suapte sponte Legem amplectantur, quæ nihil non indulget sensibus, & cupiditati, secundùm quam longè major pars hominum vivit, quàm secundùm rationem, Deique Legem; & quæ nullam difficultatem habet sive in credendis, sive in agendis? Hujusmodi autem est Mahometana Lex. At magnum est miraculum, quòd Religio quæ credenda proponit Mysteria, sapientibus sæculi incognita, & humanæ impervia rationi: quæ sensibus bellum indicit, & cupiditatibus refrænandis incumbit tota: quæ res præcipit imprimis difficiles & arduas, ad quas nulla est in naturâ & indole hominum propensio, imò repugnantia maxima; scilicet pœnitentiam & mortificationem carnis, inimicorum amorem, orationem pro calumniantibus, beneficentiam in persecutores, bonorum & mundanæ gloriæ contemptum, &c. Orbe toto stabilita sit, non gladiô, sed verbô; non disputationibus Philosophorum, sed prædicatione Piscatorum & idiotarum: qui tantùm abest ut incredulis mortem intulerint, ut potiùs persecutionem & mortem pro veritate fidei quam annuntiabant, invictâ patientiâ sustinuerint; cùm ipsi, tum ab ipsis instituti Christiani. Hujusmodi autem est, & sic fundata fuit & propagata Christiana Religio. Trium sæculorum spatiô *Christiani genus erant morti destinatum.* Quotidie in circis, in compitis conclamabatur, *Christianos ad Leonem.* Nec tamen imminuebatur, sed augebatur magis ipsorum numerus. *Exquisitior quæque crudelitas illecebra erat sectæ, plures efficiebantur, quoties* persecutorum gladiô *metebantur. Semen erat sanguis Christianorum*, cujus vis novos Christianos generaret. Denique *Ecclesia persecutionibus crevit, Martyriis coronata est.* Maximi itaque miraculi locô habenda est Christianæ Religionis propagatio, non verò Mahometanæ.

Tertullianus.

S. Augustinus.

Quarta Demonstratio.

Demonstratio quarta. Lex quæ sibi ipsi contradicit, non est divina. Deus enim secum ipso pugnare non potest. Atqui Lex *Mahometi* sibi ipsi in multis contradicit. Non est igitur divina.

Probatur major ex ipso Alcorano, Azoara 49. *Cùm timentes Deum verbum opportunum, videlicet Librum ubique consonum sibi audiunt, capilli suorum capitum eriguntur, cordaque mollescunt ad opis divinæ petitionem, dicendo: Veraciter hanc esse viam Dei rectam, docentis eam quos vult.*

Alcorani contradictiones.

Probatur minor, oculis subjiciendo contradictiones evidentissimas, quæ in Alcorano occurrunt. Christianos, & Judæos, & omnes cujuscumque sectæ Professores, Deum adorantes & bene viventes, salvos fore scribit Azoara 11. *Sciendum autem generaliter, quoniam omnis rectè vivens, Judæus seu Christianus, seu Lege suâ relictâ, in aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gestor, indubitanter divinum amorem assequetur.* Et mox sui oblitus, Mahometanos damnandos asserit, si à suâ Lege deficiant. (Azoara 3.) *Tuam Legem propter aliam mutans, & in eâ manens, hic & in aliô sæculô reus, igne indeficiente peribit.* Et rursus Azoara 5. *Eorum reconversionem, qui priùs credentes, increduli facti, suam augmentant nequitiam, Deus minimè colligit: Nec eorum cujusvis sic in errore mortui redemptionem, quicquid auri terra capacitas sustineret, acciperet.* Azoara 12. *Sciendum quidem eos incredulos esse, qui Jesum Mariæ Filium Deum esse dicunt.* Ibidem. *Sciendum quidem Viros Legum nullius Legis fideive perfectionem assequi, nisi Testamenti, & Evangelii, ac hujus Libri à Deo positi præceptis pareant... Credentes atque Judæi, & Angelos locô Dei adorantes, qui scilicet Legem pro Lege variant: Christiani etiam omnes, hi, inquam, si in Deum crediderint, & Judicii diem expectantes, benè fecerint, nihil timeant.* Azoara 20. Sibi gratulatur quòd Deus ab errore se liberaverit: & ibidem secum pugnans ait: *Dei verax est verbum, quod incredulos nunquam convertendos affirmat.* Neminem ad fidem cogendum scribit, & tamen occidi jubet Infideles. Azoara 9. Sic Deum loquentem inducit: *Tu quidem ab illis discede post castigamen, & dictum mentibus suis intimatum.* Et Azoara 15. *Ab incredulis quidem nihil mali seu contumeliarum illis inferens, licet illi per iram & insipientiam de Deo malè loquantur, recede.* Azoara verò 18. *Incredulos semper, usquequò ad Deum omnes convertantur, expugnate.* Et Azoara 19. *Converti nolentes, ubicumque repertos, mensibus Haram peractis sumite, & interficite, omnibus vias insidiantes illis. Si vestram Legem sequi voluerint, dimittendi sunt: quia Deus pius & misericors veniam illis tribuet... Non credentes in Deum, quousque vestri tributarii subjectique fiant, expugnate.* Et Azoara 98. *Illos castiga simul atque doce. Tu namque Doctor es, non coactor.* Azoara verò 76. *Tu Propheta, incredulos expugnatum & prædatum proficiscere, & ut te timeant, aggredere.* III. Azoara 57. ait *A via rectâ digressis, & in incredulitate mortuis, nunquam Deus veniam dabit:* oblitus illius quod scripserat Azoara præcedente, *Diabolos per Alcoran convertendos.* IV. Resurrectionem Mortuorum passim prædicat: & tamen quibusdam nunquam reddendas animas scribit, Azoara 49. *Morientibus mortis horâ, cæteris horâ sopitionis, Deus animas extrahit: quibusdam item reddens eas ad horam scitam, quibusdam nunquam.* V. Azoara 19. Pro incredulis non orandum asserit. Azoara verò 12. Deum orandum pro Judæis, ut ipsis veniam concedat. VI. Azoara 80. Diem Domini quinquaginta mille annis abesse dicit, quam fortasse citò venturam scripserat, Azoara 57.

Demonstratio quinta.

Demonstratio V. Lex quæ Deo multa indigna tribuit, absurda, & flagitiosa, divina non est. Lex autem

autem Mahometana Deo multa indigna, absurda, & flagitiosa tribuit. Non est itaque divina.

Azoara 87. Probatur minor. Deum jurantem inducit Alcoranum, *Per Angelos Legationis efficaces, ventosque siccos & imbriferos, dæmonesque licito ac illicitorum discreturos.* Id autem Deo indignissimum ratio demonstrat. Homines enim per majorem sui jurant. Deus verò quo nemo major est, aut esse potest, per seipsum jurat, ut Vetus, Novumque Testamentum, in Alcorano commendata, testantur. 2. Deum orare ait pro *Mahometo*: ex quo sequitur superiorem alium esse Deum ad quem suas orationes dirigat, Azoara 43. *Cùmque Deus & Angeli propter Prophetam exorent, vos quoque Deum precemini pro ipso.* Deo motum localem tribuit, Azoara 20. *Cœlum & terram sex diebus creans, & postea cœlos ascendens.* Deum inducit *Mahometo* permittentem adulterium, & vagam cum quibus voluerit mulieribus copulam, etiam consanguineis; & arbitrarium divortium. Quæ omnia non solùm ab Evangelica & Mosaïca, sed ab ipsâ naturæ Lege abhorrent. (Azoara 43.) *Post moram sui mariti pro velle suo cum illa, tibi permisimus illam ducere sponsam. Licet enim etiam bonis omnibus, post discessum suum à maritis, quaslibet Deo jubente ducere: Non erat igitur Propheta curandum tum Dei mandatum, tum prædecessorum morem divinitùs statutum exequi.* Quæ occasione *Mariæ* uxoris Regis Jacobitarum, quam deperibat, dicta intelliguntur. Ibidem: *Tibi quidem: ò Propheta! mulieres omnes, quibus donanda dederis, & omnes tuæ manui per emptionem suppositas, & amitæ tuæ, materteræque filias; omnes item bonas mulieres, tibi volenti gratis succumbere cupientes, (hocque tibi soli permittitur) licitas constituimus... Has a te semove, illas adjunge pro velle tuo: Nec prius abjectis, si dilexeris eas, molesteris.* Azoara 56. Fingit Deum sibi permisisse jurisjurandi violationem, cùm *Mariam* Jacobitici Regis uxorem deperiret, quam deinceps se non cogniturum juraverat, cùm duæ uxores illum cum ipsa deprehendissent. Sic Deum suæ libidini servientem describit. *Cur tu, Propheta! statuis illicitum à Deo positum licitum ob tuarum mulierum amorem? Deus quidem pius, veniaque largitor, tibi jurajuranda delere præcepit, &c.* Stuprum *Zanabæ* uxori *Zaidi* nepotis intulit: deinde eam marito invitô duxit; quod ex Dei mandatô se fecisse, in ipso Alcorano scribere impudentissimum non puduit. Quô illa tumens, rivalibus dicere solita erat: *Vos maritis conjunxerunt parentes, me verò Deus desuper septem cœlis.*

Sexta Demonstratio. *Demonstratio VI.* Lex mendaciis scatens innumeris, non est à Deo. Atqui Alcoranum mendaciis scatet innumeris. Igitur non est à Deo.

Probatur minor enumeratione sufficienti *Azoara* 13. *Mariam Jesu* Matrem à Christianis pro Deo coli mentitur. *Azoara* 15. Abraham idololatram fuisse, & syderum inspectione ad unius Dei cultum conversum scribit. *Azoara* 17. Scribit, Deum præcepisse Angelis ut *Adamum* adorarent, & omnes, exceptô *Beelzebud*, paruisse fabulatur. *Azoara* 19. Judæis imponit quòd dicant, *Ozair* esse Filium Dei: Christianis verò quòd suos Sacerdotes atque Pontifices loco Dei adorent sicut & *Jesum*. *Azoara* 27. Se ex Mecha Hierosolyma raptum à Deo, & inde in cœlum asserit, ut de Mysteriis doceretur: Hujusque raptus Deum testem inducit. *Azoura* 35. ait, Dæmones non potuisse componere Alcoran, quia non audiunt. *Azoara* 47. Christianis imponit quòd Deo non Filium duntaxat, sed filias tribuant. In referendis Veteris Novique Testamenti Historiis perpetui penè mendacii convincitur. Negat Christum unquam se dixisse Filium Dei. Virginem *Mariam* Christi Matrem, sororem facit *Moysi*, &c. Legantur quæ in Synopsi diximus.

Demonstratio septima. *Demonstratio VII.* Lex in quâ nullus ordo promicat, non est divina. Cùm enim Deus sit ipsa sapientia, quæcumque sunt à Deo, ordinata sunt. Quod & in operibus naturæ; & in Lege Moysi datâ, & in Prophetis, & in Evangelio videre est, in quibus, temporis Historiæque ordo mirificus elucet. Lex verò Mahometana incondita farrago est præceptorum & dogmatum ineptissimorum, si nonnulla excipias, quæ à Judaica & Christiana Religione *Mahometus* mutuatus est.

Demonstratio octava. *Demonstratio VIII.* Deus Legem suam non dat hominibus nisi per Sanctos homines Spiritu suo afflatos: Sic Legem Veterem dedit per *Moysen* virum Sanctissimum & divinô lumine illustratum: Evangelium per *Jesum*, quem eximiæ sanctimoniæ virum; & præ cæteris Prophetis illuminatum; imò Dei Spiritum agnoscit & prædicat Alcoran. At *Mahometus* homo fuit flagitiosissimus, cædibus, rapinis, perjuriis, libidine solùm insignis; ut ex ipso evincitur Alcorano. Nullô insuper donatus fuit divinô lumine, quô homines ad Deum duceret; ipsóque ad vitam rectè instituendam informaret. De se ipso enim ait Azoara 56. *Ego non sum primus nuntius, nec scio quid mihi seu vobis gerendum sit. Divina mandata tamen explanabo.*

Demonstratio nona. *Demonstratio IX.* Planè à ratiône alienum est id quod verum & divinum agnoscas, non sequi. Porrò Lex Mahometana verum ac divinum agnoscit ac prædicat Evangelium; nec tamen ipsum sequendum proponit, imò ipsi adversatur. Itaque planè à ratione aliena est.

Verba Dei ad Judæos, ex tenore Alcorani. Probatur minor ex Azoara 12. *Christum item Mariæ Filium, cui commisimus Evangelium, quod est lumen & confirmatio Testamenti, & castigamen ac recta via timentibus Deum, & vestræ Legis complementum misimus. Omnis igitur Evangelii servus ipsius præcepta judicando sequatur. Sin autem, malus erit.* Et Azoara 67. Deum sic loquentem inducit: *Noe jam & Abraham nuntios misimus, & eisdem filios Prophetas dedimus, per quos Librum misimus.... Post illos rursus alios nuntios misit, tandem Christo Mariæ Filio missô, cujus sequaces ipsi penitus obedientes corda constantia, & humilia, atque fidelia gesserant, nos Evangelium dedimus, non ob aliud, nisi ut per ipsum Dei dilectionem atque gratiam assequerentur.*

Demonstratio decima. *Demonstratio X.* Lex illa falsa est, quæ *Jesu* Filio *Mariæ* ea tribuit quæ soli vero Deo conveniunt, & eum nihilominus Deum esse negat. Sed Alcoranum ea tribuit Christo Filio Dei, quæ soli vero Deo conveniunt, & eum tamen Deum esse negat. Falsissimum itaque est.

Probatur minor. Alcoran *Jesum* agnoscit *Christum* sive *Messiam*, *Verbum Dei*, *Spiritum Dei*, cui animam suam contulerit Deus, qui Prophetis omnibus antecellat, eisque consentiat, qui eum divinâ virtute & potentiâ venerit, &c. Atqui hæc & soli Deo conveniunt, & Christum esse verum Deum & Dei Filium invictè probant Alcoranum igitur ea tribuit *Jesu* Filio *Mariæ*, quæ soli Deo vero conveniunt, & quæ ipsum esse Deum demonstrant.

Major ex Alcorani textu perspicua est. *Azoara* 4. Deum sic inducit loquentem. *Omnium Prophetarum aliò super alium per nos sublimatô, & eorum quibusdam cum Deo locutis, Christo Mariæ Filio animam nostram propriè conferentes, vim atque virtutem præ cæteris præbuimus* Et *Azoara* 5. Sic Angeli *Mariam Jesu* Matrem alloquuntur: *O Maria! tibi summi nuntii gaudium cum Verbo Dei, cujus nomen est Christus Jesus Filius Mariæ, qui est facies omnium gentium in hôc sæculóque futurô, senes &*

infantulos cunabula servantes convenient, prudens, sapiens, vir optimus, ab universitatis Creatore mittitur. Respondet illa: *O Deus! Cùm virum non tetigi, Filium quomodo concipiam?* Inquiunt Angeli. *Deo nihil occurrit impossibile omnia prout vult operanti: cujus mandatum omne suum placere perficit: Ipseque Filium tuum cum divinâ virtute venientem, Librum legiferum, omnisque Magisterii peritiam, & Testamentum ac Evangelium, mandatumque filios Israël edocebit. Ille namque formis volatilium luteis à se compositis insufflans, volatile faciet: cæcos & mutos curabit, morphaeticos atque leprosos emundabit, mortuos, Creatore cooperante, vivificabit. Quæ cuncta à credentibus in Deum miracula censentur. Vetus Testamentum confirmabit. Quædam tamen prius prohibita licitis annumerabit, sequi eum divinâ virtute potentiâque venisse patefaciens, eloquiet, Timentes Deum, me sequamini . . . De virtutibus atque justitia Jesu quodammodo gerentis Adæ similitudinem, ista tibi revelare decrevimus. Et si quis ratiocinationem hujus rei, & controversiam post hanc scientiam tibi desuper traditam inire voluerit, dic, filiis vestris, & viris mulieribusque similiter advocatis, eorum utique singulis mendacio consentientibus anathema iráque Dei injungamus . . . Dicite vos, credentes in Deum, præcepitque tibi, & Abrahæ, & Ismaëli, & Isaac, atque Jacob, duodecimque tribubus, similiter & Moysi, & Christo, Prophetisque cæteris, quos discernere nimis est, desuper à Deo fide nostra missâ, fidem & testimonium adhibemus.*

Et Azoara XI. *Jesus Mariæ filius, Dei nuntius, suisque Spiritus & Verbum Mariæ cœlitus missum existit.*

Et Azoara 29. Sic *Jesum* recèns natum loquentem inducit: *Ego sum Dei serviens, qui mihi Librum tribuens, me Prophetam constituit, & loco quo cunque meliorantem & mitem posuit, nec me virum difficilem, sed malorum expertem creavit. Et super me est divina salus in die mea divinitatis ac mortis, ex qua vivus iterum accedam. Hoc est de Christo Mariæ filio verbum verax: in quo tamen plurimi dissentiunt homines.*

Et Azoara 53. *Cùm Christus divinis virtutibus adveniens inquit: En adsum vobis cum sapientia vestras dissensiones discussura, méque sequendo, timete Deum, mei, vestríque Dominum. Schismata maximum cohortibus incuti & gentibus. Illos autem qui non crediderunt, die gravi malum gravissimum premet.*

Et Azoara 71. *Omnes boni Deo serviant, ut Christus Jesus Mariæ filius persuasit, interrogans viros albis indutos vestibus: Quis mihi subveniet, ex parte Dei me sequendo? Responderunt illi, Nos?*

Probatur minor. Qui enim *Jesum Mariæ* filium Christum sive Messiam profitetur, fateatur necesse est omnia quæ Prophetæ de Christo prædicant. Prophetæ verò Messiam Deum esse prædicarunt (Isaiæ 9.) *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Et Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Duplicem generationem Messiæ exponit Propheta, temporalem unam in Bethleem; æternam alteram: de qua & in Psalmis ait Deus ad ipsum: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* De qua & Christus ipse ad Patrem in Evangelio ait: *Clarifica me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquàm mundus fieret.* Certè si tunc fuit cùm nihil aliud præter Deum erat, Deus erat. Id omnium Prophetarum confirmari potest oraculis: & ex Evangelio, ubi Christus de se in Prophetis, & Psalmis scriptum esse ait, ubi se *Principium*, & *Patrem* suum *Deum* vocat, & *Petri* confessionem approbat ipsum vocantis *Christum Filium Dei vivi.* Cùm itaque Alcoranum vera esse fateatur quæ in Lege Prophetis & Evangelio scripta sunt, necesse est ut fateamur Mahometani, si consequenter ad Legem Pseudo-Prophetæ sui disserere velint, Christum esse Dei Filium & verum Deum. Et sanè quomodo cum divinâ virtute & potentiâ venit, & aves creavit, si Deus non est? Nunquid potest plenitudo divinæ potestatis cum homine puro communicari?

Præterea, si Christus & Spiritus Dei, & ipsi Deus animam suam propriè contulit, ut ait Alcoranum, ipsum esse verum Deum consequens est. Quid enim est anima Dei, nisi vita Dei, quæ Deus ipse est? Sicut ergo terrenus Pater vitam suam animalem transfundit in filium; sic Deum vitam suam divinam transfundit in Christum. Et sicut in Patre vita est omnipotens, ita ut quem voluerit, vivificet: ita & dedit Filio ut quem voluerit, vivificet: & ideo illa vita Spiritus Dei dicitur, propter vitalem motum. Omnem namque motum à causâ occultâ, Spiritum appellamus. Non itaque multùm abhorrere viderentur illi loquendi modi Alcorani ab illis Christi oraculis: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Nisi sibi contradicens Mohometus, ipsa everteret. Filium autem Deum habere negans Mahometus, nil nisi terrenum se cogitare ostendit, cùm tribuit Christianis quòd Deum habere filios & filias putent; & amicam, vel sociam, ex cujus consortiô generentur.

Præterea si *Jesus* Mariæ Filius Dei Verbum est, ut Alcoranum habet, consequens est ut Deus sit: Verbum enim Dei non est in eô quid adventitium sed coæternum: non est accidentarium, sed subsistens: & cùm Verbô Dei omnia sint creata, non est creatura. Et cùm Deus sit totus mens, Verbum ejus intellectuale est. Et cùm exprimat perfectissimum & infinitum Dei, quô seipsum comprehendit, conceptum, perfectissimum est, infinitum est, unô verbo Deus est. De quô in Evangelio: *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . Omnia per ipsum facta sunt . . . Et Verbum caro factum est.*

Joan. 1.

Ait etiam Alcoranum Azoara 2. *Spiritum divinum Christo Filio Mariæ auxilium atque testimonium extitisse.* Quanam verò ratione, & quod testimonium Christo perhibuit divinus Spiritus? Audiamus *Joannem Zachariæ* filium, quem Alcoranum commendat: cujus hæc verba in Evangeliô recensentur. Joan. 1.) *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum. Sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Christi itaque divinitas ex ipso probatur Alcorano. Quamobrem secum pugnat Lex *Mahometi*, cùm ipsum Deum esse negat.

Quòd si Christus audiendus est, ipsique credendum, ut *Mahometus* affirmat, fateri tenentur Mahometani, quod negat Alcoranum, Deo Filium esse, cùm Christus docuerit conferendum Baptisma *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Patrem suum Deum, & Spiritum à se mittendum prædicaverit. Possent autem & argumentis convenientissimis edoceri Mahometani Sanctissimæ Trinitatis Mysterium rationi non repugnare. Quæ argumenta partim ex Dei intelligentiæ fœcunditate, quam omnis intellectus fœcunditas probat; partim ex fœcunditate, prole

&

& amore, quæ in creaturis promicant, quibus mundus quodammodo unitrinus est: quod à Deo mundi Auctore, cujus similitudinem refert, derivatum esse oportet: tum ex Trinitate intellectuali, quæ in homine & Angelo ad imaginem Dei creatis splendescit, scilicet mens, verbum, & amor. Plura subministrat S. *Thomas* in Libris *contra Gentes*. Nec pigebit etiam legere Cardinalem *Cusanum lib. 2. Cribrationis Alcorani.*

Quod spectat Christi mortem & Resurrectionem, fatetur *Mahometus* Christum à nativitate recentem ipsam prænuntiasse his verbis: *Et super me est divina salus in die mea nativitatis & mortis, ex quâ vivus iterum accedam.* (Azoara 29.) Quamobrem Christum mortuum & occisum à Judæis cur negent Mahometani, ratio nulla est. Siquidem & Prophetiæ occidendum prænuntiarunt, & Christus se moriturum & crucifigendum prædixit. Unde cùm Prophetarum & Christi oraculis tanquam veracibus credendum asserat Alcoranum, secum ipsum pugnat, negando Christum Jesum à Judæis crucifixum fuisse. Sanè *Gabriel* Archangelus, quem sibi Alcoranum tradidisse *Mahometus* mentitus est, *Danieli* revelavit Christum post hebdomadas sexaginta duas occidendum. Itaque si statutô tempore Christus non est occisus, *Gabrieli*, immò Deo, cujus internuntius erat, mendacium affingitur.

Isaiæ 53. & alibi.

Demonstratio XI. Abraham qui Deo dilectus fuit: ab ipsoque in Religione institutus est, cujus Legem qui neglexerit, dereliqueritve, brutus erit (*Ex Alcorano Azoara 2.*) Christum Mediatorem agnovit, & vaticinatus est Dei virtutes, & præcepta edocturum, eisque benedicturum, quod *Mahometus* in Alcorano tradit, locô mox citatô, sic orantem inducens Abrahamum: *Creator optime! ut misericors atque piissimus, nostra prole filium, Mediatorem Prophetam excita, cæteris gerenda, virtutésque tuas scriptô notificantem, eisque benedicentem, cùm tu sis Doctor excelsus, omnia sciens & audiens.* Quod geminum est iis quæ Christus habet in Evangelio: *Abraham exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Et, *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Hic Mediator *Abrahamo* promissus à Deo est, cùm in semine ejus benedicendas omnes nationes terræ asseruit: quæ cùm homini mero convenire non possint; sequitur Christum purum hominem non esse, sed Hominem-Deum, ut inter Deum & homines medius, verè Mediatoris munus impleret, illosque cum Deo reconciliaret atque conjungeret, qui & mortalitatem haberet transeuntem, ut homo; & beatitudinem permanentem, ut Deus: ut per id quod transit, congrueret morituris; & ad id quod permanet, transferret ex mortuis. Quamobrem ipsum & mori & resurgere oportuit.

Demonstratio undecima.

Demonstratio XII. Illa est vera Lex Dei, quæ convenit cum Lege adquam *Abraham* vitam suam exegit. Sibi namque revelatum scripsit *Mahometus*, ut Legem *Abrahæ* sequeretur, non declinando ad dexteram, neque ad sinistram, ne incredulus fieret. Atqui Mahometana Lex non convenit cum Lege ad quam *Abraham* vitam suam exegit: non itaque divina est.

Demonstratio duodecima.

Probatur minor. Lex quæ à Lege *Moysi* & ab Evangelio declinat, non convenit cum Lege *Abrahæ*. Non enim duæ sunt Leges Testamenti veteris & Evangelii, sed una divina Lex, quam Christus non solvit, sed complevit, revelando & explicando spiritum Legis sub literâ latentem. Neque Vetus & Novum Testamentum à Lege *Abrahami* deviant, sed in id præcipuè collineant, ut explicent præceptum Sancto credentium Patriarchæ datum, ut ambularet coram Deo & esset perfectus. Atqui Lex Mahometana à Lege *Moysi* & ab Evangelio declinat, sive Regulas credendorum, sive morum præcepta spectentur, ut per se evidens est Itaque non est divina. Sanè una debet esse perfectissima via, sive Lex ad unum perfectissimum finem perducens. Itaque Lex Christi, quem omnium Prophetarum maximum agnovit *Mahometus*, est perfectissima, cùm Legem *Moysi*, & *Abrahæ* adimpleturus & consummaturus advenerit, & homines Legem suam servantes ad vitam æternam perducturus. Porro si Christus venit ut antiquam Legem impleret, & si Evangelium *Lumen est, & recta via timentibus Deum*, & si datum est à Deo per ipsum, ut homines *Dei dilectionem & gratiam assequerentur*, ut fatetur *Mahometus* locis supra ex Alcorano citatis: Quid reliquum fuit *Mahometo*, quod hominibus conferret? Nihil aliud certè nisi fraudes & doli, & quæ veris, id est, Legis Evangelicæ Decretis contraria sunt (ut ratiocinatur *Euthymius in Panoplia.*)

Præterea Mahometani à fide & moribus *Abrahami* protsùs alieni sunt. *Abrahamus* scilicet unum Deum in tribus personis adoravit. Cùm enim apparuissent ei tres viri ad convallem *Mambre*, cucurrit in occursum eorum, & adoravit in terram, & dixit: *Domine! si inveni gratiam in oculis tuis, non transeas servum tuum.* Tres vidit, unum adoravit. Hæc autem Christianorum adoratio est, quam cùm non frequentent, sed execrentur Mahometani, protsus à fide *Abrahæ* alieni sunt. *Abrahamus* in Christum credidit ipsiusque immolationem in cruce, in præceptâ filii sui immolatione, & in holocausto arietis pro filiô oblatô adumbravit. Quô peractô sacrificiô, confirmatæ sunt ipsi promissiones de Christo his verbis: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ:* quod cùm de Isaac intelligi non possit, aut aliô de homine puro, intelligere de homine Deo necesse est, id est, de Christo, per quem *gratia & veritas facta est*, & qui *dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*, ut habet Evangelium; cujus sectatores gratiam & dilectionem Dei consecuti sunt, ut Alcoranum ipsum testatur. Cùm itaque in Christum non credant Mahometani, nec ejus Evangelium audiant, ab *Abrahami* Religione convincuntur alieni.

Nec est quod sibi ob Circumcisionem, & solutionem Decimarum, de *Abrahami* imitatione blandiantur. Nam octavo die illam non celebrant, ut *Abrahami* posteri, sed anno decimo-tertio ætatis. *Abraham Melchisedech* Sacerdoti decimas dedit; qui Christum æternum Sacerdotem significabat, secundùm illud Psalmi centesimi noni: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Sic enim Psalmum illum Christus in Evangelio exposuit. Cùm itaque Mahometani Christo decimas non solvant, nec ejus agnoscant Sacerdotium & Sacrificium, ab *Abrahamo* alieni sunt.

Objicient forsan Mahometani, Imperii Othomani incrementa, & continuas victorias, Mahometanæ Religionis veritatem demonstrare.

Mahometanorum objectio occupatur ac solvitur.

At hanc objectionem inanem esse, ipsis facilè demonstramus. Crevit enim Othomanum Imperium armorum vi & licentiâ vitiorum. Vicerunt sæpè Mahometani, aliquando victi sunt. Nullô vicere miraculo, cùm numerosiores haberent exercitus: Vicerunt eos non semel Christiani cum exiguâ militum manu, Deô exercituum pro ipsis pugnante. Si felicibus bellorum eventis, & victoriis veritas Religionis demonstraretur, vera fuisset Græcorum & Romanorum, dum Idola colebant, Religio; siquidem tunc rerum potiebantur. Hebræi, qui Deum unum verum colebant, sæpè ab infidelibus fusi sunt, Deo illis ob peccata iratô. Si cadimus in bello, si alienæ Religionis Principibus subjicimur, si jugo servituris opprimimur, id volente Deo, & plerúmque nos ob peccata nostra castigante, ut pater filios, evenire persuasum habemus, eúmque nihilominus adoramus: *Qui mutat tempora & ætates, transfert Regna atque constituit.* Tandem sicut temporibus *Heraclii* Imperatoris,

Christiani à Persis ante victi, victores evaserunt, favente Deo, ut refert *Mahometas* in Alcorano, *Azoara* 40. ita & post *Mahometum* à Saracenis & à Turcis victi, quandoque ipsos profligarunt. Hæc porro *Mahometi* verba sunt locô citatô: *A Gentibus in terrâ propinquâ pessimâque Christiani superati, post novem annos eorundem victores per Deum, cujus sunt prima postremaque mandata, facti fuat. Unde die illâ vindicta Dei condemnatoris atque pii credentibus in ipsam gaudium affert.*

Demonstratio decima tertia.

Demonstratio XIII. Lex quæ in hanc impietatem homines adducit, ut Deum auctorem peccati faciant, aut duos Deos introducant, mala est. Atqui Lex *Muhammedis* homines ad hanc impietatem adducit, ut aut Deum auctorem peccati faciant, aut plures Deos inducant. Mala igitur est, nec à Deo est Lex *Muhammedis*.

Probatur Minor. Malitiam enim & inobedientiam Diaboli agnoscit Pseudopropheta, & nihilominus ait Diabolum à Deo ex igne pestifero esse creatum (*Alcorani cap.* 25.) Unde sequitur, Diabolum necessitate naturæ, nempe vitiô materiæ malum esse. Deinde, de igne isto pestifero quæro, utrùm sit à Deo creatus, an fuerit ab æterno? Si illud, Deus constituitur auctor & efficiens causa mali moralis in Diabolo. Nam causa causæ naturali necessitate effectum producentis, est causa illius effecti. Sin autem dicant Mahometani, ignem illum pestiferum sine origine extitisse ab æterno, sequitur duas esse essentias ingenitas, consequenter duos Deos. Vel si dicant, ignem illum à Deo quidem creatum esse, at pestiferam ejus qualitatem non esse à Deo, quæro à quo sit ea qualitas? cùm nulla creatura ante Diaboli creationem peccaverit; neque peccari possit ulla creatura cui datum non est liberum arbitrium. Deinde, undecumque tandem evenisse delirent illam pestilentiam, non liberant Deum quin creaverit Diabolum initiô malum; adeò ut Diabolus non evaserit malus degenerando à sua origine, sive à primævo aliquô integritatis statu in quô conditus sit, sed à Deo ipsô conditus sit malus. Et quomodo puniet Deus Diabolum propter peccatum inevitabile, quod admittit vitiô materiæ ex quâ cum Deus primitus creavit, nullâ ipsius Diaboli præeunte culpâ?

Demonstratio decima quarta.

Demonstratio XIV. Lex quæ tollit discrimen veræ & falsæ Religionis, falsa est, cùm sicut unus tantùm Deus, ita una vera Religio esse possit: & pugnantes Religiones veræ esse non possint: quia veritas sibi ipsi non adversatur. At Lex Mahometana tollit discrimen veræ & falsæ Religionis. Sic enim habet Azoara 2. *Omnis rectè vivens, Judæus, seu Christianus, seu Lege suâ relictâ ad aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gestor, indubitanter divinum amorem assequitur.* Lex itaque Mahometana falsa & impia est.

Demonstratio decima quinta.

Demonstratio XV. Mahometus felicitatem sui Paradisi in fruitione corporearum voluptatum constituit. Asseritque in Dialogo cum *Abdia* Judæo, beatitudinem minimè plenam fore, si aliquod oblectamenti genus deesset: ideò Fideles suos tot illic habituros uxores, quot hîc habuerint: cæteras concubinas fore, ancillas absque numero. Quo ex figmento sequitur, mulieres quibus & Paradisum pollicetur, non fore fœlices. Ait enim *Azoara* 47. Illas in Paradiso numquam oculos suos nisi ad maritos erecturas. Si virorum fœlicitas in habendo innumeras uxores posita sit, certè aut mulieres in Paradiso erunt infœlices, quod absurdum est; aut plures imò innumeros habebunt viros: Et sic rursùs fœlix esse non poterit ullus vir, quippè nullam habens sibi fidam mulierem, sed viris pluribus, imò innumerabilibus communem. Vel si dicant Muhammedani, Mulieres fore ita continentes, ut non apperant plures viros, neque frequentem cum suis maritis consuetudinem: Cur non idem conceditur viris? Imò cur non perfectam utrisque concedunt continentiam, ut sublatâ jam prolis generatione, cesset prorsùs in Paradiso usus & appetitus Veneris?

DISSERTATIO VII.

Adversùs Paulicianos, de Religioso cultu Dominicæ Crucis.

PROPOSITIO.

Religiosus Crucis Dominicæ cultus, Veterum Patrum testimoniis, & perpetuâ Ecclesiæ consuetudine contra Paulicianos, in Claudio Taurinensi, in Petrobrusianis, Wiclefitis, Lutheranis, & Calvinistis, redivivos, asseritur.

Crucis Christi Inventio; Helenæ Imperatricis pietas laudata.

LOquapiâ fuerit semper in veneratione Crux ipsa, in quâ suffixus Christus pro omnium hominum salute mortem obiit, testatur imprimis toties à Patribus laudatæ *S. Helenæ* Imperatricis pietas, quæ Spiritu Sancto instigante Hierosolyma petiit, ut lignum Crucis quæreret: quod effossô in quo latitabat locô, mortui resurrectione innotuit, & Fidelium deinceps adorationi propositum est. Hujus Inventionis meminere *S. Ambrosius* in Oratione funebri Theodosii *S. Paulinus* Epistola undecima ad Severum Sulpitium, *Severus* ipse Lib. 2. Historiæ Sacræ. *Ruffinus* Lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. *Socrates* Lib. 1. cap. 13. *Theodoretus* Lib. 1. cap. decimo-octavo, *Sozomenus* Lib. 2. cap. 1. & ante hos omnes *S. Cyrillus* Hierosolymitanus in Epistola in Constantium Imperatorem, & *Eusebius* Libro tertio de Vita Constantini, cap. vigesimo-nono: *Invenit ergo* Helena *titulum* (inquit S. Ambrosius in Oratione De Obitu Theodosii) *Regem adoravit, non lignum utique; quia hic gentilis est error; & vanitas impiorum: Sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo... Misit filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexus Crucis redemptionis divina gemma connecteret... Sapienter Helena, quæ Crucem in capite Regum locavit; ut Crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur Sacræ Redemptioni.*

Veræ Crucis religiosus cultus.

S. Paulinus *particulam de ligno divinæ Crucis* ad Severum mittens, ita scribit: *Accipite magnum in modico munus, & in segmento penè atomo hastulæ brevis, sumite munimen[illegible] præsentis, & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parva cernentibus, Sed internâ acie totam in hoc minimo vim Crucis videat, dum videre vos cogitatis lignum illud, quô Salus nostra, quô Dominus Majestatis affixus, tremente mundo, pependerit, exultetis cum tremore.* Idem vocat *Ligni Salutaris Donum*: Aitque, *In Cruce superstite Passionem Christi coli.* Tum narratâ historiâ Crucis ab *Helena* repertæ, exponit quantô in honore lignum illud habitum fuerit. *Dignô, inquit, mox ambitu consecratur, conditâ in Passionis locô Basilica, quæ auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus, arcanô positam Sacrariô Crucem servat. Quam Episcopus urbis ejus quotannis, cùm Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit. Neque præter hanc diem, quâ Crucis ipsius Mysterium celebratur, ipsa, quæ Sacramentorum causa est, quasi quoddam Sacræ Solemnitatis insigne profertur: Nisi interdum religiosissimi postulent; qui hâc tantùm causâ illò peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio in præmium longinquæ peregrinationis deferatur. Quod solùm Episcopi beneficiô obtineri ferunt: Cujus & tantùm munere de eadem Cruce hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei & devotionis gratiam haberi datur. Quæ quidem Crux in materiâ insensatâ vim vivam tenens, ita ex illô tempore innumeris penè quotidie hominum votis lignum suum commodat,*

commodet, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat: quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem, & indecrivilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.

Idem Crucis miraculum celebrat *Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus*, Cathechesi decimâ. *Lignum illud*, inquit, *Sanctum Crucis testatur* (Deum nempe esse Christum) *quod hodiéque apud nos cernitur: & per eos qui cum fide particulam ex illô capiunt, totum istius orbem terrarum fere complevit.*

II. Dominicæ Cruci venerationem conciliant miracula per eam ejusque particulas edita. Insigne unum refert *Evagrius* Lib. IV. Historiæ cap. 26. quod Apameæ contigit. Obsessâ nimirum civitate, Crux repetitis vicibus ostensa, splendidum jaculata ignem est, quò miraculô est significata salus quæ Apamensibus contigit.

Christus crucem suam veneratione dignam ostendit.

III. Honor quò Crucem Christus ornavit, ipsam colendam summâ religione persuadet. In ipsâ nempe velut in altari Sacrificium vitæ suæ obtulit Patri, *Pacificans per Sanguinem Crucis, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt*; ut dicitur ad *Colossenses* 1. Ipsa gradus fuit Christo, quò ascendit ad Regnum. *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus.* (Joannis XII.) Crux fuit Christo instrumentum victoriæ, & redemptionis hominum. *Delevit* enim *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* (Ad Colossenses 2.) Quem locum egregiè ac luculenter explicat Origenes Homilia VIII. in Jesu Nave. *Post omnia autem* (inquit) *etiam Rex Hay in lignô geminô, dicitur esse suspensus. Hoc in locô mysterium tegitur quamplurimos latens: Sed orantibus vobis, tentabimus hæc, non nostris opinionibus, sed divinæ scripturæ testimoniis aperire. In superioribus diximus, Regem Hay diabolo posse conferri: hic quomodo in lignô gemino crucifixus sit, operæpretium est noscere. Crux Domini nostri Jesu Christi gemina fuit...... hoc est, geminâ ratione constat. quod visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est: invisibiliter verò in eâ cruce diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruci. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? Audi ergo de iis quid ipse pronuntiat. Quod erat*, inquit; *contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens illud cruci, sua exuens principatus & potestates traduxit, liberè triumphans eas in ligno crucis. Licet in aliis exemplaribus habeatur, Triumphans in semetipso. Sed apud Græcos habetur, In ligno. Ergo duplex ratio Dominicæ crucis. Una illa quâ dicit Apostolus Petrus: Quod Christus crucifixus nobis reliquerit exemplum: & hæc secunda, quâ crux illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus.*

IV. Idipsum ostenditur ex honore quo Christus salutare signum istud in novissimo Judicio insigniturus est. *Tunc* enim *parebit signum filii hominis in cælo.* (Ut Matthæi 24. dicitur) Signum autem Filii hominis Sacrosanctam Crucem ab ipso vocari, Patres intellexerunt. præsertim *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 54. in Matthæum, & Homilia *De Cruce*; & *Cyrillus Hierosolymitanus*, Cathechesi 13. & 15.

SS. Patres cultum religiosum Dominicæ Cruci exhibendum testantur.

V. Sancti Patres de Crucis adoratione testimonium ferunt, & eximia quædam passim habent ad ejus commendationem. *S. Joannes Chrysostomus* in Libro *Quòd Christus sit Deus*, inter varia, quibus Christi divinitatem probat, argumenta, hoc utitur, quòd crucis supplicium per se ignominiosum, passione suâ gloriosum effecerit. *Ipsum ergo lignum*, inquit, *in quô positum Sanctum Corpus Domini & crucifixum, quarenam habere totus orbis ita contendit, ut qui parvum quiddam ex illô habent, hoc aurô includant, tam viri, quàm mulieres, & de collo suo suspendunt: hoc valde ornati, licet damnationis signum fuerit lignum istud? Sed qui omnia operatur, & immutat, qui orbem terrarum à tanta pravitate transtulit, & terram cælum fecit, etiam rem hanc infamia plenam, & turpissimam omnium mortem supra cœlos evexit. Hæc igitur omnia prævidens Propheta, dicebat: Et erit requies ejus honor. Istud enim mortis symbolum, multæ benedictionis argumentum factum est, & omnigena securitatis murus, lethifera diaboli plaga: dæmonum frænum, chamus contrariarum Virtutum. Istud mortem sustulit. Hæc inferni æreas portas confregit, diaboli arcem destruxit, hoc peccati nervos execuit, totum orbem à damnatione, cui obnoxius erat, eripuit, inflictam naturæ nostræ plagam abstulit &c.*

Crucis commendatio.

Idem Oratione De Cruce & Latrone. *Crux*, inquit, *prius condemnationis & supplicii nomen erat: at nunc res est venerabilis & desiderabilis. Crux antea dedecoris & pœnæ argumentum erat; nunc gloriæ & honoris occasio. Quodque Crux sit gloria, audi Christum dicentem: Pater, clarifica me gloriâ, quam habui apud te ante mundi constitutionem; gloriam crucem nominans. Crux caput nostræ salutis. Crux infinitorum bonorum argumentum. Propter hanc nos qui prius inglorii & rejecti eramus, nunc in filiorum ordinem recepti sumus...... Hæc ab errore nos liberavit. Hæc ad veritatem adduxit. Hæc reconciliationem Dei cum hominibus instituit. Hæc nos ex profundo malitiæ ereptos, in ipsum virtutis fastigium adduxit..... Vides quomodo Crux sit nobis festum, quòd propter Crucem nos festum celebrare jubet? In cruce enim oblatus est: ubi verò Sacrificium, ibi & peccatorum remissio: ubi reconciliatio Domini, ibi festum & gaudium. Pascha nostrum*, inquit, *pro nobis immolatus est Christus. Ubi immolatus est? In excelsâ cruce. Novum & peregrinum altare, cùm novum & insitatum fuerit Sacrificium. Idem & Sacrificium, & Sacerdos erat; Sacrificium secundum carnem, Sacerdos secundum spiritum. Idem immolavit & immolabatur...... Fuit Crux etiam altare &c.*

Joan. 17.

Sanctus Hieronymus Epistola 17. ad Marcellam: *Ergone*, inquit, *erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare, & in Sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre, Crucis deinde lambere lignum &c.* Et in Epitaphio Paulæ: *Prostrata*, inquit, *ante Crucem. quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.*

S. Leo Sermone VIII. de Passione Domini, Cap. 4. *Cùm ergo Dominus lignum portaret Crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande Mysterium: quia gloriosissimus Diaboli Victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchrâ specie, triumphi sui portabat trophæum, & invicta patientiæ humeris, signum Salutis adorandum regnis omnibus inferebat.* Ibidem *Crucem Christi non templi aram esse* ait, *sed mundi*: Subditque Cap. 7. *O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis! In quâ & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est Crucifixi!* Christúmque his vocibus interpellat: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Rusticus Diaconus in Dialogo contra Acephalos: *Clavos*, inquit, *quibus confixus est* Christus *& lignum venerabile Crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ullâ contradictione adorat.... Et adoramus omnes Crucem, & per ipsam illum cujus est Crux.*

S. Joannes Damascenus Lib. 4. *De fide Orthodoxa*, cap. duodecimo: Quanquam autem, inquit,

» omnis Christi actio ac miraculorum editio præclara, A
» & divina & mirabilis est; nihil est tamen ex omni-
» bus quod tantam admirationem excitet, atque exi-
» mia ipsius Crux. Neque enim alia ullâ re peccatum
» deletum, infernus spoliatus, resurrectio nata, vis
» contemnendarum rerum præsentium, atque ipsius
» quoque mortis nobis concessa, reditus ad veterem
» beatitudinem comparatus est, Paradisi portæ pate-
» factæ sunt, natura nostra ad Dei dextra consider,
» filii denique Dei & hæredes facti sumus, quàm
» Crucis Domini nostri Jesu-Christi beneficiô. Hæc
» nobis signi loco in fronte data est, haud secus ac
» Circuncisio Israël. Per hanc enim nos qui fide B
» præditi sumus, ab infidelibus distinguimur, atque
» agnoscimur. Hæc clypeus atque armatura, & tro-
» phæum est adversùs diabolum. Hæc sigillum, ut ne
» exterminator Angelus nos tangat, velut Scripturæ
» sacræ monumentis proditum est. Hæc jacentium ex-
» citatio est, stantium fulcimentum, infirmorum ba-
» culus, ovium virga, resipiscentium adminiculum,
» proficientium perfectio, animæ & corporis salus,
» malorum omnium depulsio, bonorum omnium cau-
» sa, resurrectionis planta, vitæ æternæ lignum. Hoc
» itaque ingentis sanè pretii lignum ac venerandum,
» in quô Christus seipsum sacrificii causâ, pro nobis C
» obtulit, ut ex sancti corporis & sanguinis contactu
» sanctificatum, optimo jure adorari debet, clavi-
» que item & lancea, & indumenta, ac sacra ipsius
» tabernacula, hoc est, præsepe, antrum, Golgo-
» tha, Crux, vivificum Sepulchrum, Sion Ecclesia-
» rum arx, aliáque id generis, quemadmodum ait
» David: Introibimus in tabernaculum ejus, adora-
» bimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Quòd autem
» his verbis Crucem intelligat; argumento est id
» quod sequitur: Exurge Domine! in requiem tuam.
» Comes enim Crucis est resurrectio: Nam si eo-
» rum, quorum amore flagramus, & domus nobis D
» chara est, & lectus, & vestis; quantò magis ea quæ
» Dei ac Salvatoris sunt, per quæ nobis salus parta est:]

Dominicæ Crucis effigiem ac signû fidelibus reliquû colendum proposuit semper Ecclesia, ex quo pace potita est.

VI. Neque verò solam Christi Domini veram Crucem, sed quamlibet crucis effigiem adorandam semper censuit Ecclesia, colendámque proposuit, ut primùm libertate potita est sub Christianis Principibus. Constantino Imperatori *horis meridianis, sole in occasum vergente, Crucis trophæum in cœlo ex luce conflatum, Soli superpositum visum est cum hujusmodi Inscriptione*: HAC VINCE. Ita refert *Eusebius*, qui id ab ipso *Constantino* acceperat, Lib. 1. de ejus Vita, cap. vigesimo-octavo. Eidem Imperatori de ostento illo anxiè cogitanti Christus appa- E ruit, cum Signo illo quod in cœlo ostensum fuerat; præcepitque ut militari signô, ad similitudinem ejus quod in cœlo viderat, fabricatô, eô tanquam salutari præsidio in præliis uteretur. Quod statim præstitit, & Crucis effigiem ex auro & gemmis pretiosissimis elaborari jussit. Tum vexillum Crucis instar effectum, cui *Labari* nomen impositum est. Cujus descriptionem lege apud *Eusebium*, Lib. 1. *de Vita Constantini*, Cap. trigesimo primo. *Hoc igitur salutari signo*, inquit Eusebius, *tanquam munimento adversùs oppositas quorumvis hostium copias Imperator semper est usus; aliáque ad ejus similitudinem expressa* F *signa cunctis exercitibus præferri jussit.*

Reportatâ verò de *Maxentio* Tyranno victoriâ, *Clara voce ac titulorum inscriptionibus, salutare signum cunctis hominibus annuntiavit: hoc tropæo in medio urbis Regiæ adversùs hostes erectâ, atque hoc salutari signo, quod Imperii Romani ac totius orbis præsidium est, literarum notis nunquam interituris incisô. Statim ergo sublimem hastam in modum Crucis, sub manum statuæ suæ in celeberrimo urbis loco poni jussit, & hujusmodi inscriptionem Latino sermone subjici*: Hoc *salutari signo, quod vera virtutis argumentum est, vestram Urbem Tyrannicæ Dominationis jugo liberatam servavi. Senatui populóque Romano in libertatem asserto pristinum decus nobilitatis splendorémque restitui.* (ex Eusebio Lib. 1. de Vita Constantini Cap. quadragesimo.) Hoc eodem signo salutari munitus Magnus *Constantinus Licinium* fudit, vicitque, ut *Eusebius* testatur lib. 2. de ejus Vita, cap. VI. VII. VIII. & IX. *Certè*, inquit, *ubicumque hoc signum conspectum fuerat, continuò fuga hostium, victoribus terga illorum prementibus, sequebatur. Quò compertô, Imperator, sicubi agmen aliquod exercitûs sui premi animadverteret, illicò salutare tropæum, tanquam efficacissimum quoddam ad parandam victoriam amuletum, inferri jubebat. Quo factô, statim victoria sequebatur; divinâ utique virtute animos viresque pugnantium confirmante.*

Et cùm fortè inter pugnandum ingens strepitus exercitum conturbasset; is qui hoc signum humeris ferebat, metu perculsus, alteri gestandum tradidit, ut ipse discrimen evaderet. Vix alter ille signum gestandum susceperat, cùm ecce is qui se subripiens, custodiam signi deseruerat, telo in ventre percussus, occubuit. *At salutare Crucis tropæum, ei qui ipsum sublime gestabat, incolumitatem præstitit. In quem cùm tela undique jacerentur, signifer quidem ipse salvus evasit: hasta verò salutaris tropæi missilia excepit. Erat id spectaculum omni miraculô majus, cùm cuncta hostium tela in brevissimum illum hastæ ambitum caderent. Quæ cùm in hastam impacta defigerentur, signifer servabatur incolumis: adeò ut nullo unquam jaculô ferirentur, quicumque hoc ministerium obibant.* Verba sunt *Constantini Magni* hanc historiam narrantis, ab *Eusebio* descripta, Lib. 2. de ejus Vita, cap. IX. Et cap. XVI. refert quòd cùm didicisset Licinius *Arcanam quamdam ac divinam potentiam in salutari tropæo inesse, cujus ope Constantini exercitus victoriam referre consuevisset; milites suos admonuit, ne ex adverso illi congrederentur, neve in illud temerè ac fortuitò oculos conjicerent. Quippe illud signum incredibili vi pollere, ac sibi privatim infestum adversúmque esse, aiebat... Et Liciniani quidem Deorum multitudine confisi, cum ingentibus copiis progrediebantur, nescio quæ mortuorum simulacra & statuas inanimes, præsidii causâ circumferentes. Constantinus verò pietatis loricâ communitus, salutare & vivificum Crucis signum, velut terriculamentum quoddam, & potentissimum ad depellenda mala munimentum, hostium multitudini objecit.*

Eodem sæculo Crucis signum divinitus in cœlo formatum & ostensum est Hierosolymis super Golgotham, & usque ad Montem Olivarum, totâ Urbe ad spectaculum effusâ. Tunc præerat Hierosolymitanæ Ecclesiæ Sacris *Sanctus Cyrillus*, qui de cælesti illô ostentô Epistolam scripsit ad *Constantium* Imperatorem, quæ inter ejus Opera etiamnum legitur. Idem miraculum refert Socrates, *Lib. IV. cap. V.*

VII. *S. Joannes Chrysostomus*, in Oratione, *Quod Christus sit Deus*, honoratam ætate suâ Crucem ubique fuisse docet, ejúsque figuram ad ornatum, ad remedium, ad præsidium, fuisse à Fidelibus circumlatam. *Hoc mortis genus diademate quovis gloriosius est. Nam Reges positis diadematibus, Crucem suscipiunt, mortis ejus Symbolum. In purpuris Crux, in diadematis Crux, in precibus Crux, in armis Crux, & in Mensâ Sacra Crux, & in totô orbe Crux, & super Solem fulget Crux.*

Et infra: *Neque enim sic Regiâ coronâ ornatur caput, ut Cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes priùs abhorrebant, ejus figuram tanto opere quærunt: atque adeò ubique ea invenitur, apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud servos, apud liberos, subinde omnes eâ se signant, insculpendo eam in nobilissimâ membrorum nostrorum parte: In fronte enim nostra,*

nostrâ, quasi in columnâ quotidie figuratur. Hæc in Sacrâ Mensâ, hæc in Sacerdotum Ordinationibus, hæc iterum cum Corpore Christi in Mysticâ cœnâ fulget. Hanc ubique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navigiis, in insulis, in vestibus, in armis, in thalamis, in vasis argenteis & aureis, in murorum picturis, in corporibus jumentorum malè affectorum, aut eorum qui à dæmoniis vexantur, in bellis, in pace, diebus ac noctibus, in delicatorum choreis, in Monachorum Ordinibus: adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes.

VIII. *Theodosius* & *Valentinianus* Imperatores Lib. 1 Cod. Tit. VIII. *L. Nemini licere*, de Crucis effigie honorandâ ita statuunt: *Cum sit nobis cura diligens per omnia superni Numinis Religionem tueri: Signum Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere; & quocunque reperitur locô, tolli.... specialiter imperamus.* Quam Legem *Petrus Crinitus* malè retulit, omittens illam vocem, *humi*, quæ Legis istius veluti clavis est. Unde perperam Novatores illam proferunt contra cultum Crucis. Legatur doctissimus Cardinalis *Perronius* in Actis Collationis apud Fontem-Bellaqueum habitæ.

IX. *S. Asterius* Amasenus Episcopus in Oratione *De S. Euphemia*, adorationem Crucis lege Christianis indictam docet. *Virgo*, inquit, *veneranda in pullis vestibus sola sedet, manibus in cœlum extensis, Deum in malis adjutorem invocans. Huic porro precanti supra caput apparet signum, quod ex præscriptô Legis Christiani adorant & inscribunt sibi.*

X. *Prudentius* adoratam ab Imperatoribus Crucis signum in Apotheosi testatur.

.......Jam purpura supplex
Sternitur Æneadæ Rectoris ad atria Christi.
Vexillumque Crucis summus Dominator adorat.

XI. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 6. contra Julianum: *Quod autem*, inquit, *miseros esse dicit eos*, Julianus, *quibus nihil prius aut antiquius est quàm ut frontes ac domos omnino signo pretiosæ Crucis informent, ejus Orationem nefariâ mente conceptam, extremam ignorationem sapere, nullô negotiô demonstrabimus. Siquidem Servator omnium ac Dominus, tametsi poterat in formâ Patris, eique prorsus æqualis conspici, & in divinitatis suæ Majestatem suam exhibere, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quin & Crucem perpessus est, ignominiâ contemptâ, ut corruptionis vim retunderet; unus mortuus pro omnibus & excitatus, ut mortis laqueis genus hominum exsolveret, ut tyrannidem peccati, quod nos opprimebat, everteret, ut sævientem in membris carnis legem sedaret, & spiritales faceret adoratores &c. Horum omnium nobis salutare lignum memoriam excitat, ac in eam præterea cogitationem nos adducit. Unum (ut sapientissimus Paulus ait) pro omnibus mortuum esse, ut viventes non ultra sibi ipsis vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.... Quocirca nos, uti dixi, honoranda Crucis lignum boni omnis ac virtutis admonitionem facimus.*

Perperàm verò colligunt Heterodoxi, *Cyrillum* explosisse adorationem Crucis ex ligno, lapide, aut quavis aliâ materiâ confectæ, quia Christum venisse ait, *Ut nos spirituales faceret adoratores.* Verba enim illa *Sancti Cyrilli*, cultûs objectum non spectant, quasi nihil adorari debeat quod materiâ constet, sed adoratorum innuunt conditionem; id est, Christum in Cruce passum esse ait, ut suos adoratores Spiritu Sancto plenos, & ab immunditiis carnis, atque à peccati servitute liberos faceret. Secundò, etsi verba laudata spectarent ipsum adorationis objectum, nihil ex iis contra Crucis adorationem colligi posset. Nec enim spiritales adoratores esse desinunt, qui res colunt corporeas, modò illas non propter se, sed propter spiritales colant, quibus conjunctæ sunt, vel ad quas referuntur. Alioqui Apostoli, qui Christum in carne sibi conviventem adorabant, spiritales adoratores non fuissent. Neque rursus Patres Veteris Testamenti, qui Arcam in figuram Christi adorabant. Hinc *Sanctus Augustinus*, Lib. III. *De Doctrina Christiana*, cap. IX ait: *Qui veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significat omnemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potius quò talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est, etiam tempore servitutis.*

XII. *Theodoretus* Sermone VI. contra Græcos: *Græci*, inquit, *& Romani, ac Barbari Crucifixum profitentes Deum, Crucisque signum venerantes.*

XIII. Auctor Quæstionum ad *Antiochum* sub nomine *Sancti Athanasii*, Quæstione quadragesima primâ. *Figuram quidem Crucis*, inquit, *ex duobus lignis compingentes conficimus, at si quis infidelium id in nobis reprehendat quod veneremur lignum, possimus duobus inter se disjunctis lignis, & Crucis diremptâ formâ, ea tanquam inutilia ligna reputare, & Infideli persuadere quod non colamus lignum, sed quod Crucis typum veneremur.*

XIV. *Justinianus* Imperator in Authentica *De Monachis*, statuit: *Si quis ædificare venerabile Monasterium voluerit, non prius licentiam esse hoc aggredi, quàm Deo amabilem locorum Episcopum advocet: ut ille manus extendat ad cœlum: & per Orationem locum consecret Deo, figens in eo salutis nostræ signum: dicimus autem adorandam & honorandam verè Crucem.*

XV. *S. Gregorius Magnus* Lib. 7. Epistola 5. Indict. 2. ad *Januarium* Episcopum datâ, jubet ut veneranda Crux & Imago Dei Genitricis, quæ à Neophyto quodam in Judæorum Synagogam imprudenter illatæ fuerant, *exinde cum eâ, quâ dignum est veneratione auferantur.*

XVI. Venerabilis *Beda* Lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap. 25. de adventu *Sancti Augustini* à *Sancto Gregorio* missi in illam Insulam cum Sociis, Evangelii prædicandi causâ, ita scribit: *At illi non dæmoniacâ, sed divinâ præditi virtute veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabulâ depictam, Litaniasque canentes, pro suâ simul & eorum, propter quos & ad quos venerant, æternâ salute Domino supplicabant.*

XVII. His longè antiquior *Sedulius* Lib. 3. Paschalis Carminis, de Christo ita canit:

Pax Crucis ipse fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis, pœnam vestivit honore:
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis:
Ipseque sanctificans in se tormenta, beavit.
Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit ovans ratione potenti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.

XVIII. *Jonas Aurelianensis* Lib. 1. De Cultu Imaginum. *Quo ergo*, inquit, *ob recordationem redemptionis suæ Sancta Ecclesia ex Sanctorum Patrum traditione Crucem Christi veneretur, adoret, colat, non cultu & adoratione quæ solius divinitatis est, sed eô de quo satis abundèque supra dictum est, nemo nisi qui ab Ecclesiastica traditione dissentit, ignorat. Unde ob recordationem salutiferæ Passionis Dominicæ annuatim in sanctissimo die Parasceves, secundum Traditionem Ecclesiasticam, Crucem Christi adorat, id est, supplicando salutat: quæ etiam totum diffusa per orbem in Christi laudem prorumpens, gratulabunda*

tulabunda

labenda canit: CRUCEM *tuam adoramus Domine, &c. Et iterum:* ECCE *Lignum Crucis, in quô Salus mundi pependit, Venite, adoremus. Et Beatus Gregorius, de cujus dictis nemo nisi immemor salutis suæ ambigit, in Libro Sacramentorum ita memorat:* DEUS *qui unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi pretioso Sanguine humanum genus redimere dignatus es, concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam Crucem adveniunt, à peccatorum suorum nexibus liberentur.* Legatur ejusdem *Jonæ* totus Liber secundus, ubi Crucis venerationem contra *Claudium Taurinensem* strenuè propugnat.

XIX. *Petrus Cluniacensis* in Epistola *contra Petrobusianos* ad Archiepiscopos Arelatensem & Ebredunensem, necnon ad Episcopos Diensem & Vappicensem datâ, inter istius hæreseos capita illud refert: *Cruces Sacras confringi præcipit & succendi; quia species illa vel instrumentum quô Christus tam dirè tortus, tam crudeliter occisus est, non adoratione, non veneratione, vel aliquâ supplicatione digna est: Sed ad ultionem tormentorum & mortis ejus, omni dedecore dehonestanda, gladiis concidenda, ignibus succendenda est.* Quem errorem prolixè refellit ac luculenter Epistola secunda.

Crucis signū manus agitatione formatum venerabile esse & ab Ecclesia traditum apud Christianos usitatum.

XX. Denique signum Crucis manûs agitatione formatum venerabile esse, & antiquis temporibus inter Christianos usitatissimum, æquè Traditio probat. Audiendus eâ de re *Origenes*, Homilia VI. in Exodum. *Quid timens dæmones,* inquit, *Quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi in quâ triumphati sunt; in quâ exuti sunt principatus eorum & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cùm signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in Cruce.*

Audiendus *Tertullianus* Lib. *De Corona Militis*, cap. 3. ubi multa solâ Traditione non scriptâ usurpari in Ecclesia probans, morem illum frontem Cruce signandi inter alia refert. *Ad omnem,* inquit, *progressum, atque promotum; ad omnem aditum & exitum: ad vestitum, calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculô terimus.*

Audiendus *S. Athanasius*, Lib. De Incarnatione Verbi. *Signo Crucis,* inquit, *Magica omnia compescuntur.* Audiendus *Sanctus Basilius*, in Lib. *De Spiritu Sancto*, cap. vigesimo septimo, consuetudinem hanc quâ Fideles signaculo Crucis muniuntur, solâ sine Scripturâ ullâ, Traditione constare asserens. Quam consuetudinem pariter commendant *S. Joannes Chrysostomus* Homilia X. in Acta Apostolorum, & Homilia XII. in Epistolam I. ad Corinthios, *Sanctus Gaudentius Brixianus* Sermone octavo, *S. Ambrosius* Libro De Initiandis, & ante illos *Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi quartâ, & decimâ tertiâ. Audiendi Patres, qui ingentia solô signô Crucis patrata esse miracula testantur, *Lactantius* scilicet Libro quarto Divinarum Institutionum, cap. vigesimo septimo, *Sanctus Epiphanius* Hæresi trigesima, *Sanctus Gregorius Nazianzenus* Oratione tertiâ, quæ est prior contra Julianum; *Sanctus Gregorius Nyssenus* in Vita Sancti Gregorii Neocæsariensis, & in Vita Macrinæ Sororis; *Sanctus Athanasius* in Vita Sancti Antonii, *Sanctus Hieronymus* in Vita Sancti Pauli primi Eremitæ, *Sanctus Augustinus* Lib. vigesimo secundo De Civitate Dei, cap. octavo, *Theodoretus* Lib. quinto Historiæ Ecclesiasticæ cap. vigesimo primo, & passim in Historia Religiosa.

Præclara sunt quæ de Crucis signo, habet variis in locis *Sanctus Augustinus*; scilicet Concione secunda in Psalmum trigesimum-sextum. *Crux,* inquit, *jam de pœna generis humani sublata est..., Honorata est & finita. Finita est in pœnâ, manet in gloriâ. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat Fidelibus suis?* Et Tractatu tertio in Joannem: *Si Christiani,* inquit, *utique ipsô nomine ad Christum pertinemus, hujus signum in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si & in corde gestamus. Signum ejus, est humilitas ejus. Per stellam eum Magi cognoverunt: & erat hoc signum de Domino datum, cæleste atque præclarum. Noluit stellam esse in fronte Fidelium signum suum, sed Crucem suam. Unde humiliatus inde glorificatus.*

Et Tractatu quinquagesimo. *Sanguine occisi pecoris & Judæorum postes signati sunt: Sanguine Christi frontes nostræ signantur. Et illa signatio, quia erat significatio, dicta est à domibus signatis exterminatorem prohibere. Signum Christi à nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Salvatorem. Quare hoc dixi? Quia multi habent postes signatos, & intus non manet habitator. Facilè habent in fronte signum Christi, & corde non recipiunt verbum Christi. Ideo dixi, fratres, quod repeto: Signum Christi à nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum habitat Christum habitatorem.*

Et Tractatu quinquagesimo-tertio. *Ad hoc enim & ipse Dominus Crucem suam, ubi eum dementia superba impietatis irrisit, in eorum qui in illum crederent, frontibus fixit, ubi est quodammodò sedes verecundiæ: ut de nomine ejus fides non erubescat, & magis Dei gloriam quàm hominum diligat.*

Denique Tractatu centesimo decimo octavo. *Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi Crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex quâ regenerantur, sive oleo quò Chrismate unguntur, sive Sacrificio quô aluntur, nihil eorum ritè perficitur.*

Insignia *Sancti Paulini*, & *Prudentii* Carmina reticere non possum. Hic Hymno sexto *Cathemerinon* ita canit:

Fac cùm vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locúmque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen.
Fugiunt Crucem tenebræ.
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Paulinus verò in Carmine octavo de Natali Sancti *Felicis*:

Nos Crucis invictæ signum, & confessio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis: & quanquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus; quibus & sub pace serenâ
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Objicies verba *Minucii Felicis* in Octavio: *Nam quod Religioni nostræ hominem noxium, & crucem ejus adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum..... Cruces etiam nec colimus, nec optamus.* Sic respondit *Cæcilio* Gentili homini, qui Christianis exprobabat, quòd *Hominem summô suppliciô pro facinore punitum, & Crucis ligna feralia* colerent. Atqui illam exprobrationem ceu calumniam non rejecisset *Minucius Felix*, si Crucis effigiem primis sæculis Christiani coluissent, ac illam sive ex ligno fabricatam, sive ex lapide sculptam, sive ex argento, aut alio quovis metallo conflatam, Ecclesia adorandam credidisset, Fidelibúsque proposuisset. Primis igitur Ecclesiæ sæculis nulla Cruci deferebatur adoratio.

Hæreticorum objectionibus contra cultū Dominicæ Crucis respondetur.

Respondeo

Respondeo, Nego minorem. Imò illa Ethnicorum in Christianos calumnia, quòd Crucem ut Deum colerent, vel quòd cruces omnes qualiumcumque cruciariorum supplicio destinatas venerarentur, inde nata est, quòd quibusdam Crucibus honorem ab illis deferri nossent, quæ scilicet ad Crucis Dominicæ repræsentandam figuram, & ad revocandam Passionis Christi memoriam proponebantur. Negat autem *Minucius Felix* Crucem à Christianis coli, qualem nec optent, id est passivam, ut *Tertullianus* locô inferiùs à nobis laudandô loquitur, & quæ noxiis quibusque figatur, sive *Crucis ligna feralia*, iis qui *pro facinoribus puniuntur*, destinata, ut *Cæcilius* objecerat. Negat etiam Crucem pro Deo coli à Christianis, ut Gentiles calumniabantur. Imò in ipsos crimen istud retorquet, qui Crucem in plerisque colant. *Vos planè*, inquit, *qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas ut Deum vestrorum partes forsitan adoratis. Nam & signa ipsa, & cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud quàm inaurata Cruces sunt & ornata? Tropæa vestra victricia non tantùm simplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. Signum sanè crucis naturaliter visimus in navi, cùm malis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur. Et cùm erigitur jugum, crucis signum est: Et cùm homo porrectis manibus Deum purà mente veneratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra Religio formatur.*

His penè gemina sunt quæ habet *Tertullianus*, Lib. 1. *Ad Nationes*, cap. duodecimo, Gentilium objectionem de Crucis adoratione diluens, quam tamen à Christianis coli non negat, imò asserit; sed eam horrori Gentilibus esse non debere probat, qui partes Crucis colant, id est, ligna informia. *Sed & qui nos crucis Antistites affirmat, consecraneus erit noster. Crucis qualitas signum est de ligno: Etiam de materia colitis penes vos cum effigie. Quamquam sinus vestrum humana figura est, ita & nostra sua propria: viderint nunc lineamenta dum una sit qualitas, viderit forma, dum ipsum sit Dei corpus. Quod si de hoc differentia intercedit, quantò distinguitur à Crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ sine forma rudi palò & solò stasiculò! qui informis repræsentatur? Pars Crucis, & quidem major est omne robur, quod de rectâ statione defigitur. Sed nobis tota Crux imputatur, cum antenna scilicet suâ, & cum illo sedilis excessu. Hóc quidem vos incusabiliores, qui mutilum & truncum dicastis lignum, quod alii plenum & structum consecraverunt.*

Enimverò de reliquo integra religio vobis est integra crucis, sicut ostendam. Ignoratis autem etiam originem istam Diis vestris de isto patibulò provenisse. Nam omne simulacrum, seu ligno, seu lapide descalpitur, seu ære defunditur, seu quacumque aliâ locupletiore materiâ producitur, plastica manus præcedant necesse est: Plasta autem lignum crucis in primo statuit, quoniam ipse quoque corpori nostro tacita & secreta linea crucis situs est, quòd caput emicat, quod spina dirigitur, quòd humerorum obliquatio.... Si statueris hominem manibus expansis, Crucis imaginem feceris... Victorias ut numina, & quidem augustiora quantò lætiora, veneramini... Cruces erunt intestina quodammodo tropæorum. Itaque in victoriis & Cruces colit castrensis Religio, signa adorat, signa dejerat, signa ipsi Jovi præfert. Sed ille imaginum suggestus, & totius auri cultus, monilia crucum sunt. Sic etiam in cantabris atque vexillis, quæ non minori sanctitate militia custodit, siphara illa vestes crucum sunt. Erubescitis, opinor, nudas & incultas cruces colere. Christianos itaque primorum sæculorum Crucem Dominicam, & ejus effigiem coluisse, ex Gentilium exprobationibus liquet, & confictis in Religionem Christianam calumniis, quòd Cruces omnes colendas proponeret: sicut compertum est Christianos omnes Christum crucifixum adorasse, quòd eorum hostibus ansam dedit confingendi putidam illam calumniam, quam in vulgus sparserunt, Christianos cruciariis omnibus cultum exhibere, ut constat ex *Origene* Lib. secundo contra *Celsum*.

Sanè veterem Ecclesiam Crucem adorandam credidisse, & re ipsa adorasse, *Juliani Apostatæ* criminatio invictè probat, qui Christianis exprobrabat quòd ab avitâ Religione deficientes, ancile, hoc est, lapsum è cœlo clypeum colere desiissent, ac pro eo Crucem adorarent. *At vos*, inquiebat, *infelicissimi homines, cùm adorare & colere nolitis ancile, quod penes nos servatur æterna Urbis certissimum pignus cœlitùs delapsum, & à Magno Jove, aut Marte Patre demissum, Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, & vestibulis ædium insculpitis?* Hæc Apostatæ Imperatoris verba refert *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 6. contra *Julianum*. Huic verò respondens *S. Cyrillus*, tantùm abest ut eum calumniæ postulet, falsúmque esse dicat Crucem à Christianis adorari, ut fructus ab eâ in genus hominum derivatos recenseat & commendet verbis quæ inter probationes Catholici Dogmatis retulimus: tum satius esse contendat ad homines erudiendos Crucis effigiem depingi, quàm insulsas Deorum Dearúmque lascivientium fabulas. *Tunc igitur nos velis, Juliane! repudiatò lignò, quod nos ad omnis virtutis recordationem adducit, pueris & mulierculis sua proponere? An fortè Dii Deæque lascivientes, mulierculas & adolescentes ad frugem deducent?* Quamquam igitur ferventibus Ethnicorum Principum persecutionibus, publicè Cruces erectæ non essent in compitis, in biviis in Ecclesiis, quæ tunc vix ullæ erant, nisi in cryptis, abditisque locis; quamvis tunc effigies Crucis in publicis supplicationibus, quæ nullæ fieri poterant, non deferrentur, Crucem tamen Christi, & ejus figuram in materia sensibili exsculptam aut depictam semper veneratam est Ecclesia.

Objicies, adorationem Crucis in injuriam Dei cedere, cui soli exhibenda adoratio est, secundùm illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Proinde Romanæ Communionis homines in Idololatriam delapsos esse, Crucem adorando.

Cruci Christi ea non exhibetur adoratio quæ Dei soli propria est.

Respondeo, Æquivocum esse adorationis cultúsque nomen. *Aliam esse adorationem quæ nonnisi soli Deo debetur: aliam quæ à mortalibus humilitatis & subjectionis gratiâ, a quo mortalibus exhibetur. Rursus alius est cultus, quò nonnisi divina potentia famulandum est, & alius est qui non solùm rationabilibus, verumetiam irrationalibus creaturis juxtà modum proprium impenditur*: inquit, *Jonas Aurelianensis*, qui ex Scripturis Sacris id confirmat, quæ non uno sensu adorationis verbum usurpant, & ex *S. Augustino* Libro decimo *De Civitate Dei*, cap. primo, ubi docet λατρείαν secundùm morem loquendi eorum qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut penè semper, eam dici servitutem quæ pertinet ad colendum Deum. Quod multis aliis ejusdem Sancti Doctoris testimoniis illustrat *Jonas*. Ecclesiam porrò, *ob recordationem redemptionis suæ ex SS. Patrum traditione, Crucem Christi venerari, adorare, colere, non cultu & adoratione, quæ solius divinitatis est, sed eò potiùs unde satis abundèque supra dictum est, neminem ignorare asserit, nisi qui ab Ecclesiastica traditione dissentit.* (Lib. 1. de cultu imaginum, contra *Claudium Taurinensem*) ubi etiam Crucem adorare nihil aliud esse ait, quam venerando propter Christum qui in eâ perpessus est salutare. Sed nihil clarius ac luculentius iis quæ ad finem Libri habet hoc de argumento. *Multa sunt*, inquit, *quæ nos Sancta Ecclesia, sicut à majoribus tradita sunt & derelicta, quadam insitâ atque nativa*

nativâ celebratione frequentat. Neque enim nostrô tempore usus irrepsit, figuram Crucis in Basilicis Sanctorum statui, sed mos antiquæ observationis legitimus id instituit, ut cunctis sapientibus & rusticis, non solùm memoriæ spiritalem deformet quamdam imagine Crucis figuram, sed etiam corporalis ipsius intuitus crebram menti profigat Dominicæ Passionis victoriam. Si enim quantitas tanta venerabilis ligni, in quo Dominus & Salvator noster pependit, foret, ut ex eo minutatim diviso, cuncta Deo dicata templa possent imaginem Crucis habere, nullatenus ex aliis lignis ejusdem formam in Basilicis locaremus. Nec tamen ideo Crucem ut Dominam adoramus, sed magis eum qui per Crucem mortis destruxit imperium, cuique chirographum peccati nostri affixit, pacificans in eâ Sanguine suô, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Porro etsi oscula infigimus, non utique causâ ligni, sed potiùs amore illius id à nobis agitur, qui in eâ veteris ligni damna restauravit. Miror si unquam Legi Dei quæ utique pellibus & atramento digesta habetur, caput supposuisti, & osculum dedisti: Fortè respondebis, si tamen veritatem profitearis, multoties te id egisse. Volo ergo ut mihi respondeas, cujus causâ capus inclinasti, pellium, vel atramenti, an Dei auctoris Legis ejusdem? Nam Sacræ Religionis usus in Sanctâ Ecclesiâ adhuc servatur, si tamen apud te, ut perfectâ Sacri Evangelii lectione, ab Episcopo, vel Presbyteris, cæterisque Sacri Ordinis Religiosis, Codex in quô Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur: Sed hoc cujus causâ, nisi illius cujus esse verba creduntur, agimus? Ac per hoc quicquid crucis exhibemus, ob honorem & amorem illius qui in eâ pependit totum agimus.

Eodem modo *Claudio Taurinensi* respondet *Dungalus* Diaconus. *Nos autem*, inquit, *quibus hic tam multas & tam probrosas infert calumnias, contra falsa ipsius testimonia, divinâ opitulante gratiâ, totô corde credimus, & ore confitemur, humiliati animô & corporis habitu substrati, quòd Deus solus sit adorandus & colendus, prout Dominum & Creatorem omnium à suâ decet adorari creaturâ & coli, dum in eum solum credimus & speramus, eique quotidie sacrificamus. Creaturam etiam Dei sanctam & bonam, hoc est, Angelum Sanctum, vel hominem sanctum, aut Sanctam Crucem, pro diversitate dignitatum adoramus & colimus, hoc est, humiliter honoramus, diligimus, & amplectimur propter Deum & in Deo, longe dispari modo quàm illum colimus & adoramus. Hoc autem calumniatur nesciens, scireque renuens rabit, & indignando sæviendóque furit ac bacchatur; audiens in Ecclesia sæpius cantari:* CRUCEM *tuam adoramus, Domine, & Sanctam Resurrectionem tuam laudamus & glorificamus.*

Eodem modo Catholicæ doctrinam Ecclesiæ explicat *Petrus Cluniacensis* Epistola secundâ adversùs Petrobusianos. *Lignum non colimus, aut adoramus, quia manet sententia:* DOMINUM *tuum adorabis, & illi soli servies. Sed dum Crucem me adorare dico, crucifixam Dominum Deum meum esse, eique illi soli servire debere profiteor. Huic intellectui & illud attestatur, quòd non solùm Crucem Domini, sed & Passionem ejus, mortem ac Resurrectionem, & his similia, Catholica Ecclesia laudabili devotione se adorare pronuntiat. Sed mortem Domini, Passionem, Resurrectionem, atque Ascensionem ejus esse præterita, nec jam existentia omnibus certum est.... Unde illa, sicut jam non existentia adorari non possunt. Sicut igitur illa non adorari certa nullius substantia, vel subsistentia ratio perhibet: quod tamen rationabilis ex devotione usus exigit: Sic Crucem Domini, quam ex se non adorandam esse auctoritas præcipit, ratio docet ex Christo, & in Christo ipsam, imò magis Christum in ipsâ venerandum & adorandum esse, Deo prorsus subditus & devotum Christicolarum effectus invenit, servavit, instituit. Etenim cùm dico: Mortem Domini, Resurrectionem Domini, Ascensionem Domini adoro, non aliud quam mortuum Dominum, resurgentem Dominum, ascendentem Dominum; imò Dominum qui mortuus est, qui resurrexit, qui ascendit, adorare me profiteor. Simili intellectu, cùm ante Crucem humilians prosternor, eum qui in ipsâ olim pro reque nostrâ tortus, pro vitâ nostrâ mortuus est, ut Deum & Dominum, cui hoc soli debetur adoro.*

Claudii Taurinensis Objectionibus respondetur.

Objiciebat *Claudius Taurinensis* Episcopus. Si omne lignum schemate Crucis factum adorari debet, quia Christus in Cruce pependit, & alia multa adoranda sunt. Vix enim sex horis in Cruce pependit, at novem mensibus lunaribus, & diebus insuper undecim, in utero Virginis fuit: adorentur ergo & puellæ Virgines, quia Virgo peperit Christum. Adorentur & præsepia, quia mox natus in præsepio est reclinatus. Adorentur & veteres panni, quia continuò cùm esset natus, pannis veteribus est involutus. Adorentur & naves, quia frequenter in navibus navigavit, & de naviculâ turbas docuit, & in navi dormivit, & in dexteram navigii rete mitti jussit. Adorentur asini, quia asello insidendo, ad Jerusalem usque pervenit. Adorentur agni, quia de illô scriptum est: *Ecce Agnus Dei, &c.* Adorentur leones, quia de illô scriptum est: *Vicit Leo de Tribu Juda.* Adorentur & petræ, quia quando de Cruce est depositus, in saxeo sepulchro est positus, & de illô dicit Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Adorentur & spinæ ruborum, quia exinde spinea corona tempore Passionis capiti ejus imposita est. Adorentur & arundines, quia illis cæsus est à militibus. Postremò adorentur & lanceæ, quia unus militum lanceâ latus ejus aperuit, unde fluxit sanguis & aqua.

Respondeo Bruta animantia, qualis est asinus & res inanimes, quales sunt spinæ, lanceæ, præsepia, panni, &c. ideò adorandas non esse, quia quamvis illis similes sint, quas Christus contactu suo sanctificavit, tamen illarum non sunt imagines, cùm non sint ad illarum formam expressæ, neque ad eas repræsentandas ita institutæ, ut ad alios neutiquam usus destinentur. At imago Crucis ita est ad Crucem Domini repræsentandam, & ad ejus Passionem in memoriam revocandam instituta, ut nullis aliis serviat usibus: Quamobrem adorari meritò potest ac debet. Hinc (ut urget *Jonas Aurelianensis* in Præfatione Libri secundi, *De cultu imaginum.*) Apostolus inter cætera Prædicationis suæ documenta, non in asino, sed in Cruce, ad instar sui gloriari nos permisit, dicens: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et ad Ephesios scribens, non aut caudam, aut latera aselli comprehendi hortatur, sed flectendo genu, orat & obsecrat, ut *in caritate radicati & fundati possint comprehendere cum omnibus Sanctis quæ sit* ejus Crucis, non asini, *latitudo, longitudo, sublimitas & profundum.* In quibus verbis mysterium Crucis, non asini, ab eodem Apostolo sibi traditum sancta tenet Ecclesia. Indè etiam quàm sit absurda aselli & vivificæ Crucis comparatio, apertè comprobatur; quòd Apostolus non dixerit Christum asello *Principatus & potestates tenebrarum harum*, sed Cruce eas triumphantem devicisse. Asellus itaque tuus, Claudi! rudit fame (inquit *Jonas*) aut lupi terrore stimulatus: Crux Christi purpureô pretiosóque sanguine ejus rubet, in quâ vitis vera pependit, ex cujus botro stirps Crucis coruscæ rutilat, quadratúmque orbem suis quadratis quatuor cornibus circumfovet, ac Fidelium frontibus defixas procul ab eis depellit dæmonum præstigias. Nam si Isaac non asinum ad jugulandum, futurus ipse hostia, sed ligna portavit: Nec utique verus Isaac noster

nostet asellum tuum, sed Crucem bajulavit, futurus **A** ille salutifera hostia Patris.

Cur autem puellas virgines adorare non debeamus ut Crucis imaginem, discertè explicat *Jonas* Libro secundo. Norunt quippe, inquit, unius Virginis, videlicet sanctæ Ecclesiæ filii, semper Virginem Auctorem vitæ suscepisse, & sine Crucis ascensu, ejusdem Virginis partum sibi non fuisse profuturum. Meminerunt etiam antiquæ Virginis * suasione, in exilium à quo per Crucem redempti sunt, se devenisse; ideóque virgini cuiquam adorationem non rependunt, quia ab alterâ earum mortem, ab alterâ verò gustavere salutem. At verò detrimenta quæ **B** Virginis primæ sensere suasione, sciunt & credunt per Crucem se recuperasse, inimicúmque qui eos in duræ captivitatis vincula conjecerat, ejus virtute perculsum, necnon cœlestis sibi patriæ aditum patefactum. Norunt etiam fide armati, hoc vexillo Crucis omnia nequissimi inimici propulsare tela: & idcirco tantum ac tale Regis sui trophæum, quod vident mortalium captivitatem solvisse, Paradisi damna reparasse, inferna damnasse, inimici virtutem contrivisse, primæ Virginis delictum, non tam per secundæ Virginis partum, quam per Crucis **C** mortem delevisse, jure, omissâ adoratione quarumcumque puellarum virginum, decernunt venerandum.

* Eva.

Præsepia non adoramus, quia fabricata non sunt ad repræsentationem, sed ut pastus in iis equis præbeatur. Sanè Salomon, inter cætera quibus Deum offendit, narratur quòd plurima præsepia equorum contra Dei Legem habuerit; tacitè innuente (ut moris ei est) divinâ Scripturâ, quòd spiritibus nequam, qui equorum nomine censentur, pastum tam in se, quàm & in aliis, quibus exemplo ad malum fuit, præbuerit. Ille igitur equis, impuris videlicet spiritibus, præsepia fabri- **D** cat, qui aliquod dogma perversum, aut schisma quô diabolus delectatur & pascitur, posthabito timore & amore divinô, construit. Ergo non quilibet Catholicæ fidei sincerissimus cultor, sed magis hujuscemodi fabricator præsepiorum, dignus existit adorator. Horum porro equorum per Crucem Dominicam salubris olim à Domino repromittitur ruina, cùm per *Zachariam* Dominus testatur, dicens: *Sic erit ruina equi & muli, cameli & asini, & omnium jumentorum quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.*]

Zacharia 4.

Pannos veteres non veneramur ut Crucem, quia **E** Crucem assiduè in frontibus pingimus: veteres pannos aut ipsi, ut algoribus resistamus, membris aptamus; aut certè ut pauperum prosint usibus, caritate cogente, eos largimur. Sanè si ad mysterium recurritur, Cruce inimici fugamus incursionem. Et si holosericam, quàm à Domino novam in baptismate accepimus, in pannos veteres peccando redegimus, per virtutem Crucis eam renovare cupimus. Cui ergo cordi est, veterem cum suis pannis veteribus colat hominem. Nos verò novum hominem induentes, nova ejus insignia, mundum, mundique Principem victoriosissimè triumphantia veneramur.

Naves non adoramus: quia si homines à diluvio **F** per arcam liberati sunt, quæ figuram gessit crucis; nec tamen aliquis ex ipsorum posteris arcam vel navem pro tantô beneficio in Deorum numerum adscivit: quantò minùs nos, qui Sanctam Trinitatem veneramur, alterámque culturam præter Divinitati debitam execramur, congruum est navibus honorem exhibere. Navibus ergo à nobis non adoratio debetur ut Cruci, sed tanquam necessariæ hominibus ad navigationem fabricantur. Si autem Mysteriis intendamus, naves in quibus gloriantur Chaldæi, quos interpretamur, *Captivantes*, tantùm

A abest ut veneretur Ecclesia, ut eas potiùs execretur. De quibus Propheta ait: *Propter vos misi in Babylonem, & detraxi vectes universos, & Chaldæos in navibus suis gloriantes.* Has ergo naves omnimè adoramus, deceptorias artes, quibus diabolus gloriabatur, & vitæ humanæ insidiabatur, per crucis invictissimum vexillum novimus contritas, & Christo propitiô annullatas. His par est & navis Tyri quæ mundi diversâ supellectile rompta, & robore diverso tutissima, adveniente Crucis signaculo, quæ malè steterat, subversa; quæ perniciosè ornata erat, salubriter est expolliata. Victricem harum navium Crucem am- **B** plectimur, & earum tam corpora, quàm & has significationes, ab adoratione excludimus.

Isaia 43.

Agnos & Leones non adoramus: quia Christus metaphoricè duntaxat *Leo*, vel *Agnus* dictus est, ob potestatem, & mansuetudinem: & aliunde nullum per Leonem aut agnum, collatum hominibus beneficium est. Si autem dixeris, Israëlitico populo aliquod per agnum collatum emolumentum: Scito non per ejus corpus aut effigiem, sed salutem esse datam per sanguinem; & per eum non simpliciter, sed quô aspersus est postis ostiorum: hoc significante jam Spiritu Sancto, cujus illa gerebantur instinctu, **C** nullô modô nos posse adversarium aliter à nostris arcere domibus, nisi Agni immaculati sanguine illitum fuerit passionis lignum, domusque nostræ aditum hoc insignierit sacrum vexillum. Etenim dum super utrumque postem & in superliminaribus domorum cruor ille propellendo hosti congruus aspergitur, tam expositione partium, quàm & gravedine Mysteriorum, Crux ipsa non tam præfiguratur, quàm effigiatur.

Lapides non adoramus: quia Dominus qui pro nostrâ salute disposuerat mori, oblatam à Judæis lapidum mortem, sese abscondendo, distulit: cùm **D** verò ad crucifigendum pateretur, ultrò se obtulit. Nos ergo ex petris muros domósque nostras, necnon Ecclesias, construimus: Cruces autem vel ad memoriam Dominicæ Passionis cum honore congruo collocamus, vel juxta quod in *Ezechiele* Propheta didicimus, foribus nostris, id est frontibus, & quinque corporis sensibus, ob tutelam nostram præfigimus.

Spinas non adoramus, quia sunt semper maledictionis signa, Crux verò benedictionum omnium origo. Scimus, inquit *Jonas*; & flebiliter fatemur, **E** justissimè à Deo illatum homini peccanti pro pœna, ut terra ejus spinas & tribulos germinaret ei, ut qui noluit subditus esse Deo, & in patria feliciter & absque labore consistere, projectus in exilium, cogeretur punctiones spinarum proferre. Ab hac ergo peregrinatione Salvator volens eum misericorditer liberare, crucem dignatus est conscendere, & in eâ inimicum triumphare. Æquum est ergo ut pœna exilii similiter sit ad patriam redeunti? Et ut quod dico, clarius fit: Numquid fieri potest, ut eô amore complectatur quis spinam tribulantem; quô amplectitur se à diabolo liberantem, & cœlestis regni aditum aperientem? Crux namque fixa est ut spinæ incolatûs nostri consumerentur. Nam vis **F** certius id nosse? Cùm Angelus in persona Domini ad *Mosen* pro eductione populi loqueretur, cui Legem daturus erat, & plurima alia beneficia collaturus, visum est *Moysi* rubum ardere, nec tamen consumi: hoc jam tum rebus clamantibus, quia populi peccata Lex quidem per ostensionem atque reprehensionem erat inflammatura, nec tamen combustura. Satius ergo Crux veneratur quàm spina, quia hæc captivum & exulem cruciat; Crux autem & captivitatem eripit, & spinam tribulantem comburit.

Non adoramus arundines, quia salus nostra non est ab arundine, sed à cruce. Unde nec vertices figuræ Prophetiæ erant arundinis, sed crucis. Legimus

namque in figuea Dominicæ Crucis, amaras aquas eremiticas per ligni immissionem, insipidos olim deposuisse sapores. Numquid non aliter nequivit virtus omnipotentis earum dulcorare gustum, nisi eas attigisset per lignum? Sed, sicut poscebat tempus, variis figurarum umbris, & allegoriarum figuris, utilitatem ligni victoriosissimi adumbrabat, cujus attactu, legis litera, dudum amaritudine impediente, impossibilis, nunc facta est potu habilis. Legimus etiam de cruce prædictum: *Et erit* (haud dubium quin sive Beatus Vir, à quo beatitudinem adipiscuntur omnes qui beati sunt, sive quodlibet membrorum ejus) *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Nunquidnam dicitur: *Et erit tanquam arundo secus ripas fluviorum paluftrium?* Lanceas denique non adoramus: quia longè diversa ratio est lanceæ & Crucis. Si enim æquâ lance pensandæ essent Crux & lancea: sicut Dominus dixit; *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt:* ita dixisset: *Omnes qui acceperint Crucem, Cruce peribunt.* Et sicut dixit Discipulis: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me:* Et *Qui non bajulat crucem suam & sequitur me, non est me dignus:* Sic dixisset: *Qui vult post me venire, accipiat lanceam suam in manu, & sequatur me.* Nam *Petrus* increpitus est cùm gladium accepisset, & admonitus est ut crucem ferret, quando dictum est ei: *Sequere me.* In quo autem sequi eum deberet, manifestè Dominus ei ostendit, cùm dicit: *Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas, &c.* Et ne dubiâ sententiâ in hac re animus noster duceretur, Evangelista subjunxit: * *Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deum.*

Joannis 21. Petrobusianorum objectionibus contra cultû Crucis Dominicæ respondetur.

Objiciebant Petrobusiani, Lignum quod Christi membra torsit, potiùs conterendum esse, aut comburendum, quàm adorandum.

Præterea, si quis laqueum quô Patrem strangulasset, gladium quô fratrem vel amicum necasset, vobis afferens, honorare vel adorare vos illa moneret: nonne in monitorem, si facultas daretur, totô motu animi insurgeretis? Nonne oblata aut flammis absumeretis, aut quô fieri posset modô, pessum daretis? Ita Crux odio habenda est & absumenda, ad Christi mortem vindicandam.

Respondet ad primum *Petrus Cluniacensis*, Nullâ pœnâ vel contumeliâ dignam esse rem in quam culpa non potest cadere. Inesse autem culpa non potest, ubi ratio non est. In Cruce ratio non est, igitur neque culpa. Reatus igitur mortis Christi non est ei imputandus. Hoc si verum est, non erat ei velut pro pœna culpæ inferenda contumelia: non erat cædenda securibus, non ignibus concremanda. In cruce enim vel morte Salvatoris prava tantùm voluntas pravorum hominum condemnatur: quia solus creaturæ rationalis affectus Creatoris gratiâ adjutus, vel desertus, semper aut remuneratur, aut condemnatur.

Respondet ad secundum idem Venerabilis Abbas: Quis unquam præter vos, ô Petrobusiani! paternam necem, vel fraternum sanguinem, à laqueis vel gladiis, & non magis suspensoribus, vel necatoribus exegit? Luent facta inimicorum res innocuæ, & pro sceleribus impiorum innocens creatura damnabitur? Infertur & pro sceleribus pœna non sentienti, & brutæ rei contumelia irrogabitur? Non sic famosus ille pugnator David. Non execratus est vel confregit Goliæ Gentilis gladium, quem adversum se ille produxerat, quô elatus, agminibus Israël exprobraverat, acies Dei viventis blasphemaverat; sed eô armatus, & tunc caput inimicum abstulit, & post eumdem de Sanctuario à Sacerdote accepit. Qui nec inter sacra reponeretur, nec à Propheta in usum bellandi acciperetur, si juxta vestram sapientiam execrandus, vel confringendus judicaretur, nec diceretur de illo: *Da mihi illam, non est enim hic alius similis illi.* Sed & de Juda Macchabæo optimo Hebræorum Duce verax Scriptura commemorat, quòd deletô Pagano exercitu, gladium Apollonii Ducis à se interfecti abstulit, *Et erat pugnans in eo omnibus diebus.* Sic certè Christus, ô Hæretici! Cruce suâ contra mundi Principem usus est. Produxit ille, procedens ad singulare certamen contra Christum, Crucem quâ eum occideret. Sed diabolicô astu divinâ sapientiâ permutatô, cruce quâ eum appetiit, eadem excruciatus est: & morte quâ eum extinxit, eadem ipse occasus est. Sed forte vos animosam Cyri Regis arrogantiam imitari proposuistis, qui absorptum Gange dilectum Equitem ulcisci cupiens, exarsit in flumen, & pervium se peditibus facturum comminatus, implevit promissa. In trecentos enim & ampliùs alveos tumentes undarum moles dispartiens, superbiam fluminis superbus imminuit, & per plures tramites unius magnitudinem derivans, fluvium meabilem fecit. Sed ille licet insano zelo mortem Militis sui vindicare voluerit, tamen ne & alii simili casu affecti morerentur, providit. Ad vos contra, cùm certum teneatis in morte Christi, quæ per Crucem acta est, vitam universorum consistere, dum Crucem de medio auferre vultis, vitæ omnium invidetis. *Hæc Petrus Cluniacensis.*

Veteris Ecclesiæ sententia & fides Paulicianis & aliis Hæreticis Crucem contemnentibus, & comburentibus opponitur.

Certè aliam fuisse veteris Ecclesiæ de Cruce Dominica, ejúsque figuris sententiam, quàm Paulicianorum, Claudii Taurinensis, Petrobusianorum, Lutheranorum, Calvinistarum, demonstrant Patrum testimonia inter probationes descripta, & alia longè plura quæ studio brevitatis omissa sunt, & quæ *Gretserus* Societatis Jesu Doctissimus Theologus in tres Tomos *De Cruce* congessit. An ideo execrandam Crucem, quòd in eâ Christus, perpessus sit, sentiebat Ecclesia tempore *Fortunati*? Annon potiùs ipsam ut Christi trophæum venerandam censebat ac celebrandam, ut constat ex Hymno ab eô editô, & ab ejus ætate in Ecclesia frequentato:

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis
Et super Crucis trophæo,
Dic Triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit, &c.

Idem constat ex altero ejusdem Carmine.

Virtus celsa Crucis totum rectè occupat orbem,
Hæc quoniam mundi perdita cuncta refert.
Quo-que ferus Serpens infecit felle veneni,
Christi sanguis in hâc dulce livore lavat.
Quæque lupi fuerant raptoris præda ferocis,
In Cruce restituit Virginis Agnus, Ovis.
Tensus in his ramis, cum plantis brachia pandens,
Ecclesiam stabilit pendulus ipse Cruce.

An execrandam Crucem, quòd pœnarum Christi fuerit instrumentum, annon potiùs colendam sentiebat Ecclesia tempore *S. Augustini*, qui Tractatu centesimo decimo-septimo in Joannem, Evangelistæ verba de Christo Crucem bajulante hoc illustrat Commentario: *Ibat ergo ad locum ubi futurus erat crucifigendus, portans Crucem suam Jesus. Grande spectaculum! Sed si spectet impietas, grande ludibrium: si pietas, grande mysterium: Si spectet impietas, grande ignominiæ documentum: si pietas, grande fidei munimentum. Si spectet impietas, videt Regem pro virga Regni lignum sui portare supplicii: si pietas, videt Regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus*

tibus Regum: in eo spernendus oculis impiorum, in quô erant gloriatura corda Sanctorum. A

An his temporibus comburendam Crucem censebat Ecclesia, quam ad incendia extinguenda adhibebat; Quâ de re *S. Paulinus* in Carmine decimo de *S. Felice* hæc habet:

Ipse domum remeans, modicum sed grande saluti
De Crucis æternæ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu, adversis procul ingero flammis,
Ut clypeum retinens pro pectore quô tegerem me,
Arcerémque hostem conlatô umbone relisum.
Credite, nec donate mihi, sed reddite Christo
Grates, & justas date laudes Omnipotenti.
Nostra salus etenim Cruce Christi & nomine constat:
Inde fides nobis, & in hoc Cruce nixa pericla
Profuit, & nostram cognovit flamma Salutem.
Nec mea vox, aut dextra illum, sed vis Crucis ignem
Terruit, inque loco de quô surrexerat ipse,
Ut circamscriptam præscripto limite flammam
Sidere, & extingui fremitu moriente coëgit:
Et cinere exortam, cineri remeare procellam.
Quanta Crucis virtus, ut se natura relinquat!
Omnia ligna vorans lignô Crucis uritur ignis.

Idem *Paulinus* in Carmine undecimo, his præconiis Crucem exornat: C

O Crux magna Dei pietas, Crux gloria cœli!
Crux æterna salus hominum, Crux terror iniquis,
Et virtus Justis, lumenque Fidelibus, O Crux.
Quæ terris in carne Deum servire fulsti,
Inque Deo cœlis hominem regnare dedisti.
Per te lux patuit veri, nox impia fugit.
Tu destruxisti credentibus eruta fana.
Gentibus humana concors tu fibula pacis;
Concilians hominem medium per fœdera Christi,
Facta hominis gradus es, quô possit in æthera ferri.
Esto columna piis tu semper, & anchora nobis.
Ut benè nostra domus maneat, benè classis agatur,
In Cruce fixa fidem, vel de Cruce necta coronam.


A An *Cassiodori* ætate Ecclesia Crucem abjiciebat; de quâ ipse in Commentario Psalmi primi hæc habet, exponens illa verba: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* BENE, *ut arbitror, ligno fructifero comparatus est Dominus Christus, propter Crucem, quam pro hominum salute suscepit. Quæ meritò lignum vitæ dicitur, quando ibi Dominus Christus, qui est vita nostra, suspensus est. & Latroni in ea confitenti dictum est:* AMEN dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. *Denique & hodie omnis in eam credens, æterna vita dona consequitur. Nam sicut terrestris aqua decurrens vita est lignorum virentium, sic aqua spiritalis signum Crucis inundat, quæ salus esse fidelium cognoscitur animarum.*

B Et in Expositione quarti Psalmi, ad illa verba; *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* [*Sicut*, inquit, *nummus Imperatoris portat imaginem, ita & Fidelibus signa cœlestis Principis imprimuntur. Hôc munimine diabolus multiformis expellitur, & fraudulentâ machinatione non prævalet superare tentatam, quem habuit primi hominis suasione captivum. Crux est enim humilium invicta tuitio, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, Justorum vita.*

Ex his quæ hucusque dicta sunt, perspicuum est, C Septimam Synodum Oecumenicam rectè tradidisse in Definitione Fidei; *Typo* seu imagini *venerandæ & vivificantis Crucis salutationem & honorariam adorationem exhibendam, non secundùm fidem nostram veram latriam, quæ solùm divinæ naturæ competit.*

AUSPICATÒ accidit ut hunc Septimo nostro Sæculo finem statuamus, quò in Cruce Christi requiescamus, in ea solùm gloriemur, nihil scire nos arbitremur, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum; factâ meditatione ascendamus in palmam, id est, Crucem Dominicam, & apprehendamus fructum ejus: Crucem amanter feramus; Mundo crucifixi simus, Mundúsque nobis: Christo simus confixi, eique commoriamur: & sive vivimus, sive morimur, Domini simus. AMEN.





HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ OCTAVI SÆCULI SYNOPSIS.

CAPUT I.

De Romanis Pontificibus, qui rexerunt Ecclesiam octavo Sæculo.

ARTICULUS I.

De Joanne VI. Joanne VII. & Sisinnio.

I. SERGIO Papa ad meliorem vitam translatô, ejus in locum Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontifex creatus est *Joannes* istius nominis Sextus, natione Græcus, die vigesima-nona Octobris, anni Christi septingentesimi primi. Cui ut negotium facesseret, misit *Tiberius* Imperator *Theophylactum* Exarchum: Sed ille ab exercitu pro Pontifice stante repressus est; opusque fuit ut Pontifex, missis Sacerdotibus militum seditionem sedaret, qui Exarchum erant oppressuri. Charitatem Apostolicam commendavit laudatissimus Pontifex, redimendo captivos, quos *Gisulphus* Dux Beneventanus in Campaniam incursans fecerat, ut *Paulus Diaconus*, & *Anastasius Bibliothecarius* testantur. *Joanne Sexto* sedente, patrimonium Alpium Cottiarum Ecclesiæ Romanæ donavit *Aripertus* Rex Longobardorum, ut referunt cum iisdem Auctoribus *Beda* & *Ado Viennensis*, in Chronico. Obiit memoratus Pontifex anno Christi septingentesimo quinto, cùm annos tres, menses duos, ac dies duodecim sedisset, & ad *S. Petrum* sepultus est.

Joannes VI.

II. Eodem anno, post unius mensis & dierum decem & octo interregnum, die prima Martii, creatus est Pontifex *Joannes* ejus nominis *Septimus*, ex Græcia pariter oriundus. Ad quem *Justinianus Rhinotmetus* Imperator honorificentissimam Legationem misit, ad controversiam de Canonibus Synodi Quinisextæ finiendam; rogans ut congregatâ Synodo, quos vellet approbaret, vel rejiceret, prout æquum videretur. Sed Legatos, re infectâ, remisit Pontifex, Canones illos nec approbans, nec damnans, ne Imperatorem commoveret. Quod humanæ fragilitatis timiditati tribuit Anastasius Bibliothecarius. *S. Vuilfridi* Archiepiscopi Eboracensis, qui variis calumniis oppressus, ab *Alcfrido* Rege, & Episcopis Angliæ, Sede pulsus, ad Sedem Apostolicam appellaverat, causam cognovit, cùmque habitâ Synodo, & recensitô Judicio quòd secundùm ipsum latum fuerat sub *Agathone* Papa, absolvit, ac in Sedem restituit. Sedis Apostolicæ Sententiæ non paruit Rex *Alcfridus*: Sed ipso non post multum temporis defuncto, *Osredus* filius ejus illam executioni mandari permisit, cùm Synodo factâ juxtà fluvium *Nidd* patres convenissent, ac post Judicium Primæ Sedis ipsum Ecclesiæ suæ administrationem recipere debere agnovissent. Quâ de re legendus *Beda*, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap. 20. & *Vuillelmus Malmesburiensis* lib. 3. De gestis Pontificum. Obiit *Joannes Septimus* anno Christi septingentesimo septimo, decimo-quinto Kalendas Novembris, cùm annos duos, menses septem, dies septemdecim sedisset: atque in Basilica *S. Petri*, ante altare Oratorii Sanctæ Dei Genitricis, quod construxerat & exornaverat, sepultus est, teste *Anastasio Bibliothecario*.

Joannes VII.

Joannes VII. causam Sancti Vvilfridi Eboracensis Archiepiscopi judicat, & in sedem illum restituit.

III. Anno Christi septingentesimo octavo, decimo-quinto Kalendas Februarii, cùm Sedes tribus mensibus vacasset, Pontifex creatus est *Sisinnius*, natione Syrus, in corpore podagra confecto constantem animum, & publicæ rei studiosum gerens. Morte repentinâ sublatus est post diem à creatione suâ vigesimum, cùm de restaurandis Urbis mœnibus cogitaret. (*Ex Anastasio.*)

Sisinnius

ARTICULUS II.

De Constantino.

MEnse secundo post obitum *Sisinnii*, vertente, ipsi suffectus est in Apostolica Sede *Constantinus*, natione Syrus, vir mansuetudinis laude celebris. *Felicem* Archiepiscoporum Ravennatem consecravit, ab eòque Professionem fidei, & obedientiæ promissionem, secundùm antiquos mores suscepit. Quam cùm violasset *Felix*, & à Sede Apostolica defecisset;

fecisset, superbiæ & contumaciæ, volente Deo, pœnas dedit: Imperatoria namque mandato, oculis orbatus, in Ponticam regionem deportatus est: magnâque severitate puniti Ravennates, qui ipsi auctores defectionis fuerant. A *Justiniano* Imperatore Constantinopolim vocatus *Constantinus* Papa, ut finem aliquem imponeret controversiæ de Canonibus Trullanis exortæ, eò profectus est, atque ab Imperatore summo cum honore, pietate, ac humilitate susceptus. Coram ipso namque se prostravit, ac Beatos pedes exosculatus est *Justinianus*; ac sequente Dominica Eucharistiam de manibus Pontificis accepit, enixèque preces pro suorum remissione peccatorum flagitavit, omniaque Ecclesiæ renovavit privilegia, teste *Anastasio Bibliothecario*. De propagatis apud Saxones à viro Apostolico *Suviberto* Ecclesiæ finibus gavisus est. *Philippico Bardani* Imperatori Sextam Synodum abolere volenti, & Monothelitarum hæresim restaurare, invictô restitit animo, & ejus Litteras hæreticam fidei Professionem continentes, cum execratione respuit. *Felicem* Ravennatem olim Episcopum, ab exilio revocatum, & ad obedientiam redeuntem, communione donavit, ac Sedi restituit. Ab *Anastasio*, qui post brevem *Philippici* tyrannidem salutatus fuerat Imperator, cùm Orthodoxam fidei Professionem suscepisset, *Michaelem* Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Constantinopolim Apocrisiarium misit, ut lapsos Episcopos, qui in Synodi Sextæ damnatione suffragati fuerant, Ecclesiæ conciliaret. Quod & ab ipso *Christiano*, velut à *Christiani Sacerdotii Capite*, Epistolâ supplici rogavit *Joannes* Constantinopolitanus Episcopus. Vivere desiit *Constantinus* Papa anno septingentesimo decimo-quarto, die nona Aprilis, cùm sedisset annos sex, mensem & diem unum, maximô sui omnibus Ecclesiæ Ordinibus relictô desideriô; sed pauperibus præcipuè, in quibus penuriæ tempore sublevandis, nihil officii prætermiserat; ut testatur *Anastasius Bibliothecarius*.

Romanus Pontifex Christiani Sacerdotii caput.

ARTICULUS III.

De Gregorio II.

CONSTANTINO post dierum quadraginta duorum interregnum, successit *Gregorius Secundus*, natione Romanus, sanctitate, doctrinâ, facundiâ, constantiâ, studiô pro fidei & Ecclesiæ rebus spectatissimus: qui sub *Sergii* Pontificatu Sacellarius & Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ fuerat; in *Constantini* verò Papæ comitatu profectus Constantinopolim, *Justiniano* Imperatori de pluribus disciplinæ capitibus occasione Trullanorum Canonum, quæstionem moventi, pro sua eruditione fecerat satis. Cumanum Castrum Romanæ Ecclesiæ à Longobardis ereptum, qui nec ultionis divinæ metu, nec muneribus, ad illius restitutionem flecti poterant, Ducis, populique Neapolitani auxilio recuperavit. *Luitprandum* Longobardorum Regem, Alpes Cottias, quas *Aripertus* ejus Decessor Ecclesiæ Romanæ donaverat, repetentem, admonitione sua ad earum Donationem confirmandam adduxit. Monasteria & Basilicas plurimas restauravit, ac Monachis in iis constitutis, divinum cultum restituit. Propriam domum, post obitum *Honestæ* matris, in Monasterium & Ecclesiam commutavit, quam Deo in memoriam *S. Agathæ* Virginis & Martyris voluit esse sacram. Inundationem Tiberis, domos, agrósque evertentem ac dissipantem, publicis precibus & Litaniis indictis compescuit. De finibus Ecclesiæ dilatandis solicitus, *Corbinianum* Virum Apostolicum è Germania Romam adeuntem, ad conversionem Gentium procurandam Episcopum ordinavit. Qui Frisingensibus ac vicinis civitatibus ac locis verbum salutis prædicavit, ac Frisingensem fundavit Ecclesiam, cujus primus fuit Episcopus, ut testatur *Aribo* ejus Successor in ejus Vita. *Bonifacio* etiam Presbytero Anglo, viro sanctissimo credidit Apostolatum ad Gentes: quem cùm Frisiorum, & Gattorum, qui contermini sunt Saxonibus populi, plurimos ab idolorum cultu ad Christi fidem traduxisse, & sancto Baptismate initiasse accepisset, Romam vocatum, Episcopum consecravit: ab eóque solenne sacramentum exegit de fidei integritate & unitate Ecclesiæ conservanda, deque obedientia singulari Sedis Apostolicæ Pontificibus perpetuò præstanda. Quod juramentum propriâ subscriptione munitum, supra corpus *S. Petri* pro more deposuit, (ut refert Vitæ ejus Auctor ex *Vilibaldo*, apud *Surium* die 5. Junii) Tum ipsi dedit in mandatis ne Ordinationes præsumeret illicitas, ne bigamum aut qui virginem uxorem non duxisset, illiteratum, quavis parte corporis vitiatum, pœnitentiæ publicæ olim subditum, curialem, aut cuilibet conditioni obnoxium, aut aliquâ infamiæ notâ inustum, ad sacros Ordines admitteret; ne Afris passim manus imponeret, quòd aliqui eorum Manichæa hæresi infecti, alii rebaptizati probarentur: ut Ordinationes extra Sabbatum quatuor Temporum non celebraret: ut Baptisma extra Pascha & Pentecosten, nisi in vitæ discrimine positis non conferret: ut Ecclesiæ ministeria, ornamenta, patrimonia studeret augere, nusquam imminueret: ut quatuor in portiones Ecclesiasticos reditus & oblationes distribueret. Id constat ex Epistola *Gregorii II.* ad Clerum & Plebem Thuringorum. His, aliisque monitis ac mandatis sanctissimis institutum, & variis Epistolis commendatitiis, ad *Carolum* scilicet Ducem & Majorem Domûs Regiæ Francorum, ad Episcopos, & alios omnium Ordinum tum Clericos, cùm Laïcos, ad Clerum, Optimates, & omnem populum Thuringorum, & Saxonum munitum remisit, ut cœptum Apostolatûs officium obire pergeret. Ab eo, anno septingentesimo vigesimo sexto, variis de capitibus consultus, respondit ad singula, eâ Epistolâ, quæ incipit, *Desiderabilem mihi*, quam *Gregorio III.* perperam tribuit *Gratianus II. Q. 5. C. Presbyter.* XXXII. Q. 7. C. *Quod proposuisti* De Consecratione, *Dist.* 4. C. *Parvulos*, & Dist. 5. C. *De homine.*

Apud Surium die 5. Septemb.

Error Gratiani.

Hujus Epistolæ summa hæc est. Quæsierat primò *Bonifacius*, quibus gradibus consanguinitatis vetitum sit matrimonium? Respondit *Gregorius*, strictô jure non debere matrimonio copulari, quandiu se propinquos agnoscunt: concedendum tamen Barbaris ad fidem recèns conversis, ut infra quartum gradum jungantur. Quæsierat secundò *Bonifacius*, quid faciendum viro, cui mulier infirmitate correpta non valuerit debitum reddere? *Gregorius* respondit: Bonum esse si sic permaneat, & continentiam servet. *Sed quia*, inquit, *hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opera subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.* De infirmitate matrimonium præcedente, & quæ perpetuam impotentiam adjunctam habet, sed solùm contracto matrimonio innotescit, loquitur *Gregorius*. Non enim ignorabat Domini sententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quæsierat tertiò *Bonifacius*, quid facto sit opus, cùm Sacerdos accusatur à plebe, nec certi sunt testes criminis, cujus reus defertur? *Gregorius* respondet, Juramento purgatum in proprio gradu manere debere. Quæsierat quartò de Confirmationis iteratione. Respondet Gregorius esse prohibitam. Quæsierat quintò, num liceret duos vel tres calices in altari ponere, cùm Missarum solennia celebrantur? Id congruum non esse Gregorius respondet. Quæsierat sextò, num liceret cibis immolatitiis vesci: Respondet *Gregorius*, Sequendam *S. Pauli* doctrinam 1. ad Corinthios 10. *Si quis dixerit quia hoc immolatitium est, nolite edere propter eum qui indicavit, & propter conscientiam.*

Summa Epistolæ Gregorii secundi ad Bonifacium.

conscientiam. Quæsierat septimò utrùm liceret filiis, quos parentes in infantiæ annis, intra septa Monasterii in regularem disciplinam tradiderant, inde egredi, & matrimonio copulari, ubi pubertatis annos attigissent? Respondet *Gregorius*, Id omnino vitandum; *Quia nefas est ut filiis à parentibus Deo oblatis voluptatis frana laxentur.* Quæsierat octavò, quid de illis agendum, qui ab adulteris Presbyteris, absque interrogatione Symboli, baptizati erant? Respondet Pontifex, servandum esse antiquum Ecclesiæ morem: *Quia quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus est, rebaptizari eum minimè licet. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis, hujus gratiæ donum percipitur.* Quæsierat nonò, quid agendum de parvulis, qui à parentibus subtracti, ignorabant an baptizati essent necne? Respondet Pontifex, *Secundùm Patrum traditionem esse baptizandos, si non fuerit qui testificetur.* De conditione in forma baptismi exprimendâ nihil habet: quia nondum obtinuerat usus baptizandi sub conditione. Quæsierat decimò an leprosis Dominici Corporis & Sanguinis participatio tribuenda esset? Respondit Pontifex, Esse tribuendam, si Fideles essent. Quæsierat undecimò, an vitandi causâ periculi, fugere deberent è Monasterio, vel Ecclesia, quam pestilens morbus invasisset, hi qui sani erant? Respondit Pontifex, id valde fatuum videri: quia *non valet quisquam Dei effugere manus.* At quamvis fugere licitum non sit Pastoribus, & iis quorum opera Ecclesiæ necessaria est, & quos Officium, caritas, obedientia, ad manendum adstringit: licèt fugere non teneantur cæteri, secedere tamen possunt & salubriorem aërem quærere, qui nullis hujusmodi vinculis sunt adstricti: nec id diffitetur *Gregorius*, & si diffiteretur, ejus ratio nimis probaret. Eadem enim ratione illicitum esset fugere in persecutione; illicitum esset fugere periculum incendii & naufragii; illicitum esset vitare sicariorum insidias: *Quia non valet quisquam Dei effugere manus.* Quæsierat decimò *Bonifacius*, an cum Episcopis, aut Presbyteris, qui Sacerdotium vitiis maculabant, comedere vel loqui deberet, antequam essent emendati? Respondit Pontifex, id minimè recusandum: *Quia plerùmque contingit ut quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conviviorum sedulitas & admonitio blanda ad viam perducat justitiæ.*

Certior factus relatione *Germani* Constantinopolitani Episcopi de Iconoclastarum hæresi à *Leone Isauro* Imperatore assertâ & Edictô roboratâ, Synodum Romæ celebravit, in quâ damnavit hæresim, anno Christi septingentesimo vigesimo sexto: Quam *Hadrianus I.* in Epistola ad *Carolum Magnum* commemorat. Gravissimas etiam Epistolas duas dogmaticas ad *Leonem Isaurum* scripsit, quæ extant in Collectionibus Conciliorum. Ad istud tempus pertinet, quod *Theophanes*, *Zonaras*, & *Cedrenus* scriptis prodidere, *Gregorium* defectionis à *Leone Isauro* Imperatore fuisse auctorem, & *Vectigalia quæ ad id usque tempus Imperio pendebantur, inhibuisse, ictô cum Francis fœdere.* Sed falsa esse quæ Græci illi Historici referunt in Dissertationibus demonstrabo. Vitæ sanctissimi Pontificis pro fidei Catholicæ conservatione jugiter excubantis sæpius per suos Exarchos, Duces, aliósque Ministros insidiatus est *Leo Isaurus*: Sed pro *Gregorii* defensione piè fœderati Romani & Longobardi, ipsum conjunctis viribus ab eorum dolis, insultibúsque incolumen servavere. Ipse vero in orationibus, jejuniis, eleemosynis, publicisque supplicationibus præsidium omne collocabat. *Anastasium* Presbyterum Iconoclastam, à *Leone Isauro* in Sedem Constantinopolitanam, ejectô *Sancto Germano*, intrusum, anathemate confixit.

Iconomachorum hæresim damnat Gregorius Secundus.

Restaurandæ etiam Disciplinæ Ecclesiasticæ animum adjunxit *Gregorius*. Quamobrem habitâ Romæ Synodo, illicita conjugia damnavit, anathemate feriens eos qui Presbyteram, vel Diaconam, id est, relictas à Presbyteris vel Diaconis uxores, & continentiam professas; quam Monacham; Commatrem spiritualem, fratris uxorem, novercam, aut nurum, neptem, consobrinam, cognatam, vel affinem, uxorem duxerint. Anathema etiam latum est in viduarum virginúmque raptores: in eos insuper qui ariolos, aruspices, incantatores consuluerint, aut Philacteriis usi fuerint. Nominatim excommunicati sunt à Synodo *Hadrianus Exhilarati* filius, & *Epiphania* Diacona, qui matrimonium contra leges Ecclesiasticas contraxerant, & præstitô de mutua separatione juramento, fugerant. Eadem pœna in eos decreta est, qui nefario facinori præbuerant assensum. Excommunicatione pariter plectendos visum est Clericos, qui comam laxarent, & à Militia Clericali deficerent. Habita est Synodus anno Christi septingentesimo vigesimo-primo, Nonis Aprilis, in Basilica *S. Petri*, considentibus Episcopis triginta duobus. Abusum qui in nonnullas Ecclesias irrepserat, ut Quintis Feriis, Quadragesimali tempore, non jejunaretur, nec celebrarentur Missæ, sustulit (teste *Anastasio Bibliothecario*) Quatuor celebravit Ordinationes; Presbyteros triginta quinque, Diaconos quatuor, Episcopos centum quinquaginta inauguravit. Obiit Sanctissimus Pontifex anno Christi septingentesimo trigesimo primo, tertio Idus Februarii, cùm annos sexdecim, menses octo, & dies viginti sedisset. *Gregorius Dialogus* perperam à Græcis quibusdam appellatur, quod nomen *S. Gregorii Magni*, ob editos Dialogorum libros proprium esse, perspicuum est.

Illicita conjugia damnat.

ARTICULUS IV.

De Gregorio III.

GRegorio Secundo defuncto, creatus est Pontifex ejus in locum *Gregorius* alter, ejus nominis Tertius, natione Syrus, quem Divinarum Scripturarum scientia, Græcæ Latinæque linguæ peritia, Psalmorum quos memoria complectebatur, intelligentia; facundia, fidei conservandæ studium, animi fortitudo & constantia, sapientia, & mansuetudo singularis, paupertatis amor, pro redimendis captivis, orphanis, viduis, egenisque omnibus sublevandis pia solicitudo, in Viros Religiosos propensio, Summo Pontificatu dignum fecere, ut testatur *Anastasius Bibliothecarius.* Nihil prætermisit quò *Leonem Isaurum* ab hæresi & impietate revocaret, missis Apocrisiariis, scriptis Literis commonitoriis, celebratâ Romæ Synodo in Basilica *S. Petri*, anno septingentesimo trigesimo secundo, in quâ, considentibus Episcopis nonaginta tribus, anathemate perculsi sunt Iconomachi (ut refert *Anastasius Bibliothecarius.*) Deinde Pontifex non minùs factis quàm Decretis evertere studens hæresim, imagines Salvatoris & Apostolorum ex una parte, Deiparæ & Sanctarum Virginum ex altera, in Basilica *S. Petri*, magnificô sanè opere erexit. Ibidem construxit Oratorium, in quo sacras Reliquias undique conquisitas ad cultum condidit, Sanctorúmque Natalitia sacris Officiis & Missis quotidie celebrari statuit à Monachis trium Monasteriorum illic Domino ministrantium: & à Sacerdote in ipso Oratorio Missas agente hanc clausulam in Canone, post illa verba, *& omnium Sanctorum tuorum*, dici instituit: *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ Majestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum.* At hoc pro illo tantùm Oratorio institutum fuit atque adeo, ut notat *Walafridus*, Cap. 22. non est Canoni, qui universim dicitur, additum. Et Doctissimus Cardinalis *Bona* * in magno illo Missalium MSS. quæ pervolvit numero,

Gregorius Tertius Iconomachorum hæresim Decretis & factis damnat.

* Lib. 1. Rerum Liturg. cap. 11.

mero, unum duntaxat se repetisse testatur, in quo hæc verba adscripta sint: quod extat in Bibliotheca *Barberina*, Cod. 1858. Plures etiam Basilicas & Monasteria Sanctus Pontifex construxit; restauravit, amplificavit, dotavit, exornavit; de quibus *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vita.

Bonifacius Germanorum Apostolus. Quæstionibus [illegible].

Ad ipsum statim atque de ejus creatione certior factus est, Nuntios misit, literásque dedit *Bonifacius* Germanorum Apostolus, quibus ipsi ministerii sui ac profectûs inter Gentes reddidit rationem, observantiæ erga Sedem Apostolicam argumenta dedit, eámque spopondit perennem fore: Pontificem denique nonnullis quæstionibus consuluit. Huic gratulatus est *Gregorius* uberem in munere Apostolico fructum, ipsum Archiepiscopali dignitate auxit, & Pallio ornavit, quo in solenni Missarum celebratione, & consecratione Episcoporum uteretur: Ad illius consultationem respondit. Responsio novem constat capitibus.

Baptizatos à Paganis de novo Baptizari jubet. Quomodo id intelligendum.

I. Baptizatos à Paganis denuo in nomine Sanctæ Trinitatis baptizari jubet. Formam legitimam, id est, verba Evangelica non fuisse à Paganis adhibita supponit. Vel dicendum, nondum fuisse eliquatam veritatem, quòd validum ac ratum esset Baptisma collatum à non baptizato. Qua de re certò pronuntiare non est ausus *S. Augustinus* lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 53. *Solet etiam quæri*, inquit, *utrum approbandum sit Baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur: si fortè hoc curiositate aliquâ didicit quemadmodum dandum sit... Sed nobis tutum non est in ea progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario Concilio terminata sunt. Id autem fit cura secura vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ confessione roboratum est. Veruntamen si quis me fortè in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quod ipse sentirem: si eo modo affectus essem, quo eram cùm ista dictarem; nequaquam dubitarem habere eos baptismum, qui ubicumque, & à quibuscumque illum verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliquâ fide accepissent.* Et lib. 2. contra *Epistolam Parmeniani*, cap. 13. *Alia quæstio est*, inquit, *utrùm & ab eis qui numquam Christiani fuerunt, possit Baptismus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.*

Et *S. Basilius* Epistola 1 ad *Amphilochium*, contendit Baptisma collatum ab Hæreticis nullum esse, *Quia laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habebant potestatem.* Non mirum igitur quòd *Gregorius III.* quatuor licet post *Basilium*, tribus post *Augustinum* Sæculis, baptizatos à Paganis denuo baptizari decreverit.

Secundò eos qui caballum agrestem vel domesticum comederint, condignâ pœnitentiâ castigari jubet, quod cibus sit immundus. Tertiò, pro defunctis duntaxat in fide Catholica docet orandum. Quartò, eos qui dubitant utrum baptizati fuerint, necne: vel qui à Presbytero *Jovi* mactante, & carnes immolatitias comedente baptizati sunt, præcipit baptizari.

Tertias nuptias dissuadendas scribit Gregorius III.

Quintò, matrimonium inter propinquos ad septimam usque generationem prohibitum declarat. Sextò, suadendum ait, ne qui secundam uxorem ducunt, ulteriùs nubant. Septimò, his qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderint, communionem interdicendum statuit usque ad obitum: eósque perpetuâ à carne & vino abstinentia, & triduano qualibet hebdomadâ jejunio castigandos. Octavò, similem indici jubet pœnitentiam his qui mancipia sua Paganis ad immolandum vendiderint. Nonò, Episcopum nonnisi duobus vel tribus adsistentibus Episcopis docet ab ipso consecrandum.

Cùm Romam se tertiò contulisset *Bonifacius* anno Christi septingentesimo trigesimo octavo, Concilium habuit *Gregorius III.* in causa Germanicarum gentium, ad populos qui Christo nuper nomen dederant, in fide Christi magis confirmandos. Hujus Concilii meminit *Bonifacius* ipse in Literis * quas Romà scripsit Presbyteris, Monachis & Monialibus in Germania relictis. Eidem permisit *Gregorius* ut Presbyterum, qui sibi succederet in Ecclesiasticum Ministerium, eligeret; ut ipse *Bonifacius* docet in suis ad *Zachariam Gregorii* Successorem Literis. Eidem Romà discedenti tres Epistolas dedit; primam Prælatis & Presbyteris omnium Provinciarum; alteram, Optimatibus ac populo Germaniæ; tertiam Episcopis in Alemannia & Bojoaria constitutis inscriptam; quæ cum Bonifacianis editæ sunt, necnon in ipsius *Bonifacii* Vita per *Othlonum* conscripta. Divisionem Bojoariæ in quatuor Episcopatus, nempe *Salisburgensem*, *Frisingensem*, *Ratisponensem*, & *Pataviensem*, à Bonifacio factam, *Odilone* Duce consentiente, ratam habuit idem Pontifex, & ad eum gratulatoriam hac de re dedit Epistolam, anno Christi septingentesimo trigesimo nono, IV. Kalendas Novembris.

Epist. 47.

Epist. 118.

Duplicem Legationem ad *Carolum* Majoremdomûs Regiæ Francorum, cum clavibus S. *Petri*, & particulis catenarum, direxit anno Christi septingentesimo quadragesimo primo; duplicémque scripsit Epistolam, eò consiliò ut auxilium è Francia sibi obtineret, ac Ducibus *Transemundo* Spoletano, & *Godescalco* Beneventano, contra Longobardorum Reges *Luitprandum*, & *Hildebrandum*, qui res *S. Petri* in Exarchatu Ravennate & Ducatu Romano dissipuerant, prædictósque Duces graviùs insectabantur, eò quod hi erant in amicitia Romani Pontificis & *Stephani* Ducis, nolueràntque nuperrimè contra Papam & Romanos, quibus *Stephanus* Imperatoris nomine præerat, in belli societatem venire. *Hortamur Bonitatem tuam* (inquit *Gregorius III.* in priori Epistola) *coram Domino & ejus terribili judicio, Christianissime fili, ut propter Dominum, & animæ tuæ salutem, subvenias Ecclesiæ S. Petri, & ejus peculiari populo, eosdémque Reges sub nimiâ celeritate refutes, & à nobis repellas, & jubeas eos ad propria reverti. Conjuro te per Deum vivum & verum, & per ipsas sacratissimas claves Confessionis B. Petri, quas vobis ad Regnum direximus, ut non præponas amicitiam Regum Longobardorum amori Principis Apostolorum*, &c.

Gregorius Francorum auxilium rogat contra Reges Longobardorum.

Pietatem suam commendavit *Gregorius III.* in plerisque Basilicis & Monasteriis restaurandis ac ornandis, de quibus legendus *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vita. Scripsit ad *Leonem* Imperatorem & *Constantinum Copronymum* ejus filium, libros tres pro cultu sanctarum Imaginum: reliquit & Epistolarum librum unum, teste *Anastasio*. Sed hæc monumenta desiderantur. Tribus Ordinationibus mense Decembri celebratis Presbyteros viginti quatuor, Diaconos tres, Episcopos octoginta consecravit. Obiit quarto Kalendas Decembris, anno Christi septingentesimo quadragesimo primo, cùm sedisset annos decem, menses novem, dies duodecim, ut *Anastasius* tradit.

Scripsit libros pro cultu Sanctarum Imaginum.

ARTICULUS V.

De Zacharia.

OCtavo die à *Gregorii Tertii* obitu, *Zacharias* natione Græcus creatus est Pontifex, die quinta Decembris, vir humanitatis laude insignis, tardus ad iram, velox ad misericordiam, Cleri populique Romani amantissimus. Tunc imminebat Urbi Rex Longobardorum *Luitprandus*, cujus animum legatione missâ delinivit, & restitutionem quatuor civi-

tatum,

tatum, quas à Romanorum Duce eripuerat, ut polliceretur obtinuit; quod perfecit anno sequente, profecto ad ipsum *Zachariam*, quem perhonorificè suscepit. Ad eumdem Regem iterum profectus est anno Christi septingentesimo quadragesimo tertio, ut eum ab armis in Ravennæ Exarchatum convertendis deterreret. Ab eo Ticini summo cum honore susceptus, illum precibus rationibusque debellavit. Gloriosiùs triumphavit de *Rachi Luitprandi* in Regnum Longobardorum Successore, qui in Pentapolitanam Provinciam prædabundus irruperat, & Perusiam obsidione premebat. Ipsum enim adiit cum muneribus, precibusque ad solvendam obsidionem adduxit. Quin & sacris adhortationibus tantum ipsi vitæ sæcularis indidit fastidium, ut abdicato Regno cum uxore *Thesia*, & filia *Ratruda* Vitam Religiosam sub Regula *S. Benedicti* profiteretur: ille in Casinensi Cœnobio; istæ in Monasterio puellarum, quod non procul à Cassino construxere ac dotavere, ut *Anastasius Bibliothecarius*, & *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi, cap. 8. testantur. Sæculo nuntium misit *Rachis* anno Christi septingentesimo quinquagesimo. *Zachariam* Pontificem translationis Regni Francorum à *Childerico III.* Merovingiorum postremo Regum ad *Pippinum* Majorem-Domus, plerique Scriptores tùm antiqui cùm recentiores auctorem faciunt. Sed hanc fabulam impugnabimus in Dissertationibus.

Rachis Rex Longobardorum Monasticam Vitam amplectitur, sacris Zachariæ Pontificis adhortationibus ad sæculi fastidium excitatus.

Evectò in Sedem Sancti Petri Zacharia, *Bonifacius* Germanorum Apostolus ad ipsum literas dedit suæ erga ipsum observantiæ testes, eúmque certiorem fecit de trium Episcopatuum erectione in Germania, scilicet *Vuirceburgensis* sive *Herbipolensis* in Francis Orientali, *Birburgensis* in Hassia, *Erphordensis* in Thuringia. Extat Epistola inter Bonifacianas 132. Literis *Bonifacii* respondit *Zacharias* anno septingentesimo quadragesimo-tertio, ipsique de numero Christianorum in Germania plurimùm aucto gratulatus est ac trium Episcopatuum erectionem confirmavit. Probavit consilium *Bonifacii* & *Carolomanni* Majoris-Domus de Synodo celebranda ad restaurandam disciplinam. Respondit ad quinque Interrogationes ejusdem *Bonifacii*. Prima erat de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis adulteris, concubinariis, ebriosis, venatoribus, & qui præliis intererant, sanguinémque hominum fundebant. Respondet *Zacharias*, ut si quos horum criminum reos *Bonifacius* repererit ante Synodum celebrandam, hos altaribus ministrare vetet: Secunda *Bonifacii* interrogatio spectabat licentiam eligendi Successoris, quam *Gregorius Tertius* concesserat. Hanc negat Zacharias, *contra omnem Ecclesiasticam regulam & Instituta Patrum* esse respondens, ut vivente Episcopo Successor ipsi designetur. Indulget tamen dispensatione singulari, ut imminente obitu, præsentibus cunctis, Successorem eligat, qui ad Sedem Apostolicam accedat consecrandus. Tertia *Bonifacii* interrogatio erat de laïco, qui licentiam à *Gregorio Tertio* Papa sibi indultam asserebat, ut mulierem in tertia generatione sibi propinquam, avunculi sui viduam, ab altero viro consobrino suo adhuc superstite digressam, & ante matrimonium velatam, in uxorem assumeret. Respondit *Zacharias*, Verisimile non esse quòd *Gregorius Tertius* matrimonium hujusmodi permiserit: quia *Ab Apostolica Sede illa non diriguntur, quæ contraria sunt Patrum sive Canonum Institutis inveniantur.* Quamobrem commonendos esse & increpandos ut à scelesto illo matrimonio recedant, ne in æternum pereant. Quarta *Bonifacii* interrogatio erat de Kalendis Januariis, de auguriis, philacteriis, incantationibus, & aliis observationibus, quas aiebant gentili more in urbe Roma fieri. Respondet *Zacharias*, Hæc omnibus Christianis detestanda & perniciosa esse: hæc à Patribus abscissa: Et quia instigatione diaboli iterum Romæ pullulabant, *Gregorii Tertii* Decessoris sui Decretis ac suis fuisse radicitus amputata. Quinta *Bonifacii* interrogatio erat de Episcopis ac Presbyteris adulteris & fornicatoribus, qui Româ reversi, dicebant se licentiam obtinuisse à Papa, ut in Ecclesia suis muneribus cùm Episcopali, tum Presbyterali fungerentur. *Zacharias* respondet, Id falsum esse, jubétque ut Canonica in eos vindicta exerceatur.

Zachariæ Responsa ad Interrogationes Bonifacii Archiepiscopi.

Matrimonium improbat, quod ex Gregorii III. Decessoris sui dispensatione contractum dicebatur, ut perpetuam de pœnitentia publicam quæ Sacris Canonibus enormiter commissa est.

His literis tres alias addidit Zacharias ad totidem Episcopos à *Bonifacio* nuper in Francia, in Hassia, in Turingia institutos. Anno Christi septingentesimo quadragesimo quinto ad *Bonifacium* tria Pallia misit, quæ petierat, pro *Grimone* scilicet Rotomagensi, *Abele* Remensi, & *Artberto* seu *Ardoberto* Senonensi; simulque ad ipsum literas dedit, quibus *Adalberti* & *Clementis* damnationem etiam confirmabat; séque & Romanum Clerum purgabat à *Simoniaca hæresi*, quam nonnulli per calumniam ipsis affingebant. Laudabat præterea *Bonifacium*, quòd non credidisset falso Sacerdoti, qui se dicebat ordinatum Episcopum a Papa. Denique Apostolicas vices ipsi confirmabat non solùm per Bojoariam, sed per universam Franciam. Probavit consilium Principum Francorum de Sede *Bonifacii* figenda Moguntiæ, cujus Metropoliticum Germaniæ primæ restitutum est. Depositus fuerat in Provinciali Synodo *Gervilio* Moguntinus Episcopus duplicem ob causam; quod nempe homicidii reus esset in bello Saxonico commissi, & quòd venationi cum avibus & canibus vacaret. Ad vacantis igitur Ecclesiæ Præfecturam Majores-domus *Bonifacium* nominatunt, & ad ejus confirmationem obtinendam, legationem ad *Zachariam* Pontificem direxere, ut testatur *Othlonus* in Vita *S. Bonifacii*. Id anno Christi septingentesimo quadragesimo sexto factum est.

Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus creatus in locum Gervilionis.

Depositus fuerat Gervilio in Synodo Provinciali.

Una ex causis depositionis ejus quòd venationi cum canibus & avibus vacaret.

Eodem anno *Zacharias Bonifacio* rescripsit super controversia de Baptismo exorta. In Bojoaria Sacerdos quidam baptizarat formâ solitâ, sed vitiatâ Latinitate, dicens: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta.* Quos ille baptizaverat, rebaptizandos existimabat *Bonifacius*; aliter sentiebant *Virgilius* & *Sedonius*, qui in Bojoariam Evangelii prædicandi causâ perrexerant, & in *Bonifacii* disciplinam se tradiderant. Secundùm eorum sententiam *Zacharias* respondit: *Si ille qui baptizavit, non errorem aut hæresim introducens, sed pro sola ignorantia, Romanæ locutionis infringendo linguam, baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuo baptizentur. Quia, quod tua bene compertum habet Sancta Fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nullo modo rebaptizari, sed per solam manûs impositionem purgari debet.*

Quæstioni Baptismatis formam spectanti respondet Zacharias.

Eodem anno, mense Octobri, Synodum Romæ habuit *Zacharias*, in quâ *Adalbertum* & *Clementem* hæreticos, de quibus ad ejus Sanctitatem retulerat *Bonifacius* damnavit.

Adalbertum & Clementem hæreticos damnat.

Anno septingentesimo quadragesimo octavo, respondit idem Pontifex ad varia Capitula, de quibus fuerat à *Pippino* Majore-domus consultus per *Ardobanium* Presbyterum. Tres circa res versabantur; circa Sacerdotalis Ordinis disciplinam, circa Pœnitentiam homicidis imponendam, & circa copulas illicitas. Septem ac viginti Capitibus constat *Zachariæ* responsio, pro numero Capitulorum à *Pippino* propositorum, totáque ex antiquis Canonibus petita est, ut legenti patebit.

Respondet ad varia capita, de quibus fuerat à Pippino Majore-domus Regiæ Francorum interrogatus.

Eodem anno Kalendis Maiis respondit *Zacharias* ad varia *Bonifacii* Capitula, proposita in literis quas Romam detulerat *Burchardus* Vvirceburgensis Episcopus. Primum est de forma & Ministerio Baptismi. Respondit Pontifex; Nullum esse Baptisma,

Respondet ad varia Bonifacii Capitula.

nisi sit verbis Evangelicis, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, consecratum: contra, ratum esse, his verbis, etiam ab impiis, Schismaticis, Hæreticis collatum. *Qui vel unam de Trinitate personam in Baptismate non nominaverit, illud Baptisma verum esse non posse.* Baptizandos esse, qui à Presbyteris adulteris, sacrilegis, & qui Diis gentium immolaverant, fuerant baptizati, de quibus dubitabatur an verbis Evangelicis baptizassent. Secundum Capitulum est de vagis & erroneis Episcopis & Presbyteris, quos in Provinciali Synodo deponendos, & ad Pœnitentiam sub Regula Monastica agendam damnandos respondet. Tertium Capitulum est de *Samsonis* Presbyteri Scoti hæresi circa Baptismum. Contendebat ille sine mystica invocatione aut lavacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum per Episcopalis manûs impositionem. Hunc ab Ecclesia ejici Pontifex jubet. Quartum Capitulum est de iis, qui baptizati sunt ab hæreticis, dubitatúrque utrùm in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti baptizati sint, necne. Hos baptizandos esse juxta *Gregorii Tertii* Decessoris sui, & sacrorum Canonum mandatum, *Zacharias* respondet. Quintum Capitulum est de Volumine, quod à *Bonifacio* de unitate Fidei Catholicæ & Doctrina Apostolica scriptum, *Zacharias* approbat & commendat. Sexto Capitulo *Bonifacius* petierat, ut à *Zacharia* Sacerdos in partes Franciæ ad Concilia celebranda dirigeretur. *Zacharias* id, eo superstite, facturum se negat. Septimo Capitulo de Charta Orthodoxæ Professionis & Catholicæ unitatis à *Bonifacio* & Francorum Episcopis ad Sedem Apostolicam missa gratulatur. Octavo Capitulo *Virgilium* Presbyterum Sacerdotii honore, habitâ Synodo, exuendum edicit. Trium delatus erat ille criminum reus. Primò, quòd discordias inter *Bonifacium* Archiepiscopum, & *Odilonem* Bojoariæ Ducem seminasset. Secundò, quòd se affirmasset à Papa dimissum, ut unius defuncti ex quatuor illis Episcopis, quos *Bonifacius* in Bojoaria constituerat, Diœcesim obtineret. Tertiò quòd assereret alium esse mundum, & alios homines sub terra, qui aliô Sole atque aliâ Lunâ illustrarentur. Sed falsas fuisse accusationes illas ad *Bonifacium*, & ab illo ad *Zachariam* contra *Virgilium* delatas existimat *Baronius*, quòd non solùm Sacerdotio exutus non sit, sed ad Salizburgensem Episcopatum promotus & Sanctorum Fastis fuerit adscriptus. Contra, *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, * *Virgilium* cui fuerunt cum *Bonifacio* simultates, distinguit ab eo qui Salisburgensis Episcopus fuit, & inter Cœlites conscriptus. Nonum Capitulum est de eodem *Virgilio* & *Sidonio*, quos se Romam evocaturum *Zacharias* pollicetur. Decimum est de *Bonifacii* Archiepiscopatu fixo Moguntiæ, illique permittit ut sibi Coadjutorem assumat ac ordinet.

Virgilium Sacerdotii honore exui jubet ob illa capita, quorum unum erat, quòd Antipodas esse asseret.

Ad ann. 748 num 12.

Anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo *Zacharias* Fuldense Monasterium sub Regula *S. Benedicti* à *Bonifacio* fundatum, Sedis Apostolicæ munivit Privilegio, eidemque Sedi immediatè subjecit, *Bonifacio* rogante. Privilegium illud extat apud *Othlonum* in Vita *Bonifacii*, in editionibus *Surii*, *Canisii*, & *Serarii* quæ illud à mendis purum exhibent, quæ in *Sirmondi* editione leguntur, quàm solam consuluit *Joannes Launoius* in defensione Sedis Apostolicæ adversùs Privilegia subreptitia, ut occasionem haberet illud impugnandi.

Fuldensis Monasterii O. S. B. Privilegium.

Anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo, respondit *Zacharias* ad Epistolam *Bonifacii*, & ad varias ejus quæstiones per *Lullum* propositas; quæ responsio Epistolâ *Zachariæ* duodecimâ continetur. Ea in Epistola suaderi vult Christianis, ut à graculis, corniculis, ciconiis, fibris, leporibus, & equis sylvaticis sibi temperent: compertum esse nihilominus ex Scriptura Sacrâ innuit, Christianis id esse liberum. De ætate quâ Sacerdos ordinari debet, respondet, Provectæ ætatis, & boni testimonii viros, juxta Canonum statuta, ordinandos esse. Si autem minimè reperiuntur, & necessitas exposcit, à viginti quinque annis & supra Sacerdotes & Diaconos ordinandos. Presbyteros, qui de laïcis promoti sunt, & criminales causas, quibus erant obvoluti, celarunt, privandos habitu Sacerdotali, pœnitentiæque subjiciendos declarat. Censum Ecclesiarum, sive pecuniæ Ecclesiasticæ sub precario censûs præstationem in subsidium exercitûs approbat: & collectionem solidi de casata, ad resarciendum Ecclesiæ damnum, juxta Concilii Liptinensis Decreta. Ad alia etiam capita, de quibus ipsum consuluerat *Bonifacius*, respondet.

Ad varias Bonifacii quæstiones Zacharias respondet.

Zacharia Pontificis pia munificentiâ multæ ædes sacræ restauratæ & ornatæ. Ab ipso caput *S. Georgii* Martyris inventum, & in Basilicam sub ejus invocatione Deo sacram, quæ *Ad Velum Aureum*, appellatur, translatum est. Libros Dialogorum *S. Gregorii Magni* Græco Sermone donavit, ut *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vitâ, & *Photius* in Bibliotheca, testantur. Obiit anno septingentesimo quinquagesimo secundo, die decima-quinta Martii, cùm annos decem, menses tres, & dies decem, Ecclesiam rexisset. Tribus Ordinationibus mense Martio celebratis, Presbyteros triginta, Diaconos quinque, Episcopos octoginta quinque creaverat. Inter Sanctos relatus est, & anniversarii memoriâ auctus.

ARTICULUS VI.

De Stephano II. & Stephano III.

Sancto *Zacharia* suffectus est *Stephanus* Presbyter, ejus nominis *Secundus*, qui tertio à creatione suâ die subitò defunctus est.

Ipsi subrogatus est *Stephanus* istius nominis *Tertius*, natione Romanus, traditionis fidelissimus custos, amator Ecclesiæ, Pauperum pater, quibus excipiendis alendísque quatuor Xenodochia restauravit, multísque bonis ac privilegiis auxit, tria erexit à fundamentis, dotavitque, unum in Urbe, duo extra muros. Difficillimis temporibus creatus est Pontifex. Tunc enim *Aistulphus* Rex Longobardorum Imperii reliquias in Italia usurpabat, Romanísque, nisi se dederent, minitabatur excidium. Legationes mittebat ad Pontificem & ad Regem prædictum *Constantinus Copronymus* Imperator, quibus illi jubebat ut apud Longobardum ageret pro restitutione civitatum quas invaserat: istum verò conveniebat ut eas redderet Imperio. Sed res armis, non legationibus cum *Aistulpho* erat agenda: nec tamen parabat exercitum, copiásque mittebat Imperator ad infringendos Longobardorum conatus. Quamobrem *Stephanus* auxilium Francorum contra Longobardos poposcit, imò ad *Pippinum* Regem, in quo spem omnem collocarat, iter in Franciam suscepit, *Aistulpho* eum ab hoc itinere frustra deterrente. Eum in Franciam deduxere *Chrodegangus* Metensis Episcopus, & *Autcharius* Dux, *Pippini* Legati. In Agaunensi seu *S. Mauritii* Monasterio tantisper commoratus Pontifex, inde à *Fulrado* Abbate Liberacensi & Archicapellano Palatii, ac *Rotardo*, Duce, ad Regem magno cum honore deductus est. Cujus in occursum *Pippinus* statim ad villam Regiam Pontigonem * perrexit. Hæc gesta sunt anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio. Anno sequenti *Stephanus III.* à *Pippino* Rege honorificentissimè susceptus est. *Pippinus* ad millia passuum non pauca *Carolum* filium natu majorem obviàm ei cum suis Optimatibus præmisit; ipse cum uxore *Bertrada*, & altero filio *Carolomanno*, ad

Stephanus III. venit in Gallias ut à Pippino Rege open ferat auxilium contra Longobardos.

Pont Yon.

ad tertium lapidem se obtulit, atque ad ejus conspectum de equo descendens, séque in terram inclinans, unà cum conjuge, filiis, ac Proceribus suis ipsum excepit, & aliquo etiam spatio operam stratoris ei navavit, ut testatur *Anastasius Bibliothecarius*. Die post adventum proximo, *Stephanus* Pippinum obsecravit, ut causam *Beati Petri* & Reipublicæ Romanorum defendendam susciperet. Hic verò jurejurando se obstrinxit ad Exarchatum Ravennæ, cæteráque Reipublicæ loca & jura ex Longobardorum tyrannide vindicanda, ut testantur Annales Metenses. In Monasterio *S. Dionysii* gravi morbo correptus *Stephanus III.* insigni miraculo sanatus est, ejusdem sancti Martyris intercessione, ut refert *Anastasius*, utque Pontifex ipse testatur in Epistola quam *Hilduinus* refert in Areopagiticis. Eo in Cœnobio dicavit altare, & inter Missarum solemnia Pippinum cum filiis & uxore in Reges Francorum unxit, cùm *Childericus* tunc obiisset, ac in eo Merovadarum Stirps penitus defecisset, ipsósque absolvit à perjurio, quod in *Childerici* exauctoratione commissum erat. Id testantur Anastasius Bibliothecarius, Hilduinus in Areopagiticis, Annales Bertiniani, Metenses, Laureshamenses, &c. *Pippinum* præterea, ejúsque filios Patritios Romanorum dixit Pontifex, ut Annales Metenses memorant, utque ex Epistolis compertum est, quas postea Stephanus *Pippino Regi, Carolo & Carolomanno item Regibus, & utrisque Patritiis Romanorum* inscripsit. *Carolum* & *Carolomannum* priùs è sacro fonte levasse *Stephanum III.* colligitur ex multis Epistolis, quibus *Pippinum* spiritalem suum compatrem, *Bertradam* Pippini uxorem spiritalem suam commatrem, eorúmque filios *Carolum* & *Carolomannum* spiritales suos filios appellat. Peractâ Regum unctione, *Stephanus* Papa Monasterium Sandionysianum muneribus ac Privilegiis honestavit, moxque à *Pippino* in Italiam reductus est anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto.

Pippinum Regem inaugurat.

Dum in Galliis versaretur *Stephanus III.* & apud Carisiacum cum *Pippino* Rege moraretur, ad varia capita de quibus fuerat interrogatus, Britanniaco* Monasterio novemdecim responsa dedit, quorum summam hîc exhibeo. Primum est de eo qui ancillam, seu fornicariam abjicit, & uxorem legitimam accipit. Respondet cum *Sancto Leone* in Epistola ad *Rusticum* Narbonensem: *Ancillam à toro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicationem esse conjugii, sed profectum honestatis.*

Responsa Stephani III. ad varias Quæstiones. * al. Brennaco.

Secundo responso casus exponit, quibus separare licet conjuges si uni eorum contigerit ut debitum reddere non possit; ac duos tantùm esse docet, nempe vexationem à dæmone, & lepram. Tertium responsum est de eo, qui ancillæ seu fornicariæ in alienâ regione miscetur, deinde in patriam reversus, ingenuam seu legitimam uxorem ducit, postea in alienam regionem denuo profectus, ibi ancillam, cum quo fornicatus est, alteri viro sociatam reperit. Pontifex negat hujuscemodi virum alteri posse in extera regione conjungi, quandiu superstes est uxor quam in propria patria duxit. Quarto responso commatrem de Baptismo vel Confirmatione in uxorem duci vetat: contractum cum ea matrimonium irritum declarat. Quinto responso, negat licere viro, qui uxorem repudiarit, aliam ducere, illa superstite, suámque sententiam confirmat ex *Innocentio I* in Epistola ad *Exuperium* Episcopum Tolosanum. Sextum responsum est de Virginibus, quæ nondum velatæ, promissam virginitatem transgrediuntur, & matrimonium ineunt. De illis *Stephanus* eadem statuit ac *Innocentius I.* in litteris ad *Victricium* Rotomagensem: *His agendam aliquanto tempore pœnitentiam, quia sponsio eorum à Domino tenebatur.* Septimo responso, Monachos & Moniales è Monasterio fugientes ut matrimonium ineant, excommunicatione plectendos decernit, juxta Concilium Chalcedonense. Octavo responso, viduas, quæ suscepto velo continentiam professæ, postea nupserunt, statuit in Monasterium sine mora mittendas, ut illic in pœnitentia vitam finiant. Idque confirmat allegato *Siricii* Decreto in *Epistola ad Himerium Tarraconensem*. Nono responso, virum sanum, qui leprosam uxorem duxit, ab ea separari jubet, ne filii leprosi nascantur. Decimo responso, consultum se testatur de illo presbytero, qui dicit, se nescire qui eum benedixit, & tamen aliquandiu Missas celebravit & baptizavit: postea verò sacrum Officium dimittens, uxorem duxit. Respondet autem: Hunc Presbyterum abjiciendum esse, & in Monasterium detrudendum, ubi perpetuò culpam lugeat. Infantium, quos baptizavit, ratum esse baptisma, si in nomine Sanctæ Trinitatis sint baptizati, quia & laïcis licitum est Baptismum conferre, cùm necessitas urget, ne, qui baptizandi sunt, in æternum pereant. Mulierem denique quam duxit, pariter in Monasterio recludendam & Pœnitentiæ subjiciendam, si eum cognovit Presbyteri fungi officio: si verò id ignoravit, liberam dimittendam.

Undecimum responsum est de Presbytero, qui, cùm deesset aqua, periclitantem infantem vino baptizavit: *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in ipso Baptismo. Nam si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & Pœnitentiæ submittatur, quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.* Sic habet editio *Sirmondi*, sed mendosa est dubio procul: nescivisse enim Pontificem, nullum esse Baptismum in vino collatum, quis sibi persuadeat? Sic autem restituenda videtur sincera lectio Responsi: *Nulla ei exinde adscribitur culpa, si infantes sic permaneant in ipso Baptismo.* Sic enim responsio rectè procedit. Papa nempe statuit, ut Presbyter, qui infantem, cùm præsens adesset aqua, in vino baptizavit, excommunicetur ac pœnitentiæ subjiciatur. Ejusmodi verò pœnas negat infligendas Presbytero, qui cùm aquam non inveniret, omnino periclitantem infantem in vino baptizavit.

Baptismum in vino collatum non probat Stephanus III.

Responsi sincera lectio restituitur.

Duodecimo responso docet infantem posse baptizari effusione aquæ cum concha, aut solis manibus, si necessitas urgeat, modò baptismus in nomine Sanctæ Trinitatis perficiatur. Responsum decimum tertium est de Presbytero qui baptizavit, nec Symbolum, nec Orationem Dominicam, nec Psalmos tenens, nec sciens utrum ab Episcopo sit consecratus. Hunc dignitate exutum, perpetuæ Pœnitentiæ in Monasterio subjacere jubet Pontifex. Ratum verò baptismum esse docet ab eo collatum in nomine Sanctæ Trinitatis. Decimum-quartum responsum est de Presbytero, qui se ordinatum ab Episcopo nesciens, rustico modo sic baptizavit: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritûs Sancti mergo.* Decernit Pontifex ut ille in Monasterium ad agendam totô vitæ tempore Pœnitentiam detrudatur: infantes verò sic in nomine Trinitatis baptizati, quamvis rusticè, in eo permaneant Baptismo.

Baptismus rustico modo collatus ratus habetur.

Decimo-quinto responso statuit, juxta Canonem Antiochenæ Synodi XV. Episcopum certorum criminum accusatum, & condemnatum ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciæ, ab aliis judicari non debere, sed firmam manere sententiam. Decimo-sexto decernit Episcopos, Presbyteros, & Diaconos in judicium vocatos, à proprio Episcopo, cum numero legitimo Collegarum judicandos esse, secundùm formam à Synodo Carthaginensi, Cap. XX. præscriptam. Decimum-septimum est de Presbytero, cujus crimen ante Ordinationem admissum innotuit. Hunc, si crimen confessus fuerit à Sacrificii obla-

Episcoporum & Presbyterorum judicia Canonica.

tione suspendi statuit, cæteris verò fungi ministeriis indulget, juxta Concilii Neocæsariensis Canonem 9. Decimo-octavo Clericos vel Monachos nutrientes comam anathemate percellit.

Mulier non, ...

Decimum nonum tel porrò sum spectat causam fœminæ, quæ alteri nupsit, cùm ejus vir in aliena Provincia mortuus falsò putabatur. Decernit autem Pontifex cum *S. Leone* in Epistola ad *Nicetam Aquileiensem*; legitimarum fœdera nuptiarum esse redintegranda; inculpabile judicandum, quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit. Si autem aliquæ mulieres ita posterìorum virorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium, à Communione Ecclesiastica esse removendas.

Romam cùm pervenisset *Stephanus Tertius*, *Fulrado Abbate*, & *Hieronymo Pippini* fratre comitibus, literas dedit ad *Pippinum*, *Carolum*, & *Carolomannum* Reges Francorum, quibus conquestus est quòd *Aistulphus* Longobardorum Rex promissis minimè staret, nihilque cùm Ecclesiæ Romanæ, tum Reipublicæ Romanorum, sive Imperio reddidisset. *Sed tamen, boni filii, credentes eidem iniquo Regi, quod per vinculum sacramenti pollicitus est, propria vestri voluntate per Donationis paginam, B. Petro Sanctæque Dei Ecclesiæ, & Reipublicæ, civitates & loca restituenda confirmastis. Sed ille oblitus fidem Christianam & Deum qui eum nasci præcepit, irrita, quæ per Sacramentum firmata sunt, facere visus est.* Cùm autem idem *Aistulphus* per Scameras sive exploratores, pérque deprædationes seu devastationes, Romanis molestus esset, alias ad *Pippinum* & filios litteras dedit *Stephanus* Papa, quæ his verbis incipiunt: *Providi & Sapien issimi Salomonis*: quibus ipsos urgebat ut *Aistulphum* compellerent ad restituendum Ecclesiæ & Reipublicæ quod abstulerat, & quod *Pippinus* Romanæ Sedi donare decreverat. *Etenim sicut primitus Christianitati vestræ exbiximus*, inquit, *Haistulfus Rex, ingresso in ejus pectore corde diabolo, omnia quæ per Sacramentum B. Petro per nostros Missos, restituere promisit, irrita fecit, & nec unius palmi terræ spatium Beato Petro reddere, voluit .... Non enim quia jam reddere, ut constituit, propriam Beati Petri noluit, sed etiam scameras atque deprædationes seu devastationes in civitatibus & locis Beati Petri facere sua imperatione non cessavit, nec cessat ... Pro quo peto vos, Excellentissimi & à Deo protecti filii, & nimis obsecro, doleat vobis pro Sancta Dei Ecclesia & Beati Petri causa, & quod per Donationem Beato Petro offerendum promisistis, eidem contradere debeatis.* Missæ sunt hæ literæ per *Vuilharium* Numentanum Episcopum, sub finem anni septingentesimi quinquagesimi quarti.

Pontifex spem omnem in Rege Christianissimo & gente Francorum, collocat contra Regem obsidione urbem Romam violenter obsidentem.

Anno septingentesimo quinquagesimo quinto ineunte, cùm *Aistulfus* Rex Longobardorum Romam obsedisset, & suburbana omnia popularetur, nec sacris rebus parceret ejus exercitus, *Stephanus* per *Vuarnerium* Abbatem, quo cum *Georgium* Episcopum, & *Thomaricum* Comitem misit, duas Epistolas in Franciam transmisit, unam suo nomine *Pippino* Regi; alteram suo & omnium Romanorum in afflictione positorum nomine ad eundem *Pippinum*, ejúsque filios, necnon ad Episcopos, Abbates, Presbyteros, Monachos, Duces, Comites, cæterósque Francos. Cùm verò obsidio Urbis acriùs à Longobardis urgeretur, alias litteras in nomine *Sancti Petri* ad eosdem scripsit, novo miróque exemplo, quod nec à Decessoribus antea, nec post à Successoribus usurpatum est. Ex litteris ad *Pippinum* Regem constat Ecclesiam populúmque Romanum spem omnem suam in Christianissimo Rege ac Francis ut in Liberatoribus suis posuisse, cùm ab hostibus premeretur. *Adjuva nos*, inquit, *& auxiliare nostri sub magna velocitate, Christianissime .... Peto te, ne pereamus, ne quando dicant gentes quæ in cuncto orbe terrarum sunt: Ubi est fiducia Romanorum, quam post Dominum in Regibus Francorum habebant? .... Salva nos, antequam pereamus, Christianissime Rex? .... Considera fili, considera, & omnino pervigila, per Deum vivum te conjuro, quoniam & nostra, & omnis Romanorum populi animæ, post Deum, & ejus Principem Apostolorum, in tua à Deo protecta Excellentia, & gente Francorum à Deo tibi commissa pendent ... Quoniam nulli alii, nisi tantummodo tua amantissima Excellentia, vel dulcissimis filiis, & cuncta genti Francorum, per Dei præceptionem & Beati Petri, Sanctam Dei Ecclesiam, & nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum.* Potitus est optatis Pontifex optimus, profligatos à Francis Longobardos, ereptamque ex eorum tyrannide Ravennam totúmque Exarchatum, Pentapolimque ac viginti civitates iis Provinciis comprehensas, gavisus est, earúmque dominio Romanam Ecclesiam auctam *Pippini* munificentiâ.

Mortuo *Aistulpho*, *Desiderium* ad obtinendum Longobardorum Regnum juvit *Stephanus Tertius*, sancito cum ipso fœdere, ipsíque auxilium Francorum impetravit, iis conditionibus, ut civitates quas Aistulpus ad mortem usque contra pactum retinuerat, & quas *Pippini* Donatio complectebatur, Ecclesiæ Romanæ restitueret, ut testatur *Anastasius Bibliothecarius*. Hæ civitates erant *Faventia*, *Imola*, & *Ferraria*, cum earum finibus; *Auximum*, *Ancona*, & *Humana*, cum earum territoriis, & *Bononia*, ut constat ex litteris *Stephani* ad *Pippinum* Regem ea de re datis, & per *Fulradum* Abbatem, *Georgium* Episcopum, & *Joannem* Sacellarium transmissis, quibus eum rogavit ut cum *Desiderio*, ubi promissa implevisset, amicitiam fœdúsque pacisceretur. Solum tamen Ferrariæ Ducatum *Stephanus* recepit, *Desiderio* Rege cæteras civitates contra promissa retinente.

Privilegium Sandionysiano Monasterio à Stephano III. concessum.

Anno septingentesimo quinquagesimo septimo, *Stephanus* Papa Privilegium tribuit *Furado* Abbati pro Sandionysiano aliísque diversis Monasteriis ab eo fundatis, quô concessit ut proprium Episcopum eligerent, & consecrari curarent, qui Sedis Apostolicæ vice, illis Monasteriis provideret; legitur hæc clausula in Editionne PP. *Dacherii* & *Mabillonii* Tomo 2. Sæculi III. Benedictini: In Editione *Sirmundi* non legitur. Quænam alterâ sincerior habenda sit, quæritur. Interpolatum esse Privilegium quâ parte Monasterio San-Dionysiano proprium Episcopum concedit, *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum contendit, idque demonstrari asserit his verbis ejusdem Privilegii: *Sancimus ut nemo Episcoporum de quacunque Ecclesia, Presbyterum, vel Diaconum ordinare, vel aliquod Ecclesiasticum Ministerium celebrare, vel Concilium convocare in prædictis Monasteriis audeat, nisi ille quem Abbas in illo tempore existens, ad hæc officia peragenda invitaverit.* Si enim proprium Episcopum habuissent dicta Monasteria, necesse non fuisset ut alius Episcopus Ordinationes celebrandas, vel alia munia Episcopalia obeunda ab Abbate invitaretur. Hæc probabilior sententia.

Interpolatum.

Obiit *Stephanus Tertius* sexto Kalendas Maias ejusdem anni septingentesimi quinquagesimi-septimi, & in Basilica *S. Petri* sepultus est. Sedit annos quinque & dies viginti octo. Ordinatione unâ à mense Martio celebratâ creavit Presbyteros duos, totidémque Diaconos, Episcopos verò viginti.

ARTICULUS

ARTICULUS VII.

De Paulo Primo.

CUm Sedes vacasset dies triginta duos post obitum *Stephani Tertii*, *Paulus* illius frater contra *Theophylactum* potioribus suffragiis electus est Pontifex die 28. Maii ejusdem anni 757. A primis annis in Ecclesiastica Militia sub *Gregorio Secundo* & *Zacharia* Pontificibus meruerat, *Stephanum* germanum suum in Ecclesiæ regimine consiliis suis ac operâ juverat. Mansuetudinis & caritatis laude singulari excelluit. Noctu visitabat infirmos, quibus alimenta cæteraque necessaria subministrabat. Lustrabat etiam carceres, vinctos solvebat, eorum, qui ære alieno oppressi detinebantur, solvebat debita, viduis, pupillis, egenisque omnibus Patrem se exhibens. *Constantinum* Copronymum, missis ad eum Legatis & Commonitoriis litteris, ad fidem & pietatem revocare frustrà conatus est. E dirutis Cœmeteriis corpora Sanctorum in Basilicas Urbis transtulit. In paterna domo construxit Monasterium in honorem *Sancti Stephani* Pontificis & Martyris, & *S. Silvestri* Confessoris & Pontificis; quod cùm multis prædiis dotasset, ac rebus omnibus necessariis instruxisset, ac Sanctorum *Stephani* & *Silvestri* corpora in Oratorio; aliorum verò Reliquias condidisset in Ecclesiâ infra claustra Monasterii constructâ & magnificè ornatâ, Monachorum Græcorum Congregationem ibi constituit, qui Græco ritu Sacris operarentur. In Via Sacra juxta templum *Romuli* Ecclesiam erexit in honorem Sanctorum Apostolorum *Petri* & *Pauli*, ubi Apostolorum Principes ad martyrium pergentes genua flexerant Deo supplicaturi, quo in loco eorum genuum sacrorum in durissimo silice impressio cernebatur ad memoriam posteritatis sempiternam, ut testatur *Anastasius Bibliothecarius*. Statim atque electus est, ad *Pippinum* Regem litteras dedit, ejúsque amicitiam expetiit. *Immonem Pippini* Legatum Romæ detinens, donec ipse ordinatus esset. Tunc enim tantùm Diaconus erat, ut patet ex inscriptione Epistolæ, quæ decima-tertia legitur in Codice Carolino: *Domno Excellentissimo filio Pippino, Regi Francorum, & Patritio Romanorum, Paulus Diaconus, & in Dei nomine electus Sanctæ Sedis Apostolicæ, cum gravi gemitu & immenso mœrore cordis.*

Paulo Pontificatum gratulatus est *Pippinus*, & sabanum, seu linteum illud in quo *Gisla* filia sua è Baptismo suscepta fuerat, ad ipsum transmisit ut amicitiæ pignus, quod Pontifex magno cum gaudio suscepit, & juxta corpus Sanctæ *Petronillæ* deposuit; ac deinceps *Pippinum* compatrem, *Bertradam* Reginam commatrem, *Gislanam* spiritalem suam filiam appellavit. Id testatur Epistola quam *Pippino* per *Vvulfardum Sancti Martini Turonensis* Abbatem *Pippino* deferendam curavit, quæ vigesima-septima est, in Codice Carolino, & sic inscribitur: *Domno Excellentissimo filio, & nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, & Patritio Romanorum, Paulus Papa.*

Interea *Desiderius* Rex Longobardorum Provinciam Pentapoleos cum Ducatibus Spoletano & Beneventano, igne, ferròque vastavit; *Albinum* Ducem Spoletanum, nonnullosque Proceres, qui se *Beato Petro*, *Pippinóque* Regi summiserant, gravissimis vulneribus afflixit, & in carcerem conjecit. Quia verò Dux Beneventanus Orotantum fugerat, nec eum inde poterat ullis artibus educere, Beneventanis Ducem præfecit *Argem*. Præterea *Georgium Constantini Copronymi* Imperatoris Legatum accersivit Neapoli, communicatóque consilio, imperatorem sollicitavit ut Ravennatibus bellum inferret, transmisso in Italiam exercitu, se pro viribus suppetias laturum pollicitus. Post hæc Romam venit, rogantique Pontifici, ut secundùm pacta restitueret Imolam, Bononiam, Auximum, Anconam, & alias civitates, haud acquievit; sed ut petitionem æquissimam eluderet, simulatè respondit, se pacem cum Sede Apostolica ultrò amplexurum, modò sibi remitterentur obsides, quos *Pippino* Regi tradere. De his *Pippinum* Regem certiorem fecit Pontifex, datis ad eum literis, quas per *Georgium* Episcopum, & *Stephanum* Presbyterum Legatos suos, & *Robertum Pippini* Oratorem, transmisit; ab eoque auxilium poposcit contra Longobardos. Leguntur in Codice Carolino num. XV. Scripsit etiam ad omnes Francos litteras, in quibus hæc ad commendationem *Pippini*, Gentisque Franciæ, observatione digna sunt: *Verè elevatum est nomen gentis vestræ super multas generationum nationes, & Regnum Francorum vibrans, emicat in conspectu Domini, quòd talibus benignissimis Dei Catholica & Apostolica Sancta Ecclesia liberatoribus prænitatur Regibus. Novus quippe Moyses, novúsque David, in omnibus operibus suis effectus est Christianissimus & à Deo protectus filius & spiritalis compater Dominus Pippinus, Dei nutu victoriosissimus Rex, per quem exaltata Dei Ecclesia triumphat, & fides Catholica ab Hæreticorum telo illibata consistit. Et vos quidem Charissimi! Gens Sancta, Regale Sacerdotium, Populus acquisitionis, cui benedixit Dominus Deus Israel, gaudete & exultate, quia nomina vestra, Regúmque vestrorum, exarata sunt in cœlis, & merces vestra magna est coram Deo, & Angelis ejus*, &c. Cùm Græcos expeditionem parare, ut Ravennatem Exarchatum, Romanámque Urbem invaderent, rumor increbuisset, auxilium *Pippini Paulus* Pontifex contra ipsos imploravit, datâ ad eum Epistola, quæ trigesima quarta legitur in Codice Carolino. De *Marino* Presbytero suo, quòd in Francia degens, ibi familiaritatem cum *Georgio*, qui *Constantino Copronymo* Imperatori erat à Secretis, iniret, occultas contra Sedem Apostolicam molitiones suspicatus, *Pippinum* rogavit, ut illum in Regno suo Episcopum ordinari juberet, ut hoc beneficio honoreque auctus, nefaria consilia deponeret. Id constat ex Epistola *Pauli I.* ad *Pippinum*, 39. Codicis Carolini. Antiphonarium & libros Græcos, maximè Aristotelis, & Sancti Dionysii Areopagitæ, *Pippino* misit, loco muneris, curavítque ut Cantus Romanus à Gallis edisceretur Monachis, quos ex sua Diœcesi *Remedius* seu *Remigius* Rotomagensis Archipræsul, *Pippini* Regis Frater, miserat Romam, in Schola Cantorum instituendos, ut constat ex litteris *Pauli* Papæ ad *Pippinum*, quæ in Carolino Codice habentur num. XXV & XLIII. Monasterium *S. Silvestri* in monte Soracte, cum tribus aliis ei subjacentibus, *Pippino* concessit, ut constat ex litteris ad *Pippinum* ab eodem Papa datis quæ leguntur in Codice Carolino, num. XII.

Pippinus, & Gentis Francorum commendatio.

Paulus I. auxilium Pippini Regis Christianissimi contra Græcos & Longobardos rogat.

Thassilonem Bojoariorum Ducem, qui *Pippini* Regis injussu in Bojoariam recesserat, cum ipso reconciliare studuit, & eam ob rem Legatos misit ad *Pippinum*, qui cùm Ticinum venissent, à *Desiderio* Longobardorum Rege, qui filiam suam *Thassiloni* desponderat, ulteriùs progredi sunt prohibiti. Id constat ex litteris *Pauli I.* ad *Pippinum*, quæ in Codice Carolino, num. XX. leguntur. Sæpe hunc Pontificem auxilium à *Pippino* postulasse, tum contra Græcos, qui classem in Italiam transmittere decreverant, & Ecclesiæ ditiones, Romámque invadere; tum contra Longobardorum Regem *Desiderium*, qui Sedis Apostolicæ subditis & clientibus molestus erat, nec civitates restituebat Pippinina Donatione in Sedis Apostolicæ ditionem transcriptas, constat ex frequentibus litteris ab ipso datis ad *Pippinum*, quas Codex Carolinus exhibet.

Obiit

Obiit Sanctissimus Pontifex anno Christi septingentesimo sexagesimo septimo, quarto Kal. Julii, quo die ejus memoria in Tabulis Ecclesiasticis celebris est, cùm annos decem, & mensem unum sedisset, unâque Ordinatione mense Decembri factâ, Presbyteros duodecim, Diaconos duos, plurimos Episcopos consecrasset.

ARTICULUS VIII.

De Stephano Quarto.

Constantinus Antipapa.

MOrtuo *Paulo Primo*, *Toto* Dux Nepesinus *Constantinum* fratrem suum, hominem laïcum armatâ manu in Sedem Pontificiam intrusit, *Georgio* Episcopo Prænestino per vim coacto ut illum ordinaret. Conciliabulo vicinorum Episcoporum congregatio, electionem suam probari fecit *Pippini* Regis ac Francorum amicitiam sibi conciliare frustra tentavit, scriptis ad eum litteris. Sedit annum unum & mensem unum; & Presbyteros octo, Diaconos quatuor, Episcopos octo ordinavit. *Cristophori* Primicerii, & *Sergii* ejus filii studio & industria cùm proximè dejiciendus esset *Constantinus*, vocatis contra *Totonem* Ducem Longobardis ad Ecclesiæ libertatem vindicandam, *Philippus* Presbyter, *Vualdiperti* Presbyteri factione in Sedem Apostolicam intrusus est. Sed Pseudo-Pontifice utroque ejectô, summo omnium Ordinum consensu *Stephanus* istius nominis Quartus, natione Siculus, ex Monasterio à *Zacharia* Papa assumptus ad Cubicularii munus, & ipsi, ac *Stephano Tertio*, & *Paulo Primo* ob pietatem & sacram eruditionem gratissimus, ac inter primarios Ministros, Pontifex renuntiatus ac inauguratus est. In Monasterium *Cellas novas* deportatus *Constantinus*, indéque paulò post à Tuscis & Campanis militibus eductus, erutis oculis, in platea jacens relictus est; teste *Anastasio Bibliothecario*. Ut primùm creatus est Pontifex *Stephanus Quartus*, Nuntios in Franciam direxit ad *Pippinum*, ipsum rogans ut Episcopos aliquot eruditos Romam ad Synodum mitteret. Missi fuere duodecim, scilicet *Vuilicarius* Senonensis, *Lullus* Moguntinus, *Gavienus* Turonensis, *Ado* Lugdunensis, *Herminardus* Bituticensis, *Daniel* Narbonensis, *Tilpinus* Remensis, *Herulfus* Lingonensis, *Herembertus* *Baialfus*, *Giselbertus*, & Joseph, incertarum Sedium Antistites.

Duodecim Episcopi Gallicani Synodo Romanæ adsunt sub Stephano Quarto.

Habita Synodus anno septingentesimo sexagesimo-nono, mense Aprili. Præfuit *Stephanus Papa*, consederunt Itali & Gallicani Episcopi mox nominati. Adductus ad Synodum *Constantinus* Antipapa, & de invasione Sedis Apostolicæ interrogatus, vim sibi à populo Romano factam dixit; ac in terram prostratus, veniam à Patribus precatus est: sed mutatô consiliô, sequenti die suam propugnare voluit Ordinationem, reponens *Sergium* Ravennatem, & *Stephanum* Neapolitanum Archiepiscopos, ex Laïcis esse consecratos. Tum illum colaphis cædi jussum, extra Ecclesiam ejecerunt, & Acta Conciliabuli, quod in suæ intrusionis confirmationem collegerat, igni tradidere. Post hæc, populus, confessione factâ, veniam deprecatus est, quòd de manibus *Constantini* Communionem suscepisset. *Tunc allatis sacratissimis Canonibus: eisque liquidò perscrutatis, prolata sententia est ab eodem Sacerdotali Concilio, sub anathematis interdicto, ne ullus unquam præsumat Laicorum, neque ex alio Ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatûs honorem posse promoveri*; ut testatur Anastasius Bibliothecarius.

Acta Synodi contra Constantinum Antipapam.

De Episcopis verò, Presbyteris, & Diaconis, quos *Constantinus* consecraverat, statutum est: *Ut Episcopi illi, si aliquis eorum Presbyter aut Diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverteretur. Et si placibiles fuissent coram populo civitatis suæ, denuo factô decretô electionis, more solito: cum Clero & plebe, ad Apostolicam advenissent Sedem, & ab eodem Sanctissimo Stephano Papa, Benedictionis suscepissent consecrationem.* De Presbyteris & Diaconis idem statutum, additúmque, ut qui ex iis consecrandi erant, ad Episcopalem Dignitatem nusquam promoverentur: qui verò ab eodem ex Laïcis ordinati erant, in religioso habitu, reliquo vitæ tempore permanerent. Hâc promulgatâ sententiâ, Episcopi illi, qui ab eodem *Constantino* ordinati fuerant, ab eodem Sanctissimo Papa consecrati sunt. *Ita enim in eo Concilio statutum est, ut omnia quæ iisdem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis ac divino cultu egit, iterata fuissent, præter sacrum Baptisma, atque sanctum Chrisma.* Denique hac in Synodo sancita est sacrarum imaginum veneratio, damnatáque Constantinopolitana Pseudosynodus à *Constantino Copronymo* adversùs earum cultum congregata. Hæc habentur ex *Anastasio*, in Vita *Stephani Quarti*.

Ordinationes ab Antipapa Constantino celebratæ, à Stephano IV. iteratæ non fuerunt.

Ex *Anastasii* narratione difficultas oritur gravissima de Sacrarum Ordinationum iteratione. Videtur enim iterum ordinasse Episcopos, quos Antipapa *Constantinus* consecraverat. Sed respondemus, Sacramentum Benedictionis vocari ab *Anastasio* quod Sacramentale duntaxat quoddam fuit, ritúsque sacer, quô antiquitus depositi, & gradu suo dejecti, Pontificiæ reconciliationis beneficio ad pristinos honores iterum promovebantur, & pristinos in gradus restituebantur. Ritum etiam illum *Consecrationem* appellavit *Anastasius*, quia cùm Ordinum suorum insignia reciperent coram altari, & Benedictione Episcopi reconciliarentur, ac potestatem obeundi munia Ordinum quos illegitimè surreperant, ejus indulgentiâ consequerentur, videbantur quasi de novo consecrari. Alio modo respondet *Auxilius*, lib. 2. *De Ordinationibus Formosi Papæ*, Cap. 4. *Numquam exemplum à malis esse sumendum*... *Quocirca Constantinus, qui Neophytus, armisque circumseptus, Apostolicam sibi Cathedram usurpavit, jure damnatus, atque dejectus est. Jam verò quòd eum oculis privarunt, non Apostolicum, sed Apostaticum est. Ordinationem quoque ejus, non rectitudinis intuitu, sed invidiæ zelo, contra Sanctorum Patrum sanctiones, in pristinos deposuerunt gradus.* Et infra: *Bene quòd Neophytum ab Apostolica Celsitudine projecerunt. Sed manifestò in eis peccaverunt, qui secundùm Canones ordinati fuerant, & eos deponere non formidarunt, eósque nefario ausu iterum in eadem Ordinatione consecrandos esse statuerunt. Alioqui frustra Sanctissimus Leo Papa consulit ut Pseudoëpiscopi abjiciantur, & eorum Ordinatio rata consistere possit. Frustra enim Papa Anastasius præfixit, ut Ordinationes Acacii nulla portio læsionis attingeret.* Verùm multò verisimilius est *Stephanum Quartum*, & Episcopos, qui in Romana Synodo cum ipso sederunt, non ita fuisse Traditionis nescios, ut ordinatos à *Constantino* qui verè, & si non legitimè & canonicè consecratus erat Episcopus, iterum ordinandos censerent. Ut enim alia omittam, non ignorabant celebre illud *S. Gregorii* Magni responsum, lib. 2. Epistola 32. ad *Joannem* Episcopum Ravennatem data: *Illud autem quod dicitis, ut is, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum: nisi fortè quod exemplum ad medium deducitur, de quo ille judicandus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem de Fraternitate vestra sic sapere: sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet; ita qui ordinatus est semel, in eodem Ordine iterum consecrari non debet. Sed si quis forsitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpâ Pœnitentia indici debet, & tamen Ordo servari.* Non ignorabant Decretum Concilii Capuani, quo

Bonosi

Bonosi hæretici Ordinationes probatæ sunt; nec Synodi Carthaginensis Tertiæ sanctionem, quâ Concilii Capuani sententia confirmata est. Non ignorabant *S. Augustinum*, lib. 1. *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. 1. probare, non esse iterandum Hæreticorum Baptisma, quia nec Sacramentum dandi Baptismi, id est, Ordinatio, in eis iteratur. Non est igitur existimandum eruditum Pontificem, cæterisque Præsules, præcipuè Gallicanos, qui sacra eruditione erant conspicui, à Traditione defecisse, & sanxisse, ordinatos à *Constantino* Antipapa, iterum esse ordinandos.

Post Romanam Synodum, mortuo *Sergio* Ravennate Archiepiscopo, *Michael* ejusdem Ecclesiæ Scriniarius, à *Maurisio* Duce Ariminensi, annuente *Desiderio* Rege Longobardorum, in illam Sedem intrusus est, quem *Stephanus* Papa exauctoravit, & *Leonem* ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum consecravit, teste *Anastasio Bibliothecario*.

Stephano molestiam crearunt *Desiderii* Regis Longobardorum nefariæ molitiones adversùs *Christophorum* Primicerium, & *Sergium*, qui in Pontificis amicitia cum Regibus Francorum *Carolo* & *Carolomanno* arctissimè nectenda fovendâque, in Ecclesiæ Romanæ bonum, studiosissimè laborabant. Hos enim de medio auferri decrevit, ne consiliis suis in futurum adversari possent. Ipsos è Conjuratorum manibus eripere non potuit Pontifex, nec impedire quin ipsis eruerentur oculi. Quo ex vulnere triduo post obiit *Christophorus*; *Sergius* verò in Monasterium *Clivi Scauri* deportatus, & postmodum in Cellarium Lateranense deductus, ibi usque ad *Stephani* Papæ obitum permansit. De hoc virorum optimè de Ecclesia meritorum fato, fusè *Anastasius Bibliothecarius*.

Anno septingentesimo septuagesimo, *Stephanus Quartus* Carolo & Carolomanno Regibus Francorum redintegratam inter eos amicitiam gratulatus est, ipsósque *S. Petri* nomine est obtestatus, ut Sedem Apostolicam contra Longobardos tuerentur: ab iisque *S. Petri justitias* exigerent, id est, restituere cogerent civitates, quas adhuc retinebant, & cuilibet illas redditas asserenti fidem denegarent. Id constat ex Epistola *Stephani Quarti* ad *Carolum* & *Carolomannum*, quæ extat in Codice Carolino quadragesima septima.

Stephanus Quartus Reges Christianissimos obtestatur ne cum Longobardis affinitatem contrahant.

Scriptis ad eosdem Reges literis, *Berta* Reginæ Matris consilia vehementer improbavit, quæ *Desiderii* Regis Longobardorum filiam ex Italia secum adduxerat, eam ut alterutri filiorum uxorem traderet. Illos hortatus est ne uxores suas repudiarent, & alias superducerent, quod Christianis Principibus indignum: & ne conjugium inirent cum alienigenis, & præcipuè cum Longobardorum Regum filiabus, qui perjuri erant, & Romanæ Ecclesiæ inimici. In memoriam revocavit exemplum *Pippini*, qui *Constantino Copronymo* Imperatori sororem eorum *Gisilam* uxorem dare noluit, quamvis ardentissimis votis expetitam. Obtestatus est ne contra Apostolica mandata & voluntatem Pontificis nuptias ipsis indecoras, & Ecclesiæ rebus incommodas contraherent: neque *Gisilam* sororem filio *Desiderii* Regis collocarent: hoc enim fœdere violatum iri amicitiam, & fidem, quam Sedis Apostolicæ Pontifici promiserant. Ipsos, inquam, adjurat per Deum vivum & verum, per tremendi judicii diem, per omnia divina Mysteria, & sacratissimum corpus *Sancti Petri*, ne hujusmodi nuptiis consentiant. Hanc adjurationem in Confessione *Beati Petri* se posuisse testatur, & Sacrificium super eam atque hostias Deo obtulisse, & cum lachrymis ex eadem sacra Confessione eam direxisse. Contra quam si quis agere præsumpserit, *Sciat se auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis anathematis vinculo esse innodatum, & à Regno Dei alienum, atque cum Diabolo & ejus atrocissimis pompis, & cæteris impiis æternis incendiis concremandum, deputatum.* Hanc adjurationem & Epistolam misit per Legatos, *Petrum* Presbyterum, & *Pamphilum* Defensorem Regionarium. Extat in Codice Carolino quadragesima-quinta.

Obiit *Stephanus Quartus* anno Christi septingentesimo septuagesimo secundo, Kalendis Februariis, cum sedisset annos tres, menses quinque, dies viginti octo, & Ordinatione una mense Decembri factâ, Presbyteros quinque, Diaconos quatuor, plures Episcopos inaugurasset. Statuit *Ut omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observabant Missarum solemnia, super altare Beati Petri celebraretur*, & GLORIA IN EXCELSIS *diceretur*. Scilicet olim à solis Episcopis dici poterat hic Hymnus, à Presbyteris verò solo Paschatis die dicebatur, ut initio libri Sacramentorum *Sancti Gregorii* legimus. Quâ de re doctissimus Cardinalis *Bona*, lib. 2. *Rerum Liturgicarum*, Cap. 4. num. v. legi potest.

Gloria in excelsis olim uno Paschatis die à Presbyteris, aliis diebus à solis Episcopis in Missa dicebatur.

ARTICULUS IX.

De Hadriano Primo.

CUm Romana Sedes octo tantùm dies post obitum *Stephani Quarti* vacasset, *Hadrianus*, civis Romanus, nobilitate, pietate, eruditione, caritate in pauperes, studio traditionis, & prædicationis Evangelicæ, constantia, cæterisque virtutibus conspicuus, ex Diacono Cardinali creatus est Pontifex. Ipsâ electionis suæ die, revocavit Judices tam de Clero, quàm de militia, qui in exilium sub *Stephani Quarti* obitum à *Paulo* Cubiculario, cognomento *Afiarta* fuerant deportati, & cæteros, qui in carcerem conjecti erant, libertate donavit. Ut primum consecratus est, Oratores ad ipsum direxit *Desiderius* Rex Longobardorum, qui suo nomine ipsi amicitiam jurarent, & civitatum Pontificiæ ditionis, ex Pippiniana Donatione, quas retinebat, restitutionem integerrimam. Juratis ægrè credidit *Hadrianus*, & Legatos ad *Desiderium* misit, qui civitates reciperent: & mutuam ipsi amicitiam nomine suo sponderent. Sed vix illi Româ discesserant, cùm nuntium pervenit de nova *Desiderii* fraude, qui Faventiam urbem, & Ducatum Ferrariæ, & Comaclium Ravennatis Exarchatus civitatem invaserat, & summam annonæ difficultatem Ravennatibus inferebat. Tentare barbari Regis animum decrevit Pontifex, missis ad eum Legatis, *Stephano* Sacellario, & *Paulo* Cubiculario, cum literis, quibus ipsum monebat, obsecrabat, adjurabat, ut Civitates tyrannicè occupatas Ecclesiæ restitueret. Sed novâ ille adinventâ strophâ, respondit, id se priùs non impleturum, quàm Pontifex cum ipso his de rebus præsens contulisset. Fraudem nectebat *Desiderius*: Pontificem namque adigere decreverat ad *Carolomanni* filios, qui se ejus patrocinio cum matre commiserant, ungendos in Reges Francorum, eô consiliô ut Francicam Monarchiam turbaret, *Hadrianum* Papam à *Caroli* Francorum Regis amicitiâ divelleret, sicque Urbem, & Italiam totam, Longobardorum Regno subjiceret. Spem ipsi faciebat *Paulus* Cubicularius, alter ex Apostolicis Legatis, quem muneribus & promissis corruptum in partes pellexerat, fore ut Pontificem ad eum vi aut arte deduceret. Verùm *Hadrianus* prudentiâ singulari & invictâ constantiâ eorum dolos & insidias elusit. Contigit namque ut *Paulus* necis illatæ *Sergio* Secundicerio, qui cæcus in Cellario Lateranensi degebat, famâ publicâ reus proclamaretur. Quam occasionem velut cœlitus oblatam captans Pontifex, clàm dedit

Hadriani I. magnanimitas & prudentia.

in mandatis *Leoni* Archiepiscopo Ravennati, ut ipsum ex Longobardi Regis Aula redeuntem, seu Ravennæ, seu Arimini in custodia detineret. Quod cùm implevisset *Leo* Archipræsul, quæstio de *Sergii* nece ab Urbis Præfecto habita est, jubente Summo Pontifice: *Paulo* Cubiculario decrevit exilium *Hadrianus*: eúmque Constantinopolim deportari mandavit. Sed Ravennas Archiepiscopus ipsum, inscio Pontifice, jussit occidi. Ob extinctum Longobardicæ factionis principem, actus in furorem *Desiderius*, in Umbriam cum exercitu irrumpens, Senogalliam, Montem Feretri, Urbinum, Eugubium, aliasque civitates & Castra Pontificiæ ditionis occupavit, ferro & igne omnia longè latéque devastans. Ipsum ad æquitatem ac pietatem revocare conatus est *Hadrianus*, missa legatione viginti seniorum Monachorum cum Abbate Monasterii Beatæ Virginis in territorio Sabinensi: at nihil ab ipso obtinuere venerabiles Dei servi. Ut verò se à pace & justitia Sedi Apostolicæ reddenda minimè alienum simularet, Legatos & ipse misit ad *Hadrianum*, qui ad mutuum colloquium cum ipsum habendum illum invitarent. Id se facturum negavit Pontifex, donec Rex Longobardorum civitates omnes restituisset. Legatos non semel direxit, qui eas exigerent, seciperéntque: Sed nullus tot legationum obrestationúmque fructus: precibus Pontificis minis respondebat obstinatus Princeps, Romanos fines populari pergebat, ad Urbis obsidionem propediem venturus. Quamobrem Pontifex dum Civitatis munitiones curabat, ut Longobardorum insultibus obsistere posset, ad solitum Sedis Apostolicæ præsidium, Francorum scilicet gentem, confugit. Legatos maritimo itinere misit ad *Carolum* Regem, obsecrans ut, *Pippini* genitoris exemplo, Romanæ Ecclesiæ succurreret, & *Desiderium* Regem ad Civitatum, quas hucusque detinuerat, vel nuper invaserat, restitutionem compelleret. *Carolus* bellum adversùs *Desiderium* decrevit in generali Francorum conventu Genevæ habito. Interim *Desiderius* cum *Adalgiso* filio, & exercitu, Romam versùs iter arripuit, secum ducens uxorem & filios *Carolomanni* Francorum Regis nuper defuncti, misitque Legatos qui suum in Urbem adventum Pontifici denuntiarent. Intrepidus Pontifex negavit se suscepturum Longobardorum Regem, nisi priùs civitates Apostolicæ Sedi restituisset: Urbem muniri, ac præsidiis majoribus atque intentioribus custodiri præcepit, collecto ex Tuscia, Campania, Ducatu Perusino, & Pentapolitanis Civitatibus exercitu, ad propulsandos Longobardos. Tum sententiam excommunicationis in scriptis latam *Desiderio* Regi significavit per tres Episcopos ad eum missos, quam esset ipso facto incursurus, si fines Romanorum, absque Pontificiâ venia, ingrederetur, cùm ipse, tum Longobardi, necnon *Autcharius* Francus, qui cum uxore & filiis *Carolomanni* in Longobardiam confugerat. Hoc fulmine territus *Desiderius*, qui non omnem religionis sensum exuerat, Viterbio in Longobardiam reversus est, teste *Anastasio Bibliothecario*. Ut recessit *Desiderius*: Spoletini, Firmani, Auximani, Anconitani, & Castelli Fœlicitatis incolæ, volente Deo, sponte se Pontifici Maximo subdidere, hósque Ducatus & civitates recepit in fidem & obedientiam *Hadrianus*.

Anno 774. *Carolum* Regem Francorum Romæ honorificentissimo suscepit apparatu, de quo *Anastasius Bibliothecarius*. eique Codicem Canonum obtulit, ad usum Occidentalium Ecclesiarum: quem *Henricus Canisius* primus in lucem edidit *Tomo VI. Antiqua Lectionis*. In illa Epitome continentur Canones Apostolici quadraginta quinque, Ancyrani viginti quatuor, Neocæsarienses quindecim, Gangrenses viginti, Antiocheni viginti quinque, Laodiceni octo & quinquaginta, Sardicenses unus & viginti, Carthaginenses tres ac triginta, Africani quinque supra centum. Rectè contendit doctissimus *Sirmondus* Tomo 2. Conciliorum Galliæ, oblatam Carolo non Epitomem, sed integram Collectionem Canonum, ex quibus illa Epitome deinceps conflata est, tum Decretalium à *Siricio* ad *Gregorium Juniorem*: denique illi datum esse librum, qui *Codex Canonum* à *Nicolao* Papa dicitur (D. 19. C. *Si Romana Ecclesia*) quique Moguntiæ primùm excusus anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, in editione postea Parisiensi anno millesimo sexcentesimo decimo-nono inscriptus est, *Codex Canonum vetus Ecclesia Romana*. Collectio continet viginti Canones Nicænos, Constantinopolitanos, Ephesinos, Chalcedonenses, qui in Epitome desiderantur. Romani Pontificis Epistola velut dedicatoria, quæ Collectioni Canonum præfixa est, primis singulorum versuum literis hunc titulum reddit: *Domino Excellentissimo Filio Carolo Magno Regi Hadrianus Papa.*

Collectio Canonum Carolo Magno ab Hadriano data.

Hadrianum Primum jus concessisse *Carolo Magno* eligendi Romanum Pontificem, & Investituram concedendi singulis Episcopis, tradit *Sigebertus* ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-tertium, ex quo *Gratianus* Dist. 63. Cap. *Hadrianus*, hæc pene ad verbum exscripsit: *Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad defendendas res Ecclesia postulavit. Carolus verò Romam veniens, Papiam obsedit, ibique relictò exercitu, in Sancta Resurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorificè susceptus est, post Sanctam verò Resurrectionem reversus Papiam, suscepit Desiderium Regem, deinde Romam reversus, constituit sibi Synodum cum Hadriano Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris, qua Synodus celebrata est a CLIII. Episcopis Religiosis, & Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum universa Synodo, tradiderunt Carolo jus & potestatem eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem; dignitatem quoque Patriciatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias ab eo Investituram accipere definivit, & ut, nisi à Rege laudetur & investiatur, Episcopus à nemine consecretur, & quicumque contra hoc Decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit.* Legitur apud eumdem *Gratianum*, Cap. 23. ejusdem Distinctionis, similis concessio facta *Othoni Primo*, Regi Teutonicorum à Leone Octavo *ad exemplum Beati Hadriani Apostolica Sedis Antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum Patritiatus dignitatem, ac Ordinationem Apostolica Sedis, & Investituram Episcoporum concessit.* Sed istam concessionem fictitiam esse probat *Anastasii Bibliothecarii*, *Eginhardi*, & antiquorum Auctorum, qui res gestas *Caroli Magni* scriptis commendarunt, silentium. Secundò, duplicis adventus *Caroli Magni* Romam intra eumdem annum narratio repugnat testimoniis Auctorum Carolo synchronorum. Tertiò, nec Patritiatum ullum *Hadrianus Carolo* concessit, nec ipsi dignitatem Patritiatûs contulit in commentitia illa Synodo: siquidem *Stephanus Tertius* ipsum cum *Pippino* Patre & *Carolomanno* fratre, Patritium Romanorum appellaverat. Quartò recentius est ævo *Caroli* Investituræ nomen, ad significandam Episcoporum institutionem usurpatum. Quintò, incredibile est quòd *Carolus* post Pascha Papiam redierit ad Castra, Urbem illam Regni Longobardici caput ad deditionem compulerit, ibi rebus ordinatis, Romam redierit, Synodo interfuerit, inde Spiram adierit; & Laureshamensis Ecclesiæ Dedicationi interfuerit postridie Idus Augustas: hæc, inquam, omnia tam brevi temporis intervallo confecta, haud

Hadrianus P. jus eligendi Romanum Pontificem, & investituras concedendi singulis Episcopis, Carolo Magno non concessit.

Gratianus refellitur.

haud verisimile est. Sextò, neque *Carolus*, nec ejus filii, fictitio illo jure in Romani Pontificis electione unquam sunt usi. Septimò *Hadrianus* in Epistola ad *Carolum Magnum* datâ anno septingentesimo octogesimo septimo, indicat desiderium Christianissimi illius Regis ut Episcopi Ravennatis electio non fieret absque Missorum suorum interventu. Cui respondet *Hadrianus*, Id nunquam factum; sed morem istum observatum etiam temporibus *Pippini* Regis, ut Decreto Cleri atque plebis ad Sedem Apostolicam perlatô, proprium Antistitem sibi consecrandum Ravennates peterent. Multominùs ergo concessisset *Carolo* jus eligendi Romanum Pontificem. In altera verò Epistola scripta ad eumdem anno septingentesimo septuagesimo quarto, quô Longobardorum Regno potitus est, docet à se factas Episcoporum in Regno Longobardico constitutorum Ordinationes, post Cleri & plebis Decretum ad se missum. Jus itaque investiendi sive instituendi Episcopos *Carolo* non concesserat in Romana Synodo. Octavò, *Florus Magister* in Tractatu *de Electione Episcoporum*, quem scripsit circa annum octingentesimum vigesimum secundum, consensum Regis Episcoporum electionibus consuetudine inductum docet. Ipsi ergo incognita erat Concessio *Hadriani*, & Romanæ Synodi. *Lupus* etiam *Ferrariensis* Abbas Epistola 81. de jure Regum in electionibus stabiliendo tractans, omne robur trahit à concessione *Zacharia Pippino* Regi factâ, non omissurus Privilegium ab *Hadriano Primo* & Romana Synodo *Carolo Magno* collatum, si quod extitisset. *Leonis* autem *Octavi*, Antipapæ, nulla est in contrarium auctoritas, qui falsô exemplô se muniit, ut Privilegium à se concessum *Othoni*, à quo fuerat intrusus, specioso colore indueret.

Hadriano Papæ molestus fuit *Leo* Archiepiscopus Ravennas, qui multas Æmiliæ civitates, cum Pentapoli, sibi concessas à *Carolo* Rege Francorum mentiebatur, illásque ad defectionem solicitabat, de cujus audaciâ non semel conquestus est datis ad eumdem Regem literis. Sed *Carolus Leonem* cum Pontifice conciliavit.

Capitulorum Collectio ab Angelramno oblata Hadriano I. ejusdem Pontificis nomine Sub al. Hincmaro, & aliis palàm accepta.

Novam Capitulorum Collectionem ab *Ingelramno* sive *Angelramno* Metensi Episcopo sibi oblatam suscepit *Hadrianus I.* anno Christi septingentesimo octogesimo quinto. Capitula ista *Hadriano* Papæ tribuit *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus in Opusculo adversùs Hincmarum Laudunensem, cap. 24. ab eoque *Angelramno* datam hancce Collectionem affirmat: & editiones pleræque omnes sub *Hadriani* nomine illam exhibent. Sed illam *Angelramno* inscribunt Codices MSS. optimæ fidei, & venerandæ antiquitatis in Bibliotheca Monasterii *S. Victoris* Parisiensis & Monasterii *Latiensis*. Præterea, Collectio illa supposititias Romanorum Pontificum à *Sancto Clemente* ad *Siricium* Epistolas complectitur, quas genuinas non esse noverat *Hadrianus*: siquidem Codex Canonum, quem *Carolo* Regi obtulit Romæ anno Christi 774 Decreta Romanorum Pontificum à *Siricio* duntaxat ad *Gregorium Juniorem* complectitur. Addidisset autem & Epistolas priorum Pontificum, si ullius fuissent apud ipsum auctoritatis. Rectè igitur *Antonius Augustinus* Juris Canonici peritissimus Præsul, ista Capitula *Hadriano Primo* adjudicat, Dialogo decimo-quinto *de Emendatione Gratiani*.

Pseudepigraphū Hadriani I. privilegium Monasterio Turonensi Sancti Martini.

Nothum videtur privilegium, quod Hadriani Primi nomine inscriptum, & Ecclesiæ Turonensi Sancti Martini concessum edidit Vir Cl. Radulfus Monsnier in Libro cui titulus est: *Celeberrima Sancti Martini Turonensis Ecclesia jura propugnata*. Plurima sunt suppositionis argumenta. 1. Stylus privilegii, stylo Epistolarum Hadriani I. planè dissimilis est. 2. In Collectione Epistolarum illius seu in Codice Carolino non habetur. 3 Nulla Hadriani Epistola, Rescriptum nullum sic incipit: *In nomine Domini ego Hadrianus Papa*, quemadmodum incipit istud Privilegium. 4. Hæc loquendi formulæ, *Hujus decretum privilegii*: &, *Auctoritate Dominici Beati Apostolorum Principis Petri*, stylum Pontificium non sapiunt. 5. Purum putum figmentum est quod Monasterium Turonense Sancti Martini à priscis temporibus ad usque Pontificatum Hadriani I. proprium & claustralem Episcopum habuerit: nec ullam veri speciem habet quòd Hadrianus Primus id concesserit Turonensi Monasterio. Designari tempus non potest quo Episcopatus iste claustralis erectus sit, nec primus Episcopus indicari, nec dici à quo Pontifice, quando & ubi, an Romæ, an Cæsarodum Turonum institutus. Verisimile non est quod rem adeo singularem & insolitam nemo Historicorum qui ante Hadrianum I scripserunt, memoriæ commendasset, quòd eam siluissent Fredegarius in Chronico ad annum 768. perducto, & Anastasius Bibliothecarius in Vita Hadriani I. nec etiam verisimile est Hadrianum I. doctissimum Pontificem & Ecclesiasticæ Disciplinæ studiosissimum, aut ejus Decessores, in urbe aut suburbio Turonensi alterum Episcopatum instituisse aut confirmasse contra Canones Spiritu Dei conditos & totius Mundi reverentiâ consecratos, cùm Nicæni Concilii Canone octavo sancitum sit, *Ne in una Civitate duo Episcopi probentur existere*. Præterea, legisset atque expendisset Hadrianus I. Adeodati Privilegium, quod eo dicitur confirmari cujus in examine versamur: compertumque & exploratum habuisset proprium & claustralem Episcopum ab Adeodato institutum ac datum non fuisse Monasterio & Ecclesiæ S. Martini, ut observavimus in Synopsi Historiæ superioris Sæculi Cap. I. Articulo V. §. III. Incredibile prorsus est, absque ullo in tota retro Antiquitate Ecclesiastica exemplo, quòd Episcopatus claustralis institutus fuerit in urbe Episcopali & Metropolitana ad prædicandum peregrinis, quasi ad hanc functionem non sufficerent simplices Presbyteri sive sæculares sive Regulares ab Episcopo missi ac deputati. Pseudepigraphum igitur Privilegium, & Hadriano I. suppositum est, quod sic habet: *Ideo secundum antiquam consuetudinem eidem venerabili loco Apostolicæ Institutionis censuram confirmari à nobis deposcit, quatenus privilegium quod à prædecessore nostro sanctæ recordationis Domino Adeodato claruit in isto tempore, nostra Apostolica ejusdem Auctoritas confirmaret. Idcirco vestris annuentes votis, præfati Patris institutionis Decretum prorsus Apostolicis Infulis sancimus, simulque eadem roboramus, Apostolicam sequendo normam. Quapropter auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis fulti, decernimus condicto Monasterio vestro, statuentes prorsus omnia quæ usque nunc sunt, & ut liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus qui à diversis regionibus devota mente quotidie ad sancta ejusdem Confessoris Christi Monasterii limina concurrit, remedia percipiat à Creatore animarum. Et quando Episcopus sancti præfati loci de hoc sæculo migraverit, & alius ab Abbate, necnon eadem Congregatione Religiosius electus fuerit, sine qualibet controversia, ne longitudo itineris obsit, à vicinis Episcopis, sicut mos extitit, ordinetur.* Sextò, temporis nota pseudepigraphum esse Privilegium indicat. Datum enim dicitur *Indictione nona, Carolo Romanorum Patritio*. At Indictio nona cum Patritiatu Caroli Magni non concurrit. Hæc enim in annum 786. indicit Patritiatus verò Caroli Magni anno 754. consignatur in Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronii. Accedit quòd Hadriani I. Epistolæ vel nullam temporis notam habeant, vel per annos Imperatorum simul & per Indictiones consignatæ

sint, ut Epistola ad Actardum Nannetensem Episcopum. Denique Hadrianus Secundus ad Carolum Calvum scribens Epistola trigesima-tertia figmentum claustralis Episcopi in Monasterio & Ecclesia Sancti Martini à priscis temporibus instituti & ab Hadriano Primo confirmati evertit, cùm ejus Majestatem rogat ne Metropolitanam Ecclesiam Turonensem, meritis gloriosissimi Confessoris Christi Martini honorabilem *destrui, desolari & dehonorari* suo tempore patiatur: Hortatur ut omnibus servet *sua jura Metropolitanis. Nostis enim*, inquit, *quia omne Monasterium in potestate Episcopi consistere debet juxta canonicam auctoritatem: & quia hoc est transgressum, ideo plurima Monasteria habentur destructa, sicut Monasterium Sancti * Martini Turonis, in quo jacent Episcoporum primi Turonensium Litorius & Gatianus; sicut & Monasterium Majus; sicut etiam alia in eadem civitate Monasteria, quæ forsitan per Episcopale Ministerium, & vestrum sapientissimum consilium, & largissimum donum, poterunt redire ad priorem statum. Debent enim vici omnes cujuslibet Parochiæ in potestate consistere Præsulis, sicut moris est Ecclesiis plurimis.* Non dixisset certè Hadrianus Secundus Turonicum Sancti Martini Monasterium per Episcopi Metropolitani Turonensis ministerium in priorem statum restitui posse; non dixisset omne Monasterium, ne hoc quidem excepto: in potestate Episcopi consistere debere juxta canonicam auctoritatem, si Monasterium illud celebre Sancti Martini proprium Episcopum claustralem habere, & ab antiquis temporibus habuisse novisset, atque à lege Diœcesana & Jurisdictione Turonensis Episcopi omnimodis solutum & liberum esse ac fuisse.

Sic emendandum & legendum est, non prout in editum S. Medardi Turonensis, errore manifesto Scribarum vel Typographorum, cùm nullum sit Turonibus S. Medardi Monasterium.

Hadrianus I. Legatos mittit ad Synodum Oecumenicam Septimam.

Ad Synodum Septimam Oecumenicam Nicææ, celebratam pro damnanda Iconomachorum hæresi, & sacris imaginibus restituendis, ac earum cultu vindicando, Legatos misit *Hadrianus*, *Petrum* Archipresbyterum Ecclesiæ *S. Petri*, & *Petrum* Abbatem *Sancti Sabæ*, qui ejus nomine Synodo præfuere, anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo. Damnavit etiam *Felicianam* de adoptione Christi hæresim, contra quam Epistolam eruditam scripsit ad Hispaniæ Antistites, quæ in Synodo Francofordiensi lecta est, & secundum eam damnata hæc hæresis, præsentibus ejus Legatis *Theophylacto* & *Stephano* Episcopis. Respondit ad Capitula ex libris Carolinis adversùs Nicænam Secundam Synodum in Synodo Francofordiensi excerpta, & inde Romam ad se transmissa. Pallium concessit *Ermemberto* Archiepiscopo Bituricensi. *Carolum* Francorum Regem rogavit, ut nullum Ravennatem aut Pentapolitanum in conspectum admitteret absque litteris Pontificiis, quemadmodum ipse neminem è Regia ditione, absque Regiis litteris admittere decreverat. Urbem novis ædificiis ornavit, Ecclesias restauravit plurimas, & muneribus donavit magnificis. * Obiit septimo Kalendas Januarias anno Christi septingentesimo nonagesimo quinto, cùm annos viginti tres, menses decem, & dies septemdecim sedisset, ac Ordinationibus duabus mense Martio celebratis Presbyteros viginti quatuor, Diaconos septem, Episcopos centum octoginta quinque ordinasset. Romæ ad *Beatum Petrum* sepultus est, non Nonantulæ, ut quidam scripsere.

Felicis & Elipandi hæresim damnat.

De his Anastasius Bibliothec. ejus Vita.

Hadriani I. mortem luget Carolus Magnus Rex Christianissimus.

Carolus Magnus Rex Francorum *nuntiato sibi Adriani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, sic flevit, ac si fratrem, aut charissimum filium amisisset*, (inquit *Eginhardus in Vita Caroli Magni*) Eleemosynas conjunxit officia, suffragiáque cum eleemosynis, nec tantùm per suas ditiones: sed etiam per extera regna, quorum Reges ad eamdem pietatem scriptis Epistolis provocavit, & inter alios *Offam* Merciorum Regem, ut constat ex litteris à *Willelmo Malmesburiensi* descriptis lib. 1. *De Gestis Regum Anglorum*, cap. 4. Ejusdem Pontificis sepulchrum hoc ornavit Epitaphio:

Epitaphium Hadriano I. à Carolo Magno positum.

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis, ex magna genitus jam gente Parentum,
Sed sacris longè nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore Pastor
Semper ubique suo Templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos & dogmate sancto
Imbuit, & cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs, caput orbis, honor, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta est,
Janua sed vitæ mors melioris erat.
Post Patrem Carolus lacrymans hæc carmina scripsit:
Tu mihi dulcis amor, te modo plango, Pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas Regna beata poli.
Te Clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime Præsul, eras.
Nomina jungo simul titulis, Clarissime, nostra;
Hadrianus, Carolus; Rex [illegible], túque Pater.
Qui que legis versus, devoto pectore supplex,
Amborum, [illegible], dic, miserere Deus.

ARTICULUS X.

De Leonis Tertii initiis.

EAdem, quâ *Hadrianus Primus* decessit die, *Divina inspiratione, unâ concordiâ, eadem voluntate, a cunctis Sacerdotibus, seu Proceribus, & omni Clero, necnon ab Optimatibus, & cuncto populo Romano, Dei nutu*, electus est Successor *Leo Tertius*, inquit, *Anastasius bibliothecarius*. Is patre natus erat *Asupio* cive Romano, à teneris in Vestiario Lateranensis Patriarchii educatus; & in Psalmodia, Divinísque Litteris institutus, castimoniâ, facundiâ, animi constantiâ insignis, Monachorum amicissimus, quorum colloquiis & societate in orando plurimùm delectabatur. In Pauperes & infirmos beneficentissimus, & ferventissimis adhortationibus divites assiduè provocans ad miseriam pauperum largis eleemosynis sublevandam. His virtutum gradibus ad supremam Dignitatem ascendit: quam novorum illustravit splendore meritorum. *Erat enim*, inquit Anastasius, *Ecclesiasticarum rerum defensor, & contrariorum fortissimus expugnator, & mitissimus, & Ecclesiæ benevolus & præclarus amator, tardus ad irascendum, & velox ad miserendum, nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundum merita tribuens, sed pius ac misericors, à tempore Ordinationis suæ omnibus studens justitiam facere.* Verba sunt *Anastasii*.

Leonis III. virtutes.

Ut primum *Leo Tertius* creatus est Pontifex, suam ad Pontificatum promotionem *Carolo Magno* significavit, illiúsque postulavit amicitiam, suam vicissim ei pollicitus. *Carolus* ipsi creationem consentientibus omnium suffragiis factam gratulatus est, ad eúmque misit *Angilbertum* cum muneribus, ipsi dans in mandatis, ut de exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ, de stabilitate Pontificatûs eidem *Leoni* nuper collati, & de firmitate sui Patritiatûs ageret. *Illi*, inquit, *omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur, ut ex collatione mutua conferatis, quicquid ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel Patritiatus nostri firmitatem necessarium intelligeretis.*

Sicut

Sicut enim cum Beatissimo Prædecessore Sanctæ vestræ A
Paternitatis pactum inii, sic cum Beatitudine vestra ejusdem fidei & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero. Quatenus Apostolica Sanctitatis vestræ, divina donante gratiâ; Sanctorum advocatis precibus, me ubique Apostolica Benedictio consequatur, & Sanctissima Romana Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostrâ semper devotione defendatur. Nostrum est, secundùm auxilium divinæ pietatis, sanctam ubique Christi Ecclesiam ab incursu Paganorum, & ab infidelium devastatione, armis defendere, foris, & intus Catholicæ fidei agnitione munire. In hoc positus erat Patritiatus Romanus. Susceptâ *Caroli Magni* Legatione & muneribus, *Leo* per nuntios ad ipsum misit Claves Confessionis *S. Petri*, id est, ex Confessione seu sepulchro *S. Petri* acceptas, & vexillum Urbis Romæ, insigne supremæ potestatis. Tunc enim Roma cum Ducatu Romano sponte *Carolo* Regi Francorum deditionem fecit. Litteras etiam & Legationem à *Kenulpho* Merciorum Rege *Leo* Papa suscepit de sua creatione gratulatorias per *Athelardum* Archiepiscopum Dorovernensem, mutuásque ad ipsum Epistolas dedit, quibus gratias egit de dilectione & muneribus, & memoratum Archipræsulem plurimùm laudavit. Ex Hunnorum thesauris à *Carolo Magno* ad Apostolorum limina transmissis multas Ecclesias decoravit, extruxitque in Lateranensi Palatio Triclinium, seu Aulam opere magnifico, quæ ab ejus nomine *Leoniana* appellata est. De his *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vita Concilium Romæ celebravit idem Pontifex anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono adversùs Libellum, quem *Felix* Urgellitanus Episcopus *Alcuino* San-Martiniano apud Turonos Abbati dudum direxerat.

Regum Christianissimorum Patriciatus in Ecclesiæ defensione positus.

Eodem anno, septimo Kalendas Maii, immane facinus & sacrilegium in Pontificem commissum est, cùm Litaniam Majorem celebraturus procederet. *Paschalis* enim Primicerius, & *Campulus* Sacellarius cum nefariorum hominum manu ipsum aggressi, multis ipsum plagis afficere, oculos ei eruere, & linguam amputare sunt conati, & semivivum in platea reliquerunt, ac deinde in custodiam detrusere. Ex quâ ab *Albino* Cubiculario ereptus, & oculorum ac linguæ usu divinitus receptô Spoletum deductus est à *Vuinigiso* Duce, qui ad eum ex conjuratorum manibus eripiendum accurrerat. Inde ad *Carolum Magnum* Regem Francorum profectus est; cujus in occursum direxit Rex Christianissimus *Hildicaldum* Archiepiscopum & Capellanum, & *Ascharium* Comitem: & postmodùm *Pippinum* Regem filium suum, cum aliis Comitibus: postremò ipse Vicario Christi obviàm ivit. Post mutuos amplexus Pontifex Hymnum Angelicum, *Gloria in excelsis Deo*, cœpit canere. Dum in Galliis versabatur, conjurati, qui vitam ipsi eripere non potuerant, calumniis eum aggressi sunt, & missis ad Regem Libellis, falsa Sancto Pontifici crimina imposuere: quibus accusationibus insuperhabitis, *Carolus Magnus* ipsum Romam reduci jussit cum honorificentissimo comitatu, & fidelibus Missis, qui in Auctores seditionis inquirerent. Hi quæstione de accusatoribus *Leonis* habitâ, *Paschalem* & *Campulum* nefariæ conjurationis & sacrilegii Auctores, & eorum complices apprehensos in Franciam abduci curarunt. Ista constant ex *Anastasio Bibliothecario*.

Conjuratio in Leonem III.

Ad Carolum Regem Christianissimum confugit.

Caroli M. pietas erga Romanum Pontificem.

An oculis & linguâ penitus orbatus fuerit à sicariis *Leo Tertius*, non omnino certum est: Sed oculorum & linguæ usum, cum prospera valetudine, ipsum tam subitò recepisse, haud citra miraculum contigit. De his ita scribit *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vita. *Ipsi verò insidiatores atque operatores malorum, Judaïco more, sine ullo divino vel humano honoris intuitu, ferino more comprehendentes, in terram eum projecerunt, & absque ullâ misericordiâ scindendo expoliantes eum, crudeliter ei oculos evellere, & ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam lingua ejus præcisa est, & ut ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cæcum eum & mutum in media platea dimiserunt. Verum ipsi maligni, Paschalis & Campulus, sicut veri Pagani & impii, ad ipsius Monasterii Ecclesiam ante Confessionem eum trahentes, ante ipsum venerabile altare iterum oculos & linguam ampliùs crudeliter eruerunt, & plagis eum diversis & fustibus cædentes laniaverunt, & semivivum in sanguine revolutum ante ipsum altare dimiserunt.*

An oculi penitus eruti, & lingua præcisa Leoni III.

De his Annales Laureshamenses hæc habent: *Romæ Leo Papa cùm Litania processurus de Lateranis ad Ecclesiam Beati Laurentii, quæ ad Craticulam vocatur, equo sedens pergeret, in insidias à Romanis dispositas juxta eamdem Basilicam incidit. Ubi equo dejectus, & erutis oculis, ut aliquibus visum est, linguâ quoque amputatâ, nudus ac semivivus in platea relictus est.*

De his *Theophanes*, in Chronico: *Eodem etiam anno, * inquit, Beati Adriani Papa Romani affines tumultu in Leonem Papam excitato, oculis eum mulctaverunt. Verùm cùm homines ad eum excæcandum deputati, misericordiâ ducti, ei pepercissent aliquatenus; haud ei penitus oculorum lumen extinctum est. Leò subinde ad Carolum Francorum Regem confugit.*

* Tertio scilicet Irenes nerum Imperantis.

De his *Anastasius Bibliothecarius* in Historia seu Chronographia Tripartita, ad annum septimum Constantini & Irenes: *Eodem etiam anno*, inquit, *& Romæ cognati beatæ memoriæ Hadriani Papæ commoventes populum, tumultuati sunt contra Leonem Papam, & tenentes cæcaverunt eum, non tamen penitus lumen ejus extinguere potuerunt.*

De miraculo verò quô Sanctus Pontifex oculorum & linguæ usum recepit, ita scribit in ejus Vita: *Contigit cooperante Deo, & beato Petro Apostolo suffragante, cùm ab ipsis carnificibus in Monasterium Sancti Erasmi in custodiam mitteretur, ut visum reciperit, & lingua ad loquendum illi restituta sit.* Et infra, ait Dominum in eo adimplevisse misericordiam suam, *Ut manifestaretur gloria Dei, & mirabilia in illo, quemadmodum promisit sperantibus in se, Psalmista dicente: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? Et iterum: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis. Et verò à tenebris eum Dominus eripiens, lumen reddidit, & linguam ad loquendum restituit, & totis eum solidavit membris, & in omnibus operibus mirabiliter deducens confortavit.*

De his Poëta Saxonicus:

Transacto tempore pauco
Amissum recipit visum, paritérque loquelam;
Seu quia festinans tortor trepidánsque nefandis
Dum concurrentes metuit non talia turbas
Passuras, sed velle suum defendere Papam,
Non, quantum voluit, crudelia facta peregit;
Seu, quod credendum magis est, antiqua Redemptor
Per meritum Magni renovans miracula Petri,
Sanari Successorem donaverat ejus.

De his *Theodulphus Aurelianensis* libro tertio, Carmine sexto ad *Carolum Magnum*:

Arma et Pontificum, spes & defensio Cleri,
Per te Pontifices jura sacrata tenent.
Mentior, expertus si non Leo Præsul id ipse est,
Quod recitet modulo fistula nostra brevi.
Quem male dejecit sua gens, Urbs, atque Cathedra,
Quem letho potiùs, quàm tibi vita dedit.
Quem benè suscepit tua, Rex! miseratio clemens,
Solatur, mulcet, perfovet, ornat, alit.

Quem furibunda manus spoliavit lumine, linguâ,
Vestibus & sacris, Ordinibúsque prius.
Reddidit hæc Petrus, quæ Judas abstulit alter.
Hic qui Confessor, Proditor ille Dei est.
Seditiosa cohors Judam est hâc parte secuta,
Ille necem Domini, Præsulis ista volens.
Reddita namque negat, negat hæc ablata fuisse,
Hæc auferre tamen se voluisse canit.
Reddita sunt, mirum est; mirum est auferre nequisse;
Est tamen in dubio hinc mirer an inde magis.
Nam salvare Petrus cùm posset in Urbe Quirina,
Hostibus ex atris insidiisque feris.
Hoc tibi salvandum, Rex Clementissime! misit,
Téque sua voluit fungier ille vice.
Per se reddit ei membrorum damna pavenda:
Et per te Sedis Officiique decus.

De his *Paulus* Aquileiensis Diaconus libro vigesimo-tertio Historiarum, ad annum septimum Constantini & Irenes: *Eodem etiam anno, Romæ cognati beatæ memoriæ Adriani Papæ commoventes populum, tumultuati sunt contra Leonem Papam, & tenentes excæcaverunt eum, non tamen penitus lumen ejus extinguere potuerunt.*

De his Chronicon Moissiacense: *Instigante*, inquit, *diabolo, Romani comprehenderunt Leonem Apostolicum in ipsas Litanias, quod est septimo Kalendas Maii, & absciderunt linguam ejus & voluerunt eruere oculos ejus, & eum morti tradere. Sed, juxta Dei dispensationem, malum, quod inchoaverant, non perfecerunt.* Hæc Veterum Auctorum testimonia descripsi, ut judicet Lector, quantùm tribuendum sit recentioribus nonnullis, qui vel excæcatum penitus, & linguâ mutilatum *Leonem Tertium* affirmant, & linguam amputatam, erutósque oculos ipsi divinitus restitutos; vel absque miraculo sanatum negant. Cætera quæ *Leonis Tertii* Pontificatum spectant, sequenti sæculo commemorabo. Annum enim quartum duntaxat Pontificatûs numerabat octavo Sæculo desinente. Unde cùm annos viginti, menses quinque, & dies decem & septem sederit; nec migraverit è vita ante annum octingentesimum decimum-sextum, pridie Idus Junii; maxima pars rerum ab ipso, aut sub ipso gestarum ad Historiam Noni Sæculi pertinet.

Scholion I.

In hujus capitis Articulo quarto, pag. 55. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Suadendum ne quis tertio contrahat Matrimonium.*

R. Gregorii Tertii Romani Pontificis Epistolam Decretalem expendens, ejusque summa capita recensens, hæc habeo: *Sextò suadendum ait, ne qui secundam uxorem ducunt, alterius nubant.* De meo nihil addo. Sic porro Gregorius III. *Et si valueris, dextandum doce, ne cui uxor obierit, amplius quàm duabus debeat copulari.* Quibus consilium istud continentiæ non placet, multò magis displicebit si viduis mulieribus, pariterque viris suaderetur ut nec secundo nubant, sed in statu viduitatis maneant & continentiam servent secundùm Apostoli consilium I. ad Corinthios VII. *Beatior autem erit si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.* Ad propositionis verba sensumque non attenderunt Inclytuli Censorii Auctores.

Scholion II.

Articulo quinto ejusdem Capitis, pag. 19 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant velut meam: *Non sunt concipiendæ quædam Dispensationes Papæ exorbitantes & enervantes Ecclesiasticam Disciplinam.*

R. De illa Juris quæstione nullum ibi verbum habeo, neque hæc Propositio apud me legitur. Zachariæ duntaxat Pontificis Responsa ad Interrogationes Bonifacii Moguntini refero. Quàm fideliter retuleram, oste det collatio dictorum meorum cum Epistola I. Zachariæ, cap. V. Dispensationes tamen exorbitantes & enervantes Ecclesiasticam Disciplinam, cùm Sancta Sedes Apostolica concedere non soleat, existimare par est obreptum fuisse Summo Pontifici si quando fuerint impetratæ. Cùm autem de obreptione constat, non sunt admittendæ. Hinc Sacra Synodus Tridentina Sessione XXII. *De Reformatione*, Cap. V. statuit: *Dispensationes, quacumque auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum qui eas impetraverint; eæ verò quæ gratiosè conceduntur, suum non sortiantur effectum, nisi prius, ab iisdem, tanquam Delegatis Apostolicis summarie tantum, & extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces surreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.*

Scholion III.

In Articulo nono ejusdem capitis, pag. 55. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa nullum admittebat ex Regno Galliæ sine Litteris Regis.*

R. Hadriani I. gesta recensens, dixi, illum neminem è Regia Caroli Magni ditione admittere decrevisse absque Litteris Regis. Hujus facti testis Hadrianus ipse Epistola VII. ad Carolum Francorum Regem: *Sed sicut vestri homines*, inquit, *sine vestra absolutione ad limina Apostolorum neque ad nos conjungunt; ita & nostri homines qui ad vos venire cupiunt, cum nostra absolutione & Epistola veniant*, &c. Quorsum igitur id reprehenderunt Religiosi Censores?

Scholion IV.

In Articulo X. Religiosi Censores hanc Propositionem notant, pag. 58. Edit. primæ: *Roma se dedidit Carolo Regi Francorum, qui in ea exercuit temporalem auctoritatem.*

R. Quod ibi scripsi, Leonem Tertium suscepta Caroli Magni Legatione & muneribus, *Ad ipsum misisse Claves Confessionis S. Petri, id est, ex Confessione seu sepulcro Sancti Petri acceptas, & vexillum Urbis Romæ, insigne supremæ potestatis. Tunc enim Romam cum Ducatu Romano sponte Carolo Regi Francorum deditionem fecisse*: Id, inquam, certissimis Historiæ documentis probavi Dissertatione XXIV. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi quarti pag. 436 437 438. 439. Edit. primæ. An Regum Christianissimorum munificentiam in Romanam Ecclesiam commemorasse ægre ferunt Religiosi Censores?

CAPUT II.

De Hæresibus Octavi Sæculi.

ARTICULUS I.

De Iconoclastarum Hæresi.

§. I.

De ejus Ortu ac Statu sub Leonis Isauri Imperio.

Iconomachorum origo.

GENTILES, Judæi, Marcionitæ, Manichæi, Theopaschitæ, jam olim sacris imaginibus bellum indixere, ut testatur Septima Synodus Actionibus primâ & quintâ. A Judæis bellum tam impium instauratum est anno Christi septingentesimo vigesimo-tertio: quô tempore *Sarantapechys* Dux Hebræorum, insignis præstigiator, ad *Jezidum* Arabum Calipham, levissimi Principem ingenii se contulit: apud quem Vatem agens, diuturnum illi spopondit Imperium, prolixámque ac fœlicem vitam, modò ex Christianorum templis, totiúsque regni sui finibus, Christi & Sanctorum imagines deturbaret. Præstigiatori auscultavit Princeps imprudentissimus: expilari templa, sacras imagines & picturas ubivis deleri jussit evestigio. Christianis sacrilego Edicto parêre recusantibus, Hebræi & Arabes alacriter impia mandata executi sunt. Verùm non diu inultam reliquit impietatem Deus præpotens. *Jezidus* quippe post sesquiannum à perpetrato facinore, sublatus est cujus filius *Ulidus* Hebræum Impostorem, ceu parricidii reum, turpissimâ nece mulctavit, in pristinum interim statum & cultum restitutis imaginibus. Ista constant ex Relatione *Joannis Monachi*, Vicarii Orientalium Episcoporum, in Septima Synodo, Actione quinta.

Leo Isauricus Imp. bellum sacris imaginibus, &c.

Verùm non diu intactus mansit imaginum sanctarum cultus. Ab Hebræis quippe in Christianos derivata impietas est, auctore *Constantino* Nacoliæ in

Phrygia

[…]a cultori bus indicit.

Phrygia Salutati Episcopo, ex quo initium hæreseos fuit, teste *Tarasio* Patriarcha Constantinopolitano Actione 4. Septimæ Synodi. Is ob impietatem à suis Diœcesanis expulsus, in Aulam irrepsit, ac *Leonem Isaurum* Imperatorem in sanctas imagines accendit. Sed & Judæi, quibus jurejurando se obstrinxerat, concessurum se illis quicquid postulassent, cùm ad Imperium evectus esset, quod ipsi fuerant vaticinati, ipsum impulere ut sanctas imagines ac earum cultum, quasi Idololatriæ reliquias aboleret. Id constat ex *Cedreno*, *Zonara*, & *Constantino Manasse*, Græcis Historicis.

Anno itaque Christi septingentesimo vigesimosexto, Imperii sui undecimo, *Leo Isaurus* impium tulit de imaginibus abolendis Edictum. Quo promulgatô, ingens tumultus excitatus à plebe est. Unde sibi metuens Imperator, sacrilegum consilium dissimulavit. *Non huc*, inquit, *spectat mea sententia, ut eæ prorsus deleantur; sed hoc aio, Sublimiore loco eas locandas esse, ut ne quisquam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat.* His artibus omnem imaginum venerationem abolere meditabatur. *Leonis Isauri* impietati, quâ potuit constantiâ, obstitit *S. Germanus* Constantinopolitanus Patriarcha. Ipsi traditionem & usum sanctæ Ecclesiæ objecit, religiosam imaginum venerationem à Conciliis probatam; solemnia, quæ emiserat, promissa de non convellendis Ecclesiæ ritibus, cùm Imperator inauguratus est, revocavit in memoriam; ipsum per sacra omnia exoravit, ne ipso imperante, sacrarum imaginum fieret eversio: Antichristi Præcursorem fore adjiciens, qui facinus istud perpetraret. Tandem nullum non movit lapidem, ut illum à conceptâ revocaret impietate. Ista constant ex Actis *S. Stephani Junioris*, apud *S. Joannem Damascenum*, & ex *Cedreno*.

Verùm nihil promovit Sanctus Patriarcha; quin immò *Leo* in furorem versus, in Fideles quosque imaginum Defensores sævire cœpit. Duodecim enim Imperialis Collegii Professores cum Oecumenico Magistro qui ipsis præsidebat, viros pietate & rerum divinarum scientiâ conspicuos, quorum absque consilio quidquam agere præcedentes Imperatores nefas duxerant, cùm in suam hæresim pertrahere non posset, immò acerrimos experiretur adversarios, immissô igne in Collegium, vivos combussit. Quibuscum ornatissima conflagravit Bibliotheca, tricena & tria millia Voluminum continens: in quibus admirabile illud erat ex draconis intestino confectum, *Iliadem Homeri* & *Odyssæam* aureis litteris descriptas complexum: ut à *Cedreno*, *Zonara*, & *Constantino Manasse*, memoriæ proditum est. Id contigit anno septingentesimo vigesimo-sexto.

Eadem tempestate impius Imperator statuam Salvatoris per vetustâ religione celebrem, quæ ad æneam Urbis portam in excelso illustrique loco diu steterat, deturbari jussit. Quare populus Regiæ Urbis dolore vehementi ac irâ percitus, cùm ipsum *Leonem* statuit invadere, tum plures ipsius Ministros trucidavit, eósque imprimis qui sacram imaginem dejiciebant. Mulieres enim Orthodoxæ satellitem cui facinoris istius erat executio demandata, è scala præcipitem egerunt. Quô factum est, ut & ipsæ gladiô necarentur, & alii pro pietate pugnantes exilio, proscriptione bonorum, variísque suppliciis afficerentur. Ista constant ex *Actis S. Stephani Junioris*, & ex *Cedreno*.

Gregorii II Romani Pontificis in propugnanda fide adversus Leonem Isaurum constantia.

Præerat tunc Ecclesiæ Romanæ *Gregorius II*. Sanctissimus Pontifex, quem *S. Germanus* Constantinopolitanus Patriarcha de *Leonis* hæresi, & persecutione Fidelibus illatâ certiorem fecit. Extant Litteræ quas ad eum rescripsit *Gregorius*, insertæ Septimæ Synodo, Actione quartâ. Perfidus Imperator Concilium Oecumenicum à Pontifice postulavit, cui respondit generosus Pontifex his verbis: *Scripsisti ut Concilium universale cogeretur, & nobis inutilis ea res visa est. Tu persecutor es imaginum, & hostis contumeliosus, & eversor: cessa, & nobis hoc largire ut taceas: tum mundus pace fruetur, & scandala cessabunt.... Non animadvertis hunc tuum conatum, quo adversus imagines insurrexisti, facinus esse turbulentum, & insolens, & superbum? Cùm Ecclesiæ Dei altâ pace fruerentur, oppugnas, & odia, & scandala infestasti. Cessa, & quiesce; tum Synodo omninò opus erit. Scribe ad omnes, & in quascumque regiones orbis terrarum, quibus offendiculo fuisti, Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, & Gregorium Papam Romanum circa imagines peccasse; & nos ab hac cura quietum te præstabimus, ne peccatum aut lapsus ullus sit tuus, utpote qui à Deo potestatem & cœlestia, & terrena solvendi accepimus.* His præmiserat Pontificiæ & Regiæ Potestati præscriptos fines: *Scis*, inquit, *Imperator! Sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, qui tutò assolent dogmata tradere. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices, à Reipublicæ negotiis abstinentes: & Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant.*

Pontificiæ & Regiæ Potestatis fines.

Minas intentavit Sanctissimo Pontifici sacrilegus Imperator, missurum se Romam satellites, qui *S. Petri* imaginem confringerent, ipsúmque *Gregorium* in exilium deportarent, sicut olim à *Constante* relegatus fuerat *Martinus I*. Ad hæc generosus Pontifex: *Scire debes*, inquit, *Pontifices qui pro tempore Romæ extiterint, conciliandæ pacis causâ sedere tanquam parietem septúmque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros ac moderatores esse: quique ante te fuerunt Imperatores, in hoc componendæ pacis certamine desudarunt. Quòd si nobis insolenter insultes, & minas intentes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere. Ad quatuor & viginti stadia secedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex. Tum tu vade, ventos persequere.* Sæviens in dies *Leo*, Legatos quos *Gregorius* Constantinopolim direxerat, ut ferinum ejus animum demulcerent, exilio addixit, in quo gloriosæ confessionis præmium fœlici morte retulere, ut testatur *Nicolaus I.* in Epistola ad *Michaelem* Græcorum Imperatorem.

S. Germanus C. P. pugnat pro sacrarum imaginum cultu.

Pro sacrarum Imaginum cultu strenuè pugnare perrexit *S. Germanus*, dogmaticis litteris ad diversos datis, præcipuè ad *Joannem* Synadensem Episcopum, & *Thomam* Claudiopolitanum. In priori narrat congressum suum cum Nacoliæ Episcopo, quem ab Iconomachorum errore revocavit. Idem Sanctissimus Patriarcha non semel cum *Leone Isauro* Imperatore congressus est, qui eum simulachricolam vocavit, inflictâque alapâ, è Regia exturbavit, illum se *Cononem* esse gloriatus, quem imagines eversurum vetus quoddam Vaticinium ferebat. Exinde sanctissimi Patriarchæ exauctorationem molitus est, excogitatis vulgatísque per *Anastasium* ejus Syncellum calumniis, ut eum velut seditiosum, non ut Confessorem è Sede deturbaret. Proditionem compertam habuit *S. Germanus*, cúmque *Anastasius* ipsius in Regiam euntis Stolæ oram calcasset, dixit: *Noli festinare, Dippus te manet.* Et revera quindecim post annos *Constantinus Copronymus*, inter *Artabasdum* generum suum, aliósque suos hostes, hunc quoque *Anastasium* plagis in circo multatum, & facie retrorsum versâ, equo impositum, ac nudum, per *Dippum* jussit pro spectaculo duci, quòd sibi derogatô Imperiô, *Artabasdo* diadema detulisset. Sic impletum est *S. Germani* vaticinium.

Anno septingentesimo trigesimo, *Leo* convocatis in Aulam Episcopis quibusdam Apostatis, accersito quoque *S. Germano*, impium promulgavit de abolendis ubique imaginibus Edictum: cujus subscriptionem à Sancto Patriarcha cùm nec precibus, nec minis impetrare potuisset, ipsum vi manifestâ è solio

Patriarchico

Patriarchico dejecit. Is verò cedens injuriæ & persecutioni, Pallium in sacra Mensa deposuit, dicens: *Si ego sum Jonas, projicite me in mare. Nam extra Universalem Synodum novi aliquid de fide statuere nequeo, ô Imperator!* Depositis Patriarchatûs insignibus, Platanium in domum suam gentilitiam secessit, vitam privatam acturus, cùm gessisset Pontificatum annis quatuordecim, mensibus quinque & diebus septem. In ejus verò Sedem intrusit *Leo Anastasium* Syncellum, impiis suis consiliis ac hæresi consentientem. Hæc ex *Theophane* constant & *Cedreno*. *S. Germanum* paulò post è domo sua in Monasterium longè dissitum deportari jussit impius *Leo*, & tandem strangulari prope centenarium. Ejus Martyrii memoriam quotannis statâ die duodecimâ Maii celebrat Ecclesia.

Iconomachi à Gregorio II. in Synodo Romana damnati.

De his certior factus *Gregorius II.* Pontifex Maximus, Synodum Romæ celebravit, in quâ cum vicinis Episcopis considens ac præsidens, Iconomachorum damnavit hæresim, fidem Catholicam de sanctis imaginibus confirmavit, *Anastasium* Sedis Constantinopolitanæ invasorem & Hæreticum, necnon *Leonem Isaurum* novæ hæreseos promotorem, & Catholicorum persecutorem, diris Christiano ritu devovit. Hujus Synodi meminere *Hadrianus I.* in Epistola 1. ad *Carolum Magnum*, *Cedrenus*, & *Zonaras*.

S. Joannes Damascenus novam hæresim impugnat.

Interea *S. Joannes Damascenus*, qui tunc in Aula Caliphæ Saracenorum dignitate & gratiâ eminebat, ipsi à Consiliis primarius, & Damasci Præfectus, fidem adversùs nascentem hæresim strenuè propugnavit, missis in Provincias Imperii Epistolis, & Orationibus luculentissimis de cultu sanctarum Imaginum. Quod cùm *Leoni Isauro* compertum esset, malis artibus ipsum perdere decrevit. Quadam scilicet Epistolâ illius interceptâ, aliam caracteribus persimilem exarari jussit à scribis peritissimis, quæ velut ad ipsum *Leonem* scripta, ipsum ad Regiam Civitatem Damascum oppugnandam invitaret, deditionem ipsi spondens. Hanc ad Saracenorum Caliphan transmisit, quò ipsum in *Joannem* velut in proditorem patriæ & reum Majestatis accenderet. Nec inanis fuit ignavus impii *Leonis* conatus. Caliphas enim vocato *Joanni* Epistolam ob oculos posuit, proditionem exprobravit. Is lectâ Epistolâ, litterarum formas suis quidem similes esse confessus est, se verò neque Epistolam illam scripsisse, nec de iis quæ in ea continebantur, usquam cogitasse, contestatus est. Ejus excusationes non admisit, nec purgationem audire voluit Princeps barbarus: Confestim dexteram ipsi jussit amputari, quæ ipso, quo abscissa est, die, illi coram Deiparæ Virginis imagine prostrato & oranti, miraculò restituta est. Ista constant ex *Joanne Hierosolymitano* in ejus Vita.

Gregorius III Legatos mittit ad Leonem Isaurum cum Litteris Commonitoriis.

Anno Christi septingentesimo trigesimo-primo, *Gregorius Tertius* in Sedem Apostolicam evectus est, *Gregorio II.* virtutibus & doctrinâ non impar: qui statim ad extirpandam hæresim se convertit. Commonitorias namque Litteras ad *Leonem Isaurum* scripsit per *Gregorium* Presbyterum, quibus illum ab hæresi revocare conaretur. Verùm *Leonis* rugitu ac minis perterrefactus *Gregorius*, Pontificia Epistolam ipsi reddere ausus non est. Re itaque infectâ, Romam cùm rediisset, parum adfuit quin à Summo Pontifice gradu Sacerdotali privaretur ob ignaviam, sed pro ipso intercessere Italiæ Episcopi, & ipse paratum se exhibens ad novam Legationem fortiori animò obeundam, veniam obtinuit. Sed cùm de ejus reditu Constantinopolim certior factus fuisset Imperator ipsum in Sicilia detineri jussit.

Romana Synodus contra Iconomachos sub Gregorio III.

Anno Christi septingentesimo trigesimo secundo, *Gregorius III.* coactâ Romæ Synodo Episcoporum circiter nonaginta trium, Clero, Senatu, populòque præsentibus, Synodicum promulgavit Constitutum, quô decrevit: *Ut si quis deinceps antiquæ consuetudinis, & Apostolicæ Ecclesiæ fidelem usum contemnens, adversùs venerationem sacrarum Imaginum depositor atque destructor, & profanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris à Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, & totius Ecclesiæ unitate atque compage.* Hæc refert *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Gregorii III.* Directa quoque hoc anno à summo Pontifice altera Legatio est ad *Leonem Isaurum*, & Commonitoria Scripta per *Constantinum* Defensorem transmissa. Verùm & scripta vi abrepta ac dilacerata sunt, & Legatus annuâ custodiâ constrictus.

Anno sequenti, altera nihilominus Legatio, tum Pontificis, cùm Senatûs nomine ad impium Imperatorem decreta est, quæ ipsum spe recuperandæ Italiæ, sive potiùs Civitatum ac ditionum quas in Italia amiserat, ad fidem revocaret. Verùm Legati octo mensibus detenti, probris pariter affecti sunt, teste *Anastasio Bibliothecario*. Hoc item anno & sequentibus, magis exarsit in Sacrarum imaginum cultores *Leonis* furor, quorum plures diris suppliciis vexavit, ac morti addixit. Hos inter celeberrimi fuere *Hypatius* Ephesiorum Episcopus, & *Andreas* ejusdem Ecclesiæ Presbyter, necnon *Gregorius Lingniotes*, qui in Vitâ Monasticâ ad centenarium prope annum, maximâ cum famâ sanctitatis, consenuerat.

§. II.

De ejusdem Hæreseos Incrementis sub Imperio Constantini Copronymi, & Leonis ejus filii.

Anno 741

MOrtuò *Leone Isauro*, extincta non est Iconoclastarum Hæresis; filium enim reliquit impietatis suæ non minùs quàm Imperii hæredem, *Constantinum Copronymum*. Is ipsô sui Principatûs exordiô, Edictô vetuit, ne quis ullum servorum Christi, etsi Martyrem, aut Apostolum, Sanctum appellaret, aut eorum reliquias veneratur, quas conspui jussit, ac Cœlitibus prohibuit supplicare, quos nihil posse effutiebat. Quin & Deiparam Virginem vocari noluit scelestus, ejus festa abrogavit, omnémque eidenegavit honorem cultúmque religiosum. Sumptis namque auro plenis loculis, adstantes interrogavit; Quanti eos putarent esse pretii? Responderunt: Magni. Tum evacuatô aurô rursum interrogavit, Quanti loculos æstimarent? cum responsum esset: Nihili: *Ita*, inquit, *Maria dum Christum gestavit uterô, in honore fuit: Postquam eum peperit, nihilo reliquis mulieribus præstantior est.* O blasphemiam execrandam! Hanc Regiæ Urbis cives indignissimè & impatientissimè ferentes, *Artabasdum* Curopalatem Imperatorem consalutarunt, qui jam in *Constantinum* arma sumpserat. Urbem ingressus, mox sacras imagines restituit, quô factô Populum demeritus est. Tunc *Anastasius* Pseudo-Patriarcha vivificum lignum Crucis tenens, per Christum qui in ea suffixus est, universo Populo coram juravit, *Copronymum* Imperatorem sibi olim dixisse: *Quem Maria peperit Christum, hunc tu Filium Dei esse ne censueris, neque quidquam præter hominem. Ita enim eum Maria peperit, ut & me mater mea Maria.* Quâ auditâ blasphemiâ (inquit *Cedrenus*) populus Imperium *Constantino* abrogavit, anno 742. Verùm brevissima fuit de Tyranni exauctoratione lætitia; coactô enim exercitu, *Artabasdum* fudit *Copronymus*, eòque cum filiis trucidatô, Imperio, absque æmulo, potitus est, anno 744.

Constantini Copronymi blasphemia in Virginem Deiparam.

Synodus Pseudo-septima contra sacras Imagines.

Tunc Romanæ præerat Ecclesiæ *Zacharias* Pontifex, qui missâ Legatione perfidum Imperatorem demulcere, & ad officium revocare tentavit. Pontificium Legatum honorificè excepit, nec sine spe remisit

remisit *Copronymus*. Sed bellô contra Saracenos prosperè confectô, bellum adversùs imagines Sanctorum & earum cultores redintegravit ardentius. Impium namque Concilium trecentorum triginta & octo Episcoporum, qui à fide defecerant, Constantinopolim congregavit, ut sacras Imagines auctoritate & Decreto Ecclesiæ abolevisse videretur. Horum Episcoporum facilè Principes erant *Theodosius* Ephesi & *Pastillas* Pergiæ in Pamphilia, Præsules. Hi nemine Catholicis à Sedibus vocatô, Romano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano Patriarchis absentibus, & nequidem invitatis, aut consultis, à decima die Februarii, usque ad octavam Augusti, anni 754. impiam Synodum prorogarunt. Ea die cùm ad Blachernensem Deiparæ Basilicam Iconomarbi convenissent Antistites, conscendit ambonem *Copronymus*, & *Constantinum* Monachum hominem nefarium & Hæreticum, Silæi in Pamphilia olim Episcopum, & propter facinora Sede pulsum, Patriarcham proclamavit, dicens: *Constantino Oecumenico Patriarchæ, multi anni*. Post hæc Imperator cum novo Patriarcha in forum est progressus, & coram universo populo hæresim in Pseudo-Synodo stabilitam promulgarunt, anathema dicentes imaginum cultoribus ac defensoribus, præcipuè *Germano* Constantinopolitano antea Patriarchæ, *Georgio* Cyprio Episcopo, & *Joanni Damasceno*, quem per contumeliam *Manzur* appellarunt. Ista constant ex *Theophane*, & *Cedreno*, & ex Actis impiæ Synodi.

Hujus Conciliabuli Definitio inserta est Actioni sextæ Septimæ Synodi, ac ibidem refutata. Hunc præ se fert titulum: *Definitio Sancta Magna ac Universalis Septima Synodi*. Quam inscriptionem Septima Synodus Oecumenica ita refellit: *Quomodo magna & universalis, quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per Encyclicam Epistolam, quemadmodum lex edicit Conciliorum: Sed nec consentientes sibi Patriarchas, Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac Sanctæ Civitatis, vel Comministros, & summos Sacerdotes, qui cum ipsis existunt. Porro Septima quomodo, quæ non concordavit cum præcedentibus sex sanctis ac venerabilibus Synodis?*

Ad ann. 754. Num. 15 Baronius sefellitur. Iconomachi Sanctorum invocationē editâ Canone non damnatum.

Deceptus est autem doctissimus Cardinalis *Baronius*, cùm scripsit, Synodi Pseudo-Septimæ Antistites edidisse nefandum Canonem, quô negarunt non solum Sanctos omnes, sed & ipsam Deiparam, aliquid juris habere post obitum ad intercedendum pro nobis apud Deum præpotentem, vel ullô modô posse nobis prodesse. Tantùm enim abest ut id definierint; ut potiùs editô Canone, constituerint contrarium planè dogma, & id asserentes anathemate confixerint. *Si quis*, inquiunt, *non confitetur Sanctam semper Virginem Mariam, propriè ac verè Dei Genitricem, sublimiorem esse omni visibili ac invisibili creatura, & cum sincera fide ipsius non expetit intercessiones, tanquam fiduciam habentes ad Deum nostrum, qui ex illâ genitus est; Anathema.*

Si quis non confitetur omnes Sanctos, qui à sæculo usque nunc sunt, quique ante Legem, in Lege, & in Gratia Deo placuerunt, honorabiles esse coram ipso, animâ & corpore, vel horum non postulat orationes, tanquam fiduciam habentium pro mundo intercedere, secundùm Ecclesiasticam Traditionem. Anathema. Invocationem quidem Sanctorum negarunt, sed eam editô Canone in Synodo non damnavere. Unde Septima Synodus Oecumenica hos Anathematismos recensens ait: *Antiqua quippe revera est in Catholica Ecclesia traditio, & valde justè in commemorationem nobis principalium aquita: sed impudenter*

A *hanc mysticam projicientes scientiam, Catholicam alloquuntur Ecclesiam: Vias tuas nolumus. Unde post hanc editionem suam, & intercessionum Deo acceptabilem, oblationem abjecerunt, delentes hanc ex hoc Scripto suo, quod omnes noverunt.*

Nec aliud colligi potest ex Actis *S. Stephani Junioris*, laudatis à Cardinali *Baronio*: quæ blasphemiæ quidem meminere ab Iconomachorum Antistitibus verbo tenus in Beatam Virginem prolatæ, non autem Canone sancitæ. Ita enim habent: *Audacissimæ illa lingua eò proruperunt, ut ingens quoque illud*
B *& improbum eloqui non dubitarint, ipsam Dei Genitricem Virginem inutilem quamdam post mortem, & commodi omnis expertem reni esse, nec cuiquam omnino adjumento ac præsidio esse posse.*

Constantinus Copronymus persequitur Monachos qui soli penè tunc causam fidei tuebantur.

Solutâ Pseudo-Synodo, *Constantinus Copronymus*, unà cum impio Patriarcha, prolatis in medium Crucis effigie, Sacrâ Eucharistiâ, & sacris Evangeliis, plebem super illis ritu solemni jurare jussit, quòd nusquam imagines coleret, illas vocaret idola, & ut talia execraretur. Vetitum etiam Communionem accipere à Monachis, qui penè soli causam fidei propugnabant, Episcopis ferè omnibus Aulæ ingenio sese accommodantibus, & impio Im-
C peratori morem gerentibus: jussit insuper *Copronymus*, ut obvii quique Monachi; quorum sacram vestem *Tenebrarum indumentum*, & ipsos *Non memorandos* appellabat, *Idolorum cultores* vocarentur, & lapidibus appeterentur. Ista constant ex Actis *S. Stephani Junioris*. Sed *Constantinum* Pseudo-Patriarcham ejurare Monachatum imprimis voluit, ascendere jussit ambonem, jurare se nusquam imagines veneraturum, exuere Monachum, nuptialem coronam gestare, carnibus vesci, ad mensam regiam cythæredos audire, & omnibus gustûs auriúmque voluptatibus frui. Sed non multò post divina justitia im-
D pium Patriarcham immanitati *Copronymi* permisit, qui certior factus quòd ejus in Christum & Deiparam blasphemias, errorémque Nestorianum patefecisset, ipsum multis verberibus mulctatum, & per Circum ignominiosè traductum atque raptatum, capite truncari jussit, ac *Nicetam* Eunuchum, genere Sclavum, Patriarcham nominavit. Constant ista ex *Theophane* & *Cedreno*.

Reliquum deinde *Constantini Copronymi* Imperium persecutio continua fuit Catholicorum, qui sacras imagines colebant, defendebántque. *Stephanum Juniorem* omnibus ob eximiam sanctimoniam venera-
E bilem, qui sexaginta annos in monte Sancti *Auxentii*, in Bythinia, inclusus egerat, post multos cruciatus necavit, ejúsque corpus in *Pelagium* * abjici jussit. Diris etiam suppliciis affecit, ac interemit *S. Andream Calybitem*. Multos etiam Procerum, atque Militum, variis cruciatibus sustulit, delatos quòd Sanctis coram imaginibus supplicassent. Monachorum quoque habitum traduxit, & contumeliæ in Circo exposuit, jubens unumquemque eorum apprehensâ manu muliere, in medium prodire. Atque ita ii ab omnibus consputi, & ignominia affecti sunt. Quin & reliquias Sanctæ Virginis & Martyris *Euphemiæ* cum cista in mare projici mandavit, quæ Deo
F servante incolumis Lemnum appulit, ac deinde *Constantino* & *Irene* imperantibus, dignâ cum veneratione in suum est reducta Templum, quod repurgatum ac denuo dedicatum est, cùm *Copronymus* ex eo armamentum, & locum fimo deponendo fecisset. Præfectos constituit suæ conscios impietatis. Quos inter Thraciæ Præfectus Monachos & Sanctimoniales omnes illius regionis Ephesum ductos his verbis allocutus est: *Qui Imperatori & mihi obedire vult, stolam ie induat, hácque ipsâ horâ uxorem ducat. Qui recusaverit, is, erutis oculis, Cyprum deportabitur.* Rem executioni mandare statim aggressus, multos eâ die Martyres fecit. Idem omnia Monasteria

* Pelagium olim fuerat Basilica S. Pelagiæ, quam demolitus fuerat Copronymus, & sepulcrum capite damnatorum deinde fecerat.

oasteria, sacram suppellectilem, libros, animalia, divendidit, & pretium Imperatori tradidit. Libros Patrum, & Reliquias Sanctorum igni devovit, imaginum defensores & cultores variis necis generibus sustulit. Tandem *Copronymus* Monsteria omnia militibus Iconomachis tradidit, Monasticum Ordinem prorsus exscindere satagens. Hæc ex Actis *Sancti Stephani Junioris* constant, necnon ex *Theophane* & *Cedreno*.

Synodus Gentiliaci prope Lutetiam in causa sacrarum imaginum celebrata.

Anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo, *cum Constantinus Copronymus* Legatos ad *Pippinum* Regem Christianissimum misisset sex Patritios, cum pluribus Episcopis, qui filiam ipsius *Godegesilam* Leoni Augusto, ipsius *Copronymi* filio, collocandam postularent, ac Ravennatis Exarchatûs restitutionem, locô dotis; quique, ne religionis disparitas incundo fœderi obesset, controversiam de imaginibus Gallicanorum Episcoporum examini ac judicio permitterent; *Pippinus* Concilium *Gentiliaci* celebrari jussit, non absque veniâ Sedis Apostolicæ, ut constat ex Epistola *Pauli I.* ad ipsum datâ. Ea in Synodo, quæstio duplex ad examen vocata est: prima de imaginibus; altera de Processione Spiritûs Sancti, circa quam & Romanos innovasse Græci causabantur. Quis fuerit istius Concilii exitus, etsi non dicant Auctores, qui illius meminere, scilicet *Eginhardus* in Chronico, Annales Francorum Bertiniani, *Ado Viennensis* in Chronico, *Rhegino*, & *Aimoinus* lib. 4. cap. 37. ex eis tamen quæ à Gallicanis Præsulibus in aliis Conciliis postea gesta sunt, & ex fide Ecclesiæ nostræ illorum temporum monumentis probatâ, colligere est, damnatam eâ in Synodo fuisse Iconomachorum hæresim, & fidem Processionis Spiritûs Sancti à Patre Filióque, confirmatam.

Synodus Orientalis pro imaginum cultu.

Eodem pene tempore, *Cosmas* Alexandrinus, *Theodorus* Antiochenus, & *Theodorus* alter, Hierosolymitanus, Patriarchæ frequentem ex tribus Patriarchatibus Synodum Hierosolymis celebrarunt, in quâ Iconomachorum damnatâ hæresi, Synodicam Epistolam ad Romanum Pontificem misêre, quæ *Constantino* in Romanam Sedem intruso tradita est. Hujus Concilii meminit *Hadrianus I.* in Epistola de Imaginibus ad *Carolum Magnum* scriptâ.

Synodus Romana sub Stephano III.

Anno septingentesimo sexagesimo nono, *Stephanus III.* Pontifex Maximus Concilium habuit Romæ, in Basilica Lateranensi, in quo discussis primùm ac rescissis *Constantini* Pseudo-Papæ Actis, qui à *Desiderio* Longobardorum Rege intrusus fuerat, sacrarum imaginum honos stabilitus est, damnatáque Constantinopolitana Græcorum Iconomachorum Pseudo-Synodus. Huic adfuere Concilio duodecim Galliarum Episcopi, quos à Regibus Christianissimis *Carolo* & *Carolomanno* Romam mitti rogaverat *Stephanus*, ut sibi in difficillimis Ecclesiæ negotiis doctrinâ & prudentiâ singulari, qua pollebant, præsto essent. De hac Synodo scribit ad *Carolum Magnum Hadrianus I.* Cap. 5. Epistolæ Apologeticæ pro Imaginibus: *Porro & Prædecessor noster sanctæ recordationis quondam Dominus Stephanus Papa similiter cum Episcopis partium Franciæ, atque Italiæ Præsidens in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, Prædecessoris sui venerabile Concilium confirmans atque amplectens, magis magisque & ipse, unà cum omnibus Episcopis, Sanctorum Patrum Decretis adhærens, adorare atque venerari sacras imagines statuerunt.* Ejusdem Concilii meminit *Anastasius Bibliothecarius*, in Vita *Stephani III.*

Anno 775. *Constantino Copronymo* divinam ultionem in morte expertô, *Leo* ejus filius moderatus est Imperium: cujus exordiô nonnihil respiravit Ecclesia: Sed hæresis nihilominus dominata est. Hæreticus enim æquè fuit ac Pater, nec imagines restitui permisit; quamvis, ut subditos demereretur, aliquandiu à Catholicorum abstinuerit persecutione. Sed furorem postea prodidit in sacrarum imaginum cultores, cùm in *Irenes* Imperatricis uxoris suæ pulvinari duas imagines reperisset. Inquisitione enim factâ in eos qui ipsas intulissent, *Theophanem* Cubicularium occidi jussit, *Jacobum* Protospatharium, *Pappam* Strategium, *Leonem* & *Thomam* Cubicularios, ignominiosè traductos, & in carcerem conjectos, verberibus affici jussit, qui Confessionis gloriâ insignes Martyrium, cujus desiderium ac meritum ipsis non defuerat, Vitæ Monasticæ austeritate supplevêrunt. Imperatricem verò duriùs increpitam, & negantem illas imagines à se visas, eúmque demulcere satagentem, à se repulit, & ab ejus consortio deinceps abstinuit. Hæc anno septingentesimo octogesimo contigere. De his *Theophanes*; & *Cedrenus*.

Leo Constantini filius imaginibus sacris & earum cultoribus infensus.

§. III.

De restitutione Sacrarum Imaginum sub Constantini & Irenes Imperio; Et de Synodo Septima Oecumenicâ.

ANno Christi septingentesimo octogesimo quarto, *Constantino* & *Irene* ejus matre quartum annum Imperantibus, *Paulus*, qui post *Nicetæ* obitum inauguratus fuerat Urbis Regiæ Patriarcha, morbo affectus, relictâ Sede, in *Flori* Monasterium secessit. Imperatrix mœsta ipsum convenit, rationem facti quærens. Cui *Paulus* lachrymis perfusus: *Utinam*, inquit, *Ecclesiâ Dei tyrannicè administratâ, & à reliquis Sedibus eâ de causâ recisâ, dirisque, & execrationibus devotâ, in Sacerdotii Throno Constantinopoli nunquam sedissem!* Illa Patritios & spectatissimos quosque è Senatu ad ipsum misit, quæ ipse diceret, audituros. Qui ad ipsos: *Nisi Synodum*, inquit, *universalem coegeritis, & obtinentem apud vos correxeritis errorem, nulla vobis superest salus.* Responderunt ipsi: *Cur ergo Patriarcha designatus, inter Ordinationis solemnia, imagines te nunquam adoraturum subscripsisti?* Tum ille: *Hæc*, ait, *lachrymarum mearum causa est: Illud me ad pœnitentiam amplexandam impulit, Deum deprecantem, ne me veluti Pontificem hucusque mutum, nec veritatem (solô infamia vestra metu) palam enuntiantem corripiat.* Vix hæc dixerat *Paulus*, cùm spiritum emisit. Hæc *Theophanes* & *Cedrenus* referunt: addúntque, liberam exinde unicuique fuisse potestatem de sacrarum imaginum cultu disputandi, ac illum propugnandi.

Pauli in locum *Tharasius*, Imperatori à Secretioribus Mandatis, suffectus est. Is cùm munus illud, cui se, utpote laïcum, imparem judicabat, diu ac pertinaciter recusasset, illud tandem suscepit eâ conditione, ut Synodus Generalis cogeretur: quod *Constantinus* & *Irene* lubenter concesserunt. *Tharasius* itaque ut primum inauguratus est, anno Christi septingentesimo octogesimo quarto, fidei suæ Professionem, & supplices pro Concilii Oecumenici celebratione litteras ad *Hadrianum I.* Romanum Pontificem direxit. Ad quem & Imperatores scripsere, rogantes ut Constantinopolim venire dignaretur, Concilio præfuturus, aut Legatos mitteret, qui vices illius obirent ac locum tenerent. Extant hæ Litteræ in præambulis ad Septimam Synodum.

Imperatores & Tharasius Constantinop. Patriarcha Pontificem Romanum rogant per litteras ut Legatos mittat ad Synodum, etsi per se adesse velit.

Anno Christi septingentesimo octogesimo quinto, *Adrianus I.* Pontifex Maximus scripsit Litteras ad *Constantinum* & *Irenem*, quæ habentur Actione secundâ Synodi Septimæ. Incipiunt: *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere.* His litteris ipsos primò adhortatur ad Sedis Apostolicæ reverentiam, de cujus divinâ

S. Petri & Successorum primatum à Christo immediatè institutum.

divinâ auctoritate hæc habet : *Nam ipse Princeps Apostolorum B. Petrus, qui Apostolicæ Sedi primitus præfedit, Apostolatûs Principatum, ac Principalis curæ, Successoribus suis, qui in ejus sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit : quibus & auctoritatis potestatem, quemadmodum à Salvatore nostro Domino Deo ipsi concessa est, & ipse quoque suis contulit ac tradidit divinô jussu Successoribus Pontificibus : quorum traditione, Christi sacram effigiem, sanctæque ejus Genitricis, Apostolorùmque, & omnium Sanctorum veneramur imagines.*

Secundò multa profert ad sacrarum imaginum venerationem asserendam. Tertiò rogat Imperatorem & Imperatricem, ut si possibile non sit sacras imagines in pristinum statum subitò restituere, in primis celebretur, præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis, Pseudo-Synodus Constantinopolitana Iconomachorum. Deinde Imperatores, Patriarcha, & Senatus Regiæ Urbis, sacramentô se adstringant, fore ut partibus non faveant, nec ullam mittendis ab Apostolica Sede Legatis vim inferant : imò eos honorificè excipiant, foveant, & ad Urbem remittant incolumes. Rogat etiam ut restituant patrimonia *B. Petri* ab Orthodoxis Principibus ad concinnationem luminarium & alimoniam pauperum olim collata ; necnon & consecrationes Episcoporum Sedi Romanæ, ex jure veteri, competentes. Quartò se *Tharasio* novo Patriarchæ succensere significat duplicem ob causam. Primò, quòd se *Universalem Patriarcham* inscripserit : Secundò quòd ex Laïco ad Episcopatum fuerit subitò promotus. Unde *Tharasii* electionem ut perperam & contra Canones factam improbat: quam tamen non rescindit, sed Canonum in ea infractorum dat veniam, eâ conditione, ut pro restituendis sacris imaginibus sedulò laboret. *Si autem*, inquit, *sacras ac venerabiles imagines in illis partibus, non restitueris, Consecrationem vestram modis omnibus recipere non audemus.*

Hadrianus & dat veniam Canonum infractorum in Tharasii Patriarchæ Ordinatione.

Hadrianus Legatos mittit, qui septimæ Synodo præsident.

Misit porrò *Hadrianus* Papa Legatos Constantinopolim, qui suo nomine Concilio præessent, *Petrum* scilicet Archipresbyterum Ecclesiæ *S. Petri*, & *Petrum* Abbatem *S. Sabæ* : de quibus ad *Tharasium* ita scribit : *Dilectos autem nostros, Petrum scilicet Archipresbyterum Sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, & Petrum Monachum & Presbyterum atque Abbatem, qui missi sunt à nobis ad vestigia tranquillissimorum Imperatorum, rogamus propter amorem S. Petri Apostolorum Principis, & propter nos, omni benignâ susceptione, & humanitate dignos apud vos judicandos & habendos.* Isti Legati Actione I. Concilii nominantur ante *Tharasium*, ut *Tenentes locum Apostolicæ Sedis almi & Sanctissimi Archiepiscopi Senioris Romæ Adriani.*

Alii Patriarchæ Legatos etiam mittunt.

Miserunt etiam cæteri Patriarchæ Legatos ad Synodum, cùm ipsi jugo Saracenorum oppressi, adesse non possent. *Politianus* Alexandrinus Patriarcha *Thomam* Presbyterum & Monachum ; *Theodorus* Antiochenus, & *Elias* Hierosolymitanus, *Joannem* Presbyterum pariter & Monachum eâ Legatione ornavere, qui trium Sedium Patriarchalium nomine in Synodo agerent, & Ecclesiarum Ægypti, Orientis, & Palæstinæ fidem ac antiquam traditionem de sacris imaginibus testarentur.

Anno Christi 786. cùm Synodus Constantinopoli in Basilica SS. Apostolorum collecta esset, Iconomachi milites adversùs Synodum seditionem excitarunt, quos cùm nec Imperatorum præsentia sedare potuisset, res in sequentem annum dilata est. Incredibilis fuit Imperatricis *Irenes* eô in negotiô prudentia. Missô enim *Stauracio* Patritio, & publici cursûs Logotheta in Thraciam ad legiones ibi consistentes, Duces omnes sibi devinxit, ut in copiis, quas *Constantinus Copronymus* instruxerat, & disciplinâ suâ imbuerat, Urbe expellendis opem ferrent. Simulatâ igitur in partes Orientales, quasi Arabibus illùc irrumpentibus profectione, omnis Imperatoris apparatus & comitatus usque ad Malagina processit. Itaque copiæ istæ foris advenientes. Urbem ingressæ, Imperatoris & Imperatricis Matris auctoritatem firmavere. Tum verò Imperatrix copiis seditiosis & hæreticis per Nuntios significat : *Armis depositis, & ad me remissis, operâ vestra me non indigere noveritis.* Illi velut à Deo sensibus alienati, arma deposuere. Tum impositis in naves eorum familiis, singulos in Provincias suas ac domos se recipere jussit. Paratô demum aliô exercitu, & designatis Ducibus sibi addictissimis, ipsa iterum mense Maio anno 787. per omnes Imperii regiones misit, qui universos Episcopos Nicæam Bythiniæ Urbem, ad Synodum convocarent. Nicæam itaque convenerunt æstate totâ Episcopi trecenti quinquaginta : Eò etiam se contulerunt Ecclesiæ Romanæ, & Orientalium Sedium Legati, qui Constantinopoli substiterant, unà cum *Tharasio* Regiæ Urbis Patriarcha. Adfuerunt etiam selecti Archimandritæ & Monachi, necnon Proceres, quos inter eminebat *Nicephorus* Imperatori à Secretioribus Mandatis, ut ordine omnia in Concilio peragi curarent. Concilii locus fuit Primaria Nicææ Basilica, Æternæ Sapientiæ, sub titulo *S. Sophiæ* sacrâ. Ista constant ex *Theophane* coævo Scriptore, ex *Ignatio* Monacho, in Vita *S. Tharasii*, ex *Cedreno*, & ex Auctoris antiqui Præfatione ad VII. Synodum.

§. IV.

Historia singularum Actionum Synodi Septimæ.

Actio prima.

ANno Christi septingentesimo octogesimo septimo, octavo Kalendas Octobris, indictione undecimâ, inchoata est Nicæna Secunda Synodus. Illam *Tharasius*, penès quem, utpote in arduis negotiis valde exercitatum, & Græcæ linguæ peritissimum, Legati Apostolici directionem Synodi reliquerant, brevi sed eleganti Oratione aperuit. Secundò lectæ sunt à *Leontio* viro clarissimo ab Imperatorum Secretioribus Mandatis, Litteræ *Constantini & Irenes* ad Synodum directæ : quibus inter alia jubebant, ut Litteræ ab *Adriano* Papa missæ per ejus Legatos, in solemni consessu, *secundùm jus Synodicum* legerentur. Litteræ namque Pontificum Romanorum veluti directrices erant Synodorum Oecumenicarum, & primò legi debebant, propter suffragii prærogativam Romanæ Sedi competentem. Tertiò Sancta Synodus ad cognoscendam lapsorum Episcoporum causam conversa est. Præcipui fuerunt *Basilius* Ancyranus, *Theodorus* Myrensis, & *Theodorus* Amorii, qui coràm sacro Patrum consessu adstantes, fidei oblatô Libellô, hæresim solemni ritu ejurarunt. Suum primò obtulit *Basilius* Ancyranus, cui & sequentes inseruit Anathematismos contra recentem hæresim. *Christianorum calumniatoribus, id est, Imaginum confractoribus, Anathema. His qui assumunt eloquia, quæ à Divina Scripturâ adversùs Idola sunt, in venerabiles Iconas, Anathema. His qui non salutant sanctas & venerabiles imagines, Anathema. His qui appellant sacras Iconas simulachra, Anathema. His qui dicunt, quod sicut ad Deos, Christiani ad imagines accedant, Anathema. His qui communicant scienter cum iis qui conviciantur & exhonorant venerabiles Iconas, Anathema. His qui dicunt, quòd præter Christum Dominum nostrum aliquis nos ab Idolis liberaverit, Anathema. His qui spernunt Magisteria SS. Patrum, & Traditionem Catholicæ Ecclesiæ, prætendentes & assumentes voces Arii, Nestorii, Eutychetis, & Dioscori ; & perhibentes, quod nisi de Veteri Testamento fuerimus edocti, non*

Lapsorum Episcoporum causa discutitur.

sequimur doctrinas SS. Patrum, neque Sanctarum Synodorum, atque Traditionem Catholica Ecclesia, Anathema. Hoc Anathema posuit *Basilius*, quia Iconomachi ad solas Scripturas provocabant, sicut nostræ ætatis Hæretici. *His qui dicunt, quod Diabolica argumentationis inventio sit factura Imaginum, & non Sanctorum Patrum Traditio, Anathema. His qui præsumunt dicere, Catholicam Ecclesiam aliquando Idola suscepisse, Anathema.* His prolatis, receptus est in sacrum Consessum *Basilius*, Receptus est & *Theodorus* uterque, Myrensis, & Amorii, cùm similem palinodiam recantassent, ac sinceram exhibuissent pœnitentiam. *Tharasio* enim, dicente: *Videtur vobis ut recipiant Sedes suas? Sancta Synodus dixit: Placet omnibus nobis.*

Producti sunt subinde alii Episcopi lapsi, quorum causa difficilior erat, & mora in hæresi diuturnior: quorum occasione dixit Tharasius: *Diuturniores passiones difficiliores sunt ad curandum; sic & anima quæ in obscuro est hæresios, orthodoxiæ lumen difficile recognoscit.* Propter illos facta est disquisitio diligentior de modò quô recipiendi essent Hæretici, & potissimùm, utrùm ab hæresi redeuntes, ad Sacrorum Ordinum Ministeria & Ecclesiasticas Dignitates essent admittendi. Prolati sunt varii eâ de re Canones, veterum Patrum testimonia, & Historiæ Ecclesiasticæ monumenta. Præterea mota quæstio fuit de Ordinationibus factis ab Hæreticis, an probandæ essent. Probandas ostendit *Tharasius*, Synodus edixit: Nihilominus lapsorum Episcoporum restitutio in aliam Sessionem dilata est.

Actio secunda.

Actione secunda, sextò Kalendas Octobris celebratâ, adductus est in Synodum *Gregorius* Neocæsareæ Episcopus, ac à Viro Regio Partibus oblatus, errorem confessus est, increpationem *Tharasii* humiliter audiit, veniam à sanctâ Synodo supplex postulavit. Ejus causa in alteram Actionem dilata est, jussumque ut in Consessu proximo, cum Libello se sisteret. Secundò, jubente Synodo *Lecta* sunt *Adriani I.* Romani Pontificis Literæ ad Imperatores datæ, quarum initium est; *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere*; quasque supra defloravimus. Lecta est & Epistola ejusdem Pontificis ad *Tharasium*. His perlectis, Apostolici Legati, prærogativâ suffragii usi, aiunt: *Dicat nobis Sanctissimus Tharasius Patriarcha Regiæ Civitatis, si consentiat Literis Sanctissimi Papæ Senioris Romæ Adriani, an non?* Respondet Tharasius: *Apostolus, cùm Romanis scriberet, approbans studium sinceræ fidei eorum, ait:* Fides vestra annuntiatur in universo mundo. *Hoc testimonium sequi necessarium est, & inconsultò agit, qui huic conatur resistere. Unde Adrianus Præsul Senioris Romæ, cùm esset particeps eorum qui prædictô testimoniô muniri meruerunt, scripsit expressè ac veraciter piis Imperatoribus nostris, atque ad Humilitatem nostram, affirmans optimè se habere antiquam Traditionem Ecclesiæ Catholicæ. Nam & ipsi scrutando Scripturas, syllogisticè approbando rimati sumus: sic quòd confessi sumus, confitemur, & confitebimur, consonamus, & confirmamus, atque permanebimus in significatione Literarum quæ lectæ sunt, Imagines suscipientes, secundùm antiquam Patrum nostrorum Traditionem, & has affectuosô amore adoramus, tanquam ad nomen Christi Dei, & intemeratæ Dominæ Sanctæ Dei Genitricis, sanctorúmque Angelorum, ac omnium Sanctorum factas: manifestissimè in unum solum Deum servitutem & fidem nostram ponentes.* Iterum Legati Apostolici à Synodo quæsiere, an Literas *Adriani* susciperet? Respondit sancta Synodus: *Sequimur, & suscipimus, & admittimus.* Deinde singuli Episcopi professi sunt, se recipere sacras imagines; *secundùm Synodicas*

Hadriani dogmaticæ Literæ à Synodo susceptæ ex officio.

Epistolas beatissimi Papæ Senioris Romæ Adriani Sententiam dixerunt & Archimandritæ, sed ex singulari privilegio, quod Synodus concessit. Sancta enim Synodus dixit: *Justum est ut & Reverendissimi Monachi pronuntient.* Reverendissimi Monachi dixerunt: *Si ordo est talis, ut & nos Monachi pronuntiemus, sicuti jubetis?* Tharasius dixit: *Ordo est unicuique qui reperitur in Synodo, ut pronuntiet Confessionem suam.* De his *Adriani* Literis scribit *Tharasius* ad ipsum Pontificem, post Synodum: *Qui cùm omnes sedissemus, caput fecimus Christum. Jacebat enim in sancta sede Evangelium Sanctum, contestans, omnibus nobis sacratis viris, qui conveneramus: Justum judicium judicate: Judicate inter sanctam Dei Ecclesiam, & novitatem quæ facta est, & cùm prælata primitus vestræ fraternæ Sanctitatis Literæ legerentur, præstolabantur omnes, spiritualibus edulis tanquam in regalibus cœnis fruentes, quæ Christus per Literas tuas epulantibus præparabat: & sicut oculus totum corpus ad rectitudinem & veritatis semitam ostendebat.* Hæc planè egregia ad demonstrandum quanta sit in Conciliis Oecumenicis Apostolicæ Sedis auctoritas.

Archimandritæ ex privilegio suffragantur.

Quanta in Conciliis Oecumenicis Apostolicæ Sedis auctoritas?

Actio tertia.

III. Kalendas Octobris, *Actio tertia* celebrata est, in quâ primò causa *Gregorii* Neocæsareæ Episcopi discussa est. Is publico in Consessu Fidem orthodoxam datô Libello professus est. At cùm rumor increbuisset, illum persecutionis tempore vexasse Catholicos sacrarum imaginum cultores, prolatus est Canon Apostolicus, quô hujusmodi criminum reis Episcopatus abrogatur. Conclamarunt omnes, eum (si res ita se haberet) Episcopatu indignum. Sed cùm probari non posset persecutio, cùm ipse, tum alii Episcopi lapsi, in Sedes suas restituti sunt. Secundò lectæ sunt Literæ *Tharasii* ad Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, post ipsius Ordinationem directæ, quæ & Professionem Fidei continebant, & preces, ut Synodo per Legatos suos interessent. Lectæ sunt & Literæ eorumdem Patriarcharum ad *Tharasium*, quibus absentiam à Synodo suam excusabant; scribebant, mittere se *Joannem* & *Thomam* Syncellos, qui suum locum tenerent. Neque absentiam suam, quæ justa erat ob prementem Barbarorum tyrannidem, obfuturam ne Synodus Oecumenica esset: quod probarunt Sexti Concilii exemplo, à quo Alexandrinus & Hierosolymitanus Patriarchæ aberant. Cœtera quippe supplere auctoritatem Romani Pontificis. Illustre sanè est testimonium pro Sedis Apostolicæ dignitate & auctoritate, quàm ut prætermitti debeat, ac negligi. *Ne molesta nobis appareat*, inquiunt, *tum Apostolicarum Sedium aliorum Patriarcharum, & Sanctissimorum Episcoporum qui sub ipsis degunt, absentia, non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex timentium, seu dominantium illis terribilibus minis, & mortiferis pœnis. Hoc autem subtilius est considerandum, etiam ab ipsa sacra universali Sexta Synodo, in quâ nullus eorum qui per idem tempus in his partibus Episcopi erant, convenisse repertus est, propter Barbarorum tyrannidem: sed nullum ex hoc sancta ac beata Synodo præjudicium: neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis: præcipuè cùm Sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrisiarios suos. Et nunc, Sanctissimi, hoc cum auxilio Dei similiter fiat. Nam si tunc illius fides in orbis terræ pertransiit fines; ita & Synodi, quæ nunc per gratiam Dei congreganda est per interventionem vestram, & ejus qui moderatur Apostolorum Principis Sedem, prædicabitur in omni loco qui sub Sole est.* Tertiò lecta est Synodica *Theodori* olim Hierosolymitani Patriarchæ ad *Cosmam* Alexandriæ, & *Theodorum* Antiochiæ, Patriarchas

Romanæ Sedis auctoritas aliarum Sedium Patriarchalium in Conciliis Oecumenicis supplet præsentiam.

Patriarchas directa: cujus auditâ lectione, Legati Apostolici professi sunt se suscipere Literas Orientalium Patriarcharum: *Ut qua in Orthodoxa Fide, & adoratione venerabilium imaginum, Adriano Papa, & Tharasio Nova Roma Patriarcha concordarent*: & contrarium sentientibus anathema dixit sub hac formula: *Et qui non ita confitentur, anathema sint à Sanctis trecentis decem & octo Patribus, qui hic ante collecti sunt*. Sancta Synodus dixit; *Fiat, fiat, fiat*.

Actio quarta.

Actione quartâ prolatæ sunt in medium antiquorum Patrum Sententiæ, quibus legitimus imaginum usus approbatur. Lecta deinde est Epistola *Gregorii Tertii* Pontificis Maximi ad *S. Germanum* Constantinopolitanum Patriarcham. Lectæ item *S. Germani* ad *Joannem Synadensem*, ad *Constantinum Nacoliæ*, & ad *Thomam Claudiopolitanum*, Episcopos: tum prolata sunt in Hæreticos hæc Anathemata. *Christianos accusantibus, id est, imagines confringentibus. Anathema sit. His qui assumunt dicta Sancta Scriptura, qua sunt contra Idola, in venerabiles imagines, Anathema. His qui non salutant sanctas ac venerabiles Iconas, Anathema. His qui appellant sacras imagines Idola, Anathema. His qui dicunt, quod veluti ad Deos Christiani, ita ad Iconas accedant, Anathema. His qui communicant scienter injuriam & inhonorantiam inferentibus venerabilibus imaginibus, Anathema. His qui dicunt, quod excepto Christo Domino nostro, alius nos eruerit ab Idolis, Anathema. His qui audent dicere, Catholicam Ecclesiam Idola aliquando recepisse, Anathema*. Edita postmodum est Professio Fidei, & singulorum Episcoporum subscriptionibus munita. Primò loco Sedis Apostolicæ Legati subscripsere; post ipsos, *Tharasius* Patriarcha Constantinopolitanus; deinde *Joannes*, & *Thomas*, Legati Patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani.

Actio quinta.

Actio quinta habita est quarto Nonas Octobris, quâ variis testimoniis comprobatum est Iconomachos à Judæis, Saracenis, Gentilibus, Samaritis, & Manichæis, ceu aspides à viperis venenum hausisse. Patefactæ sunt præterea Hæreticorum fraudes, qui *Constantini* Diaconi, & Carthophylacis Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sermonem in universos Martyres interpolaverant, ac integras periodos, quibus imaginum asserebatur veneratio, deleverant. Post hæc, intercedente *Saba* Monasterii Studii Abbate, consentiente verò Sancta Synodo ut sacræ imagines suis locis restituerentur, utque cum illis Christiani Litanias celebrarent, Legati Apostolici Decretum hac de re edidere, ut suffragii prærogativam Romano Pontifici jure debitam servarent. His porro verbis decretum editum est. *Tharasio Sanctissimo Constantinopoleos Nova Roma Patriarcha, atque omni Sancta huic & universali Synodo: Petrus Archipresbyter Sanctissima Ecclesia Sancti ac laudabilis Apostoli Petri, & Petrus Presbyter & Hegumenus Monasterii Sancti Saba, ambo loci servatores. Adriani Papa senioris Roma: Justum arbitramur, ut secundum pronuntiationem omnium nostrûm, imò juxta antiquam traditionem Catholica Ecclesia, sicuti omnes Sancti Patres edoceant nos, veniat in medium nostrûm colenda imago, & hanc salutemus.... Et aliud Capitulum suggerimus, ut omnes conscriptiones, qua contra venerabiles imagines facta sunt, cum Anathemate deleantur, vel igni tradantur*. Sancta Synodus dixit: *Veniat, Fiat*. Denique iterata sunt Anathemata in confractores imaginum: in eos qui dicta Sacræ Scripturæ contra Idola, adversùs imagines detorquent: in eos qui imagines Idola appellant; qui ipsas non salutant; qui demum Ecclesiam calumniantur, quasi idola susceperit.

Sedis Apostolicæ Legati Decretum edunt de colendis imaginibus, ut suffragii prærogativam servent Sedis Apostolicæ.

Actio sexta.

Actione sextâ, quæ tertiò Nonas celebrata est, Definitio Synodi Pseudo-Septimæ relecta fuit, & per capita scripto antirrhetico confutata. Ubi locus lectus est, quò omnes imagines hominum operâ factas se detestari & anathemati tradere professa est; eam se venerari tantùm, quâ Filius Dei seipsum in Sacramento panis & vini, ante Passionem, expressit: Patres responderunt, Alienum esse à Sanctorum Patrum & Ecclesiæ doctrinâ hunc loquendi modum: quia etsi Patres panem & vinum vocaverint typos, seu antitypa Corporis & Sanguinis Christi, id ad ipsa referendum est, antequam sanctificata fuerint: post sanctificationem autem, Corpus & Sanguinis Christi propriè dicuntur, & sunt, & creduntur, non imago. Hujus loci occasione, dubium emergit, utrùm Iconomachi realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ negaverint? Quâ de re in Dissertationibus agemus.

Eucharistiam imaginem ... alienum est ab Ecclesiæ doctrina.

Actio septima.

Actio septima tertio Idus Octobris habita est, in quâ condita est Fidei Definitio, quâ sex Concilia Oecumenica imprimis recepta sunt, & confirmata. Deinde Statutum, *Sicut figuram vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quam quæ ex aliâ materiâ congruenter se habente, in Sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus, & viis, tam videlicet imaginem Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quàm intemeratæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum*. Per imagines, animos Fidelium *erigi ad Prototyporum memoriam, & desiderium, & ad honorariam his adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque soli divinæ naturæ decet, impertiendam: ita ut illis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio exhibeatur; quemadmodum & antiquis pia consuetudine erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit*. Quâ ex Definitione constat, cultum latriæ nec imagini Christi, neque Cruci, nec ulli creaturæ exhiberi posse. Promulgatâ Definitione Fidei, Anathemate nominatim confixi sunt Iconomachorum Principes, scilicet tota Pseudosynodus contra venerabiles imagines celebrata, *Theodosius* Ephesinus Pseudo-Episcopus, *Sisinnius*, *Pastillas*, *Basilius Tricacabus*, *Anastasius*, *Constantinus*, & *Nicetas*, Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani, *Joannes* Nicomediæ, & *Constantinus* Nacoliæ. Ingeminata sunt anathemata contra eos qui imagines *non osculantur, tanquam in nomine Domini, & Sanctorum ejus factas*: & qui *omnem Traditionem Ecclesiasticam, sive scriptam, sive non scriptam, irritam faciunt*. Celebrata deinde est festivis acclamationibus memoria *Sanctorum Germani* Constantinopolitani Patriarchæ, *Joannis Damasceni*, & *Georgii* Episcopi Cyprii, qui fidem Ecclesiæ circa sacras imagines strenuè defenderant. *Gregorium* habent vulgata Synodi Acta, & *Gregorium II.* Romanorum Pontificem intelligunt, sed *Georgium* restituendum esse, *Christianus Lupus* rectè observat illum scilicet, cujus pro imaginibus studium, passiones, constantia, in Orthodoxa Pseudo-septimæ Synodi Refutatione æternis laudibus celebrantur. Hoc in Consessu exarata est Epistola totius Synodi nomine ad *Constantinum & Irenem*, quæ incipit: *Glorificatur Ecclesiæ caput*: Et altera Encyclica ad omnes Ecclesias, quæ incipit: *Christus Deus noster*.

Imaginibus honorariam adorationem, non veram latriam exhibendam tradit VII. Synodus.

Peractâ Synodô, Patres Constantinopolim ab Imperatore vocati, Definitionem Concilii ipsi & Augustæ ejus Matri Irenæ sacris subscriptionibus muniendam obtulerunt, ut patet ex Appendice quæ sub Actionis Octavæ titulo Concilii Actis adjecta est. Faustis acclamationibus Imperatores prosecuta Synodus, soluta est; Patres muneribus honestati;

ad Ecclesias suas rediere. Litteras quoque dedit *Tharasius* ad Romanum Pontificem *Adrianum*, qui Synodum quidem suscepit; sed ritu solenni non confirmavit, datâ ad Ecclesias omnes, aut ad Imperatores Epistolâ.

§. V.

De Canonibus Synodi Septimæ Oecumenicæ.

SEptima Synodus Canones viginti duos edidit pro Ecclesiastica Disciplina, quæ grassante hæresi & persecutionibus collapsa fuerat, ubique restaurandâ. Qua editi sint Actione, incertum est.

Canones confirmati.

Primus antiquos Canones confirmat, Apostolicos imprimis, deinde sex sanctarum & universalium Synodorum; tertiò localium Synodorum. Canon iste non est approbatus ab Ecclesia Romana, quæ Canones tantùm quinquaginta recepit ex eis qui Apostolici nuncupantur, Constantinopolitanos, vigesimum octavum Chalcedonensem, & Trullanos, non approbavit.

Scripturæ Sacræ scientia Episcopis necessaria.

Secundus Canon statuit, ut nemo deinceps ad Episcopatum promoveatur, nisi qui Psalterium memoria tenuerit, psallendique noverit ordinem; qui *scrutabiliter, & non transitorie*, legere sciat *sacros Canones, Evangelium, divini Apostoli librum, & omnem Divinam Scripturam*: id est, qui hæc intelligat, & assiduò studiô magis ac magis scrutari valeat, „*Ut secundum Divina mandata conversari possit, & docere populum sibi commissum. Substantia enim summi Sacerdotii sunt eloquia divinitus tradita; id est, vera Scripturarum Divinarum disciplina*: (ut ait magnus *Dionysius*.)

Episcoporum electio.

Canon III. electionem Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi à Principibus factam rescindit, secundùm Canonem trigesimum Apostolorum, & Canonem quartum Nicænæ Synodi. Quod intelligendum est de electione quam Principes sibi arrogant dominationis titulô, non de electione quam titulo patrocinii faciunt, Ecclesia concedente, qualis est nominatio Episcoporum & Abbatum à Christianissimis Regibus facta, & Ecclesiæ judicio subdita, quod spectat dotes & conditiones electorum.

Canon quartus vetat ut Episcopi à Clericis, aut Monachis sibi subditis pecuniam, aut quævis munera exigant, *Quia non debent filii parentibus, sed parentes filiis thesaurizare*, (ut ait Apostolus.) Eos verò qui alicujus exactionis causâ, suspensionis, aut interdicti vinculum subditis injecerint, simili pœnæ subjectos iri decernit.

Nemo solo facultatum Ecclesiæ donatarum titulo ordinandus.

Canon quintus coërcet eos, qui facultates suas, vel integras, vel ipsarum partem, Ecclesiæ dederant pro quâ fuerant ordinati, & propterea pauperibus ob virtutem à Spiritu Sancto electis insultabant: jubet eos novissimum Ordinis sui locum tenere: si superbiæ specimen dare pergant, per *epitimium*, id est, pœnam Canonicam emendari. Si quis verò solò facultatum Ecclesiæ donandarum meritò deinceps ordinetur, tam Ordinantem, quam Ordinatum, necnon & Mediatores, simoniæ damnat, secundùm Canones Apostolicos, & Chalcedonenses.

Synodi Provinciales.

Canon sextus Provinciales Synodos, quas bis in anno celebrari sanxerat Concilium Nicænum, vel singulis annis fieri jubet, secundùm Trullanum Canonem octavum, ut emendetur quod contra disciplinam peccatum est. Principes verò qui id prohibuerint, communione privantur.

Ecclesia sine Reliquiis Sanctorum non consecranda.

Canon septimus, in templis sine reliquiis Sanctorum consecratis, dominante Iconomachorum hæresi, sacras reliquias solitâ cum Oratione poni jubet. Qui verò Episcopus templum absque sacris reliquiis deinceps consecraverit, deponitor.

Canon reprobatus.

Canon Octavus Judæos, qui susceptô Baptismô Christianam Fidem haud sincerè profitentur, sed clam judaizant, in Ecclesiam non esse suscipiendos edicit, sed impunè dimittendos, neque pueros eorum baptizandos, aut servos emendos, vel acquirendos. Hic Canon unus ex iis est, *quos prioribus Canonibus, vel Decretis Sanctorum Sedis Romanæ Pontificum, aut certè bonis moribus adversari*, scripsit *Anastasius Bibliothecarius*, in Præfatione Synodi ad *Joannem Octavum* Pontificem maximum. Repugnat enim *Sancto Gregorio Magno*, *lib.* 1. Epistola 45. lib. 4. Epistola 6. & lib. 7. Epistola 24. & Concilio Toletano Quarto, Can. 56. decernenti, ut Judæi à Rege *Sisebuto* ad fidem & Baptismum coacti, *Fidem, quam vi, vel necessitate susceperunt tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis & contemptibilis habeatur. Eos autem, quos circumciderunt, si filii eorum sint, à parentum consortio separari; si servi, pro injuria corporis, libertati tradi, &c.*

Hæreticorum libri vetiti.

Canon nonus vetat Hæreticorum libros contra venerabiles imagines à quocumque retineri; sed in Constantinopolitani Patriarchatus scrinia deferri, cum cæterorum Hæreticorum libris recondendos. Qui hos apud se servaverint, Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, deponuntor: Monachi, aut Laïci, anathemate plectuntor.

Clerici propriæ Parochiæ desertores.

Canon decimus animadvertit in Clericos, qui Parochiam propriam relinquunt, & ad alienas Parochias convolant, aut apud Magnates se recipiunt, Sacrum in eorum Oratoriis facturi. Qui absque licentia proprii Episcopi, & ejus ad cujus Diœcesim divertunt, id susceperit, gradu dejicitor. Pari pœnâ plectuntor, qui mundanas & sæculares curas suscipiunt. Capellanis hujusmodi puerorum & famulorum instituendorum curam commendat, utque ipsis legant Divinas Scripturas: ad hoc enim etiam Sacerdotium consecuti sunt (inquit Sancta Synodus.)

Canon undecimus Oeconomos in omnibus Ecclesiis, ac Monasteriis constitui decernit, juxta Canones Chalcedonenses: quod nisi fecerint Metropolitani, Constantinopolitanus Episcopus in suis Diœcesibus Canonem exequetur: similiter & Metropolitani, in Comprovincialium Episcoporum Ecclesiis si hanc neglexerint disciplinam.

Oeconomis Ecclesiarum, Bonorum Ecclesiæ alienatio vetita.

Canon duodecimus, Episcopos & Abbates coërcet, qui ex agris vel fundis Ecclesiarum suarum ac Monasteriorum, in Principum manus aliquid transtulerint, vel alteri contulerint personæ, vel quovis modo alienaverint. Quod si fecerint, irrita esto donatio, aut venditio secundùm Canones Apostolicos: Episcopus verò, vel Abbas deponitor, tanquam qui dispersit malè, quæ non collegit.

Canon decimus-tertius medetur cladi Monasteriis illatæ à *Leone Isauro* & *Constantino Copronymo* Imperatoribus Iconomachis, qui ex illis profana diversoria fecerant. Ea in pristinum statum restitui jubet Synodus. Qui ea profanis usibus addicta retinent, Clerici deponuntor; Monachi, & Laïci excommunicantor.

Clericalis Tonsura absque Ordinibus collata.

Canon decimus quartus vetat eos, qui Tonsuram Clericalem à pueritia acceperunt, & Lectores ab Episcopo non sunt ordinati, in Missa & sacris Officiis legere ad ambonem, etiam in Monasteriis. Lectoris autem Ordinationem Chorepiscopis permittit, ex Episcoporum mandato, & Abbatibus Presbyteris, & Episcopali Benedictione inauguratis, in suis Monasteriis. Tria discimus ex isto Canone. Primò apud Græcos solenne fuisse, ut Clericalis Tonsura, absque ullô Ordine conferretur, etiam pueris. Secundò, ut Lectores manuum impositione, non traditione libri Prophetiarum ordinarentur. Tertiò, Abbatibus ab Ecclesia Orientali fuisse indultum ut Minores Ordines Monachis suis conferrent.

Abbates in Ecclesia Orientali Minores Ordines conferre poterant.

Canon

Beneficiorum pluralitas vetita.

Canon decimus-quintus Clericum in duabus Ecclesiis connumerari, sive plura Beneficia possidere vetat. Illam Beneficiorum pluralitatem *Negotiationem, turpe lucrum, rem ab Ecclesiasticâ consuetudine penitus alienam* vocans. Hanc in Regia Urbe nequidem ob unius tenuitatem Beneficii permittit: quam suppleri jubet labore manuum. Illam verò indulget in villis, ob hominum inopiam. Inter Beneficia curam animarum habentia, & simplicia, postulantia residentiam, vel non postulantia, non distinguit Synodus. Hujus namque distinctionis ad pluralitatem Beneficiorum permittendam, nulla antiquitus in Ecclesia habita ratio est. Nec usquam plura Beneficia ab uno Clerico possideri permisit, ut lautiùs viveret.

Modestia Clericorum in vestibus.

Canon decimus-sextus Episcopos & Clericos pretiosis, fulgidis, & serica texturâ variatis vestibus ornari prohibet, qui secus fecerint, emendantor. Illos etiam coerceri jubet, ac plecti, qui viles & religiosas Clericorum aut Monachorum vestes ludibrio habuerint; ut solebant Iconomachi.

Novarum Ecclesiarum aut Monasteriorum erectio.

Canon decimus-septimus vetat templa & sacra quævis ædificia, sive à Laicis, sive à Clericis inchoari, nisi sumptus necessarius ad consummationem conferre possint, & præsentem vel certò obventuram pecuniam habeant: sin minùs, ab Episcopo loci prohibeodos. Id imprimis prohibetur monachis, *Qui deserentes Monasteria sua, præesse anhelantes, & obedire renuentes*, hujusmodi ædificationem suscipiunt.

Canon decimus-octavus fœminas arcet ab ædibus Episcoporum, & Monachorum: si quæ in villis Ecclesiæ, vel Monasteriorum ad opera manent, secedere eas jubet in alium locum, adveniente Episcopo, vel Abbate, ut omnis pravæ suspicionis, & offensionis tollatur occasio.

Simonia in ingressu Monasteriorum.

Canon decimus-nonus simoniacam Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum avaritiam castigat, munus aliquod ac pretium exigentium à Religiosæ Professionis candidatis: ex quô fit *Ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut Magnus ait Basilius. Neque enim Deo per mammona servire licet.* Qui contra hunc Canonem peccaverit Episcopus, vel Abbas vel quilibet ex sacrato Collegio, deponitor, secundùm Canones Chalcedonenses: Abbatissa è Monasterio ejicitor, & in aliud Monasterium ad subjectionem relegator. Quæ autem filiis dantur à parentibus nomine dotis, vel quæ ex propriis rebus acquisita, Monasteriis offerunt, post eorum Professionem Deo in perpetuum dicata manere, & in Monasterii facultates transcribi, sive perseveraverint, sive exierint, decernit Sancta Synodus. Excipitur casus quô eorum exitus ex culpâ Prælati contingeret.

Monachorum & Monialium familiaritas interdicta.

Canon vigesimus duplicia Monasteria, Monachorum, & Sanctimonialium, fieri prohibet, iis exceptis quæ sub *Sancti Basilii* Regula militant, quòd eorum structura & disciplina nullis pravis suspicionibus locum præbeat. Vetat multò magis Monachos & Moniales in uno Monasterio commorari. Ipsis interdicit mutuo ad secretam collocutionem, & singularia convivia aditu: Nec Monachis permittit cum Monialibus consanguineis vel affinibus confabulari, nisi Abbatissa præsente, & brevi colloquio.

Monachorum stabilitas.

Canon vigesimus primus prohibet Monachos, & Moniales, relictis propriis Mooasteriis, ad alia proficisci. Scilicet olim profitebantur omnes ad certum Monasterium, ex quo nisi gravissimis de causis transferri non poterant.

Modestia Christianorum in conviviis.

Canon vigesimus secundus, Thymelicos, id est, qui lyris, cytharis, aliisque instrumentis musicis, & meretriciis veluti cantionibus animos emolliunt, arceri jubet à conviviis Christianorum, qui manducare tantùm debent ad vitam sustentandam, non ad voluptatem. Clericos verò, & Mooachos cum mulieribus secretò manducare vetat; immò & cum Secularibus quibuscunque, nisi in itinere coëgerit necessitas. Indulget tamen ut cum viris, vel mulieribus pietate insignibus, & consanguineis, comedere possint sacrati viri, si ad spiritalem directionem convivium proficiat.

§. VI.

De gestis post Synodum Septimam in causâ Imaginum.

Libri Carolini contra VII. Synodum.

ANno Christi septingentesimo nonagesimo, cùm Acta Septimæ Synodi in Franciam perlata fuissent, & ab Episcopis, ab ipsôque *Carolo Magno* discussa, eorum Confutatio & Critice acerba satis & injuriosa edita est, Libris illis quatuor, qui Carolini vocantur, quòd vel à Carolo Magno, vel eô permittente, ipsius augusto nomine sint editi. Horum Auctor, quamvis Nicænam Synodum secundam acriùs impugnet, ab ea tamen, quod summam Fidei spectat, non dissentit, ut in Dissertationibus ostendam.

Synodus Francofordensis damnat Synodum Nicænam II. sive potius adscriptum ipsi errorem.

Aooo Christi septingentesimo nonagesimo quarto, in Synodo Francofordiensi, à Carolo Magno, consentiente Romano Pontifice Adriano I. qui & Legatos ad eam misit, ob damnandum Elipandi & Felicis errorem coovocatâ, quæstio de Græcorum Synodo, id est de Nicæna secunda, habita etiam est, quæ nondum ut Oecumenica, Occidente penè totô suscipiebatur. Ea verò, sive potiùs perperam ipsi adscriptus error, secundô Canone damnatus est his verbis: *Allata est in medium quæstia de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt: in quâ scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium, aut adorationem non impenderent, Anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* At Definitionem & doctrinam Synodi Septimæ revera non damnavit Synodus Francofordiensis, ut in Dissertationibus ostendam.

Capitulare contra Synodum VII. ad Hadrianum I. mittitur, Cui respondet Pontifex.

Hâc ex Synodo Capitulare adversùs Septimam Synodum, ex Libris Carolinis excerptum, ad Adrianum I. Pontificem Maximum per *Angilbertum* Centulensem Abbatem missum est; cui respondit eruditus Pontifex Apologeticâ Epistola ad Carolum Magnum datâ, *Non quemlibet hominem, sed olitanam Traditionem defendens*; ut ipse contestatur.

Miraculum ab Iconomachis confictum.

Anno Christi octingentesimo decimo-tertio, Imperatore Michaële Curopalate, & ad bellum contra Bulgaros profecto, cùm sollemnis Supplicatio pro impetranda victoria Constantinopoli fieret à Templo *Sanctæ Sophiæ* ad Apostolorum Basilicam, ubi sepulti erant Imperatores; tumultuati sunt Iconomachi & confictô miraculô hæresim cum *Constantino Copronymo* penè sepultam excitare conati sunt. Scilicet Imperialium sepulchrorum januam, nemine propter populi frequentiam advertente, vecte in eam impulsô, subito cum fragore, tamquam divinitus editô miraculo, aperuere. Mox ad *Copronymi* tumulum prosilientes, ipsum prostrati invocarunt, dicentes: *Exurge, & Reipublica jam jam pereunti succurre.* Moxque illum equo insidentem contra Barbaros procedere visum effutierunt. Sed Urbis Præfectus habitâ de ipsis quæstione, illos alligatis ad collum vectibus, & imposturam palam fateri coactos, ad ignominiæ pompam traduxit. Id constat ex *Theophane.*

Leonis Armeni Imp. in sacras Imagines...

Anno Christi octingentesimo decimo-quarto *Leo Armenus* à *Sabbathio* Monacho Iconomachiæ addictissimo,

[gines, & eorum cultores persecutus.]

addictissimo, & ab alio quodam sub Monachi pariter habitu Impostore, in Dagistensi Monasterio degente, quem *Theodotus Melissenus* subornaverat, seductus est; & adversùs sacras imagines excitatus. Junxit artes suas malis artibus perversi Monachi *Theodotus* ille in Aula Imperatoris spectatissimus: cui cùm aperuisset Imperatoris consilium, qui ipsum noctu adire decreverat vili habitu, & dissimulatâ Majestate, Impostori Monacho ansam dedit se mentiendi Prophetam, qui larvatum licèt ac nusquam antea visum Imperatorem agnosceret. Leo itaque in Iconomachum mutatus, bellum sacris Imaginibus & illarum Cultoribus indixit. Tentavit, sed frustra *Nicephorum* Patriarcham: Jussit Catholicos & Hæreticos simul congredi: ut veritas dogmatis clariùs patesceret. Renuerunt Catholici, quòd Imaginum cultus jam satis traditione constaret, ac præterea in Septimâ Synodo esset definitus: Fidei autem dogmata semel in Synodo Oecumenica discussa & declarata, nôn essent ad examen revocanda: tum etiam quia Imperatoris non est de controversiis Ecclesiasticis decernere. Sic *Leonem* inter alios affatus est invictissimus Abbas *Theodorus Studita*, qui tot illâ in persecutione trophæa tulit: *Ne tentes nunc, ô Imperator! Ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Pastores & Doctores, ad perfectionem Sanctorum. Non dixit, Reges. Tibi quidem, ô Imperator! civilis status, & exercitus commissus est. Hæc igitur cura: Ecclesiam autem Pastoribus, & Doctoribus, ut ait Apostolus, derelinque. At si non vis hæc facere: si quis pervertenda Fidei nostræ causâ aliquid de cælo nobis annuntiaverit, ipsum non audiemus: tantùm abest ut te audituri simus.*

[Non est Imperatoris de controversiis fidei decernere.]

Leoni in restaurandâ hæresi adjutores fuere, *Joannes Pancratii Sciasta* filius, qui à puero dæmonem inhabitantem habuerat, incompositis motibus agitari solitus, & à mente alienari, quem *Hylilum* appellabant; quemque *Leo* spe Patriarchatûs illexit ad seducendam plebem & in errores Iconomachorum pertrahendam: *Constantinus* artificis sutoris filius: *Cazimata* Grammaticæ Professor: & quidam Ludimagister, qui criminum sibi objectorum pœnam fugiens, in Monasterium diverterat, & nomen sumpserat *Antonii*; subindéque Monasterii Metropolitani Præpositus, ac tandem Sylæi Episcopus evasit. Hic à *Leone* vocatus, ac interrogatus, num scriptum legisset, adorandas imagines: Respondit: *Nullibi hoc scriptum est: verùm antiquam esse Traditionem asserunt.* Cui Leo: *Nisi in Evangeliis, aut apud Apostolum clarè & ad verbum scribatur: Venerenim Imaginem meam, nusquam ipsam adorare consentiam.* Post hæc, Patriarcham adhortatus est ut populo paululùm condescenderet propter Imaginum adorationem offenso; aut rationem redderet, cur adorare vellet Imagines Scripturâ id nullibi præcipiente. Respondit *Nicephorus* Patriarchâ Sanctissimus: *Hæc quæ à principio & superioribus temporibus ab Apostolis & Patribus definita sunt, nullâ ratione innovamus, nec amplius quid moderandum censemus ab Apostolo dicente: Si nos, aut etiam Angelus de Cælo annuntiaverit præter id quod vobis denuntiavimus, Anathema sit. Quâ verò de causâ, prout adoramus Crucem & Evangelium, eâdem pariter Imagines veneramur. Quandoquidem neque illa adoranda scriptum est. Verùm quoniam ab Apostolis hæc excepit Ecclesia, utrum scriptum, vel non scriptum sit, non decet inquirere. Plura namque scripto non tradita, quæ dicuntur dogmata per Sancti Spiritûs inspirationem successivis temporibus à Sanctis ejus famulis ac servis ordinata, Ecclesia excepit.*

[Non Scriptura sola, sed & Traditio, Regula fidei est.]

Porro Imperator, quòd sciret Orthodoxos, ac Monachos maximè, Catholici Dogmatis palam assercturos veritatem, & Iconomachiam deleturos, sacræ, quâ pollebant, præsidio doctrinæ, silentium ipsis indixit, omnémque prohibuit de Fidei rebus collationem. Quâ se lege, datô chirographo, adstrinxerunt ipsi Monasteriorum Præpositi. Hanc in ipsis conniventiam gravissimâ perstrinxit Epistolâ *Theodorus Studita*, quâ ad ipsos scripsit; Silentium illud nihil aliud esse quàm proditionem veritatis, abnegationem Præfecturæ, sociorum ac subditorum perversionem. Adducit exemplum Apostolorum, quibus cùm à Judæis denuntiatum esset ne docerent in nomine Christi, responderunt: *Judicate si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum*; Et, *Obedire Deo oportet magis quàm hominibus.* Post hæc subdit Theodorus: *Sed quid, quòd pluris facimus Monasterium, quam Deum? Pluris commoda quæ inde capimus, quam mala quæ boni causâ sustinemus? Ubinam est illud: Loquebar in conspectu Regum, & non confundebar? Et illud: Labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti? Ubi gloria & fortitudo Ordinis nostri? Quonam pacto Sabas & Theodosius, cum impiam hæresim sui temporis Imperator Anastasius amplecteretur, insurrexerunt pro fide acriter pugnantes, tum eos qui perperam in Ecclesia sentiebant, excommunicando, tum ad Imperatorem ipsum scribendo: Se mortem potiùs oppetere paratos, quam ut de constitutis aliquid immutarent? Et dicunt (ut fama est) Domini Præpositi: Quinam sumus nos? Primùm Christiani, qui nunc & propriè loqui debeant. Deinde Monachi, quos res nulla abstrahit, nec abripi par sit, tanquam mundo minimè adstrictos, nullique obnoxios. Denique Præpositi, qui & aliorum scandala tollunt, & in nullo dare offendiculum debent: Ne vituperetur*, inquit, *ministerium nostrum.* Hæc Theodorus Studita, Epistola 2. Libri 2.

[Leo Armenius Monachis silentium imperat in quæstione de cultu Imaginum.]

[Silentium in causa fidei, est proditio veritatis.]

Exarsit persecutio in S. *Nicephorum* Patriarcham Constantinopolitanum, qui cùm *Leonis Armeni* Edicto subscribere nollet, è Sede ab ipso detrusus, in Insulam Proconnesum exul deportatus est: Cujus in locum Imperator tyrannicè intrusit *Theodotum* illum *Melissenum*, qui ejus mentem depravarat. Exulavit quoque propter Fidei causam *Nicetas* ex Patritio Monachus, *Irenes* quondam Imperatricis consanguineus: *Æmilianus* Cyzici, & *Michael* Synnadorum, Episcopi; *Theophanes* Abbas, & *Theodorus Studita*, qui ex durissimo exilio, arctissimóque carcere, ubi *Leonis* mandato crudelissimè vexatus est, varias scripsit Epistolas, quibus causam Fidei propugnavit, Episcoporum & Abbatum zelum accendit, Confessoribus animos addidit.

[Persecutio in S. Nicephorum Patriarcham Constantinopolit.]

Convocavit interea Pseudo Patriarcha *Theodotus* Conciliabulum, Pseudo Septimam Synodum confirmans, & Oecumenicam veréque Septimam, scilicet Nicænam secundam, Anathemate damnans: Scripsit *Theodorus Studita* ad Synodum Hæreticorum, omnium Præpositorum nomine, Epistolam, quæ prima extat Lib. 2. in quâ duplicem rationem dedit, cur ad Synodum vocati, non adessent. Primam, quòd absque *Nicephori* Patriarchæ sui, qui in exilium iniquè pulsus erat, sententiâ, nihil sive fidem, sive disciplinam spectans agere possent: alteram, quòd hæc Synodus ad eversionem secundæ Nicænæ, id est, ad tollendas imagines, coacta esset. Subdidere Fidei Professionem Iconomachorum hæresi è regione adversam, hisque exaratam verbis: *Nos itaque omnium minimi, qui præsentes, quique absentes, consonam universæ sub cælo Ecclesiæ fidem tenentes, divinam Salvatoris nostri Jesu Christi, & Sanctissimæ Matris ejus, aut cujuscunque Sanctorum imaginem erigere, & adorare, non solùm ex sancta Nicæna II. Synodo, alteravè quæ ante illam divinissimè*

[Conciliabulum à Theodoto Pseudo-patriarcha contra sacras imagines, & Synodum VII. Oecumenicam celebratum.]

[S. Theodorus Studita fidem tuetur adversùs Iconomachos.]

sime decuit, securum & tutum esse affirmamus; sed ab ipsomet adventu Domini nostri ac Dei, tam scripto, quam sine scripto fundati, securè supra Sedem illam consistimus, de quâ Christus ait: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Hæc illi. Scripsit idem *Theodorus* è carcere Catecheticam Epistolam ad Confessores, quâ luculenter asseritur sacratum imaginum cultus. Incipit his verbis: *Theodorus omnibus ubique propter Christum dispersis Fratribus: & iis qui in carceribus & exiliis detinentur, in Domino salutem.* Est octava lib. 2. illámque & alias supra laudatas exscripsit Annalium Ecclesiasticorum Parens, ad annum octingentesimum decimum-quartum. De abolitione Sacrarum imaginum à *Leone Armeno*, deque persecutionibus ab eo motis in Catholicos earum cultores ac defensores, legendi sunt *Michael* Monachus in Vita Theodori Studitæ, *Theosterictus* in Vita *Nicetæ*, Anonymus in Historia Leonis Armeni, *Cedrenus*, & *Zonaras*, ex quibus hæc defloravimus.

Michaelis Balbi simulatum Principatu exordio.

Anno Christi octingentesimo vigesimo, *Michael Balbus*, post necem *Leonis Armeni* proclamatus Imperator, impietatem Principatûs exordiô dissimulans, ab exilio Catholicos revocavit, quos *Leo* propter fidei causam relegaverat. Omnes etiam Episcopos Orthodoxos adesse jussit Constantinopoli, ut cum Iconomachis de ineunda in quæstione de imaginibus concordia deliberarent. Qui ad ipsum egregiam illam Epistolam dedere, quæ à *Sancto Theodoro Studita* scripta creditur, & inter illius Epistolas extat 85. lib. 2. quâ secum Hæreticis convenire non posse, contestati sunt, & si quod dubium circa fidem emergeret, consulendum esse Romanum Episcopum. *Jam vero*, inquiunt, *Sermonem refellendi causâ cum heterodoxis conferre, Apostolico mandato repugnat, minimèque convenit, nisi ad correptionem tantummodò. Propterea indigni nos Imperii vestri famuli, ne hiscere quidem contra præceptum audemus. Quòd si quod est hujusmodi de quo ambigat, aut diffidat divina Magnificentia vestra pio à Patriarcha dissolvi posse: jubeat magna ipsius & à Deo confirmata manus, ad communem militatem à vetere Roma suscipi declarationem, prout olim & ab initio Paterna Traditione transmissus mos fuit: Hæc enim suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus Sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hæc illi.

In Controversiis Fidei, quærendum Romani Pontificis responsum.

Cùm autem unà cum selectis Episcopis *Theodorus Studita* convenisset, omnes consilium inivere adeundi Imperatorem, eique supplicandi ut in proprias Ecclesias eos restitui juberet, & qui eas occupaverant, Hæreticos expelli. Ad Aulam igitur se contulere, & coram *Michaele* pro sanctarum imaginum restitutione egregiè & fortiter peroratunt: quibus ille absurdum illud responsum dedit: *Tametsi*, inquit, *egregia & honesta sint quæ dixistis; at mihi nequaquam amplectenda, qui hactenus imaginem nullam colui, vel adoravi. Quocirca & me æquum est eum manere qui fui, & vos pariter pristinum statum retinere, opinionésque vestras sequi. Per me enim licebit, nec ctipsam obsistam; nisi quod imagines in Regia Urbe à vobis erigi prorsus nolo, sed extra eam procul, & ubicumque volueritis.* Hæc refert *Michael* Monachus in Vita *Theodori Studitæ*.

Post congressum cum Imperatore, *Theodorus Studita* S. Nicephorum Patriarcham de re gesta certiorem fecit; ipséque Constantinopoli degens, dispersos Fratres congregavit, rémque Catholicam strenuè sustentavit, *Joannicio* Anachoretæ sanctissimo junctus, qui ad venerandas *Sancti Theophanis Martyris*, Præfecti Monasterii Sigriani reliquias in Urbem advenerat.

Michaelis Balbi persecutio in Catholicos.

Bello contra *Thomam* Ducem perduellem prosperè confectô, ann 823. sævit in sacratum imaginum cultores ac defensores *Michaël Balbus*, Constantinum Copronymum sibi proponens imitandum. Rursus in exilium amandavit Episcopos & Abbates, quos Imperii sui exordiô revocaverat, ac inprimis *Theodorum Studitam*, & celebrem illum, qui postea Constantinopolitanam Ecclesiam tantâ cum laude rexit, *Methodium*: quem in Insula Acritæ detrudi jussit in carcerem; ac *Euthymium* Sardium Præsulem flagris necavit, datis *Theophilo* filio suo ac Imperii Collegæ mandatis, ut crudele illud facinus executioni mandari curaret.

Legatio Michaëlis & Theophili Impp. ad Ludovicum Pium Imperatorem.

Interim *Michaël* & *Theophilus* Romanum Pontificem & Imperatorem Occidentis sibi conciliare satagentes, Legationem honorificam ad *Ludovicum Pium* misere, ejus amicitiam rogantes, ac officia apud Romanum Episcopum. Ac ne ob hæresim malè audirent, Professionem Fidei suis Litteris inseruerunt, in cæteris integerrimam, circa caput imaginum multâ moderatione temperatam. Harum quippe usum & cultum omnem se minimè prohibere significabant, sed adorationem solam & superstitionem multiplicem, quæ in Christianæ plebis devotiones in Oriente irrepserat: ob quam reprimendam, imagines in editiora loca extulerant, procul à populi contactu & osculis. Legationem excepit Rothomagi *Ludovicus Pius* anno 824. mense Novembri; subindeque petitâ Summi Pontificis *Eugenii Secundi* veniâ, Gallicanos Episcopos Parisios convocavit, de imaginum cultu collaturos. In Synodo illâ Parisiensi quamquam Nicænam II. Synodum rejecerint Gallicani Præsules, ab ejus tamen fide non dissensêrunt, ut in Dissertationibus ostendemus. Hujus Collationis Acta Romam ad *Eugenium II.* misit *Ludovicus Pius*, ejúsque subjecit examini. Ea detulere *Jeremias* Senonensis, & *Jonas* Aurelianensis, Episcopi, qui à Pontifice non impetrarunt, ut Græcis in imaginum negotio aliquid œconomiæ gratiâ concederent Septimæ Synodi decretis repugnans.

Synodus seu Collatio Parisiensis.

Ejus Acta ad Eugenium II. Pontificem Max. transmissa.

Theophili Imp. novum adversùs sacras Imagines, & Monachos earum defensores bellum.

Theophilus mortuô patre, solus imperans, Catholicos imaginum sacrarum cultores ac defensores crudelitate majori persecutus est. Imagines non solùm coli, sed & pingi prohibuit, & jam pictas delevit, earum locô bestiarum & avium figuras in ipsis templis effingi jubens. Monachis omnium civitatum aditu interdixit. Monasteria profanis hominibus tradidit, *hósque cœtus dissipavit, qui soli ad refrænandas cupiditates hominum faciebant*, ut scribit *Cedrenus*. Neque tamen Dei verbum tunc temporis alligatum fuit: Quidam enim, vel factô agmine, Principem reprehenderunt. Horum præcipui fuere Abrahamitæ Monachi, qui liberè in conspectum ejus progressi, & Sanctorum Patrum dictis, Magni videlicet *Dionysii*, *Hierothei*, & *Irenæi*, demonstrarunt, non nuper vivendi rationem Monasticam extitisse, sed perantiquam esse: sed & sacras imagines ipsis fuisse Apostolis familiares, quando & *Lucas* divinus Apostolus Deiparæ formam depinxerit, & Christus linteo impressam sui effigiem, nullô manûs ministeriô elaboratam nobis reliquerit. Monachorum Sanctissimorum libertatem impatienter ferens impius Imperator, ipsos in exilium deportari jussit ad fanum *S. Joannis Baptistæ*, quod *Terribile* dicebatur, in Ponto Euxino, ubi flagellis dilacerari, Martyrii coronam consecuti sunt. *Lazarus* Monachus, egregius Pictor, insigne etiam certamen subiit, ejus namque manus laminis ferreis ignitis aduri jussit *Theophilus*: eúmque semianimem precibus *Theodoræ* Augustæ vix concessit; isque redditâ Ecclesiæ pace, consumptis licet manibus, præclarissimam Christi Servatoris pinxit imaginem. *Theophanem* & *Theodorum* germanos fratres, Palæstinos Monachos diræ vexavit. Mira fuit *Theophanis* libertas, qui à

Theophanis & Theodori certamen.

Theophilo de religione disputare jussus, & quodd am *Isaiæ* proferens testimonium, negante Imperatore ita apud *Isaiam* haberi, & librum aperiente, interpolatum esse librum illum, & quotquot in ejus manus libri sacri pervenissent, contestatus est, & postulatô ex Patriarchæ Bibliotheca Thomaïtica Codice, interpolationem probavit. Quamobrem verecundiâ suffusus & in furorem actus Imperator, eos ducentis verberibus cæsos, & versibus acuum candentium impressione frontibus inscriptis notatos, in exilium relegavit, ubi mortuus est *Theodorus*; *Theophanes* verò ad Ecclesiæ pacem superstes vixit. Interim in Patriarchale solium, post *Antonii* mortem, virum nequissimum evexit *Theophilus*, *Joannem* quemdam Pseudo-Monachum, artium magicarum peritissimum, in quibus Imperatorem ipsum instituerat.

Certamen S. Methodii.

Eadem in persecutione *Methodius*, qui eruditione suâ, & auctoritate, fidei causam strenuè Constantinopoli propugnabat, immaniter cruciatus est. Cùm enim *Theophilus* in expeditione adversùs Saracenos fusus fuisset, rabiem suam in *Methodium* convertit, eum malorum omnium, quæ in Imperium exundabant, proclamans auctorem; quòd idololatriam (sic imaginum cultum vocabat impius) foveret. *Methodium* itaque, contusis dentibus, in quamdam Insulam relegatum, vivum cum duobus latronibus in sepulchro quodam, sive speluncâ includi jussit, quorum alterô extinctô, cadaveris fœtorem invictâ patientiâ sustinuit generosus Athleta. Ipsum *Theodorus* & *Theophanes*, cùm statum ipsius ac passionem à quodam piscatore didicissent, litteris Carmine Iambico sanè eleganti scriptis solati sunt: quod Latine reddo.

Vivo perempto, vivificóque mortuo,
Terram incolenti, ac pariter calcanti polum,
Scripsere vincto vincti, & inscripti notis,

Quibus simili Carmine rescripsit admirandus *Methodius*, quod sic habet:

Libris vicissim descriptos cœlestibus,
Facié que non sine laude compunctos notis,
Secum salutat vinctos vivus obrutus.

Septem annis in tetro illô carcere detentus fuit *Methodius*, donec illum *Theophilus*, qui gravissimas difficultates patiebatur in intelligentia librorum, quorum lectione delectabatur, neminémque inveniebat, qui illas fœliciter exponeret ac locis obscuris lucem afferret, *Methodium* cui nullum noverat eruditione parem: velutè sepulcbro redivivum, in Aulam revocavit: nec tamen aliquid de pristino erga Catholicos remisit furore.

Theodora Augusta Theophili Imp. conjux, post ejus mortem sacras imagines, & earum cultum restituit.

Mortuo *Theophilo*, *Michaël* ejus filius, & *Theodora* conjux, secundùm supremam ejus voluntatem, Augusti proclamati sunt. Vix dum quatuor annos *Michaël* natus erat, cùm orbatus est patre. *Theodora* Imperatrix religiosissima, & prudentiâ supra sexum conspicua, ad restituendam religionem applicuit animum: & *Theoctisto* ac *Manuële* Primariis Aulæ juvantibus, senatum in sententiam suam traduxit. Mòxque congregavit Synodum, in quâ Decretum de sacris imaginibus erigendis & colendis editum est, Iconomachi plerique omnes errorem ejurarunt, *Joannes* sive *Jannes* Hæreticus Patriarcha exauctoratus: in ejus locum, summo omnium Ordinum applausu, invictus Confessor *Methodius* suffectus est. Hujus gloriosam famam obscurare moliti sunt Iconomachi, subornatâ muliercula, quæ eum stupri accusaret: quorum ille calumniam diluit facto sanè insolenti, quô emortuam in se ac exsiccatam carnem, quâ sedes est libidinis, probavit, idque miraculô sibi contigisse, cùm gravissimis tentationibus stimulatus, Romæ *Sancti Petri* patrocinium, ut ab iis liberaretur implorasset. Sacræ autem imagines ritu solenni restitutæ sunt anno Christi octingentesimo quadragesimo primo, annuúmque, in hujus restitutionis commemorationem, *Orthodoxiæ* Festum institutum est. Hæc excerpsimus ex *Constantino Manasse*, *Zonara*, *Cedreno*, & *Glyca*. Longiùs verò extra sæculum octavum excurrimus, ut uno intuitu totam Hæreseos Iconomachorum Historiam Lector conspiciat.

Synodus eam ob rem celebrata.

Methodius Patriarcha creatus.

Orthodoxiæ festum in memoriam solennes sacrarum imaginum restitutionis.

ARTICULUS II.

De Alberto & Clemente Hæreticis.

HI anno circiter septingentesimo quadragesimo quarto in Francia turbas excitare, plebem Christianam seducere, & *Bonifacio* Germanorum Apostolo negotium facessere cœperunt. De quibus ipse ad *Zachariam* Pontificem Maximum ita scripsit: * *Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hæreticos pessimos, & publicos, & blasphemos contra Deum & Catholicam Fidem. Unus, qui dicitur Aldebert natione generis Gallus est. Alter, qui dicitur Clemens, Scotus est. Specie erroris diversi, sed pondere peccatorum pares. Contra istos obsecro Apostolicam auctoritatem vestram, quòd meam mediocritatem defendere & adjuvare, & per scripta vestra populum Francorum & Gallorum corrigere studeatis, ut Hæreticorum fabulas & vana prodigia, & signa præcursoris Antichristi non sequantur, sed ad canonica jura, & ad viam veræ doctrinæ convertantur, & ut per verbum vestrum isti Hæretici duo mittantur in carcerem, si vobis justum esse videatur, cùm vitam & doctrinam illorum vobis intimavero, & nullus cum eis loquatur vel communionem habeat..... Propter istos enim persecutiones & inimicitias & maledictiones multorum populorum patior, & Ecclesia Christi impedimentum fidei & doctrinæ rectæ sustinet. Dicunt enim de Aldeberto, quòd eis sanctissimum Apostolum abstulissem, patronum, & oratorem, & virtutum factorem, & signorum ostensorem abstraxissem. Sed Pietas vestra audiens vitam ejus, judicet ex fructu, utrum vestimenta ovium induens, intus autem lupus rapax fuisset, an non. In primæva enim ætate hypocrita fuit, dicens, quòd sibi Angelus Domini in specie hominis, de extremis finibus mundi, miræ tamen & incertæ sanctitatis reliquias attulisset, & exinde potuisset omnia, quæcunque posceret, adeo impetrare, & tunc demum per illam simulationem, sicut Apostolus Paulus prædixit, penetravit multorum domus, & captivas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, quæ ducebantur variis desideriis, & multitudinem rusticorum dicentium, quòd ipse esset vir Apostolicæ sanctitatis, & signa, & prodigia multa fecisset. Deinde conduxit Episcopos indoctos, qui se contra præcepta Canonum absolutè ordinarunt. Tum demum in tantam superbiam elatus est, ut se æquipararet Apostolis Christi, & dedignabatur in alicujus honore Apostolorum vel Martyrum Ecclesiam consecrare. Et interrogavit, quid voluissent homines visitando limina Sanctorum Apostolorum? Postea in proprio honore suo dedicavit Oratoria, vel, ut verius dicam, sordidavit; fecit cruciculas & Oratoriola in campis, & ad fontes, vel ubicunque sibi visum fuit, & jussit ibi publicas orationes celebrare, donec multitudines populorum, spretis cæteris Episcopis, & dimissis antiquis Ecclesiis, in talibus locis conventus celebrabant, dicentes: Merita sancti Aldeberti adjuvabunt nos. Ungulas suas & capillos dedit ad honorificandum & portandum cum reliquiis Sancti Petri Principis Apostolorum. Tum demum, quod maximum scelus, & blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit. Venienti enim populo, & prostrato ante pedes ejus,*

* Epistola inter Bonifacianas centesima vigesimaquinta.

Aldeberti & Clementis mores & errores.

ejus, & cupienti confiteri peccata sua, dixit: Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra; non est opus confiteri, sed dimissa sunt peccata vestra præterita: securi & absoluti revertimini ad domus vestras cum pace. Et omnia quæcumque sanctum Evangelium hypocritas fecisse testatur, suo habitu, incessu, & moribus imitatus est.

De *Clemente* verò hæc subdit: *Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Ecclesiam, Canones Ecclesiarum Christi abnegat, & refutat Tractatus, & intellectus sanctorum Patrum, Hieronymi, Augustini, Gregorii recusat. Synodalia jura spernens, proprio sensu affirmat se post duos filios sibi in adulterio natos, sub nomine Episcopi, esse posse legis Christianæ Episcopum. Judaismum inducens, judicat justum esse Christiano, ut, si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Qui contra fidem Sanctorum contendit, dicens quod Christus filius Dei descendens ad inferos, omnes, quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos & incredulos, laudatores Dei simul & cultores Idolorum, & multa alia horribilia de prædestinatione Dei contraria Fidei Catholicæ affirmat. Quapropter de hoc utroque Hæretico precor, ut per litteras vestras mandare curetis Duci Carolomanno, ut mittatur in custodiam, ut semina Sathanæ latiùs non seminet, ne forsitan una ovis morbida totum gregem polluat.*

Aldebertus Vitam suam ipse conscripserat, aut ab aliquo è suis Discipulis conscribi jusserat, falsis miraculis & visionibus populis imponentem: cujus hoc fragmentum refertur in Synodo Romana sub *Zacharia* Pontifice in ejus causa celebrata. *Incipit: Vita sancti & beati Dei famuli, & præclari, atque per totum speciosi, ex electione Dei nati, Sancti Aldeberti Episcopi. De simplicibus parentibus fuit procreatus, & de gratia Dei est coronatus: quia dum in utero matris suæ erat, ibidem gratia Dei cœpit, & antequam pervenisset beatissima nativitas ejus, sic vidit genitrix ejus quasi per visionem, egredientem vitulum de dextero latere suo, qui vitulus illi designabat gratiam illam quam ab Angelo acceperat, antequam exiret de vulva.*

Epistolam quamdam ineptissimam velut Jesu Christi divulgabat, ac è cœlo transmissam mentiebatur, ut constat ex Actis ejusdem Synodi.

Tandem ignotorum Angelorum nomina en Oratione à se composita invocabat, ut constat ex fragmento, quod eadem in Synodo recitatum est: *Precor vos, & conjuro vos, & supplico me ad vos, Angele Uriel, Angele Raguel, Angele Tubuel, Angele Michaël, Angele Inias, Angele Tubuas, Angele Sabaoch, Angele Simiel.* Quibus de nominibus Romana Synodus dixit: *Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaëlis, sed nomina dæmonum sunt, quæ in suis orationibus invocavit ad præstandum auxilium sibi. Nos autem, ut à vestro Sancto Apostolatu edocemur, & divina tradit auctoritas, non plus quàm trium Angelorum nomina cognoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael.*

Trium dumtaxat Angelorum nomina Ecclesia agnoscit.

Damnatus est *Aldebertus* in Synodo Suessionica anno septingentesimo quadragesimo-quinto, Canone secundo, his verbis: *Et ut hæresis amplius in populo non resurgat, sicut invenimus in Adalberto hæresim, quem publicè ter una voce condemnaverunt viginti tres Episcopi, & alii multi Sacerdotes, cum consensu Principis & populi, ita condemnaverunt ipsum Adalbertum, ut ampliùs populus per falsos Sacerdotes deceptus non pereat.* Canone verò septimo decretum est, cruciculas ab *Adalberto* per campos erectas, cremandas esse, ut omnis plebium seducendarum aboleretur occasio. *Similiter constituimus, ut illas cruciculas, quas Adalbertus per Parochiam plantaverat, omnes igne consumantur.*

Aldebertus, & Clemens in Synodo Suessionensi damnantur.

Horum damnationem confirmavit *Zacharias* summus Pontifex, ut constat ex illius litteris ad *Bonifacium* eodem anno, decimo Kalendas Julias datis. *Retulisti etiam nobis*, inquit, *quòd duos Pseudoprophetas in eadem Francorum Provincia invenisses. Ex quibus unum quidem novum Simonem, juxta tenorem tuarum syllabarum reperimus, qui & Sacerdotium sibi vindicabat, & à luxuria minimè se continebat, seducens populum & inania prædicans, non solùm suam animam juri diaboli tradens, sed & populorum corda in interitum demergens, & ab Ecclesia Dei eos seductionibus suis abstrahens, & cruces in campis statuens, & Oratoriola ad seducendum populum instituens, publicasque & antiquas Ecclesias relinquens, & sanctitatis nomine se vocari faciens, & in suo nomine Ecclesias consecrans, nomina etiam Angelorum, imò magis dæmoniorum se ferre affirmans.* Quæ verba Adalbertum hæreticum spectant: sequentia verò clementem. *Alium verò ita luxuria dedicum, ut concubinam haberet, & duos ex eâ filios procrearet, & tamen sacerdotium sibi vendicabat, affirmans hoc justum esse juxta traditionem Veteris Testamenti, ut defuncti fratris superstes frater ducat uxorem, & quia Christus resurgens ab inferis nullum ibi reliquisset, sed omnes inde abstraxisset. Quæ omnia hæc detestabilia & scelesta judicamus. Benè autem tua Sancta Fraternitas juxta Ecclesiasticam Regulam eos damnavit, & in custodiam misit, & optime vocavit Antichristi ministros & præcursores.*

Confirmat Zacharias Pontifex.

Damnati sunt rursus *Adalbertus & Clemens* in altera Synodo, quæ habita est in Majoratu *Carolomanni* anno Christi septingentesimo quadragesimo sexto, de qua *Othlonus* in Vita *S. Bonifacii* Lib. 1. cap. 37. *Cum ergo*, inquit, *Karlomanni præcepto, sanctique Bonifacii consilio Synodalis Conventus haberetur, multi ibi non solùm Clerici quilibet hæreticâ pravitate decepti, ab Ecclesia communione expellebantur, sed etiam Episcopi, qui pro aliqua capitalis criminis maculâ diffamati erant, deponebantur. Erroris autem totius, qui tunc in Germania excreverat, maximè fuerant auctores duo Hæretici, quorum unus Clemens, alter verò Eldebertus dicebatur. De quibus postmodum, cum Epistolas ad Zachariam Papam missas proferre cœperimus, dicetur congruentiùs.*

Altera Synodus in Majoratu Carolomanni ipsos condemnat.

Damnati sunt denique in Synodo Romana, *Zacharia* Pontifice Maximo præside, anno Christi septingentesimo quadragesimo-sexto, lectâ *Bonifacii* Relatione per *Deneardum* Presbyterum Romam perlatâ, memoratorúmque Hæreticorum Actis ac Scriptis, quæ igne concremanda esse decretum est; hæc verò in *Adalbertum & Clementem* lata Sententia. *Aldebertus, cujus nobis actus & nefaria commenta relecta sunt, quia se Apostolum censuit nominare, & capillos atque ungulas suas populis pro sanctuaria exhibuit, seducens populum diversis erroribus, & quoniam, sub obtentu Angelorum, in suo auxilio Dæmones invocavit, ab omni Officio Sacerdotali deponatur, agens pœnitentiam pro commissis, & ampliùs jam populum minimè seducat: Sin autem in his erroribus perseveraverit, & populum ampliùs seduxerit, sit ei Anathema, & æterno Dei judicio condemnetur, omnisque qui ei consenserit, vel ejus secutus fuerit doctrinam, aut adjunctus illi fuerit. Similiter autem & Clemens, qui per suam stultitiam, Sanctorum Patrum scripta respuit, vel omnia Synodalia Acta parvipendit, inferens etiam Christianis Judaismum, dum prædicat fratris defuncti uxorem posse in matrimonio jungi, insuper & Dominum nostrum Jesum Christum descendentem ad inferos, pios & impios simul inde abstraxisse; ab omni etiam Sacerdotali Officio deponatur, & Anathematis vinculo obligetur, atque nisi resipuerit, æterno Dei judicio condemnetur, vel etiam omnes, qui ejus sacrilegis consenserint prædicationibus.*

Tandem in Synodo Romana damnati.

Damnationem eorum

Subscripsit huic Synodo *Zacharias* Papa; subscripsere post ipsum septem Episcopi, & sexdecim Presbyteri sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Tribus Secretariis sive Sessionibus absoluta est. Sententiam tulit *Zacharias*, & in Franciam promulgandam direxit; sed quoad Acta memoratorum Hæreticorum, emendavit judicium Synodi, quia non illa igne cremanda, sed in scriniis Ecclesiæ conservanda sanxit, ad perpetuam damnationis eorum memoriam, ut constat ex Epistola quam scripsit ad *Bonifacium*, pridie Kalendas Novembris ejusdem anni. *Nos vero*, inquit, *congregatis Fratribus & Consacerdotibus nostris, coram iisdem pravorum sceleratissima Acta in eorum præsentia relegi fecimus, & dum nobis coram omni Concilio relecta fuissent, pro studio omnes eadem schismatica dogmata ipsorum, atque iniquissimas Traditiones, seu sceleratissimam Vitam, quam sibi Aldebertus conscribere fecit, damnaverunt, & una voce exclamaverunt, ut igne cremarentur. Sed nos hos non rectum judicavimus, pro eo quòd ad reservandum, sive in æternum eos condemnandum, in scrinio sanctæ Ecclesiæ reservanda mandavimus, conscribentes ipsi dignam Sententiam. Cujus instar Actionis ad tuam direximus Fraternam Sanctitatem, ut relectâ in Provincia Francorum, omnis Schismaticus audiens taliter à Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia judicatum, a sensus sui pravitate resipiscat.*

Zacharias Papa Synodi Romanæ judicium emendat.

ARTICULUS III.

De Hæresi Feliciano & Elipandiana.

§. I.

De Auctoribus & Erroribus.

ANno Christi septingentesimo nonagesimo secundo, *Felix* natione Hispanus, Urgellæ, quæ civitas est in Pyrenæi montis jugo sita, Episcopus, ab *Elipande* Toletano Episcopo per literas consultus, quid de humanâ Christi Servatoris naturâ sentire deberet, utrum secundùm quòd homo est, proprius, an adoptivus Dei Filius credendus esset, ac dicendus: contra antiquam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solùm pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum Libris, pravam opinionem pertinacissimè defendit; ut refert *Eginhardus* in Annalibus, ad annum Christi 791. Ambo illi Antistites diversas Provincias erroris sui veneno infecere: *Elipandus* Asturias & Gallæciam: *Felix* Septimaniam: qui & hæreseos suæ virus Gallis ac Germanis afflare frustra conatus est, Viris Eruditis præsentissimum ex Divinâ Scriptura opponentibus antidotum, & *Carolo Magno* sui Regni Antistites ad novam hæresim conterendam excitante, atque auctoritate suâ Hæreticos comprimente. Ita refert *Jonas Aurelianensis* Lib. 1. adversùs *Claudium Taurinensem*.

Palmaris Felicianæ Sectæ error fuit, *Christum, secundùm humanitatem, non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum*; ut *Jonas Aurelianensis* refert. Idem testantur *Etherius* & *Beatus*, Lib. 1. adversùs Elipandum. *Duæ*, inquiunt, *quæstiones in Asturicensi Ecclesia ortæ sunt, & sicut duæ quæstiones, ita duo populi & duæ Ecclesiæ, una pars cum altera pro uno Christo contendunt..... Una pars Episcoporum dicit, Quòd Jesus Christus adoptivus est humanitate, & nequaquam adoptivus divinitate. Altera pars dicit: Nisi ex utraque naturâ unicus est Dei Patris Filius proprius, non adoptivus; in tantùm proprius, ut ipse sit Dei Filius Deus verus; & ipse adoretur & colatur; qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Hæc pars nos sumus, id est, Etherius & Beatus, cum cæteris ita credentibus.*

Idem constat ex Symbolo Fidei Elipandianæ, ab *Etherio* concinnatô ex illius Hæretici verbis: *Et per istum*, inquit, *Dei simul & hominis Filium, adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, Mundum redemit.*

Idem constat ex *Hadriano I.* Pontifice Maximo in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, in quâ de Elipandi Epistola ejus hæresim continente, sic loquitur: *Materia autem consultæ perfidiæ inter cætera rejicienda, de adoptione Jesu Christi Filii Dei secundum carnem falsis argumentationibus digesta legebatur.*

Idem constat ex Libello Sacrosyllabo, à *Paulino Aquileiensi*, *Petro Mediolanensi*, cœterisque Italiæ Episcopis in Synodo Francofordiensi editô. *Adstruunt igitur*, inquit, *sed falsis assertionibus, Dominum nostrum Jesum Christum adoptivum Dei Filium de Virgine natum: quod divinis nequeunt approbare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in utero Virginis eum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est, quia ex B. Virgine inenarrabiliter sumsit, non adoptavit carnem, aut certe purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitare impium est, necesse est fateantur.*

Idem constat ex *Alcuino*, passim in Libris contra *Felicem*, sed maximè initiô Libri quarti, ubi refert hæc Hæresiarchæ verba: *Secundo modò nuncupative Deus dicitur, sicut superiùs dictum est de Sanctis Prædicatoribus, de quibus Salvator Judæis ait: Si enim illos dixit Deos, ad quos Dei sermo factus, qui tamen non naturâ, ut Deus, sed per Dei gratiam ab eo qui verus est Deus, deificati. Dii sunt sub illo vocati: in hoc quippe ordine Dei Filius Dominus & Redemptor noster juxta humanitatem, sicut in natura, ita & in nomine, quamvis excellentius cunctis electus, verissimè tamen cum illis communicat, sicut & in cætera omnia, (id est) in prædestinatione, in electione, in gratiâ, in susceptione, in assumtione nominis servi: ut idem qui essentialiter cum Patre & Spiritu Sancto in unitate Deitatis verus est Deus, ipse in forma humanitatis cum electis suis per adoptionis gratiam deificatus fieret, & nuncupative Deus.*

Idem constat ex *Agobardo* Lugdunensi Archiepiscopo, qui in libro adversùs *Felicem*, ejus errores detegit ex Schedula ab eo editâ in modum interrogationis & responsionis. *Dixit itaque Felix in supascripta sua schedula, post aliqua quæ præmiserat, quasi interrogans: Deus Pater omnipotens voluntate genuit Filium, an necessitate?* Et respondit: *Quantùm ad Divinitatis ejus essentiam pertinet, neque voluntate, neque necessitate, sed natura..... Quantùm verò ad humanitatis ejus substantiam, eundem Filium suum, quia non ex semetipso genuit, sed de substantia Matris Virginis creavit, & nasci voluit: ob hoc, voluntate, propter redemptionem nostram, non qualibet necessitate ejus Filius creditur.* Subdit Agobardus: *In hac sententia Felix primùm ex interrogatione superflua & vana, quâ interrogat utrum voluntate an necessitate genuerit Filium Pater, occasionem sibi parat perveniendi ad id quòd malè sentit, & loquendo explicare non audet. Dicens enim namque:* In vero quippe Filio de substantia Patris genito; *ita dividit divinitatem ab humanitate in Domino, ut eum in sola divinitate dicat verum Filium, in quâ & de Patris substantia est genitus: juxta humanitatem autem, in quâ & dicit illum de substantia Matris Virginis creatum, fatetur eum non verum, licèt loquendo explicare non audeat. Apparet enim hæc fraus in eo quòd sic de substantia divinitatis loquitur, quasi de alia persona præter humanitatem. Dicens namque de sola divinitatis substantia.* In vero quippe Filio, *vult demonstrare non eum esse in utraque substantia verum Filium* &c.

Alter *Felicis* & *Elipandi* error ad primarium illum

illum consequens, erat, Christum hominem esse servum conditionalem Patris æterni. An porro illi Episcopi Nestoriani essent, inter Eruditos disceptatur. Quâ de re in Dissertationibus agemus.

Addit tertium *Felicis* errorem *Agobardus*, ipsum videlicet docuisse, Dominum nostrum Jesum Christum, secundùm carnem veraciter nescisse sepulchrum Lazari cùm diceret Sororibus ejus; *Ubi posuistis eum?* Et veraciter ignorasse diem Judicii: & quâ de re conferrent duo Discipuli pergentes Emmauntem: & utrum plus diligeretur à Petro, quàm à cæteris Discipulis, cùm dixit; *Simon Petre? amas me plus his?* Hoc ut cognovit *Agobardus*, ad eum accessit, ipsúmque palam interrogavit an ita sentiret. Quod cùm tentaret confirmare, ipsum increpuit, confutavit, cœterisque, quos seducebat, memorata scripturæ sacræ loca exposuit.

Addit insuper. Post mortem *Felicis* se cognovisse per quosdam Fideles Fratres, qui ab illo audierant, quòd dixisset, *Deum, Dei Patris Filium nullatenus dici debere passum, aut Crucifixum, sed ab eo hominem assumtum; confirmare hoc nitens exemplo Isaac, qui à Patre ductus ad immolandum, non ipse, sed aries pro eo est immolatus, tanquam in Isaac figuratus sit Filium Dei, & in ariete Filius hominis. Hæc autem faciebat sepe dictus Felix, quia nullatenus acquiescebat sentire, nec suadere sibimet ita valebat, ut crederet in uno Domino nostro Jesu Christo duarum naturarum unitionem substantialiter factam, & Deum Verbum secundùm subsistentiam carni unitum, sicut liquido in consequentibus ex verbis illius apparebit.*

Nonnulli Auctores Felicianæ hæreseos caput alterum commemorant de tollendis imaginibus, scilicet *Platina* in Vita *Hadriani I. Joannes Nauclerus* Generatione 27. *Bernardus Lutzemburgus* in Catalogo Hæreticorum, *Alfonsus à Castro*, adversùs Hæreses, Tit IMAGO. *Gabriel Prateolus* in Elencho Hæreticorum, lib. 6. Concilium Senonense sub Cardinali *A Prato* anno 1529. celebratum, cap. 14. Sed Historiæ Ecclesiasticæ ignoratione in iis quæ *Felicem* Urgelitanum spectant, hallucinati sunt magni illi alioquin viri. Inde autem fluxit error, quòd in Synodo Franccfordiensi adversùs *Felicem* congregatâ, quæstionem quoque de Imaginibus in medium allatam novissent.

Non ex vita hominis metienda fides.

Maximum sanctitatis nomen apud Hispanos consecutus erat *Felix* Urgelitanus, ut *Agobardus* testatur, perstringens eos *Qui incautè admirantes vitam prædicti Felicis, probanda putabant cuncta quæ dixerat: nescientes quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita. Quamquam enim multi benè credentes, malè vivendo pereant; nullus tamen malè credens bene vivendo salvatur.*

Felicis inconstantia.

Inconstantissimus fuit *Felix*. Nam hæresim in Concilio Ratisponensi anno 791. cùm ejurasset, *sopitos infidelitatis cineres*, Elipando adhortante, suscitavit, ut refert *Alcuinus* lib. 1. adversùs *Elipandum* Tum anno Christi 799. *Caroli Magni* Imperatoris anno 32. Aquisgrani convictus, præsente Imperatore, veram Fidem confessus est, & ad Ecclesiæ unitatem ex animô reverti visus, ut idem *Alcuinus* testatur. At inventa post ejus obitum schedula dubiam ejus conversionem haberi fecit. *Elipandus* verò pervicacissimus senex diu restitit veritati: sed ipsi tandem cessit, & Romanæ Ecclesiæ Definitioni se stare professus, in Ecclesiæ Communione mortuus est, si Pseudo-Chronico *Luitprandi*, alterique Chronographo, Epistolæ *Archarichi* Bracarensis Episcopi ad *Elipandum*, necnon Legendario Ecclesiæ Asturicensis aliqua fides: quæ monumenta in Vita *Sancti Beati* Presbyteri *Tamaius* allegat.

§. II.

De Feliciana & Elipandina Hæreseos Damnatione.

Synodus Forojuliensis contra Felicianam hæresim.

PRima contra Felicianam Hæresim Synodus Forojulii, quod Aquileiensis Provinciæ municipium est, à *Paulino* Aquileiensi congregata fuit, anno salutis septingentesimo nonagesimo primo, *Caroli Magni* vigesimo tertio. In ea Spiritum Sanctum à Patre Filióque procedere definitum est, & Christum verum esse & proprium Dei Filium in utraque naturâ, non adoptivum. Id constat ex Symbolo quod in ea Synodo editum est: *Non alter*, inquit, *hominis Filius, & alter Dei: sed unus idemque Dei hominisque Filius, in utraque naturâ, divinâ scilicet & humanâ, Deus & homo verus. Non putativus Dei Filius, sed verus: non adoptivus, sed proprius; quia nunquam fuit, propter hominem quem assumsit, à Patre alienus.*

Synodus Ratisponensis contra eamdem hæresim.

Anno sequenti, septingentesimo nonagesimo secundo habita est Ratisponæ Synodus altera, in quâ Feliciana hæresis Anathemate confixa est, & ab *Hadriano I* Pontifice Maximo deinde condemnata: ad quem ductus *Felix* ab *Angilberto* Abbate; errorem ejuravit. Testis est hujus rei Alcuinus libro 1 contra Elipandum. *Antequam*, inquit, *ego eodem Sapientissimo Rege Carolo jubente venissem in Franciam, hæc eadem vestri erroris secta, eodem glorioso Principe præsidente, præsente Felice, quem multum laudare solet, vestræ partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Raginisburg, & Synodali auctoritate Sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani Imperii partibus convenerant, Anathemate damnata: immò & à B. memoriæ Hadriano Papa, qui tunc temporis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apostolicâ auctoritate rexerat Sedem, funditus exterminata: donec idem Felix infeliciter ad vestras refugiens partes, sopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus, resuscitare intendit.*

Hæresis ab Hadriano I. damnata.

Coram quo Felix errorem ejuravit.

Idem testatur *Eginhardus* in Annalibus, ad annum 792. ubi de *Felice Orgellitano*, sive *Urgellitano* ita scribit: *Hujus rei causâ ductus ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ Civitatem, in quâ & hyemaverat, residebat. Ubi & congregatô Episcoporum Concilio auditus est, & errasse convictus, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romani missus: ubi etiam coram ipso, in Basilica S. Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit. Quô factô, ad civitatem suam reversus est.*

Eamdem Synodum commemorat *Poëta Saxonicus*. Lib. 3. Annalium, ad annum 792.

Celsa Pyrenæi supra juga condita montis
Urbs est Orgellis, Præsul cui nomine Felix
Præfuit. Hic heresim molitus condere pravam,
Dogmata tradebat fidei contraria sanctæ,
Affirmans, Christus Dominus quia corpore sumto
Est homo dignatus fieri, non proprius ex hoc,
Sed quòd adoptivus sit Filius Omnipotentis.
Responsúmque Toletano dedit hoc Elipando
Pontifici, de re tanta consultus ab ipso,
Atque suum scriptis defendere dogma Libellis,
Omni quò potuit studiô curavit & arte.
Hinc ad Catholici deductus Principis Aulam
(Idem Reginæ nam tum hyemavit in urbe)*
A multis ibi Præsulibus Synodóque frequenti
Est auditus, & errorem docuisse nefandum
Convictus, post hæc Adriano mittitur almo,
Sedis Apostolicæ fuit hoc qui tempore Præsul.
Quò præsente, Petri correctus in Æde Beati,
Pontificum coram sancto celebrique Senatu
Damnavit Felix prius infeliciter à se

* *Ratisponæ.*

Ortam perfidia sectam; meruitque reverti
Ad propria rursus retinendum Sedis honorem.

Sive Ratisponæ.

Ejusdem Synodi Annales Francorum Fuldenses meminere ad annum 792. *Hæresis Feliciana*, inquiunt, *ipso Auctore eam abnegante, apud Reganesburg* primùm damnata est, qui etiam per Engilbertum Abbatem in præsentia Adriani Apostolici adductus, denuo eam Confessione factâ damnavit.*

Eadem hæresis in Synodo Francofordiensi damnata.

Hæc Synodus à Carolo Magno convocata.

Tertia Synodus contra Felicianam hæresim celebrata, est Francofordiensis. Convocata est à *Carolo Magno*, ex Episcopis ejus Imperio subditis, & anno Christi 794. habita. Convocatam à *Carolo Magno*, testantur ejusdem Synodi Patres Canone 1. cujus hæc sunt verba: *Conjungentibus, Deo favente, Apostolicâ auctoritate, atque Piissimi Domini nostri Caroli Regis jussione, anno vigesimo sexto Principatûs sui, cunctis Regni Francorum, seu Italiæ Episcopis ac Sacerdotibus Synodali Concilio, inter quos ipse mitissimus sancto interfuit Conventui.*

Idem testantur in Synodica ad Hispaniæ Episcopus missâ: *Congregatis nobis*, inquiunt, *in unum caritatis conventu, præcipiente & præsidente piissimo & glorioso Domino nostro Carolo Rege, ad renovandum cum consilio pacificæ unanimitatis sanctæ Dei Ecclesiæ statum, & ad prædicandam Orthodoxæ Fidei veritatem.*

Sedem Apostolicam de quæstione Fidei priùs consulerat Carolus Magnus per Legatos.

Id testatur & *Carolus Magnus* in Epistola ad *Elipandum* & cœteros Hispaniæ Episcopos: ex quâ etiam discimus, consultam priùs ab eo fuisse Sedem Apostolicam de quæstione Fidei. Noverat nempe religiosissimus & doctissimus Imperator, Majores caussas; quales illæ sunt potissimùm quæ fidem spectant, ad Summum Pontificem esse referendas secundùm traditionem. *Ad impletionem*, inquit, *hujus gaudii fraterna cogente caritate, jussimus Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique ditionis nostræ Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, & Sancta Dei universali Ecclesia antiquis temporibus inauditis, vos ex Scriptis vestris instituisse cognovimus: immo & ad Beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem, de hac nova inventione, nostræ Devotionis ter quatérque direximus Missos, scire cupientes quid Sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac voluisset respondere inquisitione, necnon & de Britanniæ partibus aliquos Ecclesiasticæ Disciplinæ viros convocavimus, ut ex multorum diligenti consideratione veritas Catholicæ Fidei investigaretur, & probatissimis SS. Patrum hinc inde roborata testimoniis absque ullâ dubitatione teneatur.*

Legati Romani Pontificis adfuere Francofordiensi Synodo.

Adfuere Synodo Francofordiensi *Hadriani I.* Pontificis Legati, *Theophilactus* & *Stephanus*. Lecta est ejus ad Episcopos Hispaniæ contra *Elipandum* & consortes Epistola, quâ nisi resipiscant, perpetuò Anathemate feriuntur. *Paulinus* Aquileiensis Episcopus, cœterique Italiæ Præsules Libellum Sacrosyllabum ad hæreseos Felicianæ & Elipandianæ confutationem edidere, Scripturæ Sacræ testimoniis, & exquisitis rationibus probantem, Christum, etiam quà homo est, esse verum, proprium, & naturalem Dei Filium, non adoptivum, nec servum conditionalem. Anathema dictum est in *Felicem* & *Elipandum*, ac Hæreseos eorum Sectatores, nî ad sanam mentem & Fidem redirent. Id patet ex I. Canone. *In primordio*, inquit, *Capitulorum exortum est de impia ac nefanda Hæresi Elipandi Toletanæ Sedis Episcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorúmque sequacibus, qui malè sentientes, in Dei Filio asserebant adoptionem. Quam omnes qui supra Sanctissimi Patres, & respuentes unâ voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus à Sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.* Idem constat ex Libello Sacrosyllabo: *Elipandum namque & Felicem novos hostes Ecclesiæ, sed veternosâ face perfidiæ pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per rectæ fidei satisfactionem lamentis se abluant Pœnitentiæ, indignos & ingratos eos à consortio Catholicorum perpetuâ animadversione eliminare decernimus, & à gremio Orthodoxæ Ecclesiæ censemus alienos... Eos etiam, qui post hanc saluberrimam Definitionem, quam Plenaria Synodus sancto afflata Spiritu concorditer subtili sinceritate terminavit, falsissimis eorum assertionibus, sive clam, sive publicâ voce, præbuerint assensum, simili eos sententia vindictâ sancimus esse plectendos: reservato per omnia juris Privilegio Summi Pontificis Domini & Patris nostri Hadriani, Primæ Sedis Beatissimi Papæ.* Plenaria Synodus Francofordiensis appellatur, quo vocabulo non significatur esse Oecumenicam, sed frequentissimam ex omnibus Caroli Magni ditionibus. Hoc verò Concilium ultimam de Hæreticis sententiam ex officio servat Romano Pontifici, quam ipsi *Juris*, utique divini, *Privilegium* vindicat.

Francofordiensis Synodus Plenaria.

Ultimam de Hæreticis Sententiam reservat Hadriano I. Romano Pontifici.

Epistola Synodica.

Data est præterea Synodica Epistola ab Episcopis Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, & Britanniæ, ad Hispaniæ Episcopos, Dogma Catholicum confirmans, & Hæreticorum argumenta diluens. Quam unà cum Epistola Hadriani Papæ, & Libello Sacrosyllabo, ad ipsos misit *Carolus Magnus*, additâ luculentissimâ Epistolâ, Fidei Professionem continente, & *Elipandum* ejusque Sectatores ad ejurationem erroris adhortante. Religiosissimus Princeps *Filium & Defensorem Sanctæ Dei Ecclesiæ* se inscribit: Quô titulô Christianissimi Reges maximè gloriantur.

Concilii Francofordiensis meminit *Eginhardus* in Annalibus, ad annum 794. ubi cùm præmisisset, *Carolum Magnum* Paschalem celebritatem transegisse Francofurti ad Mœnum, hæc habet: *Rex ad condemnandam hæresim Felicianam, astutis initiò quando & generalem populi sui Conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus Regni sui Provinciis in eadem Villa congregavit. Affuerunt etiam in eadem Synodo Legati Romani Pontificis, Theophilactus ac Stephanus Episcopi, vicem tenentes ejus, à quo missi fuerant, Adriani Papæ. In quo Concilio & hæresis memorata condemnata est, & Liber contra eam communi Episcoporum auctoritate compositus; in quo omnes subscripserunt.*

De eadem Synodo *Poeta Saxonicus* lib. 3. *De Gestis Caroli Magni*, ad annum 794. ita canit:

Dira venenifera conatus semina sectæ,
Quæ Felix infœlici malè sparserat ausu,
Vellere de sacro Dominus radicitus agro,
Catholicus Princeps, Synodum celebrare vocatos
Undique Pontifices jam dictam fecit ad Aulam.
Nec non affuerat Stephanus cum Theophylacto.
Nam fuit Antistes Sedis Legatus uterque
Romanæ, quos Papa Sacer mittens Adrianus,
Rite suam servare vicem mandaverat illic.
Tunc igitur cuncti cum Decreto generali
Hanc condemnarunt hæresim, scriptúsque Libellus
Est illam contra, quem confirmaverat ille.
Pontificum cœtus, simul & subscripserat omnis.

Eadem hæresis damnata in Synodo Romana sub Leone III.

Quarta Synodus contra Felicianam hæresim Romæ celebrata est à *Leone III.* Pontifice Maximo, *Caroli Magni* hortatu, quinquaginta & septem considentibus Episcopis, anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, occasione Libelli, quem contra *Alcuini* Epistolam, quâ ipsum ad saniorem mentem ut rediret hortabatur, *Felix* scripserat, & in quem damnatæ ab Ecclesia, & ab ipso semel iterúmque ejuratæ hæreseos capita conjecerat omnia. *Felicem* itaque in hæresim relapsum, sive hæresim, quam fictô animô ejuraverat, pertinaciùs propugnantem, Romana Synodus Præside *Leone III.* anathemate confixit. Ista constant

constant ex Actis Synodi, quorum Fragmenta ex Schedis *Pithœanis* Conciliorum Editores in lucem emisere. Idem constat ex Confessione Fidei quam edidit *Felix* Aquisgrani coram *Carolo Magno*, eodem anno, quæ apud *Alcuinum* legitur ad calcem librorum contra *Elipandum*. Synodum Urgellensem eodem anno habitam refert V. C. *Stephanus Baluzius* in calce Notarum ad *Agobardum*.

Synodus Aquisgranensis in qua Felix convincitur, & ad fidem revocatur.

Quinta denique Synodus Aquisgrani celebrata est eodem anno Christi 799. in qua *Alcuinus* Abbas S. Martini Turonensis, *Caroli Magni* jussu cum *Felice Urgellitano* disputans, ipsum convicit, & ad rectæ fidei professionem revocavit. Id memoriæ proditum est ab Auctore antiquo Vitæ *Alcuini*, *Sigulfi* Abbatis Discipulo, ab *Alcuino* ipso, lib. 1. adversùs *Elipandum*; & ab ipsomet *Felice*, in Confessione Fidei suprà laudatâ. Hæc porrò habet *Alcuinus* lib. 1. adversùs Elipandum: *Sed & idem Felix anno præfati gloriosi Principis trigesimo secundo advocatus, voluntarie veniens ad Aquis-Palatium, ibique in præsentia Domni Regis & Optimatum illius sive Sacerdotum Dei rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dante gloriam, veràmque confessus Fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reversus est cum suis Discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes.*

Hæc verò *Felix Urgellitanus* in Confessione Fidei: *Postquam ad præsentiam Domini nostri ac Piissimi gloriosique Caroli Regis perductus sum, & ejus conspectui præsentatus; licentiam ab eo accepimus, qualiter in ejus præsentia in conspectu Episcoporum, quos ad se ordinatio gloriosi Principis nostri convenire fecerat, sententias nostras, quas ex libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, seu nuncupatione in humanitate ejus, credebamus, præsentaremus: qualiter non in violentia, sed ratione veritatis nostra assertio rata judicaretur, si ab illis per auctoritatem SS. Patrum minimè repudiarentur. Quod ita factum est. Nam prolatas à nobis sententias de supradicta contentione, hoc est, de adoptione carnis atque nuncupatione, tam illis ex auctoritate de libris SS. Patrum, id est, Cyrilli Episcopi, & B. Gregorii Papæ urbis Romæ, seu B. Leonis, sive & aliorum SS. Patrum, quæ nobis prius incognita erant, seu per auctoritatem Synodi, quæ nuperin Roma, hâc intentione, præcipiente gloriosissimo ac piissimo Domino nostro Carolo, adversus Epistolam meam quam dudum Venerabili Viro Albino Abbati Turonensis Ecclesiæ scripseram, congregata est. In qua Synodo, præsidente Leone Apostolico, & cum eo cæteri Episcopi numero LVII. residentes, & plerique Presbyteri ac Diaconi cum eis in domo Beatissimi Petri Apostoli: per quorum omnium auctoritatem istas jam dictas sententias nostras, non qualibet (ut dictum est) violentiâ, sed ratione veritatis, ut oportuit excluserunt. Quorum auctoritate veritatis, & totius Ecclesiæ universalis consensu convicti, ... & ad universalem Ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione seu velamine falsitatis, sicut dudum (quod Deus scit) sed ut dixi, vera cordis credulitate & oris professione. Quod etiam in conspectu multorum Sacerdotum & Monachorum professi sumus, pœnitudinem gerentes de pristino errore & juramento quod pro hac intentione olim prævaricatus sum: profitentes nos deinceps, adoptionem carnis in Filio Dei, sive nuncupationem in humanitatè, nullò modò credere vel prædicare; sed, secundùm quod dogmatibus Sanctorum Patrum informamur, eumdem Dominum nostrum Jesum Christum in utraque naturâ, deitatis videlicet & humanitatis proprium ac verum Filium profitentes, unigenitum videlicet Patris, unicum Filium ejus: salvis tamen utriusque naturæ proprietatibus.*

Dubium an Felix hæresim sincerè ejuraverit.

An autem in sana mente & recta fide constans fuerit Felix Urgellitanus, dubium est (ut dixi) propter schedulam post ejus obitum inventam, de quâ *Agobardus* Lugdunensis Archiepiscopus hæc habet initio libri adversùs ipsum editi: *Post obitum*, inquit, *Felicis illius, qui fuerat quondam Episcopus in Sede Orgellitana, inventa est à nobis quædam schedula ab eo edita sub specie interrogationis & responsionis: quam cùm legentes consideraremus, inspeximus hominem diligenter & fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore Episcopatûs depositus. Qui licèt aliqua verba, quæ priùs imprudenter efferebat, postea suppresserit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit. Quam schedulam ego, ut potui, juxta veritatem fidei cùm reprehendissem, vel reprehendendam publicassem, quidam ex Fratribus, ut comperi, indignè tulerunt: & non perversitate animi (ut puto) sed simplicitate ingenii, arbitrati sunt me non id fecisse zelo fidei, sed zelo invidentiæ; sicut moris est eorum, qui inanis gloriæ cupidi, idcirco bonis detrectant, ut se illis superponere videantur*, &c.

Dubiæ Orthodoxiæ, post ejuratam hæresim, fuisse *Felicem Urgellitanum*, *Ado Viennensis* etiam confirmat in Chronico, ubi ita scribit: *Anno incarnationis Domini 792. Felix Urgellitanus Episcopus hæreticus deprehensus, adoptivum, non proprium Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum dogmatizans: qui ad præsentiam Adriani Pontificis Romani deductus, hæresim verbis solummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra supra dictam hæresim in Franconofurt, Legatis Sedis Apostolicæ præsidentibus, Theophylacto & Stephano Episcopis; & auctoritate Sanctorum Patrum convictus & damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuóque exilio apud Lugdunum relegatus est. Quem ferunt in eodem ipso suo errore mortuum.*

§. III.

De Felicianæ Hæreseos Debellatoribus.

Etherius & Beatus.

CUM *Adosindam* Reginam *Silonis* Regis viduam in partes trahere conatus esset *Elipandus*, & emergentem controversiam prudentissima & religiosissima fœmina ad Sacerdotes detulisset; *Etherius* Uxamensis Episcopus, & *Beatus* Presbyter palam *Elipandi* errorem sunt aggressi. Qui indignè ferens suam doctrinam hæreseos accusari ad *Fidelem* Abbatem litteras dedit mense Octobri, anno 783. In iis conquerebatur *Elipandus*, quòd ipse Archiepiscopus Toletanus cùm esset, quem cæteri in Hispania, utpote inter Antistites Primarium, de fide consulere deberent, à Presbytero Beato, & Etherio Episcopo, erroris argueretur. Scripsit etiam confidenter, Beatianam hæresim (sic enim Catholicam sententiam à *Beato* & *Etherio* propugnatam vocabat) brevi à se extinguendam: quemadmodum, ante paucos annos, *Migetianorum* de celebratione Paschatis hæresim, in Concilio Hispalensi damnaverat. Hanc Epistolam cum *Beato* & *Etherio* postea communicavit *Fidelis* Abbas, qui suam protinus, id est, Catholicam recenti de controversia sententiam *Elipando* exposuere, seque ab hæreseos ignominiâ quam ipsis inurebat *Elipandus*, purgarunt duobus libris Apologeticis, qui inserti sunt Bibliothecis Patrum, eamque in Auctorem rejecere. De his *Alcuinus* lib. 1. contra *Felicem* ita scribit: *Quod verò quemdam Beatum Abbatem, & discipulum ejus Hetherium Episcopum, dicitis huic vestræ sectæ primùm contraire, laudamus eos in eo quòd veritatem defendere conati sunt. Sed si verum est, quod dixistis, eos duas naturas Christi in unum confundere, sicut vinum & aquam; hoc nullatenus consentimus: sed in eo, si verum est, valde eos esse reprehensibiles judicamus.* Sic Eutychianæ labem hæreseos Catholicis Doctoribus affingebant novi Nestoriani

Vasquezius emendatur.

Nestoriani. Symbolum Fidei Elipandinæ, quòd *Etherius* & *Beatus* describunt lib. 1. non est ab *Elipando* compositum, ut existimavit *Vasquezius*, sed ab *Etherio* ex *Elipandi* sententiis in Epistola ad *Fidelem* Abbatem, continuatum, ut ipse testatur: *Ipsa*, inquit, *verba fidei sua nobis incognita in unum copulavimus: & quò facilius cognoscerentur, more Symboli, brevi compendio, in pagina compegimus.*

Paulinus Aquileiensis.

Scripsit etiam contra *Felicem* Urgellitanum tres libros *Paulinus* Aquileiensis Patriarcha, quos *Carolo Magno* nuncupavit, adjectâ sub finem Regulâ Fidei metro scriptâ, quam honorificò prosequitur elogio *Alcuinus*, Epistola 81. ad ipsum datâ. Extant ibi *Paulini* libri ad calcem Operum *Alcuini*.

Alcuinus.

Cæteris verò majorem hoc in certamine gloriam consecutus est *Alcuinus*. Is statim atque à *Carolo Magno* evocatus est in Gallias, adhortatoriam Epistolam ad *Felicem Urgellitanum* direxit; eum ut ad sanitatem fidei traduceret. Cui, (ut ipse testatur Alcuinus) non Epistolari brevitate, sed Libelli prolixitate respondere *Felix* nisus est, atque in eo omnes perfidiæ suæ foveas maximè aperuit, asserens Christum, & veterem hominem esse, & nuncupativum Deum; & adoptivum Filium, & secundâ indiguisse regeneratione, & alia plurima Ecclesiasticæ doctrinæ dissentanea. Huic *Felicis* Libello septem libros eruditissimos opposuit *Alcuinus*, qui lecti sunt & approbati ab Episcopis coram *Carolo Magno*, ut ipse testatur initiò libri primi adversùs *Elipandum*. Alcuino *Felicis* convictionem & conversionem debuit Ecclesia, ut ex ejus verbis colligitur, locò mox laudatò: *Ego*, inquit, *cum Ruffino beatum Felicem martyrem non feci, sed Felicem olim vestri erroris complicem, Deo miserante, Catholicum effeci*, &c. Scripsit etiam *Alcuinus* Epistolam ad *Elipandum*, quâ eum ad rectam fidem adhortatus est. Huic respondit Hæreticus Archipræsul Epistolâ injuriis scatente, ipsum *non Christi Ministrum, sed antiphrasi Beati fœdissimum discipulum, novum Arium, SS. Patrum doctrinis contrarium, Albinum nigredine teterrimum; non Stephano Levita, sed Nicolao; non Vincentio, sed Daciano similem* appellans, & hæresim de adoptione Christi secundùm humanitatem pro virili propugnans. Virulentam Epistolam duobus Libellis confutavit *Alcuinus*, *Laidrado* Episcopo Lugdunensi, & *Nefridio* Episcopo Narbonensi, aliisque Præsulibus Gothiæ Provinciæ*, necnon *Benedicto* Abbati nuncupatis, quibus duos alios adjecit, Catholicam de Christo Deo veritatem SS. Patrum testimoniis confirmantes. *Benedictus* ille, cui *Alcuinus* libros etiam suos nuncupavit, vir fuit sanctitate & doctrina insignis, qui & ipse contra *Felicis* Urgellitani hæresim strenuè pugnavit. Postremus denique *Felicianam* hæresim impugnavit *Agobardus*, occasione sumta ex edita ab eo Schedula, quæ post ejus obitum inventa est: quam libro unicò, *Ludovico Pio* Imperatori nuncupatò, eruditè & luculenter confutavit. Extat in Bibliothecis Patrum.

* In Linguedoc.

Benedictus Abbas Anianensis.

Agobardus Episcopus Lugdunensis.

CAPUT III.

De Scriptoribus Ecclesiasticis Sæculis VIII.

ARTICULUS I.

De S. Aldhelmo.

SANCTUS ALDHELMUS, Ordinis Benedictini, Monachus, & Malmesburiensis Monasterii Abbas, postea Schireburnensis apud Saxones Occidentales Episcopus, obiit die XXV. Maii anno DCCIX. Illius cum laude meminerunt Venerabilis *Beda* lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap. 19. ubi eum *Virum undequaque doctissimum, sermone nitidum, & Scripturarum tam liberalium, quàm Ecclesiasticarum eruditione mirandum* prædicat: *Sigebertus* lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 66. *Vuillelmus Malmesburiensis* lib. 1. de Regibus Anglorum cap. 2. lib. 2. De Pontificibus, & in libro singulari de ipsius gestis; *Harpsfeldius*, & alii. Ejus Elogium Historicum habes Parte I. Sæculi III. Benedictini, ex quo discimus *S. Egvvinum* Vvicciorum Episcopum, ejus æqualem, *S. Osmundum* Sarisberiensem Episcopum Sæculo XI. *Eadmerum* Cantuariensem Sæculo XII. *Aldhelmi* Vitam in literas retulisse. *Librum contra errorem Brittonum*, qui vel Pascha non suo tempore celebrabant, vel alia Ecclesiasticæ paci contraria gerebant, jubente Synodo suæ gentis scripsit adhuc Abbas. Librum etiam *De Laudibus Virginitatis*, ad exemplum *Sedulii* geminato opere & versibus hexametris & prosâ composuit (inquit *Beda*) scripsit & alia nonnulla, nempe librum metricum *De octo vitiis*, Ænigmata, & Epistolas quasdam. Extant ejus Opera in Bibliotheca Patrum Coloniensi Tom. VIII. & Lugdunensi, Tom. XIII.

ARTICULUS II.

De Venerabili Beda.

Bedæ tres haud longo tempore ab invicem sumnori celebrantur. Major *Beda* Presbyter & Monachus Lindisfarnensis laudatur à Beda Venerabili, in lib. de Vita S. Cutberti, Cap. 37. Alterum *Bedam* Monachum sanctum, Caroli Magni æqualem celebrant Genuenses. Medius inter utrumque, sed utroque illustrior fuit *Beda Venerabilis*, Presbyter & Monachus Girvvensis, Ordinis S. Benedicti ex ipso Girvvensi territorio apud Anglo Saxones, non longè à Tinæ fluminis ostiis natus anno Christi DCLXXIII. Annum septimum natus, à parentibus traditus est in disciplinam Abbatis *Benedicti* ac deinde *Ceolfridi*, qui Girvvensi Monasterio præfuere, cunctúmque ex eo vitæ tempus ibi peragens, *omnem meditandis Scripturis operam dedit, atque inter observantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere, dulce habuit.* Anno ætatis decimonono Diaconus, trigesimo Presbyter ordinatus est. Obiit anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo trigesimo-quinto, die vigesima-sexta Maii, quâ Ascensio Dominica celebrabatur, anno ætatis sexagesimo-tertio. Corrigendus itaque *Simeon Dunelmensis* Monachus, seu potiùs *Turgotus* ejusdem Monasterii Prior, lib. 2. de Dunelmensi Ecclesia, cap. 14. scribens, *Bedam* anno ætatis quinquagesimo-nono defunctum. Ipsius namque *Beda* testimonio, ac suo refellitur. Siquidem *Beda* finem se imposuisse testatur Historiæ suæ anno Christi septingentesimo trigesimo-primo, ætatis suæ quinquagesimo-nono: *Turgotus* verò ipsum obiisse scribit anno Christi septingentesimo trigesimo-quinto: igitur anno ætatis sexagesimo-tertio. In eumdem errorem impingit *Radulfus de Diceto*, in Abbreviatione Chronici. Corrigendus etiam Auctor libri de Vita *Alcuini* Abbatis, qui juxta quorumdam opinionem affirmat *Bedam nonagenarium decessisse anno septingentesimo trigesimo primo.* Corrigenda denique interpolatio quæ irrepsit in *Bedæ* Epistolam ad Vvichredam Presbyterum *de Verno Æquinoctio, juxta Anatolium*: quâ in Epistola adducitur exemplum *de præsenti anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo septuagesimo sexto* ad quem procul dubio *Beda* non pervenit, tum quia major centenario fuisset, tum quia *S. Bonifacius* Moguntinus Archiepiscopus, anno septingentesimo quinquagesimo-quarto, martyrio affectus,

Ut ipse testatur in fine Historiæ suæ Ecclesiasticæ.

Quo anno Beda obierit?

Sanctus Beda.

Bedam ut mortuum laudat in suis Epistolis. Statim ab ipso obitu sanctus babitus est & appellatus *S. Bonifatius* in Epistolis suis non semel eum *Candelam Ecclesiæ* nuncupat; Lullus Bonifacii Successor *beatæ memoriæ Bedam*, & *Beatum Patrem*: *S. Benedictus* Anianæ Abbas, Bedæ suppar, *ex dictis Benti Bedæ* versus quosdam refert in *Concordia Regularum*, Cap. 36. *Alcuinus* in Præfatione Commentarii super S. Joannis Evangelio *Beatum Bedam Presbyterum* laudat, & in libris contra *Felicem* non semel. *Hilduinus* in Epistola Areopagiticis præfixa ad Ludovicum Augustum, *Bedam Sanctum* & *Venerabilem* vocat. *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis eumdem *Sanctum* semel & iterum appellat, in Epistola. nomine Synodi Tusiacensis ad *Rodulfum* Bituricensem & *Frotarium* Burdigalensem Antistites scripta, & in lib. de Prædestinatione, cap. 9. *Notkerus* in Martyrologio XIII. Kalendas Aprilis *Sanctum Bedam Presbyterum* laudat. In Fuldensi Monasterio ara *Sancto Bedæ* erecta fuit ineunte Sæculo IX. teste *Rabano Mauro* in Inscriptione XXXIX. *Ad altare S. Benedicti in crypta Occidentali*, cujus hic versus:

Cuthbertus, Beda hic, Æquitiusque manent.

In Litaniis ab *Hartmanno* San-Gallensi Monacho mereicè eodem Sæculo compositis, apud *Canisium* Tomo V. Antiquæ Lectionis *S. Beda* recensetur post *S. Pachumium*.

Pluribus elogiis celebratur ab Auctoribus tum supparibus, tum sequentibus. *Cutbertus* in Epistola ad *Lullum*, quæ inter Bonifacianas habetur,* ipsum vocat *Clarissimum Ecclesiæ Dei Magistrum*, Alcuinus, *Nobilissimum Magistrum Bedam Presbyterum*; Auctor libri de Officiis Ecclesiasticis *Alcuino* adscripti, *Sacerdotem & Doctorem eximium*. Ratramnus lib. de Nativitate Christi, *Presbyterum Anglorum, membrum Christi non reprobum*. Lanfrancus in Epistola ad Alexandrum II. *Anglorum Doctorem*. Concilium Aquisgranense II. anno 836. *Venerabilem & modernis temporibus Doctorem admirabilem Bedam Presbyterum*. Vvalafridus Strabus lib. de Officiis Ecclesiasticis cap. 25. *Bedam Anglorum Patrem* nominat. *Venerabilem Presbyterum Bedam* appellant *Amalarius* lib. 1. de Divinis Officiis cap. 37. *Jonas* Aurelianensis lib. 1. de Institutione Laicali, *Usuardus* in Martyrologio, Nonis Augusti, *Chronicon Fontanellense*, Capp. 9. & 15. & *Algerus* lib. 1. de Sacramento Altaris, Cap. 8. Cur *Venerabilis* appellatus sit, *Petrus Equilinus* in Catalogo Sanctorum inde ortum fabulatur, quòd ejus Discipulorum quidam ipsi Epitaphium invitis Musis adornare conatus, cùm Leoninum carmen sic cœptum, *Hac sunt in fossa*, vellet absolvere his verbis, *Bedæ sancti*, vel *Presbyteri ossa*, nec metrum stare posset, aliudque memoriæ tunc non occurreret vocabulum, post nocturnum somnum repererit hunc versum Angelicis manibus tumulo inscriptum:

Epistola 95.

Fabulæ quædam rejiciuntur.

Hâc sunt in fossa Bedæ Venerabilis ossa.

Aliam addit fabulam idem Auctore scilicet. *Beda*, cùm ex gravi senectute caligarent oculi, suasisse Discipulum lapides in cumulum congestos numerosam esse auditorum turbam, ad quos verba facere deberet. Cúmque elegantissimum Sermonem fervore maximo habuisset, atque conclusisset his verbis, *Per omnia sæcula sæculorum*, lapides respondisse: *Amen, Venerabilis Beda*. Verùm omnium Auctorum qui de rebus Anglorum, & de ipso Beda scripsere, his de miraculis silentium, ea commentitia esse indicat. Trithemius *Venerabilem* dictum putat dum adhuc in vivis erat, ideò scilicet quòd cum ipsius Homiliæ, eo vivente, in Ecclesiasticis Officiis lectitarentur, *Venerabilem* nuncupabant, quem adhuc in carne degentem nondum poterant *Sanctum* appellare. Quâ factum sit, ut nomen *Venerabilis* passim usu receptum apud omnes, hactenus auctoritatem retinuerit. Verùm conjecturam istam falsam esse demonstrat doctissimus *P. Mabillonius*. 1. Ex silentio comparium Auctorum, quorum nullus Bedam *Venerabilem* appellat, quod argumento est cognomentum istud post *Bedæ* ætatem prodiisse. 2. Ex vetustissimo Codice Thuaneo ab annis octingentis manu descripto, in quo extant *Bedæ Homiliæ omnes*, cum hoc ubique titulo, *Homilia Domni Bedæ*. 3. Quis ante quàm *Paulus Diaconus* Lectionarium Ecclesiasticum jussu *Caroli Magni* concinnaret; Auctorum eorum, quorum Homiliæ recitabantur in Officiis divinis, nomina non præcinebantur, ut *Carolus Magnus* in Epistola ad *Paulum* ipsum testatur. Si ergo *Bedæ* Homiliæ, eo vivente, in Ecclesiis lectæ sunt, haud tamen *Bedæ Venerabilis* nomen præmissum est.

In Elogio Historico Bedæ P. 1. Sæculi III. Benedictini.

Histor. Eccl. Sæc. VIII.

Bedæ Opera.

A tempore suscepti Presbyteratus usque ad annum ætatis quinquagesimum nonum, hæc se scripsisse Opuscula ipse testatur.

In principium Genesis usque ad nativitatem Isaac & ejectionem Ismaëlis, libros tres.

De Tabernaculo & vasis ejus, ac vestibus Sacerdotalibus, libros tres.

In primam partem Samuëlis, id est, usque ad mortem Saul, libros quatuor. Librum tertium aggressus est anno 716. ut ex Præfatione constat. *De ædificatione Templi, allegoricæ expositionis libros duos.*

Item in Regum librum XXX. Quæstionum.
In Proverbia Salomonis libros tres.
In Esdram & Nehemiam libros tres.
In Cantica Canticorum libros sex.
In Canticum Habacuch librum unum. Qui in editis desideratur.
In librum B. Patris Tobiæ explanationis allegoricæ de Christo & Ecclesia librum unum.
Item Capitula lectionum in Pentatheucum Moysi, Josue, Judicum,
In libros Regum, & verba dierum.
In librum B. Job.
In Parabolas, Ecclesiasten, & Cantica Canticorum.
In Esaiam Prophetam, Esdram quoque & Nehemiam. Commentarius in Esaiam desideratur.
In Evangelium Marci libros quatuor.
In Evangelium Lucæ sex. Quos scripsit petente Nothelmo tunc Presbytero Londinensi, post Cantuariensi Archiepiscopo.
Homiliarum Evangelii libros duos.

In Bibliotheca Thuanea extabant duo pervetusti Codices, Bedæ Homilias complexi. In primo ante annos octingentos exarato Homiliæ 39. continua serie exhibentur: in alio, qui annos sexcentos præfert, distinguuntur in duos libros, præmissis ad utrumque *Capitulationibus*. Utrumque apographum confert Domnus *Mabillonius* in Elogio Historico *Bedæ*. Ex quibus colligit Vir Doctus, Homilias in *Dominicos dies post Trinitatem*, item in festos dies, *S. Stephani Protomartyris*, *S. Scholasticæ*, *S. Mariæ Magdalenæ*, *Transfigurationis Domini*, *Assumptionis B. Mariæ*, *S. Bartholomæi*, *Nativitatis B. Virginis*, *S. Michaëlis*, *S. Lucæ*, *Præsentationis B. Mariæ*, & alias *de Communi Martyrum*, &c. aut subditititias esse, aut dubias, aut certè ex *Bedæ* Commentariis in *Marcum* & *Lucam* expressas.

Homiliæ dubiæ.

Sermo in versum Psalmi, *Dominus prospexit super filios hominum*, falsò adscriptus est *Bedæ*, cùm in eo referatur testimonium petitum ex Vita *Gregorii Magni* à *Joanne Diacono* scripta post annos centum, & quinquaginta à morte Bedæ Venerabilis.

Commentarius in S. Pauli Epistolas sub nomine Bedæ vulgatus, est Flori Diaconi.

Pergit ille in suorum enumeratione Operum. *In Apostolum*, inquit, *quæcunque in Opusculis S. Augustini expoſita inveni, cuncta per ordinem transcribere curavi.* Quibus refellitur *Baronius*, qui Commentaria illa in Epistolas *S. Pauli* ex S. Augustini Operibus deflorata tribuit *Petro* Tripolitano Abbati, quem ob simile Opus *Cassiodorus* commendavit. Refelluntur & ii qui illa tribuunt cuidam *Floro*, Monacho (ut Trithemius putat) Trudoniano, cujus nomen præferunt in apographo Corbeiensis Monasterii, duobus voluminibus distincto. Nam & Lupus Abbas Ferrariensis Epistola 76. *Collectaneum Bedæ in Apostolum ex Operibus Augustini* laudat. Et alia sepe- tient Expositio *Flori* nomine insignita, non tantùm ex S. Augustini, sed & aliorum Patrum Operibus contexta, quam penès se MS. habuit vir eruditus P. *Chifletius* S. J. Existimat tamen vir doctissimus P. *Mabillonius*, cum in singulari Disquisitione Tom. I. *Analectorum*, tum in additionibus & correctionibus, ad calcem sæculi quarti Benedictini, Commentarium in Epistolas *S. Pauli*, qui in vulgatis *Bedæ* Operibus habetur, esse *Flori* Diaconi Lugdunensis, & genuinum Bedæ Commentarium in duobus MSS. Codicibus à se repertum designat.

Bedæ Commentarius in Epistolas S. Pauli nondum editus.

Alia Bedæ Opera.

In Actus Apostolorum libros duos. Librum *Retractationum in Acta Apostolorum* non memorat in Operum suorum syllabo, quia illum post annum DCCXXXI. quo Indicem illum texebat, scripsit jam senex. *In Epistolas VII. Canonicas libros singulos.* Quos etiam ex Operibus *S. Augustini* magno studio defloravit. *In Apocalypsim S. Joannis libros tres.* Quos Fratri *Eusebio*, seu *Heitberto*, Abbati suo futuro, qui ob amorem studiúmque pietatis *Eusebius* cognominatus est, nuncupavit. *Item Capitula Lectionum in totum Novum Testamentum, excepto Evangelio. Item librum Epistolarum ad diversos, quarum de sex Ætatibus sæculi una est.* Quam scripsit Leonis Isaurici anno IX Christi DCCXXIV. *De Mansionibus filiorum Israël una. Una de eo quòd ait Esaias:* Et claudentur ibi in carcerem, & post dies multos visitabuntur. *De ratione Bissexti una. De Æquinoctio juxta Anatolium, una. Item de Historiis Sanctorum. Librum Vitæ & Passionis S. Felicis Confessoris de metrico Paulini Opere in prosam transtuli. Librum Vitæ & Passionis S. Anastasii malè de Græco translatum, & pejus à quodam imperito emendatum, prout potui, ad sensum correxi. Vitam S. Patris & Antistitis Cuthberti, & prius Heroico metro, & postmodum plano sermone descripsi. Historiam Abbatum Monasterii hujus, in quo superna pietati deservire gaudeo, Benedicti, Ceolfridi, & Huetberti, in libellis duobus.* Aliæ Sanctorum Vitæ, scilicet *Patritii*, *Columbani*, *Eustasii*, *Arnulfi*, à *Beda* scriptæ non sunt, sed prior à Probo, secunda & tertia à Jona Bobiensi Monacho quarta à Paulo Diacono. *Historiam Ecclesiasticam nostræ Insulæ ac gentis, in libris quinque.* Hanc Historiam perfecit anno DCCXXXI.

Martyrologium de Natalitiis Sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes, quos invenire potui, non solùm quâ die, verùm etiam quo genere certaminis, vel sub quo Judice mundum vicerunt, diligenter adnotare studui. Genuinum *Bedæ* Martyrologium ex Codice MS. Viri Clarissimi *D. Bouhier* Senatoris Divionensis descriptum, in Lucem edidit *Godefridus Henschenius* ante Acta Sanctorum mense Martio coli solitorum, Tomo II. *Beda* dies nominibus Sanctorum vacuos reliquit centum & octoginta. Plurimos supplevit Florus, non omnes, ut *Ado* Viennensis in Præfatione Martyrologii testatur. *Henschenius* Bedæ Martyrologio inseruit Auctarium, quod *Flori* nomine publicavit, ac minori charactere curavit edi, ne cum *Bedæ* textu confunderetur.

Martyrologium.

Præter Prosaïcum *Bedæ* Martyrologium, aliud metricum edidit Domnus *Lucas Dacherius* O. B. Tom. X. Spicilegii, exscriptum ex apographo Cœnobii *S. Remigii* Remensis manu *Bertigarii* Monachi exarato, *Ebboni* Archiepiscopo. Istud Martyrologium non ab VIII. Kalendas Januarii incipit, sed ab ipsis Januarii Kalendis. Complures Sancti qui in *Bedæ* Martyrologio Prosaïco apud *Henschenium* leguntur, omittuntur in Metrico; ut in Januario *Anterus Papa*, *Salvius in Africa*, *Hilarius Pictavorum Episcopus*, *Felix Presbyter Nolanus*, *Marcellus Papa*. In Februario *Scholastica* &c. *Mellitus* in Aprili &c. *Augustinus* in Maio &c. Auctorem Anglum extitisse, colligitur ex variis Sanctis Anglicanis; & quidem Monachum Girvvensis Cœnobii fuisse conjicitur ex Festo Dedicationis, quod V. Kalendas Maias notatur, tametsi Girvvensis Ecclesiæ Dedicationem VIII. Kalendas Maii factam doceat Monasticon Anglicanum. Nulli illo in Martyrologio Sancti celebrantur *Bedâ* posteriores; non *S. Bonifacius* Moguntinus, aut alii quivis illustres Sancti; immò nullus ætate inferior *S. Vvilfrido* juniore memorato in Aprili. Qui *Vvilfridus* anno DCCXXXII. obiit, uno tantùm anno postquam *Beda* suam absolvit Historiam. Unde non mirum si Metricum Martyrologium in Indice Operum suorum *Beda* non recenseat, cùm tribus annis duntaxat *Vvilfrido* Juniori superstes fuerit. Ita præfatur Domnus *Lucas Dacherius* ad illud Martyrologium.

Pergit *Beda* in Indice Operum suorum texendo, & recenset insuper *Librum Hymnorum diverso Metro, sive Rhytmo.*

Librum Epigrammatum. De natura rerum, & de temporibus, Libros singulos. Item de Temporibus, Librum unum majorem. Librum etiam de Orthographia, Alphabeti ordine distinctum.

Item Librum de arte Metrica, & huic adjunctum alium de schematibus & tropis Libellum, hoc est, de figuris modisque locutionum, quibus Scriptura Sancta contexta est.

Cùm hunc Operum suorum Indicem ediderit *Beda* anno ætatis quinquagesimo-nono, & quatuor annis superstes fuerit, alia postmodum scribere potuit, ut *Epistolam ad Egbertum* Eboracensem Antistitem, & *Commentaria in Evangelium S. Joannis*, quæ veluti quoddam Augustinianæ Expositionis compendium esse videntur, insertis hinc inde aliorum Patrum Sententiis, ut cap. 4. agendo de Regulo, verba *S. Gregorii Magni* adducit Jonas Aurelianensis Lib. I. de institutione Laïcali, cap. 13. citat plures versus ex Beda *in Homilia Evangelii vigesima*, qui in prædictis Commentariis leguntur, cap. 2. Unde suspicatur P. *Mabillonius* legendum esse apud Jonam, *in Homilia Evangelii secunda*. Alcuinus etiam in Præfatione Commentarii sui in S. Joannis Evangelium, *ex Homiliis Beati Bedæ Presbyteri* multa se accepisse fatetur.

Opera supposititia vel dubia.

Supposititia sunt aut dubia Commentaria *in S. Matthæi Evangelium*, *in Psalmos*, *in Boetii Librum de Trinitate*, *Libellus de Officiis*, *Meditationes Passionis*, *Libri de elementis Philosophiæ*, *Collectanea*, & *Liber de Remediis peccatorum*. Etsi *Regino*, in Collectione Canonum Pœnitentialem Librum *Theodori* ceu *Bedæ* laudet Lib. 1. Cap. 297. Atque etiam *Ivo* & *Gratianus ex Pœnitentiali Bedæ* referant Capitulum *de Sacerdote Eucharistiam vomente.*

Fabula de Romano itinere Bedæ.

Honorius Augustodunensis, Lib. 4. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 1. falsò scribit *Bedam* Romæ mortuum ac sepultum, quò nunquam profectus est; licet à *Sergio*, aut à *Gregorio II.* in Urbem vocatus dicatur ob doctrinæ celebritatem. Quamobrem fabulosum est quod à quibusdam refertur, eum Romam profectum enodasse inscriptionem quamdam à nullo intellectam, quæ *Portæ Ferreæ* insculpta erat hunc in modum: P. P. P. S. S. S. R. R. R. F. F. F. eámque sic reddidisse: *Pater Patriæ*

Spelmannus in Glossario

Patria Perditus est. Salus Secum Sublata est. Ruet Regnum Roma. Ferro, Flamma, Fame, Qua ex interpretatione *Venerabilis* nomen Senatus Populique Romani Decreto meruerit. Lege Elogium Historicum Venerabilis Bedæ à doctissimo P. *Mabillonio* adornatum Sæculo III. Benedictino.

ARTICULUS III.

De Sancto Germano Patriarcha.

SANCTUS GERMANUS Archiepiscopus primùm Cyzicenus, deinde Constantinopolitanus Patriarcha, veritatis Catholicæ adversùs Iconomachos defensor acerrimus, de quo plura diximus Cap. 1. Art. 2 de Iconomachorum hæresi agentes; obiit nonagenario major anno Christi circiter septingentesimo trigesimo-primo, die duodecima Maii. Tres illius Epistolæ in VII. Synodo Oecumenica lectæ sunt ad Fidei doctrinam confirmandam. Duæ ipsius Homiliæ *De Sancta Cruce* à *Gretsero* editæ. Quinque ejusdem Orationes I. *In Præsentationem*. II. *In Annuntiationem* III. & IV. *In Dormitionem Deiparæ*, & V. *In Sanctam Christi Sepulturam*, edidit *Combefisius* noster *o μαχαρίτης*, Tom. I. Auctarii Bibliothecæ Patrum G. L. *Rerum Ecclesiasticarum Theoria*, an illius sit, an *Germani Junioris* Constantinopolitani etiam Patriarchæ, qui initio Sæculi XII. floruit, incertum. Priori ipsam tribuunt Cardinalis *Bellarminus* & *Albertinus* Calvinista: posteriori *Gretserus* & *Leo Allatius*. Prioris Germani liber est qui inscribitur, *Retribuens & Legitimus, seu de vera & legitima Retributione, quæ rependitur hominibus prout vixerint*, in quo S. Gregorii Nysseni scripta ab Origenis erroribus immunia esse ostendit. Hujus meminit Photius in Bibliotheca Cod. 233.

ARTICULUS IV.

De Sancto Joanne Damasceno.

SANCTUS JOANNES DAMASCENUS, nobilissimis in Syria parentibus genitus, Caliphæ Saracenorum primus Consiliarius & Minister, Imaginum Sacrarum generosus defensor, cui dextra per calumniam *Leonis Isaurici* amputata, Deiparæ Virginis ope divinitus restituta est: Monachus deinde in Laura *S. Sabæ*, & Presbyter à Joanne Hierosolymitano Patriarcha inauguratus, tres Orationes egregias ac luculentas *De Sacris Imaginibus* edidit adversùs Iconomachos. Monothelitarum etiam impugnavit Hæresim Oratione *De duabus Christi voluntatibus*. Acephalos insectatus est Libello *De Natura Composita*: Theopaschitas, Epistola *De Trisagio*. Omnes penè Hæreses Libris quatuor *De Orthodoxa Fide*; quibus ipse primus Theologiam universam recto ordine comprehendit, ut loquitur Cardinalis *Bellarminus*, & *Magistro Sententiarum*, ac *S. Thomæ* viam complanavit ad sacram doctrinam tam præclara methodo tractandam & explanandam. Scripsit etiam *Parallela* ex Scripturæ sacræ locis exquisitis, & veterum Patrum Sententiis elegantissimis contexta; quæ partim res divinas ac Fidem spectant; partim rerum humanarum statum, partim virtutes ac vitia. Omnium ad sua usque tempora hæreseon sectas & errores recensuit, edito *De Hæresibus* Libello. Deiparam Virginem elegantissimis Orationibus celebravit. Philosophiam Peripateticam tradidit, exposuitque in *Logica* & *Physica*, eámque primus Ecclesiæ consecravit.

Oratio pro Defunctis non est S. Joannis Damasceni.

Oratio pro Fidelibus Defunctis, in qua Fabulæ de Liberatione *Trajani* Imperatoris ab inferis, *S. Gregorii* precibus; & *Falconillæ*, *S. Theclæ* intercessione, obtruduntur, non est *S. Joannis Damasceni*, ut Demonstravi Dissertatione 1. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi II. in Responsione ad secundam objectionem.

Dialogus adversùs Manichæos non videtur S. Joannis Damasceni.

De Dialogo adversùs Manichæos non immeritò dubitat doctissimus *Joannis Damasceni* Interpres *Jacobus Billius*, an ipsius sit, propter illa verba, quibus metaphoricus, non verus ignis inferni significatur: *Quod si satius fuisset ei*, nempe diabolo, *non ortum esse, quàm ortum esse ac sempiternis pœnis affici dixeritis, hoc à nobis responsi feretis, Pœnam illam nihil aliud esse, quàm cupiditatis, vitii ac peccati ignem, ac flammam frustratæ cupiditatis.* Quod S. *Joanni Damasceno* repugnat Lib. 2. *De Fide Orthodoxa*, cap. 4. dicenti: *Diabolo ipsiusque dæmonibus, iisque qui ducem ipsum sequuntur, nunquam extinguendus ignis suppliciiquo semp ternum paratum est.* Et lib 4. cap. ultimo. *Diabolus, & ipsius dæmones, & ipsius homo, hoc est Antichristus, & impii ac flagitiosi homines, in ignem æternum, non materiæ instar hujusce nostri constantem, sed qualem Deus novit, conjicientur.*

Historia Barlaam & Josaphat, non est illi abjudicanda.

Historia Barlaam & Josaphat, Christianis auribus dignissima, non est cur *S. Joanni Damasceno* abjudicetur propter locum illum, ubi *Barlaamus* Discipulum docens, jubet eum credere *In Spiritum-Sanctum ex Patre & Filio procedentem.* Quod *S. Joannes Damascenus*, in libris de Fide Orthodoxa, dicendum negat. Illas enim voces, *Ex Filio*, additas esse, constat ex MSS. Codicibus, & *Billii* Abbatis interpretatione. Vita S. Stephani Junioris Martyris, non est S. Joannis Damasceni, sed Metaphrastis, desumpta ex alia antiquiori à Stephano Magnæ Ecclesiæ Diacono compositâ. Sermonem de Sancta Barbara Virgine & Martyre illi tribuit Allatius. S. Joannis Damasceni operâ Magnam accessionem ad Ecclesiastica Græcorum Officia factam, Simeon Thessalonicensis testatur in Dialogo contra Hæreses, apud Joannem Allatium. S. Joannis Damasceni Vitam à Joanne Patriarcha Hierosolymitano scriptam ediderunt Bollandi Continuatores ad diem sextam Maii. Illum commendant Græcorum Menologia, Constantinus Logotheta Acropolita in Sermone, quem ex MS Vaticanæ Bibliothecæ ediderunt Henschenius & Papebrochius inter Acta Sanctorum Mensis Maii, ad calcem Tom. II. pag. 731. Græcorum Menologia, Suidas in Lexico, & Sigebertus libro De Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 75.

ARTICULUS V.

De Cosma Hierosolymitano, Georgio Hamartolo, & Anastasio Abbate.

I. SANCTUS COSMAS HIEROSOLYMITANUS, cujus *Suidas* cum laude meminit, ex Abbate Episcopus Majumæ, elegantissimi vir ingenii, *S. Joanni Damasceno* amicissimus, quo hortatore, multa scripsit, ut constat ex Epistola ejus Logicæ præfixa, Hymnos tredecim in præcipuas anni Festivitates composuit, qui extant Tom. XII. Bibliothecæ Patrum, Editionis Lugdunensis. Distinguitur ab Abbate Hierosolymitano cognomine, cujus meminit *Joannes Moschus* in Prato Spirituali, Cap. XL. *Triodium*, quo Græci in Divinis Officiis à Septuagesima usque ad Octavam Pentecostes utuntur, compositum dicitur à *S. Cosma*, auctum verò à *Theodoro* & *Josepho* Studitis; ut observat *Aubertus Miræus* in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis.

II. GEORGIUS HAMARTOLUS iisdem temporibus floruit. Is Græcè scripsit *Chronicon ab exordio Mundi usque ad Imperium Constantini Copronymi*; quod in Bibliotheca Bavarica MS. extare, *Miræus* observat. Ejusdem nomine edita est à *Gretsero* Tom.

Tom. II. *De Cruce*, Homilia *De Inventione Sanctæ Crucis*.

III. His coævus erat ANASTASIUS Abbas Monasterii *S. Euthymii* in Palæstina, cujus *S. Joannes Damascenus*, initio libelli *De Trisagio*, meminit. Scripsit librum *contra Judæos*, qui à *Turriano* Latinè redditus, legitur apud *Canisium*, Tomo III. *Antiquæ Lectionis* & Tom. XIII. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis.

ARTICULUS VI.

De S. Bonifacio.

SANCTUS BONIFACIUS, natione Anglus, Frisiorum, Hassatum, Thuringorum, Bajoariorum, aliorúmque Germaniæ populorum Apostolus, Sedis etiam Apostolicæ per Gallias Legatus à *Zacharia* Pontifice maximo institutus, Moguntinensium primus Archiepiscopus, martyrio coronatus est in Frisiæ Villa *Dorkumio*, die quinta Junii, anni septingentesimi quinquagesimi quarti, & in Fuldensi Monasterio, quod fundaverat, sepultus. Ejus Epistolas, & Vitam, Passionémque *S. Livini* Episcopi, Gandavensium in Belgio Patroni, ipsi adscriptam, edidit, ac Notis illustravit *Serarius*. Extant Epistolæ, cum *Serarii* Notis, Tom. XIII. Bibliothecæ Maximæ Patrum, Editionis Lugdunensis. Librum Bonifacii *De Unitate Fidei Catholicæ*, laudat *Zacharias* Papa, apud *Othlonum*, lib. 2. cap. 9. quem librum haud alium esse quàm Synodalia quædam Statuta; qualia Tom. IX. *Spicilegii* edita sunt, conjicit *P. Mabillonius* in Observationibus præviis ad Vitam *S. Bonifacii*, P. II. Sæculi III. Benedictini.

Mutuæ societatis suffragiorum tam pro vivis quàm pro defunctis.

Ex Epistolis *S. Bonifacii* discimus, octavo sæculo mutuas fuisse societates suffragiorum, cùm pro vivis, tum pro defunctis. Epistola siquidem centesima sexta ad *Optatum Abbatem Cassinensem*, scribit: *Diligenter quoque deprecamur, ut familiaritas fraterna caritatis inter nos fit, & pro viventibus oratio communis, & pro migrantibus de hoc sæculo & Orationes & Missarum solemnia celebrentur, quorum alternatim nomina defunctorum inter nos mittentur.* Et Epistola nonagesima quinta *Cudberti* Abbatis Vuiremuthensis ad *Lullum* Episcopum *Bonifacii* Successorem: *Nomina* inquit, *Fratrum, quæ ad nos misisti, cum nominibus hujus Monasterii Fratrum dormientium in Christo scripta continentur, itaut pro illis nonaginta & eo amplius Missas facere præceperim.* Istiusmodi societates non tantùm in gratiam Monachorum, sed etiam amicorum & familiarium ejusdem Monasterii fiebant. Hinc *Doto* Abbas Hornbacensis, Epistola inter Bonifacianas octogesima-quarta ad *Lullum* scribit: *Cum familiaritatis officiis humili prece deposcimus, istam familiam Christi & S. Petri in vestra commemoratione semper habeatis, & ipsi pro omnibus amicis nostris, tam Episcopis, & eorum Clero, quàm Abbatibus, & eorum Monachis, seu & Abbatissis, vel Deo dicatis, in ista Congregatione S. Petri Oratores vestros, tam vivos quàm defunctos, in vestra mercede commemorare faciatis, ut in sacris orationibus illorum assiduè memorare debeant, quatenus per illorum suffragia olim optatam adire mereamur januam Paradisi. Similiter vos deprecamur, ut omnium amicorum vestrorum nomina, tam vivorum, quàm defunctorum, per præsentem Fratrem nostrum Saganaldum, per Breve ad nos dirigere faciatis.* Brevia illa erant Indiculi nominum eorum, qui in suffragiorum societatem admittendi, seu admissi erant; quales extant in Bonifacianis Epistolis octava, nona & undecima supra centesimam.

ARTICULUS VII.

De B. Alcuino, & S. Paulino Aquileiensi.

I. FLACCUS ALBINUS seu ALCUINUS, ex Anglo Saxonum gente oriundus, in Eboracensi Ecclesia ab *Egberto* Archiepiscopo institutus, ejusdémque Ecclesiæ Diaconus ordinatus; Scholæ Eboracensis, post obitum *Egberti*, Magister ac Moderator; in Franciam à *Carolo Magno* vocatus, ejusdémque ac filiorum Præceptor, Palatinæ Scholæ præfuit, ac deinde Turonensi, postquam secessit ex Aula. Parisius publicam Scholam moderatum fuisse, & Academiæ Parisiensis jecisse fundamenta, fabula est ejus silentio convicta. Illustres & eruditiones famâ celebres discipulos habuit, *Amalarium*, *Rabanum Maurum*, postea Moguntinum Archiepiscopum, *Simeonem*, post Episcopum Vvormatiensem, in Epistola 101. laudatum, *Oniam*, *Candidum*, *Nathanaelem*, quibus inscriptus liber in Ecclesiastem; *Oduinum*, ad quem scribit de Baptismi ceremoniis; *Daphnim*, in cujus gratiam explanat versum ex Cantico Canticorum; *Sigulfum*, cujus relatu ejus Vita scripta est, cui nuncupatus liber de Quæstionibus Geneseos; *Homerum*, seu *Angilbertum*, Caroli Magni generum, postea Centulensem Abbatem; *Gislam* & *Richtrudem* Caroli Magni filias, atque *Columbam*, quibus dedicavit Commentarios in Joannem; *Eanbaldum Juniorem*, Episcopum Eboracensem; *Fridugisum*, cujus rogatu scripsit libros de Trinitate, & cui Martinianam Abbatiam resignavit; *Liudgerum*, postea Mimigardefordensem Episcopum; *Haymonem*, Halberstadensem deinde Antistitem; & alios in ejus Vita laudatos. Multis à *Carolo Magno* Beneficiis auctus est, scilicet Abbatia *S. Lupi* Trecensis, *Ferrariensi* in Vvastinensi pago, *Cella S. Judoci*, ad hospitium peregrinis præstandum destinatâ, & Abbatia *S. Martini* Turonensis. *Caroli Magni* Legationibus honorificentissimis functus est. Monasticam Vitam in Fuldensi Monasterio secundùm Regulam *S. Benedicti*, profiteri optavit; sed cùm licentiam à *Carolo Magno* impetrare non posset, in Abbatiam Turonensem *S. Martini*, eo annuente, se recepit, vitámque ibi egit Monasticâ nullatenus inferiorem, & omnium exercitatione virtutum conspicuam, ut docet Vitæ ejus Auctor, qui & *Monachum* ipsum vocat (*Monachi sine voto*) & Vitam ejus Canonicis, sicut *Benedicti Anianensis* Vitam Monachis imitandam proponit.

Alcuini dubius Monachatus.

Monachum tamen fuisse *Alcuinum*, multis probare conatur doctissimus *P. Mabillonius* in ejus Elogio Historico. Graviùs in speciem argumentum est, quod petitur ex libello de *Psalmorum usu*, P. 1. ante medium: *Concede mihi*, inquit, *dilecti tui Patris mei Benedicti sequi & imitari vestigia.* Et P. 2. *Cœnobium petii, Vitam Monasticam suscepi, sed miser ego semper involvervariis modis in levitatibus.* Sed ea scripsisse *Alcuinum* in persona Monachorum Turonensium, in quorum gratiam ista dictabat, responderi posse agnoscit *P. Mabillonius*. Ex Confessione veræ Fidei robustius argumentum non desumitur, cujus Auctor ait: *Væ mihi miserrimo, qui falsum Monachi nomen fero, nihil dignum hujus nominis & habitus agens.* Cùm enim inter dubia Alcuini Opera Confessionem illam numerandam multa probent, dubius manebit ejus Monachatus. Obiit Alcuinus ex paralysi, Turonibus, die sacro Pentecostes, XIV. Kalendas Junias, anno Domini octingentesimo quarto, ut Vitæ ejus Auctor tradit. In Æde Martiniana sepultus à suis, ipsique positum Epitaphium, quod sibi vivens scripserat. Ab *Eginhardo* in Vita Caroli Magni, à Monacho San-Gallensi lib. 1. de ejusdem Imperatoris gestis, ab Anonymo in Vita *S. Aldrici* Senonensis Archiepiscopi, à *S. Paulino Aquileiensi* in Epistola ad Carolum Magnum,

Magnum, ab ipso *Carolo* in variis Epistolis, ab *Anastasio Bibliothecario*, in Vita Hadriani I. ab *Amalario* lib. de Ordine Antiphonarii, cap. 58. à *Micrologo* cap. 70. à *Radulfo Tungrensi*, lib. de Canonum observantia, à *Sancto Odilone* Cluniacensi in Vita *Sancti Maioli*, ab *Hermanno Contracto*, in Chronico, ad annum 799. ab *Honorio Augustodunensi* lib. 4. de Luminaribus Ecclesiæ, cap. 4. à *Sigeberto* in Chronico ad annum 790. & lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 83. aliisque celebratur *Alcuinus*. In *Rabani* Martyrologio adscripta est XIV. Kalendas Junii *Depositio Domni Alcuini*. Et in Epistola Commentariis in libros Regum præfixa, *Beatæ memoriæ Albinum Magistrum* appellat. In Chronico Turonensi abbreviato, ad annum 794. & 796. *Sanctus* appellatur. Ab Amalario *Doctissimus totius regionis*; ab Anastasio Bibliothecario, *Deliciosus Karoli Regis*; ab Hincmaro lib. De non trina Deitate, *Sanctus & venerandus Alcuinus*; Ab Ardone, in Vita Sancti Benedicti Anianensis Abbatis, *Sapientiâ præclarus, sanctitatis merito venerabilis*; à Sancto Odilone Cluniacensi, *Justus, peritus, facundissimus, magnus*. Eum, cùm adhuc viveret, *Opere & sermone potentem* Theodulfus Aurelianensis Episcopus, *lib.* 3. *Carmine* 1. prædicavit.

Alcuini Opera. Præter septem libros, quos *contra Felicem Urgelitanum* scripsit, & quatuor *contra Elipandum*, tres libros *De Fide Sanctæ Trinitatis* Carolo Magno dicavit. Scripsit etiam *De Rhetorica, Dialectica*, & *Musica*. Item ad *Eulaliam* Virginem *De Animæ ratione*. Item *Interrogationes & Responsiones in librum Geneseos*, quas Sigulfo consecravit. *Enchiridion* quoque, sive piam ac brevem *In VII. Psalmos Pœnitentiales, in Psalmum CXVIII. & in Psalmos Graduales* Expositionem elaboravit. Item *Commentaria super Ecclesiasten*. *Quæstiones XXVIII. de Trinitate, ad Fridugisum*; libros septem Commentariorum *In Evangelium Sancti Joannis*. Præterea Caroli Magni jussu Veteris ac Novi Testamenti libros omnes correxit. Psalterium Davidicum per hebdomadam disposuit, quod sub titulo, *Officiorum per Ferias*, laudari solet. Homilias per annum legendas ex antiquis Patribus collegit. Librum *De Virtutibus & Vitiis*, ad *Vuidonem*, sive *Vuittonem* Marcæ Britannicæ Comitem scripsit. Libellum etiam *De Antichristo*, à nonnullis *Rabano*, ab aliis *Sancto Augustino* adscriptum. *Vitam & Miracula Sancti Martini* compendiò descripsit. Varias Epistolas ad *Hadrianum I. Leonem III.* Summos Pontifices, *Carolum Magnum*, Viròsque Ecclesiastici ac Politici ordinis Primarios scripsit. Musas etiam ipsum coluisse, variis Poëmata testantur. De illius Operibus legendi Vitæ illius suppar Auctor, *Sigebertus*, & *Trithemius*.

Confessio Fidei, non est Alcuini Opus. *Confessionem Fidei*, quatuor in partes divisam, quam sub *Alcuini* nomine vulgavit *P. Chiffletius S. J.* anno MDCLVI. ipsi vindicat doctissimus *P. Mabillonius* in Elogio Historico *Alcuini*, Cap. XVI. ex eo quòd Auctor Partis 4. Cap. 15. à Deo postulet se *necessarius famulantium obsequiis & impensa à Fratribus reverentia nusquam extolli*. Quæ verba satis apertè innuunt, Auctorem Abbatem fuisse, multo servorum, & Monachorum numero & comitatu stipatum. Quod planè convenit in *Alcuinum*, cui ab *Elipando* exprobratum est, quòd viginti millia servorum haberet. Aliud argumentum ducit ex desiderio solitudinis, cujus occasionem se amisisse dolet ejusdem Partis IV. cap. 17. quod *Alcuini* ingenium prorsus sapit. Hæc tamen non convincunt *Alcuinum* hujus Confessionis Auctorem fuisse: Monachus enim fuit hujus Confessionis Auctor; at Alcuinus Monachus non fuit, quamvis cum Monachis Martinianis Vitam duxerit Monastica non inferiorem. Prætereà, ex Confessione Fidei Pelagii, & libro de Dogmatibus Ecclesiasticis ferè desumpta est. 3. Nonnulla excerpta sunt ex Meditationibus *Sancti Anselmi*. 4. Nonnulla legere est 4. Parte excerpta ex lib. *De divinis Officiis*, qui perperam *Alcuino* adscriptus est. 5. Multa in 3. Parte leguntur ex duabus prioribus ad verbum exscripta: quod tanti ingenii judiciique virum præstitisse verisimile non est. 6. Multa sunt rapsodiæ, quàm operi hominis eruditi similiora. Quædam tamen hoc in Opere alcuino haud indigna sunt, maximè quæ de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in eo leguntur.

Liber De divinis Officiis, Alcuino suppositus. Liber *De Divinis Officiis*, non est *Alcuini*; sed farrago ex diversis ipsius *Alcuini*, aliorumque Auctorum posteriorum Scriptis collecta. Nam Caput quadragesimum est Tractatus *Remigii* Autisiodorensis Monachi *De Expositione Missæ*. Præterea, multas ineptias, & errata continet *Alcuino* indigna. *Pascha* Græcam vocem esse dicit, contra expressam *Alcuini* sententiam lib. 6. Joannem, cap. 32. scribentis: *Pascha, fratres, non, sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum*. Impudici nomen derivat à *podice*, cap. 13. *Sacerdos*, Græcum vocabulum esse ait cap. 36. Inepta scribit de *cidari*, cap. 38. Id tandem demostrat Caput 32. quod est *De Solemnitate omnium Sanctorum*, quæ longè post *Alcuini* obitum in Gallia ac Germania celebrari cœpit, scilicet anno octingentesimo trigesimo-quinto, *Gregorio IV.* Pontifice Maximo suadente, ut ex *Sigeberto* & aliis Historicis constat. Et ex Concilio Maguntiaco, quod anno Christi octingentesimo decimo-tertio, jussu *Caroli Magni*, celebratum est, discimus nullam adhuc fuisse Festi omnium Sanctorum celebritatem. Id, inquam, discimus ex Canone 36. qui est *De Festivitatibus anni*. Idem compertum est ex lib. 1. Capitularium, Cap. 164. & ex secundo libro, Cap. 65. Præterea vetus Codex MS. cujus ope *Andreas Duchesnius* duodecim Capita integra restituit, quæstionem *De Natalitiis Sanctorum*, Capiti XVIII. subjonctam, adscribit *Fiprico* Monacho, quem floruisse anno MXL. testatur *Trithemius*.

Spurium est Carmen III. de *Bugga*, scriptum regnante *Ina* Vvest-Saxonum Rege, qui uno ferè sæculo *Alcuinum* præcessit. XLVIII. de *Ethildrita*, quod est *Bedæ Venerabilis*; CLXXVII. quod *Angilberti* Abbatis Centulensis.

In Editione Chesniana Operum *Alcuini*, desiderantur *Commentarii in quatuor Epistolas Sancti Pauli*, *ad Ephesios* scilicet, *ad Titum*, *ad Philemonem*, & *ad Hebræos*. Item *Præfatio in Psalmos Pœnitentiales*, ad *Arnonem* Salisburgensem Episcopum, quæ extat in *Spicilegii* Tom. IX. tum Epistola ad *Candidum* & *Nathanaelem*, cujus fragmentum exhibet *Mabillonius* in Alcuini Elogio; * *Homiliarum duo volumina*, *Expositiones in Proverbia*, & *Cantica*, & *Vita Caroli Magni*. Alcuini Epistolas novas XXVI. ex pervetusto Codice Sancti Emmerammi apud Ratisbonam edidit Domnus *Mabillonius* Tomo quarto *Veterum Analectorum*.

** 1 Petri 1 V Benedict.*

Alcuini error. Non probandum, quod Epistola 69. & 70. scripsit *Alcuinus* contra simplicem immersionem ab Hispanis in Baptismo usurpatam; quibus immeritò vitio vertit, quod Responso *Sancti Gregorii Magni*, & Toletanæ Synodi Quartæ doctrinæ constanter adhærerent. Epistolam verò *Sancti Gregorii* ad *Leandrum* ea de re datam, quæ est quadragesima prima Lib. 1. perperam adjudicat Sancto Pontifici mutili Codicis Româ allati lectione deceptus. Et refellitur testimoniis *Sancti Isidori Hispalensis*, Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 27. Concilii Toletani IV. Canone 6. & *Joannis Diaconi* in Vita *Sancti Gregorii Magni*, Lib. 1. cap. XLII.

II. S. PAULINUS, Aquileiensis Patriarcha,

auctor Libelli *de Sanctissima Trinitate*, adversùs *Felicem & Elipandum*, qui dictus est *Sacrosyllabus*, & trium Librorum contra eumdem *Felicem Urgelitanum*, quos *Andreas Duchesnius* ex Puteana Bibliotheca primus in lucem edidit, unà cum *Epistola ad Carolum Magnum*, & *Regula Fidei*, obiit anno octingentesimo-quarto, die undecima Januarii, & apud *Forum Julium* in majori Basilica sepultus est.

ARTICULUS VIII.

De Etherio & Beato.

ETHERIUS *Uxamensis* in Hispania Episcopus, & BEATUS Presbyter, viri sanctimonia & eruditione insignes, sub finem octavi sæculi floruere, librisque duobus luculentis Fidem Catholicam adversus *Elipandi* hæresim propugnarunt. Sed & nostri temporis hæreses in antecessum profligavere, de reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia, de Sacrificio Missæ, de Oratione pro defunctis, præclarè disserentes, & Ecclesiæ doctrinam iis exponentes verbis, quæ in sensum Calvinistarum nullis possint strophis detorqueri. De frequenti Communione hæc habent antiquiorum Patrum dogmati consona, quæ regulæ instar Fidelibus esse possint. *Dicant aliqui: Semper communicare debet Christianus, nisi aliqua intercedente peccato, Corpus Domini quotidie accipiendum: Hunc enim panem dari quotidie nobis, jubente Domino postulamus, dicentes:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione, & devotione & humilitate suscipiant; nec confidendo de justitiæ præsumptione, superbiendo faciant. Cæterùm si talia fuerint peccata, quæ quasi mortuum ab altari removeant, priùs agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum.* Qui enim manducaverit indignè, judicium sibi manducat & bibit. *Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quò debet agere pœnitentiam. Cæterùm si tanta non sunt peccata, ut excommunicandus quisque judicetur, non se debet à medicina Dominici Corporis separare: ut dum fortè diu abstinens prohibetur, à Christi Corpore separetur. Ipse enim vivit, qui Corpus Domini semper comederit. Et manifestum est enim eos vivere, qui Corpus Domini nostri Jesu Christi attingunt. Unde timendum est, ne dum satis quisque separatur à Christi Corpore, alienus maneat à salute; ipso Domino dicente:* Nisi comederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Qui enim jam peccare quievit, communicare non desinat. Conjugatis autem abstinendum est à coitu plurimis diebus, atque orationi vacare, & sic dein ad Christi Corpus accedere. Relegamus Regnorum Librum, & invenemus Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse priùs comedere David & pueros ejus, nisi ante interrogaret, Utrum mundi essent pueri à mulieribus, non utique ab aliena, sed à conjuge. Et nisi eos audisset ab heri & nudiustertius vacasse ab opere conjugali, nunquam panes, quos priùs negaverat, concessisset. Quantùm inter propositionis panes, & Corpus Christi; quanta differentia est inter umbram & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ipsa, quæ exemplari præfigurabantur. Quapropter eligendi sunt aliqui dies, quibus priùs homo continentiùs vivat, per quem ad tantum Sacramentum dignus accedere possit.*

Frequens Communio.

Conjugati ad sacram Communionem se præparare debent aliquot dierum continentiâ.

Scripsit etiam *Beatus* Presbyter *Commentarium in Apocalypsim*, aut Anonymus Vitæ ejus Auctor testatur. Hunc se vidisse ait *Morales* in Ecclesia Vallecavensi, Hispanis *Valcabado* haud procul à Saldana oppido Diœcesis Legionensis; qui locus *Sancti Beati* memoriâ & cultu celebratur. Ab Hispanis vulgò appellatur *Sanctus Bieco*. Ejus Vitam ab Anonymo Scriptore Hispano litteris mandatam, ex Legendario Asturicensi MS. primus vulgavit *Joannes Tamaius Salazar* in Martyrologio Hispanico, & post eum *Bollandus* inter Acta Sanctorum mensis Februarii, Tomo III. & *P. Mabillonius* Tomo I. Sæculi IV. Benedictini, in Appendice. De eo *Joannes Mariana* Lib. 7. Rerum Hispanicarum, cap. 8. Monachos fuisse *Etherium & Beatum*, certum est, cujus Ordinis, haud ita certum. Alcuinus Lib. 5. adversùs Felicem, titulo Abbatis *Beatum* exornat. *Quid verò*, inquit, *quemdam beatum Abbatem, & discipulum ejus Hitherium Episcopum dicitis huic vestræ Sectæ primùm contraire; laudamus eos &c.* Nulli autem apud Hispanos Abbates erant præter Monachos. Idem *Beatus* Lib. 2. contra Elipandum, se Monachum esse disertè significat. *Verè bonum*, inquit, *& verè jucundum habitare fratres in unum. Unum fratrem dimisimus in sæculo: ecce quantos invenimus in Monasterio. Frater meus sæcularis non tantùm me amabat, quantùm substantiam meam: cæterum Fratres spirituales qui sua utique negligunt, aliena non quærunt.* Idem constat ex Præfatione Commentarii ipsius in Apocalypsim hactenus inediti, cujus hæc verba refert Ambrosius Morales: *Hæc ego, Sancte Pater Ætheri, te petente, ob ædificationem studii Fratrum tibi dedicavi; at quem consortem perfruor Ordinis, cohæredem etiam faciam mei laboris.* Hæc Monachi verba sunt ad *Ætherium* tum Episcopum Uxamensem, quem olim *Beatus* discipulum, & *consortem Ordinis* in Monasterio habuerat. Hæc & alia scitu digna de *Beati* Monachatu observat *P. Mabillonius*, in Notis præviis ad Vitam *Sancti Beati*.

Beati Commentarius in Apocalypsim nondum editus.

Etherius & Beatus Monachi.

ARTICULUS IX.

De Paulo Diacono.

PAULUS WARNEFRIDI, Aquileiensis Diaconus, *Desiderio* postremo Longobardorum Regi à Secretis, cum Principe suo, aliisque Nobilibus, Ticino expugnato, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto in potestatem Caroli Magni Francorum Regis venit, ab eoque summo in honore habitus est, donec, ob suspicionem nescio quam, in Diomedæam Insulam est relegatus. Unde ad *Arichisum* Beneventanum Ducem, *Desiderii* Regis generum, profugit, ac tandem in Monasterio Cassinensi Religiosam Vitam sub *Sancti Benedicti* Regula professus est. *Chronicon Sancti Vincentii de Vulturno*, lib. 1. testatur ipsum invidiosè accusatum, quòd in vitam Caroli Magni conjurasset. Cæterùm Regem maximum ipsius ingenii ac scientiæ admiratorem fuisse, & in suam gratiam ipsum postea recepisse, ut testantur litteræ ad ipsum metro scriptæ Cassinum, quibus illum salutat peramanter, suam chartam ita compellans:

Colla mei Pauli gaudendo amplectere dulcis,
Dicens multoties, Salve Pater optime, salve.

Ad initium usque sæculi noni superstes fuisse creditur *Paulus Diaconus*. Scripsit Vitas *Sancti Gregorii Magni*, *Arnulfi Metensis Episcopi*; *Sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi & Martyris*, *SS. Benedicti*, *Mauri*, *& Scholasticæ Virginis*, *Gesta Metensium Episcoporum*, rogante *Angilramno* Episcopo Metensi, quæ ab *Andrea Duchesnio* edita sunt Tomo II. Collectionis veterum Historicorum Franciæ: *Historiam Longobardorum* sex libris comprehensam; & *Expositionem Regulæ Sancti Benedicti*. Paulo Diacono maximam sui partem debet *Historia Miscella*, qui decem libris *Eutropii* sequentes octo addidit,

Historiæ Miscellæ Auctor.

addidit, Historiam à *Valentiniano I.* ad annum Æræ Christianæ septingentesimum trigesimum persecutus. Reliquos scripsisse creditur *Landulfus Sagax* ex *Anastasii Bibliothecarii*, sive potiùs ex *Theophanis* Historia, ab *Anastasio* Latinè reddita. Nonnullas etiam Homilias & sacros Hymnos edidit *Paulus Diaconus*. Auctor existimatur Hymni, *Ut queant laxis resonare fibris*, qui in Festo *Sancti Joannis Baptistæ* canitur. *Homiliarium* etiam jussu *Caroli Magni*, collegit ex Tractatibus Patrum, Lectiones unicuique Festivitati convenientes per anni circulum accommodans, & in duo volumina distribuens, ut constat ex litteris *Caroli Magni* ea de re scriptis, ex *Sigeberto*, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 81. & *Trithemio* lib. 2. de Viris Illustribus O. B. cap. trigesimo. Homiliarium istud à posteris auctum est.

Homiliarum Pauli Diaconi à posteris auctum.

Continet enim Homilias *Haimonis* Halberstatensis Episcopi, & *Erici* Monachi Autisiodorensis, quos nono sæculo floruisse constat, post obitum *Pauli Diaconi*. Nomine etiam *Eusebii Emisseni* inscriptas Homilias complectitur. At quæ *Eusebii Emisseni* nomine circumferuntur Homiliæ in Evangelia per totius anni circulum, sunt recentioris Auctoris. Has enim *Sanctus Bruno Astensis*, quem *Gregorius* Papa *Septimus* ad Episcopatum Signinum promovit, jure sibi vendicat, ex Cassinensibus & Vaticanis Codicibus, & ex fide *Petri Diaconi* Bibliothecarii Cassinensis. *Paulum Diaconum*, ejúsque Opera commendant *Walafridus Strabo*, lib. *de Divinis Officiis*, c. 80. *Sigebertus* lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 8. *Leo Ostiensis*, in Chronico Cassinensi, lib. 2. *Petrus* Diaconus Cassinensis, *Trithemius*, &c.

ARTICULUS X.

De Georgio Syncello.

GEORGIUS Monachus, Syncellus *Tharasii* Constantinopolitani Patriarchæ, anno septingentesimo nonagesimo secundo *Chronicon* scripsit à Mundi exordio usque ad *Diocletianum*. illud ad suam usque ætatem perducere decreverat, sed morte præventus, perficere non potuit. De Illo *Theophanes* in Historiæ limine hæc habet: *Sanctissimi Constantinopoleos Patriarchæ Tharasii Georgius Abbas quondam Syncellus, vir eximius & eruditissimus, multis Chronographorum & Historicorum libris evolutis, & non vulgari diligentia examinatis, compendiarium, ab Adamo ad Imperatoris & Christianorum persecutoris Diocletiani tempora, Chronographiam scripsit; discussisque studiosè temporum rationibus, ad invicem comparavit, emendavit, ac ut nullus ante ejus ætatem, solertissimè composuit. Priscorum insuper Regum, & nationum universarum statu & regimine annotata, singulorúmque quantùm licuit, observatis ætatibus, supremarum & universalium Sedium, Romæ dico, & Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum sive qui sanis dogmatibus & pabulis Ecclesiam aluerunt, sive qui per vim & latronum more Principatu arrepto, hæresum pravitate gregem infecerant, Pontifices enumeravit, & eorum tempora & annos egregio ordine digessit. Enimvero cùm vitæ termino præreptus, ad propositum finem non potuerit Opus inceptum perducere; sed, ut præmonuimus, ser piis solummodò quæ Diocletiani attingunt ætatem, vitam hanc mortalem deseruit, & cum rectâ fide ad Dominum profectus, nobis velut familiaribus amicis, quod fuerat molitus Opus imperfectum simul reliquit, & ut, quæ desiderantur, absolveremus, præbuit argumentum.*

De eodem Anastasius Bibliothecarius in Historiæ Ecclesiasticæ Præfatione ita scribit: *Georgius, electâ Monasticâ Vitâ, mundóque contempto, Christi se levi jugo & sarcinæ mancipavit. Præterea contra Hæreticos incessanti agone desudans, multis verberibus, mundi Principibus contra Ecclesiæ ritum sævientibus, diversisque pœnis affectus est. Sic ergo stigmata Christi in corpore suo portans, tam pro fidei constantia, quam pro multarum virtutum insignibus, sanctæ memoriæ Tharasii Regiæ Urbis Præsulis Syncellus effectus est. Sed ne multa prosequar, sufficere arbitror ad præconium ejus, quòd à Sede approbatus sit Apostolica: Quando scilicet Vicarii ejus unà cùm trecentis quinquaginta Patribus in Nicæa urbe secundò convenientes, universalem Synodum celebrarunt. Siquidem & laus ejus in eodem septimo & sancto Concilio reperitur.* Latio donatus à *P. Jacobo Goar*, Ordinis nostri FF. Prædicatorum Professore, & Notis ab eodem illustratus, ex Regia Typographia, cum *Nicephori Constantinopolitani Breviario Chronographico* in lucem prodiit.

ARTICULUS XI.

De Theophane.

GEORGIUS THEOPHANES, ortus Constantinopoli, genere illustri, mortuo Patre *Isaacio* amplissimarum facultatum heres, à matre connubio junctus est nobili virgini, annos circiter duodecim natus. Quam ad perpetuam continentiam pariter servandam suâ adhortatione ac virtute impulit. Eam ob rem à socero, & à *Leone* Imperatore *Copronymi* filio exagitatus, & honoris specie Cyzicum missus est cum uxore. Sigrianem cùm divertisset, *Gregorii Senioris* viri sanctissimi, & prophetiæ dono illustris solatio recreatus est, cujus sese obsequiis addixit. Imperatore, Soceróque post triennium mortuis, factâ uxori potestate vivendi in Monasterio inter Virgines sacras, ipse in Sigriano Cœnobio Monasticam Vitam professus est, suísque virtutibus Præfecturam post Abbatis mortem promeritus. *Leone Armeno* Imperatore Iconomacho, Fidem Catholicam de sacrarum imaginum veneratione invicto confessus animo, ejus jussu in carcerem detrusus est, ubi fame pedoréque per biennium cruciatus, in Samothracem Insulam deportatus est, ubi post viginti dies ad palmam sempiternam in cœlis percipiendam evolavit. Miraculis ejus est sanctitas illustrata: & ab Ecclesia Græca die duodecima Martii sacris Officiis celebratur. *Chronographiam* scripsit ab anno Diocletiani primo, ubi *Georgius Syncellus* desierat, ad annum secundùm *Michaëlis* & *Theophylacti* Impp. Prodiit è Typographia Regia Interprete *P. Goar* Ordinis nostri FF. Prædicatorum Professore. Quô, dum Theophanis textum, & adornatam à se Versionem prælo pararet, morte prærepto, ejusdem Ordinis Professor alter, virtuti pariter, litteris, ac Græciæ natus, ὁ μακαρίτης Combefisios, amantissimi Sodalis curas suscepit, ac Theophanis textum, adornatámque ab eo Versionem recensuit, cum Notis ejus Posthumis edidit, novisque Observationibus illustravit.

Multi fuere hujus nominis Auctores Græci, ut observat *Goar* noster. Antiquissimus est Mitylenæus, Pompeii Magni miles, & gestorum testis ac præco, à *Vossio*, lib. 1 de Historicis Græcis, cap. 23 memoratus. Alter Poëta, cujus paucos versus Anthologia exhibet lib. 3. Sect. III Hos secutus est *Theophanes* ille Byzantius, cujus meminit *Photius* in Bibliotheca, *Cod. LXIV.* qui *Justini* Junioris bellum Persicum, Romanásque res, illi imperante gestas, libris decem complexus est. Quartus est *S. Theophanes* sub *Leone Armeno* Confessor, & Sigriani Monasterii Abbas, quem *Baronius* à *Theophane* Agri Abbate perperam distinguit, ad annum 816. Num. 1. Agit enim locus est Sigrianes regionis,

Baronius emendatus.

buat etiam voluntatem, studium atque virtutem operandi bonum. Quòd si voluntas, studium, virtusque operandi bonum non prosequitur scientia donum; satis mihi est, Domine, stultum hebetémque esse. Neque enim ideo patriam parentésque reliqui, ut mihi scientia dona largireris, sed ut perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Nolo certè hanc commutationem. Quod si utraque non mereor, doctrinam scilicet atque operationem: aufer, quæso, doctrinam, tantùm ut tribuas operationem virtutum. O utinam eodem animo in sacra studia incumbamus!

ARTICULUS XV.

De Leidrado & Odilberto.

I. LEidradus Lugdunensis Archiepiscopus, missus in Hispaniam in causa Felicis Urgelitani, Testamento Caroli Magni subscripsit, ac demum secessit in Suessionense Sancti Medardi Monasterium, ubi supremos vitæ dies absolvit. Caroli Magni jussu librum edidit *De Sacramento Baptismi*, & Epistolam *De Abrenuntiatione in Baptismo fieri solita*. Hunc librum insignémque Epistolam edidit Dom. *Mabillonius* Tom. III. *Veterum Analectorum*.

II. De eodem argumento interrogatus à Carolo Magno *Odilbertus* Mediolanensis Archiepiscopus, Epistolam ad illum scripsit, librumque ex Patrum Scriptis exceptum. Hanc Epistolam & libelli capita edidit Dom. *Mabillonius* Tom. IV. *Veterum Analectorum*.

CAPUT IV.

De Synodis Provincialibus, quarum Decretis restaurata Disciplina est Octavo Sæculo.

ARTICULUS I.

De Synodo Germanica.

HÆc Synodus anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo à *Carolomanno* Majore-Domus congregata est ad restaurandam disciplinam sub præcedentibus Principibus pessundatam. Id constat ex Præfatione Synodi, quam *Othlonus* Presbyter in Vita *Sancti Bonifacii*, & *Benedictus* Levita lib. 5. Capitularium exhibent. *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini septingentesimo quadragesimo secundo, undecimo Kalendas Aprilis, cum consilio Servorum Dei & Optimatum meorum, Episcopos qui in Regno meo* (id est, Majoratu) *sunt, cum Presbyteris, ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregravi* &c. Convocata autem est juxta commonitionem Romani Pontificis, cujus nomine ipsi præfuit *Bonifacius* Archiepiscopus; ut constat ex Epistola *Zachariæ* Papæ omnibus Fidelibus per Gallias & Francorum Provincias inscriptâ: *Referente nobis Bonifacio Reverendissimo atque Sanctissimo fratre nostro Episcopo, quòd dum Synodus aggregata esset in Provincia vestrâ juxta nostram commonitionem, mediantibus filiis nostris Pippino & Karlomanno, Principibus vestris, peragente etiam vicem nostram præfato Bonifacio, Dominus inclinasset corda vestra cum Principibus vestris in prædicationem ejus, ut omnibus commonitionibus ejus obediretis* &c. Hanc Synodum quidam Ratisponæ, alii Augustæ-Vindelicorum habitam conjiciunt, sed cùm loci nomen in Vita *Bonifacii*, ab *Othlono* scripta, in Epistolis *Zachariæ*, in Capitularibus, aut alibi non prodatur, rectiùs appellatur Germanica.

In illa Synodo sexdecim conditi sunt Canones. Primus est de Episcopis in novis Sedibus constitutis sub Metropolitano *Bonifacio*. Horum Episcoporum nominatio *Carolomanno* Majori-Domus seu Principi Francorum delata est. *Itaque*, inquit Carolomannus, *per consilium Sacerdotum religiosorum & Optimatum meorum, ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus Sancti Petri.* Secundus Canon statuit Synodum singulis annis congregari. *Tertius* est de restitutione pecuniarum Ecclesiis ablatarum: quod justitiæ pietatisque officium à *Carolomanno* impletum est. *Quartus* est de falsis & adulteris Presbyteris, deque Clericis in fornicationem lapsis, qui gradu moti sunt, & ad pœnitentiam coacti. *Quintus* prohibet ne Clerici tractent arma, vel ad exercitum pergant, præter eos qui ad Missarum celebrationem, ad excipiendas militum confessiones, & ad Sanctorum Reliquias portandas, fuerint electi. *Sextus* venationes Clericis prohibet, ad eumque finem accipitres & falcones habere. *Septimus* jubet ut Presbyteri Parochiarum Episcopis sint subjecti, & ministerii sui rationem quotannis in Quadragesima ipsis reddant. *Octavus* eosdem Presbyteros ad Episcopum in Visitatione suscipiendum paratos esse præcipit, ac populum colligere, qui Sacramentum Confirmationis suscipere debet. *Nonus* statuit ut in Cœna Domini semper novum Chrisma ab Episcopo accipiant. *Decimus* Episcopum eorum castitatis, vitæ, fidei, & doctrinæ testem esse jubet. *Undecimus* ignotos Episcopos, aut Presbyteros, ante probationem in Synodalem, ad Ecclesiasticum ministerium admitti vetat. *Duodecimus* decernit ut Episcopus cum Gravione seu Graphione, id est, cum Judice Fiscali seu cum Magistratu ad exigenda jura fiscalia constituto, provideat ne populus paganas observationes faciat; & inter alias, sacrilegos illos ignes, quos *Nedfratres* vocant, sive *Nodfyrs* ut *Lindebregius* in Glossario legit, ubi hanc vocem sic exponit: *Rusticani homines in multis Germaniæ locis, festo Sancti Joannis, palo ex sepe extracto funem circumligant, illúmque huc illuc ducunt, donec ignem concipiat, quem stipulâ aliisque aridioribus lignis aggestis fovere curant, ac cineres collectos super olera spargunt, hoc medio erucas abigi posse inani superstitione credentes. Eum ergo ignem Nodfeur, quasi necessarium ignem vocant.* Canon decimus tertius est de pœnitentia Presbyteris, Clericis, Monachis, & Monialibus in fornicationem lapsis irroganda. Carcere autem, jejunio in pane & aqua, & flagellatione statuit emendandum hoc crimen. *Decimus quartus* decernit ut Presbyteri, vel Diaconi, non sagis, laïcorum more, sed casulis induantur. *Decimus-quintus* mulieres arcet à domibus Presbyterorum & Diaconorum. *Decimus-sextus* Regulam *Sancti Benedicti* à Monachis & Monialibus observari jubet.

Absolutâ Synodo, *Bonifacius* de illius Decretis certiorem fecit *Zachariam* Romanum Pontificem, qui illa gratanter suscepit atque confirmavit, ut *Bonifacius* ipse testatus in Epistola ad *Cudbertum* Dorovernensem Episcopum. *Decrevimus*, inquit, *in nostro Synodali Conventu, & confessi sumus Fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ, velle servare Sancto Petro, & Vicario ejus velle subjici: Synodum per annos singulos congregare: Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere; & per omnia, præcepta Petri canonicè sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur. Et isti Confessioni universi consensimus, & subscripsimus, & ad corpus Sancti Petri Principis Apostolorum direximus, quod gratulando Clerus & Pontifex Romanus suscepit &c.*

Summa Canonum.

Superstitio damnata.

Decret Bonifacianum confessio quam…

ARTICULUS II.

De Synodo Liptinensi. *

Liptinæ, vulgò Lestines. Villa Regia in Diœcesi Cameracensi.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo quarto, Synodus ad Liptinas Regio tunc Palatio nobiles, in Episcopatu Cameracensi, *Carolomanno* auctore, *Bonifacio* Præside celebrata est, Kalendis Martii, in quâ Canones quatuor sunt editi. *Primus* Synodi Germanicæ Canones confirmat, observandósque statuit. *Secundus* decernit pecuniam Ecclesiasticam sub precario & censu in subsidium exercitûs præstandam, eâ conditione, ut annis singulis de unaquaque casata * solidus, id est, duodecim denarii, Ecclesiæ vel Monasterio reddantur, & si penuriam patiantur, eis reddatur integra possessio. *Canon tertius* emendari jubet adulteros, & qui incesta matrimonia contrahunt, Episcoporum judicio: vetátque ne mancipia Christiana Paganis tradantur. *Quartus* multari statuit quindecim solidis eos, qui Paganas observationes in aliquâ re fecerint. Publicarum Legum auctoritatem in foro civili his canonibus tribuit *Carolomannus*, cujus in Majoratu ista Synodus habebatur. Hos Canones refert *Benedictus Levita* lib. V. Capitularium, Cap. 3.

Summa Canonum.

* Casata est habitaculum cum terra ad unam familiam alendam idoneâ.

ARTICULUS III.

De Synodo Suessionica.

Augusta Suessionum, vulgò Soissons, ad Axonam fluvium, urbs Episcopalis, sub Archiepiscopo Remensi.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo quinto, *Childerici III.* Regis anno secundo, *Pippinus*, qui se *Ducem & Principem Francorum* tunc inscribebat, Synodum Suessione congregavit, Episcopis consentientibus, ut docet Præfatio Actis Synodi præfixa. In eâ damnatus est *Adalbertus* Hæreticus, de quo superiùs diximus. Decem Canones conditi, qui nihil penè aliud sunt, quam Synodi Germanicæ Decreta renovata & confirmata. Plures Episcopos per Civitates sui Majoratus constituit *Pippinus*, de consilio Sacerdotum & Optimatum. In eadem Synodo *Abel* ordinatus est Archiepiscopus Remensis, *Ardobertus* verò Senonensis, ut constat ex tertio Canone. *Idcirco*, inquit, Pippinus, *constituimus per consilium Sacerdotum & Optimatum meorum; & ordinavimus per civitates legitimos Episcopos; & idcirco constituimus super eos Archiepiscopos Abel & Ardobertum, ut ad judicia eorum de omni necessitate Ecclesiastica recurrant, tam Episcopi, quàm alius populus.* Monachos & Moniales *secundùm Regulam Sanctam* stabiles permanere jussit *Canon tertius*. Nomine Regulæ Sanctæ Benedictina intelligitur, quæ penè sola tunc vigebat in omnibus Franciæ Monasteriis.

Stabilitas Monachorum à Q. secundùm Sanctam Regulam.

Episcopi viginti tres huic Synodo adfuere, necnon plures Presbyteri & Abbates. Decretis vis publicæ legis addita est à *Pippino*, ut constat ex ultimo Canone: *Si quis contra hoc Decretum, quod XXIII. Episcopi, cum aliis Sacerdotibus vel Servis Dei, unà cum consensu Principis Pippini, vel Optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe, vel Episcopis, vel Comitibus, & componat secundùm quod in Lege scriptum est, unusquisque juxta ordinem suum.* Intererant Synodo Optimates, quia Synodus & Comitia Regni insimul celebrabantur.



ARTICULUS IV.

De Synodo Cloveshovia, in Anglia.

* Cloveshovia, vulgò Clyff, in Anglia.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo, *Cuthbertus* Cantiorum Archiepiscopus, adhortante *Bonifacio* Archiepiscopo & Apostolicæ Sedis per Germanias Legato, Synodum ex diversis Britanniæ Provinciis Cloveshoviam, urbem Merciorum, sive Anglorum Mediterraneorum congregavit, regnante tunc apud Mercios *Ædibaldo*. Ea in Synodo, lectis primùm Zachariæ Papæ ad Anglos litteris, quibus Disciplinæ Ecclesiasticæ restaurationem, & morum emendationem imperabat, triginta Canones editi sunt.

Summa Canonum.

Primus Episcopos curam Pastoralem sibi creditam, & Canonicas institutiones, præ sæcularibus negotiis sectari jubet: bonis moribus, abstinentiæ virtute, justitiæ operibus, doctrinæ studiis, Clero populóque prælucere. *Secundus* est de pace & concordia inter Viros Ecclesiasticos servanda, in sermone, in opere, in judicio; ceu inter unius Domini Ministros, omniúsque ministerii conservos. *Tertius* jubet Episcopis, ut singulis annis Diœcesim lustrent, populum doceant, paganas observationes extirpent. *Quartus* Abbates & Abbatissas ab Episcopis moneri statuit, ut benè vivendi inprimis exemplum præbeant, tum Regulam à suis subditis servari curent, eósque diligant ut filios, non ut servos habeant; & eis necessaria, secundùm Monasterii facultatem, subministrent. *Quintus* Monasteriorum, quæ à sæcularibus occupantur, nec ab eis adhuc possunt auferri, curam Episcopis commendat, ac visitationem. *Sextus* statuit ut Episcopi, ex Clericis, vel Monachis, Presbyterum ordinent neminem, nisi morum probitatem, ac scientiam fidei in eo probaverint. *Septimus* Scholas in Cathedralibus Ecclesiis, & in Monasteriis erigi statuit, in quibus sacræ lectiones & divinæ Scripturæ, studio Clerici, Religiosique Viri exerceantur.

Diœcesis ab Episcopo visitanda.

Abbatum officia.

Scholæ in Cathedralibus Ecclesiis & in Monasteriis.

Octavus, *nonus*, *decimus*, *undecimus* & *duodecimus*, Presbyteros officii admonent, videlicet ut à sæcularibus negotiis causísque abstineant, ut templorum nitorem ac ornatum curent, ut lectioni, orationi, Missarum celebrationi, Psalmorum cantui, prædicationi, administrationi Sacramentorum, in locis ab Episcopo sibi commendatis, totos se dedant: Ut Symbolum fidei, Dominicam Orationem, ritus Sacramentorum, Christianæ plebi linguâ vernaculâ exponere studeant: Ut unam in docendo, baptizando ac judicando servent rationem: Ut cantum Ecclesiæ non adulterent, sed simplicem, sanctámque melodiam sectentur: Ne in Ecclesiasticis Officiis ea, quæ propria sunt Episcoporum, agere præsumant.

Presbyterorum officia.

Decimus-tertius, *decimus-quartus*, *decimus quintus*, *decimus-sextus*, & *decimus-septimus*, de Festivitatum, & divinorum Officiorum celebratione decernunt. Ut scilicet uno ab omnibus ritu, in Baptismi Officio, in Missarum celebratione, in canendi modo Festivitates Dominicæ celebrentur, juxta exemplar nempe Romanæ Ecclesiæ: Ut Sanctorum quoque Natalitia per anni circulum statis diebus recolantur, prout sunt in ejusdem Ecclesiæ Martyrologio annotata. Ut Dominicus dies divino tantùm cultui sit dicatus; quo die Abbates & Presbyteri in suis Monasteriis & Ecclesiis maneant, Missarúmque solemnia agant, omissis sæcularibus negotiis, nec eo die se committant itineri; nisi inexcusabilis necessitas urgeat: Ut populus iis diebus ad Ecclesiam sæpius conveniat ad audiendum verbum Dei, Missarúmque Sacramenta, ac doctrinæ sermonibus frequentiùs adsit. Ut septem horæ Canonicæ

Dominicæ dies, & festorum sanctificatio.

vicæ cum psalmodia & cantu convenienti persolvantur: nec aliquid cantetur aut legatur in Monasteriis, quod communis usus non admittit: sed tantùm quod ex Sacrarum Scripturarum auctoritate descendit, & quod Romanæ Ecclesiæ consuetudo permittit. Ut litania major septimo Kal. Maii: & Rogationes tribus ante Ascensionem Domini diebus, cum jejunio usque ad horam nonam, & Missarum celebratione observentur. Ut *Sancti Gregorii Magni* & *Sancti Augustini* Anglorum Apostoli Natalitia ritu solenni celebrentur.

De Jejuniis Quatuor Temporum decernit *Canon decimus octavus* ut ab omnibus uno modo ac ritu, juxta Romanæ Ecclesiæ exemplar, observentur.

Monachorum disciplina.

Canon decimus-nonus Monachos suis Præpositis humiliter subesse jubet, quietam ac regularem vitam agere, dissensiones vitare, pomparicis, more sæcularium, vestibus non indui, sed simplicibus, & proposito suo convenientibus. *Vigesimus* providere statuit Episcopos, ut Monasteria, juxta vocabulum nominis sui, sint honesta silentium, quietorum, atque pro Deo laborantium habitacula; non ludicrarum artium receptacula, id est, Poëtarum, Citharedorum, Musicorum, scurrarum; sed orantium, legentium, Dominúmque laudantium habitationes. Vetat etiam ne interiora Monasteriorum loca sæcularibus pateant. *Nam*, inquit, *satis nociva atque vitiosa consuetudo est, illa laicorum familiaritas, & maximè in Nunnorum minùs regulariter conversantium Monasteriis: quia ob hoc sæpiùs diversarum sive nefandarum suspicionum causa non solùm oriuntur, sed & perpetrantur, ac diffamantur, ad infamiam Professionis nostræ.*

Laïcorum familiaritas vitanda Monachis.

Clericorum & Monachorum sobrietas & abstinentia.

Vigesimus primus ebrietatem ceu mortiferum venenum à Clericis & Monachis vitandam statuit: eorum pura ac sobria convivia esse jubet, non deliciis ac scurrilitatibus mixta: prohibétque ne ante horam canonicam, id est, tertiam diei completam, sive ante meridiem, comedant aut bibant, nisi cogat infirmitas. *Vigesimus-secundus* statuit, ut Clerici & Monachi Communione Corporis & Sanguinis Domini dignos morum innocentia, ac fervore in Dei obsequio continuò se præbeant. *Vigesimus-tertius* laïcos etiam ad frequentem Communionem adhortatur: quam tamen omnibus non permittit aut consulit, sed pueris, *qui necdum lascivientis ætatis corruptelâ sunt vitiati*; & provectioris etiam ætatis Fidelibus, sive cœlibes sint, seu etiam conjugati, *qui peccare desinunt.* Hos admoneri statuit Synodus ut frequenter communicent, *ut salutaris cibi potûsque inopiâ deficiant.*

Frequens Communio quibus permissa?

Canon vigesimus-quartus quempiam ad Monasticæ Regulæ Professionem admitti prohibet, nisi priùs in habitu laïco probatus fuerit. *Vigesimus-quintus* statuit, ut Episcopi à Synodo Provinciali venientes, Presbyterorum, Abbatum, ac Præpositorum indictô Conventu, Synodica Statuta promulgent, ac observari jubeant. Si quid in suis Diœcesibus emendare non quiverint, de eo referant ad Synodum.

Eleemosynæ præceptum & conditiones.

Canon vigesimus-sextus de eleemosynæ utilitate & conditionibus agit. Docet ex sententia Patrum, quotidie eleemosynas erogandas, *Ut delinquentibus, ac deinde per debitum jejunium pœnitentiam agentibus, peccata præterita citiùs ac pleniùs à Deo remittantur*, & ad gratiam obtinendam ne eadem iterentur, & alia perpetrentur. A Justis verò esse erogandas, ut innocentiæ conservationem à Dei clementia faciliùs impetrent, ac bonorum æternorum in cœlis mercedem recipiant, pro temporalium in terris facta largitione. Docet secundò, eleemosynam non esse ex rebus injustè acquisitis faciendam, *quia per hanc magis offenditur quam placatur divina justitia*: cùm scriptum sit Ecclesiastici 24. *Eleemosyna qua fit ex substantia pauperum, quasi qui mactat filium in conspectu patris sui.* Docet tertiò eleemosynas erogandas non esse ut eas erogantibus velut impunè peccare, & corporis voluptatibus indulgere liceat. Hi enim *venalem Dei justitiam ponunt. Et frustra suas tantùm eleemosynas, & non intermixta flagitia, supernum pensare Judicem cæco suo libitu volunt & optant*: Sicque *sua Deo dare videntur, seipsos Diabolo per flagitia dare non dubitantur.* Postremò docet dandam non esse eleemosynam *ad minuendam, vel mutandam satisfactionem per jejunium, & reliqua expiationis opera, à Sacerdote pro suis criminibus jure canonico indictam.... Quia necesse est, ut caro qua nos læta per incontinentiam traxit ad culpam, afflicta per jejunium reducat ad veniam festinanter.*

Psalmodiæ utilitas.

Canon vigesimus-septimus est de divina Psalmodia, quam sic Patres definiunt: *Psalmodia opus divinum spiritu & mente agentibus, magnum est ac multiplex animarum medicamentum suarum.* Cùm pro se, tum pro aliis viventibus, ac defunctis orationes fundere quemquam posse docet. Illis, qui piorum Psalmodiæ & orationibus se commendant, has prodesse, *Si tamen ipsi in expiatione debitâ suorum facinorum, & non in passione consistunt adhuc vitiorum.* Inanem esse illorum confidentiam, qui ita spem suam in Psalmis, orationibus, & jejuniis, quæ Deo pro ipsis ab aliis offeruntur, constituunt, ut ipsi liberiùs peccent, vel minùs jejunent, vel eleemosynas parciùs largiantur. Hos iracundiam Dei provocare, & *ejus justitiam quotidie inter se quasi venalem statuere.*

Quibus prosint aliorum orationes.

Modestia vestium Monachis, & Monialibus præcepta.

Canon vigesimus octavus vetat, ne plures Monachos, aut Moniales, in Monasteriis recipiant Abbates & Abbatissæ, quàm sustentare possint, ac eis necessaria præstare. Prohibet etiam ne Clerici vel Monachi sæculares homines in vestitu imitentur: & ne Sanctimoniales *ornatis ac nitidis vestibus incedant, quibus laica puella uti solent.*

Vigesimus-nonus Clericos, Monachos, & Sanctimoniales apud sæculares commorari prohibet. Trigesimus statuit ut Clerici & Monachi per Canonicas orationum Horas, non solùm pro se, sed etiam pro Regibus, ac Ducibus, totiúsque populi Christiani incolumitate divinam Clementiam exorent.

ARTICULUS V.

De Concilio Vermeriensi. *

Vermeria, vulgò *Verberie*, in Vallesia, ad Isaram fluvium, in Diœcesi Suessionensi.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio, *Pippini* Regis Francorum primo, Vermeriis in pago Suessionensi Concilium celebratum est, in quo Canones viginti & unus editi sunt. In plerisque, qui de matrimonio sunt, prævio culparum examine, quas vel maritus vel uxor commisit, Patres decernunt, utrum vir, si conjugi superstit, aliam ducere; similiter utrum uxor, si viro superstit, alteri legitimè possit nubere.

Summa Canonum.

Impedimenta Matrimonii propria jure ac potestate statuit Ecclesia.

Primus Canon est de conjugiis in tertio & quarto genu sive gradu. Conjunctos in tertio gradu separari jubet, illisque actâ priùs Pœnitentiâ, facultatem tribuit aliis se conjungendi. Tertius quippe gradus consanguinitatis, impedimentum erat dirimens. Conjunctos in quarto gradu, separandos non edicit, sed eis pœnitentiam imponit. Illis verò qui conjungi volunt in quarto gradu, hanc licentiam negat. Consanguinitas scilicet in quarto gradu, matrimonium contrahendum impediebat, sed contractum non dirimebat, ex Ecclesiæ Gallicanæ disciplina. *Secundus Canon* statuit, ut qui cum filiastra sua, seu uxoris suæ filia fornicatus est ab uxore separetur; & ille, & filiastra, nec mutuò, nec cum aliis unquam jungi possint: Uxor verò, quæ non est in reatu, post mariti mortem aliis nubere possit, modò cum eo conjuncta non fuerit,

postquam cognovit eum cum filiastra mœchatum esse. *Canon tertius* vetat ne Presbyter uxorem ducat, sub periculo sui gradûs, & ne relicta Sacerdotis alteri nubat. *Canon quartus* fœminas, quæ sponte velatæ sunt, statuit cogendas ut eo in statu maneant: non quæ invitæ, aut sine virorum consensu. *Quintus* est de eo, cui mortem uxor cum aliis machinata est, Statuit Synodus, ut si unum ex aggressoribus, se defendendo, occidit, idque probare potest, non tantùm ipsi uxorem dimittere liceat, verùm & aliam, si velit, ducere. Quod intelligendum est de potestate aliam ducendi, post mortem ejus quam dimisit, ut constat ex *Reginone*, lib. 2. cap. 118. & *Burchardo* lib. 6. cap. 41. hunc Canonem allegantibus cum hacce clausula: *Ipsa autem insidiatrix pœnitentia subacta, absque spe conjugii maneat.* Discrimen scilicet ponitur inter maritum, qui propulsando aggressorem homicidium fecit, & nefariam mulierem, quæ marito insidiata est. Illi permittitur ut uxore mortua, alteram ducat: isti pœnitentia indicitur, & in pœnam spes conjugii aufertur, etiam post mortem mariti. *Canon sextus*, matrimonium dirimi permittit, cùm quis ancillam duxit pro ingenua, vel cùm ingenua servo nupsit pro ingenuo. *Canon septimus* permittit servo, qui ancillam suam concubinam habuerit ut illâ relictâ, ancillam domini sui ducat uxorem. *Octavus* decernit servum à domino libertate donatum, si postea cum ejus ancilla mœchatur, cogi posse ut illam uxorem habeat.

Canon difficilis de matrimonio in difficultate explicatur

Nonus est de muliere, quæ maritum suum in alium Ducatum vel Provinciam euntem sequi noluit. Hanc innuptam manere jubet Synodus, quandiu vir ejus fuerit superstes. Illi verò, si se continere non potest, aliam uxorem ducere permittit, cum pœnitentia, id est, eâ conditione ut pœnitentiam agat. Facultatem illam ducendi alteram uxorem, concessam interpretatur post mortem illius quæ ipsum sequi noluit, doctissimus *P. le Cointe*: quia scilicet Synodus eò propendet ut secundas ipsi nuptias interdicat, quia suo è patria discessu, seque, suámque uxorem periculo incontinentiæ & adulterii objecit. Sed non videtur is esse Canonis sensus, cùm agat de viro, *qui necessitate inevitabili cogente, in alium Ducatum seu Provinciam fugerit, aut Seniorem suum*, id est, Dominum, *cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit.* Huic igitur vitio verti non potuit profectio, proindéque nec à secundis nuptiis in pœnam prohiberi. Rea autem potiùs erat uxor, *quæ cum valeret, & posset, amore parentum, aut rerum suarum, eum sequi noluerat.* Unde potiùs ipsi imponenda fuisset pœnitentia, & secundæ nuptiæ interdicendæ. Quis ergo sensus Canonis? An quòd aliam uxorem cum pœnitentia accipere possit, eâ superstite, quæ ipsum sequi noluit, cùm è contra illa non possit alium virum ducere, superstite marito, quia aliam in regionem profectus est? Huic sensui suffragari videtur conditio, quam addunt Regino, & Burchardus: *Si nunquam in suam patriam se reversurum sperat.* Si enim in patriam reversurum se speraret, uxorem ibi inveniret, cui posset ac deberet conjungi. Erravit sanè Synodus Vermeriensis, si is Canonis illius sensus est. An potiùs viro, absque illâ suâ culpâ peregrè profectô, secundis nuptiis interdixit mortua uxore quæ ipsum sequi noluerat, cùm deberet, & posset, illásque duntaxat indulgendo permisit, & imposita pœnitentia? Quia mos erat illorum temporum ut quandoque imponeretur pœnitentia & insontibus, in exemplum, ut alii à peccato deterrerentur, verbi gratia, iis qui in bello justo hostea occiderant? Sicque homini in aliam provinciam profecto, etsi *inevitabili necessitate cogente*, secundis nuptia, post mortem uxoris, quæ ipsum sequi nolit, interdixit Synodus Vermeriensis, ne alii similem necessitatem simularent, uxorésque dimitterent?

Canon decimus est de filio, qui cum noverca mœchatus est. Utrique nuptias interdicit; at marito mœchæ licere declarat aliam ducere post ejus mortem, quamvis melius sit continere. *Undecimus* est de eo, qui cum privigna, vel cum uxoris sorore mœchatur; utrisque & mulieribus quibuscum incestum perpetrarunt, nuptias interdicit: prioris verò mœchæ matri, & posterioris sorori, uxoribus insontibus, licere declarat, mortuis viris suis, aliis nubere. *Canon duodecimus* appendix est & major explicatio præcedentis. *Decimus-tertius* eum qui ancillam volens uxorem duxit, semper cum ea permanere jubet. *Decimus-quartus* vetat Presbyteros ab Episcopis vagis ordinari: si ordinatos, si digni sunt, iterum consecrari mandat. Nesciebatur quippe an verè Episcopi essent qui eos ordinarant. *Canon decimus-quintus* Baptismum à Presbytero degradato, urgente necessitate, conferri posse docet. *Decimus-sextus* arma Clericis interdicit. *Decimus-septimus* dirimi docet matrimonium, cùm mulier viri probat impotentiam. *Decimus-octavus* statuit, ut vir qui cum uxoris suæ concubina mœchatus fuerit, nec suæ, nec alteri jungatur: uxor verò innocens faciat quod lubuerit, id est, post mariti mortem, si velit, alteri copuletur. *Decimus-nonus* est de servo & ancilla conjugatis, & per venditionem separatis. Sic eos manere jubet Synodus, & alias nuptias contrahere vetat, si rejungi non possunt. *Vigesimus* decernit, ut Chartellarius, id est, per epistolam seu chartam liber factus, qui cum ancilla manserit, si eam dimiserit, aliámque acceperit, posteriorem dimittat. *Vigesimus-primus* decernit, ut qui uxori suæ permiserit sacrum velum suscipere, aliam ducere non valeat. Ex hac Synodo valida argumenta eruuntur ad confirmandum jus Ecclesiæ in statuendis impedimentis matrimonium dirimentibus.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 195. Edit. primæ, Religiosi Censores nescio quid reprehensioni obnoxium esse significant hac notâ: *Quis sensus Canonis de eunte in partem longinquam, quem uxor sequi non vult? An possit contrahere novum Matrimonium?*

R. Concilii Vermeriensis Canones ibi recenseo. Nonus est de muliere, quæ maritum suum in alium Ducatum vel Provinciam euntem sequi noluit. Hanc innuptam manere jubet Synodus, quamdiu vir ejus superstes fuerit. Ilii verò, si se continere non potest, aliam uxorem ducere permittit, cum pœnitentia, id est, ea conditione ut pœnitentiam agat. De illius Canonis sensu varias opiniones refero, nonnullas conjecturas propono interrogando, non affirmando, meum in re difficili & obscura judicium suspendens. Verùm (inquiebam) si is Canonis illius sensus est, quòd aliam uxorem cum pœnitentia accipere possit, eâ superstite quæ illum sequi noluit, *erravit Synodus Vermeriensis.* Cum Lege scilicet Evangelica pugnat Canon, *si is illius sensus est.* Quid igitur sibi velint Religiosi Censores, cùm ad reprehendum, prorsus non capio.

ARTICULUS VI.

De Concilio Vernensi.

Vernum, vulgò Verneuil, ad Isaram, olim Marchiæ, nunc Ducatus Cenomanensis: de quo Domnus Mabillonius lib. 4. De Re Diplomatica Num. CLII.

CONcilium Vernense in Verno Palatio, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, mense Julio celebratum est. Convocatum fuit à Pippino Rege, illiúsque mandato omnes penè Galliarum Episcopi adfuere, de restauranda disciplina acturi, ut constat ex Concilii Præfatione: *Gloriosissimus atque Deo Religiosus, Illuster Vir Pippinus Rex Francorum, universos pene Galliarum Episcopos aggregari fecit ad Concilium Verno Palatio publico, recuperare aliquantis percupiens instituta Canonica.* Canones ea in Synodo editi sunt viginti-quinque.

Primus

Summa Canonum.

Primus Canon statuit Episcopos per singulas civitates esse, sive prohibet ne plures Episcopatus unus possideat. *Secundus* sancit obedientiam Metropolitanis ab Episcopis ipsorum Provinciæ addictis, secundùm Canones præstandam. *Tertius* jubet mores Clericorum, Regularium, ac Sæcularium, ab Episcopis, in unaquaque Diœcesi corrigi & emendari secundùm Canones, ut sic vivant qualiter Deo vivere possint. *Quartus* duas Synodos annis singulis celebrari decernit, primam Kalendis Martiis, *ubicumque Rex jusserit, in ejus præsentia*: Alteram Kalendis Octobris ad quam Metropolitani convocent Episcopos, & Abbates, seu Presbyteros, quos voluerint. *Quintus* Monasteriorum reformationem, & Monachorum, ac Monialium correctionem, Episcoporum vigilantiæ committit: Qui si Monachos & Moniales ad officium revocare non potuerint, res ad Metropolitani cognitionem deferetur. Si verò nec Metropolitanus id valuerit, Abbates, vel Abbatissæ, Monachi, vel Moniales, Canonicam à Synodo Sententiam excipient. Si parere Synodo contempserint, aut honoribus suis excident, aut excommunicabuntur ab omnibus Episcopis: *Et tales in eorum loco, in ipsa Synodo, constituentur per verbum & voluntatem Domini Regis, vel consensu Servorum Dei, qui secundùm Ordinem Sanctum ipsum gregem regant.*

Monasteriorum reformatio.

Canon sextus Abbatissas duobus Monasteriis præesse vetat, ac extra Monasterium exire, nisi ob incursum hostium; aut nisi à Rege vocentur, & cum Episcopi sui consensu, & celeriter ad Monasterium reverti jubentur. Si in Monasteriis Regularis Disciplina restaurari ob nimiam paupertatem non possit, eâ de re statuit Regem ab Episcopo moneri, *ut in suâ eleemosyna hoc emendari faciat*. Moniales, quæ regulariter vivere noluerint, ab aliis segregari edicit, *donec dignæ probatæ sint quæ in Congregationem recipiantur*. Hæc reformandorum Monasteriorum iis temporibus canonica ratio. *Canon septimus* Baptisteria esse prohibet, nisi in Ecclesiis ubi constituerit Episcopus. *Octavus* Presbyteros absque jussione Episcopi, cujus in Diœcesi versantur, Missas celebrare, vel baptizare vetat, & Synodo illius adesse præcipit: alioqui secundùm Canones judicantor. *Nonus* est de excommunicatione, & scienter cum excommunicatis communicantes interdicit communione. Qui se injustè excommunicatum causabitur, licentiam habeto Metropolitanum appellandi: *illam tamen excommunicationem custodiat*, id est, abstineat à Communione, ab Ecclesiæ ingressu, à Christianorum conviviis & societate, donec absolutus fuerit. Si quis verò Episcoporum judicio parere noluerit, & pœnam canonicam subire, *Regis judicio, exilio condemnetur*.

Disciplina circa excommunicatos.

Canon decimus Monachos peregre proficisci vetat, etiam ad Romanam Sedem, absque licentiâ Abbatis. *Undecimus* statuit, ut Clerici omnes aut in Monasteriis vivant sub Ordine Regulari, aut sub manu Episcopi, sub Ordine Canonico: sin minùs, excommunicatione plectuntor. *Duodecimus* vetat ne Clerici ab Ecclesiis suis ad alias migrent. Qui profugum Clericum susceperit Episcopus, vel laïcus, cum ipso à Communione suspenditor, donec eum suæ restituerit Ecclesiæ. *Decimus tertius* Episcopis vagantibus Ordinationes & Episcopalia quævis ministeria in aliena Diœcesi interdicit, nisi jusserit Episcopus cujus in Diœcesi versantur, sub pœna suspensionis ab Officio.

Diei Dominicæ observatio.

Decimus quartus die Dominico ab omni opere rurali abstinere jubet: scrupulosiorem eorum religionem non probat, qui illicitum putant ea die iter agere cum equis aut curribus, aut cibos parare, vel quæ ad nitorem domûs, vel hominis pertinent, exercere. Id enim ad Judaïcam magis, quàm ad Christianam observantiam pertinere Synodus existimat. Quamobrem statuit, ut quod antea die Dominico fieri licuit, liceat. *Decimus tertius* nuptias publicè celebrari decernit. *Decimus sextus* vetat ne Clerici sæcularia negotia gerant, nisi pro causa Ecclesiarum, orphanorum, vel viduarum, ordinante Episcopo suo, vel Abbate. *Decimus septimus* Interpontificium durare vetat ultra tres menses post mortem Episcopi. *Decimus octavus* prohibet, ne Clerici ad laïcorum Judicum tribunalia causas suas deferant, sine licentia Episcopi sui vel Abbatis, juxta Canones Carthaginenses. *Decimus nonus* immunitates Ecclesiarum salvas esse jubet. *Vigesimus* Ratiocinia Monasteriorum Regi, vel Episcopo reddenda statuit: Regi, si Regalia sint, id est, à Regibus fundata: Episcopo, si Episcopalia, id est, ab Episcopis extructa & dotata. *Vigesimus primus* statuit ut Episcopi singuli Presbyteratus * sibi competentes obtineant. *Vigesimus secundus* teloneos ab iis qui pietatis causâ peregrinantur, exigi vetat. *Vigesimus tertius* edicit ut Comites vel Judices in suis Placitis primò viduarum, orphanorum, vel Ecclesiarum causas judicent. *Vigesimus quartus* vetat nequis per pecunias ad honorem vel gradum Ecclesiasticum promoveatur, quia *Simoniaca hæresis* est.

* Id est, Parochias.

Vigesimus-quintus prohibet ne Episcopi, aliique Judices, munera pro justitia facienda accipiant, *Quia ubi dona intercurrunt, justitia evacuatur*.

ARTICULUS VII.

De Synodo Compendiensi.

Compendium, vulgò Compiegne, Regium Palatium, urbsque in Insula Franciæ, Diœcesis Suessionensis.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo septimo, celebrata est Synodus Compendiensis, cui *Georgius* Episcopus Romanus, id est, Româ missus à *Stephano Tertio* Summo Pontifice, cum *Joanne* Sacellario interfuit. In ea Canones duodeviginti conditi sunt, omnes fere matrimonium spectantes. *Primo Canone* conjuges in quarto consanguinitatis gradu non separantur; in tertio autem vel ex tertio & quarto mixti separantur. *Secundo Canone* idem statuitur de affinibus in tertio gradu, vel in tertio & quarto conjunctis. *Tertio Canone* vir repetere potest uxorem absque suo consensu velatam. *Quartus Canon* declarat, privignam liberam, quæ à vitrico, contra suam, matrisque & parentum voluntatem, viro data est, sive ingenuo sive servo, sive Ecclesiastico, id est, alicui ex infimis Ecclesiæ ministris, vel famulis, posse alteri nubere. *Quintus* irritum-pronuntiat matrimonium, cùm alter conjugum servilis est conditionis, & putabatur liber. *Sextus* est de vassallo, qui relictâ uxore, quam in alterius Beneficio duxerat, alteri apud Seniorem * suum conjungitur: declarat illum secundam posse retinere, quod intelligendum ex hypothesi quòd prior mortua sit. *Septimus* est de viro, qui uxorem quam duxit, à fratre suo corruptam inveniens, alteram ducit, & hac etiam, ob eandem causam relictâ, tertiam accipit. Statuit Synodus tertiam dimittendam, cui liberum erit alteri viro nubere: secundam verò esse uxorem legitimam, quia par erat viri & mulieris conditio, quando conjuncti sunt, nec ipse virgo erat. *Octavus Canon* est de viro, cujus uxor cum ipsius fratre mœchata est. Mœchis interdicitur conjugium in perpetuum: insons verò maritus, *si vult, potestatem habet accipere aliam*. Qui Canon insertus est lib. 5. Capitularium cap. 19. Canon sic exponi potest, ut maritus innocens, uxore adulterâ mortuâ, possit aliam ducere: mulier verò, & frater qui cum ea mœchatus est, conjugium nusquam inire possint. Si alius esset Canonis istius sensus, nempe ut vir innocens, uxore mœcha superstite, posset alteri conjungi, erronea fuisset disciplina; at nondum eliquatâ per Concilii Plenarii Decretum quæstione, aliquatenus excusandus error. *Nonus Canon* baptismum à Presbytero * non baptizato

Summa Canonum.

* Id est, Dominum. Hinc vox Gallica, Seigneur.

* Populari loquendi mo

 zato

da Presbyter appellatur, qui revera Presbyter non est.

zato collatum verbis Evangelicis ratum esse docet. *Decimo Canone* prohibetur patri, qui filii sui sponsam oppressit, quam postea filius accepit, ne alteri nubat unquam: Matrimonium quoque interdicitur mulieri, quia non dixit quòd pater ejus cum ipsa commixtus fuisset. Permittitur autem filio insonti aliam uxorem ducere. *Canon undecimus* mulierem, quæ velum accepit, cùm sui juris esset, in Religiosa Professione permanere jubet. *Duodecimus Canon* virum, qui filiastrum aut filiastram ante Episcopum ad Confirmationem tenuit, ab uxore sua statuit separari, & alteram ducere vetat: similiter & mulierem alteri viro nubere prohibet. *Canon decimus-tertius* fas esse declarat viro, qui uxorem suam in Monasterium ingredi, aut foras Monasterium velari permisit, post ejus mortem alteri nubere: id quoque licere mulieri, cujus vir Monasticam Vitam, ipsa consentiente, amplexus est. *Decimus quartus* est de eo qui cum matre & filia mœchatus est, nesciente matre quòd cum filia, & filia pariter nesciente quòd cum matre sua commixtus fuisset. Hunc, si postea uxorem duxit, ab ea separari jubet Synodus, & ad mortem usque uxore carere, mulieri verò insonti potestatem facit nubendi alteri viro: similiter matri & filiæ dat licentiam accipiendi viros. Si autem incestuosæ copulæ consciæ fuerint, ipsas à maritis, quibus postea sunt conjunctæ, separari decernit, & pœnitentiæ subjici, datâ maritis insontibus alias accipiendi uxores facultate. *Canon decimus-quintus* idem statuit adversùs eum, qui cum una sororum mœchatus, aliam in uxorem duxit: eamdémque formam erga duas illas sorores observari mandat. *Canone* XVI. Mulier sana, quæ viro leproso nupsit, eo consentiente, alteri nubere potest. Idem licet viro sano, qui leprosam habet uxorem. Ad impedimentum impotentiæ revocatur hic casus. *Decimus-septimus* est de muliere quæ negat sibi fuisse cum marito commercium, & maritus contra fuisse affirmat: Synodus decernit assertioni viri standum esse, quia vir caput est mulieris. *Canon decimus-octavus* statuit, ut qui propter faidam in alias regiones fugiunt, dimissis uxoribus, alias non ducant, nec fœminæ dimissæ aliis viris conjungantur. Faidæ nomine gravis inimicitia intelligitur, eaque potissimùm quæ oritur ex homicidio, & per cognationes diffunditur, consanguineis ejus, qui interfectus est ultionem reposcentibus, & consanguineis homicidæ ipsum defendentibus.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 309. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Matrimonium dissolvitur, si vir inveniat uxorem à fratre corruptam, & aliam ducere potest.*

R. Neque id dixi, neque Synodus Compendiensis, cujus ibi Canones recenseo. *Septimus* (inquiebam) *est de viro, qui uxorem quam duxit, à fratre suo corruptam invenit, alteram ducit, & hâc etiam ob eamdem causam relictâ, tertiam accipit. Statuit Synodus tertiam dimittendam, cui liberum erit alteri viro nubere. Secundam verò esse uxorem legitimam, quia par erat viri & mulieris conditio quando conjuncti sunt, nec ipse virgo erat.* Narro quid Concilium decreverit: quæ tunc fuerit Ecclesiæ Gallicanæ Disciplina, expono. Quàm fideliter Concilii Compendiensis sensum expresserim, patet ex collatione dictorum meorum cum ipso Canone, cujus hæc sunt verba: *Si quis uxore accepta invenit eam à fratre suo contaminatam, & ipsam dimittens accepit aliam, ipsámque contaminatam invenit, uxor illius legitima est, propterea quia nec ipse virgo fuit illo tempore. Quòd si tertiam postea acceperit, revertatur ad medianam; & ipsa posterior potestatem habeat alii viro se conjungere.* Sed quamvis notata Propositio mea non sit, stupendum tamen est quòd in Indiculo Censorio notetur, cùm non nescire debuerint Religiosi Censores, affinitatem ex illicita copula in primo & secundo gradu, etiam secundùm præsentem Disciplinam à Concilio Tridentino Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. IV. sancitam, Matrimonium postea contractum dirimere. Ex quo manifestum est, virum qui invenit uxorem à fratre suo ante Matrimonium carnali copula corruptam, ab ea non solùm separari posse, sed debere, quia legitima uxor non est; & aliam ducere posse, si velit, facti veritate coram Tribunali Ecclesiastico probata, & re judicata.

ARTICULUS VIII.

De Synodo Dingolvingensi, in Bojoaria.

En Bavière.

ANno Christi septingentesimo septuagesimo primo, *Tassilonis* Ducis *Bojoariorum* curâ & auctoritate Synodus apud Dingolvingam, congregata est, mense Octobri; cui præter sex Episcopos, & tredecim Abbates, Proceres quoque Bojoarici Ducatûs adfuere, de rebus Politicis acturi. Ideóque ejusdem Synodi Decreta, numero tredecim, partim res Ecclesiasticas spectant, partim civiles. In iis observatione digna sunt singulari, *Sextum*, quô prohibetur, ne quis virum nobilem, qui partem hæreditatis suæ Ecclesiæ Dei dare voluerit, ab ejusmodi proposito revocet. *Nonum*, de causis, propter quas hæreditate suâ quis privari potest. Tres autem statuuntur, scilicet homicidium, injuria Principis, & calumnia. Uxori tamen illius, qui propter aliquod ex his criminibus hæreditate privatur, sua jura servat caput duodecimum. *Undecimo* accusator & accusatus pacificari possunt, antequam pugna, quæ *Vvehadinc* vocatur, permittatur. Erat autem *Vvehadinc*, duellum, quod interposito pignore spondebatur. Legibus in Bojoaria permissum fuit hoc duelli genus. *Decimo-tertio* Episcopi & Abbates Synodo præsentes convenere, ut cùm quis eorum in hac luce migraret, quilibet Episcopus vel Abbas superstes pro defuncto in Ecclesia sua vel Cœnobio centum Missas, & totidem Psalteria cantari juberet: ipse verò triginta Missas celebraret. Pro Presbyteris verò vel Monachis, Episcopus vel Abbas triginta Missas celebrari, & Psalteria totidem recitari curaret.

ARTICULUS IX.

De Concilio Francofordiensi, ad Mœnum.

Francofordia, vulgò Francofort sur le Main, Franconiæ civitas, Diœcesis Moguntinæ.

SYnodus Francofordiensis, in Moguntina Diœcesi anno Christi septingentesimo nonagesimo quarto congregata, cui *Theophylactus* & *Stephanus* Episcopi, Romani Pontificis *Adriani Primi* Legati, cum trecentis circiter Episcopis ex Germania, Gallia, & Italia adfuere. Canones conditi sunt sex & quinquaginta. *Primus* damnat *Elipandum* & *Felicem* Episcopos, qui in Filio Dei adoptionem asserebant. Alter est contra Græcorum Synodum de adorandis imaginibus. Quo de Canone agemus in Dissertatione adversùs veteres ac recentiores Iconomachos. Ceteri disciplinam spectant, quorum breviarium subjicio.

Summa Canonum.

Tertius Canon Francofordiensis est de *Thassilone* quondam Bojoariorum Duce, qui Synodo coram se stitit, veniam fidei *Pippino*, & *Carolo Magno* Regibus fractæ exoraturus. Gratiam ipsi à Rege factam, & beneficentiæ Regiæ erga eum, filiosque illius etiam Monachos, & filias Sanctimoniales, sponsionem ratam habuit Synodus. Post Concilium Francofordiense, in Gemmeticensi Cœnobio piè vixit *Thassilo*. Cujus Elogium Historicum Tomo 2. Sæculi Tertii Benedictini legere potes.

Quartus Canon est de stabili pretio annonæ, cùm privatæ, tum publicæ, quolibet tempore, sive famis, sive abundantiæ. Lex propriè est à *Carolo* Rege lata, & à Synodo accepta. *Statuit Piissimus noster, consentiente sancta Synodo, ut nullus homo, sive Ecclesiasticus, sive laicus sit, unquam cariùs vendat annonam, sive tempore abundantiæ, sive tempore caritatis, quàm modium publicum, & noviter statutum.*

Quintus statuit ut novi denarii ab omnibus ubique recipiantur, transgressoribus, si ingenui sint, mulctam imponit; si servilis conditionis, eos ad flagella damnat.

damnat. Non mirum: Lex enim eſt à ſolo Rege lata coram Synodo, ut patet ex his verbis: *De denariis autem certiſſimè ſciatis noſtrum Edictum. &c.*

Sextus Canon ſtatuit, ut Epiſcopus juſtitias in ſua Diœceſi faciat Abbatibus, Preſbyteris, ceteriſque Clericis, vel etiam aliis; & ut Comites Epiſcoporum Judicio interſint: Caſu verò contumaciæ vel inobedientiæ, cauſa ad Metropolitanum, vel ſi à Metropolitano dirimi aut componi non queat, ad Regem referatur.

Septimus prohibet migrationes Epiſcoporum à ſuis Diœceſibus, & Preſbyterorum ac Diaconorum à ſuis Eccleſiis. *Octavus* ſpectat contentionem obortam de Provinciarum limitibus inter Metropolitanos Viennenſem & Arelatenſem. Lectæ ſunt Epiſtolæ Romanorum Pontificum *Zozimi*, *Leonis*, *Symmachi*, *Gregorii*, decretúmque ut Valentia, Geneva, & Gratianopolis ut antea, ſub Viennenſi Metropoli permanerent. De Tarantaſia verò, quæ Viennæ Metropoli nolebat ampliùs ſubjici; & de Ebreduno & Aquis Sextiis, quæ pleno jure Metropolitico frui optabant, & Arelatenſis Epiſcopi auctoritate penitus eximi, Legatio ad Apoſtolicam Sedem dirigeretur; & quicquid Romanus Pontifex ſtatuiſſet, id obſervaretur.

Controverſia inter Metropolitanos Arelatenſem & Viennenſem compoſita.

Nonus Canon eſt de purgatione & reconciliatione *Petri* Epiſcopi; qui conjurationis adverſùs *Carolum* Regem, ejúſque Regnum à *Pippino* filio nuper initæ particeps dicebatur. Decretum eſt ut juraret cum duobus, aut tribus, ſe hujus criminis purum eſſe. At nemine inventô quô cum juraret, hominem ſuum duellô dimicaturum miſit. (Quod medium eâ ætate, in cauſis dubiis, præviâ Judicum auctoritate adhiberi ſolebat ad explorandam veritatem.) *Petrus* verò coram Deo ſe innocentem eſſe conteſtatus eſt, rogavítque in ſuæ probationem innocentiæ ſuum illum hominem adjuvaret. Exivit autem hic homo ad *Judicium Dei*, id eſt, ad duellum, non ex Synodi cenſurâ, nec ex Regis ordinatione, ſed ſpontaneâ voluntate, ut ait Canon, & fœlici dimicatione declaratus eſt innocens.

Erat Epiſcopus Virodunenſis.

Decimus Canon eſt de *Gerbodi* Epiſcopi depoſitione, qui canonicè ordinatus non fuerat Diaconus ac Preſbyter. Hunc à *Maginardo* Archiepiſcopo Rotomagenſi, *Metropolitano* ſuo, & à *Comprovincialibus Epiſcopis* deponi Synodus jubet.

Is erat Epiſcopus Ebroicenſis.

Canon undecimus ſtatuit, ut Monachi à ſecularibus negotiis & placitis abſtineant. *Duodecimus* vetat, ne Recluſi, niſi ex Epiſcopi & Abbatis approbatione fiant. *Decimus tertius* præcipit, ut Abbas cum ſuis dormiat Monachis, id eſt, in eodem Dormitorio, juxta Regulam S. Benedicti. *Decimus-quartus* prohibet, ne Cellerarii avari in Monaſteriis eligantur. *Decimus-quintus* jubet ut Monaſterium, in quo Sanctorum corpora condita ſunt, Oratorium habeat intra Clauſtrum, in quo peculiare Officium diurnum & nocturnum fiat. *Decimus-ſextus* prohibet, ne pro ſuſcipiendis in Sancto Ordine Fratribus pecunia exigatur. *Decimus-ſeptimus* decernit ut Abbas in Congregatione non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci illius. *Decimus-octavus* prohibet ne Monachus ob deviationem à Regulari Diſciplina cæcetur aut mutiletur. *Decimus-nonus* ingreſſu tabernarum ad bibendum Clericis & Monachis interdicit. *Vigeſimus* Epiſcopum Canones & Regulam ignorare vetat. *Vigeſimus-primus* Dominicam diem à veſpera in veſperam obſervari jubet. *Viceſimus-ſecundus* Epiſcopos in villis & vicis prohibet ordinari. *Viceſimus-tertius* ſervos alienos à nemine ſuſcipiendos, nec ſine dominorum licentiâ decernit ordinandos. *Viceſimus-quartus* Clericos & Monachos in ſuo propoſito permanere præcipit. *Viceſimus-quintus* ſtatuit, ut decimas & nonas Eccleſiæ ſolvant, qui debent, & omnes decimam de ſua proprietate. *Viceſimus-ſextus*, ut Eccleſiæ per eos reſtaurentur, qui beneficia habent, & ut res inde ablatæ reſtituantur. *Viceſimus-ſeptimus*, ut Clerici de una in aliam Eccleſiam non tranſmigrent, neque recipiantur ſine conſcientiâ Epiſcopi, & literis commendatitiis. *Viceſimus octavus*, ne Clerici ulli abſolutè ordinentur, id eſt, abſque deputatione ad certam Eccleſiam. *Viceſimus-nonus*, ut Epiſcopus ſibi ſubditos bene edoceat & inſtruat.

Monaſtica Diſciplina.

Ordinationes ad certam Eccleſiam.

Triceſimus ſtatuit, ut cùm inter Clericum & Laïcum orta fuerit altercatio, Epiſcopus & Comes ſimul conveniant, & unanimiter inter eos cauſam definiant. *Triceſimus-primus* cavet ne conjurationes fiant, ortas comprimi jubet. *Triceſimus-ſecundus*, ut Monaſteria ſecundùm canonicam inſtitutionem ordinentur. *Triceſimus tertius*, ut Fides Catholica ſanctæ Trinitatis, & Oratio Dominica, atque Symbolum fidei, omnibus prædicetur, & tradatur. *Triceſimus-quartus*, eſt de avaritia & cupiditate calcanda. *Triceſimus-quintus*, de hoſpitalitate ſectanda. *Triceſimus-ſextus* criminoſos ab accuſatione Epiſcoporum, aut majorum natu excludit. *Triceſimus ſeptimus*, eſt de reconciliatione tempore neceſſitatis. *Triceſimus-octavus* Preſbyteros qui contra Epiſcopos ſuos contumaces fuerint, admitti vetat in communionem à Clericis Palatinis. *Triceſimus-nonus* cauſam criminalem Preſbyteri ab Epiſcopo judicari decernit; aut, ſi ad tribunal Epiſcopi finiri non potuerit, ad univerſale Concilium deferri.

Cauſa criminalis Preſbyteri à quo judicanda?

Quadrageſimus puellas parentibus orbatas gravioribus fœminis commendari ſtatuit, ſub Epiſcoporum & Preſbyterorum providentia. *Quadrageſimus-primus* eſt de reſidentia, & hæreditate Epiſcoporum. Quoad primum caput, vetat ne extra ſuam Eccleſiam ultra tres hebdomadas maneant. Quoad ſecundum, res ab Epiſcopis, poſt eorum Ordinationem acquiſitas, ad hæredes tranſire vetat. *Quadrageſimus-ſecundus* eos duntaxat in Eccleſia Sancto colendos ſtatuit, qui ex auctoritate paſſionum, & vitæ merito electi ſunt. *Quadrageſimus-tertius* arbores & lucos, & omnes Paganæ ſuperſtitionis reliquias deſtrui præcipit. *Quadrageſimus quartus* mandat ut electi ab utraque parte Judices non ſpernantur. *Quadrageſimus-quintus* vetat ne parvuli jurare cogantur, ſicut Gunthadingi faciunt, id eſt, qui Gundebada Lege, ſeu Lege Burgundionum à *Gundebado* quondam Rege latâ utuntur. *Quadrageſimus-ſextus* Canones ſancit obſervandos circa tempus velandarum Virginum. *Quadrageſimus-ſeptimus* ſtatuit, ut Epiſcopi de Abbatiſſis, quæ ſecundùm Canones & Regulam non vivunt, quæſtionem habeant & Regi denuntient, ut honore priventur. *Quadrageſimus octavus* oblationes, quæ in Eccleſia, vel in uſus pauperum fiunt, ad nutum Epiſcopi diſpenſandas edicit. *Quadrageſimus-nonus* eſt de Presbyteris ante trigeſimum ætatis annum non ordinandis.

Reſidentia, & hereditas Epiſcoporum.

Ordinandorum ætas.

Quinquageſimus ſtatuit ut confectis Sacris Myſteriis, omnes ſibi invicem pacem præbeant. *Quinquageſimus primus* eſt de offerentium nominibus ante oblationem non recitandis. *Quinquageſimus-ſecundus* Deum in omni lingua docet orandum. De privatis Fidelium orationibus, non de Liturgia, aut Eccleſiaſticis Officiis ſtatuit. *Ut nullus*, inquit, *credat, quod non niſi in tribus linguis Deus orandus ſit; quia in omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur, ſi juſta petierit.*

Deus in omni lingua orandus.

Quinquageſimus-tertius decernit, ut nulli Epiſcoporum & Sacerdotum liceat ſacros Canones ignorare. *Quinquageſimus-quartus* Eccleſias ab ingenuis conſtructas tradi aut vendi permittit, modò non deſtruantur, nec in uſus profanos convertantur.

Quinquageſimus-quintus eſt de *Hildebaldo*, ſiva *Hildebeldo* Archiepiſcopo Colonienſi, & Archicapellano, pro quo diſpenſationem de reſidentia Rex ab *Hadriano*

Romanus Pontifex de Reſidentia cum Archiepiſcopo diſpenſat.

Hadriano Pontifice postulaverat, obtinueratque; sicut antea pro *Angilramno* Episcopo Metensi, ut in Aula assiduè versaretur *propter utilitates Ecclesiasticas*. Eam dispensationem Synodus, rogante Rege, acceptam habuit. Quamquam Synodi consensus necessarius non esset, ut Apostolicâ gratiâ Rex, & Archicapellanus ejus fruerentur; nisi forsan examini Synodi rationes istius dispensationis Pontifex permisisset. *Quinquagesimo-sexto* Alcuinus in consortium Patrum receptus est, sive orationum ab iis particeps factus, cùm Rex ipsum Synodo commendâsset ceu virum in Ecclesiasticis Doctrinis eruditum.

SCHOLION.

In hoc Articulo Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem in Indiculo suo notant pag. 312. Edit. primæ: *Dispensationes datæ à Papa sunt examinandæ in Concilio Provinciali cujus consensus requiritur.*

R. Hæc Propositio non est mea. Contrarium omnino assero ejus quod mihi affingunt. Concilii scilicet Francofordiensis Canones recensens, ita scribo: *Quinquagesimus-quintus est de Hildebaldo sive Hildeboldo Archiepiscopo Coloniensi & Archicapellano, pro quo dispensationem de Residentia Rex ab Hadriano Pontifice postulaverat, obtinueratque ut in Aula assiduè versaretur propter utilitates Ecclesiasticas. Eam Dispensationem Synodus rogante Rege acceptam habuit.* QUAMQUAM, inquiebam, CONSENSUS SYNODI NECESSARIUS NON ESSET UT APOSTOLICA GRATIA REX ET ARCHICAPELLANUS EJUS FRUERENTUR; *nisi forsan examini Synodi rationes ejus Dispensationis Pontifex permisisset.* Canonis Francofordiensis sensum expressi, cujus hæc sunt verba: *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, se à Sede Apostolica, id est, ab Hadriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem Synodum, ut eo modo sicuti Angilramnum habuerat, ita etiam Hildebaldum Episcopum habere debuisset, quia & de eodem, sicut & de Angilramno, Apostolicam licentiam habeat.* OMNIS SYNODUS CONSENSIT, ET PLACUIT EIS EUM IN PALATIO ESSE DEBERE PROPTER UTILITATES ECCLESIASTICAS. Hæc Synodus Francofordiensis.

ARTICULUS DECIMUS.

De Synodo Forojuliensi. *

Frioli. Carnorum orbe Venetæ ditionis.

ANte Synodum Francofordiensem, anno scilicet septingentesimo-nonagesimo-primo, ut existimamus, vel post, nempe anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto, ut vult P. *le Conte* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, congregata est Synodus Forojuliensis à *Paulino* Patriarcha, in quâ *Felicis Urgellitani* hæresi, de Christi adoptione, damnatâ, quatuordecim Canones, Disciplinam Ecclesiasticam spectantes, sanciti sunt.

Summa Canonum.

Primus Simoniam prohibet. *Secundus* docet vitam Pastorum longè præcellere debere vitæ gregis; ut qui sint *Sal terræ*, & *Lux mundi*: & de quibus dictum est: *Luceat lux vestra coram hominibus*, &c. *Hinc enim colligi potest*, inquit Synodus, *in quantum distare debet Pastor à grege, dum istos homines, & illos plusquam homines, id est, lucem hominum, Dominus voluit appellari.*

Pastorum virtus præcellens.

Tertius Clericos ebriosos insectatur, & ni resipiscant, deponendos decernit, secundùm Canones. *Quartus* cujuscumque mulieris cohabitationem Clericis interdicit, ne matre quidem & sororibus exceptis, ut ab iis penitus amoveatur omnis impudicitiæ suspicio, quæ ex aliarum ad illas accessu oriri posset. *Quintus* vetat ne Clerici sæcularibus negotiis se implicent. *Sextus* præcipit ut Clerici mundanas dignitates, venationes, omnémque resolutam, & immoderatam lætitiam, quæ ex lyris, tibiis, similibúsque lusibus, & sæcularibus canticis capiatur, respuant. *Septimus* Presbyterum, Diaconum, aut Archimandritam è suo dejici gradu prohibet, inconsulto Patriarcha Forojuliensi.

Vita & honestas Clericorum.

Octavus Canon est de illicitis connubiis inter consanguineos & affines, quæ ut vigilantiùs caveantur,

Matrimonia clandestina prohibentur.

decernit Synodus, ut nemini liceat furtim raptímque nuptias contrahere: Sed præmissis pactis sponsalibus, & aliqua dilationis mora intercedente; interrogatis etiam diligenter vicinis vel majoribus natu loci illius, qui possint scire lineam generationum utriusque, sponsi scilicet ac sponsæ; & ut sine notitia Sacerdotis plebis illius nullatenus fiat. Cùm verò hoc ordine contracta fuerint matrimonia, & postea recordati fuerint conjuges se consanguineos aut affines esse, aut veraci aliorum testimonio id probatum fuerit, & in eo consanguinitatis aut affinitatis gradu conjuncti fuerint, ut separari eos jubeant Canones; separentur, & agant Pœnitentiam, &, si fieri potest, perseverent utrique innupti. Filii verò ex tali matrimonio bona fide contracto procreati, legitime habeantur ad hæreditatem defuncti capiendam. Ii autem, qui se compertâ cognatione vel affinitate matrimonium dirimente, non separaverint, excommunicatione & pœnitentia plectuntur, à secundis nuptiis omnino prohibentur, & filii ex incesto conjugio nati declarantur illegitimi, & excluduntur ab hæreditate.

Nonus vetat, ne puer vel puella ante annos pubertatis, matrimonio socientur, vel ætate impares, sed coætanei, sibíque consentientes. Qui contra Canonem aliquos conjunxerit, ab omni Ecclesiastico gradu alienus, nec à publicis judiciis immunis esto. Ratio decreti est, quia cùm maritus adultus est, & uxor parvula, & è contra uxor maturæ ætatis, & maritus teneræ, & per virum cognata & socrus sæpe deprehenduntur adulteræ, & per puellam pater vel frater mariti in tantum flagitium prolabuntur.

Decimus Canon vetat, ne vir, qui conjugem propter fornicationem dimisit, aliam uxorem ducat; adulterâ superstite; talique mulieri, si marito superstes vivat, spes omnis secundarum adimitur nuptiarum, in pœnam criminis. Hic Canon matrimonium, nec fornicationis causâ, dirimi posse docet: ac verba Christi ad solam licentiam dimittendi uxorem adulteram, non verò ducendi aliam, illâ superstite, referri. Quod *S. Hieronymi* testimonio confirmat, in Commentario Capitis decimi-noni *S. Mathæi.*

Matrimonium nec fornicationis causa dirimi potest.

Undecimus Virginibus aut Viduis, quæ in proposito virginitatis aut continentiæ non perseveraverint, quamvis non fuerint à Sacerdote sacratæ, Communione interdicit usque ad obitum, & à viris, quibuscum fœderatæ fuerint, etiam matrimonii nomine, separatas, perpetuam pariter agere pœnitentiam jubet. Ut autem his malis medeatur, Synodus vetat ne quis absque sui Episcopi licentia puellis aut viduis habitum mutet.

Pœna Virginum & Viduarum Sanctum Propositum seu votum violantium.

Canon duodecimus aditum puellarium Monasteriorum viris quibuscumque prohibet, etiam Presbyteris, & Archimandritis, quasi visitationis, vel prædicationis causâ, sine permisso Episcopi civitatis; imò & ipsi Episcopo absque Sacerdotibus vel Clericis suis. Si quis verò alienus ab illicita suspicione, & quem morum gravitas ornat, permittente Episcopo, exhortationis vel ædificationis obtentu Parthenones adierit, jubet Synodus ut cum testibus pergat, *ne propter incautam præsumptionem, Sanctæ Ecclesiæ Angelicus Ordo infametur.* Idem Canon Abbatissas & Moniales egressu Monasteriorum interdicit, ne quidem ipsis permissâ peregrinatione ad limina Apostolorum.

Clericis & Monachis aditus ad Sanctimonialium Monasteria, absque Episcoporum permissu prohibetur.

Canon decimus-tertius præclara docet de diei Dominicæ observantia, mirabilia commemorans, quæ Deus illa die operatus est. Jubet itaque Christianis omnibus Sanctam illam diem à noctis initio cum omni reverentia & honorifica Religione venerari: *Abstinere primùm omnium ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam à propriis conjugibus, & ab omni opere terreno, & ad nihil aliud vacare, nisi ad orationem, concurrere ad Ecclesiam cum summa mentis devotione, cessante omni causarum strepitu,*

Diei Dominicæ observantia.

Ab omni opere terreno, præcipuè verò à peccato, & ab opere carnali, Dominicis diebus abstinendum.

cum

cum caritate & dilectione benedicere Deum Patrem, & laudare totis medullis cordis unigenitum Dei Filium qui istam diem per gloriosam suam sanctificavit Resurrectionem, &c. Istud esse *Sabbathum Domini delicatum*, de quo Scriptura dicit: *Qui fecerit in eo opus servile*, id est, peccati, *morte moriatur*. Similiter præcipuas Festivitates celebrandas Patres sanxêre. Denique eô Canone Sacerdotes admonentur, ut verbo & exemplo populis præluceant.

Canon decimus-quartus est de primitiis & decimis solvendis. Quæ obligatio multis Scripturæ Sacræ testimoniis demonstratur.

SCHOLION.

In hoc Articulo pag. 315. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Vota simplicia irritare videntur Matrimonia.*

R. Hæc Propositio non est mea. De votis simplicibus, vel de hodierna disciplina, ne verbum quidem ullum ibi habeo. Canones Synodi Forojuliensis simpliciter recensens, ita scripsi: *Undecimus Virginibus aut Viduis, quæ in Proposito Virginitatis aut continentiæ non perseveraverint, quamvis non fuerint à Sacerdote Sacratæ, Communionem interdicit usque ad obitum, & à viris quibuscum fœdata fuerant, etiam Matrimonii nomine separatas, perpetuam pariter pœnitentiam agere jubet.* Concilii Forojuliensis sensum à me fideliter expressum ostendit verborum meorum collatio cum laudato Canone, cujus hæc sunt verba: *Item placuit de feminis cujuscumque conditionis, puellis scilicet vel Viduis, quæ virginitatis sive continentiæ Propositum spontaneè pollicentes, Deo emancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem, quasi Religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, induta fuerint, licet non sint à Sacerdote sacratæ, in hoc tamen Proposito eas perpetim perseverare mandamus. Si verò postea sese sive clanculò corruperint, seu publicè nupserint, digna quidem mundano, Judicio corporalibus coercitæ vindictis, segregentur ab invicem & agant cunctis diebus vitæ suæ Pœnitentiam, & à Communione Corporis & Sanguinis Christi priventur.* Hæc Synodus Forojuliensis.

CAPUT V.

De Politia Ecclesiastica Sæculi VIII.

ARTICULUS I.

De Primatibus & Metropolitanis.

PRIMA Regum Christianissimorum Dynastiâ ad exitum vergente, cùm Francia bellis civilibus turbata esset, maxima facta est Ecclesiasticæ Politiæ inclinatio. Extincta est Primatum dignitas. Synodi Nationales celebrari desierunt, Episcopatus vel Clericis in libidinem & luxum effusis, vel Laïcis avaris collati sunt. Fœdam illam disciplinæ prolapsionem describit Sanctus Bonifacius Germaniæ Apostolus in Epistola ad *Zachariam* Romanum Pontificem. *Franci, ut Seniores dicunt, plus quam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt; nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modò autem maximâ ex parte per civitates Episcopales Sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus, & publicanis, sæculariter ad perfruendum.* His malis ut remedium afferretur, Summi Pontifices *Gregorius II. Gregorius III. & Zacharias: Bonifacio* Legationem Apostolicam per Gallias & Germaniam imposuerunt; quod ille munus per annos viginti quinque obiit, nondum ulli Sedi addictus, ut *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis testatur *Epistola 6 cap. 19.* Tandem *Zacharias* Papa ipsum Ecclesiæ Moguntinæ Metropolitanum constituit, cum jure Primatûs in omnes Germaniæ & Galliæ Episcopos. Quo nomine Synodos ex utriusque gentis Præsulibus convocavit. Ecclesiis Rotomagensi, Remensi, Senonensi, Metropolitanos ordinavit, illisque Pallium [illegible] à Summo Pontifice, ut ex Epistolis *Bonifacii*, *Zachariæ* Papæ, & ex Historia Remensi *Flodoardi*, *lib. 2. cap. 16.* compertum est. Primatus Germaniæ collatus fuit non tantùm personæ *S. Bonifacii*, sed Ecclesiæ Moguntinæ, & ad *Bonifacii* Successores transmissus est. At Primatus ejus in Ecclesias Gallicanas personale Privilegium fuit, & ad tempus collatum, nec transiit ad ejus Successores. Hinc Metropolitani à *Bonifacio* in Galliis ordinati, quodam modo Primates evaserunt sive Autocephali, hoc ipso quò Pallio donati sunt à *Zacharia*, quò tunc soli Primates donabantur. Ad hunc autem Primatum ordinem pertinent, qui etsi nullos habeant sub se Metropolitanos, ipsi tamen in Ecclesia subjiciuntur nemini, nisi Summo Pontifici. De quibus *Hincmarus* in Opusculo quinquaginta quinque Capitum, cap decimosexto ita scribit: *Quibus Canonum Decretis & Sedis Romanæ sententiis claret, eosdem Metropolitanos Primates esse singulos singularum Provinciarum, qui ex antiqua consuetudine, & Apostolica Traditione, & convocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à Provincialibus, sine cujusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas Provincias queunt, &c. Illis autem Archiepiscopi, vel Metropolitani, qui hæc sine consultu Primatis non possint exequi, Archiepiscopi tamen, vel Metropolitani habentur.*

S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus Germaniæ Primas creatus.

At *Primatum* nomen à quibusvis Metropolitanis assumi vetuit; illis proprium esse sanxit *Carolus Magnus*, quibus Sedis Apostolicæ vices demandatæ essent, ut habetur lib. septimo Capitularium: capite tercentesimo tricesimo sexto. *Ne alii Metropolitani appellantur Primates, nisi illi qui Primas Sedes tenent, & quos sancti Patres Synodali & Apostolica Auctoritate Primates esse decreverunt, Reliqui verò qui alias Metropolitanas Sedes sunt adepti, non Primates, sed Metropolitani vocentur.*

Nulli in Galliis Primates propriè dicti tempore Concilii Francofordiensis.

Nullos fuisse in Galliis Primates propriè dictos tempore Concilii Francofordiensis, colligitur ex Canone sexto, quô Rex edicit ut ad suum tribunal deferantur negotia, quæ à Metropolitanis finiri non potuerint. *Et si aliquid est*, inquit, *quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato, cum literis Metropolitani, ut sciamus veritatem rei.* Sanè si tunc fuissent Primates Metropolitanis superiores, ad ipsos à Metropolitanorum judicio fuisset appellatum. Attamen *Adrianus I.* Metropolitanum Remensem *Tilpinum* * Primatem illius Diœcesis vocavit: * quòd in solâ subjectione Romani Pontificis permanens, Diœcesim Remensem gubernaret Metropolitanorum auctoritas Canonibus & Legibus Principum hoc sæculo firmata est. Concilium Suessionense *Canone 3*, testatur Episcopos per civitates ordinatos sub Archiepiscopis *Abele & Ardoberto, ut ad judicia de rerum omni necessitate Ecclesiast ea recurrant tam Episcopi, quàm alius populus.* Zacharias Papa in Responsione ad Capitula de quibus interrogaverat *Pippinus* Majordomus Francorum, Metropolitanorum honorem, & jurisdictionem in omnes Episcopos Provinciæ, quæ in eo posita est ut absque eorum licentiâ nihil agant, nisi quæ ad suam Diœcesim pertinent, confirmat prolatô Canone vicesimo quinto Apostolorum, Canone nono Concilii Antiocheni, & Decreto *S. Leonis*. S. Bonifacius Epistola 105. ad *Cadbertum*, quæ ipsum de Synodi à se celebratæ Decretis certiorem facit: *Decrevimus*, inquit, *ut Metropolitanus, qui sit Pallio sublimatus, hortetur cæteros, & admoneat, & investiget quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisque negligens servus Dei.* Et infra: *Statuimus quod proprium sit Metropolitano, juxta Canonum statuta, subjectorum sibi Episcoporum investigare*

* Apud Flodoard lib. 2. Histor. Remensis cap. 17.

* Metropolitanorum auctoritas.

investigare mores, & sollicitudinem circa populos, quales sint... Unusquisque Episcopus, si quid in sua Diœcesi corrigere vel emendare nequiverit, ibidem in Synodo coram Archiepiscopo, & palam omnibus ad corrigendum insinuet, eodem modo quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum sacramento constrinxit, ut si Sacerdotes vel plebes Dei à lege Dei deviasse viderim, & corrigere non potuerim, fideliter semper Sedi Apostolicæ, & Vicario S. Petri ad emendandum indicaverim. Sic enim omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere: & sic alieni fient à sanguine animarum perditarum.

Concilium Vernense *Canone* 2. statuit ut Episcopis Metropolitanorum vice constitutis, *cæteri Episcopi in omnibus, secundùm Canonicam institutionem, obediant.* Canon tertius, Synodi Provincialis convocationem Metropolitanis asserit.

Hadrianus Primus in Epistola ad *Tilpinum* Remensem Archiepiscopum: *Confirmamus Remensem Ecclesiam, sicut & antiquitus fuit, Metropolim permansuram*, &c. *Sicut sacra docet auctoritas, & in Synodis Provincialibus convocandis & faciendis, & in Ordinationibus ac dijudicationibus, Remensis Ecclesia, & Archiepiscopus qui in ea constitutus fuerit, talem habeat autoritatem, sicut sacri Canones, & hujus sanctæ Ecclesiæ Constitutiones docent.*

Capitulare Aquisgranense *Caroli Magni*, cap. 7. statuit *Ut ad Metropolitanum Episcopum Suffraganei respiciant, & nihil novi audeant facere in suis Parochiis sine conscientia & consilio sui Metropolitani, nec Metropolitanus sine eorum consilio.* Subjicit Canonem nonum Antiochenæ Synodi, quo Metropolitanorum honos & jurisdictio confirmatur. Et Cap. decimo-tertio, decernitur executio Canonis Antiocheni vicesimi, & Chalcedonensis decimi-noni, quibus sancitum est: *Ut Provinciales Episcopi, cum suo Metropolitano, bis in anno, propter causas Ecclesiæ Concilia celebrent.*

ARTICULUS II.

De Episcopis.

Novorum Episcopatuum institutio à Romano Pontifice.

1. IN Provinciis recèns ad Christum conversis, novi Episcopatus autoritate Romani Pontificis instituebantur. Sic *Gregorius Tertius* Summus Pontifex Bonifacio Moguntino Archiepiscopo à se creato suoque per Germaniam Legato, in mandatis dedit, ut ubi multitudo creverat Fidelium, *ex vigore Apostolicæ Sedis* ordinaret Episcopos. Et ad Duces, plebèmque Germaniæ scripsit, ut Episcopos, quos Bonifacius *per Apostolicam sibi datam Auctoritatem ordinasset*, in Ecclesiæ ministerio reciperent. (Epistola 6.) Cùm in Bojoariam se contulisset *Bonifacius*, ibique unicum reperisset Episcopum, à Summo Pontifice antea ordinatum, tres alios Episcopos consecravit, & Provinciam in quatuor Episcopatus divisit, Salisburgensem, Frisingensem, Ratisponensem, & Pataviensem, *Odilone* Duce consentiente. Quod *Gregorius Tertius* confirmavit datâ ad *Bonifacium* Epistola, anno salutis septingentesimo tricesimo-nono. Idem *Bonifacius* trium Episcopatuum à se in Germania institutorum, scilicet Virceburgensis, Birburgensis, & Hersordiensis confirmationem à *Zacharia* Summo Pontifice postulavit, obtinuitque anno septingentesimo quadragesimo-tertio. *S. Vvillibrordum* Frisonum Apostolum, rogante *Pippino* Principe, *Sergius* Papa Trajectensem Episcopum constituit, & ordinavit, ut referunt *Beda* Lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap. 7. & *Alcuinus* in Vita *S. Vvillibrordi*.

Episcoporum electio.

II Episcopi à Comprovincialibus Episcopis eligebantur: hinc impium Imperatorem *Constantinum Copronymum* Acta *S. Stephani Junioris* meritò arguunt, quòd cuidam Presbytero suæ hæreseos consorti Ecclesiæ Constantinopolitanæ sacram Præfecturam commiserit, *Non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique canonico suffragio atque decreto, sed tyrannicâ potiùs potestate.* Nicæna secunda Synodus, Oecumenica VII. universam electionum sacrarum potestatem penes Episcopos esse sanxit * eosque deponi, qui tyrannide Principum intrusi essent. *Omnis electio*, inquit, *à Principibus facta, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, irrita maneat, secundùm Regulam quæ dicit: Si quis Episcopus sæcularibus Potestatibus usus, Ecclesiam per ipsus obtineat, deponatur, & segregentur omnes qui illi communicant. Oportet enim ut qui provehendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur, quemadmodum à SS. Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, in Regulam * definitum est, quæ dicit: Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari.*

Canone 7.

Nicænæ Synodi Can. 4.

Octavo Sæculo, Francorum Principes Episcopos constituerunt de consilio Sacerdotum, & Optimatum, ad Ecclesiasticæ Disciplinæ dudum in Galliis collapsæ reparationem operam navantes. Cùm enim Episcopatus plurimi à Laicis tenerentur, Principum autoritate opus erat, ut iis pulsis à Beneficiorum possessione, legitimi crearentur Antistites. Hinc *Carolomannus* in Synodo Germanica, anno septingentesimo quadragesimo-secundo celebratâ, Canone primo, testatur *se per civitates ordinasse Episcopos per consilium Sacerdotum & Optimatum suorum, & super eos constituisse Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus S. Petri.* Sic *Pipinus* in Synodo Suessionensi, anno Christi septingentesimo quadragesimo-quinto profitetur se constituisse Episcopos *per consilium Sacerdotum, & Optimatum, & super eos Archiepiscopum * Abel*, Hæc spectabat *Lupus Ferrariensis* Abbas Epistola octogesimâ-primâ scribens: *Pipinus à quo per Maximum Carolum & Religiosissimum Ludovicum Imperatores duxit Rex noster originem, expositâ necessitate hujus Regni Zacharia Romano Papa, in Synodo cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis, industriâ sibi probatissimorum, decedentibus Episcopis, mederetur.*

Remensem.

Carolus Magnus Adriani I. Summi Pontificis monitis sanctissimis institutus, liberas Episcoporum electiones esse voluit. Sic ad ipsum scribebat laudatus Pontifex anno septingentesimo octogesimo-quarto. *Nunquam nos in qualibet electione invenimus, nec invenire habemus: Sed neque vestram Excellentiam optamus in talem rem incumbere. Sed qualis à Clero & Plebe... electus canonicè fuerit, & nihil sit quod sacro obsit Ordini, solitâ traditione illum ordinamus* &c. Et in altera Epistola ad eumdem Regem datâ anno septingentesimo octogesimo-octavo. *Nos*, inquit, *nullo modo meminimus, neque à Prædecessoribus nostris Sanctis Pontificibus, neque à sanctæ recordationis præcellentissimo genitore vestro Domino Pippino magno Rege, neque à vestra in triumphis Regali Victoria, Missum ad electionem Ravennæ directum esse, tam in electione Joannis Archiepiscopi, quam in electione Gratiosi ejusdem. Sed dum de hac luce contigisset migrare Archiepiscopum, olitanâ traditione Clerus & Plebs consistens Sedis Apostolicæ petebant immutilatam doctrinam: quatenus unâ concordiâ, unâ eademque voluntate, unóque consilio conglobati, Apostolicam suscipientes admonitionem, talem sibi eligerent Pastorem, qui nec à sacris Canonibus respueretur, nec ullo extra Capitulo posset obsistere: qui cum jucunditate Decreti omnium manuum subscriptione roborati ad nostram Apostolicam Sedem occurrebant, proprium sibi Antistitem consecrandum, sicut & nunc canonicè factum est, petentes.* Hæc in

Ecclesia

Tom. 2. Concil. Galliæ p. 95. & seq.

Ecclesia Romana vigebat disciplina. Unde & *Stephanus Quartus*, cum Episcopos à *Constantino* Antipapa consecratos exauctoralset, cum Synodo decrevit, ut *Si placabiles fuissent coram populo civitatis sua, denuò facto Decreto electionis, more solitò, cum Clero & plebe ad Apostolicam advenissent Sedem, Benedictionis susciperent consecrationem.* (Ex Anastasio Bibliothecario in Vita *Stephani Quarti.*)

Confirmatio à Metropolitana.

III. A Metropolitanis examine prævio, confirmabantur Episcoporum electiones: examen autem fiebat de scientia & moribus Electorum, ut constat ex Canone secundo Septimæ Synodi, cujus hæc sunt verba: *Inquiratur diligenter à Metropolita, si in promptu habeat legere scrutabiliter, & non transitoriè, tum sacros Canones, & sanctum Evangelium, quàm divini Apostoli librum, & omnem divinam Scripturam, atque secundum Dei mandata conversari, & docere populum sibi commissum.* Idem observatum in Occidente, secundùm disciplinam præcedentibus sæculis jam vigentem. Confirmatio quidem Electionum ad Romanum Pontificem jure pertinebat, eo tamen non utebatur per Occidentem totum, sed in Ecclesiis duntaxat suburbicariis, secundùm morem priorum seculorum: tum ut Metropolitanorum dignitati majorem conciliaret apud subditos reverentiam; tum ut Consuetudines antiquas Ecclesiarum servaret; tum ne gravarentur itinere prolixiori seu navigatione diuturna & incommodâ, quæ Romam suscipienda esset. Hanc postremam rationem attenderat *Honorius Primus*, cùm ambobus Angliæ Metropolitanis, Cantuariensi, & Eboracensi confirmaret Privilegium à S. *Gregorio Magno* concessum, ut qui alteri esset superstes, successorem post ejus obitum consecraret. *Is qui superest*, inquit, *consors ejusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi, in locum ejus qui transierat, Sacerdotem: ne sit necesse pro ordinando Episcopo ad Romanam usque civitatem fatigari, per tam prolixa terrarum & maris spatia.*

Jure confirmandi Episcopos non utebatur Romanus Pontifex per totum Occidentem.

Apud Bedam.

Sacramentum quo Episcopi fidem suam adstringebant Romano Pontifici.

IV. *S. Bonifacius* Germanorum Apostolus fidem suam Sedi Apostolicæ solenni sacramento obstrinxit, cùm à *Gregorio II.* ordinatus est, omnésque Episcopos Legationi suæ subditos ad idem præstandum invitavit. Sacramenti à *Bonifacio* præstiti Indolus habetur inter Epistolas *Gregorii Secundi*, & his verbis conceptus est: *Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus tibi Beato Petro Apostolorum Principi, Vicarióque tuo Beato Gregorio Papæ, & Successoribus ejus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ Fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in quâ omnis Christianissimorum salus sine dubio esse comprobatur, & nullo modo contra unitatem communis & universalis Ecclesiæ suadenti cuipiam consentire: Sed, ut dixi, fidem & puritatem meam, atque concursum tibi ac utilitatibus Ecclesiæ tuæ, cui à Domino Deo data est potestas ligandi, solvendique, & prædicto Vicario tuo, atque Successoribus ejus per omnia exhibere. Sed & si cognovero Antistites contra instituta antiqua SS. Patrum conversari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem: Sed magis, si valuero prohibere, prohibebo; sin minus, fideliter statim Domino meo Apostolico renunciabo.* Quòd verò ad eamdem obedientiæ Apostolicæ Sedi præstandi Professionem Episcopos Synodi suæ induxerit *Bonifacius*, docet ipse Epistola 105. ad *Cutbertum* Lindisfarnensem in Anglia Episcopum. *Decrevimus in nostro Synodali Conventu, & confessi sumus Fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ velle servare; Sancto Petro & Vicario ejus velle subjici; Synodum per omnes annos congregare, Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere, & per omnia præcepta Petri sequi canonicè desiderare. Isti Confessioni universi consensimus & subscripsimus.*

Episcopi qui à Summo Pontifice ordinabantur, novo titulo fidem suam & obedientiam Romanæ Sedi obligabant. Addebant sacramentum fidelitatis erga Principem, & Rempublicam, quo se obstringebant ad renunciandum Pontifici, si quæ defectionis ac proditionis consilia iniri à quopiam nossent. Id paret ex Indiculo Episcopi, quem exhibet Diurnus Romanorum Pontificum cap. 3. Titulo VIII. cujus hæc sunt verba: *Promitto pariter, quod si quid contra Rempublicam, vel Piissimum Principem nostrum, à quolibet agi cognovero, minime consentire, sed in quantum virtus suffragaverit, obviare & Vicario tuo Domino meo Apostolico modis omnibus quibus potuero, nuntiare, & id agere vel facere quatenus fidem meam in omnibus sincerissimam exhibeam.*

Coadjutores & Successores difficilè dati, nec nisi graves ob causas.

V. Coadjutores & Successores Episcopis dati absque gravi causa & evidenti Ecclesiæ bono aut necessitate, non patiebatur Ecclesiæ disciplina. Quam ob rem *Zacharias* Pontifex Maximus *Bonifacio* Moguntino Archiepiscopo roganti ut sibi liceret eligere & consecrare Successorem, negavit; quòd *Ecclesiastica Regula, & Institutio Patrum* istud repugnaret. Ex gratiâ tamen singulari concessit, ut imminente obitu, sibi Successorem, præsentibus cunctis designaret, qui ad Sedem Apostolicam veniret ordinandus. Cùm tandem senio confectum & fractum laboribus nosset *Bonifacium* idem Pontifex, annuit ut ipse sibi Successorem ordinaret, *si Dominus hominem in perfectum dedisset.* Ordinavit autem *Lullum* Presbyterum Sanctissimum. *S. Augustinus* Anglorum Apostolus, & primus Cantuariensium Archiepiscopus, recentis Ecclesiæ Anglicanæ bonum ac necessitatem spectavit, cum *Laurentium* ordinavit sibi Successorem. Quâ de re audiendus [illegible] Lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 4. *Successit Augustino in Episcopatum Laurentius, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto, status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus, vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi Pastoris Ecclesiæ Petri, qui fundatâ Romæ Ecclesiâ, Clementem sibi adjutorem evangelizandi, simul & successorem consecrasse perhibetur.* Similis necessitas fecit ut *Bisi* Orientalium Anglorum Episcopo superstite, *sed gravissima infirmitate ab administrando Episcopatu prohibito, duo sunt pro illo electi & consecrati Episcopi: ex quo usque hodie Provincia illa duos habere solet Episcopos,* (inquit Beda lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 5.) Ob eamdem rationem *Bosito* Vectiorum in Anglia Episcopo datus est Coadjutor, teste eodem *Beda*, cap. 23. *Quo tempore*, inquit, *Antistes Provinciæ illius Bosilus tanta erat corporis infirmitate depressus, ut officium Episcopatus per se implere non posset: propter quod omnium judicio præfatus vir Episcopatum pro eo electus, ac jubente Edilredo Rege, per Vvilfridum B. memoriæ Antistitem, Episcopus ordinatus est.*

Tom. 3 Concil. Gall. pag. 110. & 174.

Imitandum sanè Sanctissimi Patriarchæ Aquileiensis exemplum, quem cùm lethali morbo decumbentem *Carolus Magnus* inviseret, rogarétque ut sibi designaret Successorem, mille ex intimis præcordiis suspiria trahens respondit: *Domine, Episcopatum istum diu sine aliqua utilitate vel profectu spirituali retentum, judicio divino, & vestra dispositioni relinquo, ne ad cumulum peccatorum, quem vivens exaggeravi, etiam mortuus aliquid superinjicere apud inevitabilem & incorrumpendum Judicem deprehendar.* Quod Sapientissimus *Carolus* ita accepit, *ut eum antiquis Patribus non immerito conquandum judicaverit*, (inquit Monachus San Gallensis Lib. 2. cap. 27.)

Translationes Episcoporum ob

VI. Translationes Episcoporum ab una ad aliam Ecclesiam, non nisi ob Ecclesiæ, bonum fiebant.

Sic *Mellitus* Londoniensis Episcopus, cùm idololatriâ adhuc eâ in urbe dominante, receptus non fuisset è Gallia redux, post Laurentii Archipræsulis obitum, Ecclesiæ Cantuariensis administrationem susceperat. Quô defunctô, *Justus* Roffensis Episcopus ipsi successit, sibique in Roffensi Ecclesia *Romanum* constituit Successorem. Hæ translationes in recens Ecclesiis erant necessariæ. Harum potestatem concesserat Romanus Pontifex primis Angliæ Episcopis, cum jure ordinandi Episcopos, ut constat ex Epistola *Bonifacii* ad ipsum *Justum*, apud *Bedam*, Lib. 2. Historiæ cap. 8. Septimo quidem sæculo hæc peracta. Sed eadem disciplinâ octavo Sæculo viguit. Nam *Sanctus Cuthbertus* ex Episcopatu Hagustaldensi ad Lindisfarnensem translatus est, teste *Beda*, Lib. 4. cap. 28. Sic Sæculo sequenti *Vvulfelmus* ex Vvellensi Ecclêsia translatus est ad Cantuariensem. Post hunc *S. Odo* Vviltunensis Episcopus, Archipræsul Cantuariensis factus est. Ipsi successit *S. Dunstanus*, qui primùm Vvicciorum & Londoniensium Episcopus fuerat: *Dunstano*, *Ethelgarus* priùs Seleseiæ sive Cicestriæ Episcopus: *Ethelgaro*, *Ælfricus* Vviltunensium antea Episcopus: isti *Siricus* Vvintoniensis Præsul: cui *Ælphegius* Vvintoniensis etiam Antistes suffectus est: *Ælphego* verò *Livingus* ex Episcopo Vvillensi, ut constat ex *Vvilhelmo Malmesburiensi, Lib. 1. de gestis Pontificum Anglorum.* Ex quibus clarum est, solenne fuisse, ut ad Ecclesiam Regni primariam transferrentur aliarum Sedium Episcopi. Fiebant autem illæ translationes, inconsultô quidem hîc & nunc Romano Pontifice, non tamen omnino absque auctoritate Apostolicæ Sedis, quæ translationes hujusmodi Regni Episcopis permittebat. Fiebant autem utplurimùm Regum adnutum, vel ex eorum consensu. Attamen migrationes Episcoporum & Clericorum de Civitate in Civitatem *Carolus Magnus* in Capitulari Aquisgranensi absolutè vetat, secundùm Canones Sardicenses, & Chalcedonenses. *S. Germanus* ex Cyziceno Episcopatu ad Constantinopolitanam Sedem translatus est, summo Ecclesiæ bono. Totius Cleri, Senatus, Plebisque Constantinopolitanæ conspirantibus suffragiis, Episcopis & Apocrisiariis Sedis Apostolicæ præsentibus ac approbantibus, hæc facta translatio, ut constat ex ejus Decreto, quod *Theophanes* refert ad annum septingentesimum decimum-quartum. Sic autem habet: *Suffragio atque consensu religiosorum Presbyterorum, Diaconorum & totius sanctioris Cleri, sacrique Senatus & populi Imperatricis hujus Civitatis; divina gratia quæ infirma semper curat, & quæ desunt adimplet, Germanum sanctissimum Metropolitam & Præsidem Cyzici Metropoleos, in Episcopatum hujus à Deo servata Urbis & Reginæ urbium transfert. Facta est hæc translatio coram Michaele Presbytero & Apocrisiario Apostolicæ Sedis: cæterisque Sacerdotibus & Episcopis præsentibus.*

VII De sacra residendi in Ecclesiis sibi à Deo commissis obligatione, eadem fuit Episcoporum octavo Sæculo ac præcedentibus sententia. De qua Synodus Francofordiensis, Canone quadragesimo primo statuit: *Ut nullus Episcopus propriam Sedem amittat, alibi frequentando, aut in propriis rebus suis manere audeat ampliùs quam tres hebdomadas.* Reges ipsi fas sibi non putabant Episcopos in Aula retinere ut sacra de rebus Ecclesiasticis Consilia dirigerent, sine licentiâ Romani Pontificis & Synodi assensu. Id probat Canon Synodi Francofordiensis quinquagesimus-quintus, cujus hæc sunt verba: *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, se à Sede Apostolica, id est, ab Hadriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem Synodum, ut eo modo, sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angilramno, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum in Palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.* Non exemplo tantùm, sed lege latâ secundùm Canones, Disciplinam Ecclesiasticam de necessaria Episcoporum residentia confirmavit *Carolus Magnus* in Capitulari Aquisgranensi, edito anno septingentesimo octogesimo-nono, Cap. 41. *Ut non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ Parochiæ negligere, & aliquam Ecclesiam in suâ Diœcesi magis frequentare.* Subdit Canonem tricesimum-octavum Concilii Africani: *Rursum placuit ut nemini sit facultas, relictâ principali Cathedrâ, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre, vel in re propriâ, diutiùs quàm oportet, constitutum, curam vel frequentationem propriæ Cathedræ negligere.*

A residentiæ lege censebantur justè dispensari Antistites, qui Romam pergebant, sive ut Sacramentum exolverent, quod in suâ præstiterant Ordinatione; sive ut Apostolorum Principes venerarentur, & Summum Pontificem consulerent; sive ut Conciliis interessent vocati. Sic in Synodo Romana celebratâ sub *Zacharia* Pontifice, anno septingentesimo quadragesimo-tertio, Canone quarto, sancitum est: *Ut juxta Sanctorum Patrum & Canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ Sedis Ordinationi subjacebunt, qui propinqui sunt, annuè Idus Maii Petri & Pauli liminibus præsententur, omni occasione sepositâ. Qui verò de longinquo, juxta chirographum suum impleant.* Sic ad Romanam Synodum, sub *Stephano Quarto*, duodecim Præsules Gallicani, à Summo Pontifice postulati, cum Regum Christianissimorum licentiâ profecti sunt, anno septingentesimo sexagesimo-nono. Licentiam à Rege postulabant Episcopi ut Romam se conferrent, ut constat ex Epistola *Adriani Primi* ad Carolum Magnum. *Sicut vestri homines*, inquit, *sine vestrâ absolutione, ad limina Apostolorum neque ad nos conjungunt: ita & nostri homines qui ad vos venire cupiunt, cum nostra absolutione & Epistola veniant.* S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus *Gregorio Tertio* Pontifice Maximo ad limina Apostolorum se contulit, tum orationis causâ, cùm ut de pluribus Ecclesiasticæ Disciplinæ Capitibus à Vicario Christi edoceretur. Id constat ex Epistola tertia *Gregorii Tertii* ad Optimates & populum Provinciarum Germaniæ. * Ita seculo præcedenti *Mellitus* Londoniensis Episcopus Romam, de necessariis Ecclesiæ Anglorum caussis cum Apostolico Papa *Bonifacio* tractaturus, accessit. Et cùm idem Papa cogeret Synodum Episcoporum Italiæ, de vita Monachorum & quiete ordinaturus, & ipse *Mellitus* inter eos assedit; ut quæ erant regulariter decreta, suâ quoque autoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, secum Anglorum Ecclesiæ mandata atque observanda deferret, cum Epistolis quas idem Pontifex Archiepiscopo *Laurentio*, & universo Clero, Regi, atque genti Anglorum direxit. (Ex Bêda, lib. 2. Historiæ cap. 4.)

Non dubium quin octavo, sicut & præcedentibus, & sequentibus sæculis, Episcopi abesse ab Ecclesiis suis legitimè possent, cùm ad Provinciales, aut Nationales Synodos, vel ad Regni Comitia convocabantur. Id testantur Synodi omnes hoc seculo celebratæ in Italia, Germania, Gallia, Anglia, & in Oriente. Id testantur Comitia Regni, quæ Placita, vel Consilia, & Synodi dicebantur: ad quæ Reges Christianissimi Episcopos, Abbates, Duces, & Comites, Proceresque cæteros convocabant, ut de Ecclesiæ ac Reipublicæ rebus vel seorsim, vel in commune deliberarent, pro ratione causarum. Si enim essent merè Ecclesiasticæ,

earum

Ecclesia [illegible] Londoniensi.

Anno 624

Residendi obligatio.

Quibus de causis Episcopi à Residentiæ lege legitimè dispensari censerentur?

Epist. 7. To. 2. Concil. Gall.

Tom. 2. Concil. Gall.

cетum cognitionem soli suscipiebant Episcopi. Si mere sæculares, soli duces & Comites, aliique Proceres laïci; si mixtæ, uterque Ordo suffragabatur; Rex, quæ Disciplinæ Ecclesiasticæ restaurationem executionémque Canonum expectabat, aut Reipublicæ regimen, cum Episcopis & Consiliariis suis decernebat. Hinc Synodorum Liptinensis, Suessionicæ, Francofordiensis plerique Canones, nomine Regis promulgantur, aut à *Domno Rege & Sancta Synodo condita* dicuntur. *Bonifacius* Moguntinus Episcopus à *Pippino* Rege per litteras petit an ad Placitum ipsum venire cupiat. *Propterea petimus vos ut nobis indicetis, si ad Placitum vestrum debeamus venire, ut vestram voluntatem perficiamus.* Idem Epistola 3. ad *Danielem* Episcopum, opus esse scribit ut ad Aulam *Pippini* Principis Francorum veniat, ejus patrocinium sibi ad regendam Ecclesiam maximè necessarium postulaturus: se autem angi vehementer, quòd flagitiosos Sacerdotes in Galliis degentes vitare non possit, si iter illud suscipiat. *Nos quidem patrocinatus auxilium in Palatio Francorum quærentes, à talium corporali communione abstinere & segregare juxta præceptam Canonum non possumus, &c. Nam sine patrocinio Principis Francorum, nec populum regere, nec Presbyteros, vel Diaconos, Monachos vel Ancillas Dei, defendere possum, nec ipsos Paganorum ritus & sacrilegia idolorum in Germania, sine illius mandato & timore, prohibere valeo. Cùm autem ad illum de istis causis auxilium quærens pervenero, à talium communione abstinere canonicè nullatenus corporaliter possum, nisi tantùm à consensu illorum.* Necessitas igitur adeundi Principem propter Ecclesiæ negotia, legitima ratio dispensationis erat ab obligatione residendi. Ab eadem lege ad certum tempus dispensabantur, qui Regem in exercitu ad Sacra facienda comitabantur. Unum autem vel duos duntaxat, cum Capellanis & Presbyteris eorum, ut Princeps secum habeat, statuit Concilium Germanicum *Canone* 2.

Tom. 2. Conc. Gall. p. 9.

Episcoporum jurisdictio.

VIII. Episcoporum Jurisdictio non minor erat, quàm præcedentibus sæculis. Concilium Vernense *Canone* 5. statuit *Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de Clero, quàm de Regularibus, vel sæcularibus, ad corrigendum & emendandum, secundùm ordinem canonicum spiritualem, ut sic vivant qualiter Deo placere possint.* Canone 14. Eos qui diei Dominicæ sanctitatem operibus vetitis violaverint, ab Episcopis plecti decernit, non à laïcis. *Quòd si inventus fuerit quis in operibus suprascriptis, quæ interdicta sunt exercere, qualiter emendari debeat, non in laïcorum districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.* Canone decimo-octavo vetat eadem Synodus, ne Clerici publica Judicia sine jussu Episcopi petant, juxta Canonem nonum Concilii tertii Carthaginensis. *Et maxime ne in talibus causis inquietudinem Domno Regi faciant.* Concilium Suessionense *Canone* 6. Episcopis mandat, vel potiùs *Pippinus* in Synodo, ut curent *per omnes civitates legitimum forum & mensuram fieri, secundùm abundantiam temporis.*

Carolus Magaus in Capitulari Aquisgranensi, Cap. 28. edicit, *Ut si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo dijudicentur, non à sæcularibus*; atque ita mandetur executioni Concilii Chalcedonensis nonus Canon, quo statutum est; *Ut si quis Clericus cum Clerico causam habeat, Episcopum suum non deserat, & ad Judicia sæcularia currat: sed priùs apud Episcopum suum examinet causam, aut certè cum voluntate Episcopi causa dicatur apud quos utraque partes voluerint, &c.* Concilii Francofordiensis Canone sexto hæc leguntur de Jurisdictione Episcoporum: *Statutum est à Domno Rege, & Sancta Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis. Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & cæteris Clericis vel etiam aliis in ejus Parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum Suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad Judicium Episcoporum.* Et Canone tricesimo-nono: *Si Presbyter in criminali opere fuerit deprehensus, ad Episcopum suum ducatur, & secundùm Canonicam Institutionem constringatur.*

Judicia canonica Episcoporum, & depositiones quo etiam tacitæ.

IX. Quænam octavo sæculo obtineret Disciplina in Judiciis Canonicis Episcoporum colligi potest ex Capitulis *Ingilramni* Metensis Episcopi *Hadriano I.* Pontifici Maximo oblatis, quæ ipsi *Hadriano* ab *Hincmaro*, & in vulgatis Editionibus tribuuntur. Ex ea Collectione constat, auctoritatem judicandi causas Episcoporum accusatorum, eósque deponendi, fuisse penes Provincialem Synodum: sed auctoritatem Syrodi Provincialis supremam non fuisse, ut Illustres quidam ac eruditi Scriptores perperam propugnarunt, cùm accusati ac depositi possent ad Sedem Apostolicam appellare. Istius Collectionis Caput tertium sic haber: *Nullus Episcopus, nisi canonicè vocatus, & in legitima Synodo suo tempore Apostolicâ Auctoritate convocata (cui jussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & sanctorum Canonum ac venerandorum Patrum Decretis multipliciter privata tradita est potestas) super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel impetatur. Si aliter præsumptum à quibuslibet fuerit, in vanum deducatur quod egerint.*

Caput nonum: *Salvo Romanæ Ecclesiæ in omnibus Primatu, manifestum est illa quæ sunt per unamquamque Provinciam, ipsius Provinciæ Synodus dispenset, sicut in Nicæno constat decretum esse Concilio.*

Caput X. *Ultra Provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Omnis accusatio intra Provinciam audiatur, & à Comprovincialibus terminetur.*

Caput XII. *Prudentissimè, justissiméque Nicæna, sive Africana Decreta definierunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta fuerint, finienda, &c.*

Caput XIV. *Nullus Metropolitanus Episcopus, absque cæterorum omnium Comprovincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum. quia irrita erunt, immo etiam causam in Synodo pro facto dabit.*

Caput XX. *Nullus Episcopus extra suam Provinciam ad judicium devocetur, sed vocato eo canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali; ab omnibus Comprovincialibus Episcopis audiatur; qui concordem super eum; canonicámque proferre debent sententiam. Quia si hoc minoribus tam Clericis, quam laïcis concessum est, quantò magis de Episcopis servari convenit? Nam si ipse Metropolitanum, aut Judices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud Primatem Diœceseos, aut apud Romanæ Sedis Pontificem judicetur.*

Caput XXVII. *Communi Decreto censemus, ut quandocumque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis causa ejus audiatur.... Qui ab aliis priùs judicari non potest, nisi ab iis à quibus ordinari potuit. Quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.*

Caput XXIX. *Si quis Episcopus super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur, vel judicetur, qui sunt in Provincia Episcopis.*

Caput XLII. *Ut Provincialis Synodus retractetur per Vicarios Romani Pontificis, si ipse decreverit.*

Caput XLV. *Placuit ut à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis, ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi major est auctoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur.* Quæ Capitula libris etiam Capitularium inserta sunt. Unde perspicuum est ea in Galliis recepta fuisse, & Judicia Canonica Episcoporum

secundùm hujusmodi Regulas, octavo sæculo, & deinceps facta fuisse.

Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi, Cap. X. vetat Episcopis & Clericis *Ne sine consilio vel litteris Episcoporum, vel Metropolitani, audeant ad Regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi Episcoporum concilio causa examinetur.* Et Canonem Antiochenum XI. ea de re laudat.

Eamdem in Anglia viguisse disciplinam, constat ex iis quæ gesta sunt in causa *Vuilfridi* Episcopi, qui in Provincia depositus, ad Sedem Apostolicam appellavit, ac in Romana Synodo absolutus est. De quo *Beda* scribit lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. XX. *Vuilfridus, regnante Ecgfrido, pulsus est Episcopatu, & alii pro illo consecrati Antistites.... Romámque iturus, & coram Apostolico Papa causam dicturus; ubi navem conscendit: flante Favonio, pulsus est in Frisiam, & honorificè susceptus à Barbaris, prædicabat eis Christum, & multa eorum millia verbo veritatis instituens, à peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit...... Ibi ergo hyemem cum novâ Dei plebe feliciter exigens, sic Romam veniendi iter repetiit: & ubi causa ejus ventilata est præsente Agathone Papa, & pluribus Episcopis, universorum judicio absque crimine accusatus fuisse, & Episcopatu esse dignus inventus est. Quo tempore, idem Papa Agatho, cum Synodum congregaret Romæ centum viginti quinque Episcoporum, adversus eos qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocari jussit & Vuilfridum, atque inter Episcopos considentem, dicere Fidem suam, simul & Provinciæ sive Insulæ de quâ venerat. Cùmque Catholicus cum suis esset inventus, placuit hoc inter cætera ejusdem Synodi gestis inseri, scriptúmque est hoc modo: Vilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis civitatis, Apostolicam Sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, & cum aliis centum viginti quinque Coepiscopis in Synodo Judicii Sede constitutus, & pro omni Aquilonari parte Britanniæ, & Hiberniæ Insulis veram & Catholicam Fidem confessus est, & conscriptione suâ corroboravit. Post hæc reversus in Britanniam, Provinciam Australium Saxonum ab idololatriæ ritibus ad Christi Fidem convertit. Vectæ quoque Insulæ verbi Ministros destinavit, & secundo anno Aldfridi, qui post Ecgfridum regnavit, Sedem suam & Episcopatum, ipso Rege invitante, recepit. Sed post quinque annos denuo accusatus, ab eodem ipso Rege & multis Episcopis, Præsulatu pulsus est: veniensque Romam, cùm, præsentibus accusatoribus, acciperet locum se defendendi, considentibus Episcopis pluribus cum Apostolico Papa Joanne, * omnium judicio probatum est nonnulla in parte falsas contra eum esse machinatos calumnias. Scriptúmque est à præfato Papa Regibus Anglorum Edilredo & Aldfrido, ut eum in Episcopatum suum (eo quòd injuste fuerat condemnatus,) facerent recipi.* Bedæ concinunt *Fridegodus*, & *Eadmerus* in Vita *Sancti Vuilfridi*, edita à doctissimo *P. Mabillonio*, P. 1. Sæculi III. Benedictini. Sed omnium accuratissimè & fusissimè *Eddius Stephanus* coævus Auctor, in ejusdem *S. Vuilfridi* Vita, quam laudatus *P. Mabillonius* edidit Tomo I. Sæculi IV. Benedictini, causam Sanctissimi Antistitis, geminámque appellationem ad Romanos Pontifices *Agathonem*, & *Joannem VI.* exponit, ejusdémque Absolutionem ac restitutionem ab eodem *Joanne Papa* in Romana Synodo decretam, & Pontificis ad *Ethelredum* & *Alfridum* Reges Epistolam, ac demum Synodum Niddensem apud Northumbros habitam anno DCCV. in qua Sedis Apostolicæ Judicium in causa *Vuilfridi* executioni mandatum est, *Osredo* regnante.

5 Vuilfridus Episcopatu in Anglia depositus, ad Romanum Pontificem appellat, ab eo per Sedis suæ restituitur.

* Jo. mox VI. anno circiter 703.

Scholion.

In hoc Articulo, pag. 337. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant velut meam: *Causa Episcopi depositi appellantis ad Papam, definiri debet in Provincia per Legatos missos à Papa.*

R. Totâ hâc paginâ referuntur duntaxat Capitula Ingilramni Metensis Episcopi Hadriano I. Pontifici Maximo oblata, quæ ipsi Hadriano I. in vulgatis Editionibus tribuuntur. Ipsis verbis referuntur, quibus concepta & edita sunt. De meo tantùm hæc ibi addidi; *Quæ Capitula libris etiam Capitularium inserta sunt. Unde perspicuum est ea in Galliis recepta fuisse; & Judicia Canonica Episcoporum secundum hujusmodi Regulas Octavo Sæculo & deinceps facta fuisse.* Hæc igitur Propositio: *Causa Episcopi depositi appellantis ad Papam debet definiri in Provincia per Legatos missos à Papa;* non est mea eo loci. Si in Capitulis Ingilramni Hadriano I. oblatis habetur, vel ex iis colligi videtur Religiosis Censoribus, eorum animadversio magis ferit Ingilramnum Metensem Episcopum, & Hadrianum I. Pontificem Maximum, quam me feriat; immo ferit Synodum Sardicensem, cujus Canonibus Spiritu Dei conditis, & totius Mundi reverentiâ consecratis nititur Ecclesiæ Gallicanæ disciplina vetus, secundùm quam causæ dejectorum Episcoporum, ad Sedem Apostolicam appellantium, non Romæ, sed in partibus, id est, in Regno finiebantur, Legatis Pontificis in Provinciam missis, qui cum prioribus Judicibus, id est, cum Episcopis qui in Concilio Provinciali vel Nationali primam causæ cognitionem susceperant, causam Summi Pontificis auctoritate recenserent; ac finirent.

ARTICULUS III.

De Clericis.

I. Quamvis pueri Clericalis militiæ tyrocinia in Seminariis Episcoporum, vel in Monasteriis ponerent, tamen ante tricesimum ætatis annum Sacerdotes non ordinabantur octavo sæculo, nisi Ecclesiæ necessitas id postularet. Tunc enim ab anno ætatis vicesimo-quinto poterant inaugurari. Hoc de disciplinæ capite scripsit *Zacharias* Pontifex ad *Bonifacium* Archiepiscopum Moguntinum. *Inquisisti etiam & hoc, si ante tricesimum annum liceat Sacerdotem ordinari. Bonum & congruum est, carissime Frater, si fieri & inveniri potest, ut provecta ætatis & boni testimonii viri, juxta sacrorum Canonum instituta ordinentur Sacerdotes. Si autem minimè reperiuntur, & necessitas exposcit, à viginti quinque annis & supra Levitæ & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in Lege Domini continetur.* Carolus Magnus anno 789. in Capitulari Aquisgranensi Cap. L. statuit juxta Canonem Concilii Neocæsareensis, *Ut nullatenus Presbyter ordinetur ante tricesimum ætatis suæ annum: quia Dominus Jesus Christus non prædicavit ante tricesimum annum.* Synodi Francofordiensis Canon quadragesimus-nonus est *De Presbyteris ante XXX. ætatis annum non ordinandis.*

Ordinandorum ætas.

II. Clericos Episcopis & certis Ecclesiis addicebat Ordinatio. Hinc *Zacharias* Romanus Pontifex in Responsione ad Capitula de quibus ejus Beatitudinem consuluerat *Pippinus*, Cap. XVI. *De Clericis qui proprias Ecclesias relinquunt*, servandum esse docet Canonem XV. Apostolorum, cujus hæc sunt verba: *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam Parochiam, pergat ad alienam, & omnino demigrans, præter Episcopi sui conscientiam, in aliena Parochia commoretur, hunc ulteriùs ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo, redire contempserit.* Ibidem excommunicationem decernit in Episcopos qui alterius Clericos susceperint, laudato Canone XVI. Apostolorum. Ibidem Cap. X. Clericos in Parochiis, Monasteriis, atque Martyriis constitutos *sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, potestate permanere* jubet, *secundùm SS. Patrum traditiones*: laudátque Canonem IX. Concilii Chalcedonensis

Clerici Episcopis, & certis Ecclesiis addicti.

donensis Concilii Vernensis anno septingentesimo quinquagesimo quinto celebrati Canon XII. docet: *Clericis non licere in alterius civitatis Ecclesia, vel in potestate laicorum militare, sed ibidem permanere, in qua principio ministrare meruerunt, &c.* Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi edixit, ut Concilii Nicæni Canon X V I. & X V I I. Antiocheni Canon III. & Chalcedonensis XIII. servarentur, quibus vetitum est ne Presbyteri, Diaconi, sive in quocumque Ordine Ecclesiastico constituti, suscipiantur in aliâ Ecclesia, sed sub pœna anathematis ad Ecclesias suas redire cogantur. Si quis autem ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in suam Ecclesiam, irritam fore hujusmodi Ordinationem. In eodem Capitulari, Cap. 25. statuit Rex Maximus, secundùm Canonem sextum Concilii Chalcedonensis, quem subjicit, *Ut nullus absolutè ordinetur, & sine pronunciatione & stabilitate loci ad quem ordinatur.* Et Cap. LVI. statuit secundùm Decreta Sardicensis Concilii, & Sancti Leonis, *Ut Episcopus alterius Clericum ad se non sollicitet, nec ordinet.*

Clericorum vestes.

III. Modestas esse Clericorum vestes, Patres Octavi Sæculi jussere. Synodus Germanica decimoquarto Canone prohibet ne *Presbyteri vel Diaconi sagis utantur laicorum more, sed casulis, ritu servorum Dei.* Quod Decretum confirmavit Synodus Suessionensis, *Canone* 3. Alias fuisse Presbyterorum Titularium vestes à vestibus Monachorum, non solùm quoad formam, verùmetiam quoad materiam: illas splendidiores, præcipuè cùm è sacro suggestu populum docebant: illas villiores: & superpelliceum Clericis fuisse proprium, laneas vestes Monachis, colligitur ex Responsione *Zachariæ* ad Capitula de quibus ipsum consuluerat *Pippinus*, Cap. 1. *Nam & nos ab Apostolica Auctoritate subjungimus, ut Episcopus juxta dignitatem suam indumentis utatur. Similiter modo & Presbyteri Cardinales,* * *& qui in Monastica Vita velle habeant vivendi, plebi quidem sibi subjectæ, præclariori veste induti, debitum prædicationis persolvant; & in secretum propositum servent sui cordis.... Non enim nos honor commendat vestium, sed splendor animarum. Monachi verò laneis indumentis, juxta normam & Regulam Monasticæ Disciplinæ, atque traditionem SS. probabilium Patrum, sine intermissione utantur.* Idem *Zacharias* in Synodo Romana anno 743. *Canone* 3. statuit *Ut Episcopus, Presbyter & Diaconus sæculari indumento minimè utantur, nisi, ut condecet, tunica Sacerdotali. Sed nec dum ambulaverit & civitate, aut in plateis prætor si in itinere longo ambulaverit.*

* Id est, Titulares & Parochus [illegible].

Septima denique Synodus Canone XV. de Clericorum vestibus sic decernit: *Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena est à sacrato Ordine. Eos ergo Episcopos, vel Clericos, qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, Epitimio tradantur. Similiter eos qui unguentis inunguntur.... Igitur si inventi fuerint deridentes eos, qui vilibus & religiosis vestimentis amicti sunt, per Epitimium corrigantur. Priscis enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri & vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus ait Basilius. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitatibus vestimentorum. Audierant autem ex deifera lingua, quia, Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Hunc Canonem ut executioni mandaret sanctissimus Patriarcha *Tarasius* (inquit Auctor Vitæ illius, apud *Surium* die 25. Februarii.) *Multis ex iis, qui erant relati in numerum Clericorum, qui suos lumbos Zonis cingebant aureis, & ornati erant variis & pretiosis vestibus sericis, aurum quidem ademit: fecit autem succingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Iis verò qui toti corpori contextas ex iisdem filis purpureas vestes habebant, excogitat tunicas remotas à curiositate nimia & deliciis, ut quæ essent vestitus honestissimi, & convenirent iis qui Deo servire statuerunt & profitentur humilitatem.*

Matt. 11. 8

Duplex genus Clericorum.

IV. Clerici penè omnes octavo sæculo in Societate & in Seminariis vivebant, vel in Monasteriis. Cathedralis Ecclesiæ Clerus in Episcopio adunatus erat. Vitam instituebant secundùm Canones: unde Canonici sunt appellati. Alii regularem vitam profitebantur in Monasteriis. Duplex illud genus Clericorum distinguit Synodus Vernensis, Canone XI. *De illis*, inquit, *hominibus, qui dicunt quod se propter Deum tonsuraßent, & modò res eorum vel pecunias habent, & nec sub manu Episcopi sunt, nec in Monasterio regulariter vivunt: Placuit ut in Monasterio sint sub Ordine Regulari, aut sub manu Episcopi sub Ordine Canonico. Et si aliter fecerint, & correpti ab Episcopo suo se emendare noluerint, excommunicentur.* Eos pariter distinguit *Carolus Magnus* in Capitulari Aquisgranensi, Cap. LXXII. & LXXIII. *Ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent, seu & alii Canonici observantiæ Ordinis, vel Monachi proposito consecrationis, &c. Simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicumque qui se voto Monachicæ Vitæ constrinxerunt, monachicè & regulariter omnimodis secundùm votum suum vivant, &c. Similiter qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam Vitam, volumus ut illi canonicè secundùm suam Regulam omnimodis vivant, & Episcopus eorum regat vitam, sicut Abbas Monachorum.* Et Cap. LXXVII. *Clericos qui se fingunt habitu vel nomine Monachos esse, & non sunt*, emendari jubet, *ut vel veri Monachi sint, vel veri Canonici.*

Chrodegangus Canonicorum Congregationem instituit, quibus scribit Regulam.

Chrodegangus Metensis Episcopus, regnante *Pippino*, Clerum suum in unam Societatem congregavit, suo unòque claustro ad communem vitam informavit, præscriptâ ipsi Regulâ, ut testatur *Paulus Diaconus*, in Fragmento de Metensibus Episcopis, (apud *Duchesnium* Histor. Francor. Tomo II.) *Vir*, inquit, *egregius & omnibus præconiis efferendus Chrodegangus Antistes.... Clerum adunavit, & ad instar Cœnobii intra claustrorum septa conversari fecit, normámque eis instituit qualiter in Ecclesia militare deberent: quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodò Officiis excubarent. Ipsúmque Clerum abundanter lege divinâ, humanâque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit. Quod usque ad id tempus in Metensi Ecclesia factum minimè fuit.* Quamquam autem solis Canonicis Metensibus data sit primùm à *Chrodegango* hæc Regula, ab aliarum tamen Diœcesum, quæ Regum Christianissimorum parebant imperio, Clericis, octavo & nono sæculo suscepta est & servata, nonnullis cum additionibus. Ex veteri MS. Vaticanæ Bibliothecæ cum Audegavensi & Fiscanensi collato, illam edidit P. *Labbeus* Tomo VII. *Conciliorum.* Illam edidit & *D. Lucas Dacherius in Spicilegio, Tomo I.* In editione *P. Labbe*, quatuor & triginta duntaxat constat Capitibus: & sincera est proculdubio puráque *Chrodegangi* Regula; in Spicilegio, constat capitibus sex & octoginta: hæcque ab Anonymo interpolata est, assutis ex Concilio Aquisgranensi plurimis additamentis. Nonnulla capita malè cum cæteris cohærentia, extranea, vel bis repetita, evidens præbent interpolationis argumentum. Ex Canonibus Sanctorúmque Patrum scriptis, & maximè ex Regula *S. Benedicti*, suam *Chrodegangus* composuit. Illius summam exhibeo, prout ex probatæ fidei MSS. à *P. Labbeo* edita est.

Primum

Summa Regulæ Chrodegangi.

Primum Caput est de humilitate. *Alterum* de ordine Congregationis Canonicorum: statuitque ut sive in Ecclesia, sive alibi, secundùm gradus suos, & Ordinationis tempus procedant, vel sedeant. Ut nullus alterum puro nomine compellet, sed addito priùs Ministerii gradu, secundùm Constitutionem Apostolicæ Sedis. Ut junior Clericus, cùm obvium habuerit seniorem, inclinetur, ab ipsóque benedictionem petat: majorique minor assurgat, nec sedeat coram ipso injussus. *Tertium Caput* statuit ut omnes Canonici in uno dormitorio, separatim in singulis cellis, ac lectis dormiant, & ita disponantur, ut juniores sint sub oculis seniorum. Ut Laïcis hominibus, & maximè mulieribus, Canonicorum claustra claudantur. Ut Clerici Canonici nullum Clericum in suis mansionibus habeant ad ministerium, sine licentiâ Episcopi. Ut in ipsorum ædibus nec extranei Clerici, nec Laïci manducent, bibant, vel pernoctent. *Quartum Caput* est de Completorio & silentio. Jubet ut dato primò signo ad Completorium sub initium noctis, omnes Canonici & Clerici Congregationis in Claustra se recipiant: ut dato secundo signo, se conferant omnes ad Ecclesiam *Sancti Stephani*, Completorium cantaturi. Postea non manducent nec bibant usque in crastinum, horâ legitimâ. Ut omnes silentium teneant usque ad sequentem diem post primam. Qui extra Claustra pernoctaverit, absque vitio, prima vice verbis corripitor; altera, ipso die in pane & aqua jejunato: tertiâ æquè austero trium dierum jejunio maceratot: Quarta vice, disciplinâ emendator. Si datâ opera moram traxerit, ut extra Claustra noctem ageret, excommunicatione percellitor, vel corporali disciplina castigator.

Canon quintum est de divinis Officiis in noctibus. Hyeme octava circiter noctis hora Canonicis surgendum. Quadraginta aut quinquaginta Psalmi prolixioribus illis noctibus decantandi. Inter Nocturnas & Matutinas Laudes vigilandum: Per illud intervallum vacandum lectioni aut cantui, sive meditandum minùs exercitatis quid & quomodo legendum vel cantandum sit. Qui dormierit absque licentia, ratione solius infirmitatis concedenda, excommunicator.

Caput sextum est de Horis Canonicis persolvendis. Statuit ut qui in Claustris, vel prope sunt, statim ut auditum fuerit signum, relictis omnibus, summa cum festinatione ad Opus Dei per Horas Canonicas veniant. Si longè fuerint, nec occurrere statis horis potuerint, Archidiacono judice, *agant Opus Dei cum tremore divino, ubi tunc fuerint*.

Caput septimum est de disciplina psallendi. Deo psallendum docet *in timore & tremore*, psallendum sapienter, psallendum ut *In conspectu Angelorum*, secundùm Prophetam. Prohibet, juxta Ecclesiæ Romanæ morem, ne Clerici tempore divini Officii baculis innitantur, nisi cogat infirmitas.

Caput octavum statuit ut Canonici quotidie ad Capitulum conveniant. Ibi aliquod Regulæ caput legendum, exceptis diebus Dominicis, & feriis quarta & sexta, quibus Tractatus & Homiliæ Patrum leguntur, vel quid aliud ad audientium ædificationem. Episcopus, vel Archidiaconus, aut qui loco illorum præest, jubet quod jubendum est, corrigit quod emendandum, ordinat quod faciendum. Diebus Dominicis & Festis solennibus, Clerus omnis civitatis ad Nocturas & Matutinas Laudes, & ad Capitulum convenire debet cum Planetis seu vestimentis Officialibus. Absentes ab Archidiano vel Primicerio excommunicantor, aut etiam disciplinæ, corporali subjiciuntor.

Caput nonum est de opere manuum quotidiano. Canonici è Capitulo ire ad opera jubentur, idque cum bono animo & absque murmuratione exequi, quod ab Episcopo, Archidiacono vel Primicerio, datum sibi fuerit in mandatis.

Itinerantes.

Caput decimum est de Regula ab itinerantibus servanda, quantùm iter vel ratio permiserint: Et de Officiis divinis aliisque observantiis adimplendis in itinere, statis horis.

Zelus.

Caput X I. est de zelo quem habere ad invicem debent. Hic autem non est zelus amaritudinis, sed zelus bonus, quô se invicem servi Dei præveniunt, & infirmitates suas, sive corporum, sive morum, patientissimè tolerant; & ad vitia reprimenda cum Superioribus collaborant ut *Dei adjutores*.

Caput XII. vetat ne quis socium excommunicet, aut cædat; sed querelæ ad Episcopum, vel ad eum qui sub ipso Congregationem regit, deferantur, & judicentur.

Caput XIII. Studia partium præfocat, vetans ne quis in Congregatione alium defendere quavis occasione præsumat, cognationis, amicitiæ, aut familiaritatis prætextu: quòd hæc sit gravium scandalorum occasio. Hujus capitis transgressores acriùs coercendos statuit.

Confessio & Communio.

Cap. XIV. est de Confessionibus. Clericos bis in anno confiteri jubet peccata Episcopo suo, scilicet initio Quadragesimæ vel ante Pascha, & à medio mense Augusto usque ad Kalendas Novembris. Extra hæc tempora, posse quoties voluerint, & opus habuerint, peccata deponere apud Episcopum, vel alium Sacerdotem ab ipso delegatum. Singulis diebus Dominicis & Festivitatibus præclaris, debere Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi accipere, si peccata non impediant. Si quis peccatorum suorum aliquod Episcopum suum celaverit, & aliis Sacerdotibus confessus fuerit; *quia timet ne removeat eum Episcopus de gradu: & si adhuc in gradu non est, non accedat ad gradum, vel à Corpore Domini removeat eum*; cùm id probatum fuerit Episcopo, corporalem disciplinam, vel carcerem passurum, vel aliam pœnam juxta modum culpæ, & Episcopi judicium. *Nimis, enim improbus est, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubescit; ubi Deo miserante, de ipso peccato debet accipere consilium sanitatis.*

Qui peccatum aliquod celant Episcopum, quo modo castigandi?

Caput XV. est de graviorum culparum emendatione. XVI. De vitandis excommunicatis XVII. De excommunicatione Clericis contumacibus, superbis, detractoribus, rebellibus, contentiosis, murmurantibus, jejunii transgressoribus, contemptoribus Regulæ infligenda, admonitione privatâ semel & iterum præmissâ, & publica deinde objurgatione. Si non intelligit qualis pœna sit excommunicatio, vel improbus est & incorrigibilis, ab eâ abstinendum, & loco excommunicationis, vindictæ corporali subdendus. *Cap. XVIII.* est de leviorum culparum emendatione. XIX. De modo excommunicationis.

Abstinentiæ & jejuniorum tempora, & modus.

Caput XX. De Quadragesimæ observationibus. Quadragesimalibus diebus, exceptis Dominicis, unica refectio conceditur post Vesperas, nusquam extra Claustra & commune refectorium sumenda. Lectioni vacandum usque ad Tertiam plenam, exceptis Dominicis diebus. Deinde ad Capitulum conveniendum. A Paschate ad Pentecostem, refectio duplex, & esus carnium Canonicis permittuntur, nisi Pœnitentiæ sint addicti. Excipitur sexta Feria. Regula interpolata quartam addit. A Pentecoste ad Nativitatem *Sancti Joannis*, duplex quidem refectio Canonicis conceditur, sed carnibus jubentur abstinere. Hinc ad Festum *Sancti Martini* refectio duplex & abstinentia à carnibus quarta & sexta Feria. A Festo *Sancti Martini* ad Natale Domini, carnibus abstinendum, & jejunium ad Nonam usque protrahendum. Deinceps usque ad Caput Quadragesimæ,

Quadragesimæ, eadem esto jejunii ratio Feriis secunda, quarta, & sexta. Duabus hisce postremis Feriis carnibus abstinendum. Quæ tamen cum Prioris licentia comedi poterant, si dies Festus his Feriis occurrisset. Ex quo patet abstinentiam sexta Feria nondum fuisse lege & more universali præscriptam. *Angilramnus Chrodegangi* successor, temperavit constitutionem de abstinentia post Pentecosten, & per octavam concessit esum carnium, in gratiam Solemnitatis.

Mensa. *Caput XXI.* est de mensis ordinandis. Silentium & lectio in refectorio imperantur. Ante legitimam horam non comedendum aut bibendum, absque Episcopi, aut ejus qui præest, licentia; nec Cellerarius contra rationem inquietandus. Laïci, aut Clerici extranei, in refectorium ut manducent vel bibant, absque licentia non admittendi. Cibus vel potus absque mandatis Episcopi è refectorio non portandus.

Mensura cibi & potus. *Capitibus XXII. & XXIII.* Cibi potúsque mensura præscribitur. Cum duplex refectio concessa est, Presbyteris ad sextam tres calices, ad cœnam duo tribuuntur; totidem Diaconis; Subdiaconis duo ad utramque refectionem: inferioribus Clericis, duo ad prandium, ad Cœnam unus. Diebus jejuniorum eadem servatur mensura: & quod ad Cœnam aliis diebus dabatur, apud Cellerarium remanet.

Coquinæ ministerium. *Caput XXIV.* A ministerio coquinæ per vices Canonicorum neminem excusat, nisi propter ægritudinem, aut causas gravis utilitatis. Archidiaconus, Primicerius, & tres Custodes Ecclesiarum *Sancti Stephani*, *Sancti Petri*, & *Sanctæ Mariæ*, excipiuntur.

Caput XXV. De Archidiacono & Primicerio, quales esse debeant, & quo modo erga subditos, & erga Episcopum se gerere. Caput XXVI. De Cellerario. XXVII. De Portario, statuunt.

Cura infirmorum. *Caput XXVIII.* est de curandis infirmis. Canonicos infirmos, qui non habent unde ipsis subveniatur, non negligendos statuit; sed eis *sicut Christo serviendum*, & necessaria omnia subministranda ab Archidiacono, vel Primicerio; & unum è Clericis deputandum, qui ipsorum curam gerat, cui *solatium*, si opus sit, dandum est, id est, famulus, ut Prior statuerit.

Vestes. *Caput XXIX.* De vestimentis, calceamentis, & lignis Senioribus cappas novas singulis annis dari decernit ad Festum *Sancti Martini*: veteres, quas illi deponunt, tribus Junioribus.

Festivitates. *Caput XXX.* De Festivitatibus Domini, Sanctæ Mariæ, duodecim Apostolorum, aliorúmque Sanctorum, pro more Provinciæ celebrandis. Statuit etiam quibus diebus Episcopus refectionem Canonicis parare debeat, vel in Episcopali domo, scilicet in Natali Domini & Paschate: vel in eorum refectorio, scilicet in medio & clauso Paschate, Ascensione Domini, Pentecoste, & ipsius Episcopi Natalitiis. Abrogat consuetudinem, quâ Abbatiæ civitatis Metensis, aut vicinæ, certis Festivitatibus Canonicos convivio excipiebant. Jubet fercula tradi Archidiacono, qui ipsis in proprio refectorio prandium parari curet.

Canonici facultates suas Ecclesiæ, vel Congregationi donare debebant, retento sibi, si libet, usufructu, non ad hæredes carnales transituro. *Caput XXXI.* Statuit ut qui in Congregationem Canonicorum recipi voluerit, facultates suas Ecclesiæ *Sancti Pauli* solenni Donationis instrumento tradat, factâ tamen, si voluerit, precariâ, ut quandiu vixerit, usumfructum percipiat. Id *S. Prosperi*, sive potiùs *Juliani Pomerii*, & aliorum Sanctorum Patrum documentis consentaneum esse monet, qui secundùm divinam auctoritatem sanxerunt, *Ut illi Clerici qui de rebus Ecclesiæ vivere cupiunt, res proprias quas habent, per instrumenta chartarum, Deo & Ecclesiæ, cui deserviunt, condonent: & sic rebus Ecclesiæ licentiùs absque maximâ culpâ utantur; Ut sicut de rebus Ecclesiæ ipsi Clerici gaudent; ita & Ecclesia de rebus ipsorum Clericorum cum pauperibus suis sic aucta atque meliorata gratuletur.* Hoc esse temperamentum inter priorum Christianorum perfectionem, qui bonis omnibus ad pedes Apostolorum sese abdicabant, & laïcorum, vel aliorum Clericorum proprietatem. *Si omnia*, inquit, *relinquere non possumus, sic ad usum tantum nostra teneamus, ut omissa, volumus, nolumus, fuerint, non ad hæredum nostrorum carnalium, atque parentum, sed ad Ecclesiam, cui Deo auctore deservimus, de cujus rebus stipendia habemus, loco hæreditario relinquamus.*

Caput XXXII. est de eleemosynis; statuitque, ut *Si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua, vel pro Confessione, aut infirmitate, seu pro quolibet charo suo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc Sacerdos à tribuente accipiat, & inde quod voluerit faciat.* Si autem omnibus Sacerdotibus sub tali conditione, vel alio modo sit datum, *omnes hanc eleemosynam communem habeant.* Ex duobus hisce postremis capitibus patet, Canonicos à *Chrodegango* institutos voto paupertatis adstrictos non fuisse, adeóque non fuisse Canonicos propriè Regulares. Eleemosynæ pro Missis aut confessione Canonicis datæ. Canonici illi voto paupertatis communi adstricti.

Caput XXXIII. Ritum præscribit, quod ad Capitulum, & ad Missam, diebus Dominicis, vel Festivitatibus Sanctorum, accedere debeant. *Caput XXXIV.* est de Matriculariis, qui bis in mense ad sacram lectionem audiendam convenire & peccata sua bis per annum Sacerdoti confiteri jubentur. Erant autem Matricularii, pauperes in Ecclesiæ matricula descripti, quibus aliquæ possessiunculæ & prædiola titulo precariæ & beneficii ad victum assignabantur. Ante Chrodegangum, *Canonicam Religionem* in Remensi Clero *S. Rigobertus* restituerat, & *eorum usibus ærarium commune instituerat*, ut testatur Flodoardus *Lib. 2. cap. 11.* Sed Regulam dederat nullam.

V. Curatorum institutio penès solum Episcopum erat, quamvis jure Patronatûs etiam à Laïcis præsentari vel nominari possent. Id constat ex Responsis *Zachariæ* Pontificis Maximi ad Capitula *Pippini*, cap. xv. *Pro eo*, inquit, *quod interrogatum est de laïcis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere aut gubernare; à Sanctis Patribus ita statutum est, & in præceptis Apostolicis sic continetur, juxta petitoris imploratum, ut si in quolibet fundo cujuscumque juris Oratorium sive Basilica fuerit constructa pro ejus devotione in honorem cujuscumque Sancti, in cujus Episcopi Parochia fundatum fuerit Oratorium, percepta primitus Donatione legitimâ, id est, præstante eo, gestisque municipalibus allegatâ, prædictum Oratorium absque Missis publicis solemniter consecrabit: ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisteria construantur, nec Presbyter constituatur Cardinalis: sed & si Missas ibi facere maluerit, ab Episcopo noverit Presbyterum postulandum; quatenus nihil à quolibet alio Sacerdote ullatenus præsumatur, nisi ab Episcopo fuerit ordinatum.* Collatio beneficiorum penes Episcopos.

Inter *Sancti Bonifacii* Moguntini *Archiepiscopi* Statuta, hæc leguntur, quæ disciplinæ caput, de quo agimus, confirmant: *Ut Laïci Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, nec mittere præsumant sine consensu Episcoporum suorum..... Ut Laïci omnino non audeant à Presbyteris munera exigere propter commendationem Ecclesiæ cuique Presbytero.*

Concilium Vernense Canone VII. statuit: *Ut publicum Baptisterium in nulla Parochia esse debeat, nisi ubi Episcopus constituerit, cujus Parochia est, &c.* Et Canone VIII. *Ut omnes Presbyteri, qui in Parochia sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter præsumat in illa Parochia baptizare,*

baptizare, nec Missas celebrare, sine jussione Episcopi in cujus Parochia sit.

Verbi divini prædicatio Presbyteris demandata.

VI. Non solùm Episcopi, sed etiam Presbyteri, verbum Dei prædicabant, ut constat ex Capitulari Aquisgranensi *Caroli Magni*, anni 769 Cap LXXX. quo & normam prædicandi statuit, quam à Concionatoribus benè multis attendi velim, qui ex proprio sensu prædicant, inanes conceptus venditantes, famelicis populis cupedias porrigentes, non panem; verbum hominum prædicantes, Dei verbum adulterantes. *Sed & vestrûm*, inquit, *videndum est, dilectissimi & venerabiles Pastores & Rectores Ecclesiarum Dei, ut Presbyteri quos mittitis per Parochias vestras ad regendum & ad prædicandum per Ecclesias populum Deo servientem, ut rectè & honestè prædicent; & non sinatis nova & non canonica aliquos ex suo sensu, & non secundùm Scripturas Sacras fingere & prædicare populo. Sed & vosmetipsi utilia honesta & recta, & quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate, aliósque instruite ut hæc eadem prædicent.*

Qui populis prædicandum?

Primò omnium prædicandum est omnibus generaliter ut credant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & unam esse deitatem, substantiam, & majestatem in tribus personis Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.

Item prædicandum est quomodo Filius Dei incarnatus est de Spiritu-Sancto, & ex Maria semper Virgine pro salute & reparatione humani generis, passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cœlos, & quomodo iterum venturus sit in Majestate divina judicare omnes homines secundùm merita propria, & quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo, & cum Angelis suis in vitam æternam.

Item diligenter prædicandum est de resurrectione mortuorum, ut sciant & credant in iisdem corporibus præmia meritorum accepturos.

Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente: *

Galat. 5.

„ Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt for-
„ nicatio, immunditia, luxuria, idolorum servi-
„ tus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmula-
„ tiones, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses,
„ sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessatio-
„ nes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prædi-
„ xi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conse-
„ quentur. *Ideo hæc eadem, quæ magnus Prædicator Ecclesiæ Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibeantur, intelligentes quàm sit terribile illud quod dixit:* Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non
„ consequentur.

Sed & omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis, & confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis, secundùm Orationem Dominicam, debita sua dimittant, scientes certissimè, quòd qui talia agunt, regnum Dei possidebunt.

Ante Carolum Magnum Venerabilis *Beda* ad *Egbertum* Eboracensem Archiepiscopum scribens, ipsum hortatur: *Ut populis sufficientes Doctores vitæ salutaris adhibeat, & hoc eos inter alia discere faciat, quibus operibus maximè Deo placere, à quibus se debeant abstinere peccatis, quàm frequenti diligentiâ signaculo se Dominicæ Crucis suáque omnia munire; quàm salutaris sit omni Christianorum generi quotidiana Dominici Corporis ac Sanguinis perceptio, juxta quod Ecclesiam Christi per Italiam, Galliam, Africam, Græciam, ac totum Orientem solerter agere noverat. Quod videlicet genus religionis*, inquit, *ac devotæ sanctificationis, tam longè à cunctis penè Provinciæ nostræ Laïcis per incuriam docentium quasi peregrinum abest, ut hi qui inter illos religiosiores esse videntur, nonnisi in Natali Domini, & Epiphania, & Pascha, Sacrosanctis Mysteriis communicare præsumant: cùm sint innumeri innocentes & castissimæ conversationis pueri ac puellæ, juvenes & virgines, senes & anus, qui absque ullo scrupulo controversiæ omni die Dominico, sive etiam in Natalitiis Sanctorum Apostolorum & Martyrum, quomodo ipse in sancta Romana & Apostolica Ecclesia fieri vidisti, Mysteriis cœlestibus communicare valeant. Ipsi etiam conjugati, si quis sibi mensuram continentiæ ostendat & virtutem castitatis insinuet, idem & licenter possint, & libenter facere velint.*

Ad frequentem Communionem Communicationis adhortatur innocentes & continentes.

Beneficiorum pluralitas abnuitur contra Canones.

VII. Beneficiorum pluralitas æquè vetita fuit octavo sæculo ac superioribus. Uni tamen plura Beneficia interdum commendata ob Ecclesiæ bonum. De isto Disciplinæ capite Synodus Septima Canone XV. ita statuit. *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim est hoc & turpis commodi proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Unusquisque, secundùm Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt à Deo. Et hæc quidem in hac à Deo conservanda Urbe. Cæterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.*

Regula *Chrodegangi* ab Anonymo interpolata, & *Tomo 1. Spicilegii* edita, *Cap. LXVII.* ita statuit: *Presbyter non amplius quàm unam Ecclesiam habeat; sicut & vir unam uxorem.* Quod & in Concilio Nannetensi, Canone VIII. sancitum est.

Hunc cum Hugone Caroli Magni filio naturali, quòd Rotomagensem quoque Episcopatum tenuerit, malè confundunt Auctor Anonymus, cujus scriptû extat in Bibliotheca Cœnobii Gemmeticensis, & Baldericus Dolensis Antistes. Qua de re lege Appendicem P. Mabillonii ad Vitam S. Hugonis, P. I Sæc. III. Benedict.

Hugo Caroli Martelli nepos, malis temporibus plures Episcopatus & Abbatias administravit, ut testatur *Chronicon Fontanellense, Cap. VIII. Hic,* inquit, *Præsulatum Ecclesiæ Parisiacæ, similíque Bajocassinæ, cum Rothomagensi tenuit, factione scilicet Patrui sui Caroli Principis: Extra Decreta tamen Canonum. Cœnobia verò, nobiliora Fontinellam & Gemmeticum; Prædia verò Regia quæ ejus insederunt animo. Non enim causa perversæ cupiditatis, aut aliquo seculari fastu, à patruo suo Carolo Principe, sive à Regibus Francorum qui ejus tempore sceptra Regni hujus tenuerunt, ea impetrabat, sed ut statim Ecclesiis Christi contraderet.*

Quàm sanctè tot Beneficiorum reditus dispensaverit, idem Chronicon testatur. *Quæ cuncta*, inquit, *si qui pleniùs scire cupimus, scrinia civitatum Rothomagensis, Parisiacæ, & Bajocassinæ, & hujus Cœnobii Fontanellensis, similíque Gemmeticensis revolvans; illicque invenient quantam sollicitudinem ac pervigilem curam de constructione, propagatione, & administratione, ac exaltatione Ecclesiarum habuerit.* Cùm à *Carolo Martello* plures Episcopatus, & Abbatiæ Laïcis traditæ essent, qui milites & pecuniam ad bellum contra Saracenos difficillimum suppeditabant, *Hugo* plures Episcopatus & Abbatias tenens, eas in libertatem asserebat, impediebátque ne venirent in Laïcorum potestatem: & in Ecclesiæ bonum omnes illos reditus convertebat. *Raginfridus* Rotomagensis Archiepiscopus simul & Abbas fuit Cœnobii Fontanellensis, quòd cùm indignè administraret, nihilque ad consulta Fratrum agere vellet, immo alimenta corporis ac tegumenta eis subtraheret, Monachi apud *Pippinum* Principem de illius tyrannide conquesti sunt. *Nec mora*, inquit Chronographus Fontanellensis, *quæ petierant adipiscuntur. Ex templo namque Auctoritate Regia idem Raginfridus de ordine regiminis hujus Cœnobii depositus est, reservato sibi Episcopatu Ecclesiæ Rotomagensis.* Carolus Magnus nulli *Episcoporum Abbatiam vel Ecclesias ad jus Regium pertinentes*, nisi

Cap. XI.

nisi gravissimis de causis unquam contulit, ut Monachus San-Gallensis testatur.

Alcuino suo filiorúmque suorum Præceptori Abbatias *Sancti Martini* Turonensis, *Sancti Lupi* Trecensis, necnon Ferrariensem in Diœcesi Senonensi contulit, ac præterea Cellam *Sancti Jodoci*, & Cormaricensem. *Alcuinus* tot Beneficiis ad fastum luxúmque non abutebatur, sed earum administrationem suscepit ut collapsam in illis disciplinam, ipsúmque bonorum temporalium statum restauraret. Quàm sanctè in sacris illis Præfecturis vixerit, quantùm Ecclesiæ profuerit ac Reipublicæ, Scholam Turonicam moderando, Clericósque ad hoc pietatis & doctrinæ Ecclesiasticæ Seminarium confluentes instituendo, nemo nescit, qui Vitam Alcuini noverit, ab Auctore suppari, ex relatione *Sigulfi*, unius ex ejus discipulis scriptam. *Evoluto*, inquit, *non parvo tempore postquam Albinus secundò ad Carolum reversus est, Sancti Martini apud Turonos præficitur Pastor Monasterii isdem, qui dignè Deo istud cum aliis regens Monasteriis, vitam subjectorum, quantùm valuit, corrigere studuit. Ac quos indomitos accepit, rationabiles honestisque moribus ut essent, & sapientes inquisitores, sategit.* Et infra: *Cum igitur senectute annique infirmitate plus solito se sentiret affectum, diu ut secum tractaverat, velle se significavit Regi Carolo seculum relinquere, postulans licentiam apud Sanctum Bonifacium Monasticam Vitam, secundùm Regulam Sancti Benedicti ducere, Monasteriáque sibi commissa suos ut inter Discipulos divideret, si fieri posset. Sed Rex unum denegavit; alterum libenter audivit, flagitans quietissimus Turonis honorificentissimè ut resideret, sibique & omni sanctæ Ecclesiæ commissæ non detrectaret.... Fecit ergo & ipse Albinus ut Rex sapientissimus rogaverat, non quærens quod sibi foret utile, sed quod multis; ac Turonis diem novissimum præstolatus fuit. Vita denique ejus non Monasteria inferior fuit. Nam qualis in Patribus superius nominatis præcesserat, talis & in illo durabat; in jejuniis scilicet, in orationibus, in carnis mortificatione, in eleemosynis, in Psalmorum & Missarum multa celebratione, & in aliis virtutibus, quibus possibile est humanam ornari naturam. Præter enim dies Resurrectionis ac festivitatis, jejunium protelabat in vesperum.* Et infra: *Fugiebat modis omnibus otiositatem. Nam aut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat & psalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens necessitatibus. Erat pauperum pater, humilibus humilior, divitum ad pietatem invitator..... Celebrabat omni die Missarum solennia multa cum honestatis diligentia, habens singulis hebdomadæ diebus Missas deputatas proprias. Dominica porro die, nullo unquam tempore, postquam lux inchoasset apparere aurora se trahebat sopori: Sed velociter Levitice se præparans, suo cum Sigulfo Presbytero Missarum celebrat solennia specialium usque horam tertiam. Et tunc nimiâ cum reverentiâ publicam intrabat ad Missam.* Hæc *Alcuino* vitæ ratio erat. Unde non ex cupiditate, aut ambitione, tot fruebatur Beneficiis, sed ut Ecclesiæ prodesset. Hujus enim bono se totum devoverat; cujus unius studiô Scholam San-Martinianam moderabatur, profanásque & sacras Literas docebat. Quâ de re ad *Carolum Magnum* his verbis scribebat, Epistola I. *Ego verò Flaccus vester secundùm exhortationem & bonam voluntatem vestram, aliis per tecta sancti Martini sanctarum mella Scripturarum ministrare satago. Alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo. Alios Grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam. Quosdam stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnæ domus culmine illuminare gestio. Plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem Imperialis Regni vestri erudiam.*

Denique quàm alienus fuerit ab opum cupiditate, & à fastu *Alcuinus*, quàm fuerit ad serviendum Ecclesiæ comparatus, colligere est ex ejus Epistola ad *Laidradum* Lugdunensem Archiepiscopum, *Nefridium* Narbonensem, & Benedictum Abbatem, libris ejus adversùs *Elipandum* præfixâ, in qua hæretico illi Antistiti divitias & numerosum famulitium ipsi exprobranti sic respondet: *Improperant & mihi idem præfatus Pater divitiarum multitudinem, servorum atque ad viginti millia numerositatem: Ignorans quo animo quis habeat seculum. Aliud est habere seculum; aliud haberi à seculo. Est qui habet divitias, & non habet; est qui non habet, & habet. Hominem verò ad meum nunquam comparavi servitium, sed magis devota caritate omnibus Christi Dei mei famulis servire desiderans, ad cujus servitutis facultatem, divinâ, ut credo, jubente dispensatione, ad gloriosum & omni honore nominandum hujus Regni Principem & Regem Carolum adveni.*

ARTICULUS IV.

De Monachis, & Sanctimonialibus.

I. SANCTI BENEDICTI Regula in Francia, Germania, & Anglia, primas tenebat octavo sæculo, & omnia pene Monasteria eam suscepere. Synodus Germanica anno 743. Canone 16. statuit: *Ut Monachi & Ancillæ Dei Monasteriales, juxta Regulam Sancti Benedicti Cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare, vivere studeant: & vitam propriam degere secundùm prædicti Patris ordinationem non negligant.* In Concilio Liptinensi, *Abbates & Monachi receperunt Regulam Sancti Patris Benedicti, ad restaurandam normam regularis vitæ.* Hinc *Carolus Magnus* in Capitulari Aquisgranensi, Cap. LXXIII. Probationem præmitti decernit ante Professionem Monasticam, juxta Regulam *Sancti Benedicti*, quam satis indicat, etsi disertè non nominet. *Simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicumque qui se voto Monachicæ Vitæ constrinxerunt, monachicè & regulariter omnimodis secundùm votum suum vivant, &c. Et ut ad Monasteria venientes, secundùm regularem ordinem primò in pulsatorio probentur, & sic recipiantur. Et qui ex sæculari habitu in Monasteria veniunt, non statim foras ad ministeria Monasterii mittantur, antequam probentur.* Et in Capitulari quod propriè Monachos spectat, Cap. XI. hæc habentur: *De noviter venientibus ad conversionem, ut secundùm Regulam probentur, & non antea recipiantur, nisi sicut Regula jubet. Et nullus rogatur invitus promittere: & de obedientia & de stabilitate permanendi, sicut Regula jubet.* In aliis etiam Capitibus *Sancti Benedicti* Regula spectatur, ut Cap. V. *De Decanis & Præpositis, ut eorum mutatio secundùm Regulam fiat.* Cap. VI. *De Cellariis Monasterii, ut non avari, sed tales mittantur, quales Regula præcipit.* Cap. IX. *De susceptione hospitum, sicut Regula continet.* Ex Vita *Sancti Vvilfridi* ab *Eddio Stephano* coævo Auctore scripta, & edita I. P. Seculi IV. Benedictini, constat illum instituta Monasteriorum Northumbriæ meliorasse, præscribendo ipsis Regulam Sancti Benedicti.

Regula S. Benedicti in usu in Galliæ, Germaniæ, & Angliæ, recepta.

II. Monachi Sæculo octavo subditi erant Episcopis, sicut & Sanctimoniales. Id probant Statuta *Sancti Bonifacii* Archiepiscopi Moguntini. * Statuit enim Archipræsul Sanctissimus Cap. XI. *Ut Abbates, vel Abbatissæ, sic castè vivant, ut subjectos, subjectásque illorum, vel illarum, exemplum ostendant sanctæ conversationis. Quòd si non fecerint, ab Episcopo corrigantur. Si autem Episcopum minimè audierint, Episcopus Imperatori indicare faciat.* Cap. XII. *Ut diligenter unusquisque Episcopus in sua Parochia prævideat, ut ubi Monasterium Mona-*

* Tomo IX. Spicilegii.

Monachi Episcopis subditi.

chorum fuerit, si regulariter vivant & monachicè: ubi autem Canonica vita fuerit, bene & canonice vivant. Cap. XIII. *Ut Episcopi puellarum Monasteria diligenti studio perscrutentur, &c.* Idem constat ex Concilio Vernensi Canone 3. quo sancitum est, *Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de Clero, quàm de Regularibus vel secularibus, ad corrigendum & emendandum, secundùm ordinem canonicum spiritalem, ut sic vivant qualiter Deo placere possint.* Et Canone 5. *Ut Monasteria, tam virorum, quàm puellarum, secundùm ordinem regulariter vivant: & si hoc facere contempserint, Episcopus hoc emendare debet. Quòd si non poterit hoc emendare, illi quem Metropolitanum constituimus, hoc innotescat, & ipse hoc emendare faciat. Quòd si hoc nec ipse emendare poterit, ad Synodum publicam exinde veniant, & ibidem canonicam sententiam accipiant. & si publicam Synodum contempserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Episcopis.*

Privilegia & immunitates Monasteriorum.

III. Concessa tamen fuere Monasteriis quibusdam Privilegia, quibus vel omnino, vel ex parte, ab Episcoporum Jurisdictione solverentur. Inter illa insigne est Privilegium Fuldensi Monasterio à *Zacharia* Summo Pontifice concessum, rogante *Sancto Bonifacio* Moguntino Archiepiscopo, qui illud fundaverat in eoque constituerat *Monachos sub Regula Sancti Patris Benedicti viventes, viros strictæ abstinentia, absque carne & vino, absque sicera, & servis, propriam manuum suarum labore contentos*: ut ipse scribebat ad *Zachariam*. Istud autem Monasterium *Zacharias* à cujuscunque Episcopi Jurisdictione solutum, Sedi Apostolicæ immediatè subjecit. Hæc sunt Privilegii verba: *Quia postulasti à nobis, quatenus Monasterium Salvatoris à te constructum, situm in loco qui vocatur Bochonia, erga ripam fluminis Fulda, Privilegii Sedis Apostolicæ infulis decoretur, ut sub Jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore, deservimus, Ecclesia constitutum, nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate, id quod exposcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ Sacerdotem in præfato Monasterio ditionem quamlibet habere, hac auctoritate, præter Sedem Apostolicam, prohibemus. Ita ut, nisi ab Abbate Monasterii fuerit invitatus, nec Missarum solennitatem ibidem quispiam præsumat omni modo celebrare: ut profectò, juxta id quod subjecti Apostolicis Privilegiis consistunt, inconcussè locus donatus permaneat. Consistentes per hujus Decreti nostri paginam, atque interdicentes omnibus omnino cujuslibet Ecclesiæ Præsulibus, vel quacunque dignitate præditis personis, sub Anathematis interpositione, qui hujus præsumpserit præsentis Constituti, à nobis præfato Monasterio indulti, quolibet modo existere temerator.* Privilegium istud auctoritate Regia roboravit *Pippinus* Rex Christianissimus, cum Episcoporum & Procerum consensu. * *Quin*, inquit, *veneranda Pietas tua nostram Excellentiam postulavit pro Monasterio, quod à te noviter instructum est in solitudine Bochonia juxta fluvium Fulda, in loco quem Beatæ memoriæ Carolomannus germanus noster legitima donatione tibi concessit, ut sicut ex auctoritate Principis Apostolorum, pro quo legatione fungeris, Privilegio Sedis Apostolicæ sublimatum esse constat, ita etiam nostræ auctoritatis præcepto roboretur: placuit nobis tuæ petitioni assensum præbere. Et ideo hanc nostram Præceptionis seriem ob honorem Dei, & venerationem Sancti Petri conscribi jussimus, per quam Privilegium Sedis Apostolicæ à Beato Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum, cunctorúmque Fidelium nostrorum, per omnia roboramus: præcipientes ut nullus Sacerdotum in Regno nostro divinitus nobis concesso, in præfato Monasterio Jurisdictionem aliquam sibi vindicet, præter Apostolicam Sedem, &c.* Hujus Monasterii primus Abbas fuit *Sanctus Sturmius*, cujus Vitam exhibet Volumen II. Sæculi III Benedictini.

Tom. 1 Concil. Galliæ, p. 596.

Ibid. p. 581.

Epist. 6. ad Bonifacium Tomo 2. Collect. Histor. Francor. Duchesn. p. 665.

Simile Privilegium *Fulrado* San-Dionysiano Abbati concessit *Stephanus Tertius* pro omnibus Monasteriis ab ipso in Francia fundatis, aut deinceps ab ipso, vel ejus Successoribus, fundandis & ædificandis. *Per hanc*, inquit, *Apostolicam auctoritatem Tibi dilecto filio nostro Fulrado, vel cæteris tuis Successoribus Abbatibus, licentiam & potestatem largientes concedimus ædificandi Monasteria ubicumque in Francia Provincia volueritis, &c. Et omnem cujuslibet Ecclesiæ Episcopum, aut aliam quempiam Sacerdotem, in præfatis Monasteriis ditionem quamlibet habere, præter Sedem Apostolicam, hâc auctoritate prohibemus.*

Tom. 2. Concil. Gall. p. 8.

Sanctus Nivardus Remensis Archiepiscopus, Monasterio Altivillarensi, quod fundaverat, ibi constituens Monachos *sub Regula SS. PP. Benedicti & Columbani* Deo servientes, Privilegium concesserat, quô tantùm abest ut ab Episcoporum Remensium jurisdictione solveretur, ut potiùs iisdem magis adstringeretur, ac sub eorum tuitione maneret: servatâ tamen Monachis libertate eligendi Abbatem. Istius Privilegii meminit *Flodoardus* lib. 1. Historiæ Remensis Ecclesiæ, Cap. VII. *Privilegium quoque* inquit, *poscente præfato Abbate Berchario, eidem contulit Monasterio, ut scilicet ipse Præsul idem Monasterium in suæ juris dominatione, dum adviveret, conservaret; & ut post suum decessum, Remensis Episcopus ipsum Cœnobium gubernet, & eosdem Monachos contra omnes adversitates defendat: ipsi verò Monachi potestatem habeant Prælatum sibi regulariter eligendi, prout in descriptione ipsius Privilegii continetur.* Privilegium istud ante annum sexcentesimum sexagesimum primum, quo *Sanctus Nivardus* obiit, concessum, octavo sæculo inviolatum permansit.

Monachi ad Episcopatus, & ad gravissima Ecclesiæ negotia gerenda assumpti.

IV. Monachi octavo sæculo ad sacras Præfecturas, & ad gravissima Ecclesiæ negotia gerenda conficiendáque assumebantur. In Septima Synodo Legati Sedis Apostolicæ, & Patriarcharum absentium, per omnes Monachi erant. *Sanctus Bonifacius* Germanorum Apostolus, & primus Moguntiæ Archiepiscopus, ejúsque Successor *Lullus*, Monasticam Vitam erant professi. Ratisponenses Episcopi alternis ex Canonicorum & Monachorum ordine assumebantur, ex quo *Sanctus Bonifacius* Episcopos in Bojoaria instituerat, ut testatur *Arnulphus* Ratisponensis Monachus, in *Vita Sancti Emmerami* lib. 2. *Ex eo tempore*, inquit, *quo primum à Bonifacio Apostolicæ Sedis Vicario, juxta Decreta Canonum, in Bojoaria ordinabantur Episcopi, vicissim sibi succedebant in hujus Episcopatu Monachi atque Canonici; ita ut si antecessor esset Canonicus, fieret successor Monachus, & iterum huic succederet Canonicus. Hæc consuetudo usque ad nostra permansit tempora.*

Episcopi in Angliæ Insula Hyensi, more extraordinario & insolito Abbati parebant.

Insula Hyensis in Anglia, celeberrimo *Sancti Columbani* Monasterio insignis, Abbatem habebat sacrorum Moderatorem, cujus jurisdictioni omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi, ob reverentiam *Sancti Columbani* parebant, ut refert *Beda* lib. III. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, Cap. IV. his verbis: *Habere autem solet ipsa Insula Rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato debeant esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus.* Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, Fidei ac Disciplinæ Ecclesiasticæ in Anglia propagatori, ex Monachorum Ordine assumpto, successit *Berechtuvaldus Ecclesiasticis simul ac Monaste-*

rialibus

rialibus Disciplinis summè instructus. S. Cudbertus Abbas Ecclesiæ Lindisfarnensis Episcopus inauguratus est: quâ in Insula *A temporibus antiquis & Episcopus cum Clero, & Abbas solebat manere cum Monachis, qui tamen & ipsi ad curam Episcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus ejus loci Episcopus fuit, cum Monachis illuc & ipse Monachus adveniens, Monachicam in eo conversationem instituit, quomodo & prius B. Pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei Reverendissimo Patre Gregorio. quod & supra posuimus. Sed quia tua Fraternitas,* inquit, *Monasterii Regulis erudita, seorsum fieri non debet a Clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ nuper auctore Deo, ad fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat: sed erant eis omnia communia.* Duobus autem annis in Episcopatu peractis *B. Cudbertus repetiit Insulam ac Monasterium suum, divino admonitus oraculo, quia dies sibi mortis, vel vita magis illius, quæ sola vita dicenda est, jam appropinquaret introitus.* (Ex Beda lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum. *Cap. XXVII. & XXVIII.*)

Hildæ Abbatissæ una ... plex Studia monastica.

Idem Cap. XXIII. de Monasterio *Hildæ* Abbatissæ ita scribit: *Tantùm lectioni divinarum Scripturarum suos vacare subditos, tantùm operibus justitiæ se exercere faciebat, ut facillimè viderentur ibidem, qui Ecclesiasticum gradum, hoc est, Altaris Officium aptè subirent, plurimos posse reperiri. Denique quinque ex eodem Monasterio postea Episcopos videmus, & hos omnes singularis meriti ac sanctitatis viros, &c.* Monasterium illud *Hildæ* Abbatissæ duplex erat. Monachi ex una parte, Sacræ Virgines ex altera, Deo devotissimè serviebant. Hos & illas regebat *Hilda* Abbatissa, atque ad omnem virtutem informabat; & ad Scripturæ Sacræ studium sic excitabat, ut religiosissimos doctissimósque Præsules Monasterium istud deinde Ecclesiæ daret.

S. Vuilbrordus Frisonum Apostolus, & primus Trajectensium Episcopus, Monachus erat, & cum Monachis opus conversionis gentium aggressus est, teste *Alcuino* in ejus Vita. *Statim ablactatum infantulum tradidit pater Ripensis Ecclesiæ Fratribus, Religiosis studiis, & sacris litteris erudiendum, &c. Ibique in prædicto Monasterio multis profuturus, puer, Clericatus accepit tonsuram, & pia professione Monachum se fecit esse, &c. Cum consensu sui Abbatis & Fratrum, in Hiberniam veloci cursu contendit.... ibique duodecim annis inter eximios simul pia Religionis & sacræ lectionis Magistros, futurus multorum populorum Prædicator, erudiebatur, &c. Assumptisque secum duodecim Fratribus eo fidei fervore armatis, quo & ipse, navim conscendit: quorum aliqui postea, ob prædicationis Evangelicæ instantiam, martyrio coronati sunt; aliqui vero Episcopatus ordinem accipientes, post sanctæ prædicationis labores in pace quieverunt.* Quid *Corbinianum* Frisingensem, *Rudbertum* Saltzburgensem, *Suidbertum* Frisiorum Apostolum, *Vuillibaldum* Eistetensem, *Hildulfum* Trevirensem, *Vuillehadum* Bremensem, *Burchardum* Vvirtzburgensem, *Vuilfridum*, & *Joannem* Eboracenses, *Egvvinum* Vvigorniensem, *Aldhelmum* Schireburnensem, *Lambertum* Lugdunensem, *Hugonem* Rothomagensem, *Vuiframnum* Senonensem, *Tetricum* Autissiodorensem, *Eucherium* Aurelianensem, Episcopos sanctissimos commemorem, ex Ordinis Benedictini Monasteriis assumptos, quorum Acta Sæculum III. Benedictinum exhibet?

Monachi ad Episcopatum assumpti re...

V. Qui ad Clericatum & Episcopatum ex Monachorum Ordine assumebantur, Vitam Regularem ducere tenebantur. Id patet ex Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni, cap. 27. *Item in Decretis Innocentii Papæ de eadem re, ut Monachus, si ad Clericatum provehatur, propositum Monachicæ professionis non amittat. Quod enim in Monasterio fuit, & quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet* (inquit, *Innocentius I.*) Idem responderet *Zacharias* Papa ad Capitulum XIII. interrogationum *Pippini* Idem probant Acta Sanctorum quos ex Monasteriis ad Episcopatum assumptos supra diximus.

Professionis Sanctimonialium seu potius consecrationis ætas.

VI. Sanctimoniales ante XXV. ætatis annum haud consecrabantur. Ante hanc tamen ætatem puellæ recipiebantur in Monasteria, in regulari disciplina erudiebantur, & virginitatem suam Christo devovebant. De his *Carolus Magnus* in Capitulari Aquisgranensi ita sanxit Cap. XLVI. *Virgines non velentur ante XXV. annos, nisi rationabili necessitate cogente.* Necessitatem illam explicat Africanæ Synodi Canon XCIII. quem Rex Maximus subjicit; cùm scilicet periclitatur pudicitia virginalis, & vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, aut Virgo in mortis discrimine versatur, &c. Concilium Francofordiense. *Canone XLVI.* de eodem capite disciplinæ ita statuit. *De Virginibus, quo tempore velandæ sint, vel quibus occupationibus ante annos XXV. detinendæ, si necessitas compellit, ea quærantur quæ in Canone scripta sunt.* Zacharias Papa ad Capp. XX. & XXI. Interrogationum *Pippini*, secundum *Innocentii Primi* Decreta respondet, Virgines etiam à Sacerdote non velatas, quæ à proposito virginitatis defecerunt, Pœnitentiæ subjiciendas esse: *Quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bona fides contractus nullâ ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit?*

Pecuniam pro ingressu Monast. exigere nefas.

VII. Pecuniam exigere pro ingressu in Monasteria nefas erat, & Simoniæ species meritò censebatur. Id constat ex Synodo Septima, Canone XVIII. *In tantum* (inquit) *invaluit avaritiæ facinus in Rectores Ecclesiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur Religiosi viri ac mulieres, obliviscentes mandatorum Domini, decipiantur, & per aurum introitus accedentium tam ad sacrum Ordinem, quàm ad Monasticam Vitam efficiant. Unde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut Magnus ait Basilius.* Mos tamen erat in Oriente ut offerrent aliqua Monasteriis instar dotis, qui in ea recipiebantur. Quocirca idem Canon subdit: *Porro quæ filiis à parentibus dantur, more dotis, vel si qua ex propriis rebus acquisita offerantur: profitentibus his qui ea offerunt, Deo dicata, definimus, sive perseveraverint, sive exierint, manere ea in Monasterio, secundum repromissionem ipsorum, nisi fuerit culpa Prælati.*

Dotales oblationes.

Carolus Magnus in Capitulis quæ propriè Monachos spectant, Cap. XV. statuit: *Ut nullus Abbas pro susceptione Monachi præmium quærat.* Synodus Francofordiensis *Canon XVI.* de hoc Disciplinæ capite ita sanxit: *Audivimus enim quod quidam Abbates cupiditate ducti, præmia pro introeuntibus in Monasterium requirant. Ideo placuit nobis, & Sanctæ Synodo, ut pro suscipiendis in Sancto Ordine Fratribus nequaquam pecunia requiratur; sed secundùm Regulam S. Benedicti suscipiantur.* Inter *S. Bonifacii* Moguntini Archiepiscopi Statuta istud legitur XV. *Ut plus non mittantur in Monasteria Canonicorum, neque Monachorum, seu Puellarum, quam sufficere possint.* Monachorum & Sanctimonialium in quovis Monasterio determinatus erat numerus, secundùm facultates Monasterii, ne exigeretur pecunia novi oneris ratione, & quòd Monachis, aut Virginibus ultra numerum susceptis, alendis impar esset. Ignobilibus verò æquè ac nobilibus puellis patebat aditus ad Monasteria, cùm earum probata vocatio erat. Unde Pauliacensis * Monasterii Abbatissa divinitus correpta & infirmitate percussa memoratur in Vita *Sanctæ Austrebertæ*, P. II. Sæculi III. Benedictini, quòd puellam servilis generis, quæ in Sanctimonia-

* De Pavilly.

lium Collegium recipi serventissimè ac humillimè postulabat, rejecisset.

Fœminis non patebat aditus in Ecclesias Monachorum.

VIII. Interdictus erat fœminis in Ecclesias Monachorum ingressus, quibus nunc perperam in Chorum, & in Sacrarium aditus in Monasteriis plerisque patet. Vigebat ejusmodi lex in Cœnobiis Sithivensi & Fuldensi ad Sæculum usque decimum quartum, ut constat ex libro secundo *de Miraculis S. Bertini* à *Folcardo* Cœnobita Sithivensi conscripto, Cap. XII. *Cùm*, inquit, *venerandus Pater noster Bertinus, postquam à diabolo in specie mulieris tentatus esset, & à S. Martino visitatus & liberatus, considerans omnino Monachis non expedire sexu fœmineo quovis modo communicari, sub anathemate aditum fœminarum de aditis ejusdem Cœnobii penitus exclusit. Quod ab ipsius B. Bertini tempore bene ab omnibus observatum est, usque ad illud tempus in quo Adala nobilissima conjux Arnulfi Comitis & Abbatis istius loci, cùm sæpissime magnis infirmitatibus esset aggravata, desiderare cœpit, ut in hoc Monasterio ei licentiam Monachi darent intrare, ut eorum altari S. Bertini pro salute deprecatura liceret se prosternere. Hujus igitur rei causâ, advocatis venerabilibus Episcopis Vuicfrido Tarvennensis Ecclesiæ Episcopo, & Folberto Cameracensi, denudavit eis desiderium suum; acceptâ etiam à Monachis licentiâ anno Nativitatis Domini nongentesimo trigesimo octavo, annóque quinto Ludovici Regis, Feria secunda Paschæ introduxerunt eam præfati Episcopi in eodem Monasterio, non sine tremore maximo: quoniam hoc illa prima facere præsumpserat, quòd antea Reginarum nulla concupiscere vel audebat. Sicque introducta, & ante altare B. Bertini prostrata, devotè orationе fusâ, plenam corporis sospitatem recepit.* Vita Sancti Bertini Sithivensis Abbatis edita est P. I. Sæculi III. Benedictini.

De Fuldensi Cœnobio idem constat ex Vita Sanctæ *Liobæ* Abbatissæ Biscofhemensis Auctore *Rudolfo* Monacho Fuldensi, in quâ de Sancta illa Virgine hæc leguntur: *Interdum etiam & ad Monasterium Fuldensium Monachorum causâ orationis venire solebat, quod nec priùs, nec postea ulli unquam fœminarum concedi potuit: quia loco illi, ex quo à Monachis habitari cœptus est, fœmineus negabatur ingressus. Tantùm autem huic soli concessum est propter hoc quòd S. Martyr Bonifacius eam Senioribus eorum commendavit, corpúsque illius ibi sepeliendum decrevit. Cujus tamen adventus hoc ordine moderabatur. Relictis enim in vicina cella discipulabus ac pedissequis suis, ipsa, cum una cæteris maturiore, Monasterium diurno tantùm tempore intravit: & post orationem completa cum Fratribus collatione, noctibus semper ad Discipulas suas, quas in cella dimiserat, revertebatur.* Vita S. Liobæ edita est P. II. Sæculi III. Benedictioi.

Monachi miracula per Sanctos domesticos patrata occultabant.

IX. Tantus erat Monachis solitudinis amor, ut miracula si quando per Sanctos in Ecclesiis suis patrarentur, aut occultare, aut cohibere pro virili studerent, ne confluentium hominum turbas paterentur, eorúmque frequentiâ disciplina regularis remitteretur. Sic *S. Hidulfus* ex Episcopo Trevirensi Medianensis * Monasterii primus Abbas, *S. Spinulo*, etsi mortuo, præcepit ut à patrandis miraculis cessaret, quamvis inde temporalia etiam commoda in Monasterium redundarent. Qua de re Senoniensis * Chronographus *Richerius* ita scribit: *Ad augmentum gloriæ Sancti tres salinarii fontes in horto penes Monasterium sunt inventi. Fama igitur miraculorum & salinarum longè latéque divulgata tantam populi multitudinem ad ipsum locum deduxit, ut locus affluentiam gentium minimè capere potuisset. Unde vir ille Sanctus Hidulfus suæ inquietationis molestiam, quam ab advenientibus sustinebat, ferre non valebat, licèt Monasterio suo pro virtutibus Sancti & salinarum quæstu aliquid emolumenti conferri ab illa gente videretur. Vir igitur beatissimus Hidulfus, qui pro divitiis mundi acquirendis paupertatis onus sibi non assumpserat, videns se & suos à proposito suo non modicùm affluentiâ populi deviare, auxilium divinum super hoc duxit requirendum.* Ipsum porrò ad Ecclesiam accessisse memorat, & ad *S. Spinuli* sepulchrum orationi incubuisse, & quasi vivo loqueretur, dixisse: *Gratias agimus Deo Salvatori, ô frater Spinule! quòd miraculis fidem facientibus te divinæ Majestati astare certissimè credimus; etiam naufragia præsentis sæculi evasisse te, ac cœlesti gloria potiri gaudemus. Sed si frequentia populorum, quam Deus per te huc confluere fecit, aliquandiu pressi fuerimus, non modicùm à via regia, quæ ducit ad vitam, nos declinare videbis. Unde te in illa obedientia, quam dum viveres, nobis irradiabiliter exhibere solebas, admonemus & exhortamur in Domino, &c. ... Videres mortuum, quasi viveret, Magistro jubenti obedire, cessantibus signis miraculorum, aquis salsis in dulcedinem redeuntibus. Affluentiâ repressâ populorum, Vir Sanctus & Fratres sui sine tumultûs molestia, Deo deinde servierunt. Videns verò Deus famulum suum sibi toto corde, & non mundo inhærere, quia parvum & instabilem quæstum tam leviter abjecerat, majora pro minoribus statim ei restituere dignatus est. Nam prædia multa in Alsatiæ partibus, necnon in Lotharingia, à Potentibus & Primatibus terræ, & alia quamplurima à diversis Fidelibus, Deo operante, sunt collata; quæ omnibus suprà dictis trecentis Fratribus ad victum sufficere possent.*

De Medianm. Monast.

De Senone.

S. Pardoux.

Eadem religione Sarlatenses Monachi, cùm *Sancti Pardulphi* * Abbatis corpus è Garactensi Monasterio acceptum, juxta loculum *S. Sacerdotis* Lemovicensis collocassent, fierentque in dies miracula, quibus illuc frequens populus invitabatur, Sanctum *Abbatem à Pontifice separantes, in Ecclesiam S. Joannis extra Monasterium transtulerunt*, teste *Gaufredo* Priore Vosiensi in Chronico lib. 1. cap. 1. Quantùm illa miraculorum ostentatio disciplinæ regulari obesset, testis est *Rodulfus* Abbas in *Chrenico S. Trudonis* lib. 1. Studium illud occultandi miracula per Sanctos domesticos patrata apud Monachos undecimo sæculo adhuc perseverasse tradens, ubi de *Gontramno* Abbate scribit: * *Hujus vitæ ultimis annis Domini nostri Trudonis sepulchrum frequentissimè cœpit coruscare miraculis, quæ ille studiosissimè satagebat occultare; sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat,* * Signa data esse infidelibus, non fidelibus, *dicebat: Quod non longè post illum nonnulli de nostris experti sunt, qui inter ipsa quoque miracula Deum offendere non timuerunt.* Nimirum, ut idem Chronographus observat initio libri 2. sub *Adelardo II.* Abbate *Guthramni* successore, *Cœperunt haberi miracula & virtutes sepulchri S. Trudonis non tam timori & reverentiæ, quàm ostentui & populari gloriæ. Frequentabat enim sepulchrum ejus infinitus peregrinorum numerus. ... Oratorium, chorus, templum, claustrum, pratum nocte diéque non inveniebatur à multitudine vacuum, quarum perstrepentium continua inquietatio magna fiebat molestia, & ordinis impedimento, Senioribus solitis & volentibus Deo servire in quiete & silentio. Juniores verò, quibus tædio erat Religio, & disciplinæ odio, gratulabantur priùs occultè hac quasi necessitate se Magistræ Regulæ mandata præterire, &c.* Et infra. *Quantò longiùs ferebatur relatione peregrinorum gloriosa celebritas miraculorum S. Trudonis, tantò & nostrorum reprehendebatur sæcularitas ex levitate morum & abusione indisciplinationis. Erat enim summa opportunitas quibusque nostri Ordinis perire volentibus, ex peregrina, ut dixi, veniente & abeunte multitudine, tum ex confracti Monasterii vasta reparandáque amplitudine.*

Tom VII. Spicilegii Dacheriani.

1 Cor. 14.

Seminaria & Scholæ in Monasteriis.

X. Cœnobia Seminaria erant, in qoibus pneri ad pietatem & studia litterarum instituebantur. Id constat ex Capitulari Aquisgranensi *Caroli Magni* cujus LXXII. Capite statuitur, ut tàm Monachi,

quam

quàm Canonici, *non solùm servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibique socient. Et ut Scholæ legentium puerorum fiant, Psalmos, notas, computum, Grammaticam per singula Monasteria, vel Episcopia discant.* Hac de re *Carolus Magnus* Encyclicam ad omnes Episcopos & Abbates Epistolam dedit. *Notum sit*, inquit, *Deo placitæ Devotioni vestræ, quia nos unà cum Fidelibus nostris consideravimus, utile esse, ut Episcopia, & Monasteria, nobis Christo propitio ad gubernandum commissa, præter Regularis vitæ ordinem, atque Sanctæ Religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus, eis qui donante Domino discere possunt, secundùm uniuscujusque capacitatem, docendi studium debeant impendere: qualiter sicut Regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi & discendi instantia ordinet & ornet seriem verborum; ut qui Deo placere appetunt rectè vivendo, ei etiam placere non negligant rectè loquendo.... Debet ergo quisque discere, quòd optat implere; ut tantò ampliùs quid agere debeat intelligat animus, quantò in omnipotentis Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cùm omnibus hominibus vitanda sint mendacia, quantò magis illi declinare debent, qui ad hoc solummodo probantur electi, ut servire specialiter debeant Veritati? Nam cùm nobis à nonnullis Monasteriis sæpius scripta dirigerentur.... Cognovimus in plerisque præfatis conscriptionibus eorumdem & sensus rectos, & sermones incultos: quia quod pia devotio interiùs fideliter dictabat, hoc exteriùs, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne fortè sicut minor erat in scribendo prudentia; ita quoque & multò minor esset quàm rectè esse debuisset, in Sanctarum Scripturarum ad intelligendum sapientia*, &c. *Cùm autem in Sacris Paginis schemata, tropi, & cætera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est quòd ea unusquisque legens tantò citiùs spiritualiter intelligit, quantò priùs in litterarum magisterio pleniùs instructus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem, & possibilitatem discendi, & desiderium habeant alios instruendi.*

Studia Monastica.

Tom. 2. Concil. Gall. pag. 121.

Angilbertus Abbas Centulensis sive *S. Rhicarii*, de ejusdem Cœnobii restauratione & quasi nova fundatione à se facta ex munificentia *Caroli Magni* ita loquitur, apud Auctorem Chronici Centulensis, lib. 2. cap. 11. *Trecentos Monachos in hoc sancto loco regulariter victuros, auxiliante Deo constituimus: aptantes & ordinantes, ut non plus istius numeri congregatio in perpetuum haberet: Centum etiam pueros scholis erudiendos sub eodem habitu & victu statuimus, qui Fratribus per Choros divisis in auxilium psallendi & canendi intersint.*

XI. Disciplinæ Regularis in Monasteriis, cùm virorum, cum Virginum, restaurandæ, vel conservandæ, Episcopi & Principes maximam habuere curam. Concilium Vernense *Canon VI.* de Monialium clausura diligenter servanda hæc statuit: *Constituimus ut nulla Abbatissa duo Monasteria præsumat habere nec extra Monasterium licentiam habeat exire, nisi hostilitate cogente. Sed Domnus Rex, quando aliquam de ipsis Abbatissis ad se venire jusserit, semel in anno per consensum Episcopi; in cujus Parochia est, ut tunc aliqua veniat ex sua jussione, si necessitas fuerit, & alibi omnino non debeat, nec per villas, nec per alia loca demorari; nisi tantùm, quàm celeriùs potuerit, ambulare & reverti.... Similiter nec illæ Monachæ extra Monasteria exire debeant.* Concilium Liptinense Regulam *S. Benedicti* accuratè servari sanxit à Monachis, & secundùm eam Monasteria ordinari. *Carolus Magnus* in Capitulari Aquisgranensi, & in Capitulis quæ Mona-

Disciplinæ Regularis in Monasteriis conservandæ Reges curam gessere.

Clausura Monialium.

A chos propriè spectant, multas leges edidit ex Canonibus & Regula *S. Benedicti* maximam partem defloratas, quæ Regularem Disciplinam, vel restaurant collapsam, vel conservant restauratam. Ex his multa satis jam à nobis sunt observata. In Capitulari anno XI. Regni sui edito, Cap. III. statuit: *Ut Monasteria Regularia secundùm Regulam vivant, & Monasteria puellarum Ordinem Sanctum custodiant, & unaquæque Abbatissa sine intermissione in suo Monasterio resideat, & duo Monasteria non habeat.* In alio Capitulari de diversis rebus partim Ecclesiasticis, partim Politicis, Cap. III. ita statuit: *De Monasteriis minutis, ubi Nonnanes sine Regula sedent, volumus ut in uno loco Congregatio fiat*
B *Regularis, & Episcopi prævideant ubi fieri possit: & nulla Abbatissa foras Monasterium exire præsumat sine Regis jussione, nec sibi subditas facere permittat: & earum claustra sint bene firmata.* Et Cap. XI. Missis Dominicis per unamquamque Provinciam inquirere jubet, *An sit aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, & Regi renuntiare.* Et Cap. XIV. vetat *Ne Monachi, & qui in gradu Sacerdotali constituti sunt, ad sæcularia negotia transeant.* Cap. XV. prohibet *Ne Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ cuplas canum habeant, aut*
C *falcones, accipitres, vel joculatores.* In Capitulari Aquisgranensi Abbatissarum temerarium superbúmque ausum coërcet, quæ benedictionem viris dare, manúsque illis imponere, & Virgines ritu solenni velare præsumebant. *Auditum est, aliquas Abbatissas, contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ, benedictiones cum manûs impositione, & signaculo sanctæ crucis, super capita virorum dare, necnon & velare Virgines cum benedictione Sacerdotali: quod omnino à vobis, sanctissimi Patres, in vestris Parochiis illis interdicendum esse scitote.* Denique diligenter curandum passim inculcat: *Ut Monachi monachicè*
D *& regulariter vivant, omnimodis secundùm votum suum, secundùm quòd scriptum est: Vota vestra reddite Domino Deo vestro.* Et iterum: *Meliùs est non vovere, quàm vovere, & non reddere.*

Abbatissarum quarumdam præsumptio.

In Capit. Aquisgr. cap. LXXIII.

XII. In Regia Monasteria, id est, quæ vel à Regibus fundata erant, vel à fundatoribus in jus Regium traducta, potestatem maximam Ecclesia Regibus Christianissimis dedit, in eo positam, ut rationes redituum & expensarum coram ipsis reddi deberent, & absque eorum voluntate institui Abbates, vel Abbatissæ, ab Episcopis non possent. Synodi Vernensis Canon XX. duo Monasteriorum genera
E distinguit; alia Regalia, alia Episcopalia; & Regalium quidem rationes Regi; Episcopalium verò Episcopo reddendas statuit. *In alia Synodo nobis perdonastis, ut illa Monasteria, ubi regulariter Monachi, vel Monachæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis unde vivere potuissent, exinde, si Regalis erat, ad Dominum Regem faciant rationes Abbas, vel Abbatissa; & si Episcopalis, ad illum Episcopum. Similiter & de illis vicis.* Statuit *Canon V.* de Abbatibus & Abbatissis secundùm ordinem re-
F gulariter non viventibus, & commissa Monasteria non regentibus, & Episcopi sui, Synodique contemnentibus admonitionem, ut honorem suum perdant: *Et talem in eorum loco in ipsa Synodo constituantur per verbum & voluntatem Domini Regis, vel consensu servorum Dei, qui secundum Ordinem Sanctum ipsum gregem regant.* Concilium Francofordiense, *Canone XLVII* statuit ut *de Abbatissis, quæ canonicè, aut regulariter non vivunt, Episcopi requirant & Regi adnuntient, ut ab honore priventur.* Denique *Carolus Magnus* in Capitulari de causis Regni Italiæ, *Cap. 6.* decernit *De Monasteriis & Xenodochiis quæ per diversos Comitatus esse videntur, ut Regalia sint, & quicumque ea habere voluerit, per beneficium Domni Regis habeat.*

Regum Potestas in Monasteria Regiæ fundationis.

ARTICULUS

ARTICULUS V.

De Bonis Ecclesiæ.

Bonorum Ecclesiæ administratio.

I. BOnorum Ecclesiæ administratio & dispensatio, erat penes Episcopos, octavo sæculo. Id constat ex Canone Synodi Francofordiensis XLVIII. *De oblationibus*, inquit, *quæ in Ecclesia, vel in usus pauperum conferuntur, canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui Episcopus ordinaverit.* Ex summo illo jure administrandi ac dispensandi facultates Ecclesiæ ortum habuit lex ab eadem Synodo lata*, *Ut propinqui vel hæredes Episcopi, res quæ ab Episcopo sunt acquisita, aut per comparationes, aut per traditiones, postquam fuerit ordinatus, nequaquam post ejus obitum hæreditare debeant, sed ad suam Ecclesiam catholicè. Illæ autem, quas priùs habuit, nisi traditionem ad Ecclesiam ex eis fecerit, hæredibus & propinquis succedant.* Sed enim cùm Episcopus summam in rerum Ecclesiasticarum dispensatione potestatem haberet, ac soli Deo rationem reddere teneretur, difficillima fuisset, immò impossibilis discretio bonorum ex propriis vel Ecclesiæ rebus comparatorum, ut illæ ad hæredes transmitterentur, istæ relinquerentur Ecclesiæ. Quamobrem Patres decreverunt omnia prorsus bona post Ordinationem ab Episcopis acquisita, in jus Ecclesiæ cedere debere.

Can. 41.

In quibusdam Ecclesiis jam prædia Canonicis in commune erant ad victum deputata.

II. Aliquæ tamen villæ & prædia Canonicis jam erant assignata in nonnullis Diœcesibus, ut in Metensi, authore Chrodegango, & in Remensi, authore S. Rigoberto, de quo *Flodoardus, lib. 2. Historiæ Remensis, cap. 11.* ita scribit: *Sed & Canonicam Clericis Religionem restituit, ac sufficientia victualia constituit, & prædia quædam illis contulit, necnon ærarium commune usibus eorum instituit. Ad quod has villas delegavit, Museirum, Roseium, &c. Ecclesiam quoque S. Hilarii, cum suburbio ad eum pertinente; scilicet ut in annuâ transitûs sui die sufficiens eis inde refectio pararetur; quæ superessent, ipsis communiter dividenda cederent. Famulos quoque, & eorum colonias, ad necessaria Canonicorum servitia deputavit; & eosdem Christi pauperes rerum suarum hæredes fieri destinavit. Harum verò summa rerum in XL. vel amplius mansos colligitur.*

Divisio bonorum Ecclesiasticorum.

III. Ecclesiæ reditus & oblationes in quatuor partes dividere tenebantur Episcopi, secundùm priscum morem. Id constat ex Capitulari *Gregorii II.* Cap. V. ubi leges dandas Episcopis in Bavaria constituendis proponens, ait: *De reditu verò Ecclesiæ, vel oblationibus Fidelium, quatuor faciat portiones: quarum unam sibi retineat: alteram Clericis pro suorum officiorum sedulitate distribuat: tertiam pauperibus & peregrinis: quartam Ecclesiasticis fabricis noverit reservandam: de quibus divino erit reddituras judicio rationem.* Hæc lex locum habebat; ubi Clericis prædia aut beneficia ad victum in commune assignata non erant: nec restaurationi Ecclesiarum aliò modo provisum erat.

Decimæ, & Nonæ.

IV. Decimas Ecclesiæ solvere monebantur Fideles, quorum in iis retinendis avaritiam, & ingrati erga matrem Ecclesiam animi vitium Deum publicâ fame & terræ sterilitate interdum punire, Patres prædicabant. Id constat ex Canone XXV. Concilii Francofordiensis. *Omnis homo ex sua proprietate legitimam decimam ad Ecclesiam conferat. Experimento enim didicimus, in anno quo illa valida fames irrepsit, ebullire vacuas annonas à dæmonibus devoratas, & voces exprobrationis auditas.* Laïci qui difficillimis temporibus Ecclesiæ prædia in precariam fruenda acceperant, Decimas & Nonas solvere Ecclesiæ tenebantur, & sacras Ædes restaurare. Id discimus ex eodem Canone; *Ut decimas & nonas, sive census omnes generaliter donent, qui debitores sunt, ex Beneficiis & rebus Ecclesiarum, secundùm priora Capitula Domini Regis.* Et Cap. XXVI. *Ut domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata, qui Beneficia exinde habent.* Decimæ & Nonæ erant decima duplex, quam hujusmodi Beneficiarii laïci persolvere tenebantur Ecclesiæ. Qua de re lex à *Carolo Magno* lata extat in Capitulari quod anno regni XI. condidit, Cap. VII. *Ut unusquisque suam decimam donet, atque per jussionem Episcopi dispensentur.* Et Cap. XIV. *De rebus Ecclesiarum, unde nunc census exeunt, Decima & Nona cum ipso censu sit soluta, & unde antea non exierunt, similiter Decima & Nona cum ipso censu sit soluta.* Et lib. 1. Capitularium cap. 163. sancitum legimus: *Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, Nonam & Decimam ex eis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent. Et qui tale beneficium habent, unde ad medietatem laborent, de eorum portione proprio Presbytero Decimas donent.* Hæc disciplina ex lib. 4. Capitularium, Cap. XL. illustratur. *Considerandum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine, Nona & Decima persolvantur. De opere verò & restauratione Ecclesiarum, Comes, & Episcopus, sive Abbas, cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantùm inde accipiat ad reparandum & restaurandum, quantùm ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Vassi nostri, aut in commune tantùm operis accipiant, quantùm rerum Ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se, juxta quantitatem quam ipse tenet, &c.*

Decimarum exactio maxima cum caritate facienda visa est, ita ut remitterentur, si id religionis, & salutis animarum bonorum postularet. Hac de re audiendus *Carolus Magnus* Epistola VII. *Vestra*, inquit, *sanctissima Pietas sapienti consilio prævideat, si melius sit rudibus populis in principio fidei jugum imponere decimarum, ut plena fiat per singulas domos exactio illarum: An Apostoli quoque ab ipso Deo Christo edocti, & ad prædicandum mundo missi, exactiones decimarum exegissent, vel alicubi demandassent dari, considerandum est. Scimus quia decimatio substantiæ nostræ valde bona est. Sed melius est illam amittere, quàm fidem perdere. Nos verò in Fide Catholica nati, nutriti, & edocti, vix consentimus substantiam nostram pleniter decimare. Quantò magis tenera fides, & infantilis animus, & avara mens illarum largitati non consentit? Roborata verò fide, & confirmata consuetudine Christianitatis, tunc quasi viris perfectis fortiora danda sunt præcepta, quæ solida mens religione Christiana non abhorreat.* Edixit tamen *Carolus Magnus*, ut excommunicatione plecterentur, qui solvere decimas pertinaciter recusarent. lib. 2. Capitularium cap. 38. *Qui decimas post crebras admonitiones & prædicationes Sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento verò eos constringi nolumus, propter periculum perjurii.*

ARTICULUS VI.

De Oneribus, & Immunitatibus Ecclesiarum & Clericorum.

CAROLUS MARTELLUS, Major-Domus & Dux Francorum, Episcopatuum, Abbatiarum, aliorumve Beneficiorum Ecclesiasticorum reditus Laicis Nobilibus dedit, qui ad Saracenos propulsandos operam contulerant, in eoque bello suas pene exhauserant facultates. Paucæ fuerunt admodum à quibus manus abstineret. In Chronico Episcoporum Albigensium, & Abbatum Castrensium referuntur hi versus fronti majoris januæ Ecclesiæ

Tom. VII. Spicileg.

Sancti

Sancti Benedicti Castrensis inscripti, de *Alphonso IV.* Abbate.

Nobilium ut reparet Marcellus damna virorum:
Injecit dominas in sacra feuda manus:
Castrensi gazæ parcens Abbatis amore,
Cujus consilio est usus & auxilio.
Proximus est morti Princeps, hunc excitat Abbas,
Et tinctum Christi Sanguine monstrat iter.

Hac de re conquestus & Bonifacius Apostolicæ Sedis Legatus Epistola 32. ad Zachariam Papam: *Modo*, inquit, *maxima parte per civitates, Episcopales Sedes tradita sunt Laicis cupidis ad possidendum, vel adulteris Clericis, scortatoribus, & publicanis sæculariter ad perfruendum.* Istius temporis calamitatem egregiè describit Fontanellensis Chronographus, agens de *Teuthsinda* Abbate, qui locum regiminis adeptus anno 734. hoc Cœnobium ad maximam paupertatem redegit. *Nam penè tertiam facultatum partem abstulit, suisque propinquis ac Regiis hominibus ad possidendum contradidit... Unde Milites Christi alimoniam consequebantur, inde nunc pastus exhibetur canibus: & unde lumen ante aram Christi in Ecclesia lucere solebat, inde armillæ, baltei, & calcares fabricantur, necnon sella equina auro argentóque decorantur... Tales quippe Rectores nequiores sunt Paganis: quoniam si Pagani locum ipsum cremaverint, terram tamen secum non tollunt.*

Feuda quædam & pecunia [illegible] precario & [illegible] ab Ecclesiis & [illegible] præstita in subsidium exercitus, & consensu Episcoporum.

Carolomannus & Pippinus cum bona Ecclesiis à Carolo patre ablata, & à Laïcis occupata restituere omnino non possent, nutante Monarchia, bellisque externis ac domesticis conflictatâ, ab Episcopis impetraverunt, ut sub precario & censu à Comitibus, aliisque Laïcis ex nobilium ac militarium virorum ordine tenerentur; eâ conditione ut singulis annis unaquæque casata duodecim denarios Ecclesiæ vel Monasterio solveret, donec res integræ restituerentur. Precaria illa aut militare beneficium, erat ad tempus concessum, ob necessitatem gravissimam: extinguebatur morte beneficiati: si necessitas cogeret, renovabatur precaria jussu Principis: non subtrahebantur Ecclesiis aut Monasteriis reditus ad Clericorum aut Monachorum sustentationem necessarii, sed abundantes. In Ecclesiæ detrimentum non cedebat illud onus: si quidem penuriam propterea non patiebantur ejus Ministri, nec alienebantur ejus bona: & hujusmodi beneficia conferebat charitas, quæ pro Reipublicæ defensione sollicita esse debet, cujus perturbatis temporibus tranquilla Ecclesia vix esse potest, cum Ecclesia sit in Republica. Ista sacrorum feudorum, seu Ecclesiasticæ pecuniæ præstatio in subsidium exercitus, fiebat omnium Regni Ordinum consensu. Sic in Synodo Liptinensi *Sacerdotes, Comites & Præfecti*, consensum præbuere Decreto edito de pecunia Ecclesiæ sub precario & censu in subsidium exercitus præstanda. Canon secundus Principis editus nomine sic habet: *Statuimus quoque, cum Concilium Servorum Dei, & populi Christiani, propter imminentia bella, & persecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem Ecclesialis pecuniæ in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei, aliquanto tempore retineamus, ea conditione ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii ad Ecclesiam vel Monasterium reddantur: eo modo ut si moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Ecclesia cum propria pecunia revestita sit. Et iterum, si necessitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum. Et omnino observetur ut Ecclesiæ vel Monasteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit: Et si paupertas cogat, Ecclesiæ vel domui Dei integra reddatur possessio.*

In Concilio Suessionensi, *Pippinus* Dux & Princeps Francorum, *unà cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel servorum Dei consilio, sive Comitum & Optimatum Francorum*, statuit cap. III. *Ut de rebus Ecclesiasticis, subtractis Monachis vel Ancillis Dei consolentur, usque dum illorum necessitati satisfaciant; & quod superaverit, census levetur.* Addit: *Et Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantùm homines eorum transmittant.* Ex hac parte Canonis colligitur, Abbates alios fuisse *Legitimos*, id est, Abbatiarum administrationi Canonicè præpositos, sive Episcopi essent, aut Clerici, sive (quod fiebat ut plurimùm) ex Monachorum Ordine ab iisdem Monachis electi. Alios militares & fiduciarios, qui Abbatias in Feudum tenebant ex Principis concessione & Ecclesiæ consensu. Isti non solùm milites suppeditare Principi tenebantur, sed ipsi ad bellum proficisci & contra hostes pugnare: illi vero à bellicis expeditionibus immunes erant; sed milites ad certum numerum suppeditare debebant.

Bonifacii Episcopi & Sedis Apostolicæ Legati, aliorumque Præsulum œconomiam in permittendis precariis & censu cujus meminimus, approbavit ac laudavit *Zacharias* Pontifex Maximus Epistola VIII. ad ipsum Bonifacium. *De censu verò expetende*, inquit, *eò quod impetrare à Francis ad reddendum Ecclesiis, vel Monasteriis non potuisti aliud, quàm ut vertente anno ab unoquoque conjugio servorum XII. denarii reddantur: Et hoc gratias Deo quia potuisti impetrare; & dum Dominus donaverit quietem, augeantur & luminaria Sanctorum, pro eo quod nunc tribulatio accidit Saracenorum, Saxonum, vel Frisonum, sicut tu ipse nobis innotuisti.*

Tom. II. Concil. Galliæ.

Longè aberat ab hujusmodi precaria & censu bonorum Ecclesiasticorum invasio, & Monasteriorum usurpatio à Laïcis, in quos acriter invehitur *Sanctus Bonifacius Epistola CV. ad Cudbertum* Episcopum data, his verbis: *Ille autem qui Laicus homo, vel Imperator, vel Rex, vel aliquis Præfectorum, vel Comitum sæculari potestate fultus sibi per violentiam rapiat Monasterium de potestate Episcopi, vel Abbatis, vel Abbatissæ, & incipiat ipse vice Abbatis regere & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata, talem hominem nominant antiqui Patres raptorem & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli intrantem ovile Christi, & maximo anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi.*

Opulenta Monasteria Regi dona gratuita offerebant: Pauperibus Rex subveniebat.

Monasteria octavo sæculo munera Christianissimo Regi dabant, quæ Pippini Regis tempore, sua sponte offerebant Abbates & Abbatissæ. Contra verò pauperibus Monasteriis, & propter inopiam disciplinam regularem servare non valentibus, Rex eleemosynis suis succurrebat, monentibus Episcopis. Id constat ex Canone VI. Concilii Vernensis, ubi de Abbatissis statuitur: *Et qualia munera*, inquit, *ad Palatium dare voluerint, per Missos suos ea dirigant. Et si aliqua Monasteria sunt, quæ earum ordinem propter paupertatem adimplere non possunt, hoc Episcopus de veritate provideat, & Domno Regi innotescat, ut in sua eleemosyna hoc emendari faciat.*

Ecclesiis immunitates antiquas restituit, & novas concessit Carolus Magnus.

Ecclesiis immunitates antiquas restituit, & novas concessit *Carolus Magnus*, ut docent ejus Capitularia. In Capitulari anni 774. Cap. XVII. statuit *Ut nullus Judex neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum, aut Juniorem Ecclesiæ extra conscientiam Pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat. Quod si quis hoc fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam irrogare dignoscitur, tandiu sit sequestratus, quandiu reatum suum cognoscat & emendet.*

Ita factorum asylorum jus salvum esse voloit, ut tamen *Homicidæ, & cæteri rei, qui Legibus mori deberent, si ad Ecclesiam confugissent, non excusarentur neque eis ibidem victus daretur*: ne scilicet Ecclesia patrocinari videretur criminibus, à quibus metu suppliciorum homines plerúmque coërcentur. (Io Capitulari anno 779. cap. 8°) At in Capitulatione *de partibus Saxoniæ* aliter statuit Rex Magnus, ut gens recens ad Christum conversa majorem Ecclesiis reverentiam haberet. (Cap. 2.) *Si quis confugium fecerit in Ecclesiam, nullus eum de Ecclesia per violentiam expellere præsumat, sed pacem habeat, usque dum ad Placitum præsentetur; & propter honorem Dei Sanctorúmque Ecclesiæ ipsius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem causam in quantum potuerit, & ei fuerit judicatum: & sic ducatur ad præsentiam Domini Regis, & ipse eum mittat ubi clementiæ ipsius placuerit.* Id est, damnum illatum mulctâ pecuniariâ compenset, pœna verò capitis exiliô commutetur. Donationes Ecclesiis factas, nec executioni mandatas ante Donatoris obitum, impleri jubet Episcopo, & Misso Dominico curantibus (in Capitulari *de causis Regni Italiæ*, Cap. VIII.) *Si cujuscunque res in eleemosynam data sunt, & ipse mortuus fuerit, antequàm eas dispenset, tunc Missus Dominicus, unà cum Episcopo Parochia ipsius, consideret qualiter in Domni Regis mercede ipsa eleemosyna fiat facta, & infra triginta noctes impleta esse debeat.*

CAPUT VI.

De Imperatoribus, qui rerum potiti sunt Octavo Sæculo.

ARTICULUS I.

De Tiberio Apsimaro, & Justiniano Rhinotmeto iterum Imperante.

Tiberius Apsimarus annum Imperii tertium agebat Octavo ineunte Sæculo. Is anno Christi octingentesimo primo *Philippicum* Nicephori Patritii filium in Cephaloniam relegavit, quòd caput suum aquilæ pennis obumbratum per somnium vidisset, futuri augurium Imperii. Anno sequenti, Armeniæ Primores ingentem Saracenorum in Armenia degentium stragem edidere, & Legatione ad *Tiberium Apsimarum* directâ, se Imperio subjecerunt. Sed *Muamed* expeditione in Armenos susceptâ, & copiis, quas illam in Provinciam transmiserat Imperator, deletis, Armeniam Saracenis vindicavit, gentisque Proceres unum collectos in locum vivos comburi jussit. Sub id tempus, cùm *Azar* Ciliciæ bellum intulisset, *Heraclius* Imperatoris frater ipsi obviam factus, decem hominum millia, quibus ejus constabat exercitus, partim cæcidit, partim vinctos ad Imperatorem transmisit. Idem anno sequenti, Christi septingentesimo tertio, Arabum duodecim millia, qui *Azibo* Duce, in Ciliciam irruperant, profligavit. Interim *Justinianus* Chersonæ degens, seque Imperium recuperaturum magnâ confidentiâ affirmans, incolis terrorem incussit; quô factum est, ut de nece illi inferenda, vel eo ad Imperatorem deportando consilium inirent. Quas ille præsentiens insidias, & ad *Chaganum* Regem Avarum fugiens, sororem ejus duxit in matrimonium. Paulò post *Chaganus* ab *Apsimaro* muneribus illectus, necem genero molitus est: sed ille compertis insidiis uxoris indiciô, necatisque Præfectis, quibus crudele mandatum *Chaganus* dederat, remissâ in Chazariam conjuge, ad Bulgaros transiit: quorum ope restitutus, post decem annorum exilium, anno septingentesimo-quinto, novum imperandi exordium habuit. *Heraclium* Tiberii fratrem, Procerésque plurimos è muro suspendi, milites innumeros interfici, primarios cives saccis inclosos in mare demergi; nonnullos ad cœnam invitatos è mensa ad patibulum duci jussit Princeps crudelissimus. *Tiberium* verò *Apsimarum* & *Leontium* catenis vinctos diu per Hippodromum traduci voluit, & ad pedes suos prostratis cervices calcavit, populo clamante: *Super aspidem & basiliscum ambulasti, & conculcasti leonem & draconem.* Demum in Cynegium missis caput amputari præcepit. Ad hæc, *Callinicum* Patriarcham, oculis orbatum Romam relegavit, & in ejus locum *Cyrum* quemdam, Monachum inclusum in Amastris Insula, suffecit, quòd ipsi regressum in Imperium auguratus esset. Tum misso ad Avaros *Theophylacto* Cubiculario, uxorem, & natum ex ea *Tiberium* recepit; matrémque & filium Imperii ornavit insignibus. Anno Imperii sui tertio, Christi septingentesimo-septimo, pacem, quam cum Bolgaris pepigerat, temerè violavit; sed ingrati in eos, quorum ope fuerat in Imperium restitutus, animi pœnas, exercitûs sui clade, summáque ignominiâ persolvit.

Anno imperii sui sexto, Christi septingentesimo-decimo, de Chersonitis, quos insidias quondam sibi struxisse meminerat, ultionem sumere decrevit, missáque in eos classe, omnes mactari jussit, *Helia* Spathario expeditionis Duce constituto. Ferale Edictum executioni mandatum est, Chersonitæ omnes trucidati, solis juvenibus & pueris velut ad servitutem reservatis, *Tudunus* Chersonæ Præfectus, & *Zoelus* vir princeps, necnon alii viri nobiles quadraginta, ligneis verubus transfixi, vivique combusti. Alii prætetea viginti ad lembum lapidibus onustum alligati, in mare demersi sunt. Classem Octobri mense redeuntem immanis tempestas in mare disjecit: tria & septuaginta hominum millia naufragio sepulta. *Justinianus* tantâ clade minùs commotus, quàm quòd in illa Chersonitarum strage juvenibus & parvulis miles pepercisset, novam ad illos jugulandos classem transmisit. Verùm Duces tam efferata crudelitate commoti, vocato in auxilium *Chagano* Avarorum Rege, *Bardanem Philippicum* Imperatorem proclamarunt. His auditis, Justinianus majori furore percitus, *Eliæ* Spatharii, quem inter motuum istorum Auctores primarium noverat, liberos in matris ipsius sinu trucidari, ipsámque à proprio coquo violari jussit. Mox novâ instructâ classe, *Maurum* Patritium Ducem constituit, ipsique dedit in mandatis, ut Chersonæ mœnibus dirutis, totáque vastatâ & eversâ civitate, civium nemini vitam condonaret. *Maurus*, cùm irritis conatibus Chersonam aggressus esset, Avaris ad Chersonitarum auxilium subitò advolantibus, reque infectâ, ad Imperatorem redire milites vererentur, *Philippicum*, qui ad *Chaganum* confugerat, datô sacramento, Imperatorem postularunt: qui cum classe Constantinopolim pergens, Regia Urbe, & Imperio potitus est, *Justiniano*, filióque ejus *Tiberio* mactatis. Occisus porro est *Justinianus* ab *Elia* Spathario, apud Damatoym, quò se receperat.

Justiniani Rhinotmeti crudelitas

Quàm immitis fuerit & ad vindictam propensus *Justiniani* animus, non solùm testantur immania, quæ proximè commemoravi, facinora: sed & nefaria vox ex illius ore audita, cum periculosâ exortâ tempestate, monenti cuidam ex domesticis, ut votum Deo faceret, se, si ex illa evaderet incolumis, & Imperium recuperaret, inimicis omnibus parciturum: *Immò*, inquit, *hic me Deus submergat, si ulli pepercero.* Sublatus est anno Christi septingentesimo undecimo, cùm annum recuperati Imperii sextum ageret. Ista constant ex *Theophane*, *Zonara*,

Zonara, *Cedreno*, *Constantino Manasse*, & ex Historia Miscella.

ARTICULIS II.

De Philippico, Anastasio, & Theodosio Adramytteno.

Philippicus.

I. PHilippicus malè partâ dignitate pessimè usus, tyrannidi hæresim & stupra addidit. Collectâ Pseudosynodo, Sextum Concilium Oecumenicum abrogavit, ut Monachi hæretici & præstigiatoris, qui ipsi Imperium portenderat, desiderio faceret satis. Adjutorem habuit *Joannem* Monothelitam, quem pulsô *Cyro* Patriarchâ, ad Sedem Constantinopolitanam extulit. Interim Bulgari per Phileam ad freti Byzantini angustias irrumpentes, ingenti editâ strage, ad Urbem usque impressionem fecere prædabundi, & Thraciam longè latèque devastarunt, abductô ingenti captivorum numerô. Anno tertio Imperii, qui Christi septingentesimus decimus-tertius numerabatur, cùm, post Circenses ludos, & convivium primariæ nobilitatis civibus paratum, somno sub meridiem indulgeret, à Conjuratis arreptus, oculisque privatus est pridie Pentecostes.

Anastasius.

II Ipsâ verò Sacratissimâ Pentecostes die, populo in Magnam Ecclesiam congregato, *Artemius*, qui *Philippico* à Secretis primus erat, Imperator coronatus est, indito *Anastasii* nomine. Qui mox de conjuratis pœnas expetiit, qui *Philippicum* exexcaverant, eósque effossis oculis Thessalonicam in exilium jussit deportari. Magnam deinde contra Saracenos classem paravit, qui ad Rhodum Insulam lignorum cypressinorum cædendorum causâ appulerant. Sed orta in exercitu seditione, occisóque Duce *Joanne* Diacono Generali Logotheta, milites Adramytti *Theodosium* quemdam tributorum exactorem, ad capessendum Imperium, invitum ac latitantem adegere. Sex mensium spatio de imperio armis disceptatum, *Theodosius* Thraciam, Urbémque Regiam tandem occupavit. Quam ob rem *Anastasius*, rebus desperatis, Imperii posuit insignia, & Monachus, factus, Thessalonicam translatus est, anno Christi septingentesimo decimo-quinto, cùm annos duos imperasset. Princeps fuit eruditus, & erga Ecclesiam Fidémque Catholicam bene affectus. *Sanctum Germanum* Cyzicenum Metropolitam in Sedem Constantinopolitanam transtulit, pulsô *Joanne* hæretico; cúmque inter amicos habuit.

Theodosius Adramyttenus.

III. *Theodosio* Adramytteno parere recusavit *Leo Isaurus* Orientalium Dux, sociόque *Artabasdo* Armenorum Duce, *Anastasii* partes fortiter propugnavit. Hunc Saraceni primùm, fictæ pacis nomine illudere ipsi volentes, quò Rempublicam faciliùs pessumdarent, Imperatorem proclamarunt. Accessere Amoriensium, ac exercitûs suffragia. Tum *Theodosius Adramyttenus*: rogatâ *Germani* Patriarchæ & Senatûs sententiâ, à *Leone Isauro* acceptâ fide, sponte cessit Imperio; & cum filio suo in Clericum detonsus, vitæ reliquum in otio transegit. Eo Imperante, *Musulmas* Saracenorum Princeps Cappadociam occupavit, ac Pergamum. Annos circiter duos regnavit. Mortuum Ephesi scribit *Cedrenus*, subque sepulchro inscribi jussisse *Υγεια*, id est, *Sanitas*: vulgatumque à nonnullis quod post obitum miraculis inclaruisset. Ista constant ex *Theophane*, *Zonara*, *Cedreno*, *Constantino Manasse*, & ex Historia Miscella.

ARTICULUS III.

De Leone Isaurico.

LEo *Isauricus* à patria dictus, qui priùs *Conon* appellabatur vir obscuro natus genere, à *Justiniano* secundò imperante inter Spatharios conscriptus, variáque sub eo usus fortunâ, ab *Anastasio* Dux Orientalium creatus legionum, Imperium obtinuit anno Christi septingentesimo decimo-septimo, vigesima-quinta Martii die. Anno Imperii primo, Saracenos *Musulma* Duce Constantinopolim obsidentes, magnâ eorum clade atque dedecore repulit. Sed & Bulgari Saracenos aliunde aggressi, ad viginti duo millia cæciderunt. Ad hæc, fames ita gravis, ut ipsa hominum cadavera, imò & stercora in clibanum missa comedere cogerentur, & pestilentiæ lues in eorum exercitu grassata, innumeros è medio sustulit, Deo & Deipara Virgine Regiam Urbem & Christianorum Imperium protegentibus. Interea *Sergius* Protospatharius & Siciliæ Dux *Basilium* Onomaguli filium Imperatorem creavit, ac *Tiberium* appellavit. *Leo* Paulum Chartularium, Patritii & Siciliæ Ducis auctum dignitate, cum copiis eò direxit. Qui Sacrâ Imperatoris coram exercitu perlectâ, reique contra Saracenos fœliciter gestæ communicatô nuntiô, Imperium *Leonis* militaribus suffragiis eâ in regione confirmari curavit, ac Tyranni, & summi sub eo exercitûs Ducis capita ad eum transmisit: *Sergium* verò, datâ fide, revocavit ad obsequium Imperatoris.

Anno Christi septingentesimo decimo-nono, *Artemius* Thessalonicam relegatus, à *Niceta Xylonite* in spem recuperandi erectus Imperii, à *Terbelio* Bulgarorum Principe exercitum, aurique centenaris quinquaginta accepit, móxque perrexit Constantinopolim, *Leonem* dejecturus Imperio: sed ipsi infœliciter cessit expeditio temerè suscepta. Cùm enim Bulgari obfirmatas in *Leonis* obsequio civium voluntates animadvertissent, & ab *Artemio* penitùs alienas, ipsum *Leonis* potestati permisere, à quo muneribus cumulati, domum redierunt. *Leo* verò *Artemium*, & *Xylonitem*, capitis damnavit.

Anno septingentesimo vigesimo-primo quidam impostor è Syria erumpens, seque Christum Dei Filium prædicans, Hebræos seduxit.

Leo Isauricus Sacrarum imaginum cultores persequitur.

Sacris imaginibus, & earum cultoribus bellum indixit impius Imperator, anno Christi septingentesimo vigesimo sexto, imperii sui decimo, gravémque persecutionem exercuit, de quâ superiùs egimus, Cap. 2. de Iconomachorum Hæresi. Quam ob rem à *Gregorio Secundo* Romano Pontifice anathemate confixus est: quem etiam Romanis Italisque, ne tributa *Leoni* ultrà penderent, prohibuisse, illósque, ad defectionem concitasse, *Theophanes* & *Cedrenus* scripsere. Quod an verum sit, in Dissertationibus expendam.

Gravissima tributa.

Anno Imperii decimo-sexto, Christi verò septingentesimo trigesimo-primo, validam adversùs Romanos ac Italos, qui ejus impietati palam resistebant, classem instruxit: sed Deus ejus consilia & conatus misit in irritum. Classis namque in Mari Adriatico naufragium fecit. Hinc in furorem actus *Leo*, auctiora Siculis & Calabris tertiâ parte tributa viritim imposuit; patrimonia verò *S. Petri*, nimirum tria & semis auri talenta Romanæ Ecclesiæ pendi solita, in publicum ærarium conferri jussit: utque hæc accuratiùs exigeretur capitatio, pueros qui nascerentur, describi præcepit universos. Eo regnante, Saraceni frequentes in Provincias Imperii impressiones fecere. Anno Principatûs ipsius vigesimo-quarto, qui Christi numerabatur septingentesimus tricesimus-nonus, terræ motu vehementi Constantinopolis Nicomedia,

Terræ motus vehementissimi.

Nicææ, necnon aliæ Thraciæ ac Bythiniæ civitates concussæ. Mœnia Regiæ Urbis, aliáque ædificia publica, Ecclesiæ, Monasteria corruerunt. Nicææ Templum unicum stetit. Incolarum plurimi cùm in civitatibus, tum in pagis, ruinis obruti. Menses duodecim hæc duravit calamitas. Ea usus occasione Imperator tributorum auxit modum, mœnium restaurandorum ergo: quod vectigal deinceps perseveravit, & Ceratia duo Administratoribus viritim collata. Obiit ex intercute, sive intestinorum dolore, die Junii decimâ-octavâ, annô Christi septingentesimo quadragesimo-primo, cùm annos viginti-quatuor, tresque insuper menses imperasset. Hæc ex *Theophane*, *Zonara*, *Cedreno*, *Constantino Manasse*, & ex Historia Miscella.

ARTICULUS IV.

De Constantino Copronymo.

LEoni successit paternæ impietatis hæres *Constantinus*, à stercore quô sacrum fontem fœdavit, cùm baptizatus est, dictus *Copronymus*. *Irenem* Chagani Regis Avarum filiam uxorem duxerat, vivente parte, quæ Christianis initiata ritibus, Fidem Catholicam & pietatem constanter tenuit, *Leonisque* & *Constantini* sæpe coarguit impietatem. Sub Imperii primordium, *Constantinus* ab *Artabasdo*, cui Annam sororem conjugem dederat, sibi ac Reipublicæ metuens, datis ad eum litteris, filios ejus, seu nepotes ex sorore, ad se transmitti postulavit: desiderium quidem eos videndi atque complectendi simulans, illos verò apud se retinendi & sub custodia servandi consilium iniens, ut patrem in officio contineret filiorum periculum. Fraudem subodoratus *Artabasdus*, exercitum ad defectionem excitavit, & contra *Constantinum* processit. Ille Amorium se recepit; indéque ad Orientalium Thema sive exercitum confugit, cui *Longinus* præerat, à quo acceptâ securitate, sibi milites conciliavit. Interim *Theophanes* Patritius & Magister, *Artabasdi* amicus, ad Magnæ Ecclesiæ Catechumena collectô populo, Constantinum mortuum esse, & *Artabasdum* à Thematibus Imperatorem salutatum suasit, prolatis id confirmans litteris, & *Thalassii* Silentiarii, qui recèns ab *Artabasdo* missus erat, testimonio. Mox plebs universa *Anastasio* Pseudo-Patriarcha duce, *Constantini* memoriam execrari, *Artabasdo* fausta precari omnia, ipsum Imperatorem proclamare, sibique gratulari quòd Catholicum Principem & sacrorum dogmatum defensorem, sublato hæretico, nacta esset. Paulò post *Artabasdus* cum Opsicii copiis Urbem ingressus, sacras imagines ubique erigi præcepit, ut pro religione & pietate magis quàm propriis commodis imperium adiisse videretur. *Constantinus* Thracensium & Orientalium Thematum armis defensus, Chrysopolis aggressione frustra tentatâ, ad Amorium hyemavit. Pro Imperiô & salute fortiter ab utraque parte certatum, *Artabasdus* Asiam in potestatem redegit. Copias in eum eduxit *Constantinus*, eúmque in fugam versum, Cyzicum usque insecutus est. *Artabasdi* filius commissô postea ad Modrinem cum *Constantino* certamine, pariter in fugam datus. *Tiridates* Patritius Armenus *Artabasdi* consobrinus, ac selecti Proceres eô in prælio desiderati: utrinque magna clades. Tandem anno Christi septingentesimo quadragesimo tertio *Constantinus* in Thraciam penetravit. *Sisinnius* Thracensium Dux obsidione cinxit Constantinopolim. Annonæ penuriâ cives oppressi. *Artabasdus* commissô prælio fusus. *Nicetas* Dux Militiæ supremus, cum *Marcellino* Curatore in *Constantini* potestatem venit, à quo uterque capitis damnatus est. Urbem per terrestrem murum subditò invadunt Imperatoris copiæ, die Novembris secundâ. *Artabasdus* cum *Bactagio* Patritio ad Opsicium, indéque ad Puzane Castrum se recipiens, demum à *Constantino* comprehensus, ab eóque cum duobus filiis excæcatus est. *Bactagius* verò in Cynegio capite truncatus. Deinde *Artabasdus* cum filiis & *Anastasio* Pseudo-Patriarcha, per Circum ad ludibrium traducti. *Sisinnium* quoque Patritium & Thracensium Ducem, consobrinum suum, quo adjutore Imperium recuperaverat, quadragesimo post dia oculis privavit immanis Princeps. Bellis civilibus in mutuam perniciem armatos Arabes in Syria & Dulichia fœlici successu aggressus est, & Germaniciam occupavit. Post hæc ab iisdem, necnon à Sclavis, & Bulgaris, clades aliquot accepit. Sclaviniæ tamen Provincias ad Macedoniam sitas redegit in servitutem, reliquas Imperio Romano subdidit. Nullum pene fuit superstitionis genus, cui *Constantinus Copronymus* deditus non fuerit, magiæ, divinationi ex animantium extis, &c. In omnem præterea libidinem effusus, Deiparæ Virginis & Sanctorum hostis, Reliquiarum Sacrarum violator, sanctarum eversor Imaginum, Piorum persecutor. Legantur quæ superiùs à nobis dicta sunt, Cap. 2. de Iconomachorum Hæresi, §. II. Eo imperante, sæva pestis ab anno septingentesimo quadragesimo-septimo ad triennium producta, per Siciliam, Calabriam, & Orientem pervagata, Regiæ præcipuè Urbi adeo immaniter incubuit, ut & locus sepeliendis cadaveribus, & qui ea sepelirent, prope deficerent. Cruciculis oleagineo liquore conspersis, quæ cùm in sacris, tum in profanis vestibus videbantur, & spectris ad terrorem apparentibus, hæc prænuntiata lues. Postremis Imperii ac vitæ annis, bello adversùs Bulgaros gerendo totum se dedit; in quos cùm expeditionem fecisset, compositâ pace, rediit, anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio. Cùm autem Bulgari copias in Berzetiam mitterent ad duodecim millia hominum, ille collecto numeroso exercitu, ac dissimulato consiliô, per Lithosoriam in eos irrumpens ipsos obruit, deletísque universis, triumphali apparatu rediit in Urbem; hoc bellum *Nobile* appellans, in quo nullus Christianorum periisset. Anno sequenti, validam adversùs eosdem hostes classem instruxit, nullo successo, quia Mesembriam usque delata, & adversi jactata ventis, naufragio pene tota demersa est. Interea *Tzerigus* Bulgarorum Princeps consilia sua revelari *Constantino* Imperatori animadvertens, se ad ipsum confugere velle simulavit, rogans ut securitatis litteras daret, ac amicos indicaret in Aula Bulgatica degentes, quibus fidere, & quorum uti posset auxilio. Singulorum nomina datis ad Bulgarum litteris indicavit imprudens, quos ille medios dissecuit. Id ubi ad *Constantinum* perlatum est, præ dolore sibi canos evellens vindictam de Bulgaris sumere decrevit. Quamobrem anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto adversùs ipsos exercitum duxit. Quâ in expeditione morbo sibi divinitus immisso, carbunculis scilicet pedes & crura depascentibus correptus, & febri vehementissimâ, & ob incendii vim Medicis ignotâ, Arcadiopolim, indéque Selymbriam delatus est. Tandémque ad Castellum Strongylum navigio devectus, miseram efflavit animam, anno Imperii sui tricesimo-quinto per menses duos & dies viginti sex inchoato. Moriens se igni æterno, ob dehonestatam Sanctissimam Virginem Dei Genitricem, addictum testatus est, eámque deinceps coli & laudibus celebrari jussit. Inter crudelitatis ipsius argumenta illud memorant Historici, quòd post annos triginta à *Bactagii* cæde, uxorem ejus in Choræ Monasterium, ubi sepultus jacebat, se conferre,

Artabasdi defectio bellum, exitus.

Constantini Copronymi scelera.

Bellum Bulgaricum.

Copronymi misera mors.

Ob impietatem maximè in Deiparam Virginem damnatur.

se conferre, & ossa ejus tumulo eruta, ad Pelagium proprio pallio deportare compulerit: quem in locum, eorum qui sibi violentas manus intulerant; cadavera projiciebantur. Corpus *Copronymi* in Basilica Sanctorum Apostolorum sepultum, postmodum justô Dei judiciô effossum, & in foro Amastriano crematum est, jubente *Michaële* Imperatore, *Theophili* filio. Constant ista ex *Theophane*, *Zonara*, *Cedreno*, *Constantino Manasse*, & ex Historia Miscella.

ARTICULUS V.

De Leone Constantini filio.

CONSTANTINO *Copronymo Leo* filius successit, patiter hæreticus, quamvis ad tempus pietatem simulaverit, nec à Deiparæ veneratione adeò visus sit alienus. Omnes Ordines promereri studuit; Monachos seligendo ex Cœnobiis, quos primariarum civitatum Ecclesiis præficeret; exercitus copias plurimas conscribendo, & militares ordines augendo; populum Regiæ Urbis, largitione pecuniarum à patre sibi relictarum. *Constantinum* filium adhuc puerum, Thematum Præfectis, Senatu, militibus gregariis, populóque supplicantibus, in consortium Imperii vocavit, eorum fide in scriptis acceptâ, quæ supra Sacram Mensam reposuere, terribili sacramento confirmantes, nullum se unquam, præter ipsum, ejúsque filium Imperatorem suscepturos. *Telerum* Bulgarorum Principem ad se confugientem, & Christo nomen dantem, ex sacro fonte suscepit, & Patritii dignitate ornato, uxoris suæ *Irenes* consobrinam in matrimonium dedit. Numeroso cum exercitu in Syriam irrumpens, Jacobitas Syros captivos duxit, & in Thraciam transtulit. A Dorylei & Amorii obsidione repulit Arabes. Anno Imperii quinto, in apertam hæreseos professionem lapsus est, movitque persecutionem adversùs sacrarum cultores Imaginum. *Leonis Sacrilegium Deo vindice punitum.* Gemmarum insana, quâ flagrabat, cupiditas, ipsum ad perpetrandum sacrilegium impulit, quod subitò Deus ultus est. Coronam quippe lapillis pretiosissimis radiantem, quam in Majori Ecclesia dedicarat *Heraclius*, detractam inde suo capiti imposuit: & confestim ex eodem capite carbunculi erupere, ex quibus vehemens exorta febris, ipsum brevi extinxit, anno quinto imperii per sex menses inchoato, Christi septingentesimo octogesimo. *Constantinum* filium sub *Irenes* matris tutelâ Imperii reliquit hæredem, annum tunc agentem decimum ætatis. Ista constant ex *Theophane*, *Zonara*, *Cedreno*, & Historia Miscella.

ARTICULUS VI.

De Constantino & Irene.

VIX Imperium cum *Irene* matre adierat *Constantinus*, cùm Senatorum Procerúmque nonnulli, conspiratione factâ, *Nicephorum* Cæsarem *Constantini* patruum, Imperatorem constituere decreverunt. Conjurationis Auctores verberibus cæsos, & detonsos, in diversa loca relegavit *Irene*: *Irene Imperatrix antiquam pietatem et Imaginum cultum excitat.* Cæsares autem & Nobilissimos, mariti sui fratres, Sacerdotio inaugurari jussit, ac in Christi Natali Sacra Mysteria populo erogare, ut spem omnem adipiscendi Imperii deposuisse viderentur. Eâ etiam die coronam pretiosam, quam *Leo* Imperator abstulerat, novis ornatam gemmis restituit, obtulítque. Antiquam cum imaginum cultu pietatem excitavit, *Tarasio* facto Patriarcha, Sanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ reliquias à Lemno Constantinopolim reportari jussit, ac in Templo sub illius nomine Deo dicato deposuit, postquam ritu Catholico expurgatum est. Tunc annus Christi septingentesimus octogesimus vertebatur. Eodem anno ad longos Thraciæ muros cista effossa est, in qua vir proceræ magnitudinis sepultus jacebat; & hæc insculpta legebatur inscriptio.: *Christus è Virgine nascetur, inque eum ego credo. Constantino & Irene Imperantibus, Sol! me rursus videbis.*

Anno Christi octingentesimo primo, *Irene Constantinum* Sacellarium, & *Mamalum* Primicerium ad *Carolum Magnum* Francorum Regem Legatos misit, qui filiam ejus *Rotrudim* Constantino Imperatori filio suo uxorem postularent: pactísque conventis, & jurejurando ab utraque parte firmatis, *Elisæus* Eunuchus & Imperatoris Notarius in Aula *Caroli* remansit, qui Regiam puellam litteras & mores Græcorum edoceret. *Legatio ad Carolum Magnum, initaque pacta.* Post hæc Imperatrix *Theodorum* Pateitium ingenti adornatâ classe, misit in Siciliam adversùs *Elpidium* Ducem, qui jussus Præfecturâ cedere, renuebat. Multis ibi commissis præliis, victoriam *Theodorus* reportavit: *Elpidius*, exportatis cum *Nicephoro* Duca opibus, migravit in Africam, & securitatis acceptâ fide, ad Arabes defecit, qui eum honorificè & amanter susceptum, frustra Imperatorem proclamarunt. Bellum contra Arabes, qui in Asiam irruperant, fœliciter geri cœptum, pace non admodum decorâ terminatum est. *Bellum Arabicum.* Id effecit Ducum discordia. Dux enim Bucellariorum, odio adversùs *Stauracium* Patritium, qui rerum summam administrabat, conceptô, Christianâ Religione ejuratâ ad Arabes defecit: quibus suasit ut pacem peterent. De ipsâ cum hostibus acturi progressi sunt *Stauracius*, *Petrus Magister*, & *Antonius Domesticus*, Barbaris nimium fidentes, nec obsidibus postulatis. Unde ab illis detenti, pacem iniquis conditionibus componere coacti sunt, eâ præsertim omnium maximè indecorâ, ut certus in annos singulos Arabum Caliphæ census ab Imperatore solveretur. Fœlicior fuit contra Sclavinos expeditio *Stauracio* Duce susceptâ; gentem enim omnem subjecit Imperio ac tributariam fecit.

Anno Imperii sui sexto, Christi septingentesimo octogesimo-quinto, *Constantinus* & *Irene*, datis ad universos ditionum suarum Antistites litteris, Synodum indixere pro causa fidei Constantinopoli celebrandam, quæ facta seditione suspensa est, & anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo Nicæam translata, ibique damnata Iconomachorum hæresis, ac suos imaginibus Christi & Sanctorum restitutos honos. *Constantinus & Irene Synodum pro causa Fidei indicunt.* Anno sequenti cum Arabibus infausto exitu dimicatum est, & Romani exercitus Duces fortissimi cecidere. Eodem anno, *Irene* pacta solvit cum Francis inita, & *Constantinum* filium *Mariam* ex Armenia oriundam uxorem ducere coëgit, quamvis ab iis nuptiis abhorreret, nec propter conceptum erga filiam Caroli Regis Francorum amorem, consensum præbere vellet. *Pacta cum Francis inita solvit Irene.* Secundùm hæc, misit Imperatrix *Joannem* Sacellarium & Militiæ Logothetam in Longobardiam, cui expeditionis socium adjunxit *Theodotum* Regis nuper Longobardorum filium, tentatura si fortè subditas *Carolo* Provincias ac civitates ad defectionem incitare posset. Illi conjunctis cum *Theodoro* Patritio, Siciliæ Duce, viribus, prælium cum Francis commisere, à quibus fusi sunt, & *Joannes* occisus.

Anno *Constantini* & *Irenes* decimo, Imperator se jam rebus gerendis idoneum existimans, utpote qui annum ætatis vicesimum superaret, maternum Imperii jugum, & *Stauracii* Reipublicæ summi Administri potentiam ægrè ac impatienter ferre cœpit. Communicatô itaque cum fidissimis Aulicis consiliô, Matrem detinere, ac subinde in Siciliam relegare decrevit, ac per se Rempublicam gerere.

*Staurac*ius de conspiratione certior factus, Augustum in filium concitavit. Hæc Imperatoris domesticos verberibus cæsos, tonsósque amandavit in exilium, necnon & *Damianum* Patricium : *Petrum* verò Magistrum, & *Theodorum* Patricium Camulianum, ab Aulæ aditu prohibuit, quòd initi ab Imperatore consilii conscii essent. Imperatorem ipsum durioribus verbis, imò & verberibus exceptum, domi detinuit ; compulitque Duces ac milites ad jurandum se non passuros, ut eâ superstite, *Constantinus* filius imperaret. Nec verò domesticum dissidium impedivit, quin classem adversùs Arabes instrueret, qui in Cyprum expeditionem susceperant. Ab illis captus *Theophilus* Cibyrrheotarum Dux, & ad *Aaronem* Caliph∂am ductus, mortem pati maluit, quàm Fidem Christianam ejurare.

Dissidium inter Constantinum & Imperatricem Matrem ortum.

Anno sequenti, Armeniaci Thematis milites, ac reliquorum deinde Thematum copiæ, *Constantinum* solum Imperatorem proclamarunt, *Irene* in ordinem redactâ, *Stauracius* Patricius, *Aetius* Irenes Protospatharius, cæterique domestici relegati. Ipsa jussa secedere in Palatium, quod ad Eleutherium struxerat. Post annum, in consortium Imperii, rogantibus Optimatibus, revocata est, acclamante populo : *Constantino & Irene multos annos.*

Bellum Bulgaricum.

Anno septingentesimo nonagesimo-primo *Constantinus* ducto in Bulgaros exercitu, commissóque juvenilis ardoris impetu certamine, gravem ab iis cladem accepit. Paulò post militares ordines in Urbe collecti, *Nicephorum* Constantini Copronymi filium educere, & imperatorem creare statuerunt. Imperator, conjuratione cognitâ, *Nicephorum* patruum, & *Alexium* Patricium privavit oculis ; *Christophoro* verò, *Niceta Anthimo*, & *Eudocimo*, linguas præcidi jussit. Hac re commoti Armeniaci, Ducem suum in vincula conjecêre. Missi contra eos à *Constantino* Duces, cum reliquorum Thematum copiis. Illi partem exercitûs maximam cæcidere, mutuam quoque passi cladem : Duces duos in potestatem acceptos excæcarunt. Imperator universas Imperii vires in ipsos convertere coactus, sociorum Armeniorum traditione omnes comprehendit ; spectatissimos neci addixit, & inter eos *Gregorium* Sinopes Episcopum ; cæteros mulctis & proscriptionibus castigavit, mille notis compunctos hanc inscriptionem in facie singulorum exhibentibus, *Armeniacus Insidiator*, in Urbem traduxit ; indéque per Siciliam & reliquas Insulas relegatos dispersit.

Conjuratio detecta.

Anno septingentesimo nonagesimo-quarto, *Constantinus Mariam* conjugem repudiavit, & Monialem fieri coëgit, *Irenes* matris consiliô, quæ ut Imperium ad se unam traduceret, cunctorum odiis filium exponere satagebat : *Theodotam* verò Cubiculariam duxit, Catechista Imperatricem velante, nuptias verò illegitimas jungente *Josepho* Abbate, connivente *Tarasio*, metu ne, quod minabatur, libidine ardens juvenis, Idolorum templa patefaceret. Ne autem absque causa uxorem legitimam dimittere videretur, ipse crimen affinxit, asseruitque ab eâ sibi propinatum venenum. Licèt porrò nihil prætermisisset *Tarasius* Patriarcha, ut Imperatorem ab injusto divortio & nuptiis illegitimis deterreret, nec approbasset facinus, ejus tamen conniventia *Platonem & Theodorum* Abbates sanctissimos ita commovit, ut ab illius communione recederent, ac Imperatorem ceu excommunicatum vitarent, palámque damnarent contractas cum *Theodota* nuptias, ut fornicariam conjunctionem. *Theodorus* à novâ Augustâ, cujus consanguineus erat, precibus ac muneribus tentatus, adduci non potuit ut sileret, ac Patriarchæ jungeretur. Abbates imitati sunt Monachi cæteri, piaculum existimantes publico crimini connivere. Hinc in ipsos commotus Imperator, *Platonem* conjecit in carcerem, *Theodorum*, & reliquos Monachos, unà cum Platonis nepotibus cæsos, Thessalonicam relegavit. Porro & laudandum fuisse *Platonis*, ac *Theodori Studitæ* zelum, & commendatione dignam *Tarasii* œconomiam, testatur *Michael* Monachus coævus Scriptor in *Theodori* Vita. *Neque enim*, inquit, *vel Patriarcha ipse, quantùm in eo erat, aut factum id approbabat, aut non absurdum id & alienum ab Ecclesia judicabat, aut Patrum ærumnis non compatiebatur ; sed sapiens quoddam consilium, & altâ mente, qualis ejus fuit, dignum agitans, non habuit tum ulciscendi auctores facultatem ; temporis injuriâ, quæ vellet agere, non permittente. Quamobrem Regina ipsa* (Maria) *utriusque prudentiam amplectens, & magnopere collaudans summam utriusque virtutem, & in utili dijudicando intelligentiam, boni consulebat, quòd Patriarcha quidem de summo jure nonnihil remittens, vesanum Imperatorem à graviori malo revocasset, minantem jam se, majorum exemplô, sacrarum imaginum hostem fore, nisi, quod animo conceperat, peragere sineretur. Pater autem* (scilicet Theodorus) *flagitium propalam arguendo, & acri reprehensione atque objurgatione longiùs progredi prohibendo, tum eos qui peccarant, tum eos qui simile aliquid meditabantur, omnes affectibus suis non intemperanter uti docuisset. Prorsus autem & relaxare interdum aliquid in judicio, bonum est ; & exactum jus non præterire, utilissimum, unum in finem utrumque spectans, ut quod melius est, pro re natâ præstetur.* Cæterùm Sanctissimi illi Abbates, cognito *Tarasii* Patriarchæ consilio, ad ejus communionem rediere.

Constantini injustum divortium, illegitimæ nuptiæ.

Tarasii Patriarchæ conniventia SS. Platonis & Theodori Studitæ pro lege Dei zelus.

Eodem anno, *Cardamus* Bulgarorum Princeps pacta tributa à *Constantino* Imperatore exegit, minitatus se Thraciam alioqui vastaturum. Imperator stercora equina ad eum misit involuta sudario, respondítque verbis tam superbis, quàm fœdum erat munus : *Quod decuit, ex pacto tibi misi. Senex es : ideo te fatigari nolo. Ego ad Marcellorum Castrum obvius præibo. Tu fac illuc etiam te conferas. De successu Deus judicabit.* Collectis protinus copiis contra Bulgarum processit, eúmque continuis diebus septemdecim lacessens, ad prælium committendum cogere non potuit, sed in Provinciam se recipere compulit.

Anno Imperii 17. filium suscepit ex *Theodote* Augusta quem *Leonem* appellavit, ejusque septem post menses mortem deflevit. Interim *Irene* militarium ordinum Duces in partes suas traxit, suasitque ut *Constantinum* Imperio abdicarent, sibique uni rerum summam committerent. Variæ subinde à *Stauracio*, cæterisque *Irenes* amicis, Imperatori structæ insidiæ : quarum vitandarum gratiâ, cùm ad Orientalium Thema confugeret, *Irene* ad amicos qui in illius erant comitatu, scripsit : *Nisi filium mihi tradatis, colloquia inter nos habita ipsi aperiam.* Illi timore correpti, *Constantinum*, dum precibus vacaret, comprehensum, in Urbem deduxere, ac in Porphyra, ubi natus erat, inclusum, ex matris & Consiliariorum ejus sententiâ, immaniter excæcarunt, Augusto mense, Sabbatho ; quô die, quinquennio ante, patruum oculis orbaverat. Nec diu post vixit infœlix maternæ ambitionis victima. Cæterùm quàm invisum Deo fuerit istud facinus, septemdecim dierum caligo testata est. Annus fatalis *Constantini* fuit Imperii ipsius decimus-septimus, Christi septingentesimus nonagesimus-septimus.

Constantinus Imperator Matris insidiis capitur & excæcatur.

Devolutô ad *Irenem* solam Imperiô, quidam seditione factâ, *Constantini Copronymi* filios in Therapiæ Palatio detentos eduxere, auctorésque fuerunt ut ad Magnam Ecclesiam confugerent, sperantes fore ut populus muliebris dominationis impatiens, aliquem ex illis Imperatorem salutaret. Quos *Irene* Athenas deportari jussit, ibi cùm de occupando

Irene sola imperat.

occupando Regno consilia agitarent, ab incolis occisi sunt. Orta deinde *Stauracium* inter & *Actium* Patricios gravis dissensio, utroque de Imperio post *Irenes* mortem, in familiam suam transferendo cogitante. *Stauracius* tyrannoidem affectans, lethali morbo prohibitus est ne consilia nefaria ad exitum perduceret. *Irene* anno Imperii quarto, civile tributum Byzantinis remisit, Abydique & Hieri commercia sublevavit. Quam ob munificentiam à *Sancto Theodoro* Studita magnis laudibus ornata est. Epistolam quâ ipsi eam ob rem gratulatus est, descripsit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum Christi octingentesimum-primum, Num. 24. Ad Irenem Legatos misit *Carolus Magnus* Occidentis Imperator, anno Christi octingentesimo secundo, qui eam ad matrimonium cum illo ineundum invitarent, ut eô pactô Orientis & occidentis Imperia unirentur. Ab his nuptiis non abhorrebat *Irene*, sed *Aetius*, qui Imperium ad *Leonem* fratrem suum transferre moliebatur, ejus se consiliis opposuit. Denique nondum digressis Constantinopoli Francorum Legatis, *Nicephorus* Patricius & Logotheta Generalis invasit Imperium, ac *Irenem* fortunis omnibus exutam in Lesbon Insulam deportari jussit, ubi nondum vertente anno, defuncta est. Sola imperavit annos quinque. Ob Religionem, fidem, ac pietatem, cui restaurandæ tuendæque egregiam navavit operam, immortali laude digna *Irene*. Ob impotentem regnandi cupiditatem, & cæcitatem filio illatam, reprehensioni & vituperio obnoxia. Cæterùm Christiano planè animô adversam fortunam tulit, sic allocuta perfidum *Nicephorum*, Imperii usurpatorem, qui eam in Palatio inclusam convenit, ut ab eâ thesauros extorqueret: *Ego quidem orbatam quondam parentibus Deum me extulisse, & ad Imperii thronum, licet indignam, extulisse certa sum: quapropter exaulcerationis hujusmodi causam mihi delictisque meis adscribo. In omnibus itaque & per omnem modum; Sit nomen Domini benedictum.* Ista Constant ex *Theophane*, *Zonara*, *Cedreno*, & ex Historia Miscella.

Irenes casus.

Ejus virtutes & vitia.

CAPUT VII.

De Regibus, Rebusque Francorum Octavo Sæculo.

ARTICULUS I.

De Dagoberto III.

C*Hildeberto Tertio* defuncto, in Regnum successit *Dagobertus III.* ejus filius, anno Christi septingentesimoundecimo. Anno sequente, bellum Suevicum sive Alamannicum confectum est, *Pippino* Duce, secundùm Annales Metenses. *Pippini* obitu functus fuit annus Christi septingentesimus decimus quartus. Cujus ante obitum *Theudoaldus* seu *Theobaldus* ejus nepos *Grimoaldo* patri in Majoratum domûs Regiæ jam successerat. Qui cùm junioris esset ætatis, avia *Plectrudis*, Pippini uxor, præcipuam auctoritatem in administrando Regno sibi vendicavit, ut Historia jussu *Childebrandi* conscripta, cap. 104. & Anonymus in Gestis Regum Francorum, cap. 51. testantur. Anno Christi septingentesimo decimo-quinto, Neustrasii veteribus odiis adversùs austrasios incitati, in *Theudoaldum* Majorem-domus, Austrasiósque insurrexerunt. Civile bellum Francos inter gravissimum exarsit. Cotia sylva utriusque exercitus cruore conspersa *Theudoaldus* in fugam versus, paulò post obiit. Ejus locô apud Neustrasios Major-domûs Regiæ constitutus est *Rengenfridus*. Hic victore stipatus exercitu, Regísque præsentiâ munitus, Carbonariam sylvam, quæ Neustriam ab Austria distermimabat, prætergressus est citissimè, pervenitque ad Mosam, totâ regione circumvastatâ. Deinde, ut Austrasiis à tergo alius hostis immineret, *Radbodum* Regem Frisiorum, quamvis Ethnicum, in societatem fœderis atque amicitiæ vocavit. Interim *Carolus* Pippini ex Alpaide filius, quem Plectrudis, ne res novas moliretur, detinebat, è custodiâ elapsus, Austrasiorum animos in spem magnam erexit. Id testantur Auctor Historiæ jussu *Childebrandi* scriptæ, capp. 104. & 105. Anonymus in Gestis Regum Francorum, cap. 51. & Annales Metenses. Eodem Anno, Regni sui quarto, ætatis circiter vigesimo, *Dagobertus III.* obiit, *Theodorico* filio in cunis relictô.

ARTICULUS II.

De Chilperico III. & Clotario IV.

II. PRætermissô *Theodorico* Dagoberti III. filio, Neustrasii Burgundionésque *Danielem* quondam Clericum, *Childerici II.* filium, in solio collocarunt, & *Chilpericum* nuncupavere. Is cum *Radbodo* Frisiorum Rege initô fœdere, contra *Carolum*, qui Majoratum Palatii Austrasiani sibi arrogabat, duxit exercitum. Profligatus est *Carolus* primâ expeditione; sed in alterâ, cui Rex *Chilpericus* interfuit, Francis post obsidionem Coloniæ ad propria remeantibus, magna clades ab exercitu *Caroli* & Austrasiorum illata est. Anno Christi septingentesimo decimo-septimo, *Carolus* iterum contra *Chilpericum* aciem instruxit. Prælium Vinciaci commissum est, cujus eventus fœlix Austrasiis fuit. Anno Christi septingentesimo decimo-octavo, *Carolus* Regiam Dignitatem *Clotario* conferendam curavit, ut invidiæ minùs sibi conflaret, *Chilperico* Regi plus negotii facesseret: cujus meminerunt Anonymi coætanei in Gestis Regum Francorum, & in Historia jussu *Childebrandi* conscriptâ *Clotarius* ille *Theodorici III.* filius erat. Cùm verò Saxones in societatem à *Chilperico* vocari *Carolus* animadverteret, in Saxoniam irrumpens, totam regionem eis Visurgim vastavit.

Anno Christi septingentesimo decimo-nono, *Chilpericus*, Eudone Aquitaniæ Duce, in auxilium vocatô, certamen iniit cum *Carolo* in pago Suessionensi. Victoria stetit penes *Carolum*. Francorumque seu Neustrasiorum magna strages edita est. Brevi post prælium Suessionicum, obiit *Clotarius IV.* anno Regni secundo. Anno sequenti, *Carolus* amicitiam per Nuntios iniit cum *Eudone* Aquitaniæ Duce, ab eóque obtinuit *Chilpericum* regem qui se in aquitaniam receperat. Chilpericum vocavit *Carolus*, ut nomine ipsius Regnum minore cum invidiâ gubernaret. Neustrasii enim & Burgundiones, nisi Rex adesset, non libenter homini Austrasio parituri videbantur. Diu superstes non fuit *Chilpericus*; obiit enim anno septingentesimo vigesimo-primo, Regni sexto, ætatis quadragesimo nono, nullâ susceptâ prole. Ejus munificentia erga Monasteria Sandionysianum, Corbeiense, Glanoafoliense, Metense *Sancti Arnulphi*, Fontanellense, Sithivense, Argentoratense, *Sancti Stephani*, & *Sancti Luciani* Bellovacensis Basilicam, veteribus Documentis probatur, & Diplomatibus ab eo datis.



ARTICULUS

ARTICULUS III.

De Theodorico IV.

CHilperico Tertio successit *Theodoricus IV.* puer septennis, *Dagoberti III.* filius in cunis à patre relictus. Educabatur in Monasterio Calensi, ex quo assumptus est in Regem: unde & *Calensis* cognomen ipsi à Neotericis inditum est Levatus est anno Christi septingentesimo vigesimo-primo. Eodem anno Saraceni Tolosam civitatem Aquitaniæ tunc attributam, obsidione cinxerunt, *Eudo* Aquitaniæ Dux insignem de ipsis victoriam reportavit. Tunc Saracenis præerat *Iezus* Rex eorum decimus-sextus. Anno Christi septingentesimo vigesimo-secundo, bellum Saxonicum à *Carolo* Majore-Domus gestum est. Anno septingentesimo vigesimo-quarto, *Carolus* Major-domus *Raginfrindum* quondam eâ dignitate fulgentem, & tumultus excitantem in Andegavia profligavit. Mox ad Saxones, qui bellum in Francos renovare conabantur, coercendos arma convertit. Anno sequenti bellum gessit adversùs Bojoarios, fœlici exitu. Eodem anno Saraceni in Gallias irrumpentes, ab *Eudone* Aquitaniæ Duce sunt profligati. *Gregorius II.* Papa *Eudoni* genus aliquod Eulogiarum transmisit, quarum qui participes facti sunt, è prælio illæsi abiere, ut refert *Anastasius Bibliothecarius* in Vita laudati Pontificis. Contra *Lantfridum* Sueviæ sive Alamanniæ Ducem bellum confecit *Carolus* Major-domus anno Christi septingentesimo trigesimo. Anno sequenti, *Carolus* Aquitaniæ, quam Dux *Eudo* singulari erga *Theodoricum* tunc adolescentulum fide laudabiliter, quietéque gubernabat, luctuosam vastationem bis intulit, nullâ provocatus injuriâ. Interim *Addiramus*, qui Provincias ditionis Arabicæ cis fretum Gaditanum sitas, Hispaniam videlicet ac Septimaniam, *Iscami* Caliphæ nomine gubernabat, in Franciam irrupit, obsidione cinxit Arelatem, commissóque prælio, Francos profligavit. Lugdunensi deinde civitate occupatâ, per Burgundiam totam longè latéque grassati Saraceni, Senonas usque effusi sunt. Integrâ quoque Vasconia & Burdigala potiti, ac cæteris Aquitaniæ II. urbibus, *Eudone* profligatô Pictavium usque comite victoriâ sunt progressi. In tantô rerum discrimine nec *Eudo* Dux Aquitanniæ cecidit animô, nec officio suo defuit *Carolus* Major Regiæ domûs. Ambo simultate, quæ priùs inter illos fuerat, patriæ caritati condonatâ, vires suas simul junxerunt. In agro Pictavensi pugnatum est, magna Saracenorum strages edita. *Abdirama* Dux illorum occisus. Iidem prope Senonas victi fugatíque, *Ebbone* Metropolitano Senonensi agente. De his lege *Isidorum Pacensem* in Chronico, & *Rodericum* Toletanum Præsulem in Historia Arabum. Anno Christi septiogesimo trigesimo-tertio, *Carolus* Major-domûs duas expeditiones suscepit, unam contra Saracenos, è quorum tyrannide Burgundiam, Lugdunúmque liberavit, alteram contra Frisios. Primam inter secundámque expeditionem mediô tempore, *Pippinum* filium misit ad *Luitprandum* Longobardorum Regem, ut ejus comam, pro illius temporis more, primus attonderet, eique pater spiritalis fieret, quod gratissimum habuit Rex Longobardorum, multísque muneribus donatum remisit ad patrem.

Saracenorum in Franciam irruptio.

Saraceni profligati ab Eudone Aquitaniæ Duce, & Carolo Majore Domus Regiæ Francorum.

Anno Christi septingentesimo trigesimo sexto, *Abdelmelichus* Saracenorum in Hispania & Septimania Præfectus, numerosissimô conscriptô exercitu, in Provinciam irrupit, Avenionémque cœpit, *Mauronti* Comitis proditione. *Carolus Childebrandum* fratrem cum maximâ Francici exercitus parte adversùs hostes direxit, qui Avenionem obsidione cinxit; mox ille cum reliquis copiis advolavit, & non solùm ex Francia expulit, sed etiam in Septimania profligavit, victô necatóque *Amorro* altero eorum Duce, nobilissimísque civitatibus, Biterris* Agatha, * Nemausóque*, captis atque dirutis. Id constat ex Appendice ad Francorum Historiam jussu *Childebrandi* conscriptam, & ex Annalibus Metensibus.

Beziers. Agde, Nismes.

Anno Christi septingentesimo trigesimo-septimo *Theodoricus IV.* obiit, cùm annum Regni decimum-septimum ageret, ætatis vigesimum-tertium. Ejus erga plura Monasteria pietatem ac munificentiam varia Monumenta testantur. Anno Regni sui primô duo rescripsit Diplomata pro Monachis Sirivensibus, unum Surssione, alterum Confluentibus; item tertium Metis anno quinto pro Cella Leobardina*; & quartum apud Gundulfi Villam prò Cœnobio Murbachiensi*.

Theodorici pietas

Leonp...ll. In Episcopatu Argentoratensi. Murbach. In eadem Diœcesi.

Dagoberto III. Chilperico III. Clotario IV. & *Theodorico IV.* regnantibus, sanctitate in Francia claruerunt *Erminus* Lobiensis Abbas. *Leothadius* Ausciensis Episcopus; *Vvinfridus* Presbyter, Turingorum Apostolus, *Eoldus* Viennensis Episcopus; *Sanctus Silvius* patriâ Tolosanus, qui ordinatus est Episcopus ut Evangelium Gentibus prædicaret, nullâ certâ Sede attributâ; *Sacerdos* Lemovicensis Antistes, *Veredimus* Avenionensis, *Eurimundus* Fontaneti* in Diœcesi Bajocassina* primus Abbas; *Lotharius** Sagiensis* Episcopus, *Achardus*, sive *Richardus* Gemmeticensis Abbas; *Sanctus Hubertus* Trajectensis Episcopus, qui *Sancti Lamberti* Martyris reliquias & Cathedram Episcopalem simul Leodium transtulit, & idololatriam ex Arduenna, è Taxandria, & ex Brachbaore seu Branchban o penitus extirpavit; *Sanctus Domitius* Eremita & *Sancta Ulphia* Virgo reclusa, filia ejus spiritualis, qui in Diœcesi Ambianensi coluntur. *Sanctus Pyrminius* Monasteriorum Augiæ divitis* in Episcopatu Constantiensi ad Rhenum, & Murbachiensis in Argentoratensi conditor; *Sanctus Corbinianus* Bojoariorum Apostolus, & primus Frisingensium Episcopus, *Sancta Mundana* Martyr, Sancti Sacerdotis Lemovicensis Episcopi mater, à Saracenis in Diœcesi Cadurcensi interfecta. *Sanctus Beregisus* Abbas Andaiensis in Episcopatu Trajectensi. *Sanctus Gebrianus* ex Venetensi Episcopo Eremita. *Sancta Bertha* Blangiacensis* Monasterii in Episcopatu Tarvanensi fundatrix & prima Abbatissa. *Sanctus Hugo* filius Drogonis Campaniæ Ducis, *Pippini* Herstallii nepos, qui simul Ecclesias quinque, tres videlicet Episcopales, Rotomagensem, Parisiensem, ac Bajocensem, cum duabus Abbatialibus, Fontanellensi ac Gemmeticensi přerexit, non causâ perversæ cupiditatis, aut aliquo sæculari fastu tot Beneficia possidens; sed ut Ecclesiis prodesset difficillimo tempore, utque erga Sanctorum Basilicas & Monasteria munificentiorem, ac magnificentiorem se præstaret. In quô non pluritas Beneficiorum, quæ Sanctum ipsum non fecit, sed charitas & bonus redituum Ecclesiasticorum usus, imitatione digna sunt, & laude. *Sanctus Cessator* Lemovicensis Episcopus. *Sanctus Pardulphus** Vvaractensis in Diœcesi Lemovicina Monasterii primus Abbas. *Theofredus** Calmeliacensis Monasterii in Episcopatu Aniciensi Abbas, & Martyr. *Sancta Hadeloga* Virgo, Caroli Martelli & Rotrudis filia; *Sanctus Eucherius* Aurelianensis Episcopus.

Vit sanctitate insignes.

Fontenay. Bayeux. S. Lohier. Séez.

De Reichenaw.

De Frisingen.

De Blangy.

S. Pardoul. S. Chaffre.



ARTICULUS IV.

De Interregno post Theodorici Regis obitum.

POst *Theodorici Quarti* obitum, Francia per aliquot annos Lege caruit, ut ex duobus Chronicis brévissimis discimus, quæ ab Andrea Duchesnium inter Historiæ Franciæ Scriptores, Tomo I. edita sunt, unum ex Remensi Monasterio *Sancti Remigii*, à *Theodorico III.* ad *Pippinum* usque Regem; alterum ex Codice Tiliano, à *Clotario Secundo*, ad ejusdem usque *Pippini* mortem. Duravit Interregnum illud annos sex & ampliùs, id est, penè ad finem anni septingentesimi quadragesimi tertii. Tunc Franciam regebat *Carolus* Major-domus, quem propterea *Gregorius III.* Pontifex in Epistolis ad ipsum datis *Subregulum* vocat, titulo hactenus apud Francos inusitato, medióque inter Majorem-Domatum ac Regiam Dignitatem. Tunc publicis Instrumentis apponebantur anni à *Theodorici* Regis obitu, ut constat ex Donationis, quâ Carolus Major domus Sandionysianum Monasterium locupletavit, exemplari dato *anno post defunctum Theodoricum Regem quinto.* Bellum tertiò Saxonibus intulit *Carolus Martellus* anno Christi septingentesimo trigesimo octavo, eósque tributarios fecit, ut testantur Annales Francorum Nazariani, Petaviani, & Metenses. Anno sequenti, profligavit Saracenos, qui in Provinciam irruperant, eámque vastaverant. Id testantur Annales Francorum Metenses, & Chronicon Fontanellense. Francis auxilio fuit *Luitprandus* Rex Longobardorum, teste *Paulo Diacono*, lib. 6. de Gestis Longobard. Suppetias quoque *Carolo* tulere Alemanni, & Bojoarii. Alamannorum seu Suevorum Dux erat *Theodebaldus*, Bojoariorum seu Bavarorum *Odilo*, anno septingentesimo quadragesimo primo.

Carolus acceptâ à Gregorio III. Pontifice Maximo perhonorificâ Legatione, vicissim Legatos cum responsis ad illius Epistolas, misit Romam; *Grimonem* Abbatem Corbeiensis Monasterii, & *Sigibertum* seu *Sigobertum* Reclusum Monasterii Sandionysiani, ut constat ex Appendice ad Historiam *Childebrandi* jussu conscriptam, ex Annalibus Metensibus, cap. 110 & ex Continuatore *Aimoini*, lib. 4 cap. 57.

Caroli Martelli obitus.

Eodem anno cùm in morbum incidisset *Carolus* Majoratum inter filios divisit, Majoratum Austrasiæ *Carolomanno*, *Pippino* Majoratum Neustrasiæ attribuit, ut testantur Annales Metenses. *Sancti Dionysii* Basilicam ac Monasterium multis muneribus ditavit. Obiit mense Octobri ejusdem anni apud Carisiacum, sepultúsque est in Basilica *Sancti Dionysii* prope Parisios, ut Annales Petaviani & Fuldenses testantur.

Emendatur Baronius.

Scripsit *Baronius* ad hunc annum, *Sanctum Bonifacium* Germanorum Apostolum ad *Ethelbaldum* Merciorum Regem in Anglia, hominem scelestissimum, epistolam dedisse, ut eum ad pœnitentiam revocaret, & inter alia plura exempla Regum, qui ob immensa sua scelera malè pereuntes animam unà cum corpore perdiderunt, atque in perpetuos cruciatus apud inferos damnati sunt, de *Carolo* hæc habere: *Carolus quoque Princeps Francorum, multorum Monasteriorum eversor, & Ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios commutator, longâ torsione, & verendâ morte consumtus est.* Sed deceptum *Baronium* Viri Eruditi jam observarunt, ex eóque probarunt, quòd inter Bonifacianas Epistolas duæ tantùm *Ethelbaldo* Regi Merciorum inscribantur, duodecima scilicet ac decima-nona, in quibus ne verbum quidem ullum occurrit de *Carolo.* Præterea *Carolus* nullum evertit Monasterium, plura ditavit, inprimis Trevirense, Fontanellense, & Sandionysianum. Quæ ipsius temporibus direptæ sunt & dirutæ Basilicæ, à Saracenis direptæ sunt & eversæ, qui Provinciam, Burgundiam, Aquitaniam, ferro flammísque devastarunt. Nec etiam Ecclesiasticas pecunias in usus proprios *Carolus* convertit: licet facultates Ecclesiarum Nobilibus, militibúsque, propter assiduitatem bellorum, præsertim adversùs Arabes Mahumetanos, adversùs Saxones & Frisios idololatras; in stipendium tradiderit; ut Libellus de Majoribus-domus Regiæ à *Duchesnio* editus, & Chronicon Autisiodorense sub *Aidulfo* Episcopo, testantur. Eam ob rem odium Clericorum incurrit *Carolus Martellus* adeo grave, ut ostensam de illius æterna damnatione visionem finxerint, & vulgaverint. Cujus fabulæ primus scriptor *Hincmarus* in Prologo Vitæ *Sancti Remigii*. Ex quo *Carolus le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum non absque fundamento suspicatur, commentum istud à Clericis Remensibus excogitatum fuisse, quia *Carolus Rigobertum* Remensem Archiepiscopum dejecerat à Sede, subrogato *Milone* Trevirensi jam Episcopo, ut testatur Auctor Vitæ *Sancti Rigoberti* apud *Bollandum*, die 4. Januarii.

Refellitur fabula de Caroli Majoris-domus damnatione.

Visio de Caroli damnatione Sancto *Eucherio* Aurelianensi Episcopo ostensa scribitur ab Auctore *Vitæ* ipsius apud *Bollandum*, die vigesima Februarii. Sed hujus fabulæ additione interpolatam esse *Sancti Eucherii* Vitam, cùm multa alia probant, tum maximè quòd in tribus Codicibus MSS. à quibus *Bollandus* Vitam *Sancti Eucherii* edidit, nihil de ea legatur: & quòd integro post Sancti illius Præsulis obitum sæculo, Visio illa non sit vulgata. Id colligitur ex litteris *Ludovici Pii* ad *Hilduinum* Sandionysianum Abbatem, in quibus ait *Carolum* proavum suum *Sancto Dionysio corpus proprium in magni judicii die suscitandum, & animam Domino præsentandam fideliter commendasse.* Quod non scripsisset *Ludovicus* Abbati Sandionysiano, si Visionis afflictæ *Sancta Eucherio* vel minima suspicio tunc fuisset illo in Cœnobio, ubi *Carolus* sepultus fuerat. Præterea de *Caroli Martelli* damnatione nemo quidquam scripsit, antequam regnaret *Carolus Calvus* ejus abnepos, qui anno Christi octingentesimo quadragesimo regnum suscepit. Eô Rege, *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis Visionem sub nomine *Sancti Eucherii* à Clericis confictam vulgavit, in Prologo Vitæ *Sancti Remigii.* Eamdem Visionem *S. Eucherio* ostensam de *Caroli* damnatione commemorant Episcopi Provinciarum Remensis & Rotomagensis cum *Hincmarus & Wenilone* in Carisiaco Palatio congregati anno Christi octingentesimo quinquagesimo octavo, in Epistola ad *Ludovicum* Caroli Calvi fratrem. *Petrus Bibliothecarius* in Historia Francorum abbreviata, quam ab anno Christi septingentesimo decimo-quinto ad annum octingentesimum nonagesimum octavum perduxit, eamdem visionem refert, *Hincmari* testimonio suffultam. Synodus quidem Carisiaca cui præerat *Hincmarus*, in Litteris ad Ludovicum Regem scriptis testatur viros, qui sepulchrum *Caroli*, post Eucherii Visionem inspexerant, à se visos, auditósque: sed cùm ab obitu *Sancti Eucherii* ad Synodum Carisiacam lapsi sint anni quindecim supra centum, non potuit Hincmarus qui post illam Synodum viginti & quatuor annis superstes fuit, aliíque Episcopi, qui eidem Synodo interfuerunt, plenam rei alibi incognitæ notitiam habere ab iis, qui, priusquam *Sanctus Eucherius* obiret, testimonium de dracone à se viso in sepulchro *Caroli* ferre potuerint.

Addit *P. Mabillonius* in Observationibus præviis ad Vitam *Sancti Eucherii*, testimonium Sandionysiani Chronici, quod extat Tom. 2. Spicilegii.

Anno, inquit, *M. CCLXIV. translati sunt hi, in dextro Choro, scilicet Ludovicus Rex filius Dagoberti, Carolus Martellus Rex, &c.* Quod si inane ac fuliginosum duntaxat Cenotaphium repertum esset, id non omissurus fuisset Chronographus ille. *Caroli Martelli* pietatem commendavit Gregorius Tertius Pontifex Maximus, quòd ejus opitulatione *Sanctus Bonifacius* centum millia Paganorum Germanorum ad Christum convertisset. Quod sanè de ejus æterna salute piè sentire jubet. *Gregorii Tertii ad Bonifacium* scribentis verba hæc sunt: *Agnoscentes in syllabis Fraternitatis tuæ, quæ innotuisti de Germaniæ gentibus, quas sua pietate Deus noster de Potestate Paganorum liberavit, & ad centum millia animas in sinu matris Ecclesiæ, tuo conamine, & Caroli Principis Francorum, aggregare dignatus est.*

Obiit *Carolus* paulò major quinquagenario. Duas uxores duxit, *Rotrudem*, & *Sonechildem*. Filios sex reliquit, *Carolomannum*, *Pippinum*, *Bernardum*, *Hieronymum*, & *Remigium* ex *Rotrude* natos, & *Grifonem* seu *Gripponem* ex *Sonechilde*: filias verò duas, *Hadelogam*, & *Chiltrudem* ex *Rotrude*. Grifo, Sonechilde matre concitante, adversùs *Carolomannum* & *Pippinum* rebellavit, & Laudunum occupavit. Quem illi, obsessâ captâque Urbe, apud Novum Castrum in Arduenna in custodia detinuerunt, *Sonechildem* verò in Kalensi Monasterio incluserunt.

Carolomannus & Pippinus Majores-Domus.

Anno Christi septingentesimo quadragesimo secundo, *Carolomannus* & *Pippinus* duo bella fœliciter gessere, unum in Aquitania, alterum in Alemannia: de quibus Auctor Appendicis ad Historiam *Childebrandi* jussu conscriptam, & Annales Fuldenses ad annum DCCXLII.

Anno sequenti, Bellum Bojoaricum non minori gloriâ gessere contra *Odilonem* Ducem, qui cum *Theobaldo* Alemanniæ seu Sueviæ, & Hunaldo Aquitaniæ Ducibus sive Præfectis, adversùs ipsos conjuraverat, vocatis in auxilium Sclavis & Saxonibus. Vicere *Carolomannus* & *Pippinus*. Sergium Presbyterum *Zachariæ* Romani Pontificis Apocrisiarium, in prælio captum increpuere, quòd *Zachariæ* nomine abusus, Francis bello in Bojoarios interdixisset. Id testantur Auctor Appendicis ad Historiam *Childebrandi* jussu conscriptam, Annales Fuldenses, & *Eginhardus* ad annum 743. Exinde Pax Bojoariis reddita est, *Hiltrude*, ut verisimile est, eam à fratribus exorante. Nupserat enim, iis invitis, *Odiloni*; quæ belli causa fuerat. Post hæc in Saxones arma convertit *Carolomannus*.

ARTICULUS V.

De Childerico Tertio, Merovingiorum Regum postremo.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo-tertio exeunte, *Carolomannus* & *Pippinus* curarunt vel consenserunt *Childericum* Theodorici Quarti filium, annum circiter decimum ætatis agentem, Regem consalutari, ut esset, cujus nomine, si non majore cum auctoritate ac potestate, saltem minore cum invidia regnarent. Anno sequente Majores-Domus adversùs Saxones & Alemannos profecti sunt. Saxonum Satrapa Theodoricus, Suevorum sive Alamannorum Dux erat *Theodebaldus*. Theodoricum aggressus est Carolomannus, Pippinus Theodebaldum. Saxones subacti, qui Provinciis Majoratu *Carolomanni* attributis erant finitimi, plurimique ad Baptismum suscipiendum perducti sunt. *Theodebaldus* in fugam conjectus, deinde in Ducatum Sueviæ restitutus benignitate Victoris. Hoc utrumque bellum commemorant Auctor posterioris Appendicis ad Historiam jussu *Childebrandi* conscriptam, & Annales Metenses. Anno septingentesimo quadragesimo-quinto, bellum Aquitanicum adversùs *Hunaldum* Ducem perduellem, & Alamannicum adversùs *Theodebaldum*, qui in Alsatiam irruperat, à Majoribus-Domus confectum est, ut testantur Auctor Appendicis posterioris ad Historiam jussu *Childebrandi* conscriptam; & Annales Metenses. Anno Christi septingentesimo quadragesimo sexto, bellum Alamannicum & Aquitanicum redintegratum, ac fœliciter à Majoribus-Domus confectum est, ut constat ex Annalibus Nazarianis, Petavianis, & Fuldensibus. Anno sequenti *Carolomannus*, nuntiô rebus sæcularibus remissô, Romam profectus est. Abiturus, *Drogonem* filium suum primogenitum cum Austrasiæ Majoratu protegendum *Pippino* fratri commisit. Tonsuram & habitum Clericalem suscepit a *Zacharia* Pontifice Maximo, ut Anastasius Bibliothecarius, & Annales Metenses testantur. Tum condidit Monasterium in Soracte monte, ubi Deo totus vacaret. Interea Grifonem fratrem apud Novum Castrum in Arduenna detentum libertate donavit *Pippinus*. Anno septingentesimo quadragesimo-septimo perduelles Saxones ab eodem *Pippino* debellatos, Appendix Historiæ jussu *Childebrandi* scripti commemorat. Anno Christi septingentesimo quadragesimo octavo, *Carolomannus* relictô Soracte monte, in Cassinense Monasterium Sancti Benedicti secessit, ibique Religiosam Vitam professus est, ut Annales Tiliani, & Metenses, *Eginhardus* in Vita *Caroli Magni*, aliique testantur. Anno sequenti, *Grifo* in *Bojoariam* irrupit, *Odilone* Duce mortuo, & *Thassilone* puerulo in patris locum suffecto; Bojoariæque Ducatum per vim usurpavit. Bojoarios aggressus *Pippinus*, ad deditionem compulit: cum *Grifone* seu *Grippone* fratre pacem iniit, eúmque duodecim donavit Comitatibus, Bojoariæ Ducatu *Thassiloni* restitutô. At *Grippo* tali sorte non contentus, in Aquitaniam ad *Vualfarium* Ducem profugit, novarum rerum studio vehementer inflammatus, ut Annales Laureshamenses memorant. Interim *Zacharias* Papa Sacerdotes & Presbyteros Francorum per litteras hortatus est ad pacem inter *Pippinum* Majorem-Domus & *Grifonem* fratrem conciliandam, & ad Corpus *Sancti Benedicti* Cassinatibus Monachis restituendum. Editæ sunt hæ Litteræ Tom. I. Conciliorum Galliæ.

Carolomannus Major-Domûs seculo renuntiat.

Childericus III. exauctoratur: Pippinus Regium solium occupat.

Anno Christi septingentesimo quinquagesimo secundo, *Rex Childericus III.* annum circiter decimum octavum ætatis agens, exauctoratus est, & in Monasterium retrusus: Regium solium Pippinus Major Domûs occupavit: Franci detestandæ perduellionis rei *Pippinum* Suessione Regem elevarunt. *Pippini* elevationem ad hunc annum referunt Annales Petaviani, Pithœani, & Fuldenses; quam anno integro Annales Nazariani, & Sandionysianum Chronicon antevertunt; duobus Annales Loiseliani. *Zacharia* Romano Pontifice suasore vel auctore, exauctoratum *Childericum*, & *Pippinum* Regem constitutum, fabula est à plurimis Auctoribus, absque examine, litteris prodita, ut in Dissertationibus ostendam.

Fabula rejicienda.

Viri sanctitate celebres.

Post mortem *Theoderici IV.* Regis ad elevationem usque Pippini, Sanctimonia celebres in Francia fuere *Porcarius* Abbas Lirinensis, qui cum quingentis Monachis Martyrio à Saracenis affectus est: *Vitalis* ex Herensi Monacho Eremita in pago Ratiatensi; *Sigibaldus* Metensis Episcopus; *Vuillebrordus* Ultrajectensis Præsul; *Pardulphus* primus Abbas Vuaractensis in Episcopatu Lemovicensi, *Thurianus* Dolensis Episcopus; *Herlindis* Eyckensis Monasterii in Leodiensi Episcopatu Abbatissa; *Ebbo* Senonensis Archiepiscopus; *Alto* primus Abbas

Abbas Cœnobii, quod ex ejus nomine *Alten-Munster* vocatur, in Diœcesi Frinsingensi; *Barchardus* ex Monacho Benedictioo Vvirceburgensis Episcopus.

ARTICULUS VI.

De Pippino Rege.

Bellum Saxonicum.

Pax.

PIppinus, postquam Majoratum-domus annis decem tenuisset, Rex à Franciscreatus, adversùs Saxones perduelles duxit exercitum anno Christi septingentesimo qoinquagesimo-tertio. Hi profligati, & pœnitentiâ commoti, veniam & pacem à Rege postularunt, obtinuerúntque iis legibus, ut annis singulis equos trecentos ipsi suppeditarent, & Sacerdotibus qui Evangelium in Saxonia prædicare vellent, liberum permitterent aditum, ut testantur Anonymus *Fredegarii* Continuator, & Annales Metenses. Eodem anno, *Grippo* frater *Pippini*, cùm in Italiam ad *Aistulphum* Longobardorum Regem confugeret, ab exercitu, qui transitus Alpium *Pippini* nomine tuebatur, in Valle Maurienna necatus est, ut testatur Anonymus, qui Vitam *Pippini* Regis scripsit jussu *Nibelungi* Comitis.

Pippinus Stephanum III. suscipit, Rex ab eo ungitur.

Stephanum Tertium Pontificem Maximum, qui ad ipsum in Gallias confugerat, auxilium contra Longobardos petiturus, honorificentissimè suscepit, ab eòque, cum uxore *Bertrada*, & filiis *Carolo* & *Carolomanno*, in Sandionysiano Monasterio unctus est. Tunc mortuus erat *Childericus*, & cum eo Meroveadarum stirps omnis extincta: quod enim legitur in Chronico Fontanellensi, cap. decimo tertio, Theodoricum Monachum Fontanellensem *Childerici Tertii* Regis filium fuisse, falsum est; & hoc loco interpolatum est istud Chronicon, ut disertè probat *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum Christi 754. Num. XXXIX. & sequentibus. *Stephanum* Papam anno Christi septingentesimo quinquagesimo quarto io Italiam reduxit *Pippinus*, Longobardos aggressus est & profligavit, Aistulphum eorum Regem in fugam dedit; Papiam, quò se ille receperat, obsidione cinxit, pacem Longobardis imperavit. Conditiones pacis fuere, ut Ravennatem Exarchatum, aliásque civitates, Reipublicæ Romanæ restitueret, ut testatur *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Stephani Tertii*.

Bellum Longobardicum.

Obiit *Carolomannus* Monachus Cassinensis, *Pippini* frater, cùm io Italiam reverteretur. *Pippinus* io Franciam redux filios ejus tonderi jussit, ut Annales Petaviani memorant.

Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, secundò profectus est in Italiam cum exercitu *Pippinus*; Longobardorum copias iterum fudit, Ticinum, quo se concluserat *Aistulfus*, obsidione cinxit, violatique fœderis pœnitenti pacem concessit, acceptis obsidibus, & tertia parte thesauri, quem Ticini Rex Longobardorum servabat, imperatisque tributis, quæ Longobardi Regi Francorum à longo tempore solverant. Dum hæc gerebantur, *Constantini Copronymi* Imperatoris Legati *Pippinum* convenere, ac muneribus amplissimis donatum obsecrarunt, ut Exarchatum, cùm ab *Aistulpho* recepisset, Imperatori restitueret. Id decreverat *Pippinus*, cùm primam expeditionem adversùs Longobardos suscepit; sed mutatâ sententiâ, denegavit Imperatori, tradere decrevit Sedi Apostolicæ, factámque in scriptis Donationem transmisit Romam. Reliquit autem io Italia *Fulradum* Abbatem, qui civitates in pacto contentas ab *Aistulpho* reciperet, receptásque mox io potestatem Romani Pontificis transferret.

Pippini Regis erga Romanam Ecclesiam munificentia & Donatio.

Complectebatur *Pippini* Donatio Adriam, Ferrariam, Comaclum, Bononiam, Imolam, Faventiam, Gabellum, Ravennam, Forum-Livii, Forum Popilii, Bobium, territorium Balnense, Cœsenum, Ariminum, Montem Feretri, Serram, Castellum Sancti Marini, Pisaurum, Urbinum, Forum-Sempronii Panum, Luceolos, Callium, Senogalliam, Æsium, Anconam, Humanam, Auximum, Eugubium, Acertagiom, & Narniam. Quæ omnes civitates, Castello Sancti Marini, & Adria Urbe exceptis, hodie parent Innocentio Duodecimo Pontifici Optimo Maximo. Harum dominium *Pippini* Regis Christianissimi munificentiæ Romana debet Ecclesia. Cujus & insigne monumentum extat Ravennæ sic inscriptom: *Pippinus. Pius. Primus. Amplificanda. Ecclesiæ. Viam Aperuit. Et. Exarchatum. Ravenna. Cum. Amplissimis* .... Cætera tempus edax rerum, vel æmulorum Francici nominis ac gloriæ iovidia delevit. De *Pippini* Donatione legendus. *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Stephani Tertii*. Eodem anno *Pippinus* Franciam auxit integrâ Septimania, necnon Gerunda & Barcinone, pulsis inde Saracenis, ut Annales Metenses testantur.

Tassilo Dux Bojoariæ in Pippini Regis clientelam se commitit.

Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-septimo, Regni Comitia habita sunt Compendii, in quibus *Tassilo* Dux Bojoariæ cum sui Ducatûs Primatibus, Sacramentum fidelitatis *Pippino* Regi præstitit, manibus super sacras Reliquias impositis. Datúmque sacramentum confirmarunt in Monasterio Sandionysiano agri Parisiensis, super corpora Sanctorum Martyrum *Dionysii*, *Rustici*, & *Eleutherii*; in Monasterio *Sancti Germani* prope muros Parisienses, ad Corpus *Sancti Germani* ejusdem Urbis Episcopi; & in Turonensi Monasterio *S. Martini* ad corpus ejusdem Sancti Confessoris, ut Annales Laureshamenses, Tiliani, & Loiseliani testantur. *Borutho* etiam Sclavorum Regi *Tassilo* persuasit, ut se suáque in *Pippini* clientelam committeret. Placuit *Borutho* consilium, fœdúsque iniit cum Francis, datis obsidibus *Karasto* filio, & Chettumaro nepote, quos baptismate initiari permisit, ut Annales Boïci testantur.

Saxones à Pippino domiti.

Anoo Christi septingentesimo quinquasimo-octavo, *Pippinus* contra Saxones rebellantes cum exercitu profectus est, quibus devictis tributum trecentorum equorum imposuit, ut Annales Laureshamenses & Tiliani testantur.

Anno Christi septingentesimo, sexagesimo *Vvaifarium* Ducem, qui tyrannidem in Aquitania exercebat, & Ecclesias opprimebat, ducto exercitu, ad ea, quæ justitiæ erant, compulit, ut testatur Anonymus in Historia jussu Nibelungi Comitis conscriptâ.

Eodem anno *Remedium* sive *Remigium* Archiepiscopum Rotomagensem, fratrem suum, & *Autharium* sive *Andegarium* Ducem, *Pippinus* Rex ad *Desiderium* Longobardorum Regem Oratores misit, ut eum ad implenda pacta, & reliquas civitates Romano Pontifici reddendas compellerent: quibus ille spopondit se omnia jura & patrimonia & loca Sedi Apostolicæ plenissimè restituturum. Id constat ex Epistola *Pauli I.* ad *Pippinum*, quæ vigesima prima legitur in Codice Carolino.

Bellum Aquitanicum.

Anno Christi septingentesimo sexagesimo-primo, bellum Aquitanicum redintegratum est, quod *Vvaifarius* fidem fregisset, & cum *Uniberto* Comite Bituricensi, & *Blandino* Comite Arvernico, junctis copiis, totam Burgundiam, Cabillonum usque devastaret. *Pippinus* exercitu ducto trans Ligerim, Aquitaniam vastavit, & Arvernicam regionem, Claromontem occupavit, *Blandinum* Comitem, & plures alios captivos fecit. Id testatur Anonymus in Historia jussu *Nibelungi* Comitis scripta, cui Annales Loiseliani, Laureshamenses, Fuldenses, & Bertiniani, suffragantur.

Caput Sancti Joannis Baptistæ Lutetiam translatum.

Quod de Capite S. Joannis Baptistæ Alexandriâ in Aquitaniam hoc anno delatô, & à *Pippino* Rege in Pala-

tio Angiriaco Santonensis Diœcesis suscepto, ubi & celebre Cœnobium erexerit, apud *Sigebertum* à Miræo editum legitur, fabulosum est; isque textus additus *Sigeberto* ab Interpolatore quopiam. Nam *Pippinum* eo anno in Palatio Angiriaco moratum non esse, belli Aquitanici Historia probat; & ad hunc annum, qui cum anno *Constantini Copronymi* Imperatoris vigesimo coincidit: Theophanes de capite Sanctissimi Præcursoris ea commemorat, quæ cum narratione *Sigeberti* à *Miræo* editi conciliari non possint. *Eodem anno*, inquit, *Sancti Joannis Præcursoris & Baptistæ Caput ex Antri Monasterio in proprium Templum sumptuosè constructum ad Emesenorum urbem translatum est. Confessio quoque sacræ Reliquiæ reponendæ ædificata est, in quâ ad hunc usque diem à Fidelibus veneratum, tam corporea quàm spirituali odoris fragantia honoratur, & ab illo morborum omnium medela, velut è perenni fonte, in eos qui cum fide accedunt, scaturit.* In vulgatis editionibus Sigeberti, ad hunc annum, leguntur hæc verba: *Caput Joannis Baptistæ in Edisseam civitatem transfertur.* Pro *Edissea* restituendum, *Emesam.*

Anno Christi septingentesimo sexagesimo-secundo, *Pippinus* Bituricas & Toarcium expugnavit, ac *Umbertum* & Comites reliquos *Vvaifario* fœderatos, dato sacramento, secum adduxit. Anno sequenti novam expeditionem suscepit in Aquitaniam, & Cadurcum usque vastavit omnia, ut Annales Loiseliani, Tiliani, Bertiniani, & Meteoses testantur. Anno 764. profligati sunt iterum Aquitani à *Pippini* Ducibus in Septimania & Burgundia, teste Anonymo in Gestis *Pippini* Regis. Eodem anno, *Pippinus* ut suum studium erga Sedem Apostolicam magis ac magis comprobaret, *Constantini Copronymi* Imperatoris Oratores audire noluit, nisi præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis, Disputationibus interfuit, quas de Fide orthodoxa & pia Patrum traditione habuerunt, ac de tota rei gestæ serie Summum Pontificem certiorem fecit, ut constat ex litteris *Pauli I.* ad *Pippinum* datis, quæ in Codice Carol. Num. xx. leguntur.

Attiniacum *Attigny*. Villa Regia & Palatium, ad levam Axonæ ripam, in valle Burgensi, Vongeium inter & Rethelum.

Anno 765. post Attiniacense Placitum, *Pippinus* cum exercitu Ligerim trajecit, in Aquitaniam penetravit, *Vvaifarium* commisso prælio fudit, ac in fugam dedit, *Blandinum* Comitem Arvernorum cæcidit, ut testatur Anonymus in Gestis Pippini Regis. Quod bellum annis sequentibus identidem redintegratum est. Anno 767. Synodus Gentiliaci prope Parisios, de Processione Spiritus Sancti, & de sacris Imaginibus, *Pippino* Rege coram, Legatis Apostolicis, & Græcorum Oratoribus præsentibus, habita est, ut Annales veteres, & *Ado Viennensis* in Chronico testantur. Anno 768. *Pippinus* Legationem ab *Almansore* Saracenorum Calipha directam suscepit, & bellum Aquitanicum confecit, *Vvaifario* Duce à suis occiso, ut Anonymus in Pippini Gestis testatur.

Pippini obitus.

Obiit *Pippinus* Rex in Cœnobio Sandionysiano prope Parisios, anno Christi septingentesimo sexagesimo-octavo, ætatis quinquagesimo-quarto, Regni decimo-septimo. Tres filios ex *Bertrada* legitima uxore suscepit, *Carolum*, *Carolomannum*, & *Pippinum*; & quatuor filias, *Rothaidem*, *Adelaidem*, *Gisilam* sive *Gislanam* & *Adam* Palatioli deinde Abbatissam. Tres duntaxat superstites reliquit, duos filios, *Carolum*, qui *Magni* cognomen obtinuit, *Carolomannum*, & filiam *Gisilam*, cujus nuptias *Constantinus* Græcorum Imperator expetierat.

Liberi.

Regni inter filios divisio.

Morti proximus Regnum inter filios divisit: *Carolo* natu majori tradidit Austrasiorum Regnum; *Carolomanno* natu minori, Burgundiam, Provinciam, Gothiam, Alsatiam, & Alemanniam seu Sueviam; utrique Aquitaniam nuperrimè subactam. Varia in gratiam sacrorum locorum Diplomata dedit, scilicet pro Ecclesia Ultrajectina Sancti Martini, pro Monasterio Fuldensi, pro Ecclesia Trevirensi, pro Monasterio Prumiensi, quod Regiâ munificentia extruxit, pro Monasterio Trevirensi Sancti Maximini, & pro Monasterio Sancti Dionysii in agro Parisiensi, quod Sylva Aqualina, multisque prædiis donavit, Basilicam ejusdem Cœnobii, nisi morte præventus fuisset, ædificaturus. Redarguitur *Pippinus* in Chronico Besuensi, quòd Anglam Theodardi conjugem nefariè amaverit, ac in deliciis habuerit. His amoribus irretitus, *Bertradam* dimittere cogitabat, sed salutaribus *Stephani Tertii* Romani Pontificis monitis ad meliorem frugem revocatus est. Resipuit quoque *Angla* conterrita miraculo, quod in Besuensi Monasterio contigit, quod ipsi Rex diripiendum potiùs quàm custodiendum tradiderat. Vindice namque Dei manu tacta, invisibili igne ardere cœpit, nec priùs liberata est, quàm emendationem spopondisset, ut Besuensis Chronographus refert.

Munificentia in Ecclesias.

Vitium.

Viri sanctitate celebres in Francia.

Pippino regnante, Sanctitate celebres fuere in Francia *Sanctus Hildegarius* Coloniensis Episcopus & Martyr, à Saxonibus occisus, *Sanctus Burchardus* Vvirceburgensis Episcopus, *Sanctus Bonifacius* Archiepiscopus Moguntinus, ac deinde Ultrajectinus, qui Martyrium subiit anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, cum quinquaginta Sociis, quos inter *Eobanus* Chorepiscopus Ultrajectinus eminebat: *Hadeloga* Kitzingensis Abbatissa, in Episcopatu Vvirceburgensi, *Lotharius* Sagiensis Episcopus. *Sanctus Rumoldus* Hybernus, olim Archiepiscopus Dublinensis, & Mechliniensium Apostolus ac Patronus: *Sanctus Gummarus* Lirensium Patronus: *Chrodegangus* Episcopus Metensis, Gorziensis Monasterii in eadem Diœcesi fundator, Auctor Regulæ Canonicorum, quam Metensibus Canonicis præscripsit, primus Abbas* Laureshamensis: *Sanctus Othmarus* Abbas Sancti Galli in Diœcesi Constantiensi ad Rhenum, qui calumniam atrocissimam patientissimè tulit. *Sanctus Gangulphus* * Martyr, qui cùm ab uxore adultera recessisset; à Clerico, quo cum illa miscebatur, occisus est. *Sanctus Vvillibaldus* Episcopus Eystettensis, *Sanctus Vvunibaldus* Heidenheimensis Abbas, & *Sancta Vvalburgis* Abbatissa, eorum soror, *Sanctus Aldebertus*, Austrovandiæ* Comes, & *Sancta Regina* ejus conjux, Dononiensis* Cœnobii in Diœcesi Attrebatensi fundatrix, cujus Sancta *Ragenfredis* * eorum filia, prima Abbatissa fuit. *Sancta Odilia* Hohemburgi, * ab *Attico* Alemanniæ Duce, ipsius patre, fundati Monasterii, in Episcopatu Argentoratensi prima Abbatissa. *Sanctus Virgilius* Salisburgensis Episcopus. *Sanctus Venantius* Eremita & Martyr in Sanctæ Irisbergæ pago S. Æmilianus * Abbas in Diœcesi Burdigalensi.

De Lauresheim.

In Episc. Vvormatiensi.

S. Gengoul.

Ostrevant.

Sainte Reine.

Denain.

Sainte Rfroy.

Hombourg.

ARTICULUS VII.

De Carolo, & Carolomanno Regibus.

ANNO Christi septingentesimo sexagesimo-nono, bellum Aquitanicum, quod à *Pippino* Rege confectum videbatur, ab *Hunaldo Vaifarii* nuper occisi patre, qui, depositâ Monachi veste, Ducem Aquitaniæ rursùm se dixit, redintegratum est. Contra quem *Carolus* Rex exercitum duxit, de ipsôque facilè triumphavit, ut *Eginhardus* in Vita Caroli Magni testatur. Solis Regni sui copiis bellum illud gessit *Carolus*, nequicquam juvante fratre. Tunc enim inter ambos Reges quoddam ortum erat discordiæ semen, quod in apertam inimicitiam erupisset, nisi *Berta* Regina utriusque mater dilectionem & concordiam inter eos reparasset.

Bellum Aquitanicum.

Desiderii

Caroli Regis nuptiæ.

Desiderii Longobardorum Regis filiam uxorem accepit *Carolus* suadente matre, frustra dissuadente Romano Pontifice, *Himiltrude*, quam priùs ex gente Francorum duxerat, repudiatâ, licet ex ea jam *Rothaidem* suscepisset. Sed ipsam post annum repudiavit: quod *Judicio Sanctissimorum Sacerdotum* factum scribit Monachus San-Gallensis lib. 2. cap. 25. Romani scilicet Pontificis *Stephani Quarti*, & Gallicanorum Episcoporum monitis morem gerens *Carolus*, adulteram abegit, & in Longobardiam remisit; legitimam uxorem *Himiltrudem* in Palatium revocavit.

Carolomanni obitus.

Obiit *Carolomannus* Anno Christi septingentesimo septuagesimo-primo, Nonis Decembris, ætatis suæ vigesimo primo cùm annos tres, menses duos & dies decem regnasset. Uxorem *Girbergam* duxerat, ex eâque susceperat *Pippinum*, & aliam prolem, marem, an fœminam, incertum.

Munificentia in Ecclesiam.

Girberga Regina, relictâ Franciâ, cum filiis ad *Desiderium* Longobardorum Regem confugit, & in ejus patrocinium se contulit, spreto mariti fratre, ut testatur *Eginhardus*. Præceptum Immunitatis, Remensi concessit Ecclesiæ Rex *Carolomannus*, ut *Flodoardus* lib. 2. cap. 17. refert, eidemque villam *Novilliacum* tradidit, teste *Hincmaro*. Superiorem Regum pro Monasterio San Dionysiano Diploma ta confirmavit, ut constat ex ejusdem Cœnobii Antiquitatibus. Aliud tandem Præceptum immunitatis emisit pro Grandi-Valle * celebri Monasterio ad Juram montem, quod descripsit *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum septingentesimum sexagesimum-nonum, Num. XXIII. *Carolo & Carolomanno* regnantibus, *Chrodegandus* Sagiensis Episcopus, *Chrodoberti*, qui Sedem ipsius invaserat, machinatione occisus est: Sepultus est S. Martyr in Parthenone Monasteriolensi * ab *Opportuna* sorore illius loci Abbatissa. Lege Vitam *S. Opportunæ* Sæculo III. Benedictino.

* Granfel. * Monstreul.

ARTICULUS VIII.

De Carolo Magno.

Ex quo Franciæ totius Monarchiam obtinuit.

CArolus Rex mortuo fratre, Monarcha totius Franciæ factus, *Hadriano Primo* Pontifici Maximo ejus auxilium adversùs Longobardos imploranti succurrere statuit, paternæ erga Sedem Apostolicam pietatis hæres. Misit primùm Legatos ad *Desiderium* Regem, ipsum precibus, muneribúsque invitans ad restituendas Pontificiæ Ditionis civitates ipsíque quatuordecim millia auri solidorum obtulit, si pacificè rem componere statueret. Sed has, aliásque conditiones respuente *Desiderio Carolus* numeroso cum exercitu superatis Alpibus, Papiam, & Veronam obsidione cinxit. Cùm immineret Veronæ, uxor & filii *Carolomanni* fratris, necnon *Autcharius*, illi se dedidere. Veronam, aliásque civitates Cis-Padanas non paucas suo subjecit imperio. Et castris ad Papiam positis Romam profectus est anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, ut Pascha cum *Hadriano* Papa celebraret, à quo honorificentissimo apparatu susceptus est, missis ejus in occursum universis Judicibus ad triginta ferè millia, cum Bandora, id est, cum militari signo, missis item omnibus militiæ ordinibus, Patronis, & pueris ramos palmarum & olivarum ferentibus ad unum milliare, directis etiam Crucibus & signis, ut mos erat, ad Exarchum aut Patritium suscipiendum. Carolus ut Cruces conspexit, desiluit ex equo, & pedes perrexit ad Ecclesiam S. Petri, cujus gradus singulos exosculatus est, ut suam erga Principem Apostolorum devotionem testaretur. Stabat in supremo gradu Pontifex, qui ipsum complexus, ad Confessionem *S. Petri* deduxit, universo Clero præeunte, & canente: *Benedictus qui venis in nomine Domini*. Ibi Donationem Romanæ Ecclesiæ à *Pippino* Rege Patre suo factam confirmavit, additô Spoletano Ducatu. Id constat ex *Anastasio* Bibliothecario & ex Epistola quinquagesima octava Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, necnon ex Epistola Dedicatoria ab eodem Pontifice præfixâ Codici Canonum, quem *Carolo* Magno obtulit, cùm primum Romam profectus est, in quâ hæc inter alia habentur:

Bellum Longobardicum.

Prima Caroli Magni profectio Romam.

In hanc Sanctam Sedem Magnus Rex Carolus splendet,
Omnibus per eum ditata bonis triumphat ubique,
Arma sumens divina, gentes calcavit superbas.
Reddidit prisca dona Ecclesia matri sua,
Urbésque magnas, fines simul, & castra diversa.
Longobardam ac Erulam virtute divinâ prostravit gentem,
Gaudens celer venit ad limina Apostolorum sospes,
Nimiis laudibus, hymnísque populo celebratur ab omni.

Româ ad Papiæ urgendam obsidionem regressus *Carolus*, *Desiderium*, cujus exercitus fame & pestilentiâ debilitatus erat, ad deditionem compulit: quem cum Ansa uxore, & filia ablegavit in Franciam, sicque Longobardorum Regno potitus est. Papiam verò Urbem Regiam cum pompa Rege Christianissimo dignâ ingressus est, Hymnos scilicet ac laudes Dei cani jubens loco popularium acclamationum, quibus Triumphatores celebrari solent, omnémque Longobardorum Regum thesaurum exercitui distribuit. Longobardiæ verò partem Sedi Apostolicæ restituit, reliquam Franciæ dominationi subjecit, ac deinceps Rex Longobardorum est appellatus. Ista constant ex *Eginhardo*, in Vita Caroli Magni, ex *Anastasio Bibliothecario*, ex Monacho Engolismensi, ex Annalibus Fuldensibus, Bertinianis, & Metensibus, ad annum 774.

Carolus Magnus Longobardorum Regnum obtinet.

Cùm Saxones in Hassiam irrupissent, *Carolus* quadripartitum exercitum in Saxoniam transmisit, illósque profligavit anno Christi septingentesimo septuagesimo quarto. Ipsis pacem concessit in Vvormatiensi Conventu, anno septingentesimo septuagesimo-sexto, eâ lege ut Christiani fierent. Studio itaque *Caroli* Regis, multa millia Saxonum, tum hoc anno ad flumen Lippiam, tum sequenti in conventu Padiburnensi baptizata sunt. Ista constant ex Monacho Engolismensi in Vita Caroli Magni, & ex veteribus Annalibus Francorum Loiselianis, & Petavianis. *Rotgandum* Ducem Forojuliensem, perduellem, bello aggressus est *Carolus* Magnus anno 776. eóque interemptô, & captô *Stabilinio* ejus socero, Forojuliensem Ducatum, & Marchiam Tarvisinam, ad obsequium redire compulit. Anno septingentesimo septuagesimo-octavo, Saracenis in Hispania dominantibus bellum intulit, cui Pompelone captâ, Cæsaraugustam contendenti *Abutaurus* Saracenorum Præfectus obviam occurrit, civitatésque, quas regebat, cum obsidibus fratre ac filio tradidit. Ipsi quoquè se dedidit Saracenorum Præfectus alter *Ibinalarabius*, quem vinctum in Franciam transmisit. In Franciam porrò cum rediret, magna clades ejus exercitui illata est à Vvasconibus. De his *Eginhardus* in Vita Caroli Magni, & Annales Laureshamensis. Exinde Comites in Aquitania constituit, qui illi Provinciæ providerent, eámque contra Vvascones tuerentur. Saxones, qui in Franciam irruperant, dum ipse bello Saracenico erat occupatus, trajectô Rheno, & ad Lippiam usque ductô exercitu, commissóque ad Hasam amnem in interiore Vvestphalia certamine, rursus profligavit anno 779. ut Laureshamenses Annales testantur.

Bellum Saxonicum.

Bellum Saracenicum.

Anno Christi septingentesimo octogesimo-primo,

Altera Caroli Magni pro-

Filio Romano

Romam secundò profectus est *Carolus Magnus*, ubi *Carolomannus* ejus filius ab *Hadriano* Pontifice baptizatus est in festo Paschatis, & mutatô nomine, *Pippinus* vocatus. *Pippinum* & *Ludovicum* filios *Carolus* tunc Reges creavit, illum Italiæ, hunc Aquitaniæ. Utrumque unxit *Adrianus*, ut constat ex Appendice ad Chronicon *Nibelungi* Comitis, ex Vita Caroli Magni ab incerto Auctore conscriptâ, & ex Annalibus Laureshamensibus. Sabinense territorium Sedi Apostolicæ dono dedit. Conventum Francorum celebravit Vvormatiæ, in quo juramentum fidelitatis, cum obsidibus, accepit à *Thassilone* Bojoariæ Duce. His etiam in Comitiis annuit populo supplicanti, ut Episcopi deinceps ad exercitum non pergerent. Quam supplicationem, & Caroli Regis concessionem descripsit *Benedictus* Levita lib. 6 Capitularium, cap. 285. *Carolum* juniorem filium Neustrasiæ Regem dixit anno septingentesimo octogesimo-nono. Alteri *Pippino* filiorum natu maximo Austrasiam reservabat latissimo modo sumptam, id est, Trans-Rhenanas Regni Gallici Provincias, cum illa Galliarum parte, quæ Regibus Austrasiæ quondam paruerat.

Saxones domiti

Sæpe redintegratum est bellum Saxonicum; sed à *Carolo Magno* fœliciter gestum est, Saxoniâ in Provinciam redactâ anno Christi septingentesimo octogesimo-quinto. De Saxonibus Christianæ Religioni subactis, quàm Francicæ subjectis ditioni, magis gloriabatur *Carolus*. *Vvidikindum* & *Albionem* Saxonum Duces ad se venientes benignè excepit Attiniaci, ubi sacrum baptisma suscepere. De construendis apud Saxones Ecclesiis, quibus Episcopi præficerentur, sollicitum se præbuit, fidei fovendæ ac propagandæ studio, quam huic genti prædicari curaverat. Brevi delibatâ pace, gens inconstans & inquieta Francorum jugum excutere tentavit non semel: imò & à Christo defecit. Quamobrem sæpius arma resumere coactus est *Carolus*, donec Saxones penitus domuit jam Imperator, anno octingentesimo-quarto, eósque à cultu Gentili sincerè conversos ad Christianam Religionem firmiter retinendam traduxit, & Trans-Albianos omnes cum famibis suis transportavit in Galliam anno ab initio belli trigesimo-tertio, ut constat ex *Eginhardo* in Vita Caroli Magni, ex Poëta Saxonico, & ex Annalibus Laureshamensibus, Bertinianis, Foldensibus, & Metensibus.

Gentis ad Christum conversio per Caroli Magni curis

De *Aragisi* Beneventani Ducis defectione, qui se pro Duce Principem appellari, & ab Episcopis suis tanquam Regem inungi, & coronâ ornari jusserat, certior factus *Carolus Magnus*, in Italiam profectus est anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto; sed cùm *Aragisus* se imperata à Rege impleturum, datis obsidibus, spopondisset, bello abstinuit. Hujus expeditionis tempore, tertiò Romam profectus, celebrato ibi Paschate cum *Hadriano* Papa, Sedem Apostolicam novâ Donatione ditavit. In partibus Tusciæ Longobardicæ dedit *Castellum Felicitatis*, *Urbevetum*, *Balneum Regis*, *Ferenti Castrum*, *Viterbium*, *Martham*, *Tuscaniam*, *Populoniam*, *Soanam*, *Rosellas*; in partibus Campaniæ, *Soram*, *Arces*, *Aquinum*, *Arpinum*, *Theanum*, *Capuam*, ut constat ex Constitutione Ludovici Pii quâ Donationes avi *Pippini*, & patris *Caroli* confirmavit, auxitque.

Tertia Caroli Magni profectio Romam.

Donatio Sedi Apostolicæ facta.

Româ discedens, Cantores Romanos, qui Cantum Gregorianum Gallos edocerent, & Gallicanarum Ecclesiarum Antiphonarios emendarent, secum adduxit; necnon Grammaticos & Calculatores peritissimos, ad instituendas in Galliis Scholas publicas, quod antea inauditum fuerat, & studia litterarum instauranda. Cantores *Carolo* Regi ab *Hadriano* concessi fuere *Theodorus* & *Benedictus*, quorum unum Metas, alterum Suessionem misit: quia ut Austrasiis Metæ, sic & Suessio civitas Neustrasiis commoda erat, quò vel ad emendandos Antiphonarios, vel ad A Romanum cantum ediscendum confluerent. Id Monachus Engolismensis in Vita Caroli Magni commemorat.

Cantores Romani in Gallias adducti.

Bojoarios cum *Thassilone* Duce suo rebellantes ad obsequium reduxit *Carolus Magnus* anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo. *Thassilo* Bojoariæ Ducatum, quem à *Pippino* quondam acceperat, Regi reddidit, deditque obsides electos duodecim cum filio suo *Theodone*, & fidelitatis sacramentum præstitit. Mortuo *Aragiso* Duce Beneventano, filium ejus *Grimoaldum* illi ditioni præfecit, frustrà dissuadente *Hadriano* Romano Pontifice. Græcos, qui in B Calabriam irruperant, profligavit *Grimoaldus*. Id anno Christi septingentesimo octogesimo-octavo factum. Eodem anno Comitia Regni congregavit *Carolus* ad Villam *Ingelheim*, in quibus *Thassilo* Dux Bojoariorum perduellionis convictus, capitis damnandus visus est: sed Rex ad clementiam propensior consobrinum suum morti noluit addici, & pœnam capitis cum detrusione in Monasterium commutavit, id adjiciens gratiæ, ut non in Palatio, ne cunctis Proceribus ludibrio esset, sed in Cella *S. Goaris*, in Diœcesi Trevirensi, ad lævam Rheni ripam, cum filiis tonderetur. Uxor etiam ejus *Luitberga*, & duæ filiæ velatæ sunt, una in Kalensi, altera in Laudunen- C si Monasterio. Id ex Annalibus Loiselianis, & Nazarianis compertum. *Thassilo* in Cœnobio Gemeticensi obiisse dicitur. Lege ejus Elogium Historicum inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini Sæculi III. De Hunnis quoque, qui fœdus cum *Thassilone* inierant, triumphavit. Bellum adversùs eamdem gentem Christianis infestam rursùs suscepit anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, & magnam Pannoniæ partem devastavit. Hunnorum Regulum ad se cum Pannoniæ Comitibus venientem anno septingentesimo nonagesimo-quinto honorificè suscepit, & baptizatum muneribus cumulavit. Thesau- D rum anno sequenti ex Hunnorum Regia, quæ *Ringus* dicebatur, ab *Henrico* Duce, qui illos cum Francorum copiis debellarat, ad se transmissum, partim distribuit inter Episcopos Abbates, atque Optimates, partim Romam ad Apostolorum limina per *Angilbertum* misit. *Theodonem* Hunnorum Dynastam ad se venientem anno septingentesimo nonagesimo sexto ut vassum suscepit, baptizatúmque in patriam remisit cum muneribus, & Presbyteris populum erudituris, ut referunt Monachus Engolismensis in Vita Caroli, & veteres Annales. *Pippinum* filium Italiæ Regem in Pannonias misit cum exercitu, qui, trajectò Danubio, Regem Hunnorum, ac thesauros E occupavit. Erudiendæ verò gentis curam commisit *Arnoni* Episcopo Salisburgensi. Ita bellum à *Carolo* contra gentes barbaras magno Christianæ Religionis bono gestum semper est. Legationes & munera accepit ab *Alfonso* Rege Gallæciæ, & à *Babaluco* Saracenorum Duce, ut testatur Astronomus, qui res gestas *Ludovici Pii* conscripsit. Legationem etiam accepit ex Balearibus Insulis, quæ se illius potestati subdiderunt, cum ab eo auxilium contra Saracenos illas infestantes accepissent.

Bojoarios cum eorum Duce Thassilone ad obsequium revocat Carolus Magnus.

In Thassilonem perduellionis convictum justitiam clementiâ temperat Carolus Magnus.

Hunni debellati.

Flagrante inter Francos & Græcos bello, Roma cum Ducatu Romano sponte *Carolo Magno* se dedit, F cui *Leo III.* Romanus Pontifex vexillum Urbis, ceu supremæ potestatis symbolum, unanimi omnium Ordinum votô direxit, eumque rogavit, ut per aliquem ex suis Optimatibus Romam ipsam ac populum Romanum, qui Græcis Imperatoribus hactenus paruerat, in suam fidem ac subjectionem reciperet, ut Monachus Engolismensis, & Incertus auctor in Vita Caroli Magni, & Annales Laureshamenses, aliique testantur. Id factum anno septingentesimo nonagesimo-sexto. Exinde Roma *Carolo* paruit. Unde qui Festum Pompeium ipsi dicavit, his verbis usus est: *Civitatem vestram Romuleam*, & in parietinis Lateranensibus

Roma cum Ducatu Romano sponte Carolo Magno se dedit.

sibus *Carolus* hoc ornatur elogio: *Dominus noster*: Literásque ad eum datas *Leo* sic inscribit: *Domino Piissimo & Serenissimo.* Theophanes denique Romam Francorum potestati subjacuisse testatur. Quanquam verò pacem cum Græcis redintegrarit anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, quo *Irene* Imperatrix, quæ, *Constantino* filio excæcato, sola rerum potiebatur in Oriente, misit ad ipsum Legatos, Romanum tamen Ducatum, qui spontaneam deditionem ante biennium fecerat, servavit.

Carolus Magnus amicitiam cum Romanis Pontificibus coluit.

Ut *Hadriano* Pontifici Maximo, cujus ceu Patris mortem deflevit, cuique insigne Epitaphium posuit; sic *Leoni* Tertio fuit amicissimus *Carolus Magnus.* Hunc Pontificem nefariorum hominum conjuratione penè excæcatum & semivivum in platea relictum cùm singulari Dei beneficio valetudinem paulò post recuperasset, *Carolus* ad se adduci jussit, eúmque honorificentissimè suscepit Padibornæ. Quomodo immane sacrilegium in *Leonem* commissum ultus sit, in Historia noni sæculi videbimus. Litterarum non solùm humaniorum, sed etiam Divinarum studiosissimus fuit Carolus Magnus, & in utrísque *Alcuino* Præceptore plurimùm usus est, quem Palatinæ Scholæ præfecit. Scholam scilicet in Aula sua habuit Rex Maximus, & Doctores, qui ipsum, quocumque ibat, sequebantur, aut si bellum ab eo gerebatur, in vicino tutóque loco, cum Regina Regiísque liberis subsistebant. Id ex *Eginhardo*, & ex *Alcuino* ipso certum. Ab eodem *Alcuino* totam Scripturam Divinam recognosci jussit ac emendari, ut testatur hic Auctor in Epistola præfixâ Expositioni *B. Joannis Evangelistæ.* Jussit etiam à *Paulo Diacono*, Monacho tum Cassinensi, colligi Homiliarium ex Patribus, ut in Officio Nocturno per totius anni circuitum congruentes cuilibet festivitati Lectiones aptarentur. Pseudographis & dubiis narrationibus inhibitis, solos Canonicos libros, & Catholicos Tractatus, & sanctorum Auctorum dicta legi & tradi sanxit in Ecclesia. * Cantum Romanum à Monachis peragi statuit. Extat *Caroli Magni* Constitutio *De emendatione librorum & Officiorum Ecclesiasticorum,* Tom. I. Capitularium Editionis *Stephani Baluzii*, pag. 203. Extat ejusdem Constitutio *De Scholis per singula Episcopia & Monasteria instituendis*, pag. 201. Legibus Longobardicæ, Salicæ, & Bojoariorum, multa addidit Capitula annis Christi 789. & 798. Multa etiam edidit Capitularia, Haristallense, anno septingentesimo septuagesimo nono, Aquisgranensia annis septingentesimo octogesimo nono, & septingentesimo nonagesimo-septimo. Nomen sortita sunt à locis in quibus sunt edita. Condebantur autem in Conventu Episcoporum, Abbatum, & Comitum. Leges cùm Ecclesiasticas, tum civiles complectuntur. Leges de rebus & personis Ecclesiasticis, ex Canonibus Conciliorum & Decretis Pontificum pleræque omnes excerptæ sunt. Nec enim auctoritatem leges merè Ecclesiasticas ferendi sibi arrogavit Rex Maximus, sed earum executionem imperavit: nec sua edidit Capitularia absque Episcoporum consilio: Et erga Sacerdotes & Religiosos Viros *Monitoris* officium sibi potiùs vindicavit, quàm Legislatoris: *& Sanctæ Dei Ecclesiæ Adjutoris*, humilísque *Defensoris* nomine gloriatur, ut ex Capitularis Aquisgranensis Præfatione constat. *Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum. Ego Karolus gratiâ Dei, ejúsque misericordiâ donante, Rex & Rector Regni Francorum, & devotus Sanctæ Dei Ecclesiæ Defensor, humilísque Adjutor … Considerans pacifico piæ mentis intuitu, unà cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris abundantem in nos nostrúmque populum Christi Regis Clementiam, &c. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, ô Pastores Ecclesiarum Christi, & ductores gregis ejus, & clarissima mundi luminaria! ut vigili curâ, & sedulâ admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oves bonorum operum exemplo seu adhortatione, humeris intra Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis, ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium Conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magno devotionis studio admonendi & adhortandi sunt, immò compellendi, ut firmâ fide, & infatigabili perseverantiâ, intra paternas sanctiones se contineant. In quo operis studio sciat certissimè Sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis auctoritate unà vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua Capitula ex Canonicis Institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptuosam judicet, quâ nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studuimus: sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo S. Josias Regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me ejus Sanctitati æquiparabilem faciam, sed quòd nobis sint ubique Sanctorum semper exempla sequenda, & quoscumque poterimus ad studium bonæ vitæ, in laudem & in gloriam Domini nostri Jesu-Christi, congregare necesse est.*

Scholas instituit in Aula, in Ecclesiis Cathedralibus & in Monasteriis.

Capit. Aquisgr. c. 76. & 78.

Caroli Magni Capitularia.

Haristallum, *Herstal*, Regium Palatium, ad Mosam primo lapide à Leodio, nunc Brabantiæ dictum.

Auctoritatem condendi leges Ecclesiasticas sibi non arrogavit Carolus Magnus.

Capitula etiam edidit Monachos propriè spectantia, curans ut Gallicana Monasteria, secundum Regulam *S. Benedicti* reformarentur; nec Reformationis promotores extra Galliam quæsivit, quicquid in contrarium scripserit *Leo Marsicanus* in Chronico Cassinensi. Quâ de re legi potest *Carolus le Cointe*, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum Tomo sexto, ad annum septingentesimum octogesimum-nonum, Num. CXII. & sequentibus. Institutionem Episcopatus Bremensis, & divisionem Saxoniæ in octo Diœceses, dato Præcepto confirmavit anno Christi 789. ut testatur *Adamus Bremensis* lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ. Ecclesiæ Bremensi præfecit *S. Villehadum*, Mimigardevordensi *S. Ludgerum.*

Monasteriorum Reformationem Carolus Magnus promovet.

Cùm de Chorepiscoporum potestate quæstio difficilis esset exorta, *Arnonem* Archiepiscopum Juvavensem, & alios quosdam misit ad *Leonem III.* Pontificem Romanum anno 799. ut ejus responsis edoctus, controversiæ finem imponeret cum Regni sui Episcopis. Capitula edidit post reditum Legatorum à Sede Apostolica; quibus juxta ejus Responsum, & Episcoporum Decreta, Chorepiscopos deinceps fieri prohibuit; Ordinationes & Consecrationes ab iis factas, ab Episcopis canonicè ordinatis reformari, & canonicè peragi jussit; Confirmationis administrationem, Virginum, & altarium consecrationem illis inhibuit, irritum declarans quicquid de Episcopali ministerio usurpassent. Extant ista Capitula Tom. I. Capitularium Editionis *Baluzii*, pag. 327.

Leonis Tertii Responsum de Chorepiscopis executioni mandari jubet.

Christianam pietatem pro virili promovit, Ecclesiæque Leges observari curavit Rex Magnus. *Opera servilia* diebus Dominicis prohibuit in Capitulari Aquisgranensi anni 789. Cap. LXXIX. *Statuimus quoque*, inquit, *secundum quod & in Lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut & bonæ memoriæ Genitor meus in suis Synodalibus Edictis mandavit, quòd nec viri ruralia opera exerceant, id est, nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis stirpare, vel arbores cædere, vel in petris laborare, vel domos construere: nec in horto laborent, nec ad Placita conveniant, nec venationes exerceant. Et tria carraria opera licet fieri in die Dominico, id est, hostilia carra, vel victualia, vel si fortè necesse erit corpus cujuslibet duci ad sepulchrum. Item fœminæ opera textilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acupictile faciant: nec lanam carpere,*

Opera servilia Dominicis diebus Carolus Magnus prohibet, potestate operas [illegible] præcipit.

carpere, nec lignum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec berbices tondere habeant licitum; ut omnimodis honor & requies diei Dominicæ servetur. Sed & ad Missarum solemnia ad Ecclesiam undique conveniant, & laudent Deum in omnibus bonis quæ nobis in illo die fecit. Et in Capitulatione de partibus Saxoniæ Cap. XVIII. statuit *Ut in Dominicis diebus Conventus & Placita publica non faciant, nisi forte pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad Ecclesiam recurrant, ad audiendum verbum Dei, & orationibus vel justis operibus vacent. Similiter & in Festivitatibus præclaris Deo & Ecclesiæ Conventui deserviant, & sæcularia Placita dimittant.* Cap. XIX. mulctam decernit in parentes, qui filios suos infra annum baptizandos non curaverint, eorúmque baptismum distulerint sine consilio & licentia Sacerdotis. Saxones qui ad Baptismum venire noluerint, capite plecti jubet, Cap. 8. *Si quis*, inquit, *deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad Baptismum venire contempserit, paganúsque permanere voluerit, morte moriatur.* Quâ ex lege perperam quis colligat probatam fuisse ab Ecclesia disciplinam, ut Infideles ad Baptismum cogerentur, vel *Carolum Magnum* Saxones ad illum suscipiendum coëgisse. Christo enimque nomen dederat gens tota, datis *Carolo Magno* obsidibus, maxima pars Baptismum susceperat juraverant se Christianitatem & fidelitatem Regi servaturos, ut testatur Auctor Anonymus Vitæ Caroli Magni, & Francorum Annales qui incipiunt ab anno 708. & desinunt in annum 800. commemorant ad annum 776. Unde solùm illos coëgit ad exequendum quod sponte promiserant.

Saxones qui Baptismum suscipere nolebant contra pactorum fidem, capite plecti statuit Carolus Magnus.

Superstitiones omnes & Paganas observationes cohibuit, eisque eliminandis operam dare jussit Episcopos, adjuvantque sæculari Judice. Sic enim statuit Capitulari I. anno 769. Cap. VI. *Decrevimus ut secundum Canones unusquisque Episcopus in suâ Parochia sollicitudinem adhibens, adjuvante Graphione, qui defensor Ecclesiæ est, ut populus Dei paganias non faciat; sed ut omnes spurcitias gentilitatis abjiciat & respuat, sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos vel divinos, sive philacteria & auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine Sanctorum Martyrum, vel Confessorum Domini; qui potiùs quàm ad misericordiam Sanctos suos ad iracundiam provocant.* In Capitulatione de partibus Saxoniæ, Cap. 21. mulctantur qui vota ad fontes, ad arbores, aut ad lucos faciunt. Cap. 22. Divinos & Sortilegos Ecclesiæ & Sacerdotum addicit servituti. Lege & Caput LXIII. Capitularis Aquisgranensis anni 789. In Capitulari III. ejusdem anni, Cap. 4. prohibentur sortes in Psalterio, vel in Evangelio factæ, & omne divinationis genus.

Paganas observationes & superstitiones eliminat.

Quadragesimalis Jejunii sanxit observantiam, pœna capitis decretâ in eos qui carnes absque necessitate comederent. (Cap. 4.) *Si quis Sanctum Quadragesimale Jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur à Sacerdote, ne fortè causâ necessitatis hoc cuilibet proveniat ut carnem comedat.*

In Jejunii Quadragesimalis contemptores pœnam capitis decernit Carolus Magnus.

Judices iis dotibus præditos esse voluit, quæ ad rectè judicandum necessariæ sunt, & jejunos causas audire, & pauperum negotia ante alia finire. In Capitularis Aquisgranensis anni 789. Cap. LXI. *Primùm Judici diligenter discenda est Lex à Sapientibus populo composita; ne per ignorantiam à via veritatis erret. Et dum ille rectum intelligit judicium, caveat ne declinet aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cujuslibet amici, aut per timorem alicujus Potentis, aut propter præmium, à recto judicio. Rectum autem & honestum videtur ut Judices jejuni causas audiant & discernant.* Et in Capitulari III. anni 789. Cap. I. *Ut Comites pupillorum & orphanorum causas primùm audiant: Et in venationem non vadant illo die, quando Placitum debent custodire, nec ad pastum* Missi Dominici, *Carolo Magno* regnante, in Provincias dirigebantur, qui regiâ auctoritate emendarent omnia quæ contra Leges cùm Ecclesiasticas tum Civiles agebantur, & querimonias omnes quæ contra Episcopos, Abbates, Abbatissas, Clericos, Monachos, Comites, Judicésque ordinarios fiebant, exciperent, jùsque omnium ordinum hominibus dicerent. De hujusmodi Judicibus extraordinariis aliàs agemus opportuniùs, in Historia scilicet IX. sæculi.

Præcepta Judicibus à Carolo Magno data.

Missi Dominici seu Judices extraordinarii in Provincias destinati.

Varias Ecclesias & Monasteria muneribus & privilegiis auxit *Carolus Magnus*, dum solo Regis titulo Francis & Longobardis imperabat. Munificentiam ejus testantur Præcepta emissa pro Ecclesia Atinensi, pro Beneventana, pro Bremensi, pro Comensi, pro Mutinensi, pro Osnaburgensi, pro Remensi, pro Trevirensi, pro Ultrajectina, pro Monasterio Acutiano, pro Ambrosiano, pro Monasterio *S. Aniani*, pro Augiensi, pro Carrofensi, pro Casinensi, pro Condatescensi, pro Cormariceno, pro Sandionysiano, pro Flaviniacensi, pro Sangallensi, pro Monasterio S. Germani prope Parisios, pro Grassensi, pro Laureshamensi, pro Sammartioiano, pro San-Maximinensi apud Treviros, &c. quæ in Annalibus Ecclesiasticis Francorum à *P. Carolo le Cointe*, iis quibus data sunt annis, exhibentur, Tomo VI.

Caroli Magni Beneficentia in Ecclesias & Monasteria Regni Dictionis suæ.

Carolo Magno regnante, sanctitate celebres in ejus ditionibus fuere *Villehadus* Frisiorum & Saxonum Apostolus, & primus Episcopus Bremensis, *Virgilius* Episcopus Salisburgensis, *Gregorius* Abbas & Rector Ecclesiæ Trajectensis ad Rhenum, *S. Madelveus* Virodunensis Episcopus, & Abbas Sancti *Vitoni*. Sancta *Vvalburgis*, Heindenheimensis Abbatissa. *Authpertus*, Abbas *S. Vincentii* prope Vulturnum fluvium in Territorio Beneventano. *Lioba* Bischoffheimiensis Abbatissa. *Fulradus* San-Dionysianus Abbas. *Hiltrudis* Virgo. *Vvillibaldus* Episcopus Eystettensis. *Angilbertus* inter *Caroli Magni* Palatinos illustris, multis ejus legationibus functus, Monachus deinde & Abbas Centulensis. *Benedictus* Abbas Anianensis, *Lindgerus* Abbas Vvertinensis, factus deinde Episcopus Mimigardevordensis in Saxonia, anno Christi octingentesimo secundo, *S. Paulinus* Foro-Juliensis Patriarcha, &c.

Viri sanctitate celebres.

CAPUT VIII.

De Rebus Hispaniæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Vvitiza, & Ruderico Regibus.

EGICA Rege defunctô, *Vvitiza* ejus ex Regina *Cixilone* filius in Regnum successit, anno Christi septingentesimo-primo, septimo-decimo Kalendas Novembris. Initiô, justi & optimi Principatûs specimen præbuit; exules, qui à patre fuerant relegati, in patriam revocans, ipsísque honores etiam ac Magistratus, quos apud patrem gesserant, restituens. Schedas etiam publicas, quibus delicta continebantur, atque infamiæ notæ non paucis inustæ, comburi mandavit, quò magis sibi subditorum animos conciliaret. Sed paulò post depravatus, regnum exhibuit hominibus turpitudinum maculis deformatum, crudelitate immane, præcipuâ impietate adversus Divinas Ecclesiasticásque Leges insigne. Magno numero concubinas uxorum legitimarum loco habuit: lege latâ ut id cunctis liceret, cùm plebi, tum Proceribus, tum viris etiam sacratis. Romani quoque Pontificis sacrum Principatum agnosci & coli vetuit. Eam ob rem Conventum Episcoporum Toleti

Vvitizæ Regis impietas, libido, immanitas.

haberi

haberi mandavit, *Gunderico* ejus Urbis Episcopo. Judæis præterea, quos piissimi Reges ex Hispania expulerant, redeundi concessit facultatem. Sævit inhumaniter in Regii sanguinis Principes, *Favilam* præcipuè Cantabriæ Ducem, & *Theodefredum* Ducem Cordubæ, *Recesvinthi* Regis fratres, *Chindasvinthi* Regis filios: primum stipite percussum interfecit, ut ejus uxore liberiùs frueretur: alterum luminibus privavit. *Rudericus Theodefredi* filius, & *Pelagius* filius *Favilæ*, fugâ evasêre. Secundùm hæc, popularium factionum, tumultuúmque civilium metu, Civitates plurimas, totâ Hispaniâ, mœnibus & munitione nudavit, armaque conflari jussit in vomeres. *Oppæ* fratri suo, Hispalensi Archiepiscopo, Toletanam Ecclesiam regendam tradidit, vivente ejusdem Ecclesiæ Pontifice *Sinderedo*, cujus id tulit ignavia. Nec mirum, cùm impii Principis gratiam captans, temporique serviens, Sanctissimos Sacerdotes, qui *Vuitizæ* facinora liberè improbabant, vexaverit. Hunc tamen sanctitate clarum, & zelo, quamvis non secundùm scientiam, accensum, id præstitisse, *Rodericus* Toletanus Archipræsul scribit. Sed nec Gunderici ejus Decessoris omni ex parte absoluta, quam commendat sanctitas, qui satis animi non habuit ad nefarios *Vuitizæ* conatus reprimendos, & ad ejus palam redarguenda facinora; & qui in ipsa Synodi Toleti habitæ Decretis silentiô suô connivere visus est. *Vuitizam* ex morbo Toleti obiisse, *Lucas Tudensis* testatur: *Ruderici* conjuratione regno spoliatum, & luminibus orbatum, Cordubamque missum, ubi vitæ reliquum in carcere exegit, *Rodericus* Toletanus Antistes affirmat. Duos reliquit filios, *Sisebertum* & *Ebam*, omnibus propter patris impietatem & immanitatem invisos. Obiit anno Regni decimo, salutis septingentesimo undecimo.

II. *Vuitizâ* defunctô, *Rudericus Theodefredi* filius, *Chindasvinthi* Regis nepos, Regnum Gotthorum Procerum suffragio suscepit. *Pelagium* patruelem ab exilio revocatum, cohorti Prætoriæ præfecit, qui supremus erat eâ tempestate Regni Magistratus. *Vuitizæ* Regis filios ignominiâ ac dedecore affectos, in Africæ Tingitanæ partem illam, quæ Gotthorum Imperio parebat, fugere compulit. *Juliani* Comitis, qui ei Hispaniæ parti, quæ freto Herculeo adjacet, Præerat, filiam *Clavam* nomine, quæ in obsequiis Reginæ *Egilonæ* erat, cùm invitam atque reluctantem violasset *Rudericus*, Julianus injuriam ultus est Reipublicæ pernicie. Dissimulatâ namque ad tempus injuriâ, filiam ex Aula dimitti obtinuit, fingens uxorem, quam in Africa reliquerat, gravi morbo laborantem, nullâ re levari posse, nisi ejus aspectu; cæterum propediem redituram. Cum ea in Africam trajecit, habitóque cum *Musa*, qui *Ulit* Miramamolini Saracenorum nomine Africam gubernabat, tractatu, Mauros in Hispaniam evocavit: qui pluribus commissis levioribus prælìis, Hispalìque occupatâ, decretorio tandem certamine *Rudericum* Regem profligarunt, Gotthorúmque Imperium delevere. In Lusitaniæ templo quodam, urbe *Visæo*, hac inscriptione lapis quondam repertus est: *Hic requiescit Rudericus ultimus Rex Gotthorum*: Qui indicio erat, ex fuga in eam regionem fuisse delatum. Exinde munitissimæ Hispaniæ urbes, *Tariffio* ac *Muza* Ducibus, à Saracenis occupatæ. Gotthorum reliquiæ in Asturiam & Cantabriam se recepere. *Urbanus* Toletanus Præsul ante Urbis obsidionem, quæ Dominico Palmarum die, prodentibus Judæis, capta est, In Astures confugerat, sacras Reliquias, ne hostibus nominis Christiani ludibrio essent, secum asportans, necnon sacros libros, & Sanctorum *Isidori*, *Ildefonsi*, *Juliani* Opera. Cœlestes thesauri in extrema Hispania, ut ab injuriâ tutiores essent, in subterraneo specu conditi, octo millibus passuum ab eo loco, ubi postmodum Ovetum urbs ædificata est.

Imperium Gotthorum in Hispania à Mauris deletum.

Ab ea re loco *Montis Sacri* nomen factum. Contigit generalis hæc Hispaniæ clades ab anno septingentesimo duodecimo, ad annum septingentesimum decimum quintum. *Muza* Duce ab *Ulit* Miramamolino Saracenorum ex Hispania revocatô, *Abdalasisus* ejus filius novis ditionibus præfectus est. Is *Egilonam* Reginam *Ruderici* Regis viduam uxorem duxit, pactam Christianæ Religionis cultum, eâque suadente, coronam capiti suo imposuit, ut major esset auctoritas. Sedem verò Imperii delegit Hispalim. Christiani qui Maurorum Imperio parebant, quòd cum Mauris confusi essent, tunc mixti Arabes, deinde *Mozarabes* dicti sunt. Hinc Officium Ecclesiasticum quo utebantur, dictum est *Mozarabicum*. De his *Lucas Tudensis*, lib. tertio Chronici; *Rodericus Santius*, Historiæ Hispanicæ parte 2. Capp. 35. & 37. *Alfonsus à Carthagena* in Anacephalæosi Regum Hispaniæ, Capp. 42. & 44. *Lucius Marineus Siculus*, initio libri septimi de Rebus Hispaniæ; *Franciscus Trapha*, lib. de Regibus Hispaniæ, in *Vuitiza* & *Roderico*. *Joannes Vasæus*, in Chronico, *Rodericus Toletanus* Archipræsul, lib. tertio de Rebus Hispaniæ, Capp. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & sequentibus; & *Joannes Mariana* Scriptorum Historiæ Hispanicæ elegantissimus, lib. sexto, Capp. 19. 21. 22. 23. & sequentibus.

Christiani Mozarabes [illegible]

ARTICULUS II.

De Pelagio.

PElagius Regii Gotthorum sanguinis Princeps, compressæ à *Munuza*, Gegione pro Mauris Præfecto, sororis injuriam ulturus, Gotthis Christianis, qui se apud Astures, Calæcos, & Cantabros receperant, in spem recuperandæ libertatis accensis, Hispaniæ Rex creatus anno salutis septingentesimo decimo-sexto, delectibus habitis, bellum difficillimum adversùs Mauros aggressus est. Ab *Alchama* Mauricæ militiæ Magistro, ingentique exercitu lacessitus, móxque, ut videbatur, opprimendus, militibus cæteris per vicina loca dissipatis, mille tantùm viros retinuit, cum quibus in Ausenæ montis speluncam se condidit, cui hodie speluncæ *Sancta Maria de Covadonga* nomen est. In spelunca obsessos *Oppa Vuitizæ* filius, Hispalensis Præsul, quem Saraceni secum adduxerant, ad deditionem frustra hortatus est. Speluncæ aditum sagittis & lapidum procellâ quassant Barbari: sed tela lapidésque in jacientes reflectuntur, Domino exercituum pro Christianis pugnante. *Pelagius* è latebris cum suis erumpens, pugnam invadit. Hostes incussâ divinitus formidine debilitati, continuóque in fugam versi: Cæsi supra viginti millia: *Oppas* Hispalensis Episcopus, patriæ hostis, in potestatem venit. Tantæ cladis nuntio perculsus *Munusa*, Gegione fugiens, ad Olaliem vicum ab incolis cæsus est. Celebris illa Hispanorum Christianorum de Mauris victoria, *Pelagio* Duce, parta est anno Christi septingentesimo decimo-octavo. Anno sequenti *Abdalasisus* Hispaniæ pro Mauris Gubernator suorum ferro periit, quibus æquè ac Provincialibus erat invisus, quòd Principum filias magnô numerô viriasset. Ejus in locum à *Zuleimano* Miramamolino Hispaniæ præfectus est *Alahor*, quem Hispali Sedem Imperii Maurici Cordubam transtulisse tradunt, & *Juliani* ac *Vuitizæ* filios bonis spoliatos omnibus, peremisse, cùm illorum fraude cladem in Asturibus acceptam suspicaretur. Insigni reportatâ victoriâ, *Pelagius* non solùm in Asturibus Imperium firmavit, sed in vicinas regiones propagavit, Legione, Gegione, aliisque munitissimis urbibus à Maurorum servitute ac tyrannide ereptis. Legiona captâ, prisca Gotthorum Regum insignia Leonis rubra effigie mutata, in clypeo argenteo cælati, in

Celebris Christianorum Hispanorum de Mauris victoria.

Pelagii Regis liberi. *Favila Regni hæres.* *Viri in Hispania sanctitate & sapientia celebres.*

pedes erecti, atque diducto rictu formidabilis, quidam Historici memorant. *Pelagius* Hispaniæ Rex Canicæ defunctus est, anno Christi septingentesimo trigesimo-septimo. Ejus corpus in Sanctæ *Eulaliæ* Velaniensis, Canicensis agri Ecclesiam quam extruendam curaverat, illatum, ubi & uxor *Gaudiosa* nomine sepulta est Regnavit annos octodecim. Duos reliquit liberos, *Favilam*, qui post ejus obitum Regnum obtinuit, nullâque re egregiè gestâ clarus, post biennium, ab urso, quem inter venandum avidiùs insequebatur, dilaniatus occubuit: & *Ormisindam* filiam, quam *Alfonso* Principi, *Petri* Cantabriæ Ducis filio, ex *Reccaredi* Regis sanguine sato, cujus virtute in restituendis Hispaniæ rebus plurimùm adjutus est, uxorem dedit Per hæc tempora, sanctitatis & sapientiæ laude in Hispaniis floruere *Urbanus* Toletanus Archiepiscopus; *Evantius* ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, *Fredoarius* Accitanus Episcopus & *Joannes* Hispalensis Præsul, qui Scripturam Sacram linguâ Arabicâ donavit, utriusque Gentis saluti consulens: quoniam isto idiomate non Mauri duntaxat, sed Christiani passim utebantur. & magna erat Latinæ linguæ ignoratio. Ista constant ex *Luca Tudensi* in Chronico, lib. 4. ex *Roderico* Archipræsule, lib. 4. de Rebus Hispaniæ. Capp. 1. 2. 3. & 4. ex *Joanne Vasæo* in Chronico Hispaniæ, ab anno septingentesimo decimo-septimo, ad annum septingentesimum trigesimum-septimum; ex *Lucio Marinco Siculo*. lib. 7. ex *Roderico Santio*. Parte Tertia Historiæ Hispanicæ Capp. 1. & 2. ex *Francisco Tharapha* lib. 2. de Regibus Hispaniæ, in *Pelagio*, & *Favila*; & ex *Joanne Mariana*, lib. 7. de Rebus Hispaniæ Capp. 1. 2. & 3.

ARTICULUS III.

De Alfonso, cognomento Catholico.

Alfonsi Regis de Mauris victoriæ. *Alfonsi Regis pietas.*

F*Avila* sine liberis defunctò, *Alfonsus*, Pelagii gener, ut ab ipso postremis testamenti tabulis mandatum erat, Rex Hispaniæ renuntiatus est: Princeps belli pacisque artibus eximius Religionis cultor egregius, cui inditum propterea *Catholici* nomen. Ex intestinis Maurorum in Africa discordiis rei bene gerendæ occasiones captans, Regni fines armis amplificavit, plurimas à Barbarorum jugo civitates eripiens; in Calæcia scilicet Lucum, Tudam, Asturicam; in Lusitania Portum Cale ad Durii ostium, Pacem-Juliam, Bracaram, Viseum, Flaviam, Bletisam, & Senticam; quæ duæ postremæ orbes hodie Ledesma & Zamora sunt. Septimancas etiam, Dominas, Mirandam, Segobiam, Abulam, atque Sepulvedam, quæ olim Segobriga, deinde Sepulvega dicta est, occupavit; præterea Vetuescanos atque Rivogiam sibi subdidit. In Vasconibus quoque Pompelonem; in Cantabria partem eam, cui hodie Alavæ nomen est, in potestatem redegit. Captis verò civitatibus Episcopos restituit Religiosissimus Princeps Christiana templa instauravit, vel Mauricæ superstitionis sordibus fœdata curavit expiari, sacráque suppellectili instruxit, exornavítque. Defunctus est Canicæ, anno salutis septingentesimo quinquagesimo septimo, ætatis septuagesimo quarto, Regni undevicesimo. Quinque liberos reliquit: ex *Ormisinda* quidem Regina *Froilam*, *Bimaranum*, *Aurelium*, atque *Usendam*, sive *Odisindam* filiam; ex ancilla verò *Mauregatum*. In ejus funere cœlestes voces auditas memorant psallentium: *Tollitur Justus, nemine considerante, ablatus est a facie iniquitatis, & erit in pace memoria ejus*. Sepultus est Canicæ ad Beatæ *Mariæ* Cœnobium, cum *Ormisinda* uxore. Hæc ex *Luca Tudensi*, in Chronico, lib. 4. ex *Roderico* Archipræsule, lib. 4. cap. 5. *Vasæo* in Chronico Hispaniæ, & *Joanne Mariana* lib. 7. Rerum Hispaniæ cap. 4.

ARTICULUS IV.

De Froila, Aurelio, & Silo Regibus.

Froila res prosperè gestæ contra Mauros & Vascones. *Viri in Hispania pietate & doctrina celebres.* *Unde mos an malorum exta & extremas partes sabbatho manducandi apud Hispanos?*

I. A*Lfonso* Regi *Froila* filius natu maximus successit. Is *Juzephum* Hispaniæ pro Mauris Præfectum, cum numeroso exercitu Calæciæ fines ingressum ingenti prælio superavit, cæsis quinquaginta quatuor hostium millibus. Anno Regni ipsius tertio, *Abderrahmanus* Maurus, *Juzepho* oppresso, Mauros omnes in Hispania sibi subdidit, novúmque Cordubæ Regnum fundavit, excusso Miramamolini Imperio. Calæcos bello tentavit Rex barbarus. Pacem-Juliam circumsedit. Utrinque *Froila* virtute & armis repulsus est. Vascones perduelles domuit etiam *Froila*. Ovetum in Asturibus urbem nobilem condidit, eíque jus & honorem Episcopatûs procuravit. Sacerdotum conjugia *Vuitizæ* impii Regis lege olim. permissa prohibuit. In sævitiam quàm in humanitatem fuit propensior. Partam gloriam fœdavit cæde *Bimarani* fratris, quem Regnum affectare suspicabatur, quòd in ipsum omnia populi studia propenderent. Invidiam ex crudeli facinore succensam restinguere sategit, *Veremundum* occisi fratris filium Regni successorem adoptando; sed frustra: ab *Aurelio* enim fratre, ut *Lucas Tudensis*, & *Rodericus* Præsul scribunt, vel à suis, (ut volunt alii) occisus est. Ex *Menina*, Eudonis Aquitaniæ Ducis filia, quam uxorem duxerat, reliquit *Alfonsum* filium, cui postea *Casto* cognomen fuit, & *Semenam* sive *Ximenam* filiam, quæ *Bernardum Carpensem* stupro peperit. Regnavit *Froila* annis undecim & mensibus tribus, ab anno scilicet septingentesimo quinquagesimo septimo ad annum septingentesimum sexagesimum nonum. Oveti in majori templo cum uxore sepultus est. Eo regnante, floruerunt egregii vitâ doctrinâque Viri, *Verus* Archiepiscopus Hispalensis, *Petrus* Toletanus Præsul cognomento *Pulcher*, qui libellum *de ratione Paschatis celebrandi* ad cives Hispalenses eâ in re errantes conscripsit. Successit ei *Cixila*, qui scripsit Vitam *S. Ildefonsi*: ad quem extant litteræ *Hadriani I.* Romani Pontificis (tametsi *Egilam* eum vocat) Hispanos increpantis, quòd diebus Sabbathi, carnibus vescerentur. Unde temperamento quodam factum arbitratur *Mariana*, ut intestina & extremæ animalium partes hoc tempore, in usu sint, & præcipuo iis diebus, apud Hispanos, honore mensarum. Viderint Eruditi quantùm huic conjecturæ tribuendum sit.

Aurelius Rex.

II. *Froilæ* in Regnum successit *Aurelius*, anno septingentesimo sexagesimo-octavo. Eo regnante, bellum civile in Hispania exarsit, servis contra dominos arma sumentibus. Sed ipsius industriâ brevî profligatum est, servis ad officium reductis. Nulla contra Saracenos prælia ab ipso gesta memorantur. *Adosindam* sororem *Silom* viro Principi, cum spe successionis, connubio junxit, ipse prole destitutus & fortè matrimonii expers. Regnavit annis sex, mensibus sex. Ad Vallem Canicam sepultus est. Ejus temporibus, anno scilicet septingentesimo septuagesimo-primo, obiit *Aznar Eudonis* Aquitaniæ quondam Comitis filius, qui Jaccam urbem, multas præterea arces atque oppida Mauris eripuit, Regnique Aragonum fundamenta jecit.

Silo Rex.

III. In *Aurelii* locum *Silo* Sororis vir, Praviæ cum *Adosinda* uxore Regno est inauguratus. Cum Mauris pacem habuit. Calæcos tumultuantes ad Montem Ciperium sive Cebrerum compescuit. *Alfonsum Froilæ* filium in Regni consortium adoptavit, uxoris hortatu, ex quâ prolem nullam suscepit. Regnavit annis octo, vel novem. Quidam

Praviæ

Praviæ in *S. Joannis* Evangelistæ templo, quod ipse à fundamentis ædificandum curaverat, sepultum scribunt, ut *Lucas Tudensis*, & *Rodericus* Archipræsul: alii Oveti in *Salvatoris* Basilica, ubi sepulchrum ejus nomine cum hæc inscriptione extat:

Hic situs est Silo, sit sibi terra levis.

De his *Lucas Tudensis*, P. 4. Chronici, *Rodericus Toletanus*, lib. 4. de Rebus Hispaniæ, Capp. 6. & 7. *Vasæus* in Chronico Hispaniæ; & *Joanne Mariana*, lib. 7. cap. 6.

ARTICULUS V.

De Alfonso Casto, Mauregato, & Veremundo Regibus.

Mauregatus Regnum invadit, patriam prodit.

I. ALfonsus regnare solus cœpit anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio. Mauregatus ejus patruus, tametsi ex stupro genitus, pacto cum Mauris fœdere, ex quo quinquaginta virgines natalibus nobiles, & plebeiæ totidem, quotannis triboti nomine essent Barbaris repræsentandæ, exercitum ab *Abderrhamano* eorum Rege obtinuit, cujus ope *Alfonsum* viribus imparem in Cantabriam confugere coëgit, Regnúmque invasit ac tenuit annis quinque, mensibus sex. Praviæ sepultus est Rex, nullâ re nisi pravis actionibus & proditione patriæ insignis. Obiit anno septingentesimo octogesimo-octavo, qui & *Abderrhamano* Regis Maurorum fatalis fuit.

Veremundus Rex.

II. *Mauregato* successit *Veremundus* Diaconus, quem alii *Bimarani* à *Froila* fratre occisi, alii *Froila*, *Alfonsi Catholici* fratris filium asserunt. Regnavit annos tres, menses sex, filiis duobus ex uxore *Numilone* susceptis, *Ramiro* & *Garsia*. Ab hac verò geminâ prole auctus, reliquo vitæ tempore abstinuit, quam se contra fas duxisse noverat, ut qui cœlibatûs lege ob sacrum Diaconatûs Ordinem teneretur. *Alfonsum* à *Mauregato* spoliatum pulsúmque, ad Regni consortium revocavit anno Christi septingentesimo nonagesimo primo, duodecimo Kalendas Augusti, ut auctor est *Isidorus Pacensis*. Oveti cum uxore sepultus est.

Alfonsum ad Regni consortium revocat.

Alfonsus solus regnat.

III. Mortuo *Veremundo*, *Alfonsus Casti* cognomen consequutus, quòd à Bertæ uxoris complexibus per totam vitam abstinuerit, solus rerum potitus est. Maurorum numerosos exercitus non semel delevit. Ovetum Regni Sedem fecit: eáque in Urbe templum *Salvatoris* nomine præcipuum & maximum extruxit; necnon Ædem Virgini Deiparæ sacram, illíque conjonctam Domum humandis comparatam Regibus. Tertiam *Thyrsi* Martyris nomine elegantissimam. Quartam *S. Juliani*. Cùm de ornando templo *Salvatoris* cogitaret, occurrerunt ipsi Angeli duo aurificum specie, qui crucem auream gemmis distinctam, auróque fulgentem eleganti formâ perfecerunt, eáque perfectâ, subitò disparuere. Regnante *Alfonso Casto* S. Jacobi Apostoli Reliquias in Galæcia inventas memorant, & Episcopalem Iriæ Flaviæ Sedem, retentô nomine, & Bracarensis Metropolitani jure servatô, Compostellam à *Leone Tertio* translatam fuisse honestandi loci causâ. *Alfonsi* Regis gloriam calamitas domestica sugillasse visa est. Scilicet *Semena* soror *Sancio* seu *Sanctio* Saldamæ Comiti nupsit, invito fratre. Comes cùm per speciem Comitiorum Legionem venisset, majestatis lege postulatus, excæcatis oculis perpetuo carceri in arce Lunæ mancipatus est Regis Edicto: *Semena* in Monasterium detrusa: *Bernardus* Infans ex clandestino conjugio natus, *Alfonsi* Regis jussu, in Asturibus Regio cultu educatus est. Obiit *Alfonsus Castus* anno Christi octingentesimo quadragesimo-quarto ineunte, ætatis octogesimo quinto, Regni quinquagesimo-tertio, nullâ relictâ prole, *Ramiro Veremundi* Regis filio Regni Successore designato, Oveti in Æde *B. Mariæ* sepultus est. Constant ista ex *Luca Tudensi* in Chronico P. 4. ex *Roderico Toletano*, lib. 4. de Rebus Hispaniæ, Capp. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. ex *Vasæo* in Chronico Hispaniæ, & ex *Joanne Mariana* lib. 7. Capp. 7. 9. 18. & 10.

S. Jacobi Apostoli Reliquiæ Compostellæ inventæ.





IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI OCTAVI DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO PRIMA.

De Gregorii II. Romani Pontificis erga Leonem Isaurum Imperatorem Moderatione.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Gregorius II. Leonem Isaurum tributorum exactione privaverit, vel Italiæ populos ad defectionem incitarit?



ARDINALIS *Baronius* ad annum septingentesimum trigesimum scribit, *Quod Græci Historici omnes, & idem Theophanes ait, anno XIV. Leonis Imperatoris, ipsum Leonem à Gregorio II. privatum esse exactione tributorum Italiæ. Testatur id Cedrenus, & alii. Zonaras hæc Romæ (quod par est credere) facta esse synodicè tradit.*

Sic autem scribit *Zonaras* Tomo III. Annalium. *Qua de causa Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiata societate Præsidis novæ Romæ, necnon eorum qui illum sequerentur, illos unà cum Imperatore Synodico Anathemate obstrinxit, & vectigalia, quæ ad id usque tempus inde pendebantur, inhibuit; icto cum Francis fœdere.*

Et infra. *Sub priore Justiniano Franci Germanica stirpe oriundi, Italiam invaserunt, fueruntque Romanorum hostes; sed sub Leone Isauro temporis illius Papa Gregorius ob perversam opinionem defecit ab illo Imperatore impio, eique tributum pendere recusavit, neque sibi quidquam rei esse voluit cum impiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ Gubernatoribus, omissisque bellis, pacem cum Francis fecit.*

Sic verò ante *Zonaram Theophanes* ad annum Lenois Isauri XIII. *In veteri Roma vir undequaque sacer & Apostolicus, Petri Apostolorum Coryphæi consessor, eruditione præclarisque facinoribus clarebat Gregorius: qui Romam atque Italiam, totúmque Occidentem à Leonis obedientia tam civili quàm Ecclesiastica, & ab ejus Imperio subtraxit.*

Sic *Cedrenus* Tomo 1. ad annum Leonis Isauri XIII. *Gregorius Apostolicus vir, & Petri Apostolorum Coryphæi assessor.... Is à Leone ob ejus impietatem defecit, & pacto cum Francis icto, tributa Leoni denegavit.*

Sigebertus in Chronico ad annum DCCXXXI. scribit: *Gregorius Romanæ Ecclesiæ XCIX. præsidet, qui & ipse Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum, & vectigalia Hesperiæ ab eo avertit.*

Platina in lib. de Vitis Pontificum, *In Gregorio II.* eumdem in errorem impegit. *Hic*, inquit, *statim ubi Pontificatum iniit, Cleri Romani consensu, Leonem Imperatorem Constantinopolitanum Imperio & Communione Fidelium privavit, quòd sanctas Imagines è sacris Ædibus abrasisset, & statuas demolitus esset.*

Theophanis, Zonaræ, Cedreni, Sigeberti, Platinæ narrationem non *Baronius* duntaxat loco suprà laudato, sed *Bellarminus* lib. V. De Romano Pontifice, Cap. VIII. & Cardinalis *Perronius* in Oratione ad Tertium Regni Francici Ordinem, recipiunt ac probant: Quos sequenti refellimus Propositione. *Doctissimi Cardinales Baronius, Bellarminus, & Perronius refelluntur.*

PROPOSITIO.

GREGORIUS *II. Pontifex Maximus Leonem Isaurum tributorum exactione non privavit, nec Romam, Italiam, totúmque Occidentem ab ejus obedientia abstraxit, aut ab eo defecit ipse, ut Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & alii falsò scripserunt.*

Probatur I. ex ipsius Gregorii II. Epistolis: sic enim scribit Epistola 1. ad ipsum *Leonem* Imperatorem: *Scis, Imperator! Sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ tutò debent dogmatizari. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices à Reipublicæ negotiis abstinentes: Et Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant.... Cessa & quiesce, tum Synodo minimè opus erit: scribe ad omnes, & in quascumque regiones orbis terrarum, quibus offendiculo fuisti,* *Gregorii II. moderationem erga Leonem Isaurum Imperatorem e suis Epistolis probamus.*

Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, & Gregorium Papam Romanum circa imagines peccasse, & nos ab hac cura quietam te præstabimus, ne peccatum aut lapsus ullus sit tuus; utpote qui à Deo potestatem & cœlestia & terrena solvendi acceperimus. Testis est Deus, quascumque misisti ad nos Epistolas, auribus cordibúsque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum tibi ac benevolentiam conciliantes, téque laudantes, ac mirificè efferentes, prout te antea conversantem intuebamur. Idcircò Laureata tua etiam receperunt, ut Reges à Regibus honore affici convenit; idque cùm nondum incœptum hoc, conatúmque tuum, quo adversùs imagines insurrexisti, audivissent. Cùm verò didicerunt certioréfque facti sunt facti, te Jovinum Spatharocandidatum ad Calcopratia misisse, ad evertendum & confringendum Salvatorem, qui appellatur Antiphonetes, ubi & miracula multa fiunt, inventæ sunt illic mulieres zelo succensæ, & illarum emulæ quæ unguenta ferebant, quæ Spatharocandidatum orarunt: Ne, obsecramus, ne hoc facias, aiebant. Ille verò earum preces non admittens, erectâ scalâ conscendit; cùmque ter securi faciem imaginis Salvatoris percussisset, hoc videntes mulieres, & iniquum illud facinus non ferentes, attractâ scalâ fustibus concisum illic necarunt. Tum tu mali æmulator, missis satellitibus, mulieres nescio quot illic occidisti, astantibus illustribus viris Romanis, & ex Francia, ex Vvandalis, ex Mauritania, ex Gothia, &, ut generatim dicam, ex toto interiori Occidente. Cùm autem advenissent, & in suis regionibus singuli juvenilia tua puerilíaque facta narrassent tunc projecta Laureata tua conculcarunt, & faciem tuam conciderunt, ac delectu habito Longobardi & Sarmatæ, cæterique qui ad Septentrionem habitant, miseram Decapolim incursionibus infestarunt, ipsámque Metropolim Ravennam occuparunt, & ejectis Magistratibus tuis, proprios constituere Magistratus, & vicinas nobis Sedes Regias, ipsámque Romam sic tractare statuerunt, cùm tu nos defendere minimè possis; & hoc ob imprudentiam ac stultitiam sustinuisti. At enim nos perterrefacis, aisque, Romam mittam, & imaginem S. Petri confringam; sed & Gregorium illinc Pontificem vinctum adduci curabo, sicut Martinum Constantinus adduci jussit. Scire autem debes ac pro certo tenere, Pontifices, qui pro tempore Romæ extiterint, conciliandæ pacis causâ sedere tanquam parietem integerrimum, septúmque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores esse, quique ante te fuerunt Imperatores, in hoc componendæ pacis certamine desudarunt. Quòd si nobis insolenter insultas, & minas intentas, non est nobis necesse tecum in certamen descendere; ad quatuor & viginti stadia secedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex, tum vade, ventos prosequere.

Gregorius II. profitetur Ecclesiis præpositos esse Pontifices à Reipublicæ negotiis abstinentes; se Epistolas *Leonis Isauri* Imperatoris ad Reges Occidentis, secundùm ejus mandata misisse; pacem illorum ac benevolentiam ipsi conciliasse sicut sui Antecessores Romani Pontifices pacis arbitri & mediatores Orientem inter & Occidentem difficillimis temporibus sederant. Narrat quâ ratione certi quidam Occidentis populi, audito quòd Imperatoris jussu subversæ fuissent imagines sacræ, seditionem fecerint, & in veterum Magistratuum locum novos suffecerint. Sed nec illius seditionis auctor fuit *Gregorius II.* nec eam probavit; nec populos tributorum pensionem recusasse scribit, aut recusare debuisse, vel prohibere se, aut prohibuisse ne tributa pendant.

Idem probatur ex altera ejusdem Sanctissimi Pontificis ad *Leonem Isaurum* Epistola, quâ eum sic alloquitur: *Scripsisti, Imperator sum, & Sacerdos: enimverò qui ante te fuerunt Imperatores hoc opere ac sermone demonstraverunt, qui curam gesserunt Ecclesiarum unà cum Pontificibus, cupiditate, zeloque incensi, rectaque fidei veritatem pervestigantes, Constantinus Magnus, Theodosius Magnus, Valentinianus Magnus, & Constantinus Justiniani pater, qui Sexta Synodo interfuit. Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus uno consilio ac sententiâ Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt & ornarunt. Hi sunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonstrarunt. Tu verò ex quo Imperium occupasti, definitiones Patrum perpetuò non custodisti, sed cùm sanctas Ecclesias fimbriatis aureis vestibus convestitas & variegatas inveniisses, tuo ornatu privasti, atque vastasti.*

Et infra. *Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac Dignitates Regias deferendi; sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque consecrandi, vel Symbola sanctorum Sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque opera Sacerdotis: sed unusquisque nostrûm in quâ vocatione vocatus est à Deo, in ea maneat. Vides, Imperator! Pontificum & Imperatorum discrimen. Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas & spolias, solam illi vitam relinquens, tandémque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eúmque longè à liberis, & ab omnibus cognatis & amicis suis amandas. Pontifices non ita: sed ubi peccarit quis & confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco Evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eúmque tanquam in carcerem in Secretaria sacrorúmque vasorum æraria conjiciunt, in Ecclesiæ Diaconia, & in Catechumena ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, laudationem ori ejus indicunt: Cùmque probè castigarunt, probéque fame afflixerunt, tum pretiosum illi Corpus Domini impartiunt, & sancto illum Sanguine potant; & cùm illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum & insontem transmittunt. Vides, Imperator! Ecclesiarum Imperatorúmque discrimen. Imperatores qui piè & in Christo vixerunt, Ecclesiarum Pontificibus obedire minimè recusarunt, nec eos vexarunt; Tu verò, Imperator, cum transgressus fueris, ac perversus evaseris, & manu propria subscripseris, teipsum subjiciens, & confessus fueris, eum qui terminos Patrum tollit, execrabilem esse, in hoc proprio judicio condemnatus es, ac Spiritum Sanctum à te alienasti. Persequeris nos ac tyrannicè vexas militari carnalique manu: Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnale exercitus non habemus, invocamus Principem exercitus omnis creaturæ sedentem in cœlis Christum, qui est super omnes exercitus supernarum Virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut ait Apostolus: Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.*

Tantùm abest ut *Gregorius II.* Imperatoris obedientiæ se vel alios subtraxerit, & ne penderentur vectigalia inhibuerit, ut ne quidem illum Ecclesiastica Communione privaverit, aut reipsa privatum in publico Fidelium consessu denuntiaverit, vel anathema dixerit. Invocandum duntaxat Deum esse significat, ut quod apud *Beatum Paulum* Corinthio incestûs reo contigit, Imperatori contingat. Secundò se *inermem ac nudum* profitetur Pontifex Sanctissimus: quòd sanè non dixisset, si tributorum pensionem inhibuisset, vel inhibere habuisset in animo. Tertiò profitetur Pontificem introspiciendi in Palatium potestatem non habere, ac Dignitates Regias deferendi, sicut nec Imperator in Ecclesias introspiciendi. Multò minùs itaque existimavit se posse tributorum pensionem prohibere, & populos ad defectionem compellere.

Probatur secundò Propositio ex *Paulo Diacono*, lib. VI. de Gestis Longobardorum, Cap. XLIX. *Omnes*, inquit, *Ravennæ exercitus vel Venetiarum*

talibus

talibus jussis uno animo restiterunt, & nisi eos prohibuisset Pontifex, Imperatorem super se constituere fuissent aggressi. Paolus Diaconus suppar Auctor evertit fabulam à *Theophane*, *Cedreno*, *Zonara*, & aliis vulgatam: Qui enim Ravennæ & Venetiarum exercitus à defectione prohibuit, haud ita fuit animo comparatus, ut tributorum pensitationi obstaret, vel populos ad defectionem impelleret.

Probatos tertiò ex *Anastasii Bibliothecarii* non solùm silentio, quod maximi tamen esset ponderis, sed diserto testimonio, in Vita Gregosii II. *Jussionibus itaque postmodum missis*, inquit, *decreveras Imperator, ut nulla imago cujuslibet Sancti, aut Martyris, aut Angeli ubicumque haberetur; maledicta enim omnia asserebat, & si acquiesceret in hoc Pontifex, gratiam Imperatoris haberet, & si hoc fieri præpediret, à suo gradu decideret. Respiciens ergo Pius Vir profanam Principis jussionem, jam contra Imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens hæresim ejus, scribens ubique se cavere Christianos, eò quod orta fuisset impietas talis. Igitur perinde omnes Pentapolenses atque Venetiarum exercitus contra Imperatoris jussionem restiterunt, dicentes: Nunquam se in ejusdem Pontificis condescendere nece, sed pro ejus magis defensione viriliter decertare. Ita ut anathemati Paulum Exarchum, vel qui eum direxeras, ejúsque consentaneos submittant spernentes ordinationem ejus, sibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque sic de Pontificis, déque sua immunitate cuncti studebant. Cognitâ verò Imperatoris nequitiâ, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem, & Constantinopolim ducerent; sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis.* Qui non alia ratione contra Imperatorem Iconomachum se armat, quasi contra hostem, quàm scribendo Litteras ad omnes ubivis gentium Christianos, ut ab ejus impietate caveant: & qui Italiam omnem in officio continet & in obedientia erga Imperatorem, prohibétque ne alium Imperatorem constituant, is certè ita affectus non est ut tributorum pensionem impedire velit, ac populos ad defectionem impellere.

Gregorius II. Italiam omnem in officio & obedientia erga Imperatorem continuit.

Ejusdem Pontificis moderationem probat, quod inferiùs subjicit Anastasius. *Cùmque*, inquit, *misere hominem proprium Romam cum Scriptis suis, in quibus continebatur ut Pontifex occideretur cum Optimatibus: Roma agnitâ crudelissimâ insamiâ, protinus ipsum Patritium missum occidere voluerunt, nisi defensio Pontificis nimia præpedisset.*

Sed audi quibus armis contra *Eutychii* Exarchi persecutionem & insidias se munivit Sanctissimus Pontifex, tametsi Romanos & Longobardos pro sua defensione contra Exarchum sollicitos & armatos videret. *His ita se habentibus* (inquis Anastasius) *elegit majus præsidium Pater ille, distribuere pauperibus largissimâ manu quæ reperiebat, incumbens orationibus & jejuniis, & Litaniis Deum quotidie deprecabatur: & spe ita manebat semper fultus plusquam hominum: Gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, & in fide persisterent, rogabas; sed ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperii admonebat: sic cunctorum corda molliebat, & dolores continuos mitigabat.*

Probatur quartò ex gestis *Gregorii III.* qui *Gregorio II.* proximè successit. Is enim, teste *Anastasio* in ejus Vita, *Leonem* ut Imperatorem agnovit, plenas ad eum humanissimis cohortationibus & admonitionibus litteras scripsit, ut eum ab impietate revocaret: Inter illos, quos à communione Corporis & Sanguinis Dominici denuntiavit extorses, Imperatorem ne nominavit quidem. At non ita se gessisset, si *Gregorius II.* ejus Decessor Impesii jugum excussisset, & ne ab Italis *Leoni Isauro* pendesentur vectigalia, prohibuisset. Sed nec Legatos misisset Constantinopolim *Georgium* Presbyterum & *Constantinum* Defensorem; nec eos carcere duntaxas per annum detineri jussisset (ut fecit) sed trucidari præcepisset impius ac ferus Princeps, & armata manu in Pontificem & Romanos irruisset. Denique si Romani ac finitimi populi rebellassent adversùs Imperatorem, & recusassens vectigalia pendere, *Cuncta generalitas Italiæ pro erigendis imaginibus supplicationum scripta unanimiter ad eumdem Principem* non *direxisset.* Quod ipsam fecisse testatur *Anastasius*. Haud enim grata fuissent illa supplicationum scripta, si hinc Italia se Imperatoris subtraxisset obedientiæ, & ei renuisset vectigalia solvere: hinc pro erigendis imaginibus, quæ de locis sacris deturbatæ fuerant, Imperatori Libellos supplices obtutisset.

Gregorius III Leonem Isaurum ut Imperatorem agnovit.

Probatur quintò. *Gregorius II. eruditus* fuit in Divinis Scripturis Pontifex, teste *Anastasio* in ejus Vita. Non est igitur verisimile quòd Romanos, Italosque ad defectionem impuleris ac tributa solvere Imperatori prohibuerit, cùm aliunde vir sanctissimus esset. Non est, inquam, verisimile ipsum violasse mandatum Christi, dicentis, *Lucæ* Cap. XX. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Repugnasse *S. Paulo*, ad Romanos scribenti Cap. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.... Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Non est vesisimile refragatum fuisse *Sancto Petro* Epistola 1. Cap. II. dicenti: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; quasi liberi, non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate: servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè.*

Sancta Scriptura & Traditio parendum esse docent Principibus etiam Hæreticis, etiam Ecclesiæ persecutoribus, in iis quæ Rempublicam spectant.

Probatur sextò. Pontifex doctissimus traditionem Patrum non ignoravit, nec ab ea, qui sanctissimus eras, ac traditionis retinentissimus atque observantissimus, deflexit. Porso Patres Imperatoribus, etiam hæreticis, obsequendum docent in iis quæ jura Reipublicæ spectant. Sic *S. Athanasius* in Apologia ad *Constantium* Imperatorem: *Certè* inquis, *me profectioni adornabam: nam & hujus quoque rei conscius est Montanus, ut litteris tuis acceptis, si dignatus fuisses scribere, statim discederem, & promptitudine exequendi mandatum tuum antevenirem: non enim ita insanio, ut istiusmodi præceptis contradicendum putarim.*

Sic *Hosius* Cordubensis in Epistola ad eumdem Imperatorem: *Tibi*, inquis, *Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Neque enim fas est nobis in terris Imperium tenere; neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator!*

Sic *S. Ambrosius* in Epistola XXXIII. ad Sororem, testatur se dixisse Valentiniano: *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt, aliquod Imperiale jus habere. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.*

Sic *S. Gregorius Magnus* lib. II. Epistola LXII. ad *Mauritium* Imperatorem, ipsum rogans ut Legem iniquam & Ecclesiæ incommodam, quâ homines publicis rationibus obnoxios, & milites, Monachos

A chos fieri prohibuerat, temperaret: *Ego verò*, inquit, *hæc Dominis meis loquens, qui ! sum nisi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere Constitutionem sentio, Dominis tacere non possum.... Ego quidem jussioni subjectus, eamdem Legem per diversas terrarum partes transmitti feci; & quia Lex omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per mea suggestionis paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

B Sic *Martinus I.* in Epistola ad *Theodorum*, ubi exilium suum describit: *Quòd autem præparati non fuerimus ad repugnandum, mel iis judicavi decies mori, quàm unius cujuscumque sanguinem in terram fundi.... Eadem itaque horâ dedi meipsum ad exhibendum Imperatori, & non resistendum.*

Sic *Agatho* in Epistola Synodica missa ad Constantinum Pogonatum: *Servilem*, inquit, *vestri Serenissimi Principatus Romanam Urbem*. Et se Legatos misisse scribit, ut obedientiam Imperatori debitam impleret; *Pro obedientia*, inquit, *quam debuimus.*

Hanc Traditionem in Ecclesia Orientali ad sua usque tempora fuisse religiosè servatam docet *Sanctus Joannes Damascenus* Oratione II. De Imaginibus. C *Et nunc*, inquit, *B. Germanus alapis percussus, & in exilium missus est, & plures alii Patres, quorum nomina non ignoramus. Nonne id latronum est? Dominus cùm ad ipsum tentandi gratiâ, Scribæ & Pharisæi accessissent, ut eum sermone irretirent, quæsissentque ex eo, Liceretne Cæsari censum dari, necne; Ostendite, inquit, mihi numisma: quod cùm ostendissent; Cujus, inquit, habet imaginem? Respondentibus autem illis, Cæsaris, ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Paremus tibi, Rex, in iis quæ ad vitæ civilis negotia pertinent, ut in tributis, vectigalibus, & congiariis solvendis, quorum tibi munus est creditum ac demandatum: At in Ecclesiasticis rebus* D *statuendis ac decernendis habemus Pastores, qui nobis locuti sunt verbum, & leges atque Instituta Ecclesiastica tradiderunt.* Nequaquam igitur verisimile est quòd *Gregorius II.* eruditus & sanctus Pontifex ab ea traditione aberrarit, quæ Principibus etiam impiis, etiam hæreticis, etiam Ecclesiæ persecutoribus, parendum esse docet in iis quæ jura Reipublicæ spectant; & prohibuerit ne vectigalia Imperatori solverentur, populósque ad defectionem impulerit.

Scholion I.

E In hac Dissertatione, pag. 473. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Gregorius II. Leonem Isaurum Tributorum exactione non privavit, nec Romam, Italiam, totumque Occidentem ab ejus obedientia abstraxit, aut defecit ipse.*

R. Mera facti & Historiæ quæstio est. Opinionem meam ex Gregorii II. Epistolis, ex Paulo Diacono, Anastasio Bibliothecario, aliisque firmissimis probavi momentis. Sanctissimum Pontificem à calumnia vindicavi, & eo nomine de Sede Apostolica bene mereri mihi visus sum. Nec verò mea tantum, sed virorum omnium eruditorum in Galliis sententia est. De hoc Historiæ capite ita scribit Vir Clarissimus *Franciscus Fen* Doctor Theologus Sacræ Facultatis Parisiensis, SS. Gervasii & Prothasii in Urbe Regia Parochus, in Tractatu *De Legibus*, Quæstione IV. Articulo IV. F pag. 835. *R x. Gregorium II. de negandis Leoni Isauro tributis penitus siluisse, nec quicquam fuisse molitum adversùs Imperatorem; imò in præstanda illi debitâ reverentia constanter exstitisse, ut tum ex ejus doctrina, tum ex ipsius factis atque exemplis fit conspicuum. In priore enim ad Leonem Imperatorem Epistolâ profitetur, Regum non esse de Ecclesiæ negotiis Judicium ferre, sicut nec Pontificum Reipublicæ negotiorum satagere; sed Principibus præstare obsequium. Quam doctrinam firmavit obsequio, & pro Imperatoris rebus sollicitudine, quam nusquam deposuit. Liquet enim ex Anastasio in Gregorii II. Vita, abdicationem illi Summo Pontifice comminatas fuisse Imperator, nisi omnes omnino à Templis Imagines dejici curaret; ejusmodi quidem Edicto restitit ipse Pontifex, restiterunt quoque Venetiarum Exercitus & plerique alii: sed tamen ne Imperatorem Gregorius læderet, & ne simul iram* A *illius declinaret, in alienam ditionem se ad tempus recepit; & propositi tenax, pro officio exercitum, qui pro ipsius defensione viriliter se decertaturum testificabatur, à tali proposito deterruit: & cùm variæ regiones Italiæ præfecissent sibi Duces, unà & consilium inissent Italiæ fermè universæ de alio eligendo Imperatore, quem Constantinopolim ducerent; huic defectioni Gregorius II. obstitit tanto studio, ut Paulo pœnitus, seu Romæ Præfecto à Romanis necem illatam, vitam. Eutichio Patricio, qui Romam imperatoris nomine Pontificem è medio sublaturus accesserat, servarit; & precibus monitionibusque suis Romanos in fide Imperatori debitâ continuerit: quod nisi ejus laboribus & studio fuisset præstitum, sua Dignitate proculdubio cecidisset Imperator. Ac non modò Roma, hæc pietatis officia Imperatori exhibuit, sed & Mantua.... Gravi ergo in errore versantur* B *Cedrenus & alii, qui tot figmenta Gregorii II. memoriæ contumeliosa scribere non dubitant. De his enim S. Joannes Damascenus tam insignis Imaginum defensor, ne verbum quidem facit: silet quoque hujusmodi factum Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus.* Hæc eruditus ille Theologus.

Scholion II.

In eadem Dissertatione, pag. 474. 476. 477. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa non tractat temporalem, nec gladio se defendit.*

R. pag. 474. & 475. nulla mea verba sunt; nam ibi loquitur *Gregorius II.* Pontifex Maximus. pag. 477. de eodem hæc observo: *Invocandum duntaxat Deum esse significat, at quod apud B. Paulum Corinthio incestùs reo contigit,* C *imperatori contingat. Secundò se inermem ac nudum profitetur Pontifex sanctissimus.* Hæc eadem porro scripsit Gregorius: PONTIFEX INTROSPICIENDI IN PALATIUM POTESTATEM NON HABET.... NOS INERMES AC NUDI, QUI TERRENOS ET CARNALES EXERCITUS NON HABEMUS, &c. Quo igitur mucrone me confodiunt Iudicati Censori Authores, eodem latus Gregorii II. petunt.

Scholion III.

In eadem Dissertatione, pag. 474. Religiosi Censores hanc Propositionem velut meam notant: *Pontifices simul cum Imperatoribus congregarunt Concilia, & rexerunt Ecclesias.*

R. Hæc Propositio, *Pontifices cum Imperatoribus rexerunt Ecclesias*, ibi non legitur. Ecclesiæ Regimen Imperato- D ribus non competere, agnovi semper & docui. Unus ibi hâc paginâ loquitur Gregorius II. qui de Constantino Magno, Theodosio, aliisque piis Principibus scribit: *Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus uno consilio ac sententia* SYNODOS CONGREGANTES, *atque veritatem dogmatum perquirentes,* SANCTAS ECCLESIAS CONSTITUERUNT ET ORNARUNT. Hæc Gregorius II.

Scholion IV.

In eadem Dissertatione, pag. 481. & 482. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa contra Scripturam & Traditionem faceret, si subditos Imperatoris ad defectionem compelleret.*

E R. Hæc tantùm ibi meis verbis occurrunt: *Non est verisimile Gregorium II. violasse mandatum Christi dicentis:* REDDITE ERGO QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI. *Pontifex Doctissimus Traditionem Patrum non ignoravit, nec ab ea, quæ sanctissimus erat ac traditionis retinentissimus, deflexit. Porrò Patres Imperatoribus etiam hæreticis obsequendum docent in iis quæ jura Reipublicæ spectant.* Deinceps Apostoli & Patres loquuntur per totam utramque paginæ notatæ seriem. Quamquam verò propositio quam notant Censores, apud me conceptis verbis ibi non legatur; sed inferatur dumtaxat à Religiosis Censoribus, mea tamen, fateor, opinio est: sed & Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ, quam nunquam Romana damnavit Ecclesia.

DISSERTATIO

DIESSRTATIO II.

De Translatione Regni Francorum à Childerico Rege, ad Pippinum Majorem-Domûs.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum à Zacharia, vel Stephano III. Romanis Pontificibus Francorum Regnum ablatum fuerit Childerico, & Pippino collatum?

QUæ de Francorum Regno, auctoritate Romani Pontificis ad Pippinum translato circumferuntur, è duobus potissimùm Auctoribus hausta sunt ætate *Caroli Magni*, & *Ludovici Pii* conspicuis, scilicet ex Annalista Loisselliano, & *Eginhardo*. Sed cùm illi Auctores inter se non conveniant, inde ortæ sunt opiniones duæ. Si fides est Annalistæ Loiselliano, *Zacharias Papa per auctoritatem Apostolicam jussit Pippinum Regem fieri.* Eginhardus in Vita *Caroli Magni* asserit *Childericum jussu Stephani Romani Pontificis*, id est, Stephani Tertii, *depositum ac detonsum, atque in Monasterium trusum, Pippinum autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Regem constitutum.* Inde duplex orta est opinio. Alii Decreto *Zachariæ*, alii Decreto *Stephani*, exauctoratum *Childericum*, *Pippinum* Regem factum volunt. Pro *Zachariæ* Decreto stant Annales Loiselliani, Fuldenses, Bertiniani, & Metenses, necnon *Ado*, *Regino*, *Marianus Scotus*, *Lambertus Scafnaburgensis*, *Sigebertus*, Continuator *Aimoini*, *Blondus*, & *Paulus Æmilius*. Pro *Stephani* Decreto stant, *Theophanes*, *Anastasius* in Historia, Historiæ Romanæ Continuator sub nomine *Pauli Diaconi*, & *Hermannus Contractus*. E duabus illis opinionibus tertiam eruunt, *Otto Frisingensis*, Abbas Uspergensis, & *Egiluvardus* in Vita S. *Burcardi*. *Pippinum* enim auctoritate *Zachariæ* Regem factum consentiunt, *Childericum* autem jussu *Stephani* detonsum & Monasterio inclusum affirmant. Postrema hæc opinio facilè refellitur: In eodem enim Francorum Conventu depositus est *Childericus*, ejúsque loco subrogatus est *Pippinus*; nec aliter vetustissimi senserunt Auctores, sive *Zachariæ*, sive *Stephani* Decreto utrumque confectum existimatur. Igitur duæ tantùm priores sententiæ sunt expendendæ.

PROPOSITIO.

Nec Zachariæ, nec Stephani III. Romanorum Pontificum auctoritate, Regnum Francorum à Childerico III. ad Pippinum translatum est.

Translatio Regni non est facta à Stephano III.

HAnc translationem à *Stephano III.* factam non esse, facilè demonstratur. *Pippinus* enim Rex elevatus est anno post Christum natum septingentesimo quinquagesimo-secundo, secundum Annales Petavianos, & Fuldenses. Regni translatio solemniter facta est in generali Francorum Conventu: elevatum enim *Pippinum more Francorum Suessione*, Petaviani, Loiselliani, & Tiliani testantur Annales. Celebratus autem est ille Conventus Kalendis Martii, ut illorum temporum mos ferebat. Eodem anno, eodémque mense, obiit *Zacharias* Pontifex: Pontificatum enim susceperat ineunte Decembri, anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo, seditque annos decem, menses tres, dies quatuordecim, & sepultus est ad *B. Petrum* Apostolum, idibus Martii, Indict. 5. quæ per mensem Martium anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo componitur. Cessavit Episcopatus ejus dies duodecim, quibus elapsis, *Stephanus II.* electus est, & tertio die à somno surgens, & familiares causas disponens, subitò, alienatus obmutuit, & die sequenti defunctus est. Statim ipsi suffectus est *Stephanus Tertius*. Sedere cœpit mense Martio exeunte. Tertio ab Ordinatione suâ mense, id est, mense Junio, missis ad *Aistulphum* Longobardorum Regem Legatis, pacem cum illo in annos quadraginta pepigit, quam *Aistulphus* post quatuor pene menses, id est, mense Octobri, perjurii reus factus, violavit. Frustra directis cùm à *Stephano*, tum à *Constantino Copronymo* Imperatore ad Regem Longobardorum legationibus, tandem Pontifex, *Divinâ gratiâ inspirante, clam per quemdam peregrinum suas misit litteras Pippino Regi Francorum, nimio dolore conscriptas. Adhuc etiam non cessavit dirigens, ut suos Romam ipse Francorum Rex mitteret Missos: per quos eum ad se accersiri faceret:* (inquit *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Stephani III.*) Id libentissimè adimplevit *Pippinus*. Egressus est itaque Româ *Stephanus* decimo-quarto die mensis Octobris, Indictione septimâ, id est, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio. Papiam venit, ab *Aistulpho* nihil impetravit. *Quintadecima die, mense Novembri prædicta septima Indictionis, a civitate Papia movens, suum in Franciam profectus est iter, & cum nimia celeritate, Deo prævio ad Francorum pervenit clusas.* Hæc omnia habemus ex *Anastasio Bibliothecario*. Ex quibus perspicuum est, *Pippinum* anno per sesquiannum, & eo ampliùs regnavisse, cùm *Stephanus III.* in Franciam ejus cum Oratoribus pervenit: adeóque huic Pontifici nihil commercii fuisse cum *Pippino* Majore domus: proindeque falsò scripserunt *Eginhardus* & ejus asseclæ, *Pippinum* ex Majore-domus Francorum Regem factum auctoritate *Stephani III.* Romani Pontificis.

Zacharia auctoritate depositus non est Childericus.

Zacharia verò auctoritate nec depositum *Childericum* nec *Pippinum* Regem elevatum, probatur ex Auctoribus, qui *Zachariæ* Pontificis Maximi Vitam scripsere, apud quos altum est ea de re silentium. *Anastasius Bibliothecarius* prosaïco stylo id executus est, metrico *Hostarius*. Neuter mentionem ullam facit exauctorationis Chilperici Regis, promotionis *Pippini*, aut legationis eam ob causam ad *Zachariam* destinatæ. Incredibile porro videtur, quòd tanti rem momenti prætermisissent. Sed & in Epistolis omnibus *Zachariæ* altum est ea de re silentium. Sanè tantùm abest ut *Zacharias* in animum suum inducere potuerit à se deferri posse *Pippino* Francorum Regnum, ut contra pro Francorum Rege Carolum Martellum Pippini patrem habuerit, ut constat ex ipsius ad Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum Epistola. Et Epistola V. Caroli Martelli filios vocat *Galliarum Principes*.

Secundò judicium, quod in causa *Childerici* Regis à *Zacharia* latum perhibetur, ab ejusdem Pontificis æquitate & sanctimoniâ penitus alienum est. *Childericus* enim jure hæreditario Rex erat, à novem annis in solio erat collocatus; nihil peccaverat, quò posset è Regni possessione deturbari. Fingitur per Legatos ad *Zachariam* missos accusatus de inertia & incapacitate ad Regnum administrandum. Sed nec accusationem illam factam esse verisimile est: nec, si facta esset, ejus rationem habuisset ullam *Zacharias* sanctissimus & æquissimus Pontifex. Tunc enim quindecim duntaxat annos natus erat *Childericus*, cùm interrogatus supponitur *Zacharias*, secundùm Epocham Annalistæ Loiselliani, qui Legationis ad *Zachariam* missæ primus meminit, eámque anno Christi septingentesimo quadragesimo-nono consignavit. Secundùm Annales verò Petavianos & Fuldenses, qui *Pippinum* anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo elevatum memorant, octodecim circiter annorum fuisse *Childericum* colligitur, cùm exauctoratus est. Annum enim Regni

numerabat nonum ineuntem. Collocatus autem fuerat in solio *Theodoricus* anno Christi septingentesimo quadragesimo-tertio, anno ætatis circiter decimo. *Theodorici Quarti* Regis Francorum filium fuisse *Childericum Tertium*, constat ex vetere Genealogia Regum Francorum à *Faramundo* usque ad *Pippinum*, quam *Andreas Duchesnius* Tomo I. Collectionis Historiæ Francorum publicavit: & ex Chronico Fontanellensi, cujus Auctor sub *Ludovico Pio* floruit, cap. 8 commeodante Donationem illi Cœnobio factam tempore *Theodorici Regis Patris Hilderici domnus Regis novissimi ex genere Merovingorum*. Idem constat ex Diplomate ipsius *Childerici* Regis pro Monasterio Sitivensi, cujus fragmenta refert *Malbrancus* lib. 4. cap. 65. In eo enim *Theodoricum* parentem suum vocat. Cùm igitur obiisset *Theodoricus* anno ætatis vigesimo-tertio, Christi septingentesimo trigesimo-septimo, ex his conficitur *Childericum* vix annum decimum egisse cùm Regium nomen consecutus est, & annum circiter duodevigesimum ætatis attigisse, cùm est exauctoratus. Quâ verò specie æquitatis accusari potest ignaviæ, & propter ignaviam exauctorari Princeps illâ in ætate, quæ Regni gerendis negotiis per se vix sufficit? Florent hodie multa Regna, multique Principatus, in quibus cùm Reges, tum Principes liberam dominandi potestatem ant. annum ætatis suæ decimum-octavum non suscipiunt. An ideo socordes & solio indigni? Vetat igitur *Zachariæ* justitia & sanctitas, ut *Childericum Tertium* deposuerit, quia nihil clarum in se præter Regis vocabulum præferebat. Pontificem, quem Anastasius in ejus Vita *Virum mitissimum, suavem, omnique bonitate ornatum*, prædicat, rem tam insolentem aggressum esse, & Regem insontem exauctorasse quis sibi persuadeat?

Tertiò, commentum istud de *Childerici* Regis depositione, auctoritate vel consilio *Zachariæ* Summi Pontificis factâ, oritur putidæ fabulæ de Meroveadarum Regum ignavia & socordia, quam Auctores plerique omnes, qui consultum in causa translationis Regni Francorum à *Childerico* ad *Pippinum*; Zachariam, vel Stephanum III. commemorant, rationem fuisse tradunt Regni ad *Pippinum* sic transferendi. Hujus autem fabulæ vanitas facilè demonstratur, incipiendo à *Dagoberti* Magni filiis, ultra quos Regum ignavorum initia Scriptorum nullus extendit.

Fabula de Meroveadum Regum ignavia refellitur.

Sigibertus Tertius, spontanea *Dagaberti* Magni cessione, nondum quadrimus in Austrasia regnare cœpit. Patrem amisit ineunte anno Christi sexcentesimo trigesimo-octavo, cùm annum Principatus quintum, ætatis nonum ageret. Post biennium, ubi annum octavum dominationis, undecimum vitæ iniit, rebellem expertus est *Radulfum*, cui Præfecturam Turingiæ commiserat. In eo bello strenuè se gessit, & ultra quam undecim annorum pueritia ferebat, Rhenum cum copiis trajecit, interfuit prælio, victus nihil animi remisit, in tentoriis cum exercitu pernoctavit, ut testatur *Fredegarius* cap. 87. De eodem *Sigebertus* Gemblacensis in ejus Vita ita scribit: *Qui cum ætate ei robur & industria accrevit, non antea ab inimicorum insecutione destitit, quàm superbiam eorum domuit, & Thuringas, qui instinctu Radulfi rebelles erant, sub juga domini sui victos & confusos restrinxit.* Abhinc pacificè, tranquillèque ad obitum usque regnavit, Austrasios in officio continens, & vicinas gentes, quæ bellicosissimæ erant, ab irruptionibus in fines Francorum faciendis deterrens. Isne, quæso, ignavus & socors appellandus?

Clodoveus secundus anno ætatis quarto regnare cœpit, obiit anno Regni duodevigesimo. Vixit igitur annos duntaxat unum ac viginti, ut colligitur ex *Fredegario*, ex Anonymo qui Vitam Sanctæ *Bathildis* scripsit, & ex aliis Auctoribus coætaneis. Varia bella strenuè fœliciterque gessit. *Sanctus Aquilinus*, qui Ebroicensis postea Episcopus fuit, in castris *Clodovei* Regis triennio & mensibus sex meruit, adversùs Barbaros, qui in extremis Regni Francorum finibus cœperant efferatis animis insolescere, ut Auctor Vitæ ipsius testatur apud *Surium*, die decimanona Octobris. Acta quoque *Sancti Geremari* de *Sancto Amalberto Geremari* filio referunt, quòd rediens de Vuasconia cum Rege, gravi infirmitate percussus est. Rex in cujus comitatu *Amalbertus* è Vuasconia redibat, erat *Clodoveus Secundus*, cujus nomen in eadem *Sancti Geremari* Vita non semel occurrit. Inertiæ ac socordiæ non convenit hæc *Clodovei Secundi* in Vuasconiam profectio, id est, ad extremos usque Regni limites, ut eos ab incursione vicinarum gentium tutaretur. De *Grimoaldo* Majore-domûs, déque *Childeberto Grimoaldi* filio, quem pater in Solio Austrasiæ collocare statuerat, triumphavit, captô *Grimoaldo*, & *Childeberto* exauctoratô, Monarchiam Francorum adeptus est, obiitque post aliquot menses, annos natus unum duntaxat ac viginti. Hic itaque ex albo Regum ignavorum expungendus.

Clotarius Tertius annum Regni sui decimum-quartum, ætatis duodevicesimum attigit, *nulla re* (ut *Æmilius* loquitur) *nisi festâ pace nobilis*. An propterea socors & iners habendus, cui si aliquid præclarè gerendi occasio defuit, animus certè non defuit? Qui *Childericum Secundum* socordem atque ignavum dicunt, Auctores non legerunt coætaneos Vitæ *Sancti Leodegarii*. *Childericus* adolescens, pro suâ ætate Regnum Austrasianum adeò bene administravit, ut post *Clotarii* fratris obitum, qui Regna Neustrasiæ, Burgundiæque tenuerat, in Regem à plerisque Neustrasiorum ac Burgundionum sit expetitus adversùs *Theodoricum*, quem *Ebroinus* Major-domûs *Clotario* fratri subrogare cupiebat. Id testatur *Ursinus* in Vita *Sancti Leodegarii*. Tunc *Childericus* annos natus erat septemdecim. *Clotario* fratri superstes vixit annis quatuor, obiitque natus annos unum duntaxat ac viginti. In Gestis Regum Francorum, & in Continuatione *Fredegarii*, vituperatus invenitur, quòd levis & præceps nimis esset, quódque omnia peragetet incautè, & Gentem Francorum in seditionem mitteret. Sed hæc ad ignaviam socordiámque non accedunt, juniori que ætati sunt condonanda.

Post *Childerici Secundi* mortem, *Dagobertus Secundus*, *Sigiberti* quondam Regis filius, in Austrasiam revocatus est, & paternarum ditionum magnam partem tunc recepit, majorem postea recuperaturus: in reliqua vero Francia regnavit *Theodoricus* prædicti *Childerici* frater.

Dagobertus Secundus quinque circiter annorum puer erat, cùm orbatus est *Sigiberto* Patre. In illa ætate nec ignaviæ, nec socordiæ debet insimulari, quòd in Hiberniam ablegatus sit à *Grimoaldo* Majore-domûs, qui *Childebertum* filium suum, per insignem tyrannidem in Austrasiæ solio collocavit. Post *Childerici* mortem ex Hibernia reversus, cùm annum circiter vigesimum-quartum ageret, paterni Regni partem tantùm recepit, quàm postea dilatavit, magísque dilatasset, nisi bello extinctus fuisset adversùs *Theodoricum*, qui civitates aliquot Austrasiæ retinebat, infœliciter gesto. Cujus belli meminit Auctor coætaneus in Vita Sanctæ *Salaberga*. An quia prælio victus fuit, & in manus hostium venit *Dagobertus*, postquam in ditionum suarum administratione prudenter ac strenuè per annos septem se gessisset, idcircò socors & iners censendus est?

Theodoricus Tertius de *Dagoberto Secundo* triumphavit, quô extinctô, totâ Francorum Monarchiâ potitus est. Bellis civilibus per aliquot annos vexatus est, cùm Austrasios inter & Neustrasios pax vix coalesceret. Ad Textricium infœlici, pugnavit exitu, prælio ipse interfuit, ut veteres Anonymi testantur in Gestis Regum Francorum, & in Historia jussu

Childebrandi

Childebrandi conscriptâ. Bellicosum Regem, cui sæpe prælianti nunquam animus, fœlicitas semel defuit, iguavum & socordem immeritò quis dixerit?

Clodoveus Tertius, *Theodorici Tertii* filius natu maximus patri successit. Obiit anno Regni secundo, ætatis decimo nono. Junior ætas, & breve regnandi spatium vetant ne ignaviæ accusetur, etsi nihil clarum gesserit.

Childebertus Tertius hæreditario jure fratri successit, quem coævi Auctores *Virum inclytum* & *Regem Justum* prædicant. Hi autem tituli ab ignavia & socordia longissimè absunt.

Dagobertus Tertius Austrasios domuit adhuc adolescens, suæque victoriæ vix superstes, dum grandiora molitetur, morbo consumptus interiit, anno ætatis circiter vigesimo. Iniquè ergo ignaviæ accusatur.

Chilpericus Tertius intra quinquennium quo Regnum tenuit, bellum ter redintegravit, bis aperto campo cum hoste signa contulit, sociale fœdus iniit cum Frisiis & Saxonibus, diversas adiit Neustriæ civitates, è Neustria profectus est in Austriam & in Aquitaniam, ut res postulabant: usus est adversâ fortunâ; infœlix ideo, non iners censendus.

Huic successit *Theodoricus Quartus* nondum septennis. Hic iter in varias Regni Provincias suscepit; odium adversùs *Carolum* Majorem-domûs, qui potiorem sibi, quam par erat, arrogabat auctoritatem, prudenter dissimulavit, ne illius potentiâ & artibus opprimeretur, aut Francia belli civilis incendio conflagraret. Obiit anno ætatis vigesimo-tertio, *Carolo* superstite. Qui ejus ætatem, statúmque Regni spectaverit, ipsum non esse ignaviæ insimulandum fatebitur. Nulla itaque fides adhibenda est Auctoribus, qui Reges scenicos & umbratiles, ignavos, socordes, nihil regium præter nomen habentes, nobis exhibent.

Sed etsi *Theodoricus* Childerici Tertii Pater, ejúsque Majores inertes fuissent, an ipse propterea anno ætatis suæ decimo-quinto, vel decimo octavo ex avito Regno dejiciendus? Incredibile est itaque *Zachariam* Pontificem æquissimum & sanctissimum, *Childericum* Regem, inertiæ insimulatum, damnasse absentem, inauditum, imò nescium accusationis contra se prolatæ, & Regnum ad *Pippinum* transtulisse.

Zacharias à Sedis Apostolicæ traditione non defecit.

Quartò, verisimile non est *Zachariam* à suorum Decessorum doctrina, & Sedis Apostolicæ traditione defecisse. At ab ea defecisset, si *Childericum Tertium* exauctorasset, Regnúmque ad *Pippinum* transtulisset. Pugnasset enim cum doctrina *Gregorii Secundi* à Majoribus acceptâ, qui in Epistola I. ad *Leonem Isaurum* Imperatorem ita scripsit: *Idcircò Ecclesiis præpositi sunt Pontifices à Republica negotiis abstinentes; & Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant.* Et Epistolâ secundâ: *Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi: sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi*, &c.

Stephanus III Pippinum absolvit à perjurio in Childericum Regem admisso.

Quintò *Stephanus Tertius Pippinum* à perjurio in *Childericum* admisso absolvit, ut *Theophanes* testatur ad annum octavum *Leonis Augusti*. Quod testatur & *Anastasius* in Historia Ecclesiastica ad annum a. *Constantini* Augusti: *Solvente scilicet eum* (Pippinum) *à perjurio in Regem commisso, eodem Stephano.* Quibus & *Otho Frisingensis* ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum tertium suffragatur. Hujusmodi porro absolutio argumento est, *Childericum Tertium à Zacharia* exauctoratum non fuisse, nec Regnum Francorum Apostolicâ ejus auctoritate ad *Pippinum* translatum.

Pippinus secundum morem Francorum Rex factus.

Sextò *Pippinus secundùm morem Francorum electus est ad Regem, & elevatus à Francis in Regno suo, in Suessionis Civitate*: ut habetur in Annalibus Loiselianis. Quod & Tiliani confirmant his verbis: *Pippinus secundùm morem Francorum electus ad Regem, & elevatus à Francis in Regno, Suessionis Civitate.* Atqui mos Francorum non erat, ut Reges à Summo Pontifice postularent & acciperent; sed ut in Regni Comitiis Clypeo impositos elevarent, acclamarentque, ut constat ex *Gregorio Turonensi* lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Regni Francorum cap. 40. ubi narrans quomodo Colonienses post *Sigiberti* Regis, ejusque filii *Chloderici* mortem *Clodoveo* Magno se dediderint, ait: *Plaudentes, tam parmis, quàm vocibus, eum Clypeo evectum super se Regem constituunt.* Itaque nec à *Zacharia*, nec à *Stephano Tertio* Romanis Pontificibus Regnum Francorum à *Childerico Tertio* ad *Pippinum* translatum est. Et quanquam *Stephanus III.* Pippinum unxerit, non idcò Regem creavit: jam enim à duobus annis regnabat: & absque unctione Regia stat auctoritas.

Objectionibus Bellarmini responsum.

Objicit Cardinalis *Bellarminus* lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 17. auctoritatem *Eginhardi* in Vita *Caroli Magni* scribentis: *Pippinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Rex constitutus.*

Respondeo, *Eginhardum* absque certo ullo documento, & probati Auctoris testimonio hæc scripsisse. Quod ex ipsomet ostenditur: Ait enim se de *Caroli Magni* nativitate, infantia, pueritia scripsisse nihil, quia cùm manum calamo admovit, nemo tunc in vivis supererat, qui notitiam illorum temporum haberet. *De cujus nativitate*, inquit, *atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis unquam aliquid declaratum est, nec quisquam modo superesse invenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum judicans, ad actus & mores, cæteràsque vitæ illius partes explicandas, ac demonstrandas, omissis incognitis, transire disposui.* Multò minùs ergò scivit *Eginhardus* res ante *Caroli Magni* nativitatem gestas. Adeòque quod de *Pippino* ex Præfecto Palatii, *per auctoritatem Romani Pontificis* Rege facto scripsit, proprium est ejus commentum.

Secundò, Eginhardus *Childericum* Regem *jussu Stephani Romani Pontificis depositum ac detonsum, atque in Monasterium trusum*, scribit, quem alii, vel ex consultu, vel ex Decreto *Zachariæ* Papæ exauctoratum affirmant. Accedit quòd *Stephanus* ante mensem Aprilem anni septingentesimi quinquagesimi secundi, non est ad Pontificatum assumptus; *Pippinus* verò præcedentibus Kalendis Martii Rex elevatus fuerat Suessione in Francorum Conventu. Pugnat itaque cum ratione temporum *Eginhardi* narratio. Pugnat & ipse secum. *Pippinus autem*, inquit, *per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Rex constitutus, cum per annos quindecim, aut eò ampliùs solus imperaret Francis, apud Parisios, morbo aquæ intercutis diem obiit.* Cùm igitur *Pippinus* obierit anno Christi septingentesimo sexagesimo octavo, ut vetusti quique Scriptores testantur, *Childericus*, secundùm *Eginhardum*, exauctoratus est eo anno, quò *Stephanus Tertius* venit in Franciam, auxilium adversùs Longobardos postulaturus, id est, anno Christi septingentesimo quinquagesimo tertio. At jam tunc Rex erat *Pippinus*, cùm ab ipso auxilium contra Longobardos *Stephanus Tertius* postulavit, ad illúmque in Franciam venit, ut ex *Anastasio Bibliothecario* constat, & ex Litteris *Stephani* ad *Pippinum* datis, antequam iter in Franciam susciperet, quarum hæc est inscriptio: *Domno Excellentissimo filio Pippino Regi, Stephanus Papa.* Suam itaque narrationem ipse destruit *Eginhardus*.

Tertiò *Eginhardus* fabulam de Regum Merovin-

gorum inertia & socordia superiùs confutatum occidit: *Gens*, inquit, *Merovingorum, de quâ Franci Reges sibi creare soliti erant, usque in Childericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus, atque in Monasterium trusus est, durasse putatur: quæ licèt in illo finita possit videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes, & potentia Regni penès Palatii Præfectos, qui Majores-domûs dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, tenebantur, neque Regi aliud relinquebatur, quàm ut Regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barbâ submissâ, solio resi-* B *deret, ac speciem dominantis effingeret; Legatos undecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat edoctus, vel etiam jussus, ex sua velut potestate redderet, cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quàm unam perparvi redditûs villam, in quâ domum, ex quâ famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod bobus junctis, & bubulco, rusticô more, agente trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum populi sui Conventum qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire, sic* C *domum redire solebat. At Regni administrationem, & omnia quæ vel domi, vel foris agenda ac disponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat. Quo Officio tum, cùm Childericus deponebatur, Pippinus pater Caroli Regis jam velut hæreditario jure fungebatur*, &c. Hæc fabula de Merovingorum Regum inertia & socordia ab *Eginhardo* conficta est, ut Regibus Karloviogis adularetur. Cæterùm multis omninibus hoc commentum exsufflandum est. Nam, præter ea quæ superiùs diximus, promissa barba nec *Clodoveo Tertio* convenit, qui discessit è vivis anno ætatis decimonono, nec *Dagoberto Tertio*, qui vixit annos circiter viginti duntaxat; nec *Theodorico Quarto*, qui D obiit anno ætatis vigesimo-tertio, nec ejus filio *Childerico Tertio*, qui annum circiter duodevigesimum agebat, cùm exauctoratus est. Regia verò illorum Regum erga Ecclesias & Monasteria plerâque munificentia demonstrat ipsos ad eas angustias redactos non fuisse, ut nihil proprii præter unam, eamque modici redditûs Villam possiderent, & precarium vitæ stipendium haberent, quod eis Aulæ Præfectus exhiberet, sicut *Eginhardus* scribit. *Theodoricus Tertius* Cœnobia in Diœcesi Rothomagensi, & intra muros Tarvanenses erexit: alia locupletavit, Orbacense, Vedastinum, & Broilense, in E Episcopatibus Suessionico, Attrebatensi, & Tarvanensi. Marcolum Ecclesiæ Attrebatensi: Basilicæ *Sancti Martini* res proprietatis suæ ex Alamannia, & ex pago Brisigangensi contradidit. Condatescense Monasterium in hodierno Burgundiæ Comitatu, & Cœnobium Metense SS. Apostolorum, *Clodovei Tertii* munificentiam latè prædicant. *Childebertus Tertius* Castrum de Bubulis Cœnobio *Sancti Luciani* prope Bellovacum; Fontanellensi, Villam Adpiecum, & Bannagam Insulam; Sandionysiano, Solemium Villam in hodierna Hannonia largitus est. Patris ac patrui ductus exemplo *Dagobertus Tertius*, F Cœnobio Fontanellensi quartam partem Arlaunensis Sylvæ, multa bona Metensi Basilicæ Sanctorum Apostolorum tribuit. Metense illud Monasterium Villa Matte, variis possessionibus alia non pauca, Corbeiense, Glannafoliense, Fontanellense, ac Sandionysianum auxit, & *Sancti Luciani* Basilicam ad Belluvacum augustiorem reddidit *Chilpericus Tertius*. Harum certè Donationum Auctores ad eas rerum angustias redacti non videntur, ut nihil proprii præter Villam unam, & exigui quidem redditûs possiderent. Denique si locorum nomina consulantur,

A ubi talium Donationum Regiarùmque Præceptionum Chartæ pro diversis Ecclesiis datæ sunt, corruit etiam fabula ab *Eginhardo* vulgata, de otiosa *Regum* per totos annos in Villa quadam desidia. *Theodoricus Tertius* anni Regni sui decimo, duodecimo, & decimo tertio, apud Compendium Chartas emisit pro Monasterio Sitivensi, pro *Aigilberto* Cœnomanensium Episcopo, & pro Monialibus Cœnomanensibus: anno decimo quarto Testamentum *Amalfridi* confirmavit apud Carisiacum, in procinctu pugnæ Textricianæ, cui præsens interfuit. *Claudius* Condatescensis Abbas de rebus sui Monasterii Pari- B siis apud *Clodoveum* Regem ibi commorantem egit. *Childebertus* Corsinticæ Regium dedit Diploma, quo Solemium Villam in hodierna Hannonia sitam Monasterio Sandionysiano agri Parisiensis tradidit. *Chilpericus* anno suæ Dominationis Primo, Compendii Præcepta dedit pro Cœnobiis Sandionysiano & Corbeiensi; anno secundo item Compendii pro Sandionysiano, Parisiis pro Glannafoliensi; rursum Compendii pro Metensi: anno quarto Valentianis, pro Civitate Cœnomanensi. *Theodoricus Quartus* anno sui Principatûs primô, duo rescripsit Diplomata pro Monachis Sitivensibus, unum Suessione, alterum Confluentibus; item tertium Metis: anno C quinto, pro Cella Leobardina; necnon quartum longè seriùs apud Gundulfi Villam, pro Cœnobio Murbachiensi. At totam vitam in Villa duxerunt otiosi, qui Parisiis, Compendii, Suessione, Carisiaci, Corsinticæ, Valentianis, Confluentibus, Metis degisse comprobantur? Has observationes debemus Doctissimus *P. le Comte* in Præfatione Tomi IV, Annalium.

Objicit *Bellarminus* antiquissimos Francorum Annales, quo nomine Laureshamenses *Eginhardo* ab *Andrea Duchesnio* adscriptos intelligit. *Baronius* verò profert Annales Pithœanos sive Fuldenses. Addere potuerunt & Loisilianos, Tilianos, Ber- D tinianos, & Metenses.

Respondeo, Hos Annalistas fabulam de *Childerici Tertii* exauctoratione consiliô vel decretô Romani Pontificis, ab *Eginhardo* accepisse, & novis commentis auxisse. Ita scribit Laureshamensis: *Anno DCCXLIX. Burchardus Vuirtziburgensis Episcopus & Folradus Presbyter Capellanus, missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Pontificem de causa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt. Per quos prædictus Pontifex mandavit melius esse illum Regem, apud quem summa potestatis* E *consisteret, datâque auctoritate suâ, jussit Pippinum Regem constitui. DCCL. Hoc anno, secundùm Romani Pontificis sanctionem, Pippinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacrâ unctione, more sanctæ memoriæ Bonifacii, Archiepiscopi & Martyris, & more Francorum elevatus in solium Regni, in Civitate Suessiona. Hildericus vero, qui falsò Regis nomine fungebatur, tonsò capite, in Monasterium missus est.*

Annales verò Fuldenses sic habent: *Pippinus missâ Romam Legatione, Zachariam Papam interrogat de Regibus Francorum ex antiqua Merovingorum stirpe descendentium, qui Reges quidem dicebantur, sed po-* F *testas Regni tota apud Majorem-domûs habebatur, exceptò quòd Chartæ & Privilegia Regis nomine scribebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plaustro, bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno à populis visus, publica dona solemniter sibi oblata accipiebat, stante coram Majore-domûs, & quæ deinceps eò annò agenda essent, populis annuntiante; sicque Rege domum redeunte, cætera Regni negotia Major-domûs administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorum justè Rex debeat dici, & esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui cu-*

ram

rum totius Regni, & omnium negotiorum molestias sufferret. DCCLII Zacharias Papa, ex auctoritate Sancti Petri Apostoli, mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate Regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperavit, depositus, & in Monasterium missus est: Pippinus verò in Civitate Suessionum à Sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, Regni honore sublimatus est.

Annales Loiseliani sic habent ad annum Christi septingentesimum quadragesimum nonum: *Burchardus Vuirsaburgensis Episcopus, & Folradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam, interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si benè fuisset, an non. Et Zacharias Papa mandavit Pippino, ut melius esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum qui sine Regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo Apostolicam jussit Pippinum Regem fieri.* Et ad annum septingentesimum quinquagesimum: *Pippinus, secundùm morem Francorum, electus est ad Regem, & unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi, & elevatus à Francis in Regno suo, in Suessionis Civitate.*

Annalistæ *Laureshamensis* & Loiselianus, Legatos ad *Zachariam* missos affirmarunt anno 749. ipsum verò respondisse anno 750. & jussisse ut *Pippinus* Rex fieret. Quâ in re à recta Chronologia aberrant; cùm *Pippinus* anno tantum 752. regnare cœperit. Secundò Legatos missos scripsit Annalista Loiselianus, ut *Zachariam* interrogarent *de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si bene fuisset, an non.* Ad illam interrogationem *Zacharias* nihil omnino respondere debuit, nisi quòd *non bene fuisset*, quoniam æquitati repugnabat, penes eos qui Reges essent, Regalem non esse potestatem. At contra fingit prudentissimum & sanctissimum Pontificem *Mandasse Pippino ut melius esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum qui sine Regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo.* Ideòque *jussisse per auctoritatem Apostolicam, Pippinum Regem fieri.* Hæc responsio cum interrogatione non convenit. Metas respondentis excessisset *Zacharias*, si *Pippinum* Regem fieri jussisset. Id jussisse ne conturbaretur ordo, perperam asseritur, quô maximè fuisset ordo turbatus. Quæ enim major ordinis eversio est, quàm translatio Regni ab una stirpe, quæ legitimo hæreditarióque jure à multis retro sæculis regnat, ad aliam cui nullum jus in illud competit? Eadem politiori Latinitate scripsit Annalista Laureshamensis, scilicet *Zachariam* per Legatos consultum de causa Regum, *qui nomen tantum Regis, sed nullam potestatem Regiam haberent*; respondisse; *Melius esse illum Regem, apud quem summa potestatis consisteret, dataque auctoritate suâ jussisse Pippinum Regem constitui.* At incredibile est ita consultum æquissimum Pontificem, non fuisse responsurum in gratiam Regiæ stirpis, eosque damnaturum, qui contra jus fasque Regiam sibi potestatem arrogarent, suis Magistratibus abusi. Tertiò Annales Loiseliani & Laureshamenses tradunt *Pippinum* unctum fuisse à *Bonifacio* Archiepiscopo, cùm in solium elevatus est Suessione, more Francorum. At nec unctus est *Pippinus*, cùm Rex appellari cœpit, nec à *Bonifacio* Archiepiscopo unctus est; à quo si unctus esset illius unctionis meminissent *Vvilibaldus* & *Othlonus* in Vita *Sancti Bonifacii*. Sed unctus est à *Stephano Tertio*, cùm jam annum secundum Regni numeraret: nec Suessione unctus est, sed in Monasterio Sandionysiano agri Parisiensis, cùm jam *Childericus* obiisset absque prole, & stirps Merovæadarum Regum esset extincta, ut *Anastasius* in Vita Stephani Tertii, *Hilduinus* in Areopagiticis, Chronica San-Benignianum, & Besuense, ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum secundum memorant. Quartò Annalista Fuldensis novum commentum addit ad *Eginhardi* fabulam, scilicet Regem Francorum semel quotannis in publicum prodire solitum. Quintò Annalista Metensis Villam, in quâ Rex per annum reliquum delitescebat, vocat *Mamaccas*, locum de quo nihil proditur. Sextò Annalistæ Tilianus & Bertinianus ex Loiseliano descripserunt fabulam de translatione Regni à *Childerico* ad *Pippinum*, *Zachariæ* Pontificis mandato. Quo etiam ex fonte hausit Monachus Engolismensis in Vita *Caroli Magni*.

Aimoini Continuator, quem laudat *Bellarminus* in Tractatu de potestate Papæ adversùs *Barclaium* cap. 42. Laureshamensium Annalium verba descripsit. *Regino* in Chronico, & *Ado Viennensis* Loiselianorum Annalium sensum phrasi paulò elegantiori reddidere. *Marianus Scotus*, quem pariter *Bellarminus* laudat, Annalistam Fuldensem transcripsit, & undecimo sæculo vixit, à *Pippini* temporibus remotior. Quamobrem hi Auctores aliâ non egent refutatione, quàm Annales memorati, & *Eginhardus*. Ex *Eginhardo* transcripsit *Hermannus Contractus*, quod habet ad annum 752. *Pippinus auctoritate Stephani Papæ, deposito ac detonso Hilderico, Rex Francorum factus, regnavit annis quindecim.* Et undecimo sæculo floruit *Hermannus*, quatuor pene post *Pippinum* sæculis. *Lambertus* Scafnaburgensis, qui à *Bellarmino* contra *Barclaium* citatur, compendio refert quæ in Annalibus Laureshamensibus habentur: & vixit undecimo sæculo.

Objicies *Theophanis*, & *Cedreni*, quos laudavit *Bellarminus* testimonium. Sic Theophanes ad octavum *Leonis Isauri* annum: *Pippinus primus extitit, qui Regio non oriundus sanguine, imperium in gentem illam obtinuit, cùm interim ipse Stephanus eum a perjurio in Regem admisso absolvisset, Regemque ipsum Pippini Decessorem, detonsis ejus capillis, in Monasterium omni honore & quiete cumulatum relegasset.* Quæ eadem habet *Anastasius*, in Historia Ecclesiastica ad annum secundum *Constantini Copronymi*.

Respondeo, *Theophanem* cum aliis Scriptoribus pugnare, qui Regnum auctoritate *Zachariæ* ad *Pippinum* translatum affirmarunt: pugnare eò magis quòd *Stephanum* absolvisse ait *Pippinum* à perjurio in Regem, *Childericum* nempe *Tertium* commisso; quod si verum sit, Regnum antè usurpaverat *Pippinus*, & fidem *Childerico* juratam fefellerat, quàm *Stephanus Tertius* ipsum conveniret: ac proinde *Zacharias* ipsum Regem fieri non jusserat, ut alii scripsere.

Secundò, *Stephanus* eodem prorsus anno quô *Pippinus* regnare cœpit, Pontificatum iniit, id est anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo, nec ante annum sequentem, qui *Pippini* secundus numeratur, in Franciam venit. Illud igitur iter non anno *Leonis* octavo, ut *Theophanes* scribit, nec anno *Constantini* secundo, ut *Anastasius* affirmat, sed anno *Constantini* duodecimo confecit, *Childerico* jam exauctorato, & *Pippino* jam Rege.

Tertiò, *Theophanes* & *Anastasius Carolum* Majorem-domûs, qui Saracenos sæpe profligavit, confundunt cum *Pippino* ejus filio, qui, priusquam Rex fieret, nullum cum Saracenis bellum gessit.

Quartò, fabulam ineptissimam de Regum Merovingorum inertia, & de setoso eorum tergo narrat Theophanes; *Ea consuetudo*, inquit, *apud eos*, id est apud Francos, *obtinebat, ut eorum Dominus, Rex videlicet, hæreditatis jure Principatum assequeretur, nec quid ageret aut moliretur, quàm præter modum & decenter cibo potuique indulgeret, & domi clausus moraretur: Die autem primâ mensis Maii ad totius gentis prospectum sederet in throno, & salutationes ab ipsis acciperet.*

ciperet vicissim & redderet, & pro usitato more mune a conferret, & alia in vicem oblata referret: quibus demum peractis, usque ad insequentem Majum domi inclusus se continebat. Præfatum verò Majoremdomûs habet Rex, qui arbitratu suo, & totius gentis, cuncta administret. Qui autem eâ stirpe oriebantur, cristati, quos Trichorachatas Græci vertunt, audiebant, quod pili ex dorsi medio velut porco ipsis enascerentur. Cætera tam fabulosa, quàm hæc de setoso tergo fabula. Quæ cum Latinè reddiderit *Anastasius* in Historia, majorem fidem hac in parte non meretur. Absurdissimam hanc fabulam ex *Theophane* exscripsit *Cedrenus*, qui sæculo undecimo floruit: sed nullam de Regni translatione mentionem facit.

. Quintò, *Theophanes*, *Anastasius*, & *Cedrenus*, Conventum Francorum celebrari solitum scribunt Kalendis Maii, quod Historiis illorum temporum repugnat. Agebatur namque hujusmodi Conventus Kalendis Martii, nec aliam ob causam *Campus Martius* appellatus est: seriùs verò sub *Pippino* Rege cœptus est haberi Kalendis Maii, mutatòque nomine dictus est *Maii Campus*, sive *Campomadius*, vel *Campomaius*, ut constat ex Annalibus Petavianis, ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum, & ex vetusto Auctore qui Vitam *Pippini* Regis scripsit jussu *Nibelungi* Comitis, & ex Annalibus Metensibus ad annum Christi sexcentesimum nonagesimum secundum, & ad annum septingentesimum quinquagesimum-quartum. Quæ apud *Theophanem* & *Anastasium* leguntur, descripsit Auctor libri vigesimi-secundi Historiarum, quæ *Paulo Diacono* tribuuntur, Num. 19.

Objicit Bellarminus *Pauli Diaconi* testimonium lib. de Gestis Longobardorum, cap. 5.

Respondeo, Hunc Auctorem *Bellarmino* non favere, quia etsi Francorum Reges à suis Majoribus degenerasse scribat, tempore *Arnulfi* Metensis Episcopi, quem inter Majores-Domus Regiæ perperam numeravit, de exauctoratione tamen *Childerici*, & de translatione Regni ad *Pippinum* auctoritate Romani Pontificis ne verbum quidem habet. *Hoc tempore*, inquit, *apud Gallias Francorum Regibus à solitâ fortitudine & scientiâ degenerantibus, ii, qui Majores-domûs Regalis esse videbantur, administrare Regis potentiam, & quicquid Regibus agere mos est, cœperunt. Quippe cùm cælitus esset dispositum ad horum progeniem Francorum transferri Regnum. Fuitque eò tempore Major domûs in Regio Palatio Arnulfus, qui postmodum claruit vir Deo amabilis, & mira sanctitate.*

Objicit Bellarminus *Ottonem Frisingensem* in Chronico, ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum secundum, dicentem: *Reversis a Roma nuntiis, auctoritate Zachariæ Papa, Pippinus a Beato Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque Regni Principibus, in Suessiona civitate ad Regnum eligitur.*

Respondeo, Hunc Auctorem, qui sæculo duodecimo floruit, fabulam de *Childerici* exauctoratione & translatione Regni ad *Pippinum*, ex *Eginhardo*, & ex Annalibus Loiselianis & Laureshamensibus acceptam & malè consutam descripsisse: & in hoc cum cæteris Auctoribus pugnare, quòd dicat *Pippinum* anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo Suessione Regem electum, *Childericum* autem elapsô post biennio detonsum fuisse: cùm eodem anno quo *Pippinus* Regnum obtinuit, *Childericum* exauctoratum, & in Monasterium detrusum alii tradiderint, qui post *Eginhardum* hanc fabulam vulgavere. Pugnat & secum ipso *Otto Frisingensis*, cùm scribit, *Pippinum* à *Stephano Papa* primò à fidelitatis sacramento, quod *Childerico* promiserat, cum aliis Regni Francorum Primoribus absolutum, detonsô *Childerico* ac in Monasterium detrusô, postmodùm in Regem unctum. Si enim à fidelitatis

A sacramento, quô *Childerico* Regi tenebatur, *Pippinum* absolvit *Stephanus Tertius*, argumento est *Zachariam* ejus Decessorem non exauctorasse *Childericum*, nec Regnum ad *Pippinum* transtulisse.

Idem Respondeo ad testimonium *Abbatis Uspergensis* à *Bellarmino* laudati contra *Barclaium*, cujus hæc sunt verba: *Anno Domini DCCLII. Pippinus per auctoritatem Zachariæ Papæ, more Francorum electus ad Regnum, per manus Sancti Bonifacii Archiepiscopi Moguntiacensis elevatus est in Regni solium, in Suessionum civitate.... Anno Domini* DCCLIV... *Sic ergo Pippinus ex Præfecto Palatii auctoritate Apo-*
B *stolica sublimatus, & unctus in Sedem Regni, postea regnavit annis quindecim, absolutus per eumdem Papam Stephanum à juramento quod Regi Hilderico cum cæteris Primoribus fecerat. Hildericus verò qui falsò Regis nomine fungebatur, tonsô capite in Monasterium missus est.* Totam Abbatis Uspergensis narrationem, quam ex *Eginhardo* in Vita *Caroli Magni*, ex Annalibus Laoreshamensibus, ex *Theophane*, & *Anastasio* desumpsit, describere necesse non est. Obiit autem *Uspergensis Abbas* anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo, quinque post Pippinum sæculis.

C Objicit *Bellarminus* contra *Barclaium*, Chronicon *Sigeberti*, in quo hæc leguntur ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum: *Hildericus Rex Francorum in Monachum tonsuratur, Pippinus verò Princeps auctoritate Apostolicâ, & Francorum electione, à Sancto Bonifacio in Regem consecratur.*

Respondeo, *Sigebertum*, qui ad annum usque Christi millesimum centesimum decimum-tertium vixit, hæc ex Annalibus Laureshamensibus & Fuldensibus accepisse, & contra Chronologiam peccare, cùm anno Christi septingentesimo quinquagesimo regnare non cœperit *Pippinus*, sed anno tantùm
D septingentesimo quinquagesimo secundo.

Objicit Bellarminus *Blondum* lib. X. Decadis primæ scribentem: *Invenio apud Alcuinum, Pantûmque, & plerósque alios, qui Francorum gesta scripsere, Proceres, populósque ejus gentis Pippini virtutem & econtra Childerici Regis amentiam debitis pensantes meritis, Zachariam Pontificem Romanum consuluisse, ineptumne Regem ultra tolerandum, an Pippinum merita fraudandum Regiâ dignitate censeret. Cùmque respondisset Pontifex, eum qui Regia melius obire munera nosset, habendum Regem, Francos publico totius Gentis consilio Pippinum declarasse Regem,*
E *Childerico in Clericum tonsurato.*

Respondeo, *Blondum* à *Pippini* Regis ætate procul abfuisse; vixit enim Sæculo decimo-quinto; *Alcuinum* falsò laudare, qui de *Childerici* Regis exauctoratione nihil habet: fictitii *Pauli Diaconi* testimonio lib. 22. Historiarum niti, cujus narrationem ex *Theophane* & *Anastasio* derivatam, ac proinde æquè fabulosam monuimus. Cæterùm *Æneas Sylvius* in Epitome lib. x. Decadis 1. satis significat cujus sit auctoritatis istud *Blondi* testimonium: *Sunt*, inquit, *qui dicunt, Francorum Proceres Zachariam Papam consuluisse, ineptúmne Regem tolerarent, an*
F *Pippinum dignitate Regia dignum assumerent: Cúmque respondisset Pontifex, eum, qui Regia meliùs obiret munera, præferendum, Francos publicè totius gentis consiliò Pippinum Regem declarasse, Childerico in Clericum tonsurato.*

Objicit *Bellarminus* contra Barclaium, *Pauli Æmilii* testimonium lib. 2. Historiæ, scribentis: *Zacharias Francos sacramento Regi Childerico dicto solvit.*

Respondeo, *Paulum Æmilium* Veronensem scripsisse Francorum Historiam regnante *Francisco Primo*, adeóque testem esse minùs idoneum eorum quæ *Pippini* temporibus gesta sunt. Tam fabulosa esse quæ de *Childerici* Regis exauctoratione auctoritate

Zachariæ

Zachariæ Pontificia, quàm quæ de Caroli Majoris-domûs damnatione commemorat Orationem à *Burchardo* Virtziburgensium Episcopo ac *Pippini* Oratore coram *Zacharia* Papa Romæ habitam finxisse ac stylo suo composuisse (quod Historicis solenne est) in quâ multa falsitatis arguuntur : (ut videre est in Annalibus Ecclesiasticis Francorum doctissimi *P. le Cointe*, ad annum Christi 752. n. 28) Inanium rationum absurdissimâ conglobatione narrationem suam claudere, scilicet *Zacharia* visum exauctorandum Regem *Childericum*, quia sola supererat Clodovei Magni soboles, quia fine liberis erat, quia carebat ingenio, quia nullum ex amisso regno dolorem capturus erat, quia deerant agnati, qui vicem ejus & calamitatem quererentur. Imò quia solus è stirpe Clodovei Magni supererat, magis ipsum Franci venerari, magis diligere Summus Pontifex debuisset. Vix ingressus erat adolescentiam, nondum uxorem duxerat, è futuro conjugio sperari poterant filii ac nepotes, qui Regno post eum potirentur : non carebat ingenio, sed usu, quia junior ; & licet ingenio caruisset, non propterea fuisset exauctorandus.

Major non est *Alberti Krantzii*, quem etiam *Bellarminus* contra *Barclaium* laudat, auctoritas. Scripsit ille in sua Metropoli, lib. 5. cap. decimo-quarto : *Meritò Summus Pontifex & Gallorum Rex mutuis se attollunt favoribus, quando ab initio hæc Sedes domui Caroli hoc præstitit, ut Regiam haberet dignitatem.* Scribebat enim *Krantzius* Sæculo decimo-sexto, & *Eginhardum*, aliósque supra confutatos Auctores secutus est.

Objicit *Nicolaus Serarius* lib. 3. Rerum Moguntiacarum, testimonium *Egiluvardi* in Vita *Sancti Burchardi*.

Respondeo, *Egiluvardum* easdem fabulas narrare, & iisdem penè verbis, ac *Eginhardum*; scribere prætereà, *Zachariam* datâ auctoritate suâ *Pippinum* Regem constitui jussisse & *Stephanum Tertium* ipsum à juramento, quod *Childerico* Regi cum cæteris Primatibus fecerat, absolvisse ; *Childericum* tonso capite in Monasterium detrusisse. Quæ sanè inter se pugnant, & rationi temporum non conveniunt.

Objicies testimonium Auctoris Anonymi, qui Appendicem Historiæ jussu *Childebrandi* conscriptæ subjecit ; dicentem : *Quievit terra à præliis, annis duobus. Quò tempore, unà cum consilio & consensu omnium Francorum missâ Relatione à Sede Apostolica auctoritate perceptâ, præcelsus Pippinus electione totius Franciæ in Sedem Regni cum consecratione Episcoporum & subjectione Principum ; unà cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur in Regno.*

Respondet *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum 752. Num. 62. hujus Auctoris textum esse interpolatum, sic autem restituendum videri : *Quievit terra à præliis, annis duobus. Quo tempore præcelsus Pippinus electione totius Franciæ in Sedem Regni, cum consecratione Episcoporum & subjectione Principum, unà cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur.* E textu expungendas esse has voces, *unà cum consilio & consensu omnium Francorum*, quia non differunt à sequentibus, *electione totius Franciæ*. Expungendas & istas; *Missâ Relatione à Sede Apostolica auctoritate perceptâ* : Quæ boni sensus expertem phrasim componunt. Quòd si Relationis nomine Legatio intelligatur missa ad Romanum Pontificem, & ab Apostolica Sede percepta auctoritas, ut *Pippini* Regis electio fieret; hanc Legationem fictitiam comprobari silentio *Anastasii* & *Flodoardi*, qui nullam illius mentionem faciunt in Vita *Zachariæ* Papæ. Denique delendas conjicit hac voces : *Cum consecratione Episcoporum, & subjectione Principum.* Quia nec ab Episcopo Moguntino *Bonifacio*, vel alio quovis Antistite unctus est seu consecratus : nec Magnates seu Proceres Regni per nomen Principum ab illo Auctore designati solent, qui solos Majores Regiæ domus *Principes* appellat. Itaque hæc Appendix à *Nibelungo* Comite, vel illius mandato conscripta, videtur ab aliquo recentiore interpolata ; nisi *Nibelungi* nomen falsò præfixum habeat in Codice MS. *D. Petavii*, in quo hanc Epigraphem legi testatur Andreas Duchesnius : *Usque nunc Inluster vir Childebrandus Comes avunculus prædicti Regis Pippini scribi procuravit. Abhinc ab Inlustro viro Nibelungo filio ipsius Childebrandi, itémque Comite succedat auctoritas.*

Objicies testimonium alterius Anonymi, qui Catalogum Majorum-domûs edidit. *Pippinus Dux*, inquit, *Legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum, si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius essent potestatis, solo Regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere Regem vocari, qui Rempublicam regeret. Detonso igitur Hilderico, & in Monasterio detruso, mox Franci Pippinum sibi Regem constituunt.*

Respondeo, Hunc Auctorem Annalista Loiseliano, & *Eginhardo* recentiorem esse ; & ex *Adone Viennensi* videri multa hoc loco mutuatum : Viros eruditos existimare ipsum undecimo Sæculo scripsisse. Utut est, non vixisse regnante *Pippino*, de quo non loquitur ut de Rege tum superstite. *Carolus*, inquit, *genuit Pippinum postea Regem effectum.* At si scripsisset, regnante *Pippino*, id notasset procul dubio cùm de Pippino ageret.

Objicies testimonium alterius Anonymi, in Opere Historico quod à *Dagoberto I.* usque ad *Pippinum* Regem scripsit, qui hæc habet : *Pippinus missis Romam Legatis, Zachariam Papam de Regno Francorum, & ignavis ejus Regibus consuluit. Cujus auctoritate, & non multò post, jussu Stephani Pontificis Romani, Hilderico, qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, deposito, atque in Monasterium detruso, Pippinus Major-domûs Rex Francorum electus, & Suessionis à Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo unctus est anno Domini* DCCLII.

Respondeo, Opus illud, cujus Fragmentum à *Dagoberto I.* usque ad *Pippinum* Andreas Duchesnius Tomo I. suæ Collectionis descripsit, non in *Pippino* Rege, sed in electione *Rudolphi* Regis Romanorum desinere, ut constat ex editione *Urstitii*, & ex titulo quem hujusmodi Fragmento præfixit *Duchesnius*, cujus hæc sunt verba : *Fragmentum Historicum Auctoris Incerti, à Dagoberto I. usque ad Pippinum Regem, ex alio prolixiore Fragmento, quod Alberti Argentinensis Chronico præfixum est in editione Christiani Urstisii.* Chronicon autem *Alberti Argentinensis*, ab electione *Rudolfi* Cæsaris, ad annum usque Christi millesimum trecentesimum decimum-quartum perducitur. Itaque longè post *Pippini* Regis mortem scripsit Historici hujus Operis Auctor, & ex Loiselianis Annalibus, ac *Eginhardo* fabulam hauriens, pugnantia in suâ narratione involvit, scilicet, *Zachariæ* auctoritate, & *Stephani Tertii* jussu, *Childericum* depositum, & *Pippinum* Regem electum, atque Suessione à *Bonifacio* Moguntino Archiepiscopo unctum.

Objicies testimonium *Joannis Aventini* in Annalibus Bojorum, lib. 3. laudantis Litteras *Zachariæ* Romani Pontificis datas pridie Novembris, imperante Domino Piissimo Augusto *Constantino* Imperatore, Imperii ejus anno XXXIII. Indictione quinta, quibus *Sancto Bonifacio* partes suas in hoc transferendi Regni Francorum negotio commisit. Quâ de causâ Concilium Suessione celebratum est, in quo Regium nomen communi omnium suffragio abrogatum est *Childerico*, & *Pippinus* Rex salutatus, & à *Bonifacio Moguntino* Archiepiscopo inunctus.

Respondeo;

Respondeo, *Joannem Aventinum* fabulam veterem multis commentis auxisse: laudasse fictitias *Zachariæ* Papæ litteras; Synodum eâ in causa Suessione habitam commentum fuisse: Suessionem in confinio Germaniæ & Galliarum perperam ponere; quod Moguntiæ convenit, quæ Rheno Gallias à Germania disterminanti adjacet: A commentitia *Pippini* à Bonifacio *Moguntino* Archiepiscopo unctione imperitè arcessere Moguntini Archiepiscopi in electione Imperatoris primum locum; siquidem longè post hæc tempora Imperatores eligi cœpere, & Collegium Electorale institutum est. Tandem Responsum quod à *Zacharia* Papa datum fingit *Aventinus*, in Regiam dignitatem contumeliosum est, & à *Zacharia* prudentia prorsus alienum. Sic namque respondentem Papam inducit: *In Divinarum Litterarum sacra Historia populum à Rege ignavo & socordi, luxuriaque, spretò prudentum consilio, intentò, indulgento summi ac æterni illâ Majestate defecisse, virûmque prudentem à suo corpore creasse Regem invenio, &c.. . Princeps populo, cujus beneficio possidet, obnoxius est. Quæcumque enim habet, potentiam, gloriam, divitias, honorem, dignitatem, à populo accipit; plebi acceptum referat necesse est. Regem plebs constituit, eumdem & destituere potest. Proinde fas est, & licet ipsis Francis, Germanisque, repudiato degenere monstro, eligere eum, qui belli, domi, sapientia conjuges, liberos, parentes omnium denique vitam & fortunas tueri & defendere queat, & valeat* Quâ doctrinâ quid Principum injuriosius Majestati dici potest?

Objicies testimonium *Guillelmi Nangii* in Chronico. Item testimonium *Joannis Trithemii* in lib. de origine Francorum.

Respondeo, *Guillelmum Nangium*, & *Trithemium*, fabulam de Legatione ad *Zachariam* missa & Responso *Zachariæ* in causa Regis *Childerici*, & unctione *Pippini* à *Bonifacio* Moguntiæ Episcopo, ex antiquioribus Annalibus hausisse, quorum hac in narratione falsitatem convicimus: neuter tamen asserit *Pippinum* auctoritate *Zachariæ* factum Regem, sed unctum, cùm jam à Francis constitutus esset. *Quo audito*, inquit *Nangius*, id est, Responso *Zachariæ*, qui scripserat, melius esse vocari illum Regem qui bene Rempublicam gubernabat, *Franci Pippinum Regem constituerunt, & Childericum qui tunc regnabat, factum Monachum in Monasterium detruserunt. Qui Pippinus jussu & auctoritate Zachariæ Papæ, Suessionis civitate, è Bonifacio Moguntin Episcopo in Regem Francorum inungitur.* Unctio *Pippini* Regis, quam auctoritate *Zachariæ* Papæ factam scribit Nangius, *Pippinum* jam constitutum à Francis Regem supponit, ipso teste, non constituit. *Trithemius* etiam *Pippini* Regis creationem secernit ab illius unctione & creationem quidem à Francis factam scribit *Zachariæ* consilio; unctionem verò quâ novus Rex augustior & populis venerabilior redderetur, ejusdem *Zachariæ* jussu. *Scripsit ergo*, inquit, *Episcopus, & Proceribus Francorum consuluit, ut Childerico abrogatò, atque in Monasterium detrusò, Pippinum facerent Regem. & Sancto etiam Bonifacio Archiepiscopo Moguntino per Apostolica scripta mandavit, quatenùs eumdem Pippinum in Regem ungeret Francorum, in Civitate Suessionum unctus & coronatus est per manus Sancti Bonifacii Archiepiscopi Moguntiacensis, anno Dominicæ Incarnationis DCCLII.*

Robertum Gaguinum lib. 3. Historiæ Francorum, *Carolum Sigonium* lib. 3 Historiæ de Regno Italiæ, & Historicos omnes recentiores prætereo, qui in fide *Eginhardi*, & veterum Annalistarum, & Chronologorum, indiscussam fabulam litteris mandarunt. Numerus enim Scriptorum nullius est ponderis ad auctoritatem faciendam, cùm certissimis documentis falsi convincuntur, & fons indigitatur ex quo figmenta hauserunt. Sic Veterum Pontificum Decretales ad *Siricium* usque Epistolas pseudepigraphas esse viri omnes eruditi jam consentiunt, quamvis illas Auctores plurimi ceu genuinas laudaverint. Sic Donationem *Constantini* Romanæ Ecclesiæ factam nemo jam non rejicit, quamvis plurimorum Scriptorum suffragio commendetur. Sic Romana sub Sancto Silvestro Concilia, Thurificationem *Marcellini* Papæ, & Sinuessanam in ejus causa Synodum, omnes jam explodunt, quamvis plurimos olim Assertores habuerint. Veritatis ea conditio est ut ipsi nemo præscribere possit, non spatia temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum, (inquit *Tertullianus* lib. de velandis Virginibus, cap. 1.)

Objicies testimonium *Gregorii Septimi* Pontificis Maximi in Epistola ad Herimannum Metensem Episcopum, quæ est secunda libri quarti, in quâ hæc habet: *Consistetent cur Zacharias Papa Regem Francorum deposuerit, & omnes Francigenas à vinculo juramenti, quod sibi fecerant, absolverit* Et Epistola 21. libri 8. ad eumdem datâ: *Alius item Romanus Pontifex, Zacharias videlicet, Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quàm eò quòd tante potestati non erat utilis, à Regno deposuit & Pippinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnésque Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit.*

Respondeo, non omnia facta Historica, quæ à Pontificibus in eorum Epistolis commemorantur, propterea vera esse; privatas Epistolas ab iis ut plurimum non componi; sed ab iis quibus id muneris commisere: si quid proinde in documentis sive probationibus, quas adhibent, infirmum sit, aut falsum, illud tribuendum iis qui hæc documenta subministrarunt, vel Litteras Pontificias composuere. Quod inpræsentiarum dicendum est. Vulgatam de *Childerici* depositione, auctoritate *Zachariæ* Pontificis, & absolutione Francorum à juramento fidelitatis fabulam congessit illarum Epistolarum Scriptor, vel *Gregorio* subministravit quispiam cum aliis momentis, quibus *Herimanno* Metensi Episcopo probaret, se *Henricum Quartum* Imperatorem justè excommunicasse ac deposuisse. Proinde *Non tam culpandus ille est, cui negligenter obreptum est, quàm ille qui fraudulenter obrepsit*, (ut de *Stephano I.* ait *Sanctus Cyprianus.*) Non mirum autem quòd *Gregorius VII.* Pontifex cæteroquin Saoctissimus hanc fabulam de *Childerici* Regis depositione auctoritate *Zachariæ*, indiscussam arripuerit ad probandum *Herimanno* jure se Henricum IV. Imperatorem exauctorasse, cùm de ipso scribat *Ono Frisingensis*, nobilissimus, religiosissimus, & doctissimus Historicus, lib. 6 Chronicorum Cap. 35. *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum.*

Objicies testimonium *Gratiani* Secunda Parte Decreti, Causâ decima-quinta, Quæstione sexta, cap. *Alius.*

Respondeo, Caput, *Alius*, esse ipsa verba *Gregorii Septimi* Epistola 21. libri octavi, ad *Herimannum* Metensem Episcopum datâ Sed *Gregorio Septimo*, & Gratiano, qui ejus verba exscripsit, nihil fuisse quod suffragaretur in Romanæ Ecclesiæ scriniis, aut in probatis monumentis, evincit *Anastasii Bibliothecarii* silentium, qui in Vita *Zachariæ* Papæ nihil hujusmodi commemorat. Qui sanè rem adeo singularem, adeo ad memoriam posteritatis insignem, cujus nullum antea visum erat exemplum, quæ ad Romani Pontificis extollendam auctoritatem tanti erat momenti, non prætermisisset. Præterea, quæ *Zachariam* fecisse commemorant *Gregorius Septimus* & *Gratianus*; sine Synodo non fecisset, quam in

gravioribus

gravioribus causis congregari, Ecclesiæ mos erat, ac Romanorum Pontificum usus. Agebatur scilicet, (ut in C. *Alius* habetur) de abdicando Rege inutili, de alio in illius locum sufficiendo, & de Francigenis à juramento fidelitatis quod præstiterant, absolvendis: Quæ maximi sanè momenti negotia erant, quibus nulla similia retroactis occurrerant sæculis. At nullam Synodum à *Zacharia* celebratam legimus, quâ jus hujusmodi vel jam assertum Romano Pontifici, vel certè asserendum comprobaretur: nullam Epistolam, quam *Zacharias* ad Episcopos, & Proceres Francorum hac de re scripserit. Tandem *Pippinus* & Francorum Proceres *Zachariæ* ob tantum beneficium gratias egissent maximas: nullum autem est monumentum in Historia quo ipsos gratias egisse comprobetur; nulla *Pippini* ad Pontificem hac de re Epistola.

Sed etsi Romanum Pontificem consultum in causa translationis Regni à *Childerico* & *Pippinum* concederemus, & respondisse, illum potius Regem habendum & appellandum esse, qui munia Regis obiret & apud quem summa potestatis consisteret, ut *Eginhartus* aliique post ipsum Scriptores, jam convicti falsitatis, commemorant, non sequeretur *Zachariam* vel *Stephanum*, exauctorasse *Childericum*, & *Pippinum* Regem creasse. Cùm enim illi Scriptores habent, auctoritate, mandatis, sanctione, jussu Sedis Apostolicæ vel Romani Pontificis id factum, dignitatem potiùs quàm responsum ejus spectant, qui consultus & interrogatus est. Ut preces enim, sic & responsa & consilia Potentum, ut mandata solent æstimari, etiamsi reipsa mandata non sint. Commodè itaque sumenda sunt hæc Scriptorum in Objectionibus citatorum verba, & Francorum consultationi ac interrogationi aptanda. Consultationis porro natura non patitur, ut qui respondet, per auctoritatem, jussionem, mandatum, sanctionem respondeat, si aptè & convenienter respondere velit.

Zachariæ igitur impudenter imponunt Centuriatores Magdeburgenses in odium Romanæ Sedis ita scribentes: *Divinam quandam potestatem sibi arrogans* (Zacharias) *ponendi & deponendi Reges proterve assumpsit; & a fidelitatis juramento subditos eorum primus absolvit, &c.*

Sed nec *Bellarminus* Cardinalis satis æquum se præstitit erga *Zachariam*, cùm eum justè & legitimè deposuisse *Childericum* Regem asserit: quod si præstitisset, justitiæ & sanctitatis laudem non retulisset. *Bellarmini* verba lib. II. de Romano Pontifice cap. XVII. hæc sunt: *Quod Zacharias justè & legitimè deposuerit Childericum Regem, & creari jusserit Pippinum, affirmant omnes, quotquot hanc Historiam scribunt, tam Græci, quàm Latini, exceptis Magdeburgensibus, Centuria VIII. Cap. X. in Vita Zachariæ, & Calvino, locò citatò.* Tum duodecim Auctores laudat id asserentes: cùm tamen eorum nullus asserat *Zachariam* justè & legitimè deposuisse Childericum, & jussisse ut *Pippinus* Rex crearetur. Rem, prout eam gestam putavere, vel finxere, scriptis prodiderunt, quæstionem juris non attigere.

SCHOLION I.

[a] In hac Dissertatione, pag. 486. & 490. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa sua conjectura nec transtulit nec transferri potuit Regnum Galliæ ad Pippinum.*

R. De ista Propositione idem quod de superiore judicium ferendum est. Nec tamen his concepta verbis iis in locis legitur quos notat Censorum Indiculus. In sola facti, non juris quæstione expendenda versor. Hæc Propositio mea: *Nec Zacharia, nec Stephani III. Romanorum Pontificum auctoritate Regnum Francorum a Childerico ad Pippinum translatum est.* Pag. verò 490. ita colligo: Vetat igitur *Zachariæ justitia & sanctitas, ut Childericum III. deponeret, quia nihil criminis in se præter Regis vocabulum præferebat. Pontificem*

quem *Anastasius in ejus Vita*, Virum mitissimum suavem omnique bonitate præditum *prædicat*, *Regem insontem exauctorasse, quis sibi persuadeat?* Insonsne an reus fuerit Childericus, facti quæstio est. [a]Insontem Regem Regno suo, bonisque omnibus a Romano Pontifice pro arbitrio privari posse, ne illi quidem Theologi dixerint, qui indirectam in temporalia Regum potestatem Romanis Pontificibus tribuunt. Hæc verò de illo Historiæ capite singularis non est opinio mea, sed omnium quotquot sunt in Gallis virorum eruditorum. Ita inter alios Vir clarissimus *Franciscus Feu* Doctor in Sacra Facultate Parisiensi; & SS. Gervasii & Prothasii Regia in Urbe Pastor, in Tractatu *De Legibus*, Quæstione IV. Art. IV. pag. 135. *Et verò*, inquit, *qua æquitate hæreditarium Regem annos tantummodo 15. natum spoliasset Pontifex adeo pius? Et quamvis licita fuisset Regum abdicatio propter scelera gravia* (*quod tamen abhorret à vero*) *quo jure Childericum innocentem damnasset Zacharias? Etenim quodnam Childericus scelus* [illegible]*? An hæresis? An in Ecclesiam grave peccatum? Sed etsi fuisset aliquod scelus, an juvenilis ætatis Regi vitio vertendum fuisset? An non potius Principibus; præsertim verò Pippino Palatii Administro, penes quem universa belli, pacis, ærarii, & rerum omnium erat administratio? Posito etiam aliquo gravi crimine, an judicialiter damnari potuisset Princeps, & Regno sibi divinitus tradito privari? A tali abdicatione abhorruisset procul dubio Zacharias, & flagitium existimasset auctoritatis alienæ invasori favere; seque per nefas usurpata tyrannidis participem fuisset arbitratus, si Pippinum ad usurpandum Francorum Regnum vel sua sententia juvisset. Peritior erat Sacrarum Scripturarum, & Traditionis Apostolicæ, quam ut juvenem Principem Regnum eriperet, ut traderet alteri. Ab antiquis enim & a sua Sedis Pontificibus acceperat, supremam Regum potestatem divinitus fuisse constitutam: hominum nulli subditam esse. Alienissimus ergo Zacharias à detrudendo Childerico.* Hæc eruditus ille Pastor.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 495. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa non potest exauctorare* [illegible].

R. Quamvis Propositio his concepta verbis ibi non legatur, quod sensum in iis quæ ibi scripsi involvitur: non tamen privata hæc & singularis opinio mea, sed Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ.

SCHOLION III.

In eadem Dissertatione, pag. 519. hanc velut meam Propositionem notant Religiosi Censores: *Papæ Epistolæ quoad facta non faciunt fidem, quia componuntur à Secretariis.*

R. Tam malè consuta Propositio non est mea. Objectioni cuidam respondens, *Non omnia facta historica, quæ a Romanis Pontificibus in eorum Epistolis commemorantur, propterea vera esse; Privatas Epistolas ab iis ut plurimum non componi sed ab iis quibus id muneris committitur. Si quid proinde in documentis sive probationibus, quas adhibent, infirmum sit aut falsum illud tribuendum iis qui hæc documenta subministrarunt, vel litteras Pontificias composuere.* Hæc probabilis & non spernenda Responsio Religiosis Censoribus videretur, nisi in mentem suam induxissent Summos Pontifices non solùm in dirimendis Fidei controversiis, quarum jure divino Summi Judices sunt; (ut credimus & docemus) Sed & in factis, non tantùm judicandis, verùm etiam referendis falli non posse; non solùm in finiendis Quæstionibus Fidem aut Moralem Christianam spectantibus, sed in historia humana, & quacumque Narratione esse infallibiles; & hoc Privilegium cum eorum etiam Notariis communicari. Hæc certè non est Ecclesiæ Romanæ Sanctissimorum Pontificum Doctrina; ita nec nostra.

SCHOLION IV.

In eadem Dissertatione, pag. 520. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa nullum deposuit Regem ante Henricum IV.*

R. Mera facti & historiæ quæstio est. *Ottonis Frisingensis* hæc est observatio, cujus ibi verba descripsi. Nobili, pio, erudito Historico fidem detrahentes non audiet virorum eruditorum Senatus.

DISSERTATIO III.

De Convocatione, & Præsidentia Septimæ Synodi.

ARTICULUS I.

A quo fuerit convocata?

PROPOSITIO.

Septima Synodus à Constantino & Irene Augustis convocata est, Adriano I. Romano Pontifice consentiente.

Probatur primò ex Actis ipsius Synodi. Sic enim habetur Actione 1. *Conveniente sancta & universali Synodo, quæ per Dei gratiam, & piam Sanctionem Imperatorum, congregata est in Nicænsium Metropoli.* Ibidem lecta est Sacra Jussio, cujus hic tenor: *Constantinus & Irene fideles Imperatores Romanorum: Sanctissimis Episcopis, qui in voluntate & gratiâ Dei, & jussione Pii Imperii nostri, convenerunt in Nicæna Synodo.* Et post alia. *Igitur beneplacito & nutu ejus (Dei) congregavimus vos Sanctos Sacerdotes ipsius, qui disposuistis testamentum ejus super incruenta Sacrificia, ut definitionibus Synodorum, quæ rectè dogmatizaverunt, Judicium vestrum simile fiat. Adeo quippe confligimus pro veritate, & ad pietatem contendimus, ut Ecclesiastico Ordini consulamus, antiquam legislationem confirmare volentes, ut & militaribus consiliis detenti, & Reipublicæ curis vacantes, primum orbis opus habeamus pacificam observantiam Ecclesiæ Catholicæ, & in secundo hoc ponentes, ad sacratissimam vestram non fatigemur congregandam Synodum, dantes unicuique licentiam ut sine subtractione loquatur, quæ sibi visa fuerint, ut districtâ examinatio fiat.*

Et Actione quartâ: *Quamobrem Sancta & universalis hæc Synodus beneplacito Dei, & nutu fidelium & piorum Imperatorum nostrorum, Irenæ novæ Helenæ, ac novi Constantini hujus à Deo consecrandi germinis congregata, in hac Nicænsium clarâ Metropoli.*

Et Actione septimâ: *Sancta magna ac universalis Synodus, quæ per Dei gratiam, & sanctionem piorum & Christianorum Imperatorum Constantini & Irenæ matris ejus, congregata est secundò in Nicænsium clarâ Metropoli.* Et infra: *Piissimis & Christianissimis Imperatoribus nostris Constantino & Irenæ matri ejus, Tarasius indignus Episcopus Regiæ Urbis vestræ & tota Synodus, quæ beneplacito quidem Dei, præceptione verò Imperii vestri, secundò convenit in hac splendida Nicæorum Metropoli.*

Probatur secundò ex Epistola *Adriani I.* Pontificis Maximi ad Tarasium. *Porro*, inquit, *post Confessionem fidei vestræ notum factum est nobis, quòd vestra venerabilis Sanctitas postulaverit ab Orthodoxis ac Zelatoribus, & propugnatoribus veritatis, piissimis videlicet Imperatoribus nostris, quò fieret universalis Synodus, & repromiserint coram omni populo Christiano supplicationi vestræ piè annuentes, Synodúmque in Regia Urbe fieri definientes. Nos autem, quemadmodum & in ipsa Diva continebatur Jussione, dilectos nobis, & approbatos atque prudentes Sacerdotes; pro statu Sacrarum Imaginum, ut priscò in illis partibus ordine constituantur, cum magno desiderio, & maximo gaudio destinavimus.* Hadriani I. consensus hîc disertè exprimitur.

Probatur tertiò ex *Anastasio Bibliothecario*, in Vita Hadriani I. *Hic elegantissimus Præsul* inquit, *atque fortissimus rectæ fidei Prædicator, direxit Missos, videlicet Petrum Presbyterum Romanæ Ecclesiæ & Petrum religiosum Abbatem venerabilem Monasterii Sancti Sabæ, ad Imperatores Constantinum, & Irenem, adhortans eos atque prædicans per suas Apostolicas literas pro Sacris Imaginibus erigendis, qualiter per testimonia Scripturarum, seu Traditionem venerabilium Patrum, à priscis temporibus usque hactenus Orthodoxi venerantur in Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, quòd præfati Imperatores eamdem venerantes atque amplectentes Apostolicam Epistolam, Concilium in Nicæa congregari fecerint trecentorum quinquaginta Episcoporum.*

Probatur quartò ex Poëta Saxonico, lib. 3. de Gestis *Caroli Magni*, ad annum septingentesimum nonagesimum-quartum:

Annis præterea Synodum non pluribus ante
Constantinopoli celebrari fecit in Urbe
Græcorum Princeps, qui Constantinus habebat
Nomen, & ejusdem genitrix Hirena vocata,
Et condixerunt ut Septima seu Generalis
Appellaretur.

Probatur quintò ex *Paulo Diacono*, lib. 23. Historiæ, *Ipsa (Irene) iterum mense Maio mittens per omnem locum, convocat omnes Episcopos, quò convenirent in Nicænsium civitatem, ad efficiendum illic Concilium, & per totum æstivum tempus congregati sunt omnes apud Nicæam. Siquidem eos qui ex Romanæ Sedis & Orientalium persona venere, non dimiserat, sed secum retentos habebat.* Hi Scriptores consentiunt cum Historiæ Byzantinæ Scriptoribus, *Theophane*, *Constantino Manasse*, *Cedreno*, qui Synodum ab Imperatoribus convocatam tradunt. His Auctoribus suffragantur *Platina* in Vita *Hadriani I.* *Hartmannus Schedelius* Senensis in Ætate VI. Mundi, *Jacobus Philippus Bergomas* in Supplemento Chronicorum lib. 11. &c.

Objicies *Hadriani I.* verba in Capitulis *Angilramo* Metensium Episcopo datis, Num. 3. istud docentis de Romano Pontifice: *Cui jussione Domini & meritis Beati Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & Sanctorum Canonum ac venerandorum Patrum Decretis multipliciter privata tradita est potestas.*

Respondeo, Convocationem Synodi Septimæ, aliarúmque Synodorum, ab Imperatoribus factam, non imminuere jus & auctoritatem Romanorum Pontificum ad easdem convocandas: quia vel consentientibus Pontificibus, eas convocarunt Imperatores, vel eas hoc modo convocatas Pontifices Ecclesiæque omnes suscepere; nec eas convocarunt Principes, quòd jus habeant ullum de fidei dogmatibus decernendi, aut regendi Ecclesiam; sed patrocinium & præsidium impendendo Ecclesiæ, auctoritatémque commodando suam, ut tantæ molis negotia ad optatum finem perducerentur; ut coërcerentur Hæretici; ut locus celebrando Concilio congruus designaretur; unô verbô, ad fidem tuendam, non ad potentiam ostendendam (ut loquitur Pientissimus Imperator *Marcianus* de Concilio Chalcedonensi.) Pontificum porro auctoritas in convocandis Conciliis, nititur his verbis Christi, quibus Primatus *Sancto Petro* datus significatur: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*, & aliis Scripturæ Sacræ testimoniis, & Sanctorum Patrum disertissimis locis, continuam traditionis seriem repræsentantibus, quâ Primatus *Sancti Petri* & Romanorum Pontificum probatur: Cujus Primatus dos est non postrema convocandorum jus Conciliorum. Nititur & ipsorum Conciliorum, Historiæque Ecclesiasticæ monumentis, quæ summam fuisse Romanorum Pontificum in Synodis Oecumenicis auctoritatem probant: quæ tum in Dissertatione de Romani Pontificis Primatu, * tum in aliis Historiæ nostræ, & Dissertationum locis observavimus. Ex quibus nemo non

Auctoritas convocandi Concilia Oecumenica summo Pontifici vindicatur.

* Tom. 1 Sæculi I.

non videt quàm indigna sint Catholico Theologo, quæ *Launoius* Parte VI. Epistolarum in Epistola ad *Ludovicum Huricum Fanum Despessaum* scripturit, vehementer fuisse obreptum *Hadriano* Papæ, cùm verba laudata in Capitulis *Angilramno* datis scripsit. Hæc deprompta esse ex subjectis ab *Isidoro Mercatore* veteribus Romanis Pontificibus, & cum primis *Pelagii II.* Epistolis. Præterea Scripturæ Sacræ imponi; cujus nullus est locus, in quo Christus id præceperit, quod in istis Capitulis præceptum dicitur; Nullum esse locum, qui legitimæ Traditioni junctus, id præcepti genus evincat: Nullos esse Canones *Hadriano* vetustiores, nulla Sanctorum Decreta, quibus singularis illa congregandorum Conciliorum auctoritas Romano Pontifici reservetur. In summa, sex Oecumenicas Synodos quæ *Hadrianum* præcesserunt, & Septimam, quæ illius tempore celebrata est, omnes esse ab Imperatoribus congregatas. Quo ita posito, Romani Pontifices neglectæ auctoritatis suæ, & Sancti Patres qui convocatis Imperatoria potestate Conciliis interfuerunt, contemptæ jussionis Dominicæ accusandi & condemnandi essent. Hæc ille: quæ censurin stigmate notanda cordatis Theologis meritò videbuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quis Synodo Septimæ præfuerit?

PROPOSITIO.

Synodo Septimæ præfuit Hadrianus I. Pontifex Maximus per Legatos.

Probatur I. ex Actis Synodi. Sic enim Actione I. ordo Episcoporum describitur: *Conveniente Sancta & universali Synodo, id est, Petro Archipresbytero Romanæ Ecclesiæ, scilicet Apostoli Petri, & Petro Presbytero Monacho & Abbate Monasterii S. Sabæ, retinentibus locum Apostolicæ Sedis Archiepiscopi Senioris Romæ Hadriani, Tarasio Archiepiscopo Constantinopoleos, Joann. & Thoma Presbyteris, & Vicariis Apostolicarum Sedium Orientalis Diœceseos.*

Et Actione V. ubi Legati Romani Pontificis primi omnium loquuntur: *Petrus Archipresbyter & loci servator Sanctissimi Papæ senioris Romæ, Tarasio Constantinopoleos novæ Romæ Patriarcha, atque omni huic Sanctæ universali Synodo: Petrus Archipresbyter*, &c.

Et Actione VII. *Conveniente sancta & universali Synodo, juxta divinam gratiam, & pium Imperatorum à Deo electorum Decretum congregatâ in Nicæa splendida Metropoli Bithyniæ Provinciæ, hoc est, Petro religiosissimo Protopresbytero sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ Sancti Petri Apostoli, & Petro religiosissimo Monacho, & Præside venerandæ Mansionis S. Sabæ, agentibus vicem Apostolicæ Sedis, & Sanctissimi Episcopi veteris Romæ.*

Definitioni etiam Synodicæ Legati Romanæ Ecclesiæ primi omnium subscribunt ante *Tarasium* Constantinopolitanum Patriarcham, hoc modo: *Petrus miseratione divinâ Protopresbyter Sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ Beati Petri, & locum retinens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.*

Petrus indignus Presbyter & Præses Sancti Patris nostri Sabæ, & vices agens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.

Probatur secundò ex *Theophane* in Chronographia, *Cæterum*, inquit, *Mensis Decembris die quinto supra vigesimum, & eadem indictione octava, religiosus Pater noster Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha renuntiatus est: Missisque confestim Synodicis suis literis, & libello fidei suæ teste, ab Adriano Papa in Ecclesiæ communionem admissus. Imperatrix etiam ad eumdem Papam misit, qui suo nomine ab eo peteret, ut datis litteris homines, qui Concilio adessent, delegaret. Papa verò Petrum Ecclesiæ suæ Oeconomum, & Monasterii Sancti Sabæ Præpositum, viros honore præcipuos, & omni virtutum cultu ornatos destinavit.* Et ad annum 6. Constantini & Irenes: *Eodem anno*, inquit, *Imperatores miserunt, qui universos suæ ditionis Episcopos in unum convocarent: ad quos ab Adriano Papa missi cum litteris homines, quos memoravimus, unà cum Antiochiæ & Alexandriæ Patriarchis accesserunt. Tum verò Mensis Augusti die decimo-septimo, nona Indictione, in Imperatricis Urbis Sanctorum Apostolorum templo præsidentes, Sacras Scripturas investigare, propositis ad invicem dubiis, difficultates examinare, Imperatoribus è Catechumenis spectantibus, cœperunt.* Et ad annum 7. *Ipsa* (Irene) *iterum mense Maio per omnes Imperii regiones misit, qui universos Episcopos Nicæam Bithyniæ urbem, ut in ea Concilium haberetur, convocarent. Totâ itaque æstivâ tempestate Nicæam Episcopi omnes convenere; neque verò eos qui Romanæ Sedis, & Orientalium Thronorum personam referebant, dimiserat.*

Objicies testimonium *Photii* in libro de septem Synodis, ubi ita scribit: *Sanctum & Oecumenicum Septimum Concilium, Nicæam sibi quoque Bithyniæ civitatem delegit, in quâ & antea rectorum dogmatum Judicium fuerat. Trecenti & sexaginta septem interfuerunt Episcopi, qui sacræ magnæque Phalangis suæ Duces ac Præsides constituerunt Tarasium inter Episcopos celeberrimum, & Petrum religiosissimum Protopresbyterum Ecclesiæ Romanæ, & alterum Petrum Presbyterum ipsum quoque & Mansionis Præfectum Sancti Sabæ. Hi Sedis Apostolicæ sortiti sunt locum, Hadriano tunc Pontificiam dignitatem exercente; & Joannem ac Thomam singulari vivendi ratione celebres, & sacro honore insignes, & totius Orientis Diœceses Apostolicarum magnarumque Sedium gubernantes, nempe Apollinarii & Theodoriti, & Eliæ, quorum primus Alexandriæ, alter Antiochiæ, tertius Hierosolymorum erat Antistes.* Quinque igitur hujus Concilii Præsides statuit *Photius*, & primo loco *Tarasium* Constantinopolitanum Patriarcham, secundò *Adrianum* Romanum Pontificem, per suos Legatos, recenset.

Confirmatur ex Libello Synodico, Numer. DCCLXXXVII. ubi de Synodo Septima hæc habentur: *Cui fuerunt Præsidentes, Sanctus Tarasius Constantinopolitanus, Petrus & Petrus Presbyteri Hadriani Sanctissimi Papæ Romani locum tenentes; Joannes & Thomas Monachi & Presbyteri, Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, Diœceseos Orientis locum tenentes.* Pariter plures Præsides commemorat, & quidem primò loco *Tarasium* Patriarcham Constantinopolitanum, secundò *Adrianum* Romanum Pontificem.

Confirmatur secundò ex *Nilo* in lib. de Synodis, ubi etiam plures Præsides assignat, quamvis primò locò ponat Hadrianum: *Sancta*: inquit, *& Oecumenica Septima Synodus Nicææ secundò habita est, Imperantibus Constantino & matre ejus Irene, congregata a sexcentis sexaginta tribus Sanctis Patribus adversus Iconomachos. Præerant huic Hadrianus Papa Romæ; Tarasius Constantinopolis, Politianus Alexandriæ, Theodoritus Antiochiæ, Elias Hierosolymorum.*

Respondeo, Græcos, cùm tot Synodorum Oecumenicarum Præsides faciunt, quot iis adfuere Patriarchæ, Præsidis nomen secundùm latiorem significationem usurpare; sicut in Senatu multi sunt Præsides, sed tamen unus est Protopræses, & Princeps Senatus, non solùm Senatorum, sed & ipsorum Præsidum caput. Ita Patriarchæ singuli in Conciliis Præsides appellati jure potuerunt à Græcis, propter eminentem supra cæteros Episcopos dignitatem: sed Romanus Pontifex primas tenet,

tenet, ac Synodi totius, & reliquorum Patriatcharum Præses est. Nec aliud colligitur ex *Nili* testimonio, qui inter Septimæ Synodi Præsides primum recenset *Hadrianum* Romanum Pontificem.

Photius quidem *Tarasium* Synodi Septimæ primum Præsidem facit, sed ex Actis ipsius Synodi refellitur, sicut & Auctor Libelli Synodici, qui ipsum secutus est: & ex *Sancto Theodoro Studita*, suppare Scriptore, qui Romanum Pontificem vocat *Omnium Capitum Caput* (in Epistola *ad Leonem III.*) Proprius autem *Photii* error est, hominis Schismatici, ut non modò Septimæ, sed & aliarum Synodorum Oecumenicarum Præsidem primum faciat Constantinopolitanum Episcopum.

Scholion I.

Dissertationis hujus Quæstione prima, pag. 523. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa solum dat consensum pro VII. Synodo, ut ab Imperatore congregetur.*

R. Hæc verba, *Papa solum dat consensum*, mea non sunt, Hæc verò Propositio mea: *Septima Synodus à Constantino & Irene Augustis convocata est; Hadriano Romano Pontifice consentiente.* Quam quidem Propositionem invictè probavi ex Actis ipsius Synodi, & Hadriani I. Pontificis Maximi Epistola ad Tarasium, ex Anastasio Bibliothecario, ex Poeta Saxonico, Paulo Diacono, Theophane, Constantino Manasse, Cedreno, &c.

Scholion II.

In eadem quæstione, ad paginam 526. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Quo jure Imperatores congregaverint Concilia.* Quibus verbis nescio quam animadversione censoria dignum significant.

R. Pontificiæ tamen Auctoritati nihil ibi detraxi, nec Regibus & Imperatoribus nimium tribui. Dixi, *Convocationem Synodi septimæ aliarúmque Synodorum, ab Imperatoribus factam, non imminuere jus & auctoritatem Romanorum Pontificum ad easdem convocandas; quia vel consentientibus Pontificibus eas convocarunt Imperatores, vel eas hoc modo convocatas Pontifices Ecclesiaque omnes susceperunt. Nec eas convocarunt Principes, quòd jus haberent ullum de Fidei Dogmatibus decernendi, aut regendi Ecclesiam; sed Patrocinium & Præsidium impendendo Ecclesiæ, auctoritatemque commodando suam ut tanta molis negotia ad optatum finem perducerentur, ut coercerentur Hæretici, ut locus celebrando Concilio idoneus ac tutus designaretur; uno verbo, ad fidem tuendam, non ad potentiam ostendendam.* Deinde Romanorum Pontificum auctoritatem in Conciliis Generalibus convocandis jure divino niti ostendo, & Joannem Launoium contrarium asserentem acerrimè refello. Dolendæ sanè vices meæ, quòd vera Sedis Apostolicæ jura hîc & alibi pro mea virili parte propugnans, nihilominus vapulem.

DISSERTATIO IV.

De Fide Iconomachorum circa Eucharistiam.

Constantinopolitanam contra imagines Pseudosynodum sub *Constantino Copronymo* celebratam, negasse realem Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiam, Calvinianæ sectæ Scriptores contendunt: repugnant Catholici. Controversiæ dant occasionem illa verba, quæ in Definitione memoratæ Pseudosynodi leguntur: *Lætentur & exultent, & fiducialiter agant hi, qui veram Christi imaginem sincerissimâ animâ faciunt, & desiderant, & colunt, & in salutem animæ & corporis offerunt: quam ipse sacratissimus Immolator & Deus noster, ex nobis ex toto massam assumens, secundùm tempus propriæ Passionis in typum & rememorationem evidentissimam tradidit Ministris suis. Sese namque voluntariè traditurus memorabili & vivifica morti sua, acceptum panem benedixit, & gratias agens fregit, & dans dixit:* Accipite & comedite in remissionem peccatorum; Hoc est Corpus meum. *Similiter & Calicem tradens, dixit:* Hic est sanguis meus: Hoc facite in meam commemorationem. *Veluti nullâ aliâ specie ab eo electâ sub cœlis, vel figurâ ejus Incarnationem instar imaginis repræsentare valente. En ergo imago vivifici corporis, quæ pretiosè ac honorabiliter fit.*

Propositio.

Iconomachi realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam non negarunt.

Probatur. Etsi enim ipsam appellarent imaginem corporis & sanguinis Christi, non tamen meram imaginem esse propugnabant: quod demonstrare facile est, tum ex ipso Hæreticæ Definitionis contextu, tum ex rationibus quibus freti asserebant nullam aliam esse veram Christi imaginem quàm Eucharistiam. Vocabant enim duntaxat Eucharistiam imaginem Corporis Christi, habitâ ratione Incarnationis, seu modi singulariter mirabilis, quo formatum fuit Christi Corpus: quia sicut ex purissima Virginei sanguinis portione, nullâ intercedente operatione hominis, sed solâ Spiritûs Sancti virtute, Corpus Christi formatum fuit: ita in Eucharistia, ex substantia panis, absque humana operatione, solâ Sancti Spititûs super dona proposita descendentis virtute, fit Corpus Christi. Quòd tamen substantiam & proprietatem Corporis Christi spectat, utrobique eamdem agnoscebant Iconomachi, in Incarnatione nimirùm & in Eucharistia: adeóque Eucharistiam imaginem superficie tenus & accidentariam esse nolebant Corporis & Sanguinis Christi, sed consubstantialem, quæ ipsum quidem repræsentat, spectata secundùm externam ac visibilem sui partem: ipsamet autem Corporis Christi substantia est, cùm spectatur secundùm partem internam & invisibilem, prout non sensuum, sed fidei objectum est. Id constat ex verbis Definitionis Iconomachorum, post ea quæ superiùs descripta sunt, sequentibus: *Sicut ergo Corpus Christi, quod secundùm naturam, sanctum est, utpote deificatum; ita manifestum est, quòd adoptione, id est, ipsa imago ejus sancta est, utpote per quamdam sanctificationem gratia deificata.* [illegible] *Hoc enim & operatus est, ut diximus, Dominus Jesus, ut sicut carnem quam suscepit, propriâ secundùm naturam sanctificatione, ex ipsa unione deificavit: similiter & Eucharistiæ Panem, ut non falsam imaginem naturalis carnis, per Sancti Spiritûs adventum sanctificandum, divinum Corpus fieri voluit, mediante Sacerdote, qui oblationem de communi separans, ad sanctificationem pertingere facit.* Quæ verba Nicæna Secunda Synodus approbavit, ut Orthodoxa, quamvis Eucharistiam Dominici Corporis imaginem dici improbaverit, propter consectaria quæ ex illius vocis pravo intellectu contra cultum sanctarum imaginum inferebant. Ait enim expendens mox prolata Iconomachorum verba: *Deinde dimissô mendaciô, tangunt pauxillum quid veritatem, Divinum Corpus dicentes fieri.*

Idem ostenditur ex serie rationum, quibus freti, Eucharistiam solam esse Corporis Christi veram imaginem contendebant: Hoc enim ferme ratiociniô utebantur. Omnis imago quæ humanam Christi naturam repræsentat à Deitate separatam, favet hæresi *Nestorii*, quæ naturas dividit, & personæ invehit adjectionem: sed quælibet imago Christi naturam humanam repræsentat à Deitate separatam: Nec enim pingi potest incircumscripta Deitas. Itaque sacrilegum est imaginem hujusmodi effingere. Præterea (inquiebant) externa imago, quæ res per se subsistens est, suum repræsentare non potest prototypum, nisi etiam ut per se subsistens. At humana Christi natura per se non subsistit, sed personâ Verbi sustentatur. Itaque repræsentari non potest nisi ejusdem conditionis imagine, quæ scilicet in se non subsistat, sed Filii Dei hypostasi suffulta sit, cui personaliter uniatur. Porro hujusmodi Christi imago

imago nulla est præter Eucharistiam. Nulla igitur præter Eucharistiam fingenda est, aut colenda imago Christi; sed quæcumque effinguntur, falsæ sunt. *Sicut*, inquiunt, *id quod ex nobis suscepit, materia sola est humanæ substantiæ per omnia perfecta, non figurantis propriè subsistentem personam, ut non addiramentum personæ Divinitati accidat: ita & imaginem, materiam præcipuam, id est, panis substantiam præcepit offerri, non figurantem hominis formam, ne idololatria subintroducatur... Itaque Domini Caro secundùm naturam mente prædita, uncta est per Spiritum Sanctum Divinitate. Similiter & divinitus tradita imago carnis ejus, Divinus videlicet Panis, repletus est Spiritu Sanctò; cum Calice vitam ferentis Sanguinis lateris ejus. Hæc ergo demonstrata est vera imago dispensationis, quæ in carne facta est Christi Dei nostri; quam ipse nobis verus naturæ Vivificator & Factor voce propriâ tradidit.*

Hæc Iconomachorum argumenta erant, captiosa quidem in subjecta imaginum materia: quia sicut imago hominis viventis non repræsentat corpus ab anima separatum, nisi fortè secundùm intelligentiam, ut aiunt Septimæ Synodi Patres, licèt ipsam non repræsentet animam: ita imago Christi non repræsentat humanam ejus naturam à Deitate sejunctam, licèt Deitatem ipsam non adumbret. Perperam etiam colligebant, rem quæ imagine repræsentatur, per se subsistentem esse debere, quia imago per se subsistens est: Id enim imagini accidentarium cùm sit, quia non convenit ipsi ut imago est, sed ut res; illius exemplari ut conveniat non est opus: sicut nec esse lapideum vel ligneum, quæ imagini competunt, ab exemplari in imaginem transfunditur. Ita ferè ab his Iconomachorum cavillis se expediere Septimæ Synodi Patres.

Ex his nihilominus perspicuum est, ipsos non appellasse Eucharistiam imaginem Corporis Christi, eò sensu quo pictæ, sculptæ, vel fusæ imagines nuncupantur: imò in eâ versatos fuisse sententiâ, quòd Eucharistia imago esset humanam Christi naturam separatam non repræsentans, sed Deo Verbo hypostaticè conjunctam: & quòd imago non esset per se subsistens, & personaliter distincta à Filio Dei, ut aliæ Christi imagines, sed imago subsistentiâ Verbi suffulta, ipsique in unitate personæ conjuncta. Atqui Eucharistia in illam evehi non poterat dignitatem, ut imago Corporis Christi esset, non per se, sed in Verbo subsistens, nisi facta esset imago consubstantialis Corporis Christi; id est, non tantùm imago, sed imago simul & reipsa Christi corpus. Igitur Iconomachi censebant Eucharistiam esse verum & naturale Christi corpus.

Probatur tertiò. Patres qui adversùs Iconomachos scripsere, vel eorum hæresim damnavere, nusquam ipsis exprobrarunt, quòd in dogmatibus Ecclesiæ circa divinam Eucharistiam aliquid innovassent: id exprobraturi dubio procul, si Hæretici illi aliud quò de Sacramento sensissent ac docuissent, quàm tunc sentiret ac doceret Ecclesia. Tunc autem credebat Ecclesia sicut ab initio credidit, creditque modò, Corpus Christi esse verè, propriè, reipsa, substantialiter præsens in Eucharistia. Id igitur credebant & Iconomachi, quorum fidem circa hoc caput approbant Patres, nedum non impugnant.

Hanc autem fuisse Ecclesiæ fidem, constat ex Nicæna Synodo II. sive Oecumenicâ Septimâ, Actione sextâ, ubi *Epiphanius Diaconus* Synodi Pseudoseptimæ Iconomachorum confutationem, à Synodo approbatam, & ejus nomine editam legens, hæc habet: *Nullus enim aliquando tubarum Spiritûs, Sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum Sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem Corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt Evangelicè dicentem eum*: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non intrabitis in regnum Cœlorum. *Et*: Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. *Et*: [Joan. 6.] * Accepit Panem, gratias agens, fregit & dedit Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite; Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. [Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.] *Et non dixit, Accipite & comedite imaginem Corporis mei. Sed & Paulus divinus Apostolus, ex divinis Domini vocibus hauriens, ait*: * Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit. Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur. Hoc facite in meam commemorationem, &c. [1. Cor. 11.] *Ergo liquidò demonstratum est, quòd nusquam Dominus vel Apostoli, aut Patres, imaginem dixerint Sacrificium Incruentum, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem consummationem, typos quibusdam Sanctorum Patrum hæc piè visum est nominare: quorum est Eustathius propugnator orthodoxæ fidei, & Arianæ destructor vesaniæ, & Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne quod sub cœlo est, planam rectorum dogmatum basim edocuit. Ex uno enim eodemque Spiritu dispensantes, unus quidem eorum interpretatus Salomonis dictum, quod in Proverbiis legitur*: Comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis: *hæc dicit*: Per panem & vinum typos corporalium Christi prædicat membrorum. *Alter verò in Oratione divinæ Oblationis ita dicit*: Confidentes appropinquamus sancto altari, & proponentes typos sancti Corporis & Sanguinis Christi tui, te deprecamur. *Et quod deinceps infertur, certiorem Patris hujus perfectè intellectum, quomodo antequam sanctificata fuerint, vocata sunt typi; post sanctificationem autem, Corpus propriè ac Sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur. Ipsi verò* (Iconomachi) *volentes venerabilium Imaginum demoliri visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed Corpus & Sanguis. Porro improbitate & astutiâ depressi, sophismate pravo semet decipientes, adoptione nominaverunt fieri hanc divinam Oblationem. Et quemadmodum hoc dicere, aperta insania est; sic & imaginem asserere Corpus & Sanguinem Domini... Deinde dimissâ mendacio, tangunt paxillum quid veritatem, Divinum Corpus dicentes fieri: &, Si imago Corporis est, non potest esse hoc Divinum Corpus.* Sanè si Ecclesia credidisset ac docuisset Eucharistiam esse figuram duntaxat Corporis Christi, non ita abhorruissent Patres à nomine imaginis illi tribuendo; imò verò familiare fuisset hoc nomen Catholicis omnibus: & si figuram credidissent solâ virtute & efficaciâ Corporis & Sanguinis Christi plenam ac fœcundam, non verò ipsam Corporis & Sanguinis Christi substantiam continentem, hoc argumento ad hominem non impugnassent Iconomachos: *Si imago Corporis est, non potest esse hoc divinum Corpus.*

Idem constat ex *Sancto Germano Patriarcha* Constantinopolitano; acerrimo fidei Catholicæ contra Iconomachos defensore, si tamen is auctor est *Theoriæ Mysteriorum*, ut *Albertinus* putat, non verò Germanus Junior, ut *Leo Allatius* existimavit. Ut ut est, sepositâ quæstione istâ criticâ, quæ adhuc sub judice versatur, *Germanus*, quem *Albertinus* Calvinista celebrem illum Iconomachorum debellatorem esse putat, in *Theoria* hæc habet: *Operatus est salutem in medio terræ Deus, nisi enim ita fuisset actum, quomodo qui in India perficiunt magnum hoc Mysterium, & credunt*

credunt illud Corpus Christi & Dei esse nostri crucifixum & sepultum & resurgens, hanc salutem in medio terræ dicerent Dominum operari? Et infrà: *Rursus obsecrat Sacerdos ut conficiatur Mysterium Filii ejus, & fiat, sic transmutetur ipse panis & vinum in Corpus & Sanguinem Christi & Dei, & impleatur hoc: Ego hodie genui te. Unde & Spiritus Sanctus beneplacito Patris, & voluntate Filii invisibiliter præsens submonstrat divinam confectionem, & manu Sacerdotis obsignat & transmutat, & conficit proposita sancta Dona in Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi.*

Et infra: *Signantur autem divina Dona, ut adventus & gloriosa Sancti Spiritus præsentia transmutet & faciat ex pane quidem ipsum pretiosum Corpus Domini nostri Jesu Christi; ex eo autem quod est in Calice, ipsum pretiosum Sanguinem magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, qui effusus est pro mundi vita & salute: & ut participantibus ex eo fiat in remissionem peccatorum, & vitam æternam.*

Idem constat ex *Sancto Joanne Damasceno*, lib. III. Orthodoxæ Fidei, Cap. 14. *Quamobrem*, inquit, *si sermo Dei vivus est & efficax, ac Dominus omnia quæcumque voluit, fecit: si dixit: Fiat lux, & facta est, Fiat firmamentum, factum est: si verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum: si cœlum & terra, aqua, & ignis, & aer, & omne eorum ornamentum Domini verbo completum & absolutum est, atque hoc etiam nobilissimum animal, quod homo nuncupatur: si ipsemet Deus Verbum, postea quàm ita voluntas ipsius tulit, homo factus est, atque ex puris & immaculatis Sanctæ ac semper Virginis sanguinibus carnem sibi ipsi sine semine condidit, quid tandem afferri potest quin ex pane Corpus suum, ex vino, & ex aqua Sanguinem suum efficere queat. Dixit antiquitus:* Producat terra herbam virentem; *atque ea etiamnum ortò imbre fœtus suos producit, divino præcepto impulsa ac roborata. Dixit Deus:* Hoc est Corpus meum: &, Hic est Sanguis meus: & Hoc facite in meam commemorationem: *atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur. Ac pluvia nova huic segeti per consecrationem existit Spiritûs Sancti vis inumbrans. Quemadmodum enim quicquid Deus fecit, id Sancti Spiritûs opera fecit: eodem modo nunc quoque Spiritûs operatio, ea quæ naturam superant, efficit, quæque nisi solâ fide capi usque intelligi nequeunt.* Quò tandem modò mihi fiet istud, *aiebat Sancta Virgo*, quoniam virum non cognosco? *Respondet Archangelus Gabriel:* Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Tu quoque nunc quæris, Quomodo Panis Corpus Christi, & vinum cum aqua conjunctum Sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo: Spiritus Sanctus supervenit, eaque efficit quæ orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt...., Sanè Corpus Divinitati verè unitum, est illud Corpus, quod ex Sancta Virgine natum est: non quod assumptum illud corpus à cœlo descenderit: sed quia panis ipse ac vinum in Corpus & Sanguinem Dei immutantur. Quod si, quô pacto id fiat requiris, sat tibi sit audire quòd per Spiritum Sanctum id fiat, quemadmodum & ex Sancta Dei Matre per Spiritum Sanctum Dominus sibi ipsi & in seipso carnem condidit.... Nec quicquam nobis amplius perspectum & exploratum est, quam quod verbum Dei verum est & efficax atque omnipotens: nam modus ejusmodi est, ut nullâ ratione indagari queat. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quòd quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum, in comedentis corpus ac sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt: sic propositionis panis ac vinum & aqua per Sancti Spiritûs invocationem & adventum, mirabili modo in Christi Corpus & Sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem... Nec verò panis & vinum Corporis & Sanguinis Christi figura sunt, (absit) verùm ipsummet Domini Corpus divinitate affectum: quippe cùm Dominus ipse dixerit: Hoc est, non Corporis signum, sed Corpus; nec Sanguinis signum, sed Sanguis.*

Idem constat ex *Sancto Nicephoro* Patriarcha Constantinopolitano in Antirrhetico II. laudato à *Leone Allatio*, lib. 3. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetuâ consensione, Cap. 15. n. 21, ubi sic Iconomachum hæreticum refellit: *Non sine stupore admirabitur quispiam ipsius in his quoque facultatem & inconstantiam; quoniam, quod paulo ante propriè verèque Christi Corpus contendebat accipere, hoc idem nunc imaginem illius affirmat. At idem propriè & verè Corpus esse, & imaginem illius esse, dicere, an excogitari stolidius potest, & quod magis pro deridiculo sit? Et id quomodo? Quod ita volumus; omnia voluntati & imperio concedentes: ubi enim fides aut metus divinus non insidet, ibi voluntatis affectus dominatur. Et hoc habemus,* inquit, *in figuram illius, non propter ipsam naturam rerum, & veritatem; sed ut lubet, leges ferens & dogmata sanciens, licèt res ita naturâ comparata sit, aut non. Nos enim neque imaginem, neque figuram corporis illius hæc dicimus, licet symbolicè conficiantur, sed ipsum Christi corpus deificatum: illius enim dicentis vox est:* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Hoc etiam discipulis exhibebat;* Accipite, manducate Corpus meum, *dicens, non imaginem Corporis mei. Quemadmodum enim ex sacra Virgine carnem per Spiritum Sanctum sibi ipsi substituit; & si opus est ex nostris quoque id exponere, quemadmodum panis & vinum & aqua naturaliter in Corpus & Sanguinem edentis ac bibentis transmutantur; neque dicimus aliud Corpus diversum à primo fieri: ita & hæc supernaturaliter invocatione Sacrum facientis, & Sancti Spiritus adventu, in Corpus & Sanguinem Christi transmutantur: namque hæc petitio Sacerdotis continet; & non duo intelligimus, sed unum & idem fieri credimus. Sicubi verò Antitypa dicta sunt, non post sanctificationem, sed antequam consecrentur, ita nuncupata sunt.* Ex quibus omnibus perspicuum est, Ecclesiam octavo sæculo, & grassante Iconomachorum hæresi, credidisse & docuisse, Corpus Christi verè, propriè, reipsa, in Eucharistia contineri: adeòque cum Iconomachis Patres non exprobraverint violationem Catholicæ fidei circa divinum illud Mysterium: argumento est ipsos pariter sensisse Christi Corpus verè, propriè, secundùm substantiam, in Eucharistiæ Sacramento præsens esse.

Sancto Nicephoro *Theodorus Graptus* suffragatur in lib. de Inculpata Christianorum Fide; *Non vocamus*, inquit, *sacra Jesu Christi Mysteria imagines & figuras Corporis ipsius, quamvis sub Symbolis facta, sed dicimus ipsum Christi corpus deificatum*, [illegible] X[illegible]. Extat in Manipulo Rerum Constantinopolitanorum *P. Combefisii*.

Objicies. Iconomachi dicunt Christum *Imaginem materiam præcipuam, id est, Panis substantiam offerri præcepisse, non figurantem hominis formam, ne idololatria subintroducatur.* Atqui Eucharistiam Panis substantiam non vocassent, si credidissent panem reipsa transmutatum esse in substantiam Corporis Christi. Non credebant igitur Iconomachi, Panem in Christi corpus esse verè, propriè & secundùm substantiam conversum in Eucharistia, & Christi Corpus hoc in Sacramento reipsa & secundùm substantiam esse præsens.

Respondeo, distinguo minorem: Eucharistiam panis substantiam non vocassent, ad designandum quid sit, concedo; ad designandam materiam ex quâ sit, nego. Hîc autem non sibi sumebant exponendum Antistites Iconomachi, quid divina Eucharistia in seipsa esse credenda sit, sed quam materiam

riam assumserit, ut eam corporis sui faceret Christus imaginem. Hæc autem duo cohærent optimè, quòd Eucharistia Corpus Christi verum & proprium secundùm substantiam credatur, & quòd ex pane facta sit, imò propter species panis superstites, panis dicatur humano loquendi more, quô fides, vel Philosophia non interdicunt. Loquimur enim ut cæteri hominum. quicquid demum de rebus sentiamus ut Philosophi, vel credamus ut Christiani Catholici: quod sexcentis exemplis ostendi posset. Sicut ergo nemo dixerit *Paschasium* negasse realem substantialémque Corporis Christi in Eucharistia præsentiam quia scripsit, *Eucharistia Mysterium in pane celebrari: in eadem substantia celebrari; Christi carnem vel corpus esse in pane*: ita perperam colligitur, Iconomachos Antistites sensisse Eucharistiam non esse verum & proprium Christi Corpus, quia designantes materiam, quam Christus elegit ut eam Corporis imaginem sui faceret, aiunt ipsum panis substantiam offerri præcepisse: maximè cùm ibi explicandam sibi Eucharistiæ naturam non sumpserint, & nihilominus electam hanc materiam, scilicet panem, *Divinum Corpus* fieri professi sint, consecratione Sacerdotis. Tandem substantiam panis vocant materiam quæ offertur; non vocant substantiam panis prout consecrata est, immò sanctificatione sive consecratione immutari significant & *deificari*.

Objicies secundò. Qui asserunt Eucharistiam esse imaginem Corporis Christi, non credunt esse verum & proprium Corpus Christi: sed Iconomachi Antistites asseruere Eucharistiam esse imaginem Corporis Christi: non credebant igitur esse verum & proprium Corpus Christi.

Respondeo, distinguo majorem: si sumant nomen imaginis in sensu populari & exclusivo, concedo: Si illud usurpent in sensu quodam peculiari & nequaquam exclusivo, nego. Similiter distinguo minorem: Iconomachi Antistites asseruere Eucharistiam esse imaginem Corporis Christi: & non sumebant nomen imaginis in sensu exclusivo, concedo: & sumebant in sensu exclusivo, nego. Itaque bifariam imaginis nomen usurpari potest, scilicet in sensu populari & exclusivo; secundùm quem, id quod alterius rei imago est, non est ipsa res: & in sensu quodam peculiari, non exclusivo; secundùm quem, res quæ imago est alterius, & ipsa res simul, compendiò quodam significatur ut imago, intelligentiê supplente quod verbis non exprimitur, & apprehendente ipsam, non solùm ut imaginem, sed ut prototypum. Iconomachi, cùm Eucharistiam imaginem corporis Christi appellarunt, nomen imaginis usurparunt posteriori sensu, & idem intellexere quod *Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus* & *Sanctus Gregorius Nazianzenus* in Oratione funebri *Gorgoniæ* sororis, cùm Eucharistiam vocant Antitypa Corporis & Sanguinis JesuChristi. Idem intellexere quod *Paschasius*, cùm scripsit ad Frudegardum: *Hæc quippe Mystica sunt, in quibus veritas carnis & sanguinis, non alterius quàm Christi, in Mysterio tamen & figura*, & lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 1. & 6. *Verùm carnem Christi in Mysterio sumimus.* Idem intellexere quòd intelligunt modò Catholici omnes, Eucharistiam *Sacramentum*, id est, signum sacrum Corporis & Sanguinis Christi nuncupantes: uno verbo intellexere Eucharistiam ita esse imaginem Corporis Christi, ut simul esset *divinum ipsum Corpus*.

At, inquies, si hoc sensu nomen imaginis usurparunt Iconomachi, cur Nicæni Patres ipsos arguerunt?

Respondeo, Jure meritóque ipsos reprehensos fuisse à Nicænis Patribus, quia vix tunc imaginis aut figuræ nomine utebantur Ecclesiastici Tractatores ad Eucharistiam designandam, quod antiqui

A Patres aliquando fecerant, ne Infidelibus & Catechumenis, coram quibus loquebantur, Mysteria panderent, quæ à solis Fidelibus cognosci operæ pretium erat. Cùm itaque Iconomachi ter aut quater Eucharistiam pene in eadem periodo imaginem Corporis Christi appellassent, durior illa visa locutio est Nicænis Patribus, meritóque in suspicionem apud ipsos venere, quòd nomen imaginis secundùm popularem significationem, & in sensu exclusivo veritatis usurparent. Quem tamen sensum cùm verbis sequentibus disertè rejicerent; contradictorie ipsos admittere & pugnantia loqui objecere Septimæ Synodi Patres. B *Deinde dimisso mendacio, tangunt pauxillum quid veritatem, divinum Corpus dicentes fieri: Et, si imago Corporis est, non potest esse hoc divinum Corpus. Ergo hinc inde circumductis, invalida omnino manent ea quæ ab illis susurrata sunt. Sicut enim oculus turbatus non rectè videt, ita & ipsi nequam confusione cogitationum sensum suum turbantes & turbulentum reddentes, idipsum patiuntur quod insanientes, alia scilicet pro aliis phantasticè judicantes: aliquando quidem imaginem dicentes sancti Corporis Christi sacrum Sacrificium nostrum, aliquando verò, positione Corpus.*

Eamdem contradictionem ipsis exprobrat *Sanctus* C *Nicephorus* Patriarche Constantinopolitanus loco suprà laudato ex Antirrhetico II. & in lib. de Cherubinis à Moyse factis: *Si autem*, inquit, *Corpus Christi dinoscitur esse imaginem Christi, ipse quidem Corpus proprium vocat. Constantinus verò Iconomachus imaginem Christi vocat, quod nobis dedit Christus ad manducandum: quomodo igitur idem dicitur Corpus Christi, & imago Christi? Quod enim est alicujus imago, hoc corpus ejus esse non potest. Et rursus:* D *Quod est corpus, non potest esse ejus imago. Omnis enim imago aliâ est ab eo cujus imago est. Quòd si Filium dicit Scriptura imaginem Patris: at si non naturâ, hypostasi tamen & persona differt Filius à Patre. Si igitur Sanctum Corpus, quod in Communione sacra sumitur, imago Christi est, aliud dicitur esse præter Corpus Christi: nullum enim corpus alicujus est imago ejus. Si verò pars Christi est, & non aliud præter Christum, recidis corpus in duo.*

Objicies: Iconomachi asserebant, panem Eucharisticum *imaginem* esse *non falsam* Mysterii Incarnationis: Atqui falsa imago esset, si substantia panis consecratione destrueretur ac transmutaretur in substantiam corporis Christi: siquidem caro Salvatoris non destruitur assumptione suâ ad personam divi- E nam. Igitur non eadem erat Iconomachorum, quæ nunc est Ecclesiæ fides, de conversione panis in substantiam corporis Christi.

Respondeo, Nego minorem; satis enim est ad rationem signi sensibilis, ut sensibus obversetur, & ad rei significatæ notitiam perducat. Perinde verò est ad signi veritatem aut falsitatem, ut subsistat, vel non subsistat: siquidem substantia & subsistentia rei, cùm sit extra sensuum objectum, ad rationem signi non pertinet. Sic Iris, seu veris, seu falsis constet coloribus, non minùs verum est reconciliationis Dei cum hominibus signum. Ita sufficit ut maneant species panis à Christo assumpti, ad ineffabile Mysterium conficiendum & significandum. Cur autem F Eucharistiam *imaginem non falsam* Iconomachi appellarent, jam supra exposui. Scilicet omnes Christi imagines falsas esse pertinaciter asserebant; quòd (inquiebant) naturam humanam à deitate separatam, ac in se subsistentem repræsentarent, aut deitatem cum humana naturâ veluti confusam; atque ita occasionem darent in Eutychianum errorem impingendi. Ut igitur Eucharistia haud falsa imago esset, secundum Iconomachos, necesse erat ut ab his incommodis ac defectibus immunis esset, quibus alias aiebant subjacere imagines. Illa autem incommoda nequaquam vitassent, si credidissent Eucharistiam esse

esse meram figuram Corporis Christi, sive panem illius virtute fœcundatum: sic enim corpus seorsim subsistens non minùs repræsentasset, quam cæteræ Christi imagines. Sed illud incommodum vitare se penitus arbitrabantur, asserendo Eucharistiam esse ipsum corpus Christi unitum deitati. Sic enim, secundùm ipsos, falsa non erat imago. Id significabant his verbis: *Dominus Jesus sicut carnem quam suscepit, propriâ secundùm naturam sanctificatione ex ipsa unitione deificavit: similiter & Eucharistia panem, non ut falsam imaginem naturalis carnis, per Sancti Spiritus adventum sanctificandum, Divinum Corpus fieri voluit, mediante Sacerdote, qui oblationem de communis separans, ad sanctificationem pertingere facit.*

Objicies ultimò: Iconomachi aiebant Christum *Imaginem, materiam præcipuam, id est, panis substantiam offerri præcepisse, non figurantem hominis formam, ne idololatria subintroiretur.* Atqui si verum & proprium Christi corpus reipsa & secundùm substantiam præsens in Eucharistia credidissent, non fuisset illis timendum ne idololatriæ patefaceret aditum Eucharistiæ adoratio, cùm non minùs sub propriâ & naturali hominis forma Christus adorandus sit, quàm sub specie panis absconditus: non credebant igitur Iconomachi Corpus Christi reipsa & secundùm substantiam in Eucharistia præsens esse.

Respondeo, distinguo minorem: Non fuisset illis timendum ne idololatriæ aditum patefaceret Eucharistiæ adoratio, id est, ne Eucharistiam adorantes idololatriæ rei fierent; vel ne, Christum adorando sub naturali & propria forma hominis, idololatræ evaderent, concedo, id est ne adoratio quæ Christo justè ac religiosè exhiberetur sub alienâ hominis formâ, esset occasio adorandi pictas vel sculptas Christi imagines, quæ eâdem, quâ Christus, adoratione coli absque idololatria non possent, nego. Hæc autem sola erat Iconomachorum hypothesis, non verò prior, quam ipsis affingunt Calvinistæ, non secunda quæ nemini unquam venit in mentem. Supponebant itaque Iconomachi, Christum, si se in Eucharistia sub forma hominis exhibuisset ac tradidisset, non tamen se sub propriâ, naturali, ac vivente forma exhibiturum; alioqui Eucharistia non fuisset imago (ut ipsam vocabant) sed Christus ipse nullo velo obumbratus. Verùm id unum intelligebant ac significabant, Christum noluisse ut Eucharistia cæteris Corporis ipsius imaginibus humanâ arte effictis similis esset, sub quâ delitesceret, sicut sub specie panis delitescit; quia hanc imaginem adorando, (quod religionis esset officium) periculum esset ne cultus ille ad factitias imagines extenderetur, quæ Christum, ut ista, non continerent, sicque subintroduceretur idololatria.

Id ut clarius fiat, observandum est Iconomachos duplicem adorationem non distinxisse; relativam unam, absolutam alteram; sed absque discrimine, idololatriæ nomine infamasse cultum omnem quem Catholici imaginibus Christi vel Sanctorum deferebant: & nihilominus ipsos Eucharistiam adorasse. Id enim probant verba *Stephani Junioris* Constantinum Copronymum alloquentis: (prout ab Auctore Vitæ ipsius referuntur.) *An tu quoque Corporis & Sanguinis Christi Antitypa ab Ecclesia proscribes, ut quæ imaginem ac veram illorum figuram teneant: Quæ & adoramus, & osculamur, & eorum perceptione sanctitatem consequimur?* Cùm ex principio ab Iconomachis æquè ac à Catholicis recepto cultum imaginum probet *Stephanus*, palam est Iconomachos credidisse Antitypa, id est, Eucharistiam esse adorandam, & eam reverâ adorasse; & quidem eâ adoratione quam imaginibus Christi & Sanctorum à Catholicis exhiberi calumniabantur. At secundùm Iconomachos, cultus omnis imaginibus exhibitus vera erat adoratio soli debita Deo. Igitur Iconomachi eam Eucharistiæ adorationem deferebant, quam soli Deo deberi credebant.

Mirum porro esse non debet, quòd Eucharistiam *Antitypa* vocet *Stephanus*. Servat enim nomen quo ante consecrationem vocabantur Dona, propter species panis & vinis superstites, licèt de illis ut jam consecratis loquatur. Nec alius est illius sensus; quàm Catholicorum nunc omnium, qui Eucharistiæ Sacramentum Panem vocant, quamvis Christi Corpus in eo secundùm substantiam contineri profiteantur, & illud hoc nomine adorent. Quanquam etiam dici possit, Sanctissimum illum Abbatem & invictum Christi Martyrem, cùm nosset hunc loquendi modum ab Iconomachorum Synodo usurpatum, qui & illum veterum quorumdam Patrum auctoritate tueri poterant, noluit ipsis propter hanc vocem negotium facessere, quamvis illius in Ecclesia usus vix tum ullus esset: imò ex eâ contrà illos argumentum duxit ad hominem, quô probaret ab Ecclesia non esse exterminandas imagines: siquidem, ipsis fatentibus, Christus imaginem instituerat, scilicet Eucharistiæ Sacramentum, sub quâ suum Corpus mortalibus exhiberet: quam imaginem & ipsi adorabant.

DISSERTATIO V.

De Felicis & Elipandi errore.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Felix & Elipandus Nestorii hæresim instaurarint?

NEGAT *Vasquesius*, Disputatione 89. in I. P. *Sancti Thomæ* Cap. VII. Affirmant alii, quorum sententiam probabiliorem censeo. Sit itaque:

PROPOSITIO.

Felix & Elipandus Nestorii hæresim de duabus in Christo personis consequenter propugnavere.

Probatur primò ex Concilio Francofordiensi, in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, in quâ Patres his verbis *Felicem & Elipandum*, eorúmque sectatores alloquuntur: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali Sancta Ecclesia refutata, & damnata? Quapropter forte illum anathematizare noluistis, dum alios, Bonosum scilicet, Arium & Sabellium, Manichæumque, qui prava de Dei Filio senserunt, in Epistola vestra anathematizastis. De cujus hæresi B. Cyrillus Eulogio Presbytero scribit hoc modo dicens: Nestorius in suis Expositionibus simulat se dicere unum Filium & unum Dominum; sed refert filiationem ad solum Dei Verbum.* Et paulò post: *Dicendo enim, quia propterea Deus Verbum Christus nominatur; quia habet copulationem ad Christum, quomodo non apertum est duos dicere Christos, si Christus ad Christum conjunctionem habet, tanquam alter ad alterum? Videtur enim Nestorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem.*

Et ibidem: *Sicut Arius Filium separavit à Patre, dicendo, Erat quando non erat Dei Filius: ita per adoptionem separatis hominem Christum à Dei Filio.*

Ibidem: *Pater de cœlis intonuit, & eum Filium suum nominavit. Christus de terris in cœlos clamavit, se Filium nominavit: & cum Judæis adhuc increduli estis? Latro in Cruce eum Dominum nominavit. Centurio morientem eum videns, clamavit: Verè Filius Dei erat iste. Sed & dæmones eum verè Filium Dei summi cum suâ legione proclamarunt, sicut in Sanctis legitur Evangeliis: Et Elipandus unà cum suâ legione, negat adhuc eum verè Filium Dei esse.*

Probatur

Probatur secundò ex Epistola *Adriani Primi* ad Episcopos Hispaniæ: *Adoptivum eum Filium*, inquit, *quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum, neu pertinacis venenosâ fauce susurrare.* At asserere Christum esse adoptivum *Filium*, quasi purum hominem, est purus-putus error *Nestorii*.

Probatur tertiò ex libro Sacrosyllabo. *Dei ergo Filius*, inquit, *quâ ratione credi potest adoptivus, qui inseparabiliter assumptô homine, in una persona coenante utraque naturâ, non duo Filii, alius Dei, & alius hominis, ut (sicut illi errando existimant) adoptivus sit hominis Filius, & sine adoptione Dei Filius.* Porro alium Dei, & alium hominis filium asserere, ipsa *Nestorii* hæresis est.

Probatur quartò ex Epistola Synodi Francofordiensis ad Episcopos Hispaniæ: *Quia*, inquit, *hominem Christum verum Dei Patris Filium esse negastis, vobis defensor esse noluit, sed tradidit vos in manus inimicorum suorum.* Ibidem: *Rursus invenimus in Libelli vestri principio conscriptum, quod vos posuistis:* Confitemur & credimus Deum Dei Filium, ante omnia » sæcula, sine initio, ex Patre genitum, coæternum, » & consubstantialem, non adoptione, sed genere. » *Item post pauca in eodem loco legebatur:* Confitemur » & credimus eum factum ex muliere, factum sub » lege, non genere esse Filium Dei, sed adoptione; » non naturâ, sed gratiâ, *&c.* Hæc Liber Sacrosyllabus. Ex quibus perspicuum est, *Felicem & Elipandum*, filios in Christo duos admisisse, unum naturâ, alterum gratiâ, unum adoptione, alterum genere. Quod Nestorianæ hæreseos præcipuum caput est. C

Probatur quintò ex *Paulino* Aquileiensi Patriarchâ, lib. 1. contra Felicem. *Modo*, inquit, *Arium cum Sabellio amplectitur, modo pravum Nestorium gressu sequitur errabundo*..... Et infra: *Ait enim: Sicut enim, ut vos vultis, homo assumptus à Filio Dei mox à conceptione Virginalis uteri verus conceptus est Deus, & verus natus est Deus: quomodo ipse Filius Propheticè de semetipso ait:* Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi? *Et rursus: Qua*, inquit, *auctoritate homo Dominicus ex utero matris verus Deus conceptus, & verus Deus natus à vobis prædicatur, cùm sit naturâ verus homo, & per omnia subjectus Deo?* D

Et infra: *In duobus igitur vocabulis, proprii scilicet & adoptivi, verique & nuncupativi Dei, unicum eumdemque Dei Filium dividere, fronte impudentissimâ non formidat.*

Et post: *Si igitur nuncupativum, & non verum Deum, ut insanis capitis Vir iste fauce despumas falsissima, ex utero vera Mater genuit.... Quomodo vera Dei genitrix B. Virgo omnium Catholicorum verissimo confitebitur ore? Et rursus: Nonne tu dicis, Christum Jesum, qui interemptus est, semper vivens, & quem Deus suscitavit, non esse verum Deum? Petrus autem Auctorem eum prædicat vitæ?* E

Idem lib. 2. *Nam si permaneas in ea perfidiæ pertinacia, qua duos filios videris asserere, mox ad ima profundi lapsus detraheris.*

Ibidem: *Tu igitur dixisti, non ego, Ideo observatum esse in toto Evangelii corpore, hominis semper filium traditum, non Dei:* F

Probatur sextò ex *Alcuino* lib. 1. contra Felicem. *Nec sibi sufficiebat*, inquit, *tantummodo Christum qui de Virgine natus est, negare proprium esse Filium Dei, sed etiam hunc eumdem non consentis verum esse Deum, sed novo & inauditô Sanctæ Dei Ecclesiæ nomine, nuncupativum Deum nominare illum non times, dividens Christum in duos Filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum: Et in duos Deos, unum verum Deum, alterum nuncupativum Deum.*

Ibidem: *Igitur sicut Nestoriana impietas in duas Christum dividit personas, propter duas naturas.... ita & vestra indocta temeritas in duos eum dividit filios, unum proprium, alterum adoptivum. Si verò Christus est proprius Filius Dei Patris & adoptivus: ergo est alter & alter. Similiter si in divinitate Deus verus est, & in humanitate Deus nuncupativus, alter est; & nullatenus sic sentientes, potestis vobis evitare impietatem Nestorianæ doctrinæ.... Discite veritatis doctrinam, ne sitis magistri erroris: ne dum Eutychetis foveam declinare, & impermixtionem duarum naturarum cavere videamini, in Nestorii barathrum inconvenienter dividendo decidatis, licet voce dissimili, tamen confessione pari.*

Et lib. 5. *Videte, Lectores, novum Sanctæ Scripturæ Interpretem, qui nititur Deum disjungere ab homine assumptô, & ex uno Deo Redemptore nostro duos efficere Deos, unum verum, alterum nuncupativum; & Christum, quem tota Ecclesia Deum colit & adorat, iste novus Interpres hominem vult solitarium, juxta Nestorianam pravitatem credi.*

Et lib. 7. *Nec iterum Christum dividimus in duos Filios, vel duos Deos, vel duas cum Nestorio personas. Qui licèt duas palam non dixisset personas, tamen omnia, quæ duabus inesse necesse est personis, in sua Professione fatetur. Similiter & tu licèt fugias verba duarum personarum, tamen omnia quæ necesse est duabus inesse personis, te in tuis litteris invenimus profiteri. Quis enim nesciat, apud unum Patrem alteram esse personam adoptivi filii, alteram proprii filii?*

Et lib. 1. adversùs Elipandum: *Christus*, inquit, *divinitate, consubstantialis Patri, humanitate consubstantialis Matri, ut sit idem verus Deus & verus homo in unitate personæ; quem vos sine dubio cum Nestorio in duos dividitis filios, & in duas personas, per proprietatem & adoptionem. Non igitur idem magister vester Nestorius invenitur duas personas palam in Christo confiteri, sed omnia quæ duabus necesse est inesse personis, proferre de Christo reperitur, adoptionem, sicut & vos, humanitati adscribens, & divinitati proprietatem filii designans.*

Ibidem: *Nunquid non tu in eadem persona adoptionem esse affirmas, quam Arius olim detestabili impietate adoptivum esse asseruit? Aut si hanc blasphemiam declinare niteris, mox incidis in laqueum Nestorii in duas Christum dividens personas, unam propriam & alteram adoptivam. Nam Nestorius palam duas non nominavit personas in Christo; omnia tamen quæ duabus inesse personis necesse est, pravô sensu, id est, proprietatem & adoptionem filii, affirmavit in Christo. In ejus verò sine dubio litteris adoptionis nomen de Christo invenitur. Verba verò sunt ejusdem Nestorii post obscuros sensus & caliginosas sententias, & impias infidelitates, hujusmodi de humanitate Christi. Ait enim: Vade & multi, secundùm B. Paulum, dicimur filii, sed solus præcipuum habens hoc quod.... Verbi copulationem adoptionem participans.*

Et lib. 2. Respondens testimoniis *Sancti Augustini* ab *Elipando* interpolatis, vel ipsi suppositis, hæc habet: *Aliam quoque, quam huc usque distuli eventilare sententiam, ponis pravissimo calamo descriptam, de eadem, ut asseris, Epistola prolatam. Atque ita, inquis, & Filius Dei simul cum homine adoptivus dicitur; & filius hominis adoptivus simul cum Verbo dicitur. In cæteris incredula mens tua, & impia æstimatio de humanitate tantummodo erravit Christi; nunc verò de impietate ad impietatem pervenisti atrocissimam, affirmans Filium Dei cum homine esse adoptivum. Statimque perversâ vicissitudine eumdem repetens sensum, dixisti: Et Filius hominis simul cum Verbo adoptivus dicitur. Quid nequius, quid impius dici, vel excogitari potest, quam ut Filius Dei, id est, Verbum Dei, cum homine accepto dicatur adoptivus? Sensisti forsitan te dividere Christum cum Nestorio in duas personas, unam proprii filii, alteram adoptivi. Hunc volens vitare laqueum, incidisti in ergastulum Arianæ perversitatis.*

Et lib. 4. *Quid opus est*, inquit, *plura excipere ejusdem Libelli testimonia, dum in Ephesina civitate, ad hoc ipsum Conventus Sacerdotum Christi ex diversis Mundi partibus adunatus est, ut destrueret hanc ipsam iniquitatis Sectam, in quâ vos Nestorio irretitos esse, nulla est dubitatio? .... Hoc solùm vobis restat remedii, ut totâ mentis alacritate relinquatis infidelitatem illius Nestorii, atque vestram, quæ procuidubio ex unius radicis impietate processit..... Sed ut sciatis nos neque cum Nestorio, neque cum vestra infidelitate, Christum in duas dividere personas*, &c.

Probatur septimò ex *Agobardo*, libro adversùs *Felicem*, ubi de illo ita scribit: *Nullatenus aquiescebat sentire: nec suadere sibimet ita valebat, ut crederet in uno Domino nostro Jesu Christo duarum naturarum unitionem substantialiter factam, & Deum Verbum secundum subsistentiam carni unitam; sicut liquidò in consequentibus ex verbis illius apparebit .... Timens enim permixtionem Eutychetis incurrere, corruit in divisionem Nestorii. Sed quia eum, de quo sermo est, corruisse diximus in Nestorii pessimam divisionem, opportunum puto esse, hoc in loco ponere sententias Nestorii, antequam ad hujus dicta discutienda veniamus; ut prudens Lector cognoscere valeat, quàm consona Felix Nestorio senserit, & ubicumque male utramque in uno Domino dividit substantiam, & confugit iterum quasi ad unitatem personæ, dicendo: Unus tamen in utroque, non duo; quantùm & in hoc eundem Nestorius imitetur.*

Probatur octavò ex *Jona* Aurelianensi Episcopo, lib. 1. de cultu imaginum, ubi cùm de *Felice Urgelitano* sermonem fecisset, subdit: *Milites Christi invictissimis armis muniti, ejus vesanam doctrinam propulsaverunt. Ejusdem namque Principis jussu in unum coacti, adhibitâ etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate: eumdem Felicem damnarunt: immò cum Auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathemati manciparunt.* His *Sigibertus* in Chronico ad annum 793. & *Sanctus Antoninus* II. p. Chronicon Tit. XIV. suffragantur.

Objectionibus Vasquezii respondetur.

Objicit Vasquezius: Si *Elipandus* & *Felix* planè fuissent Nestoriani, & duas in Christo asseruissent personas, non adeo suæ sententiæ confidissent, ut à *Carolo Magno* postularent Concilium, à quo ut sua sententia probaretur, possent efficere: Atqui *Elipandus* & *Felix* Concilium à *Carolo Magno* postularunt: Errorem igitur *Nestorii* non propugnabant.

Respondeo, *Elipandum* & *Felicem*, non disertis quidem verbis *Nestorii* dogma tradidisse, ita ut duas in Christo personas expressè nominarent sed nomine duntaxat adoptionis usos esse, quam ita explicabant, ut reipsa nihil aliud planè quàm *Nestorius* sentirent: quia neque eam à nostra adoptione distinguebant; nec majorem humanitatem inter & Verbum admittebant unionem, quàm moralem & secundùm dignitatem: neque adoptionem soli humanæ naturæ, sed homini tribuebant, quem adoptione hujusmodi priorem debebant consequenter fateri. Non mirum itaque quòd Concilii Judicium à *Carolo Magno* postulaverint; quia vel non intelligebant modum quô suum exponebant ac propugnabant errorem in hæresim *Nestorii* reipsa recidere: vel spetabant (quod Hæreticis non insolens est) se simulatione suâ fucum facturos Synodo, & alios in partes suas pertracturos.

Objicit secundò *Vasquezius*, Patres Concilii Francofordiensis, cùm de *Felicis* & *Elipandi* errore loquuntur, ipsum vocare *novum & inauditum in Ecclesia*. At error eorum non fuisset novus & inauditus, si revera Nestoriani fuissent.

Respondeo, Novum dici errorem quoad modum explicandi, non quoad rem ipsam. Unde & vetus ab eadem Synodo appellatur in libro Sacrosyllabo: *Elipandum namque & Felicem*, inquit, *novos hostes Ecclesiæ, sed veternosâ fæce perfidiæ pollutos*, &c. Et paulò superiùs: *Hæresim veternosam, illustrium, fortium scilicet Virorum calcibus mirabiliter inculcatam, Catholicâque falce olim funditus detruncatam, spinosa moliuntur redivivâ radice suscitare de stirpe.*

Objicit tertiò *Vasquezius*, nusquam *Hadrianum Primum*, & Synodum, Testimonia contra *Felicem* & *Elipandum* protulisse ad personæ unitatem in Christo comprobandam; sed eâ suppositâ, errorem de adoptiva Christi filietate evertisse. Porro si Nestoriani fuissent, convincendi fuissent, sicut *Nestorius*, testimoniis probantibus unitatem personæ in Christo.

Respondeo, falsum esse antecedens Epistola namque Concilii ad Episcopos Hispaniæ, hujusmodi testimoniis est referta, (ut legenti evidens est) ad quam si attendisset *Vasquezius*, id tam confidenter non negasset.

Objicit quartò *Vasquezius*, ipsum *Elipandum* in Confessione fidei, quæ legitur apud *Etherium*, unam in Christo personam disertè profiteri. *Cujus nempe gloriam*, inquit, (scilicet Christi) *secundum divinitatem stupent cælestia, & magnitudinem contremiscunt terrena; & qui dicit: Gloriam meam alteri non dabo: homo interior in una eadémque Dei persona agglomeratus, atque carnis vestimento indutus.* Elipandus itaque Nestorianus non fuit.

Respondeo, *Elipandum* & *Felicem*, etsi verbo tenus unicam in Christo personam agnoverint, reipsa tamen duas invexisse. Hæc enim verba ex *Elipandi* Confessione prolata, majorem unionem non iodicant, quàm accidentariam. Quòd revera duas cum Nestorio personas in Christo admiserit, verba immediatè sequentia probant. *Quia*, inquit, *non per illum qui natus est de Virgine, visibilia & invisibilia condidit: sed per illum, qui non est adoptione, sed genere; neque gratiâ, sed naturâ.* - Ubi evidenter *illum*, & *illum* distinguit, id est, duos filios, & duas personas. Quòd si unitatem personæ admisit, vel admittere se simulavit, id pari versutia fecit ac *Nestorius*, qui & unius personæ nomen admittebat, nec tamen illo utebatur ad significandam unionem physicam & secundùm hypostasim; sed moralem, propter unitatem dignitatis & honoris, quomodo vir & uxor, vel duo amici, dicuntur una persona. Hinc *Etherius* & *Beatus*, Symbolo fidei Elipandi recensito, aiunt ipsum incurrisse anathema denunciatum à *Sancto Joanne* his verbis: *Omnis Spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus.* Quid est, inquiunt, *solvere Jesum, nisi seorsum Deum, & seorsum hominem prædicare? Ipse sine dubio solvit Jesum, qui prædicat populo dicens: Nunquid per illum qui natus est de Virgine visibilia & invisibilia condidit, an per illum, qui non est adoptione, sed genere, nec gratiâ, sed naturâ, cuncta creavit? Et ideo absque dubio per illum, quem sibi coæqualem & sine adoptione genuit, cuncta creavit. Et per ipsum Dei simul & hominis filium, Verbum carnem factum, adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit. Videte Spiritum qui solvit Jesum.*


Id ampliùs constat ex verbis *Elipandi*, quæ à Synodo Francofordiensi referuntur in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, quibus vocabat Christum *Hominem Deificum* & *humanatum Deum*. Quæ refellens Synodus ait: *Una persona Deus & homo; non homo Deificus, & humanatus Deus.* Qui loquendi modus ideò à Concilio rejicitur, quia significat Deum non verè ac propriè esse hominem, nec hominem Deum, sed denominatione & appellatione quadam. Unde etiam in eadem Epistola dicitur: *Adoptivus non habet aliam significationem, nisi ut Jesus Christus non sit proprius filius Dei, neque ex Virgine ei in filium genitus, sed nescio ex quo servo adoptatus in filietatem (ut vos dicitis.)*

Eodem

Eodem modo diluitur objectio petita ex his *Elipandi* verbis in Epistola ad Alcuinum : *Cum ergo unus sit Dominus Jesus Christus, & vera Deitatis, veraque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit* : &c. His enim non obstantibus, *Alcuinus* hanc Epistolam refellens, probat *Elipandum* duas in Christo asserere personas, quamvis unam verbis tenus confiteri videatur. *Ecce, inquis, cui dicit Pater, Deus tuus ego sum; non ei, id est: Verbo qui ante sæcula ex Patre genitus; sed illi qui in finem temporis de Maria Virgine homo factus est, dicit: Quomodo in hisce tuis verbis duas non intelligis in Christo personas te affirmare, dum dicis;* Ei, & illi? *Quasi alius sit qui ex Deo Patre genitus est, & alius qui ex Virgine Matre factus est, dum Evangelista dicit: Verbum caro factum est.*

Et infra, de *Sancto Leone* loquens, cujus auctoritate abutebatur *Elipandus*, ait: *Atque utinam ita te credere ostenderes, sicut in illius Beatissimi Doctoris litteris te legere agnovimus; dicit enim ille Doctor eximius ... LICET ergo in uno Domino Jesu Christo vero Dei atque hominis filio, Verbi & carnis una persona sit, quæ inseparabiliter atque indivisè communes habeat actiones? Nonne unum eumdémque verum Dei Filium, & verum hominis filium, contrà tui erroris impietatem, his verbis iste Catholicus Doctor, quem tu ipse in medium deduxisti, affirmat?*

Denique, *Felicem Urgelitanum*, sincerò animò & absque fuco unam in Christo personam confessum non fuisse, & illam ipsam de unitate personæ Christi Confessionem suam destruxisse, probat *Alcuinus*, lib. 5. *Tandem*, inquit, *illo pervenimus, ubi destruis quod ædificasti, & confiteris quæ negasti. Jam nescio utrum subdolà simulationis prioribus tuis sermonibus meliùs crederetur, quibus multimodà argumentationis veritatem impugnare probaris, aut cum diabolo timore perterritus, nolens, Christum Dei filium esse confiteris.... Dicis enim eumdem esse filium Dei, qui est & filius hominis, & Filium hominis qui est Filius Dei, ut ex tuis verbis cognosci poterat.* QUI ILLUM (inquis, *sibi ex utero matris, scilicet ab ipso conceptu, in singularitate sua persona ita univit atque conseruit, ut Dei Filius esset hominis filius, non mutabilitate naturæ, sed dignatione: similiter & hominis filius esset Dei filius, non versibilitate substantiæ, sed in Dei filio esset verus filius? Nec mirandum est, si ab aliis in Catholica professione dissentire probaris, dum tibi ipsi per vices discordare videris. In hâc enim sententiâ tuâ Catholicus æstimari potuisses, si priùs te ipsum in pravitate tui erroris non ostenderes*, &c. Et infrà; *Si ergo, secundùm tuam sententiam, verus Dei filius bis genitus est, & est verus Dei filius in utrâque nativitate, paternâ scilicet & maternâ, quomodo potest fieri ut non sint duo filii ex matre nati: unus quem tu asseris, Catholica voce, verum esse filium Dei; alter quem tua perversitas verum non esse filium Dei affirmat? Verum & non verum, nullatenus unum esse potest. Sic etiam verus filius, & non verus filius, nullatenus unus esse poterit filius, nec Deus verus, & Deus nuncupativus unus esse poterit.*





PANOPLIA
ADVERSUS HÆRESES OCTAVI SÆCULI.

DISSERTATIO VI.

De Imaginibus.

Adversùs veteres novósque Iconomachos: Ac præsertim contra libros IV. JOANNIS DALLÆI *Calvinistæ Ministri.*

QUÆSTIO UNICA.

Utrum usus, cultúsque Imaginum Christi, & Sanctorum, pugnet cum lege Dei?

ASSERTIO CATHOLICA.



SUS cultúsque Imaginum Christi & Sanctorum, cum Lege Dei nullatenus pugnat, immò Religioni consentaneus est, & Fidelium excitandæ pietati utilis.

§. I.

Dogma Catholicum ex Scripturâ Sacra probatur: & objectiones Dallai & aliorum, ex eadem petita, diluuntur.

I. PRobatur imaginum usum cum lege Dei nullatenus pugnare, ex aureis Cherubim imaginibus, quas Deus extrui jussit ex utraque parte Tabernaculi, & super Arcam testimonii. (Exodi cap. 21.) *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes Oraculum, respiciántque se mutuò versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, in quâ pones testimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim.* At si lege Decalogi vetitus esset Imaginum usus, imagines Cherubim super arcam collocari non præcepisset. Itaque usus Imaginum lege Dei non est vetitus.

Secundò id probat æneì serpentis conflatio & erectio, Deo mandante, (Numerorum 21.) *Oravitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad*
A *eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: Qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo; quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Lege itaque Dei vetitus non fuit imaginum usus quilibet. Sanè Serpentem æneum Christi in Crucem elati figuram fuisse constat ex ipsius Servatoris verbis: *Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Si ergo licitus fuit ac salutaris usus veteris figuræ, quæ futuram Christi passionem adumbrabat: cur illicitus & noxius censeretur usus imaginis, quæ Christum in Cruce passum, aut aliâ formâ exhibet?

B II. Cultum verò imaginum legi Dei non repugnare, probatur exemplo *Jacob* Sanctissimi Patriarchæ, qui cùm singulis filiis *Joseph* benedixisset, *Fide adoravit fastigium virgæ ejus*, (ex Apostolo ad Hebræos cap. 11.) Ibi adorationis nomen pro externo venerationis testimonio, quod incurvatione corporis, salutatione, vel osculo exhibetur, usurpari perspicuum est, non pro servitute quæ Deo soli exhibetur. Constat enim ex Genesis cap 47. Jacob *conversum ad lectuli caput, Deum adorasse.* At quod
C de virgæ adoratione Apostolus commemorat, nihilominus verum est. Cultus autem ille fuit religiosus, utpote à fide impetratus: nec in ipsâ virgâ sistebat, quam per se fuisse adoratam perabsurdum est, sed vel ad ipsum *Joseph* illud honoris & dilectionis testimonium referebatur; vel ad Christum, cujus regia potestas per fastigium virgæ *Joseph* adumbrabatur. Porrò si non repugnabat legi Dei cultus & honos fastigio virgæ *Joseph* à *Jacob* exhibitus; nec pugnat cum eâ veneratio exhibita imaginibus Christi & Sanctorum, ad significationem honoris amorisque quô Christum ipsum & Sanctos prosequimur.

III. Arcam fœderis. Dei figuram fuisse nemo
D nescit qui sacras Litteras novit. Huic propterea venerationem à Sanctis veteris Testamenti meritò adhibitam. (Josue 7.) *Josue scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quàm omnes Senes Israel.* Quantâ veneratione, quàm sacra solennique pompâ, quàm religiosô apparatu, *David* Rex & Propheta Arcam è domo *Abinadab*, & è domo *Obededom* Hierosolyma reduxerit, Historia sacra testatur, *II. Regum cap. 6.* & Oza qui eam temerè attigerat à Deo percussum, & occisum: & *Obededom*, cujus in domo

quievit, divinis benedictionibus cumulatum. Quæ autem Arcæ adhibebatur veneratio, nec honor merè civilis erat, nec soli Deo debitur cultus; sed reverentia & honor rei sacræ, & ad religionem pertinenti debitus. Gradum igitur aliquem religiosi cultûs rebus sacris impendere, earum intuitu ad quas referuntur, quatenusque respectu sanctæ dicuntur, à lege Dei non est alienum; imò eidem maximè consentaneum est. Igitur nec religiosus cultus imaginum Christi, & Sanctorum, ullatenus repugnat legi Dei.

Confirmatur ex Psalmo nonagesimo-octavo. *Exaltate Dominum Deum nostrum*, inquit: *& adora e scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Quibus verbis Arcæ venerationem imperari constat ex verbis Davidis I. Paralipomenon cap. 28. *Cogitavi ut ædificarem domum, in quâ requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri.* Consentiúntque Pseudo-Reformati Interpretes. Porro si Arca dicitur sancta, ejúsque veneratio præcipitur ob relationem & habitudinem ad Deum cujus singularem præsentiam ad protegendum populum electum significabat, inquè omnino damnant Calvinistæ venerationem imaginibus Christi & Sanctorum delatam, ceu rebus sacris, ex habitudine ad Christum & Sanctos quos repræsentant, velut à lege Dei alienam.

IV. In Scripturis Veteris Novique Testamenti legimus, Deum & Angelos sese viris Sanctis conspicuos præbuisse. Illos verò in formis assumptis, corporeis licèt ac sensibilibus sive per formas illas & imagines externas illorum præsentiam, substantiam, aut virtutem significantes, sive coram illis, coluerunt & venerati sunt. Cur igitur à lege Dei alienum putant Calvinistæ, Christum & Sanctos per ipsorum imagines, aut in imaginibus colere, & imagines ipsas, propter prototypa, quodam honore prosequi, tanquam relatione & habitudine sacras? Quod enim ex auro, argento, ligno, vel lapide sit exsculta aut conflata, vel penicillo ex coloribus expressa, vel ex ære, aut quavis aliâ materiâ sensili efformata effigies, ad rationem imaginis nihil interest.

V. Voces & nomina rerum significatarum signa sunt, & imagines quædam fluxæ & transitoriæ, sicut imagines signa sunt stabilia & permanentia prototyporum. At prioris signa generis veneramur. Quis enim sanctum nomen *Jesu* non honoret, prædicante Apostolo: *In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum?* Igitur & imaginem Christi venerari licet, expeditque. Et sicut sacrum *Jesu* nomen propter litteras & syllabas non colimus, sed quia signum est nobis in memoriam revocans Christum Jesum Redemptorem nostrum, & nostræ salutis auctorem: ita Christi non colimus imaginem propter seipsam, sed propter Servatorem quem exprimit. De Sanctorum imaginibus idem sentiendum est. Enimvero si quoties nomen Regis audimus, reverentiam erga illud nostram salutationis testamur officiô, non ob nomen ipsum, sed propter Majestatem Principis cujus signum est: cur auditis Sanctorum nominibus nostram adversùs illos venerationem ex religionis officio pietatisque affectu non testemur? Quidni ergo & ipsorum veneremur imagines ut nostram erga illos venerationem testemur & amorem?

Lex Dei quarumlibet imaginum usum non prohibet.

VI. Objiciebant veteres Iconomachi, idémque novi objectant. Dei mandatum, Exodi vigesimo capite, similitudinem omnem prohibentis: *Non facies*, inquit, *tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles.* Igitur adversùs Dei legem committit, qui Divorum imagines colit.

Respondeo, Hâc Dei lege prohiberi duntaxat idola, id est, falsorum Numinum simulachra, vel rerum quarumvis creaturarum effigies, eô fine factas ut locô Dei adorentur; non verò imagines quascumque. Quod ex antecedentium & consequentium verborum serie patet. Præmittuntur enim illa verba: *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me.* Ista verò subsequuntur: *Non adorabis ea, neque coles*: Idola scilicet Deos alienos repræsentantia. Hinc pro *Sculptili*, Septuaginta Interpretes *Idolum* vertunt. Et *Moyses* versu vigesimo-tertio ejusdem Capitis, divinum illud interdictum de Sculptili non faciendo, clariùs explicat his verbis: *Non facietis Deos argenteos, neque Deos aureos.* Duæ itaque illæ sententiæ: *Non habebis Deos alienos in conspectu meo*, Et: *Non facies tibi sculptile, &c.* sunt unum Decalogi præceptum, ut docent *Clemens Alexandrinus* lib. 6. Stromatum, *Sanctus Hieronymus* in Psalmum trigesimum-secundum, & *Sanctus Augustinus* Quæstione septuagesimâ primâ in Exodum, & Epistolâ centesimâ decima-nonâ ad *Januarium* datâ, cap. undecimo. Quamvis *Josephus* & Philo Judæus, & post illos Auctores Commentariorum in Epistolas *Sancti Pauli* Sanctis *Ambrosio* & *Hieronymo* olim adscriptorum, in Epistolæ ad Ephesios caput sextum, sententias illas ad duo præcepta distincta referant. Sanè unicum esse præceptum longè probabilius est: cùm alioqui non decem, sed undecim numeranda essent Decalogi præcepta: & cùm hæc duo: *Non habebis Deos alienos*; Et *Non facies tibi sculptile*; in eumdem scopum collineent, ut scilicet unum Deum coli jubeant, ut disertè asserit *Sanctus Augustinus*, Quæstione laudatâ in Exodum, *Illud*, inquit, *ubi dictum est*: Non erunt tibi Dii alii præter me, *apparet hujus rei diligentiorem executionem esse in iis quæ subjecta sunt. Quò enim pertinet*, Non facies tibi idolum, neque ullum simulachrum.... Non adorabis ea, neque servies illis: *nisi ad id quod dictum est: Non erunt tibi Dii alii præter me?* Et Epistola laudatâ: *Prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus: sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse; nec ipsa pro illo, sed cum illô.* Sanè si Deus quarumlibet imaginum usum prohibuisset, non præcepisset ipse fabricationem Cherubim aureorum, eorúmque collocationem super Arcam. Neque verò imaginum Christum vel Sanctos exprimentium veneratio, qualis rebus aliis sacris, puta Codici Evangeliorum exhibetur, ea lege magis prohibita est, quàm earum usus. Siquidem illud lege non est vetitum, quod fini Legis minimè adversatur. Finis autem præceptorum primæ tabulæ est, ut suus Deo illibatus servetur honos, eique soli debita exhibeatur servitus. Quod veneratio sacrarum imaginum propter Christum & Sanctos, non prohibet; cùm immensùm distet à supremo illô cultu & servitute, quam Deo exhibemus.

Istius cultûs rationem explicat, & cum Decalogi suprà laudato præcepto non pugnare, disertè probat *Leontius* Neapolis in Cypro Episcopus, lib. quinto *Apologiæ Christianorum contra Judæos, & de Sanctorum Imaginibus*, prout laudatur in Synodo Septimâ, Actione quartâ: ubi Judæos refellit, qui Christianos accusabant, quòd contra Decalogi mandatum imagines colerent. *Penes nos*, inquit, *sicut Dii non adorantur Sanctorum caracteres, & Icones, vel forma. Si enim ut Deum adorarem lignum imaginis, possem profectò & ligna reliqua adorare. Nam si ut Deum lignum adorarem minimè utique deletô caractere Iconam incenderem.... Et sicut is qui jussionem Imperatoris suscepit, & salutavit sigillum, non lutum adoravit, aut chartam, aut plumbum, sed Imperatori adorationem, & cultum impendit: ita & nos Christianorum pueri, figuram Crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed signum, & annulum, & caracterem*

caracterem Christi; eùm aspicientes per eum illum qui in eo crucifixus est; salutamus, & adoramus. Et sicut pueri proprii patris cujusdam qui peregrè profectus est ad tempus ab illis, multò erga eum affectu exanimà flagrantes, sive virgam ejus in domo videant: sive sedem, sive chlamidem, hæc cum lachrymis deosculantes amplectuntur; & non illa adorant, sed Patrem desiderant & honorant; ita & nos omnes Fideles, ut virgam Christi, Crucem adoramus; ut sedem verò & cubile, ipsius sanctissimum Monumentum; ut domum, præsepe & Betbleem, &c. Non locum, neque domum, neque regionem, vel civitatem, aut lapides honorantes, sed eum qui in illis conversatus est, & illuxit, & in carne innotuit, atque ob errore liberavit, Christum B *videlicet Dominum nostrum; & per Christum ea quæ sunt Christi, passionem in Ecclesiis, in domibus, & plateis, & in imaginibus, & in sindonibus, & in penetralibus, & in vestimentis, & in omni loco formamus: ut incessanter aspicientes hæc, commoneamur, & non obliviscamur, ut tu (Judæe) oblitus es Domini Dei tui. Et sicut tu adorans librum Legis, non naturam pellium, vel atramenti: quæ in ipso est, adoras, sed verba Dei quæ in illo continentur: ita & ego imaginem Christi adorans, non naturam lignorum & colorum adoro (absit) sed inanimatum caracterem Christi tenens, per eum, Christum tenere mihi videor & adorare.* C *Et sicut Jacob acceptam à filiis suis tunicam variam & sanguinolentam Joseph, deosculatus est eum lachrymis, & propriis oculis hanc circumposuit: & non vestimentum amans, vel honorans hoc fecit, sed per id æstimans Joseph osculari, & in manibus eum habere: Ita & Christiani universè Imaginem Christi, vel Apostolorum aut Martyrum tenentes aut salutantes carne, Christum ipsum, vel Martyrem ejus, animo nos tenere existimamus.*

VIII. Objicit *Dallæus*, *lib. 2. de Imaginibus cap. 6.* Veterum auctoritatem, qui præceptô Decalogi vetitas imagines quascumque disertè testantur. Ita D *Clemens Alexandrinus* lib. 5. Stromatum, ubi id Mosis Edictum, quô sunt vetitæ imagines, cum quodam *Pythagoræ* dicto comparant: *Moses*, inquit, *multis ante sæculis apertè legem sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel fictam, vel pictam imaginem, simulachrúmve facere, ut sensilia minimè attenderemus, sed ad ea transiremus, quæ percipiuntur intelligentiâ. Ut Dei enim Majestas vilis & contempta reddatur, efficit quæ est in promptu videndi consuetudo, & quæ intelligentiâ percipitur, essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere.*

Sic *Tertullianus* lib. *de Spectaculis*, cap. 23. *Jam verò*, inquit, *ipsum opus personarum, quæro an Deo* E *placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quantò magis imaginis suæ?* Clarum est existimasse *Tertullianum*, laudatô Decalogi mandatô simpliciter & absolutè, vetari omnem omnino similitudinem, quacumque ex materiâ, quocumque artificiô effictam, quemcunque in usum, sive religionis, sive ipsius communis vitæ adhibitam. Id apertissimè docet proximè recitatus ejus locus, in quô personarum usum ex hoc præceptô refellit; absurdè, nisi eum constituisse intelligamus, omnes omnino imagines divinâ hâc lege vetitas, non autem eas tantùm, quæ res inanes & commentitias repræsentant, quæque latriæ cultu adorantur. Ille sanè in libro *de* F *Idololatria*, cap. 3. *Diabolum ait sæculo intulisse artifices statuarum & imaginum, & omnis generis simulachrorum.* Et Cap. sequenti, de Domino loquens: *Totô mundô*, inquit, *ejusmodi artibus interdixit servis Dei.* Tum capite sequenti solvit, quod sibi objici posse intelligebat, serpentis ænei simulachrum Dei jussu in deserto erectum fuisse, respondens eumdem Deum, qui lege vetuit similitudinem fieri, serpentis similitudinem edixisse. *Si eumdem Deum observas*, inquit, *habes legem ejus, Ne feceris similitu-*A *dinem. Si & præceptum factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Moysem. Ne facias adversùs legem simulachrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit.* Itaque cùm *lib. 4. contra Marcionem*, cap. 22. probare instituisset, *Moysem* & *Eliam* in monte Thabor cùm *Jesus* transfiguratus est, à *Petro* agnitos extraordinariæ ectaseos lumine, non autem naturali aliquâ notitiâ, nunquam ipsi visas eorum imagines inde astruit, quòd ullas lex fieri vetet. Hæc enim probatio necessariò exigit, ut non falsorum modò Numinum, sed & sanctorum virorum imagines facere Judæis nefas fuisse putaverit *Tertullianus*. Nam omnem hanc ejus argumentationem fu-B tilem esse & vanam liquet, si Judæis hujuscemodi imagines & facere, & habere licuit, quales hodie in Romanæ Ecclesiæ communione defenduntur. Objicientibus verò artificibus, sibi fame pereundum, nisi hanc, quam unam noverant, artem exerceant; suadet ut industriam ad aliquod opus suo simile transferant. Qui signum describebat, abacum linat; qui Martem ex tiliâ exsculpebat, armarium compingat, & artes denique exerceat, quæ sine exorbitatione disciplinæ victum præstant. Quis non intelligit istum, si putasset sola idola Christianis vetita, non autem omnia omnino simulachra, hôc locô hujus C generis artifices moniturum fuisse ut fingendis Cæsarum aliorúmque viventium imaginibus operam darent, unde non minor neque incertior quæstus rediturus erat, quàm ex Deorum signis? Quòd si illius temporis Ecclesia omnis generis imaginibus sic ornata & variegata fuisset, ut est hodie Romana, quis dubitat quin istos jussurus fuerit, non artem, sed speciem operis mutare, Christique Sanctos & Martyres, pro Diis, dæmonibusque fingere. Cùm ergo nihil hujusmodi *Tertullianus* suggerat, cùm artes istas planè abroget; perspicuum est putasse eum lege divinâ pariter vetitum esse, & Ecclesiæ Sanctos, & D Paganorum Numina pingere. Hinc *Hermogeni* picturam tanquam grave crimen objicit libro adversùs eum conscriptô, cap. I. *Præterea*, inquit, *pingit illicitè, nubit assiduè: legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit; bis falsarius, & cauteriô, & stylo totus adulter, & prædicationis, & carnis.*

Respondeo ad primum, *Dallæum* fraudulenter & imperitè allegare testimonium *Clementis Alexandrini*, ut probet imagines omnes præceptô Decalogi vetitas, cùm de falsorum Deorum imaginibus ipsum loqui sit evidentissimum. *Rursus autem*, inquit, *non esse gestandos annulos, neque Deorum imagines esse eis insculpendas, sicut Moyses multis antè* E *sæculis apertè legem sanxit*, &c. quæ in objectione descripta sunt. Idque hæc verba liquido ostendunt: *Ut Dei enim Majestas vilis & contempta reddatur, efficit quæ est in promptu videndi consuetudo.... Quocirca Ægyptiorum quoque Sacerdotum sapientissimi Minervæ Ædem sub dio esse constituerunt, ut Hebræi, qui templum posuerunt absque simulachro. Sunt autem qui Deum colentes, factâ cœli effigie, quæ astra continet, eum adorant.* Solùm ergo *Clemens Alexandrinus* voluisse videtur, divinæ legis interdictô vetitas fuisse falsorum Numinum imagines, quales à Paganis in annulis exsculpebantur, quas *Pythagoras* prohibuit. Sed etsi veri quoque Dei imaginem effingi F nefas esse existimaverit, atque Mosaïca lege prohibitum, quod ipsum sensisse probabile est, id contra Christi Sanctorúmque imagines non pugnat. Dei, cùm sit incorporeus & immaterialis, imaginem licitè effingi non posse, Veteres penè omnes, & ii etiam Patres, qui post exortam Iconomachorum hæresim scripsere, senserunt; eamque sententiam *Tostatus*, & *Durandus*, in III. Sententiarum Distinctione IX. Quæst. II. sunt amplexati, quibus favere videtur Scriptura Sacra, Deuteronomii quarto capite: *Non vidistis aliquam similitudinem, in die quâ locutus est*

Clemens Alexandrinus explicatur.

vobis

vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè decepti, faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminæ &c. Et Isaiæ quadragesimo capite: *Cui*, inquit, *similem fecistis Deum? Aut quam imaginem posuistis ei? Cui assimilastis me, & adæquastis? Dicit Sanctus.* Et Actuum 17. *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus existimare auro & argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominum, Divinum esse simile.* Sed de hoc inferiùs uberior sermo habebitur.

VIII. Objicit *Dallæus* alium *Clementis Alexandrini* locum, lib. 6. Stromatum: *Quemadmodum*, inquit, *qui aliena furatur, cum magnam faciat injuriam, in ea quæ meretur mala, jure incidit; ita qui divina opera sibi vindicat per fingendi, vel pingendi artem, & dicens se esse effectorem plantarum, & animalium & similiter, qui veram imitantur Philosophiam, fures sunt.* Objicit & illud ejusdem Patris in Protreptico, *Nobis enim est apertè vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim*, inquit Propheta, *cujusvis rei similitudinem, eorum quæ sunt in cælo, & quæcumque sunt in terrâ infra.* Igitur non solas falsorum Deorum, aut etiam veri Dei imagines, sed quascumque rerum creatarum, sive inanimatarum, seu viventium, seu hominum terrenam adhuc & mortalem vitam agentium, sive cum Christo regnantium, imagines, Decalogi præcepto vetitas existimavit *Clemens Alexandrinus.*

Respondeo, *Clementem Alexandrinum* pingendi sculpendique artes non damnare, aut à Deo vetitas asserere, sed in eos duntaxat stylum stringere artifices, qui se per fingendi vel pingendi artem, animantium vel plantarum exsculptarum, aut pictarum auctores esse primos gloriabantur, & hoc furti quoddam esse genus divinæ omnipotentiæ facti, quæ omnia occultè operatur: cujus homines, aliæque causæ creatæ solummodò ministræ sunt. *Qui ergo*, inquit, *dixerit se aliquid excogitasse, vel fecisse ex iis quæ pertinent ad creationem, impii & nefarii incœpti dabit pœnas. Nam generali & universâ Dei Providentiâ, per ea quæ moventur propinquius, per submissionem transmittitur ad singularia efficax operatio.* Sed *Clementem Alexandrinum* in omne imaginum genus non invehi, neque illud existimasse divinâ lege prohibitum, sed falsorum duntaxat Numinum simulachra, constat ex iis quæ paulò superiùs habet in eadem paginâ. *Est autem adulterium, si quis relictâ Ecclesiasticâ & verâ cognitione, & de Deo persuasione, accedat ad falsam, quæ non convenit opinionem, aut in Deos referens aliquid ex iis quæ sunt genita, & alicujus ex iis quæ non sunt simulachrum aliquod constituens, vel transiliens eam cognitionem, vel potius ab eâ desiliendum.... Quocirca præclarus quoque Apostolus unam fornicationis speciem vocat Idololatriam, consequenter Prophetæ* qui dicit, Mœchatus est cum ligno & lapide. Ligno dixit, Pater meus es tu, & lapidi; Tu me genuisti.* Et paulò adhuc superiùs, solas imagines quæ ad Idololatriam effinguntur, primo Decalogi præceptô prohibitas disertè docet. *Et primum quidem*, inquit, *præceptum Decalogi ostendit unum solum esse Deum omnipotentem, qui populum transtulit ex Ægypto per solitudinem in terram patriam, ut per divinas quidem operationes comprehenderent, ut poterant, ejus potentiam: ab eorum autem, quæ sunt genita, abstinerent idololatriâ, omnem spem habentes in Deo, qui est ex veritate.*

* Jerem. 3.

Nec alius sensus est loci à *Dallæo* laudati ex Protreptico, ut ex antecedentibus & consequentibus liquet. *Beati ergo*, inquit, *illis omnes duntaxat ex Sibyllæ sententiâ.*

Qui sibi visa licèt Divorum templa negabunt:
Surdorum & lapidum quæ sunt altaria sedes:
Ex lapide & manibus simulachra effecta virorum,
Cæsorum quæ sunt animatô infectâ cruore
Quadrupedum; bipedum, volucrúmque, & cæde ferarum.

Nobis enim est apertè vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim (inquit Propheta) cujusvis rei similitudinem, &c. Revera enim Cererem Praxitelis, & Proserpinam, & Jacchum mysticum Deos existimaremus, vel Lysippi artes, vel manus Appellis, quæ divinæ existimationis figuram præbuere materiæ. Sed vos quidem ut statua fabricetur pulcherrima, valde adlaboratis: ne autem propter insensibilitatem efficiamini statuis similes, non curatis.

IX. Ad ea quæ ex *Tertulliano Dallæus* objicit, respondeo, ipsum imperitè locum ex libro *de Spectaculis* laudatum proferre, ut imaginum genus omne Dei lege vetitum *Tertulliano* visum fuisse probet. Ibi namque de similitudine falsâ, vel ad idololatriam efficiâ loqui *Tertullianum*, tum ex loci adjunctis, cùm ex antecedentibus perspicuum est. *An Deo placebit*, inquit, *auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot statuarum; velut Sacerdos coronatus, vel coloratus ut leno, quem curru rapiendum diabolus adversùs Heliam exornavit? Placebit, qui vultus suos novaculâ mutat? Infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, & Isidi, & Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic objicit: quasi de præcepto Domini ludat? Jam verò ipsum opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quantò magis imaginis suæ? Non amat falsum Auctor veritatis: adulterium est apud illum omne quod fingitur. Proinde vocem, sexus, ætates mentientem, amores iras, gemitus, lacrymas adseverantem, non probabit, qui omnem hypocrysim damnat.* Præterea totus est cò in libro *Tertullianus*, ut probet, *Ex Idololatria universam spectaculorum paraturam constare.* (Cap. 4.) Communem esse ludorum originem, communes titulos, *Ut de communibus causis perinde apparatus communes habeant necesse est de reatu generali idololatriæ conditricis suæ.* Circi pompam, quorum sit, *probari de simulachrorum serie, de imaginum agmine..... ex sacris, & sacrificiis præcedentibus, intercedentibus, succedentibus.... Et si pauca simulachra circumferat, in uno idololatriam esse.* (Cap. 7.) Rem equestrem olim simplicem peritè equitandi studiô, cùm in ludos transiit, idololatriâ fuisse contaminatam: *Castori & Polluci, Neptuno, quadrigæ Solis, bigis Lunæ* deputari (Cap. 9.) *Artes scenicas de gestu & flexu corporis mollito Veneris & Liberi immolare; illi per sexum, illi per luxum dissolutis. Quæ verò voce, & modis, & lyris transiguntur, Apollines, & Musas, & Minervas, & Mercurios mancipes habere.... Dæmonas ab initio prospicientes sibi, inter cætera Idololatriæ, etiam spectaculorum inquinamenta, quibus hominem à Deo avocarent, & suo honori obligarent, ejusmodi quoque artium ingenia inspirasse.* (Cap. X.) *Agonum apparatus idololatriam conspurcare de coronis profanis, de Sacerdotalibus Præsidibus, de Collegiorum Ministris, de ipsô postremò boum sanguine: Alios sacros funebres, aut Diis nationum, aut mortuis fieri.* (Cap. XI.) Munus, quod alterum spectaculi genus est, quô se Veteres officium facere mortuis arbitrabantur, parentationis, adeóque idololatriæ speciem esse. *Dæmonia* enim *in mortuorum idolis consistere; pluribus & asperioribus nominibus amphitheatrum consecrari, quàm Capitolium. Omnium dæmonum templum esse. Martem & Dianam utrisque ludis præsidere.* (Cap. 12) &c. Ex quibus patet, *Tertullianum*, in libro *de Spectaculis*, totum esse ut spectacula, ludos, comœdias, idololatriæ sordibus inquinari probet, proindéque à Christianis esse fugienda. Cùm ergo ipsum opus personarum Deo displicere ex eo ostendit, quòd Deus omnem similitudinem fieri vetuerit, de similitudine

Exponuntur testimonia Tertulliani.

litudine loquitur ad usum & finem idololatriæ ordinatâ.

XII. Quæ verò objicit *Dallæus* ex libro *de Idololatria*, eodem sensu intelligenda esse; adjuncta docent. *Idolum*, inquit, *tam fieri, quam coli Deus prohibet. Quanto præcedit ut fiat quod coli possit, tantò prius est ne fiat, si coli non licet. Propter hanc causam, ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ, lex divina proclamat:* Ne feceris Idolum. *Et conjungens*, Neque similitudinem eorum quæ in cœlo sunt, & quæ in terrâ, & quæ in mari: *Totô mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei. Antecesserat Enoch prædicens, omnia elementa, omnem mundi censum, quæ cœlo, quæ mari, quæ terra continentur, in idololatriam versuros dæmonas, & Spiritus desertorum Angelorum, ut pro Deo adversùs Dominum consecrarentur. Omnia igitur colit humanus error, præter ipsum omnium Conditorem. Eorum imagines, idola, imaginum consecratio, idololatria. Quicquid idololatria committitis, in artificem quemcumque & cujuscumque idoli deputetur necesse est. Denique idem Enoch simul & cultores Idolo, & fabricatores in comminatione prædamnat.*

Quod autem ait *Tertullianus* cap. 5. de Serpente æneo, qui mandatô Dei de lege suâ dispensantis; conflatus & erectus est, non probat præcepto Decalogi vetitam fuisse imaginem omnem; sed eas duntaxat quæ populum rudem & ad idololatriam propensum, trahere ad defectionem potuissent. Hujus autem generis erat Serpens æneus, nisi Dei jussu conflatus fuisset ac propositus, ut Mysterii aliquando consummandi figura. Unde *Tertullianus* meritò excipit, Dei dispensatione erectum fuisse. Proinde non esse faciendum *simulachrum aliquod adversùs legem, nisi & Deus jusseris.* Quodnam autem sit simulachrum adversùs legem factum, statim explicat Tertullianus. *Si nulla lex Dei prohibuisset idola fieri à nobis, si nulla vox Spiritûs Sancti fabricatoribus Idolorum non minùs quàm cultoribus comminaretur, de ipso Sacramento nostro interpretaremur nobis, adversas esse fidei ejusmodi artes. Quomodo enim renuntiavimus Diabolo & Angelis ejus, si eos facimus.... Potes linguâ negasse, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto struis? Unum Deum prædicare, qui tantos efficis? Verum Deum prædicare, qui falsos facis? Facio, ait quidam, sed non colo.... Immo tu colis, qui facis ut coli possint. Colis autem, non spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed tuo proprio: nec animâ pecudis impensâ, sed animâ tuâ. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libras, illis prudentiam tuam accendis. Plus et illis quàm Sacerdos, cùm per te habeant Sacerdotem. Diligentiâ tuâ Numen illorum est.... Totô die ad hanc partem Zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire: de adversarii officinâ in domum Dei: attollere ad Deum Patrem manus matres Idolorum.... Has manus admovere Corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt.*

Nec verò artes ipsas pingendi & sculpendi prohibitas asserit *Tertullianus*, nisi idololatriæ inserviant, aut periculum sit ne ad ejus usus transferantur, idololatria ubique dominante. *Si ita necessitas exhibitionis obtenditur*, inquit, *habent & alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ*, id est, *sine idoli conjecturâ, opem victûs præstent.... Cùm igitur ad hæc artificiorum genera hortemur, quæ idolum quidem, & quæ idolo competunt, non attingant; fiat autem & hominibus communia sæpe, quæ & idolis, hoc quoque cavere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliquibus de manibus nostris in rem idolorum postuletur.*

Ad id quod ex libro quarto *contra Marcionem*, Cap. 24. *Dallæus* laudat: *Quomodo Moysem & Heliam Petrus cognovisset, nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset & similitudines, Lege prohibente.* Respondeo, *Tertullianum* existimasse quidem quascumque imagines & simulachra Judæis esse lege prohibita, ut eorum ad idololatriam propensio coërceretur, & hac parte positivum & ceremoniale fuisse mandatum, si per se spectetur imaginum usus: naturale autem, si spectetur idololatriæ periculum. Quod cum *Tertulliano* Catholici quidam Theologi asserunt. Cùm autem ceremonialia legis præcepta Christianos non alligent: nec periculum sit ullum ne, qui præceptis Evangelicis imbuti sunt, imagines Sanctorum, aut quorumvis hominum colant ut numina, sive ut numinum simulachra: nihil contra usum, cultùmque imaginum Christi & Sanctorum conficit hic *Tertulliani* locus.

Adde, Montanistam jam tum ipsum fuisse cùm hæc scriberet, cujus proinde tanta non sit auctoritas in Ecclesiasticis controversiis dirimendis. Accedit, quòd sibi ipsi contradicat manifestè: Nam imagines quæ in alium usum ac finem quàm idololatriæ effingerentur, quales fuere Cherubim Arcæ, & ænei serpentis figura, Decalogi mandato non esse vetitas scribit *lib. 2. contra Marcionem, Cap.* 22. nec dispensationem à Lege comminiscitur. *Proinde*, inquit, *& similitudinem vetans fieri omnium quæ in cœlo, & in terrâ, & in aquis, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes.* *Subjicit enim:* Non adorabitis ea, neque servietis illis. *Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui à serpentibus infestabantur. Et taceo de figurâ remedii: Sic & Cherubim & Seraphim aurea in Arcâ figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur: non videntur similitudinem prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.* Et Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem commemorans, boni Pastoris imaginem in calicibus depingentis, ex quâ argumentum ducit ad ejus disciplinam impugnandam, satis innuit illas imagines sibi non videri divinæ legi contrarias, cùm Decalogi violationem Ecclesiæ, cujus doctrinam insectatur, non objiciat. *A parabolis licebit incipias*, inquit, *ubi est ovis perdita à Domino requisita, & humeris ejus revecta. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano, an Ethnico peccatori de restitutione collineet.* Lib. de Pudicitia.

XIV. Denique ad id quod ex libro *contra Hermogenem* objicit *Dallæus*; Respondeo, locum ab ipso laudatum non probare, quòd pictura sit per se vetita, aut quod ipsam lege Dei vetitam *Tertullianus* putaverit: sed quòd spectatis circumstantiis temporis, ob idololatriæ periculum, ethnicâ superstitione ubique dominante, nefas censeret quascumque rerum effigies pingere. Unde tunc vix ullus erat apud Christianos imaginum usus. Quid si Hermogenem *illicitè pingere* Tertullianus dixit, quia post susceptum Christiani nomen, nihilominus pingebat simulachra Deorum, utique falsorum? ut notat *Rigaltius.*

Objicit *Dallæus* testimonium *Origenis*, *lib.* 4. *contra Celsum*, de Judæis scribentis: *In civitatem eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius; legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occasio præberetur hominibus crassis, neve animi eorum à Dei cultu avocarentur ad res terrenas, per hujusmodi illecebras.* Quod ut probet, hæc ex Deuteronomio recitat: *Habebant enim*, inquit, *inter cæteras, legem hanc; Nolite impiè agere, nec facietis vobis sculptile in similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, in similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium pennatarum sub cœlo volantium; vel piscium quorumvis, qui degunt in aquis sub terrâ.* Itaque cùm testetur *Origenes*, *Homilia VIII. in Exodum*, hanc legem ad Novi quoque Testamenti

homines pertinere: non est dubitandum, quin ille Christiano nefas esse putaverit, ullam ex istis artibus exercere.

XVI. Respondeo, Verum esse quod *Origenes* refert, Judæos in civitates suas nullos statuarios aut pictores admisisse: non quòd lex divina eas artes, aut quamcumque ab illis artificibus effictam similitudinem vetaret; sed quòd Synedrii ac Synagogæ Decretô latiùs propagata Legis sanctio esset, & ad quemcumque usum imaginum porrecta vis illius, saltem extantium & humanarum: hujusmodi scita Seniorum *Legis divinæ sepem* vocabant, quòd homines à legis divinæ violatione longiùs arcerent, occasionibus peccandi sublatis, & accuratiùs totetdictis. Sed non omne genus imaginum vetitum Judæis fuisse Decalogi mandatô, sed eas duntaxat quæ idololatriæ occasio forent, Origeniani loci adjuncta probant. *Apud quos*, inquit, (Judæos scilicet) *nullum aliud numen erat receptum, quam Deus hujus rerum universitatis præses, procul ablegatis omnibus simulachrorum opificibus. Nam in civitatem eorum nullus pictor admittebatur*, &c. & verbis Deuteronomii recitatis, subjungit: *Qua lex hoc agebat, ut contenti rerum veritate, caverent sibi à figmentis mentientibus faciem maris aut fœminæ, aut pecudum, avium, reptilium, piscium imagines referentibus. Illud quoque apud eos gravitatis & generositatis plenum; Cave ne fortè oculis sublatis ad cœlum, visóque Sole, Luna, cæterisque stellis cœli: decore horum deceptus, adores aut colas aliquod ex siderum numerô.* Idem elucescit manifestiùs ex *Homilia VIII. in Exodum*, à *Dallæo* laudatâ; ubi explicans quid sit idolum, quid similitudo, quæ Lege vetantur, ait; *Aliud est facere idolum, aliud similitudinem.... Si quis in quolibet metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis, faciat speciem quadrupedis alicujus, vel serpentis, vel avis, & statuat illam adorandam, non idolum, sed similitudinem fecit. Vel etiamsi picturam ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Idolum verò facit ille, qui secundùm Apostolum dicentem*, Quia nihil est Idolum *facit quod non est.... Addit autem & dicit:* Non adorabis ea, neque coles. *Potest quis interdum & invitus adorare, sicut nonnulli Regibus adulantes, cùm eos ad hujuscemodi studia deditos viderint, adorare se simulant idola, cùm in corde ipsorum certum sit, quia nihil est idolum. Colere verò, est totò his affectu & studiô mancipari. Utrumque ergo resecat sermo divinus, ut neque affectu colas, neque specie adores.*

Quod de Judæis refert *Origenes*, ipsos nullos pictores, nullos statuarios, in civitatem suam admisisse, acceperat ille à *Philone* & *Josepho*; à Philone, libro *Quis rerum divinarum hæres*, in libro *de Decalogo*, in lib. *de Legatione ad Caium*, & in altero, *de Gigantibus*. Ex *Josepho* verò, *lib 8. Antiquitatum*, ubi *Salomonem* violatæ legis incusat, *Quòd æreas boum effigies basi maris*, id est ingentis labri, quod mare vocabatur ob capacitatem, *adjecerat & leonem in throno posuerat: Nefas enumerat iste facere.* Et lib. 17. cap. 8. Judæos ægrè tulisse refert, quòd *Herodes* aquilam auream prægrandem supra majorem Templi portam collocarat, quam Juvenes quidam, impellentibus Magistris, palàm dejicere ausi sunt. *Probibet enim*, *Lex*, inquit, *erectiones imaginum moliri, aut quorumcumque animalium effigies collocari, velut anathemata iis qui ex illius præscripto, vitam suam componere voluerint.* Et lib. 2. *de Bello Judaico*, ubi populi tumultum adversùs *Pilatum* describit, qui *Cæsaris* imagines in Urbem introduxerat, quas Judæorum constantiâ victus, tandem abstulit, eamdem causam affert: *Quòd nullum fas sit in Urbe collocari simulachrum.* Id autem nefas esse putabant ob idololatriæ periculum, quæ Lege vetatur.

Error Josephi notatur & refellitur.

Quanquam errat *Josephus*, cum *Salomonem* violatæ Legis reum facit ob æreas boum effigies basi Maris suppositas, & figuras Cherubim exsculptas, pictásque in Templo. Nam Scriptura Sacra, quæ id commemorat *III. Regum cap. 6. & 7* ob hæc opera nequaquam arguit *Salomonem*, immò Deo gratum fuisse significat, qui perfectô templô ipsi semel & iterum conspicuum se præbuit, & cum ipso ut cum amico locutus est. Certè picturam, sculpturámve non fuisse Judæis divinâ lege prohibitas, ex eo constat quòd *Beseleelem* his artibus exornaverit, *Vocavi*, inquit Dominus Exodi XXXI. *Beseleel, & implevi eum Spiritu Dei, sapientiâ, & intelligentiâ, & scientiâ in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diversitate lignorum*, &c.

Lib. 1. cap. 11.

XVIII. Objicit *Dallæus*, * Quæcumque à Patribus scripta sunt in Ethnicos simulachrorum adoratores, eadem in cultores imaginum jure merito retorqueri: ac proinde pariter vetitum esse lege divinâ cultum imaginum Christi & Sanctorum.

Probat antecedens. Potest namque in ipsos torqueri, quod *Tertullianus* in Apologetico, Cap. 12. scribit: *Quantùm autem de simulachris ipsis, nihil aliud reprehendo, quàm materias sorores esse vasculorum instrumentorum communium, vel ex iisdem vasculis & instrumentis, quasi fatum consecratione mutantes, licentiâ artis transfigurante, & quidem contumeliosissimè & in ipso opere sacrilegè.* Et extremo capite: *Igitur si statuas & imagines frigidas, mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt; nonne laudem magis quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris?* Imagines enim Christi & Sanctorum, nec de meliore luto, nec honestiore specie, vel sensibus instructiores sunt quàm Gentilium statuæ. Æquè sorores utræque vasculorum instrumentorúmque communium: neque has magis quàm illas, mures, & araneæ, & milvi intelligunt.

Potest in ipsas torqueri quod de consecratis Deorum imaginibus, quas Pagani orabant, & publicè colebant scribit *Minutius Felix*, in Octavio. *Quàm verò de Diis vestris animalia muta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi? Non sentire eos sciunt, rodunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipsô Dei vestri ore nidificant. Araneæ verò faciem ejus intexunt, & de ipso capite sua fila suspendunt. Vos tergitis, mundatis, eraditis, & illos quos facitis, protegitis, & timetis.*

Contra ipsas objici potest quod scribit *Lactantius*, lib secundo institutionum, cap. 2. *Quid sibi templa? Quid aræ volunt? Quid denique ipsa simulachra, quæ aut mortuorum, aut absentium monumenta sunt?.... Nec intelligunt homines ineptissimi, quòd si sentire simulachra & moveri possent, ultro adoratura homines fuissent, à quibus sunt expolita..... Adorant ergo insensibilia qui sentiunt, irrationabilia qui sapiunt, exanima qui vivunt, terrena qui oriuntur è cœlo.... Nempe ideo timetis, quòd eos esse in cœlo arbitramini.... Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? Cur ad parietes & ligna, & lapides potissimùm, quàm illò spectatis, ubi eos esse creditis?* Et quod Capp. 17. & 18. ait: *Perversum esse & incongruens, ut simulachrum hominis à simulachro Dei colatur. Colis enim quod est deterius & imbecillius.... Inexpiabile facinus esse, deserere viventem, ut defunctorum monimentis servias, qui nec vitam, nec lucem dare cuiquam possunt, quâ ipsi carent.* His gemina sunt quæ habent *Sanctus Athanasius*, in Oratione contra Gentes P. 15. *Sanctus Joannes Chrysostomus* in Isaiam, cap. 2. & Homilia 37. in Genesim; *Theodoretus*, in Psalmum centesimum decimumtertium.

Catholici sic aiunt imaginum cultoribus imperitè &

XIX. Respondent Catholici Theologi, negando antecedens: hæc enim omnia contra Ethnicos meritò à Patribus objiciuntur, quia etsi simulachrorum materiæ

Aliquid objicimus quæ à Patribus scripta sunt contra Ethnicos simulachrorum adoratores.

materiæ sorores essent vasculorum; licèt illa insensibilia essent & irrationalia, licèt de iis mures, hirundines, milvi, araneæ judicarent, &c. nihilominus ab Ethnicis Numinum instar habebantur, & colebantur. Credebant, inquam, ea esse Numina, sive simplici substantiæ commutatione; (quæ opinio apud rudiores invaluerat) sive quadam divinitatis in ipsa infusione, alligatione, & substantiali præsentiâ, quasi fatum consecratione mutarent, ut *Tertullianus* loquitur. (Quod sentiebant eruditi.) Tandem nullus erat Ethnicus, qui saltem non crederet, illa simulachra eorum imagines esse, qui verè Dii essent. At longè ab ista superstitione sunt Catholici, qui Christi, & Sanctorum imagines, quas colunt, neque pro Numinibus, neque pro Numinum imaginibus habent: sed venerationem ita iis impertiendam propugnant, ut *Non credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colenda; vel quòd ab eis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus: & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*: ut habet Synodus Tridentina; *Sessione XXV*.

XX. Urget *Dalleus*, Ethnicorum Theologos longè aliter de simulachris sensisse, Deos esse negasse, Deos tantùm asseruisse per simulachra, vel in simulachris coli. Idem porro de cultu sacratum, ut vocant imaginum, sentire Romanæ communionis homines. Nam quemadmodum in Paganorum multitudine erant aliqui, sed pauci, qui crassissimo quodam & pecuino [illegible] erore, repugnantibus & reclamantibus eruditis, pro veris Numinibus haberent muta illa & surda simulachra, apud quæ in templis & fanis procumbebant: sic in eorum Christianorum plebe, qui venerantur imagines, fortasse etiam nonnulli reperiuntur adeò obesæ naris, ut vel nullum, vel omnino exiguum discrimen esse arbitrentur inter imaginem, & ipsum cui consecrata est, Sanctum. Ac ut inter eruditiores Paganos fuere, qui putarent Numen vel ipsâ substantiâ, vel certè vi suâ præsens adesse simulachris; sic neque defuere inter communionis Romanæ homines, qui de Sanctorum unione cum imaginibus idem propemodum sentirent.

Antecedens autem probat *Dalleus* ex *Celso* Gentili Philosopho, apud *Origenem*, lib. septimo, dicente, Ridiculam esse Christianorum sapientiam, si nihil aliud docere volunt, nisi Deum non esse lapidem, lignum, æs, aurum, ab hoc vel illo artifice expolitum & elaboratum. *Quis enim*, inquit, *alius est, nisi sit planè fatuus, qui hæc Deos esse putet, non autem Deorum donaria & simulachra?* Item ex *Luciano*, qui ipsum Numen à simulachro clarissimè distinguit, cum Matronæ conquerenti quòd se invidiosâ laudatione Deabus comparasset, sic respondet: *Ego te, ô præstantissima! nequaquam cum Deabus comparavi, sed cum eximiorum artificum operibus ex lapide, ære, aut ebore confectis. At quæ ab hominibus sunt facta, cum hominibus comparare, non puto impium: nisi Minervam illud esse existimasti, quod Phydias effinxit, aut cœlestem Venerem illud, quod non multis abhinc annis Praxiteles Cnidi fecit. At vide ne indecorum sit talia de Diis sentire, quorum imagines veras nulla humana industria assequi potest, ut sentio.*

Idem probat ex *Athenagora* Christiano Scriptore, in *Legatione pro Christianis*, ubi scribit, inter Ethnicos non defuisse, qui idola *Nihil quam simulachra esse dicerent, Deos verò, quorum honori ea sint dedicata, & quæcunque in ipsos conferuntur, reditus, sacrificia, ad ipsos referri Deos, & propter ipsos fieri, neque aliò modò homines convenire Deos posse.*

Idem probat ex *Arnobio*, *lib. sexto adversùs Gentes*, ubi Paganum hominem sic inducit loquentem: *Sed erras, & laberis. Nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus signa confiunt, tuas esse per se Deos, & religiosa decernimus Numina; sed eos in his colimus, eósque veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulachris.... In parte hac eadem illud etiam dicere simulachrorum assertores solent, non ignorasse Antiquos nihil habere Numinis signa, neque ullum omnino inesse his sensum; sed propter indomitum neque imperitum vulgus, quæ pars in populis atque in civitatibus maxima est, salutariter ea, consiliòque formasse, ut velut quadam specie objectâ his, Numinum, abjicerent asperitatem, metu; arbitrarique præsentibus sese sub Diis agere, facta impia deponerent, & ad humana officia morum immutatione transirent.*

Denique id probat ex *Lactantio*, qui sic loquentes introducit Ethnicos lib. 2. Divinarum Institutionum cap. 2. *Non ipsa*, inquiunt, *timemus simulachra, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt.*

Pagani simulachra esse Deos sentiebant, non Deorum tantum suorum signa & imagines.

Respondeo Paganos omnes quotquot Sacerdotum & Pontificum suorum doctrinam sequebantur, sensisse simulachra esse Deos, sive immutatione substantiæ, sive infusione quadam & incorporatione Deorum in ipsa, vi consecrationis: adeóque ipsa coluisse ut numina, spem in his suam posuisse, ipsisque supplicasse, ac servisse; quamvis Cavillatores nonnulli Semiethnici, & Philosophastri, ut se à Christianorum objectionibus liberarent, ac ne de dogmate tam absurdô palam erubescere cogerentur, communem Gentilium sententiam dissimularent, emollirentque quantùm in ipsis erat, dicentes, idola non abs se coli ut Nomina, sed tantùm ut Numinum simulachra. Quod autem hæc, quam diximus, communis fuerit Ethnicorum de suis idolis opinio, disertè probant Catholici Theologi ex Scriptura Sacrâ, cui potiùs quàm Philosophis quibusdam Gentilium credendum est: scilicet ex cap. 20. Exodi. *Non facietis Deos argenteos*, inquit Dominus, *nec Deos aureos facietis vobis*, Levitici 19. *Nolite converti ad idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester.* Psalmo 113. *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt.... Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* IV. Regnum 19. *Et miserunt Deos eorum in ignem: non enim erant Dii, sed opera manuum hominum, ex ligno & lapide.* Isaiæ 44. ubi artifex lignarius dicitur, ex eodem ligno, ex quò pulmentum coxit, & calefactus est, fecisse sibi Deum. *Medium ejus combussit igni.... Reliquum autem ejus Deum fecit & sculptile sibi: curvatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.... Non recogitant in mente suâ, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combussi igni.... & de reliquo idolum faciam? Ante truncum ligni procidam? Pars ejus cinis est. Cor insipiens adoravit illud.* Jeremiæ 2. *Dicentes ligno: Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuisti. Ubi sunt Dii tui, quos fecisti tibi? Surgant & liberent te in tempore afflictionis.* Sapientiæ 14. *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Sapientiæ 15. *Quoniam omnia idola nationum Deos æstimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum.... Homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere. Cùm enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem nunquam.* Baruch 6. *Nunc autem*

videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum Gentibus..... Nam ligna ipsorum polita à fabro ipsa etiam inaurata, & inargentata, falsa sunt, & non possunt loqui..... Hi autem non liberantur ab erugine & tinea.... Unde vobis notum sit quia non sunt Dii: Ne ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt & Dii illorum. Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere à pedibus introëuntium..... Tutantur Sacerdotes ostia clausuris & seris, ne à latronibus expolientur. Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo. Nigra sunt facies eorum à fumo qui in domo fit. Supra corpus eorum, & supra caput eorum volant noctuæ & hirundines, & aves etiam similiter, & catta. Unde sciatis quia non sunt Dii.... Aurum etiam quod habent, ad speciem est. Nisi aliquis exterserit ærruginem, non fulgebunt, neque enim dum conflarentur, sentiebant. Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis.... Confundantur etiam qui colunt ea. Quod totô capite inculcatur. Danielis 14. Daniel Regi interroganti, cur *Bel* non adoraret? Respondit: *Quia non colo Idola manu facta, sed viventem Deum. Et dixit Rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? An non vides quanta comedat & bibat quotidie? Et ait Daniel arridens: Ne erres, Rex! iste enim intrinsecùs luteus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando.* Actuum Apostolorum cap. 19. *Demetrius* argentarius ait: *Et videtis, & auditis, quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt Dii qui manibus fiunt.*

Idem constat ex Veterum Patrum testimoniis: *Sancti Irenæi*, lib. 3. c. 6. *A Moyse*, inquit, *dictum est: Non facies tibi omnem similitudinem in Deum, quæcunque in cælo sursum, & quæcunque in terrâ deorsum.*

Sancti Cypriani, lib. 3. Testimoniorum adversùs Judæos. *De Idolis quæ Gentiles Deos putant. In Sapientia Salomonis: Omnia Idola nationum æstimaverunt Deos, &c.*

Minucii Felicis, in Octavio: *Ecce*, inquit, *funditur*, (Idolum) *fabricatur, sculpitur: nondum Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremò Deus est, cùm homo illum voluit & dedicavit.*

Et ante ipsos, *Tertulliani*, in Apologetico, cap. 12. *Quantùm autem*, inquit, *de simulachris ipsis, nihil aliud deprehendo, quam materias sorores esse vasculorum, instrumentorúmque communium, vel ex iisdem vasculis & instrumentis, quasi fatum consecratione mutantes... ut revera nobis, maxime qui propter ipsos Deos plectimur, solatium pœnarum esse possit, quòd eadem ipsi patiuntur ut fiant. Crucibus & stipitibus imponitis Christianos. Quod simulachrum non prius argilla deformat cruci & stipiti superstructa? In patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur. Ungulis deraditis latera Christianorum: at in Deos vestros per omnia membra validiùs incumbunt ascia, & runcina, & scobina. Cervices ponimus: Ante plumbum, & glutinum, & gomphos, sine capite sunt Dii vestri. Ignibus urimur: hoc & illi à primâ quidem massâ. In metalla damnamur: Inde censentur Dii vestri..... Sed planè non sentiunt has injurias & contumelias suæ fabricationis Dii vestri, sicut nec obsequia.*

Arnobii, lib. 1. adversùs Gentes. *Venerabar*, inquit, *ô cæcitas! nuper simulachra modò ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos, elephantorum ossa: picturatas veternosis in arboribus tænias si quando conspexeram, lubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco: & eos ipsos Divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus, cùm eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in ejusmodi rerum habitare materiâ.* Arnobius non Ethnicus de vulgo, sed Philosophus, simulachra Deos esse credebat, & ut tales adorabat, antequam Christo nomen daret.

Sancti Athanasii, oratione contra Gentes, ubi scribit Paganos supplices, *ante ligna procumbere, nec videre interim res similes, ac prorsus ejusdem generis suis sese pedibus calcare, & pro fomentis ignium usurpare, cùm tamen partes earum rerum Numina appellent..... Pro Numinibus adorant, quos pretio à sculptore redemerunt.* Et hunc quidem communem fuisse Gentilium errorem significat, quamvis ipsorum Philosophi illum dissimularint, novásque adinvenerint explicandi superstitionis suæ rationes, ut se à Christianorum objectionibus liberarent. *Hic*, inquit, *cùm male audiunt Ethnicorum Philosophi Virique Eruditi, non inficias eunt eas Deorum species hominum & brutorum simulachra esse: sed ideo id in usu haberi, ut Dii sub istis imaginibus oracula promant & sese ostendant; alioqui eum qui invisibilis est, nisi per istiusmodi simulachra & ceremonias cognosci non posse. Alii porro quasi majore Philosophiâ instructi aiunt ista instituta esse & effigiata ad evocationem adventúmque Angelorum, aliarumque Potestatum conciliandam, ut cùm illi ita se præsentes obtulerint & apparuerint, Numinis notitiam mortales doceant: ac proinde istiusmodi simulachra pro elementis litterarum humano generi esse, quæ dum legunt, Dei notitiam condiscere possunt.*

Sancti Joannis Chrysostomi, in Genethliaco, laudato à *Theodoreto*, Dialogo 2. *An non*, inquit, *extrema est dementia, ipsos quidem, cùm in lapides, & ligna, & viles statuas Deos suos inducunt, & tanquam in carcere quodam includunt, nihil turpe arbitrari se facere aut dicere: nos verò reprehendere, quòd dicamus Deum templo sibi ipsi per Spiritum Sanctum extructo, opem mundo per illud attulisse? Si enim turpe est in humano corpore Deum habitare, multò magis in lapide & ligno, quantò lapis & lignum homine viliora sunt?*

Sancti Augustini, lib. 8. de Civitate Dei, Cap. 23. ubi de *Trismegisto*, ait: *At ille visibilia & contrectabilia simulachra, velut corpora Deorum esse asserit. Inesse autem his quosdam Spiritus invitatos, qui valeant aliquid, sive ad nocendum, sive ad desideria eorum nonnulla complenda, à quibus eis divini honores, & cultûs obsequia deferuntur. Hos ergo Spiritus invisibiles per artem quamdam visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut sint quasi animata corpora, illis Spiritibus dicata & subdita simulachra, hoc esse dicit Deos facere, eámque magnam & mirabilem Deos faciendi accepisse homines potestatem.*

Et in Psalmum centesimum decimum-tertium. *Quanquam, ut illi asserunt, in signo aliquo fabrefacto, atque eminenti collocatâ suggestu, cùm adorari atque honorari à multitudine cœperit, parit in unoquoque sordidissimum erroris affectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat Numen occultum: effigiem tamen viventi corpori similem, seductus formâ & commotus auctoritate quasi Sapientium institutorum, obsequentiúmque turbarum, sine vivo aliquo habitatore esse non putat..... Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt: Nec simulachrum, nec dæmonium colo; sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo. Ita vero interpretantur simulachra, ut alio dicant significari terram, unde Templum solent appellare Telluris; aliò mare, sicut Neptuni simulachro; aliò aerem, sicut Junonis.... De quibus rursus cùm exagitari cœperint, quòd corpora colant.... Respondere audent, Non se ipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident Numina.*

Sancti Cyrilli Alexandrini, lib. 6. adversùs Julianum, pag. 194. *Contra verò*, inquit, *Julianus, Numæ*

admirator

admirator & præ te magnificus, fidem in Deum per summam impietatem insectans, omniformi simulachrorum examen, lignáque & lapides Deos facere non veretur, eisque boum agmina immolare non cessat.

Ex his patet, communem fuisse Paganorum errorem, quod simulachra Numina essent, quamvis Philosophi ab illius invidiâ se liberare, subtilioribus expositionibus conarentur. Id confirmatur ex *Origine*, & *Arnobio*, quorum præ cæteris testimonia *Dallæus* ostentat. Origenes lib. 7. contra Celsum: *Inter abhorrentes*, inquit, *à statuarum, templorum, altarium ceremoniis, Scythæ, Numidæ, impiique Seres, & Persæ, aliis moventur rationibus, quàm Christiani & Judæi, quibus Religio est sic Numen colere. Illarum enim gentium nemo ab iis alienus est, quod vereatur Numen ad viles has ceremonias detrahere, quæ versantur circa aras & materias effigiatas variis imaginibus, nec quòd intelligat dæmonas devinctos hærere certis locis & statuis, sive incantatos quibusdam magicis carminibus, sive alias incubantes locis semel præoccupatis, ubi latronum more se oblectant victimarum nidoribus.... Cæterùm Christiani homines, & Judæi, sibi temperant ab his, propter illud Legis:* Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli servies.... *Et*, Non facies tibi ipsi simulachrum.... Non adorabis ea, nec servies illis.... *Nos verò ideo quoque non honoramus simulachra, quia quantum possumus, cavemus ne quo modo incidamus in eam credulitatem, ut & iis tribuamus divinitatis aliquid. Et hoc est crimen quod Celso impingimus, aliisque omnibus, qui hæc non esse Deos fatentur, deferre hos honores statuis, cùm sapientes credantur, adeo ut vulgus exemplo eorum in errorem trahatur, in tantùm depressum animas falsa religione, ut negantem hos esse Deos, ne quidem audire sustineant, quos ipsi asseverant colere. Celsus certè ait se credere, non Deos hæc esse, sed Deorum anathemata: non declarans quomodo hæc non hominum anathemata sint, sed Deorum, ut ipse vocat. Liquet enim hæc dedicari ab hominibus falsam opinionem de Deo habentibus. At ne imagines quidem eorum putamus statuas, ut qui Deum incorporeum & invisibilem nulla figura circumscribamus.*

Arnobius verò libro sexto hæc habet: *Non improba, neque aspernabilis ratio, quæ possit quivis tardus, necnon & prudentissimus credere, Deos relictis sedibus propriis, id est Cælo, non recusare, non fugere habitacula inire terrena; quinimmo jure dedicationis impulsos, simulachrorum coalescere junctionem. In gypso ergo mansitant atque in testulis Dii vestri? Quinimmo testularum & gypsi mentes, spiritus atque animæ Dii sunt? Atque ut fieri augustiores vilissimæ res possint, concludi se patiuntur, & in sedis obscura coercitione latitare? Ergo illud à vobis parte in hac prima desideramus & postulamus audire: Invitine hoc faciunt, id est, jure dedicationis attracti, simulachrorum ineunt mansiones? An proni & faciles, neque ullis necessitatibus irrogatis?* &c. quæ fusiùs persequitur. Et infra: *Si apertum vobis & liquidum est, in signorum viscer.bus Deos vivere, atque habitare Cœlites, cur eos sub validissimis clavibus, ingentibus que sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque hujusmodi rebus custoditis, conservatis, atque habetis inclusos?* Quod autem *Dallæus* Catholicis affingit dicens, ipsos propè eadem sentire de Sanctorum præsentia in imaginibus, aut unione ipsorum cum illis, quæ Pagani de suorum Numinum præsentia in simulachris, aut unione cum illis: putidæ calumniæ facilè convincitur ex Tridentina Synodo, quæ Catholicæ Fidei hac de controversia professionem expressit Sessione vigesimâ quintâ.

§. II.

Dogma Catholicum de usu & cultu Imaginum probatur ex Patribus, & Ecclesiæ Judicio.

I. OCcurrit imprimis mulieris Hemorchoissæ à Christo sanatæ pium laudatúmque facinus, quæ ut beneficii sibi à Servatore collati memoriam ad posteros propagaret, æream statuam in ejus honorem erexit; quæ Cæsareæ Philippi, quam Paneadem vocant, adhuc *Eusebii Cæsariensis* ætate visebatur, ut ipse refert *lib. 7. Cap. decimo octavo*: ad cujus pedes, in ipsa basi, ignota quædam nascebatur planta, quæ ad fimbriam usque æneæ diploidis assurgens, depellendis omnis generis morbis præsentissimum remedium erat. Quo ex factô & miraculo colligitur, Christi imagines non esse damnandas, quasi divinâ lege interdictas: Non enim miraculis Deus res nefarias & illicitas approbare solet, vel potest.

Hanc Historiam falsi suspicione laborare *Dallæus* respondet; Ex opinione quæ vulgi animos occupasset, propagatum rumorem: Librorum Carolinorum Auctorem lib. 4. cap. 15. hujus de facti veritate dubitare: Non esse verisimile quòd mulier, quæ antequam à Christo sanaretur, omnes facultates in Medicos erogaverat atque consumpserat, ut *Lucas* & *Marcus* testantur, duo ex ære simulachra ante ædes erexerit; quod absque magnis sumptibus fieri non potuit. Vix etiam credi posse, quòd ænea illa simulachra trecentos annos Paneade in publico integra atque inviolata mansissent, ferventibus persecutionibus. Scriptorum *Eusebio* vetustiorum silentium, in Apologeticis præcipuè pro Christianâ Religione editis, ostendere quàm dubia sit & incerta hujus Historiæ fides. Ut ut est, ex totâ hac historiâ, si vel certa sit & confessa, nihil aliud extundi posse, nisi unum fuisse Christi simulachrum, non Episcopi, aut Doctoris alicujus jussu, atque instituto, sed muliereculæ è Paganismi luto emergentis voluntate effictum. Non in Ecclesiâ, sed in vico publico pro foribus positum: eô animô, non ut vel adoraretur vel coleretur, sed ut accepti divinitus à Christo Domino beneficii monumentum esset: Non ex Christiano, sed ex Ethnico, cui illa diu assueverat, usu. Id innuere satis *Eusebium*, qui narrationem totam executus, hæc verba subjicit: *Nec verò mirandum est, Gentiles à Servatore nostrò beneficiis affectos hæc præstitisse; cùm & Apostolorum Petri ac Pauli, Christique ipsius pictas imagines, ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus. Quippe prisci illi absque ullô discrimine cunctos de se bene meritos Gentili quadam consuetudine tanquam servatores colere hujusmodi honoribus consueverant.*

Sed reponimus *Dallæo*, *Eusebium*, præ librorum Carolinorum Auctore quadringentis annis juniore audiendum esse, qui & Paneadensium traditione, & propriis oculis persuasus, hanc fuisse Christi statuam ipsi à muliere hemorroissa erectam, id memoriæ prodidit, ut & miraculum perenne quod per herbam circa illam crescentem, cùm ad effigiatæ diploidis fimbriam excrevisset, fieri solebat. Nec incredibile est mulierem, quæ multas pecunias munerandis Medicis impenderat, quod Evangelistæ hyperbolicâ locutione significant: *In medicos erogaverat omnem substantiam suam*, facultates habuisse, & restitutâ sanitate augere potuisse, ex quibus Statuam Christo conflaret in grati animi monumentum. Quid si non ab ipsâ muliere, sed ab aliquo Paneadensi cive locuplete, ad Christi Fidem converso, post ejus Ascensionem, & Evangelii prædicationem erecta sit ad celebris miraculi memoriam: Quòd verò Christianorum persecutores hanc statuam non sustulerint,

quam Christi esse non noverant, quid mirum? Et si Deus servari voluit tam illustre monumentum, nonne efficere potuit ne Tyranni de eo evertendo cogitarent? Ecclesiastici Scriptores *Eusebio* antiquiores vel non viderant quod ipse oculis suis conspexit *Eusebius*, vel illud non magni momenti contra Paganos esse judicarunt. Quam enim rationem habuissent statuæ Christo erectæ, qui ejus nomen odio infensissimo prosequabantur? Quam rationem habuissent miraculi, cujus ad memoriam statua posita erat, vel illius quod fiebar per plantam effigiatæ diploidis fimbriam [illegible]ontingentem, qui miraculis à Christo editis, & illis quæ quotidie in Ecclesia narrabantur à Viris Sanctis, non credebant? Etsi verò à muliere ex Paganismo conversâ statua illa erecta sit, non Episcopi aut Doctoris alicujus jussu, mulieris tamen in eâ erigendâ pietatem & grati animi erga Christum testificationem qui improbaverit, nemo & priscis Doctoribus proferri potest. In Ecclesia quidem non est posita illa Christi Domini effigies, sed in vico. At quid interest? Cùm non magis in vico, quàm in Ecclesia collocari potuissent, si idolorum numero & loco habendæ essent Christi & Sanctorum imagines, & primo Decalogi mandato essent prohibitæ. Et si religioni, pietatique non repugnat ut in plateis erigantur, fas etiam est ut erigantur in templis. Hinc *Juliani Apostata* temporibus, cùm illam Christi statuam Gentiles ignominiosè tractam confregissent, Christianos ejus frusta collegisse, & in Ecclesia reposuisse, ubi suâ adhuc ætate asservabantur, testatur *Sozomenus* lib. 5. *Historia Ecclesiastica*, *cap. vigesimo-primo*. Nec refert quòd *Asterius* Amasenus Episcopus apud *Photium*, Bibliothecæ Codice 271. dicat statuam illam Paneadensem à Maximino Augusto, Constantini Decessore, fuisse sublatam; ut ea, quô tempore ipse scribebat, non extaret. Lapsum enim memoriâ *Asterium* verisimilius est, & *Maximino* tribuisse, quod *Julianus Apostata* commisit, circumstantiásque singulares illius Historiæ nescivisse, vel præteriisse, quas *Sozomenus* memoriæ prodidit, cùm ex certissimis documentis illas didicisset. Quamvis dicere verè potuerit *Sanctus Asterius*, non extare hanc statuam, quæ sive *Maximini* sive *Juliani* Apostatæ temporibus ab Ethnicis confracta fuerat. Licet porro non eô animô ab Hemorrhoissa erecta sit ut coleretur, nihilominus imaginum usus apud Christianos hoc probatur monumento: de quarum cultu inferius sermo erit. Quod denique addit *Eusebius* de Gentilium consuetudine, non elevat vim argumenti ex illâ historiâ deprompti: quia *Eusebius* morem illum Gentilium statuas erigentium in eorum honorem à quibus beneficium aliquod impetrassent, non condemnat, aut illicitum esse decernit: adeòque ad usum Christianæ Religionis transferri potuisse, non obscurè innuit, Christi & Sanctorum imagines effingendo; sicut alii ritus complures à Gentilibus usurpari soliti, objecto & fine mutatis, ad Christianam Religionem, jam inde ab Ecclesiæ exordiis traducti sunt.

II. Probatur imaginum usum apud Christianos jam olim ut licitum habitum fuisse, ex *Tertulliano*, libro *de Pudicitia*, Cap. decimo, ubi contra Catholicos declamat, quòd mœchis pœnitentiâ functis veniam & Communionem relaxarent, & disciplinam illam suam boni Pastoris approbarent exemplô, qui omissam ovem humeris ad ovile reportat, cujus effigiem in calicibus depingebant. *Cui ille* (inquit) *si forte patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani Sacramenti, merito & ebrietatis idolum, & mœchia asylum post calicem subsecutura: de quo nihil libentius bibas, quàm ovem pœnitentia secunda. At ego ejus Pastoris Scripturam haurio, qui non potest frangi.* Ex quibus constat, imaginem Christi sub Pastoris habitu à veteribus Christianis pingi solitam. Emblema sacrum vocet *Dallaus* ad vasorum ornatum, non ad populi religionem & cultum depictum: qualia emblemata Calviniani ipsi in Ministrorum suorum Cathedris, & in primis pagellis Biblicorum Codicum, ut plurimùm solent depingere: ex hoc saltem conficitur, emblemata sacra depingi posse citra violationem divinæ legis? Quidni ergo & imagines? Præterea ex religionis pietatisque sensu factum fuisse quis non videat, ut Christiani hanc boni Pastoris imaginem, cujus munia se obire Christus in Evangelio testatus est, in suis Calicibus effingerent? De cultu posteà viderimus: Sed Christianos hanc boni Pastoris effigiem, ob Christum quem referebat, salutare & osculari potuisse qui negaverit, asserat etiam necesse est, nefas esse hæc honoris signa deferre Evangelio, in quo Christus boni Pastoris parabolam sibi accommodat: quod tamen dicere Calvinistæ non audebunt.

III. Idem probatur ex *Sancto Gregorio Nysseno*, in Oratione *de Filii & Spiritus Sancti divinitate*, ubi *Isaac* ab *Abrahamo* in Sacrificium oblati mentionem faciens, ait: *Sæpenumero miserabilis hujus rei imaginem in picturâ vidi, nec absque lachrymis spectaculum præterii: adeo perspicue atque evidenter ars pingendi oculis rem gestam subjecit.*

Et Oratione in Theodorum Martyrem: *Quod si quis venerit ad aliquem locum similem huic, ubi hodie noster conventus habetur, ubi memoria Justi, sanctaque reliquiæ sunt; primùm quidem earum rerum magnificentiâ quas videt, oblectatur, dum ædem, ut templum Dei, & magnitudine structura, & adjecti ornatûs decore splendide elaboratam intuetur; ubi & faber in animalium figuras lignum formavit, & latomus ad argenti lævitatem crustas lapideas expolivit: induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias cruciatus, efferatas & immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem Athletæ, certaminum Præsidis Christi humana forma effigiem, omnia in nobis, tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens, certamina atque labores Martyris nobis expressit; ac tanquam pratum amœnum & floridum, Templum exornavit.* Sanctorum itaque imagines quartô sæculô in Ecclesiis Cappadociæ & Ponti depictæ erant, fructûmque ex earum intuitu non mediocrem Fideles colligebant, ut idem Pater observat. *Solet enim*, inquit, *pictura tacens in pariete loqui, maximéque prodesse.*

IV. Idem constat ex *Heraclide* Nysseno Episcopo, quem duas Epistolas contra Messalianos scripsisse, ex *Photio* discimus, Bibliothecæ Codice 51. *In quarum alterâ sententia inerat de venerandarum imaginum antiquitate.*

V. Ex *Sancto Asterio* Amaseæ in Ponto Episcopo, in Sermone Panegyrico de *Sancta Euphemia* Virgine & Martyre. *Pictor verò*, inquit, *etiam ipse religiosè per artem suam totam pro viribus in linteo designatam historiam ibidem juxta thecam sacram appendit, ac proposuit spectaculum.*

VI. Ex *Sancto Hieronymo*, In Caput quartum Jonæ. *E[illegible]evera*, inquit, *in ipsis cucurbitis vasculorum, qu[illegible] vulgò saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrari.* Quod ex veneratione & amore adversùs Apostolos ortum, eorum imagines in pretio apud Christianos fuisse probat.

VII. Ex *Sancto Ambrosio*, Epistolâ quinquagesima-tertiâ, ubi de *Sanctis Gervasio & Protasio* sibi per visum oblatis loquitur: *Cum quadam*, inquit, *mihi tertiâ apparuerunt personâ, qua similis esse B. Paulo Apostolo videbatur: cujus me vultum pictura docuerat.*

VIII. Ex *Sancto Augustino* lib. 1. *de Consensu Evangelistarum*

A *Evangelistarum*, cap. decimo, ubi de quibusdam Ethnicis loquens, qui libros nescio quos à Christo scriptos ad Apostolos *Petrum* & *Paulum* comminiscebantur, ait: *Cùm enim vellent tale aliquid fingere, Christum scripsisse ad Discipulos suos, cogitaverunt ad quod potissimum scribere potuisse, facilè crederetur, nquam ad illos qui ei familiariùs adhæsissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur: & occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quòd pluribus locis simul eos cùm illô pictos viderunt: quia merita Petri & Pauli, etiam propter eumdem Passionis diem, celebriùs, & solemniter Roma commendat.* Et libro vigesimo-secundo contra *Faustum*, capite septuagesimo-tertio, B *Abrahami* filium suum in Sacrificium offerentis picturam multis in locis conspici ait, Tandem Sermone nonagesimo-quarto *de Diversis*, meminit imaginis pictæ, in quâ Martyrium *Sancti Stephani* expressum erat. *Dulcissima*, inquit, *pictura est hæc, ubi videntis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem.*

XI. Ex *Sancto Joanne Chrysostomo*, his antiquiore, qui *Oratione in Sanctum Meletium*, Antiochenos Christianos laudat, quòd *Sanctam* ejus *imaginem & in annullorum circulis, & in calicibus & pinalis, & in thalamorum parietibus ubique exaraverint.* C

X. Ex *Sancto Paulino*, Epistola duodecima ad *Severum Sulpitium*, quâ Sanctissimæ Trinitatis effigiem musivo opere descriptam in Basilica, quam in honorem *Sancti Felicis* Nolæ extruxerat, his versibus commendat:

Pleno coruscat Trinitas Mysterio;
Stat Christus agno: vox Patris cælo tonat.
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo;
Cui corona sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.

Et in Natali nono *Sancti Felicis*, refert se in Basilicæ porticibus Testamenti Veteris historias pingendas curasse, ut ingens rusticorum & imperitorum turba, quæ ad celebrandum *Sancti Felicis*, diem festum confluebat, pictis istis figuris, quasi libris erudiretur.

Dum fallit pictura famem, sanctásque legenti
Historias, castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis.

Idem *Paulinus* conquestus est apud *Severum Sulpitium*, quòd effigiem suam unà cum *Sancti Martini* imagine in Ecclesia depingi curasset, rogavitque ut saltem hos versus subterscribi juberet:

Adstat Martinus perfecta regula vitæ;
Paulinus veniam quo mercare, docet.
Hunc peccatores, illum spectant beati,
Exemplar Sanctis ille sit, iste reis.

Ibidémque venerandam vocat *Sancti Martini* imaginem:
Martinum veneranda viri testatur imago.

XI. *Ex Prudentio*, in libro *Peri-Stephanon*, Hymno nono, se *Sancti Cassiani* Martyris imaginem Romæ in ipsius Basilica conspexisse, asserentis.

Stratus humi, tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr dicatô Cassianus corpore:
Dum lachrymans mecum reputo mea vulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina.
Erexi ad cælum faciem, stetit obvia contra,
Fucis colorum picta imago Martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus:
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Lege & Hymnum undecimum de *S. Hippolyto*.

XII. Ex *Theodoreto*, in Religiosa Historia cap. 26. ubi testatur, *Sancti Simeonis Stylitæ, Romæ passim in officinarum propylæis erectas fuisse imagines, ut hanc sibi tutelam ac præsidium adjungerent.*

XIII. Ex *Sancto Nilo Abbate*, *Sancti Joannis Chrysostomi* discipulo, in Epistola ad *Olympiodorum* Præfectum, cui per litteras interroganti, cujusmodi picturis templum suâ munificentiâ extructum exornaret; suadet ut crucis effigiem, & utriusque Testamenti historias adumbrari curet; *Ut qui litteras nesciunt*, inquit: *neque sacras litteras possunt legere, picturæ contemplatione in memoriam revocent illorum præclara facta, qui vero Deo sincerè servierunt.*

XIV. Ex *Theophilacto Simocatta*, lib. 2. Historiæ laudatu à *Photio* Cod. 65. ubi narrat, *Philippicum* Mauritii Imperatoris generum, imaginem non manufactam ferentem, exercitum obivisse, & lustrasse; quô factô victoriam stetisse penès Romanos, ipsámque imaginem *cum veneratione* ad *Simeonem* Amidæ Episcopum missam.

XV. Ex *Sancto Gregorio Magno*, lib. 7. Epistola quinta Indict. 2. ad *Januarium* Calaritanum datâ, occasione Calaritani cujusdam ex Judæo Christiani, qui in ipsâ festivitate Paschali, sequenti die baptismatis sui, gentilium suorum Synagogam, quæ Calaris erat, vi occupatam invaserat, atque imaginem illic B. Virginis Mariæ. & venerandam Crucem posuerat. *Sanctus Gregorius* imprudentem hominis ze-D lum reprehendit, ac civitatis Episcopum *Januarium* monet, ut Judæis Synagoga reddatur, *Sublatâ exinde, cum eâ, quâ dignum est, veneratione, Imagine, atque Cruce.*

Respondet *Dallæus* lib. 3. de Imaginibus, Cap. septimo, *Gregorium* definire tantùm quâ ratione ex Judæorum Synagoga eripienda esset; cultum, qui illi debeatur, constituere nullum. Nimirum hoc velle; non prostratô humi corpore de geniculis, quod Romani jam faciunt, adorandam; sed decenter ex eo, quô erat loco, Clericorum manibus tollendam, & in Ecclesiam, ex quâ direpta fuerat, reportandam; eô gestu atque incessu, qui sacrum esse & Ecclesiasticum, non profanum aut domesticum instrumentum doceat. Ut si Judæo hujus inju-E riæ auctori pro imagine Codicem Novi Testamenti, aut sacrum Calicem in eam Synagogam inferre libuisset, iisdémque verbis *Gregorius* exinde eos tolli jussisset, cum eâ quâ dignum est veneratione, nemo (inquit) concluderet vel Novi Testamenti Codicibus, vel sacris Calicibus adorationem analogicam deberi. Genevensem Ecclesiam ministris disertè jubere, *Ut sacrum Cœnæ Dominicæ panem cum reverentiâ distribuant*: Neminem tamen esse qui nesciat, iis ut sacrum panem adorent, non juberi. Denique etsi his verbis significasset *Gregorius* aliquam imaginibus deberi venerationem, eô tamen nondum esse definitum, quænam sit ista veneratio, cultusne F sit religiosus, quod hodie Romani volunt; an verò hujusmodi tantùm reverentia, qualis rebus personísque Ecclesiæ, cunctísque Religionis instrumentis, puta Sacerdotibus, Calicibus, Scripturæ Codicibus convenit. Nam ista, & alia ejusdem generis cùm veneranda & venerabilia omnes appellent; nemo tamen cultu religioso prosequenda existimat (inquit *Dallæus*.)

Dallæo reponimus, Venerationis nomen significare honorem qui sit habendus imagini, quem non exigit majorem Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ Fides, quàm qui rebus sacris, verbi gratiâ sacris Calicibus, aut Codici Evangeliorum debeatur: quæ

veneramur

Ecclesiæ Fides & disciplina de cultu religioso sanctorum imaginum, à calumnia vindicatur.

Veneramur propter Christum & Deum, ad quem relationem habent; Calices scilicet quia sunt *Sanguinis Christi portitores*, ut *Optatus Milevitanus* loquitur: Codicem Evangelii, quia veritatem æternam significat, & *verba vitæ æternæ* continet. Sic imaginem Christi veneramur ut rem sacram: Eccur? Quia Christum repræsentat. Imagines Sanctorum honoramus ut res sacras, quia Sanctos referunt. Jam verò sicut nemo eum idololatram dixerit, aut superstitiosum, qui suum erga veritatem æternam affectum & cultum, Codicem Evangelii osculando, aut salutando etiam de geniculis, testificatus fuerit; quia non his apicibus humana manu exaratis, sed coram illis æternæ veritati hunc defert cultum: ita fatuum esse oportet, aut certè patrium studiô excæcatum, qui Catholicos idololatras aut superstitiosos dixerit, quòd imaginem salutent, osculentur, aut coram eâ procumbant, vel preces fundant: cùm hæc non eô fiant animô ut ipsa per sese imago honoretur, sed ut Christus, vel Sanctus coram imagine suâ colatur, ut loquitur Pontificale Romanum: * & *Ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur* .... *Quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant*: ut loquitur Tridentina Synodus Sessione vigesima-quintâ. Istud est *imagines venerari ut res sacras*; quia non aliâ ratione sacræ habentur, quàm quia Christum vel Sanctos referunt. Non mirum autem quòd *Sanctus Gregorius*, prostrato humi corpore, de geniculis adorandam imaginem non desinierit, cùm ritus ille exterior ad ipsam venerationis, quæ imaginibus debetur, substantiam non pertineat, neque illud jusserit unquam, aut jubeat Ecclesia, sed solùm approbaverit ut significationem venerationis amorisque nostri erga Sanctos. *Analogicam adorationem* imaginibus exhibendam *Gregorius* quidem non dixit; sed nec Ecclesia dixit post Gregorium. Ubinam in Fidei nostræ Professionibus? Ubi in Synodo Tridentina, *Analogicæ adorationis* mentio? Venerationem quam imagini adhibendam ut rei sacræ *Dallæus* fatetur, *cultum religiosum* quidni vocemus, cùm res sacras non honore civili, sed superiori quodam honoris gradu, quem religio approbat, veneremur? At *religiosum servitium* imaginibus deferri, nemo unquam Catholicorum dixit, ut *Dallæus* blaterat. Denique ipsi Calvinistæ Eucharistiam de geniculis adorare permittunt, sumptô adorationis nomine pro veneratione quæ Sacramentis debetur, quamvis eam figuram duntaxat & imaginem Corporis Christi credant. Iniquissimè ergo & pessimâ fide, illicitum, superstitiosum, idololatricum esse ritum ingeniculationis coram imaginibus effutiunt. Dallæum propriis ipsius verbis convincimus. Ita enim habet ille Apologiæ Cap. duodecimo. *Si Ecclesia Romana hoc tantùm à nobis exigeret, ut simpliciter Sanctam Eucharistiam genibus flexis reciperemus, fateor ex hoc capite non nos habituros justam causam nos separandi ab ipsa.* Et postea: *Ecclesia Anglicana credunt & publicè docent, Eucharistiam esse panem quoad substantiam, quodque ejus adoratio foret gravis Dei offensa; ita ut genuflexio quâ in suâ utuntur communione, aliter accipi nequeat, quàm pro adoratione Jesu Christi in cœlo existentis, & non panis qui est in terra.* Et ibidem: *Quando Pastores nostri consecrantur ad ministerium suum per impositionem manuum, nunquid tam non recipiunt flexis genibus, absque eo quòd ullus sibi ideo persuadeat illos ab iis adorari, per quos ad officium evehuntur, vel signum cujus in hunc finem est usus?* Addit: *Quoad Baptismum, fateor eum ab adultis, genibus flexis recipi posse.* Hæc gemina sunt Synodicis illorum Decretis. Sic enim Synodus ipsorum Petricoviensis Conclus. IV. *Libertati Christianæ donamus, ac permittimus, ut stantes vel genua flectentes Pii Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sumant.* Huic Decreto Synodus ipsorum Wodislaviensis concordat Conclus. VI. Hunc quem Sacramentis deferunt honorem, dicentne civilem? Immò quia ex fide & religione proficiscitur, velint nolint, religiosum esse fatendum est. Cùm igitur non aliam imaginibus venerationem exhibeamus, non est cur in Romanam Ecclesiam quasi idololatriæ ream, ob religiosum cultum imaginum declament.

De Benedictione imaginum.

XVII. Sanè Patres *Gregorio* antiquiores sensisse imaginem propter exemplar suum honorari posse, constat ex *Sancto Athanasio, Oratione IV. contra Arianos*. cujus hæc sententia laudata est Actione quarta Synodi Septimæ: *In imagine Imperatoris species & forma est: in Imperatore verò eadem quæ in imagine species est. Paribus autem est in imagine Imperatoris similitudo; ita ut qui videt imaginem, in eâ Imperatorem cernat; & rursus qui viderit Imperatorem, cognoscat quòd hic sit, qui in imagine est.* Quò fit, inquit, ut si quis visâ imagine Regem videre cupiat, huic imago loqui sic possit: *Ego & Rex unum sumus: Ego enim in illo sum, & ille in me.* Ex quo sta colligit: *Qui ergo adorat imaginem, in ipsâ adorat Regem. Illius enim forma & species est imago.*

Eadem est *Sancti Basilii* sententia lib. *de Spiritu Sancto*, Cap. XVII. asserentis: *Propterea Regis imaginem appellari Regem; neque duos esse Reges. Non enim dividi imperium*: ac similiter non esse duas glorificationes: *eò quòd imaginis honor ad prototypum transeat.* Qui *Sancti Basilii* locus à Septimâ Synodo etiam laudatus est. Quanquam igitur eum venerationis modum, qui ad disciplinam pertinet, Ecclesia prioribus omnibus Christiani sæculis, erga imagines non sanxerit, immò nec frequentaverit, ut scilicet ingeniculationibus, osculis, thurificationibus, cereorum accensionibus honorarentur; vel Christus & Sancti coram ipsis: sensit tamen (quòd dogma spectat) aliquô venerationis plusquam civilis gradu prosequendas, ob sacra, quæ referebant, prototypa. Hocque in dogmate nulla facta mutatio est. Quamvis igitur infrequens admodum fuerit tribus primis sæculis imaginum usus: quamvis nec sæculo quartô passim & ubique in Ecclesiis receptus: adeóque nec modus ille ipsas colendi constitutus quem adversùs Iconomachorum hæresim studiosiùs & frequentiùs Ecclesiæ disciplina usurpavit: tamen & licitum, & utilem esse imaginum sacrarum usumque, & iis, ceu rebus sacris congruam venerationem esse deferendam sensit, ac datâ occasione docuit. Porro in rebus disciplinam spectantibus factam esse, & fieri adhuc posse in Ecclesia mutationem, *lege Fidei manente*, ut *Tertullianus* loquitur, nemo est qui non sentiat.

XVIII. Usus & cultus sacrarum imaginum ab *Augustino* in Angliam cum Fide illatus est, quem scilicet usum cultúmque Romæ à *Sancto Gregorio Magno* ex traditione edoctus fuerat, & frequentari viderat. Hunc ad Regem *Ethelbertum* cum Sociis suis solenni ritu Deo supplicantem adiisse, Venerabilis *Beda* refert lib. 1. Historiæ Anglorum cap. 25. *At illi*, inquit, *non dæmoniacâ, sed divinâ virtute præditi veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabulâ depictam.*

XIX. Usum, cultúmque Sacrarum Imaginum, non solùm ante Septimam, sed ante Sextam quoque Synodum, in Ecclesia Græca solemnem fuisse, probatur ex Collatione *Sancti Maximi* Martyris, quæ extat inter *Anastasii Bibliothecarii Collectanea*, in quâ hæc leguntur: *Et in his surrexerunt omnes cum gaudio, & lacrymis, positisque in terrâ genibus, oratio facta est. Et unusquisque ipsorum sancta Evangelia, pretiosámque Crucem, & imaginem Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, atque Dominæ nostræ, quæ illum peperit, Sanctissimæ Dei Genitricis salutaverunt:*

Ponentes

Ponentes nihilominus manus suas ad testificationem eorum quæ dicta sunt.... Et conversus ad Episcopum Abbas Maximus cum lachrymis ait: Domine mi, ecce diem judicii expectamus omnes. Nosti quæ ordinata sunt, & diffinita supra sancta Evangelia, & vivificam crucem, atque Imaginem Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & sanctissimæ, quæ illum genuit, semper Virginis Matris. Hic locus in VII. Synodo, Actione quartâ laudatus est.

XX. Idem probatur ex *Sophronio* Hierosolymorum Patriarcha in Oratione *de Miraculis SS. Cyri & Joannis*, ab eadem Synodo laudatâ, in quâ hæc habet: *Venientes ergo ad templum quoddam perfectum, specie quidem terribile & preclarum; aliud ne verò ad cœlum ipsum pertingens; quod intrantes, maximam imaginem & admirabilem videbamus, in medio quidem Dominum nostrum Christum pictum coloribus habentem, Christi autem Matrem, & Dominam nostram Dei Genitricem & semper Virginem Mariam sinistrorsum, & dextrorsum Joannem Baptistam, & quosdam ex Apostolorum & Prophetarum glorioso Choro, & Martyrum cœtu: cum quibus & aderant ipsi Cyrus & Joannes Martyres, qui ante imaginem stantes, Domino procidebant, genua incurvantes, & capita in pavimentum ferentes, & pro Juvenis medela intercedentes.*

Et in Vita *Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ*, in quâ refert ipsam, cùm agendæ pœnitentiæ consilium iniit, Beatæ Virgini, coram ejus imagine prostratam, supplicasse.

XXI. Idem probatur ex *Joanne Moscho*, *in Prato Spirituali*, Cap. 45. ubi refert, dæmonem cuidam Monacho in Monte Olivarum incluso, & à Spiritu fornicationis dirè diùque agitato apparuisse, promisisséque se eum deinceps non impugnaturum, modò ne Beatæ Virginis Imaginem adoraret. Rem ille detulit ad *Theodorum Æliotam* Abbatem, qui ipsi respondit: *Expedit tibi potiùs ut non dimittas in civitate istâ lupanar, in quod non ingrediaris, quam ut recuses adorare Deum & Dominum Jesum Christum, cum Matre suâ.* Vides Christum, & ejus Matrem, in imagine adorari, id est coli congruo sibique debito honore; Christum Deum adoratione propriè dictâ, Beatam Virginem eximiâ præ Sanctis cæteris veneratione. Hic imaginum honos, ut iò ipsis, coram ipsis, aut per ipsas, prototypa honorentur. Hanc porro narrationem & *Theodori Æliotæ* verba ineptè carpunt *Dallæus* & *Forbesius*, post librorum Carolinorum Auctorem: cùm enim *Theodorus* Abbas in Dogmatibus Ecclesiasticis apprimè eruditus, nosset hæresim & blasphemiam esse, recusare adorationem Christi, & venerationem Deiparæ Virginis in imagine, & hoc facto profiteri non esse adorandum Christum, aut colendam Deiparam; & hæresis ac blasphemia sint graviora fornicatione crimina: prudenter Monachum temperantiâ & castimoniâ conspicuum ista comparatione docuit, prohibuitque, ne Dæmonis tentationi succumberet.

XXII. *Leontius*, Neapolitanus in Cypro Episcopus, *Sermone quinto Apologetico pro Christianis adversus Judæos*, Ecclesiasticam de Imaginibus doctrinam strenuè propugnavit, quô ex Opere jam nonnulla delibavimus §. 1. Hæc verò nunc observanda. *Quia verò*, inquit, *me vidisti Iconam Domini nostri Jesu Christi, vel immaculatæ Matris ejus, vel alterius cujuspiam Justi salutare, indignaris, & mox blasphemans falis, & nos Idololatras appellas. Deinde non confunderis, dic mihi, videns me in totô terrarum orbe templa Idolorum destruere, & templa Martyrum ædificare? Si idola adoramus; cur Martyres, qui destruxerunt Idola, adoraremus? Si ligna ut Deos honoro & glorifico, quomodo honoro & glorifico Martyres, qui lignea simulachra destruxerunt?*

Ibidem. *Quemadmodum Regis cujusdam benigni, qui coronam variam & pretiosam sibi propriâ manu paravit, omnes qui germanè adhærent Regi, salutant coronam & honorant, non aurum & margaritas, sed verticem Regis honorantes, & sapientissimas manus ejus, quæ coronam struxerunt: sic, ô homo, Christianorum populi, quotquot figuras Crucis, & Iconarum salutant, non ipsis culturam lignis vel lapidibus offerunt, vel auro, vel corruptibili imagini, vel arcæ, vel reliquiis; sed per ea Deo, & ipsorum, & cunctorum Creatori gloriam, & salutationem, & cultum impendunt. Honor enim, qui Sanctis ejus impenditur, ad eum recurrit. Sicut è contra quidam imagines Imperiales demolientes, Principem offenderunt, & non ipsam tabulam.*

XXIII. *Simeon Thessalonicensis* à Septima Synodo Actione quintâ laudatus: *Nos*, inquit, *imagines hominum Sanctorum facimus ad recordandum & honorandum eos.... Sed & adorantes, non imagines, sed eos qui per picturam indicantur, glorificamus: & hos non ut Deos, sed ut proprios servos & amicos Dei, & fiduciam habentes intercedendi pro nobis. At verò imagines Dei facimus, id est, Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, quemadmodum visus est super terram, & cum hominibus conversatus est, hunc pingentes, & non ut intelligitur natura Deus.*

XXIV. Synodus Quinisexta, Canone octogesimo secundo decrevit, ut non ampliùs Christus in agni figura, sed in forma potiùs hominis exprimeretur, *venerandas imagines* appellavit, σεπτὰς εἰκόνας.

XXV. Doctrina Ecclesiæ de cultu imaginum confirmatur ex Epistola *Sancti Simeonis Stylitæ Junioris* ad *Justinum Juniorem* Imperatorem, quâ ipsum ad ultionem de Samaritanis nonnullis sumendam hortatur, qui crucem & sanctas imagines contumeliâ affecerant. *Si piissimæ*, inquit, *Leges jubent imagine Imperatoris injuriis lacessitâ morti tradendos qui hoc conari præsumpserint: quanta digni sunt damnatione in perditionem, qui in imaginem Filii Dei, & sanctissimæ ac gloriosæ Dei Genitricis, cum indicibili impietate & impudentiâ salta præsumpserunt?*

XXVI. Anonymus Auctor *Disputationis Judæi & Christiani*, à Septima Synodo, Actione quintâ laudatus, Judæo respondens, qui adorationem imaginum Christianis objiciebat, & Legis omne sculptile, vel omnem similitudinem vetantis violationem, hæc habet: *Deum recentem præcipiunt te non adorare Scriptura, & omnem similitudinem non adorare ut Deum. Imagines vero quas vides, ad recordationem benignissimæ salutis pinguntur, per Salvatorem nostrum Jesum Christum effectæ, Incarnationis ejus personam significantes: Sanctorum autem imagines similiter uniuscujusque ipsorum signant agones, quos adversùs Diabolum habuerunt, & victorias eorum atque coronas. Non autem, ut tu intelligis, deificantes eas Christiani adorant, sed zelo ferventes & fidei, Sanctorum contemplantur imagines, memoriam ferentes horum pietatis, & adorantes, Sanctorum invocant Deum dicentes: Benedictus es Deus hujus Sancti ac omnium Sanctorum, qui dedistis eis patientiam, & dignos illos fecisti Regno tuo: nos quoque participes eorum constitue, atque orationibus eorum salvos nos fac. At verò Salvatoris Iconam contemplantes & adorantes spiritualibus oculis, & cordis intuitu Deo cunctorum Domino gratias agimus, qui dignatus est in formâ servi hominem suscipere, & salvare mundum.... Ergo non ligneam imaginem vel picturam adoramus, aut colimus, sed omnium Dominum Christum Deum glorificamus.*

XXVII. Venerationem sacris imaginibus debitam confirmarunt miracula, inter quæ celebre illud est, quod in Imagine Christi à Judæis Beryti crucifixâ patratum legitur, quæ copiam sanguinis & aquæ emisit. Cujus miraculi Historia in Septima Synodo relata

relata est, *Sancti Athanasii* nomine, non magni illius Episcopi Alexandrini Arianorum debellatoris, sed alterius, qui paulò ante Septimam Synodum floruit.

XXVIII. *Sanctus Gregorius II.* Pontifex Maximus Traditionem de veneratione sacrarum imaginum propugnavit Epistola I. ad *Leonem Isaurum* Imperatorem, doctrinamque Ecclesiæ vindicavit à calumniâ. *Et dicis*, inquit, *nos lapides, & parietes, ac tabellas adorare. Non ita est ut dicis, Imperator! sed ut memoria nostra excitetur, & ut stolida & imperita, crassáque mens nostra erigatur, & in altum provehatur per eos, quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæ sunt imagines; & non tanquam Deos, ut tu, inquis, absit; neu enim spem in illis habemus. Ac si quidem imago sit Domini, dicimus: Domine Jesu Christe, Fili Dei, succurre, & salva nos. Sin autem sanctæ Matris ejus, dicimus: Sancta Dei Genitrix Domini Mater, intercede apud Filium tuum, verum Deum nostrum, ut salvas faciat animas nostras. Sin verò Martyris: Sancte Stephane, qui pro Christo sanguinem tuum fudisti, qui ut Protomartyr loquendi confidentiam habes, intercede pro nobis. Et de quovis Martyre ita dicimus: tales per illos preces offerimus, nec ita est, ut tu dicis, Imperator! quasi Deos Martyres appellemus.* Ibidem duobus verbis doctrinam Ecclesiæ de imaginum veneratione complectitur, illas coli dicens, *Non latria, sed habitudine.* Sanctissimo porro Pontifici *Dallæus* per summam, putidissimámque calumniam imponit, quòd imaginum in Religione usum juris esse naturalis dixerit; non aliter hominum generi antiquitus & à principio traditum, ac panis vinique usum, & aliorum ad vitæ humanæ conservationem pertinentium: Id enim nequaquam dixit *Gregorius*; sed objicienti *Leoni Isauro*, in sex Conciliis nihil de imaginibus esse dictum, respondet: Ne de pane quidem & aqua quidquam dictum esse, quia hæc in vitæ humanæ quotidiano usu erant. Proinde non mirum si de imaginibus, quæ in publico erant Ecclesiæ usu, nulla in Conciliis mentio facta sit.

XXIX. *Sanctus Germanus* Constantinopolitanus Patriarcha dogma Catholicum de sacrarum imaginum veneratione, invictâ constantiâ & eruditione singulari defendit, in Epistolis ad *Joannem* Episcopum Synadensem, & ad *Thomam* Episcopum Claudiopoleos. In priori quidem hæc habet: *Hic est modus faciendarum imaginum, non quò convenientem incomprehensibili & inaccessibili Deitati in spiritu & veritate adorationem transferamus in manufactas imagines.... Sed quia dilectionem, quam justè habemus circa veros Servos Dei nostri, hoc modo demonstrantes, per illorum honorem in Deum qui ab his glorificatus est, & illos glorificavit, in confessione dominationis ejus glorificationem & cultum referamus: ut & nos imitatores fortitudinis eorum & caritatis in Deum, per bona opera & refragationem contra vitia demonstremus..... Porro etsi Domini & Salvatoris nostri, & intemeratæ Matris ejus, & sanctorum imagines salutamus, sed non secundùm eumdem affectum, & fidem circa illos habemus. At Deum quidem illum novimus..... Porro hanc ancillam & propriè Matrem ejus, & intercessionem potentissimam suscipimus. Illum quidem ut dominatorem, & quæ salutis nostræ sunt, tribuentem; hanc verò ut maternè pro nobis petentem: Et Sanctos omnes tanquam conservos quidem nostros, sed placentes Deo, & supernam confidentiam & beatitudinem apud eum adeptos, & gratiam consecutos à Deo ad ministrandum nobis beneficia ipsius.*

XXX. *Sancti Joannis Damasceni* Orationes de Imaginibus præclara sunt adversùs Iconomachos monumenta. Ex *Oratione III.* hæc tantùm verba describo, quæ Ecclesiæ Doctrinam de cultu imaginum à calumnia vindicant. *Neque ego*, inquit, *tanquam Deum imaginem adoro: sed per imaginem, per que Sanctos, adorationem Deo atque honorem exhibeo, propter quem & amicos ejus veneror & colo.*

XXXI. *Hadrianus I.* Pontifex Maximus in Epistola ad *Constantinum & Irenem* Imperatores, Actione secunda Septimæ Synodi recitatâ, dogma Catholicum de usu & veneratione sacrarum imaginum multis probat, & Ecclesiæ doctrinam vindicat à calumniâ, exponens in quò sit posit imaginum cultus. *In universo mundo ubi Christianitas est*, inquit, *ipsæ sacræ imagines permanentes ab omnibus Fidelibus honorantur, ut per visibilem vultum, ad invisibilem Divinitatis Majestatem mens nostra rapiatur spirituali affectu. Per contemplationem figuratæ imaginis secundùm carnem, quam Filius Dei pro nostrâ salute suscipere dignatus est, eumdem Redemptorem nostrum, qui in cœlis est, adoramus. Nam absit à nobis, ut ipsas Imagines (sicut quidam garriunt) deificemus; Sed affectum & dilectionem nostram, quam in Dei amorem & Sanctorum ejus habemus, omnimodâ præferimus: & sicut divinæ Scripturæ libros, ipsius Imagines ob memoriam venerationis habemus, nostræ fidei puritatem servantes.*

XXXII. Tot & tam gravibus fulta momentis est *Septima Synodi Definitio*, quæ sic habet: *Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum magisterium, & Catholicæ Traditionem Ecclesiæ, definimus, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas Imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quàm quæ ex aliâ materiâ congruenter se habente, in Sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet Imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quàm intemeratæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum simul & almorum virorum. Quantò enim frequentiùs per imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur, alacriùs eriguntur & Primitivorum earum memoriam & desiderium. Et his osculum, & honorariam adorationem tribuunt, non tamen veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam divinam naturam decet: ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio, ad harum honorem efficiendum, exhibeatur, quemadmodum & Antiquis pia consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit: & qui adorat Imaginem, adorat in eâ depicti subsistentiam.*

XXXIII. *Octava Synodus* hanc Definitionem roboravit, Canone secundo. *Sacram*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi effigiem, eadem quæ sancta Evangelia veneratione colendam statuimus: Ut enim per syllabas in Evangelio scriptas salutem consequuntur omnes; ita per imagines arte coloribúsque pictas & expressas, docti juxta & indocti ex objectâ re utilitatem capiunt. Quæcumque enim in syllabis oratio, hæc in coloribus pictura docet & repræsentat. Ergo quicunque Christi Salvatoris Imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem. Eadem ratione intemeratæ Genitricis illius effigiem, Sanctorum Angelorum, ac Sanctorum omnium, veneramur & colimus. Qui aliter sentiunt, Anathema sunt.*

XXXIV. *Tridentina Synodus*, Sessione vigesima-quinta, eamdem Traditionem secuta, imaginum usum ac venerationem approbavit his verbis: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quòd ab iis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos*

qui

qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant: ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus: & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur: Id quod Conciliorum, præsertim verò Secundæ Synodi Nicænæ Decretis, contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud verò diligenter doceant Episcopi, per historias Mysteriorum nostræ redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & assiduè recolendis; cùm verò ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi; non solùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorúmque imitationem vitam, morésque suos componant, excitenturque ad adorandum, & ad diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit, Anathema sit. In has autem sanctas & salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nulla falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur.

Pictorum quorundam mania scrupulis revellitur, qui Christi Crucifixi imaginem reformari vellent.

Cohibendam quoque Pictorum ac Sculptorum licentiam semper existimavit Ecclesia, qui imagines aliquando ad excitandam lasciviam quàm pietatem aptiores pingunt vel effingunt. Hujus tamen generis esse non censeo Christi crucifixi imagines prout volgò adumbrantur. Nec legem inde præscribendam puto, ut talari veste indutæ exhibeantur Christianæ plebi, quòd Gregorius Turonensis lib. 1. *De Gloria Martyrum cap.* 23. commemoret Christum semel ac tertiò cuidam per visum intimasse, ut imaginem quæ ipsum Cruci affixum, quasi linteo præcinctum parte quadam corporis exhibebat, reformarent, séque non parte tantùm, sed toto corpore operirent. Re tandem ad Episcopum delata, ipsum *jussisse desuper velum expandi, & sic*, inquit Gregorius, *nunc pictura suspicitur. Nam etsi parumper detegatur ad contemplandum, mox demisso velo contegitur, ne detecta cernatur.* Quod Narbonæ contigit. Sanè totius Ecclesiæ morem Christum in Cruce nudum proponentis, ut ignominia quam pro nobis pertulit, expressiùs ponatur ob oculos, fastidiosè aspicere disciplinæ severioris amatores non debent, cùm nihil sit in hujusmodi imaginibus quod Fidelium pietatem lædat, imò nihil quod ipsam non accendat: & scandalum gravissimum oriturum foret, si Christus in Cruce pendens talari veste indutus exhiberetur, quâ illum exutum à militibus antequàm crucifigeretur, Evangelica docet Historia. Trepidare itaque desinant Viri quidam Pii, ubi nulla est timendi ratio, ne pietas corrumpatur aspectu picturæ quæ Christum Dominum cruci affixum nudum exhibet, parte tantùm aliquâ corporis velatâ; cùm indè magis ædificentur Fideles, non solùm illuminatis cordis oculis, sed etiam corporis, sic *Aspicientes Auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.*



§. III.

Dallæi objectiones ex Patribus quinque priorum Sæculorum petitæ diluuntur.

OBjicit *Dallæus* [a] Veteres primorum quatuor à Christo nato sæculorum Patres, neque Christi, neque Sanctorum imagines veneratos esse; primamque rationem ex iis ducit, quæ Pagani de Religione disputantes objiciunt. Christiani namque illorum temporum Doctores Ethnicis, quibuscum de Religione disputant, simulachrorum cultum passim exprobrant, totúmque illum ritum tanquam gravissimi erroris, & immanis cujusdam stultitiæ atque væcordiæ plenum exagitant. Quô jure, si quam Pagani Numinum simulachris venerationem exhibebant, eamdem ipsi sanctorum virorum imaginibus deferebant? *Tertullianus* ob simulachrorum cultum Ethnicos insectatur, quòd *Materia sint sorores vasculorum, instrumentorumque communium*, quòd *Statuæ sint & imagines frigidæ mortuorum, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt.* Minucium Felicem in Octavio, Lactantium lib. 2. Institutionum cap. 2. eadem urgere palam est.

Lib. 1. de Imag. c. 2.

Apolog. cap. 12.

Secundam rationem ex eô ducit, [b] quòd Ethnici imagines, si quæ apud Christianos fuissent, venerationémque illis à Fidelibus exhiberi solitam, in hâc causâ non fuerant omissuri; & Christianorum in hoc argumento criminationes, ipsorum usu, praxi, atque sententiâ dissolvissent; eorúmque in Sanctorum imagines cultum in medium attulissent, ad tollendam, aut certè mitigandam suæ in idola superstitionis invidiam. Id non omissum à Pagano cum *Joanne Thessalonicensi* disputante, ut refertur in Synodo VII. Actione V. *Vos ergo*, inquit, *in Ecclesiis Imagines non pingitis Sanctis vestris, & adoratis illas? Et non solùm Sanctis, sed & ipsi Deo vestro? Sic ergo æstima, & nos simulachra circumferentes, non ea adorare, sed incorporales Virtutes, quæ per illa coluntur.*

Cap. 3.

Addit, Paganos nostris crimini vertisse, quòd nullis in Religione uterentur imaginibus, aut simulachris. *Cæcilium* de Christianis, apud *Minucium*, disputantem, dicere: *Cur nullas aras habent? Templa nulla? Nulla nota simulachra?* Eamdem *Celsi* de Christianis querimoniam *Origenem* testari lib. 8. Eamdem *Arnobium* lib. 6. Ex *Origenis* responsione liquere, illorum temporum Christianos nullas habuisse sacras (ut vocant) imagines, quas, si quæ rum apud eos fuissent, non erat hoc loco omissurus, sed *Celsi* errorem detecturus, atque suarum à Paganicis discrimen demonstraturus. Imagines quidem & effigies aliquas ipsum afferre in medium sed spirituales prorsus & invisibiles. *Simulachra autem*, inquit, *Deo dicanda sunt, non fabrorum operâ, sed à Verbo Dei dedolata, formatáque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem Primogeniti totius creaturæ, in quo sunt justitia, temperantia, fortitudinis, sapientia, pietatis, cæterarúmque virtutum exempla. Hæ sunt statuæ Deo dicata in animis justitiam juxta præceptum Dei, & fortitudinem, & pietatem reliquásque virtutes exercentium, quibus decenter honorari credimus omnium hujusmodi statuarum Archetypum primum, imaginem invisibilis Dei, Deum unigenitum.*

Tertiam rationem ducit [c] ex Sanctorum Patrum disputationibus adversùs Judæos, qui cùm imagines, maximè in religionis negotio, semper fuerint abominati, earum usum cultúmque apud Christianos, si quis prioribus sæculis obtinuisset, velut infandam aliquam impietatem criminati essent: sicut Judæus quidam in Dialogo [d] paulò ante Synodi VII. tempora conscripto, his verbis Christianum

Cap. IV.

Synodus 7. Act. 5.

Collocutorem compellat: *Scandalizor in vos, quia imagines adoratis: Scriptura quippe ubique præcipit non facere quemquam sibi sculptile, vel omnem similitudinem.* At neque à Judæis, qui primis Christianismi temporibus vixerunt, quidquam hujusmodi Religioni nostræ objectum fuisse invenimus, neque illius memoriæ Patres cum Judæis disputantes in hoc argumento usquam laborantes cernimus, aut hunc de adversariorum animis scrupulum revellere satagentes; ut constat ex Dialogo *Justini* cum *Tryphone*, Judæo, & ex libro *Tertulliani* adversùs Judæos. Imaginum ergo cultus nondum fuerat in Christianam aut fidem, aut disciplinam receptus. Ea verò mutatio, quæ tertiò aut quartò sæculo post contigit, cùm palàm in Ecclesiis Imagines & dedicarentur, & colerentur, meritò effecit ut hunc ritum & Judæi accusarent, & Christiani purgarent atque defenderent, quoties de Religione inter se disputabant.

Cap. 8.

Lib. 10. Hist.

Quartam rationem arcessit * ex eo quòd in veterum Ecclesiarum instrumentis & sacrâ supellectili, nullæ imagines occurrant. *Eusebius* scilicet * diligentissimè descriptum nobis reliquit Templum illud, quod Tyri fuit à *Paulino* Episcopo magnificè constructum. Omnes operis partes, omnia ornamenta sigillatim executus, porticus, laquearia, Cathedram, candelabra; de imaginibus nihil. Quas tamen non omisisset, si jam tum in usu & veneratione fuissent. Idem colligitur ex descriptione Basilicæ à *Constantino Augusto* Hierosolymis conditæ. * Et ex *Athanasio*, Alexandrinæ direptionem Ecclesiæ à Paganis & Hæreticis crudelissimè factam narrante. Memorat namque * confractam mensam, lacerata vela, eversam Episcopi Cathedram, disjecta Cleri & plebis sedilia, violatos sacri Baptismatis fontes; de Imaginibus nihil loquitur, quibus tamen, si quæ fuissent, parcitura non erat impiorum istorum audacia. Idem colligit ex *Optato*, lib. 6. contra *Parmenianum*, in quo describit, quæ in Ecclesias Catholicorum contumeliosè à Donatistis acta fuissent. Ibi namque commemorat aras, Calices, divinósque Codices, vela, atque altarium linteamina, cæteráque ejusmodi ab illis furentibus aut confracta, aut erasa: neque parietes tacet, quos illi, tanquam à Catholicis contaminatos, velut lustrali aquâ laverant: aureas verò vel argenteas imagines nullas commemorat. Id demum colligit ex Epistola tertiâ *Sancti Hieronymi*, ubi res sacras percensens, *quas Nepotianus* sibi creditas summâ diligentiâ curabat, altare, vela, vasa, &c. de imaginibus tacet

Lib. 3. de vita Constantini.

Athanasius Epist. ad Solitarios.

Quintum ex eo ducit argumentum quòd testatur *Augustinus*, incertum esse quæ verè fuerit Domini Jesu, quæ B. Virginis, quæ Pauli facies, quæve oris forma, totáque effigies (*lib. 8. de Trinitate Capp. 4. & 5.*) At si ipsis Apostolorum temporibus obtinuisset, ut Sanctorum hominum pingerentur imagines in Fidelium cœtibus dedicandæ atque colendæ, eáque consuetudo apud posteros sequentibus Sæculis constanter mansisset; haud dubiè *Christi*, Beatæque Virginis & Pauli effigies, ad vivum à primis illis Christianis accuratissimè expressæ atque effictæ fuissent.

Respondeo ad hæc *Dallei* argumenta, primò imaginum sacrarum usum tribus primis Ecclesiæ Sæculis apud Christianos fuisse valde infrequentem. Unde mirum non est, si nec Ethnici, nec Judæi illum Christianis objecerint. Neque quarto sæculo, statim in Ecclesiis omnibus obtinuit. Unde nec inter Ecclesiæ instrumenta numeratæ fuerunt Icones ab *Eusebio*, *Athanasio*, *Optato*, aut *Sancto Hieronymo*. Nihil autem inde colligere potest *Dallaus* contra Catholicum dogma. Fatemur enim usum imaginum, adeóque & earum venerationem actualem, non esse Dei lege præceptam, & ad disciplinam duntaxat pertinere, quæ subinde variari potest, & variata est in Ecclesia, invariatâ fide. Id unum Ecclesiastici dogmatis est, imaginum usum lege Dei vetitum non esse, & utilem esse Christianis; & venerationem imaginum Christi aut Sanctorum à Religione permitti & approbari, ut quæ ad Christum Servatorem, & Sanctos referatur, nec habere aliquid cum idololatria commune. Everti verò non posse, confringi, aut dehonestari imagines, ubi earum usus est ab Ecclesia receptus, absque impietate; nec qui Christum & Sanctos coram iis, in iis, aut per eas colunt, posse absque calumniâ anathemate dignâ idololatras appellari. Hæc autem de imaginibus Christi & Sanctorum, absque earum usu, stare sententia potest. Non conficit igitur *Dallaus* aliam fuisse veteris Ecclesiæ, quàm hodiernæ, de imaginum usu & veneratione doctrinam, etsi vix ullum fuisse imaginum usum tribus prioribus Sæculis, nec admodum frequentem quartò etiam sæculô, probaverit.

Respondeo secundò: Etsi fuerint imagines aliquæ apud Christianos, non inde sequi quòd Ethnici & Judæi id illis exprobare debuerint: cùm ignota ipsis magnam partem esset Christianæ Religionis disciplina. Unde *Cæcilius* ab *Octavio* quærit in Minutii Felicis Dialogo, cur Christiani, *occultare & abscondere quicquid illud colunt, magnopere nituntur; cùm honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?* Et expostulat cur *nulla habeant nota simulachra?*

Respondeo tertiò, Ex locis plerisque à *Dallæo* prolatis solùm colligi, nullas fuisse in Ecclesia veteri propositas *Imagines Dei*. At isto de imaginum genere cum Hæreticis non contendimus. Fatemur in usu non fuisse, non solùm quatuor prioribus sæculis, sed nec Synodi Septimæ temporibus, ut colligitur ex *Gregorii Secundi* Epistola I. ad Leonem Isaurum. *Patrem*, inquit, *Domini Jesu Christi non oculis subjicimus ac pingimus, quoniam quis sit non novimus. Deique natura spectanda proponi non potest ac pingi.* Et ex Epistola *Sancti Germani* Patriarchæ Constantinopolitani ad *Joannem* Episcopum Synadensem: *Neque enim* (inquit) *invisibilis Deitatis imaginem, aut similitudinem, aut figuram, aut formam aliquam exprimimus, quam nec ipsorum quidem Sanctorum Angelorum sublimes Ordines, neque intelligentiâ complecti, neque investigare penitus valent.* Et ex *Sancto Joanne Damasceno*, Oratione I. de Imaginibus. *Non sumus*, inquit, *ampliùs sub pædagogo, quippe qui discernendi vim à Deo atque habitum consecuti, sciamus quid imagine exprimi possit. Neque enim formam*, inquit, *ipsius vidistis. Quis Legislatoris sapientiam non admiretur? Quando enim illius imago qui sub aspectum non cadit, explicabitur? Quomodo illius effigies, qui nullam habet effigiem, exprimi poterit? Quomodo is qui & quantitate, & magnitudine vacat, & nullô terminô concluditur, effingetur? Quomodo illius qui formâ caret, qualitas adumbrabitur? Quomodo qui corporis est expers, coloribus describetur? Quænam igitur hæc arcana ratio? Ea nimirum, ut cùm videris illum qui corpore vacat, propter te factum esse hominem, tunc humana illius formæ similitudinem efficias.* Quidam etiam magni nominis Theologi, ut *Henricus*, *Tostatus*, *Durandus*, nefas esse existimarunt, Dei imagines facere: quibus præivit *Sanctus Thomas III. P. Quæst. 25. Art. III. ad Primum.* Cæterùm ex eô quòd nullas Dei Imagines Ecclesia vetus proposuerit, tam ineptè colligitur nullas omnino fuisse in usu Christi, Sanctorúmque imagines, aut Ecclesiam sensisse, usum illarum ac venerationem esse illicitam, quàm ineptè colligeretur id sensisse Patres & Theologos, qui post ortum hæreseos Iconoclastarum scripsere.

Respondeo quartò, argumenta *Dallæi* penè omnia probare

probare quidem, vix in usu fuisse statuas apud veteres Christianos: illas enim tanquam Gentilium proprias rejecere, ne idololatriæ ritus non penitus deseruisse, sed mutasse duntaxat viderentur. Sed nullas in usu fuisse picturas non probant: Nec mirum quòd primis Ecclesiæ sæculis statuarum usus in Ecclesia pene nullus esset; siquidem nec sub Synodi Septimæ tempora frequens erat, ut constat ex Epistola *Sancti Germani* Patriarchæ Constantinopolitani ad *Thomam* Claudiopolitanum Episcopum, in quâ postquam historiam retulit ab *Eusebio* proditam statuæ in Christi honorem à muliere hemorroissa apud Paneadem collocatæ, ista subjicit: *Non autem hoc dicimus nos, ut statuas æneas facere studeamus, sed ut significemus, cum illud secundum Gentilem consuetudinem factum non repudiaverit Dominus; verum longo tempore sua bonitatis miraculum in eo demonstrari ipsi placuerit; sanctiorem illam, qua apud nos obtinuit consuetudinem, nefas esse vituperare.* Non tamen existimavit Ecclesia vetus, statuas Christum aut Sanctos referentes, vetitas esse, aut idololatriæ velumbram ullam continere: Mutata est igitur Ecclesiæ disciplina, cùm statuas recepit, nihil in fide innovatum.

Licet porrò incertum esse scripserit *Sanctus Augustinus* quæ fuerit *Christi*, *B. Virginis*, & *Sancti Pauli* effigies, non sequitur nullum fuisse usum imaginum primis Sæculis, sed *Christi*, *B. Virginis*, & *Sancti Pauli* effigies non fuisse ad vivum expressas, dum vitam mortalem agebant. Nam & Sanctorum Imagines in Ecclesia, & Heroum in usu civili, habentur convenienter efficta, quamvis certum non sit quænam fuerit eorum effigies, dum in terris versabantur.

Lib. 1. cap. 9. Objicit *Dallæus*, * veterem Ecclesiam disertè notasse, quam nonnulli Hæretici Christi Sanctorúmque imaginibus exhibebant venerationem, eúmque cultum inter istorum errores nominatim recensuisse atque damnasse. Quod probat ex *Sancto Irenæo*, lib. 1. Cap. 24. de Gnosticis verba faciente: *Etiam*, inquit, *imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato, illo in tempore, quo fuit Jesus cum hominibus, & has coronant & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum; & reliquam observationem circa eas similiter ut Gentes faciunt.* Id confirmat ex *Sancto Epiphanio* in Hæresi Carpocratianorum: *Habent imagines*, inquit, *per colores depictas, quidam etiam ex auro & argento, & reliqua materia, quas sunt imagines Jesu esse dicunt, & a Pilato factas esse. Habent autem eas occultè; insuperque Philosophorum quorumdam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum, cum quibus etiam alias imagines Jesu collocant, collocatásque adorant, & Gentium mysteria perficiunt. Qui verò sunt Gentium mores alii, quam Sacrificium, atque alia?* Denique *Sanctus Augustinus* lib. *de Hæresibus* Cap. 7. de Carpocrate hæc habet: *Secta ipsius fuisse traditur socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ.*

Respondeo, *Sanctus Irenæum*, *Epiphanium*, & *Augustinum*, Carpocratianos non arguisse, quòd imagines Christi colerent, sed quòd eas colerent Gentilium ritu, eosdémque ipsis deferrent honores, quos suis Idolis Pagani impendebant: Et præterea quòd Christum afficerent contumeliâ, dum ejus imaginem eodem loco habebant, quo effigies *Homeri*, *Pythagoræ*, *Platonis*, & *Aristotelis*. Quòd autem Gnostici Gentilium ritu Christi colerent Imaginem, sicut & alias quibuscum ipsam proponebant, manifestè indicant illa *Sancti Irenæi* verba: *Et reliquam observationem circa eas similiter ut Gentes faciunt.* Quæ *Sanctus Epiphanius*, cujus tempore adhuc illa fovebat Hæresis, sic interpretatur: *Qui verò sunt Gentium mores alii, quam Sacrificium, atque alia?* Lib. 1. Cap. 9.

Objicit *Dallæus* * testimonium *Origenis lib.* 3. *contra Celsum.* Cùm nempe Christianos irrideret *Celsus*, quòd *Jesum*, hominem à *Pilato* damnatum & supplicio affectum adorarent, eóque nomine cum quibusdam Gentibus conferret, quæ viros mortuos colebant, sic respondet Origenes: * *Hos omnes immerito nobiscum conferri declarabimus. Nam istis, quos enumeravit, templa & simulachra posita sunt à suis populis. Nos verò qui non exhibemus Deo tales honores, (utpote magis congruos dæmonibus hoc illove loco consecratis, ut quæ aut ipsi occupaverunt, aut Mysteriis quibusdam incantati habitare coguntur) admiramur Jesum, qui mentes nostras ab omni sensibili, nec corruptibili tantùm, sed etiam corrumpendo, traduxit ad cultum summi Dei, constantem correctione vita, atque precibus, quas offerimus ei tum Mediatori inter omnem naturam genitam & ingenitam, qui nobis à suo Patre omnia beneficia deferat, & vicissim in morem Pontificis vota nostra ad summum Deum perferat.* Hæc ille; quem totâ hac defensione uti nefas erat, si tum putassent Christiani, divini cultus partem esse imaginum venerationem. Lib. 3. cap. 1.

Respondeo, Locum istum *Origenis* solùm evincere, Christianos simulachra Deo, aut hominibus mortuis, tanquam Numinibus, non posuisse: non fuisse, inquam, simulachra, quibus Ethnico ritu consecratis Dæmones magicis Mysteriis invocati insiderent. Evincunt etiam statuas ex quacunque materiâ sculptas, aut conflatas, Christum aut Sanctos referentes, nondum in Ecclesiæ usu fuisse: sed non probant aut nullas omnino fuisse apud Christianos effigies pictas, aut existimasse *Origenem*, cæterósque illius ætatis Doctores, lege divinâ vetitum esse imaginum usum ac venerationem. Etenim illum duntaxat cultum sensibilium rerum esse à Deo prohibitum intellexere, qui à cultu summi Dei nos abduceret, ad quem Christus Servator nos traduxit. Alioqui omnem erga res sacras, ut sacramenta, Evangelium, vasa sacra, reverentiam damnassent, quam tamen *Dallæus* Religioni consentaneam agnoscit. Alium porro cultum non vendicat Christi & Sanctorum imaginibus Ecclesia. Nihil ergo & hoc *Origenis* loco adversùs Ecclesiæ dogma de usu & veneratione imaginum colligi potest. Fatemur porro non existimasse veteres Christianos, Imaginum venerationem divini cultûs partem esse, quasi sine eâ consistere non posset; neque id censet Ecclesia, quæ Deum in spiritu & veritate credit adorandum, & amore præsertim coli: sed non censuerunt imaginum usum ac venerationem cum divinô cultu pugnare. Sicut ergo *Origenes* Templa Deo vivo religiosè erigi posse non negavit, sed superstitiosis Paganorum ritibus dedicari, ac frequentari: ita non putavit nefas esse imagines Christi, aut Sanctorum effingere, ac venerari: sed Dei, quem imago nulla repræsentare potest: aut etiam Christi & Sanctorum, si Ethnico ritu dedicarentur, & Numinum instar colerentur, sicut *Zamolxin* Getæ, *Mopsum* Cilices, *Amphilochum* Acarnanes, Thebani *Amphiaraum*, Lebadienses *Trophonium* colebant. Hanc Origenis fuisse mentem, sequentis probant. *Libet nunc*, inquit, *cum hac talia nescio quo modo proferente nugari more ipsius: Utrum nihil sunt hi quos modo enumerasti, nec ulla vis est apud Lebadiam in fano Trophonii, nec Thebis in Amphiarai, nec in Acarnania in Amphilochi, nec in Cilicia, in Mopsi: An est his locis aliquis sive Dæmon sive Heros, sive Deus, qui majora humanis viribus opera faciat? Si dicet, Nihil Dæmonum, Deorúmve ibi esse, saltem nunc fateatur suam sententiam, cum sit Epicureus, nec eadem qua Græci sapiat, quippe qui nec Dæmones agnoscat, nec Deos veneretur Græcanicos: & apparebit eum frustra verbis extulisse, qua jam* dixit

dixit ut vera, quæque inde conatur colligere. Quòd si dixerit, sive Dæmonas, sive Heroas, sive Deos esse quos enumeravit, videat quod his, quæ dixit, astruit imprudens, etiam Jesum fuisse tale quippiam, ideóque facilè tanta multitudini approbasse se missum à Deo ut genus humanum inviseret. Id si semel admiseris, vide an non cogitur fateri potentiorem eum his, quibus modò connumerandum esse assensit. Quandoquidem illorum nemo vetat coli etiam alios. At hic sibi ipse fidens ut pollentiori, interdicit ne istos recipiamus pro Numinibus; quippe qui sint impuri ac scelesti dæmones, incubantes terra locis variis, ut quemque occupaverunt.

Lib. 2. Cap. 2.

Objicit *Dallæus* * Canonem Illiberritani Concilii trigesimum-sextum, qui sic habet: *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Unde colligit, istorum temporum Christianos minimè existimasse, sibi vel ab Apostolis traditum, vel ab Ecclesiis universali aliquâ lege præceptum esse, ut *Christi, Mariæ*, & Sanctorum imagines in Sacris Ædibus haberent, & colerent. Colligit secundò, receptum apud Christianos tum fuisse, nefas esse id pingere, quod colitur & adoratur; & quod cum isto cohæret necessariò, nefas pariter esse id adorare, aut colere, quod pingitur.

Respondeo, Ex hoc Canone aliud nihil colligi posse, quàm sublatum fuisse in Provincia Bætica imaginum usum, & cultum actualem ex Ecclesiis, quia partem illam disciplinæ minùs expedire Christianis adhuc inter Idololatras viventibus, judicarunt Illiberritani Patres: sed perperam ex eô colligitur, ipsos existimasse usum cultúmque imaginum per se spectatum, & quocunque metu offensionis ac periculo sublatô, illicitum esse, & ad Idololatriam pertinere. Immaniter itaque errat & calumniatur *Dallæus*, cùm affingit Ecclesiæ, quòd ab Apostolis traditum existimet, ac lege universali præcipiat, ut *Christi, Mariæ*, & Sanctorum Imagines in sacris Ædibus habeantur & colantur. Stare namque Religio Christiana potest absque usu imaginum: nec Apostolicas Traditiones Ecclesia violaret, si legitimas ob causas imaginum usum, in aliquibus locis, ad tempus, aboleret. Quod *Joannes Antonius Delfinus* Catholicus Theologus, lib. 3. *de Ecclesia* prectè prudentérque animadvertit his verbis: *Quòd si aliquando, ut est humana insipientia, & temeritas, in populis obtingat, ut superstitio atque Idololatria figat altius radices, quam porro difficilimum sit revellere, tum possunt ac debent Catholici Pastores Ecclesiæ curare diligenter, ut quibus in locis tantum periculum sit, tantáque abominatio, ad tempus imagines & simulachra omnia tollantur de medio; atque interim bene instituantur ac admoneantur simplices ac rudissimi quique de cultu Dei & Sanctorum.* Sic *Ezechias* Serpentem æneum, quô populum abuti ad superstitionem videbat, piè prudentérque subvertit, quem *Moyses* Dei mandato erexerat. Id igitur unum ex Apostolica Traditione derivatum credit, Fidelibúsque credendum proponit Ecclesia, Imaginum usum & cultum in templis, non repugnare legi Dei, sed magnum fructum spiritalem afferre; quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis Christianorum subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorúmque imitationem vitam morésque suos componant; excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, ad pietatem colendam, ut docet Tridentina Synodus. Legantur quæ de hoc Illiberritani Concilii Canone diximus *Dissertatione XXI. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi III. Art. II. in Resp. ad primam Objectionem*, ubi responsiones ab aliis Auctoribus ad argumentum, quod ex eo Canone ducitur, diluendum excogitatas, expendimus.

A D Hoc hæc ejus verbis cotorquentur.

Lib. 2. c. 3.

Objicit *Dallæus* * testimonium *Eusebii Cæsareensis* in Epistola ad *Constantiam Licinii* uxorem, & *Constantii* sororem, quæ ab illo petierat, ut ad se Domini Jesu imaginem mitteret. Cui respondit his verbis: *Quia vero de quadam imagine, quasi Christi scripsisti, hanc volens tibi à nobis mitti; quam dicis & qualem, hanc quam perhibes Christi imaginem? Utrùm veram & incommutabilem, & naturâ characteres suos portantem? An istam, quam propter nos suscepit, servi formæ schemate circumamictum? Sed de forma quidem Dei nec ipse arbitror te quærere semel ab ipso edoctam, quoniam neque Patrem quis novit, nisi Filius, neque ipsum Filium novit quis aliquando dignè, nisi solus Pater qui eum genuit..... Sed utique servi formæ imaginem quæris, & corpusculi quô amictus est propter nos; sed & id gloriâ divinitatis temperatum didicimus, & absorptum esse mortale a vita.... Quis ergo hujusmodi dignitatis & gloriæ vibrantes & præfulgentes splendores exarare potuisset mortuis & inanimatis coloribus? Quandoquidem nec aspicere in tum in monte egregii sustinuere Discipuli, qui etiam cecidere in faciem, importabile quod sibi visum fuerat, confitentes. Ergò si tunc incarnata ejus forma tantam virtutem sortita est, ab inhabitante in se divinitate mutata; quid oportet dicere, cùm mortalitate exutus, & corruptione ablutus, speciem servilis formæ in gloriam Domini & Dei commutavit? &c.* Quibus luculentissimè demonstrat *Eusebius*, nefas esse Christi Domini imaginem fingere, quâ ejus forma, sive divina, sive etiam humana exprimatur. Jam si Christi, & Apostolorum imaginibus plenæ erant Ecclesiæ privatæque Fidelium ædes; quid opus erat Augustam, Christo Iconem tam longè ex Palæstina ab *Eusebio* petere? Sed fac *Constantiam* vel cæcâ curiositate, vel ignotô aliquô affectu ductam, de hujus potissimùm Episcopi manu illam, quam expetebat, Christi imaginem accipere voluisse; siccine fuerat honestum Illustrissimæ fœminæ desiderium repulsurus *Eusebius*, si ei satisfacere per leges, ritúsque, & fidem Ecclesiæ licuisset?

Responderunt Septimæ Synodi Patres ad hoc testimonium quod Iconomachi objectabant, *Eusebium Cæsareensem* Arianum fuisse; Ariani porro non solùm Filii consubstantialitatem cum Patre negabant verùmetiam unicam in Christo contendebant esse naturam, & carnem sine animâ suscepisse Dominum nostrum: animæ scilicet vices divinitatem implevisse. Unde Passionem divinitati consequenter adscribebant, teste *Sancto Gregorio Nazianzeno*: Theopaschitæ autem imagines Christi effingere nefas esse volebant. Quô errore infectum fuisse *Eusebium*, colligunt ex his verbis, quæ in Epistola memoratâ subjicit. *Quia mutata est incarnata ejus forma in Divinitatis naturam.*

Epist. 1. ad Cledonium.

Non ita omnino habet Epistola textus, sed: Incarnata ejus forma ab inhabitante in se divinitate mutata.

Respondent nonnulli, spuriam, & ab hæreticis Iconoclastis confictam fuisse illam Epistolam: Eusebianí enim styli & caracteris venam non habere. Ita doctissimus *Petavius*, lib. 15. Theologicorum Dogmatum de Incarnatione, Cap. XIV. Num. IX. Quæ conjectura verisimilis est.

Respondeo tertiò, Ex hac *Eusebii*, si genuina sit, Epistola, *solùm colligi, nondum in Cæsareensi Ecclesia receptum fuisse usum imaginum. Et *Eusebium* desiderio Augustæ fœminæ non fecisse satis, non quòd Ecclesiæ fides id prohiberet, sed quòd plena periculi res videretur, fervente adhuc Idololatriâ, curiosæ mulieri, qui sexus est ad superstitionem pronus, Imaginem mittere.

Respondeo quartò, esse probabile *Constantiam Augustam* optasse Imaginem Christi Servatoris, quæ ipsum ad vivum referret: existimasse effigiem hujusmodi ad vivum expressam, in Palæstina inveniri, ubi Christus vixerat & omnia salutis nostræ mysteria perfecerat: Ideò scripsisse ipsam ad *Eusebium*, ut ejus curis voti compos fieret. Hunc verò, ut se importuna petitione liberaret, respondisse; Non posse

posse fieri quod postulabat: quia cùm duplici Christus natura constet, divina & humana, neutrius imago possit exprimi: non divinæ, quam nemo intelligentia complecti potest: non humanæ, cujus mortalitas à gloria divinitatis tota est absorpta.

Lib. 1. Cap. 4.

Objicit *Dallæus* * testimonium *Sancti Epiphanii* in Epistola ad *Joannem Hierosolymitanum*, quam *Sanctus Hieronymus* Latina lingua donavit, in qua narrat se in Palæstina, cùm ad vicum quemdam venisset, qui dicitur *Anablatha*, invenisse ibi *velum pendens in foribus Ecclesiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam; Non enim*, inquit, *satis memini cujus imago fuerit. Cùm ergo hoc vidissem, in Ecclesia Christi, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent.* Mox ait se de Cypro velum aliud misisse. *Precor*, inquit, *ut jubeas Presbyteros ejusdem loci suscipere velum à latore, quod à nobis missum est; & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ contra Religionem nostram veniunt, non appendi.* Quis crediderit, si apud Christianos tum recepta fuisset ea, quæ nunc in Romana Communione obtinet, de imaginibus sententia; quis, inquam, putaverit non indignaturos ad hoc *Epiphanii* facinus Ecclesiæ Anablatensis Ministros, Sacerdotes, Æditos, custodes? Atqui ne mussant quidem. Non violatam Religionem queruntur, sed solùm quòd discerptô velô, facta sit illius seu telæ, seu panni jactura. Id verò si contra Ecclesiæ Leges fecisset *Epiphanius*, Joannes Hierosolymitanus ipsi subinfensus proculdubio criminatus esset. Denique *Sanctus Hieronymus Epiphanium* sibi amicissimum erroris admonuisset, si quis eô in facto fuisset error, nec ejus Epistolam ad *Joannem Hierosolymitanum* eâ de re datam, ad posteritatis memoriam transmisisset, æternâ potius oblivione sepeliendam.

Respondent è Catholicis nonnulli, Epistolam illam fuisse ab Iconomachis confictam: alii ad reliquam Epistolam, aut *Sancti Hieronymi* Latinam interpretationem, attextam fuisse narrationem illam de velo pendente pro foribus Ecclesiæ Anablatensis, & à *Sancto Epiphanio* conscissô: Sed hac missâ responsione, quam validè confutavimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Quarti Sæculi, c. 6 Art. 26 ubi de *Sancti Epiphanii* Operibus egimus: Respondeo primò, Imaginem illam, sive Christi, sive alicujus Sancti, congruè non fuisse expressam, aut superstitionis alicujus, vel erroris occasionem rudibus Anablatensibus præbuisse; & hoc nomine fuisse contra Religionem, & contra auctoritatem Scripturarum. Ideóque prudenter fecisse *Sanctum Epiphanium*, qui velum in quo hujusmodi picta erat effigies, conscideret. Quod & nunc Episcoporum nemo non faceret, secundùm Tridentini Decretum Concilii, cujus hæc sunt verba: *In has autem sanctas & salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nulla falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur..... Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur..... Omnis denique lascivia vitetur: ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.*

Respondeo secundò, Nondum in Ecclesiis Cypri & Palæstinæ receptum fuisse, ut imagines in Ecclesiis proponerentur, ideóque *Sanctum Epiphanium* exhorruisse, cùm depictam in velo pro foribus templi Anablatensis suspensô conspexit imaginem, quasi Christi, vel alicujus Sancti, & velum illud conscidisse. Scripsisse porro ad *Joannem Hierosolymitanum*, id esse *contra Religionem nostram*, & *contra auctoritatem Scripturarum, ut hominis in Ecclesia Christi pendeat imago*: Quia nec Scriptura Sacra, nec Religio id jubet: imò utraque vetat id omne quod offensionis causa esse potest. Cujusmodi erat veli, in quo depicta erat hominis effigies, in Ecclesia suspensio, iis temporibus, quibus nondum usum imaginum in Ecclesiis, Cypri & Palæstinæ Episcopi, quorum erat disciplinam Ecclesiasticam his in regionibus sancire, susceperant. Cæterùm imaginum usus, si ex sese spectetur, aut ab Episcopis decernatur, visus non fuit *Sancto Epiphanio* pugnare cum Religione nostrâ, & cum auctoritate Scripturarum: Siquidem cum *Gregorio Nysseno*, *Basilio*, *Chrysostomo*, communione conjunctus fuit, qui imaginum usum in Ecclesiis Ponti, Cappadociæ, Antiochiæ, & Constantinopoleos approbant. Factum autem *Sancti Epiphanii*, quod spectatis temporum circumstantiis, & eorum quibuscum agebat, indole, prudens erat, in consequentiam duci non debet, quasi Ecclesiæ regula sit; cùm Ecclesia universa usum imaginum sensim postea receperit etiam in templis, ac tandem Oecumenico Decreto firmaverit: Quod enim à paucis, raróque fit, non est in Ecclesia tanquam lex observandum, neque una hirundo facit ver: Neque unius oratio tanti ponderis est, ut totius Ecclesiæ ab ortu ad occasum Solis propagatæ morem & instituta possit evertere (inquit *Sanctus Joannes Damascenus*, Oratione *I. de Sacris imaginibus.*) Sanè Librorum Carolinorum Auctor, qui illud *Sancti Epiphanii* testimonium in medium affert, libro quarto, cap. vigesimo-quinto, factum illius non approbat; neque Gallicani Præsules, quorum doctrinam libri illi repræsentant, usum Imaginum cum auctoritate Scripturarum, & cum Religione nostrâ pugnare usquam existimavere; imò abhorruere semper ab iis qui imagines conscinderent, aut confringerent. Itaque etsi de Imaginum Sacrarum in Ecclesiis usu per se spectato dixisset *Epiphanius*, esse contra auctoritatem Scripturarum, sive contra Religionem nostram, ejus unius sententia non esset cæterorum sententiis præponenda Patrum; sed inter ejus nævos effatum illud numerandum esset. Denique *Lutherus* ipse, & ejus Sectatores, quibuscum juncti sunt communione Calvinistæ, usum imaginum in Ecclesiis, contra Scripturarum auctoritatem & sinceritatem Religionis pugnare non sunt arbitrati, ut testatur *Forbesius*, lib. 7. Instructionum Historico-Theologicarum Cap. 15. *De ejiciendis*, inquit, *Imaginibus, Lutherus ipse & qui se genuinos ipsius discipulos esse gloriantur, non magnopere laborarunt: quamvis earum cultum constanter improbent.*

Objicit *Dallæus* & alterum *Sancti Epiphanii* locum à veteribus Iconoclastis in Sacrarum Imaginum defensores contortum, qui sic habet: *Attendite vobis & tenete traditiones quas suscepistis: ne declinetis ad dexteram, neque ad sinistram.... Et in hoc memoriam habete, filii dilecti, ne inducatis Imagines in Ecclesias; neque in Cœmeteria Sanctorum. Sed per memoriam habete Deum in cordibus vestris. Sed neque in domum communem. Non enim expedit Christiano per oculos & vagationes mentis efferri.*

Responderunt Septimæ Synodi Patres, verba illa *Sancti Epiphanii* non esse. Idque probarunt his rationibus. 1. Quia cùm omnium hæreseon historiam & confirmationem ediderit ad *Theodosii* usque & *Arcadii* tempora, imaginum facturam & venerationem inter hæreses recensuisset & confutasset, si alienam à Christo existimasset ac hæreticam. Secundò, quia in fine Epistolæ ad *Theodosium* Imperatorem, Sancto *Epiphanio* falsò quoquo adscriptæ, hæc habentur: *Multoties locutus cum Comministris meis ut auferrentur Imagines, receptus non sum ab eis, neque audire vocem meam saltem paululum passi sunt.* Florebant autem *Sancti Epiphanii* tempore in Ecclesia illustres Magistri, *Basilius Magnus*, *Gregorius Theologus*, *Gregorius Nyssenus*, *Joannes Chrysostomus*, &c.

quibus

quibus verisimile non est unum *Epiphanium* refragari voluisse. Tertiò, quia libri *Sancti Epiphanii* notissimi sunt, & per totam Ecclesiam diffusi. Quæ autem ex *Epiphanio* ab Iconomachis objecta sunt, obscurissima, & penitus ignota. Quartò quia Discipuli *Sancti Epiphanii* templum Deo dedicarunt ipsius nomine insignitum, & imagine exornatum; quod minime fecissent, si ipse ab imaginibus tantoperè abhorruisset. Sed quod urget maximè omnium, est styli ab *Epiphaniano* dissonantia.

Cap. 8. Objicit *Dalleus* * testimonia *SS. Chrysostomi*, *Amphilochii*, *Theodoti*, à veteribus Iconomachis jamolim in medium allata. *Et Chrysostomus* quidem hæc habet: *Nos per Scripturas fruimur Sanctorum præsentia, non corporum eorum, sed animarum imagines habentes. Quæ enim ab illis dicta sunt, animarum ipsorum imagines sunt.*

Amphilochius vero: *Non in tabulis* (inquit) *carneas personas Sanctorum per colores cura nobis est figurare; quoniam non his opus habemus; sed conversationem eorum virtutibus imitari.* Si, quod postea Nicæni decreverunt: si, quod hodie docent Romani, jam tum sensit *Amphilochius*, ad Dei nimirum & Sanctorum honorem, ad piorum professionem, fidem, atque sanctificationem necessarias esse imagines, qui negare potuit his nos opus habere.

Tandem *Theodotus* Ancyranus Episcopus, hæc habet: *Sanctorum vultus, non in Imaginibus ex materialibus coloribus factus formandos accepimus; sed horum virtutes per ea, quæ de illis in Scripturis indicantur, quasi quasdam Imagines imitari didicimus, & ex hoc ad similem illis Zelum erigimur.*

Responderunt ad primum Septimæ Synodi Patres, *Sancti Chrysostomi* verba non improbare imaginum usum, sed lectionem Scripturarum, & Actorum Sanctorum commendare: cujus lectionis fructum imagines non impediunt, sed juvant. *Quæ enim sermo per auditionem repræsentat, hæc pictura tacens per imitationem ostendit*: ut ait Magnus *Basilius*. Et Vetus Auctor Homiliæ, quæ inscribitur: *Quòd unus est Veteris & Novi Testamenti Mediator*, quæ tempore Synodi Septimæ sub nomine *Sancti Chrysostomi* circumferebatur, quamvis jam à viris eruditis inter opera ipsi afficta censeatur: hic, inquam, auctor ait:

Synodus VII Act. 4. *Ego & cera perfusam dilexi picturam pietatis causâ. Vidi enim Angelum in Imagine pellentem Barbarorum cuneos. Vidi conculcatas Barbarorum tribus, & David veritatem dicentem: Domine, in civitate tua imagines eorum ad nihilum rediges.*

Ad secundum responderunt, Hunc *Sancti Amphilochii* locum, non absolutè, sed comparatè intelligendum, quasi dicat, satius esse virtutes Sanctorum imitari, quàm illorum imagines coloribus exprimere. *Hæreticorum*, inquiunt, *proprium est recisa producere testimonia. Nam si quis studiose perscrutatus fuerit, nullò modò sensum Patris inveniet inhibentem venerabilium imaginum formationem: sed præferens virtutum effectum hæc locutus est Pater, & ut ad imitationem nos erigeret conversationis eorum ..... Totus enim Sermonis stylus hunc sensum commendat, & ad subversionem venerabilium Imaginum nullatenus est id à Patre dictum. Nam etsi dicit: Non coloribus in tabulis carneas eorum facies cura nobis est figurare; propter intentionem virtutis hæc ab eo dicta sunt. Subinfert enim: Sed conversationem eorum per virtutem imitari. Cura quippe nobis est virtutes bonorum virorum eligere, & actus eorum imitari, atque conversationem ipsorum æmulari. Præterea templa istis jugiter dedicare, aut in Imaginibus illos erigere, illos qui virtutem ipsorum contemnunt, non est laudabile. Nemo planè laudaverit, si viderit horum virtutes Sanctorum parvipendentem, de die in diem horum imagines commendantem, vel templa multa erigentem, & suum ipsius templum deificis virtutibus non adornantem.* Falsum porrò est quod Septimæ Synodo, & Romanæ Ecclesiæ affingit *Dallæus*, illam sanxisse, istam credere, necessarias esse imagines ad fidem & sanctificationem.

Ad tertium responderunt Septimæ Synodi Patres, testimonium istud *Theodoto* Ancyrano esse suppositum; idque manifestò probarunt perlectis ejus Sermonibus, & interpretatione Symboli Nicæni ab ipsô editâ. Addidere, verba illa non ex Codice *Theodoti*, sed ex Charta volaticâ, in Pseudo-Synodo Iconomachorum lecta esse.

Objicit *Dallæus* * testimonium *Optati Milevitani*, Lib. 2. cap. 6. lib. 3. contra Parmenianum. *Dicebatur*, inquit, *illô tempore venturos esse* (nimirum in Catholicorum gratiam) *Paulum & Macarium, qui interessent Sacrificio, & cùm altaria solenniter aptarentur, proferrent illi Imaginem, quam primò in altari ponerent; sic Sacrificium offerretur. Hoc cùm acciperent aures, perculsi sunt & animi; & uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut omnis qui hoc audierat, diceret: Qui inde gustat, de Sacro gustat. Et rectè dictum erat, si talem famam talis veritas sequeretur. At ubi ventum est à suprà dictis, nihil tale visum est, ex eo quod fuerat paulo ante mentita fama. Nihil viderunt oculi Christiani quod horrerent. Nihil probavit aspectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solitô solennis consuetudo perspecta est.* Quibus ostendit *Optatus*, tam Catholicis, quàm Donatistis illâ tempestate ignotas fuisse in Ecclesiis Imagines, præsertim verò in altari; rúmque communem hanc fuisse omnium Christianorum sententiam, divinum cultum mixtis Imaginibus pollui, ac velut incestari; quique ejusmodi Sacrorum esset particeps, cum veluti quodam sacrilegio inquinari. Nisi sic senserunt Donatistæ, quid est quòd tantopere percelluntur, sparsâ illa de *Paulo* & *Macario* famâ, quasi ii essent imaginem in altari posituri? Nisi idem quoque *Optati* & Catholicorum sensus fuit, quid ergo est quod concedit, perculsos Donatistas rectè dicturos fuisse *Qui inde gustat, de Sacro gustat*, si talem famam talis veritas secuta esset?

Respondeo 1. Sparsum rumorem, quòd *Paulus* & *Macarius* Numinis imaginem in altari posituri essent: quam non secus ac Idolum erant habituri tum Catholici, cùm Donatistæ; quia auro, argento, aut lapidi sculpturæ artis, aut cogitationis hominis, Divinum non esse simile, meritò persuasum habebant. Unde omnis qui hoc audierat, dixit: *Qui inde gustat, de Sacro gustat*, id est, de idolothyto; & rectè dixissent, si talem famam talis veritas secuta esset.

Respondeo, secundò, Hinc solùm posse colligi, nondum imagines, fictas præsertim, in usum sacrum fuisse ab Ecclesiis Africanis receptas, recenti idololatriæ memoriâ. Sed aliam fuisse Africanæ Ecclesiæ de usu & cultu imaginum Christi & Sanctorum, quam sit hodie Romanæ Ecclesiæ doctrina, quamvis disciplina fuerit diversa, Heterodoxi non evincent.

Objicit *Dallæus* locum *Sancti Hieronymi*, qui Lib. 3. cap. 3. tertium Caput *Danielis* his verbis commentatur: *Sive statuam, ut Symmachus, sive imaginem auream, ut cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo Judices & Principes Sæculi, qui Imperatorum statuas adorant & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres Pueri facere nolentes, placuerunt Deo. Et notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt; quod utrumque Servis Dei non convenit.* Quibus verbis non eos modò damnat, qui creaturas habent pro Diis, sed eos etiam reprehendit, qui Imaginem adorant, quicquid interim ipsi de exemplari ejus sentiant. Neque verò obscurum est istorum, quos hîc notat *Hieronymus*, non eam fuisse sententiam, ut Imperatores, quorum imagines adorabant, haberent pro Diis:

cùm

cùm de Judicibus ac Principibus sæculi loquatur, qui Christiani tum erant: & Trium Puerorum exemplum atque auctoritatem proferat, ut eorum errori medeatur: quod non fecisset, nisi Scripturas sacras admisissent, & Deo se obedire velle professi essent.

Respondeo, *Sanctum Hieronymum* hic eos arguere, qui imagines Imperatorum ethnicô superstitiosôque cultu adorabant, quamvis Imperatores pro Diis non colerent. Hi nimirum statuas illas iisdem honoribus afficiebant, quibus vigente Paganismo fuerant olim affectæ. Reliquias illas Paganicæ superstitionis ut aboleat *Sanctus Hieronymus*, proponit exemplum Trium Puerorum, qui *Nabuchodonosori* jubenti ut statuam ipsius adorarent, respondere: *Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.* Sanè imperasse *Nabuchodonosorem* Tribus Pueris cultum statuæ suæ idololatricum, constat ex *Sancto Hieronymo* ibidem. *Velox*, inquit, *oblivio veritatis: ut qui dudum Servum Dei quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi fieri jubeat, ut ipse adoretur in statuâ. Quòd autem aurea sit, & infiniti ponderis, illud in causa est, ut stuporem videntibus creet, & res inanimata adoretur ut Deus, dum unusquisque suam consecrat avaritiam. Datur autem per occasionem captivorum, barbaris nationibus salutis occasio: ut qui primùm, per Danielis revelationem, potentiam cognoverant unius Dei, in Trium Puerorum quoque fortitudine discant mortem contemnere, & Idola non colere.* Igitur *Sanctus Hieronymus* quosdam idololatriæ ritus adorationi statuarum Imperialium, à quâ Judices & Principes sæculi, Trium Puerorum exemplô deterret, admixtos fuisse significat. Nihil autem simile in veneratione imaginum Christi & Sanctorum, prout ab Ecclesia frequentatur, occurrit.

Sanè Christianos accusavit *Julianus Apostata*, quasi *Constantini* Imperatoris Imaginem, in porphyretica columna stantem, sacrificiis propitiarent, lucernis atque odoribus colerent, precésque velut Deo allegarent, & ad depellenda mala ei supplicarent, ut *Philostorgius* observat lib. 2 cap. 18 quod etsi falsum esset quoad sacrificia, & preces velut Deo allegatas; extraordinarios tamen honores statuæ Religiosi Imperatoris delatos fuisse, *Theodoretus* innuit lib. 2. Historiæ, Cap. 34. *Theodosius* piissimus Imperator edita lege jussit, ut si quando ejus statuæ vel imagines erigerentur, seu diebus (ut assolet) festis, sive communibus, adesset Judex sine adorationis ambitioso fastigio; curarétque ut excedens cultura hominum dignitatem, superno Numini reservaretur. Effusam hanc statuas & Imagines Imperiales colendi licentiam, tametsi tantisper castigatam, improbat *Zacchæus* Christianus Philosophus, Dialogi lib. 1. c. 28. ubi conquerenti *Apollonio* Philosopho, cur Imagines hominum, vel ceris pictas, vel metallis defictas, sub Regum reverentia etiam publicâ adoratione venerarentur; respondet, id sibi probari nec posse, nec debere. Divini quippe speciale hoc nomen officii esse. *Sed sicut*, inquit, *in hujusmodi malum primum adulatio hominis impulit: sic nunc ab errore consuetudo vix revocat. In quo tamen incautum obsequium, non aliquem divinum deprehenditis cultum: sed propter similitudinem amabilium vultuum, gaudia intentu plus faciunt, quam si fortè exigant, quibus defertur: aut perfungi oporteat deferentes. Et licèt hanc incautioris obsequii consuetudinem cautiores horreant Christiani, nec prohibere desinant Sacerdotes; non tamen Deus dicitur, cujus effigies salutatur; nec adolentur thure Imagines, aut colendæ aris superstant: sed memoriæ pro meritis exponuntur, ut exemplum factorum probabilium posteris præstent, aut præsentes pro absentiæ castigent.*

Lib. 2. Cap. 6. Objicit *Dallæus* * testimonium *Sancti Augustini*, Concione 2. in Psalmum centesimum decimum tertium, ubi multis in imagines & simulachra Paganorum invectus, illud etiam postremò cùm Propheta annotat, *Simulachra ista opera esse manuum hominum, qui venerantur, quod ipsi ex auro argentóque fecerunt.* Tùm verò de Christianis loquens, hæc subjicit: *Sed enim & nos pleráque instrumenta, & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipsò ministerio consecrata, Sancta dicuntur, in ejus honorem, cui pro salute nostra inde servitur. Et sunt profectò etiam ista instrumenta, vel vasa, quid aliud quàm opera manuum hominum? Veruntamen nunquid os habent, & non loquentur? Nunquid oculos habent, & non videbunt? Nunquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? Illa causa est maxima impietatis insanæ, quòd plus valet in affectibus miserorum similis viventi forma, quæ sibi efficit supplicari, quàm quod eam manifestum est non esse viventem, ut debeat à vivento contemni. Plus enim valent simulachra ad curvandam infelicem animam, quod os habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quàm ad corrigendum, quòd non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt.* Hactenus Augustinus; concedens quidem instrumenta & vasa, quibus Christianorum Ecclesia in celebrandis Sacramentis utebatur, ipsa etiam ut plurimùm ex auro & argento fuisse; os verò vel oculos, quibus neque loquerentur, neque viderent, Ethnicarum Imaginum instar habuisse pernegans. Itaque ex his duobus alterum constituendum est, vel tum in divino cultu nullas fuisse adhibitas à Christianis Imagines; vel si fuerunt aliquæ, vivas & animatas fuisse, sensúque ac loquendi facultate præditas, omninóque alterius, quam quæ nunc in usu sunt, naturæ atque ingenii; eóque nulla alia in Africanorum Fidelium Ecclesiis, atque Conventibus simulachra extitisse, præter ea, de quibus multos ante annos memoraverat *Clemens Alexandrinus*, cùm diceret: Unumquemque verè pium & Christianum hominem esse *Simulachrum virtute præditum, Deo dicatum.*

Respondeo, Etsi nullæ tunc statuæ in usu sacro essent, quod unum ex hoc *Sancti Augustini* loco *Dallæus* colligere potest, non sequi quòd nullæ essent Imagines pictæ Christi & Sanctorum in Ecclesiis: quæ autem ibi *Sanctus Augustinus* habet, Idola Gentium, non Christianorum Imagines perstringunt. Pagani enim in Simulachris occultam Numinum vim contineri credebant, quæ simul ac consecrata essent, cœlitus illapsa, in iis postea resideret. *Non hoc visibile colo* (inquiebat Paganus) *sed Numen quod illic invisibiliter habitat.* Dicebant, inquam, Ethnici: *Non se ipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident Numina.* Quibus opponit *S. Augustinus* illa Apostoli ad Romanos verba: *Qui transmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & servierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus Deus in sæcula.* Ac priore quidem hujus sententiæ parte damnari ait ab Apostolo Paganorum Idola, sive simulachra; posteriore verò eam, quam Simulachris imponebant interpretationem: *Effigies enim* (inquit) *à fabro factas appellando nominibus earum rerum, quas fabricavit Deus, transmutant veritatem Dei in mendacium; res autem ipsas pro Diis habendo, & venerando, serviunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula.... Quis autem adorat, vel orat intuens Simulachrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ab eo sibi præstari, quod desiderat, speret?* Ad hoc autem probandum id affert, quod passim tum à Paganis fiebat, ut quam Solis dicebant, statuam precarentur, Soli ipsi interim tergum obvertentes; *Neptuni* item statuam gemitibus ferirent, eùm sonitu Maris à tergo feriren-tur. Quod quidem eos satis arguebat haudquaquam

simulachra habuisse pro nudis ac simplicibus rerum, quibus ea consecrata erant, signis: sed imaginatos esse in illis Simulachris delituisse vim aliquam, quæ eorum preces & vota audiret, diviniorem atque potentiorem, quam sint ipsa Solis & Maris, & similium rerum corpora. At Catholici nullam vim divinam in Imaginibus Christi vel Sanctorum agnoscunt, nec in illis spem collocant, nec iis supplicant, aut ab illis exaudiri se sperant. Quamobrem Imagines Christi & Sanctorum ab Ecclesia propositas & honoratas iste *Sancti Augustini* locus non perstringit.

Lib. 1. cap. 7. Objicit *Dallæus* * testimonium *Sancti Augustini* alterum, lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 34. dicentis: *Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim scientes, aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsâ verâ Religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quicquid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum, & picturarum adoratores: novi multos esse qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, & voracitates, ebrietatésque suas deputent Religioni.* Hîc *Sanctus Augustinus* duo flagitia, quæ ipsius tempore jam nonnullorum mores invaserant, distinctè notat; alterum eorum, qui ad Christianorum Martyrum sepulchra fœdas Paganorum helluationes, atque compotationes imitabantur; eorum alterum, qui picturas adorabant. Utrosque haud segniter damnat, *turbas imperitorum appellans*, & cum iis recensens, qui *Christi nomen profitentes, professionis suæ vim aut nesciunt, aut certè non exhibent*: testatúrque nihil ad Christianam doctrinam istorum labes pertinere. Non potuit clariùs aut disertiùs docere, si qui tum essent qui Imagines adorarent, eorum factum doctrinæ Ecclesiasticæ repugnasse, fuisséque quorumdam duntaxat à communi & publicâ Christianorum fide privatam ac singularem aberrationem.

Respondeo, *Sanctum Augustinum* ibi damnare eos, qui ad quorumvis defunctorum sepulchra imagines ipsorum adorabant, & quidem superstitioso ritu, ut disertè exponit. At de Martyrum imaginibus non loquitur, nec de Martyrum sepulchris, ut mentitur *Dallæus*; nec venerationem imaginum Christi aut Sanctorum, secundùm Religionis regulas factam, improbat. Certè non loqui *Sanctum Augustinum* eâ loci de Martyrum sepulchris, constat ex his verbis: *Novi multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, &c.* Sic enim de Martyribus & eorum corporibus, absque honorifica appellatione loqui *Sanctus Augustinus* non solet. Nec igitur de Martyrum imaginibus loquitur, aut eos perstringit, qui ipsis honorariam adorationem, sive salutationem deferunt, cùm ait: *Novi picturarum adoratores*, &c. Eos igitur damnat solummodò, qui more Gentilium, defunctis parentabant, & imagines ad eorum sepulchra depictas, aut in domibus asservatas, honore indebito prosequebantur. Quamobrem sicut consuetudinem Africanorum suorum, & sanctissimæ suæ Matris *Monicæ*, epulas ad Martyrum sepulchra deferentium, ut inde benedictionem quamdam reportarent, *Sanctus Augustinus* non damnat, *quia pietatem ibi quærebant, non voluptatem*, & epulas ibi quodammodo sanctificatas cum pauperibus dividebant; ita venerationem imaginibus Martyrum delatam à piis Christianis non damnasset. Sed sicut damnavit comessationem & ebrietatem sacrilegam, quæ in Ecclesiis fiebat, & super sepulchra Martyrum; ita superstitionem damnasset, si quæ venerationem sacrarum imaginum fœdasset, salvô legitimô honore, quem ipsis exhibebat tunc temporis Ecclesia, & viri sanctissimi, quibuscum Augustinus ipse communicabat.

Lib. 6. Confess. cap. 2.

§. IV.

Diluitur objectio DALLÆI *ducta ex* SANCTO GREGORIO MAGNO.

OBjicit *Dallæus* testimonium *Sancti Gregorii Magni* in Epistolis duabus ad *Serenum* Massiliensem Episcopum, qui cùm animo reputaret, multò plus detrimenti, quàm utilitatis attulisse imagines, frangi eas, & ex omnibus suæ Parœciæ Ecclesiis ejici jusserat. Ad hunc rescripsit *Gregorius*, eúmque objurgavit, quod fregisset imagines rudioribus utiles, Divinorúmque Codicum vice iis esse ostendens qui litteras nesciunt. *Et quidem*, inquit, *zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudavimus; sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcircò enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut ii, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo Fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit; quatenus & literarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.* Hæc *Gregorius* lib. 7. Epist. cxi. Indict. 2. Sed cùm *Serenum* à susceptâ sententiâ dimovere non potuisset, octodecim post mensibus literas rursus ad eum scripsit, in quibus his eum verbis increpuit: *Dic, Frater*, (inquit) *à quo factum Sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne despectis aliis Fratribus, solum te sanctum, & esse crederes sapientem? Aliud enim est picturam adorare; aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere.* Tum monet quas turbas illud ejus facinus in totâ Massiliensium Ecclesiâ excitasse dicatur; quod suos sic scandalizasse perhiberetur, ut maxima eorum pars ab ejus se communione suspenderet. Suadet ut dispersos Ecclesiæ filios omni studio revocare festinet; doceatque se, quòd Imagines transisse in adorationem videret, idcircò commotum fuisse, ut eas frangi præciperet: picturas enim ad ædificationem imperiti populi factas fuisse, ut nescientes literas, ipsam Historiam attendentes, discant quid actum sit. *Convocandi sunt*, inquit, *Ecclesiæ filii, eísque Scripturæ Sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat, quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ex quibus palam est, in hoc cum *Sereno* consensisse Gregorium, quòd non essent adorandæ Imagines; eóque sententiam secutum esse, quæ cum Decreto Septimæ Synodi ex adverso pugnat. Nam cùm Patres Nicæni anathema his decernant *Qui non docent diligenter cunctum Christi amatorem populum adorare Venerabiles Imagines Sacras, & adorandas omnium Sanctorum*: Gregorius planè contra edicit Ecclesiæ ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat.

Bellarmini verò responsionem, dicentis: *Gregorium* solùm reprehendere cultum Imaginum superstitiosum, id est, quô Imagines coluntur ut Dii, *Dallæus* impugnat hoc pacto. Si quam putasset Imaginibus deberi adorationis speciem *Gregorius*, si quem gradum; quis non videt id eum hoc locô, & quidem necessariò commemoraturum fuisse, cùm eas *Serenus* facto hoc suò apertissimè multaret, non superstitiosâ modò adoratione, sed religioso etiam cultu? Idem ille *Sereni* amor, qui *Gregorium* subegit adeò diligenter consilii ejus pietatem à facti temeritate distinguere; nonne etiam flagitabat, ut itidem definiret, & quidem accuratè, quid in Imaginum cultu damnandum ac repudiandum, quid commendandum ac retinendum esset? Atque ut eum monet, *Aliud esse picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere*; nonne similiter monere

monere debuerat, aliud esse Imaginem tanquam Deum adorare, aliud eamdem analogicè colere? At tantùm abest ut adorationem legitimam ab illicitâ & nefariâ distinguere satagerit, quin potiùs omnem omninò negaverit adorationem Imaginibus exhibendam: *Si quis*, inquit, *Imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare verò Imagines omnibus modis devita.*

Respondeo, *Sanctum Gregorium* Iconomachis antiquis & recentioribus, ut Lutheranis & Calvinistis adversari, qui Christi & Sanctorum Imagines impiè everterunt, siquidem eas in Ecclesiis esse servandas decernit, alienúmque a traditione & Ecclesiæ doctrinâ esse scribit ut confringantur. Solam autem adorationem latriæ, quæ sanctissimæ Trinitati exhibetur, negat Imaginibus deferendam; non verò honorariam adorationem, in salutatione, & aliis hujusmodi ritibus externis positam, quibus reverentiam nostram & amorem erga Christum & Sanctos coram Imaginibus, & ab ipsis excitati, testamur. Unde cum *Sancto Gregorio* Septima Synodus non pugnat, quæ solam hujusmodi honorariam adorationem, non verò Latriæ cultum & servitutem Imaginibus sacris decernit; imò posteriorem hanc ipsis abjudicat, solique vendicat Deo. *Serenus* porrò Imagines imprudenti zelo confringi jusserat & ab Ecclesiis eliminari, quia etsi quidam è plebe suâ eas ethnico & superstitiosò ritu adorassent, ii fuerant verbo divino sanandi & docendi picturas non esse adorandas, sed uni Deo serviendum: non verò proptereà confringendæ erant Imagines, quas non sine ratione vetustas in Ecclesia admisit: & quæ maximè utiles sunt, Gentibus maximè & idiotis, quibus pro lectione pictura est, quâ ad Christi & Sanctorum venerationem, amorem, imitationem excitantur. Huic malo & offensioni Christianæ plebis, ut medeatur, *Serenum* adhortatur sanctus Pontifex, convocatisque Ecclesiæ filiis, qui se ab ejus communione ob insoliti facinoris horrorem suspenderant, doceat Scripturarum sacrarum testimoniis, nihil manufactum adorandum esse, ea nimirum adoratione quæ Latriæ vocatur, & quæ est soli Deo debita servitus, quoniam scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* Tùm factum suum excuset, ac palam contestetur, se imagines alioquin utiles ideo sustulisse, quod eas transisse in adorationem viderat, solamque *incompetentem adorationem* picturarum sibi displicuisse. Hæc ex serie Epistolæ *Sancti Gregorii* manifesta fiunt. *Perlatum siquidem ad nos fuerat*, inquit, *quòd inconsideratò zelo succensus, Sanctorum Imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus, fregisse verò reprehendimus.... Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsâ etiam ignorantes vident quid sequi debeant, in ipsâ legunt qui literas nesciunt. Unde & præcipuè Gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te qui inter Gentes habitas, attendi debuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses: sine dubio & ea quæ intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potiùs dispersum poteras congregare..... Hæc autem dum in hoc animi tui incautè nimis motus exequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, ut maxima eorum pars à tuâ se communione suspenderet..... Et infrà: Convocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ Sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorari non licet: quoniam scriptum est:* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. *Ac deinde subjungendum est: quia picturas Imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes literas, ipsam historiam intendentes, quid actum sit discerent, quia transisse in adorationem videras, ideirco commotus es ut eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si ad hanc instructionem, ad quam Imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atque indica, quod non tibi ipsa visio historiæ, quæ picturâ teste pandebatur, displicuerit: sed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam revoca. Et si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò Imagines modis omnibus devita. Sed hoc solicitè Fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis Sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.* Hæc *Sanctus Gregorius.*

Nihil autem opus erat ut in hac ad *Serenum* Epistola modum venerationis, quæ sacris Imaginibus licitè & religiosè exhibetur, omnem explicaret, quæ solam disciplinam spectat, ut scilicet salutationibus, osculis, accensione cereorum, thurificationibus honorentur: Satis erat ut ibi hunc honorem assereret Imaginibus, qui sacris aliis rebus debetur, ut scilicet cum reverentiâ in Ecclesiis serventur & tractentur, nec temerè confringantur, aut violentur; cujus honoris exhibitionem imaginibus Christi & Sanctorum debitam esse, ex quo earum usus in Ecclesia receptus est, fides docet.

Cæterùm quod venerationem aliquam sacris Imaginibus vindicaverit *Sanctus Gregorius Magnus*, evidentiùs probat Epistola quinta lib. 7. ad *Januarium* Calaritanum data, ut ostendimus suprà §. 2. Num. xv. & Epistola quinquagesima quarta libri 7. ad *Secundinum* Inclusum datâ, in quâ de Imagine Christi, quam ille à Pontifice postulaverat, ita scribit: *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum rogasti, misimus. Unde valde nobis tua postulatio placuit: quia illum totò corde, totâ intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum: ut dum picturam illius vides, ad illum animò inardescas, cujus imaginem videre desideras. Abs re non facimus, si per visibilia, invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans, videre conatur, si contigerit eam ad balneum, aut ad Ecclesiam ire, statim per viam incedenti se præparat, ut de visione ejus hilaris recedat. Scio quidem quòd Imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei, in ejus amore recalescas, cujus te Imaginem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante Divinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per Imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur.* Quibus verbis disertè significat *Sanctus Gregorius*, Catholicos ante Christi Servatoris imaginem prosterni solitos, sed non quasi ante Divinitatem, sed coram imagine illum adorare, quem in memoriam revocat, ut ad ejus amorem accendantur. Et hic quidem *Sancti Gregorii* sensus planus est & naturalis: Coactus autem esset ac intricatus, quem ipsi *Dallæus* affingit; si nimirum hæc ejus verba: *Et nos quidem, non quasi ante Divinitatem, ante illam prosternimur*; hoc sensu accipi deberent: *Et nos quidem ante illam non prosternimur, quasi ante divinitatem.* Præterea non ignorabat *Sanctus Gregorius*, Christianos, & ante Pontifices, & ante Reges prosterni solitos; quos tamen hujusmodi veneratione ut Deos non prosequebantur, sed ut summos Dei in Ecclesia & in Imperio Ministros: atque ita

consequens non esse, ot à nobis honore divinitati propter colatur imago Christi, Deiparæ, vel alterius Sancti, si ante eam prosternimur.

S. Gregorius à calumnia Dallæi vindicatus.

In toto hoc vero Gregorianarum ad *Serenum* Massiliensem Epistolarum examine multiplicis mendacii calumniæque reus convincitur *Dallæus*: primò quòd saniora & tutiora fuisse *Sereni* quàm *Gregorii* consilia scribat, idque eventum abundè comprobasse. At contra, probavit eventus, saniora fuisse consilia *Gregorii*, quæ totius Ecclesiæ suffragiis approbata & summo consensu excepta sont. Eruditionem & sanctimoniam ipsius Acta & Opera testantur; de *Sereno* nihil ejusmodi legimus. Sommam Gregorii prudentiam tota Pastoralis administrationis series commendat; *Sereni* temeritatem satis probat imprudens facinus, quòd plerique omnes, etiam Episcopi, improbavêre, ut *Dallæus* fatetur. Alterum *Dallæi* mendacium, & putida calumnia est, qood *Sanctus Gregorius* schisma, & iniquissimam imperitorum in Massiliensi Parœcia commotionem foverit, ut colligendi gregis necessitas *Serenum* vel invitum cogeret ejus sententiæ cedere. Tam horrendam calumniam Acta, Scriptáque *Gregorii* satis luculenter convincunt, Charitatem omnino spirantia, & incredibilis ad colligenda Ecclesiæ membra propensio, quæ in Schismate Istriæ pro suâ virili compescendo promicuit. Tertium mendacium & calumnia est, quòd *Gregorius* causam hanc invaserit, amplificandæ studiô dignitatis, sive Sedis. Nam a Christianæ rei primordiis Romanos Pontifices fidei disciplinæque vindices per totum orbem extitisse, quæstionésque graviores, non solùm ex Occidente toto, sed etiam ex Oriente, sive fidem, sive disciplinam dubiam spectarent, ad Sedem Apostolicam fuisse relatas series traditionis demonstrat. Sed ea est & olim semper fuit Hæreticorum indoles, ut in mendaciis & calumniâ desperatæ causæ præsidium collocarent.

§. V.

Proponitur Objectio DALLÆI *ex libris Carolinis petita.*

Lib. 4. Cap. 1. Lib. 7. Inst. Histor. & Theolog. Cap. 21.

DAllæus * Calvinista, aliique ejusdem Sectæ, & *Forbesius*, aliique Lutherani Scriptores, contra dogma Catholicum de Imaginum sacrarum veneratione, librorum Carolinorum doctrinam objiciunt, & probare nituntur eam Septimæ Synodi Decretis planè esse contrariam, ejusque Definitionem & fundamenta omnia convellere. Quæ luculentiora sunt, hîc expono.

I. Ubi Scripturæ loca examinavit *Carolus Magnus*, quæ Nicæna Synodus ad hanc caosam protulerat, identidem testatur, quam illa constitoit, imaginum *adorationem, neque per Patriarchas, neque per Prophetas, neque per Apostolos, neque per Apostolicos viros, uspiam institutam esse*; (lib. 2. cap. 5.) & toto ejusdem libri cap. 25. probat, *Nusquam ab Apostolis, exemplis, aut verbis, institutum* fuisse *imagines adorare*. Legendum etiam libri primi caput 30.

II. Lib. 2. illius Operis, cap. 21. Solum Deum Religioso cultu colendum & adorandum probat libri illius Auctor, indeque colligit nollum cultum religiosum esse imaginibus exhibendum. *Solum*, inquit, *Deum colere, ipsum adorare, ipsum glorificare debere, totius divina Scriptura tuba terribilis intonat. Unde cavendum illis est, & modis omnibus pertimescendum, ne dum imaginum cultum & adorationem Christiana Religioni ingerere nituntur, singularem unius Dei cultum & adorationem frustrare videantur. Quæ duo ita inter se mutuò reluctantur, ut si unum steteris, aliud stare non possit.... Solus igitur Deus colendus, solus adorandus, solus glorificandus est; de quo per Prophetam dicitur*: Exaltatum est nomen ejus solius. *Cujus etiam Sanctis, qui triumphato diabolo cum eo regnant, veneratio exhibenda est. Imagines verò omni sui cultura & adoratione seclusâ, utrum in Basilicis propter memoriam rerum gestarum & ornamentum sint, aut etiam non sint, nullum fidei Catholica afferre poterunt prajudicium: quippe cùm ad peragenda nostra salutis Mysteria, nullum penitus officium habere noscantur.*

Sanctis cum Christo regnantibus venerationem debeti agnoscit librorum Carolinorum Auctor, & tota Galliæ, ac Germaniæ Ecclesia.

Et lib. 1. cap. 2. Nicænæ Synodi Patres sic perstringit: *Non gratiam Dei in eâ veritate quærunt, de qua pia veritas, & vera pietas dixit*, Si permanseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos: *Sed in Imaginibus artificum industriâ formatis, qua spectatores suos plerúmque, ob rerum gestarum memoriam, inducunt in admirationem; adoratores verò semper in errorem. Non enim mediocris est error, cùm aliud adoratur Religionis cultu, quàm is qui dixit*: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

III. Ne quis cavillator, inquit *Dallæus*, hîc obtrudat solemnem latriæ & doliæ, cultúsve absoluti & relativi distinctionem, *Carolus* omnem omnino adimit imaginibus in Religione cultum, non adorationem modò divinitati debitam, sed etiam *cultum*, [a] *observationem*, [b] *venerationem*, [c] honorémque eom qoi *collo inflexô*, [d] vel *capite summissô exhibetur*, [e] vel *thuris, & luminarium oblatione* constat: quæ voces cultum quemvis religiosum, etiam latriâ inferiorem complectuntur, eúmque adeo quem hodie Ecclesia Romana imaginibus deferendum putat. Vult enim Tridentina Synodus Fideles *Imagines venerari, osculari, & coram iis caput aperire, ac procumbere.*

a l. 2. c. 25. & lib. 4. c. 28. b l. 2. c. 27. c Io Cap. 30. d Cap. 8. e Cap. 10.

IV. Negat *Carolus* eam imaginibus exhibendam, vel venerationem, quæ Sanctis vitâ functis, vel adorationem, quæ viventibus ex caritatis & salutationis officio exhibetur; hoc est, civilem salutationem, quæ religioso culto longè inferior est. *Si igitur Angeli*, inquit, *sive homines, minimè adorandi sunt, salvâ adoratione, qua caritatis & salutationis officio exhibetur, multò minus Imagines, qua rationis expertes sunt, nec salutatione, nec adoratione digna, eò quòd insensata sint, adoranda sunt: qua si adoranda non sunt, immò quia non sunt, duplex illi in hac parte deliquium patrare perhibentur, sive quia eas adorant, sive quia ut hoc facerent, ab Apostolis sibi traditum esse mentiuntur.* Hæc lib. 2. cap. 25.

V. Ne sacris quidem vasis æquiparari imagines patitur librorum Carolinorum Auctor, aut divinarum Scripturarum Codicibus; Nicænisque irascitur, qoi eas res inter se comparaverant. At qui Imaginibus hodie defertur honos, longo intervallo superat eum, qui vasis, Voluminibúsque Sacris in Ecclesia habetur. *Quantâ* (inquit) *excellentiâ vasa divino cultui mancipata, Imaginibus emineant, divina legis Instrumenta demonstrant: Cùm utique illa, pracipiente Domino per Moysen in testimonii Tabernaculo condita, & instituente Vatum Sanctissimo David, per Salomonem in Templo Hierosolymis condita atque dicata, & typicorum sensuum arcana significaverint, & in his qua ad Dei cultum pertinent, diuturni Ministerii officium gestaverint. Ita autem, salvâ ratione Cherubim sive boum & leonum, qui non ad adorandum, sed ad rerum futurarum significationem conditi sunt, non solùm à quoquam Sanctorum non condita, vel dedicata, sed penè cunctorum divina Legis oraculorum testimoniis usquequaque sunt abdicata. Hac quoque vasa, qua ad peragenda nostra redemptionis Mysteria, Sancta habet Ecclesia, semper sunt Fidelibus necessaria, sempérque in divino cultu officiosa. In vasis igitur Deo sacrificium, non in imaginibus offertur.... Denique sine imaginibus & Lavacri unda, & sacri liquoris Unctio percipi, & thymiamata adoleri, & luminaribus loca sacra perlustrari, & Corporis & Sanguinis Dominici consecratio effici potest: sine vasis verò nunquam.*

Nam

A *Nam & nostræ salutis Auctor, cùm & Veteri Testamento terminum, & Novo initium poneret, non Imaginem, sed Calicem accepisse perhibetur: & per Prophetam Dominus non ait: Mundamini, qui fertis imagines: sed, Mundamini qui fertis vasa Domini.* Hæc lib. 2. cap. 29.

Et Cap. 30. *Divina Scripturæ libris*, inquit, *Imagines rite æquiparari non possunt: cùm Scriptura divina sint à Deo prædestinata, & per momenta sæculorum ad humanæ salutis emolumenta clementi exhibitione concessa, habeántque auctores sanctos & venerabiles viros virtutum lampadibus, & miraculorum insigni*B*bus coruscantes, vel certè ipsum Dominum; Imagines verò & Gentilium errorum vanitate prolatæ sint, & nullam salutis exhibitionem, nullam sacramenti alicujus mortalibus prærogativam adducant, sed oculis tantummodo faveant, per quos quasi per quosdam legatos gestarum rerum memoriam cordibus mandent. .. Unde datur intelligi, non picturas, sed Scripturas ad nostræ fidei eruditionem esse concessas. Quàm ergo sit incautum, quàmque à ratione remotum dicere, Sicut Divinæ Scripturæ libros, ita Imagines ob memoriam venerationis habemus, facilè intelligere potest quisquis Divinarum Scripturarum cognitionem habet.* Et post multa sacrarum Literarum elogia hæc subjungit: *Nihil* C *igitur horum quæ perstrinximus, sive his similium, quæ brevitatis studio prætermisimus, in imaginibus, ô imaginum adorator, ô rerum insensatarum cultor, invenire posse te constat, quæ dum his omnibus meritorum prærogativis careant, dolendus potiùs quàm mirandus es, cur eas divinis Scripturæ libris, in quibus tot bona reperiuntur, æquiparare affectes. Tu qui fidei tuæ puritatem in Imaginibus conservare te dicis, supplex eis adstare memento, cum thymiamatibus: Nos præcepta Domini solerti indagatione perquiramus in divinæ Legis Codicibus. Tu luminaribus perlustra picturas, nos frequentemus divinas Scripturas. Tu fucatorum venerator esto colorum: nos veneratores & capaces simus* D *sensuum arcanorum. Tu depictis demulcere tabulis, nos divinis mulceamur alloquiis. Tu figuris rerum insta, in quibus nec visus, nec auditus, nec gustus, nec odoratus, nec tactus est: nos instemus divinæ Legi, quæ est irreprehensibilis, in qua testimonium Domini, justitia sive præcepta, timor sive judicia ejus inveniuntur.*

Reliquias Sanctorum colendas censet librorum Carolinorum Auctor, & in ea Gallicana ac Germanica Ecclesia. Contra omnem ipsis honorem abjudicant Lutherani, & Calvinistæ.

VI. Idem Auctor indignatur Sanctorum Martyrum & Confessorum Reliquiis & vestibus Imagines a Nicænis in honore coæquari. Nullam ergo omnino Religiosam venerationem Imaginibus exhibuit; cùm apud omnes in confesso sit, eam quæ Re- E liquiis defertur, longè infra Latriam esse. *Sanctorum*, inquit, *corpora venerari, eorúmque Reliquiis honorem exhibere non sine causa vetustas admisit.... Dicant illi ubi unquam jubeamur Imagines adorare? Sancti in cælestibus sedibus cum Christo vivere & eorum ossa quandoque resurrectura creduntur: at Imagines nec vixisse unquam creduntur, nec resurrecturæ.... Imaginibus ergo quæ nec vixisse unquam creduntur, nec resurrecturæ, sed aut ignibus aut carie consumendæ perhibentur, adorationem soli Deo debitam impartiri, aut segnitiei est, si utcumque agitur; aut insaniæ, vel potius infidelitatis, si pertinaciter defenditur. Nos itaque* F *nec cum Vigilantio, ejúsque sequacibus, Reliquias abnegantes, nec cum Simone ejúsque complicibus Imagines adorantes, & Reliquiis sive Sanctorum corporibus, opportunum obsequium exhibemus; & Basilicas, prout libet, Sanctorum Imaginibus, sive etiam auro, argentóve exornamus: & servitium adorationis, sive culturæ, soli Deo, cui soli debetur, ipsô opitulante impendimus.* Hæc libro 3. cap. 24.

Multò minùs patitur Imagines componi cum Cruce, quia Crucis vexillô antiquus hostis, non Imaginibus victus est; & Crucem jubemur tollere, non Imagines. *Non sunt igitur Imagines Cruci æquiparandæ, non adorandæ, non colendæ, sed huic mundo cum cæteris quæ mundi sunt relinquendæ.* Hæc libro 2. cap. 26.

VII. Hunc Auctorem ne relativam quidem venerationem admittere, constat ex libro 3 cap. 16. *Dicant igitur*, inquit, *quibus hoc tam peculiare est dicere, quia Imaginis honor in primam formam transit: dicant si hoc legerint, aut quibus valeant testimoniis approbare; Dominus namque & Salvator noster non ait: Quandiu fecistis Imaginibus: sed, Quandiu fecistis uni de minimis istis, mihi fecistis. Nec ait: Qui imagines: sed, Qui vos recipit, me recipit.* Et lib. 4. cap. 10. de *Epiphanio* Diacono sic loquitur: *Dixit enim, Imaginem per nomen significationis, ad primæ formæ honorem, id est, ad Sancti, in cujus nomine prætitulatur, venerationem posse deduci, quod fieri posse, nullis rationis indiciis evidentibus potest approbari.*

VIII. Nonne is Auctor ea quæ olim à Nicænis & Romanis *ante Sanctorum Imagines concinnantur luminaria, & adolentur thymiamata*, palam & verbis quidem acerbissimis insectatur? Nonne iis hoc nomine *vesaniam rationabiliter subsannandam* exprobrat? Nonne, quem damnat, hujus venerationis ritum sic describit, ut eumdem esse cum eo appareat, qui ab adversariis usurpatur? Nam de duarum pulchrarum fœminarum Imaginibus verba faciens, quarum una *Maria* sit, altera Veneris; *Ista*, inquit, *quia superscriptionem Dei Genitricis habet, erigitur, honoratur, osculatur.* Quæ nemo non videt, inquit *Dallæus*, eadem illa esse, quæ hodie fiunt. Lib. 4. cap. 6.

IX. Eodem pertinet quod ille scribit lib. 4. cap. vigesimo-primo. Refert enim eô locô B. Virginem pingi solitam, aselli gestamine vectam, Puerum in ulnis ferentem, *Joseph* præviô in Ægyptum descendentem. Ex ea autem picturâ argumentatur: Si Imago Virginis adoranda sit, adorandam itidem esse animantis imaginem, quòd nullô pactô earum in adorando diremptio fieri possit: *Aut utriusque adoratio est spernenda, aut utraque sunt adoranda.* Ergo cùm hoc sit absurdissimum, illud ponendum, atque confitendum esse concludit. Jam quis non intelligit, eâ ratiocinatione quamlibet Imaginum adorationem, seu absolutam, seu relativam, seu latriam, seu duliam, omnino funditúsque subverti, cùm istorum cultuum nullus, quantumvis exiguus, animantis imagini conveniat? *Cùm ergo*, inquit, *altera ab alterâ dirimi sine dissidio nequeat, & utraque, ut fortè animantis imago adoretur, adorari non debeant, restat ut utraque adorationis honore careant: & ornamentorum solummodo in Basilicis, aut in quibuslibet locis loca teneant, & aspicientibus rerum gestarum memoriam præbeant.*

X. Præterea, Nicænos Patres imprudentiæ & præsumptionis arguit lib. 3. cap. 11. quod Anathema dixerint totius mundi Ecclesiis, antequam à singularum Provinciarum Ecclesiis, missâ Legatione, scriptísque Epistolis sciscitati essent, *Utrum Imagines adorari, aut non adorari deberent.* Illud eorum Anathema *dementissimum* vocat: aitque, *Tolerabilius esse ab istis exsecrari, quàm cum illis res insensatas contra divinarum Scripturarum Instituta adorare.* His itaque aliísque de causis, Nicænam hanc Synodum longè & ultra quàm dici potest, ab illâ distare ait, quæ olim in eadem urbe contra *Arii* perfidiam habita fuerat: *Cùm illa*, inquit, *Ecclesiam Catholicam ab errore reducat, ista è contrario in errorem inducat; illa à periculosissimo Arii naufragio eam depellat, ista eam in adorandarum Imaginum naufragium coactam impellat: illa Filium esse Patri consubstantialem & coæternum perdoceat, ista res insensatas adorare percenseat*, &c. *In illâ execrentur eorum blasphemia, qui Filium coëssentialem Patri nec credunt, nec fatentur: in istâ abominetur eorum puritas, qui spretâ Picturarum adoratione soli Deo se servituros strenuâ mente, &*

devoto pectore profitentur. Ex quibus colligit *Dallaus*, Cap. 3. Novam tum temporis apud Christianos fuisse opinionem, quam nunc de Imaginum veneratione tuemur, eamque Catholicos tum impugnasse, sicut hodie Protestantes oppugnant; *Carolum Magnum*, inquam, totúmque una Germaniæ ac Gallicanæ Ecclesiæ Clerum.

§. VI.

Responsio illorum confutatur, qui libros Carolinos alicujus Hæretici Opus esse scripsere: Et ostenditur illorum Auctorem esse Carolum Magnum.

CUm *Surio* & *Bellarmino*, aliis nonnullis visum est libros Carolinos Religiosissimo Imperatori perperam adscriptos, & à nescio quo scriptos Hæretico, ipsiusque oblatos Majestati, ab eo missos ad *Hadrianum* Romanum Pontificem per *Angilbertum* Abbatem, ut eos refelleret: Sed non ita se res habet. Fuerunt enim hi libri vel à *Carolo Magno*, vel eo jubente ab alio, Regio ejus nomine compositi ac volgati.

Id verò probatur ex totius Operis Præfatione. *Quoniam*, inquit, *in Ecclesia sinu Regni gubernacula Domino tribuente suscepimus, necesse est ut in ejus defensione, & ob ejus exaltationem, Christo auxiliante, toto annisu certemus.* Mox: *Quod opus*, inquit, *aggressi sumus, cum conibentia Sacerdotum in Regno à Deo nobis concesso, Catholicis gregibus Prælatorum, non arrogantia supercilio, sed zelo Dei, & veritatis studio.* Et libri 1. Cap. sexto *Pippinum* Regem *Veneranda memoria genitorem suum* appellat; cujus, suâque corâ effectum ait, ut Gallicanæ aliæque Occidentis Ecclesiæ, in psallendi ordine cum Romana concordarent.

Secundo id probatur ex Epistola Synodali Concilii Parisiensis sub *Ludovico Pio* in eadem causâ habiti, ad *Ludovicum* & *Lotharium* Imperatores datâ. *Eandem porro Synodum* (inquit) *cum Sanctæ memoria Genitor vester coram se, suisque perlegi fecisset, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendisset, & quædam Capitula, quæ reprehensioni patebant, prænotasset, eaque per Angilbertum Abbatem eidem Hadriano Papæ direxisset, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur: ipse rursus favendo illis, qui ejus instinctu tam superstitiosa, tamque incongrua testimonia memorato Operi inseruerant, per singula Capitula in illorum excusationem respondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus est.*

Tertiò probatur ex *Hadriani I.* Responsione ad *Carolum Magnum* missâ, quâ primò testatus quantô cum amore *Angilbertum* Abbatem suscepisset, addit: *Inter quæ edidit nobis Capitulare adversùs Synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est.* Tum per unumquodque Capitulum responsum reddere aggreditur. Sunt autem ipsa Carolini Operis Capitula, mutatô duntaxat ordine.

Quartò *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus lib. contra *Hincmarum* Laudunensem, cap. vigesimo, de Synodo Septima loquens à Francofordiensi Conciliô abdicatâ, hæc subjungit: *De cujus destructione non modicum Volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore* (nimirum Carolo) *Romam est per quosdam Episcopos missum, in cujus Voluminis quarto libro hæc de Universalis nomine scripta sunt.* Atque hoc loco *Hincmarus* vigesimum octavum libri quarti Caput describit, planè idem cum eo quod legitur in libris Carolinis à *Tilio* editis.

Quintò, Exemplaria MSS. Vaticanum & Tilianum, *Caroli* nomen præferunt. Postremò hunc fuisse titulum *Tilius* ipse Meldensis Episcopus prodidit: *In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, incipit Opus Illustrissimi & Excellentissimi seu spectabilis viri, Caroli, nutu Dei Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiámque, sive harum finitimas Provincias Domino opitulante regentis, contra Synodum quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stolidè sive arroganter gesta est.* Itaque *Carolus Magnus* istius Operis Auctor est, aut certè eo jubente, ab alio ex ejus persona & nomine illud est editum.

Quatuor tamen Operis Carolini libros ad *Hadrianum* Pontificem à *Carolo Magno* per Angilbertum missos non existimo, quamquam asserere videatur *Hincmarus*, sed Capitum duntaxat lemmata sive titulos. 1. Quia nec argumentis, nec convitiis quæ totô continentur Opere, Pontifex respondet, responsurus utique si legisset: Sed unicuique titulo simplicem ejus quod reprehensum ac improbatum est, defensionem subjicit. Secundò, quia nec ad singula Capitum lemmata respondet, nec eo, quô in libris quatuor proposita sunt, ordine. Tertiò, quia *Hadrianus* in Apologiæ cap. vigesimo quinto, postremum Capitulum ex misso ad se Capitulari refert, in quo Francofordienses Præsules ita loquuntur: *Ut sciat Dominus Apostolicus & Pater noster, & cuncta simul Romanorum Ecclesia, ut secundùm quod continetur in Epistola beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensem Episcopum direxit, permittimus Imagines Sanctorum quicumque eas formare voluerint, &c.* Quod ultimum Capitulum in Libris Carolinis non extat. Itaque non inanis est conjectura, Carolinos libros aliquot annis ante Francofordiensem Synodum, jubente *Carolo*, vel eo etiam navante operam, fuisse conscriptos, nempè post triennium à Nicæna secunda Synodo, id est, anno circiter Christi septingentesimo nonagesimo; ut ipsius Carolini Operis præfatio testatur: postquam Acta Septimæ Synodi è Græco in Latinum translata, in Gallias perlata sunt. Quæ Acta cùm Francofordiensis Concilii Patribus displicuissent, ac eâ de re certiorem facere *Hadrianum* Papam decrevissent, excerpta fuere ex libris Carolinis lemmata Capitum, non eodem quô in libro erant, sed quo visum est Collectori, ordine. Ideo *Capitulare* id vocat *Hadrianus* initio Apologiæ. Ut ut est, libros Carolinos Ecclesiæ Gallicanæ & Germanicæ tunc temporis de imaginibus sententiam exhibere constat, cùm eadem tradant quæ Francofordiensis Synodus, quæ *Jonas Aurelianensis*, quæ *Agobardus*, quæ *Walafridus Strabo*, quæ Parisiensis sub *Ludovico Pio* Conventus.

Nunc audiendæ ac diluendæ *Bellarmini* rationes, quibus probare sibi visus est libros illos non à *Carolo Magno*, sed ab aliquo Hæretico scriptos esse. Prima est quòd extet *Hadriani* ad *Carolum* Apologia, quâ refelluntur: ex quâ intelligitur ipsos ab aliquo Hæretico compositos, & à *Carolo* ad Pontificem missos, ut ipsis responderet. Cardinalis Bellarmini Objectionibus respondetur.

Responsio. Nulla est hæc ratio: Dissimulavit enim prudentissimus Pontifex, quod non ignorabat, nomen Auctoris horum librorum, nec *Carolo Magno* tribuere ipsos voluit, quâ parte reprehensioni obnoxii erant, ne illius animum offenderet; tribuit verò quâ parte laude digni erant, ut ipsum demereretur. Quanquam non totum Opus Carolinum ad *Hadrianum* Pontificem missum est, ut mox diximus, sed excerpta ex eo Capitum lemmata: è quibus *Carolo Magno* postremum tribuit pro suâ prudentiâ, quod illud unum approbatione dignum esset, cætera ejus esse dissimulat. *Hoc sacrum* (inquit) *& venerandum Capitulum multùm distat à satis supràdictis Capitulis, & idcirco eum agnovimus vestra à Deo servata, Orthodoxaque Regalis Excellentiæ esse proprium in eò ubi recta fidei plena penitus confessa est sensum Sanctissimi Gregorii sequi.*

Secunda ratio Bellarmini. Constat ex Historicis, Gregorium

Gregorium II. Adrianum I. Leonem III. Imperatores Græcos excommunicasse, & Imperium in Reges Francorum transtulisse, quia Græci Imperatores Iconomachi erant: Non est ergo verisimile *Carolum Magnum* eadem hæresi laborasse, & pro errore Græcorum contra Romanum Pontificem scripsisse.

Responsio. Libri Carolini Iconomachos sexcentis in locis impugnant, damnántque: tantùm abest ut Iconomachorum sententiam tueantur. Non sequitur ergo Carolum Magnum illorum auctorem non fuisse, quia Iconomachorum hæresi infectus non fuit. De Imperii translatione alias dicemus.

Tertia ratio Bellarmini. Claudius Taurinensis, Iconomachiæ Patronus, tempore *Caroli Magni* ne mutire quidem ausus est, teste Jona Aurelianensi Episcopo. Summa igitur impudentia est, libros contra imagines *Carolo* tribuere.

Responsio. Falsum semper supponit *Bellarminus.* Libri enim Carolini non favent Iconomachis, cùm destrui non permittant imagines; immò nec earum honorariam adorationem penitus improbent, sed cultum duntaxat latriæ, quem ipsis putabant à Synodo Septimâ decretum. Sicut ergo perperam colligeretur Septimam Synodum a Concilio Francofordiensis trecentis Patribus, agente etiam *Carolo Magno*, damnatam non fuisse, quia *Carolus Magnus* religiosissimus Princeps fuit, non Iconomachus: ita perperam colligitur libros Carolinos eo auctore scriptos non fuisse, quia Iconomachus non fuit. Eadem quippe sententia est Concilii Francofordiensis & Operis Carolini.

Quarta ratio Bellarmini. In Concilio Gentiliacensi sub *Pippino Caroli Magni* Patre, Græcorum error contra sacras Imagines, præsentibus Græci Imperatoris Legatis, confutatus est; & ad Concilium Romanum sub *Stephano* pro restituendis imaginibus celebratum misit *Carolus* duodecim Gallicanæ Ecclesiæ Præsules. Itaque immeritò in Iconoclastam transformatur *Carolus Magnus.*

Responsio. Totum concedimus; sed hinc non sequitur *Carolum Magnum* Auctorem non esse librorum Carolinorum. Hi enim libri Gallicanorum Præsulum sententiam exprimunt ac propugnant, imagines in templis ad ornatum, & ad rerum gestarum memoriam servandas, non verò adorandas. Quamobrem non transformatur in Iconomachum Carolus Magnus, etsi eorum asseratur Auctor.

Quinta ratio Bellarmini. Carolus & Hadrianus semper fuere conjunctissimi, defunctóque *Hadriano* Epitaphium posuit *Carolus.* Vix igitur credi potest illum tam acri stylo in laudatum Pontificem scripsisse, alteriúsque fuisse fidei & religionis.

Responsio. Etsi conjunctissimi fuerint, sequitur ne Imperatorem à Pontifice de cultu imaginum non dissensisse? Certè *Ludovicus Pius* conjunctissimus erat *Eugenio II.* à quô tamen in eadem quæstione dissensit, ut ex Actis Concilii Parisiensis compertum est. Sicut ergo *Ludovicus Pius Jeremiæ* & *Jonæ* Gallicanis Episcopis in mandatis dedit, ut *Eugenii* animum leniter ad id quod optabant, inclinarent, & cum ipso reverenter agerent ac modestè: ita verisimile est *Carolum Magnum* in mandatis dedisse *Angilberto* Abbati, ut venerabundo, non procaci animo cum *Hadriano* ageret, & excerpta ex libris Carolinis Capita contra Nicænam Synodum Secundam cum eo communicaret. Hæc *Hadrianus* accepit, legit, confutavit. Nihil propterea venerationis & amicitiæ suæ erga summum Pontificem remisit *Carolus Magnus.* Nec sequitur *Carolum Magnum* & Gallicanos Præsules, alterius fuisse ab *Hadriano* fidei & religionis, quia imagines memoriæ tantùm instructionisque causâ habendas, non verò adorandas contendebat. Nondum enim erat eliquata & planè perspecta veritas, (ut *Sancti Augustini* verba usurpem *Sanctum Cyprianum* & Africanos Antistites excusantis, circa Baptismum Hæreticorum aliud a *Stephano I.* Pontifice Maximo & reliquâ Ecclesiâ sentientes) nec agnoscebant adhuc Plenarium eâ de re totius Ecclesiæ Concilium. Neque enim cùm Septimam Synodum impugnabant, rem sibi putabant esse cum Oecumenica Synodo, sed cum Nationali duntaxat Concilio Græcorum. Ita passim librorum Carolinorum Auctor profitetur, queritúrque quod illa sibi Universalis aut Septimæ Synodi nomen arrogaret: Quam Oecumenicam dici posse negat, ad quam soli Græci convenissent; reliquarúmque Provinciarum Ecclesiæ convocatæ, aut sententiam per Epistolas Encyclicas, more Ecclesiastico, rogatæ non fuissent.

Sexta ratio Bellarmini Certum est *Carolum* hominem Græcè & Latinè peritum, prudentem & ingeniosum fuisse: libri autem isti hominis barbari, imperiti, ac levis esse videntur.

Responsio. Etsi rudes & inconditi fingantur hi libri, & tales videri possint, si cum Scriptis elegantioribus conferantur, non tamen si cum aliis ejusdem ævi lucubrationibus componantur. Ingenium enim, eruditionem, facundiam tantam, quanta in præstantissimis illius seculi viris effulgebat, sui Auctoris testantur. Sed age, ea expendamus, quibus *Bellarmini* Cardinalis censura nititur. Scriptor ille, inquit, Constantinopolim urbem notissimam in Bithynia esse dicit, cùm nemo nesciat esse in Thracia; in eàque Urbe Concilium pro cultu imaginum celebratum asserit, cùm tamen Nicææ celebratum nemo nesciat, nisi qui nihil legit. Tum quædam de Eucharistia dicta Patribus Nicænis tribuit, quæ non ipsorum, sed adversariorum erant. Sed hæ mentis non satis attentæ hallucinationes, vel memoriæ lapsus sæpènumero exquisitis eruditísque ingeniis excidunt. Sine imperitia ergo & stultitiâ nescire potuit *Carolus Magnus* Constantinopolim Thraciæ non Bythiniæ urbem esse. Asserere etiam absque fœdæ ignorantiæ labe potuit, Concilium pro cultu imaginum Constantinopoli celebratum, quia primò Constantinopolim convocatum fuerat, & postea ob Iconomachorum tumultus, Nicæam translatum est. Tandem quod Nicænis Patribus Iconoclastarum de Eucharistia dicta tribuit, ex præcipiti Nicænorum Actorum lectione factum est: cùm enim Constantinopolitanæ contra imagines Pseudo-Synodi Acta Nicænis permixta sint, proclive fuit ut Auctor qui illa cursim legit, vel fortè illorum duntaxat Excerpta collecta ab homine non satis accurato, per incogitantiam ea verba Nicænorum Patrum esse putaverit, quæ revera sunt Iconomachorum.

Instat *Bellarminus*, librorum Carolinorum Auctorem duo insignia mendacia de Nicænis Patribus, quo ipsis invidiam conflaret, per summam calumniam obtrusisse; unum quidem quòd ii Synodicum Decretum sine consensu Romani Pontificis fecissent; alterum, quòd definivissent, imagines cultu latriæ adorandas esse.

Respondeo, Carolini Operis Auctorem nullibi asserere quòd Nicæna pro cultu imaginum Synodus absque Romani Pontificis auctoritate definitionem ediderit: Immò scriptas à *Constantino* & *Irene* de Synodo convocandâ ad *Adrianum I.* literas disertè nominat: *Adriani* cum *Tarasio* Constantinopolitano Patriarcha conjunctionem ad imaginum adorationem asserendam ac promovendam memorat: ac *Joannem* Presbyterum objurgat, quòd *Hadriani* & *Tarasii* conspirationem in causa imaginum adulatoriè commendasset, *detortô Davidici versiculi sensu: lib.2.cap.4.
Misericordia & veritas obviaverunt sibi; justitia & pax osculata sunt. Scripsit quidem *Hincmarus* lib. contra *Hincmarum* nepotem, Cap. 20. *Nicænam Synodum de Imaginibus definivisse sine auctoritate Apostolicæ Sedis.* Sed error *Hincmari* ad *Carolum M.* non pertinet.

Non

Non imposuit etiam Nicænæ Synodo Carolini Scriptor Operis, quod Imagines latriæ cultu adorandas definivisset, sed ejus sensum non assecutus, existimavit rem ita se habere, quanquam disertis verbis id negassent Nicæni Patres: existimavit, inquam, Synodum distinctione adorationis honorariæ & adorationis latriæ fucum fecisse, & errorem palliatum asseruisse, quem *Constantinus* Episcopus absque verborum ambagibus protulisse visus erat. *Errorem*, inquit, *illi videntur plebibus ingerere palliatum. Aiunt enim: Non adoramus Imagines ut Deum, nec illis divini servitii cultum impendimus; sed dum illas aspicimus, & adoramus, illò mentis nostra acumen defigimus, ubi eos, quorum illa sunt, esse non ignoramus.* Hæc libro 3. cap. 17.

§. VII.

Ad Objectiones ex Libris Carolinis petitas respondetur.

RElicta igitur *Bellarmini* Cardinalis responsione, relictis etiam responsionibus aliorum, qui Librorum Carolinorum Auctorem, & totam eo tempore Gallicanam Ecclesiam, venerationem Imaginum impugnasse leviter fatentur, Respondeo, Libros Carolinos solum cultum Latriæ per se Imaginibus abdicare, qui scilicet Deo soli debitus est. Hunc scilicet cultum à Synodo Nicæna sancitum arbitrabantur Gallicani Præsules & *Carolus Magnus*. Cultus enim quô Imagines propter insidentem sanctitatem colerentur, & in ipsis collocarent Christiani spem suam & ipsis servirent, & qui vetitus est hoc præcepto Legis Divinæ: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, est cultus Latriæ. Hunc autem solum illicitè deferri contendit Imaginibus Librorum Carolinorum Auctor: quem à Nicæna Synodo ipsis adjudicatum putabat. Id autem ipsi persuaserat partim æquivocum adorationis nomen quô illa Synodus usa est, partim *Constantini* Constantiæ Cypri Episcopi sententia, prout in Actis ejusdem Synodi Latinè redditis legebatur, his concepta verbis: *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas Imagines secundùm servitium adorationis quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati emitto: & qui sic non sentiunt, neque glorificant, à sancta Catholica atque Apostolica Ecclesia segrego, & anathemati submitto, & parti qui abnegaverunt incarnatam & salvabilem dispensationem Christi veri Dei nostri, emitto.* Proclives erant præterea Galli nostri, & ipse imprimis Imperator *Carolus Magnus*, ad credendum Græcam levitatem in eum errorem lapsam esse, ut supremam adorationem imaginibus deferret. Offensus enim erat *Constantino* Græcorum Imperatori *Carolus*, quòd contemptâ Sorore sua, quam ipsi desponderat, *Mariam Armenam* duxisset. Hinc inter Principes & gentem utramque offensio & invidia. Politica itaque studia *Carolum Magnum* & Gallicanos Germanósque Præsules in partes traxere contra Synodum à Græcis Nicææ celebratam (hanc enim pro Oecumenica non habebant) in eam strinxere calamum: atque ut ingenii acumine & eruditione Græcis erant superiores, invidiosè disputavère ex æquivoco adorationis nomine ab ipsis usurpato, & ex *Constantini* Episcopi sententia, litigandi occasionem sumpsere; infirmas plerasque probationes ab ea Synodo in medium adductas sugillavere. *Constantinum* & *Irenem* imprimis irridendos propinarunt, quòd Scripta sua *Divalia* nuncupassent, quòd seipsos prædicarent in Epistola ad *Hadrianum* Papam his verbis: *Eligit nos Deus, qui in veritate quærimus gloriam ejus*, quòd Gentili more de Deo scripsissent: *Rogamus tuam Paternitatem, & maximè Deus rogat qui neminem vult perire.* Quòd scripsissent incongruè & superbè: *Per eum qui conregnat nobis Deus.* Synodum Nicænam rident; quod mulierem institutricem & doctricem habuerit, scilicet *Irenem*. In *Tarasium* Patriarcham multa effutiunt, ipsi vitium Ordinationis exprobrant, quod ex Laico ad Sedem Constantinopolitanam assumptus esset, quod rectam de Spiritu Sancto fidem non profiteretur, quem non ex Patre & Filio, sed ex Patre per Filium procedentem dicebat, & novo absurdóque vocabulo, *Patri & Filio contribulum*. Suffragium *Constantini* Episcopi acriùs impugnant, tum aliud *Eutymii Sardensis* illius simillimum. Multa apocrypha, quorum auctoritate usi sunt Græci in Synodo Nicæna, rejiciunt; locutiones nonnullas Episcoporum paulò duriores carpunt: quod reprehensione dignum videatur, sive propter omnis congruam rationem, sive propter æquivocationem, & ambiguitatem verborum, sive ob sermonis novitatem, aut barbariem, intactum dimittunt nihil. Conviciis etiam Græcos & eorum Synodum afficiunt. Unô verbo totum Opus Carolinum sui Auctoris in Græcos offensionem & invidiam spirat. Unde mirum non est, quòd ex præjudicatæ mentis affectu ipse existimaverit Nicænam Synodum adorationem supremam, seu cultum Latriæ Imaginibus sanxisse, eòque nomine ipsam impugnaverit impotentiùs.

Quòd porro eam duntaxat adorationem Imaginum impugnet Librorum Carolinorum Auctor, pluribus ostenditur. Primò ex Cap. secundo libri primi. *Sed in imaginibus*, inquit, *artificum industriâ formatis, quæ spectatores suos plerùmque ob rerum gestarum memoriam inducunt in admirationem, adoratores verò semper in errorem: Non enim mediocris est error cùm aliud adoratur Religionis cultu, quàm is qui dixit; Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Adorationem absolutam, quæ objecto Religionis debetur, alteri à Deo exhiberi posse meritò negat, non autem venerationem quamlibet. Hanc enim Cruci, Sanctis, & eorum Reliquiis, Codici Evangeliorum, vasis sacris deberi, in progressu Operis agnoscit, hancque Religionis cultum, id est, a religione imperatum, vocare non gravaretur, cùm rem ipsam hoc vocabulo significatam admittat.

Et infra. *Ecce cernuntur plures stare Imagines... in quibus quidem, quantum in illis est, & imaginis similitudo, & superscriptio nominis una est: verbi gratia & imago Pauli est, & superscriptio:* Sanctus Paulus. *Sciscitandum ab eis est qui tanto errore laborant, ut eas pro arbitrio suo, & veritatem, & sanctas, & veras, & non potiùs, secundùm venerabilium Patrum traditionem, Sanctorum imagines dicunt, quæ cunctis comparata sanctior vel verior, quæ omnium sanctissima aut verissima esse credenda est, quas dum eos æquales dicere pro materiarum & magnitudinum, vel operum discretione, ratio non permiserit, & quasdam quibusdam sanctiores, & quasdam sanctissimas fateri compulerit, profiteri compelluntur secundùm veritatis indagatricem rationem, nec veritatis capaces, nec sanctas dici debere.* Putabat imagines sanctas & veras à Græcis appellari propter internam aliquam sanctitatem, idque unum impugnat: Non autem sanctas dici improbat ob respectum ad Sanctos. Et si neque hâc ratione sanctas vult appellari, solo de nomine litigat.

Secundò idem colligitur ex capite decimo octavo ejusdem libri. *Jam verò*, inquit, *quia se imaginum inspectione salvandos credunt, sicut Serpentis inspectione Israeliticus populus à serpentium morsibus sanabatur, si qua fortè eis corporis inclementia accesserit, recurrant ad imagines, easque aspiciant, quatenus dum illarum inspectione minime sanati fuerint, revertantur ad Dominum, & per Sanctorum intercessiones ab eo sanitatem se accepturos credant, qui totius sanitatis & vitæ est auctor.* Falsò supponit Nicænam Synodum docuisse, spem in imaginibus collocandam,

divinam

divinam aliquam vim illis inesse, & beneficia posse ab ipsis expectari aut rogari. Solam ergo adorationem quæ objecto spei nostræ & bonorum omnium Auctori defertur, scilicet cultum latriæ, Imaginibus Sanctorum exhibendam negat. Cæterùm vult per Sanctorum intercessiones sanitatem a Deo expectari ac rogari: si in omni loco, & maximè in Ecclesiis, quæ imaginibus ornatæ erant, cur non etiam coram imaginibus?

Tertiò idem colligitur ex Cap. vigesimo-quarto ejusdem libri. *Sed nec illud*, inquit, *quod scriptum est*, Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, *de quodam manufacto vultu intelligendum est: præsertim cum manufacti vultus ideo non deprecandi sint, quia nec exaudire queunt. Omne quod deprecatur, ideo deprecatur ut exaudiat: & omne quod exaudit, irrationale esse non debet: omne igitur quod deprecatur, irrationale esse non debet: quod si deprecari non debet, multò minùs adorari: cum videlicet adoratio deprecationi emineat. Nam si manufacti vultus deprecandi & adorandi sunt, ut illi garriunt, necesse est ut deprecantes exaudire, & adorantibus favere credantur: & si deprecantes exaudire, adorantibúsque favere creduntur, necesse est ut vita eis sensuum capax inesse credatur. Non autem inest eis vita sensuum capax: non igitur, ut illi garriunt, adorandi vel deprecandi sunt.* Errore facti Septimæ Synodi Patribus tribuit, quòd imaginibus supplicandum senserint ac decreverint. Adorationem itaque supremam, aut cultum certè religiosum absolutum, qualem Sanctis exhibemus, negat imaginibus Sanctorum deferendum, non venerationem quæ rebus sacris propter aliud exhibetur; Ex eâ namque non sequitur illas rogari. Ita Crux Domini, & ejus figura, Codex Evangeliorum, vasa sacra, Sanctorum Reliquiæ, loca sancta, veneratione digna librorum Carolinorum Auctor agnoscit: quibus tamen non supplicatur, quia nec exaudire queunt.

Quartò idem colligitur ex libri secundi cap. septimo. *Non mirandum est*, inquit, *si fallantur in minimis, qui falluntur in magnis: nec in eo ampliùs illorum error admirandus est, quòd ideo se justos, quia imagines adorant, esse glorientur, nos autem qui eas adorare contemnimus, peccatores fateantur: cùm ob illarum amorem & Scripturarum divinarum puritatem violare conentur, & potissimum sua fidei emolumentum in his esse arbitrentur: & eos qui spretis his, sive cæteris hujuscemodi vanitatibus, soli Deo serviunt, eúmque colentes adorant, anathematizare obstinatâ mente nituntur.* Ex æquivoco adorationis vocabulo Nicænis Patribus invidiam facit, & dicam scribit erroris, quasi adorationem & servitutem soli Deo debitam cum imaginibus partiti sint; quasi potissimum fidei suæ emolumentum in his constituerint: quasi Christianæ justitiæ præcipuam partem in adoratione imaginum positam sint arbitrati.

Quintò idem colligitur ex cap. decimo-tertio ejusdem libri *Unde*, inquit, *sicut in cæteris, ita & in hoc exemplo assertio frustrabitur, qui suum errorem in adoratione Imaginum enitentem in eo fulcire conentur, quòd Silvester Romanæ Ecclesiæ Præsul Constantino Imperatori Apostolorum imagines detulisse legitur. Detulit ergo eas illi ad videndum, non ad adorandum: detulit, non ut adoraret, quem à simulachrorum cultu abstrahere, & ad solius Dei adorationem convolare hortabatur, compelleret: sed ut idem Imperator, quos in somnis viderat, eorum vultus in picturæ fucis cognosceret. Detulit, non ut ab idolorum culturâ fugientem, Imaginum adorationi cedere informaret, & ab hostili gladio liberatum, intestini ensis rigore perimeret, sed ut per res notas ad res ignoratas ejus mentem extolleret.* Illam rursus adorationem duntaxat imaginibus abjudicat, quæ soli Deo debita est, & quam Gentiles ad simulachra & idola transtulere. Sed venerationem inferioris gradus, sive adorationem honorariam imaginum *Constantino* jubere potuisse *Sanctum Silvestrum* fatetur, quamvis illud exemplum in consequentiam trahi non deberet, etiamsi jussisset, quia recèns converso Principi lac propinandum erat, Christianis autem in fide firmatis cibi solidiores porrigendi, secundùm Apostoli regulam. *Hæ igitur*, inquit, *ei etsi adorare jussisset, cùm tamen non jusserit, ideo fortassis juberet, ut eum qui visibilium cultor erat, per visibilia ad invisibilia provocaret; non ut nos de invisibilibus ad visibilia revocaret. Nec ideo nobis, qui ad percipiendum solidum cibum vires accepimus, ad lacteam escam lactentium more infantium redeundum esset: si illi cui necdum per fidei teneritudinem solidus cibus impertiri poterat, sine dolo lac concupiscendum daretur in quo cresceret.* At si adorationem honorariam imaginum, sive illarum venerationem respectivam, propter Sanctorum reverentiam & amorem, illicitam & divinâ lege vetitam existimasset librorum Carolinorum Auctor, non dixisset *Silvestrum Constantino* lacteam escam porrexisse, si ipsi *SS. Petri* & *Pauli* adorandas imagines proposuisset, sed potiùs escam lethiferam, & venenum propinasse.

Sextò ex Cap. vigesimo-primo ejusdem libri. *Unde*, inquit, *cavendum illis est, & modis omnibus pertimescendum, ne dum Imaginum cultum & adorationem Christianæ Religioni ingerere nituntur, singularem unius Dei cultum & adorationem frustrari videantur. . . . . Ac per hoc si Religionis Christianæ arx, sive munimen, & gloriosum insigne, unius Dei cultus & adoratio est: immò quia est, hanc Imaginibus, vel quibuslibet rebus exhibere, contra Religionem Christianam est, & si has non adorare seu colere, contra Religionem Christianam est, ut illi delirant; solum Deum adorare, seu colere, ejúsque cultûs & adorationis arcem singularem esse, fateri, contra Religionem Christianam erit. Solus igitur Deus colendus, solus adorandus, solus glorificandus est.* Solam adorationem, quæ gloriosum insigne unius Dei est, Imaginibus, vel aliis rebus exhibere, contra Religionem Christianam esse contendit: non verò venerationem quamvis religiosam. Siquidem Sanctis cum Christo regnantibus hanc asserit ibidem. *Cujus etiam Sanctis*, inquit, *qui triumphato diabolo cum eo regnant, sive quia viriliter certaverunt ut ad nos incolumis Ecclesiæ status perveniret, sive quia eamdem Ecclesiam assiduis suffragiis & intercessionibus adjuvare noscuntur, veneratio exhibenda est.* Imaginibus quidem parem ac Sanctis ipsis venerationem exhibendam negat, omnem cultum, & adorationem ipsarum excludit absolutam, quâ nimirum propter seipsas colantur, non autem relativam. Nec aliud significant hæc verba: *Imagines verò omni sui cultura & adoratione seclusâ, utrùm in Basilicis propter memoriam rerum gestarum, & ornamentum sint, an etiam non sint, nullum fidei Catholicæ afferre poterunt præjudicium.* Quòd si pertinaciùs quis contendat, respectivam quoque venerationem Auctorem illum, & Gallicanos Germanósque Præsules Imaginibus Sanctorum abjudicasse, dicemus ipsos non impugnasse venerationem illam ut illicitam & divinâ lege ex sese prohibitam, sed ut periculosam, propter abusum imperitorum. Quod planè significant hæc verba: *Cavendum illis est & modis omnibus pertimescendum, ne dum Imaginum cultum & adorationem Christianæ Religioni ingerere nituntur, singularem unius Dei cultum & adorationem frustrari videantur.*

Septimo idem colligitur ex cap. decimo-sexto libri tertii. *Nam*, inquit, *dum nihil nos in Imaginibus spernamus præter adorationem, quippe qui in Basilicis Sanctorum Imagines, non ad adorandum, sed ad memoriam rerum gestarum, & venustatem parietum habere permittimus: Illi verò penè omnem suæ credulitatis spem*

spem in Imaginibus collocent: restat ut nos Sanctos in eorum corporibus, vel potiùs Reliquiis corporum, seu etiam vestimentis veneremur, juxtà antiquorum Patrum traditionem: illi verò parietes & tabulas adorantes, in eo se arbitrentur magnum habere fidei emolumentum, eo quòd operibus sint subjecti Pictorum. Illam duntaxat Imaginum adorationem impugnat, quâ penè omnis spes credulitatis in illis collocatur. Hæc autem est adoratio latriæ; aut certè veneratio illis propter se ipsas exhibita, cujus periculo quia imperiti exponuntur, dum illis adorandæ proponuntur imagines, censet cultum omnem ipsis abrogandum; non quòd per se sit prohibitus ac illicitus, quia doctos innoxiè eas venerari agnoscit & colere cultu respectivo; sed quòd rudioribus & imperitis erroris occasio disciplina hujusmodi esse possit, qui cultum respectivum ab absoluto non ita subtiles sunt ut distinguant. *Nam etsi*, inquit, *à doctis quibusque vitari possit hoc quod illi in adorandis Imaginibus exercent, qui videlicet, non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his, præter id quod vident, venerantur & adorant.*

Octavò id colligitur ex capite decimo-septimo, ubi expendit sententiam *Constantini* Constantiæ Cypri Episcopi. *Quam præcipitanter*, inquit, *& ut ita dixerim, insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus, cæteris consentientibus, se suscepturum & amplexurum honorabiliter Imagines dixerit, & servitium adorationis, quod consubstantiali, & vivificatrici Trinitati debetur, eis se redditurum garrierit, non est plurimùm nostrâ disputatione disentiendum: quoniam omnibus, qui hoc vel legunt, vel audiunt, liquidò patet, illum non modici erroris voraginibus immersum: quippe qui servitium soli Deo debitum Creatori, exhibere se fatetur creaturis, & dum cupit favere picturis, reluctatur cunctis sacris Scripturis. Quis ergo unquam sani capitis talem absurditatem vel dixerit, vel dicenti consenserit, ut in tantò honore habeatur picturarum varietas, quantò sancta, vivificatrix & omnium creatrix Trinitas? Et tale exhibeatur servitium picturæ, quale exhibetur Domino totius creaturæ? . . . . Stet namque Episcopus in Ecclesia, & legat:* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: *& mox ut in Conventu sederit, dicat:* Suscipio & amplector honorabiliter Sanctas & venerandas Imagines, & illis servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati debetur, impendo; *Sicque se in divinis verbis instabilem, se aliud ore profitentem, aliud corde credentem; aliud divinis paginis legentem, aliud in antro pectoris sui tenentem; & divinis verbis obnitentem, & suas nugas Dominicis præceptis præferentem demonstret.* Ansam dabat illa *Constantini* sententia, quam versio Actorum Septimæ Synodi minùs accurata duriorem reddiderat, ipsi tribuendi erroris, quem verbis tenus exprimit, immò ipsum in totam Synodum refundendi, quæ illum non emendasset. *Hadrianus* Papa in Epistola Apologetica pro cultu Imaginum ad *Carolum Magnum* cap. 9. *Constantini* sententiam bonam in sensum trahit his verbis: *Ex pravâ revertentes hæresi, totis nisibus eorum tentaverunt Sancta Catholica & Apostolica in ipsorum confessione satisfacere Ecclesia; & ideo talem adorationem confessi sunt pro sacris Imaginibus credere, qualis in Definitione Synodi constituta est inter cætera.* Quo loco Nicænæ II. Synodi Definitionem in medium affert. Significat Hadrianus, istos Episcopos, qui Iconoclastarum hæresim ejurabant, ut omnem ex audientium animis suspicionem abstergerent, cultum, quem imaginibus tribuendum putabant, efficacibus atque emphaticis verbis expressisse; sed ita tamen ut eorum sententia sit ex ipsius, cui intererant, Synodi Definitione interpretanda. Neque adeo illam *Constantini* Episcopi sententiam, quantumvis duram, fraudi esse debere Concilio, cujus clara est & indubitata sententia, infra latriam esse eum honorem qui imaginibus defertur.

At librorum Carolinorum Auctor non ita fuit æquus in Synodum Nicænam II. sed ex opinione præconceptâ scribens, ipsi tribuit errorem quem *Constantinus* videbatur expressisse, & Definitionem Synodi ad faciendum fucum concinnatam ait, & ad dissimulandum errorem, quem minùs callidus prodiderat *Constantinus*. Existimabant igitur *Carolus Magnus*, & Gallicani, Germanique Præsules, totam Synodum Græcorum sensisse imagines eodem cultu adorandas, qui Sanctissimæ Trinitati defertur; *Constantinum* Episcopum id coram frequenti Synodo professum, reprehensum non fuisse; Definitionem eumdem errorem, distinctionibus ad faciendum fucum idoneis palliatum, plebibus ingerere. Hinc *Carolus Magnus*, post laudata superiùs verba, de *Constantini* sententia subdit: *Nam cùm sibi, suisque dinoscatur in suâ perversâ professione obesse, nobis è contrario qui illorum nugis reniti cupimus, dinoscitur prodesse: cùm videlicet errorem detegit infaustum, quem illi videntur plebibus ingerere palliatum. Aiunt enim:* Non adoramus imagines ut Deum, nec illis divini servitii cultum impendimus, sed dum illas aspicimus & adoramus, illo mentis nostræ acumen defigimus, ubi eos, quorum illæ sunt, esse non ignoramus. *At contra iste illorum detegens errorem, & suam pandens absque ullâ obumbratione cogitationem, fatetur se, quale Sanctæ Trinitati, tale illis exhibere servitium, talemque adorationem: sicque absurditatem, quam illi introrsùs retinent latenter, hanc iste egerit patenter. Nec latere quemquam potest illorum ignavia, cùm hanc pandat hujusce professionis sententia.* Quam igitur adorationem imaginum impugnat librorum Carolinorum Auctor, ea latriæ adoratio est, quam sanxisse arbitrabatur Synodum Græcorum.

Nonò idem colligitur ex capite decimo-octavo ejusdem libri. *Cum ergo*, inquit, *isti penè omnem auxilii sui spem in imaginibus defigant, non mediocriter à sancta & universali dissentiunt Ecclesia, quæ spem auxilii sui non in pictura fucis, non in manufactis artificum operibus, sed in Deo omnium creatore defigit.* Eam impugnat imaginum adorationem, quæ argumento est spem penè omnem in picturæ fucis collocari. At ex veneratione religiosâ, quæ rebus sacris impenditur, colligi non potest, nos spem omnem in illis collocare, secundùm illius Auctoris sententiam, qui & Reliquiis Sanctorum & figuræ Dominicæ Crucis, & Codici Evangeliorum, & vasis sacris, hujusmodi venerationem asserit; non impugnat igitur honorariam imaginum adorationem, seu venerationem.

Imagines quidem Cruci Dominicæ, sacris Codicibus, sacratis vasis, Sanctorum Reliquiis, & multò minùs Sanctis ipsis, æquiparandas negat, Synodi Septimæ comparationes elevans. Sed in religiosi cultûs ordine infra latriæ adorationem varii sunt gradus: alia per sese coluntur, & absolutô (ut vocant) honore, quam propria meretur excellentia, ut Angeli & Sancti homines. Alia propter aliud ad quod ordinem habent, honorantur, ut Reliquiæ Sanctorum, Crux Dominica, & ejus figuræ, Codex Scripturæ Sacræ, vasa sacra, templa, imagines. Et in isto genere cultus respectivi plures sunt gradus. Quamvis ergo Imagines Sanctorum non tanto sint honore afficiendæ quantô Crux Dominica, & ejus figuræ, quantô vasa sacra, quantô Evangeliorum Codex, quantô Sanctorum Reliquiæ, & id probet librorum Carolinorum Auctor, non tamen inde sequitur quòd venerationem omnem ipsis abroget.

Decimò idem colligitur ex capite decimo-octavo libri quarti. *Hoc etiam exemplò*, inquit, *adeo cernimus imaginum usum inolescere, ut quæ priùs ob ornamentum*

mentum Basilicarum, & memoriam erant compaginata rerum gestarum, inolescente paulatim nefario usu adeò nunc à Catholicis quibusque extollantur, ut adorentur, eisque luminaria, thymiamata, primitiæ, vel quædam munuscula offerantur; & quod nequius est (ut in Græciæ partibus factum legimus) Pontifices qui solum Deum adorandum, solùmque colendum, illique soli serviendum prædicare debuerant, & ipsi eis se servituros fateantur, eásque colant & adorent, & earum contemptores solius que Dei cultores verósque adoratores, ob earum contemptum, & Hæreticos judicent, & anathematizare affectent. Uno namque & pene pari modo adorandorum & colendorum simulachrorum, vel potiùs dæmonum, & Gentilibus nequissimus usus inolevit, & Catholicis, (quod non sine quodam animi mærore prosequimur) adorandarum imaginum ineptissima consuetudo adcrescit; & res ad aliud condita, ad aliud videntur usurpata. Non enim nos Imagines in Basilicis positas idola nuncupamus, sed ne idola nuncupentur, adorare eas & colere eisque servitium impendere recusamus: quoniam plerùmque non res, sed causa rei pro scelere reputatur: dum videlicet multa, quibus bene potest uti, male usa in flagitium convertuntur: sicque una eademque res bene utentibus non est causa piaculi, & male utentibus est causa periculi. Sollicite ergo præcavendum est, & summâ industriâ procurandum, ne dum quidam nostrorum quasi tam res, ultrà quàm ordo exposcit, sublimare affectant, vetustissimi illius & cariosi erroris redivivi illis cicatrices convalescant, & victoriam quam in campo adepti sunt, intra urbis mœnia perdant. Non tam igitur cultum imaginum damnant *Carolus Magnus*, & Gallicani, Germanique Præsules, quàm ex cultu superstitionem reformidant; usum prohibere videntur honorariæ Imaginum adorationis, ne abusus oriatur, dum Ecclesia variis contentionibus distrahebatur. Cultu Imaginum quosdam bene uti posse fatentur, plerimos abuti; proinde ab illo abstinendum, cum occasio piaculi resecanda sit.

Undecimò idem colligitur ex capite vigesimosexto. *Unde*; inquit, *magna ex parte errare eos constat, cùm eas sanctas esse asserunt, & in locis contaminatis statuendas esse decernunt. Patescit namque quodammodo in hoc eorum censura, qui eas in viis, seu in urbium vicorùmque plateis poni percensent, quòd hæ sanctitate careant, sicuti & carent, tùm scilicet si sancta esse crederentur, in locis sanctis poni conferentur.* Ludit in æquivoco, quasi intrinsecam sanctitatem Imaginibus Græci tribuerent.

Duodecimò id confirmatur ex cap. vigesimo-septimo. *Unde nimirum colligitur*, inquit, *quòd illi qui penè omnem fidei suæ firmitatem in Imaginibus ponunt, earúmque adorationem inter bonorum operum instrumenta adnumerare non erubescunt, & modò pulchras, modò fœdas adorant Imagines, quodammodo fallantur. Nam si quælibet Imago quantò pulchrior est, tantò ampliùs habet sanctitatis atque virtutis, necesse est ut ea quæ fœdior est, minùs habeat sanctitatis atque virtutis: Et si ea quæ fœdior est, minùs habet, necesse est ut fœdissima quælibet aut nihil aut modicum habeat: & si ea quæ pulchrior est, ideo attentiùs adoratur, eò quòd causâ pulchritudinis, ampliùs habet virtutis, jam non ejus sanctitas ex quadam religione, sed ex artificis venit operatione.*

Et infrà: *Falluntur verò, & meritò falluntur, qui, cùm Deus Creator omnium se solum adorari censuerit, res quasdam sensu carentes adorare nituntur: & dum putant se in adorandis Imaginibus quamdam Sanctis exhibere venerationem, soli divinæ adorationi quamdam prorogant communionem. Quia igitur solus Deus adorandus, Martyres verò, vel quilibet Sancti, venerandi potiùs sunt, quàm adorandi, & in hoc Opere jam diximus, & egregii Doctoris Hieronymi documentis roborandum est: qui dum contra Vigilantium quen-*A*dam hæreticum, qui Martyrum Reliquias nequaquam dicebat esse venerandas, scriberet; inter cetera ait:* Quis unquam, ô insanum caput! Martyres adoravit? *Si ergo, secundùm ejusdem sententiam, Martyres non adorantur, multò minùs eorum Imagines à Fidelibus adorandæ sunt.* Solo itaque adorationis vocabulo Gallicani Præsules, & *Carolus Magnus* offendebantur; venerationem religiosam imaginibus delatam non impugnabant, quamvis eâ inferiorem esse vellent, quæ Martyribus, & eorum Reliquiis exhibetur; imò eâ quâ vasa Sacerdotali consecratione sanctificata. Modum igitur loquendi potiùs repudiabant, quàm rem ipsam, unde nec sanctas dici B Imagines patiebantur, sed solùm Imagines Sanctorum. A Græcis in modo loquendi dissentiebant, in re non ita: mentem eorum non assequebantur: Superstitionem ut putabant, cum Imaginum religiosa veneratione conjunctam damnabant, non ipsam venerationem per se spectatam: Cultum absolutum, quô res propter se coluntur; non respectivum, quô propter aliud honorantur. Sancitum verò existimantes a Synodo Nicæna, ut Imagines per sese colerentur, & quatenus artefacta quædam sunt, & earum sic spectatarum adorationem à Græcis frequentari, passim illud inculcant, quòd res insensatæ adorari non debeant. Falsâ illâ suppositione nititur inepta C consequentia quam ducunt ex veneratione Imaginis B. Virginem asello cum Puero Jesu gestatam repræsentantis, adorandam scilicet effigiem pecudis, si tota honoretur Imago. Id enim verum esset, si Imagini propter se & ratione materiæ ac colorum impenderetur veneratio; sed cùm ratione Prototypi, scilicet B. Virginis colatur, ejúsque honor ad B. Virginem referatur, tota non honoratur, nedum animal. Falsam suppositionem allata ex cap. vigesimo primo Libri quarti verba produnt. *Cum ergo in quolibet horum Imago Sanctæ Virginis Puerum tenens, pecualis animantis tergò suscepta adoratur, numquid* D *non ipsius animantis cum ea Imago adoratur: nullò enim pactò in adorando utriusque Imaginis, Virginis videlicet, sive animantis, quædam potest fieri diremptio, præsertim cùm unius sint materiæ, uniùsque Artificii ingeniò compaginata, aut utriusque adoratio est spernenda, aut utraque sunt adoranda.*

Respondeo secundò, ad majorem eorum quæ hoc in paragrapho jam diximus, illustrationem; inter Gallicanos Præsules & Græcos, quæstionem potiùs fuisse de modo adorationis, quàm de re ipsâ. Hoc est, venerandas Imagines fatebantur & Galli nostri, sed non eo modo, quem sanxerat Nicæna Synodus, & quem Græci frequentabant, scilicet ingenicula- E tione, inflexione capitis, osculis, thymiamatibus, luminaribus coram accensis. Quamquam enim hæc signa honoris arbitraria esse non nescirent, & vel cum adoratione latriæ, vel cum cultu religioso inferioris ordinis, vel etiam cum merè civili veneratione conjungi; Deúmque adorari in spiritu & veritate, & non coli nisi amore super omnia, in quo posita est soli Deo debita servitus: quia tamen hi ritus in externo Dei cultu adhibentur, & præcipuè in incruento Sacrificio, timebant ne fierent imperitis erroris occasio, si in Imaginum quoque veneratione F frequentarentur. Ipsos autem maximè commovebat, quòd Nicæna Synodus anathemate perculisse videretur eos, qui ab hac disciplina abhorrerent. *Si quis*; inquit, *Imagines non salutaverit in nomine Domini & Sanctorum ejus, Anathema sit.* Vel, secundùm antiquam Versionem: *Si quis non osculatur has, tanquam in nomine Domini & Sanctorum ejus factas, Anathema sit.* Ipsos commovebat pariter, quòd *Epiphanius* Diaconus Actione 6. plaudente Synodo, vocasset eos *Semipravos*, qui dicebant, *Imaginales formationes sufficere in commemorationem tantùm haberi, & non etiam ad salutationem.* Licet autem hæc

disciplina fuisset à Patribus Nicænæ Synodi ad novam hæresim coercendam sanctissime constituta, Gallicani tamen Germanique Episcopi, qui Synodo non interfuerant, nec eâ de re fuerant per litteras consulti, non putabant eâ se adstringi posse, & præceps ipsis videbatur anathema, quod in eos extendi non deberet, quorum Ecclesia alios-mores habebat, aliámque disciplinam : Galli enim & Germani, duorum Conciliorum contrariis Definitionibus turbati, hinc Constantinopolitanæ Iconomachorum, quæ Imagines ex Ecclesiis ejecerat; illinc Nicænæ, quæ ipsis honorariam adorationem decreverat; & salutatione, thymiamatibus, cereorum accensione, hanc significari vel jusserat, vel approbaverat; mediam viam elegere, donec lux major tenebras discussit. Imagines scilicet neque confringendas, neque adorandas apud se constituerunt, vel potiùs ab antiquo constitutum, & à *Sancto Gregorio Magno* confirmatum Ecclesiarum suarum morem retinuere. Id patet ex cap. vigesimo-tertio libri secundi Carolini. *Imagines sane*, inquit, *quarum insolentissima adorationis amor Constantino & matri ejus Irena, necnon & Tarasio Constantinopolitano Episcopo, exercenda Synodi causa extitit, à B. Gregorio Romanæ Urbis Antistite & adorari prohibentur & frangi, &c.* Et recensitis *Sancti Gregorii* verbis in Epistola ad *Serenum*, ita concludit : *Ecce quò magisterio, quóve documento venerandi Pontificis imbuti, Imagines in Ecclesiis habere non renuimus, sed earum adorationem prorsus abdicamus : cujus institutis contraire se, quisquis eas frangit, vel adorat, modis omnibus recognoscat.*

Et Cap. trigesimo-primo, utramque Græcorum Synodum, primam contra Imagines Constantinopoli, alteram pro Imaginibus Nicææ habitam comparans, hæc habet : *Illi eas convellendas atque contemnendas esse censuerunt ab Ecclesia perpetua abdicatione : Isti eas non solum habendas, verùmetiam venerandas studens supplici adoratione. Illi eas mancipavere crepitantibus ignibus : Isti honorant odoriferis thymiamatibus. Illi eas effugiebant etiam cernere : Isti non cessant amplecti. Illi effodêre ad ornamentum Ecclesiæ antiquis constitutas in parietibus : Isti nuper conditas oblatis perlustrant luminaribus. Illi eas studebant prorsùs abominari : Isti sanciunt omnino osculari. Illi anathematizabant habentes : Isti è contrario non adorantes. Quæ duo mala cùm alterutrum sibi contraria sint, & à recto tramite remota; restat nobis ut viam regiam, secundum Apostolum gradientes, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinemus : ut nec cum illis prorsus abolendas dijudicemus, nec cum istis adorandas decernamus : sed solum Deum adorantes, & ejus Sanctos venerantes, secundùm antiquam Patrum & Ecclesiasticam Traditionem, eas in Ecclesia, in ornamenta, & memoriam rerum gestarum, si libet, habeamus.* Venerandas Imagines Gallicani Præsules arbitrabantur, sed non alio modò, quam qui ab antiquo obtinuerat, & à *Sancto Gregorio Magno* approbatus est ad *Serenum* Episcopum Massiliensem scribente, ut scilicet in Ecclesiis honorificè collocarentur : extensionem verò hujusmodi honoris, seu accessionem à Nicæna II. Synodo factam, & ex Græcia ortam, ut scilicet salutationibus, osculis, thymiamatibus, luminaribus, significaretur ipsarum veneratio, non recepêre nisi post multos annos. Nec mirum, cùm Nicænam Synodum II. pro Oecumenica non haberent, sed eam spectarent ut Synodum Nationalem duntaxat Græcorum, ut inferiùs videbimus.

Tandem incredibile est Gallicanos Episcopos, è quorum cœtu duodecim sacræ Scripturæ & Canonum peritissimi *Stephano Quarto* Pontifici Maximo in Romana Synodo assidentes, venerationem sacrarum Imaginum sanxerant, à Traditione ita aberrasse, ut earum cultum omnem rejicerent. De quâ Synodo *Hadrianus I.* in Defensione Synodi VII. ad *Carolum Magnum*, Cap. V. *Prædecessor noster sanctæ recordationis Dominus Stephanus Papa, cum Episcopis partium Franciæ, atque Italiæ Præsidens in Basilica Salvatoris, Præcessoris sui venerabile Concilium confirmans atque amplectens, unà cum omnibus Episcopis præsidentibus, Sanctorum Patrum testimoniis adhærens, adorare atque venerari sacras Imagines statuerunt.* Idem testatur *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Stephani IV.*

§. VIII.

Diluitur Objectio DALLÆI *ex Concilio Francofordiensi petita.*

QUarto post scriptionem Carolinorum librorum anno, *Carolus Magnus* numerosissimam Synodum Francofordiæ ad Mœnum habuit; convocatis ex Gallia, Britannia, Germania, atque Italia CCC. minimùm Episcopis, qui damnatâ in primis *Elipandi* Toletani, ac *Felicis* Urgelitani, Episcoporum, hæresi, de Imaginibus postmodum egerunt, & quod iis earum gratiam Græci Præsules Nicææ nuper ab *Irene* coacti decreverant, id gravissimis verbis notatum hunc in modum abrogaverunt, Canone 2. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibat Constantinopoli fecerunt, in quâ scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

Synodus Francofordiensis damnavit Concilium VII. Oecumenicum.

Respondeot *Alanus Copus*, *Gregorius de Valentia*, *Vasquezius*, *Suaresius*, & *Binius*, Synodum Nicææ ad restituendum imaginum cultum habitam & verè Septimam atque Oecumenicam, à Francofordiensibus Patribus damnatam non fuisse, sed eam quæ ab Iconoclastis Constantinopoli, tribus & triginta ante Nicænam annis, ad evertendas Imagines celebrata fuerat. Sed refellitur hoc figmentum; Primò ipsis verbis Canonis laudati, ex quibus constat damnatam fuisse à Francofordiensibus Patribus Synodum, quæ de adorandis Imaginibus in Græcia celebrata fuerat : At Synodus Iconomachorum non decrevit adorandas Imagines, immò ex Ecclesiis ejiciendas statuit & confringendas; Synodus verò Nicææ habita, quæ inter Oecumenicas Septima censetur, adorandas sanxit, quam adorationem malè intellexere Gallicani & Germani Præsules. Itaque Synodus Francofordiensis non solùm Constantinopolitanum Iconomachorum Pseudoconcilium, sed Nicænam Synodum II. ad restituendum Imaginum cultum congregatam, rejecit ac damnavit.

At cur, inquies, Francofordienses Patres se rejicere significant Græcorum Synodum Constantinopoli habitam? Siquidem legitima Synodus Septima Nicææ, non Constantinopoli celebrata est. Respondeo, ipsos Nicænam intellexisse, ut ex adjunctis patet; sed Constantinopolitanam vocasse, tum quia convocata est ab Imperatoribus Constantinopolitanis, tum quia Constantinopolim primo indicta est, ac Nicæam deinde translata.

Secundò, horum Auctorum refellitur responsio testimoniis veterum Scriptorum, quorum plerique *Carolo Magno* suppares : scilicet Auctoris Anonymi Vitæ *Caroli Magni* à *Duchesnio* inter Scriptores veteres Historiæ Francorum Tomo II. editæ. Qui ubi præfatus est *Carolum Magnum* Pascha Francofordiæ anno 794. celebrasse, subdit : *Ibique congregata est tunc Synodus Magna Episcoporum Gallorum, Germanorum, & Italorum, in præsentia Domini Regis Karoli, & Legatorum Domni Apostolici Hadriani. Quorum nomina hæc sunt : Theophylactus, & Stephanus Episcopi.*

Episcopi, ... *Pseudo-Synodus Græcorum, pro adorandis Imaginibus facta, rejecta est à Pontificibus.*

Secundò, ex Annalibus Francorum Fuldensibus, ad annum 794. ubi de Synodo Francofordiensi, *Pseudo-Synodus*, inquit, *Græcorum, pro adorandis Imaginibus habita, & falsò Septima vocata, ab Episcopis damnatur.* Eadem in Chronicis produnt *Rhegino Prumiensis*, *Urspergensis Abbas*, & *Hermannus Contractus*.

Tertiò ex *Adhelmo* Monacho, in Annalibus, ad annum 794. ubi de Synodo Francofordiensi scribens, hæc habet: *Synodus etiam, quæ paucos ante annos, Constantinopoli sub Helena* * *& Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non tantùm Septima, verùmetiam universalis est appellata, ut nec Septima, nec universalis diceretur, haberetùrque, quasi supervacua, in totum ab omnibus abdicata est.*

* Irene.

Quartò ex *Hincmaro*, in Opusculo LV. Capitum, Cap. XX. *Septima*, inquit, *apud Græcos vocata universalis Pseudo-Synodus de Imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra verò pars intellectu sanò definiens, sine auctoritate Apostolicæ Sedis,* * *non longè ante nostra tempora Constantinopoli est à quamplurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Karoli Magni Imperatoris jussione Apostolicæ Sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore celebrata, & secundùm Scripturarum tramitem, Traditionémque Majorum, ipsa Græcorum Pseudo-Synodus destructa, & penitùs abdicata, de cujus destructione non modicum Volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum,* * *in cujus Voluminis quarto libro hæc de Universalis nomine, scripta sunt, &c.* Hincmarus eam, de qua verba facit, Synodum, *Caroli Magni* tempore celebratam fuisse significat, & à Papa Romano in Franciam missam, quæ in Nicænam quidem II. Synodum optimè conveniunt, quam Regni Carolini anno vigesimo sexto habitam fuisse constat; minimè verò in Constantinopolitanam, quæ regnante *Pippino*, celebrata fuerat, annis tredecim antequam *Carolus* regnare cœpisset. Præterea, Synodum illam abdicavit Francofordiense Concilium, quæ Carolino Opere confutata est: hæc verò est Nicæna Synodus sub *Constantino* & *Irene* celebrata.

Hæc in parte [illegible]

Per Angilbertum Abbatem missum Hadriano testatur, cui fortè adjuncti [illegible] Episcopi [illegible], ac Legationis socii.

Quintò ex *Adone Viennensi*, in Chronico, ad annum Christi 794. ubi de Synodo Francofordiensi verba faciens, ait: *Sed Pseudo-Synodus, quam Septimam Græci appellant, pro adorandis Imaginibus, abdicata penitùs.*

Sextò ex Chronico Moissiacensi desinente in annum Christi octingentesimum octavum, ex Annalibus Bertinianis, & Metensibus, ex Annalibus Francorum ex MS. Tiliano editis, & ab anno 708. ad annum 808. continuatis; ex aliis Annalibus ab anno 769. ad annum 806. editis ex MS. Petaviano; ex Annalibus ab anno 741. ad annum 814. editis ex MS. *Loiselli*: ex Annalibus Poetæ Saxonici lib. 4. ad annum 794.... ex Annalibus *Eginhardi*, ex *Caroli Magni* Vita ab *Ademaro Sancti Eparchii* Monacho scripta, ex *Aimoino*, lib. 4. cap. 85. & ex *Aventino*: qui omnes unâ voce testantur, Synodum, quam Septimam Græci appellabant, quæque pro Imaginibus adorandis habita est, à Synodo Francofordiensi abdicatam fuisse.

Nec obstat quòd *Platina*, *Blondus*, *Sabellicus*, ac *Paulus Æmilius* dicant, reprobatam fuisse à Concilio Francofordiensi Synodum de tollendis Imaginibus. Hi enim omnes recentiores sunt, & nullo pacto, quod ad testimonii pondus atque auctoritatem pertinet, cum Scriptoribus mox laudatis comparandi. Deinde quod isti dicunt, non pugnat cum antiquorum Historicorum dictis. Nam in Synodo Francofordiensi duæ Synodi reprobatæ fuerunt, nimirum Constantinopolitana contra Imagines, & Nicæna pro Imaginibus, ut patet ex libris Carolinis, & ex *Hincmaro*. Patres enim Francofordienses Imagines servandas putarunt, contra quam censuerat Pseudo-Synodus Iconomachorum; neque tamen adorandas, contra quam sanxisse ipsis videbatur Nicæna Synodus.

Rejectâ itaque responsione *Alani Copi*, *Gregorii de Valentia*, *Vasquesii*, *Suaresii*, & *Binii*, Respondeo cum doctissimis Cardinalibus *Baronio*, *Bellarmino*, *Perronio*, aliisque Viris Eruditis, Patres Concilii Francofordiensis Septimam Synodum errore facti damnasse, sed constitutum ab eâ dogma de imaginum veneratione non impugnasse, aut ab eâ de summa fidei dissensisse. Quod autem in facto erraverit, nec planè perspectam ac exploratam habuerit Synodi Septimæ sententiam, indicant primò verba secundi Canonis: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, in quâ scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Putaverunt itaque Francofordienses Patres, contrà quàm veritas haberet, adorationem latriæ, quæ soli Deo debetur, à Nicæna II. Synodo fuisse Imaginibus decretam, lato in eos, qui refragarentur, anathemate: & hanc solùm adorationem & servitutem rejecerunt atque damnarunt, non religiosam venerationem qualemcunque.

Quamvis Synodus Francofordiensis errore facti Concilium VII. Oecumenicum damnaverit, ab eo tamen de summa fidei non dissensit.

Sed an credibile est, inquit *Dallæus*, in trecentis Præsulibus, qui ad maxima Ecclesiæ negotia totô Occidente lecti, atque missi fuerant, neminem fuisse qui sciret, quid in Nicæna nuper Synodo decretum ac definitum esset. Ita planè credibile est, quod certis documentis demonstratur, ipsos non fuisse assecutos mentem Nicænæ Synodi, ac Definitionis fidei in eâ editæ sensum ignorasse, quem ne à Legatis Pontificiis, qui Francofordiensi Concilio aderant, edocerentur, effecit opinio præconcepta ex libris Carolinis adversùs Septimam Synodum. Præterea, magis attenderunt ad *Constantini* Episcopi Professionem, quàm ad Definitionem Synodi: unde non damnarunt Synodi Definitionem, sed quod *in Synodo scriptum habebatur*, scilicet adorationem & servitium deificæ Trinitati debitum, esse Imaginibus impendendum. Sic enim habebat Professio *Constantini* Constantiæ Cypri Episcopi, de quâ liber III. Carolinus Cap. XVII. in ipsa Capitis inscriptione ait: *Quòd infaustè & præcipitanter, sive insipienter Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit: Suscipio & amplector honorabiliter Sanctas & venerandas Imagines secundùm servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* Porro vitio interpunctionis & barbaræ versionis accidit, ut sententiam illam affingerent *Constantino* Francofordienses Patres. Verba enim illa, *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas Imagines*, participiis expressa sunt in Græco textu, & à prioribus pendent, unde ita reddi debet tota sententia: *Ego etiam indignus his consentio & ejusdem sum sententiæ, suscipiens, & honorariè amplectens sanctas ac venerabiles Imagines.* Deinde sequitur altera pars sententiæ, quæ divinum cultum sive adorationem & servitium soli Sanctissimæ Trinitati asserit: *Et adorationem quæ fit secundum latriam, soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati emitto.* Error igitur Synodi Francofordiensis circa Septimam Synodum, vitio Interpretis tribui debet, qui ipsam jussu *Hadriani* Papæ latinitate donaverat. De cujus imperitia conqueritur *Anastasius Bibliothecarius*, qui alteram versionem adornavit tempore Joannis Octavi. *Interpres*, inquit,

pene per singula relictô utriusque linguæ idiomate, adeo est verbum è verbo secutus, ut quid in eadem Editione intelligatur, aut vix, aut nunquam possit adverti, in fastidiumque versa legentium, penè ab omnibus hac pro causâ contemnatur. Ex his patet, Synodum Francofordiensem, errore facti deceptam, Synodum Septimam damnasse, quòd supremi gradus adorationem & cultum latriæ Imaginibus ab eâ decretum existimaret, non quidem apertâ definitione, sed conniventiâ, quia *Constantini* Episcopi sententiam non emendaverat.

Secundo id ex Libris Carolinis probatur, quos ea in Synodo recensitos & approbatos, ex *Hincmaro* colligere est. Ex his enim superiori paragrapho demonstravimus Gallicanos & Germanos Præsules, quorum sententiam exhibent, Septimæ Synodi mentem assecutos non fuisse, & solam adorationem Latriæ Imaginibus abrogasse, quam ab illa ipsis decretam arbitrabantur, non verò venerationem quamcunque religiosam.

Tertiò, Francofordienses Patres venerandas Imagines sensisse, licèt non eô ritu, quem Septima Synodus decreverat, sed solùm eas ob Sanctorum amorem conservando in Ecclesiis, qui sanè religiosus honor est, constat ex uno Capitum à Synodo Francofordiensi ad *Hadrianum* Papam missorum, cujus hæc sunt verba: *Sciat Domnus Apostolicus, & Pater noster, & cuncta simul Romanorum Ecclesia, ut secundum quod continetur in Epistola Beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensem Episcopum direxit, permittimus Imagines Sanctorum, quicumque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quamque extra Ecclesiam, propter amorem Dei & Sanctorum ejus: adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint. Frangere vel destruere eas, etiamsi quis voluerit, non permittimus. Et quia sensum Sanctissimi Gregorii sequi in hac Epistola universalem Catholicam Ecclesiam Deo placitam, indubitanter liberè profitemur.* Capitulum istud Librorum Carolinorum postremum est apud *Goldastum*, Tomo 1. Constitutionum Imperialium & quamquam in vulgatis Editionibus Parisiensi & Coloniensi, & in Tiliano MS. non extet, supposititium tamen censendum non est, cùm in Epistola Apologetica *Hadriani* Papæ ad *Carolum magnum* totidem verbis legatur, & illud esse proprium *Caroli Magni* agnoscat Pontifex, in eo quod se sensum Sancti Gregorii sequi profitetur. Esto igitur, ad libros Carolinos non pertineat, pars tamen est Capitularis è Synodo Francofordiensi à *Carolo Magno* missi ad *Hadrianum*, per *Angilbertum* Abbatem, quod lemnata Capitum penè omnium Operis Carolini continebat. Depravatum tamen illud caput Viri eruditi conjiciunt, in hisce verbis: *Adorare verò eas nequaquam cogimus qui noluerint*: cùm hæc sententia libris Carolinis, & ipsi Canoni secundo Synodi Francofordiensis è regione repugnet. Restituendum itaque suspicantur istorum verborum loco, *Adorare verò eas nequaquam conbibemus qui voluerint.* Id est, eos verò qui adorare voluerint, nullô modô permittimus facere, non consentimus, non concedimus, sed adorare prohibemus. *Conbibere* enim & *conbibentia*, verba sunt illius ævi, usurpata etiam ab Auctore librorum Carolinorum Lib. 3. cap. 11. in Præfatione, quæ idem significant quod, *consentire*, & *consensus*.

Ut ut est, constat Francofordienses Patres ab Ecclesiæ Græcæ, & Romanæ communione non discessisse, quod argumento est, ipsos existimasse superstitionem, quam in cultum Imaginum apud Græcos irrepsisse putabant, errorem potiùs esse conversationis, quàm dogmatis; disciplinam à Synodo Nicæna constitutam periculosam ipsos censuisse, propter abusum imperitorum, non illicitam: Definitionem quidem Synodi Septimæ Catholicam esse, sed tamen socordiæ & negligentiæ reos illius Synodi Patres, qui *Constantini* professionem non emendaverant. Undè non damnarunt Definitionem, quæ honorariam adorationem, infra cultum latriæ soli Deo debitum, Imaginibus decreverat, sed quod in Synodo scriptum habebatur (in *Constantini* scilicet Episcopi professione) anathemate percellendos, qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent.

Gallicani Germanique Episcopi Synodum Nicænam secundam pro Oecumenica non habebant.

Non mirum porrò quòd Gallicani, Germanique Episcopi Synodum Nicænam secundam liberiùs damnaverint, errore facti (ut diximus) decepti: quia eam pro Oecumenica non habebant, sed solùm pro Nationali Græcorum Synodo; quod perspicuum est ex omnium Scriptorum testimoniis, qui testantur illam à Synodo Francofordiensi damnatam, quos superiùs laudavimus. Secundò id constat ex libris Carolinis, lib. 4. cap. decimo-tertio, ubi Auctor Synodum Nicææ pro restituendis Imaginibus habitam cum ea componens quæ Constantinopoli contra Imagines habita fuerat, ait: *Insolenti praterea desiderio, tam isti, quàm eorum Prædecessores, Synodum ambiunt agitare, eámque sex venerabilibus Synodis associare, & Septima Synodi nuncupationi censere. Nam dum illi & isti in hac re importune creduntur inhiasse, neque illi, neque isti, hanc ad sua ambitionis effectum voluerunt perducere. Cupientes ergo illam, quæ ab eorum Prædecessoribus incautè & enormiter gesta est, abolere, & suam quæ ineptè & stolidè nihilominus gesta est, statuere, paradigma cujusdam retulere, qui sex aureis nummis septimum volens adsociare, dum admittere nisus est aureum, æreum locò aurei dicitur admisisse. Quo isti expulsô, aureum aureis se gloriantur adsociasse. Qui si diligenter advertant, dum nisi sunt loco ærei ingerere aureum, intulisse creduntur stanneum, & Septimum Synodi numerum, quem Prædecessores eorum ænea Synodo voluerunt complere, stanneâ isti nihilominus Synodo applicatâ moliuntur adimplere. Sed repulsô à Septimi numeri mysterio nummô æreo, abactâ quoque stanneô, soli tantummodò sex remanebunt, quos & numeri perfectio, & fulgor Catholica eruditionis illustrat.*

Et cap. 28. *Inter cætera deliramenta, quæ in eadem Synodo vel gesta, vel scripta dicuntur, hoc quoque non omnibus eorum deliramentis minus est, quòd eamdem Synodum universalem nuncupant; cùm neque universalis fidei inconvulsam habens puritatem; neque per universarum Ecclesiarum gestam constet auctoritatem.*

Nec Francofordiensibus Patribus deesse momenta videbantur, quibus freti, Synodum, cui totius penè Occidentis suffragia deerant, pro Oecumenica agnoscere ac venerari renuerent. Unde *Hadrianus I.* Capitulari à *Carolo Magno* misso per *Angilbertum* Abbatem ita respondet, ut Oecumenicæ Synodi nomen auctoritatémque nusquam illis objiciat. Et *Hadriani* Successores, Gallicanos, Germanósque Antistites in communione semper habuerunt, quamvis nondum Septimam Synodum recipientes, nec salutationibus, thymiamatibus, & luminaribus suam erga Christi & Sanctorum Imagines significantes reverentiam; quia persuasum habebant ipsos de solo venerationis modo, non de reipsâ; de disciplinâ, non de fide, à Romana & Græca Ecclesia dissentire. Nec aliud colligi potest ex *Anastasio Bibliothecario*, in Præfatione VII. Synodi, ad Joannem Octavum. *Quæ enim*, inquit, *super venerabilium Imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc & Apostolica Sedes vestra, sicut nonnulla conscripta innuunt, antiquitus tenuit, & universalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est harum utilitas revelata. Aiunt namque, quòd non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum, quasi non sit*

Codex

Codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant..... Similiter & forma sanctæ Crucis, quam se adorare omnes ubique Christiani fatentur. In quo considerare libet, quia si quamlibet Crucem auream, argenteam, vel ligneam adoramus, quæ utique non eadem est ipsa Crux in quâ salus nostra patrata est, sed figura & imago ejus; quare non adoremus figuram & Imaginem ejus, qui eamdem salutem operatus est in medio terræ? Venerabilior namque est qui salutem operatus est, quàm ea materia in qua salutem operatus est. Ac per hoc magis est adoratione digna Imago Christi salutem operantis, quàm Imago Crucis salutem tantummodò bajulantis.

Eadem fuit Britannicæ Ecclesiæ, quæ Gallicanæ, de Nicæna II. Synodo, & de Imaginibus sententia, Carolinis temporibus, ut colligitur ex his quæ refert *Rogerius de Hoveden* Annalium P. 1. ex Vita Regis Offæ: *Anno*, inquit, *septingentesimo nonagesimo secundo, Carolus Rex Francorum misit Synodalem librum ad Britanniam, sibi à Constantinopoli directum, in quo libro multa inconvenientia & veræ fidei contraria reperiebantur; maximè quòd penè omnium Orientalium Doctorum, non minus quam trecentorum vel eò amplius Episcoporum, unanimâ assertione confirmatum fuerit, Imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus Epistolam ex auctoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam; illámque cum eodem libro ex persona Episcoporum ac Principum nostrorum Regi Francorum attulit.* Eadem narrat *Matthæus Westmonasteriensis*, ad annum Domini septingentesimum nonagesimum-tertium.

Eadem fuit Ecclesiæ Britannicæ quæ Gallicanæ de Septima Synodo & de Imaginibus sententia.

Objicit *Dallæus*. Si quo in errore versari essent Francofordienses Patres, dubitandum non est quin *Theophilactus* & *Stephanus* eum pro virili suâ depulsuri fuerint, & veriora omnia edocturi; neque id si præstitissent, credibile est Patres in errore mansuros fuisse; vel certè, quod in Nicænam Synodum paraverant, Decretum promulgaturos.

Respondeo. Legatos *Hadriani Primi* satis forsan non expendisse Septimam Synodum, aut satis eruditos non fuisse, ut Gallorum Germanorúmque Præsulum scrupulos eximere possent: vel illorum vincere non potuere pertinaciam, illósque à præconceptâ semel opinione abducere.

Objicit *Binius*, Patres Concilii Francofordiensis sæpe profiteri, se procedere sub obedientiâ Romani Pontificis: & in libro Sacrosyllabo sub finem, dum Sententiam contra Hæreticos ferunt, subjungere hæc verba: *Reservato per omnia Juris Privilegio Summi Pontificis Domini & Patris nostri Hadriani, Primæ Sedis Beatissimi Papæ.* Quæ profiteri non potuissent, inquit *Binius*, si sacrosanctam Nicænam Synodum à Sede Apostolica confirmatam condemnassent.

Respondeo, Ipsos venerationem suam erga Sedem *Sancti Petri* satis commendasse, Decreta sua Romani Pontificis judicio dum subjecere, cujus est Provincialium Synodorum Definitiones in causis maximè fidei, confirmare. Sed nihil se remittere arbitrati sunt de observantiâ erga Sedem Apostolicam suâ, rejiciendo Synodum, quam Oecumenicam non censebant, & quæ ab ipso Pontifice solenniter confirmata non erat. Licèt enim Synodum Septimam suscepisset *Hadrianus*, non tamen eam confirmaverat solenni more, missâ ad Imperatores, & ad omnes totius orbis Ecclesias Epistola. Id testatur ipse in Epistola Apologetica pro cultu imaginum, ad Carolum Magnum. *Synodum istam*, inquit, *secundùm nostram Ordinationem fecerunt, & in pristino statu sacras & venerandas Imagines susceperunt. Et sicut de Imaginibus Sancti Gregorii sensu & nostrò continebatur, ita & ipsi in eadem Synodo Definitionem confessi sunt: his osculum, & honorariam salutationem reddidere: nequaquam, secundùm fidem nostram, veram latriam,*

A *quæ decet solam divinam naturam. Insuper & pseudosyllogum illud, quod ab Hæreticis factum est sub Constantino hæretico Imperatore, anathematizantes, cum eorum sequacibus atque complicibus damnaverunt: & ad fidem Catholicam Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ reversi Ecclesiæ, per Libellos eorum fecerunt rectæ fidei Confessionem, & ideo ipsam suscepimus Synodum.* Et infra: *Nos verò adhuc pro eadem Synodo nullum Responsum hactenus eidem Imperatori reddidimus, metuentes ne ad eorum reverteretur errorem*: scilicet Iconomachorum.

Denique somma observantia *Caroli Magni* & Gal- B licanorum Præsulum, adversùs Apostolicam Sedem, ipsos non deterruit à scribendis Libris Carolinis contra Septimam Synodum acerbissimo stylo. Non mirum ergo quòd non prohibuerit quin eamdem Synodum Francofurti damnarent. Nihil certe dici potest magnificentius de Romanæ Sedis Summique Pontificis Primatu, de ejus in causis Fidei judicandis prærogativa & summa auctoritate, de necessitate fovendæ cum Ecclesia Romana & Apostolica Sede communionis, quam quod Lib. 1. Carolino Cap. sexto, ex Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiarum sententia, scriptum est. *Antequam*, inquit, *discutiendorum testimoniorum, quæ absurdè Orientales* C *in sua Synodo sexaverunt, sylvam ingrediamur, dignum duximus, ut qualiter Sancta Romana Ecclesia cæteris Ecclesiis à Domino prælata & à Fidelibus consulenda sit, prosequamur: præsertim cùm non ab aliis Scripturis, nisi ab his, quas illa inter Canonicas recipit, testimonia sint sumenda: nec aliorum Doctorum, nisi eorum qui à Gelasio, vel cæteris illius Sanctæ Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sint amplectenda, &c.* Et recensito Sancti Augustini testimonio, subjungit: *Nam cùm hic cunctis per orbem constitutis Sedibus Apostolicas generaliter præferat Sedes, multò magis illa omnibus præferenda est, quæ etiam cæteris* D *Apostolicis Sedibus prælata est. Sicut igitur cæteris Discipulis Apostoli, & Apostolis omnibus Petrus eminet: ita nimirum cæteris Sedibus Apostolica, & Apostolicis Romana eminere dinoscitur. Hæc enim nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed ipsius Domini auctoritate Primatum tenet dicentis:* Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. *Cui non incongruè B. Pauli Doctoris Gentium est attributa societas, ut illius Sanctæ Ecclesiæ omnino firmaretur auctoritas: quatenus alterò ad piscandas animas electò ex Piscatore, alterò ad muniendum Ecclesiam ex Persecutore: ut in altero Dei Filii* E *vera confessio, in altero appareat divini verbi sacra prædicatio; cùm alteri contulerit idem Dei Filius Claves Regni Cœlorum; alteri Clavem aperiendorum legalium verborum: utrique tamen virtutem signorum, quò alter ad eum cruce, alter gladio pergens, Fidelibus arrhabonem corporalis sarcinæ relinquentes, & exempli fulgore, verbi decore, & sanctò cruore, suprà dictam Ecclesiam Romanam ei dicarent: quam supra solidissimam petram fundatam, nec descendens pluvia, nec vementia flumina, nec flantes venti ruere compellerent. Hæc ergo Sancta Fidei spiritualibus munita armis, & à fonte lucis & origine bonitatis salutaribus satiata* F *fluentis, & horrendis atrocibusque hæresum obsistis monstris, & mellíflua prædicationis pocula Catholicis per orbem ministrat Ecclesiis: Nam Beatissimus Hieronymus vir divinis Legibus, & multarum linguarum peritiâ eruditus, dum Bethleemiticis moraretur in arvis; & à B. Papa Damaso Romæ posito de difficilibus consuleretur quæstionibus: eum pro causis Fidei, vice versâ, consuluisse dinoscitur, & sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon, vel quibus in Orientalibus partibus communicare debeat, humillimis apicibus ut apices accipiat, deprecatur.... Unde datur intelligi, sanctos & eruditos viros per diversas mundi partes prædicationis & scientiæ lampade coruscantes, non*

Germani & Gallicani Episcopi Romani Pontificis Primatum Jure divino institutum, & fovendæ cum Romana Ecclesia & Apostolica Sede communionis necessitatem prædicabant.

solùm

solum à sancta Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis, ob fidei corroborationem, ab eâ adjutorium implorasse. Quod regulariter, ut præfati sumus, & exemplis docuimus, omnes Catholicæ debent observare Ecclesiæ, ut ab eâ, post Christum, ad muniendam fidem adjutorium petant, quæ non habet maculam nec rugam, & portentuosa hæresum capita calcat, & Fidelium mentes in fide corroborat. A cujus sancta & veneranda communione multis recedentibus: nostræ tamen partis nunquam recessit Ecclesia, sed eâ Apostolicâ eruditione instruente, & eô, à quo est omne donum optimum, & omne datum perfectum, tribuente, semper suscepit reverenda charismata. Hunc locum etsi paulò prolixiorem, describere integrum operæ pretium duxi, ut quô fuerit animo Gallicana Ecclesia ergà Sedem Apostolicam & Romanum Pontificem, iis ipsis temporibus, quibus Synodum Septimam impugnabat, compertum sit.

Refellitur Anonymus in Dissertatione: De Conciliorum quorumvis Definitionibus ad examen revocandis, Batavis typis edita anno 1679.

Ex his quæ superiùs diximus, constat quam leviter & temerè Anonymus quidam ex Protestantium grege Dissertator (*Dalix* Carentonicus Minister is esse dicitur) Conciliorum universalium à Romano Pontifice confirmatorum Definitiones ad examen revocari posse colligat ex libris Carolinis, & ex Synodis Francofordiensi, & Parisiensi, ex *Jona Aurelianensi*, *Dungalo*, *Agobardo*, *Hincmaro*, &c. qui Synodum Septimam rejecere. Cùm enim illam pro Oecumenica non haberent, nec eam ritu solenni confirmasset *Hadrianus* Papa, nec ejus Successores ad eam recipiendam Gallos, Germanos, Britannos, Italósque Præsules urgerent, œconomia quadam, inde argumentum duci non potest, quô probetur, licere Synodorum Oecumenicarum Definitiones ad examen revocare. Certè Pontifices *Hadriani* Successores Synodum Nicænam Secundam inter Oecumenicas non statim computasse, fatetur Anonymus ille Calvinista, laudatque *Nicolaum I.* & Romanam cum ipso Synodum anno 863. habitam, sex tantùm Synodos Universales numerantem: *Auctoritate*, inquit, *Principum Apostolorum Petri & Pauli, atque venerandorum sex Universalium Conciliorum, omni charitatis officio exutus sit.* Epistolam quoque ejusdem Pontificis ad *Adonem Viennensem* laudare potuisset; cùm enim initio sui Episcopatus Fidei suæ Professionem ad *Nicolaum Primum* direxisset, professus se probare quatuor Synodos Generales, nullâ cæterarum mentione factâ; ita rescribit Nicolaus: *In petitione Pallii vobis annuimus. Verùm tamen istiusmodi occasione nactâ, non fuerat postulatio vestra implenda nisi recensitâ intentione directa Scriptura cognovissemus, vos per omnia tenere velle quod Sancta dogmatizat Ecclesia. Ideóque volumus, pariterque Sanctitatem vestram rogamus, ut sub omni celeritate dirigatis, qualiter vos de ipsa Quinta & Sexta Synodo sentiatis.* Qua in Epistola nullam mentionem facit Septimæ Synodi *Nicolaus I.* sive quod eam à Gallis universalem non censeri haud ignoraret; seu quod nullatenus ipsi suspecta foret Gallicanæ Ecclesiæ in Imagines Religio, tametsi longè moderatior esset, quam Græcorum. Laudat & *Hadrianum II.* Epistola 34. quæ est ad *Carolum Calvum*: in qua sex tantùm Synodos Universales recenset. *Sed de his*, inquit, *nihil audemus judicare, quod possit Niceno Concilio, & quinque cæterorum Conciliorum Regulis, vel Decretis nostrorum Antecessorum obviare. At de his, quod præfati Canones & Decreta decernunt, ipsique cum ipsis unà vobiscum congregati, cum nostro spiritu similiter decernimus; & quod statuunt, statuimus; & quod judicant, judicamus.*

Nicolaus I. Epist. 7.

Ex Germanorum & Gallicanorum Episcoporum gestis contra Nicænam Synodum se...

Denique quamvis Galli, Germanique Præsules jure egissent, cùm Nicænam Synodum II. improbavere, ac rejecêre (quod tamen non concedimus) non sequeretur jure Lutheranos & Calvinistas Tridentinam Synodum ad examen revocare, ac rejicere, ut contendit Anonymus Dissertator. Synodum namque Nicænam II. Romani Pontificis auctoritate celebratam, ejúsque Definitionem Legatis ejus suffragantibus editam dubitabant Galli & Germani Præsules: unde necesse habuit *Hadrianus I. Carolum Magnum* eâ de re facere certiorem in Epistola Apologetica. At Tridentinam Synodum Romani Pontificis auctoritate celebratam, atque confirmatam, quæ summa est in controversiis fidei dirimendis, & omninò consulenda & sequenda, (ut Galli nostri & Germani Carolinis temporibus sanctissime contestabantur) nemini est dubium. Ad Nicænam Synodum II. vocati non fuerant Occidentalis Ecclesiæ Præsules, nec per literas encyclicas de rebus in eâ tractandis consulti: ad Tridentinam vocati fuere omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopi; datus est etiam Protestantibus Salvus-conductus amplissimus, & oblata audientia. Galli, Germanique Præsules errore facti decepti, Nicænam Synodum II. impugnabant, & ab eâ non dissentiebant de summâ fidei, sed de disciplinâ duntaxat, scilicet de modo venerationis Imaginum: Lutherani verò & Calvinistæ, errore juris multiplici Tridentinam Synodum rejiciunt, ab eâ & ab universâ Ecclesia Catholica, quæ ipsam summo consensu recepit, in plurimis præcipuísque fidei capitibus pertinaciter dissentiunt. Gallicani, & Germani Præsules non recesserunt à Communione Ecclesiæ Romanæ, aut Ecclesiæ Orientalis, fervente illâ de Imaginum cultu controversia: Lutherani & Calvinistæ Schisma fecere; Romanam Sedem, quam Patres nostri, Carolinis & superioribus temporibus ut *Primatum supra cæteras Ecclesias*, etiam *Apostolicas auctoritate Domini obtinentem* venerabantur, quam *non habere maculam, neque rugam* agnoscebant, quam *hæresum* omnium *capita calcare*, & *Fidelium mentes in fide corroborare* fatebantur, Lutherani & Calvinistæ *ut impuram Babylonem*, & *meretricem Apocalypticam*, ore, calamísque virolentis infamarunt, execrati sunt. Romanum Pontificem, quem pro causis fidei à Christianis omnibus ex officio consulendum, secundùm antiquam Traditionem in Scripturâ Sacrâ fundatam, Gallicani & Germani Præsules profitebantur; Lutherani, & Calvinistæ *Monstrum iniquitatis*, & *Antichristum* impudenter appellavere, obedientiæ ipsi ut omnium Christianorum *Patri* & *Doctori* debitæ jugum excussere perduelles. Gallorum ergo, Germanorúmque Præsulum gesta contra Nicænam Synodum II. non juvant causam Calvinistarum; pessiméque ex his colligit Anonymus Dissertator, fas esse Conciliorum quorumvis Definitiones ad examen revocare. *Qualecunque*, inquit, *fuerit tum Concilium Tridentinum, tum jus Pontificis Romani in Synodorum convocatione: nostrorum in tuto causa est. Hinc enim certissimè constat, olim licuisse cujuslibet Synodi, etiam à Romano Pontifice confirmatæ, Definitiones ad Sacræ Scripturæ, & Traditionis veteris Ecclesiæ normam expendere. Illinc verò non minus manifestum est, quod si à præscriptâ regulâ abirent ejusmodi Definitiones, non modò illis non acquiescere liceat, verùm etiam fuerint cum odio abjicienda: quod cùm olim licuerit, cur hodie in pari casu minimè liceat, nullus video.*

...cundum, male colligunt Calvinistæ & Lutherani Tridentinam synodum ad examen posse revocari.

Respondent tertio nonnulli viri eruditi, ut *P. le Cointe* in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, Tomo VI. triplicem eâ ætate à Græcis habitam Synodum in causa imaginum: Primam Constantinopoli ab Iconomachis, quâ omnis veneratio imaginibus abrogata est. Alteram, sive Constantinopoli, sive Nicææ, ab Episcopis superstitiosioribus, qui in aliud extremum declinantes, Christi & Sanctorum imaginibus eamdem adorationem tribuendam sanxerunt, quæ vivificæ defertur Trinitati. Tertiam Nicææ celebratam, præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis; quæ est Septima Oecumenica, quâ honoraria Imaginum

Triplex Græcorum Synodus in causa imaginum fingitur.

ginum adoratio decreta est, divini verò honores iisdem negari. Primam & secundam ab Auctore librorum Carolinorum, & à Synodo Francofordiensi fuisse damnatas, non postremam. Fuisse autem in Oriente Christianos his temporibus, qui per oppositum Iconomachis errorem Christi & Sanctorum imagines divinis honoribus afficerent, colligitur ex *Sancto Joanne Damasceno*, lib. de *Hæresibus*, versùs finem. *Christianocategori*, inquit, *& sunt & dicuntur, quòd cùm Christiani unum Deum vivum & verum venerentur, ipsi venerandas Imagines Domini nostri Jesu Christi, Dominæque nostræ Sanctæ Mariæ, quæ Deum peperit, SS. Angelorum, atque ejus Sanctorum, ita coluerunt ut Deos more Græcorum. Iconoclastæ autem, &c.* Verùm hanc responsionem satis firmam non censeo, cùm nulla istius secundi Concilii, quod honores divinos imaginibus tribuisse fingitur, extent monumenta; & ex libris Carolinis perspicuum fit, illos non contra commentitiam illam Synodum; sed contra Nicænam II. sive VII. Oecumenicam scriptos esse: adeóque & Canonem II. Synodi Francofordiensis illam spectare. Standum itaque præcedenti reponsioni, quam solam veram esse puto.

§. IX.

Proponitur objectio DALLÆI, *ex Synodo Parisiensi sub* LUDOVICO PIO *petita.*

LUdovicus Pius Augustus, cùm ab Imperatoribus Orientis *Michaële Balbo* & *Theophilo*, de perturbato Orientalis Ecclesiæ statu; ac de superstitione quæ in cultum sacrarum Imaginum irrepserat, per Legatos & literas certior factus esset, *Freculphum* Episcopum, & *Adegarium* Romam misit cum Orientalibus Legatis, qui Summi Pontificis *Eugenii II.* auxilium implorarent, eúmque consulerent quid facto esset opus. A Pontifice obtinuerunt *Ludovici Pii* Oratores, ut ipsi liceret unà cum suis Episcopis Orientalis Ecclesiæ negotium expendere, ac de remediis opportunis conferre ac deliberare. Secundùm hanc Romani Pontificis licentiam, *Ludovicus Pius* doctissimos Regni sui Episcopos Lutetiam Parisiorum convocavit. Ii verò cùm ad Kalendas Novembris anno Christi octingentesimo vigesimo quarto convenissent, re deliberatâ, Epistolam ad *Ludovicum*, & *Lotharium* Imperatores scripsere, quâ docent se, quò rem totam meliùs ac certiùs cognoscerent, primùm legisse *Hadriani* Papæ literas ad *Constantinum* & *Irenem* datas, ac eum quidem *justè reprehendere illos, qui Imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere, & penitus abolere præsumpserunt*: sed *indiscretè fecisse in eò quòd superstitiose eas adorare jussit. Pro quarum etiam causa Synodum congregari præcepit, & suâ auctoritate sub jurejurando censuit, ut erigerentur, & adorarentur, & sanctæ nuncuparentur; cùm eas erigere licitum, adorare verò nefas sit.* Observant insuper eum *inseruisse in eadem Epistola quadam testimonia Sanctorum Patrum valdè absona, & ad rem de qua agebatur, minime pertinentia.* Addunt, *ex hujus Epistolæ textu Imperatorem & Clerum, simúlque & populum, auctoritatem sumentes, Synodum fecisse, in quâ sicut illi multùm deviaverunt, qui Imagines Sanctorum in illâ alia Synodo, quæ sub Constantino avo memorati Constantini facta est, penitus abdicandas esse decreverunt; sic isti non mediocriter erraverunt, qui eas non solùm coli & adorari, & sanctas nuncupari sanxerunt; verùmetiam sanctimoniam ab iis se adipisci professi sunt. Et ut id verum esse, quod nitebantur adstruere, demonstrarent, quædam SS. Scripturarum testimonia, & SS. Patrum dicta, ad suum superstitiosum errorem confirmandum violenter sumpserunt, & eidem suo Operi incompetenter aptaverunt.* Tum exponunt quâ ratione *Carolus Magnus cùm eamdem Synodum coram se suisque perlegi fecisset, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendisset, & quædam Capitula quæ reprehensioni patebant, prænotasset, eáque per Angilbertum Abbatem eidem Hadriano Papæ direxisset, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur, ipse rursus favendo illis, qui ejus instinctu tam superstitiosa támque incongrua testimonia memorato Operi inseruerant, per singula Capitula in illorum excusationem respondere ita voluit, non tamen quæ decuit, conatus est.* Ipsum tamen excusant, *Quòd in fine ejusdem Apologiæ, sic se sentire, & tenere, & prædicare ac præcipere de his quæ agebantur, professus est, sicut à Beato Papa Gregorio institutum esse constabat. Quibus verbis liquido colligitur, quòd non tantùm scienter, quantùm ignoranter, in eodem facto à recto tramite deviaverit. Nisi enim in conclusione objectionum suarum retinaculis veritatis, Beati scilicet Gregorii institutis adstrictus iter devium præcavisset, in superstitionis præcipitium labi omnino potuisset.* Deinde commemorant *Freculphum* Episcopum sibi vivâ voce exposuisse, *Qualiter ipse & Adegarius socius illius, de hac re cum Papa & Ministris illius egissent*, seque *relatu illius cuncta cognovisse, qualiter partim veritatis ignorantiâ, partim pessima consuetudinis usu, hujus superstitionis pestis illis in partibus* (id est Romæ, & in reliquâ Italia) *inolevisset.* Justum Imperatoris dolorem ex eo ortum laudant, *Quòd illos à recto tramite quoquo modo conspiceret deviare, qui summâ auctoritate præditi, deviantes quosque debuerant corrigere.* Ejusdem Principis zelum extollunt, *Qui cùm duos in periculo constitutos conspiceret, & à via regiâ declinantes, unum scilicet ad sinistram, in abruptum confringendarum Imaginum prolapsum; alterum verò ad dexteram, in superstitiosam videlicet earumdem Imaginum adorationem proclivem, voluerit se affectu pietatis medium opponere, & utrinsque partis morbo salutiferam conferre medicinam.* In primis verò ejus prudentiam atque solertiam deprædicant, quòd cùm superstitioni suffragari videret eam partem, quæ debuerat errata corrigere, licentiam ab eadem impetrasset tantæ rei cum suis quærendi familiariter veritatem; *Ut quoniam*, inquit, *inerat vobis voluntas consulendi, & deerat auctoritas quærendi, ejus auctoritate quæreretis veritatem, cujus auctoritas deviare videbatur ab ipsâ veritate, quatenus sancto vestro desiderio ac vigilanti studio veritas patefacta, dum se in medium ostenderet, etiam ipsa auctoritas volens nolénsque veritati cederet atque succumberet.* Tum consilium suum aperiunt, quâ ratione Imperator tam arduum negotium tractare debeat: nimirum sic illi temperandam esse hanc operam, *Ut quicquid reprehensione in utrisque partibus dignum cognoscitur, ad Græcorum personam potiùs referatur, qui liberè admoneri poterant, & quorum scandalum, si pro veritate ortum fuerit, faciliùs tolerari posset.* Romanum verò Pontificem *Demulcendum esse, laudandum, & præferendum, ejúsque auctoritatem magnis laudum præconiis efferendam, Romanæque Ecclesiæ condignam laudem deferendam*; si tamen ut *Veritas ex testimoniis sanctarum Scripturarum, & sententiis SS. Patrum in medium proferatur: & veraciter sobriéque exponatur.* Denique testimonia ex auctoritate divinâ, & sententias Sanctorum Patrum, prout temporis angustia permisit, se collegisse, & quicquid de negotio de quo agebatur, necessarium, aptúmque judicarunt, & in unum congerere studuerunt, Imperiali Majestati per venerabiles viros *Halitgarium* & *Amalarium* dirigere significant. Et licèt ob temporis angustiam colligere omnia non potuerint, *Tamen in his, quæ collecta sunt, summam hujus negotii de quo agitur, discretè comprehensam esse juxta auctoritatem divinam & Sanctorum Patrum sententias; ita videlicet ut unusquisque fidelis ea perlegens animadvertere queat, quòd*

Imagines Sanctorum stulta præsumptione non sunt confringendæ & ad injuriam Sanctorum abolendæ, & penitus despiciendæ: nec assertione superstitiosa colendæ aut adorandæ, sed potius hujuscemodi superstitione remota: juxta veram Religionem, memoriæ & amoris causâ, ob recordationem eorum, quorum Imagines habendæ: sicut à beatissimo Gregorio satis Catholicè perspicueque dictum declaratur.

Post hæc, variorum locorum ex ●ertsis Patrum libris Collectionem satis prolixam *Ludovico Pio* exhibent in certa capita distributam, quorum primum est *Contra eos qui imagines non solùm ab ædibus, sed etiam à sacris vasis indiscretè abolere præsumunt.* Secundum sic inscribitur: *Qualis discretio sit tenenda erga Sanctorum Imagines habendas, & historiarum picturas, sanctissimi & egregii atque admirabilis, totiúsque Ecclesiæ Catholicæ doctissimi viri B. Gregorii Papæ dicta declarant.* Tertium, *Contra eos, qui indebitâ cultu eas colunt & adorant, & sanctas nuncupant, & sanctimoniam se per eas assequi fatentur, sicut in illâ Græcorum Synodo insertum est.* Quartum, *Quid Doctores de indebito superstitionis cultu sentiant?* Quintum, *Quâ ratione, quave auctoritate Imagines Sanctorum adorandæ sint, eisque, ut fertur, incensum ponendum, cùm ipsi Angeli, vel sancti homines vivos se adorari noluerint.* Sextum, *Contra eos, qui antiquorum numerô superstitionem Imaginum vindicare volunt, consuetudinem sequi cupiunt potiùs, quàm veritatis auctoritatem.* Septimum, *Ne ex superstitione, aut ex qualibet aliâ occasione scandala infirmioribus fratribus provenire possent, hoc summopere Sancti Viri previdâ consideratione vitare studuerunt, & dictis, factisque suis nobis vitandum usquequaque evidenter ostendunt.* Octavum *Propter eos, qui sibi ob hoc suffragari ad adorationem Imaginum putant, quòd dicunt, adorasse Jacob Joseph filium suum, vel certè adorasse fastigium virgæ ejus necessarium duximus, qualiter id à Beato Hieronymo & Beato Augustino exponatur, subnectendum.* Nonum, *Contra illos qui hoc se adjuvari putant, quod dicitur in libris Regum, quia adoravit Nathan Propheta David.* Decimum, *Contra illos, qui Imagines se adorare profitentur, quia sacra ab illis nuncupantur, & sacris vasis eas æquiparant.* Undecimum, *Contra eos qui pro Imaginum adoratione duo Cherubim assumunt in testimonium.* Duodecimum, *De cultu debito, quem Græci latriam dicunt, vel religione cuiuque, quæ unô vocabulo Græci thresciam vocant, vel, quod non sit manufactum colendum, nec adorandum.* Decimum tertium, *contra eos, qui eadem auctoritate, in illa Synodo Græcorum, se Imagines adorare professi sunt, sicut & vivificam Crucem.* Decimum-quartum, *Contra eos, qui signum sanctæ Crucis in testimonium assumunt, ut eis ita licitum sit adorare Imagines, sicuti lignum sanctæ Crucis.* Decimum-quintum plura SS. Patrum testimonia absque ordine congerit contra indiscretos Imaginum Cultores. Decimum-sextum exponit *Unde primùm exorta sit in Ecclesia Orientali Imaginum destructio.* His Epistolæ, quam à *Ludovico Pio* ad Romanum Pontificem scribebant censebant, exemplar subjiciunt: tum exemplar alterius, quam à Pontifice ad *Michaelem* & *Theophilum* Orientis Imperatores scribi cupiebant, in quâ eam restituendæ Orientali Ecclesiæ pacis proponunt viam, *Ut qui volunt, pro pia memoriâ vel sanâ doctrinâ, in locis competentibus, absque ullo illicito cultu, pictas vel fictas habeant Imagines. Qui autem nolunt, absque ullo illicito contemptu taliter habentes, vel habitas Imagines nullatenus spernant.*

Ludovicus Pius, acceptis bis Episcoporum literis, ad *Eugenium Secundum*, qui tunc in Cathedra *Sancti Petri* sedebat, literas dedit, quas per *Jeremium* Senonensem, & *Jonam* Aurelianensem, cum illa Collectione testimoniorum perferri jussit: Hos verò Græcorum Oratoribus ad Sedem Apostolicam pergentibus adjunxit, ipsísque dedit in mandatis, ut graviores, luculentioréśque illius Collectionis sententias Romano Pontifici legerent. Sed & ipsos monuit, ne cum Domino Apostolico immodestè agerent, immò hortatus est ut verbis blandioribus illum demererentur, & ad sobriam de Imaginibus opinione revocare tentarent. *Idcirco* (inquit in Epistola ad *Jeremiam* & *Jonam* datâ) *præcipimus solertiæ vestræ, ut priusquam de his aliquid Domino Apostolico indiceris, diligenti curâ eadem vos recensere curetis, & ea quæ melius & aptiùs præsenti negotio convenire inveneritis, excerpere, atque describere, illique ad legendum offerre studeatis. Quia enim, ut nostis, nos ab eo petere voluimus licentiam, quatenus has Collectiones à Sacerdotibus nostris fieri permitteret: & ideo non poterit prætermitti quin ostendatur, quod ex ipsius permissione collectum est. Illud tamen summopere prævidete, ut ea illi de his ostendatis, quæ rationi de Imaginibus habendæ per omnia conveniunt, & quod ipse, vel sui, minime rejicere valeant. Sed & vos ipsi tam patienter ac modestè cum eo de hac causâ disputationem habeatis, ut summopere caveatis, ne nimis ei resistendo, eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis; sed paulatim verbis ejus quasi obsequendo, magis quàm apertè resistendo, ad mensuram, quæ in habendis Imaginibus tenenda est, eum deducere valeatis.*

Patienter ac modestè cum Romano Pontifice conferendum.

Ex his colligit *Dalleus*, nostri Occidentis Principes & Præsules, Nicænæ Synodi de Imaginibus Decretum verè repudiasse, ipsáque Imagines, neque latriâ, neque adoratione ullâ relativâ colendas putasse, easque non aliter habendas, aut retinendas censuisse, quàm ad rerum memoriam, rudiorúmque instructionem. Colligit secundò, non ignorasse nostros, quæ Hadriani, quæ cæterorum Romanorum Pontificum partes in hoc negotio fuissent, iisque non aliô consiliô perperεisse, & eorum in hanc causam studium dissimulasse, nisi ut callidâ hâc solertique œconomiâ, faciliùs eos ab errore ad veritatem, à superstitione ad Religionem traducerent.

§. X.

Respondetur ad Objectionem ex Syndoo Parisiensi petitam.

RESpondeo I. Conventum Parisiensem Episcoporum à *Ludovico Pio* in causa Imaginum convocatum, nequaquàm Synodi auctoritatem habere, quam nec ipsi qui eam ob rem convenere Gallicani Præsules sibi arrogant, ut constat ex contextu Epistolæ à Rege mittendæ ad Pontificem, cujus exemplar habetur in Actis memorati Conventûs: *Nos tamen*, inquit, *non Synodum congregavimus, sed quemadmodum à vobis postulavimus, licentiámque agendi percepimus, unà cum familiaribus nostris filiis vestris, quantùm pro multiplicibus solicitudinibus Regni diversis occupati per intervalla potuimus considerare, studuimus quid Almitati vestræ de tanta necessitate significare potuissemus, qualiter idem populus à Deo per vestram conservandam orthodoxam Sanctitatem ad veram concordiam revocari potuisset.*

Respondeo II. Gallicanos Præsules Parisiis congregatos sententiam suam de Imaginum veneratione collectionemque à se adornatam, Romani Pontificis judicio subjecisse, ut ex Epistola Ludovici & Lotharii Imperatorum ad *Eugenium* constat, quam ex Præsulum consilio scripserunt. *Quia*, inquiunt, *veraciter nos debitores esse cognovimus, ut his quibus regimen Ecclesiarum, & ovium Dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus opem atque auxilium pro qualitate virium nostrarum feramus: idcirco prætermittere nequivimus, quin tunc, quando Legati Græcorum nobis manifestaverunt, qualiter ad vos deberent perferre Legationem, summâ curâ*

ut sollicitudine tractaremus, quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuissemus. Et ob hoc à vestra Sanctitate petivimus, ut Sacerdotibus nostris liceret de Libris Sanctorum Patrum sententias quærere atque colligere, quæ ad eamdem rem, pro qua iidem Legati vos consulturi erant, veraciter definiendam convenire potuissent. Quas cùm illi, juxta concessam etiam à vobis licentiam solerter inquirerent, & divinâ opitulante gratiâ, quidquid invenire tam brevi temporis spatio potuerunt, collegissent, nobis ea perlegenda direxerunt. Quibus perlectis, ea vestræ Sanctitati legenda atque examinanda per hos Legatos nostros Jeremiam scilicet & Jonam venerabiles Episcopos, mittere curavimus. Cum quibus, si vestra Paternitas dignum duxerit, de eadem Legatione, quæ à vobis in Græciam mittenda est, non inutilem, sed potiùs proficuam collationem habere poteslis; qui & in sacris sunt Literis admodum eruditi, & in rationibus disputatoriis non minimùm exercitati. Quos non ob hoc ad vestræ Almitatis præsentiam cum memoratis sententiarum collectionibus misimus, ut hic aliquâ velut magisterii officiô fungerentur, aut hic docendi gratiâ directi putarentur: quia sicut jam commemorati sumus, nos debitores existere ut huic sacratissimæ Sedi in quibuscumque negotiis auxilium ferre debeamus. Cùm itaque Romana Ecclesia Gallicanorum tunc temporis Præsulum sententiam non probaverit, nullius esse debet hac in causa ponderis.

Respondeo III. Conventus Parisiensis sub *Ludovico Pio* Præsules discretam, ut loquuntur, seu prudentem & verè religiosam Imaginum venerationem non impugnasse, sed superstitiosam; & earum adorationem, quam errore veteri, eumdem ipsis decretam fuisse à Græcis arbitrabantur ac Sanctissimæ Trinitati, ob *Constantini* Episcopi professionem à Patribus non emendatam. Et quia oscula, thymiamata, luminaria, quibus Græci honorabant Imagines, superstitionis occasionem esse censebant, ideò hunc eas venerandi modum, recenti, sed periculosâ (ut ipsis quidem videbatur) disciplinâ invectum, aboleri cupiebant; *Sancti Gregorii Magni* ad *Serenum* Massiliensem scribentis sententiam sapientiæ moderationisque plenam Græcis proponi. Hanc nempe viam esse ad pacem eorum Ecclesiis reddendam convenientissimam; hinc eorum errorem & temeritatem coërcendo, qui Imagines Sanctorum confringebant: illinc eorum superstitionem emendando, qui eas indebitò cultu prosequebantur. Ista constant ex Epistola Gallicanorum Præsulum Parisios congregatorum ad *Ludovicum Pium* & *Lotharium* Imperatores, quâ suam Collectionem in id totam collineare aiunt, ut unusquisque Fidelis eam perlegens animadvertat, *Quod Imagines Sanctorum stultâ præsumptione non sint confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ, & penitus despiciendæ, nec assertione superstitiosâ colendæ aut adorandæ; sed potiùs hujuscemodi superstitione remotâ, juxta veram Religionem, memoriæ & amoris causâ, ob recordationem eorum quorum Imagines habendæ, sicut à Beatissimo Gregorio satis catholicè perspicuèque dictum declaratur.* Et infra: *Apertè*, inquiunt, *sermo vestræ correctionis contra illos usquequaque dirigi potest, in quibus vobis illa Epistola, quam relegimus, directa esse cognoscitur, quoniam ejus textus utramque partem reprehensione dignam demonstravit, & illam scilicet quæ indebitò ac superstitiosò cultu Imagines venerabatur, & illam, quæ ab inferioribus locis easdem Imagines evertere ac delere præcepit.*

Idem colligitur ex capite 14. Collectionis, ubi argumentum diluunt ab adoratione Crucis ductum. *Deinde etiam illud specialiter, non contra licitè habentes, sed contra illicitum cultum imaginibus exhibentes opponendum est, quòd universalis Ecclesia eam sacris fontibus consecrando, quamque etiam baptizandis vel baptizatis eodem signò sanctæ Crucis consignando vel benedicendo uti decrevit &c. Dic, quæso, contra fas Ecclesiasticum adorator imaginum! Quid tale huic simile ab Ecclesia Catholica in toto orbe terrarum de Imaginibus sancitum est!* Solùm itaque illicitum cultum Imaginum perstringunt, non cultum omnem illarum illicitum ex se censent, sed solùm periculosum, ratione abusus. Neque contra Legem divinam; sed contra fas duntaxat Ecclesiasticum, modum venerationis, osculô, thymiamatibus, luminaribus, esse aïunt, quòd universalis Ecclesiæ lege atque usu non sit instituta hæc disciplina, sicut adoratiò Crucis. At venerationem religiosam Imaginum qualemcumque non impugnant.

Id confirmatur ex capite 15. *Hæc tibi hactenus*, inquiunt, *Imaginum si quis es indiscretus cultor, & hæc tibi insuper, & contra si qui es intemperans destructor, vide ne hæc audiens putes temeritati tuæ licentiam dari, ut ubicunque non propter illicitum cultum, sed propter discretam, & ob hoc propter licitum mentis affectum, pictas vel fictas similitudines videris, ut illas destruas, aut irridendo subsannare debeas.*

Idem colligitur ex Epistola nomine Romani Pontificis ad *Michaelem* & *Theophilum* Imperatores Græcorum scribenda, cujus exemplar ad *Ludovicum Pium* miserunt. *Quamobrem*, inquit, *monendi sunt omnes qui illas habere volunt, ne amando, vel quolibet modo orando vel complectendo, ultra quam oportet, cultum eis illicitum ullatenus impendant. Similiter nec illi qui eas habere noluerint, sicubi eas aspexerint, quâlibet ignominiosâ vel probrosâ detestatione spernere, contumeliare, vel lacerare præsumant. Ideo ergo totius hujus rationis talis est summa, ut qui volunt pro pia memoria, vel sana doctrina, in locis competentibus, absque ullo illicito cultu, pictas, vel fictas habeant Imagines; qui autem nolunt, absque ullo illicito contemptu, taliter habentes, vel habitas Imagines nullatenus spernant.*

Græcorum superstitio in cultu Imaginum.

Ideo ergo Præsules Gallicani in Imaginum venerandarum modum, qui osculis, thymiamatibus, luminaribus, apud Græcos constabat, & à Synodo II. Nicæna erat approbatus, ita insurrexere, ne eadem superstitionis mala, quæ in Oriente grassari acceperant; in Gallicanam Ecclesiam irreperent. Lugenda nempe erat Cleri populique Constantinopolitani cæcitas in Imaginum superstitiosa veneratione, si ita res se habebat, ut *Michael* & *Theophilus* Imperatores scripserunt ad Ludovicum Pium. *Multi*, inquiunt, *de Ecclesiasticis & Laicis viris, alieni de Apostolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos custodientes, facti sunt inventores malarum rerum. Primùm quidem honorificas & vivificas Cruces de sacris Templis expellebant, & in eadem loca Imagines statuebant, ponebantque lucernas coram eis, simul & incensum adolebant; atque eas in tali honore habebant sicut honorificum & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. Psallebant, & adorabant, atque ab eisdem Imaginibus auxilium petebant. Plerique autem linteaminibus easdem Imagines circumdabant, & filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices faciebant. Alii religiosam habitum Monasticum sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui priùs comam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis Imaginibus, quasi ex sinum earum decidere capillos illorum sinebant. Quidam verò Sacerdotum & Clericorum, colores de Imaginibus radentes immiscuerunt Oblationibus & vino, & ex hac Oblatione, post Missarum celebrationem, dabant communicare volentibus. Alii autem Corpus Domini in manus Imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli verò spretâ Ecclesiâ, in communibus domibus tabulis Imaginum pro altariis utebantur, & super*

eas sacrum Ministerium celebrabant; & alia multa his similia, illicita & nostræ Religioni contraria in Ecclesiis fiebant, quæ à doctioribus & sapientioribus viris satis indigna esse videbantur. Propterea statuerunt Orthodoxi Imperatores, & doctissimi Sacerdotes, locale adunare Concilium ad inquisitionem super his habendam, qui in idipsum convenerunt, Sancto Spiritu inspirante: talia ubique communi consiliò fieri prohibuerunt, & Imagines de humilioribus locis efferri fecerunt; & eas quæ in sublimioribus locis positæ erant, ut ipsa pictura pro Scripturâ haberetur, in suis locis consistere permiserunt; ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur, sed neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuerunt: quemadmodum & nos nunc sentimus, & tenemus, abjicientes de Ecclesia Christi eos qui hujusmodi malignis adinventionibus student.

a Bellarminus Tract. de cultu Imaginum.
b Lupus, in Schol. ad Synodum VII.

Nec assentior Bellarmino, a & Christiano Lupo, b qui Michaëlem & Theophilum Imperatores in Epistola ad Ludovicum Pium, Orthodoxum Regiæ Civitatis populum de variâ circa sacras Imagines superstitione falsò calumniari asserunt. His enim ut non assentiar facit Græcorum ad superstitionem propensa indoles, de quâ Pantaleo ex Ordine FF. Prædicatorum, in Tractatu contra Græcorum errores anno 1252. Constantinopoli in Ædibus FF. Prædicatorum scriptô, hæc habet: Nam quod in magno Constantini Palatio diligentissimè observatur, hoc Latinos facientes coarguunt. In Ecclesia utique dicti Palatii, ubi sanctæ consistunt Reliquiæ, sanctæ Dei Genitricis Imago post altare sita, quam quodam excellentiæ privilegio vocant DOMINAM DOMUS, statim à Capite Jejunii in conclavi clauditur usque ad Magnum Sabbathum; panno illinc porta operiuntur: similiter autem Sancti mausellis, sanctique Romandis locos Quadragesimæ tempore: usque ad illud Sabbathum, velaminibus tectos custodiunt. Sancta Dei Genitricis Imaginem, ut filios parturiat, compellunt, eâque mediante, ipsam Domini matrem, ut commater fiat, asserunt, hoc modo: Imagini sindonem connectunt, ut baptizatum puerum de manu Sacerdotis ipsa ut commater accipiat. Quam superstitionem à se fieri, sermone profitentur. Sed quòd Imago loquatur, aut fidem spondeat pro puero, aut testimonium reddat Baptismi, nisi Deum contemnat, quis audeat asserere? Nullam superstitionis speciem volentes omittere; & veros fratres habentes odio, Sanctos per suas Imagines invitos sibi fratres faciunt.... Ære conducunt Sacerdotem, cùm in Ecclesia cantatur Missa: funduntur pro execrabili fraternitate preces non exaudienda. Au malis enim est hujusmodi fraternitas, non spiritualis. Cerei ad minus accenduntur duo, & perungitur oleô filius frater, & sanctam amplectitur Imaginem, quam ausus est dicere fratrem, &c.

c Farlat Tom. 27. Biblioth. PP. Lugdun.

§. XI.

Respondetur ad quorumdam Heterodoxorum Objectionem ex HINCMARO petitam.

OBjiciunt è recentioribus Iconomachis nonnulli testimonium Hincmari Opusculo LV. Capitum Cap. 20 ubi de Synodo Francofordiensi verba faciens, dixerit: Auctoritate hujus Synodi nonnihil repressa est Imaginum veneratio. Sed tamen Hadrianus, & alii Pontifices in suâ opinione perseverarunt, & mortuô Carolo, suarum pupparum cultum vehementiùs promoverunt. Ex quo colligunt, Hincmarum quamcunque venerationem Imaginum sugillasse.

Respondeo, Dallæum melioris fidei fuisse cùm hæc verba expendit, quàm plerósque alios è Calviniana Secta Scriptores: siquidem fassus est hæc verba non esse Hincmari. Verba ejus subjicio, quibus refellantur, si qui fortè Hincmarum objicerent. Hæc, inquit, quanquam Hincmari nomine ab ipso Baronio allata & sugillata, velut inconsultè ac temerè dicta, ego tamen Hincmari verè esse non arbitror. Nam cùm Manuscriptum illius, ex quo efferuntur, Operis Codicem vetustissimum diligenter inspicerem, plane ea illic desiderari animadverti, neque quicquam aliud reperiri præter ea, quæ sunt a Clarissimo Viro Cordesio optima fide in Hincmari editione repræsentata. Et sanè, si verum amamus, fatendum est ista minimè cohærere cum illius loci, cui sunt perperam assuta, vel consilio, vel partibus. Itaque re accuratiùs perpensâ, eò tandem deveni, ut ambigendum non putem quin ista sint Magdeburgensium Centuriatorum verba, qui post descriptum, quem suprà memoravimus Hincmari locum, hæc ipsi insuper monent, de suo, non de Auctoris, quem laudant, penu; quo tum Baronius, tum ex nostris hominibus non pauci, continuâ ac nusquam interruptâ orationis serie decepti, perperam pro veris ac genuinis Hincmari verbis imprudentes habuere. Hæc Dallæus. Sanè Hincmarum religiosum cultum qualemcunque sacris Imaginibus concessisse, constat ex Flodoardo Historiæ Remensis lib. 3. cap. 29. ubi testatur ipsum flagitantibus Coepiscopis fratribus suis, librum scripsisse, QUALITER Imagines Salvatoris nostri, vel Sanctorum ipsius veneranda sint.

§. XII.

Diluitur objectio DALLÆI, petita ex AGOBARDI testimonio.

AGobardum Lugdunensem Archiepiscopum non solùm Nicænam Synodum, ut cæteros Gallicanos Præsules repudiasse, sed omnem imaginum venerationem acerrimè impugnasse, immò proximè accessisse ad Iconoclastas, contendit Dallæus ac probare nititur libro ipsius De Picturis & Imaginibus. Nam à Decalogo exorsus, recitatísque verbis quibus vetatur ne ullam similitudinem faciamus: Non de solis, inquit, similitudinibus alienorum Deorum intelligitur dictum, sed & de cœlestibus creaturis, aut quæ in honore Creatoris humanus sensus potuit excogitare. Mox ex Deuteronomio * descriptô insigni locô, quô Moyses Israëlitas admonet, nullam formam ab eis visam, cùm Deum in Oreb loquentem audiverunt, hæc subjicit: In quibus verbis summopere notandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei? quantò magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur? Quam sententiam variis rationibus, & Scripturæ ac Patrum, præsertímque Augustini testimoniis confirmat; multísque executus, quantùm visibilia noceant ad invisibilia capienda, & quantùm amor corporearum rerum, etiam bonarum, ad spiritalia contemplanda, tandem concludit, Hominem fidelem, ut proficiat, ab exterioribus introrsum trahendum esse, non ab interioribus exterius projiciendum, ut deficiat. Transire enim, inquit, debet de carne ad animam, de corpore ad spiritum, de visibilibus ad invisibilia, de mundo ad Deum. Et iste dicitur profectus, si ad meliora quis transeat, non ad deteriora. Melius verò esse animam, deterius corpus, eminentius spiritum, infimam carnem, notum ex Augustino esse ait. Multò autem, inquit, his deteriora esse, quæ humana & carnalis præsumptio fingit; etiam stulti consentiunt. In quo genere ista quoque inveniuntur, quas Sanctas appellant, Imagines; non solùm ex eò sacrilegi quòd divinum cultum operibus manuum suarum exhibent, sed & insipientes, sanctitatem eis, quæ sine animâ sunt, Imaginibus tribuendo; nec hoc solùm, sed sanctificationem quoque, quam per verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis, quæ nunquam locuta sunt, simulachris, dementer concedendo. Tum postquam ex Scripturis & Patribus probavit, religiosum cultum

* Deuteron. 4.

nulli

nulli præterquam Deo deberi, sic disputat: *Cùm omnibus*, inquit, *una sententia sit cultum Religionis soli Deo deberi, quid superest Fidelibus, nisi ut purgatis ab omni figmentorum profanâ servitute animis, totis viribus decertemus, quatenus veraciter illud quod scriptum est, dicere valeamus: Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam & diligit mortuæ imaginis effigiem sine animâ; malorum amatores sunt, qui spem in talibus habent, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.* Ac ut omnem Imaginum Patronis errores colorem atque excusationem eripiat: *Dicet*, inquit, *forsitan aliquis, non se putare Imagini, quam adorat, aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facile respondetur, Quia si Imago, quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores.* Quô locô ex Ecclesiastica Historia memorat, destructis apud Alexandriam delubris ac simulachris idolorum, *Crucis vexillum ubique pictum fuisse, non aliquam vultus humani similitudinem. Si enim*, inquit, *Sanctorum Imagines hi, qui dæmonum cultum reliquerant, venerari juberentur, puto quòd videretur eis non tam idola reliquisse, quam simulachra mutasse.* Quòd verò pertinet ad Imagines Apostolorum, & ipsius Domini, respondet, *Ob amorem potius recordationem, quam ob Religionis honorem, aut aliquam venerationem, more Gentilium, ab Antiquis expressas fuisse.* Tum ex gestis *Silvestri* Papæ refert, *Constantinum Imperatorem, necdum fonte vita renatum, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli vultus ostensis a prædicto Papa tabulis, in quibus utriusque Apostoli effigies antiquitus ad memoriam expressas servabantur, sicut visione nocturnâ sibi ostensi fuerant, cognovisse & illico adorasse. Sed*, inquit, *nunquid hâc auctoritate Constantini adorare Sancti alicujus Imaginem debemus? Cùm idem Imperator magis hoc ex consuetudine idololatriæ pristinâ fecerit, quàm ex consideratione verissimæ rationis, quam necdum ipse cognoverat.*

Mox paucis interjectis, Iconoclastarum sententiam probat. *Si Serpentem æneum*, inquit, *quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus tanquam Deum colere cœpit, Ezechias religiosus Rex cum magnâ pietatis laude contrivit; multo religiosius Sanctorum Imagines, (ipsis quoque Sanctis faventibus, qui ob sui honorem, cum divinæ Religionis contemptu, eas adorari more idolorum indignantissimè ferunt) omni genere conterenda, & usque ad pulverem sunt eradenda; præsertim cùm non illas fieri Deus jusserit, sed humanus sensus excogitaverit.* Tum ex *Augustino* demonstrat, ipsos Paganos agnovisse, *Quod Deus castius absque simulachris veneretur*: multaque alia contra Imaginum cultum observatis: *Nemo se fallat*, inquit, *nemo se seducat, nemo se circumveniat: Quicumque aliquam picturam, vel fusilem sive ductilem adorat statuam, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines sanctos, sed simulachra veneratur. Agit hoc nimirum versutus & callidus humani generis inimicus, ut sub prætextu honoris Sanctorum rursus Idola introducat, rursus per diversas effigies adoretur, ut avertat nos ab spiritalibus, ut carnalia verò demergat, ac per omnia si nos digni ab Apostolo audire, O insensati! quis vos fascinavit. & sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Tum paulò post: *Aspiciamus*, inquit, *picturam quasi picturam, vitâ, sensu, & ratione carentem. Pascatur hâc visione oculus, Deum vero veneretur animus.* Mox: *Habuerant nunque & Antiqui Sanctorum Imagines, vel pictas, vel sculptas, sed causâ historiæ, ad recordandum, non ad colendum.... Sed*

A *nullus antiquorum Catholicorum unquam eas colendas vel adorandas fore existimavit.* Tum laudatô Illiberitanæ Synodi Decretô, de sui sæculi hominibus conqueritur, qui Veterum terminos prætergressi, *super ejusmodi figmenta Missas celebrarent. Necdum enim*, inquit, *error emerserat, quo nunc de carbonibus, minioque, vel synopide figuratæ effigies, Sanctæ Imagines vocarentur, & adorandæ prædicarentur. Nec iterum ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat se non Imagines Sanctorum adorare, sed Sanctos. Clamat enim Deus: Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.*

B Respondeo, *Agobardum* solum cultum Imaginum reprehendere ac impugnare, qui, ex imperitorum abusu, in superstitionem degeneret, ac ejusdem cum eo sit ordinis, qui soli Deo debitus est. In eos namque invehitur, *Qui divinum cultum operibus manuum suarum exhibent*: qui, *sanctitatem Imaginibus tribuunt*, intrinsecam scilicet; immò & *sanctificationem*, sive sanctificandi vim; *qui spem in imaginibus habent*; qui statuas Sanctorum *adorant*, sicut Gentes adorabant *Idola*. Cultum autem hujusmodi non esse Imaginibus deferendum, etiam *pro honore Sanctorum*; cùm *Imago Deus non sit*; nec *Sancti divinos*

C *sibi arrogent honores*. Cùm autem ait, *cultum Religionis soli Deo deberi*, de cultu latriæ loquitur, qui Deo defertur ut objecto & fini Religionis, non de cultu quovis sacro, qui à Religione imperetur, dirigatur, & approbetur, ac propterea religiosus dicatur. Nam Sanctorum venerationem propugnat ut Religioni consentaneam. Hanc fuisse *Agobardi* mentem præterea probant loca *Sancti Augustini* ab eo prolata in suæ confirmationem sententiæ, scilicet ex lib. X. *de Civitate Dei* cap. 1. *Videndum ac differendum est, quam illos Deus donat, immortales ac beati in cælestibus sedibus, Dominationibus, Principatibus,*

D *Potestatibus constituti, quos isti Deos, & ex quibus quosdam, vel bonos dæmones, vel nobiscum Angelos nominant, quomodo credendi sint velle à nobis religionem pietatemque servari; hoc est, ut apertius dicam, utrum etiam sibi, an tantum Deo suo, qui etiam noster est placeat ut Sacra faciamus, & sacrificemus; vel aliqua nostra, seu nos ipsos, Religionis ritibus consecremus. Hic est Divinitati, vel si expressius dicendum est, Deitati debitus cultus; propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit Latinum, Græco, ubi necesse est, insinuo quid velim dicere. Latriam quippe nostri, ubicumque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servi-*

E *tutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò, secundum consuetudinem quâ locuti sunt, qui nobis Divina Eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut penè semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum; proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorificâ vel recordatione, vel præsentiâ frequentamus, &c.* Item laudat illud ex cap. 4. ejusdem libri: *Huic nos servitutem, quæ latria Græcè dicitur, sive in quibusque Sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum simul omnes, & singuli*

F *templa sumus, &c.* Item illud ex lib. X. cap. 19. & 20. ubi docet nulli creaturæ sacrificandum: *Qui autem putant*, inquit, *hæc visibilia sacrificia Diis aliis congruere, Summo verò Deo tanquam invisibili invisibilia, & majora majori, meliorique meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profectò nesciunt hæc ita signa esse illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus; ita sacrificantes, non alteri visibile Sacrificium offerendum esse noverimus, quàm illi cujus in cordibus nostris invisibile Sacrificium nos esse debemus.... Putaverunt quidam*

deferendum Angelis honorem, vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo; & eorum sunt admonitione prohibiti, jussique sunt hoc deferre, cui uni fas esse noverunt. Imitati sunt Angelos Sanctos etiam Sancti homines Dei. Nam Paulus & Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo sanitatis, putati sunt Dii, eisque Lycaonii victimas immolare voluerunt: quod a se humili pietate removentes, eis, in quem crederent, annuntiaverunt Deum, &c. Laudat & illud S. *Gregorii Magni*, Homilia XXV. in Evangelia; *Redemptor noster, etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen supra homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur; quia cum Prophetas & Apostolos infra ipsum esse comprimus, illum qui natura Deus est, supra homines consideramus*, &c.

Laudat & *Aviti Viennensis* testimonium, in Dialogo cum *Gondobado* Rege, dicentis: *Illud tamen, quod ab equalitate cœlestis gloria Patrem & Filium, perinde & creaturam Angelicam secludentes, quamdam mihi invidiam illicite supernis Virtutibus delati honoris obtenditis; dicentes: Ergo & Angelis, atque Archangelis, & quæcumque in excelsis sunt, gloriam ferre debemus: licet minime pertineat ad causam, etiam ad præsens non omnino sic renuo quasi creaturæ sublimi atque præstanti gloriam ferre timeamus. Est quippe divina, Angelica, est etiam humana gloriæ modus, quem in multis Scripturarum locis invenimus, & Sanctorum meritis, & apicibus Regum, sine vitio assentationis adscribi. Quæ enim inter homines prima gloria, Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.*

Laudat & *Sanctum Hieronymum* in Epistola contra *Vigilantium*, ad *Riparium* data: *Nos autem*, inquit, *non dico Martyrum Reliquias, sed nec Solem quidem & Lunam, & Angelos & Archangelos, non Seraphim, non Cherubim, & omne nomen quod nominatur in præsenti sæculo & in futuro, colimus & veneramur, ne serviamus creaturæ potius quam Creatori. Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus: Honoramus servos, ut honores servorum redundent ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.*

Laudat rursus *Sanctum Augustinum* lib. 8. de *Civitate Dei*, Cap. 27. dicentem: *Nec tamen Martyribus templa, Sacerdotio, Sacra, & Sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei.... Quis autem audivit aliquando Fidelium, Sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo.... ut ea celebritate Deo vero de illorum victoriis gratias agamus*, &c.

Laudat adhuc testimonium Smyrnensis Ecclesiæ, in Epistola de Martyrio *Sancti Polycarpi*, narrantis, Judæos instigasse *Nicetam*, ut adiret Judicem, peteretque ab eo, ne humari concederet Martyris corpus; ne fortè Christum Crucifixum relinquentes Christiani hunc colere inciperent. Ait autem Smyrnensis Ecclesia, ipsos ignorasse, *Quia neque Christum possumus aliquando derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit, neque aliam quemquam colere: quippe qui verum Deum, & qui solus colendus sit, noverimus; Martyres verò tanquam discipulos Domini diligamus, & veneremur*, &c. Quorsum autem hæc omnia testimonia laudasset *Agobardus*, si probare aliud voluisset, quàm nullam creaturam, adeòque nec Imagines, cultu latriæ adorandas? In illum namque unum scopum omnia collineant, nec probant cultum latriâ inferiorem deferri aliis à Deo non posse: cùm *Agobardus* ipse venerationem Sanctorum, & honorem eorum Reliquiis delatum approbet. Non pugnat igitur *Agobardus* cum Definitione Septimæ Synodi, & cum doctrina Ecclesiæ de Imaginibus in Tridentino Concilio tradita: siquidem utraque Synodus negat adorandas Imagines adoratione propriè dictâ sive Latriâ, & eis Numen aliquod, aut intrinsecam sanctitatem, aut vim sanctificandi inesse: & in eis spem collocare prohibet. Id autem unum impugnat Agobardus. *Nunc autem*, inquit, *error invalescendo tam perspicuus factus est, ut idololatria, vel Anthropomorphitarum heresi propinquum aut simile sit, adorare figmenta, & spem in eis habere.... Si viderimus pinnatos Angelos pictos, prædicantes Apostolos, Martyres tormenta patientes, nullum ab Imaginibus quas aspicimus auxilium sperare debemus, quia nec malè possunt facere, nec bene.... Adoretur, colatur, veneretur à Fidelibus Deus; illi soli sacrificetur, vel Mysterio Corporis & Sanguinis, quo sumus redempti; vel in sacrificio cordis contriti & humiliati. Angeli vel homines sancti amentur, honorentur, charitate, non servitute. Non eis Corpus Christi offeratur, cùm sint hoc & ipsi. Non ponamus spem nostram in homine, sed in Deo.*

Quod autem ait *Agobardus*, Sanctorum Imagines multò religiosiùs conterendas, quàm serpens æneus ab *Ezechia* Rege contritus sit, non probat eum ad Iconoclastas accessisse: quia ex hypothesi duntaxat loquitur, quòd Sanctorum Imagines adorarentur *cum divina religionis contemptu more Idolorum.* Tunc enim œconomiâ quâdam aboleri ad tempus Imagines satiùs esset, nisi superstitio posset alia ratione cohiberi: idque non privatô unius Episcopi consiliô, sed re à pluribus discussâ, & consultô maximè Romanô Pontifice, ad quem majores causæ Fidem aut Disciplinam spectantes ex toto orbe Christiano referendæ sunt. Cæterùm ob quamcumque Christianæ plebis superstitionem Sanctorum Imagines conterendas non esse sensit Agobardus, *Sanctum Gregorium* laudans, quòd Massiliensem * Episcopum *Serenum* arguerit, quia *Imagines Apostolorum de suâ Basilica eraserat ob superstitionem vulgi eas contra regulam fidei adorantis, ac non potiùs rationabili auctoritate ejusmodi errorem correxit, picturâ illæsâ ad posterorum memoriam permanente.* Et Veterum morem approbat, qui *Sanctorum Imagines vel pictas, vel sculptas habuerunt, causâ historia, ad recordandum.* Solam itaque superstitionem damnat, quâ plebs imperita spem in imaginibus collocare videbatur; & quâ nonnulli etiam Sacerdotes Sacrificium Missæ celebrare dicebantur super imagines, *sine Basilica, sine altari, absque Sanctorum Reliquiis.*

* Petrasaliensem vocat, memoriæ lapsu.

§. XIII.

Diluitur objectio DALLÆI *ex* JONA AURELIANENSI *petita.*

JOnas *Aurelianensis* Episcopus * inquit *Dallæus*, absolutè ac simpliciter Imaginum adorationem condemnat, neque usquam vel distinguit, vel excipit cultum, qui possit iis legitimè deferri. *Imagines*, inquit, *se ea adoratione adorantes, qua Deo soli debetur, anathema efficiunt.* Tum aliquantò post, *Verum est*, inquam, *sanaque fidei congruentissimum, nullam prorsus similitudinem omnium, quæ in cælo, vel quæ in terrâ, vel quæ sub terram sunt, faciendam, cui cultus aut adoratio, quæ soli Deo debetur, quodam modo exhibeatur.* Mox: *Creaturam verò adorari, eique aliquid divinæ servitutis impendi, nefas ducimus.* Præterea Italicos (id est, eos qui cum Pontifice Romano Synodum Nicænam susceperant) errasse non diffitetur: tantùm pertendit non adeo gravem fuisse illorum errorem, ac putabat Claudius. *Sed credibile est*, inquit, *quòd licet & in cultu, & adoratione Imaginum, ignorantiâ fallente, aliquid temporis insumpserint, nullò tamen pactò ab unitate fidei Catholicæ defecisse, & ad idola conversi esse credendi sint.* Ad hæc

* Lib. de cultu Imaginum.

Imagines

Imagines, non aliter quàm *Gregorius* & *Carolus Magnus* ad solam præteritarum rerum memoriam retinendas censet. *Sinantur*, inquit, *à te Imagines Sanctorum, non ut adorentur, sed potiùs ut quamdam pulchritudinem reddant, & quarumdam præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi.*

Alibi, cùm *Claudius Taurinensis* eos reprehenderet, qui ad suum errorem muniendum respondebant: *Non putamus Imagini, quam adoramus, aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies, tali eam veneratione adoramus:* Jonas testatur neque sibi hanc istorum orationem probari. *Unà autem*, inquit, *reprehendimus ac detestamur; quia cùm eorum scientiam non subterfugit, Imaginibus nil inesse divini, majori digni sunt invectione, eo quòd debitum honorem Divinitati, impenderint infirmo & egeno simulachro.* Et aliquantò post, cùm hanc sententiam posuisset Claudius, *Si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda; quantò magis opera manuum hominum adoranda & colenda non sunt prorsus nec in honore eorum, quorum similitudine esse dicuntur?* Respondet Jonas: *In hujus sententiæ sensu nobiscum sobrie sapit.* Præterea, cùm adderet Claudius: *Si imago quam adorat, Dei non est, nequaquam veneranda est honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores;* Jonas itidem ait: *Omnino approbamus, congruúmque fidei Catholicæ judicamus.* Denique sententiam suam sic exponit: *Nos figmenta & Imagines non colimus. Imagines tamen & habemus, & habentibus non præjudicamus.*

Respondeo, *Jonam Aurelianensem* cultum duntaxat latriæ imaginibus abjudicasse, & cultum indiscretum ac superstitionibus admixtum, qualem illum esse putabat, quem sanxerat Nicænæ Synodus, quique vigebat in Orientalibus Ecclesiis, & in Italia; sed cultum omnem imaginum minimè impugnavit, nec impugnare consequenter potuit, cùm effigiem Crucis *venerandam*, *adorandam*, *colendam* propugnet ex Traditione, *non eo quidem cultu & adoratione, qui solius Divinitatis est*, sed aliô inferiori: Quô etiam Reliquias Sanctorum colendas agnoscit, quamvis sint opera manuum Dei. *Opus namque*, inquit, *manuum Dei, corpora Sanctorum, quæ non adorando adoratione divinitati debita, sed pio sunt amore amplectenda & honoranda, utpote Sancti Spiritûs templa sacrata.* Quòd autem solum cultum superstitiosum impugnet Jonas, hæc palam ostendunt. Gallia *Imagine Sanctorum, ob præmissas causas, & habet, & habere sinit: eas verò adorari, & in dæmonum cultum venerari, magna detestationi, & abominationi habet. Non igitur, (ut asseris) colit idola, & nomen mutavit, quia reliquit diabolum & secuta est Christum. Porro Imagines Sanctorum, ut dictum est, habet, non tamen eas in dæmonum cultum veneratur. Nam & illi, qui nimiò & indiscretò amore, ob honorem Sanctorum, eorum Imaginibus supplicant, nescio an temerè idololatræ sint vocandi. Videntur sanè potiùs ab hac superstitione, adhibitô rationis moderamine revocandi, quam idololatræ, cùm utique Sanctæ Trinitatis fidem veraciter credant & prædicent, nuncupandi.* Eos tantùm criminatur Jonas, *qui supplicant imaginibus*, non qui Sanctis ipsis coram Imaginibus supplicant: qui venerantur Imagines ob dæmonum cultùm, non qui eas venerantur ob amorem Sanctorum, quamvis eum amorem *nimium ac indiscretum* esse nolit, qui in superstitionem degeneret. Equidem illud religiosi cultûs imaginibus ex traditione delati auctarium, quô salutationibus, ingeniculationibus, luminaribus, & suffitibus honorabantur Imagines à Græcis, nondum Galli nostri receperant, ut mirum non sit si *Jonas* Orientales perstringat ut superstitionis reos & sceleratissimo errori mancipatos: sed tamen rem ipsam: sive substantiam adorationis honorariæ imaginibus decretæ ac exhibitæ non damnat: cùm in Ecclesiis ob Sanctorum recordationem & amorem erigendas approbet ac propugnet, secundùm *Sanctum Gregorium*; easque *Anathematum sordes* à Claudio Taurinensi nuncupatas, indignissimè ferat: ejúsque facinus quô Imagines fregerat. *In Sanctorum Dei contemptum* vergere asserat. Sanè cùm *Jonas* plurima *Sancti Augustini* loca congerat quibus cultum latriæ, sive adorationem soli Deo debitam, nulli creaturæ exhibendam probat, argumento est ipsum eâ duntaxat de adoratione locutum, cùm adorationem Imaginum impugnavit.

§. XIV.

Ostenditur DUNGALUM *Dallæi, aliorúmque recentium Iconomachorum causæ non favere.*

Dungalus Reclusus Monasterii Sandionysiani, in agro Parisiensi.

*D*Ungali Catholici Theologi, qui sub *Ludovico Pio* & *Lothario* Imperatoribus, adversùs *Claudium Taurinensem* scripsit, authoritate *Dallæus* abutitur, contenditque ipsum venerationem omnem Sanctorum Imaginibus abjudicasse. Id verò falsissimum esse ex ipso *Dungali* Opere demonstratur. Primò namque *Claudium* gravissimè reprehendit; quôd dixerit, *Taurinum errare, & uno similiter nomine Idololatras esse vocandos eos, qui idola & simulachra Gentilium, diabolo instigante & per eo decipiente, adorant & colunt, credentes Deos ac Deas esse à quibus cuncta reguntur vel præstantur, & Christianos qui Imaginem Christi & Sanctorum ejus pingunt & venerantur pro amore & honore Salvatoris & Redemptoris mundi, & suorum Electorum, quos & ipsos, licet longè inferiùs, diligunt tamen & honorant, quia priùs à Deo electi ac dilecti sunt.* Calumniæ postulat *Dungalus Claudium Taurinensem*, quòd Christianos, qui imagines Christi, & Sanctorum pingebant, & venerabantur ob eorum honorem, Idololatriæ accusaret: quæ reprehensio recentiores Iconomachos petit, qui similem calumniam in Catholicos evomunt.

Præterea, narrans *Dungalus* quid in Conventu Parisiensi Gallicanorum Præsulum actum esset ac deliberatum de Sanctorum Imaginibus, ait: *De hac igitur Imaginum pictarum ratione, de quâ iste in exordio suæ proponit Epistolæ, inquisitio diligentius ante, ut reor, biennium, apud gloriosissimos & religiosissimos Principes habita est in Palatio: ubi divina Scriptura, Sanctorum librorum, & probatissimorum, qui eos scripserunt, virorum exemplis atque auctoritate, cum quanta & quali moderatione, ac discretione sint habenda, inventum, confirmatum, satisque evidenter diffinitum est: ut nemo posthac, quamvis stolido & obtusò desipiens sit corde, nec Angelis, nec hominibus, licet Sanctis, nec eorum Imaginibus, nec cuipiam penitus in mundo creaturæ, excusabiliter divinum possit honorem deferre, nisi soli omnium Creatori uni Deo Patri & Filio & Spiritui Sancto. Neque etiam è contrario aliquis hos prædictos, hoc est, vel Sanctos Angelos, vel Sanctos homines, aut eorum Imagines; vel quicquid in honorem, laudem, & gloriam unius veri & summi Dei fideliter componitur, destruere aut delere, despicere vel abominari præsumat; sicut de hoc Sanctus Gregorius Serenum Massiliensem Episcopum corripuit & reprehendit, ita dicens, &c.* Postquam descripsit *Sancti Gregorii* verba, hæc subjungit: *Qualis autem & quanta est insana elatio, & vana temeritas, ut quod à primævo tempore Christianitatis, per annos fermè DCCCXX. aut eò ampliùs à sanctis ac beatissimis Patribus & religiosissimis postmodum Principibus ad gloriam & laudem Dei in Ecclesiis & in quibuslibet Christianorum domibus fieri, concessum, constitutum, & jussum est, unus homo blasphemare, reprehendere, conculcare, projicere, ac exsufflare præsumat?*

fumat? Quasi in tantô jam dictô spatiô nullus sic sanctus vel sapiens in Ecclesia Dei extitisset Auctor, qui tam ardentissimum in corde suo zelum, vel subtilissimum habere intellectum, sicut iste qui audet oppugnare quod cæteri, quasi formidolosi ausi non sunt; vel vituperare, quod alii esse vituperandum, quasi stulti non intellexerunt. Ex quibus perspicuum est, Dungalum, & Gallicanos Præsules *honorem divinum* duntaxat imaginibus Sanctorum exhibendum negasse: ipsis verò asseruisse honorem in eo saltem positum ut cum reverentiâ haberentur, sicut res aliæ in honorem, laudem, & gloriam unius veri & summi Dei fideliter compositæ: & hoc genus venerationis à Christiani nominis origine habitum fuisse Imaginibus, ut non destruerentur, aut despicerentur, ubi in usu esse cœpissent; proinde *Claudium Taurinensem* hæreticum esse, qui earum usum & venerationem oppugnare ausus sit, eásque projicere & conculcare.

Tertiò, idem colligitur ex iis quæ inferiùs habet. *Taliter autem*, inquit, *Eunomius & Vigilantius Hæretici, eorúmque Sectatores, solent Catholicos blasphemare, vocantes eos idololatras, & mortuorum hominum cultores; sicut & Pagani extiterunt, eò quod Reliquias Martyrum pro Christo patientium venerantur. Quibus nos è contra respondemus, quia neque Sanctorum Imagines in parietibus pictas, neque eorum corpora in sepulchris condita, sicut Deum adoramus: neque eis sacrificia ponimus, quod est adeo abominabile, sicut scriptum est:* Sacrificans Diis eradicabitur, nisi Domino soli; *Sed tantum res, quorum effigies, vel corpora sunt, in Deo veneramur: & per eorum intercessiones divinum nobis postulamus adesse subsidium.* Constat rursus ex hoc loco, Dungalum solam adorationem Deo debitam, id est, latriæ cultum Imaginibus negare: & *Claudium Taurinensem* refellere, qui Catholicos Imaginum cultores quasi idololatras infamabat: Sanctorum verò venerationem in Reliquiis & Imaginibus, vel per eas, aut coram eis, propugnare. Unde sicut sacratum Reliquiarum venerationem defendit *Dungalus*, ita & venerationem relativam Imaginum.

Quartò, *Claudium Taurinensem* reprehendit, quòd *Ignorans horum usurpationes verborum, hoc est, adoro, & colo, & quia nonnisi ad Deum solummodo ea existimat pertinere, nimium blasphemat Christianos, non intelligens neque qua loquitur, neque de quibus affirmat.*

Et infrà, contestatur Catholicos solum Deum adorare, propriè dictâ adoratione quæ soli Creatori debetur: Angelos autem, homines Sanctos, crucem, longè dispari modo colere & adorare. Censet ergo, citra crimen idololatriæ aut superstitionis, alia à Deo posse coli religioso cultu. Si Crucem, quidni & Imaginem? *Vos autem*, inquit, *quibus hic tam multas & tam probrosas infert calumnias, contra falsa ipsius testimonia, divinâ opitulante gratiâ, totô corde credimus, & ore confitemur, humiliati animô & corporis habitu substrati, quod Deus solus sit adorandus & colendus, prout Dominum & Creatorem omnium à suâ decet adorari creaturâ & coli, dum in eum solum credimus, & speramus, eique quotidie sacrificamus. Creaturam etiam Dei sanctam & bonam, hoc est Angelum Sanctum, vel hominem Sanctum, aut Sanctam Crucem, pro diversitate dignitatum adoramus & colimus; hoc est, humiliter honoramus, diligimus, amplectimur propter Deum & in Deo, longè dispari modô quàm illum colimus & adoramus.*

Denique Sanctorum Imagines, sicut Crucem, & Reliquias Sanctorum, congruis honoribus colendas concludit. *His ergo omnibus superiùs comprehensis*, inquit, *certissimè & evidentissimè patet, picturas sanctas, & sanctam Domini Crucem, & sacras Electorum Dei Reliquias, dignis & congruis honoribus à Catholicis & orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere, non ut sacrificandi eis divinus honor & cultus soli Deo omnium Creatori debitus sit à quoquam deferendus: sed ut in ejus amore, honore, laude, & gloriâ suâ sanctâ, insignia & venerabilia vasa, prout decet, singula eorum ab omnibus Fidelibus & Religiosis salvâ fide & non fictâ honorentur & amplectantur.*

§. XV.

Ostenditur Dallæum abuti auctoritate WALAFRIDI STRABONIS.

Wualafridum Strabonem Augiæ-Divitis Abbatem inter Synodi Nicænæ II hostes, & impugnatores cultûs Imaginum, perperam quoque laudat *Dallæus*, cùm ex Cap. 8. libri *de Rebus Ecclesiasticis*, quô unô in locô hoc de argumento egit, constet ipsum solum cultum immoderatum Imaginum reprehendisse, & qui in superstitionem degeneraret; cultum verò moderatum approbasse & propugnasse. *Nunc jam*, inquit, *de Imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua. Quia & earum varietas nec quodam cultu immoderatè colenda est, ut quibusdam stultis videtur; nec iterum speciositas ita est quodam despectu calcanda, ut quidam vanitatis assertores existimant. Quis enim sanum sapiens, contra id quod scriptum est:* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: *Et iterum:* Non facies tibi omnem similitudinem eorum, quæ in cœlo, vel in terrâ, vel in aquis sub terrâ sunt: *putabit in tabernaculi, vel templi constructione, fecisse Moysen & Salomonem?..... Cùm certum sit & illos ita sensisse, & nos ita sentire debere, quod videlicet non sint Deo debitis cultibus & honoribus colenda, quæ ab illis, vel nobis facta sint, vel fuerint, aut significandi alicujus Mysterii causâ, ut tabernaculi & templi structura omnis: ob commemorationem rerum gestarum, ut pictura historiarum: aut ob amorem eorum, quorum similitudines sunt, animis videntium arctiùs imprimenda, ut imagines Domini, & Sanctorum ejus. Neque enim frustra superiori sententiæ subjunctum est,* Non adorabis, neque coles ea. *Unde videlicet intelligamus, in his faciendis devotionem & utilitatem, quâ commoveri vel instrui appetimus, non esse culpandam: sed in his colendis superstitionem & hebetudinem, quâ spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam.* Et infrà: *Notandum verè, quòd sicut quidam easdem Imagines, ultra quàm satis est, venerantur; ita alii, dum volunt cautiores cæteris in Religione videri, illas ut quasdam idololatriæ species respuunt, & præsumptionis fastu simplicium corda scandalizant. Hujus rei quæstio apud Græcos sæpe tantas contentiones excitavit, ut sub Gregorio Papa Juniore Constantinus Imperator apud Constantinopolim omnes Imagines deposuerit; & sub Gregorio III. Romæ Synodus sit facta contra suprádictam (ut dixerunt) hæresim: in quâ firmatum est, ut Sanctorum Imagines, secundùm priscum Catholicæ Ecclesiæ ritum restituerentur. Ipsa denique querela Græcorum, temporibus bonæ memoriæ Ludovici Imperatoris, in Franciam perlata, ejusdem Principis providentiâ scriptis Synodalibus est confutata. Quam etiam Claudius quidam Taurinensis Episcopus, sed in veritatis itinere, nominis sui similitudine, nutabundus, inter cæteras vanitatum suarum ineptias, cupiens renovare, antequam diversorum contra eum scribentium jaculis perfoderetur, suô judiciô damnatus interiit.*

Et paulò post: *Ergo cùm Christianus populus tantâ sit in divinis rebus docilitate in interiora sapientiæ spiritalis inductus cellaria, ut non dicam picturam & Imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines vivos vel mortuos, divinis credat colendos honoribus, vel adorandos..... Cùm itaque talis sit Christianis perfectio sensûs, non sunt omnimodis honesti & moderati Imaginum honores abjiciendi. Si enim ideo quia novimus non adorandas*

randas nec colendas Iconas, conculcanda sunt & delenda picturæ, quasi non necessaria, vel nociva: Ergo & quia credimus quòd Creator omnium, qui ubique est, & cœlum & terram implet, non habitat in manufactis, destruenda sunt templa, ne videamur parietibus & tectis inclusum credere Creatorem. Sicque poterit evenire, ut dum cavemus, ne usspiam sit aliquid ubi insipientium mens possit errare, nihil pene habeamus, quò vel devotionem nostram exerceamus, vel simplices & ignaros ad amorem invisibilium trahere valeamus. Quantùm autem utilitatis ex pictura ratione proveniat, multipliciter patet, &c.

Denique sic totum caput *de Imaginibus & Picturis* concludit: *Ergo sient omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, quia inquinata sunt eorum mens & conscientia: ita malis omnes viæ offensionibus plenæ sunt. Et sicut boni etiam malis bene, sic mali etiam bonis malè utuntur. Sic itaque Imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, ut nec despectû utilitas annulletur, & hac irreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam: nec cultû immoderatô fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impensus, arguat nos minùs spiritualia contemplari.* Itaque ex *Vualafridi* sententia amandæ sunt imagines, non despiciendæ, ita ut amor ille externum à nobis honorem in picturas sacras exigat, & in exemplaria dirigatur internus affectus.

At, inquit *Dallæus* nihil *Vualafridus* de relativa illa seu adoratione, seu veneratione, quam Nicæni ac Romani Imaginibus tribuendam censent: quamque hôc locô omissurus non erat, si idem cum illis sensisset. Sed, rogo, quid est aliud *moderatus imaginum honor, ob amorem Domini & Sanctorum ejus, quorum similitudines sunt*, nisi cultus & veneratio relativa, seu honoraria adoratio? (ut vocat Septima Synodus.) Hunc autem honorem censuit sacris Imaginibus deferendum *Vualafridus Strabo*. Illum vocet, quomodo lubuerit, *Dallæus*: de verbis non litigamus.

DISSERTATIO VII.

Contra Felicis, & Elipandi Hæresim.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Christus secundùm humanam naturam sit Filius Dei adoptivus.

PROPOSITIO.

CHristum, secundùm naturam etiam humanam, non esse Filium Dei Adoptivum, Sacræ Scripturæ testimoniis, & veterum Patrum consensu, contra Felicem & Elipandum demonstratur.

I. Scripturæ loca, quibus adversùs *Felicem* & *Elipandum* pugnarunt Francofordienses Patres, *Paulinus Aquileiensis*, tum in Libro Sacrosyllabo, tum in tribus libris contra *Felicem*, *Etherius Uxamensis* Episcopus, & *Beatus* Presbyter in duobus libris contra *Elipandi* errorem; *Alcuinus* in septem libris adversùs *Felicem*, & quatuor libris adversùs *Elipandum*: & *Agobardus* lib. contra *Felicem*, hæc sunt:

Scripturæ sacræ testimoniis refelluntur Felicis & Elipandi.

Isaïæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et cap. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Matth. 16. Ait Jesus Discipulis: *Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit autem illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius*

A *Dei vivi.* Lucæ I. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Joannis I. *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Joannis 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis qui est in Cœlo.* Ibidem, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Joannis X. *Ego & Pater unum sumus.* Joannis 17. *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te.* Joannis I. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto,* B *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Et Matthæi 3. Pater de Cœlo idem testatur de Jesu baptizato, & de aquâ ascendente: *Hic est Filius meus dilectus, in quò mihi complacui.* Idemque repetiit in Monte Sancto, præsentibus *Moyse*, & *Elia*, & tribus Christi Discipulis: *Hic est Filius meus dilectus, in quò mihi benè complacui, ipsum audite.* Joannis 20. *Thomas* ubi misit manum in Christi latus, dixit: *Dominus meus, & Deus meus!* Ad Romanos 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Cap. 9. *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui* C *est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Ad Colossenses 1. *Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ. in quò habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem omnium peccatorum: qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, & in terrâ, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogeni-* D *tus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens*, &c. Ad Titum 2. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Ad Hebræos 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* I. Joannis 5. *Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus: Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ex quibus testimoniis sequitur, Christum non esse nuncupativum Deum, aut adoptivum fi- E lium, cùm non sint in unô Christo duo filii, aut duo Dii; neque per Incarnationem Filius Dei in duos divisus sit, aut suâ dignitate exciderit, aut à Deo factus sit alienus, adoptionique idoneus: & cùm hominem illum Jesum, qui natus est ex Virgine, esse verum Deum, Angelus, Præcursor, Petrus, Joannes, Thomas, ac Paulus testentur: ipséque Pater voce è nube delapsâ, semel & iterum eâ de re testimonium perhibeat, dicens: *Hic est Filius meus dilectus.*

II. Patrum quoque consentientibus testimoniis, *Elipandi* & *Felicis* error confutatur, qui unicum in utraque natura, eundemque verum Dei Filium asse- F runt Christum: adeòque adoptivum esse negant.

Error Felicis & Elipandi ex Traditione confutatur.

Sanctus Irenæus apud Theodoretum, Dialogo III. *Sed ipse Jesus Christus cùm esset, passus est pro nobis, qui decubuit & resurrexit: qui descendit & ascendit, Filius Dei Filius hominis factus.*

Sanctus Athanasius in Epistola ad Epictetum: *Propterea taceant*, inquit, *qui aliquando dixerunt, eum qui ex Maria processit, non ipsum esse Christum, & Dominum & Deum. Nisi enim Deus esset, quinam statim atque ex Maria prodiit, vocatus est Emmanuel; quod est interpretatum nobiscum Deus?*

Sanctus Gregorius Nazianzenus in Epistola I. ad Cledonium: *Si quis*, inquit, *duos induxerit Filios*

alterum ex Deo & Patre, alterum ex Matre: non autem unum & eundem; ut ab ea filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus est promissa. Naturæ quippe duæ sunt, Deus & homo: quemadmodum etiam anima & corpus: non tamen duo Filii, neque Dii: quemadmodum neque hîc homines duo.

Sanctus Gregorius Nyssenus, in libello contra Apollinarem, *Qui Apollinaris*, inquit, *patrocinantur dogmatibus..... objiciunt quosdam ex Ecclesia Catholica duos in suo dogmate filios agnoscere: alterum naturalem; alterum qui adoptione postmodum accessit. Quod nescio à quonam audierint, aut cum qua persona luctentur. Nam hactenus neminem novi, qui talia perperam effutiret.*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus Felicianam & Elipandianam hæresim in Nestoriana destruxit, illósque passim impugnavit, qui *duos Christos & duos filios* assererent. (In Homilia Paschali 8. In Dialogo de uno Christo; In Epistola ad *Acacium*; lib. XI. in Joannem, & alibi.) Cui *Proclus* in Epistola ad Armenos, & *Paulus Emissenus* in Homilia Alexandriæ habita, cum pax inter Orientales & *Sanctum Cyrillum* inita est, suffragantur.

In ejusdem assertione dogmatis consentiunt Latini Patres. *Sanctus Hilarius* lib. 3. *de Trinitate* ubi de Christo ait: *Non solùm nomine contestatus est esse se Filium, sed & proprietate, quâ dicitur, Tuum. Multi enim nos Filii Dei: sed non talis hic Filius est. Hic enim & verus & proprius Filius est, origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.*

Explicat scilicet Christi verba: Pater clarifica Filium tuum.

Sanctus Damasus Pontifex Maximus, in Epistola ad Paulinum Antiochenum. *Anathematizamus eos omnes*, inquit, *qui duos Filios esse profitentur, unum ante sæcula, & alium post carnis assumptionem ex Virgine.*

Sanctus Ambrosius lib. 5. *de Fide*, cap. 3. *Ecclesiastica Fides*, inquit, *& Dei Patris, & David idem atque unus est Filius.*

Sanctus Hieronymus in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios, explicans illa verba: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos*, observat hunc locum, ferire eos: *qui duos filios insanò errore confingunt, Filium videlicet Dei, & Filium hominis.*

Sanctus Augustinus, Ennarratione 2. in Psalmum CVIII. *Nullis*, inquit, *operum meritis præcedentibus in tantam celsitudinem subvecta est humana natura, ut totum simul, Verbum & caro, hoc est, Deus & homo, Unigenitus Dei Filius diceretur.* Et Tractatu VII. in Joannem: *Oportebat*, inquit, *ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii, ministri sunt Unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium.*

Leporius in Libello Emendationis, cui *Sanctus Augustinus*, cum aliis Africæ Episcopis subscripsit; *In hoc*, inquit, *maximè fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium, non phantasticum, sed verum; non temporarium, sed æternum, pro nobis omnia secundùm carnem fuisse perpessum.*

Cassianus lib. 2. *de Incarnatione* cap. 6. asserit *Catholicorum omnium fidem credere & intelligere, scire & confiteri, quòd Dominus noster Jesus Christus & hominis est Filius, quia ex homine natus est; & Dei Filius, quia ex divinitate conceptus.*

Sanctus Leo Magnus in Epistola ad *Flavianum*, cap. 5. Christum manus & pedes palpandos post Resurrectionem obtulisse ait, *Ut sciremus Verbum hoc non esse quod carnem: & ut unum Dei Filium & Verbum confiteremur, & carnem.*

Ferrandus Diaconus, in Epistola ad Severum: *Principaliter*, inquit, *fides nostra Christum Dei Filium sic prædicat hominis filium, ut unum dicat Dei & hominis filium; nec alterum in divinitate Christum veneretur, alterum in humanitate; sed quem in divinitate, ipsum in humanitate.*

Sanctus Gregorius Magnus, lib. I. Moralium, cap. sexto, de Christo sic loquitur: *Omnes qui in fide Deo nascuntur; superat; quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat; qui etsi humanitate cæteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis.*

Sanctus Hildephonsus Toletanus Episcopus, lib. de Perpetua Virginitate B. Mariæ: *Ergo*, inquit, *non illum, ut cæteros adoptio filius Dei fecit Filium: Sed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit; donavit & illi nomen quod est super omne nomen: ut esset totus Dei Filius homo & Verbum: quia nunquam non fuit Dei Filius, qui sempiternus permanet unici Genitoris Unigenitus. Numquam igitur ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut cæteri nascuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogativa Filii præstaretur: sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, ut totus esset Christus proprius Dei Filius, non ex dono gratiæ renascendo, ut cæteri, sed salvâ proprietate utriusque naturæ.*

III. Ex Ecclesiæ Orationibus Catholicum dogma probarunt Patres, qui *Felicis & Elipandi* errorem impugnarunt; scilicet ex illis verbis, quibus Orationes Ecclesiæ clauduntur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus.* Et ex aliis quæ in solemnibus precibus usurpantur. *Nos*, inquit, *Alcuinus* lib. VII. contra Felicem, *Romanâ plus auctoritate, quàm Hispanâ veritate assertiones fidei nostræ fulciri desideramus, licèt nec illa reprobemus: in his tamen quæ Catholicè dicuntur, unusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab universali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quæ à Catholicis & rectè credentibus sequenda esse probatur, se per verum Filium Dei, & in Missarum solenniis, & in cæteris quoque omnibus Scriptis suis, vel in Epistolis, fateri solet eum, qui pro nostrâ salute homo fieri dignatus est,* & *Crucis subire tormentum. In Missa namque humanæ Nativitatis ejusdem Domini nostri ita cantare solemus*: Præsta ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque Judicem securi videamus. *Illum qui nos suô sanguine redemit, & per suum Adventum judicaturus est mundum, Unigenitum Filium Dei confitemur: quod de humanitate illius sine dubio dictum est. Item in die Natalis Domini*: Concede quæsumus omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet. *Et alibi*: Deus qui nos Unigeniti tui pretioso Sanguine. *Item quartâ Feria ante Pascha*: Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut per Unigeniti tui Passionem liberemur. *Et in aliâ Oratione*: Largire, omnipotens Deus, ut per temporalem Filii tui mortem, quam Mysteria veneranda testantur. *Et hoc sæpius, quam ut exemplis egeat, invenitur: scilicet, quod ipse qui pro nobis passus est mortem, unicus & verus dicitur Filius Dei, sicut verè est.*

Error Felicis & Elipandi ex Orationibus Ecclesiæ impugnatur.

Rationibus etiam validissimis hanc hæresim confodère, qui adversùs eam scripserunt. Prima petitur ex essentiâ adoptionis, quæ postulat ut adoptatus alienus sit respectu ejus à quo adoptatur: at Christus nusquam alienus à Deo fuit, etiam quâ homo: non est itaque Filius Dei adoptivus. Hanc rationem affert *Libellus Sacrosyllabus* in Concilio Francofordiensi editus. *Adoptivus*, inquit, *dici non potest nisi is qui priùs alienus est ab eo, à quo adoptari desiderat. Dei ergo Filius quâ ratione credi potest adoptivus, qui inseparabiliter assumptô homine in unâ persona coeunte utrâque naturâ, non duo filii, alius Dei, & alius hominis, ut sicut illi errando æstimant, adoptivus sit hominis Filius, & sine adoptione Dei Filius: sed in unâ personâ unus idemque Dei & hominis Filius, qui nun-*

Scriptorum Ecclesiasticorum rationes contra errorem Felicis & Elipandi.

quam

quam hominem, quem assumpsit, deseruit, etiam nec in Cruce, quando inclinatò capite, tradidit spiritum, Paulo attestante, qui ait: * Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Dominus gloriæ dicitur crucifixus, cùm sola caro sit crucifixa; sed quia Dominus gloriæ idem ipse erat, qui hominis filius qui crucifigebatur, & nunquam hominem deseruit, quem assumpsit, ideo dicitur Dominus gloriæ crucifixus.*

* 1. Cor. 2.

V. Ratio altera ducitur ex personæ Christi unitate: Filii namque ratio, sive filietas, ex persona ipsâ, & ex personali proprietate, non ex naturâ præcisè consideratâ sequitur: cùm itaque una sit in Christo persona, cui filii adoptivi ratio repugnat; Christus non potest dici Filius Dei adoptivus. Hanc rationem passim adhibet *Paulinus Aquileiensis* in libris contra Felicem Urgelitanum. *Quo igitur pacto,* (inquit lib. 1.) *persona una duos exhibeat Deos, aut certè unius personæ proprietas, disparili nuncupatione filiorum, dualitatis recipiat diversitatem? Nam cùm constet homo unus ex duabus diversisque naturis, propter quod Paulus interiorem & exteriorem denuntiat hominem: non tamen Joannes Baptista hujuscemodi interior unus idemque & exterior homo, unus Zachariæ Patris proles secundùm interiorem hominem, hoc est spiritum proprius: & juxta exteriorem, id est carneum corpus adoptivus filius rectè videbitur nuncupari.... Christus igitur unigenitus sempiterni Genitoris Filius, qui ab ipsâ ineffabili Virginalis uteri conceptione in Dei Filii personam suscepitur, undique cum Deo inconfusè, sed & individuè factus persona, unus idemque verus Dei hominisque filius, indiscretus juxta carnis dispensationem personâ, discretusque naturâ. Porro secundùm divinam ineffabilis gloriæ majestatem, inseparabilis cum Patre, Sanctóque cum Spiritu, essentiâ, sed discretus personâ, semper unigenitus & verus Dei Filius, cessante prorsus omnimo adoptivi vocabulò nominis. Non enim Christo Jesu consequenter ratéque, possibilitatis appellatio deferetur adoptionis, cui nunquam dedecus contigit alienationis.*

Et infra: *Non poteris filium, & filium, quod est relativum ad aliquid, hoc est proprium & adoptativum, uni adscribere genitori. Nam cùm sit Deus omnipotens Pater unus, unúmque coæternum sibi genuerit omnipotentem Filium: quo igitur pactò unus natus unius genitoris & proprius & adoptivus filius intelligatur, nullius unquam possibilitatis ordo permittit. Præsertim cùm hæc de Filio Dei agantur, qui sempiternus de sempiterno Patre genitus, sic quodam mirabili modo secundam propter nos sustinuit in tempore nativitatem. Quatenus & hominis filius, quia voluit fieri, & Dei Filius idem ipse incommutabilis permaneret. Et tamen non duo, Dei & hominis filius, sed unus idémque Dei hominísque Filius adoratur.*

Et post, *Felici* exprobat, quòd Christum adoptivum filium asserendo, quatuor personas in Sanctissimâ Trinitate consequenter introducat. *Nuncupativus etenim & verus, proprius & adoptivus, non naturalia, sed personalia nominasse, quis ambiget? Numquidnam Catholicum, bonúmque tibi videtur, ut duo Dii, duóque Filii in dextera Patris sedeant in excelsis?* Et ibidem, *Felicem* qui ex eo quòd ungens & unctum in eadem Christi persona differant, colligebat unitatem personæ non prohibere quin idem filius naturalis & adoptivus diceretur; sic refellit: *Quia persona Unigeniti per assumptionem carnis nec augmentum, nec detrimentum, nec mutabilitatem, nec permixtionem recepit, sed permansit hoc quod erat, id est, verus Deus: Et verus Dei Filius sine defectu sui suscepit id quod non erat. Ille profectò verus Deus, cujus thronus in sæculum sæculi permanet, unctus a vero Deo ab eodem prohibetur Propheta. Verus igitur Deus unctus à vero Deo, non sicut tu anili fatuâque conjectî obscurius fauce delirare, nuncupativus Deus a vero Deo unctus sit; sed verus Deus unctus à vero Deo, in forma procul dubio creditur servi. Deus igitur verus Christus Jesus habuit alterius generis formam, in quâ ungi posset à Deo vero. Non tamen habuit alterius filii personam per quam se duplicare posset in alterum. Quoniam non personæ Unigeniti, sed naturarum diversitas tantummodo in hoc Incarnationis Sacramento recepit discretionem.*

VI. Tertia ratio profertur ab *Alcuino*, lib 3. contra Felicem. *Adsumpsit*, inquit, *Dei Filius carnem ex utero Virginali, in unitatem suæ personæ, non in carnem mutatus, sed ut esset proprius Filius Dei in duabus substantiis, Dei scilicet & hominis, veluti ante fuit in unâ naturâ proprius Dei Filius, nihil amittens quod erat, quamvis assumpsisset quod non erat, non divisionem faciens in personæ proprietate, nec commixtionem in naturarum conjunctione. Si autem propter assumptionem vel susceptionem Christus adoptivus est Filius, qui ex Virgine natus est, cujus persona in Sancta Trinitate adoptivus esse dicendus est? Utique omnino Filii persona; ipse assumpsit hominem, vel suscepit. Quod si ita est, nepos est Patris secundùm humanitatem Christus, qui à Dei Filio assumptus est homo, vel ut tu vis, adoptatus.*

VII. Quarta ratio ex eô ducitur, quòd B. Virgo sit verè & propriè Dei Genitrix: quâ dignitate insignita non esset, nisi Christus quatenus est hic homo, id est, quâ genitus est à B. Virgine, reipsâ propriéque naturalis Dei Filius esset in humanâ naturâ subsistens. Hanc rationem adversùs *Felicem* contorquet *Alcuinus* libro 1. *Sic necesse est*, inquit, *adoptivum esse Christum Dei Patris, propter quòd ex substantiâ suâ natus non est secundùm carnem, quomodo non est adoptivus Filius Virginis ille qui natus est ex Deo, quia de ejusdem Virginis substantiâ creatus non est? Ergo si necesse est hominem ex Virgine natum, Virginisque Filium, adoptivum esse Filium Dei: Ipsò modò necessarium est, Deum Dei Filium adoptivè esse Filium Virginis, quia alia substantia est Dei Patris, de quâ essentialiter natus est Dei Filius: alia Virginis, de quâ corporaliter natus est Christus. Aut si hoc non audetis dicere (quia Christianum nomen habetis) ut Beata Virgo non sit propriè Dei Genitrix, sed per adoptionem: Æquum est ut non audeatis affirmare Filium Virginis adoptivum esse Dei Patris Filium. Quid igitur restat, nisi ut utriusque parentis verus & perfectus in duabus substantiis Jesus Christus sit Filius totus Dei Patris proprius, totus Virginis Matris proprius, ut sit unus Christus, unus Filius, & unus Deus?*

VIII. Quinta ratio ab *Alcuino* profertur lib. 2. *Si ille homo, quem assumpsit Filius Dei, adoptivus est, adoptivus est ille qui eum assumpsit, quia una persona est in homine & in Deo. Et est omnino unus Filius, non duo Filii. Unus autem filius quomodo potest esse proprius & adoptivus unius Patris? Si adoptivus est, proprius esse non poterit: si proprius, adoptivus esse non poterit ejusdem Patris. Duos autem esse filios, unum proprium, & alterum adoptivum, nefandissimum est credere de Christo. Assumpsit namque sibi Dei Filius carnem ex Virgine, & non amisit proprietatem quam habuit in Filii nomine.*

IX. Sexta ratio profertur ab *Alcuino*, lib. 4. Christus ait Apostolis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Cui data potestas, nisi illi qui de Virgine natus est? Nam Dei Filius ex Deo substantialiter natus, essentialiter habuit omnem potestatem cum Patre & Spiritu Sancto: sed hæc potestas data est Filio Virginis. Et si omnem potestatem habet, quomodo potest esse ut non sit omnimodis verus Deus, & verus Filius Dei? Moyses fuit Deus nuncupativus, tamen non data est ei omnis potestas. Ideo secundo percussit petram ad eliciendam aquam.*

X. Septima ratio sic ab eo proponitur libro sexto. *Qui aliis tradidit potestatem filios Dei esse, quomodo potest fieri ut non haberet potestatem seipsum Filium Dei*

Dei proprium facere? Vel quomodo, quamvis in duabus naturis divinitatis scilicet & humanitatis, proprius potuit esse Filius hominis, & non potuit totus in duabus naturis proprius esse Filius Dei? Ergo si ille qui natus est ex Virgine, totus est proprius Virginis filius: æquum est ut credamus eumdem esse Dei Patris proprium Filium.

XI. Octava ratio ducitur ex novitate doctrinæ *Felicis* & *Elipandi*, & ex Scripturæ Sacræ, Synodorum, & Veterum Patrum silentiô, à quibus nusquam filium adoptivum appellatum esse Christum legimus. Hoc argumentô adversùs *Elipandum* pugnant *Etherius* & *Beatus* libro 2. *Non didicit*, inquiunt, *Ecclesia hanc fidem tuam per totum mundum, nec consuevit credere in eum qui de Virgine natus est, non per illum facta esse visibilia & invisibilia: sed tantum per illum, qui non est adoptione, sed genere. Nec habet consuetudinem dicere: Credo in Deum Patrem omnipotentem: & in Filium ejus, qui deitatem suam exinanivit, apparuit in mundo per subjecta creatura speciem cum Patre & Spiritu Sancto Abraha in ipso fervore diei: qui est adoptivus humanitate, & nequaquam adoptivus divinitate. Hæc fides tua est. Nam in toto mundo non est. Quod si verum non dicimus, interrogemus omnem Ecclesiam Catholicam, si generaliter per totum mundum talis fides est. Requiratur ordo Baptismi, & Symbolum à duodecim Apostolis compositum, quod habet Ecclesia traditum, pro quo baptizat filios suos, sine quo non poterit esse baptismus. Requirant & Symbolum trecentorum Patrum adversùs tuam fidem compositum: & si invenerint de tuis sermonibus vel unum ibi insertum, nos exivimus ab Ecclesia. Si certè novam habuerint hanc tuam doctrinam, sicut & nobis novella est, tu existi cum tuis ab Ecclesia Catholica, quæ generaliter per totum mundum est constituta.*

Eodem telo Adoptionariorum hæresim confodit Francofordiensis Synodus in Epistola ad Episcopos Hispaniæ. *Tu verò quisquis es*, inquit, *qui Christum prædicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire: ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchæ nescierunt, Prophetæ non dixerunt, Apostoli non prædicaverunt, Sancti Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei nostræ non docuerunt. Fortè in tertium cœlum raptus fuisti, & ibi audisti arcana verba, quæ huc usque Sanctæ Dei Ecclesiæ ignota essent, si tu in tertium cœlum raptus non esses. Aut super pectus Domini recubuisti, & ibi audisti quæ B. Joannes audire non meruit. Aut te per Choros Angelorum Agnus dicens, hoc tibi nomen ostendit. Aut tibi Leo de tribu Juda, librum septem sigillis clausum aperuit, unde tot Mysteria intelligeres, & nomina proferres, quæ quatuor animalibus incognita mansissent, immò toti mundo inaudita, nisi tu novus Doctor ad declarandum tuum nomen venisses. Dices enim: Cur times adoptivum Christum Dominum nominare? Dico tibi, quia nec Apostoli eum sic nominaverunt, nec Sancta Dei & Catholica Ecclesia consuetudinem habuit sic eum appellare; immò nec credere eum adoptivum esse, sed proprium Filium; juxta præcedentia Apostolorum testimonia, & sanctorum Doctorum dogmata.*

Respondetur Objectionibus Felicis & Elipandi.

Objicies verba Sancti Irenæi lib. 3. adversùs Hæreses, Cap. XXI. dicentis: *Propter hoc Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*: quibus innuere videtur Christum quatenus homo est, adoptionem percepisse.

Respondeo, hæc verba, *ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*, ad Christum non referri, sed ad homines; qui per Christum adoptionem filiorum percipiunt, ut constat ex textu Græco apud *Theodoretum*, Dialogo 1. hoc *Sancti Irenæi* testimonium laudantem; quem textum ita reddit Iacobus Billius: *Ob eam enim causam Verbum hominem induit, & Filius Dei filius hominis factus est, ut homo Verbi capax effectus, atque adoptionem consecutus, filius Dei efficiatur.* Idem constat ex versione *Sirmondi*, qui sic illum locum reddit: *Propterea enim Verbum Dei est homo, ut homo Verbum capiens, adoptionemque consecutus, filius Dei efficiatur.* Huncque *Sancti Irenæi* sensum antecedentia & consequentia demonstrant: Præmittit enim: *Ad quos Verbum Patris ait, suum munus gratiæ narrans*: Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini. *Ad eos indubitatè dicit, qui non recipiunt munus adoptionis, sed contemnunt Incarnationem puræ generationis Verbi Dei, fraudantes hominem ab eâ ascensione quæ est ad Dominum, & ingrati existentes Verbo Dei quod incarnatum est propter ipsos.* Subdit verò continuò post verba in Objectione laudata: *Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati essemus incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ & immortalitati, nisi priùs incorruptela & immortalitas facta fuisset id quod & nos, ut absorberetur quod erat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale ab immortalitate, ut filiorum adoptionem perciperemus?* Non erat ergo cur *Erasmus*, Præfatione in libros *Sancti Irenæi* adversùs Hæreses, hunc locum cautè legendum admoneret, propterea quòd Christum juxta conditionem humanam adoptivum esse filium Dei videatur asserere *Sanctus Irenæus*.

XII. Objiciebant *Felicis* & *Elipandus S. Hilarii* verba: *lib. 2. de Trinitate*, adoptionem Christo tribuentis: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.*

Respondet *Alcuinus*, Legendum esse, *adoratur*, cujus loco à *Felice* intrusa est vox illa, *adoptatur*. Carnis *equidem*, inquit, *à Magis humilitas adorata est, & mysticis munerum speciebus honorata, non adoptata. Quod perspicuè ex antecedentibus verbis ejusdem Doctoris intelligi potest, ubi ait, quod tu ipse posuisti: In pannis adhuc Deus adoratur. Idem ipse qui in cunabulis jacuit, ab Angelis Christus Dominus prædicatur, & à Magis Deus adoratur, non à Patre adoptatur in Filium. In quô locô certissimè de Magorum adoratione idem Pater Hilarius disputat, non de paternâ adoptione, quam tu pravissimo huic loco inserere conaris.* Id confirmat *Hincmarus* in Præfatione libri *de Prædestinatione* contra Gotteschalcum: *Et sicut* inquit, *ipsorum, qui interfuerunt Concilio relatione didicimus, quando divæ memoriæ Dominus Carolus Felicem, infelicem Orgelitanæ civitatis Episcopum, Synodali Decreto hæreticum comprobatum, atque damnatum comperit, etiam revictum invenit: quia corruptô muneribus Juniore Bibliothecario Aquensis Palatii, librum B. Hilarii rasit, & ubi scriptum erat, Quia in Dei Filio carnis humilitas adoratur, immisit: Carnis humilitas adoptatur.* Ut ut est, constat *Sanctum Hilarium* ab Adoptionariorum errore longè fuisse alienum, ut *Paulinus Aquileiensis* lib. 3. contra *Felicem* pluribus ostendit. Quamobrem etsi hanc retinendam esse lectionem, *Carnis humilitas adoptatur*, veteres Codices suadeant, rectè respondetur, impropriam hanc esse locutionem; nec aliud Sanctum Hilarium adoptionis nomine intellexisse, quam unionem hypostaticam: ut respondet *Sanctus Thomas III.* P. Q. 23. A. 4. ad I. Eodem modo exponendus est *Marius Victorinus*, cùm Christum adoptione quadam filium asserit, nimirum secundùm carnem: *Non sic*, inquit, *filius, quemadmodum nos. Nos enim adoptione filii, ille naturâ. Etiam quadam adoptione filius & Christus; sed secundùm carnem: Ego hodie genui te.*

XIII. Æquè commodum sensum pariuntur illa *Sancti Cyrilli* Alexandrini verba, Dialogo III. contra Arianos, ubi ait: *Consentaneum esse, ut tunc datum existimemus fuisse Filio nomen illud, quod est super omne nomen, quando & formam nostri similem subiens,*

tamquam

tamquam unus ex nobis in Filium adscriptus est Dei, adoptans nobiscum & propter nos ille verus ac germanus, ut & nos propter ipsum filii simus. Vult enim solùm *Sanctus Cyrillus*, humanam Christi naturam gratiâ id consecutam, ut in Deum assumeretur, ac fieret homo unus cum Verbo Deus, Deique Filius. Non loquitur, inquam, *Cyrillus* de filiatione hominis assumpti, sed de ipsâ assumptione in unitatem personæ, adeòque filiationis propriæ unigeniti Dei Filii. Homo assumptus, jam est unigenitus Dei filius naturâ. Assumptio autem gratuita fuit. Et sic ex gratiâ unionis homo est Filius Dei naturalis: licèt non propter naturam humanam, sed propter naturam divinam, cum quâ indivisè unita est humanitas in unitate personæ & proprietate Filii Dei. Sic Deus assumens, & jam caro factus, filius est Virginis proprius ac naturalis, non quidem propter naturam divinam, sed propter naturam humanam, quam sibi assumpsit ex Virgine. Non tamen alius est Filius Dei, & alius Filius Virginis; sed unus idémque totus Dei Filius, totus Virginis Filius. Cæterùm *Sanctum Cyrillum* ab eo longè fuisse errore, quo Christus adoptivus Dei filius dictus est à *Felice* & *Elipando*, demonstrant loca à nobis superiùs indicata, præcipuè ille ex Dialogo qui inscribitur, *Quòd unus sit Christus*, in quô hæc habet: *Binarius filiorum inæqualis natura nobis exoritur: ac divinâ gloriâ servus ornatur: & spurius quidam filius pari, ac naturalis verusque, honoris excellentia decoratur. Etenim quomodo non diversus ille ac separatus est à naturali & vero filio, qui nudâ solâque affinitate honoratus est, & ministri locò assumptus, & filii dignitate donatus, quemadmodum & nos ipsi?* Idem ostendit insignis alter locus ex libro XI. in *Joannem*, ubi hæc habet: *Consummati sumus in unitatem cum Deo & Patre per Mediatorem Christum. Siquidem illum ipsum, qui naturâ verèque filius est, & substantivam cum illo unitionem habet, in nobis accipientes corporaliter & spiritualiter, supremæ illius naturæ participes & consortes, facti, glorificati sumus.* Ex quibus verbis perspicuum est, *Sanctum Cyrillum* asseruisse Christum Mediatorem, ac proinde utrâque naturâ constantem, unicum esse Dei filium, eúmque naturalem, verum, substantivum.

Idem est *Sancti Augustini* sensus, cùm Christum quâ homo est, gratiâ Filium Dei esse asserit, Lib. *de Prædestinatione Sanctorum*, cap. 15. Loquitur enim de gratia unionis, quâ natura humana ad hoc provecta est, ut in personæ cum Verbo consortium ac unitatem assumeretur; non de gratia adoptionis quæ cum naturali filiatione pugnat. *Est etiam*, inquit, *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso, Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit?.... Nonne faciente ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, Filius Dei unicus esse cœpit? Nonne Filium Dei unicum fœmina illa gratiâ plena concepit?* &c. *Appareat itaque nobis in nostro Capite ipse fons gratiæ, unde secundùm uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus*: gratia utrobique, quia nec in homine Christo merita præcesserunt ulla, quibus natura humana in personæ divinæ unitatem assumeretur, nec ulla præcedunt in nobis ut Christiani simus: sed non gratia ejusdem generis. Gratiâ humanæ naturæ communicatâ, hic homo Filius Dei naturalis est; nos verò per gratiam regenerationis filii duntaxat adoptivi. *Prædestinatus est ergo Jesus*, inquit, *ut qui futurus erat secundùm carnem Filius David, esset tamen in virtute Filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu Sancto & Virgine Maria. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei & filius hominis propter susceptum hominem, & Filius Dei propter suscipientem Unigenitum Deum, veraciter & propriè diceretur, ne non Trinitas, sed quaternitas crederetur.*

XV. Idem est sensus *Facundi Hermianensis* libro IX. ut verba ejus satis ostendunt. Ait namque Christum dici posse *Adoptionem filiorum suscepisse*, quia *sacramentum adoptionis suscipere dignatus est, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est, & potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari.... Sicut ergo quamvis secundùm Apostolum expectemus adoptionem & redemptionem & salutem; tamen quia jam sacramentum adoptionis, & redemptionis, & salutis accipimus, & filii Dei, & redempti, & salvati rectè vocamur: Ita Christus quoque sacramentum adoptionis, non ad utilitatem suam, sed ad ipsius Sacramenti confirmationem in Circumcisione & Baptismo suscipiens, sicut Apostolus ait:* Dico enim Christum Ministrum fuisse Circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum, *potuit ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus rectè dici, quòd adoptionem susceperit filiorum.* Rom. 15. 8.

Et infra: *Illud autem quis ferat, quòd aliqui dicentes credere se nobiscum duas Christi esse naturas, & Deum illum atque hominem non negantes, si audierint quod gratiâ sit Filius Dei, sic detestantur hoc verbum, tamquam si de illo dicatur, qui Deus tantùm, non etiam homo sit. Sicut autem & naturâ est Filius hominis propter veram humanitatem, & dignatione Filius est hominis propter veram deitatem: ita etiam & naturâ Filius Dei est propter veram deitatem; & gratiâ filius Dei est propter veram humanitatem. Si verò & secundùm humanitatem naturâ Filius Dei dicatur, in illud Apollinaris incidetur, quòd credidit Deum Verbum ex parte sua substantia, quæ tota ubique est, & partiri non potest, carnem sibi fecisse. Quòd si veraciter duas dicunt ejus naturas, & ambæ divinæ esse non possunt, quia humanitatis una natura est: proculdubio non quemadmodum secundùm divinitatem naturâ Filius Dei est, ita etiam secundùm humanitatem naturâ Filius Dei est. Si autem secundùm humanitatem naturâ non est Filius Dei, necessario sequitur ut aut meritis, aut gratiâ sit Filius Dei, qui ex quo esse cœpit, non fuit aliud quàm Filius Dei.*

Objiciebat *Felix Urgelitanus*: Qui negat Christum adoptivum secundùm hominem Filium Dei, neget necesse est eum verum fuisse hominem.

Respondet *Paulinus Aquileiensis* lib. 1. Minimè id sequi, sed tantùm non esse purum hominem: *Cum adoptivus filius ille dici debeat, qui purus est homo: qui non meritò, sed ex dono gratiæ, adoptionis nomine censetur: Qui non unâ personâ ex utraque natura cum Deo constat, sicut Dominus noster Jesus Christus, qui semper, ex quo conceptus de Spiritu Sancto in utero Virginis secundùm hominem cœpit esse, sempiternus permanet Deus & homo. Numquidnam cum confiteor eum non redemptum, sed Redemptorem, non salvatum, sed Salvatorem; putasne hominem negem eum? Hominem, inquam, illum verum confiteor, sed Deum verum eum prædicans, veneranter adoro.*

Objiciebat rursùs *Felix* ista Apostoli verba: *Omnis viri Caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput autem Christi Deus*: & dicebat necesse esse membra adoptiva adoptivum habere caput. Ephes. 5.

Respondet *Alcuinus* lib. 2. contra *Felicem*, Hanc sententiam Apostoli spiritualiter, non carnaliter esse intelligendam. Et retorquet objectionem hôc modò: *Si Christus, qui est caput omnium nostrûm, adoptivus est propter membra adoptiva, quod nos sumus, nonne vides eâ ratione posse dici Deum Patrem esse adoptivum.*

vum, qui caput est Christi? Nam caput in corpore membrum est. Et qui caput est capitis, quomodo propter adoptionem capitis, quod Christus est, non erit & illud principale caput adoptivum? quod quàm impium & absurdum sit, nemo janum sapiens non intelligit. Adde, Christum adoptivum caput membrorom suorum, id est, adoptivum Patrem filiorum adoptivorum dici posse; sed non rectè colligi, filium esse adoptivum, ex eo quòd filiorum adoptivorum sit caput. Ut si quis naturalis filius quempiam adoptet, oon sequitur adoptantem esse filium adoptivum Patris à quo genitus est; sed tantùm, esse Patrem adoptivum ejus quem adoptavit.

Objiciebat præterea *Felix*, non posse unum hominem duos patres habere naturales: sed unum posse naturalem habere, alterum adoptivum. Atqui Christus in formâ humanitatis filius est naturalis *Davidis*; erit ergo in eadem formâ filius Dei adoptivus, non naturalis.

Respondet *Alcuinus* libro tertio, Juxta humanam consuetudinem *David* inter avos vel proavos Christi numerandum esse, potiùs quàm Patrem propriè dicendum, qui prophetico spiritu Christum Dominum suum dixerit. Nam si Deus Pater proprius non est Christi pater: ergo nullum habet proprium Patrem: quia B. Virgo ex nullius viri semine concepit, sed de Spiritu Sancto impraegnata est. Addit, si unus homo duos patres naturales habere non possit, multò minùs unius patris eumdem filium adoptivum & oaturalem esse posse: *Quia ille unus filius non potest dividi, ut sit unus patris & naturalis & adoptivus: vel quædam pars filii sit adoptiva, & altera naturalis in filii dignitate: velut si una manus sit adoptiva, & altera propria: vel anima sit adoptiva, & caro in proprietate filii. Quamvis enim anima non sit ex patris semine, sicut est caro, tamen unus est filius Patris, animâ & carne totus vel adoptivus, vel proprius, prout conditio nominis, vel natura sibi attulerit. Potest verò in unâ personâ esse passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis: velut homo immortalis est anima, mortalis est carne: sic etiam & Christus impassibilis divinitate, passibilis carne: tamen totus unus idemque est Deus & homo. Unus est Christus in formâ Dei, & unus Christus in forma servi; & unus Christus æqualis Patri, & unus est Christus minor Patre, idem Deus, idem homo; unus filius Dei Patris totus proprius, & Virginis Matris totus proprius.*

Objiciebat iterum *Felix*: Humanitas Christi non est genita ex Dei substantiâ; ergo Christus homo oon est in suâ carne verus & proprius Dei Filius.

Respondet *Alcuinus*, Non esse necesse ut humanitas Christi sit ex Dei substantia, ut sit Dei naturalis filius, etiam quâ homo est; sed satis esse quòd tota Christi persona genita sit ex substantia Dei Patris: sicut totus *Felix* erat proprius & naturalis patris sui filius, quamvis ejus anima ex semine patris non esset. *Et quomodo*, inquit, *potest fieri, ut tu ipse totus sis tui Patris proprius filius & verus, ex cujus carne tua anima non est generata? At si te ipsum sentias proprium esse filium patris tui cum anima & carne, quamvis caro sola de substantia patris & matris procreata sit: Ergo multò magis perpende oculis cordis, ut intelligas Dei Patris Jesum Christum in utraque substantiâ proprium filium & verum fieri posse. An illius potentia in hòc impotens est, ut hoc non possit perficere in filio suo, quod in cunctis hominibus facit fieri? Aut tuus pater potentior est Deo in hac parte, & potuit te proprium filium habere ex anima & corpore, licèt animus aliunde sit corpori inmissa? Si verò nullus proprius filius & verus potest esse, nisi ex substantiâ patris totus natus sit; ergo in omni humano genere nullus pater habet proprium filium & verum, nisi tantùm carne solâ.... Tu igitur proprietatem filii, quam in te assertis, cognosce in Filio Dei fieri posse: & qui teipsum dividere non vis propter animam & carnem in duos filios, proprium scilicet & adoptivum: eâ ratione nec Christum dividere tentes in duos filios propter perfecta divinitatis & perfecta humanitatis naturam; quia unus est Mediator noster Jesus Christus.*

Objiciebat *Felix*: Christus prædestinatus est; ergo est Filius Dei adoptivus.

Respondet *Alcuinus* libro 2. *Aliter Christum prædestinatum esse, aliter nos. Illum prædestinatum esse Filium Dei in virtute*, sicut ait Apostolus. *In qua virtute, nisi divinitatis? Nos verò prædestinatos esse per illum in adoptionem filiorum; non ille per nos*: neqoe in adoptiooem.

Objiciebat *Felix*: Christus quâ homo, servus est Patris: & filius ancillæ ejus; & in æternum Patri subditus erit, Apostolo teste. Et sæpe in Scripturis servus appellatur. Non est igitur verus & propriè dictus Dei Filius, sed adoptivus, quâ homo est.

Respondet *Alcuinus* libro sexto: Christum servum dici & esse dignatione, non necessitate; neque in servi conditionalis statum redactum fuisse: *Nam conditio duram demonstrat necessitatem, non voluntaria munus obedientiæ.* Christum autem hujusmodi necessitati non fuisse obnexium, probat ex Apostolo (Philipp. 2.) dicente: *Christus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* At, inquit *Alcuinus*, nomen servi conditionalis non est super omne oomen, sed inferius filiorum nomine. Filii quippe nomen omnibus Sanctis Dei dignitate communiter donatum est. Quod est ergo excellentius cæteris nominibus nomen, quod Christo à Deo Patre, Apostolo teste, datum esse dicitur propter obedientiæ mirabile sacramentum? Illud scilicet quod idem ipse subjungit dicendo, *Ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Si jam Dominus est Jesos, & io gloria est Dei Patris, id est: in divinitatis Majestate: Ergo conditionalis servitii jugo subjectus non est: sed sicut Beatus Petrus Princeps Apostolorum ait: (1. Pet. 3.) *Profectus est in cœlum subjectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus*: quod & Psalmista prædixit (Psal. 8. 6.) multò ante futurum. *Minuisti*, inquit, *eum paulò minùs, gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Idem significat in alio loco Apostolus (Ephes. 5.) his verbis: *Qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam*, in hoc quòd ait: *Tradidit semetipsum*: voluntariè se tradentis, non conditionaliter servientis ostendit affectum. Idem probant illa verba Regii Vatis: (Psal. 39. 8.) *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Volui*, inquit, non sicut dicere solebat Felix, *Debui*: debitâ enim servitute Deo Patri subjectum Christum affirmabat. Quod quidem debitum, & conditionale servitium, inquit *Alcuinus*, ab Ecclesiasticæ fidei veritate omnino alienum est. Catholica enim veritas io uno eodemque Christo credit & confitetur, secundùm veram substantiam carnis, omnes ejusdem carnis, quas suscepit, infirmitates voluntarias habuisse Christum, cùm voluisset.

Ad illud autem de æterna subjectione Filii (1. *Cor.* 15.) Respondet *Alcuinus* cum *Sancto Hilario*; Nihil aliud ibi esse subjectioois significationem, quàm mysterii demonstrationem; ut nimirum omnia in omnibus Deus sit. Non autem ita intelligendam eam subjectionem, tanquam servitutem dominatui, aut infirmitatem virtuti, aut honori inhonorationem oppositam.

Licèt autem io Veteri Testamento Christus aliquando servus nuncupetur, in Novo tamen Testamento

mento Filius ubique nominatur, ut observat *Alcuinus* lib. 3. contra *Felicem*. Etsi cum Propheta servum nominaverit, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quâ factus est Patri obediens usque ad mortem; ut respondet Synodus Francofordiensis in Epistola ad Hispanos. Sanè Apostolus ad Hebræos scribens cap. 3. servituris notam Christo inuri vetat his verbis: Jesus *præ Moyse amplioris gloria dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in omni domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus verò tanquam Filius in domo sua; quæ domus sumus nos.* Idem vetat ipse Christus Joannis 8. *Servus*, inquit, *non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Hinc *Sanctus Augustinus* à Patribus Concilii Francofordiensis in Epistola Synodica laudatus, Homilia 39. ait: *Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus fuit.* Et Tractatu III. in *Joannem*, prout in eadem Synodica refertur: *Per servum lex data est, & reos fecit: Per Liberatorem indulgentia data est, reos liberavit. Lex per Moysen data est: non sibi aliquid amplius servus assignet, quàm quòd per illum factum est. Electus ad magnam mysterium tanquam fidelis in domo, sed tamen servus: agere secundùm legem potest, solvere à reatu legis non potest.* Hinc & *Sanctus Leo* ibidem laudatus ait Sermone 2. *de Nativitate* cap. 3. *Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa: creata est forma servi sine conditione servili.*

Scripturam sacram & Traditionem secutus *Hadrianus I.* Pontifex Maximus servitutis à Christo propellit injuriam, in Epistola ad Hispaniæ Episcopos ita scribens: *Adoptivum eum filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum, & (quod pudet dicere) servum eum impii & ingrati tantis beneficiis, Liberatorem nostrum non pertimescitis venenosâ fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de diaboli servitute liberavit?*

Et infra: *Nam etsi*, loquit, *in umbra Prophetiæ dictus est servus, propter servilis formæ conditionem quam sumpsit ex Virgine, sicut scriptum est:* Considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra: *hoc nos unà cum B. Gregorio intelligimus secundùm historiam de Sancto Job, & allegoricè de Christo dictam. Nunquid propterea servi ei nomen imponere debemus, quia sub persona Job Scriptura eum typicè designabat? Hinc etiam alius Propheta, membrum scilicet sacri Corporis, ex persona summi Capitis, tropica clamat involvente vaticinia nube:* Ô Domine, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. *Et rursus:* Da imperium Puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ. *Et illud:* Noli timere servus meus Jacob, & rectissime quem elegi. *Quæ cuncta & juxta literam propheticè & mysticè revelata, nostri Mediatoris designant personam: quod quilibet Catholicorum virorum hujus Prophetiæ mysterio usus, quemadmodum in quodam libro de Incarnatione Domini B. Ambrosius simile quid dixerit, propter eos videlicet Hæreticos, qui phantasticum, aut etiam semiplenum Dominicum Corpus sacrilegô ore susurrant. Nunquid docuerunt eum servum, vel adoptivum filium prædicare: cum universalis Ecclesia Evangelicis atque Apostolicis imbuta lucidissimis documentis, Deum ac Dominum suum, totis medullis cordis, totâ animi devotione, in dextera eum Patris profitetur sedentem? Postquam autem cessavit umbra veritatis, & ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegorica sylva latebat, nusquam eum à Patre servum vocatum legimus sed Filium, & dilectum, & suum, nec Filium Dominum eum suum appellasse, sed Patrem. Nam Deus & homo erat, qui secundùm Deum dicebat:* Ego & Pater unum sumus: *& secundùm hominem:* Pater major me est; *& tamen non ait:* Pater Dominus meus est.

Job. 1. Psal. 115. Psal. 85. Isa. 42.

Objiciebat *Elipandus* Orationes ex Ecclesiæ Toletanæ Missali desumptas, scilicet hæc verba ex Oratione in Cœna Domini: *Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo non indulget corpori, nostro pepercit.*

Respondet *Alcuinus* lib. 2. contra *Elipandum*, Videri à quibusdam corruptoribus, pro, *assumpti hominis*, nomen *adoptivi* positum. Similiter in Præfatione, ubi legebatur: *Et Jesu Christo Filio tuo Domino nostro, qui pietati tuæ per adoptivi hominis passionem, &c.* fortè in antiquioribus exemplaribus, *assumpti hominis*, positum fuisse, sed postea interpolatum. Item, ubi dicitur: *Hodie Salvator noster, post adoptionem carnis, sedem repetiit Deitatis*; convenientiùs legi, *assumptionem carnis*, quàm *adoptionem*. Proferebat etiam *Elipandus* hæc verba ex aliâ Oratione: *Respice, Domine, Fidelium tuorum multitudinem, quam per Adoptionis gratiam Filio tuo facere dignatus es cohæredem.* Sed rectè respondet *Alcuinus*, ibi adoptionis nomen ad multitudinem Fidelium referri, quam Filio suo per adoptionem gratiæ Deus fecit cohæredem; non ad Christi Filii Dei personam pertinere. Item quod ex aliâ Oratione proferebat Elipandus; *Processit in adoptione donum, sed adhuc restat in conversatione judicium:* Vocabulum adoptionis ad Fideles pertinere, qui judicandi sunt; non ad Christum, qui judicaturus est. Hispanos Doctores, *Juvencum* Presbyterum, *Julianum Pomerium*, *Sanctum Isidorum*, & Concilia Toletana, Christum nusquam adoptivum Dei Filium appellare. Ut ut est, Orationes Ecclesiæ Romanæ à *Sancto Gregorio Magno* præscriptas vel ordinatas, Mozarabicæ Liturgiæ Orationibus opponit. Quod facit & Synodus Francofordiensis in Epistola Synodica ad Hispaniæ Episcopos.

Objicies. Secundùm quam naturam Christus nec genitus est à Deo Patre, nec Deo Patri similis, juxta eam non est Filius naturalis: Atqui Christus, secundùm humanam naturam, nec genitus est à Deo Patre, nec Deo Patri similis est: Christus igitur secundùm humanam naturam non est Filius naturalis. Est igitur filius adoptivus.

Respondeo, distinguo majorem: Juxta eam non est Filius Dei naturalis, naturaliter concedo, ex assumptione illius naturæ ad hypostasim Filii naturalis, sive ex gratiâ unionis, nego. Sanè si hæc valeret argumentatio, in eamdem sententiam concludere liceret: Juxta quam naturam Christus nec genitus est ex substantia Dei Patris, nec Patri similis, juxta eam non subsistit in secunda persona Sanctissimæ Trinitatis: Atqui juxta humanam naturam nec genitus est ex substantia Dei Patris, nec Deo Patri similis: Ergo juxta humanam naturam non subsistit in secunda persona Sanctissimæ Trinitatis, Conclusio tamen Nestoriana est. Vitium hæret in majori, scilicet, quòd sufficienti enumeratione non constat. Sic itaque ratiocinandum est. Quatenus Christus subsistit indivisibiliter subsistentiâ filiali, seu per æternam generationem productâ, eatenus est Filius Dei naturalis & proprius. Nam illa ipsa subsistentia filialis per æternam generationem producta, constituit Filium naturalem & proprium Dei: sed & secundùm divinam, & secundùm humanam naturam, Christus subsistit indivisibiliter subsistentia filiali, seu per æternam generationem productâ. Itaque & secundùm divinam & secundùm humanam naturam, Christus & Filius Dei naturalis & proprius.

Objicies. Si Christus est naturalis Filius secundùm humanitatem; ita debet esse filius naturalis secundùm humanitatem, sicut est secundùm divinitatem: atque

atque ita eſſet genitus ex ſubſtantiâ Patris ſecundùm [A] humanitatem, ſicut ab eo genitus eſt ſecundùm divinitatem.

Reſpondeo, A re ipſa ad modum rei non valere conſequentiam, præſertim in iſto negotio. Non enim fas eſt concludere: Si Filius Dei verus Deus eſt ſicut Pater, eſt ingenitus ſicut Pater. Nec ſimiliter fas eſt concludere: Si Chriſtus ſecundùm divinitatem naturalis Dei filius eſt per æternam generationem: ità ſecundùm humanam naturam Dei filius naturalis eſt per æternam generationem: ſed ſufficit quòd ſit naturalis Dei filius, qua homo eſt, unionis perſonalis beneficio.

Objiciebat *Felix* in Opere poſthumo, verba *Sancti Hieronymi* in Tractatu de ſimilitudine carnis peccati contra Manichæos, dicentis: *Hic filius hominis per Dei Filium Dei eſſe filius in Dei Filio promeretur: Nec adoptio à natura ſejungitur, ſed natura cum adoptione conjungitur.*

Reſpondet *Agobardus* lib. adverſùs *Felicem*, Adoptionis nomen pro aſſumptione à Sancto Hieronymo uſurpari. Unde poſtquam dixit: *Nec adoptio ſejungitur à naturâ, ſed natura cum adoptione conjungitur*: ut oſtenderet quæ eſſet hæc adoptio, adjunxit: *Quoniam cùm Verbum caro factum eſt, non per aſſumptum decrevit aſſumptor, ſed in aſſumente crevit aſſumptio. Quod ſupra dixit*, adoptio, *hoc inferiùs ſubjecit*, aſſumptio; *& quum ſupra dixerat naturam, explanavit ſubdendo* aſſumptorem *&* aſſumentem. *Adoptata itaque eſt natura humana, id eſt, ſuſcepta vel aſſumpta in perſona Filii à Filio: ut cùm ipſe eſſet Filius, non alio, ſed eo modo quo erat ante filius. Et hoc eſt quod dicitur: Non per aſſumptam decrevit aſſumptor, ſed in aſſumente crevit aſſumptio.*

Objiciebat *Felix* verba *Aviti* Viennenſis Archiepiſcopi Epiſtola 28. ſcribentis: *Maximus, Patriarcharum, cùm videret illum diem, in quo ſine fine permanet Deus, concupivit tamen illum videre quo homo* [Joan.] 8. 56. *unitus eſt Deo. Vidit*, inquit, *& gaviſus eſt: quia ſicut cernebat illum in quo erat genuina Majeſtas, ita & iſtum deſiderio conceperat, in quo adoptata illuſtrabatur humilitas.*

Reſpondet *Agobardus*, Adoptatam humanitatem *Avitum* dixiſſe, id eſt, aſſumptam. Cæterùm ex iis quæ præmiſit, apparere ipſum longè ab eo errore fuiſſe, quo Chriſtus ſecundùm humanitatem [A] adoptivus Dei filius aſſeritur. Ait enim: *Apoſtolus autem dicit: Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.* [Galat. 4. 4.] *Enimvero qui mittitur, erat antequam mitteretur. Quia ſi ante Mariam non fuiſſet, hunc ſimilem cæteris adoptio faceret Dei filium, non natura. Nec in Evangelicis ipſe dixiſſet*: [Joan. 3. 16.] " Tantùm dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum unicum daret. " *Non electum ergo ab ipſa ineffabili paternitate, ſed genitum; cui tam Deo quàm homini vero, in utraque naturâ fideliter proprio, in divinitate emanaſſe de Patre, in corpore contigiſſe de matre.*

Objiciebat *Felix*, ita divinam Scripturam loqui [B] ut ea quæ Capitis ſunt, id eſt, Chriſti, referantur ad Corpus, id eſt, Eccleſiam; & ea quæ corporis ſunt, adſcribantur Capiti: adeoque Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe filium adoptivum, ſicut cæteros Sanctos.

Reſpondet *Agobardus*, Non eodem modo quo in Filio Dei Verbum & carnem, unam credimus omnino eſſe perſonam; non conjunctam ex duabus perſonis, ſed ex duabus ſubſtantiis, eodem etiam modo credi Chriſtum & Eccleſiam unam eſſe per- [C] ſonam, quia unitas perſonæ Chriſti & Eccleſiæ, in ſpiritu, non in corpore eſt. Unde non ſequitur Fideles eſſe naturâ Dei filios, ſi Chriſtus naturâ filius Dei eſt: aut Chriſtum eſſe filium adoptione, quia Fideles adoptione ſunt filii. Cætera quæ objici poſſunt, à Scholaſticis diluuntur, quorum argutias miſſas facimus. Det Deus Optimus Maximus, ut qui Adoptionariorum hæreſim confutando, finem huic Sæculo imponimus, per gratiam & charitatem ſemper *Simus in vero Filio ejus; Quo eſt verus Deus, & vita æterna.*

QUÆSO, DOMINE, *miſericordia mea, exoro re-* [D] *demptio mea, deprecor charitas mea, ut qui ignorantiæ meæ tenebras aliquantula ſcientia luce perfudiſti interiùs, operum etiam claritate circumdes exteriùs. Da etiam Domine, ut hoc opus tanto labore confectum, Eccleſia tua fiat acceptum: nulliqne tuorum ſit oneroſum, quibus poteſt eſſe fructuoſum. Et qui de meo nec Tibi, nec tuis placere poſſum, obſecro ut ex tuo, & Tibi, & tuis complaceam. Illud autem attentiùs poſtulo, ut cui hoc Opus ad manus venerit, ipſúmque perlegerit, tuâ inſpiratione tactus, meam orationem compleat ac dicat: Domine, fiat; Domine fiat. Amen,* AMEN.

[Ambroſii Autperti qui hoc Sæculo floruit, verba ſunt in fine Comment. in Apocal.]

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VIII. Sæculi

FINIS.

INDEX



INDEX ALPHABETICUS
RERUM PRÆCIPUARUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Arithmetica nota Paginam, Litera verò a. b. *Columnas indicabunt.*

MONITUM.

Cùm in his Voluminibus amplissima sit rerum ubertas, ultra modum excrevisset Index, si non solùm res præcipuæ, sed etiam repetitæ, ut moris est, multis in locis occurrissent. Monitum te velim, opera Ecclesiastica in hoc Indice vix esse reposita, nisi materiæ ratio & necessitas imprimis postulaverint. Videsis Auctorem cui solent adjudicari, eisque nostræ diligentiæ testis.

A

Libri

B

C

D

E

F

G

H

de

J

I

K

L

Lites

M

celebrata

N

O

P

venit

Q

R

Orientalibus

S

V

Victor

Explicit Index Alphabeticus.

